BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
14 — F
1
17

Digitized by Google

Ex Libris PP. Doctrinæ Xpnæ Collegij Rom. S. Mariæ in Monticellis

VITA ABSCONDITA,

SEU

SPECIEBUS EUCHARISTICIS VELATA,
per potiſſimas ſenſuum operationes de facto
à CHRISTO DOMINO ibidem indeſinenter
exercita circa objecta Altari,
& Amori vicina:

**EJUS MIRA UTILITAS, DECOR, ET CLARITAS,
& ad tuendam veram rationem, tum Sacrificii incruenti,
tum Sacerdotii, neceſſitas: fructuumque ex ea
fœcunda radice prodeuntium ubertas,
raritas, & vetuſta novitas:**

Accedit conjunctio intima (EUCHARISTIÆ peculiaris gloria) ſanctè
communicantis cum SERVATORIS noſtri anima, tamquam cum
motore aſſumente, poſtquam deſinit Sacramentalis præſentia;
nondùm Theologis ſatis nota; quæque incipit,
& proficit in via, & exundat in Patria.

AUTHORE

ALBARO CIENFUEGOS

HISPANO E' SOCIETATE JESU,

Presbytero Cardinale Tit. S. Bartholomæi in Inſula, Archiepiſcopo, & Abbate
Montis Regalis, Sacræ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis Conſiliario Intimo,
ac ejuſdem apud Sanctam Sedem Legato, Germaniæ, & Dominiorum
Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ Comprotectore, Doctoreque
Salmanticenſi, & in celeberrima illa Academia Veſpertino
quondam Sacræ Theologiæ Profeſſore.

ROMÆ, MDCCXXVIII.

Typis Antonii de Rubeis è Foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



EUCHARISTICÆ
JUXTA
AC AUSTRIACÆ DOMUI,
Nec minùs notæ eo titulo ſacro, quàm Auguſto hoc cognomento.

ALBARUS CARDINALIS CIENFUEGOS
Fælicitatem omnem ſucceſſivo Augusto Germine perennem.

DUM *mecum ſæpè cogitarem de Regia illa Domo Euchariſtica, à Sapientia Divina affabrè, magnificèque con-*

ſtructa, & *Prov.* 9. *adamuſsim deſcripta* : Sapientia ædificavit ſibi Domum, excidit columnas ſeptem, immolavit Victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. *Occurrebat illicò* AUSTRIACA *ter Auguſta Domus*: *quippe quæ omnium (æmulorum etiam) conſenſione ad umbram gratiſſimam Euchariſtiæ ſacræ, & veluti ſub aram ipſam nata, adolevit, floruit, viguit. Ex illo namque deliciarum fonte primos Majeſtatis fulgores hauſit. Ex eodem incrementa ſublimia altè bibit: & tandem arcano hoc divino latentèr operante, & fovente, ultimam humanæ fælicitatis metam attigit.*

Jam verò quot egregia devotionis, & reverentiæ facinora ergà velatam CHRISTI DOMINI *majeſtatem ediderit domus hæc pientiſſima: quàm ſtrictè jugibus ſuis excubiis verum reddiderit illud Lucæ* 17. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ; *narrat ubique Hiſtoria, vulgat fama, canit, & quidem voce minimè rauca, invidia. Subindèque infinitiès actum agerem, ſi præclara hæc pietatis monumenta denuò inculcare vellem. Juvat tamen libare id, quod ex ore hoſtili, per ſummam vim extorſit nuper Divina Providentia. Etenim dum ſanguine pretioſæ Victimæ altare caleſceret, araque fumaret, clamare auditus eſt infenſiſſimus mortalium Hoſtis*: Regnabit Auſtria, donèc regnabit Hoſtia. *Jure igitur*

tur Eucharisticæ Domui (tibique, CAROLE INVICTISSIME , *inclyto ſanè illius Capiti*, *milliès coronato) debetur opus hoc*, *utpotè ex integro Eucharisticum*. *Foret ſiquidèm veluti rei ſacræ furtum*, *illud è nativa Eucharistiæ Domo*, *ſive potiùs Templo* , *extrahere*, & *aliò transferre*. *Quamobrem ipſum gratulabunda manu aureo tuæ ſemper victricis Domus Tholo lubens ſuſpendo*, *dubius*, *appendatur* , *ne* , *ut obſequium*, *vel magis ut votum:*

Cæſaris arma canant alii, nos Cæſaris aras:

De reliquis verò ampliſſimæ hujus (vel per ingentia miracula ſervatæ) Domus laudibus altum mihi ſilentium indixi, *quoniam cedit oratio rerum magnitudini; porrò immenſam ſplendoris tanti copiam* , *neque ipſa generosè inconnivens Aquilarum acies*, *tametſi domestica inſignia*, *ferre poſſet immota*, *quin langueſceret obruta*, *audaciæque ſuæ pœnas experta*.

AP-

APPROBATIO, ET JUDICIUM

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini

D. LUDOVICI

Tit. S. Priſcæ S.R.E. Presbyteri

CARDINALIS BELLUGA

Epiſcopi olim Eccleſiæ Carthaginienſis: & Hiſpaniarum Protectoris.

NON ſine ingenti admiratione perluſtravi inſigne hoc opus per Eminentiſſimum Cardinalem Cienfuegos in gloriam myſterii Euchariſtici, ſacrificii Chriſti Domini incruenti, ejuſque æterni Sacerdotii elaboratum; in quo notę ſapientiæ ſuæ theſauros velut effudiſſe videtur, ut illos divini amoris à Salvatore noſtro in auguſto præſertim Euchariſtico Sacramento erga nos velut effuſos, notos facere omnibus poſſit. Quandoquidem tot arcana in eo contenta, & nobis quaſi incognita elicit, & tam mira, ſelectaque eruditione, eo quo pollet ingenio, Scriptura, Patribus, ac ſacra Theologia fundat, ut dici meritò de eo poſſit Eccleſiæ deſiderium plenè adimpleviſſe. Namque ſi ad ejus laudes hæc nos exhortans ait (1) *Quantum potes tantum aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis*. Ac ſi hucuſque de Sacramento concinnatæ laudes magnitudinem ejus haud æquent, ita ipſius effectus ſupra communiter ponderatos elevare contendit, ut ex hoc ſolo ipſius laudes tantum excreſcere faciat, quantum Eccleſia deſiderare valet.

(1) *Eccleſ. in ſequent. Miſſæ de feſt. Corp. Chriſti. Ex D. Th. opuſc. 57.*

In mente enim hanc exhortationem proculdubio habuiſſe viſus eſt; quandoquidem ea excitatus, æquè ac confiſus, ita de hoc diviniſſimo Myſterio agit, totque fluenta divini amoris ex eo erga nos manantia in lucem prodit, ut nihil huic Sacramento laudabilius, nihil hominibus jucundius, nihil Salvatori Noſtro acceptius, nihil Hæreticis Sacramentariis moleſtius de eo dici poſſit; cum ultra eas nobis omnibus notiſſimas in hoc Sacramento elucentes miſericordias, alias reconditas, nobis quaſi ignotas ita eruere ſatagit, adhuc & arcana alia in Sacrificio Chriſti incruento, ac in æterno ejus Sacerdotio ab eo inſeparabili nota facere, ut nedum illo Davidico haud deterreatur (2) *Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes ejus?* quod Chryſoſtomum terrebat (3) ut de his myſteriis loqueretur. Verùm eo magis confiſus, quaſi potentias Domini ingrediens, eas luculentioreſque hujus Sacramenti in ejus effectibus laudes tanto ſecuriùs auditas in Eccleſia facere aggreditur, quanto eodem ſacro eloquio certior de eo eſt factus, quod nunquàm enarrare eas ſatis poterit.

(2) *Pſ. 105. v. 2.*
(3) *D. Chryſ. ho. 81. in Matthæum.*

Multa ſanè in hoc opere tractata conſpicio, & omnia ſingulari ingenio diſcuſſa, & adeo eruditè in omnibus ſuis aſſertis fundata, ut alia laude indigere non videantur, quam ea quæ ab inſignioribus Theologis, qui debita reflexione ea omnia percurrant, proculdubio ipſum merebitur. Nihil enim in eo invenient, ad quod offendere poſſint, ſed multa, in quo delectari valeant ob ingenioſitatem, qua omnia tractat, & eruditionem, qua ea elucidat: in id ſemper tendens, ut magnitudo myſteriorum, quæ tractat, omnibus innoteſcat; ardentiſſimus Salvatoris Noſtri amor, quem erga nos in illis exhibuit, melius agnoſcatur; ea maxima dignitas, ad quam nos evehit, clarius demonſtretur; & divina teſtimonia de hoc Sacramento, de incruento Chriſti Sacrificio, ac de æterno Chriſti Sacerdotio loquentia, eo rigore accipantur, ut Hæreticis præſertim Novatoribus occaſio non detur, quatenus ipſiſmet teſtimoniis pro ſuis erroribus tuendis redarguere nos poſſint.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Exponitur Concluſio in hoc diſcurſu ſignanter expendenda.

1. QUod aliquale dubium ingerere fortaſsè poterit, illis præcipuè, qui rem debita cum reflexione non perpendant, illud ſolum eſt, quod ab Eminentiſſimo in octava ſua diſputatione adſtruitur, & quod quaſi Ad- vocatum agens oſtendere, & fundare nititur, judicio tamen DD. qui melius ſenſerint, quid tenendum in ea concluſione, relinquens. Namquè ſupponendo Sacramentum Euchariſtiæ ex inſtitutione Chriſti tamquam effectum prima- rium habere, nedum gratiam cauſare, ſicut & reliqua Sacramenta, verum etiam aliquam ſpecialem intimam, & quantum eſt ex parte Sacramenti per- ſeverantem cum Chriſto unionem communicare, ſignificatam in illis verbis (1) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, cum aliis concordantibus, ultra, & ad diſtinctionem illius unionis myſticæ, quam reliqua Sacramenta per gra- tiam communicant; & ſupponendo etiam majorem diſpoſitionem requiri in Sacramentum recipiente ad hanc ſpecialem intimam unionem cum Chriſto participandam ob ejus excellentiam, & magnitudinem, quam ad illam aliam unionem omnibus Sacramentis communem, quæ per gratiam rectè diſpoſitis communicatur; ex hoc tranſit, & diſtinguit inter eum, qui Sa- cramentum ſuſcipit cum ſola diſpoſitione gratiæ, & illum, qui illud ita diſpoſitus ad ipſum recipiendum accedit, ut virtutibus omnibus, & præci- puè Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate maximè polleat: & ait, quod licet ex parte Sacramenti, & ex intentione, & deſiderio Chriſti Domini, primò, & per ſe intendatur, communicare omnibus iis, qui ſacram Syna- xim recipiant, illam ſuam ſpecialem intimam perſeverantem unionem, ſi cum digna, & correſpondenti diſpoſitione accedant; tamen primo aſſumen- ti, quia illi deficit hæc perfecta diſpoſitio ab eo exacta, ſolum communi- cabitur augumentum illud gratiæ, quod Theologi omnes communicari fateo- tur, iis qui dignè ad Sacramentum accedunt: & conſequenter illa tantum- modò myſtica unio, quæ eidem gratiæ correſpondet. De ſecundo verò, uti perfectè diſpoſito, aſſerit illam aliam ſpecialem unionem cum Chriſto participare. Et hoc poſt corruptas Sacramentales ſpecies, & non antea. (1) *Joann. cap. 6. verſ. 57. 58.*

2. Ex hoc procedit ad declarandum, in quo hæc ſpecialis permanens intima unio cum Chriſto conſiſtat. Et referendo illas duas opiniones, quæ ſuper hoc verſantur, modo illam communem eorum, qui hanc ſpecialem unio- nem in uberiori gratia, ac charitate, quam ſacramentum communicat cum uberioribus auxiliis, conſtituunt, & terminos unionis myſticæ non excedere ajunt; modò illam aliam, quam graviſſimi Theologi defendunt, qui ultra hanc unionem myſticam, aliam unionem realem, corporalem, & ſubſtan- tialem conſtituunt; ſed illam inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum recipientis ponunt. Referendo, inquam, eas; & exiſtimans unionem myſti- cam per augmentum gratiæ ſtatutam à prima non ſufficere; uti commu- nem omnibus Sacramentis, & operibus omnibus meritoriis; & unionem illam realem ſubſtantialem ſtatutam à ſecunda, nec ſubſiſtere, nec ſufficien- tem eſſe, etſi ſubſiſteret, ad ſalvandam vim verborum illorum: *In me ma- net, & ego in illo*. Et illorum: *Et qui manducat me ipſe vivet propter me*, quæ majorem, & excellentiorem unionem ſignificant, ait, opus eſſe, quod hæc unio cum ſecunda opinione conſtituatur realis, ſed non inter Corpus Chriſti Domini, & Corpus Sacramentum ſumentis, ſed inter ipſum Chri- ſtum, & Sacramentum debita diſpoſitione recipientem:

3. Et cum videat, quod hæc unio ex intentione, & inſtitutione Chriſti de- bet eſſe permanens, ut illa verba: *In me manet, & ego in illo*, ſignificant, & illa: (2) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*: & quod deficientibus ſpeciebus ſacramentalibus, deficit conſequen- ter & Chriſtus, & ſic permanens eſſe non poſſet; ſubjungit, opus non eſſe, (2) *Joann. 6. verſ. 55.* ut remaneat Chriſtus ſecundum totum, quod dicit, ad hanc perſeverantem unionem ſalvandam, & ſalvandum rigorem præfatorum verborum; cum ad hoc ſufficiat, quod ſpeciebus ſacramentalibus corruptis, maneat id, quo ve- rificari poſſit, manere Chriſtum Dominum, licet non permaneat ſecundum totum quod dicit. Et cum innegabile in bona Theologia ſit, poſt conſum- ptas ſacramentales ſpecies, & deficiente Corpore, & Sanguine Chriſti, poſſibilem eſſe permanentiam animæ Chriſti cum unione ſua ad Verbum in

eo,

eo, qui perfectè diſpoſitus Sacramentum recipiat ; & cum aliunde ſic ſalvetur, quod in illa Chriſtus permaneat, quemadmodum in Limbo ſalvatur Chriſtum manſiſſe, manente ſolummodo Perſona Verbi ejus animæ unita; & inſuper non manente anima Chriſti, ſalvari in vera Theologia non poſſit, quod ſpeciali modo per hoc Sacramentum maneat Chriſtus ipſe in anima, uti omnes Eccleſiæ Patres manere confitentur.

4. Ex hoc, ut ſalvetur rigor præfatorum verborum: *In me manet, & ego in illo*: cum reliquis concordantibus, operæ pretium exiſtimat, ſtatui debere, quod quando recipiens Sacramentum, accedit cum perfecta ſupradicta diſpoſitione ab hac excellentiſſima unione exacta, tunc deficientibus ſpeciebus ſacramentalibus, deficit ſolummodo Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, non tamen ejus anima unita Perſonæ Divini Verbi, media qua ipſum Divinum Verbum, ſupponens pro ſuppoſito *Chriſtus*, unitur animæ ſic dignè Sacramentum recipientis; non quidem unione informativa, nequè hypoſtatica, ſed unione reali aſſumptiva, valdè tamen illi ſimili, qua tamquam Motor illum aſſumit ad ſe in illo repræſentandum, itaut ſi per eum non ſtet, perpetuò poſſit cum illo, & in illo operari, & ſic valeat magis, ac magis in ipſum transformari, ac de ejus vita vivere, & Motorem ſuum perfectius in dies repræſentare, & cum Apoſtolo dicere (3) *Vivo Ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

(1) *Paul. ad Galat. cap. 2. v. 20.*

5. Hæc eſt doctrina ab Eminentiſſimo propugnata. Cum autem attenta materiæ gravitate, ea qua pollet eximia prudentia aliorum ſententiam ſuper hac præſertim concluſione audire deſideraverit, & mihi injunxerit, ut meam etiam mentem circa eam aperirem: licet profectò agnoverim, opus tanto ſtudio, & diligentia à Theologo tam eximio elaboratum, omnem commendationem ſecum ferre, neque aliorum judicio indigere; attamen ejus præcepto libenter obtemperans; fateor ingenuè ad concluſionem examinandam appulſum, non levem eam mihi ex ſolis terminis, & primo aſpectu initio ingeſſiſſe difficultatem; verum cum fundamenta, quibus eam valdè corroborat, perpendere incepi, ſtatim agnovi, poſſe illam inoffenſo pede percurri, etiam independenter ab illa ſecuritate, quam nomen, & dignitas Authoris doctrinæ præſtat; tum ob ſolidiſſima fundamenta, quibus concluſio innititur, tum etiam ob alia judicio meo non levia, quæ ipſam confirmare amplius poſſunt.

6. Quamobrem licèt ipſi ſubſcribere tunc decreviſſem, cum tamen ab eo, quod mihi accidit, idipſum etiam pluribus aliis contingere poſſe cognoverim; & cæteroquin doctrina concluſionis, utpotè parum trita, & quæ ex terminis nova videtur, non tam de facili vera forſan exiſtimabitur, niſi ab eis, quibus per otium totam diſputationem percurrere licebit, (quod ſanè multis erit difficile, ob indiſpenſabilem diffuſionem ab ipſa materia exactam, qua meritò invenitur tractata) idcircò, ne minus rectum judicium ex ſolis terminis fortè de ea proferatur, operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi totam ejus ſubſtantiam, & præcipua fundamenta, quibus Eminentiſſimus concluſionem, ſecundum omnes ſuas partes corroborat, in compendium redigerem; ac inſuper nonnulla alia adjicerem (ut deſiderio Eminentiſſimi etiam in hac parte facerem ſatis) quæ ad eam convalidandam pro mea tenuitate plurimum conducere poſſe videntur; ut ita cum omnia hujus concluſionis fundamenta ſimul congeſta ponderabuntur, quibus Eminentiſſimus ad eam ſtatuendam inductus eſt, & quibus etiam moveor ad illi me ſubſcribendum, valeant omnes eam amplecti ad majorem laudem, & gloriam Auguſtiſſimi Sacramenti, atque animarum illud digne ſuſcipientium profectum; & nemo ita inveniatur, qui diſtortum ex ſolis terminis, & non perlectis fundamentis de ipſa concluſione judicium ferat.

§. II.

Nonnulla prælibantur, & prima ſententia expenditur, quæ circa præſentem materiam verſatur.

7. UT igitur initium demus, brevitatis, & claritatis gratia, prælibare tria oportet, quæ fateri omnes tenemur. Primum Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ex opere operato aliquam ſpecialem unionem, ultra communem gratiæ inter Chriſtum, & animam dignè illud recipientem cauſare, media qua vitam æternam, ac Divinam præſtat tamquàm primarium effectum à Salvatore noſtro intentum, quod diſertis verbis idem

Sal-

Salvator expreſſit, dicens (1) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum*
ſanguinem in me manet, & ego in illo: ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo
propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Et Concilium
Florentinum num. 132. laudandum: *hujus Sacramenti effectus, quem in anima*
operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum: & S. Dionyſius Areopa-
gita (2) *eſt Unio Altiſſima & Sacratiſſima*: & Angelicus Præceptor, dum ait:
(3) *Proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum, ut di-*
cat cum Apoſtolo: vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Et alibi
(4) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem conjungitur mihi,*
ſed qui conjungitur mihi, habet vitam æternam: ergo qui manducat meam carnem
habet vitam æternam. Et Div. Bonaventura: (5) *dicendum, quod cum hoc Sa-*
cramentum ſit unionis, effectus ejus primarius, aut eſt unire, aut magis unire.
8. Secundum, quod prælibare oportet, eſt, terminos convertibiles eſſe, uniri
per Sacramentum Chriſtum cum juſto, ac manere in illo, & ipſum manere
in Chriſto; & viceverſa, permanere Chriſtum in juſto, ac cum illo uniri,
& è contra; cum dari nequeat permanentia Chriſti in anima ſine unione,
nec unio cum Chriſto ſine illius permanentia. Et talis erit unio, qua-
lis fuerit permanentia, & talis permanentia, qualis fuerit unio. Unde ſi
unio juſti cum Chriſto fuerit tantummodo myſtica per gratiam, perma-
nentia ipſius Chriſti erit pariter myſtica per gratiam, & ſi unio fuerit rea-
lis, permanentia erit ſimiliter realis. Itaque in progreſſu diſcurſus indiſcri-
minatim his terminis procedemus, modo ſub nomine unionis, modo ſub
nomine permanentiæ. Tertium, quod prælibare oportet, eſt: hanc unionem
cum Chriſto, quantum eſt ex parte Sacramenti, & ex intentione Chriſti
eſſe perpetuam, ſi per nos non ſtet, ut ſignificant ipſa verba: *In me manet,*
& ego in illo, & illa: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*
habet vitam æternam. Et illa: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum,*
quæ omnia permanentiam perpetuam, quantum eſt ex parte Sacramenti, de-
notant. Quod ſupponit Angelicus Præceptor dum ait: (6) *cum datur in ci-*
bum, datur non ad ſeparationem, ſed ad omnimodam unionem. Joann. 6. Qui
manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.
Et ſic apparet in tali dono ſumma largitas Divinæ bonitatis. Et in hoc omnes
DD. conveniunt, & videri poſſunt Eximius Doctor Suarez, & Vaſquez,
(7) & ex Patribus hoc infra amplius videbitur.
9. Hoc prælibato, quod in controverſiam venire non valet, nec ab ullo
ambigi, quæ, cujuſve generis hęc unio ſit, accuratè inter Theologos diſ-
ſeritur, qui in illas duas ſupra allatas opiniones, unionis purè myſticæ, &
unionis realis ſubſtantialis inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum
ſumentis abeunt, quas Eminentiſſimus refert, ab utraque diſcedit, & ſuam
tertiam opinionem, ut ſupra expoſitam ſtatuit. Sed cum agnoſcat hanc
ſuam tertiam opinionem uſquè hodiè his terminis non traditam, aliter pro-
pugnari non poſſe, quam demonſtrando neque primam de ſola permanen-
tia, & unione myſtica ſufficere ad ſalvandam eam mutuam ſpecialem unio-
nem, quæ neceſſariò debet conſtitui inter Chriſtum Dominum, & illum,
qui cum laudata diſpoſitione ad Sacramentum accedit; neque ſecundam de
unione reali ſubſtantiali inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum ſu-
mentis (niſi de unione tantummodò materiali intelligatur) ſubſiſtere, nec,
etſi ſubſiſteret, ſufficientem eſſe ad ſalvandam vim illorum verborum: *In*
me manet, & ego in illo, cum reliquis concordantibus teſtimoniis, utrum-
que efficaciſſimè convincit, & totus eſt in fundando nullam aliam excogita-
bilem eſſe unionem præter ab eo aſſertam, ſine qua nec ſalvari poſſe exi-
ſtimat rigorem verborum: *In me manet, & ego in illo*, nec excellentiam hu-
jus Sacramenti ſuper cætera alia Sacramenta declarari, nec divitias illius
magni amoris, quem in eo Servator noſter erga nos velut effudit, oſtendi;
nec teſtimonia SS. Patrum veriùs explicari, nequè Hæreticorum errores,
in præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtiam inſultantium validius
impugnari. Et ſanè ſi judicio doctorum hoc eſt aſſecutus, proculdubio
opinio apud omnes magnum plauſum merebitur.
10. Ut ergo ſine magno labore agnoſci poſſit, ſi id ſit aſſecutus, & ſic bre-
vius judicium ferri valeat. Quod attinet ad primam opinionem non aliam
Chriſti Domini permanentiam, & unionem admittentem, quam myſticam
per gratiam, in quocumque ſtatu perfectionis ad Sacramentum accedens po-
natur, licet ut ait Vaſquez (8) hæc fuerit omnium antiquorum Scholaſti-
corum receptiſſima ſententia, quin de ea diſputatum fuerit, uſque dum in
Hiſpania orta fuit ſecunda ſententia, de qua ſupra mentionem fecimus, &
infra agemus, tamen ſuſtineri non poſſe multis Eminentiſſimus demoſtrat.

(1) Joan. c. 6. v. 57.

(2) D. Dioniſ. Areopag. de Eccl. Hierarchia cap. 3.

(3) D. Thom. in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 1. ad 1. quæſtiuncul. in corp.

(4) Idem in cap. 6. Joann. verſ. 57.

(5) D. Bonav. in 4. diſt. 12. p. 2. art. 1. q. 3.

(6) D. Thom. Opuſc. 58. de Sacram. cap. 5.

(7) Suarez de Euch. diſp. 64. ſect. 3. artic. 2. Vaſquez in 3. p. D. Tho. diſp. 204. cap. 1. n. 4.

(8) Vaſquez in 3. p. d. Thom. diſp. 204. c. 2. n. 2.

11. Primum quia, ſi ita eſſet, nihil ſpeciale in ordine ad hanc promiſſam permanentiam Chriſti in illo, qui debita diſpoſitione Sacramentum ſumat, nec ad hanc, quæ ex ea ſequitur unionem, hoc Sacramentum haberet reſpectu aliorum Sacramentorum, prçſertim vivorum: namque cum omnia Sacramenta cauſent gratiam; ſi in ſola gratia hæc Chriſti promiſſa permanentia, & unio cum anima verificaretur, æqualia in hoc omnia Sacramenta eſsent, & ſic nullum ſpecialem favorem Chriſtus Dominus in illis verbis: *In me manet, & ego in illo* promiſiſset, qui omnibus Sacramentis non eſset communis. Quod profecto eſſet valde alienum à ſignificatione verborum, & contra communem SS. Patrum, imo & Catholicorum omnium intelligentiam. Imo valde infirmaretur id, quod ut ſpeciale, & mirandum hujus Sacramenti S. Concilium nobis in illis verbis commendat (9) *diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit*. Quod de alio Sacramento non ponderat.

(9) *Concil. Trident. ſeſ. 13. cap. 2.*

12. Secundum, quia ſi hoc ita eſſet, nihil remaneret, in quo hoc Sacramentum à Sacramento Confirmationis, quoad ſuum primarium effectum differret; cum tamen omnia Sacramenta in ſuis primariis effectibus habeant ſuum ſpecificum diſtinctivum, ut cum Angelico Præceptore omnes docent Theologi. (10) Nam ſi ſpecificus effectus Sacramenti Confirmationis eſt cauſare gratiam confortativam, ſeu corroborativam; & ſpecificus effectus Sacramenti Euchariſtiæ eſt cauſare gratiam cibativam; ſi hoc quod eſt eſſe *cibativum* non aliud in ullo caſu contineret, aut ſignificaret, quam nutrimentum, & augumentum vitæ ſpiritualis per ipſam gratiam, & charitatem, & uberiora auxilia ad robuſtiùs, & perfectius operandum, hoc idem importat illud ſpecificum gratiæ corroborativæ, & confortativæ, ut benè demonſtratur ab Eminentiſſimo: unde ut differre ſpecificè valeant, opus eſt, ut illa cibatio, quantum eſt ex ſe, aliquid aliud afferat ſpecificè diſtinctum à gratia, & ab auxiliis illam comitantibus. Cum ergo hoc ſpecificum diſtinctivum ſalvari non poſſit, nec ad uberioris gratiæ collationem, nec ad uberiora auxilia recurrendo, quia *magis, & minus non variant ſpeciem*, ſed ſolummodo extenſivum augmentum ſignificant in eadem linea, & ad eumdem effectum: nec aliud excogitari poſſit, quam ſpecialis illa realis permanentia, & unio, quam omnibus Chriſtus communicare deſiderat, inde &c.

(10) *D. Tho. in 4. diſt. 12. q. 2. art. 1. q. 1. in corp.*

13. Tertium, & quidem urgentiſſimum, quia ſi ex eo, quod Chriſtus Dominus ait: (11) *Hoc eſt Corpus meum*, & ex illo (12) *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo*, & ex aliis ſimilibus verbis ab eodem Salvatore prolatis, fide catholica edocemur, & credimus, carnem ejus vere in Sacramento eſſe, ipſiuſque Chriſti conſequenter realem præſentiam in illo, & hunc cibum manducantes, verè Chriſtum manducare contra Novatores Sacramentarios, qui totum hoc negant, & hæc, & ſimilia verba de figurata, & myſtica Chriſti per fidem præſentia, & de figurata, & myſtica manducatione per fidem, gratiam, & charitatem intelligenda eſſe oblatrant; ſi bis, inquam, ſic ſtantibus, illa verba: *qui manducat meam carnem in me manet, & ego in illo*. in ſenſu myſtico nos intelligeremus; de permanentia nimirum in nobis myſtica, & myſtica unione per gratiam, & charitatem; procul dubio ipſis hæreticis occaſionem daremus, ut ſicut nos ea in ſenſu myſtico, quoad permanentiam, & unionem intelligimus, intelligere pariter & ipſi laudata prima alia verba poſſent non de vera, & reali, ſed de myſtica Chriſti præſentia in Sacramento; & ſecunda, non de vera Chriſti ſumptione, ſed ſimiliter de myſtica per ſidem, & gratiam. Quandoquidem arguent, quod non apparet ſpecialis ratio, cur illa verba: *Caro mea vere eſt cibus* intelligenda veniant de vera Chriſti carne, deque vera conſequenter reali præſentia Chriſti in Sacramento; & illa quæ ſequuntur: *Qui manducat meam carnem in me manet, & ego in illo*: intelligenda pariter non veniant de eadem vera, & reali permanente Chriſti permanentia, & non de permanentia morali, & myſtica per gratiam, & charitatem. De quo infra latius ſuo loco agemus.

(11) *Matthæi cap. 26. v. 26*
(12) *Joann. cap. 6 v. 57.*

14. Nec his occurri valet, ſi ex Leſſio (13) dicatur ſufficienter ſalvari unionem exactam per præſata verba: *in me manet, & ego in illo*, per divinitatem novo modo exiſtentem in anima, quæ nobis communicatur per gratiam, & ſic neceſſe non eſſe recurrere ad majorem unionem, Non inquam occurritur, ut multis ab Eminentiſſimo demonſtratur, Primo, quia hoc ipſum, quod ab eo Sacramento Euchariſtiæ conceditur, habet etiam gratia, in qua nobis communicatur Divinitas per communicationem Spiritus Sancti.

(13) *Leſſius de Perfect. Divin. lib. 12. c. 11 ſub n. 75.*

ſti. Unde nulli ex expoſitis difficultatibus hac reſponſione occurritur; quia & Sacramenta, & quævis opera meritoria de condigno cauſant gratiam, & conſequenter per illam eodem novo modo exiſtit in anima Divinitas; cum hic novus modus, ut ipſe Leſſius num. 76. fatetur, non ſit aliud, quàm ipſa gratia, quæ inſeparabiliter trahit ad animam Divinitatem. Undè nihil ſpeciale haberet hæc unio communicata per Sacramentum Euchariſtiæ ab ea, quæ communicatur per omnia Sacramenta, & per quælibet opera meritoria, & ſic non aliam unionem quam myſticam impugnatam cauſaret, cum non alia, quàm myſtica ſit ea, quæ cauſatur per gratiam, & ſic ſubſiſtit adhuc argumentum, quod deſumere ex eo poterunt Novatores.

15. Et quod omnis gratia ſecum afferat hanc ſpecialem aſſiſtentiam Divinitatis in anima ab eodem Leſſio loco citato traditur, nec negare id poterat, Joanne dicente (14) *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: & hoc ratione ſpecialis aſſiſtentiæ Spiritus Sancti, dicente Apoſtolo (15) *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; cum quo ſimul nobis communicatur tota Trinitas, dicente Chriſto Domino (16) *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quia in manſione inviſibili divinarum Perſonarum, ut ait Divus Thomas, S. Bonaventura, Suarez, Cornelius, & communiter Theologi (17) una Perſona ſine aliis numquam mittitur. Et ſic veniente ad animam Spiritu Sancto, venit concomitanter tota Trinitas.

(14) Joan. ep. 1. c. 4. v. 16.
(15) Paul. ad Rom. c. 5. v. 5.
(16) Joan. c. 14. v. 23.
(17) D. Thom. 1. p. q. 43. art. 5. & 7. Div. Bonav. in 1. diſt. 15. q. ult. Suarez de Deo uno lib. 12. c. 5. n. 17. Cornel in c. 2. Oſee ad v. 12

16. Et hæc divini Spiritus exiſtentia in anima per gratiam, & totius conſequenter Trinitatis eſt adeo certa, ut contrarium ſine nota erroris diei non poſſet, ut ex laudato D. Thoma tradit P. Suarez, qui ait (18) *Dico ergo tertio, quando Deus infundit animæ dona gratiæ ſanctificantis non ſolum creata dona, ſed ipſæmet divinæ Perſonæ homini dantur, & animam ejus inhabitare incipiunt, & ideo talium donorum interventu Spiritus Sanctus inviſibiliter mittitur, ita docent Doctores Scholaſtici, adeoque certam reputant hanc veritatem, ut Divus Thomas 1. p. q. 43. art. 3. argum. 1. errorem appellaverit ſententiam dicentium non dari Spiritum Sanctum, ſed ejus dona*. Et numero 12. exprimit, quod quaſi naturali jure gratiæ ſit hæc communicatio Divini Spiritus; itaut ſi fingeremus Deum non eſſe ubique, in vim gratiæ jure illius Spiritus Sanctus veniret ad animam. Et num. 13. addit, quod ſic *manet Deus in homine, ut Protèctor, & Rector ejus, cujus Deus curam gerit, non ſolum titulo generalis providentiæ ſuæ, ſed peculiari titulo amicitiæ*: Et num. 17. Quod quilibet gradus gratiæ eſt de ſe ſufficiens, ut ſecum afferat Divinam Perſonam, & totam conſequenter Trinitatem. Et hæc omnia, (quæ multum conducunt pro infra dicendis) repetit Cornelius à Lapide cum eadem cenſura, & communitèr Theologi, adhuc & ipſe Leſſius loco citato (19).

(18) Suarez ubi prox. n. 8.
(19) Cornel. in c. 1. Oſeæ v. 11. Leſſius ubi ſupra.

16. Secundo demonſtratur, quia per aſſiſtentiam Spiritus Sancti, imo & totius Trinitatis, minime poteſt ſalvari illa ſpecialis permanentia, & unio à Chriſto Domino promiſſa, quandoquidem ſeipſum Salvator promittit, & ſeipſum permanſurum teſtatur, dum ait: *Et ego in illo*, quod cum aſſiſtentia Spiritus Sancti verificari non poteſt, quia eſſet tribuere Perſonæ Spiritus Sancti, quod pertinet ad Perſonam Filii, & ſic eſſet Perſonas confundere, & Sabellianos agere. Itaque Angelicus Præceptor declarans quædam verba S. Cyrilli, quæ ſignificare videntur, Spiritum Sanctum nomine Chriſti poſſe eumdem Chriſtum in ſe repræſentando, operari, ait (20) *Hoc autem videtur eſſe contra Perſonarum diſtinctionem, cum nomen unius Perſonæ alteri tribuatur: Sicut enim Pater numquam eſt Filius, nec è converſo: non poteſt enim nomen Chriſti de Spiritu Sancto prædicari*. Et infra ſic declarat mentem Cyrilli: *Sed dicendum, quod dictus Pater appellatione Chriſti dicit Spiritum Chriſti vocari, non quaſi Chriſtus de Spiritu Sancto prædicetur, vel è converſo, hoc enim eſſet Sabellianæ impietatis*.

(20) D. Tho. opuſc. 1. cont. Error. Græcor. cap. 13.

§. III.

Secunda expenditur Sententia.

17. QUOD attinet ad ſecundam opinionem, hæc fundata, ut ejus Auctores exiſtimant, in doctrina SS. Patrum Hilarii, Cyrilli, Chryſoſtomi, & aliorum ſalvare has ingentes difficultates prætendit cum unione reali corporali, ac ſubſtantiali inter Corpus Chriſti, & Corpus dignè illud ſumentis [ultra eam, quæ reſultat per gratiam]. Hæc opinio, quæ in ſcholis, uſque ad tempus Cardinalis Mendoza Archiepiſcopi Burgenſis vi-

ri eruditiſſimi, non erat audita, ut ſupra tetigi; ſed ex quo ab eo fuit tradita, licet in ejus ortu fuerit à nonnullis impugnata, à multis tamen Theologis Hiſpanis fuit amplexa, & exinde per omnium Regnorum ſcholas adeò diffuſa, ut triginta circiter omnium nationum graviſſimi Theologi, qui eam defendunt, hodie numerentur, ut videre eſt apud Vaſquez eam ſequentem, & apud Eximium Suarez eam inſectantem, quorum primus hiſtoriam, & ejus progreſſum refert. [1]

(1) *Vaſquez in 1. p. D. Tho. diſp. 204. cap. 1. n. 1. Suarez de Euchar. diſp. 64. ſect. 3.*
(2) *Idem ibidem diſp. 64. ſect. 3. nu. 2.*

18. Sed pariter ab Eminentiſſimo rejicitur ob validiſſimas rationes, quas affert. Et meritò in eam invehitur. Nam, ut ait P. Suarez (2) *Hæc ſententia à multis Theologis viſa eſt improbabilis, & aliena à dignitate, & majeſtata hujus Sacramenti, quod non propter corporalem conjunctionem, ſed propter ſpiritualem inſtitutum eſt, dicente Chriſto, quando hoc Sacramentum promiſit: verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus, & vita ſunt. Unde Cyprianus ſermone de Cœna Domini: Fidei noſtræ (inquit) infirmitas edocetur viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tàm corporali, quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos uniri.* Quæ ſola ratio ſufficeret ad hanc opinionem rejiciendam, quandoquidem, ut ait D. Anſelmus (3) *ſumpta ore carnis noſtræ caro Chriſti, nequaquàm æſtimanda eſt lege communi ciborum, hic enim cibus non eſt ventris, ſed mentis.* De quo multa inferius dabimus.

(3) *D. Anſelm lib. de Sacram. Altaris cap. 10.*

19. Hæc ſanè corporalis unio inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum recipientis non poteſt eſſe illa, quam Salvator noſter per hoc Sacramentum intendit, ſed ea quæ requiritur ut de vita ejus vivamus, ſicut ipſe de vita Patris ſui vivit, quæ ſpiritualis eſſe debet cum ipſo Chriſto. Itaque Magiſter Angelicus ait (4) *Hic probat Dominus cibi ſpiritualis virtutem ſuprapoſitam, ſcilicet, quæ det vitam æternam.* Et infra: *Qui conjungitur Chriſto habet vitam. Et inducit hoc in manifeſtatione cujuſdam ſimilitudinis, quæ talis eſt: Filius propter unitatem, quam habet ad Patrem, recipit vitam à Patre: ergo qui unitur Chriſto, recipit vitam à Chriſto, & hoc eſt quod dicit, ſicut miſit me &c.* Ergò ex doctrina, & mente Angelici Præceptoris hæc unio debet eſſe cum ipſomet Chriſto, in quo ſtat ratio ſpiritualis cibi, ut per Sacramentum de vita ejus vivere poſſimus, & non cum materiali ejus corpore, quæ ſolummodo præſuppoſitivè eſt neceſſaria, quatenus præcedere debet ſumptio Sacramenti, & conſequenter incorporatio illa cum recipiente neceſſaria, ut illa ſpiritualis unio cum Chriſto reſultet. Et ſolum in hoc ſenſu, in quo Patres, ut infra videbimus loquuntur, tolerari poteſt hæc opinio.

(4) *D. Thom. in cap. 6. Joan. ad illa verba, in me manet, & ad illa: Sicut miſit me &c.*

20. Sed eſt & alia efficacior adhuc ratio, nam ut egregiè arguit idem Pater Suarez loco citato: *Vel illa corporalis unio durat ſolum, quamdiù Chriſti præſentia durat ſub ſpeciebus, vel etiam poſtea; hoc poſterius dici non poteſt: qualis enim corporalis unio fingi poteſt inter me, & Chriſtum exiſtentem in Cœlo, aut quæ alio manere poteſt poſt communionem, & Sacramentalem Chriſti præſentiam tranſactam, quæ antea non eſſet, ſi erat eadem fides, & charitas ad Chriſtum? Si autem dicatur primum, id eſt contra mentem Sanctorum, quos prior ſententia in ſuum favorem afferebat.* Quod proſequitur demonſtrando, & ait: *teſtimonia Pauli, quibus iidem Sancti confirmant ſuam ſententiam non loquuntur de unione tranſeunte, ut ſic dicam, cum ſpeciebus Sacramentalibus, ſed permanente, & durabili.*

21. Nec aliter intelligi poſſet, quod hæc unio eſſet effectus, & quidem primarius hujus Sacramenti, ex opere operato cauſatus, ſi ſemel communicatus, quantum eſt ex ſe, non eſſet perpetuus, ut ex intentione Chriſti prætenditur. Itaquè B. Albertus Magnus de hoc Saacramento agens, aſſerens illa verba Eccleſiaſtici c. 11. *Datio Dei permanet juſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum*, ait (5) *Hæc eſt vera datio, quę in tranſitu manet in viaticum, & in vita in refectionem, & in judicio in redemptionem, & in Patria in æternę beatitudinis ſignificationem. Tales enim ſucceſſus donum iſtud habebit in ęternum.* Hoc namquè eſt, quod ex parte ipſius Chriſti intenditur, ut ſumendo hoc Sacramentum ita illi uniamur, quatenus numquam ipſum deſeramus, & ſic Div. Auguſtinus ajebat (6) *Signum, quia manducat, & bibit, eſt, ſi hęret, & non deſeratur.* Sed de hoc multa infra afferemus.

(5) *B. Albert. Mag. de Eucharist. diſt. 2. tract. 3. cap. 3. tom. 21.*
(6) *D. Aug. tract. 27. in Joann.*

22. Et quod caput eſt, nec componi poſſet hæc tranſitoria unio, ſi non admitteretur ut medium ad aliam ſimilem perpetuam ex illa reſultantem, cum illis verbis: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, quæ Chriſtus Dominus ſubjungit ad illa: *In me manet, & ego in illo.* Nam ultra ea, quæ ex Divo Thoma proximè vidimus; ſi in iis exprimit Salvator noſter, quod hæc ſua unio cum dignè eum ſuſcipiente, ſuaque permanentia eſt, ut per ſuam vitam vivat in æternum, ſicut ipſe per vitam ſui Patris in æternum vivit, quomodò

Digitized by Google

dò poterat nec litera Textus, nec mens ſalvari cum hac ſola reali unione tranſeunte, cum qua vivere in æternum non poſſemus, ut Chriſtus intendit, dicens per Joannem (7) *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, quod eſt idem, ac ſi diceret, ait Magnus Albertus (8) *vivet in æternum, quantum eſt de effectu panis manducati, quia ille vivificat in æternum*. Unde opus eſt recurrere ad aliam ſuperiorem unionem, quæ neceſſario reſultare ex hac materiali debet, nec aliter debitam proprietatem comparatio iſta haberet.

(7) *Joan. c. 6, v. 59.*
(8) *B. Alber. Mag. in c. 6 Joann ad verſ. 59 t. 15.*

23. His graviſſimis difficultatibus motus Pater Vaſquez (9), licet adhæreat huic opinioni, doctrina ductus, ut ait, Hilarii, Cyrilli, Chryſoſtomi, & aliorum SS. Patrum, quorum auctoritates depromit; tamen cum præviderit hac corporali ſubſtantiali unione ſalvari non poſſe perpetuitatem hujus unionis à Chriſto Domino intentam, ob rationem allatam; quod deficientibus ſpeciebus Sacramentalibus, deficit Corpus Chriſti, & conſequenter hæc unio, cum Alano, & aliis, quos citat hujus opinionis aſſeclis, comparando hanc unionem, unioni illi, quæ reſultat ex matrimonio conſummato, judicat optime componi hanc perpetuitatem poſſe. Itaque ait per fidem ſponſalia inter animam, & Chriſtum celebrari, per charitatem matrimonium contrahi, & per Euchariſtiam illud conſummari; itaque verificari per hanc conſummationem illud, quod ait Chriſtus [10] *Jam non ſunt duo, ſed una caro*: & inſuper ait continuationem, & perpetuitatem hujus unionis ſalvari eodem modo, quo ſalvatur, & verificatur in conjugibus. Nam ſicut inter conjuges unio non durat ſolùm eo tempore, quo eſt inter eos corporum communicatio, ſeu commixtio, ſed illo actu quodammodo perficitur, permanens poſtea, ſic illa hujus matrimonii conſummatio, ſeu corporum communicatio, & unio, quæ per Euchariſtiam reſultat, perficitur, & perpetuò permanet inter Chriſtum, & animam.

(9) *Vaſq. in 3. p. D. Thom. diſp. 204. cap. 4 n. 36.*
(10) *Marc. c. 10. v. 8.*

24. Ingenioſiſſima eſt comparatio, ſed eſt omninò recedere ab unione reali, & ſubſtantiali, quam Patres adſtruere ipſe Vaſquez exiſtimat, & omninò adhærere primæ opinioni de unione myſtica inter animam, & Chriſtum. Nam, ut ait P. Suarez, ubi proximè, qui hunc modum diſcurrendi tangit. *Si hoc tandem concedatur, videtur apertè concludi, hanc unionem non eſſe corporalem, ſed ſpiritualem tantum, & myſticam*: Quod & ipſe Vaſquez fatetur, dum ait (11) *ex quo etiam patet hanc unionem moralem, ſeu myſticam eſſe... neque verò majorem unionem, quàm moralem, ſeu myſticam inter carnem Chriſti, & carnem noſtram Patres aſſerere voluerunt, ut ſupra monuimus. Siquidem neque inter Conjuges major etiam eſſe poteſt*. Quod eſt idem ac omninò recedere, & mutatis terminis primæ adhærere ſententiæ, & ſic difficultatem, in qua ſumus, non evacuare; quandoquidem iiſdem rationibus, quibus prima opinio rejicitur, hic modus defendendi ſecundam pariter rejiciendus venit, ut ab Eminentiſſimo etiam rejicitur. Et hæc ſatis de præfatis duabus opinionibus, cum ſuis impugnatis etiam limitationibus, ſeu declarationibus.

(11) *Vaſqu. ubi ſupra n. 35.*

§. IV.

Incipit per partes declarari, & corroborari ſupra propoſita concluſio.

25. Accedendo itaque ad concluſionem per noſtrum Eminentiſſimum ſtabilitam, ad ſynopſim totam ejus ſubſtantiam reducendo, & præcipua capita ſumendo. Cum ſatis demonſtratum maneat ſignificatam unionem per verba *In me manet, & ego in illo*, cum ſequentibus, purè myſticam per gratiam eſſe non poſſe, nec illa vim præfatorum verborum ſalvari; fateri neceſſario debemus hanc unionem debere eſſe realem, quandoquidem non datur medium inter myſticam, & realem. Et cum non minus maneat demonſtratum hanc unionem realem, ſubſtantialem inter Corpus Chriſti Domini, & Corpus Sacramentum debita diſpoſitione ſuſcipientis, ſufficientem non eſſe ad ſalvandam vim dictorum verborum (ſi per illam non intelligatur, vel ea purè materialis, quæ etiam in indignè ad Sacramentum accedente invenitur; vel per hanc materialem in eo, qui debita diſpoſitione Sacramentum ſumit, ea ſimilis unio realis permanens, quæ ex hac reſultat inter Chriſtum, & ejus animam) per conſequentiam neceſſariam ſequitur, quod hæc unio debet eſſe realis ſpiritualis inter Chriſtum, & animam dignè Sacramentum recipientem, cum pari modo dari non poſſit medium inter utramque. Et hæc eſt prima pars concluſionis, quam Eminen-

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimus tradit, quamque optimè fundat; ſimul oſtendendo, unionem intentam ab Hilario, Cyrillo, Chryſoſtomo, & aliis SS. Patribus hanc fuiſſe, & non illam ſolùm corporalem. Et quia ex ejus demonſtratione dependet præcipua, & validior probatio principalioris aſſumpti permanentiæ animæ Chriſti Perſonæ Divini Verbi unitæ in anima dignè Sacramentum recipientis, ut media illâ per realem unionem aſſumi à Divino Verbo poſſit ad finem in ipſa concluſione explicitum; in ea demonſtranda, pluſquam in aliis quinque partibus, ex quibus concluſio conſlatur, quæ ultimam, & principaliorem concluſionis partem præcedunt, inſiſtemus.

26. Et ſanè ex ipſiſmet verbis Chriſti Domini, quæ immediatè ab eo ſubjunguntur ad illa. *In me manet, & Ego in illo*, dicens, *ſicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me*: ſatis hanc realem unionem ſuam cum anima expreſſiſſe, ex duplici capite apparet. Primum, quia ſi Chriſtus habet vitam à Patre propter conjunctionem, quam per unionem hypoſtaticam habet cum Verbo, qui vivit propter Patrem; dicente eo, quod, qui illum manducat, ſic vivet propter ipſum, clarè ſignificare videtur, per aliam uuionem illi ſimilem (non tamen hypoſtaticam) nos ejus vitam participare; aliter proprietas ſimiltudinis non ſalvaretur. Cum ergò unio, quæ realis non ſit, hanc ſimilitudinem cum unione hypoſtatica babere non poſſit, & conſequenter nec per eam ſalvari proprietas locutionis, & ſimilitudinis, qua Chriſtus Dominus utitur: inde ex præfatis verbis admitti hæc realis unio debet. Quod optimè confirmat Angelicus Præceptor, dum præfata verba declarans ait (1) *ſicut Chriſtus homo accipit ſpiritualem vitam per unionem ad Deum, ita & nos accipimus ſpiritualem vitam in communione Sacramenti*. Ubi S. Doctor unionem noſtram comparat cum unione humauitatis ad Deum.

(1) *D. Thom. in cap. 6 Joan. ad illa verba ſicut miſit me &c.*

27. Et pariter inſignis Evangeliorum Interpres Maldonatus ad hunc locum ait (2) *Eam enim ſempiternam vitam, atque Divinam, quam Deus natura ſua habet, Chriſtus, ut homo per conjunctionem cum divinitate hypoſtaticam habuit, per quam quæcumque Dei erant, in humanam naturam derivata ſunt; nos vero per eam conjunctionem habemus, qua ſumpto Corpore, & Sanguine Chriſti cum eo unum quiddam efficimur*. Ubi obſervandum eſt, quod ſicut unionem hypoſtaticam nomiue conjunctionis explicat, eodem nomine conjunctionis exprimit unionem cum Chriſto. Et eodem modo uniones æquiparando hunc locum declarat Cardinalis Toletus. Ait enim (3) *Idem eſt ac ſi dicat. Sicut Ego, qui ſum Filius Dei eamdem vitam habens cum Patre, factus tamen homo, meæ humanitati propter unionem, ut Deus, do vitam, ita ei, qui me manducat, quia mihi unitur, & conjungitur, per carnem meam dabo vitam*. Et infra: *Non eſt autem unitas ſimilis omninò: non enim unitur manducans hypoſtaticè Chriſto, ſicut humanitas propria Verbo; at non ex qualitate, ſed ex unione ſola colligit effectum eumdem*.

(2) *Maldonat. in Joan. ad c. 6. v. 57.*

(3) *Cardin. Tolet. ad eumdem locum in comment.*

28. Secundum caput, ſeu fuudamentum, & quidem urgentiſſimum eſt. Quia ſi de unione reali Chriſti Domini cum anima, quæ illum in Sacramento dignè diſpoſita ſumit, & qua vitam ejus participat, hæc verba non intelliguntur, fruſtra Patres Græci, & Latini inſurrexiſſent contra Arianos, qui ex hoc loco, ut ait Hilarius, Cyrillus, Baſilius, & Cardinalis Turriſcremata [4] negare conabantur unitatem conſubſtantialitatis inter Patrem, & Filium, admittendo ſolummodò unionem per dilectionem, & concordiam voluntatis. Nam ut ait prælaudatus Cardinalis, Arius ſupponens per Sacramentum non aliam unionem, & unitatem nos habere cum Chriſto, quam myſticam per concordiam voluntatis, ſic arguebat: *Talis eſt unitas Filii ad Patrem, quatenus eſt noſtra ad Filium, ſed noſtra ad Filium non eſt unitas aliqua alicujus naturæ, ſed unitas conformitatis voluntatis ergo &c.* Cum ergo Patres vim huius argumentationis infregerint, & contra illum inſurrexerint oſtendendo inter Sacramentum debita diſpoſitione recipientem, & inter Chriſtum, non tantum unionem per dilectionem, & concordiam voluntatis, ut ipſe Arius exiſtimabat, ſed realem unionem, quaſi ſubſtantialem intervenire, ut jam videbimus, opus eſt, ut in vim præfatorum verborum hanc realem naturalem unionem intellexerint, non de ſola unione reali corporali inter Corpus Chriſti, & Corpus illius, qui Sacramentum dignè recipit, quæ tranſitoria eſt, quæque deeſt, ſpeciebus ſacramentalibus deficientibus, ſed de unione reali permanente inter ipſum Chriſtum, & Sacramentum ſuſcipientem. Aliter enim vim præfatæ argumentationis Patres non infringerent.

(4) *Hilar. lib. 8. de Trinit. S. Cyril. lib. 10. in Joan. c. 15. & lib. 11. c. 26. S. Baſil. lib. 4. contra Apolog. Eunomii. Card. Turriſcrem. in Canon. in Chriſto Pater 72. de conſecr. diſt. 3.*

29. Et quod per illam unionem naturalem, quam PP. oſtendunt inter Corpus Sacramentum ſuſcipientis, & carnem Chriſti, ſpiritualem permanentem

hanc

hanc realem unionem intercedere intendant inter animam digne Sacramentum ſuſcipientem, & ipſum Chriſtum, patet. Nam Hilarius ait [4] *Eos nunc, qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrum nè per naturæ veritatem hodiè Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes unum ſumus, quia in Chriſto Pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis unum in his eſſe non faciunt*. Et infra: *Quam autem in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & Ego in eo: non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, ejus tantum in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectæ autem hujus unitatis Sacramentum ſuperius jam docuerat, dicens: ſicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo &c. vivit ergo per Patrem, & quomodo per Patrem vivit, eodem modo, nos per carnem ejus vivimus.*

(4) *D. Hilarius lib. 8. de Trinit. multa longè à principio, ex quo deſumitur can. in Chriſto Pater 72. de conſecr. diſt. 2.*

30. Ubi obſervare oportet Hilarium, & Patres ſimili modo loquentes, permanentiam iſtam, ac unionem, & unitatem vocare naturalem, ut oſtenderent eſſe realem ad diſtinctionem ſolius myſticæ, ut benè notant laudatus Cardinalis Turriſcremata, & Salmeron [5] optimè enim ſciebant Patres hanc permanentiam, unionem, & unitatem eſſe ſupernaturalem. Et hic eſt modus frequentiſſimus etiam in Scholis, vocandi unionem, & unitatem realem, nomine unionis, & unitatis naturalis. Hoc prælibato, ex litera, & mente Hilarii, apertè patet unitatem naturalem, quam ad diſtinctionem unitatis per dilectionem, ſeu concordiam voluntatis ponit, non ſolum eſſe inter Corpora, ſed inter Chriſtum, & animam Sacramentum recipientem, ut benè Hilarius declarat per illa verba: *per carnem ejus vivimus*. Et per illa: *Et Chriſtus in nobis eſt*. Et per illa etiam: *Quiſquis erga naturaliter* [ideſt realiter] *Patrem in Chriſto negabit, neget prius non naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe*. Et tandem per illa: *Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit*: in quibus manifeſtè apparet Hilarium non de unione reali corporum, ſed de unione reali Chriſti cum anima eſſe locutum.

(5) *Turriſcremat. in Canon. in Chriſto Pater 72. de conſecr. diſt. 2. Salmeron. de ſermone in Cœna Dom tract. 18 propè finem tom. 9.*

31. Aliter illis verbis non concluderet: *vivit erga per Patrem, & quomodo per Patrem vivit, eodem modo, nos per carnem ejus vivimus*. Ideſt per carnis ſumptionem, quatenus ſi eam non ſumeremus, de ejus vita participare haud poſſemus. Et ſic Gloſſa Canonis *in Chriſto Pater*, in quo verba Hilarii continentur, ait (6) *Sicut enim ipſe eſt unum cum Patre natura divinitatis, ita unum eſt nobiſcum natura humanitatis*; alias indigna tanto Doctore eſſet argumentatio, quandoquidem eſſet materialem unionem Corporis Chriſti cum Corpore ſuſcipientis Sacramentum comparare cum unione naturæ Filii cum Patre, ut ex hac ſola materiali corporum unione Arium argueret, & illum de eo convinceret, nos non per concordiam ſolum voluntatis, ſed per realem unionem unum effici cum Chriſto, & per hanc unionem nos de vita ejus vivere, ſicut ipſe per ſuam conſubſtantialem unionem cum Patre vivit de ejus vita. Et quod de ea unione reali permanente, & perpetua, quantum eſt ex parte ipſius Chriſti, loquatur, patet ex illis verbis: *Ad naturam æternitatis ſub Sacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit*.

(6) *Gloſ. Can. in Chriſto Pater 72. de conſecrat. diſt. 2. litt. E.*

32. Similiter loquitur Div. Cyrillus qui cum Arium impugnaret, ait: [7] *Undè conſiderandum eſt non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam, & participatione naturali: nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram, alii ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, ut unamquid ex utriſque factum videatur: ſic communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo*. Et alibi [8] *Illud neceſſario dicamus, cum Chriſtus per ſubſtantialem, quam cum Patre habet, unitatem* [*quam ad imaginem concordiæ, conſenſuſque animorum in ſe gerit*] *modo ſimili voluit nos quoque inter nos conſubſtantiali unitate Trinitatis, quantum noſtræ naturæ licet, uniri*. In quibus clarè apparet, excludendo ſolam myſticam unionem per fidem, & charitatem, ſeu dilectionem uti inſufficientem, non de unione tantum reali ſubſtantiali carnis Chriſti cum carne noſtra Cyrillum loqui, ſed de unione reali inter Chriſtum, & Sacramentum ſuſcipientem, quæ ſolum conſequitur media unione corporum, ut illa verba ſignificant: *Et ſic communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo*. Idquecircò ipſe alibi ait: [9] *caro ſi ſola intelligitur nihil prorſus vivi-*

ficare

(7) *D. Cyrill. lib. 10. in Joan. c. 13. poſt medium.*

(8) *Idem lib. 11. in Joann. c. 26. circa medium.*

(9) *D. Cyrill. apud Cornel ad c. 6. Joan. v 64.*

ficare poteſt, & alibi [10] *Corporaliter filius per benedictionem myſticam nobis ut homo unitur ſpiritualiter tamen, ut Deus.*

(10) Idem Cyril. lib. 11. in Joan. c. 27.

33. Et licet modum hujus unionis explicet per ſimilitudinem conjunctionis unius ceræ cum alia, eo ſolo fine eſt, tum ut de perpetuitate hujus unionis nos inſtruat; quandoquidem unio unius ceræ cum alia non fit ad ſeparationem. Tum etiam ut intelligamus, quod ſicut cera liqueſacta, alii ceræ unita, ita inter ſe corporaliter realiter penetratur, & unitur cum illa, ut una ex utraque inſeparabiliter fiat, ſic Chriſtus ita eum ſumente intimè penetratur, & realiter ſpiritualiter, ac permanenter, quantum eſt ex ſe, unitur [modo infra declarando] ut unum ex utroque fiat, ſicut ex utraque cera una conficitur. Si enim alio modo intelligeretur, non minus indigna tanto Doctore eſſet ſimilitudo, adhuc & argumentatio, cum caro Chriſti miſceri non poſſit cum carne illum aſſumentis, ſicut liquefacta cera miſcetur cum alia. Itaque Sapientiſſimus P. Salmeron hanc commixtionem ſic declarat (11) *Jeſus dum in nobis eſt per corpus, & animam ſuam nobis velut admiſcetur; in eo verò ea Divinitas eſt, ut magis quàm unquam fuerimus, Deo conjungat.* Nam, ut ait D. Ambroſius: [12] *Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.*

(11) P. Salmeron. de serm. in Cœna Dom. tract 79 tom 9.
(12) D. Ambroſ. l. 5. de Sacram. c. 4. extat in Canon. Non iſte 56. de conſecrat. d. 2.

34. Pariter loquitur D. Chryſoſtomus, ait namque [13] *ut autem non ſolum per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum, id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cum enim ſuum in nos amorem indicare velles, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobis eum redegit, ut corpus cum capite uniretur.* Et ſequenti Homilia ait: [14] *cum dixiſſet, qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem in me manet, non abſurdè proſequitur: ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem. Nam cum ſæpè repetiſſet vitam æternam, ad id confirmandum addit. In me manet; ſi in me manet, & ego vivo; qui me ſumit, & cum victurum perſpicuum eſt. Inde inquit, ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem &c.* Idem alibi (15) *manduca me dixi, bibe me, & te ſurſum habeo, & deorſum tibi connector, non ſatis eſt tibi, quod tui primitias ſurſum habeo. Hoc non tuum ſatiat deſiderium, & ideo deorſum rurſus deſcendi, nec ſimpliciter tibi commiſceor, ſed connector.* Ubi ſimiliter excludendo ſolum myſticam unionem per charitatem: *non ſolum per dilectionem ſed reipſa*, illam non ponit ſolummodo inter corpora, ſed ex unione, & commixtione corporum tranſit ad realem unionem cum anima, ut ſignificant illa verba: *Nec ſimpliciter tibi commiſceor, ſed connector.* Et ex unione tranſitum facit ad participationem ejuſdem vitæ, ut denotant illa: *Si in me manet, & ego vivo; qui me ſumit, & cum victurum perſpicuum eſt.* Et ut perpetuitatem hujus realis unionis declaret, ait: *cum ſæpe repetiſſet vitam æternam, ait in me manet &c.* Et alibi, quo omne dubium de medio tollit de Sacramento etiam loquens, ait: (16) *Nihil ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus ſenſibilibus: omnia verò, quæ tradidit inſenſibilia ſunt .... Si tu incorporeus eſſes, nudè ipſe dona incorporea tradidiſſet tibi; quoniam vero corpori conjuncta eſt anima tua in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.* Pari modo loquitur de hac reali unione Div. Paſchaſius infra laudandus.

(13) D. Chryſoſt. hom. 45. in Joan. poſt medium tom. 3.
(14) Idem ibidem hom. 46 prope initium.
(15) Idem ho. 55. ad Popul. ad fin. tom. 4.
(16) D. Chryſoſt. hom. 83. in Matthæum.

35. Et hanc eſſe veram intelligentiam trium laudatorum Sanctorum Patrum ſic loquentium fatetur magnus ille Theologus, & inſignis Controverſiſta Stapletonus, qui ait: (17) *Neque enim hic ſola fide, aut charitate, cæteriſve Spiritus Sancti donis tantum Chriſto unimur, ſed plane naturaliter, & corporaliter. Sic enim jam dudum ex Cyrillo, Chryſoſtomo, & Hilario audivimus. Vultis autem hujus admirabilis fructus vim, atque virtutem utcumque aſſequi, & intelligere? Audite quomodo ipſam Chriſtus ipſe exprimit. Sicut [inquit] miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me, his enim verbis talis manducationis fructus deſcribitur, ut non minus in Chriſto vivamus, quam Chriſtus in Patre. Propter Patrem vivit Chriſtus ut eſſet in Chriſto Pater, vitamque Patris Chriſtus participaret, non per fidem cæteraque Spiritus Sancti dona, verum ex ipſa Patris ſubſtantia naturaliter, & corporaliter in Chriſto manente [ſic enim ad Coloſſenſ. 2. dicitur omnis divinitatis plenitudo habitaſſe in Chriſto corporaliter] ſic hoc explicant Patres, quos ſupra diximus. Quibus accedit Baſilius, qui vivere nos propter Chriſtum manducando Chriſtum exponit, conſortes effici verbi, & ſapientiæ, ſicut Chriſtus vivit verbum Dei habens in ſeipſo.* Et eodem modo eos intelligunt tres illi inſignes Cardinales Turriſcremata, Bellarminus, & Toletus. [18]

(17) Staples. Anglus orat. Cathedrali c. de vener. Sacram. aliquanto longè à principio.
(18) Turriſcrem. ubi prop. Bellarm. de Eucbar. lib. 1. c. 11 Toletus in cap. 6. Joan. ad v. 56.

§. V.

§. V.

Examinatur natura bujus unionis, & declaratur eſſe aſſumptivam unioni hypoſtaticæ valde ſimilem, & aliæ concluſionis partes expenduntur.

37\. STABILITA hae reali unione inter Chriſtum Dominum, & animam Sacramentum ſuſcipientis. Ad quam ſpeciem reducenda hæc unio veniat? quæ eſt altera pars concluſionis, optimè ab Eminentiſſimo declaratur. Ait enim quod cum nec unio hypoſtatica, nec informationis eſſe queat; non alia magis propria conſtitui poteſt, quam unio aſſumptiva motoris ad mobilem, ſive aſſumentis, & aſſumpti. Namque cum unio aſſumptiva ſit illa, qua motor ſibi aliquem aſſumit, & illi tamquam mobili, ſive aſſumpto realiter unitur ad operandum, & ſe in illo repræſentandum, ut cum D. Thoma docent omnes Theologi (1) & videri poteſt Suarez; (2) ad nullam aliam ſpeciem unionis pertinere hæc poterat, cum nulla alia aptior ſit ad finem à Chriſto Domino prætenſum: pro eaque inſtituenda ea aſfert, quæ jam exponam. Sed præſupponere oportet, quod hic non agitur de aſſumptione pure externa, & tranſitoria, & quodammodo ficta, quæ fit per motorem, qui aſſumit aliquod corpus ad in illo operandum aliquos actus purè externos, & ſe vel alium in eodem repræſentandum, tamquam in mobili, ſeu aſumpto per operationes emortuas, & tranſitorias, de qua agunt Theologi cum Doctore Angelico in materia de Angelis (3) nec agitur de illa rigoroſa aſumptione, in qua ex aſumente, & aſumpto, ſeu ex Motore, & mobili fit unum per ſe, ſeu una Perſona, qualis fuit aſumptio naturæ noſtræ facta per Divinum Verbum media unione hypoſtatica ad ſe in ipſa mundo repræſentandum, ut ait Apoſtolus, (4) quæ aſumptio, ſeu apparitio, ut docet Doct. Angelicus, & Pater Suarez fuit nedum externa, verum & interna per miſſionem ſimul viſibilem, & inviſibilem, (5) ut opus erat ad operationes vitales, & permanentes, quas in ſua humanitate debebat exercere. Sed agitur de aſumptione huic valde ſimili, quæque eam valde imitatur, non tamen in omnibus, nec adeo ſtrictè, ut ex Chriſto aſumente, & ex aſumpto, qui digne Sacramentum recipit, unum per ſe reſultet, nec una Perſona, cum hæc aſumptio non fiat per unionem hypoſtaticam, ſed per aliam realem illi valde ſimilem, quæ aſumptionem pariter conſtituit internam, & externam. Externam, quatenus ſit, ut per eam in nobis repræſententur Chriſti Domini virtutes juxta illud Apoſtoli [6] *ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Internam quatenus Chriſtus eum qui dignè Sacramentum recipit, in ſeipſum aſumit, (& in illo manet per modum formæ aſſiſtentis) nedum ad in illo operandum, verum & ad cum illo, ut Auctor ſupernaturalis, cooperandum operationes internas, vitales, ac permanentes, poſtea exprimendas, & eum in ſeipſum transformandum, ut ſic de ejus vita vivere poſſit. Quam aſumptionem optimè declaravit Apoſtolus autem quando dixit (7) *vivo, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.*

38\. Hoc prænotato: licet de illis duabus primis in præſenti caſu non agatur, ſed de hac tertia, tamen quia de illa prima pure externa hæc multum participat, quemadmodum etiam participat de illa ſecunda Divini Verbi, qua ad in mundo apparendum, & illi ſe repræſentandum naturam noſtram aſſumpſit, quia, ut ait S. Thomas (8) *omnes apparitiones veteris teſtamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, qua filius Dei apparuit in carne*, ſic tam ad illam Divini Verbi, quam ad iſtam illi ſimilem, oportet ex natura illarum multum deſumere. Idcirco Eminentiſſimus optimè ſupponit, ut indubitatum, nedum Angelos, & animas poſſe aſſumere corpora, ſive vera, ſivè aerea, aut phantaſtica (ut dicimus) illique uniri, vel ad ſe, vel Deum, vel Chriſtum Dominum repræſentandum; verum etiam ipſum Deum ſi velit, poſſe etiam aſumere corpus ad ſeipſum repreſentandum, ut tamquam indubitahile tradit Suarez, qui ait (9) *Per ſe notum eſt, poſſe Deum immediatè aſſumere corpus, ſi velit, quia & omnipotens eſt, & per corpus ſenſibile aliquo modo repræſentari poteſt: quod* eſt adeo certum, ut multi PP. Chryſoſtomus, Juſtiuus Martyr, Tertullianus, Ambroſius, Hilarius, Cyprianus, Beda, Origenes, Euſebius, Nicephorus, Theodorus, Theophilactus dicant, Deum ea immediate aſumpſiſſe in multis ex apparitionibus, quæ in Scriptura Sacra referuntur, ut videre eſt apud eumdem Eximium Doctorem, & Pereiram (10)

(1) *D. Thom. 1. p. q. 52. art. 2. ad 2.*
(2) *Suarez de Angel. lib. 4. c. 33. & c. 36. n. 1. & 7.*
(3) *D. Thom. p. p. q. 51. per tot. Suarez de Angel. lib. 4. c. 33. & ſeqq.*
(4) *Paul. ad Tit. c. 2. v. 11.*
(5) *D. Thom. 1 p. q. 43. art. 3 in corp. & art. 6 ad 6. & art. 8. in corp. Suarez de Deo uno lib. 12. c. 4. n. 6. 7. & 8.*
(6) *Paul. 2. ad Corint. c. 4. v. 10.*
(7) *Idem ad Galat. c. 2. v. 20*
(8) *D. Thom. 1. p. q. 51. art. 2. ad ſecund.*
(9) *Suarez de Angel. lib. 4. c. 37. n. 3.*
(10) *Idem de Angel. lib. 6.*

Digitized by Google

cap. 10. n. 26. Pereyra ad c. 32. Geneſ. ad v. 23.
(11) D. Tho. 3. p. q. 51 art. 3. ad 1. Eſtius in 2. ſent. diſt. 8. §. 7. Molina in 1. p. D. Thom. ad quæſt. 51. diſp. 2. Suarez de Angel lib. 4 cap. 34. n. 19.

39. Rurſus ſupponit cum Angelico Præceptore, Eſtio (eum benè declarante) Molina, Suarez, & aliis quamplurimis Theologis, [11] non ſolum Angelos, & animas poſſe aſſumere corpora etiam viventia, verùm & ipſum Deum aſſumere ea poſſe, exemplo Columbæ à Spiritu Sancto aſſumptæ; quam veram, & non aeream fuiſſe multi PP. ſentiunt, & tandem concludit eum laudato Div. Thoma, & Suarez locis proximè citatis, tamquam indubitabile in his apparitionibus intercedere veram unionem realem inter motorem, & mobilem, quod à nemine negatur, licèt in modo eam declarandi multum diſcordent DD. & ex doctrinis, quæ loquntur de aſſumptionibus ad apparitiones externas, & operationes tranſitorias, tranſit ad hanc intimiorem aſſumptionem, quæ proprior, & dignior Deo eſt, atquè miro modo, ut diximus, imitatur aſſumptionem naturæ noſtræ factam per Divinum Verbum in ſui Incarnatione; quæ fuit permanens, & perpetua, non ſolum ad repræſentandas ſuas Divinas virtutes, & perfectiones, ſed etiam ad hominem in ſe transformandum, & vitam ſuam Divinam illi communicandam, & noſtram redemptionem operandam per actus internos, & externos ab Ipſo eum aſſumpta humanitate exercendos. Namquè ſi nec Angelo, nec Animæ, & quod majus eſt, nec ipſi Deo repugnat, neque ullam imperfectionem affert aſſumere corpus, ſivè verum, ſivè aereum, ſivè vivum, ſivè mortuum, ad ſe externè repræſentandum, multò minus repugnare poteſt, aſſumere permanentèr juſtum dignè Sacramentum recipientem ad ſe in illo repræſentandum, in illo habitandum, & cum illo concurrendum ad operationes vitales permanentes, & meritorias ad ſimilitudinem aſſumptionis naturæ noſtræ per unionem hypoſtaticam.

(12) D. Tho. ut in offi: io Corporis Chriſti, ex Opuſc 57
(13) idem opuſc. 58. de Sacram c. 25.
(14) B. Albert. Mag. de Euchar. d. ſt. 3. tract. 1. c. 5. n. 20.

40. Quam aſſumptionem nobis ſatis declaravit Div. Thomas dicens (12) *Unigenitus ſiquidem Dei filius ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo, & hoc inſuper quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*. Et alibi (13) *Dum Verbum carnem aſſumpſit, in noſtra carne habitavit, & dum nos Verbum incarnatum accipimus, ipſum etiam habitat in nobis*. Et peroptimè eam declarat B. Albertus Magnus dum ait: (14) *Sicut enim in unam perſonam accepit humanam naturam, non conſumens eam in ſeipſa, ſed in unitatem perſonæ trahens, ut in ipſa eſſe Divinum participaret. Sic convertit nos ad ſe non conſumendo, ſed ut eſſe ſuum Divinum in ſui aſſumptione participemus*.

(15) D. Dionyſ. Areopag. de Eccl. Hierar. c. 3. § 12. juxt. verſ. Corderii Soc. Jeſu.

41. Quod deſumitur ex D. Dioniſio Areopagita, qui loquens de Sacramento Euchariſtiæ, dequè ejus nobis facta diſpenſatione, poſtquam de Sacerdote celebrante dixiſſet (15) *poſtulans deindè hoc ſacrificio Dei imitatione dignus effici, nec non ſecundum Chriſti ſimilitudinem Divina celebrare, omninoquè purè diſtribuere, eoſque qui ſacrorum futuri ſunt participes myſteriorum iiſdem dignè ſanctèque communicare, diviniſſima illa myſteria celebrat, & jam conſecrata ſub ſymbolis propoſitis Ritu Sacro viſenda proponit. Siquidem operto, individuoque pane revelato, & in multa diviſo, ſingularique Calice omnibus impertito unitatem ſymbolicè multiplicat, diſtribuitque Sacroſanctum in his ſacrificium conſumando*; immediatè nullo interjecto verbo, hanc à Chriſto Domino aſſumptionem communicantis, ſeu Sacramentum recipientis ad imitationem primæ ſuæ aſſumptionis noſtræ naturæ ſic declarat: *Unicum enim illud, ac ſimplex, arcanumque Jeſu Verbum diviniſſimum per aſſumptionem humanitatis noſtræ in compoſitionem ſimul, & aſpectum, ſine ulla ſui immutatione, pro ſua bonitate, benignitateque proceſſit, noſtrique ſecum unificam communionem beneficè excogitavit. Oportet enim nos, ſi ad communionem ejus adſpiramus, diviniſſimam ejus in carne vitam contemplari, atquè Sanctam ipſius impeccantiam imitando ad deiformem, & immaculatum ſtatum contendere, hac namquè ratione, prout nobis congruit, ſimilitudinem ſuam communicabit*.

42. Et hæc eſt aſſumptio, ſeu unio aſſumptiva, quam Eminentiſſimus ſtatuit inter Chriſtum, & illum, qui dignè de hoc Divino pane edit, quam unionem ſatis expreſſiſſe Chriſtus Dominus mihi videtur, dum ait: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, ipſe vivet propter me*. Ubi declarat illam ſuam primam noſtræ naturæ aſſumptionem per ejus miſſionem à Patre, per quem vivit, factam, & hanc ſecundam noſtri aſſumptionem per ipſum factam in Sacramento, ut per ejus vitam ſimiliter vivere poſſimus. Et ſanè hanc unionem aſſumptivam intendiſſe Patres, & intendere debere Theologos, qui uniformiter Euchariſtiam extenſionem Incarnationis vocant, in dubium venire non poſſe credo, ut ſuo loco oſtendetur. Solum enim dubium ſtare poteſt in declarando modum, quo hæc aſſumptio fiat, (de quo infra).

43. Ex quo amplius altera pars concluſionis firmatur, nimirum hanc unionem

Digitized by Google

nem, de qua agimus ex intentione Chriſti debere eſſe perpetuam. Quod licet inficiari à nemine poſſe pro comperto habeam, & ſupponi potius, quam probari debere credam, dicente Chriſto Domino: *In me manet, & ego in illo*, quandoquidem dici propriè non poterat Chriſtum manere in eo, qui Sacramentum ſumit, ſi corruptis ſpeciebus ab eo eſſet ſtatim diſceſſurus, ſiquidem qui intrat ut confeſtim exeat, manere non dicitur: tamen quia forſan alicui materiam ut oportet non perpendenti videri poteſt præfata verba ſalvari benè valere per permanentiam, & unionem, dum ſpecies durant, idcirco, non ſemel, ſed amplius, & amplius pro opportunitate perpetuam hanc unionem in fere omnibus ſſ. ex doctrina Patrum domonſtratam dabimus; ſiquidem ex hoc capite magna ex parte tota doctrina dependet. Et ſanè præter hucuſque allata, illud etiam illis verbis Chriſti Domini oſtenditur (16) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Super quibus Angelicus Præceptor ait: (17) *cibus iſte ſpiritualis eſt, ſimilis quidem corporali in hoc, quod ſine ipſo vita ſpiritualis eſſe non poteſt, ſicut nec ſine corporali cibo vita corporalis; ſed amplius habet ab eo, quia cauſat indeficientem vitam in ſumente.... Qui manducat hunc panem, habet in ſe Chriſtum, qui eſt verus Deus, & vita æterna*. Ex quo ſequitur, quod permanentia Chriſti in nobis modo ſupradicto debet eſſe quantum eſt ex parte ipſius æterna; namque ſi in nobis manet, ut ipſe dicit, & manet, ut per eum ęternè vivamus, & hæc vita æterna eſt ipſe Chriſtus; conſequentèr habet in ſe Chriſtum *qui eſt Deus, & vita æterna*, & ſic opus eſt ut hæc permanentia ſit in nobis perpetua, ſi per nos non ſtet, ut poſſimus in illo, & per illum vivere. Quod & ipſe Dominus confirmat, dum ait: (18) *Qui manducat hunc panem vivit in æternum*.

(16) *Joan. c. 6 v. 55.*
(17) *D. Tho. in c. 6 Joann. ad hunc verſ. 55.*
(18) *Joan. c. 6 v. 59.*

44. Nequè hæc unio aſſumptiva vocari poſſet extenſio Incarnationis, ut à PP. & Theologis, ut ſuo loco videbimus, vocatur, ſi in perpetuitate, quantum eſt ex parte Sacramenti, ſimilis hypoſtaticæ unioni non eſſet. Quamobrem Card. Turrecremata ait (19) *cum in hac participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti, Chriſto incorporemur, & uniamur.... quia Chriſtus quod aſſumpſit, numquam dimiſit, nec dimittet, vel inſeparabilitèr, ſi dignè perſeveramus*. Itaquè P. Vaſquez, (20) qui, ut ſupra vidimus, admittit illam unionem realem inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum dignè ſumentis, fatetur, à nullo ex SS. Patribus, & Theologis negari, quod hæc unio durat, dum in gratia durat, qui Sacramentum ſumit. Et ſic totam difficultatem reducit ad inquirendum, in quo hæc duratio, & permanentia poni debeat deficiente Corpore Chriſti, ex quo ſpecies corrumpuntur, cum hæc ſola gratia eſſe non poſſit: & ſic tranſit ad eam conſtituendam ſimilem illi, quæ inter conjuges invenitur, quæ eſt perpetua ut ſupra vidimus.

(19) *Turriſcrem. in E. in Chriſti Pater 72. de conſecr. diſt. 2.*
(20) *Vaſquez in 3. p. D. Tho. diſp. 204. c. 1. num. 4.*

45. Quæ ſit hujus unionis aſſumptivæ qualitas, ſeu ut propriùs loquar, ad quod prædicamentum pertineat? Eſt altera pars concluſionis. Porrò ab Eminentiſſimo hoc non deciditur. Sed quia ex natura unionis aſſumptivæ ad apparitiones purè externas, multum deſumi poteſt, ut proximè diximus, ad judicium ferendum de unione requiſita ad hanc aſſumptionem, quæ eſt media inter purè externas, & purè internas, in referendis opinionibus Doctorum ipſe continetur, quæ verſantur circa declarationem unionis aſſumptivæ, quæ ſit ad has ſolas apparitiones externas, quæ certè multæ, & valdè contrariæ inter ſe ſunt, aliis adſtruentibus eſſe ſubſtantialem, aliis eſſe unionem informationis, aliis eſſe hypoſtaticam, aliis eſſe accidentalem, aliis tandem eſſe per realem intimam ſubſtantialem propinquitatem, & penetrationem aſſumentis, & aſſumpti, quas omnes refert P. Suarez (21) & hoc contentus, reliquum Doctoribus remittit diſputandum, & ad præſentem aſſumptionem applicandum, quæ proculdubio perfectiorem unionem exigit. Eo quod parum referat, ut benè exiſtimat, ad ſuum finem, quod hujus, vel alterius qualitatis ſit, ad hoc vel ad illud prædicamentum pertineat, quando omnes hanc unionem aſſumptivam non myſticam, ſed realem ſupernaturalem eſſe debere fatentur.

(21) *Suarez de Angel. lib. 4 cap. 36 per tot.*

46. Et benè quidem, quandoquidem, ſi ut P. Suarez ait, eſt valdè difficile declarare qualitatem unionis aſſumptivæ ad apparitiones purè externas, & tranſitorias, (22) quanto magis difficile erit in magnitudine myſterii hujus aſſumptionis declarare hujus unionis qualitatem. Et ſanè licèt forſan aliquibus placere poſſet, quod hæc unio poneretur realis ſubſtantialis, quemadmodum à tot Theologis ea admittitur inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum recipientis; ex ea ratione, quod minus repugnans videtur hæc unio ſubſtantialis ſpiritualis, quam illa corporea, dummodò nec hypoſtatica, nec informationis conſtitueretur, (ut ſupponi ſemper debet) tamen con-

(22) *Idem ib. n. 1.*

ſultius exiſtimarem non Doctoribus, ſed Deo id relinquere, & innominatam, ac nobis incognitam, ejuſque magnitudine inexplicabilem, nec ex philoſophia de facili cognoſcibilem, eam vocare, Angelicum Præceptorem imitando, qui ſolummodò dicit (23) *cum datur in cibum, datur non ad ſeparationem aliquam, ſed ad omnimodam unionem*. Et Div. Bonaventuram, qui ut ſupra vidimus num. 7. ait: *Cum hoc Sacramentum ſit unionis, effectus ejus primarius aut eſt unire, aut magis unire*, D. Dioniſium Areopagitam qui ut eodem num. dedimus ait, quod *eſt unio Altiſſima & Sacratiſſima*, quin eam definire audeant, modum, & qualitatem ejus Deo relinquendo, hoc ipſo quod non aliud de ea declarent. Quod mirum non eſt, quandoquidem laudatus Angelicus Præceptor de eo loquens cum Div. Chryſoſtomo ait: (24) *Quid ergo quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit.... Super illo Joannis 6. verba quæ ego locutus ſum vobis, ſcilicet de hoc Sacramento Chryſoſtomus ait, ideſt ſpiritualia ſunt, nihil habent carnale, neque conſequentiam naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate.*

47. Fateor tamen, quod ut minimum conſtitui ſemper debet, cujuſvis generis hæc unio ſit, in æquivalentia quaſi hypoſtatica, & quaſi informativa, quia de utraquè aliquid participat, ut bene ſentit laudatus Suarez, etiam de unione aſſumptiva, ad apparitiones purè externas, qui poſtquam rejecerat opinionem admittentem unionem informativam, ait: (25) *non mihi diſplicet, quod Aureolus in 2. diſt. 8. art. 1. dicit, aſſumptionem corporis addere ſupra unionem motoris, unionem ſimilitudinariam materię, & formę, quia ita exercet Angelus in tali corpore operationes alicujus formę, ut videatur eſſe unum ſuppoſitum operans*: Ex quo utraque æquivalentia, & ſimilitudo deducitur, & illa unionis informativæ, quam exprimit, quia aſſumens ſe habet quaſi forma, & illa unionis hypoſtaticæ, quam verba illa continent, *ut videatur eſſe unum ſuppoſitum operans*. Et potiore titulo huic noſtræ aſſumptioni adaptanda, quæ ſit, ut aſſumptus vivat per vitam ipſius Chriſti illum aſſumentis, ut ab ipſo promiſſum eſt, & ſic in ipſum transformetur; quod cum eſſe non poſſit ut formaliter per ejus vitam vivat, nèc in illum phyſicè convertatur, ſed æquivalenter, quatenus ad hoc aſſumitur, ut in illo operari eos mirabiles effectus poſſit, quos animæ, quæ ad id ſe diſponunt, experiuntur, & ut aſſumptus tanto adjutorio eas virtutes operari poſſit, quæ propriæ ipſius Chriſti aſſumentis reputentur, quibuſquè repræſentari verè valeat in charitate, humilitate, paupertate, obedientia, mortificatione interna, & externa, & aliis virtutibus Chriſti Domini propriis, quibus dicere cum Apoſtolo poſſit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*; & ſic oſtendere ejus animam in Chriſto eſſe transformatam; quod in æquivalentia idem eſt, ac ſi phyſicè unam perſonam cum Chriſto conſtitueret, & formaliter de ejus vita viveret: idcircò unio hæc aſſumptiva æquivalenter, & ſimilitudinariè vocari poteſt hypoſtatica uti eam vocat Salmeron, ex veterum Patrum doctrina qui ait: (26): *Eucharistia eſt quaſi quędam unionis hypoſtaticæ imago, & tamen &c.* Et pari etiam modo vocari poteſt informativa.

48. Exprimitur etiam in concluſione non ſufficere ad hunc ſingularem effectum conſequendum ſolam gratiæ diſpoſitionem, licèt hæc ſola ſufficiat ad augmentum gratiæ omnibus juſtis commune, ſed ultra requiri, quod Sacramentum ſumens ita diſpoſitus, & in tali gradu perfectionis accedat, ut virtutibus omnibus, & præcipuè Theologalibus fide, ſpe, & charitate polleat proptèr excellentiam, & magnitudinem hujus mirabilis, & ſingularis aſſumptionis. Hoc profectò graviſſimis SS. Patrum teſtimoniis fundatur, qui majorem, imò & maximam diſpoſitionem præter illam gratiæ petere videntur ad hoc Sacramentum recipiendum, ut de D. Dioniſio vidimus num. 41. & videri poſſunt Chryſoſtomus, Origines, & Baſilius: (27) & cum expreſsè non doceant hanc maximam diſpoſitionem ad communem effectum augmenti gratiæ recipiendum eſſe neceſſariam, credendum eſt eam petere ad hunc maximum effectum conſequendum. Et hoc ſane nullam ingerere poteſt difficultatem, quod in una eadem Sacramenti ſumptione ad unum effectum major diſpoſitio exigatur, quam ad alium, & quod diſpoſitione, qua unus conſertur, alius non adquiratur. Nam dicente laudato Præceptore Angelico (28) *effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratię, vel charitatis, ſed etiam quędam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis*. Subjungit: *Quę quidem impeditur ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus, non autem augmentum habitualis gratię, vel charitatis.*

49. Ut tandem accedat ad ultimam, & præcipuam concluſionis partem, declarat Eminentiſſimus, hunc ſingularem effectum, etiam in anima debito

modo

(23) *D. Tho. opuſc. 58. de Sacram. c. 5.*

(24) *D. Tho. 3. p. q. 75. art. 4. in corpore.*

(25) *Suarez de Angel. lib. 4. cap. 36. n. ult.*

(26) *Salmeron. de ferm in Cœna tract. 21. tom. 9.*

(27) *D. Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Hæbreos. Origen. hom. 13 in Levitic. Baſilius de Baptiſmo l. 13. cap. 3. & in regul. Brevior ad interrogat. 172.*

(28) *D. Tho. 3. p. q. 79. art. 8. in corp.*

modo diſpoſita noo cauſari, niſi in inſtanti, in quo ſpecies Sacramentales conſumuntur. Ex eo quod hoc Sacramentum ſuos effectus cauſat ad modum quo cibus materialis, ut ait S. Thomas, (29) & DD. omnes cum Concilio Floreotino, (30) & cum cibus ſuum principalem effectum nutriendi propriè, & verè noo cauſet, ex quo manducatur, & ad ſtomachum devenit, ſed poſtquam digeſtus outrire incipit, ſic ſimiliter cibus Euchariſticus. Et in hoc exigua, aut oulla poteſt eſſe difficultas quoad huuc ſingularem effectum, quo transformare hominem in ſeipſum Chriſtus Dominus per hoc Sacramentum iuteodit, ad diſtinctionem augmenti gratiæ, quæ vel in ipſa manducatione, vel in acceſſu ad ſtomachum, quo materialis cibus coofortare ad minus incipit, vel dum ſpecies duraut juxta varias opiniones communicatur. Et quando etiam in communicatione effectus augmenti gratiæ tanta varietas opinionum inveniatur in aſſignando tempore, in quo hæc gratia communicatur, ut Suarez dixerit (31) *tota hæc res videtur incerta, & Chriſti Domini ſapientiæ remittenda* (ſicut & proximè dixi de unione) nulla aut exigua, ut dixi, poteſt eſſe difficultas in tempore ab Auctore noſtro exacto ad huuc ſiogularem effectum recipiendum.

(29) *D. Tho. 3 p. q. 79. art. 1. in corp.*

(30) *Concil. Florent. in Decreto Eugenii.*

(31) *Suarez de Euchariſt. diſp. 63. ſect. 4. n. ult.*

§. VI.

Expenditur præcipua concluſionis pars de permanentia ipſius Chriſti ſecundum ſuam animam Perſonæ Divini Verbi unitam.

50. DECLARATIS jam præviis omnibus concluſionis partibus, & oſtenſis graviſſimis fundamentis, quibus fulciuntur, ſolum illa graviſſima reſtat, in qua totius difficultatis cardo ſiſtit. Namque cum deficientibus ſpeciebus ſacrameotalibus, & cum illis, illa Chriſti præſentia, quæ ſub illis continebatur, nihil manere videatur, in quo ſalvari poſſit illa Chriſti permanentia in aoima, illaque unio aſſumptiva, qua Chriſtus in ſe aſſumat eum, qui Sacramentum debita diſpoſitione recipit, inde totus inſurgit de hac permanentia difficultatis nodus. Hanc ergo tam gravem difficultatem videns, & conſiderans Eminentiſſimus, & quod omnes ita premere debet, ut teneantur inquirere modum eam ſolvendi, ut ſalvari rigor illorum verborum: *in me manet, & ego in illo*, cum reliquis valeat, ſic & non aliter ſalvari poſſe arbitratur. Statueodo, ut ſupra vidimus, quod etſi deficiat Corpus Chriſti deficientibus ſpeciebus ſacramentalibus, non tamen deficit ejus anima Perſonæ Divioi Verbi unita, in quo verificatur manere Chriſtum. Itaque hoc modo ait, poteſt Perſona Divini Verbi, media ſua anima uniri Sacramentum dignè recipienti, & verificari, quod Chriſtus Dominus ſecundum ſuam animam in ſe eum aſſumit ad in illo, & etiam cum illo operandum, ſe in illo repræſentandum, & io ſeipſum illum transformandum, ut vivere ſic de ejus vita poſſit.

51. *Ad in illo operandum*. Hoc eſt, ut proximè innuimus, intellectum ejus per illuſtrationes, & ſalutares juges, & vividas cogitationes illuminando, & ejus ſimiliter voluntatem per uberes, ſupernaturales affectiones movendo, & ea omnia in anima ſua internè operando, quæ in unione illapſus Doctores myſtici à Deo in anima fieri docent, & infra exponemus ſecundum illud Pauli (1) *Spiritu Dei aguntur*. Et etiam *ad cum illo operandum*. Hoc eſt cum illo, ut auctor ſupernaturalis intimè ei unitus, & quaſi unum ſuppoſitum cum eo factus, concurrendo, ut ſic perfectiſſimè virtutes omnes proprias ipſius Chriſti nedum internas, verum & externas operetur, quibus poſſit ipſum repræſentare, quemadmodum Apoſtolus illum repræſentabat, & ab omnibus ipſum repræſentari ipſe Apoſtolus volebat, dicens (2) *ſemper mortificationem Jeſu in Corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in Corporibus noſtris*. Ut ita per has operationes internas, & externas in ipſum internè, & externè poſſit transformari, ut ſic verificetur, & oſtendatur Chriſtum in eo vivere, & ipſum per Chriſtum; quema modum in eodem Apoſtolo oſtendebatur, qui dicebat (3) *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Quæ eſt tota Chriſti intentio in hujus magni Sacramenti inſtitutione, quodquè operari in nobis quantum eſt ex ſe intendit, ſi cum illo cooperemur, & per nos non ſtet, & inſimul, quod gaudere poſſimus de illa dignitate, conſolatione, & ad omne opus bonum excitamento, & iis omnibus bonis (ſuo loco à num. 127. uſque ad 139. infra ponderandis) quæ ſecum hæc in nobis animæ Chriſti cum ſua divinitate permanentia portat, ad diſtinctionem ſolius gratiæ,

(1) *Paul. ad Rom. c. 8. v. 14.*

(2) *Paul. 2. ad Corint. c. 4. v. 10.*

(3) *Idem ad Galat. c. 2. v. 20*

52. Et

52. Et hæc ſic declarata, eſt præcipua hujus concluſionis pars; quam licet exprimat ſub terminis animæ Chriſti Domini unitæ ſuæ divinitati, & aſſumentis animam Sacramentum dignè recipientis, idipſum quoad ſubſtantiam intendit, quod manet expoſitum; declarando, ut declarat, non per hoc intelligere animam eſſe motorem principalem aſſumentem, ſed Verbum Divinum, quod eſt illud, quod propriè aſſumit, media ſua anima ut inſtrumento. Exprimit tamen primo animam, quia eſt illud, in quo præcipuè relucet magnitudo divini amoris, quem in hoc Sacramento Chriſtus Dominus vult oſtendere, quodquè ſit magis perceptibile, & eſt etiam quaſi præcipuum, quod concluſio continet, ac in quo ſtat ſpecialitas hujus magni doni, quinimò, & tota præſentis controverſiæ difficultas; exemplum proculdubio ſumens, ex modo, quo deſcenſum Chriſti Domini ad inferos explicamus; potius enim, uti magis perceptibile, & quaſi præcipuum dicimus, quod in Triduo mortis anima Chriſti deſcendit ad inferos, & Corpus ejus fuit in ſepulchro, ad declarandum Chriſtum Dominum fuiſſe in Limbo, & fuiſſe etiam in Sepulchro, ut fide edocemur, quam quod Verbum Divinum ſuæ animæ unitum deſcendit ad Inferos, & idem Verbum unitum Corpori ſuo fuit in ſepulchro. Quolibet enim ex his modis concipi concluſio poteſt, cum uterque idem ſignificet. Aſt quia initio concluſionem ſub primis terminis expoſuimus, ſub eiſdem eam proſequemur.

53. Multa ſunt fundamenta, quibus Eminentiſſimus ſuam probat concluſionem, alia aſſumit à Scriptura Sacra, alia à Sanctis Patribus, alia à ratione ex Sacra Theologia deſumpta, alia ab abſurdo, & inconvenienti, propter graſſantes præſertim Novatorum hæreſes. Et in primis ſupponit tamquam indubitabile ſolam permanentiam Perſonæ Divini Verbi, unitæ ſuæ animæ, ſufficientem eſſe, ut verificetur manere in ea Chriſtum, quemadmodum in Triduo mortis, in Limbo, & in Sepulchro verificatum fuit manſiſſe totum Chriſtum. Quod probat auctoritate D. Thomæ, qui cum Divo Auguſtino ait: (4) *dicendum eſt, quod Chriſtus fuit in Sepulchro, quia tota Perſona fuit ibi per Corpus ſibi unitum, & ſimiliter totus fuit in Inferno, quia tota Perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi unitæ*. Licet non ſecundum totum, quod dicit, ut poſtea declarat. Hoc prælibato ad fundamenta ſuæ concluſionis deveniens, in illis explanandis multus eſt, & multa & ingenioſè diſcuſſa, nec de facili ad brevem ſynopſim reducibilia congerit. Undè ut illud, quod initio promiſi, adimplere omni poſſibili brevitate valeam, operæpretium exiſtimo ea præcipua capita ex iis, quæ ab Auctore noſtro afferuntur, ac quæ magis premere poſſunt tantummodo ſumere, ut alia exponam, quæ mihi etiam concluſionem probare poſſe videntur; ut tandem judicium de hac ſingulari doctrina (in qua ut dixi cardo ſtat totius difficultatis) formari ab omnibus melius valeat.

(4) *D Thom. p 1.q 52.art.3 in corp.*

54. Ex Scriptura Sacra, quod magis premit, quodque caput eſt inter omnia, quæ ab eo afferuntur teſtimonia, eſt illud: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*, ſicut & ſequentia verba: *ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Namque cum Chriſtus Dominus ſit, qui hic loquitur, & ſuam ipſius permanentiam, & realem unionem promittat, debita diſpoſitione Sacramentum recipienti, ut manet probatum à num 25. ad 35. Et inſuper hæc ex dictis num. 8. 20. 21. 22. 43. & 44. debeat eſse quantum ex parte ipſius Sacramenti perpetua, & æterna, ut vitam, quam ipſe vivit, in æternum vivere poſſit. Et rurſus ſalvari hoc nequeat in ſolo augmento gratiæ, etiam cum aſſiſtentia, & præſentia Spiritus Sancti illam comitantis, ut pariter conſtat ex dictis à num. 10. uſque ad 16. quia hoc eſset ſolum myſticè permanere. Neque ſalvari æquè poſſit tranſitoria corporali unione carnis Chriſti Domini cum carne Sacramentum recipientis, niſi quatenus conſideretur, ut medium ad aliam realem permanentem per illam enunciatam, & à Patribus aſsertam, ut vidimus à num. 17. uſque ad 24. quæ ſola poteſt eſse effectus hujus Sacramenti.

55. Cum hæc omnia jam fundata, & ſtabilita maneant, & cæteroquin ſalvari hæc Chriſti Domini permanentia non poſſit, adſtruendo manere totum Chriſtum poſt corruptas Sacramentales ſpecies ſecundum totum, quod dicit cum ejus carne, & ſanguine, nec ſtatuendo manere ſolum Verbum Divinum, & ita non aliud reſtet, quod permanere poſſit, niſi anima perſonæ ipſius Divini Verbi unita. Et deindè dubitari non poſſit, hanc permanentiam, licet miraculoſam, eſſe poſſibilem, ut accidit in Triduo mortis, quamquam diverſo modo [ſiquidem in illo triduo fuit per totalem ſeparationem corporis ab anima, & in præſenti ſolùm intenditur, ut ſit per præ-

cisam

ciſam replicationem animæ, quæ ſemper manet Corpori Chriſti unita, licet ſecum corpus non ferat; ſicut Verbum ipſum Divinum, quod immensè replicatum in omni loco invenitur, nunquam ſuam unionem, quam cum ſua humanitate habet, amittit, licèt eam ſecum in omni loco non portet.] Et taudem cum in ea ſufficienter verificetur, quod permanet Chriſtus cum dignè eum ſuſcipiente unitus, licèt in eo non remaneat ſecundum totum, quod dicit. Ex his omnibus concludi videtur, nullam aliam eſſe viam ſolvendi nodum difficultatis omnibus communis, ſalvandi rigorem præfatorum verborum: *In me manet, & Ego in illa*, in quibus loquitur ipſe Chriſtus, quam adſtruendo hanc permanentem realem aſſumptivam unionem inter Perſonam Divini Verbi, & eum, qui debita diſpoſitione Sacramentum ſumit, media unione animæ aſſumentis cum aſſumpto, ſive motoris cum mobili.

56. Quod occurri non poſſit pro ſalvanda hac Chriſti Domini perpetua permanentia ad ipſius Chriſti Domini perpetuam permanentiam in nobis ſecundum totum quod dicit, patet. Quia neque hæc Chriſti perpetua in nobis permanentia poteſt conſiderari permanentibus etiam ſpeciebus Sacramentalibus, neque iſtis deficientibus. Non permanentibus ſpeciebus ſub quibus ſumptus fuit ab eo, qui Sacramentum recepit, quia ſic perpetuò permaneret in ipſo ipſum Sacramentum, & in illis verbis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & Ego in illo* Chriſtus nobis non promittit perpetuam in nobis permanentiam ipſius Sacramenti, ſed Perſonæ ipſius, qui in Sacramento continetur, ut ſignificant illa verba: *Et Ego in illo*, quæ Perſonæ ſuæ perpetuam, quantum eſt ex intentione ſua permanentiam exprimunt, non ipſius Sacramenti: Sacramentum enim, hoc eſt formalis ratio Sacramenti, in ſolo Chriſti Corpore ſub ſpeciebus panis, & in ſolo ſanguine ſub ſpeciebus vini ſalvatur. Hoc namquè eſt, quod per ſe, & ex vi verborum ſub ſpeciebus ponitur, reliqua autem per concomitantiam veniunt, & ſic Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti per ſe ſolum dicit carnem, aut ſanguinem ſub correſpondentibus ſpeciebus, ut docet Angelicus Præceptor, qui ait: [5] *dicendum quod quia conversio panis, & vini non terminatur ad Divinitatem, vel animam Chriſti, conſequens eſt, quod Divinitas, vel anima Chriſti non ſit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia .... Et ideo in hoc Sacramento, Corpus quidem Chriſti eſt ex vi Sacramenti, anima autem Chriſti ex reali concomitantia*. Et articulo ſequenti viceverſa idem ait: [6] *ſub ſpeciebus panis eſt quidem Corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ſanguis autem ex reali concomitantia, ſicut ſupra dictum eſt de anima, & Divinitate Chriſti. Sub ſpeciebus verò vini, eſt quidem Sanguis Chriſti ex vi Sacramenti, Corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima, & Divinitas, eo quod nunc Sanguis Chriſti non eſt ab ejus corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſſionis, & mortis: unde ſi tunc fuiſſet hoc Sacramentum celebratum, ſub ſpeciebus panis fuiſſet Corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpeciebus vini ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate*. Et infra: *Ad tertium dicendum, quod ſicut dictum eſt, Corpus Chriſti non eſt ſub ſpecie vini ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia, & ideo per conſecrationem vini non fit ibi Corpus Chriſti per ſe, ſed concomitanter*. Ex quo apparet, quod non ſtante promiſſione de ipſius Sacramenti perpetua permanentia in eo, qui illud recipit, ſed de permanentia Perſonæ Chriſti, ad illam recurrere minimè poſſumus. Aliud namque eſt Sacramentum, & aliud effectus Sacramenti. Sacramentum nobis promittitur, & datur in illis verbis; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*, in quo totus Chriſtus continetur; effectus Sacramenti nobis promittitur in verbis illis: *In me manet, & Ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater &c.* Et in illis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*, & ſic ex hac promiſſa Chriſti Domini permanentia per unionem, quam nobiſcum intendit, minimè infertur permanentia ipſius Sacramenti.

(5) D. Thom. 3 part. qu. 76. art. 1 in Corpore, & ad 1.

(6) Idem ibidem art. 2. in corpor.

57. Quod nec occurri poſſit pro ſalvanda præfata illa in nobis perpetua Chriſti Domini permanentia ad permanentiam in nobis ſecundum totum quod dicit poſt conſumptas ſpecies, etiam ſecundum carnem, & ſanguinem, ſimiliter patet. Tum quia Chriſtus Dominus in præfatis verbis, ut diximus, nobis non promittit permanentiam ſuæ carnis, ſeu ſui corporis, ſed ipſius Perſonæ permanentiam in eo, qui carnem ſuam aſſumat. Non enim ait, *qui manducat meam carnem, in* mea carne *manet*, & caro mea manet *in illo*, ſed *in me manet, & Ego in illo*, in quo perſona Chriſti ſignificatur, ad cujus permanentiam ſalvandam opus non eſt, quod ejus caro remaneat, ſed quod id remaneat, quatenus verificari poſſit, quod manet in nobis Chriſtus, per mirabi-

rabilem illam unionem jam declaratam, tanquam ipſius Sacramenti effe-
ctus, ut ex laudato Angelico Præceptore proximè vidimus. Præſertim quando hæc permanentia, & unio ad id tendit, ut vivere de vita ipſius Chriſti poſſimus, ad quem effectum nobis communicandum, minimè indiget ſui corporis permanentia.

58. Tum etiam quia, ſi poſt conſumptas ſpecies maneret totus Chriſtus, ſecundùm totum quod dicit, manere deberet vel circumſcriptivè, vel definitivè. Si circumſcriptivè hoc nec ab omnibus Theologis poſſibile admittitur, nec ab illis quibus poſſibile videtur, id admitteretur in facto, quandoquidem non deceret Chriſtum ſic nobis uniri, ut ex ſe patet. Si definitivè, licèt hoc divinæ Omnipotentiæ poſſibile ſit, eſſet nedùm maximum miraculum innumera miracula ſecum afferens, verum & omninò ſuperfluum. Nam licèt divinæ Omnipotentiæ id oon repugnet; ex ſola tamen poſſibilitate non poterat de facto admitti hoc tam grande, & totiès multiplicatum miraculum, non concurrente urgentiſſima neceſſitate, vel ſalvandi rigorem præfatorum verborum, vel nou diminuendi maximum illum amorem, quem erga nos Salvator Noſter oſtendere, & velut effundere in hoc Sacramento voluit, quando alia via ſalvari non poſſent: quocumque enim ex his duobus motivis urgente, limitatio ulla miraculis in hoc Sacramento ſine amoris offenſa ejus Inſtitutoris poni non debet.

59. Cum ergò hæc neceſſitas omninò abſit, cum utrumque Chriſti Domini teſtimonium rectè ſalvetur per permanentiam Animæ Chriſti Domini unitæ Perſonæ Divini Verbi, quin opus ſit adſtruere permanentiam præſentiæ etiam Corporis, & Sanguinis, ut jam vidimus. Et aliunde quotquot demonſtrationes Divini erga nos, velut effuſi amoris ponderari poſſunt, in hac ſola permanentia Animæ Chriſti divinitati unitæ optimè ſalventur, cum nullam majorem demonſtrationem hujus amoris dare nobis poſſit, quam quod debita diſpoſitione hoc divino pane manducato, vitam ejus divinam vivamus, in ipſum transformemur, Animam ſuam, per cujus meritum redempti ſumus, nobiſcum perpetuò, quantum eſt ex parte ſua, habeamus, & illam continuò amplecti, & de naturali Chriſti filiatione [de quibus infra] aliqualiter participare etiam poſſimus, quod totum potius per Perſonam Divinam nobis media ſua Anima unitam ſit, quam per carnem, & ſanguinem, quę nonniſi tamquàm medium ad hoc conſequendum nobis dantur, dicente eodem Chriſto Domino [7] *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam*. Et Auguſtino id ſic declarante [8] *ſi caro nihil prodeſt, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis, ſi per carnem multum profuit nobis Chriſtus, quomodo caro nihil prodeſt? Sed per carnem ſpiritus aliquid pro ſalute noſtra egit, caro vas fuit, quod habebat, attende, non quod erat*. Inde concluditur ad hoc extremum minimè recurri poſſe ad ſalvandam vim præfatorum verborum. Et videri poteſt Cardinalis Toletus, & Cornelius ad huoc locum.

(7) Joann. cap. 6. v. 64.
(8) D. Auguſt. tract. 27. in Joan.

ſ. VII.

Proſequitur idem aſſumptum oſtendendo ad ſolam Divini Verbi permanentiam recurri non poſſe.

60. RURSUS: nec recurri poteſt pro illis ſalvandis ad ſolam permanentiam Divini Verbi, ut difficultatem præſentiens Cornelius à Lapide, inſinuare videtur, dum ait: [1] *Caro Chriſti in Eucbariſtia, conſumptis ſpeciebus panis evaneſcent, poſt ſe relinquit ſuam hypoſtaſim, puta Verbi Perſonam, ejuſque divinitatem, ob quam Chriſtus dicitur, hic manere in manducante, eumque reſuſcitare, & manducam in Chriſto, ita Cyrillus, & Patres ſuperius citati*. Nam præterquamquod in illis fundamentum nobis dat, ut intelligere poſſimus credidiſte humanitatem non deficere ſecundum totum, quod dicit, ſed ſolummodò corpus, quando exprimit *carnem evaneſcere*, quod tacitè eſt innuere cum hypoſtaſi Verbi manere animam, ut verificari poſſit manere Chriſtum. Præſertim quando ſe remittit ad teſtimonium S. Cyrilli, quod ad literam tradit, in quo Sanctus Doctor expreſsè ait: *In nobis Chriſtus manet, & nos in Chriſto*.

(1) Cornel. in Joan. ad c. 6. v. 57. in fin.

61. Præter hoc inquàm licet, ſi ita non eſſet, ſuſtineri hæc ſola Verbi permanentia non poſſet, cum verificari ſic non valeret, quod virtute hujus Sacramenti, & tamquàm effectus ab eo cauſatus, manebat in nobis Verbum, ſi ejus anima non remaneret. Quandoquidem, ut optimè arguit noſter Eminentiſſimus, ut poſſet hoc verificari, debebat manere, & animæ uniri ali-
quo

quo ſpeciali, & novo modo ab eo, quo erat ante in anima juſti. Cum enim in anima virtute gratiæ ſanctificantis, quæ præcedit Sacramenti ſumptionem, jam ſit Perſona Divini Verbi, indè eſt, quod aliquid aliud poni debeat, per quod hic novus modus verificari poſſit: & cum hic novus modus alia via verificari non valeat, quam per ejus animam, indè iſtius permanentia conſtitui debet.

62. Qund in anima juſti ante ſumptionem Sacramenti jam eſſet Perſona Filii per ſolam gratiam, quatenus cum Spiritu Sancto, qui primò, & per ſe nobis donatur, & mittitur, mittitur etiam, & donatur Filius; præterquam quod negari non poteſt ex dictis à num. 14. uſquè ad 16. præſertim dicente ipſo Chriſto Dnmino: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ita docetur ab Angelico Præceptore, qui ait (2) *tota Trinitas inhabitat mentem ſecundum illud Joan. 14. ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: mitti autem Perſonam Divinam ad aliquem per inviſibilem gratiam ſignificat novum modum inhabitandi illius Perſonæ, & originem ejus ab alia. Undè cum tam Filio, quàm Spiritui Sancto conveniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio eſſe, utriquè convenit inviſibiliter mitti.* Et infra: *manifeſtum eſt, quod una non poteſt eſſe ſine alia, quia neutra eſt ſine gratia gratum faciente, nec una Perſona ſeparatur ab alia.* Et ſimiliter loquitur laudatus Cornelius, Suarez, & communiter Theologi. (3)

63. Quod Perſona Divini Verbi debet manere aliquo ſpeciali modo ab eo, quo antea erat, ut verificetur de novo per Sacramentum manere in anima, ſeu àd eam de novo mitti (quod idem valet) conſtat etiam ex eodem Angelico Præceptore, qui ait: [4] *dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, miſſio de ſui ratione importat, quod ille, qui mittitur, vel incipiat eſſe ubi prius non fuit (ſicut accidit in rebus creatis) vel incipiat eſſe ubi prius fuit, ſed quodam modo novo, ſecundum quod miſſio attribuitur Divinis Perſonis.* Et idem tradit D. Bonaventura, Suarez, Cornelius [5] & eſt inconcuſſa DD. doctrina.

64. Quod hic ſpecialis novus modus manendi Perſonam Divinam in anima debita diſpoſitione Sacramentum recipientis, & diſtinctus ab eo, quo antea erat, eſſe non poſſit per ſolam gratiam, & conſequenter debeat eſſe per animam, etiam demonſtratur. Primo quia ante primam receptionem Sacramenti jam erat Perſona Divini Verbi in anima per gratiam, in qua verificatur modus ille novus, & ſpecialis eſſendi in illa ad diſtinctionem illius primi, quo per immenſitatem in illa erat, ut ait idem D. Thomas, (6) & omnes Theologi, unde quando Sacramentum recipit, jam non poteſt eſſe ille novus modus ipſa gratia, quæ per Sacramentum communicatur, quæ eum ejuſdem ſpeciei ſit cum prima, nihil novum ſecum portat, quo Perſona Verbi poſſit ſpecialiter eſſe in anima, ut optimè docet D. Bonaventura loquens de communicatinne Spiritus Sancti per gratiam, qui ait (7) *Spiritus Sanctus mitti dicitur non in profectu gratiæ prius habitæ ſolum, ſed collatione novi doni, & novi uſus.* Et ſimiliter loquitur Alenſis, [8] & Angelicus etiam Præceptor, in quantum ait, quod tunc Spiritus Sanctus mittitur per augmentum gratiæ (9) *Cum aliquis proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex fervore charitatis exponit ſe martyrio*: in quo certe ſalvatur novus exactus modus.

65. Secundò quia gratia primò, & per ſe non portat miſſionem, & donationem Filii, ejuſque conſequenter permanentiam, (quam Deus in donatione ſemper intendit) ſed donationem Spiritus Sancti, qui propter inſeparabilitatem portat ſecum nedum Filium, verum & Patrem, ut ipſe Cornelius fatetur, qui ait (10) *Spiritus Sanctus deſcendens perſonaliter in animam juſtam ſecum adducit cæteras divinas Perſonas Patrem, & Filium, utpotè à quibus ſeparari nequit*: & proximè ex D. Thoma vidimus. Cnm ergo Chriſtus Dominus promittendo ſui ipſius permanentiam, ſuam Perſonam potius quam alias Perſonas, & quidem, ut unitam ſuæ humanitati, promittat, opus eſt ponere aliquod medium, quo directè primò, & per ſe ponatur Perſona Divini Verbi, primò, & per ſe ſignificata in ejus promiſſione, quod verificari non poteſt, niſi aliquod aliud donum adſtruatur, quo primò, & per ſe Perſona Verbi remanere poſſit.

66. Secundum nimirum, quod hic modus conſequenter debeat eſſe anima, etiam oſtenditur. Primò, quia nil aliud remanet, nec inveniri poteſt, in quo hic novus modus ſalvetur, niſi ad animam ipſius Chriſti Domini occurramus; quandoquidem debet eſſe modus, qui nedum vim habeat trahendi ad animam, & uniendi cum illa hanc Divinam Perſonam, verum etiam qund connexam ſecum habeat gratiam, ut ait Eximius Suarez, [11] quod deſumitur ex D. Thoma. [12] Undè cum hoc utrumque in anima Chriſti inve-

(1) *D.Thom. 1.p.q.43.art.5. in corpore.*

(3) *Cornel. ad c.1.Oſeæ ad verſ.11.& lor. prox. citato. Suarez de Deo uno lib.12. c.5. num.19.*

(4) *D.Thom. 1 p q 43.art.6.*

(5) *D. Bonav. in 1. ſent. diſt.15. 2 part. art.1. q.2. Suarez de Deo uno lib.12.c.5.n.17. 18.& 19. Cornel in c.1. Oſeæ ad v.11.*

(6) *D.Thom. ibidem art.6. in corpore.*

(7) *D. Bonav. in 1. diſt. 15. 2. p art.1. qu.3.*

(8) *Alenſ. 1. part. qu. 73. mem. 4. art. 3. in corpore.*

(9) *D.Thom. part.1. qu 43. art. 6. in reſp. ad 2.*

(10) *Cornel. in c.1. Oſeæ ad verſ.11. & in Joan. ad cap 6. v.57.*

(11) *Suarez de Deo uno lib. 12.cap 5.n.19.*

(12) *D.Th.*

d

nia-

Digitized by Google

3. part. qu. 43. art. 3. in corp. & art. 4.

niatur, ſiquidem in ea propter unionem ad Verbum invenitur hæc vis trahendi ad animam Perſonam ipſius Verbi; & etiam invenitur connexam ſecum babere gratiam ab ea inamiſſibilem: & aliunde aliud reperiri non poſſit, in quo hæc concurrant; inde concluditur hunc novum modum alium eſſe non poſſe, quàm ipſam Chriſti animam.

67. Secundò etiam oſtenditur, quia etiamſi conſumptis ſpeciebus fingeretur dari alium novum modum diſtinctum ab anima, quo manere poſſet Perſona Divini Verbi, & quod ſic verificari poſſet manere novo ſpeciali modo ab eo, quo antea in anima per gratiam erat: & dato, etiam gratis, quod primo, & per ſe vi illius novi modi Perſona Verbi maneret, & ſecundario Spiritus Sanctus, imo tota Trinitas, adbuc minimè poſſet, animam excludendo, ſalvari rigor verborum: *In me manet, & Ego in ille*, ſignificantium ipſum Chriſtum (ut PP. volunt, uti ſupra vidimus per totum §. 4.) Et eſt ratio, quia cum hæc permanentia ita poni debeat, quod in illa verificetur manere Chriſtum, ſecundum id, quod ſufficiat ad hoc verificandum, & aliter boc ſalvari non poſſit per ſolam permanentiam Verbi, niſi aliquid ſaltem de ejus humanitate maneat, cum de ſolo Divino Verbo verè verificari, ac prædicari non poſſit, quod ſit Chriſtus; inde eſt, quod per ſolam permanentjam Verbi verificari, & vere dici hoc non poſſit. Aliter dici cum veritate poſſet Chriſtum Dominum in omni loco eſſe, quia ubique eſt Verbum, qui eſt error Ubiquiſtarum, cujus auctor fuit Joannes Brentius. Contra quem errorem facit id, quod D. Auguſtinus ad Dardanum ſcribens ait, (13) *una enim Perſona Deus & bomo eſt, & utrumque eſt unus Chriſtus Jeſus ubique per id quod Deus, eſt in Cælo autem per id quod homo.* Undè ſic incideremus in illud, quod præfatus hæreticus fingebat, qui ut negaret in Euchariſtia tranſubſtantiationem hunc errorem fuit mentitus; nam, ut ait Salmeron (14) *hic enim cum Lutheranus eſſet, & tranſubſtantiationis doctrinam ferre non poſſet, ſicut nec Lutherus, & tamen veram Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam conſtitueret; modum præſentiæ adinvenit, ut diceret Corpus Chriſti, poſt aſcenſionem in Cælum ubique eſſe; & ideo illud modo in pane manducari dum panis editur; comedite ait Chriſtus: hoc eſt corpus meum; ideſt edite illud. quod in pane porrigitur; illud enim Corpus meum eſt;* hæc ille. Quod nervoſiſſimè impugnat hic Sapientiſſimus Pater, ad quem nos remittimus. Et inter alia hæc habet: *Si Corpus Chriſti ubique poſt reſurrectionem exiſtit, non minus in pane, & vino communi, atque in cæteris fructibus, & cibis Corpus Chriſti ederemus, quàm in ipſo Euchariſtiæ Sacramento, quia non minus in aliis cibariis exiſteret, quam in pane Euchariſtico.* Quod certe argumentum concludit, cum in omnibus cibariis æquè ac in pane, & vino Verbum Divinum per ſuam immenſitatem ſit. Unde ſi cum ſola perſeverantia Divini Verbi in anima Sacramentum dignè recipientis, intenderetur ſalvari verè poſſe permanentiam Cbriſti in anima, certè vim magnam ſumeret Brentii argumentum, quo motus fuit ad ſuum errorem mentiendum. Licet enim in aliis locutionibus minus propriè cum aliis adjunctis propter communicationem idiomatum tolerari forſan poſſet, hic ſuſtineri nequiret; quia aliter de eo, qui eſt in gratia, & nondum Sacramentum recepit, de quo verificatur habere in ejus anima Perſonam Divini Verbi, qui totam Trinitatem habet, poſſet cum veritate dici, quod in ſe habet Chriſtum ſibi unitum, quemadmodum illum babet, qui Sacramentum debita diſpoſitione recepit, quod nemo dixit. Et ex hoc concluditur, quod niſi anima Chriſti Perſonæ Divini Verbi unita remaneat, rigor præfatorum verborum ſalvari minimè poteſt.

(13) D. Auguſtinus Epiſt. 58. ad Dardanum.

(14) Salmeron de ſerm. in Cœna Domini tract. 19. aliquanto longe à fine tom. 9.

§. VIII.

Nonnullis Sacræ Scripturæ teſtimoniis bæc animæ Cbriſti permanentia oſtenditur.

68. LICET ex præcedenti argumentatione ſatis appareat, quod niſi anima Cbriſti Domini permaneat in eo, qui debita (ut ſupra) diſpoſitione Sacramentum recipit, ſalvari non poteſt rigor illorum verborum: *In me manet, & Ego in illo*; tamen quia in ejus demonſtratione conſiſtit ſolutio nodi totius præſentis difficultatis; & hucuſque à nobis adducta præcipuè tendant ad concluſionis declarationem ſecundum omnes ſuas partes, ut apertius hæc præcipua concluſionis pars deduci poſſit, & clarius percipi, opus eſt ut nunc procedamus ad eam ex profeſſo omni genere probationum fundandam. Et quia primum genus probationum à Scriptura Sacra eſt ſumendum; quamvis

vis

vis ab Eminentiſſimo prçter teſtimonium illud, *in me manet*, *& ego in illo* §. præcedenti ponderatum tot ſacra ſingularia teſtimonia ex novo, & veteri teſtamento aſſerantur, quibus concluſionem eruditiſſime, & ingenioſiſſimè fundat, quin ex hoc capite majori comprobatione egere videatur, nonnulla tamen afferam (ut deſiderio ſuo ſatisfacere queam), quæ judicio meo concluſionem etiam corroborant.

69. Io medium afferam verba illa Chriſti Domioi (1) *Ego ſum vitis vera, & Pater meus Agricola eſt. Ego ſum vitis vera, & vos palmites*: hæc verba, ut bene aoimadvertit Cornelius (2) prolata à Salvatore Noſtro fuerunt, quando recenter Euchariſtiam inſtituerat; Itaque S. Cyrillus, adhuc & ipſe Cornelius, & commuoiter Expoſitores (3) ea intelligunt de ipſomet Sacramento, in quo Chriſto tamquam viti nos ut palmites unimur. Non ſic Arius, & ejus ſequaces, qui hæc verba intelligebant de Chriſto ſecundum ejus divinitatem, conabanturque ex illis deſtruere conſubſtantialitatem Filii cum Patre, & probare illo inferiorem eſſe, dicendo Agricolam, qui eſt Pater, & Vitem, qui eſt Filius, ejuſdem naturæ non eſſe, & ſic tamquam palmites illi ſecundum ſuam divinitatem nos uniri ſolum per fidem, & concordiam voluotatis, ſicut & Filius cum Patre.

(1) *Joann. c. 15 v. 1. & 5.*
(2) *Cornel. hic ad v. 1.*
(3) *S. Cyril. lib. 10. in Joan. c. 13. Cornelio ibidem.*

70. Et quia SS. Patres Cyrillus, Baſilius, & Athanaſius, (4) Ario reſpondebaot, quod verba illa non intelligebantur de Chriſto ſecundum ejus divinitatem, ſed ſecundum ejus humanitatem, ſecundum quam eſt inferior Patre, ooſque tamquam palmites naturaliter, ſeu realiter ſicut palmites viti, & non ſolum per fidem, & concordiam voluntatis ejus humanitati, & divinitati corporaliter, & ſpiritualiter uniri, ſic, ut ait Cyrillus, Arius replicabat: [5] *nec rationabiliter quidem, ad humanitatem Chriſti id conferunt; non enim caro ejus, ſed Deitas Vitis ab eo nuncupata eſt. Patet enim, quia corpora noſtra non dependent à carne Chriſti, ut palmites à vite. Nec ſanctorum fructus corporeus eſt, ſed potius ſpiritualis. Deitas ergo Filii vitis eſt. Undè per fidem pendemus. Hac ille aſtutè ſimul, atque impiè aliaque hujuſmodi evomuit*, concludit Cyrillus.

(4) *D. Cyril. lib. 10. in Joan c. 13. D. Baſil. contr. Eunom. lib. 4. Athanaſius. Serm. 4. contr. Arian.*
(5) *Cyrill. ubi proxim. ad medium.*

71. Sed ut hanc ſuam replicam Cyrillus rejiciat, in medium affert verba illa Pauli (6) *quoniam unum corpus multi ſumus, qui de una pane participamus.* Et illa Salvatoris noſtri: (7) *in me manet, & ego in illo.* Et illa: *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*. Et illa: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Et ex illis demonſtrat, quod cum omnes fieri debeamus unum corpus cum Chriſto, ut participare de ejus vita, in illo tamquam palmites manendo, poſſimus, & hoc fiat media ſua carne, opus eſt, quod quando ſe vitem appellat ad ſignificandam unionem, quam cum illo tamquam palmites habere debemus, quod hoc intelligat de ſua humanitate, media qua ipſi corporaliter, & ſpiritualiter unimur, & conſequenter non ſolum per fidem, & concordiam voluntatis, & ſic concludit: *cur igitur ſecundum carnem palmites nos dici pernegat? An non convenientèr dici poteſt vitem humanitatem ejus eſſe, & nos palmites propter identitatem naturæ? Ejuſdem enim naturæ vitis, & palmites ſunt. Ita & ſpiritualiter, & corporaliter nos palmites, & Chriſtus vitis eſt*. Et idem in ſubſtantia reſpondet D. Hilarius dicens: (8) *Chriſtus carnem aſſumpſit, ut illi, quaſi viti nos homines carni, quaſi palmites inſeri poſſemus*, hoc eſt ejus humanitati, & divinitati uoiti. Nam, ut ait D. Auguſtious: (9) *Quamvis vitis non eſſet, niſi homo eſſet: tamen iſtam gratiam palmitibus non præberet, niſi Deus eſſet*: in quo conformiter PP. procedunt ad illud, quod, ut ſupra vidimus docent, hanc noſtram permaueutem unionem eſſe cum Chriſto.

(6) *Paul. 1. ad Corint. cap. 10. v. 17.*
(7) *Joan. c. 6. v. 54. 55. & 57*
(8) *D. Hilar. lib. 9. de Trinit.*
(9) *D. Auguſt. tract. 81. in Joan.*

72. Ex quibus omnibus hçc duo coocluduntur, quorum alterum eſt, verba illa Chriſti Domini: *in me manet, & ego in illo*: intelligi non poſſe de permaneutia ſolius Perſonæ Divini Verbi, cui tamquam palmites nos uniamur, niſi cum Ario agendo, & vim præcedentis argumenti SS. Patrum, quo illum impugnabant, & replicæ ſuæ ſatisfaciebant, enervando. Alterum vero neceſſariò dici debere, nè in hoc inconveniens incidamus, permanentiam, & unionem à Chriſto Domino io illis verbis promiſſam, verificari minimè poſſe cum ſola Perſona Divini Verbi, ſed debere etiam eſſe cum ſua humanitate, cum ſecundum haoc vitis ſit, ut PP. contra Arium arguunt. Cum ergo deficientibus ſpeciebus, caro, & ſanguis deficiant, oec aliud de humanitate reſtare queat, quam ejus aoima, opus eſt, quod hæc permaneat in eo, qui Sacramentum debita diſpoſitione recipit, ut ſic verificetur, quod tamquam palmes manet unitus Chriſto ut viti ſecuodum ejus humauitatem, & divinitatem, & non præciſè ſecuodum ejus divinitatem, ut Arius aſſerebat.

73. Hoc etiam amplius fulcitur, & roboratur illis verbis ejuſdem Chriſti Domini (10) *ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Enim vero Arius ſimiliter ex illis alia via ab ea, de qua ſupra egimus, contendebat ſuum errorem fundare, quo negabat conſubſtantialitatem Filii, & ſic, ut ait D. Baſilius arguebat (11) *ſi propter Patrem Filius vivit, propter alium, & non propter ſeipſum vivit, qui vero propter alium vivit, vita per ſe eſſe non poteſt; neque enim qui per gratiam ſanctus eſt, per ſe ſanctus eſt*. Cui argumento idem Sanctus Doctor ſic reſpondet, *de humanitate igitur, & non de divinitate dictum intelligere oportet*. Et ſic Gloſſa interlinealis ait (12) *ſicut ego homo vivo propter Patrem*, & ſimiliter hæc verba intelligunt Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cornelius, Lira, & communiter Expoſitores. (13)

74. Et Cardinalis Toletus mentionem faciens de hac Arianorum argumentatione, ait, non aliter hæc verba intelligi debere, hancque fuiſſe mentem Chriſti Domini; (14) unde laudatus Cornelius cum D. Auguſtino verum ſenſum præfatorum verborum hunc eſſe ait: (15) *ſenſus ergo eſt, quod ſicut Pater per ſeſe vivens, ipſaque eſſentialis vita miſit me in hunc mundum, hominem me efficiens, & ob id, quod ab eo me gignente, miſſus ſum, & homo factus vitam habeo à Patre vivente, vitam inquam tum humanam ab anima humana, ut explicat S. Auguſtinus, tum magis appoſitè divinam ex conſortio divinitatis, cui humanitas mea hypoſtaticè eſt conjuncta, ſemperque illi conjuncta manet: ita pariter, qui me viventem manducat*.

75. Cui & conſonat Tirinus cum Leontio, qui ita explicat illud *propter Patrem*, & ait: (16) *ideſt vitam omnem tam divinam, quam humanam naturæ, gratiæ, & gloriæ, haurio à primo fonte omnis vitæ, ideſt à Patre, & à divinitate cui ſubſtantialiter conjungor; ita qui me in Euchariſtia manducat, quia mihi qui etiam fons vitæ ſum, tam arctè conjungitur, vitam omnem ex me hauriet inquit Leontius*. In quibus verbis, ſic à Patribus intellectis, habemus Chriſtum Dominum locutum in illis eſſe, non de vita, quam ut Deus habet, quia ut Deus non vivit propter Patrem, ut intendebat Arius, & ejus Sequaces cum, ut Deus à ſemetipſo vitam per eſſentiam habeat communem cum Patre; ſed de vita, quam Chriſtus ut homo habet propter Patrem, tam humanam ſecundum animam, quam divinam ſecundum ipſam divinitatem propter miſſionem à Patre factam, ut homo fieret, ut allata verba Cornelii ex Auguſtino deſumpta ſignificant: *Vitam habeo à Patre vivente, vitam inquam tum humanam ab anima humana, tum magis appoſitè divinam ex conſortio divinitatis cum humanitate*. Et illa: *Vitam omnem tam divinam, quam humanam naturæ, gratiæ, & gloriæ haurio à primo fonte*: ut ex Leontio, & Tirino. Et inſuper habemus promiſſionem ab eodem Salvatore nobis in præfatis verbis factam, non eſſe ſolum de vita divinitatis, ſed & ejus humanitatis, & ſic utramque vitam humanam, & divinam per animam ſuam, & per divinitatem nobis debitè diſpoſitis communicare per Sacramentum. *Ita pariter, qui me viventem manducat*, ut ex eodem Auguſtino, & Cornelio, *Vitam omnem ex me hauriet*: ut ex eodem Tirino, & Leontio. Vitam inquam divinam in Perſona Divini Verbi, & humanam in ejus anima, non ut per eam formaliter vivamus, ſed ut per eam Divinæ ejus Perſonæ realiter uniri poſſimus. Quibus & conſonat D. Thomas, qui cum D. Auguſtino ait: (17) *Participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti homo vivit, non ſumens tantum Sacramentum, quod & mali faciunt, ſed pertingens uſque ad Spiritus participationem, ut in Corpore Domini tanquam membrum maneat, & ejus Spiritu vegetetur*.

76. Idem etiam corroboratur illis verbis ab Ipſo Salvatore noſtro non ſemel, ſed bis, & ter in eodem ſermone prolatis. *Ego ſum panis vitæ*, (18) & illis: *ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſiquis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*, & illis: *qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*; quibus inſtruere nos de qualitate cibi intendit, pariter eam vim denegaremus, de qua Chriſtus nos edocere curat. Namque ut ait Cornelius idem eſt ac ſi diceret: (19) *ſum Panis vivus in me ipſo, & me vivum comedentem vivificans, eique meam vitam communicans, cum Manna eſſet inanime, & mortuum, ideoque vitam comedentibus ſe tribuere non poſſet*: quod etiam tradit Rupertus, & paſſim omnes Expoſitores. (20) Quo certe Chriſtus nobis in illis voluit declarare diſtinctionem hujus cibi reſpectu aliorum ciborum, & quod Manna, reliquique cibi, uti inanimati, vitam comedenti non tribuunt, ſed ſolummodo adjuvant, ut conſervetur; hic tamen cibus tamquam animatus nobis vitam ſuam communicat. Unde ſi illa verba: *in me manet, & ego in illo*, de permanentia animæ Chriſti, qua cor-

puſ

(10) *Joan. c. 6 v. 57.*

(11) *D. Baſil. contra Eunomium lib. 4 longè à fine.*

(12) *Gloſſ. interlin. hujus loci.*

(13) *D. Aug. tract. 26. in Joan. D. Ambr. lib. 4. de fide c. 5 D. Chryſoſt. ho. 46. in Joann. Cornel. ad hunc locum. Lira ad hunc locum.*

(14) *Cardin. Tolet. ad hunc loc. annot. 30.*

(15) *Cornel. ad hunc loc.*

(16) *Tirin. in cap. 6. Joan. ad v. 57.*

(17) *D. Tho. opuſc. 58. de Sacram. cap. 25.*

(18) *Joan. c. 6 v. 48 51. & 52.*

(19) *Cornel. ad hunc loc. verſ. 51.*

(20) *Rupert. ad eund. loc. & communitèr omnes Interpretes.*

pus ſuum animatur, in qua una cum divinitate ſtat ſubſtantia hujus divini cibi non intelligerentur, proculdubio illis vis ſuæ ſignificationis omnino tolleretur, dicente D. Cyrillo Alexandriuo: (21) *Qui è naturali vita emanavi, & homo factus vivą, corpuſque meum vita replevi: non aliter, qui carnem meam manducat, vivet propter me.* Ubi planè utramque vitam Chriſti exprimit, & vitam naturalem animæ, qua corpus ejus vivit, & vitam divinam, quam per naturalem, & cum illa corpori ſuo communicavit. Unde ſubjungendo *non aliter* per manducationem nos propter eum vivere, clare exprimit utramque vitam nobis communicari.

(21) D. Cyril. Alex. lib. 4. in Joan. cap. 18. initio.

77. Et ſanè ex his omnibus Chriſti Domini teſtimoniis, & eorum expoſitionibus, in quibus omnes Patres, & Interpretes conveniunt, deducitur validiſſimum argumentum, ſi reflectamus, quod Chriſtus Dominus rationem noſtræ vivificationis ponit in en, quod eſt *panis vivus, & panis vitæ*, hoc multoties repetens, & illud clarius exprimens, dum ait: Manna vitam non tribuiſſe, ſicut panis ſuus nobis tribuit. *Cum Manna eſſet inanime, & mortuum, ideoque vitam comedentibus ſe tribuere non poſſet*, ut omnes ſicut Cornelius, & Rupertus exponunt. Et quod Salvator loquatur de vita ſua naturali, hoc eſt de carne ſua ſanctiſſima anima animata, patet in laudata expoſitione, & in exemplo Mannæ, & in verbis Cyrilli: *Qui è naturali vita emanavi, & homo factus viva, corpuſque meum vita replevi, non aliter qui carnem meam manducat, vivet propter me.* Hoc ſuppoſito reflecto ita. Si in Triduo mortis Sacramentum reciperemus, indubitatum eſt, quod per illud vita gratiæ nobis communicaretur, & tunc certum eſt, quod non reciperemus panem vivum, ſeu carnem vivam naturali vita: ergo dum Chriſtus Dominus ait, quod quia eſt panis vivus, & panis vitæ nos eum in Sacramento recipiendo, vivemus per eum, & quidem *in æternum*, quantum eſt ex parte ſua; ſignum eſt quod non loquitur de ſola vita gratiæ, pro cujus communicatione opus non eſt, quod ſit panis vivus vita naturali vivens, ſed de alia ſuperiori vita, quam participando, de vita ſua naturali, hoc eſt de anima ſua participare nos poſſumus, & ea perpetuo, & æternè vivere, quemadmodum ipſe Chriſtus, ut homo, participando media ſua anima, de vita ſuæ Divinitatis per unionem hypoſtaticam, de ea vivit: *Non aliter qui carnem meam manducat vivet propter me*, ut concludit Cyrillus.

78. Etſi alicui forſan offeratur, quod ſuperflua videtur hæc animæ Chriſti Domini permanentia in eo qui debitè Sacramentum recipit, hoc ipſo, quod per ipſam vivere formaliter non poſſit; operę pretium erit, ut memoretur eorum omnium, quæ variis in locis hucuſque dicta ſunt, ex quibus agnoſcet nedum ſuperfluam haud eſſe, verum & neceſſariam, & nobis valde utilem. Eſt enim neceſſaria, ut verificari, & ſalvari in ſuo debito, & rigoroſo ſenſu poſſit, quod Chriſtus nobis promittit in illis verbis: *in me manet, & ego in illo*, & in illis: *& qui manducat me ipſe vivet propter me*. Namque ſi ipſe, illi qui debitè diſpoſitus ad Sacramentum accedat, promittit manere in illo, ut per ipſum vivere poſſit, & de ejus divina vita participare, & quidem non tranſitoriè, ſed permanenter, & æternè, ſi per eum non ſtet, & hæc permanentia non eſt ſolum myſtica, ſed vera, & realis, per realem permanentem, & perpetuam, quantum eſt ex parte Chriſti unionem cum eo, qui Sacramentum dignè recipit, ut oſtenſum ex Patribus manet per totum §. IV. Et ſalvari minimè poteſt per ſolam permanentiam Divini Verbi, in quo ſolo verificari verè non poteſt, manere in nobis Chriſtum, ut num. 67. vidimus, quod rectè verificatur manente anima unita Perſonæ Divini Verbi, ut ex D. Thoma cum D. Auguſtino num. 52. dedimus: ex hoc ſolo capite debemus fateri neceſſariam eſſe hanc permanentiam animæ Chriſti.

79. Præiertim quando adeſt, & aliud fortius caput; nimirum, quod hæc permanentia Chriſti in nobis, eſt nobis promiſſa ad hoc, ut ita vivere, & participare de vita Divini Verbi poſſimus, ut unum cum eo, non myſticè tantum, ſed per realem unionem efficiamur, quod fieri non poteſt, niſi ipſum Verbum in nobis ſpeciali modo per Sacramentum maneat, ad diſtinctionem modi illius, qun uti una ex tribus Divinis Perſonis maneat in eo, qui eſt in gratia, etſi Sacramentum adhuc non recepiſſet: & cum hæc ſpecialis permanentia, & hic novus modus manendi in nobis in vim Sacramenti verificari aliter non poſſit per ſolam gratiam, ut omnes Scholæ cum Divo Thoma, Divo Bonaventura, Suarez &c. fatentur, ut vidimus per totum §. VII. Et aliud non remaneat, quo poſſit hæc Perſonæ Divini Verbi permanentia in nobis verificari, niſi ejus Sacratiſſima anima, ut ibidem vidimus. Ex his Capitibus neceſſaria eſt permanentia animæ Chriſti in nobis,

Digitized by Google

bis, etiamſi per eam vivere formaliter non poſſimus, ſtante præfata Chriſti Domini promiſſione: dixi etiam nedum neceſſariam, ſed & valde utilem hanc animæ permanentiam in nobis eſſe. Sed quia hic non eſt locus hoc declarandi, nos remittimus ad §. XVIII. Ubi late de hoc agemus, & oſtendemus utilitates omnes, quæ nobis ex hac Chriſti Domini in nobis permanentia ſecundum ſuam animam Perſonæ Divini Verbi unitam nobis obveniunt, ad diſtinctionem ſolius aſſiſtentiæ Divini Verbi, quam concomitanter cum Spiritu Sancto per gratiam in nobis habet. Quod quidem ſolum etſi nulla neceſſitas adeſset, ſufficere deberet, ut tamquam ſuperflua hæc animæ Chriſti permanentia non haberetur. Porro etſi hoc repetere, quod variis in locis ſupra jam dictum eſt, videri poſſit, tamen hic omnia in unum redacta exponere operæ pretium duxi, ne in Patrum auctoritatibus, & teſtimoniis infra laudandis cogar multa ex his pro eorum intelligentia repetere, remiſſive ad hunc numerum me habendo, quo facilius eorum mens capietur.

§. IX.

Auctoritate Patrum id ipſum oſtenditur.

80. DEVENIENDO jam ad fundamenta, quæ Auctor Noſter ſumit ex SS. Patribus. Inter omnia teſtimonia ab eo allata, caput ſine dubio obtinet illud D. Auguſtini, in quo exponens illa verba: (1) *Ego ſum panis vivus*, cum illis: *caro mea eſt pro mundi vita*, ait: *Fiant Corpus Chriſti ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non vivit niſi Corpus Chriſti: intelligite fratres mei quid dixerim; homo es, & ſpiritum habes, & corpus: habes ſpiritum dico, qui anima vocatur; qua conſtat, quod homo es: conſtas enim ex anima, & corpore: habes itaquè ſpiritum inviſibilem, corpus viſibile. Dic mihi, quid eſt, ex quo vivat: ſpiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis, qui vivit (qui autem hoc non poſſet reſpondere neſcio ſi vivit) quid reſpondet omnis, qui vivit? Corpus utique meum vivit de ſpiritu meo: vis ergo & tu vivere de Spiritu Chriſti? In Corpore eſto Chriſti, numquid enim corpus meum vivit de ſpiritu tuo? meum vivit de ſpiritu meo, & tuum de tuo. Non poteſt vivere Corpus Chriſti, niſi de Spiritu Chriſti.*

(1) *D. Auguſt. tract. 26. in Joann. non longè à fine.*

81. In quibus ſanè verbis concluſionem optimè firmari ex eo patet, quatenus proprietas à tanto Doctore in ejus locutione non ſervaretur, ſi per ſpiritum Chriſti animam ejus non intellexiſſet, namque ſi corpus noſtrum, ut ait, non vivit niſi de ſpiritu noſtro, *qui* [ut ait] *anima vocatur*, qua animamur, & vivimus, ſicut *Corpus Chriſti* [ut inquit] *vivit de ſpiritu ſuo*, hoc eſt de anima ſua, immediatè ſubjungendo, quod qui vult vivere de vita Chriſti, fiat Corpus Chriſti; neceſſariò loquitur de anima Chriſti. Et cum intendere non poſſit, quod ejus anima animemur, & ea formaliter informemur, & corporaliter vivamus, ſed quod hoc medio de vita ejus divina ſpiritualiter vivere poſſimus, modo proximè declarato, quid aliud intendere, & nobis ſignificare poteſt, niſi quod per hoc Sacramentum carnem ejus ſumendo, Corpori Chriſti uniamur, & incorporemur, & ſic media hac unione poſſimus de ſpiritu ejus modo dicto vivere, ſicut ipſe media ſua anima de ejus Divinitate etiam vivit. Quod multis aliis confirmat Eminentiſſimus, ut videre ſuo loco eſt.

82. Et ſanè ex ipſius Auguſtini verbis, quæ à Cornelio afferuntur num. 56. *ob id quod ab eo me gignente miſſus ſum, & homo factus vitam habeo, vitam inquam tam humanam ab anima, tum magis appoſitè Divinam &c. ita pariter, qui me viventem manducat*, manifeſtè declaratur hanc, & non aliam eſſe mentem S. Doctoris; ſicque illam Cornelium intellexiſſe: ſicut & Salmeron pariter intellexit, qui declarans illa verba vivo propter Patrem, ait illa intelligere de vita animæ Chriſti; (2) quia per hanc habet humanitas Chriſti participare de vita Divini Verbi ſibi uniti.

(2) *Salmeron in comment. in Evang. tom. 8. tract. tract. 17.*

83. Quod & confirmatur ex aliis ejuſdem Auguſtini verbis (3) *Chriſtus panis eſt, de quo qui manducat vivit in æternum... panis non ſolum ſecundum Verbum, quo vivunt omnia, ſed etiam ſecundum carnem aſſumptam pro mundi vita. Humana enim caro, quæ erat peccato obnoxia, & ideò mortua, carni ejus mundæ unita, incorporata, unum cum illo effecta vivit de ſpiritu ejus, ſicut vivit corpus de ſuo ſpiritu. Qui vero non eſt de Corpore Chriſti, non vivit de Spiritu Chriſti*. Ubi dicendo, quod Chriſto per Sacramentum uniti, & incorporati, poſſumus vivere de ſpiritu ejus, ſicut vivit corpus de ſuo ſpiritu, ſeu de ſua ani-

(3) *Auguſt. extat in Can.* Chriſtus panis eſt eſt 57. *de conſecrat. diſt. 2.*

anima, & quod ſi ita illi non unimur, de ſpiritu ejus vivere non poſſumus, manifeſtè oſtendere videtur, loqui de ſpiritu Chriſti, hoc eſt de ejus anima, non quia de ea vivere poſſimus, ſed quia per eam, ut ſępius dixi, de ejus divinitate vivere valeamus, ut ſatis alibi declarat, dum ait (4) *illud bibere, quid eſt niſi vivere, manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam* (hoc eſt animam) *& integra eſt vita* (divinitatis, quæ per animam nobis communicatur) aliter non diceret. *Qui non ſunt de Corpore Chriſti, non vivunt de ſpiritu Chriſti*; cum de Divinitate myſtice etiam vivat per gratiam, qui ad Sacramentum ſumendum nondum accedit. Undè opus eſt, ut loquatur de hoc ſpeciali modo vivendi de Spiritu Chriſti, quatenus media ſua anima, nobis realiter unita vivere poſſumus de ejus divinitate, & conſequenter ea ſpecialia, & ſingularia bona conſequi, quæ ex hac communicatione divinitatis per animam, ſeu media illa nobis adveniunt, quæ tanto majora ſunt reſpectu illorum, quæ per eamdem Divinitatem, per ſolam gratiam, ſeu media illa nobis communicantur, quanto ex infra dicendis apparebit.

(4) *D. Auguſtin. ſerm. 2. de verbis Apoſtoli.*

§. XVIII.

84. Hæc de Divi Auguſtini capitali teſtimonio; ſed quia initio dixi me ex omni claſſe fundamentorum, quibus ab Eminentiſſimo concluſio corroboratur, nonniſi unum, vel alterum ex validioribus ad hanc Synopſim redacturum, ut alia poſſem afferre (uti pro majori hujus Sacramenti gloria, & animarum utilitate ipſemet deſiderat) quibus concluſio ſua corroborari amplius queat, licèt eum ab eo adductis ſatis corroborata maneat, me remittendo ad innumera teſtimonia, quæ ex fere omnibus SS. Patribus adducit, ſubtiliter exviſcerat, & ingenioſiſſimè ad intentum declarat, alia exponam, in quibus PP. aliqua Sacræ Scripturæ teſtimonia exponendo, concluſionem probant, ut ita in Scriptura Sacra cum tam gravibus expoſitionibus fundata omnia oſtendantur. Unum eſt S. Cyrilli, qui contra Arium agens, quatenus ex illis verbis Chriſti Domini, in quibus rogat Patrem (5) *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & Ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*, hæc duo contra conſubſtantialitatem Filii cum Patre formabat argumenta, quorum unum ſic ab ipſo S. Doctore affertur (6) *Ad avertendam naturalem Trinitatis identitatem hunc locum in medium hæreticus offert: quemadmodum dicens, nos non identitate abſoluta corporum, nec animarum alterius in alteram confuſione, unum ſumus, ſed affectu charitatis, animarumque ad ſervanda mandata Dei conſenſu, ſic, & unum Filius cum Patre eſt.* Alterum vero quod à D. Athanaſio ſimul cum primo refertur, quod in hunc modum proponit Cardinalis Toletus: (7) *ut enim Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos refert, dicebat ſic; ſi nos unum ſumus, ſicut Pater, & Filius unum ſunt, igitur non erunt Pater, & Filius conſubſtantiales, aut certè nos erimus conſubſtantiales inter nos. Rurſus ſi nos ſumus in Deo, & Deus in nobis, ſicut Pater eſt in Filio, & Filius in Patre: igitur non eſt dicendus Filius in Patre, & Pater in Filio eſſe propter identitatem naturæ, ſicut nec nos dicimur eſſe in eo, & ipſe in nobis propter naturam eamdem.* Sic Arius, & ejus Sectatores argumentabantur.

(5) *Joann. c. 17. v. 21.*

(6) *D. Cyrill. lib. 11. in Joann. cap. 26.*

(7) *Cardinalis Tolet. in Joann. ad c. 17. v. 21. annot. 11.*

85. Sed audiamus Cyrilli reſponſionem. *Ut igitur inter nos, & Deum ſingulos uniret, quamvis corpore ſimul, & anima diſtemus, modum tamen adinvenit, conſilio Patris, & ſapientiæ ſuæ congruentem: ſuo enim corpore credentes, per communionem myſticam benedicens, & ſecum, & inter nos unum nos corpus efficit. Quis enim eos, qui unius ſancti corporis unione in uno Chriſto uniti ſunt ab hac naturali unione alienos putabit? Nam ſi omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur: dividi enim, atque ſejungi Chriſtus non patitur.* Eodem modo reſpondet Sanctus Hilarius & utriuſque reſponſionem maximè laudat, & ſequitur præcitatus Cardinalis Toletus, qui diſtinguens cum D. Hilario illam primam unitatem, quam Chriſtus intendit, ut inter nos habeamus ſignificatam in illis verbis, *ut omnes unum ſint* ab illa alia unitate, quam Chriſtus deſiderat, ut habeamus omnes cum illo declarata in illis verbis: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*: ait perfectiorem unitatem eſſe, quæ à Chriſto Domino deſideratur per hæc ultima verba, quam per prima, cum prima unitas rectè ſalvetur per ſolam fidem, & charitatem, qua omnes unum ſumus, ſecunda verò majorem unionem exigat, quam jam declarat.

86. Et cum hæc verba à Chriſto Domino fuiſſent prolata poſt inſtitutionem hujus Sacramenti, ut declarat in expoſitione verſus ſequentis, ſic laudat utriuſque Sancti Doctoris expoſitionem, quatenus hæc unitas à Chriſto deſiderata, & pro qua Patrem rogat, eſt illa, quam vult, ut nos omnes cum illo per Euchariſtiæ Sacramentum habeamus. Et ſic loco citato, ait: *Hæc unitas in qua uniuntur, & efficiuntur unum, eſt caro ipſa Chriſti realiter in Sacra-*

cramento ipſis credentibus data , ut non participatione unum ſint , ut factum eſt in priori unitate , in qua dabatur Spiritus Sanctus ratione donorum , ſed realiter & ſubſtantialiter Chriſtus ipſe in cibum detur. Ratione autem hujus unitatis major eſt ſimilitudo cum unitate Patris , & Filii ; per hanc enim carnem , & ſanguinem Chriſtus realiter in nobis , & nos in ipſo , ut dictum eſt in capite 6. manemus &c. Et infra : *Hanc eamdem unitatem non ſolum Cyrillus , ſed & Hilarius lib. 8. de Trinit. his verbis ſignificari affirmat : & ſanè vera doctrina eſt , & expoſitio legitima. In hoc tamen uno diſſentio ab his duobus Doctoribus , præſertim à Cyrillo , qui unitatem talem animarum , & corporum ſignificari aſſerit verbis hiſce ; ut omnes unum ſint , ſicut & nos.*

87. Ex quibus omnibus clarè deducitur unio animarum per hoc Sacramentum , quæ in concluſione ſtabilitur. Namque ſi Arius arguebat , quod Filii conſubſtantialitas cum Patre ſuſtineri non poterat ex eo , quod Chriſtus Patrem rogabat , ut omnes unum inter ſe , & cum illo unum efficerentur , ſicut ille cum Patre unus erat , & nos neque ſecundum corpora , neque ſecundum animam unum realiter eſſe poteramus , neque inter nos , nec cum Filio , ſed ſolummodo affectu charitatis ; ſi Cyrillus , ut argumentationi ſatisfaceret , ac illam rejiceret , & veritatem Catholicam conſubſtantialitatis Filii ſuſtineret , ajebat , hanc unitatem , pro qua Filius rogabat Patrem eam eſſe , quam conſilio , & ſapientia ſua per inſtitutionem Euchariſtici Sacramenti intendebat , hancque nos aſſequi cum Chriſto ſecundum corpus , & animam , quoniam etſi corpore , & anima ab eo diſtemus , tamen media naturali unione cum ejus Corpore , Chriſto realiter , & ſubſtantialiter , etiam ſecundum animam (quod Arius negabat) unimur , & unum cum eo efficimur , & ita in illo tamquam in tertio omnes , qui eodem pane participamus inter nos unimur ; ſi in hac eadem reſponſione conſentit Hilarius : ſi Cardinali Toleto adeo placet , ut dicat , *quod vera doctrina eſt , & expoſitio legitima* ; quid aliud deſiderari poteſt ad planè fatendum , nedum Cyrillum , verum & Hilarium , & cum eis Cardinalem Toletum in eo ſenſu fuiſſe , quod per hoc Sacramentum ita unum cum Chriſto efficimur , ut non ſolum ſecundum corpus naturaliter , realiter corpori ſuo uniamur , ſed etiam ſecundum animam ipſius animæ , & divinitati realiter pariter uniamur : ejus corpori , dum ſpecies ſacramentales durant ; ejus animæ , & divinitati poſt has conſumptas ; aliter Arii argumentationi , nec Cyrillus , nec Hilarius ſatisfeciſſent , quandoquidem alia via verificari non poterat ea perpetua unitas à Chriſto Domino per Sacramentum intenta , & deſiderata , & pro qua Patrem rogabat , ut ita eſſet , quemadmodum eam ipſe cum Patre habebat , quæ non affectu charitatis , ſed realis , & perpetua eſt. Hanc enim , ut ſupra diximus , Chriſtus optabat , & ſemper optat.

88. Et licet Cardinalis Toletus à Cyrillo , & Hilario in hoc ſolo , ut ait , diſſentiat , quod eamdem naturalem , ſeu realem unionem , quam ponunt inter animas Sacramentum recipientes , & inter Chriſtum , ponat etiam inter ipſas animas inter ſe , nec diſtinguat primam unitatem , de qua loquitur Chriſtus , quæ eſt animarum inter ſe , prout hæc eſt condiſtincta à ſecunda unitate , quæ eſt animarum cum ipſomet Chriſto , pro quarum prima exiſtimat ſufficere ſolum charitatem , pro ſecunda vero requiri ſubſtantialem realem unionem , & unitatem cum Chriſto (quam Cyrillus , & Hilarius docent , & ipſemet amplectitur) licet inquam in hoc diſſentiat ; certe Cyrillus , & Hilarius reſponderent ipſos non docere , quod omnes , qui de eodem pane participant , eodem modo , & eadem Immediatione inter ſe ſecundum corpus , & animam unum efficiantur , ſicut Pater , & Filius unum ſunt , ſed mediatè in Chriſto tanquam in tertio , quia illi ſoli immediatè participant hanc realem unionem ſecundum corpus , & animam cum Chriſto , qui de hoc pane participant ; mediatè tamen inter ſe omnes , qui Sacramentum ſumunt , qui eorum animæ tamquam uni tertio Chriſto eadem reali unione uniuntur , & ſic mediatè idem fiunt inter ſe. A qua reſponſione certè Toletus non diſſentiret. Cum ergo de tam inſignibus Doctoribus credi non debeat , de æquali immediata unione cum Chriſto locutos fuiſſe , ſed cum hac diſtinctione , præſertim quando hanc æqualitatem numquam exprimunt , licet inæqualitatem , quam ſupponere debent , non declarent , ut Toletus vellet , inde nec in hoc ab illis diſcordare poterit.

ſ. X.

§. X.

Proſequitur confirmatio Doctrinæ PP. auctoritate.

89. ALIUD ſingulare teſtimonium deſumo ex Magno Gregorio, adhue & D. Thoma, & Ruperto Abbate. Namque cum Chriſtus Dominus per Joannem dixiſſet (1) *ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant, ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animam ſuam dat pro Ovibus ſuis*: cum hanc abundantiorem vitam Dioniſius Carthuſianus intelligat de ca, quam Chriſtus Dominus nobis communicat per Euchariſtiæ Sacramentum, (2) ſequentia verba ſic D. Gregorius exponit (3) *Bonus Paſtor &c. fecit, quod monuit, oſtendit, quod juſſit, pro Ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in Sacramento noſtro corpus ſuum, & ſanguinem verteret, & oves quas redemerat carnis ſuæ alimento ſatiaret*. Et D. Thomas ſerè eadem verba repetens: (4) *Bonus Paſtor Dominus animam pro Ovibus poſuit: ut in Sacramento noſtro corpus ſuum, & ſanguinem verteret, & Oves quas redemerat carnis ſuæ alimento ſatiaret: & in hoc eſt expreſſio ſummæ largitatis, & præcipui amoris. Magnum eſt enim dare ſe in ſocium peregrinationis, & in ſervum neceſſitatis: majus in pretium redemptionis: tamen tale donum adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo, cui datur: ſed cum datur in cibum datur non ad ſeparationem aliquam: ſed ad omnimodam unionem*. Et idem repetit Rupertus Abbas, (5) & ad hoc alludere videtur Chryſoſtomus dum ait (6) *quis Paſtor unquam membris ſuis oves ſuas paſcit*.

(1) *Joan. cap. 10. v. 10. & 11.*
(2) *Dionyſ. Carthuſian. ad hunc locum.*
(3) *D. Greg. Mag. hom. 14. in Evang. initio.*
(4) *D. Thom. opuſc. 58. de Sacram. cap. 5.*
(5) *Rupert. ad hunc loc.*
(6) *Chryſoſt. ho. 83. in Matthæum tom. 3.*

90. Sane in hac auctoritate comprehenſum totum aſſumptum invenio. Enim vero habemus, Chriſtum ut bonum Paſtorem animam ſuam in Sacramento poſuiſſe, ut media ſua carne Oves, quas ſua anima redemerat, ipſa reficeret. Habemus expreſſionem ſui maximi erga nos amoris in eo eſſe, quod licet magnum fuerit Deum pro nobis hominem, & ſocium peregrinationis noſtræ fieri, neceſſitatibus omnibus noſtris ſubvenire, & in pretium redemptionis dari, maximum fuiſſe dare ſe nobis in cibum, cum illa omnia dona à nobis participentur cum aliqua *ſeparatione* à donante; (reali nimirum, ſiquidem per fidem, & charitatem uniti illi ſumus, idquecirco ait: *cum aliqua ſeparatione*) hoc vero animę ſuæ donum nobis datur *non ad ſeparationem aliquam, ſed ad omnimodam unionem*; myſticam nimirum, & realem; cum hæc ſola ſit, quæ permanere poteſt deficiente carne, per quam hoc donum nobis communicatur.

91. Porrò ſtante hoc tam claro D. Thomæ teſtimonio nullo jure dubitari de ejus mente, & totius doctrinæ confirmatione valet, ſicut nec de mente etiam D. Gregorii, & Ruperti. Et quod dicant, animam ſuam in Sacramento nobis Chriſtum donare, *ut Oves, quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret*, non ideo eſt, quia rationem hujus doni in carne ſua ſolummodo poſuerint, aliter dici non poſſet nobis dari non ad aliquam ſeparationem, ſed ad omnimodam unionem; cum caro ejus conſumptis ſpeciebus confeſtim à nobis ſeparetur, ſed quia hoc donum animæ ejus nonniſi per carnis ſuæ alimentum nobis communicatur, ut ipſe Sanctus Doctor alibi clarè exprimit, ait enim (7) *per veritatem corporis, & ſanguinis ſui nos ſibi conjungit in hoc Sacramento. Unde ipſe dicit Joan. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*. Itaque ipſe Angelicus Magiſter alibi ait (8) *Rationalis creatura ſecundum quod illæ duæ naturę, ideſt corpus, & anima ſunt, in ſingulis Perſonis hominum familiari ſocietate, & miro amore conjunctę ſunt, exigitur ad æternam ſalvationem utrorumque unus cibus toti homini ideſt, utrique naturæ conveniens ſpiritualis ſimilis, & corporalis ſcilicet Verbum caro factum quem ſimul ſub quodam Sacramento comedant, cujus virtute anima de pręſenti miſeria ad vitam ęternę beatitudinis perveniat, & corpus ad modicum tempus ſervetur in terra, ut tandem glorioſè reſurgat. De hoc cibo Joan. 6. caro mea ideſt, caro Dei caro humana unita Dei Verbo vere eſt cibus, ſcilicet totius hominis, valens animę, & corpori*. Quid præclarius in aſſumpti comprobationem dici poteſt.

(7) *D. Thom. 3. p. q. 75. art. 1. in corp.*
(8) *D. Thom. opuſc. 58. de Sacr. cap. 6.*

92. Audiamus etiam Chryſoſtomum, qui in figura de Elia, & Eliſeo hanc ipſam Divini amoris demonſtrationem agnovit, dum ait (9) *tamquam maximam hęreditatem Eliſeus Meloten ſuſcepit: etenim vere maxima fuit hęreditas omni auro pretioſior. Et erat duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias. Novi quod juſtum illum beatum putatis, & velletis quiſque eſſe ut ille. Quid igitur ſi vobis demonſtravero quid aliud, quod illo multo majus omnes ſa-*

(9) *Chryſoſt. ho. 2. ad Pop. Antiochen. in fine tom. 4.*

C *cris*

cris myſteriis imbuti recepimus? Elias nempe Meloten quidem diſcipulo reliquit. Filius autem Dei aſcendens, ſuam nobis carnem dimiſit. Sed Elias quidem exutus, Chriſtus, & nobis reliquit, & ipſum habens aſcendit. Hucuſque Chryſoſtomus. Porro nota omnibus eſt hiſtoria illius, quod accidit inter Eliam, & Eliſeum, ad quam Chryſoſtomus in præfatis verbis alludit. Diſceſſurus namque Elias ab Eliſeo, iſte ab eo petiit, ut duplicem ſuum Spiritum illi relinqueret: (10) *obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* Difficilis petitio Eliæ viſa fuit: *rem difficilem poſtulaſti*, ſed illi benignè conſenſit. *Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petiiſti, ſi autem non videris, non erit.* Diſceſſit Elias: *aſcendit Elias per turbinem in Cœlum*, & conditionis à Magiſtro ſuo poſitæ non oblitus, *Eliſeus videbat, & clamabat Pater mi, Pater mi*, raptuſque in Cœlum illi pallium ſuum Elias reliquit, quod Eliſeus recepit; *& levavit pallium, quod ceciderat*, quod videntes Filii Prophetarum dixerunt; *requievit Spiritus Eliæ ſuper Eliſeum, & venientes in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram.* Hæc eſt notiſſima hiſtoria, quam Chryſoſtomus mirè applicat ei, quod Chriſtus Dominus aſcenſurus ad Patrem in Myſterio Euchariſtico nobiſcum fecit.

(10) 4. *Regum cap. 2. v.*

93. In qua profecto figura validiſſimè Chryſoſtomus confirmat omnia huc uſque ex Sacra Scriptura, & PP. tradita in comprobationem, quod in eo, qui debita diſpoſitione Sacramentum recepit, permanet duplex ejus Spiritus, nam & permanet anima Chriſti, & permanet Perſona Verbi; prima, quæ pertinet ad vitam ejus humanam, ſecunda, quæ pertinet ad divinam. Namque ſi in perſona Eliæ, ut ait Chryſoſtomus, repræſentatur Chriſtus, qui quaſi duplex eſſe voluit, in Cœlum aſcendens, & in terra permanens, quemadmodum Elias. *Et erat duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias.* Et in pallio Eliſeo relicto, quando ab eo diſceſſit, ſignificatur Sacramentum, in quo aſcenſurus ad Patrem voluit nobiſcum permanere. *Filius autem Dei aſcendens ſuam nobis carnem dimiſit*, ut ſub pallio accidentium nobis relinqueret duplicem ſuum ſpiritum. Quid aliud ex mente Chryſoſtomi ex hac hiſtoria, & reflexione ab eo facta per illa verba: *Quid igitur ſi vobis demonſtravero quid aliud, quod illo multo majus omnes ſacris myſteriis imbuti recepimus*, ſignificatur, niſi quod Chriſtus Dominus per Euchariſtiam aliud multò magis voluit nobis donare, eo, quod Eliſeus deſiderabat.

94. Nam ſi iſte ab Elia petebat duplicem ſuum ſpiritum, Chriſtus Dominus voluit duplicem ſuam vitam nobis communicare, & vitam humanitatis ſuæ, quæ eſt anima, & vitam Divinitatis ſuæ, quod eſt Verbum, ut per primam tanquam per medium gaudere poſſemus de ſecunda. Et ſi hunc duplicem ſpiritum Elias Eliſeo promiſit, *erit tibi quod petiſti*, ipſe Chriſtus per Joannem plus nobis promiſit in illis verbis. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & Ego in eo: ſicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me;* Et quid aliud ex mente ejuſdem Chryſoſtomi ſignificare poſſunt illa verba Filiorum Prophetarum, quando Eliſeus pallium ſumpſit, & vociferantes dixerunt: *requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum*, & illa demonſtratio: *adoraverunt eum proni in terram*, niſi quod propheticè hoc magnum myſterium agnoverunt; & quid illud; *ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti, ſi autem non videris, non erit;* niſi illa diſpoſitio cognitionis, & fidei de eo quod recipitur, & meditationis de hoc ſingulari beneficio, quam à nobis Chriſtus exigit, ut dignè ſic diſpoſiti, gaudere de hoc duplici ſpiritu poſſimus. In hac ſanè figura optimè Chryſoſtomus agnovit hunc duplicem ſpiritum, quem per Sacramentum Chriſtus nobis communicat, & animæ ſuæ, & ſuæ divinitatis; & quidem permanenter, dum ait (11) *hæc enim menſa, fortitudo eſt animæ, & fiduciæ vinculum: quare ſi hoc cibo confortatus ex mortali hac vita decedas, cum magna fiducia ad cæleſtem aulam aſcendes, quaſi veſte pretioſiſſima auro texta ornatus. Portas enim tecum ipſum Cælorum Dominum cujus intuitu Angeli te comitabuntur, & ad ejus deducent thronum.*

(11) *D. Chryſoſt. homil. 24. in 1. ad Corinth.*

95. Hoc idem, quod Chryſoſtomus prælaudata figura Eliæ, & Eliſei voluit ſignificare, declarat D. Hilarius. Nam ut ſupra dedimus laudato libro de Trinitate, in quo diffusè agit de Sacramento Euchariſtiæ occaſione hæreſis Arianæ, ex illo multa ſumendo ad Arium confutandum, & ad in illum tela convertendum, quæ ex ipſo Sacramento conflare temerè conabatur, ut in Divinitatem Filii Dei ea mitteret. Cum audacter ad omnia enervanda hæreticus adſtrueret Chriſtum eſſe creaturam, ſic in illum Hilarius invehitur. (12) *diſcerne igitur ò heretice ſpiritum Chriſti à ſpiritu Dei, & excitati à mortuis ſpiritum Chriſti* (quæ eſt anima) *à ſpiritu Dei Chriſtum à mortuis excitan-*

(12) *D. Hilar. lib. 8. de*

citantis, (quæ eſt divinitas) & longe infra ait: *Sub Sacramento tamen cohabitationis habitatio, dum neque duo habitant, neque ab alio diverſus habitator eſt. Eſt enim in nobis ſpiritus Chriſti, & cum ſpiritus Chriſti ineſt, ineſt ſpiritus Dei. Ita cum quod Dei eſt, & Chriſti eſt, & cum quod Chriſti eſt, & Dei eſt, non poteſt alius quid diverſum Chriſtus eſſe, quom Deus eſt. Deus igitur Chriſtus eſt, unus cum Deo ſpiritus. Ec illud Evangelicum, Ego & Pater unum ſumus docet Apoſtolus unitotem eſſe naturæ, non ſolitudinem unionis.... ſciſne nunc hæretice in quo ſpiritu dicas Chriſtum creaturam?* Tom. ii. paul. ant. med.

96. In quibus verbis habemus, quod Hilarius occaſione impugnationis hujus erroris fatetur, quod medio hoc Sacramento, ſub Sacramento cohabitationis habitatio (qua phraſi exprimit illud *in me manet, & Ego in illo*) eſt in nobis duplex Dei ſpiritus, quod illis verbis clarè demonſtrat: *Eſt in nobis ſpiritus Dei, & eſt in nobis ſpiritus Chriſti.* Et inſuper ait. Ita in nobis utrumque ſpiritum eſſe, & cum ſpiritus Chriſti ineſt in nobis, ineſt ſpiritus Dei. Et cum in primis verbis ſupra allatis declaraverit ex his duobus Chriſti Domini ſpiritibus unum eſſe animam, qua Chriſtus excitatus fuit à mortuis, alium eſſe ejus divinitatem, quæ à mortuis illum excitavit, dicendo, *quod cum ſpiritus Chriſti ineſt in nobis, ineſt ſpiritus Dei*; eſt idem ac ſi diceret, quod hoc ipſo, quod in nobis medio hoc Sacramento inſit anima Chriſti (per illam realem permanentem unionem, quam in præcedentibus auctoritatibus expreſſerat) ineſt ille alter ſpiritus, qui eſt ejus Divinitas. Quo nedum mirè confirmat doctrinam concluſionis, verùm & in modo loquendi, affert regulam, qua poſſint alia multa Sanctorum Patrum teſtimonia, in quibus ſimili modo loquutur de eadem anima Chriſti intelligi, ut ab auctore noſtro intelliguntur, quin ſuſpicari voluntarias interpretationes poſſimus.

97. Hæc eadem doctrina ex Magno Baſilio amplius roboratur. Agit enim contra Arium, & cum ut ſupra vidimus conſubſtantialitatem Filii negaret, & illa ipſius Chriſti Domini verba opponeret: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me*, illud argumentum ex illis efformans, quod ex eodem Baſilio num. 73. dedimus, quod in ſubſtantia ad id reducitur, quod ſi Chriſtus vivit propter Patrem, minor eſt Patre; licet, ut ibidem vidimus, ſolummodo S. Doctor contra Eunomium agendo reſponderet, illud *Vivo propter Patrem*, de humanitate intelligi, hoc eſt de vita, quam ut homo habet, tamen hoc idem argumentum refutans ait, (13) *Proponatur nobis illud: Ego vivo propter Patrem. Hoc enim eſt unum telum ex his, quæ in Cœlum mittuntur ab impiis ipſo utentibus. Hic autem per hoc quod dicit, non ipſam ante ſæcula vitam, velut puto nominat. Omne enim, quod propter alium vivit, vita per ſe eſſe non poteſt, quemadmodum, neque quod ab alio calefactum eſt, per ſe caliditas eſſe poteſt: Chriſtus autem, & Deus noſter dixit: Ego ſum vita, ſed vitam hanc in carne, & in hoc tempore factam, quam propter Patrem vivit: ex ipſius enim voluntate ad hominum vitam acceſſit, & non dixit: Ego vixi propter Patrem, ſed Ego vivo propter Patrem, manifeſtè præſens tempus ſignificans: Poteſt autem & vitam dicere, quam vivit Chriſtus, Verbum Dei habens in ſe ipſo, & quod hoc eſt id, quod ſignificatur, ex hoc, quod infertur, ſciemus: & qui ederit me inquit, vivet propter me. Edimus enim ipſius carnem, & bibimus ipſius ſanguinem per incarnationem participes evadentes, & ſenſibilis vitæ Verbi, & ſapientiæ.*

(13) D. Baſil. Epiſt. 141. longe à princip. juxta Baſileæ impreſ. ann. 151.

98. Ubi Sanctus Doctor expreſsè ait illud: *Vivo propter Patrem* intelligi (ſicut & Auguſtinus, Cyrillus, Hilarius, ut ſupra vidimus, intellexerunt) de vita temporali animæ, quam Chriſtus habet propter Patrem, ideoque illum non dixiſſe, ſe vixiſſe propter Patrem, ſed quod de præſenti vivit propter Patrem. Subjungit tamen, quod potuit optimè etiam Chriſtus exprimere, uti expreſſit, vitam, quam ut Deus vivit, quamque habet per Verbum, & ex his concludit, quod edimus ejus carnem, & bibimus ejus ſanguinem, & per hanc incarnationem, ſeu incorporationem participamus de ſenſibili vita Verbi Incarnati, quæ eſt anima, & de Divina Sapientia, in qua vita Divina nobis communicatur. *Participes evadentes, & ſenſibilis vitæ verbi, & ſapientiæ.* Participes ſenſibilis vitæ, quæ eſt anima, non ut ea formaliter vivamus, ſed ut per eam participare de vita divinæ ſapientiæ, ſeu Verbi poſſimus; & quidem in æternum (ſi per nos non ſtet), ut nobis promiſſum eſt: *vivit in æternum*; cum aliter nec Perſona Verbi uniri nobis poſſet, nec aliter manere in nobis Chriſtus, ut demonſtravimus num. 77. 78. & 79.

§. XI.

Proſequitur confirmatio doctrinæ SS. Patrum, & Doctorum auctoritate.

99. AUDIAMUS etiam ejuſdem Baſilii germanum Fratrem D. Gregorium Nyſſenum, qui ſic ait: (1) *quoniam homo eſt duplex, ut qui ſit compoſitus, ac contemperatus ex anima & corpore, neceſſe eſt, ut qui ſervantur, per utrumque attingant eum, qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipſa contemperata per fidem hinc ſalutis habet occaſionem. Nam unio cum vita vitæ habet ſocietatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem, & contemperationem ejus, quod dat ſalutem*: Et infra: *Corpus immortale, cum fuerit intra eum, qui ſumpſit, univerſum quoque transmutat in ſuam naturam. Sed fieri non poteſt, ut ſit aliquid aliter intra corpus, niſi per eſum, & potionem miſceatur viſceribus. Neceſſe eſt ergò eo modo, quo natura poteſt, ſpiritus vivificam ſuſcipere virtutem. Cum autem ſolum illud Corpus, quod Deum ſuſcepit, hanc gratiam acceperit, oſtenſum ſit autem aliter fieri non poſſe, ut noſtrum corpus ſit in immortalitate, niſi per communionem cum immortali factum ſit particeps incorruptionis oportet conſiderare &c.* Ubi S. Doctor ex eo quod duplici ſubſtantia conſtamus, anima ſcilicet & corpore, & quod Salvator noſter utrumque per Sacramentum vult in ęternum conſervare, & ſalvare; corpus, ſua immortalitate immortalitatem illi communicando; animam, æternam ſalutem per æternam ſuam Divinam vitam illi tribuendo; unum & alterum feciſſe, ait: ſuum corpus, & animam nobis communicando; *Ut qui ſervantur per utrumque attingant eum, qui ducit ad vitam*, quod eſt Verbum; ut ſic anima noſtra benè per fidem diſpoſita, & per unionem cum ejus anima contemperata: *anima quidem cum ipſo contemperata per fidem hinc ſalutis habet occaſionem*, per hanc unionem conſequatur uniri cum vita vitæ, ideſt cum vita Divinitatis Chriſti, quæ eſt vita vitæ animæ ipſius Chriſti: *Nam unio cum vita vitæ habet ſocietatem*. Corpus verò non per hanc animarum unionem, ſed alia via veniat ad participationem ſuæ immortalitatis: *Corpus autem alio modo venit ad participationem, & contemperationem ejus, quod dat ſalutem*, quæ eſt immortalitas, ſeu reſurrectio, juxta illud ipſius Chriſti: (2) *Et ego reſuſcitabo illum in noviſſima die*. Et hunc modum participationis corporis de immortalitate exprimit, & declarat in ſubjunctis illis verbis *corpus immortale &c.*

100. Div. Paſchaſius, qui octavo Sæculo floruit, in illo celebri libro, quem de Corpore, & Sanguine Chriſti ſcripſit, de quo V. Bellarminus ait (3) *Hic auctor fuit, qui primo, & copiosè ſcripſit de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia contra Bertramum Presbyterum*. Hic enim Pater alludens ad illud Levitici (4) *Anima carnis in ſanguine eſt*, & ſupponens animam noſtram eſſe in ſanguine peccati, ſive in ſanguine carnis peccato coinquinatæ, & animam Chriſti eſſe in ſanguine carnis à peccato immunis, ait, quod ut totus homo ſanetur ſecundum carnem, & ſecundum animam, Chriſtus nobis communicat per ſuam carnem, & per ſuum ſanguinem, & vitam animæ ſuæ, & vitam Divinitatis, itaque ait (5) *Porrò ſanguis ejus, ut dixi potatur, quatenus anima noſtra, quæ in Sanguine peccati eſt, renovetur, quia & Chriſti anima, non in ſanguine peccati carnem humanam, quam Chriſtus ſuſceperat vivificavit. Idcircò non rectè caro ſine ſanguine communicatur, ſed ut caro habeat relationem ad animam, quæ in ſanguine Chriſti eſt. & anima vivificatrix per ſanguinem relationem habeat ad Deum; atque ita totus homo ſanetur. Hinc quoque Dominus cum dixiſſet; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, addidit, habet vitam æternam.* Et infra: *Veritas enim Deus eſt, & Chriſtus veritas eſt, quia utique Deus eſt. Propterea ò homo ſi veritas eſt, crede quia caro Chriſti, & ſanguis vita eſt, & ideò veritas proteſtatur: qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum habet vitam in ſe manentem; manentem utique, & non labentem.* In quo teſtimonio idem exprimit, quod omnes Sancti Patres, quos hucuſque dedimus, declarant: nimirum corpus nobis in Sacramento dari pro remedio noſtræ mortalitatis, ut immortales per reſurrectionem evadamus; animam vero ut per eam participare de Divina vita poſſimus, per ejuſdem animæ in nobis permanentiam, quæ nunquam labatur. Et eodem ferè modo loquitur Angelicus Præceptor, qui ait: (6) *In hoc Sacramento corpus affertur pro ſalute Corporis, & Sanguis pro ſalute animæ, quamvis utrumque ad ſalutem utriuſque aperetur, cum ſub utroque totus ſit Chriſtus*. Et alibi exponens, cur ſub utraque ſpecie Chriſtus in Sacra-

(1) D. Gregor. Nyſſen. in Oratione Catech.

(2) Joan. cap. 6. v. 35.

(3) Bellarm. de Scriptorib. Eccleſiaſt. ad ann 850.

(4) Levitic. cap. 17. v. 11.

(5) D. Paſchaſ. Ratbert. lib. de Corp. & Sang. Dñi c. 19

(6) D. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. ad tertium.

crameuto nobis datut, ait: (7) *refertur vinum ad animam, quia vinum ſanguinem operatur, in quo ſedes eſt animæ ſecundum phyſicos*.

101. D. Laurentius Juſtinianus etiam conſentire in doctrina videtur, dum ait: (8) *O' quàm admirabilis eſt dilectio tua Domine, qui tuo corpore totaliter nos incorporari voluiſti; ut tecum unum cor, & unum animum haberemus inſeparabiliter colligatum*. Obſervetur illud: *totaliter*, & illud: *cor unum, & unum animum*, & illud *inſeparabiliter*, in quo totam doctriuam comprehendit.

102. Algerus Scholaſticus Leodienſis, qui initio ſæculi duodecimi floruit, quique à multis nomine Beati laudatur, & de quo V. Bellarminus ait, quod etſi multi contra Berengarium de Sacramento planè, & perfectè ſcripſerunt iſtum tamen Sapientiſſimum Doctorem (9) *Optimè pleniſſimè, perfectiſſimè ſcripſiſſe*. Iſte enim graviſſimus auctor ponderans illa verba Chriſti Domini, quæ in ſermone Cœnæ dixit: (10) *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*, cum D. Hilario ait: (11) *Tenete hoc fixum & mandatum memoriæ, ipſe voluit nobiſcum eſſe unus, qui eſt cum Patre unum: ego & Pater unum ſumus*. Et alibi declarans, quomodo hæc unio, & unitas ſit etiam cum anima Chriſti Domini, ait: (12) *Ideo etiam Corpus, & Sanguis diviſim in Sacramento videntur: ut quia Chriſtus nobis mortuus eſt, nos qui corpore & anima perieramus, rediment, corpus, & animam ſuam pro noſtra redemptione in morte diviſa fuiſſe ſignatur: dum corpus ejus in ſepulchro jacuit, anima verò, ad liberandae Sanctorum animas ad inferna deſcendit. Cum igitur in tali myſterio corpus per corpus, anima autem Chriſti ſignificanda eſſet per aliquam viſibilem ſpeciem, nihil inventum eſt in creaturis, per quod vicinius, & aptius repræſentaretur, quàm per ſanguinem, qui eſt ſedes animæ. In quo etiam ut ſignetur animos noſtras, & corpora animæ Chriſti, & corpori uniri, & conformari debere ſimul Corpus, & Sanguis ſumitur à fidelibus: ut ſumpto corpore, & anima Chriſti, toto Chriſto totus homo in animo, & corpore vivificetur*. Quid clarius?

103. Sapientiſſimus æquè, ac Venerabilis Ludovicus de Ponte, quem altaria meritò diù deſiderant, & expectant, de hoc Sacramento agens hanc miram unionem animæ Chriſti cum anima Sacramentum debitè recipientis clariſſimè variis in locis tradit. Omittam pulcherrimam hiſtoriam Eliæ, & Eliſei, quam, ſicut & Chryſoſtomus, ut proximè vidimus, declarat figuram fuiſſe illius quod accidit in hoc Sacramento, in quo Chriſtus Dominus duplicem ſuum ſpiritum nobis communicat, quo poſſimus dicere nos jam non vivere propter nos, ſed in nobis vivere Chriſtum, (13) & tranſeo ad alia ejuſdem Venerabilis Patris teſtimonia. Et in primis afferam illud in quo hæc tradit: (14) *Viſitationem eam conſiderabis, quam Sanctiſſimi hujus Domini anima fecit ad animas Sanctorum Patrum, qui detinebantur in Lymbo. De quo dicit Scriptura Divina: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes; & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Qua viſitatione Lymbum illum in Paradiſum convertit: remunerans præteritos ſervorum ſuorum labores, clara divinitatis ipſius viſitatione. Hunc in modum hujus Domini anima noſtram in Sacra Communione viſitat, & cor, quod erat inſtar Lymbi, in imaginem convertis Paradiſi: explens illud, quod promiſerat per Iſajam dicens: tunc delectaberis ſuper Domino, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui: ipſemet, ſcilicet Chriſto, qui eſt electorum hæreditas; ut incipias in ipſa terra cibum illum delibare, quem tibi præparatum habet in Cælo*.

104. Ubi eſt obſervatione dignum, quod quemadmodum anima Chriſti Perſonæ Divini Verbi unita fuit in Lymbo, ut in Paradiſum illum converteret, & animas ibi detentas illuminaret. Sic ait Animam Chriſti nos viſitare, ut animam noſtram in Paradiſum convertat. *Hunc in modum hujus Domini anima noſtram in ſacra communione viſitat, & cor, quod erat inſtar Lymbi in imaginem convertit Paradiſi*. Et qnidem non tranſitoriè, ſed per modum hæreditatis, quæ incipiat in terra, & conſumetur in Patria, ut cum verbis Iſaiæ concludit. (15) Et alibi in majorem confirmationem addit: *Ipſius enim Domini illud eſt verbum: ſiquis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum; & qui manducat meam carnem jam habet vitam æternam; quam non auferet tibi ſi perſeveraveris, ſed & auxilium dabit ad perſeverandum. Et infra & quis diviſionem faciet inter cibum ſumptum, & eum qui ſumpſit, poſtquam ex utroque factum eſt unum? Si igitur Chriſtus in ſacra communione me fecit unum ſecum; quis nos ab invicem ſeparabit?*

105. Aliud non minus præclarum afferam ipſius teſtimonium. Ait enim alibi: (16) *Hinc perges ad ſanctiſſimæ hujus animæ voluntatem intuendam ejuſque Sanctitatis, & virtutum theſauros: nam ejus cor inſtar eſt fornacis accenſiſſimæ, in qua ardet amore Dei, & proximorum, tuique ipſius inter reliquos. Pari vero*

(7) *Idem opuſc. 58. cap. 29*

(8) *D. Lauren Juſtin. lib. de recond. Divini amoris.*

(9) *Bellarm. de Scriptorib. Eccl. ad ann. 1130.*

(10) *Joann. c. 17. v. 21.*

(11) *Alger de Sacram. l. 1. cap. 3. ad med. extat in Biblioth. SS. Patrum.*

(12) *Idem lib. 2. c. 8. ad finem.*

(13) *V. Ludov. de Ponte de Chriſtiani homin. perfect. tract. 4. de Euchar. c. 4. §. 4. Extraduct. latina P. Melchior. Trivinni Soc. Jeſu.*

(14) *Idem ib. cap. 5. §. 1.*

(15) *Idem ib. c. 7. §. 3.*

(16) *Idem ib. c. 3. conſider. 4.*

ra paſſu cum Charitate reliquæ virtutes pergunt in ſumma excellentia : ſunt enim exemplar, eu quo homines diſcere deveant, ipſeque poteſtatem babet eas inter nos diſtribuendi. Et ob banc præcipue cauſam venit ipſe ad Sacramentum. Nam quemadmodum eibus eum comedenti conjunctus, qualitates ei ſuas impartitur: ita Chriſtus Dominus noſter in communione animam ſuam cum juſti anima per charitatis intimam unitionem conjungit, ſuoſque divinat virtutes ita ei impertit, ut eu utraque voluntata una fiat, & unum ex utroque corde. Mirificè locum hic habeat, quod Scriptura divina dicit : quod anima Jonathæ conglutinota fuerit animæ David, & dilexerit eum Jonathas quaſi animam ſuam, & ſpoliaverit ſe Jonathas tunica ſua, qua erat indutus, & dederit eam David, & reliqua veſtimenta ſua uſque ad gladium, & arcum ſuum, & uſque ad Baltheum, quemadmodum ſupra retalimus. O Anima Jeſu Sanctiſſima conjungere meæ, eamque pretioſa tuæ gratię tunica, & præclaris virtutum tuarum veſtimentis, donorumque cæleſtium armis indue, ut uterque ſimus cor unum, & anima una, ſiquidem tu es anima meæ animę, vitęque vita, per quam ego ſum, & vivo, ex tunc dicam cum Apoſtolo : vivam jam non ego, quia vivis in me Chriſtus.

106. Et licet exprimat per charitatis intimam unionem animam Chriſti conjungi cum anima noſtra, hoc non excludit realem utriuſque animæ unionem, quam ſignificat per illa verba : *Quemadmodum eibus cum comedente conjunctus qualitates ei ſuas impertitur ita Chriſtus Dominus &c.* Quod nonniſi per unionem realem fit, quam non ſolum unio charitatis non excludit, ſed poſitivè illam ita exigit, ut ſine præcedenti unione charitatis, hæc animarum realis unio fieri non poſſet, ſicut ſine prævio naturali calore ſubſtantia cibi phyſicè non uniretur, nec tranſiret in ſubſtantiam corporis. Unde ſicut calori naturali tribuimus, quod cibus nobiſcum incorporetur, ſic charitati Venerabilis Auctor tribuit hanc unionem, & conglutinationem animarum. Præterquamquod nihil obſtaret, quod hanc noſtram realem unionem non agnoviſſet, dummodo permanentem hanc animarum unionem, ut vidimus admittat, quando aliunde ex Patribus demonſtratum habemus hanc unionem non ſolum myſticam, ſed & realem eſſe debere, ut vidimus per totum §. 4. & paſſim per ſubſequentes.

(17) *Joann. cap. 17. v. 22. & 23.*

(18) *Tolet ad hunc locum in comment.*

107. Cardinalis Toletus ſimiliter concordat cum eadem doctrina. Declarans enim illa verba Chriſti Domini (17) *Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus : Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſumati in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti*; ad quæ verba ſic ait (18) *Claritas hæc eſt divinitas ipſius Filii, quam ut homo dicit ſe accepiſſe à Patre per unionem hypoſtaticam; hancque divinitatem unitam carni ſuę dedit nobis Chriſtus in Sacramento, quod tunc quando hęc loquebatur jam inſtituerat, diſcipuliſque communicaverat, pro ſuiſque fidelibus reliquerat*, & proſequitur ad illa verba : *ego in eis, & tu in me*, & ait : *habent ergo credentes in ſe, & carnem Chriſti, & per eam divinitatem in ſe, fiuntque unum; & quandam habent unitatem per Chriſtum ratione carnis ſuę, & ſic conſumantur in unum, ideſt, fiunt unum perfectè, dum non ſolum uniuntur inter ſe, & cum Deo, quantum ad animas, quod fit per Spiritum Sanctum, ſed etiam quantum ad corpora ipſa.* Et idem repetit Cornelius cum eadem expreſſione unitatis animarum ſub iiſdem terminis. (19)

(19) *Cornel. hic ad v. 23.*

108. Nec ex hoc quod Cardinalis, dicat hanc unionem animæ Chriſti, cum anima noſtra fieri per Spiritum Sanctum, intelligere debemus unionem realem non fuiſſe; quandoquidem etiam unio Divini Verbi cum humanitate noſtra in Incarnatione facta fuit per Spiritum Sanctum, quin ex hoc inferri valeat, unionem realem non interveniſſe, qualis fuit hypoſtatica. Nec aliter intelligi poterat, quando ipſe Cardinalis Toletus declarans illa verba verſiculi præcedentis : *Sicut tu Pater in me, & Ego in te ut & ipſi in nobis unum ſint*, vocat hanc unionem, & permanentiam Chriſti in nobis realem, quandoquidem diſtinguens cum Cyrillo, & Hilario unionem, & unitatem; quam fideles omnes inter ſe per gratiam habent ab unione, quam per Sacramentum habemus cum Chriſto cum iiſdem PP. ait : *Ratione autem hujus unitatis major eſt ſimilitudo cum unitate Patris, & Filii, per hanc enim carnem, & ſanguinem Chriſtus realiter in nobis, & nos in ipſo, ut dictum eſt in cap. 6. manemus.* Ut num. 85. dedimus. Ex quo patet illis verbis *per Spiritum Sanctum* non excluſiſſe hanc realem unionem, alioquin non procederet cum Hilario, & Cyrillo.

(20) *Salmer.*

109. Sapientiſſimus P. Salmeron unus ex primis S. Ignatii ſociis, & qui adhuc juvenis ſua mira ſapientia tanquam Theologus Sacro Concilio Tridentino interfuit, in idem etiam concordat; declarans enim illa verba : *In me manet, & Ego in illo*, ſic ait : [20] *Et Ego in illo per ſpiritum, quem Ego im-*

pertio:

pertio: ideo beſpes ejus fio. Et quia à ſpiritu Chriſti ſunt actiones, Chriſtuſque vivit in eo, vivere per hunc cibum dicitur homo. Ubi per ſpiritum aliud, quam anima Chriſti intelligi non poteſt, cum idem ſpiritum dicat nobis communicari, cujus ſunt Chriſti actiones, quoque ipſe vivit. Quod amplius ibidem declarat exponens illa verba: ipſe vivet propter me, dum ait: *Qui manducat me, vivet propter me, quia me, qui vita ſum in quantum Deus, & vivificator, ſeu carnem vivificatricem habens ut homo, in ſe ſuſcipiet; & idcirca vitam æternam, & divinam habebit. Et revera ut Cyrillus explicat, potius accipiendum eſt hoc de vita, quam acceperat ſecundum Humanitatem, quæ deitati erat conjuncta in perſonæ unitatem, præter vitam, quam corporalem habuit ab anima, & præter vitam divinitatis. Ideo enim præmiſit: ſicut miſit me vivens Pater;* & ſubdit: *Et Ego vivo propter Patrem. Unde miſſio viventis Patris cauſa eſt, quare ipſe miſſus, hoc eſt, homo factus, vivat propter Patrem: ſicut in ſequenti particula manducationem ſui ſignificat eſſe cauſam, cur quis vivat propter ipſum.* Et infra: *Illuſtremus hoc aliquo exemplo: ſicut oleaſter pingui olivæ inſitus, eodem ſucco vitali alitur quo oliva, & poteſt dici olivaſter vivere: ita vos mihi inſiti per manducationem ſpiritualem in Sacramento, eandem, quam ego vivo vitam, vivetis, & per me vitam habere dicemini.*

in Evangelic. h florum tom. 8 tract 26. ad medium.

210. Ubi conſequenter ad ſupra allatas horum verborum PP. expoſitiones, nedum declarat hanc ſuæ animæ, & vitæ participationem, media qua de vita divina participamus, verum & exemplo inſertionis exprimit etiam hujus Chriſti Domini permanentiam in anima ſecundum utramque ſuam vitam humanam, & divinam; ejuſque perpetuitatem, cum inſertio ad hunc finem fiat, ut arbor perpetuo, quantum eſt ex intentione, & deſiderio inſerentis, furculum, ſeu germen in ſe retineat, & ſic perpetuò in eo transformata, & nobilitata maneat. Quod alio exemplo ibidem paulo antea declaraverat, quo hanc Chriſti in nobis permanentiam ſecundum utramque ſuam vitam poſt conſumptas ſpecies mirè declarat; ait enim Euchariſtiam eſſe velut magnetem participantem à Divino Verbo virtutem ad ſe animas trahendi, & ait. *Caro enim & ſanguis, ideſt tota humanitas, ut magnes quidam eſt; divinitas tamen, ut virtus magnetis, qua nos ut ferrum trahit. In lapide enim, ideſt, in homine illo, allata eſt nobis divina virtus: ſi ei lapidi jungimur, jam divina, qua tracti ſumus virtute continebimur, & tandiu, quamdiù illa virtus valet, vigetque; at vis divina æterna eſt, in æternum igitur ſine viciſſitudinis mutatione permanebimus, niſi recedere ſponte voluerimus. Huic etiam lapidi juncti, licet corpus auferatur, idem nobis redibit ſpectabile ab eo, qui nos manducantes reſuſcitare promiſit in noviſſimo die.* Obſervetur illud: *huic enim lapidi juncti; licet corpus auferatur idem nobis redibit*, in quo tota hæc doctrina ſiſtit.

ſ. XII.

Idem demonſtratur à ratione in Theologia, & Sacra etiam Scriptura fundata, & primò ex eo titulo, quod Euchariſtia extenſio Incarnationis à Patribus, & Theologis vocatur.

211. Accedendo jam ad tertiam claſſem probationis; à ratione nimirum in vera Theologia fundata, & ex Sacra Scriptura deſumpta, qua Eminentiſſimus probare nititur ſuam concluſionem. Præcipuam, & quidem ſatis efficacem deſumit, ex eo, quod Euchariſtia à Patribus, & Theologis *extenſio Incarnationis* vocatur, pro quo affert, Chryſoſtomum, qui ait; *Quo certe* [myſterio Euchariſtiæ] *non ſolum Incarnationem extendit, ſed etiam ſuam mortem.* Et Præceptorem Angelicum, Auguſtinum, Hyeronimum, Juſtinum, Fulgentium, Cyrillum Hyeroſolimitanum, Salmeronem &c. quibus adjungere poſſumus Areopagitam, Hilarium, Cyrillum, Albertum Magnum, & Turrecrematam, ut ſupra vidimus, Et Vener. Ludovicum à Ponte, qui ait: [1] *Ut Sanctus Thomas perpendit; non decebat Dei Majeſtatem perſonaliter ſe unire cum ſingulis, quemadmodum cum humanitate Chriſti ſeſe univit: nec ejus charitas continere ſe potuit, ut ſolus unus homo, tanto illo bono frueretur, niſi etiam ad cæteros aliquo modo derivaretur. At hoc igitur cæleſtem hanc viam, & conſilium invenit, ut Deus, & homo ſub forma cibi ſe collocaret: quoad ſingulos illi pateret aditus, & per hoc Sacramentum ſingulis ſe conjungeret.* Et alios multos Patres, qui vocibus æquivalentibus idem dicunt, quos

(1) *V. Ludovic. à Ponte de Chriſt. hom. perfect. trac. 4. cap. 1. §. 3.*

infra

(2) D. Thom. 3. p. q. 50. art. 1. in corp. Suarez de Incarnation. diſp. 17. ſect. 4.

infra dabimus. Et ex hoc deducit, quod docentibus D. Thoma, Suarez [2] & communiter Theologis, quod Verbum Divinum aſſumpſit oaturam noſtram media anima, hæc exteuſio debet fieri ſimilitudinario modo, itaut Chriſtus nos media ſua anima aſſumat. Quandoquidem ipſe Chriſtus eſt, qui nos aſſumit, aſſumente nos Verbo Divino animæ ſuæ unito, & ipſe qui in Sacramento nobis communicatur, & qui vult nobis retribuere id ipſum, quod de noſtro aſſumpſit, ut ſic per eum vivere poſſimus, & qui non utcumque oos aſſumit, ſed ad perpetuò nos ſecum ex iotentione ſua uniendum, & poſſidendum.

112. Quod optime Salvator Noſter declaravit illis toties laudatis verbis: *In me manet, & Ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; Quippe cum Chriſtus Dominus viderit, quod licet per ſuam Incarnationem mauebat in homine, & homo in eo, hoc tamen erat tantummodò ſecundum uuum individuum ex tota natura hominum, hoc non ſufferens pro ſuo amore, & volens omoes homines in ſe habere, & ab omnibus omni poſſibili modo, qui ſuam Incarnationem imitaretur, haberi, hoc Sacramentum inſtituit, ut per illud hoc omne conſequi poſſemus, ut ita unuſquiſque noſtrum manendo in eo, poſſet de vita ejus per hanc extenſionem in Sacramento communicatam vivere, ſicut ille per ſuam Incarnationem de vita Patris ſui vivebat, quod bene declaravit B. Albertus Magnus per illa verba. [3] *Hoc vitæ nutrimentum cibus eſt, in quo Pater fluit vitam in Filium, & Filius habens vitam in ſemetipſo fluit vitam in Sacramentum, Sacramentum autem fluit vitam in nos.*

(3) B. Albert. Mag. de Euchar. diſt. 3. tract. 1. c. 5. n. 3. tom. 21.

113. Et finis in hac tam ſingulari demonſtratione amoris retribuendi nobis in cibum converſum idipſum, quod de noſtro aſſumpſit, nedum fuit, ut de vita ejus viveremus, ſed ut ait Rupertus, ut ſic per hujus Divini cibi manducationem idipſum acquirere poſſemus, quod per fallacem Diaboli perſuaſionem in vetito illo alio Paradiſi cibo deſiderabamus, & ſic merendo, Dii fieri eſſe valeremus, quando etiam ſimilitudinem ejus perdideramus. Audiamus ejus ingenioſa verba: (4) *Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet, & ego in eo; hic perſpicuè Divinitatem pollicetur carnem ſuam manducantibus, & ſanguinem ſuum bibentibus, & illuſionem nequiſſimi nebulonis, qui dixit, comedite, & eritis ſicut Dii non ſine magna cruciatu ejuſdem illuſoris, ſerio loquens, in verum effectum convertit. Quid enim nobis in hoc dicto hic Dei Filius unicus pollicitus eſt, niſi ac ſi apertè dixiſſet, Dii eritis, & Filii excelſi omnes? Et notandum, quod non eiſdem verbis deceptoris uſus eſt dicentis eritis ſicut Dii, nec omnino ſic dicere debuit, qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum erit ſicut Deus, vel erit ſimilis Altiſſimo, ſed in me manet, inquit, & ego in eo.*

(4) Rupert. ad cap. 6. Joan. v. 57.

114. Quod brevioribus verbis expreſſit Chryſoſtomus (5) *manduca me, bibe me, & te ſurſum habeo, & deorſum tibi connector, non ſatis eſt tibi, quod tui primitias ſurſum habeo* (per Incarnationem) *hoc non tuum ſatiat deſiderium* (Deitatis) *& deorſum rurſus deſcendi* (per Sacramentum) *nec ſimpliciter tibi commiſceor, ſed connector*. Et alibi exprimit, quomodo ad hunc finem voluit nobis retribuere, quod de noſtro aſſumpſerat, dum ait: (6) *per quæ vobis conjunctus ſum, ea rurſus vobis exibui*. Et alibi (7) *unicuique fidelium ſemetipſum per myſterium commiſcet, & quos genuit per ſemetipſum nutrit, nec alteri tradit, & hoc tibi perſuadens, quod carnem tuam aſſumpſit*. Quæ omnia conformiter procedunt ad ea, quæ Angelicus Præceptor in lectionibus feſti Corporis Chriſti nobis tradit, dum ait: (8) *Unigenitus ſiquidem Dei Filius Divinitatis ſuæ volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret, factus homo, & hoc inſuper, quod de noſtra aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem*: in quo S. Doctor exprimit, & Incarnationis extenſionem per Sacramentum, ſicut & Chryſoſtomus, & quod hæc extenſio fuit per idipſum, quod de noſtro aſſumpſit; quod profectò in ſola anima, quæ unice conſumptis ſpeciebus remanere poteſt unita Perſonæ Divini Verbi, verificari valet, & conſequenter per illam, & cum illa hæc noſtra ſecunda aſſumptio per ipſum Verbum fieri.

(5) D. Chryſoſt. hom. 15. ad Popul. in fin.

(6) Idem ho. 41. in Joan. aliquantò longè à fin.

(7) Idem ho. 60. ad Popul. non longè ab initio.

(8) D. Thom. opuſc. 57.

115. Porrò modum hujus ſecundæ noſtræ aſſumptionis per Divinum Verbum in Sacramento voluit Apoſtolus Jacobus nobis exprimere io illis verbis: (9) *Suſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſalvare animas*. Quod de Euchariſtia Divus Dionyſius Areopagita intelligit, qui Euchariſtiam vocat (10) *Inſitionem ſpiritualem Chriſti in nobis*. Et videri poteſt Theophilus Rainaudus, & Mendoza, (11) & Divus Cyprianus, qui ait: (12) *ſpirituali tranſitione Chriſto nos uniri*, & Angelicus Præceptor dicens: (13) *Hæc eſt enim proprietas ſurculi bonæ arboris, ſi trunco inſeratur ſylveſtri, quod naturali virtute prævalent,*

(9) Jacob. c. 1. v. 21.

(10) D. Dioniſ. Areopag. de Eccleſ. Hierar. c. 3.

(11) Theophil. Rainau. de ap-

illius

illius amaritudinem in ſuam dulcedinem, in nobilitatem convertit, & ſimilem ſibi bonum fructum proferre facit. Sic Corpus Chriſti nobis inſitum defectus noſtros evacuat, & in ſuam nos bonitatem trahit, ut quales ipſe frondes, flores & fructus Juſtitiæ facit, tales, & nos per eum faciamus.

116. Nam ut ait Cornelius hanc eamdem intelligentiam ſequens: (14) *in ea Chriſtus nobis noſtroque ſtomacho, & menti realiter, & ſubſtantialiter inſeritur, & quaſi inoculatur, ſed ita, ut nos potius convertat in ſe, quam ipſe convertatur in noſtram ſubſtantiam, & qualitatem, ut ait S. Auguſtinus.* Itaque Sanctus Leo Papa ajebat Sacramentum nobis dari (15) *ut in id, quod ſumimus tranſeamus.* Et Divus Gregorius Nazianzenus (16) *nobis comedendum proponit, ut eum ipſum acciperemus, id fiamus, quod ipſe eſt.* Et hoc erat, quod in ſe expertus fuit Apoſtolus, quando aiebat (17) *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Quæ omnia mire explicant, & declarant realem hanc, & ſpiritualem inſitionem, quam & ipſe Chriſtus per illa verba: *In me manet, & ego in illo* ſatis exprimit, ut B. Albertus Magnus declarat, qui ait (18) *in me manet, & ego in illo, in me inquiens manet extra ſe tranſpoſitus, & in ipſo maneo tranſpoſitus extra meipſum.*

117. Quomodo fiat hæc inſitio reſtat indagandum, ut ex eo magis clareſcat vis argumenti ex hac extenſione deſumpti. Et certè nemo melius declarare hoc poterit, quam ipſe Chriſtus Dominus. Nobis profecto illud declarat in illis verbis: *ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me*, ubi duplicem inſitionem exprimit, & illam ſuæ Incarnationis, quæ fuit prima inſitio in illis verbis: *ſicut miſit me vivens Pater*, qua inſitione Verbum Divinum noſtræ humanitati tamquam arbori veluti infructiferæ, & ſylveſtri inſitum per unionem hypoſtaticam fuit; de quo videri poteſt Theophilus Rainaudus, & Cornelius, (19) & ſecundam etiam inſitionem ſignificatam in illis: *& ipſe vivet propter me*: quæ fit per medullam, ſeu ſurculum illius primæ individuæ noſtræ naturæ jam transformatæ, quæ eſt Chriſtus, qui in iis omnibus individuis inſeritur, qui illum per Sacramentum recipiunt.

118. Quas duas inſitiones mirè declaravit S. Thomas, qui adducens illa verba Ezechielis (20) *Sumam de medulla cedri ſublimis, & ponam de vertice ramorum, & plantabo in montem excelſum, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam*, ait: (21) *Cedrus ſublimis eſt Deus Pater, rami eminentiores antiqui Patres, vertex ramorum Beata Virgo, medulla Cedri æterna Dei ſapientia, pars de ramorum vertice caro ſumpta de Virgine. Spiritus ergò Sanctus medullam cedri, & partem de ſummo ramo ſumpſit, quia Chriſtus Incarnationem fecit, & hunc quaſi ſurculum nobiliſſimum plantat in montem excelſum; cum fidelibus à terrenis deſideriis ad cæleſtia elevatis, Dominici Corporis tribuit Sacramentum: hinc fructus erupit, quia cor fidele propria amaritudine relicta vitiorum, virtute Corporis Domini ſimiles Chriſto ſpirituales frondes, flores fructus virtutum, & bonorum operum facit. Hinc dictum eſt Auguſtino: cibus ſum grandium.* Et concludit *Galat* 2. *vivo ego jam non ego* exemplum in Paulo de hac inſertione nobis offerens. Huc uſque Div. Thomas. Et incæpta illa verba, quæ affert Divi Auguſtini, ſunt illa, quæ ab ipſo Domino audivit: (22) *Creſce, & manduca, nec ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me.* Quo hanc inſitionem benè expreſſit, quandoquidem per eam medulla, ſeu ſurculus arbori inſitus non mutatur in arboris naturam, ſed arbor in naturam medullæ, ſeu rami inſiti convertitur.

119. Ex quibus omnibus vim argumenti ab extenſione Incarnationis deſumpti ſatis in aperto poſitam habemus. Namque ſi hæc ſecunda inſitio aliter ſe habuit, ac prima fuerit ex ſolo Divino Verbo, tanquam medulla naturæ humanæ inſito, ex quibus duabus naturis unus Chriſtus reſultavit, quemadmodum arbor una coaleſcit ex trunco, & ex medulla illi inſita; & ſecunda inſitio ſit ex ipſo Chriſto, ex quo tamquam ex arbore jam inſita, & nobilitata inſertione Divini Verbi nobis per Sacramentum inſeritur ſurculus, aut germen de utraque natura participans; & ex hoc neceſſario reſultat, quod ſicut ramus, ſeu ſurculus, qui ex arbore, quæ in arborem nobiliorem inſita jam erat, ſumitur, ad aliam arborem nobilitandam, nedum ſecum portat naturam medullæ, ſeu ſurculi cum ejus nobiliori vita, in quo fuit inſita, ſed & ipſius arboris, ſecundum id, quod in radice, & in trunco antea erat, & ex cujus naturali vita tota arbor etiam poſt ſui inſertionem vivebat. Ita pariter in hac inſertione in nobis per Sacramentum facta, opus eſt, quod divinus hic ſurculus, qui in nobis inſeritur, & ex Chriſto, tamquam ex arbore jam inſita per medullam Divini Verbi ſumitur, de utraque natura, & vita participet; & de natura, & vita medullæ, quæ eſt ip-

paritionem. Euchar. Candel. Sanctor verb. inſitum tom. 6. fol. 160. Mendoza ad c. 6. lib. 1. Reg. annot. 22. ſect. 1

(12) *D. Cyprian. ferm. de Cœn. Dom. vel qui eſt auctor.*

(13) *D. Tho. opuſc. 58. de Sacram. c. 20.*

(14) *Cornel. ad hunc locum.*

(15) *D. Leo Papa ſerm. 15. de Paſſione.*

(16) *D. Gregor. Nazian.*

(17) *Paul. ad Galat. cap. 2. verſ. 20.*

(18) *Albert. Mag. de Euchariſt. diſt. 2. tract. 3. cap. 2.*

(19) *Theoph. de Chriſto Deo, & hom. lib. 2. c. 7 per tot. 10. 1 Cornel. ad c. 1. Jacob v. 21.*

(20) *Ezech. c. 17. v. 22.*

(21) *D. Tho. opuſc. 58. de Sacram. c. 20.*

(22) *D. Auguſt. lib. Confeſſ. 7. cap. 10.*

Digitized by Google

ſum Divinum Verbum, & de natura, & vita ipſius humanitatis, quæ eſt velut arbor, in qua Verbum inſitum fuit. Hacque ratione Div. Ambroſius ait: (23) *Dominus Jeſus conſors eſt Divinitatis, & corporis, & tu, qui accipis carnem ejus, Divinæ ejus ſubſtantiæ in illa participas alimento*: & idem repetit Div. Thomas (24) Et B. Albertus Magnus loquens de hac inſertione in metaphora inſertionis olivæ, de qua loquitur Apoſtolus ad Romanos ait: (25) *Inſertus eſt in bonam olivam, & ſocius radicis, & pinguedinis olivæ factus, quia omnia bona, quæ fiunt à Chriſto, taliter uniti percipiant.*

(23) *D. Ambroſ. lib. 6. de Sacramentis cap 1. tom. 2.*
(24) *D. Tho. opuſc. 58. cap. 5*
(25) *B. Albert. Mag. de Euchar. diſt. 3. tract. 1. c. 5. n. 6 tom. 21.*

120. Et cum vita humanitatis Chriſti Domini ſit radix, & pinguedo ſit anima, & vita medullæ, in quam transformata fuit, ſit Perſona Verbi Divini, operæ pretium eſt, quod hæc noſtra inſertio fiat per ſurculum, ſeu germen, quod de utraque natura participet, & utramque vitam ſecum portet, & Divinam, & Humanam; Divinam, ut in eam transformemur, & de ea vivere poſſimus; humanam, ut ſuſtineri hæc Divina poſſit, & Verbum inſitum nobiſcum conglutinari (ut phraſi utar S. Joannis Chryſoſtomi), qui ait, quod in Sacramento Chriſtus (26) *Nos alit, & ſibi conjungit, atque conglutinat.* Qua etiam phraſi cum Hieremia uſus eſt Div. Thomas, dum de hoc Sacramento loquens, ait: (27) *Hieremiæ 13. Agglutinavi mihi omnem domum Iſrael, dicit Dominus: ideſt inſeparabiliter mihi univi totam hominis naturam, ſcilicet animam, Corpus, & Sanguinem.* Quandoquidem germen, ſeu ramus, etſi nobiliſſimus ſit in ſe, ſi vitam ſuæ radicis, etſi ſylveſtris non contineret; minimè nobis uniri, nec conglutinari poſſet, ut experientia de eo docemur. Unde vel neganda erat extenſio Incarnationis, quæ per hoc Sacramentum fit, in quo Chriſtus nos aſſumit, uniformi conſenſu ab Eccleſiæ Patribus, & Theologis admiſſa, & in Evangelio fundata, ac negandus conſequenter modus, quo hæc extenſio, & aſſumptio per præfatam inſertionem fit, vel admitti neceſſario debet, quod eam operatur Divinum Verbum, media ſua anima.

(26) *D. Chryſ. hom. 83. in Matth.*
(27) *D. Thomas opuſc. 58. cap. 27.*

121. Præſertim quandò independenter à neceſſitate naturæ inſertionis, quæ participationem utriuſque vitæ in ſurculo, ſeu ramo exigit, in vera Theologia via nulla ſalvari poteſt, quod Verbum Divinum maneat in anima per Sacramentum ſpeciali modo diſtincto ab eo, quo antea erat per gratiam, nec quod illi uniatur, nec quod adhuc manere poſſet, & nobiſcum uniri Chriſtus, ut verba ſua ſignificant, ſi hoc media anima non fiat, ut ex Angelico Præceptore, Div. Bonaventura, & Theologorum conſenſu vidimus à numero 62. uſque ad 67.

§. XIII.

Corroboratur eadem doctrina alia ratione deſumpta à maximo Chriſti erga nos amore.

122. ALIA ratio non minus efficax, deſumpta ex ſummo Chriſti erga nos amore, adduci poteſt in concluſionis comprobationem, quæ deducitur ex illis verbis Joannis: (1) *Sciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, & infra: *Sciens Jeſus quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit &c.* Et ex illis in quibus Chriſtus rogabat Patrem dicens: (2) *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, & credat mundus, quia tu me miſiſti.* Et ex illis S. Concilii Tridentini (3) *Salvator noſter diſceſſurus de hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias Divini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum.* Namque ſi Evangeliſta per illa verba *in finem dilexit eos*, voluit nobis ſignificare ultimum extremum, ad quod amor Salvatoris noſtri erga nos ſe extendit, ut ex Patribus ait Cornelius: (4) *Ultimum extremum, & ſummum, ſumma perfectio, exitus, conſummatio, apex, & culmen*, itaut poſſimus eum vocare *non plus ultra amoris*. Si in illis verbis S. Concilii edocemur, hunc ſummum, & ardentiſſimum Chriſti amorem, ejuſque magnitudinem maximè illuxiſſe in inſtitutione hujus Sacramenti (quo tempore allata verba fuerunt ab eo dicta) in quo ejus amoris divitiæ velut effuſæ erga nos fuerunt: ſi in illis verbis, in quibus rogabat Patrem, ut homines unum cum illo efficerentur, ſicut ipſe unum cum illo erat, manifeſtabat vehementiſſimum deſiderium, quo afficiebatur, ut per Sacramentum hanc intimam unionem, & unitatem omnes conſequi poſſemus.

(1) *Joan. c. 13 v. 1. & 3.*
(2) *Idem c. 17 v. 21.*
(3) *S. Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2.*
(4) *Cornel. ad hunc locum.*

123. Si Divus Thomas, ut in officio Corporis Chriſti habemus, hunc amo-

rem

rem in inſtitutione hujus Sacramenti vocat immenſum, & inſtitutionem ipſam miraculorum maximum (5) *Unde, ut arctius charitatis hujus immenſitas, fidelium cordibus infigeretur, in ultima Cœna, quando Paſcha cum Diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam Paſſionis ſuæ memoriale perenne figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipſo factorum maximum, & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare*. Si idem Evangeliſta nedum exprimit hunc immenſum, & inexplicabilem amorem, verùm & obſervat, quod præ oculis Chriſtus Dominus habuit, quando Sacramentum inſtituit, quod erat omnipotens, & à Patre pro hominibus miſſus, *ſciens quia omnia dedit Pater in manus, & quia à Deo exivit &c.* Si S. Concilium Tridentinum haud ſolum declarat ejus in ipſum Sacramentum amoris velut effuſionem, ſed etiam obſervat præſentia Chriſtum habuiſſe mirabilia ſuæ omnipotentiæ, *memoriam fecit mirabilium ſuorum*.

(5) *D. Thom. opuſc. 57. ut in Officio.*

124. Si ipſemet Salvator tam vehemens deſiderium hujus perfectæ unitatis habuit, & quod, in quantum poſſibile ſit, æquet unitatem, quam habet cum Patre, quod illum quaſi arguit de neceſſitate dicens: *Ut credat mundus, quia tu me miſiſti*. Si D. Thomas hunc amorem non ſolum vocat *immenſum*, quia ſic illum volebat ad omnes extendere, ſed & inſtitutionem ipſam *miraculorum maximum*: quomodò ex tot circumſtantiarum apparatu, ex tot Evangeliſtæ ponderationibus, ex tot Chriſti Domini demoſtrationibus, ex amore tam exceſſivo, ex ſpeciali memoria de ſua omnipotentia credere poſſumus totum hoc non ad alium finem tetendiſſe, niſi ut omnes per Sacramentum, in quo totum ſe nobis dabat ſecundum corpus, ſecundum animam, & ſecundum divinitatem, eam ſolam myſticam unitatem per gratiam, & charitatem cum illo haberemus, quam per reliqua Sacramenta nobis meruerat, & communicaverat? Quam ſimilitudinem hæc unio haberet cum illa, quam habet cum Patre, quando illa eſt realis ſubſtantialis identitatis, ſi hæc ut minimum non eſſet unio realis quaſi ſubſtantialis? fatendum eſt ergò Chriſtum Dominum aliam majorem, & perfectiorem unionem intendiſſe, voluiſſeque per hoc Sacramentum ita intimè, & realiter nobiſcum uniri, ut poſſimus in animabus noſtris illum perpetuo etiam cum anima ſua habere, ſi à nobis non deſeratur. Alioquin de facili intelligi non poſſet; quod hic ejus amor in inſtitutione oſtenſus ad culmen, & extremum ultimum pervenerit, ſi hoc ad quod extendi poterat, ſua utens omnipotentia non extenderetur.

125. Præſertim quando amor ex natura ſua hoc exigit, nam ut ait D. Dionyſius Areopagita: (6) *Amor quilibet eſt virtus unitiva*; quamobrem Auguſtinus dicebat: (7) *Benè quidam dixit de amico ſuo eſſe dimidium animæ ſuæ, &* alibi: (8) *amor eſt quaſi junctura quædam, aliqua duo copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, per quod amatur*. Quæ verba, à D. Thoma laudata, ſic declarantur, & exponuntur: [9] *Quod dicit copulans, refertur ad unionem affectus, ſine qua non eſt amor, quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem*; & infra in reſponſione ad ſecundum: *Ut enim Philoſophus dicit 2. Polit. Ariſtophanes dixit, quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri unum*. Ex quo deducitur, quod ſi amor per ſe appetit unionem realem inter amantem, & amatum, itaut ſi eſſet poſſibile, vellent realiter unum ex utroque fieri, & neceſſariò ex hoc ſequatur, quod quanto major amor fuerit, tanto magis hanc realem unionem appetent; cum amor Chriſti Domini in inſtitutione hujus Sacramenti oſtenſus ex Evangelio, ex Sacro Concilio, & Divo Thoma, & ex communi omnium PP. conſenſu fuerit adeò vehemens, grandis, immenſus, ac ad culmen, & ultimum extremum, & conſummationem perveniens, ut major excogitari non poſſit; & inſuper oſtenſum ejus deſiderium manifeſtè apparet fuiſſe de alia perfectiori, ſpeciali, & intimiori unione per hoc Sacramentum ſupra eam, quam per alia Sacramenta nobis meruerat, & per bona opera conſequi poteramus, gratiæ, & charitatis; opus eſt, ut vehementiori conatu appeteret hanc realem unionem cum anima fidelium, quæ dignè ad eam aſſequendam ſeſe diſponerent, ut ſic nihil illius omitteret, quod ab amore exigitur; ut optimè cum D. Chryſoſtomo, & Euthimio concludit Cardinalis Toletus: (10) *Attendendum rurſus illud in finem dilexit eos Euthimium, & Chryſoſtomum locis citatis exponere, vehementer dilexit eos: ac ſi dicat, nihil omiſit, quod vehementer amantem deceret. Cum eos enim relicturus eſſet, vehementiorem dilectionem oſtendit*, & cum eodem ſenſu procedunt Theophilactus, & Salmeron (11).

(6) *D. Dionyſ. de divin. nominib. c. 4.*

(7) *D. Auguſ. lib. 4. confeſ. c. 6. & lib. 2. retract. c. 6.*

(8) *Idem lib. 8. de Trin. c. 10. parum à princ.*

(9) *D. Thom. 1. 2. q. 28. art. 1. in corpore.*

(10) *Card. Tolet. ad cap. 3. Joan. annot. 6.*

(11) *Theophilac. ad hunc locum. Salmeron t. 8. trac. 5. ad hunc locum.*

126. Itaque ex hoc amore hanc realem unionem, & unitatem ad diſtinctionem unionis charitatis Chriſtum Dominum intendiſſe, idem Chryſoſtomus clarè expreſſit, dum ait: (12) *Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus,*

(12) D.Chriſoſt.hom.16.ad Popul.Antioc. in princ.tom 4.

verùm & ipſa re in illam miſceamur carnem , hoc per eſcam efficitur , quam largitus eſt nobis , volens oſtendere deſiderium , quod ergn nos habet . Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit , & corpus ſuum in nos contemperavit , ut unum quid efficiamur tamquàm corpus capiti coaptatum . Ardenter enim amantium hoc eſt . Jam enim ſupra diximus nomine carnis Patres vocare Chriſtum in Euchariſtia contentum, ſicut ipſe Chriſtus in Evangelio modo nomine carnis, modò nomine panis ſe vocat, dicendo: *Caro mea verè eſt cibus &c. Qui manducat meam carnem &c. Niſi manducaveritis carnem meam &c. Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Unde pro eodem habent, *carne ejus miſceri*, ac miſceri Chriſto; quandoquidem hæc mixtio inter carnem, & carnem non fit, ſed inter Chriſtum, & animam media ſumptione carnis.

127. Cum ergò hæc realis unitas, & mixtio Chriſti Domini cum anima noſtra ad diſtinctionem unionis charitatis, aliter fieri non poſſit, quam per ejus animam, ut oſtenſum ſupra manet per totum §. VII. Et aliunde hæc nedum ſit poſſibilis, verum & Chriſtum decens; concludi ex hoc videtur, quod cum ardentiſſimo amori Chriſti Domini ejuſque vehementi deſiderio de majori unitate poſſibili, quam nobiſcum habere intendebat, denegari non poſſit id, quod omni amori ex natura ſua convenit, qui hanc realem unionem, & unitatem cum amato exigit, ſi poſſibilis ſit, & deceat; inficiari conſequenter non debeat, quod vi illius hanc nobiſcum realem unitatem media ſua anima per Sacramentum communicare nobis voluerit, ut amori ſuo plenè ſatisfaceret. Nam ut ait Leſſius: (13) *Amor Dei eſt omnipotens, ac proinde efficax ejus, quod vult: ſicut ſi Rex, qui vult aliquem adoptare eſſet omnipotens, poneret in illo animam ſuam, eumque hoc modo Filium ſuum adoptaret.*

(13) Leſſ. de Perfec. Divin. lib. 12. cap. 11. num. 77.

§. XIV.

Oſtenditur nedum poſſibilem eſſe, verùm & decere hanc animæ Chriſti permanentiam, & unionem.

128. QUOD ergo Chriſto Domino ſit nedum poſſibilis hæc ejus animæ permanentia, & unio in Sacramentum dignè recipiente, verùm & decens, in dubium verti non poteſt; quando vel ex eo, quod fide credimus, manifeſtè oſtendi valet; namque nec repugnat, nec dedecet ex parte Verbi, ut ex myſterio Incarnationis convincitur, & ex omnium Theologorum conſenſu, ſupponentium poſſe Verbum Divinum, ſi vult, corpus etiam aereum ſumere, & illi realiter uniri ad ſe repræſentandum, ut vidimus num. 38. (quidquid ſit de quæſtione, ſi de facto aſſumpſit, nec ne) imo & hypoſtaticè naturæ irrationali uniri. Neque repugnat, nec dedecet ex parte animæ uniri animæ noſtræ, enim verò ſi Divino Verbo non repugnavit, nec indecens fuit animam noſtram in Incarnatione aſſumere, multo minus repugnabit, nec indecens erit animæ ſuæ, quæ infinitè inferior eſt, uniri animæ noſtræ, aliter majus privilegium animæ concederemus, quam Divinitati. Tum etiam quia nec Angelo, nec animæ beatæ repugnare phyſicè, & realiter penetrari inter ſe, tamquam doctrinam communem, tradit Doctor Eximius, qui contra Richardum ait: (1) *Unde mirum eſt quod Richardus ſine ulla probatione dixerit Angelos non poſſe ſeſe penetrare. Nam conſequenter idem dicere debuiſſet de Angelo, & anima rationali, cujus contrarium probatum eſt. & docet Auctor libri de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 83.* Et infra ſatisfaciens aliquibus, qui dicunt, quod hæc unio, & penetratio ſuperflua ſemper eſſet, loquens de Angelo ait: *Poſſe S. Angelum id velle propter finem honeſtum.*

(1) Suarez de Angel. lib. 4. cap. 9. n. 5.

129. Neque repugnat, nec dedecet ex diſſonantia, quæ apparere videtur in eo, quod duæ animæ ſint in eodem corpore, & perpetuò eas homo poſſit ſecum portare. Namque ſi hoc non eſt diſſonum in omnibus fidelibus, qui Sacramentum ſumunt, qui ſaltem ad tempus, quo ſpecies in ſtomacho durant, duas animas ſecum portant, & ſuam, & illam Chriſti Domini, quæ diſſonantia inveniri poteſt in eo, quod perpetuo queat portari cum propria anima Chriſti anima ſuæ divinitati unita, præſertim ab eo, qui ea perfectione polleat, quam Auctor exigit. Hæc ſanè vulgaria ſunt, & difficultates, quæ uti Theologis indiguæ vix excogitari poterunt. Si enim portare perpetuò ſecum animam Chriſti ſuæ divinitati unitam diſſonantiam, & indecentiam argueret, nec ad momentum temporis poterat hoc in juſto ullo admitti.

130. Ne-

130. Neque repugnat, neque dedecet ratione replicationis animæ Chriſti Domini, & ſuperfluæ multiplicationis tot miraculorum, quot fuerint animæ, quibus pet Sacramentum hic effectus communicatur. Nam cum tot fuudamenta ad hanc replicationem ſtatuendam ab Eminentiſſimo exponantur, quæ hanc neceſſitatem probant; inde ex hoc titulo, nec indecens, nec repugnans, nec ſuperflua hæc animæ Chriſti replicatio reputari poteſt, ſicut nec miraculorum multiplicatio. Porro multiplicitas miraculorum in hoc Sacramento utilitatem noſtram reſpicientium deuegari non debet, quando propter noſtram ſalutem in eo tot, tamque magna miracula continuè Chriſtus Dominus operatur, ut vix numerari poſſint. Nam ut ait ſapientiſſimus P. Salmeron: (2) *Eſt enim Euchariſtio compendium quoddam multorum, & admirabilium Chriſti ſignorum, quæ perpetuò in Eccleſia Dei celebrantur, ad illuſtrandam gloriam tantæ charitatis, & ſapientiæ Chriſti; qui ſeipſum & novit, & voluit in animorum noſtrorum alimentum relinquere*. Et alibi tot miracula, quæ in Euchariſtia quotidie patrantur refert, quæ ſi numeranda eſſent ferè in infinitum protenderent. Inquit enim (3) *Si quis rectè perpendat, deprehendet magnam miraculorum multitudinem, & varietatem Dominum in Euchariſtia operari, quibus infinita Dei potentia exeritur. Sunt enim duo corpora ſimul, quod natura non patitur: locatum majus eſt loco: accidentia manent ſine ſubjecto: idem in diverſis ſimul locis collocatur: idem qui eſt in Cœlo ſine motu ullo, incipit eſſe in Sacramento: idem eſt conviva, & cibus*.

(2) *Salmeron. de ſerm. in Cœna Domini trac. 20. tom. 9.*

(3) *Idem ibidem tract. 26.*

131. Hacque ratione D. Chryſoſtomus de his miraculis, quæ in Sacramento Deus operatur dicebat: (4) *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cognitioni noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit; ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram, quæſo verbum ipſius, quod in omnibus, & præcipuè in myſteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent, ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes*. Et eodem modo loquitur D. Auguſtinus (5) & rationem affert celebratiſſimus in hoc puncto de Sacramento Algerus, qui ſcribit: (6) *Ipſe eſt Deus, qui omnia quæcumque voluit, fecit in Cælo, & in terra; caro ejus ipſa eſt, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, ut poteſtate tali ſit in unitate Perſonæ in Cœlo, & in Terra quandocumque ſibi placuerit*. Et conformiter ad hoc D. Thomas cum D. Ambroſio ait: (7) *Filius hominis participat potentiam Filii Dei propter perſonæ unitatem. Ambroſius: ſicut in unam perſonam ita in unam potentiam conveniunt Dei, & hominis filius*.

(4) *D. Chryſoſt. hom. 83. in Mathæum.*

(5) *D. Aug. lib. 6. contra Felicianum c. 8. & epiſt. 3. cap. 3.*

(6) *Algerus lib. 2. de Sacram. c. 3. in ſine extat in Bibliotec. veterum Patrum tom. 6.*

(7) *D. Thom. opuſ. 58. cap. 3.*

132. Et ad præſens miraculum replicationis animæ Chriſti Domini nos reſtringendo, ejus multiplicitas minimè terrere nos debet, neque de hoc mirari. Præſertim quando hic favor dimanat ab ingenti, & ardentiſſimo Chriſti Domini erga nos amore. Namque ſi de utilitate animarum in hoc grandi beneſitio dubitari non poteſt, ſi de divina omnipotentia, poſſibilitateque hujus unionis multominus valet ambigi, ſi de divino, maximo ardentiſſimo, ac vehementi Chriſti Domini erga nos amore, adhuc de ipſius deſiderio communicandi nobis per Sacramentum eam majorem poſſibilem unionem, dubium excitare Catholicus nullus audebit, quando in hujus Sacramenti inſtitutione hæc omnia in Salvatore noſtro concurrerunt, & aliunde hic ejus amor ex natura ſua hanc realem unionem exigit. Quis his adſtantibus, & illa ſua promiſſione: *in me manet, & ego in illo: ſicut miſit me vivens Pater &c.* negare poterit voluiſſe, quod anima ſua divinitati ſuæ unita nobiſcum ad hanc intimam perpetuam unionem à ſe deſideratam permaneret, niſi divinum ejus amorem offendendo.

133. Præcipuè quando de hoc tot exempla non obſcura habemus, quæ ab Auctore noſtro variis in locis diſperſa afferuntur. Tum illud D. Gregorii Nyſſeni, qui diſertis verbis ait: (8) Quod ex quo Chriſtus Dominus Sacramentum inſtituit, animam ſuam ejus divinitati unitam poſuit in corde Apoſtolorum, quod ſine replicatione fieri non poterat. Tum in S. Thereſia, quæ in anima ſua per multum temporis Chriſtum videbat, non in corporali forma, ſed modo quodam, quem explicare non valet, quod ut ab ea refertur, bene conjecturatur, aliud eſſe non potuiſſe, quam ejus animam divinitati unitam. Tum in aliis exemplis, quæ affert S. Catherinæ Senenſis, S. Methildis, S. Gertrudis, & aliarum Sanctarum, & venerabilium Virginum, ex quibus hoc idem conjicitur.

(8) *D. Greg. Nyſſen. oratione 1. de reſurrectione Chriſti juxta verſ. Chriſtiani Lupi.*

134. Et præſertim adducit in exemplum Beatiſſimam Virginem Mariam, quam cum multis ſupponit in nocte Cœnæ Sacramentum ſuſcepiſſe. Et meritò quandoquidem credi non poteſt, quod Chriſtus Dominus ſuam Sanctiſſimam Matrem doloribus ſuæ paſſionis proximam, privare hac conſolatione voluiſſet; præcipue quando, ut ait Cornelius: (9) *Chriſtus ſuam*

(9) *Cornel. in*

car-

Digitized by Google

Eccleſiaſt. ad cap.24.v.29.in fin.

carnem reliquit in Eucharistia optante , & forte orante id Beata Virgine , ut ſeſe intime fideli cuique per omnia temporum ſæcula uniret , & incorporaret . Quo ita ſuppoſito ait ; credere perpetuo manſiſſe in ejus anima animam Chriſti Domini. Quod profectò bene fundatur juxta expoſitionem Cardinalis Hugonis in illa Simeonis Prophetia : (10) *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius , ut revelentur ex multis cordibus cogitationes* . Nam ut ipſe ex D. Chryſoſtomo ait , idem eſt ac ſi diceret : (11) *tuam ipſius animam , ideſt quæ eſt ipſius anima .... Tuam ipſius animam , ideſt animam ipſius Chriſti* ; quod minimè intelligi de eadem anima poteſt , quod ſit Chriſti , & ſit Mariæ ; & vice verſa , *tuam ipſius* ; niſi quatenus anima Chriſti in Mariæ anima erat , ita veluti una facta cum ipſa per unionem illam realem , per Sacramenti ſumptionem ſibi communicatam ; ut vocari poſſet anima Chriſti æque ac anima Mariæ ,

(10) Lucæ.2. v.35.

(11) Hugo Cardinal. ad hunc locum.

135. Quibus exemplis adjicere poſſumus , quod Rupertus Abbas vir extaticus , & dignus ſanè ob ſuam miram doctrinam , & ſanctitatem , ut in Choro Patrum ponatur , ſibi accidiſſe refert , in quadam habita ab eo viſione , quam inter alias multas , quas habuit , hoc loco narrat , in quibus de variis myſteriis inſtruebatur : (12) Referam viſionem , ut à devotiſſimo viro Hieronymo Plati refertur , ne cogar eam repetere propter reflexionem , quam adjungit , & exponere hic oportet . Ait enim quod Rupertus poſtquam ex obedientia ſuorum Prælatorum , illo reſiſtente , fuit factus Sacerdos hanc habuit viſionem , quam in hunc modum refert : (13) *Adjungit* (Rupertus) *etiam aliud , nam jacenti in lectulo , hominis ſpecies apparuit de Cœlo labens , capite obvoluta , quaſi agnoſci nollet , eaque ſe ita in eum tota demiſit , ut caput capiti , pedes pedibus , reliqua membra cum omnibus membris intimè commiſceret . Quin etiam ipſam animę ſubſtantiam modo quodam , qui verbis exprimi non poſſet , ita pervaderet , atque imprimeret , & quidem citius , & profundius , quam molliſſima cera ſigno imprimatur . Addit vero , quod facile credi poſſit , ſecutam eſſe tantam , tamque incredibilem jucunditatem , ac ſuavitatem , ut niſi ea celeriter à Deo inhibita eſſet , is quaſi torrens voluptatis ſine dubitatione animam de corpore abſtracturus fuerit* . Et ſubjungit : *fuit igitur hoc totum expreſſum quoddam Eucharistiæ Symbolum , in quo Deus filius , facie quidem tecta , ſed verè tamen totum ſeſe toti animæ infundit , eamque in ſuam transformat ſimilitudinem , & gaudiis cæleſtibus complet* .

(12) Rupert. Abb. lib.12. de Glor. & honor. Filii Dei ſuper Matth.

(13) Hieron. Plati Soc. Jeſu de bon ſtat. relig. lib 1. c.37. propè medium.

136. Porrò in hac viſione duo dilucidè habemus . Primùm Deum voluiſſe Ruperto ſignificare id , quod accidit in anima dignè Sacramentum recipiente . Nam cum omnes viſiones ad id tendant , ut animæ de aliquo , quod ad propriam , vel aliorum ſalutem conveniat , remaneant inſtructæ ; quid aliud impreſſio illa animæ Chriſti in ejus anima , ſicut ſigillum ceræ molliſſime imprimitur , poteſt ſignificare , niſi quod Chriſtus Dominus voluit , quod Rupertus de hoc ſecreto edoceretur , quod per Euchariſtiam animabus , quæ ad eam dignè diſpoſitæ accedunt , ſeipſum media ſua anima imprimit , & in illa unitus , & impreſſus permanet , ſicut in molli cera ſigillum impreſſum manet . Et quod de eo bene inſtructus remanſerit , patet in expoſitione , quam dedit illis verbis Chriſti Domini : *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* , quæ intellexit de hac animæ Chriſti Domini communicatione nobis per Sacramentum facta , ut vidimus num. 88. Secundum , quod ex hac auctoritate deducere poſſumus , eſt , laudatum auctorem viſionem referentem in hoc eodem ſenſu fuiſſe , quod Chriſtus media ſua anima infunditur in animam Saeamentum dignè recipientis , ut eam in ſe transformet , ut ex ejus verbis apparet : *Verè tamen totum ſeſe toti animę infundit* .

137. Nec prætermittam , occaſione hujus viſionis factum illud Eliſei , quod 4. Regum refertur hic exponere , quod Divi Thomæ viſum eſt repræſentatio , & figura illius , quod accidit in hoc Sacramento , & quo certè mirè confirmatur id , quod Rupertus expertus fuit , adhuc & doctrina concluſionis . Hiſtoria notiſſima eſt , afferam verba , quibus in Sacra Hiſtoria memoratur , ait enim Sacer textus , quod Eliſeus ingreſſus domum Sunamitidis , ut vitam Filio ſuo emortuo reſtitueret : (14) *Clauſit oſtium ſuper ſe , & ſuper puerum ; & oravit ad Dominum ; & aſcendit , & incubuit ſuper puerum : poſuitque os ſuum ſuper os ejus , & oculos ſuos ſuper oculos ejus , & manus ſuas ſuper manus ejus & incurvavit ſe ſuper eum , & calefacta eſt caro pueri* . Et ſic ad vitam reſtitutus fuit , & matri ſuæ eum commendavit . Hæc eſt hiſtoria . Audiamus modo Angelicum Doctorem , qui hoc facto demonſtrat per Sacramentum vitam noſtram confortari , & augeri uſque ad æternæ vitæ conſecutionem , & ait : (15) *Quarto Regum Eliſeus incubuit ſuper puerum , poſuitque os ſuum ſuper oculos ejus , & manus ſuper manus ejus , & calefacta eſt caro pueri . Per*

pue-

(14) 4. Regum cap. 4. v. 33. & 34.

(15) D.Tho. opuſc. 58. de Sacram. c. 23.

puerum fidelis anima, per Eliſeum Dominus ſignificatur, qui ſicut ſigillum ceræ, ſic ſe conjungit animæ. Quo profecto valde firmatur doctrina, de qua Deus voluit Rupertum inſtruere, & mirè doctrina concluſionis corroboratur.

138. Similem favorem experta fuit S. Gertrudis, quæ ut refert Cornelius à Lapide (16) *narrat Chriſtum Dominum in ſpecie pueri elegantiſſimi ſibi apparuiſſe, ac illapſum in animam ſuam, eam quaſi in ſe transformaſſe, eique dixiſſe ſicut ego ſum figura ſubſtantiæ Patris in Deitate, ſic tu eris figura ſubſtantiæ meę in humanitate, quia recipies in anima quaſi Deifica dona tibi miſſa à mea divinitate.* Quod ſane bene concordat cum illo: *ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me.*

(16) *Cornel. à Lapid. comment. in Cantic. Canticor. c. 8. ad v. 6.*

139. Et eodem loco hanc etiam revelationem, uti ab ipſa traditur, idem Cornelius exponit: (17) *cum in feſto Purificationis recepiſſem S. Synaxim, mente intenta in Deum, & in meipſum, percepi, & ſenſi animam meam inſtar cerę igne divino liquefactam, talemque affectam ex ſigillatione pectoris Chriſti, ex eo enim impreſſos accepi theſauros gratiarum, in quo habitat plenitudo Divinitatis corporaliter: atque exinde extiti nobiliter ſignata charactere ſplendentis, & ſemper tranquillæ Trinitatis, ut deinde tota mentis aviditate anhelarem ad ſummum bonum in ſcipſo, quod es tu Domine in veritate tuę ęternitatis, quæ eſt abyſſus charitatis, ex qua immenſos amoris, omniſque gratię, & virtutis gurgites haurire licet.* Quid clarius in comprobationem hujus Chriſti permanentiæ in anima illum dignè in Sacramento recipientis, qui ut ſigillum animæ imprimitur, non imaginem ſuam ſolum in anima relinquens, ſed ejus ſubſtantiam, ut verba exprimunt, & Cornelius bene intellexit, qui concludit: *Beati in Cœlo Chriſtum ut ſignaculum geſtabunt in corde, & brachio, jubilantes cum eo per omnem æternitatem.*

(17) *S. Gertrud. lib. 2. revel. c. 7. apud Cornel. ubi proxim.*

140. Et hoc profecto eſt, quod Sponſus Chriſtus de anima ſancta prætendit, quando dicit: (18) *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*; quod de Sacramento D. Thomas intelligit, & ait: (19) *ſuper cor tanquam ſuper ceram calidam, puram, & mollem, aptam ſuſcipere impreſſam imaginem, ſuper cor ergo calidum amore Dei, purum munditia ſui, molle pietate proximi Corpus Chriſti ut ſigillum ponitur.* Et ſimiliter V. Ludovicus de Ponte, qui ait: (20) *intellige, ipſum propterea venire, ut ponat ſe quaſi ſignaculum ſuper cor tuum.* In quibus verbis Chriſtum Dominum nobis manifeſtare voluiſſe deſiderium, quod habet, ut in corde, & anima noſtra per hoc Sacramentum fiat hæc impreſſio animæ ſuæ cum ipſius divinitate, ex ipſa ſigilli metaphora, qua utitur, mihi videtur. Sigillum enim ex plenis, & vacuis componitur, & ita reſultat imago illius, quod imprimi deſideratur: Unde ex materiali ſigillo ad hoc ſpirituale ſacramentale ſimilitudinem ſumendo, quod in ſigillo vocamus plenum, ſeu vacuo ſupereminens quoad ſenſibile, & quantitativum, in Sacramento conſiderare poſſumus eſſe corpus, & quod in eodem ſigillo vocamus vacuum, & exauſtum, vocare poſſumus Verbum humanatum, juxta illud Pauli (21) *exinanivit ſemetipſum*: & ſicut ſigillum imaginem ſuam in cera, vel quacumque alia materia imprimit illi duntaxat incorporando, quod in eo plenum eſt, & in ejus vacuitate recipiens, ſeu aſſumens ceram, vel materiam, cui imprimitur, ex quo imago reſultat, ſic Chriſtus in Sacramento, velut ſigillum cordi illud dignè recipientis, ipſi ſuum corpus, & carnem, quæ eſt ejus plenum, ſenſibile, & quantitativum, incorporando, & in ejus vacuitate, quæ uti incorporea, Verbi divinitatem, & animam ſignificat cor Sacramentum ſuſcipientis in ſe recipiendo, & ſibi aſſumendo, impreſſum in eo manet, & ab eo ſimul aſſumptum, ea unione aſſumptiva, de qua agimus, Quod in his verbis comprehendit Div. Hilarius (22) *eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus in Deo eſt.* Et quia hæc unio aſſumptiva eſt ad in aſſumpto, & cum aſſumpto operandum, ideo Salvator addit *& ſuper brachium tuum*, ad nos docendum, hanc ſuam aſſumptionem, & ſui ipſius in nobis impreſſionem eſſe, ut cum illo cooperemur.

(18) *Cantic. c. 8. v. 6.*

(19) *D. Tho. opuſc. 58. cap. 30. propè finem.*

(20) *V. de Ponte de Chriſtiani hominis perfect. tract. 4 cap. 5.*

(21) *Paul. ad Philip. c. 2. v. 7.*

(22) *D. Hilar. lib. 8. de Trinit.*

§. XV.

§. XV.

Ultima probatio deſumpta ab abſurdo ob antiquas Arianorum hæreſes, & hodiernas Novatorum, quæ circa Euchariſtiam graſſantur.

141. ACCEDENDO tandem ad ultimam claſſem probationum, quæ deſumitur ab abſurdo, ob hæreſes tam antiquas, quam modernas, quæ circa Euchariſtiam hodiè graſſantur, nonnulla occurrunt dicenda. Et licèt cum eis, quæ ab Eminentiſſimo exponuntur, & eis paucis, quæ pro majori confirmatione adjecimus, ſatis conſtare videantur abſurda, quæ ob præfatas hæreſes ſequerentur, ſi illa Chriſti Domini verba: *In me manet, & ego in illo: ſicut miſit me vivens Pater &c.* à ſuo rigoroſo & vero ſenſu ad myſticum traduceremus, tamen magis ex profeſſo de hoc agere me cogit; quod & ad ſequentem §. ſubjungendum me compulit. Enim vero certum eſt, quod verba S. Scripturæ in ſuo naturali, genuino, & rigoroſo ſenſu veniunt ſemper intelligenda, quando nullum apparet grave fundamentum, aut inconveniens, ut ab eo recedere valeamus, ut Patres, & Expoſitores omnes ex Divo Auguſtino ſupponunt (1) Itaque Card. Toletus ut regulam inconcuſsè obſervandam hanc tradit: (2) *Quando enim nihil flagitioſum præcipitur, ſed potius vetatur, & quod ad utilitatem pertinet, jubetur, locutio propria eſt, non metaphorica...... Et revera regula ſenſum literalem cognoſcendi optima, & neceſſaria eſt, ut quando nihil contra fidem, nec contra mores bonos ſequitur, verba in propria ſignificatione ſumantur*, D. Hilarius de hac præſenti materià contra Arium loquens dicebat: (3) *Ratio Cæleſtis in tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi, in tantum expetenda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit, ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſimus, amittamus indulta.*

(1) D. Auguſt. lib. 8 de Geneſi ad literam c. 7.

(2) Card. Tolet. in c. 6. in Joan. annot 25. prope finem.

(3) D. Hilar. lib 8 de Trinit. aliquantò longè à principio.

142. Quod in caſu præſenti certè nobis accideret, ſi præfata verba Chriſti Domini in alio ſenſu intelligeremus ab eo, quem permittunt intelligi: privaremur enim fructu tanti indulti, cum incognitum proficere nobis non poſſit, quantum agnitum poteſt nobis prodeſſe. Hac ſiquidem ratione illud Pauli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* Patres, & Expoſitores intelligunt de vera, & reali aſſiſtentia, præſentia, & permanentia Spiritus Sancti in nobis, itaut tanquam error judicetur ab Eximio Suarez, & Cornelio à Lapide cum Divo Thoma contrarium dicere, ut vidimus num. 54. & 62. & ſimiliter eadem ratione illa verba Chriſti Domini: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus* de vera, reali, & phyſica Beatiſſimæ Trinitatis præſentia, & permanentia in juſto intelligunt Patres, Theologi, & Expoſitores, ut ibidem etiam vidimus. Ex ea ratione, quod ita verba illud ſignificant, & aliunde poſſibile hoc eſt, & de Divino erga nos amore credibile, & nobis valde utile, & nil in contrarium habetur, & abſurdum nullum ex eo ſequitur. Quod ſi verba tam clara, ut ſunt illa, *in me manet &c.* in quantum permittunt intelligi, non reciperemus, eo maximo fructu voluntarie privaremur, quo, ſi in ſuo obvio ſenſu intellecta ſint, gaudere abſque dubio poſſemus.

143. A contrario vero, illa verba ejuſdem Salvatoris (4) *Ubi duo, vel tres fuerint congregati, in medio eorum ſum*, ideo non intelligimus de vera, & reali ipſius Chriſti Domini præſentia, in medio eorum, etſi verba id ſonent, quia ex verſu antecedenti, ut optime ait Maldonatus ad hunc locum ſenſus horum verborum agnoſcitur, in quo Chriſtus ait: *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis eſt*, quod ſolummodo ſignificat certiores de petitionum ſuarum conſecutione eos, qui ita petant, reddere, & ſic in ſequenti verſu ſolum ſignificant illa verba, certam ſuam protectionem habituros in iis, quæ in nomine ſuo tractent, & judicent; quod profecto ejus realem præſentiam non exigit, ſicut eam non petit orationes eorum audire: & conſequenter ſuperfluum eſſet, ſi viſibiliter in medio eorum realiter ſe exhiberet, & abſurdum ſi diceretur in dictis verbis realiter, ſed inviſibiliter promittere Chriſtum in unoquoque eſſe, cum optimè poſſit ſtare, ut ipſe Maldonatus ſupponit, congregari in nomine Chriſti, & in peccato eſſe. Hoc ſuppoſito cum ex traditis variis in locis ab Eminentiſſimo appareat, nedum nullum inconveniens ex literali eorum verborum intelligentia ſequi, verum & graviſſima ea eſſe, quę ob præfatas hæreſes ſequerentur, ſi laudata Chriſti Domini verba ſolummodo intellecta eſſent de unione myſtica cum Chriſto per ejus gratiam,

(4) Matthæi cap. 18. v. 20.

tiam, & charitatem; & non ſecundum ſuum literalem ſenſum de vera, & reali permanentia Chriſti in eo, qui debitè diſpoſitus Sacramentum ſumit ſecundum ſuam animam Divinitati unitam, media qua Perſona Divini Verbi poſſit illi realiter uniri, unione aſſumptiva ad fines jam declaratos, inde ex hoc deducitur laudata verba in præfato literali ſenſu, & non in alio venire neceſſario intelligenda.

144. Quod ex literali dictorum verborum expoſita intelligentia nullum ſequatur grave inconveniens poſtea demonſtrabitur, Quod graviſſima ſequerentur ſi à literali recedatur intelligentia ob præfatas hæreſes, patet. Nam loquendo primo de hæreſi Ariana, ſi in ſenſu myſtico, & non in literali verba allata intelligerentur, omnino infirmata manerent ea fundamenta, quibus Patres conſubſtantialitatem Filii cum Patre propugnando, argumenta hæreticorum diluebant, quæ ex Eucbariſtiæ Sacramento deſumere conabantur, quo & conſequenter hæreſis nec omninò confutata maneret, nec argumentis hæreticorum plenè ſatisfactum. Enim vero ſi Ariani inter Chriſtum, & animam Sacramentum ſuſcipientis ſolummodo admittebant unionem gratiæ, & charitatis, ut ſupra vidimus, de hac ſola unione intelligentes laudata verba: *In me manet, & Ego in illo*, & ſequentia: *ſicut miſit me &c.* Et illa omnia cum his concordantia ſupra expoſita, ut ex hoc arguerent non aliam unitatem eſſe inter Patrem, & Filium, quam myſticam, excludendo ſubſtantialem; eo ducti, quod Chriſtus Dominus in locis ſupra allegatis comparat unionem noſtram cum ea, quam cum Patre habet; profecto, ſi præter unionem myſticam non admitteretur alia unio realis, quaſi ſubſtantialis (quæ nec ſit informationis, nec accedat ad gradum unionis hypoſtaticæ) eſſet vim argumentis ſuis miniſtrare, & SS. Patrum reſponſiones, & doctrinam, qua eorum fundamenta refutabant, prorſus infirmare.

145. Et cum demonſtratum ſit, hanc unionem eſſe non poſſe illam materialem, quæ invenitur intèr Corpus Chriſti Domini, & Corpus Sacramentum recipientis, ſed debere eſſe ſpiritualem realem inter Chriſtum, & animam, quæ ex illa materiali ſubſequitur in eo, qui dignè Sacramentum recipit, ut præter omnia ſupra in hujus comprobationem allegata, docet Venerabilis, & nunquam ſatis laudatus Bellarminus, qui declarans quoddam Divi Cypriani teſtimonium ait (5) *Porro corporalem unionem qualis eſt inter nos, & Chriſti Corpus per Eucbariſtiam, Cyprianus neque negat, quia revera ſit, neque aſſerit, quia non eſt illa unio finis Eucbariſtiæ, ſed potius medium, nam etiam in impiis illa unio inveniri poteſt, & obeſt, non prodeſt, cum non perducit ad ſpiritualem unionem, quæ eſt verus finis hujus Sacramenti*; ut ex ipſiſmet Patrum auctoritatibus clariſſimè deducitur, qui palam fatentur manere Chriſtum in anima (quandoquidem hæretici hanc materialem unionem corporum non negabant, nec negare poterant, nec ex illa præcisè, quæ ad finem intentum inſufficientiſſima erat, Patres poterant Arium ejuſque Sectatores impugnare, & convincere) & cum hæc unio realis uti effectus hujus Sacramenti, permanens & perpetua eſſe debeat, uti ſunt omnes primarii Sacramentorum effectus, ut omnes Patres, & Theologi (ut toties demonſtratum ſupra manet) de hoc Sacramento fatentur, & verba ipſa *In me manet, & Ego in illo* ſignificant; & hæc eſſe non poſſit inter Chriſtum, & animam ſecundum totum quod dicit; cum caro, & ſanguis, conſumptis ſpeciebus ſacramentalibus, deficiant, & aliud non reſtet, in quo hæc realis unio ſalvari poſſit, ut cum veritate dici, & verificari valeat, manere Chriſtum in illo, qui dignè eum recipit, niſi ejus anima Perſonæ Divinæ unita, media qua poſſit eadem Perſona Verbi eum aſſumere, & ſine qua illi uniri minimè poſſet, ut omnia ex huc uſque dictis ſatis conſtant; inde ad omninò Arianorum fundamenta enervanda, & ea, quibus Sanctorum Patrum illos confutabant, firmanda, adſtrui hanc unionem debere, & Chriſti Domini verba de ea intelligi concluditur: Quanta ſit vis hujus argumenti ex jam dicendis conſtabit.

(5) *V. Bellarmin. de Euchar. lib. 2. c. 9.*

146. Et quod idem ſimiliter quoad Novatores Sacramentarios, eorumque hæreſim hodie graſſantem ſequeretur, ſi aliter præfata verba intelligantur, patet etiam. Quia verba illa Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum*: & illa *caro mea verè eſt cibus &c.* & reliqua omnia concordantia hæretici iſti contendunt intelligi debere de præſentia myſtica Chriſti, ejuſque carnis, & ſanguinis in Sacramento, non verò de præſentia reali, veraque carne, & ſanguine Chriſti, & pariter contendunt illa: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & Ego in illo*: intelligi conſequenter debere non de vera manducatione Chriſti, nec de reali in nobis permanentia

ſed de myſtica per fidem, gratiam, & charitatem, nullamque aliam præter iſtam unionem eſſe inter nos, & Chriſtum, uti teſte P. Salmeron, Calvinus dicebat, qui ait: (6) *Idem quoque conſilium ſecutus eſt prius Calvinus, qui affirmat non magis nos percipere Corpus Chriſti in Eucbariſtia, quam in Baptiſmo, & per verbi prædicationem. Et in harmonia Evangelica explicans illud, ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, affirmat Chriſtum ſola gratia, & virtute nobiſcum manſurum in æternum*: Et conſilium de quo loquitur eſt illud, quod Theodorus Beza ejuſdem Calvini Sectator ſophiſticè profitebatur, qui hæc ajebat, quæ paulo ante ibidem laudatus Salmeron expoſuerat: *Profitemur Jeſum Chriſtum in ſua Cœna nobis verè offerre, donare, exhibere ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis ſui per operationem Spiritus Sancti, noſque ſacramentaliter, ſpiritualiter, & fide illud ipſum Corpus, quod pro nobis mortuum eſt, percipere, ac manducare; ut facti os ex oſſibus ejus, & caro ex carne ejus inde vivificemur, & percipiamus quicquid ad ſalutem noſtram requiritur. Et quoniam fides verbo Dei innixa, res promiſſas reddit præſentes, eademque fide, vera, & reipſa verum, ac naturale Chriſti Corpus per Spiritus Sancti virtutem percipimus; hoc reſpectu præſentiam Corporis, ac Sanguinis Chriſti in Sacra ipſius Cœna confitemur.*

(6) *Salmeron de ſermon. in Cœn. Domini tract. 18. longè à principio tom. 9.*

147. Et licet ab eis Fide Catholica edocti omnes diſſentiamus; tamen, ſi permanentia in nobis à Chriſto Domino promiſſa, de myſtica tantum per gratiam, & charitatem intelligeretur, abs dubio occaſio illis daretur, ut quomodo nos, dicente Chriſto, *In me manet, & Ego in illo*: hæc verba non de reali permanentia in anima, de qua Chriſtus loquitur, & cui effectus Sacramentorum communicatur intelligimus, ſed de myſtica per gratiam, & charitatem; eodem jure ipſi poſſint manducationem Corporis, & Sanguinis Chriſti intelligere, non de reali manducatione, ſed de myſtica, & ſimiliter de myſtica Chriſti Domini præſentia. Ex quo pariter concluditur debere admitti hanc unionem realem ſpiritualem, modo jam dicto, ſecundum literalem obvium ſenſum verborum, ne in hæc graviſſima inconvenientia, & abſurda incidamus, & ut hæreticos amplius confundamus, de quibus ait Auguſtinus (7) *Hæretici quærunt diviſionem, cum panis iſte non indicet niſi unitatem.*

(7) *D. Auguſtin. laudat. ab Algera l. 1. de Sacrament. cap. 3.*

148. Uti vis hujus argumentationis deſumpti ex hoc duplici hæreſum capite clarius appareat, operæ pretium eſt præ oculis duo habere, quæ laudatus Salmeron de his hæreticis tradit. Quorum unum eſt Sectatores Diſcipulos in hoc ſuo errore eſſe Neſtorianorum, & inſimul occaſione illum defendendi, ſumpſiſſe ex argumentis Arianorum; verba ejus ſunt (8) *Ut Neſtoriani illa verba hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, à genuino ſenſu detorſerunt, dicentes, Chriſtum non ſubſtantialiter, vel verè eſſe Dei Filium, ſed nuncupativè, & per quandam amicitiam, & copulationem cum Dei Filio; ita verba Chriſti hoc eſt Corpus meum conantur Calviniani per tropum fictitium evertere, ut hinc colligere valeas novos hæreticos diſcipulos eſſe, & Sectatores antiquorum hæreticorum. Rurſus, ſicut PP. ex illis verbis Ego, & Pater unum ſumus demonſtrabant eſſentiæ Divinæ in Patre, & Filio unitatem, Ariani vero negabant, dicentes eſſe alios in ſcripturis ſpirituales, & intellectuales conjunctionum modos, inter quos enumerabant illum, quo nos unimur Chriſto ſpiritali per fidem nexu, non per ſubſtantiarum conjunctionem. Catholici vero ex myſterio Euchariſtiæ, & verbis Joannis, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me, docebant contrarium &c.*

(8) *Salmeron ubi proxime ad 4. hæretícor. argum.*

149. Alterum verò eſt, Calvinum, & Bezam agnoſcentes Cyrillum, Hilarium, Chryſoſtomum, & Baſilium contra Arianos proceſſiſſe demonſtrando non ſolum myſticam, ut Ariani contendebant, ſed naturalem, ſeu realem eſſe eam unionem, & unitatem, quam nobiſcum per Sacramentum Chriſtus intendit; hancque realem unionem, & manentiam conſequenter realem in nobis impugnare non poſſe, hæc, quæ ibidem refert, profitebantur. *Calvinus, & Beza illuſi ipſi, & illudere volentes, participationem Corporis, & Sanguinis Domini, qua Chriſto inſerimur, quæ merè eſt imaginaria, & intellectualis, ſubſtantialem, & realem vocant, quia objectum fidei noſtræ cum movetur in Chriſtum hominem, eſt res, & ſubſtantia corporea, nempe Chriſtus Deus, & Homo. At ea ratione ſpeculatio quæcumque circa Chriſtum realis, & ſubſtantialis erit, quia in Chriſtum Deum, & hominem fertur*: Et ſic tendebant argumenta præfatorum Sanctorum PP., quibus demonſtrabant, hanc unionem, & unitatem inter Chriſtum, & Sacramentum ſuſcipientem, non eſſe ſolummodo myſticam, ſed realem. Sed illos Salmeron mire impugnat, & inter alia hæc habet. *Non ſatis ergo eſt, quod realis, & ſubſtantialis aliqua perceptio eſſe cenſeatur, ut circa rem, & ſubſtantiam verſetur: ſed opus eſt ipſam ſubſtan-*

tiam

tiam reipſa , & actu ſumi , ut fiat realis , & non imaginaria . Antequam ergo dici valeat percipi eam actu , ſive reipſa , & in ſubſtantia , non ſufficit abſentem carnem per fidem contemplari , eique inhærere , & aliquid intellectuale de ipſa abſente acquirere : non eſt enim iſta realis , & actualis perceptio , niſi objectu tenus , nec quicquam differt ab imaginaria .

150. His prælibatis , antequam ad maximam noſtri argumenti vim oſtendendam procedamus , obſervatione dignum eſt , vel ipſos etiam hereticos nedum agnoviſſe illam realem unionem , & permanentiam inter Chriſtum , & Sacramentum recipientem , quam hucuſque ex PP. demonſtravimus , verùm & auſos non fuiſſe eam impugnare ; ſed ipſam eludere , dicendo , unionem , & præſentiam Chriſti in Sacramento , quamque habet cum illo , & in illo , qui per fidem eum recipit , realem & ſubſtantialem eſſe ; Quo ſane , nec minimum dubium remanere jam debet de hac reali unione in concluſione ab Eminentiſſimo ſtabilita .

151. His inquam prælibatis , jam oſtendam quam maxima ſit vis hujus argumenti ab abſurdo deſumpti . Enim vero , ſi quia Ariani inter Chriſtum , & Sacramentum recipientem , nonniſi unionem myſticam per dilectionem , & concordiam voluntatis inter Chriſtum , & animam admittebant , & Novatores , doctrina etiam Neſtorii adjuti , moti fuerunt ad exiſtimandum , pari modo per ſidem ſalvari poſſe verba Chriſti Domini de vera ſua reali præſentia in Sacramento , de veraque etiam ſui reali manducatione in Sacramentum recipiente , atque de vera in illo ipſius manentia ; occurrendo ad illum modum realis præſentiæ in Sacramento , quem media fide fingebant , & ad eandem conſequenter fidem , gratiam , & charitatem (ut ex Calvino vidimus num. 145.) ad illam ſuam veram , & realem , ut appellant Chriſti Domini manducationem , & unionem cum illo : quæ omnia nonniſi purè myſtica , ut ex Salmeron vidimus , ſunt : & ita judicabant , quod à doctrina Patrum ſic non recedebant . Ergo operæ pretium nobis eſt , ne ex noſtra myſtica unione , myſticaque Chriſti perpetua permanentia in nobis , myſticave in ordine ad illam intelligentia illorum verborum : *In me manet , & Ego in illo* occaſionem his hæreticis Novatoribus demus , ut ſimile argumentum ſumant illi , quod ex myſtica Arianorum unione ſumunt , ad ſuum errorem fundandum , ut præſata verba de reali permanentia , & unione intelligamus , ut nec vim reaſumant Arianorum argumenta , nec ex illis , & ex noſtra pariter myſtica intelligentia Novatores , retorquere nos cum iiſdem verbis poſſint .

152. Sane hoc ſolum Hilarii , quod proferemus teſtimonium , nobis ſufficere deberet , ut prorſus ab omni ſola unione myſtica in hoc Sacramento fugeremus , & teſtimonia omnia , quæ de hac unione , unitate , & perſeverantia loquuntur in ſuo obvio , genuino , & rigoroſo ſenſu intelligeremus . Ait enim Sanctus Doctor . (9) *Quid hic æquanimitatem , quid per voluntatis aſſenſum animę , & cordis unitatem inducis ? fuerat namque in verborum copia , & proprietate , ut ſi voluntas unum eſſe eos faceret Dominus ita precaretur : Pater ſicut nos unum volumus , ita & illi unum velint , & unum per concordiam ſimus omnes . Aut forte qui Verbum eſt , & qui veritas eſt , loqui vera neſcivit ? & qui ſapientia eſt , in ſtultiloquio erravit ? & qui virtus eſt in ea fuit infirmitate ne poſſet eloqui quæ vellet intelligi ? locutus plane ille eſt vera , & ſincera fidei Evangelicę Sacramenta . Neque ſolum locutus eſt ad ſignificationem , ſed etiam ad finem docuit .* In quibus verbis Hilarius Arium de hoc convincit , quod ſi Deus , qui copia verborum , & proprietate abundat , ſolùm intendiſſet , ut anima , & cor noſtrum unum eſſet cum eo per concordiam , & aſſenſum voluntatis , Patrem non precaretur , ut omnes unum cum eo eſſemus , ſicut ipſe cum Patre unum eſt , ſed diceret : *Pater ſicut nos unum volumus , ita & illi unum velint , & unum per concordiam ſimus omnes* : ex quo concludit quod cum Verbum veritas ſit ; *locutus plane ille eſt vera , & ſincera fidei Evangelicę Sacramenta* , ut ea intelligamus eadem ſinceritate , & veritate , qua prolata ſunt ad finem , quem intendebat .

(9) *D. Hilarius lib. 8. de Trinitate ſub initio , aliquanto longe .*

153. Nec ex hoc arguere cuiquam liceat , quod qui hucuſque non aliam unionem , quam myſticam per gratiam inter Chriſtum , & Sacramentum recipientem , admittunt , à veritate fidei quodamodo aberrant . Nam cum veritas fidei in eo , quod de hoc Sacramento credere omnes debemus , ad id terminetur , ut fateamur , per verba conſecrationis ſubſtantiam panis converti in ſubſtantiam Corporis Chriſti , & ſubſtantiam vini in ejus Sanguinem , & ſub utriuſque ſpeciebus manere totum Chriſtum , qui vere & realiter in Sacramento eſt , per ejuſque ſuſceptionem fideles recipere verum Corpus Chriſti , & in eo ejus Sanguinem , animam , & divinitatem , & ſic

to-

totum Chriſtum, per hancque ſumptionem Chriſtum manere in nobis augmentumque gratiæ nos recipere. Et cum veritas ſimiliter fidei in eo quod attinet ad conſubſtantialitatem filii in eo conſiſtat, quod credamus unum eſſe cum Patre in unitate eſſentiæ, & hoc utrumque à Catholicis omnibus admittatur, declaretur, & plane confiteatur; reliquum, quod ad fidem non pertinet, ſed ad modum hujus permanentiæ, aberrare à vera fide non facit, ut in ſimili ajebat Cardinalis Toletus, qui hæc tradit: (10) *Quod ergo hæc verba Joannis aliqui ſpiritualiter intelligenda cenſeant, nullum debet turbare Catholicum; quia illi ipſi, qui ſic exponunt conſtantiſſimè Chriſti veritatem in Eucharistia, confitentur, & verba Chriſti in Cœna de reali præſentia, & Chriſti veritate intelligenda affirmant*. Cum ergo ad fidem non pertineat modus hujus Chriſti in nobis permanentiæ, utpote ad ſubſtantiam myſterii in eo quod ab Eccleſia declaratum eſt non ſpectans; inde eſt, quod Doctores, qui vel ſolam unionem myſticam per gratiam admittunt, vel ultra myſticam illam realem corporum, quam ſubſtantialem appellant (immerito licet, cum non ſit niſi materialis, accidentaria, & ut Philoſophi vocant contiguitatis) nec in minimo à veritate fidei aberrent, nec cum utriuſque Hæreticis in eo quod fidei contradicit conſentiant.

(10) *Card. Tolet. in cap 6. in Joan annot. 25. non longè à princip.*

154. Cum hoc tamen benè ſtat, quod vi argumenti ab abſurdo inferre liceat, id quod vere ſequeretur, & à quo Catholici fugere ſemper debent, uti eſt loquendo de Arianis; quod ſi hæc unio, & unitas Chriſti Domini ejuſque perpetua in nobis perſeverantia, in vim tot Salvatoris noſtri teſtimoniorum non admittatur, quando à tot Patribus, & Doctoribus tàm clarè admittitur, eorum doctrinam, qua Arianorum argumentis ſatisfaciebant, infirmabimus, & vim illa Arianorum reſument; cum difficile ſit, alia via, ut oportet, & Catholicos decet iis ſatisfacere. Namque ſi Ariani hodie in nos inſurgerent, & illa argumenta proponerent, quæ §§. VIII. & IX. expoſuimus, & præſertim illud, quod num. 84. ex D. Athanaſio deſumptum vidimus, in quo ex illa deprecatione, quam Salvator noſter ad Patrem ſuum faciebat: *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*, & ex illis verbis: *In me manet, & ego in illo*, hoc Arius efformabat argumentum; *Si nos ſumus in Deo, & Deus in nobis, ſicut Pater eſt in Filio, & Filius in Patre: igitur non eſt dicendus Filius in Patre, & Pater in Filio eſſe propter identitatem naturæ, ſicut nec nos dicimur eſſe in eo & ipſe in nobis propter naturam eamdem*. Vel illud, quod etiam faciebant formatum ſyllogiſmum, quem dedimus num. 28. *talis eſt unitas filii ad Patrem, quatenus eſt noſtra ad filium; ſed noſtra ad filium non eſt unitas aliqua alicujus naturæ, ſed unitas conformitatis voluntatis*: ergo & illa filii ad Patrem. Certe, ſi illis non reſponderemus, quod Eccleſiæ Patres reſponderi debere exiſtimarunt, ut argumentum diluerent, & confutarent, proculdubio nos irriderent.

155. Enim vero Patres judicantes majorem ſyllogiſmi negari non poſſe, uti contentam in Chriſti Domini petitione, quæ licet æqualitatem non exigat, petit tamen proprietatem, & debitam in ſimilitudine proportionem, quam ſalvari cum ſola myſtica unione non poſſe, optimè credebant, ex eo quod nullam proportionem habet cum identitate reali, quam Pater habet cum Filio in unitate eſſentiæ, nullamve ſimilitudinem, niſi in impropriiſſimam, quam intendiſſe Chriſtum in illis verbis dici non poſſe æſtimabant, ut ex Divo Hilario de hoc eodem argumento loquente proximè vidimus; hac ratique minorem ſyllogiſmi negabant, planè fatentes inter nos, & Chriſtum per Sacramentum, non ſolum illam unionem dilectionis, & conformitatis voluntatum eſſe, ſed & naturalem, ſeu realem, qua unum cum illo media ſuæ carnis ſumptione efficimur; in qua certè unitate, & ſervatur proportio, & proprietas ſimilitudinis, & negatur æqualitas, quam nulla ſimilitudo exigit. Si inquam nobis hoc argumentum hodiè proponerent, & diſſentiendo à doctrina Patrum majorem negaremus, certo à fide non aberraremus; reſponderemus enim, cum eo quod fide credimus, ut quilibet inſipiens Laicus reſpondere tenetur, ſed argumentum intactum relinqueremus, & verba Chriſti Domini impropriiſſime interpretaremur, & occaſionem inſuper illis daremus, ut eadem ratione, qua nos verba Salvatoris ita tractamus, & per tropum, & quidem impropriiſſimum intelligimus, ita & ipſi illa ejuſdem Salvatoris verba (11) *ego & Pater unum ſumus*, ac reliqua omnia, per tropum ſimiliter intelligant. Sed deſeramus Arianos, cum jam illi auctoritate PP. refutati, & convicti, nos, & Eccleſiam perſequi deſeruerint.

(11) *Joann. cap. 13 v. 30.*

156. Et unicè diſcurſum ad Novatores, qui adlatrare non ceſſant, & Eccle-
ſiam

ſiam perſequi, convertamus. Porrò ſi iſti eodem argumento adjuti, quo Ariani utebantur, ut proximè vidimus, intendunt, quod ea omnia teſtimonia, quibus nos probamus realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia, realemque ipſius ſumptionem in Sacramento, per tropum in ſenſu myſtico venire intelligenda, & nonniſi præſentiam Chriſti myſticam per fidem ſignificare, myſticamque manducationem per ſolam fidem, gratiam, & charitatem; cum unum ex teſtimoniis, quibus utrumque nos probamus ſit illud; *In me manet, & ego in illo &c.* Et hæc verba, quæ æque præſentiam Chriſti in Sacramento, & ipſius Chriſti manducationem ſignificant, ac mutuam inter nos, & Chriſtum unionem, ejuſque in nobis permanentiam, quoad præſentiam, & manducationem intelligimus de reali, & quoad unionem, & permanentiam de pure myſtica per gratiam, & charitatem interpretamur, quam congruam reſponſionem illis dabimus, ſi hoc efforment argumentum: *Verba Chriſti Domini: In me manet, & ego in eo, æque ſignificant præſentiam Chriſti in Sacramento, & ipſius manducationem, ac permanentiam, & unionem mutuam cum eo, qui digne illud ſuſcipit; ſed Catholici quoad permanentiam, & unionem mutuam in ſenſu myſtico ea intelligunt: ergo & nos quoad præſentiam, & manducationem in eodem ſenſu myſtico intelligere ea poſſumus;* quam diſparitatem fugiendo à doctrina PP. & unione reali, quam edocuerunt, dare illis poſſumus de hoc vario modo eadem verba intelligendi. Profecto non alia nobis reſtat, quam dare poſſimus, niſi quia de reali præſentia, & manducatione fides nos edocet, & de modo permanentiæ nulla Eccleſiæ declaratio extat. Si ita reſpondemus, reſpondebimus ſanè, ut optimi Catholici, ſed ſi ſufficiat, & deceat teſtimonium tam clarum, & à tot Patribus aliter declaratum ſine ejuſdem teſtimonii, & ipſorum PP. injuria, adhuc & Hæreticorum jactantia de permanentia, & mutua unione reali ſic reſpondere, relinquo judicio Sapientiſſimorum Theologorum. Credo tamen certo, quod nullus, niſi in indoctis, reſponſionem approbabit.

§. XVI.

Occurritur reſponſioni, qua quis contendere forſan velit, neceſſarium non eſſe, ut unio hæc realis, realiſque Chriſti permanentia perpetua conſtituatur, ut ſatisfieri præcedenti argumentationi poſſit.

157. SI contendere quis velit, (ut poſt breviori methodo concinſam ſynopſim, & diſcurſum intellexi) ſalvari difficultatem poſſe, admittendo cum laudatis Eccleſiæ Patribus illam realem unionem inter Chriſtum & animam, illamque phyſicam permanentiam, ſed non perpetuam, ſed duntaxat dum ſpecies Sacramentales durant; judicando ſufficere, quod poſt earum conſumptionem hæc perpetua permanentia ſit myſtica per gratiam, ut nec à genuino, & rigoroſo ſenſu verborum Chriſti Domini, nec à doctrina Patrum, qui de reali permanentia, & unione illa verba: *In me manet, & ego in illo*, cum ſuis concordantibus intelligunt, recedamus, nec occaſionem Hæreticis Novatoribus demus, ut redarguere, ut ſupra, nos valeant. Licet ex abunde traditis ab Eminentiſſimo, & à nobis in hoc diſcurſu adjectis, ſatis firmatum maneat, hanc realem Chriſti Domini unionem cum Sacramentum debita diſpoſitione recipiente, ſuamque in ipſo conſequenter realem permanentiam debere eſſe perpetuam, ut prædicta omnia ſalvari poſſint, operæ pretium tamen exiſtimo, hoc magis ex profeſſo denuo inculcare, & oſtendere hac via, nec teſtimoniis Chriſti Domini, nec SS. Patrum doctrinæ ſatisfieri, nec occaſionem tolli, ut Novatores redarguere nos eodem modo non poſſint. Et à primo incipiendo, nimirum, quod nec verbis Chriſti Domini, nec doctrinæ Patrum hac reſponſione ſatisfieri poſſit. Ut tamen illud efficacius oſtendere valeamus, nonnulla ex jam dictis oportebit denuo tangere, & ſuper illis nonnullas reflexiones adjicere, quas omiſimus, quia numquam credidimus, quod intendere quis poſſet hac media via omnia hucuſque dicta evacuare, ut cum eis, quæ de novo ex Evangelio, & Patribus, ac ex variis ſymbolis, & ſimilitudinibus Theologicis producemus, hæc reſponſio validius refutata maneat, quo & doctrina concluſionis inſimul amplius ſtabilita remanebit.

158. Et ab Evangelio incipiendo: deſumo illa toties repetita Salvatoris noſtri verba:

verba: *Qui manducat meam carnem*; *& bibit meum ſanguinem in me manet*, *& ego in illo*: Ex quo teſtimonio hoc efformo argumentum. In hoc textu Chriſtus Dominus eſt, qui loquitur, & abſolutè abſque ulla limitatione, aut reſtrictione, ſe manere in nobis ait, & quidem perpetuo, ut evaſio etiam ſupponit (uti ſupponere debet, licet in modo manendi diſſentiat): inſuper Divinæ Omnipotentiæ impoſſibile nnn eſt, quod hæc ſua permanentia ſit nedum realis, verumet perpetua; deiode hæc realis perpetua unio eſt ſuo amore valde digna: ergo intelligere illud teſtimonium ooo debemus de limitata reali permanentia in nobis, dum ſolum ſpecies durant, oiſi aliud teſtimonium contrarium, vel aliqund abſurdum afferamus, quod ex perpetua permanentia ſequeretur, quod nos cogat ad hanc limitationem ponendam. Cum ergo oſtendi mioime hoc poſſit, inde uec limitari teſtimonium debet: quare enim illud Chriſti Domini teſtimonium: (1) *Ad eum veniemus*, *& manſionem apud eum faciemus*: intelligimus de perpetua Beatiſſimæ Trinitatis manentia, quantum eſt ex parte Dei in juſto, niſi quia in ſuo genuino ſenſu verba illa hoc ſignificant, & poſſibilis hæc perpetua permanentia eſt, & digna Divino amore, & nobis valde utilis, & quia aliunde oullo textu, aut abſurdo cogimur ad ſenſum verborum limitandum? Quare etiam illud (2) *Qui manet in charitate in Deo manet*, *& Deus in illo*, intelligimus de perpetua morali unione, & permanentia Dei in anima abſque ulla limitatione, niſi propter eandem rationem? Quare illud (3) *Manete in me*, *& ego in vobis*, intelligimus etiam de perpetua permanentia Chriſti in nobis abſque ulla limitatione, niſi ob eandem rationem. Ergo ſi hæc perpetua realis unio, & permaneutia Chriſti Domini in uobis ſecundum ſuam animam Perſonæ ſuæ Divinæ unitam, eſt poſſibilis, ut probatum manet, & nedum abſurdum non eſt, verum & decet (cæteroquin nec ad tempus admitteretur, ut reſponſio ipſa eam admittit) & digna eſt etiam Chriſti amore, & nobis eſt maxime utilis, & verba in ſuo genuino ſenſu eam ſignificant, & nullus textus Sacer illi contradicit, tot Patres, & Expoſitores, ac inſignes Theologi eam vel clare exprimunt, vel enunciant, & à nemine impugnatur, quod ſufficeret, quare non erit admittenda?

(1) *Joan. cap. 14. v. 23.*

(2) *Joann. epiſt. 1. cap. 4. v. 16.*

(3) *Joann. cap. 15. v. 4.*

159. Porrò tam clara haud ſunt illa Salvatoris noſtri verba (4) *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; ſicut illud: *In me manet*, *& ego in illo*: Et tamen pro comperto habemus, quidquid Heretici oblatrent, io illis Chriſtum Dominum nobis promiſiſſe ſui in Eccleſia permanentiam in Euchariſtia. Et licèt verba illud clare uon exprimant, deducitur tameu ex eo, quod Chriſtus Dominus in illis certo voluit aliquem ſingularem favorem, & ſignum amoris ſui erga ſuam dilectam Eccleſiam ſignificare, & quod ſi de hac permanentia perpetua in ſua Eccleſia in Euchariſtia non intelligerentur, nil ſpeciale in illis verbis illi promitteret. Namque percurrendo modos omnes, quibus Deus nobiſcum eſſe poteſt, invenitur, quod loqui non poteſt de præſentia, quam ut Deus habet, cum hanc in omni loco, etiam in inferno habeat, nec de præſentia ſua in juſtis, cum hoc eodem favore gaviſi fueriot omnes etiam juſti veteris teſtamenti, oec tantum de aſſiſtentia Eccleſiæ ad illam dirigendam, cum hoc etiam privilegio gaviſa fuerit Synagoga. Unde cum alius modus ſpecialis in promiſſiooe ſignificatus uon remaneat, quò Chriſtus poſſit eſſe phyſicè, & realiter nobiſcum, quam per Euchariſtiam, inde de hac ſola reali permanentia in Euchariſtia ea intelligimus, ut videre eſt apud Salmeronem (5).

(4) *Matthæi c. 28. v. 20.*

(5) *Salmeron. de ſermon. in Cæna Dñi tract. 22. ...*

160. Cum ergo ſimilem promiſſiouem, & quidem terminis clarioribus erga unumquemque noſtrum, qui dignè ad Sacramentum accedat, habeamus in illis verbis: *In me manet*, *& ego in illo*; & à ſufficieoti enumeratione modorum omnium, quibus Chriſtus jam ut Deus, jam ut homo poſſit perpetuo eſſe io nobis, alius non inveniatur, quam iu concluſione elicitus, cum præfata verba, nec ſalvari poſſint per communem Chriſti permanentiam, quam ut Deus in omni loco ratiooe immenſitatis habet, ut per ſe patet; nec ratione ſolius gratiæ, quia ſic oullum ſpecialem favorem promitteret in Sacramento, oec ratione aſſiſtentiæ ad non errandum, cum hanc promiſſionem verba non contineant, nec ratione illius ſolius permanentiæ in nobis, dum ſpecies ſacramentales durant, cum hæc ſit illa alia promiſſio ad hunc effectum ſe nobis in Sacramento dandi univerſali Eccleſiæ facta, & in illis verbis: *Accipite*, *& comedite hoc eſt corpus meum*: Ergo ut ſalvetur hoc ſpeciale beneficium, hocque ſingulare Chriſti erga unumquemque juſtum ſui amoris teſtimonium, ut aliquid ultra modos dictos, & promiſſiones jam factas verba contineant, opus eſt adſtruere hanc perpetuam realem permanentiam, & unionem.

161. Idem

161. Idem demonſtratur ex ſubſequentibus illis verbis ; *ſicut miſit me vivens Pater , & ego vivo propter Patrem , & qui manducat me ipſe vivet propter me* : Quibus ſtantibus, & declarante Chriſto , quod hæc ſua vita eſt æterna: *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam* ; & quod vult , ut ea gaudeamus in æternum ; *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* . Cum loqui non poſſit de ſula vita gratiæ , alioquin promitteret in hoc tam grandi Sacramento tamquam ſingularem effectum , & donum ſui magnificentiſſimi amoris eam vitam , quam ante ejus ſumptionem jam habet juſtus , opus eſt , quod hæc æterna vita , per quam in nobis manendo vult , ut perpetuò , & in æternum vivamus , ſit ipſe Chriſtus , ut D. Thomas exponit (6) *dicit vitam æternam , & hoc quia , qui manducat hunc panem habet in ſe Chriſtum , qui eſt verus Deus , & vita æterna* . Et eodem modo hæc verba exponunt Divus Paſchaſius , qui ait (7) *veritas proteſtatur , qui manducat meam carnem , & bibit ſanguinem meum habet vitam æternam in ſe manentem utique , & non labentem ... Quia Chriſtus eſt via , veritas , & vita* . D. Auguſtinus . (8) *Vivimus ergo nos propter ipſum manducantes eum , ideſt , ipſum accipientes æternam vitam* . Et infra : *vivunt in æternum , quia Chriſtus eſt vita æterna* . D. Chryſoſtomus (9) *Ego ſum panis vitæ , panem quidem vitæ ſeipſum vocat , quoniam vitam noſtram continet , & hanc , & futuram* . Et Ven. Beda . (10) *Qui Chriſtum manducant , vivent in æternum , quia Chriſtus eſt vita æterna* . Et alia ſimilia teſtimonia dabimus infra n. 201. & 202.

(6) *D. Thom. in c. 6 Joann. ad illa verba* habet vitam æternam .

(7) *D. Paſchaſ. de Corpor. & Sangu. Dñi cap. 19. ad fin.*

(8) *D. Aug. tract. 26. in Joann.*

(9) *D. Chryſoſt. apud Divum Thom. in Caten. aur. ad c. 6 Joan. ad illa verba* Ego ſum panis vitæ .

(10) *V. Beda in c. 6. Joann. ad illa verba* vivet in æternum .

162. Unde ſi Chriſtus vult , quod per hoc Sacramentum vivamus , non jam duntaxat per vitam gratiæ , ut antea vivebamus , ſed per ſuam propriam vitam , ſi ad id nos diſponimus , quæ eſt æterna , & qua perpetuò , & in æternum vult , ut per illam ipſo in nobis manente vivamus ; neceſſarium eſt , ut illum nobiſcum non myſticè per ſolam gratiam , ſed realiter unitum perpetuò habeamus , aliter ſalvari non poſſet illud : *Qui manducat me ipſe vivet propter me* . Nam ſi Chriſtus eſt , qui manducatur , & non manducatur myſticè per fidem , & gratiam , ut Hæretici volunt , ſed ipſa ejus Perſona dicendo , quod qui illum manducat propter ipſum vivit , conſequenter dicit , quod non per fidem , & gratiam , ſed per ejus Perſonam vivit . Et dicendo ſe velle , quod hoc vivere per eum ſit in æternum , neceſſario debemus intelligere velle , ut per ejus Perſonam , quam realiter manducamus , & non præciſè per fidem , & gratiam in æternum vivamus propter illum ſicut ipſe vivit propter ſuum Patrem . Tota hæc argumentatio eſt deſumpta ex D. Thoma , qui conſequenter ad id , quod dixerat , infra exponens illa verba *qui manducat hunc panem vivet in æternum* , ait . *Qui enim manducat hunc panem manet in me , & ego in illo ; ſed ego ſum vita æterna ; ergo qui manducat hunc panem , ut debet , vivet in æternum* . Sanè hæc duntaxat duo argumenta ex his duobus teſtimoniis deſumpta judicio meo locum non relinquunt dubitationi vel minimæ .

163. Sed ſunt & alia duo teſtimonia idipſum comprobantia . Quorum alterum eſt illud : *Caro mea vere eſt cibus , & ſanguis meus vere eſt potus , qui manducat meam carnem &c.* & illud : *ego ſum panis vivus* , & ſimilia , in quibus Chriſtus Dominus ait , ſe nobis dari in forma cibi , quibus ſi annectamus illud Concilii Florentini (11) *Hujus Sacramenti effectus , quem in anima operetur dignè ſumentis , eſt adunatio hominis ad Chriſtum .... Omnemque effectum , quem materialis cibus ; & potus quoad vitam agunt corporalem ſuſtentando , augendo , reparando , & delectando , Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem* , quod idem repetit D. Thomas (12) Ex his teſtimoniis totum aſſumptum amplius roboratur . Namque cum cibus erga corpus noſtrum ita ſe habeat , ut ejus effectus , qui eſt nutritio , ſit non quidem aliud omnino diſtinctum ab ipſo cibo , ſed cibi ipſius pura ſubſtantia ab omnibus accidentibus , ſub quibus continetur defæcata , quæ realiter , inſeparabiliter , unitur , & adunatur ſeu incorporatur cum comedente , ut ex illa nutriatur , & creſcat ; ſi huic divino cibo Corporis Chriſti ipſum Chriſtum continenti non concederetur reſpectu animæ , quod ejus effectus in eo , qui dignè illum manducat , non ſolum ſit gratia , quæ per illum communicatur (quæ eſt quid diſtinctum ab ipſo ſpirituali ſubſtantiali cibo) ſed & ipſamet ipſius cibi ſpiritualis ſubſtantia , quæ eſt anima ipſius Chriſti Domini Verbo Divino unita , quæ nobiſcum inſeparabiliter , realiter maneat , media qua verificetur effectus ille , qui à S. Concilio vocatur ; *adunatio hominis ad Chriſtum* : hæc proprietas naturæ cibi debita , & quæ ab Æcumenica Synodo , & cum ea à PP. Theologis , & Expoſitoribus omnibus Sacramento conceditur , illi certo denegaretur , quando negari illi hæc proprietas non poteſt , quam Concilium tam clarè exprimit , & Eccleſiæ Patres agnoſcunt .

(11) *Concil. Florentin. in Decret. Eugenii* .

(12) *D. Tho. 3 p. q. 79 art. 1. in corp.*

164. Nam

(13) *D. Paſchaſ. de Corp. & Sangu. Dñi cap. 7.*

164. Nam D. Paſchaſius ait (13) *Ex ipſo, & ab ipſo nos corpus ejus, carnem ipſius, ipſo manente integro, ſumamus, quę nimirum caro ipſa eſt, & fructus ipſius carnis, ut idem ſemper maneat, & univerſos, qui ſunt in corpore paſcat.* Ubi expreſsè S. Doctor pro effectu Sacramenti ponit ipſum, quod in Sacramento ideſt ſub carne continetur. Et ratio eſt, quia cum ſubſtantia panis ſit ad corpus nutriendum, & ejus loco ponatur per tranſubſtantiationem ſub ejus accidentibus Chriſtus, ad animam nutriendam ſeipſo ſpiritualiter, quia fieri hoc per ipſius carnis ſubſtantiam non poterat, opus eſt, ut eo modo, quo in corpore operatura erat ipſa carnis ſubſtantia ejus effectum, operetur etiam ſpiritualis ſubſtautia, quæ ſub carne in ipſo Sacramento continetur, ſuum effectum in anima, quæ alterius alimenti capax non eſt. Quod & amplius alibi declaravit inquiens (14) *Caro Verbi fit eſca in hoc myſterio, cibuſque Fidelium, dum vere creditur eſſe caro pro mundi vita, neque aliud aliquid, quam caro Corporis Chriſti, ex qua Chriſtus manet in nobis, ut & nos per eam transformemur in illo, qui nihil aliud factus eſt, quam Deus caro dignatione ſua, ut habitaret in nobis. Si ergo habitat in nobis, & nos membra corporis ejus manemus in illo; juſtum eſt quia in illo ſumus, ut ex eo vivamus, & ideo carne Verbi paſcimur, & potamur ſanguine. Hęc eſt lnquam firmitas fidei noſtrę, hęc unitas, & vitę communicatio. Ubi ſi natura ordo requiritur, ſuccumbit.*

(14) *Idem ib. cap. 1.*

165. Ubi nedum habemus ex atteſtatione Divi Paſchaſii, media ſua carne Chriſtum manere in nobis, ut in ipſum transformemur, & ex eo vivamus; quod & accidit in materiali cibo: verum & gradum etiam veritatis, ad quem hoc evehit. Et eodem modo loquitur Angelicus Præceptor, qui in locupletiſſimo, & diffuſo loco, variis auctoritatibus Auguſtini, Hilarii, & Ambroſii, & Sacræ Scripturæ teſtimoniis, (ut moris illi eſt) contexto, ad quem nos remittimus, exprimit totam hujus doctrinæ ſubſtantiam (15) quod & confirmat S. Leo Papa, qui ait: (16) *Nihil aliud dicit participatio Corporis, & Sanguinis Chriſti, quam ut in id, quod ſumimus tranſeamus.* Et Div. Cyrillus Hyeroſolimitanus: (17) *ſumpta Corpore, & Sanguine Chriſti efficimur ei comparticipes, & Divinæ naturæ conſortes.* Et Cornelius; (18) *Deitas enim Chriſti, quaſi cibus manet in anima ſemper eam alens, ac viciſſim anima manet in Deitate, quaſi in cibo naturali, & vivifico.*

(15) *D. Tho. opuſc. 58. c. 25. poſt medium.*
(16) *S. Leo Papa ſerm. 15. de Paſſion. Dñi.*
(17) *D. Cyril. Hieroſol. Catbec. 4.*
(18) *Cornel. in Joann. ad cap. 6. v.*
(19) *Ven. de Ponte de Chriſtiani hom. perfect. tract. 4. c. 7*
(20) *B. Albert. Mag. de Euchar. diſt. 3. tit. 1. c. 4. n. 5. tom. 21.*
(21) *D. Tho. opuſc. 58. c. 14.*

166. Ubi obſervandum eſt illud, *ſemper eam alens*, juxta naturam ſubſtantiæ cibi; quia ita cum comedente incorporatur, ut ſemper in eo manet, non enim incorporatur ad tempus. Itaque V. Ludovicus à Ponte ait: (19) *Quis diviſionem faciet inter cibum ſumptum, & eum qui ſumpſit, poſtquam ex utroque factum eſt unum? Si igitur Chriſtus in Sacra communione me fecit unum ſecum quis nos ad invicem ſeparabit?* Et B. Albertus Magnus (20) *Eſt autem ſpiritualis quadam, & optima generatio Divina, qua homo in corpus, & membrum Chriſti generatur: hoc ita fieri indiſſolubilem habens ad corpus unionem, & indiſtantem, ut in corpore ſit, & in ipſo animetur, & vivat, & jam nonniſi de corpore eſſe reputetur.* Et clarius Magiſter Angelicus, qui docet: (21) *Sicut in nobis cauſa ſalutis æternæ ſemper manet, ita effectus ille manducationis.* Undè ſicut abſurdum eſſet cibo materiali hoc denegare, non minus abſurdum erit cum omnibus expoſitis hoc ipſum ſpirituali Sacramenti cibo non concedere.

(22) *Joan. c. 17. v. 21. & 23.*

167. Alterum teſtimonium eſt illud, In quo Chriſtus Dominus in ſermone Cœnæ Patrem ſuum ſic rogabat: (22) *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti.* Et iterum: *Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, ut ſciat mundus, quia tu me miſiſti.* Quis enim hoc ſtante teſtimonio credet, quod hæc repetita deprecatio, cum eam obligante ratione, *ut ſciat mundus &c.* eſſe ſolummodo potuit, ut per Sacramentum, quod in hac eadem Cœna inſtituebat, unum inſeparabiliter cum illo eſſemus per gratiam, quam independenter à Sacramento habere poteramus, vel unum per realem unionem, ſed cum limitatione, quod hæc realis unio ſolum duraret per illud breve ſpatium, quo ſpecies in nobis durent; & quod poſt eas conſumptas nonniſi unum cum eo eſſemus per gratiam? Certè numquam adducar ut hoc ita credam. Tanta enim deprecatio cum amore tanto hanc limitationem non patitur. Cum Cyrillo, Hilario, Chryſoſtomo, Baſilio, Auguſtino, Gregorio Nyſſeno, Thoma, & reliquis allegatis Patribus, & denuo proximè allegandis ſtare volo.

(23) *D. Paſchaſ. lib. de Corp. & Sang. Dñi cap. 9.*

168. Iterum audiamus Div. Paſchaſium, qui laudata verba ita declarat: (23) *Ut ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi unum ſint in nobis; hæc itaque unitas non ſicut Hæretici volunt, ſola voluntate inter Patrem, & Filium prædicatur,*

catur , & ſicut laborant ex eo , quod ait , ego , & Pater unum ſumus , tentant igitur ad unanimitatis illud conferre conſenſum , ut unitas voluntatis in his ſit , non natura , ſicut multitudinis credentium in Jeruſalem dicitur cor unum , & anima una fuiſſe. Et infra paulo poſt ex Div. Hilario, & cum illo: *Chriſtus hodie in nobis non ſolum per concordiam voluntatis , ſed etiam per naturam in nobis , ſicut & nos in illo recte manere dicitur . Nam ſi Verbum caro factum eſt , & nos vere Verbum carnem in cibo Dominico ſumimus : quomodo Chriſtus in nobis manere naturaliter jure non æſtimatur , qui & naturam carnis noſtræ inſeparabilem ſibi homo natus Deus aſſumpſit : & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub Sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiſcuit ?*

169. Ubi obſervanda ſunt hæc tam Paſchaſii, quam Hilarii verba *ad naturam æternitatis* , ad explicandam perpetuitatem hujus naturalis , ſeu realis perpetuæ unionis à Chriſto Domino prætenſam . Et alibi hoc idem repetens, hæc verba addit: (24) *unum in ſe nos eſſe naturaliter voluit non per concordiam ſolummodo voluntatis* . Similiter loquitur Gloſſa Canonis, *in Chriſto Pater* , nam ad illa verba : *Cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum ſit unitatis*, ait : (25) *Perfectæ dicitur , quia ante unitas naturæ , etiam erat inter nos , & Chriſtum per aſſumptam noſtram carnem , ſed non erat perfecta , nam per illam nos ſumus uniti ei* (ſolum per gratiam) *ſed non ipſe nobis* (per realem unionem) *& ſic per Sacramentum altaris perfecta unitas eſt inter nos , & eum* . Et quidem inſeparabiliter quantum eſt ex parte ſua, ut proximè ex eodem D. Paſchaſio cum D. Hilario, ex quo verba Canonis deſumpta ſunt, vidimus.

(24) *Idem Epiſt. ad Frudegard. ſub tit. ſentent. Catholicor.*

(25) *Can* in Chriſto Pater *de conſecrat. diſt. 2. Gloſſ. ad illa verba*: cum naturalis .

170. Deveniendo ad Patres, id ipſum etiam oſtenditur. Nam Chryſoſtomus ait: (26) *Si hoc cibo confortatus ex mortali hac vita decedas , cum magna fiducia ad cœleſtem aulam aſcendes , quaſi veſte pretioſiſſima , auro intexta ornatus . Portas enim tecum ipſum Cælorum Dominum : cujus intuitu Angeli te comitabuntur , & ad ejus deducent thronum*. Si enim Chriſtum portat ſecum: ergo quia eum in ſe continebat . Hilarius etiam , & Paſchaſius in illis verbis, quæ proximè legimus , in quibus unionem eſſe realem inquiunt , & hanc quidem : *Ad naturam æternitatis ſub Sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiſcuit* : ergo non ad ſeparationem , ſed ad perpetuitatem hæc realis unio eſt . Idem Paſchaſius : (27) *Qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam in ſe manentem , & non labentem* . Cyrillus : *Conſiderandum eſt non habitudine ſolum , quæ per charitatem intelligitur , Chriſtum in nobis eſſe , verum etiam & participatione naturali , quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram alii ceræ ſimiliter liquefactę ita miſcuerit &c.* ut num. 32. ſi non per gratiam , ſeu habitualem charitatem Chriſtus in nobis manet , & adeo unum nobiſcum fit , quemadmodum liquefacta cera , cum alia mixta, una remanet cum illa, & hæc mixtio eſt realis , & inſeparabilis: ergo de hac inſeparabili reali , & nunquam pure myſtica permanentia Cyrillus loquitur . Auguſtinus : (28) *ſignum quia manducat , & bibit eſt , ſi hęret , & non deſeratur* . Et idem repetit Ven. Beda [29] ergo ſi verè manducat , Chriſtus in eo hæret , & illum non deſerit , ut accidit in cibo , qui ita realiter in comedento hæret , ut non deſeratur .

(26) *D. Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Corinth.*

(27) *D. Paſchaſ. de Corp. & Sang. Dom. cap. 19.*

(28) *D. Auguſt. tract. 27. in Joan.*

(29) *Vener. Beda in Joann. ad cap. 6. ad illa verba* caro mea verè eſt cibus .

171. Magiſter Angelicus: *Cum datur in cibum , datur non ad ſeparationem aliquam , ſed ad omnimodam unionem* . Afferens illud : *in me manet , & Ego in illo*. Ut num. 7. & alibi : (30) *Cibus iſte ſpiritualis eſt ſimilis quidem corporali , quia cauſat vitam indeficientem in ſumente* . Quam vitam , ut proximè vidimus num. 157. dicit eſſe ipſum Chriſtum : ergo ex mente D. Thomæ Chriſtus in Sacramento nobis non datur ad aliquam ſeparationem , ſed ad omnimodam realem unionem, quemadmodum datur cibus. Et ſi ſe nobis dat tanquam vitam indeficientem , ſeu æternam : ergo non datur nobis ad tempus, ſed ut realiter ſemper nobiſcum unitus maneat . D. Laurentius Juſtinianus : *Tuo corpori totaliter nos incorporare voluiſti , ut tecum unum cor , & unum animum haberemus inſeparabiliter colligatum* . Ut num. 101. Si totaliter inſeparabiliter quoad animas nos colligit medio ſuo corpore : ergo ut nunquam ſeparetur . B. Albertus Magnus illud Eccleſiaſtici afferens : *Datio Dei permanet Juſtis , & profectus illius ſucceſſus habet in ęternum* , illud intelligens de Chriſto, qui nobis in Sacramento donatur , ait : *Hęc eſt vera datio , quę in tranſitu manet in viaticum , & in vita in refectionem , & in judicio in redemptionem , & in Patria in ęternę Beatitudinis ſignificationem . Tales enim ſucceſſus donum iſtud habet in ęternum* , ut num. 21. dedimus . Ubi ad omnes hos ſucceſſus manere Chriſtum in nobis in æternum planè fatetur . Et mittimus brevitatis gratia Expoſitores , cum iiſdem PP. infra videndos .

(30) *D. Thom. in Joan. ad illa verba : habet vitam æternam* .

172. Accedendo jam ad ſymbola ſacra , & ſimilitudines , quibus Sacer textus,

& Pa-

& Patres utuntur, & quibus modum hujus permanentiæ Chriſti in nobis declarant. Primum locum obtinet ea maxima ſimilitudo, quam Patres, & Theologi ponunt inter unionem, quam Chriſtus Dominus per Sacramentum nobiſcum habet, & eam, qua Verbum Divinum noſtram naturam aſſumpſit, in illis verbis fundati: *Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me ipſe vivet propter me*. Et ex illis, Euchariſtiam ob hanc ſimilitudinem extenſionem incarnationis vocando, de quo late egimus, §. XII. Et quibus adnectere D. Paſchaſium poſſumus, qui ait (31) *Aſſumpſerat enim hominem in Deum, quando Verbum caro factum eſt, ut per eum eſſemus in illo, ſed nec dum ille admiſcuerat ſe per carnem, & ſanguinem ſuum nobis, ut ſinguli membra in illo unum eſſemus corpus*. Ubi obſervare debemus diſtinctionem, quam conſtituit inter illam unionem, & unitatem myſticam, quam cum Chriſto independenter à Sacramento habebamus, & illam majorem, quam per Sacramentum conſequimur. Et Maldonatum, qui ait (32) *Sicut enim per unionem etiam hypoſtaticam fit, ut vita illa divina, & feliciter immortalis humanę Chriſti naturę facta ſit, ita per conjunctionem noſtram cum corpore ejus efficitur noſtra. Atque hoc eſt, ſicut miſit me vivens Pater &c.*

(31) *D. Paſchaſ. Epiſt. ad Frudegard. in ſenten. Catholicor. Patrum.*

(32) *Maldonatus in cap. 6. Joannis ad illa verba ſicut miſit me &c.*

173. In quo omninò concordant cum Gloſſa Canonis proxime citati, & ſic in eadem ſeotentia, cum ferè eadem utriuſque teſtimonii verba ſint. Ex qua ſanè ſimilitudine nobis convincitur, hanc extenſionem Incarnationis locum habere minimè poſſe, ſi præfata verba: *In me manet, & Ego in illo*, de illa perpetua, & inſeparabili reali unione in cnnclusione ſtabilita non intelligantur. Enim vero cum hæc unio, qua Chriſtus manet in nobis ad inſtar illius ſit aſſumptiva, qua ipſe aſſumit eum, qui Sacramentum debita diſpoſitione recipit, ad ſe io illo repræſentandum, & in illo, & cum illo operandum, quemadmodum Verbum naturam noſtram ad eundem finem (cum reliquis de quibus fide edocemur) idcirco ut locum habeat ſimilitudo, opus eſt hanc realem unionem perpetuam conſtituere.

174. Nanquè cum Incarnatio Verbi facta fuerit nedum per unionem realem, verum etiam per unionem realem aſſumptivam perpetuam, & abſolutè inamiſſibilem, quia quod Verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit, ſi hæc unio, quam per Sacramentum Chriſtus nobiſcum habere intendit, non eſſet realis, & perpetua quantum eſt ex parte ipſius Chriſti, nihil omnino remaneret, in quo ſalvari poſſet. Nam in primis, ſi non eſſet realis, ſed myſtica per gratiam, non majorem ſimilitudinem haberet hæc unio, quàm ea, quam Deus nobiſcum per gratiam habet, juxta illud: *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et cum nec Patres, nec Theologi hanc vocent extenſiooem Incarnationis, aliquid majus in hac unione agnoverunt, & cum aliud excogitari non poſſit, niſi quod illa eſt myſtica, & hæc realis: inde &c. Rurſus ſi non eſſet perpetua, ſed tranſitoria, non poſſet eſſe aſſumptiva, & ſic nec extenſio Incarnationis vocari. Itaque inſignis ille Cardinalis Turriſcremata, ut vidimus num. 44. ait: *Cum in hac participatione Corporis Chriſti, Chriſto incorporemur, & uniamur, quia Chriſtus quod aſſumpſit nunquam dimiſit; nec dimittet, vel inſeparabiliter, ſi dignè perſeveramus*. Præſertim quando hæc aſſumptio eſt, ut aſſumptus illum in ſuis virtutibus repræſentet, & in illis oſtendat Chriſtum manere io ipſo, & de ejus vita vivere, & cum intendere Chriſtus non poſſet, ut ad tempus, & tranſitoriè illum ſic repræſentaremus, dicente Paulo: (33) *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*: inde &c. Porrò tam longè eſſet hæc unio à ſimilitudine cum hypoſtatica, ſi realis perpetua non eſſet, ut potius vocari deberet diſſimillima, & ab ea alieniſſima.

(33) *Paul. 2. ad Corinth. cap. 4 verſ. 10.*

175. Cum ergo debeamus aliquid ponere, in quo hæ uniones conveniaot, & in quo differant, ut intra terminos ſimilitudinis hæc Euchariſtica contineatur, & non tranſeat ad æqualitatem, & ad hoc ſufficiat, quod illa hypoſtatica ſit ad uoum ſuppoſitum componendum; hæc verò nonniſi ad unum quaſi ſuppoſitum, & quod illa ſit per ſe perpetua & inamiſſibilis; iſta verò non per ſe, ſed ex iotentione Chriſti tantum; iodè eſt, quod ſi ſaltem has duas tanto interiores ſimilitudines huic uoioni non concedamus, nihil remaneret, in quo ſalvari ſimilitudo hæc poſſet: dicente D. Paſchaſio (34) *Carni quidem caro ſpiritualiter convíſcerata transformatur, ut & Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inveniatur, ſicut & ipſe noſtram in ſuam aſſumpſit Deitatem; quę igitur major ſecuritas, quam ad ſuam ſubſtantiam orare, & eam in Deo venerari, atquè per unitatem perſonæ dicere: O' Deus meus ſubſtantiæ!* Obſervetur illud *atque per unitatem perſonæ!* Et alibi: *Caro Corporis Chriſti, ex quo Chriſtus manet in nobis, ut & nos per eam transformemur in illo*: ut num.

(34) *D. Paſchaſ. lib. de Corp. & Sang. Domini c. 19.*

Digitized by Google

num. 164. & D. Chryſoſtomo: *Manduca me, & bibe, & te ſurſum habeo, & tibi connector*, ut num. 114. & alibi: *Chriſtus nos alit, & ſibi conjungit, atque conglutinat*, ut num. 120. dedimus. Quæ profectò unitatis quaſi unius perſonæ, transformatio, mutua connexio, & conglutinatio ſalvari non poteſt per tranſitoriam realem unionem, cum Chriſtus Dominus hæc omnia in eo, qui Sacrameutum dignè recipit, ita intendat, ut in nobis perpetua ſint, quod abſurdiſſimum foret dicere, ea nonniſi ad tempus intendere ſuppoſita neceſſitate hujus realis unionis ad hos effectus per Sacramentum recipiendos, quam demonſtratam relinquimus, & quam ſuppouet, qui hanc realem unionem coutendat, quod ſolum duret, dum ſpecies durant.

176. Alia ſimilitudo, & ſymbolum, quo perpetuitas hujus unionis amplius oſtenditur, eſt illud inſertionis, quo Apoſtolus Jacobus, & Patres utuntur, ut latè vidimus §. XII. ut hanc unionem declarent, quæ inſertio fit, ut ſurculus, ſeu ramus perpetuò maneat realiter incorporatus, & conglutinatus cum arbore, quæ inſeritur, & eos fructus ſemper producat, qui proprii ſunt ſurculi, qui iuſeritur, Quod apprimè exprimit naturam hujus unionis, cum arbor non inſeratur, ut tranſitoriè ea nobilitate gaudeat ſurculi, qui in ea inſeritur, nec ut ad tempus ejus nobiliores fructus producat, ſed ut perpetuò ex intentione inſerentis in ſurculum transformata fructus ſurculi, ſeu rami, in quo fuit inſerta, ſuos fructus ferat. Itaque Ven. Ludovicus à Ponte ait: (35) *Ipſe dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & Ego in illo: Ego ſcilicet opus in eo faciam, ipſeque idem faciet mecum, quia uterque unus erimus ſpiritus, quemadmodum inſertus ramus cum ſuo ſtipite*. Et idem ait Salmeron. (36)

177. Aliud ſymbolum, ſeu ſimilitudo hujus Sacramenti ſumitur ex commixtione unius aquæ cum alia, quo utitur D. Thomas, [37] & commixtionis etiam ejuſdem aquæ cum vino in conſecratione, per quam Eccleſia ſignificare intendit hanc noſtram unionem cum Chriſto, quæ mixtio, & converſio, & eſt realis, & inſeparabilis. Aliud deſumitur ex impreſſione ſignaculi, quo D. Thomas, & PP. utuntur, ut in ultimo §. XIV., ut quemadmodum illud, quod ſigillatur, portat in ſe impreſſam imaginem ſigilli, ſic nos in anima impreſſum ipſum Chriſtum portemus. Idquecirco D. Chryſoſtomus, ut vidimus num. 94. ajebat: *Cum magna fiducia ad cæleſtem aulam aſcendes, quaſi veſte pretioſa auro intexta ornatus: portas enim tecum ipſum Cœlorum Dominum*. Et Cornelius Alapide exprimens illud Cant. 8. *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, qui ait: *Beati in Cælo Chriſtum, ut ſignaculum geſtabunt in corde, & brachia jubilantes cum eo per amaem ęternitatem*. Alia ſimilitudo, ſeu ſymbolum Sacramenti eſt illa magnetis, qua ut vidimus num. 110. utitur Salmeron. Et cum vis hujus lapidis tanta ſit, ut quod ad ſe atrahit, ita ſecum conjungat, & uniat, ut ſi non auferatur nunquam illud à ſe ſeparet. Sic pariter adſtrui debet virtus, qua Chriſtus ad ſe in Sacramento atrahit eum, qui dignè illum recipit, & cum quo realiter ſe unit, ut illud niſi ſeipſum per peccarum ſeparet, nunquàm deſerat. Ut optimè ipſe Salmeron ponderat, dum ibidem ait: *In lapide enim, ideſt in homine illo, allata eſt nobis divina virtus: ſi ei lapidi jungimur, jam divina, qua tracti ſumus virtute continebimur, & tandiù, quamdiù illa virtus valet, vigetque. At vis divina ęterna eſt, in ęternum igitur ſine viciſſitudinis mutatione permanebimus, niſi recedere ſponte voluerimus*, ut eodem num. 110. dedimus.

178. Deveniendo jam ad rationes, duas tantum reproducam, quæ efficaciſſimè convincunt hanc perpetuam realem unionem. Altera eſt fundata in amore, & Omnipotentia Chriſti Domini, quam ad longum expoſuimus per totum §. XIII., ad quem nos remittimus, quæ in id reſumitur, quod ſi tam grandis fuit amor Chriſti Domini, etiam in quantum homo eſt, ejuſque ſanctiſſimæ animæ erga nos, quod ut ſe nobis uniret, unuſque nobiſcum ſpiritus fieret, voluit in Sacramento, media ſua carne ſe nobis dare: ſi pro hac unione, & unitate Patrem ſuum in eadem Cœna tam enixè rogavit, & quod hæc eſſet quemadmodum ea eſt, quam cum Patre habet, quæ eſt ſpiritualis realis perpetua, & æterna: ſi amor ex D. Thoma cum S. Auguſtino ex natura ſua petit, ut ſi unio realis eſſet poſſibilis inter amantes, realiter unirentur, ut unum fierent, ut ibidem num. 125. dedimus: ſi hæc unio realis perpetua, & æterna inter Chriſtum & nos media ſua ſanctiſſima anima eſt poſſibilis, ut paragrapho decimoquarto per totum latè oſtenſum ratione, & variis exemplis dedimus: ſi Pater filio ſuo negare non poterat hoc, quod ſibi tam copioſe meruerat, & tam enixè ab eo petebat: ſi amor Patris erga nos eſt tam grandis, & infinitus, ut illa verba Joannis ſignificant: (38) *ſic Deus dilexit Mundum, ut fi-*

(35) *Ven. Ludovic. de Pont. de Chriſt. hom. perfect. tract. 4. cap. 4.*

(36) *Salmer. de ſerm. in Cœna Dom. tract. 56. tom. 9.*

(37) *D. Tho. Opuſc. 58. c. 20. ad finem.*

(38) *Joan. c. 3 v. 16.*

llum ſuum unigenitum daret , & quidem ut vitam ſuam in patibulo Crucis pro nobis noſtraque ſalute offerret : ſi Apoſtolus ait : (39) *Qui proprio filio ſuo non pepercit , ſed pro nobis omnibus tradidit illum , quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* : ſi ut Joannes teſtatur Chriſtus ſciebat , quod *omnia dedit ei Pater in manus* : ſi verba illa ejuſdem Chriſti Domini ; *in me manet ; & ego in illo* ; & illa : *qui manducat me , ipſe vivet propter me* ; & illa ; *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* , in ſenſu naturali , obvio , & genuioo hoc idem ſignificant , quod deſiderabat , & pro quo Patrem exorabat.

(39) Pauli ad Roman. 8. v. 32.

179. Si hæc Verba à tot PP. de hac reali perpetua nobiſcum unione declarantur ; quomodo dubitare his ſtantibus poſſumus , hanc realem perpetuam unionem , quæ imitatur eam , quam ut Deus cum Patre habet , & quam ut homo cum ſua Divinitate nobis per Sacramentum communicat , voluiſſe nobis communicare , ut utramque ſuam vitam animæ , & divinitatis nobiſcum perpetuò habeamus , ut per utramque nobis modo poſſibili etiam declarato vivamus ? Audiamus V. P. Ludovicum à Ponte , qui ex hoc Patris æterni amore erga nos quaſi idem argumentum efformat . Ait enim (40) *Quemadmodum pro noſtra reparatione miſit illum in Mundum ; ita in hoc Sacramento miſſionem illam continuat . Quamobrem aſpicientes , quæ ibi geruntur , vere ac proprie dicere poſſumus : ſic Deus dilexit Mundum , ut filium ſuum unigenitum daret ; ut omnis qui fide viva eum receperit non pereat , ſed habeat vitam æternam ... Nulla nobis ſupereſt dubitandi ratio , quin nos adhuc diligas , qui optimum , quod habet donum quotidie nobis largiris . Quod ſi de tua charitate ambigere non liceat , nec de immenſa tua liberalitate licebit . Qui enim proprio filio non pepercit , ſed illum dat nobis in cibum ; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ? Qui nobis dat , quod majus eſt , quomodo quod eſt minus negabit ?*

(40) V. Ludov. de Ponte de Chriſtiani homin. perfect. tract. 4. c. 3.

180. Altera ratio ex natura ipſius Sacramenti deſumitur , quæ ni fallor , convincit hanc realem unionem , non poſſe non eſſe perpetuam . Enim vero cum hæc unio ſit effectus primarius hujus Sacramenti , qui ex opere operato cauſatur in eo , qui debita diſpoſitione ad illud accedit , & omnia Sacramenta petant , quod effectus ejus primarius , quando adeſt debita diſpoſitio , ſit infallibilis , perpetuus , & durabilis in eodem gradu , & modo , quo nobis fuit communicatus , ſi per recipientem non ſtet , quin in dubium hoc verti poſſit ; hoc ipſo , quod hæc unio , quæ per Sacramentum illi , qui debita diſpoſitione illud ſumit , communicatur , ut vel ad inſtans dicatur realis , dici debet conſequenter perpetua , ſicut & ipſa gratia , quæ per Sacramentum nobis confertur , & ad quam accedente ea majori diſpoſitione , quam hæc unio exigit , ex opere operato ipſa ſubſequitur . Nam ut ait D. Thomas , ut vidimus num. 166. *ſicut in nobis cauſa ſalutis æternæ ſemper manet , ita effectus ille manducationis* . Et B. Albertus Magnus , qui ait , quod Chriſtus (41) *perſeverat in nobis in omnem ſufficientiam corporis , & animæ , & vitæ , & mentis , & gratiæ , & gloriæ* . Ex quibus omnibus nedum concluſio de hac Chriſti Domini permanentia perpetua in anima , de hacque reali perpetua conſequenter unione manet amplius roborata , verum & demonſtratur ſuſtineri minimè poſſe , nec componi , cum rigoroſo , & genuino ſenſu illorum verborum ; in me manet , & ego in illo , & cum PP. doctrina , quod hæc unio realis ſolum duret , dum ſpecies durant , & quod his deficientibus myſtica tantum remaneat .

(41) B. Albert. Mag. de Euchar. diſt. 2. tract. 2. cap. 3. tom. 21.

181. Quo ſuppoſito ſolum reſtat demonſtrare illam aliam partem efformati à nobis argumenti ; ſcilicet minimè cum hac unione ad tempus reali , & ad tempus pure myſtica evitari ut oportet poſſe vim præcedentis argumenti quoad Novatores ; quibuſcum in hoc §. agimus , cum adhuc ejus validitas ſubſiſtat . Quod ex eo oſtenditur , quia Novatores idem ſimiliter argumentum pro ſuo errore manutenendo efformare poterunt , quod ſupra expoſuimus in ea parte , qua in ſenſu myſtico verba Chriſti Domini : *in me manet , & ego in illo* , & omnia concordantia ſumi poſſe contenditur . Namque ſemper illis remanet occaſio , ut dicere valeant , quod ſi hæc verba ; *in me manet , & ego in illo* , & illa : *Qui manducat me ipſe vivet propter me* , & illa ; *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam* , & illa : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* , & alia concordantia , quæ in ſenſu ſuo obvio , & naturali ſignificant , abſque ulla limitatione permanentiam perpetuam Chriſti in nobis , ut per eum , qui eſt vita æterna vivamus , & in æternum hac ſua vita gaudeamus , intelligimus de reali permanentia , de realique unione ipſius Chriſti , dum ſpecies durant , & de myſtica conſumptis ſpeciebus ; nullam majorem rationem habemus ad illa partim in ſenſu myſtico intelligenda , quam illi ad plenè in eodem ſenſu myſtico capienda .

182. Quan-

182. Quandoquidem ſi ea in ſenſu reali, dum ſpecies durant, eo ducti intelligimus, quia ſub ſpeciebus eſſe ſupponimus realem Chriſti præſentiam, cum hoc ſit, de quo illi diſputant, & quod negant, hoc erit illis reſpondere cum ipſa concluſione, quod in ſcholis non admittitur. Unde, ut illos plenè, & efficacius confundere, & convincere poſſimus, demonſtrare debemus, ita ex illis verbis: *in me manet, & ego in eo*, ſicut & ex reliquis Chriſti Domini realem præſentiam in Sacramento, ejuſque realem permanentiam in nobis, ut permanentiam illam numquam in ſenſu pure myſtico intelligamus, & ſic poſſimus concludere cum literali, & obvio ipſius Chriſti Domini verborum ſenſu ab ipſo diſertis verbis declaratam fuiſſe hanc ſuam realem præſentiam in Sacramento, hancque ſuam realem ſumptionem, realemque permanentiam, & unionem, ex eo irrefragabili principio, quod verba S. Scripturæ in ſuo naturali, & genuino ſenſu intelligi debent, quando nullum oſtenditur abſurdum, quod ex genuina intelligentia ſequeretur, & ab illis abſurdum nullum oſtendi, ut in ſupradicto ſenſu intelligi non debeant, & ita in dicto reali ſenſu intelligenda venire. Hoc enim erit tanquam Theologos reſpondere; & non præciſè cum ipſa concluſione, ſed cum literali teſtimonio Chriſti Domini, quod admittere debent, quodque in omni ſuo ſenſu realem præſentiam, realem manducationem, realem permanentiam, & realem unionem ſignificat, quod profecto fieri non poteſt admiſſa, illa dimidiata intelligentia reali, & myſtica in iiſdem verbis.

183. Namque admittendo cum iiſdem verbis, quibus probamus realem permanentiam, puram etiam myſticam permanentiam, vim argumento noſtro adimimus, & occaſionem, ut dixi illis damus ad ſuæ argumentationis reproductionem, quandoquidem in hoc caſu cum hac dimidiata eorumdem verborum intelligentia diſputatio ad id tunc tendet; quare cum iiſdem verbis admittimus poſt conſumptas ſpecies permanentiam moralem, & myſticam, & cum iiſdem ultra moralem & myſticam etiam phyſicam. Unde ſi reſpondemus, quia Chriſtus eſt phyſice ſub ſpeciebus; continuò inſurgent, ut diximus, hoc eſſe illis cum concluſione reſpondere, quam negant, & ſic aliam rationem diſparitatis debere illis dari hujus diverſi modi permanentiæ, quæ ſi illis non detur, eſt voluntaria diſtinctio, ut ipſi dicent; & ſic non majorem rationem nos habere, ad ea partim in ſenſu myſtico intelligenda, quam illi habent ad abſolutè, & planè ea in ſenſu morali, & myſtico intelligenda. Manet ergo ſufficienter, ni fallor, oſtenſum, quod ſi illa verba: *in me manet, & ego in illo*, de hac reali perpetua permanentia Chriſti in nobis, de hacque reali unione intelligeremus, ea ſequerentur abſurda, quæ ponderata ſunt. Unde ſolum reſtat oſtendere, quod ex hac verborum ſignificatione in ſuo rigoroſo, & obvio ſenſu, nullum ſequitur abſurdum, nullumve inconveniens, nec ulla ratio nos urget, ut aliter in ejus intelligentia procedere poſſimus.

§. XVII.

Oſtenditur nullum eſſe fundamentum, nullamve rationem, quæ nos cogat, ut recedamus à rigoroſo literali præfatorum verborum ſenſu.

184. RESTAT modo probare nullum grave fundamentum eſſe, nullumque inconveniens adduci poſſe, ut recedere debeamus à rigoroſo literali illorum verborum ſenſu; *in me manet, & ego in illo*, in concluſione expoſito. Et licet hoc ab Eminentiſſimo abunde demonſtretur, pleniſſimè ſatisfaciendo omnibus illis argumentis, quæ ad hanc intelligentiam oppugnandam fieri poſſunt, tamen nonnulla alia attingemus, ut nihil deſit, quod pro vero judicio controverſiæ deſiderari poſſit.

185. Neſcio certò, quæ allegari queant, quæ urgere valeant ad recedendum à rigoroſo præfatorum verborum ſenſu. Aſt ſi forſan alicui videatur, & allegetur ab Eccleſiæ Patribus hanc Chriſti Domini realem perpetuam permanentiam, hancque realem perpetuam unionem animæ ſuæ perſonæ divinæ unitæ cum anima noſtra clarè non agnoſci, & ſic adſtrui non debere, & conſequenter, nec verba ut ſonant intelligi. Omnino id negabimus. Eſt enim conſtans allegatos Patres diſertiſſimis verbis fateri Chriſtum per Sacramentum manere in eo, qui dignè illud recipit. Eſt etiam certum eoſdem Patres docere hanc permanentiam, & unionem non eſſe ſolum myſticam per fidem, & charitatem, ſeu per concordiam voluntatum, ſed

natu-

naturalem, ſeu realem, quod idem eſt (ut præter Cardinalem Turrecrematam, & Salmeronem laudatos num. 30., ait etiam Cardinalis Toletus (1) ut contra Arium arguerent, aliter illum non impugnarent, qui hanc myſticam unionem non negabat: eſt æquè certum, quod de unione perpetuo permanente cum anima (cui effectus Sacramenti communicatur) & non de tranſitoria cum corpore loquuntur, ut omnia per totum hunc diſcurſum, & ſignanter §. præcedenti per totum ex ipſis Patribus manet demonſtratum: eſt tandem æquè certum, quod Patres ignorare non poterant, quod ſpeciebus ſacramentalibus conſumptis, deficit Corpus, & Sanguis Chriſti Domini: ergo fateri debemus bene agnoviſſe hanc realem perpetuam permanentiam animæ Chriſti unitæ perſonæ ſuæ divinæ in anima Sacramentum dignè recipientis.

186. Enim vero, ſi ut Arium, ejuſque ſequaces impugnarent, eorumque argumentis ſatisfacerent, docent in illis verbis fundati: *in me manet &c.* Et in illis; *ſicut miſit me vivens Pater &c.* cum omnibus concordantibus Chriſti Domini teſtimoniis jam expoſitis, Chriſtum permanenter *ad naturam æternitatis* in nobis manere, non myſticè, & per dilectionem, ſeu concordiam voluntatis, ſed naturaliter, ſeu realiter per realem unionem, & deficiente Corpore, & Sanguine Chriſti non aliud remanet, in quo verificari poſſit manere in nobis realiter Chriſtum, niſi ejus anima Perſonæ Divinæ unita (in quo, ut num. 53. ex D. Thoma, cum D. Auguſtino vidimus verificatur manere Chriſtum) quomodo dici poterit non agnoviſſe hanc animæ Chriſti realem perpetuam perſeverantiam in anima noſtra? Hoc enim ſufficeret, etſi de anima ſignanter mentionem non feciſſent, ut tenere deberemus hanc doctrinam docuiſſe. Cum enim locis ſupracitatis de hac animæ unione nominatim egiſſent, ut §§. VIII. IX. X. & XI. oſtendimus, indubiè dicere debemus hanc animæ permanentiam agnoviſſe, licet ea extenſione, claritate, & expreſſione, qua Auctor noſter eam tradit, ipſam non expreſſerint, quod neceſſarium non erat, nec tunc conveniebat propter Infideles, & Cbatecumenos, de quo multa tradit Eminentiſſimus & videri poteſt V. Bellarminus. (2)

187. Quod vero locuti ſint multis in locis licet non ſemper ſub terminis unionis corporum, eam aliquando unus, vel alter vocando corporalem, ex eo proculdubio oritur, quod voluerunt obſervare eumdem modum loquendi, quo utitur Chriſtus, nam ſicut ipſe de Sacramento ſemper loquitur ſub nomine corporis, ſeu carnis, vel ſanguinis, quia ſola caro, vel ſanguis ponitur ex vi verborum, & in iis ſolis conſiſtit formaliter Sacramentum, ut ait D. Thomas (3) & vidimus num. 56. quia in forma cibi, vel potus voluit ſe nobis communicare; ſic Patres loquendo cum Hæreticis, eodem modo de ejus in nobis permanentia ſub eiſdem terminis panis, vel carnis, vel ſanguinis loqui voluerunt. Namque agendo de Sacramento, ut ipſe Chriſtus Dominus egit ſub nomine carnis, ſeu corporis, erat quaſi conſequens exprimere ſic unionem, non quia credere poterant, hanc unionem corporum eſſe effectum Sacramenti à Chriſto Domino intentum, quod eſſet abſurdiſſimum, ſed quia media hac unione illa alia realis ſpiritualis à Chriſto intenta, inter eum, & Sacramentum recipientem conſequitur, & ſine qua illa non conſequeretur, ut §. III. demonſtravimus, & §. etiam IV. auctoritate ipſorum PP. & ſufficere poterat allatum teſtimonium V. Bellarmini num. 145. expoſitum, cui adjicere poſſumus Card. Toletum dicentem: (4) *Attendenda ſunt verba, non dicitur manet in carne mea, & caro mea manet in ipſo, ſed ego in ipſo, & ipſe in me, denotans ipſum ſuppoſitum divinum & Perſonam, ac ſi dicat: qui carnem meam manducat quandam unionem habet cum eo, & ratione carnis meæ in me manet, & ego qui Deus ſum in eo maneo, &c.*

188. Et ad hoc propoſitum ajebat V. Ludovicus à Ponte (5): *Quamvis ad veritatem verborum conſecrationis ſatisfeciſſet nobis dare in Sacra Hoſtia ſolum corpus, & in ſacro calice ſolum ſanguinem; voluit tamen ut cum ipſo corpore ſanguis quoque & anima conjungeretur, & ſimiliter cum ſanguine anima, & ipſum corpus, & omnia ſimul cum ipſa divinitate conjungi: itaut quidquid ipſe habet conjungatur cum omnibus, quæ nos habemus; eaque ſanctificet, & perficiat.* Quamobrem Auguſtinus ut num. 80. vidimus dicebat: *fiant Corpus Chriſti, ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti*, quia niſi prius Corpori Chriſti per ſumptionem Sacramenti uniamur, de ejus vita cum ipſius anima participare minime poſſumus, ut ait D. Hilarius (6) *carne Domini efficitur, ut nos in ipſo, & Chriſtus in nobis ſit.* Et D. Thomas (7) *Per veritatem corporis, & ſanguinis ſui nos ſibi conjungit in hoc Sacramento; unde ipſe dicit Joan. 6. qui*

man-

(1) *Card. Toletus in cap. 6. Joan. annot. 29. initio.*

(2) *Bellarm. de Euchar. lib. 2. cap. 39.*

(3) *D. Thom. 3. p. q. 76. art. 1. in corp. & ad 1. & art. 2.*

(4) *Card. Tolet. ad cap. 6. Joann. in comment. ad illa verba:* In me manet.

(5) *V. Ludovic. à Ponte de Chriſtiani hominis perfect. tract. 4. cap. 3. §. 1.*

(6) *D. Hilar. apud D. Thom. opuſc. 58 cap.*

(7) *D. Thom.*

manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. 3.p.q.75.art.1. in corp.
Cæteroquin ſi unionem ſolummodo ponerent inter carnem, & carnem, corpus, & corpus tanquam effectum Sacramenti, non dicerent manere realiter inſeparabiliter *ad naturam æternitatis* in nobis Chriſtum, & nos in ipſo, ut exprimunt, cum unio cum corpore ſuo ſit tranſitoria, quæ ſolum durat dum ſpecies durant.

189. Si opponatur multos ex laudatis PP. & Doctoribus, quos in comprobationem concluſionis adduximus, variis in locis pro effectu hujus Sacramenti ſolum exprimere gratiam, & charitatem, quin mentionem ullam faciant de hac reali Chriſti Domini perpetua permanentia, & unione, ut ex eo inferri contendatur, in eo ſenſu eſſe non potuiſſe, quod Sacramentum cauſet hunc effectum, & conſequenter de illo præfata illa verba: *in me manet, & ego in illo* intelligi non debere. Si inquam hoc opponatur, libenter, quod ſupponit, qui ſic opponat, fatebimur; Hilarium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Auguſtinum, Gregorium Magnum, Paſchaſium, Algerum, hucuſque laudatos, & Bedam, & Gultmundum proximè laudandos, excludendo; ſed conſtanter omnino negabimus, quod ex eo id, quod deduci intenditur, inferatur. Namque multi ex PP. & Expoſitoribus, & omnes etiam Theologi tam Scholaſtici, quam Morales, loquendo de effectibus hujus Sacramenti (& idem intelligo de reliquis) dicunt, hunc effectum eſſe augumentum gratiæ, & charitatis, quin mentionem ullam faciant de communicatione, & vera, & reali Spiritus Sancti aſſiſtentia & totius conſequenter Trinitatis cum ipſa gratia in anima juſti; & tamen iidem PP., Expoſitores, & Theologi firmiter aliunde tenent nobis dari cum gratia Spiritum Sanctum, adeo, ut Suarez cum D. Thoma, & Cornelius fateantur ſine nota erroris contrarium dici non poſſe, ut vidimus num. 16. Ergo ſicut ex hoc inferri non poteſt, quod in ea ſententia non ſint, quod cum gratia datur etiam Spiritus Sanctus, ſimiliter nec ex eo quod argumentum adducit. Et eſt utriuſque caſus, & aliorum ſimilium, qui afferri poſſunt, ratio, quia ſufficit, quod aliquo in loco Patres Expoſitores, & Theologi id doceant, ut quidquid alibi dixerint, quod contrarium non ſit, ſed compoſſibile cum eo, quod docuerunt, in ſenſu ſufficienti intelligatur, non vero in excluſivo.

190. Cum ergo negari non poſſit in locis ſupra allegatis Patres, & Doctores ibi laudatos docuiſſe, quod in illo, qui debita diſpoſitione Sacramentum recipit, manet perpetuo Chriſtus, non per dilectionem tantum, & concordiam voluntatis, ut Ariani contendebant, ſed per naturalem realem unionem, & quod illa æterna vita, quam Chriſtus dicit in ſe habere, qui illum manducat, eſt ipſemet Chriſtus, per cujus vitam tam divinam per Verbum, quam humanam per animam, vult, ut & nos vivamus, quemadmodum ipſe propter Patrem vivit, & quidem perpetuo, & in æternum, ut omnia demonſtrata plena manu dedimus §. §. VIII. IX. X. XI. & diffuſius §. XVI. Inde eſt, quod licet alibi ſolum mentionem faciant de effectu gratiæ, & charitatis, deduci ex hoc non queat, quod argumentum intendit. Exprimendo enim aliqui ex laudatis Doctoribus illum effectum augumenti gratiæ, & charitatis, declarant, quod verum eſt, cum Sacramentum etiam cauſet augumentum gratiæ, & charitatis, quod nedum non excludit illum alium ſuperiorem effectum, verum & cum illo ſimul communicatur, & eſt neceſſaria ipſa gratia ad hunc alium conſequendum, & conſervandum; quandoquidem ſine gratia nec conſequi, nec conſervari poteſt mirificus ille effectus. Et cum aliunde hic effectus ſit magis obvius, & omnibus communis, pro quo conſequendo ſufficit diſpoſitio gratiæ, & ille alius effectus nedum majorem diſpoſitionem requirat, & ſic non ab omnibus conſequatur, verum & declarationem majorem petat, cum paucis verbis declarari non poſſit, nec ab omnibus plenè intelligi, ideo tam frequenter de illo mentio fieri non debebat.

191. Si opponatur, quod licet ex doctrina PP. negari non poſſit hæc unio realis inter Chriſtum, & Sacramentum recipientem; bene tamen hoc componitur cum eo, quod deficientibus ſpeciebus ſacramentalibus maneat ſolum in nobis per gratiam, quin opus ſit, ut in nobis maneat ipſe Chriſtus ſecundum ſuam animam, eo quod verba illa: *in me manet, & ego in illo.* Et illa: *qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Et illa: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Et illa: *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Et illa: *ſicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*: benè ſalvari poſſunt, conſumptis ſpeciebus, per ſolam gratiam, cum per illa recte dici poſſit Chriſtum myſticè, & moraliter

Digitized by Google

liter manere in illo, qui Sacramentum dignè recepit, & illum myſticè vivere per Chriſtum, & ut verificetur habere in ſe vitam æternam, cum ipſa gratia ſit illius ſemen, & æternæ gloriæ pignus, & quod vivet in æternum unum factum cum illo, ſi per eum non ſtet; & quod nullus ex PP. Expoſitoribus, nec ex Theologis negare poteſt hanc vim gratiæ & paſſim hæc omnia illi concedere; imo nonnullos ex allegatis Patribus, & Doctoribus pro concluſione firmanda laudata verba exponendo de communicatione gratiæ ea declarant, per quam vitam æternam conſequimur: & ſic præfata omnia verba nec diviſim, nec ſimul ſumpta intelligi debere de hac perpetua reali unione, ſed de perpetua myſtica per gratiam poſt ſpecies conſumptas, cum ſola gratia ſufficiat, ut verificari præfata omnia poſſint.

192. Si inquam hoc opponatur, libenter fatebimur ea, quæ de gratia afferuntur, & quod cum illa ſola verificari in abſtracto præfata omnia poſſunt, & quod à nullo ex Patribus, Expoſitoribus, & Theologis ea vis gratiæ denegatur, nec denegari poteſt; omnino tamen duo negamus. Primum, quod hæc omnia, quæ in abſtracto vera ſunt, in concreto loquendo de Sacramento cum allegatis Chriſti Domini teſtimoniis, Patrum doctrinis, validiſſimis expoſitis rationibus, & abſurdis, quæ ex eo ſequerentur ſuſtineri valeant, ut demonſtratum habemus iis omnibus, quæ ab Eminentiſſimo, & à nobis in toto hoc diſcurſu expoſita maneut, & præſertim §. antecedenti per totum.

193. Secundum, quod etiam negamus eſt, quod nullus ex allegatis PP. & Doctoribus pro concluſione adductis in caſu ullo; nec ante ſpecierum conſumptionem, nec poſt eas conſumptas, nullum ex præfatis teſtimoniis intellexerint, nec de præciſa Chriſti Domini myſtica permanentia per gratiam, nec de ſola myſtica participatione vitæ Chriſti Domini per illam, nec de myſtica æterna vita per eandem, nec de ſolo vivere in æternum per ipſam, de ſolave myſtica unione cum Chriſto poſt ſpecies conſumptas. Nam in primis de Cyrillo, Hilario, Chryſoſtomo, Baſilio, & Nyceno nefas eſset dicere in ſenſu myſtico, nec durantibus ſacramentalibus ſpeciebus, nec poſt eas conſumptas præfata verba intellexiſſe; ſed potius omnino ab eo fugiſſe, ut opus erat, quatenus Arii argumenta refutare poſſent. Et idem dicimus de D. Paſchaſio, qui poſtea contra Bertramum iiſdem argumentis proceſſit. Et videantur, quæ ex eo num. 164. dedimus. Et de Algero, qui contra Berengarium (cujus errorem Calvinus ſuſcitavit) iiſdem argumentis illum urgebat, ut fateretur allata Chriſti Domini teſtimonia non per tropum in ſenſu myſtico, ſed de vera, naturali, reali nobiſcum unione intelligi debere, & non de illa per gratiam, & conſenſum voluntatum, ut præfata omnia allegata loca percurrentibus patebit, in quibus laudata teſtimonia ſemper in ſenſu literali de ipſo Chriſto declarant.

194. Quibus adjicere etiam poſſumus Guitmundum Epiſcopum Averſanum, qui floruit Sæculo undecimo, qui de Sacramento Euchariſtiæ contra eumdem Berengarium ſcripſit; de quo V. Bellarminus occaſione agendi de Algero, ex Petro Bleſenſi hæc ait: (8) *Algerus ſcripſit de Corpore, & Sanguine Domini contra Berengarium, quod tribus libris comprehenſum, valde laudatur à Venerabili Petro Cluniacenſi, qui initio libri de ſacrificio dicit Lanfrancum ſcripſiſſe de Sacramento Euchariſtiæ, benè, planè, perfectè; Guitmundum melius plenius, perfectius, Algerum optimè, pleniſſimè perfectiſſimè.* Hic enim inſignis Doctor eiſdem argumentis, & præcipuè illo Hilarii, ſuo loco expoſito, illum viriliter confutabat. Et inter alia, ut demonſtraret verba Chriſti Domini in ſuo literali ſenſu, & non de myſtica unione charitatis, & conſenſus voluntatum venire ſemper intelligenda, & conſequenter de naturali quaſi ſubſtantiali unione (dico quaſi quamvis ipſe abſolutè ſubſtantialem eam nominet) inter alia hæc habet: (9) *neque per violentiam, atque impudentem prædicationem cœleſtium dictorum à ſanitate aliena, atque impiè intelligentia extorquenda perverſitas eſt: quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ diſcimus, niſi ab eo didicimus, ſtultè, atque impiè diſcimus. Ipſe enim ait caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus, qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet, & ego in eo.* Etſi hæc non ſufficiant.

195. Adjicere etiam poſſumus B. Albertum Magnum, & cum eo inſignem illum Cardinalem Turrecrematam, qui cum eodem, & ex illo in declaratione Canonis *in Chriſto Pater*, qui ex D. Hilario deſumptus eſt, in argumento illo, quod contra Arium formabat illud magnificans declarans, & exponens, ait: (10) *quomodo autem intelligendus ſit* (Hilarius) *exponit Albertus Magnus in tractatu ſuo de Corpore Chriſti*. Et ſequentia verba ex illo affert

(8) *V. Bellar. de Scriptoris Eccleſiaſtici ad ant. 1130.*

(9) *Guitmundus de Corp. & Sangu. Chriſti lib. 2. multò ante medium extat in Bibliotheca veterum PP. in edit. 2. tom. 6.*

(10) *Turrecremata ad Ca-*

aſſert ; *Sacramentum hoc naturalem noſtri ad Chriſtum perficit unionem , ſed naturalem vocat unionem , ideſt veram unionem naturarum , qua per hoc Sacramentum Chriſtus in nobis per utramque manet naturam , & nos in ipſo per corpus , & animam , quæ quaſi duæ naturę ſunt in nobis , Chriſtus nempè veraciter in nobis per divinitatem , & humanitatem , & nos in Chriſto manemus ſpiritualiter per ſacramentalem manducationem* . Ubi clare uterque exprimit hanc realem ſpiritualem unionem , quam Hilarius , & Patres docent contra Arium , qui nonniſi illam myſticam admittebat . Et cum infra dicat : *cum in hac participatione Corporis , & Sanguinis Chriſti , Chriſto incorporemur , & uniamur .... Quia Chriſtus , quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit , nec dimittet , vel inſeparabiliter , ſi dignè perſeveramus* , inficiari nemo poterit in eodem ſenſu cum Hilario Magnum Albertum , & hunc inſignem Cardinalem fuiſſe . Et in eo quod attinet ad B. Albertum , licet ibi non exprimat perpetuitatem hujus aſſumptivæ unionis , ſicut Turriſcremata , exprimit tamen eam aliis in locis à nobis laudatis , ut n. 21. 40. & 166.

nonem in Chriſto Pater 72. diſt. 2. de Conſecrat. aliquanto longe ab initio .

196. Et obſervare hic debemus quanta ſit vis argumenti Hilarii , quo Arium reſutabat in myſtica intelligentia , quam allatis verbis Chriſti Domini dari debere contendebat ; illum de eo convincendo , quod verba in ſuo literali ſenſu nonniſi illam permanentem realem naturalem unionem ad naturam æternitatis ſignificabant ; quanta , inquam , ſit ejus vis , ut eodem argumento uſi fuerint Paſchaſius , Algerus , & Guitmundus , ut confutarent errorem Berengarii , quem Calvinus poſtea ſuſcitavit , & ejus Sequaces hodiè defendere tenaciter conantur . Et quanta conſequenter eſt vis illius argumenti ab abſurdo deſumpti , duobus §. §. præcedentibus . Ex quo concluditur , nec in facto intellexiſſe , nec potuiſſe intelligere ullum ex præfatis Patribus dicta teſtimonia , nec ullum eorum de præfata illa dimidiata prætenſa unione reali , dum ſpecies durant , & de myſtica his deficientibus .

197. Rurſus id dubitare de Auguſtino non poſſumus tum ob præclara loca ab Eminentiſſimo expoſita , quæ dedimus à num. 80. Tum ob illud expoſitum num. 161. cum aliis D. Paſchaſii , & Chryſoſtomi . Tum etiam , quia percurrendo totum tractatum 26. in Joannem , in quo exponit ſupra allata omnia verba , quæ de Euchariſtia loquntur , omnia de ipſo Chriſto in æternum in nobis manſuro intelligit , quin ulla verba ad gratiam referat (ut poterat) , nec quidquam dicat , quod ſenſum myſticum ſonet . Tum denique ob id quod laudatus Guitmundus de hoc libro 8. D. Hilarii , Auguſtinum ſenſiſſe tradit . Ait enim (11) *Hujus ſanè libri Sancti Hilarii Beatus Auguſtinus in ſuo libro de Trinitate cum magna veneratione mentionem facit . Unde palam eſt , quia diſputationem hanc repræhenſibilem non judicavit . Palam ergo & illud , quia ejuſdem fidei fuit . Quapropter beatiſſimi , & doctiſſimi viri Hilarii diſputatio apud omnes fideles valeat , Umbraticorum ſtultiſſima garrulitas penitùs obtumeſcat .*

(11) *Idem ib. aliquantò longè à medio .*

198. Et illi adjicere in comprobationem V. Bedam poſſumus , qui exponens omnia laudata Chriſti Domini teſtimonia , nedum totam Auguſtini expoſitionem , quam in tract. 26. dat Evangelio ab illis verbis : *Caro mea verè eſt cibus* , comprehendit , verum & multa (licet eo non citato) quaſi ad literam ibi depromit , & inter alia hæc habet : (12) *Fiant Corpus Chriſti ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti ; de Spiritu Chriſti non vivit , niſi Corpus Chriſti* . Et infra : *Nec vita membra Spiritus facit , niſi quæ in corpore , quod vegetat ipſe Spiritus invenit . Nam Spiritus , qui eſt in ſe , ò homo , quo conſtas , ut homo ſis , numquid vivificat membrum , quod ſeparatum inveneris à carne tua ? Spiritum tuum dico animam tuam . Anima tua non vivificat niſi membra , quæ ſunt in carne tua . Unum ſi tollas jam ex anima tua non vivificatur , quia unitati corporis tui non copulatur* . Ubi clare exprimit loqui de anima Chriſti . Et cum ultra literalem ſuorum verborum ſenſum , qui ambigendi locum non dat , ut de anima Chriſti ea verba , *fiant Corpus Chriſti , ſi volunt vivere de Spiritu Chriſti* , intelligi non debeant , ſicut & illa Auguſtini , ut Cornelius & Salmerou ea intellexerunt , ut vidimus num. 74. & 82. Inde eſt , quod utriuſque eadem ſententia ſit . Et quod hunc etiam Eccleſiæ Patrem pro hac concluſione adnumerare debeamus . Præſertim quando declarando illa verba : *qui manducat meam carnem habet vitam ęternam* ait : (13) *vivamus ergo nos propter ipſum manducantes eum , ideſt ipſum accipientes , æternam vitam* . Et infra : *qui Chriſtum manducant vivunt in æternum , quia Chriſtus eſt vita ęterna* , quo prætenſam dimidiatam illam unionem , excludit , ſicut & Auguſtinus ; præcipuè quando in tota ſua expoſitione literaliſſimè procedit , ſicut & ille , itaut nec ad gratiam referat (ut in ſenſu præciſivo poterat) ullum ex præfatis verbis Evangelii .

(12) *V. Beda in cap. 6. Joan. ad illa verba :* Vivet in ęternum . *Et ad illa :* Quæ Ego locutus ſum vobis *tom. 5.*

(13) *Idem ib.*

199. Et pariter inſignem Evangeliorum interpretem Maldonatum, qui exponens illa verba: *vivet propter me*, & mentionem faciens de argumento, quod Ariani ex hoc formabant, de quo n. 73. hæc ait: (14) *credo ergo, eamdemque omnium ferè Auctorum ſententiam eſſe arbitror, non de morali, non de naturali, ſed de divina, & ſupernaturali vita loqui, quam vitam æternam appellamus, quæ in Deo naturalis eſt, in Chriſto quatenus homo eſt, & in nobis Divino Beneficio per participationem quandam conceſſam divinæ naturæ. Eam enim ſempiternam vitam, atque divinam, quam Deus natura ſua habet, Chriſtus ut homo per conjunctionem cum divinitate hypoſtaticam habuit, per quam quæcumque Dei erant in humanam naturam derivata ſunt. Nos vera per eam conjunctionem habemus, qua ſumpto Corpora, & Sanguine Chriſti cum eo unum quiddam efficimur. Sicut enim per unionem illam hypoſtaticam fit, ut vita illa divina & feliciter immortalis humanæ Chriſti naturæ facta ſit. Ita per conjunctionem noſtram cum corpore ejus efficitur noſtra. Atque hoc eſt, ſicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.*

(14) *Maldonat. in c. 6. Joann. ad v.* Vivet propter me.

200. Et exponens illa verba: *in me manet, & ego in illo*, ait: *in me manet, & ego in illo. Explicat iterum Chriſtus quomodo, qui manducat ſuam carnem, bibitque ipſius ſanguinem, habeat vitam æternam, quia nimirum ipſum habet Chriſtum, qui vitam æternam ſecum affert, atque adeo ipſa vita ęterna aſt..... Itaque ſuam nobiſcum participat vitam. Quod etſi extra Sacramentum per fidem, & cheritatem ſit, quemadmodum in Epiſtola 1. cap. 4. 16. idem Joannes ait, Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in ea; tamen in Euchariſtiæ Sacramento ſumpto vero Corpore, & Sanguine Chriſti longè verius fieri Patres noſtri docuerunt*, (ut eſt illa unio realis quam PP. docent, quatenus eam ponit prout condiſtinctam à myſtica gratiæ & charitatis, quam cum illis pluribus). Quid præclarius dici poteſt in confirmationem eorum omnium, quæ hucuſque dicta ſunt, & in excluſionem illius bipartitæ unionis, cum nulla verba in ſenſu myſtico declaret, ſed omnia de ipſa perſona Chriſti? aut quid clarius in demonſtrationem, quod nullus ex his laudatis Patribus agnovit hanc pure myſticam unionem per gratiam & charitatem in præfatis verbis, in præſatave nobis promiſſa Chriſti Domini permanentia. Et ſane qui litteraliſſimam expoſitionem totius Evangelii à verbis illis, *caro mea verè eſt cibus*, percurrat, inveniet, quam merito pro hac concluſione eum adducimus; præſertim, quando paulo ante laudat Baſilii, Auguſtini, & Bedæ expoſitionem eorumdem verborum: *ipſe vivet propter me*, dicendo à nullo alio melius declarari.

201. Hoc ſuppoſito quantum ad præfatos Patres, qui adeo ad literam, & in rigoroſo ſenſu laudata verba Chriſti Domini exponunt, & de illis ita loquuntur, ut nec de gratia, nec de charitate (licet benè etiam poſſent) intelligant, ſed de perſona Chriſti, de ipſiuſmet vita, de vivere in æternum per ipſum, & cum ipſo, qui eſt vita æterna, & de unitate, & unione cum illo, reali naturali, & non præciſè per gratiam, & conſenſum voluntatis. Deveniendo ad D.Th. Rupertum, V. de Ponte, Salmeronem, Card. Toletum, Tirinum, & Cornelium (de quo initio dubitabamus, & jam nec minimum dubium nobis reſtat ob teſtimonia illius, quæ dedimus n. 74. 107. 139. & 165. ultra allatum num. 60., quod nobis occaſionem dubitandi dedit) plane fatebimur multoties hæc verba eos intelligere de gratia, & charitate, quæ per hoc Sacramentum nobis communicatur, & per quam Chriſtus manet in nobis. Sed hoc nihil obeſt, ut ex eo inferri poſſit, hanc bipartitam unionem pro diverſis temporibus agnoviſſe. Quandoquidem, quod declarant, eſt id quod ſimultaneè cum ipſa reali Chriſti Domini permanentia, & unione nobis communicatur, cum ſit de fide per Sacramentum nobis gratiam etiam communicari, & quidem diſtinctam ab omni alio effectu, & ſic nil mirum, quod eam per illa verba declarent; & quod etiam dicant per hanc charitatem, & gratiam fieri hanc unionem; cum omnia hæc veriſſima ſint; quandoquidem, ſi Sacramentum hunc effectum in nobis non cauſaret, Chriſtus in nobis non maneret, nec ſuam vitam nobis communicaret, & ſic explicant, & declarant, quod neceſſarium eſt ad hanc realem unionem, & vitæ ipſius Chriſti participationem, ſine qua non fieret, & idem feciſſent reliqui ſupra allegati PP. ſi de Sacramento tractaſſent ea methodo, qua Divus Thomas, & reliqui laudati Doctores tractant; etſi feciſſent, nihil obſtaret, ſicut non obſtat in iis, qui ita illud fecerunt, quando alibi verba intelligunt de ipſo Chriſto in nobis perpetuo permanente, & de perpetua unione, & perpetua Divinæ vitæ participatione; ut ex Doctore Angelico Magiſtro habemus tot in locis citatis numero 7., & 8. numero 75. 89. 90. 91. 161., & 162., & de reliquis laudatis Doctoribus paragrapho

pho XI., & XVI. conſtat. Et ſane ſi obeſſet, etiam iiſdem hoc opponentibus ſuæ limitatæ unioni reali, quam durantibus ſpeciebus cum Eccleſiæ Patribus jam fatentur, pariter obeſſet; cum idem argumentum illis fieri poſſet.

202. Si opponatur, quod Theologi hanc realem unionem, & permanentiam perpetuam Chriſti ſecundum ſuam animam, & divinitatem ooo docent, nec in ſcholis eſt audita: primum prorſus negamus. Sufficit enim, quod eam agnoſcant omnium Theologorum Magiſter D. Thomas, & illi ſeptem inſignes Theologi, ut Ludovicus à Ponte, Card. Toletus, Salmeron, Maldonatus, & Cornelius. Quod in ſcholis non ſit audita planè fatemur; dicimus tamen, quod cum in literalibus Chriſti Domini teſtimoniis ex Patribus, & tam gravibus Theologis, & rationibus tam validis fundetur, hoc non obeſt, ſicut nec obeſſet, etſi minora adducerentur fundamenta, quod in ſcholis adhuc non eſſet audita; quoniam nec Theologi antiqui, uſque ad Sæculum decimum ſextum agnoverunt illam unionem realem ſubſtantialem inter Corpus Chriſti, & Corpus Sacramentum recipientis, quam Card. Mendoza inſignis Theologus Hiſpanus evulgavit, quam judicabat fundatam in ſupra laudatis auctoritatibus Hilarii, Cyrilli, & Chryſoſtomi, & aliorum SS. Patrum, quos in hoc diſcurſu damus (licèt materialiter ab eo intellectis, ut ex P. Suarez num. 18., & 20. obſervavimus, & ex V. Bellarmino num. 145., & ex Card. Toleto num. 187. & tamen, etſi initio difficillima doctrina viſa fuit, poſtea vero eam edocere magno plauſu quamplurimi cepere, exiſtimantes hac ſola unione occaſionem Novatoribus dari non poſſe, ut nos redarguerent, quod myſticam unionem ſolum admittebamus. Unde quod de illa unione cum Corpore ejuſdem Chriſti à Card. Mendoza tradita, & antea in ſcholis non audita, & poſtea magno plauſu ſecuta ait P. Vaſquez, poſſumus pariter hodie & nos dicere, de hac alia unione à Noſtro Eminentiſſimo inſigni etiam Theologo Hiſpano, proculdubio melius intellecta, & in hoc opere inſtituta. Ait enim Vaſquez (15) *quod autem nullus ex antiquis Scholaſticis hujus unionis mentionem fecit, mirum non eſt; neque enim omnia ab iis diſputari debuerunt, neque omnes Patrum ſententiæ ipſis perſpectæ fuerunt*. Et idem in omnibus ſæculis uſque ad præſens accidit in aliis quamplurimis opinionibus, quæ in ſimilibus materiis ſunt excitatæ, quæ à Theologis antiquis non fuerunt diſputatæ, nec agnitæ. Et in præſenti caſu eſt ea ſpecialis ratio, quod ſumus in materia non obvia, & quæ ſine ſpecialiſſima applicatione, ingentique ſtudio ad illam indagandam, & ex ſententiis Patrum eviſcerandam, in aperto poni non poterat, ut ab Auctore noſtro factum eſt, & quidem feliciſsimè, quandoquidem ſuo labore adeo amplam, & illuminatam viam in tot ſpeciebus ab eo in ſua diſputatione attactis, offert, ut lumine ſuo ducto facile mihi fuerit, eas amplificare, uti eſt facile inventis addere. Sine quo lumine nihil prorsùs dicere potuiſſem; quod & aliis accidet, qui adhuc ultra omnia adducta, multa invenire poterunt, quibus omnia ampliùs illuſtrentur.

(15) Vaſquez in 3. p. D. Tho. diſp. 204. cap. 2 num. 46.

203. Si opponatur, quod deficientibus ſpeciebus Sacramentalibus, & conſequentèr corpore Chriſti, non poteſt permanere anima etiam divinitati unita, quia ut ait Magiſter Angelicus: (16) *Si aliqua duo ſunt realitèr conjuncta ubicumque eſt unum realitèr, oportet & aliud eſſe*. Reſpondetur duplici via. Primò cum Cajetano ejus interprete, qui ait, illam propoſitionem Sancti Doctoris non intelligi de illis conjunctis, quæ non habeant habitudinem ad aliquid, ſed de illis, quæ illam habeant. (17) Et licet non exprimat, quæ ſit hæc habitudo, ſufficit pro ſolutione, quod ex ejus mente propoſitio Sancti Doctoris non ſit abſoluta; quando nec anima Chriſti, & multò minus ejus divinitas habeant habitudinem, de qua hic inſignis Cardinalis loqui poteſt, quamque Suarez, & Valentia bene explicant, & declarant.

(16) D. Tho. 3. p. q. 76 art. 1. in corpore.

(17) Cajetanus hic.

204. P. enim Suarez, cui non placet hæc reſponſio ex eo, quod Cajetanus non explicat, quæ ſit iſta habitudo, alitèr clariùs exprimit mentem S. Thomæ. Et ſit hæc noſtra ſecunda reſponſio. Ait enim Eximius Doctor: (18) *Alitèr ergò reſponderi poteſt, in primis D. Thomam loqui non ſimplicitèr de potentia abſoluta, ſed de ordinaria; quia licèt hoc Sacramentum per omnipotentiam Dei factum ſit, ſupponit tamen Deum in eo non facere plura miracula, quam neceſſaria ſint*. Et hoc abs dubio denotat S. Doctor, dum utitur verbo *oportet*, quod denotat connaturalitatem viæ ordinariæ, non neceſſitatem, quæ excludat potentiam abſolutam.

(18) Suarez in 3. p. D. Tho de Euchar. ad quaeſtionem 76. in comment. art. 1

205. Et adhuc in hoc ſenſu naturali progreditur Suarez, & dicit solùm venire intelligendam illam propoſitionem de extremis adæquata unione unitis; & illa ait eſſe adæquata unione unita, quæ habent mutuam habitudinem unius ad aliud; & hanc habitudinem declarat conſiſtere in dependentia,

 quam

quam unum habet ab alio, & ſic concludit, quod cum corpus habeat hanc adæquatam unionem, ſeu hanc habitudinem ad animam, quia habet dependentiam ab illa, ex eo Sanctus Doctor optimè ait, quod poſito corpore Chriſti ſub ſpeciebus, debet naturalitèr poni anima, & divinitas, à quibus dependet. Et à contrario, cum anima, & multò minus divinitas non habeant hanc habitudinem, ſeu dependentiam à corpore, idcircò non comprehenduntur ſub illa ratione.

206. Et apponit ſequentia exempla. *Tandem inductione etiam hoc oſtendi poteſt, nam anima, & caput realitèr ſunt unita; & tamen in re ipſa ita diſcernuntur, ut alicubi ſit anima, ubi non eſt caput; ſimilitèr humanitas Chriſti realitèr eſt unita Verbo, & tamen non ubicumquè eſt Verbum, ibi eſt humanitas; nam Verbum eſt ubiquè, non humanitas. Et in triduo anima, & corpus erant realitèr unita Verbo, & tamen Verbum erat in Inferno, & non corpus: & ſimilitèr Verbum erat in ſepulchro, & non anima*; Et judicio meo hoc idem in ſubſtantia eſt, quod ait Cajetanus, & de hac habitudine, & dependentia indubiè loquitur, licèt in quo hæc conſiſtat non declaret.

207. Et eodem modo declarat hæc verba Gregorius de Valentia, qui utendo eadèm ratione D. Thomæ ad probandum animam, & divinitatem eſſe ſub qualibet ex ſpeciebus, ait: (19) *Major autem hujus rationis non accipienda eſt ita generatim, ut ſonat, ſed loquitur de duobus conjunctis abſolutis, quorum alterum ſubſtantialitèr pendeat ab altero: ſenſuſque eſt, ubicumquè eſt id quod ab altero pendet, ſicut pendet hic corpus ab anima, & ab hypoſtaſi Divina, ibi eſſe, & alterum*. Unde cum anima hanc dependentiam non habeat à corpore, quam corpus habet ab anima propter ejus amplitudinem, & multò magis propter unionem ad Verbum, propter quam, ut optimè ait Magiſter à Sancto Thoma, participat quodammodò de Divina immenſitate, dum loquendo de præſentia Corporis Chriſti in Sacramento ait: (20) *Modum illum præſentiæ eſſe ſupernaturalem, quia eſt participatio quædam Divinæ immenſitatis*; Inde concluditur plena ad objectionem ſolutio. Et videri poteſt Cardinalis de Lugo (21) qui latè de hoc agit, & idem Magiſter à Sancto Thoma ex cujus doctrina, de ſimili loquens, planè deducitur, nec minimum dubium eſſe hujus poſſibilitatis replicationis animæ Chriſti, quin replicetur Corpus ipſius Chriſti, nec de mente Angelici Præceptoris.

(19) *Valentia in 3. p. D. Th. de Euchar. diſput. 6. qu. 4. puncto 1.*

(20) *Magiſter à S. Thoma de Sacram. Euchariſt. diſp. 28 art. 4 tom. 3.*

(21) *Card. de Lugo de Euchariſt. diſp. 4. ſect. 2. per totam. Magiſter à S. Thom. ubi ſupra.*

208. Si opponatur, quod hæc unio debet exiſtimari ſuperflua, quia ad magnitudinem Sacramenti, amoriſque Chriſti Domini ergà nos exhibiti (quod eſt unum ex graviſſimis fundamentis, quibus Eminentiſſimus movetur ad hanc doctrinam tradendam, & nos movemur ad illam amplificandam) ſufficit magnitudo doni, nobis relicti, & quod Chriſtus Dominus voluerit uſque ad finem Mundi nobiſcum eſſe, ac in Eccleſiis, & altaribus frequentèr nobis oſtendi, & nobis etiam communicari; itaut intra pectus noſtrum illum habere poſſimus, & juxta diſpoſitionem noſtram augumentum gratiæ recipere; præſertim, quando hæc ſunt, quæ ab Eccleſiæ PP. & piis Doctoribus ponderantur. Si enim hoc opponatur, facilè reſpondetur, quod licèt hæc omnia magna ſint, & adeò magna, ut infinitam gratitudinem mereantur; in his tamen ſolis intentio Chriſti Domini per omnia laudata teſtimonia ſignificata ſalvari minimè poterat. Hæc enim omnia media ſunt, & quidem neceſſaria ad finem per eum intentum conſequendum; non tamen ſunt finis à Chriſto Domino optatus, & intentus. Intentio enim illius in tot teſtimoniis nobis manifeſtata non eſt, ut tantummodò nobiſcum maneat, ut nobis promiſit, (22) *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; ſed ut fructibus ejus gaudeamus.

(22) *Matthæi cap. 28. ver. 20.*

209. Itaque quando Sacramentum inſtituit ſimul dixit: (23) *Accipite, & comedite*, ut optimè obſervat præcitatus V. Ludovicus à Ponte, qui ait: (24) *Chriſtus Dominus in ipſa nocte Cœnæ cum hoc Sacramentum inſtituit non ſatis exiſtimavit verbo dicere hoc eſt corpus meum, ſed etiam præmiſit accipite, & comedite, quaſi illis diceret: cibus hic cæleſtis non proponitur, ut aſpiciatis tantùm, aut etiam adoretis, ſed etiam, ut illum ſumatis, & comedatis, & ex effectibus, quos in animabus veſtris efficiet, & ſaporem, quem in vobis impertiet, agnoſcetis immenſam dulcedinem, divinitatem, & omnipotentiam, quam continet*. Nec etiam fuit, ut ſolis his fructibus fruamur, quibus per reliqua Sacramenta, & per quæcunque opera bona frui poſſumus; ſed quod iis omnibus gaudere valeamus, quos poteſt nobis communicare, & quos in tot teſtimoniis exprimit ſe communicare nobis velle. Præſentia ſiquidem ejus Altaribus grande eſt beneficium, ſed ſi certi non eſſemus de fine per eum intento, ſola præſentia potius nos terreret, quam conſolaretur. Ejus in pectoribus noſtris receptio grande donum eſt, ſed ſi ex eo alium fructum

(23) *Idem c. 27 verſ. 26.*

(24) *V. Ludov. à Ponte de Chriſt. hom. perfect. c. 2 § 4*

non

non perciperemus, quam augumentum gratiæ, quod tot viis acquirere poſſumus, parum curaremus de ejus receptiooe, nec taoti eum haberemus. Scit enim Deus conditionem noſtram, & quod dona noonisi ſecundum utilitatem, quam nobis afferunt; æſtimamus.

210. Ut in ſimili Auguſtinus dicebat. Baptiſta enim Chriſtum Dominum tanquam agnum præſeotem digito ſuo Diſcipulis ſuis mooſtraus dixit (25) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*. Et Auguſtious ſuper his verbis ait (26) *Quid nobis prodeſt Agnus Dei? Ecce ait qui tollit peccata Mundi*: Significans, quod niſi Joaunes adderet ad tolleoda peccata Mundi Agnum veoiſse, parvi hoc à oobis, qui nonniſi ex fructu, & utilitate donum penſamus, æſtimaretur. Quod optimè agnoſcens Apoſtolus, licet tam magoum beneficium fuerit Incarnatio Divini Verbi, ejus paſſio, & mors, tantumque ejus fides, & prædicatio proficere nobis deberet, tamen conditionem noſtram agnoſcens, ajebat (27) *ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*. Non quia mors Chriſti, ejus Paſſio, & vita magnum io ſe beneficium etiam indepcudenter à reſurrectione non eſset ſufficiens, ut æſtimari ab omnibus infinitè deberet, ſed quia, ut ait Magiſter Angelicus (28) *dum videmus Chriſtum reſurgere, qui eſt caput noſtrum, ſperamus & nos reſurrecturos*. Itaque D. Thomas de Villanova dicebat (29) *Si Chriſtus à mortuis non ſurrexiſſet, nihil ejus adventus, nihil paſſio, nihil miracula profuiſſent ... Tolle Chriſti reſurrectionem, & omnis fides noſtra tepeſcit, & omnis gloria noſtra labeſcit. Noverat hoc Apoſtolicus ille Cætus, qui Spiritu Sancto edoctus in concionibus ad Populum, Chriſti reſurrectionem frequentius, & maxime perſonabat, quia videlicet in illa totius fidei noſtræ vigor eſt, & ex illa credentium Populorum fruges abundantior ſurgit.*

(25) Joan. c. 1. v. 29.
(26) D. Aug. tract. 7. in Joann.
(27) Paul. ad Corinth. 1. c. 15. v. 14.
(28) D. Tho. 3. p. q. 53. art. 1. in corp.
(29) D. Tho. de Villanova concion. 2. de Reſurr.

211. Si opponatur, quod allegata teſtimonia, & PP. auctoritates, quibus concluſio fundatur, tantum probant, quod ex eis inſimul probetur, quod in omnibus, qui cum ſola gratia ad Sacramentum accedunt, Chriſtus hac perpetua ſtabilita reali permanentia manebit, hacque reali unione media ſua anima illos aſsumet; cum abſque ulla diſtinctione Patres de omnibus, qui ad Sacramentum dignè acceduut, loquantur. Et quod cum aliunde ex Concilio Tridentino dignè accedat, qui ſine conſcientia peccati mortalis Sacramentum ſuſcipit; (30) Inde ſola gratia ſufficeret ad hoc, etſi tam ſingulare donum, cooſequendum; quod cum admitti non poſsit, ſicut & ab Eminentiſsimo, agnoſceudo difficultatem, non admittitur; inde nec doctrina ex qua hoc infertur.

(30) S. Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. c. 7.

212. Hoc ſane parum urget. Nam reſpondetur, quod multi Patres apertè aliquam majorem diſpoſitionem petunt, ut Areopagita, Chryſoſtomus, Origenes, & Baſilius, ut vidimus num. 48. & licet S. Concilium ſolum petat de neceſſitate, quod, qui Sacramentum recipit, accedat ſine conſcientia peccati mortalis, ſolummodo loquitur de illo effectu obvio, & omnibus fidelihus communi, quem, ut de fide certum, habcre omoes tenemur, qualis eſt augumentum gratiæ, & ad hunc effectum nonniſi diſpoſitionem gratiæ exigit. Si enim de hoc miro effectu loqueretur, majorem diſpoſitionem exigeret; & quod de illo non egerit, ideò eſt, quia conveniens non erat, quod de omnibus effectibus, quos hoc Sacramentum cauſare poteſt, mentionem S. Synodus feciſſet; ſed quod Theologis id diſputandum, & examinandum relinqueret (ſicut & in aliis multis materiis fecit) adhuc & in præſenti, quippe dicendo quod in hoc Sacramento (31) *Chriſtus Dominus divitias ſui erga homines amoris velut effudit*, ſatis oos excitat ad majora de effectibus hujus Sacramenti examinanda, cum quid majus quam augumentum gratiæ verba illa ſignificent. Et ſic videmus, quod, etſi Sacrum Concilium ſolum exigat illam diſpoſitiooem gratiæ, tamen multi Theologi com Angelico Præceptore illam majorem diſpoſitionem devotionis actualis exigunt ad effectum illum recipiendum, quem S. D. vocat refectionis ſpiritualis; quem ultra gratiam Sacramentum commuuicat, ut vidimus numero 48. (ſub qua voce, ut §. ſequenti videbimus, comprehendit hunc peculiariſsimum effectum) quod omnino convincit S. Concilium de ſolo effectu augumenti gratiæ locutum fuiſſe; Et ſic laudati PP. majorem diſpoſitionem petentes, illam exigunt ad omnes effectus hujus Sacramenti conſequendos, & conſequenter ad præſentem, quem agnoverunt, & de quo agimus. Uode minime infertur, quod ex doctrina PP. ſequatur, quod ſola diſpoſitio gratiæ ſufficiat ad huoc effectum conſequendum.

(31) S. Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 2.

213. Ad quem gradum debcat accedere hæc major diſpoſitio de facili decidi non poteſt. Eminentiſsimus petit, quod ad Sacramentum accedens præditus virtutibus fidei præcipuè ſpei, & charitatis ſit. Et in ſubſtantia eſt

illa

Digitized by Google

ſlla devotio actualis, quam Angelicus Doctor petit ad effectum refectionis ſpiritualis conſequendum, quæ actualis devotio in his tribus virtutibus actu exercitis conſiſtit, & hanc ſufficere mibi etiam videtur. Qui enim ita ad Sacramentum accedit, ad perfectionem ſine dubio tendet, & aliis virtutibus moralibus erit ornatus, & ſic ſufficienter diſpoſitus invenitur; ut Chriſtus Dominus poſſit in illo manere, illi realiter uniri; ipſumque aſſumere ad ſe in illo repræſentandum, & cum illo, & in illo ad menſuram ſuæ diſpoſitionis operandum, uſque dum, ſi ſe adjuvet, poſſit iu ſeipſum illum perfectè transformare, ut de vita ſua plene vivat. Namque, cum hæc transformatio, hocque vivere de vita Chriſti, habeat ſuos gradus, cum non conſiſtit in indiviſibili, ut Doctores myſtici benè animadvertunt, ſic non ex hoc quod Chriſtus maneat in Sacramentum recipiente cum hac ſola diſpoſitione, illum continuo in ſeipſum perfectè transformabit, & perfectè de ſua vita vivet; ſufficit enim qund in ſe habeat id, quo incipere hæc transformatio poſſit, & creſcere ad menſuram valeat, qua creſcat ejus perfectio.

214. Quemadmodum in naturalibus accidit, ut in anima, quæ licet ad eum finem homini infundatur, ut haud ſolum operationes vegetabiles, & ſenſitivas, ſed etiam rationales operetur, tameu nonniſi juxta ætatem, organorum diſpoſitiones eas actu in illo exereet, itaut quo in ætate & organorum diſpoſitione creſcit, creſcant etiam operationes. Et licet tunc anima non ſe actu repræſentet in eo quem animat in omnibus ſuis operationibus, quas per hominis aſſumptinnem iutendit, illi ſufficit poſſe repræſentari. Nam ut Theologi docent ad unionem aſsumptivam non requiritur, quod qui aſsumit aliquem ad ſe in ipſo repræſentandum, actu per illum repræſentetur. Ut patet in ipſius Divini Verbi Incarnatione. Si enim nulli Deus illam revelaſset, quinimo nec ipſi ſuæ humanitati, tunc ſua Perſona in ea actu non repræſentaretur, & tamen non ex hoc deſineret eſse aſsumptio, & Dei repræſentatio, quantum eſt ex ſe, viſibilis, ut optimè animadvertit Magiſter à S. Thoma, qui ait (32) *benè poteſt fieri Incarnatio ſine manifeſtatione Perſonæ, ut ſi nemini Deus talem Incarnationem manifeſtet etiam ipſi animæ aſſumptæ*. Et idem tradit Suarez, qui de Angelis corpora aſsumentibus ad aliquam repræſentationem, ait (33) *Recte dicitur Angelus eſſe in corpore aſſumpto tanquam Motor in mobili. Intelligendum autem eſt de Motore non tantum actualiter movente, ſed disjunctim, vel actu, vel in proxima aptitudine; ſatis enim eſt, ut ibi aſſiſtat tanquam intrinſecus motor*.

(32) *Magiſter à S. Thoma in 1.p. D.Tho. ad q.43. diſp.17. art.2. num.14. tom.3.*

(33) *Suarez de Angelis l.4. c.36. num.6.*

215. Unde aſsumente Chriſto Domino per Sacramentum eum, qui dicta ſola diſpoſitione polleat, ſolum actu manifeſtabitur pro eo, quod ejus diſpoſitio permittat; & ſi ad tantam tepiditatem, & imperfectionem devenerit, quod omnem devotionem amittat, non ex eo illum deſeret, ſed aſsumptum ſemper habebit, dummodo per peccatum mortale illum non excludat; & tunc ſemper verificabitur eſſe aſſumptum, ſed non actu Chriſtum in ipſo repræſentari, ſed in aptitudine eſſe ad ſe in illo repræſentandum. Quæ eſt magna felicitas, cum non pauci in vitæ ſuæ curſu cum præfata diſpoſitione ad Sacramentum accedant, & ſic non pauci, ſi ſemel hanc felicitatem lucrati fueruut, & poſtea ab omui peccato mortali ſe abſtinuerunt, perſuadere ſibi bene poſſunt, imo de eo in Domino gloriari, quod Chriſtum Dominum ſecundum ſuam animam in ſe habent, & ita in omnibus ſe gerere debent, & ita adlaborare, quatenus hæc Salvatoris noſtri dignatio exigit. Et ſi de hoc non curarunt, ita ex nunc ad id ita diſponi ſatagere debent, ut gloriari de eo ſimiliter poſſint. Quod ſi hac felicitate conſequta de profectu in perfectione ſemper curent, & ferventioribus illis actibus fidei, ſpei, & charitatis ad ſacram menſam, accedant in omnibus hujus Sacramenti receptionibus magis, ac magis cum Chriſto uniri conſequentur, & amplius & amplius in illum transformari poterunt,

§.XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Satiſfit alteri objectioni, & ejus occaſione oſtenditur vera mens Divi Thomæ circa præſentem materiam; & nonnulla ex ipſo S. D. deducuntur, quæ difficultatem omnem præſentis materiæ de medio tollent.

116. SOLUTIS præcedentibus objectionibus, ſen argumentis, quibus conteodebatur probari toties laudata verba: *in me manet, & ego in illo*, cum reliquis, ex quibus cooclufio deducitur, intelligi oon debere de illa reali Chriſti Domini permanentia in eo, qui ad Sacramentum debita diſpoſitione accedit. Reſtat modo alind, quod ex terminis non leve apparet, & corroborare hoc ipſum videri poteſt, ac duplici medio io hunc modom efformari valet. Quorum unum eſt, virtute gratiæ ſauctificantis, & cum illa, animæ permanenter datur Spiritus Sanctus & concomitanter tota Trinitas propter identitatem in una eſſentia; ſed omne id quod operari poteſt in nobis Chriſtus Dominus media ſua anima ſecundum ſuam divinitatem nobis realiter unitam, poteſt etiam operari Spiritus Sanctus, & quælibet ex tribus divinis perſonis: ergo ut ſuperflua teoenda eſt hæc io nobis Chriſti Domini permanentia, & conſequenter hæc ſua perpetua in nobis permaneotia promiſſa in prçfatis verbis eſſe nou poteſt. Alterum vero eſt, nec per perſonam Verbi, nec per animam vivere formaliter poſſumus, nt multoties diximus, ſed ſolummodo mediis gratiis, & fructibus quibus per hanc Chriſti in nobis permanentiam, per hancque realem ipſius nobiſcum unionem frui poſſumus; cum autem his gratiis, & fructibus per ipſum Sacramentum etiam perpetuo frueremur, & fruimur, etiamſi hæc Chriſti Domini permanentia in nobis non coocedatur; ergo ex hoc etiam capite ſuperflua erit.

117. Sanè primum aſſumptum medium tantum probat, ut nihil jodicio meo probare videatur; probat enim ſuperfluam fuiſſe inſtitutionem Sacramenti Euchariſtici, imo, & omnium Sacramentorum, quod eadem ratione contendi pariter poſſet, quod profecto gratiſſimum eſſet Hæreticis Novatoribus, arguendo ſimiliter, ſic. Per Spiritum Sanctum in nobis perpetuò permanentem, & per quamlibet ex tribus Diviuis perſonis nobis communicari poſſunt, ea quæ per Sacramentum nobis conferuntur; ſed per gratiam in nobis donatur Spiritus Sanctus, & cum eo perſona etiam Verbi, & quidem donatione perpetua, ſi per nos non ſtet: ergo ad huoc finem ſuperflua videtur ejus inſtitutio, ſuperflua ejus realis præſentia in Sacramento, & ſuperflua ejus in nobis perpetua permanentia.

118. Sed directe huic medio reſpondendo, duo dicimus: quorum alterum eſt, quod licet verum ſit per Spiritum Sanctum & per ipſum Verbum nobis communicari poſſe ea omnia, quæ per Sacramenta nobis communicantur, voluit tamen Chriſtus Dominus, qui omnia nobis meruit, & in cujus manus omnia Pater poſuit, quod hæc dona diverſimode ad diverſos fioes, & per diverſa inſtrumenta, & media nobis communicarentur, & ſic ſeptem inſtituit Sacramenta, & per quodlibet corum voloit nobis has ſpeciales gratias, & ad ſpeciales fines, & per diverſa inſtrumenta, nobis communicari. Et inſuper voluit in hoc Sacramento uti omnibos Sacramentis excellentiori, & quo reliqua perficiuntur, ea omnia dona, quæ à Deo procedere ad nos poſſunt, & nobis ipſe meruit, immediatè ad menſuram diſpoſitionis illod recipientis in nos per ſeipſum effundere. Unde ex ordinatione Redemptoris ea omnia, quæ in ſuo Evangelio per illud nobis promiſit, reſervata ſunt. Itaque ſicut Baptiſmo reſervatum fuit dare nobis primam gratiam regenerativam, Confirmationi corroborativam, Pœnitentiæ peccatorum remiſſivam &c. Ita voluit huic Sacramento reſervare dare nobis gratiam cibativam, & quod hæc cibatio eſſet per ſeipſum, & per ſuam realem præſentiam, & permanentiam. Et hoc non tollit, quod per Spiritum Sanctum, & per totam Trinitatem eadem nobis poſſit communicari, ſed ſolum probat, quod ita voluit; nempe quod per hoc medlum à ſe inſtitutum ea omnia nobis per ſeipſum communicarentur, & ſic per Euchariſtiam nobis noo communicatur gratia regeoerativa, quia hanc ligatam Chriſtus Dominus relinquit Baptiſmo, quam voluit, quod eſſet à ſe diſtincta. Sicut nec tollit quod, uti opera ad extra, tota Trinitas ad eorum communicationem concurrat; nec quod, uti opera gratiæ, Spiritui

San-

Sancto tribuantur, quia hoc ſemper fit juxta ordinationem Redemptoris per illa media, & per illum modum à ſeipſo determinatum. Alterum vero eſt, quod per hanc Chriſti Domini in nobis permanentiam multa nobis obveniunt, quæ adeo propria ſuæ permanentiæ ſunt, ut eo non permanente per ſolam aſſiſtentiam Spiritus Sancti, verificari non poſſent, de quibus omnibus in hoc §. agimus.

219. Et quantum ad primum, quod reſpicit Chriſti determinationem, ut per ſeipſum ejuſque præſentiam, & permanentiam in nobis his omnibus frueremur; patet ex Evangelin, in quo habemus, hanc inviolabilem Chriſti ordinatinnem eſſe, quod per hoc Sacrameutum maneamus in illo, & ille maneat in nobis: *in me manet, & ego in illo*, quod per ipſum de vita ſua vivamus, ſicut ipſe vivit propter Patrem: *ſicut ego vivo propter Patrem, & qui manducat me ipſe vivet propter me*. Et quod vivamus in æternum: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, declarando, quod ad hunc finem manet in nnbis, qui eſt vita æterna, quam nobiſcum habemus ipſum habendo: *qui manducat hunc panem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*, (habet dicit de præſenti non de futuro ad omnem æquivocationem tollendam) & quod hoc omne quod per illud vult nobis communicare, eſt ut in ipſum nos transformemur, & perpetuo unum cum illo efficiamur, ſicut ipſe unum eſt cum Patre ſuo, ut in ſermone Cœnæ poſt Sacramenti inſtitutionem Patri ſuo declaravit, ab eo petendo ut ita ſicut deſiderabat fieret: *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, & ſciat Mundus quia tu me miſiſti*. Unde quod hæc omnia per Spiritum Sanctum independenter à Sacramento poſſint nobis communicari, non arguit ſuperfluitatem perpetuæ ipſius Chriſti permanentiæ in nobis ad hæc omnia per ſeipſum nobis communicanda, ſicut determinatum ab eo fuit, & nobis diſertis verbis promiſſum.

220. Ad illud aliud medium in quo arguitur, quod ſi nec per perſonam Verbi, nec per ejus animam poſſumus formaliter vivere, ſed ſolum media gratia, auxiliis, & fructibus, quos per hanc ejus in nobis realem permanentiam, & unionem conſequi poſſumus; quæ omnia, cum in ipſam gratiam refundantur, & hanc per ipſum Sacramentum habeamus, ſuperflua ex hoc etiam capite erit hæc realis permanentia. Reſpondetur, quod ſicut Chriſtus Dominus voluit, quod per Baptiſmum nobis conferretur gratia regenerativa tanquam effectus ejus primarius, & per Confirmationem gratia ipſius gratiæ corroborativa, & ſic de reliquis; ſic voluit inſtituere hoc Sacramentum, cujus primarius effectus eſſet gratia cibativa, qua ſpiritualiter nutriremur, & viveremus. Et cum gratia, quam communicant reliqua ſex Sacrameuta habeat eumdem effectum cibandi, nutriendi, & vitam communicandi animæ illa benè diſpoſitæ recipienti, voluit, quod hæc cibatio ita perfectiori modo nnbis communicaretur, ut prorſus diſtingueretur ab illo alio modo, quo gratia per reliqua Sacramenta communicata nutrit, & vitam animæ dat, ut ſic iſte effectus ſemper remaneat ſuperior, & condiſtinctus in hoc modo nutriendi, & dandi vitam animæ ab effectibus reliquorum Sacramentorum; & ſic voluit, quod hæc ſpiritualis cibatio eſſet, quemadmodum eſt, illa materialis corporis cibatio. Et cum cibus materialis ſuam nutritionem, & vitam communicet per ſeipſum manendo inſeparabiliter in eo, qui eum comedit, ſic voluit eſſe hanc ſuam ſpiritualem cibationem per Sacramentum. Aliter hæc cibatio in nihilo ab illa alia diſtingueretur.

221. Cum ergo materialis cibus corpus nutriat, & vitam illi communicet, non formaliter, cum ſola anima ſit per quam vivit, ſed cauſativè, quatenus per cibum calor naturalis, & Spiritus vitales, & animales augentur, quibus ſanguinem, quæ eſt animæ ſedes, ut num. 100. vidimus, vitam nobis communicare dicimus; ſic pariter Chriſtus Dominus voluit eſſe noſter ſpiritualis cibus, ut per illum vivamus, ſicut corpus per cibum vivit, non formaliter, ſed cauſativè, quateuus in anima noſtra auget calorem charitatis, & gratiæ, & vitales ſpirituales Spiritus in auxiliis, & illis omnibus adjumentis, quæ nobis communicat. Unde ſicut ex eo quod per cibum materialem formaliter non vivamus, non ſequitur, quod ejus ſubſtantia deſecata ab omni eo, quod nutrire non poteſt, nobiſcum raliter non permaneat, & incorporetur, ut vivere per cibum modo dicto poſſimus, licet aliunde aliis viis poſſemus aliqualiter acquirere hunc calorem hoſque Spiritus, quibus aliquo modo viveremus, & conſervaremur; ſic non ſequitur, quod neceſſaria non ſit hæc Chriſti Domini in nobis perpetua realis permanentia, & realis ſpiritualis cum anima noſtra incorporatio, & unio, ut per illam

vive-

vivere modo dicto poſſimus ; licet formaliter per illum neque ſecundum ſuam animam, neque ſecundum ſuam vitam divinam vivamus, etiamſi per ſolam gratiam, quam Sacramentum etiam communicat, poſſimus habere hunc inferioriſſimum modum nos cibandi.

222. Itaque nunquam verificatur, quod hic modus cibationis à Chriſto Domino intentus refundatur in ipſam ſolam gratiam ; quandoquidem ea ſola nonniſi eo inferioriſſimo modo nos nutriret, & vitam communicaret, quo gratia reliquorum Sacramentorum nos nutrit, & vitam communicat. Enim vero permanente in nobis Chriſto, multis modis, ſi ad id nos diſponimus, vivimus. Etenim vivimus non ſolum per gratiam, & charitatem, ſed & per ejus in nobis realem præſentiam: vivimus per illam intimam unionem, qua ſtrictiori, & perfectiori modo, quam ſubſtantia cibi unitur comedenti, illi unimur: vivimus per illam unitatem, & transformationem, qua veluti una perſona cum illo efficimur: vivimus per illum amorem, & per illos omnes actus, & virtutes internas, & externas, quas cum illo operamur, & quibus illum repræſentamus: vivimus per illos omnes favores, quos, ſi per nos non ſtat, ab eo recipimus, & per ea mirabilia, quæ in nobis, quaſi merè paſſive anima ſe habente, operatur: vivimus per ejus teneriſſimos, & dulciſſimos amplexus: & tandem vivimus per illam dulcedinem ex iis omnibus reſultantem, qua fruimur, reficimur, & ſatiamur, ut Eccleſia in officio Corporis Chriſti canit (1) *quam ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de Cælo præſtito eſurientes reples bonis &c.* His omnibus modis permanente in nobis Chriſto per eum vivimus & vivere perpetuò, in majori, aut minori gradu ad menſuram noſtræ diſpoſitionis valemus, ſicut omnibus iis vivebat Apoſtolus, dum dicebat: *vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, & quibus per ſolam gratiam non viveremus. Itaque, media hac unione, & unitate cum illo dicere poſſumus terminis Scholaſticis utendo, nos quodammodo *ut quo* vivere per Chriſtum.

(1) *Eccleſia in offic. Corporis Chriſti in antiphona ad Veſper. ex D. Thom. opuſc. 57*

223. Solutis jam his duabus difficultatibus, ex quarum ſolutione magnum lumen ſumitur ad intelligentiam totius doctrinæ in concluſione contentæ, & ejus defenſionem ; antequam procedamus ad declarandum omne id, quod per hanc realem Chriſti Domini perpetuam permanentiam conſequi poteſt, qui debita diſpoſitione ad Sacramentum accedit ; operæ pretium duximus hic exprimere, quod occaſione præcedentis doctrinæ nobis modo occurrit, circa illum effectum, quem Angelicus Doctor vocat *refectionem ſpiritualem*. Namque, obſervatis iis omnibus, quæ S. Doctor tradit in hac quæſtione, & alibi circa hanc refectionem, mihi indubiè videtur, nedum Sanctum Doct. ſub nomine refectionis ſpiritualis intellexiſſe, & comprehendiſſe hunc mirum effectum, de quo agimus, ſed etiam ex ejus doctrina ita clareſcere doctrinam concluſionis, ut ex ipſo Angelico Magiſtro deſumi poſſint regulæ ad quaſcumque difficultates ſolvendas.

224. Nam in primis docet effectum hujus Sacramenti non eſſe ſolum augumentum gratiæ, ſed etiam refectionem ſpiritualis dulcedinis: ait enim (2) *dictum eſt enim, quod effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis*. Subjungens, quod hic effectus non communicatur ei, qui ad Sacramentum cum actuali devotione non accedat, ſed mente diſtractus per peccatum veniale, & ſic immediate ait: *quæ quidem impeditur ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus, non autem tollitur augumentum habitualis gratiæ, vel charitatis*. Quem effectum ejus interpres Cajetanus vocat (3) *primum, & proprium Euchariſtiæ effectum, qui eſt actualis refectio*. Rurſus declarans S. Doctor in eadem quæſtione, in quo conſiſtat hæc ſpiritualis refectio, ait (4) *ex virtute hujus Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur, per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ ſecundum illud Cantic. 5. comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*.

(2) *D. Thom. 3 p. q. 79. art. 8. in corp.*

(3) *Cajetan. ad q. 79. in ar. 1.*

(4) *D. Thom. ibidem art. 1. ad 2.*

225. Et in corpore ejuſdem articuli apponit exemplum cibi materialis, & ait, quod eodem modo ſe habet effectus hujus Sacramenti quantum ad vitam animæ, ac ſe habet materialis cibus quantum ad vitam corporis: *conſideratur* (inquit) *effectus hujus Sacramenti ex modo, quo traditur hoc Sacramentum, quod traditur per modum cibi, & potus, & ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam ſpiritualem. Unde Ambroſ. dicit in lib. de Sacrament. Iſte panis eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Et Chryſoſtomus dicit*

ſuper Joann. Præſtat ſe nobis deſiderantibus & palpare, & comedere, & amplecti. Unde & ipſe Dominus dicit Joann. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus &c. Ubi clarè exprimit omne id, ex quo reſultat hæc ſpiritualis refectio; & ſic ait quod reſultat, tum ex eo, quia panis iſte Divinus animam *ſuſtentat, auget, reparat, & delectat quoatum ad vitam ſpiritualem*: tum etiam, *quia eſt panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit*, ut ait cum D. Ambroſio: tum denique, quia Chriſtus *præſtat ſe nobis deſiderantibus, & palpare, & comedere; & amplecti*: ut ait cum Divo Chryſoſtomo, in quo comprehendit omne id, quod ſupra diximus circa cibum materialem, ut quemadmodum iſte unitus, & incorporatus cum comedente, & in ipſum converſus, vitam *ſuſtentat, auget, reparat, & delectat*, ſic Chriſtus Dominus præſtat oobis de ſua vita vivere.

226. Declarat amplius in eodem corpore hoc ipſum, & ait: *in hominem ſacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur ſecundum illud Joan. 6. qui manducat me vivet propter me. Unde & Cyrillus dicit vivificationem Dei Verbum uniens ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam vivificativam. Decebat enim eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem, & prætioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane, & vino.* Ubi etiam exprimit cum D. Cyrillo gratiam uti unum, & principale medium, quo vivimus propter Chriſtum, ut ſupra etiam declaravimus; cum formaliter vivere per ipſam vitam Chriſti non poſſimus. Et cum eodem Cyrillo manifeſtè declarat, quod vita illa gratiæ eſt medium ad vivendum per vitam Chriſti; quandoquidem Cyrillus ait, quod quemadmodum Verbum Divinum hominem, quem aſſumpſit vivificavit; ita Chriſtus Dominus nobis communicat ſuam carnem, & ſuum Sanguinem, ut per ipſum vivificemur. Et cum Verbum Divioum per ſolam gratiam ſuam humanitatem non vivificaverit, ita nec nos. Si enim hic non eſſet ſenſus S. Doctoris, teſtimonium Cyrilli non afferret, nec illa verba *vivet propter me*. Hæc ſunt quæ iu hac quæſtione habet. Progrediamur ad alia, quæ alibi tradit, licet jam expoſita ſupra ſint, ut ex omuibus coocludere melius aſſumptum poſſimus.

(5) *Idem in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. ad primam quæſtiunculam in corp.*

227. In quarto ſententiarum ait (5) *proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum, ut dicat cum Apoſtolo, vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Ubi declarat tanquam primarium & proprium hujus Sacramenti effectum hanc converſionem, quam Salvator iotendit, ut poſſit dicere jam non illum vivere, quia factus unum cum Chriſto, vivit in eo Chriſtus; in quo ſiſtit tota ſubſtantia doctrinæ concluſionis.

(6) *Idem in Joan. ad c. 6. ad dicta verba.*

228. Progreditur alibi, & declarat illa verba Joannis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*, & ait (6) *Dicit vitam æternam, & hoc quia, qui manducat hunc panem habet in ſe Chriſtum, qui eſt verus Deus, & vita æterna*: Et paulò ante dixerat: *Cauſat vitam indeficientem in ſumente*: Et hoc adhuc non contentus, declarans illa verba: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*, hunc efformat ſyllogiſmum: *Qui manducat hunc panem vivet in me, & ego in illo; ſed ego ſum vita æterna: ergò qui manducat hunc panem, ut debet, vivet in æternum*; quod totum tribuit ipſimet Chriſto, indeficientèr in nobis manenti, ut per eum, qui eſt vita æterna, in æternum vivamus; non gratiæ ſolùm, quia hæc ſe habet ut medium, quo, ut toties diximus, hanc ſuam vitam nobis commuuicat, quia formaliter per eum vivere non poſſumus. Nec poterat ſoli gratiæ tribuere contra literalem ſenſum verborum; quandoquidem Chriſtus Dominus non ait, *Qui manducat meam carnem habebit vitam æternam*, quod ſoli gratiæ, uti ſemini gloriæ, tribui poterat, ſed de præſenti, quod *habet vitam æternam*. Et ſic juxta literalem ſenſum verborum efformat illum ſyllogiſmum, cujus Propoſitiones major, & minor eſſent falſæ, & conſequenter teſtimonia Chriſti Domini, ex quibus deſumuntur, ſi de ſola gratia intelligerentur.

229. His ſuppoſitis, quis ambigere poterit, minuſque inſicias ire, ſi ex his omnibus inferamus, Angelicum Præceptorem pro eodem habuiſſe illum effectum refectioois ſpiritualis primario intentæ à Chriſto Domino ultra effectum gratiæ, ac noſtram realem Chriſti Domini permanentiam in eo, qui cum illa actuali devotione à S. D. exacta (quæ conſiſtit in exercitio actuum fidei, ſpei, & charitatis) ad Sacramentum accedat? ut per eam, quemadmodùm propter cibum materialem corpus vivit, ita & anima vivere propter Chriſtum poſſit. Nam comedens per cibum vivit, quia in eo permanens, & realitèr cum ipſo comedente incorporatus, & unum cum ipſo factus ſuam *vitam ſuſtentat, auget, reparat, & delectat*, ita per Chriſtum vivet, qui Sacramentum dignè recipit, eodem Chriſto in ipſo permanente, & realitèr ſpiritua-

ritualitèr cum eo unito, & unum cum ipſo facto, vitam ejus ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando; in quo S. Doctor ait conſiſtere refectionem illam ſpiritualem: *Anima ſpiritualitèr reficitur per hoc quod anima ſpiritualitèr delectatur, & quodammodò inebriatur dulcedine bonitatis Divinę*, à qua hæc ſpiritualis refectio procedit, & per quam nobis communicatur.

130. Porrò nullum dubium de eo mihi remanet, præſertìm dicente, ut vidimus, Angelico Magiſtro, quod *Proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum, ut dicat cum Apoſtolo, vivo ego, jam non Ego, vivit verò in me Chriſtus*. Namque in hoc eodem ſiſtit tota doctrina concluſionis; & dicendo, qnod refectio illa ſpiritualis, ad diſtinctionem gratiæ, eſt proprius effectus hujus Sacramenti; & etiam quod hæc unio converſiva hominis in Chriſtum eſt proprius effectus illius; clarè videtur, quod pro eodem unum, & alterum habet. Quibus ſi adjungamus, quæ in comprobationem concluſionis ex illo expoſuimus n. 80. in quibus ait: Chriſtum Dominum in Sacramento nobis dare ſuam animam, *non ad aliquam ſeparationem, ſed ad omnimodam unionem*; & illud quod n. 118. dedimus, in quo ait dari ln Saeramento velut germen, quod nobis inſeritur, ut veluti arbores infructiferæ hoc germine ſeu ſurculo nobilitemur, & fructus proprios Chriſti feramus. Et illud, in quo ait eo modo nobis uniri, & nobiſcum unum fieri, ſicut aqua cum alia aqua mixta una fit, ut nu. 177. & illud: in quo Sacramentum ſigillo comparat, ut nu. 140. & illud Eliſei in reſurrectione pueri per incorporationem cum illo, ut n. 137. & ea omnia teſtimonia, quæ diſperſa per totum diſcurſum damus, itaut vix, imò, nec vix quidem propoſitio ulla ſit, quam Sancto Doctore non comprobemus. Ex his, inquam, omnibus pro comperto habeo, quatenùs nemini fas erit inſiciari Sanctum Doctorem per illam refectionem ſpiritualem, quam delectationem dulcedinis, per quam anima reficitur, vocat: *Anima ſpiritualitèr reficitur per hoc quod anima ſpiritualitèr delectatur dulcedine bonitatis Divinæ*, & pro qua ſpecialem diſpoſitionem petit; non aliud intellexiſſe, quam hanc realem permanentiam, & unionem (per quam vivendo propter Chriſtum modis illis omnibus in reſponſione ad ultimum argumentum adductis, ex quibus illa delectatio & dulcedo, reſultar, quam à bonitate Divini Verhi participat ille, qui ad id ſe diſponit) quam ſpiritualem refectionem vocat.

131. Et ex hac doctrina ea regula reſultat, quod licet dicat Angelicus Magiſter: *in hominem ſacramentalitèr veniens vitam gratiæ aperatur, ſecundum illud Joann. 6. Qui manducat me, vivet propter me. Vndè & Cyrillus dicit &c.* ut ſupra, non ex eo intelligere debemus, ut hucuſque, ut credo, intellectum eſt, Sanctum Doctorem in ſenſu excluſivo loqui, ac ſi per ſolam gratiam verificarentur ea omnia Chriſti Domini teſtimonia, cum ut proximè diximus, ex integra auctoritate apparet, per illa verba intellexiſſe dari nobis gratiam, media qua participare de vita Chriſti poſſimus. Quandoquidèm hunc excluſivum ſenſum omninò rejicit teſtimonium Chriſti Domini, quod allegat, & verba Cyrilli, quæ io comprobationem tradit: ſicut & illud, quod poſtea etiam declarat de illo alio effectu, ultra illum gratiæ *refectionis ſpiritualis*, quem ut effectum primarium, & tanquam ſuperiorem ipſo effectu gratiæ tradit, & pro quo majorem diſpoſitionem petit. Quod omne judicio meo convincit, communicationem gratiæ ponere non potuiſſe in ſenſu excluſivo. Et cum hac regula, quæ ex ejus doctrina deducitur, oportet ut ſemper procedamus, in legendis Doctoribus, quos modò Eminentiſſimus, modò nos in comprobationem concluſionis damus (dicimus in legendis Doctoribus, & non Sanctis Patribus, quia in illis, in eo, quod obſervavimus, hanc occaſionem dubitandi, ut ſupra adnotavimus, non habemus) & ita procedendo, non ex eo, quod legamus *gratiam*, vel per *gratiam* confeſtim iutelligamus de illa ſola Auctores loqui, qui alibi aliud dicunt, quod ſenſum excluſivum excludat.

132. Altera regula deducitur ex hac ipſius Angelici Magiſtri doctrina; nam licèt frequentèr antiqui Patres præſertim Hilarius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Nyſſenus, & Paſchaſius ita de Sacramento loquantur, ut videantur Corpori, & Sanguini effectus ejus tribuere, unionemque noſtram adhuc, & vivificationem in illo ponere: cum multa teſtimonia Sanctus Doctor ex iis ad literam afferat, tum in tota hac eadem quæſtione 79., tum quamplura in reliquis quæſtionibus, quæ ſcholaſticè tractat de hoc Sacramento, tum etiam innumera alia in opuſculo 58. (quod adeò contextum Patrum auctoritatibus dat, ut vix in eo ſit propoſitio, quam ex eorum auctoritate, ſicut & Scriptura nou confirmet), ex quo nonnulla deduximus: tamen ipſe Angelicus Præceptor alitèr cum iiſdem teſtimoniis procedit, ut obſervare poſ-

ſumus in iis omnibus, quos citamus, qui ſemper id, quod Patres carni Chriſti Domini tribuere videntur, & unioni corporum, intelligit de carne, & unione, tanquam medio ſine quo nihil conſequi poſſumus; agnoſcens quod in alio ſenſu Patres loqui non poterant, quemadmodùm ipſe Sanctus gratiæ multotiès ea tribuit, quæ ab ipſa Perſona Chriſti immediatè recipimus, tanquam medio ſimilitèr, ſine quo illa non reciperemus. Qui modus loquendi frequentiſſimus eſſe ſolet in omnibus materiis, explicando finem per media, ut variis in locis adnotavimus, & præcipuè per totum §. 4. & Suarez num. 18. & ex V. Bellarmino num. 145. & ex Cardinali Toleto cum aliis Patribus n. 187. & 188. & ex D. Auguſtino ad illa verba Salvatoris. *Caro autem non prodeſt quidquam*, quem dedimus num. 58. Quod eſt adeò neceſſarium, ut tanquam regula præſens ſemper id habeatur, ut ſi ita non fiat, paſsim incidere forſan poterimus in idipſum, in quo incidit Cardinalis Mendoza, & qui eum ſequntur inciderunt.

133. Altera regula eſt & quidem omnibus utilior, maximèque obſervanda, quæ deducitur ex doctrina ejuſdem S. Thomæ. Ex eo quod ex ipſo dedimus n. 56., & ex Cardinali Toleto cum aliis Doctoribus num. 187., & 188., quod confundere non debemus hoc Sacramentum cum ejus effectu, alitèr multæ graviſſimæ æquivocationes in nobis oriri poterunt uti, experientia magiſtra, oriuntur. Nam Sacramentum formaliter, & per ſe ſolum conſiſtit in Corpore, & Sanguine Chriſti, ſecundum id, quod verba conſecrationis utriuſque ſpeciei panis, & vini ſignificant, & quod per ſe vi illorum præcisè ponitur, anima vero, & Divinitas per ſolam concomitantiam, ut bene ibi declarat S. Doctor. Effectus autem hujus Sacramenti ſunt ea omnia, quæ Chriſtus D. nobis carnem ſuam, (ſeu ipſum Sacramentum, quod idem eſt) ſumentibus promittit, ut eſt quod manebit in nobis, & nos in illo; quod ipſo manente in nobis, vivemus per eum; quod in nobis habebimus vitam æternam, & quod per illum vivemus in æternum. Quam diſtinctionem deſumere debemus ex modo, quo Chriſtus Dominus loquitur. Enim verò, ut optimè obſervat loco citato Cardinalis Toletus, non dicit de illo qui manducat ejus carnem, *manet in carne mea, & caro mea manet in ipſo, ſed ego in ipſo, & ipſe in me*, quia in carne conſiſtit ratio Sacramenti; & quod in eo per concomitantiam continetur, & ad rationem formalem Sacramenti non pertinet, quod eſt ipſe Chriſtus, eſt effectus Sacramentum ſuſcipienti promiſſus, ut maneat in Chriſto illi unitus, & Chriſtus in illo, ut per ipſum vivere poſſit, unum cum eo fieri, & in ipſum transformari (non in Sacramentum, non in carnem, quæ cum ſpeciebus tranſit), quemadmodum accidit in materiali cibo, qui eſt cauſa noſtræ nutritionis, quia ejus ſubſtantia purificata, & defæcata per coctionem, & digeſtionem, eſt effectus, qui nobis communicatur, & quo illum in nobis incorporando nutrimur.

134. Et obſervata hac regula de facili acquieſcet Intellectus, quando dubitet, quomodo totus Chriſtus ſecundum corpus non manet perpetuò in nobis, ſi Chriſtus dicit *in me manet, & ego in illo*: ſibi reſpondendo, quia nobis non promittitur permanentia in anima noſtra ipſius Sacramenti, quod in corpore conſiſtit, & cum ſpeciebus conſumptis tranſit, ſed permanentia Perſonæ Chriſti, quæ eſt ejus effectus; cum Perſona Chriſti Sacramentum non conſtituat, ſed concomitanter ſe habeat ad illud. Et ſimiliter ſi intellectui offeratur illud *in me manet, & ego in illo* terminari ad manentiam, quam in ipſo Sacramento promittit, ſibi ſimiliter reſpondeat, quod Chriſtus non dicit *in me manet caro, & ego in illa. ſed in me manet, & ego in illo.* (Infertur tamen bene eſſe in ipſo Sacramento Chriſtum, quando promittit, quod manebit in illo, qui illum dignè ſumat). Pro quo obſervare ſemper oportet, Chriſtum Dominum ſui ipſius in Sacramento permanentiam promiſiſſe in illis verbis: *ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi*. (Ex quibus contra Novatores Hæreticos probamus Chriſtum Dominum uſque ad finem Mundi perſeveraturum in Sacramento, de quo egimus num. 159.) Quæ promiſſio facta fuit ipſi Eccleſiæ. Illud autem *in me manet, & ego in illo*, eſt promiſſio facta unicuique noſtrum, qui Sacramentum dignè recipiat, quia propter nos Chriſtus Dominus Sacramentum inſtituit; Itaque Ariani, qui realem Chriſti Domini præſentiam in Sacramento fatebantur (quamvis conſubſtantialitatem Filii negarent), argumenta ſua, de quibus §. XVI. non dirigebant ad Chriſtum ut in Sacramento, ſed ad ipſum ut in nobis manentem, ut modum hujus permanentiæ controverterent, contendendo myſticam tantum eſſe debere, quo certè non contenderent ſi verba illa effectum in nobis cauſatum ſignificantia confunderent cum perſeve-

ſeverantia in ipſo Sacramento, ac ſi Chriſtus dixiſſet, quod manet in Sacramento, dum eſt in nobis ſub ſpeciebus.

135. Quinimo etſi ſolum dixiſſet, quod manet ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quæ in omnibus manent, dici ex hoc non poterat, quod manebat in nobis Chriſtus, cum idem dici poſſet de eo, qui cum conſcientia peccati mortalis Sacramentum recipit, cum maneat in eo Sacramentum, in quo continetur Chriſtus. In quo profectò & rationi, & Patribus contradiceremus: D. Auguſtinus enim ait (7) *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procaldubio non manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum*. Et eadem ferè repetit Ven. Beda (8) & paſſim hoc repetunt etiam Theologi Scholaſtici de hoc puncto loquentes, de quo videri poteſt Vaſquez (9) Ex quo convincitur, quod permanentia de qua Salvator noſter loquitur, non eſt illa, quam habet in Sacramento (ſi talis dici poteſt, quando tam breviter ſpecies ſunt corrumpendæ) ſed de illa quam in nobis habere deſiderat, ſi digne illum recipiamus. Et idem dico ſi Chriſtus Dominus ſolum dixiſſet *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem maneo in illo*: quia nec ſic poterant verba illa intelligi de manentia ſolum mediata, qua manet in Sacramento, ſed de immediata, qua manet in nobis propter eamdem rationem. Cum ergo horum neutrum verificetur: quia Chriſtus Dominus diſertè dicit: *In me manet, & ego in illo*, primo *in me manet*, & ex conſequenti, *& ego in illo*: nam ut ait idem Auguſtinus, & Beda (10) *ſignum quia manducavit, & bibit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitat, & inhabitatur, ſi hæret ut non deſeratur*. Unde ſi primò non verificatur manere nos in Chriſto, non verificabitur manere Chriſtum in nobis. Cum ergo dicente Chriſto Domino. *Qui manducat meum carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet*, dici non poſſit hoc referri ad Sacramentum: Tum quia hoc non eſſet nos manere in Chriſto, ſed materialiter manere Chriſtum in nobis. Tum etiam ob improprietatem locutionis, quod de Chriſto Domino dici non poteſt, ut in ſimili Hilarius contra Arium dicebat ut num. 152. Tum denique: quia Sacramentum confeſtim tranſit: & ſic, ſi ex eo ſolo dici non poterat, quod Chriſtus manet in nobis, multominus cum triplici allata improprietate, dici poſset quod manemus in Chriſto. Quod enim confeſtim tranſit *nec manet, nec manetur, nec habitat, nec inhabitatur, nec hæret, ut non deſeratur*.

(7) *D. Auguſtin. tract. 26. in Joann. ad illa verba* In me manet, & ego in illo.

(8) *Beda in c. 6 Joann. ad eadem verba.*

(9) *Vaſquez in 3. p. D. Tho. diſp. 204. c. 3.*

(10) *D. Aug. tract. 27. in Joann. initio.* *V. Beda in c. 6. Joann. ad illa verba:* Non ſicut manducaverunt Patres veſtri,

§. ULTIMUS.

Declarantur ea omnia bona quæ nobis obveniunt, quibuſque frui poſſumus ex permanentia Chriſti in nobis media ſua anima & quibus privaremur cum permanentia ſolius gratiæ.

136. SATISFACTIS jam objectionibus, ex quibus contendi forſan poſſit, quod verba illa *in me manet, & ego in illo* intelligi non debent de reali Chriſti Domini perpetua permanentia in nobis, declaratiſque etiam regulis, quibus procedi ſemper in præſenti materia debet. Reſtat modo declarare ea omnia, quibus gaudere poſſumus per hanc Chriſti Domini in nobis realem permanentiam, realemque perpetuam unionem, quæ per ſolam gratiam vel conſequi non poſſumus, vel non conſequeremur, ſi ea ſola nobis communicaretur, quibuſque privaremur, ſi hanc realem perpetuam permanentiam, & unionem non admitteremus. Et incipiendo ab illis, quæ conſequi poſſumus, & quibus certo privaremur. Multa profectò, & mirabilia hæc ſunt. Nam in primis aſſumente nos Chriſto media ſua anima; ſuamque Incarnationem modo dicto extendendo, ſibique nos uniendo conſequimur, nedum illam magnam dignitatem, & felicitatem, quatenus effici unum cum ipſo, & in ipſum transformari, & de vita ejus vivere poſſimus, verum & quod ineffabili modo de ejus unione hypoſtatica, in quantum in præſenti providentia nobis eſt poſſibile, participare valeamus, & unum quaſi ſuppoſitum cum eo fieri; & quod iſta filiatio noſtra adoptiva, quam per gratiam habemus, adeo perfici queat, & quodammodo creſcere, ut de filiatione Chriſti naturali aliqualiter participare etiam poſſimus. Nam

ut ait

(1) *Leſſ. de perf. & Divin. lib. 12. cap. 11. n. 77.*

ut ait Leſſius : (1) *Amor Dei eſt Omnipotens ; ac proinde efficax ejus quod vult , ſicut ſi Rex , qui vult aliquem adoptare eſſet Omnipotens poneret in illo animam ſuam , eumque hoc modo filium ſuum conſtitueret . Quo caſu illa adoptatio eſſet multo perfectior , quam ſit modo ; adoptatus enim eſſet ſimilis filio naturali , & ejuſdem naturæ quodammodo particeps , cujus ipſe adoptans .*

(2) *Albert. Magn. de Eucbar. diſt. 3. tra. 1. c. 8. n. 2.*

(3) *Hugo Cardin. in c. 1. Joan. ad laudata verba .*

(4) *D. Paſch. lib. de Corp. & Sang. Dñi c. 19.*

(5) *idem ibidem c. 7.*

(6) *Canon quia corpus de cõſecrat. diſt. 2.*

(7) *D. Clemens Alexand. lib. 1. Pedagogi cap. 6.*

237. Et eſt ratio , quia Sacramentum , ut ait B. Albertus Magnus : (2) *Eſt quædam ſpiritualis , & optima generatio divina , qua homo in Corpus , & membrum Chriſti generatur* , itaque concludit afferendo illud Joan. 1. *quotquot autem receperunt eum , dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* . Et eodem modo intelligit Hugo Cardinalis hæc verba , ait enim : (3) *quotquot autem receperunt eum dignè in Sacramento* . Et D. Paſchaſius de eodem Sacramento loquens ait , quod in illo (4) *dedit Chriſtus nobis poteſtatem filios Dei fieri* , & ſic poſtea ſubjungit , quod *in eo ex Deo naſcimur* , & alibi : (5) *Chriſtus in nobis monet , ut nos in ipſo renati unum efficiamur ;* ſicque in canone . *Quia Corpus de conſecratione* , habemus per Sacramentum inviſibiliter ita nos mutari , & ſubſtantialiter augeri , ut Chriſti filii efficiamur , verba ſunt : (6) *in exteriori nihil additum eſt , & totum in interiori mutatum eſt , ac ſi hoc Chriſti filius effectus* . Et ſic tanquam ſi naturales filii eſſemus in hoc Sacramento ſumus tractati . Nam ut ait D. Clemens Alexandrinus (7) *ſi in Chriſto regenerati ſumus , qui nos regeneravit proprio lacte nutrit , nempe Verbo , Quidquid enim generavit ei quod generatur protinus alimentum præbere eſt conſentaneum* .

(8) *Eccleſ. cap. 24. à v. 24.*

238. Et ad hanc dignitatem , & felicitatem conſequendam , ut cum ea poſſimus tanquam proprii filii ali , & nutriri per Patrem noſtrum , nos invitare. Sapientia incarnata videtur , dum per Eccleſiaſticum ait : (8) *Tranſite ad me omnes , qui concupiſcitis me , & à generationibus meis implemini : Spiritus enim meus ſuper mel dulcis , & hæreditas mea ſuper mel & favum ... Memoria mea in generationibus ſæculorum. Qui edunt me adhuc eſurient , & qui bibunt me adhuc ſitient* . Quaſi nos invitet , ut de utraque ſua generatione divina , & humana participemus , & ſic de dulcedine Spiritus ſui , quo in perpetuum in nobis ejus memoria maneat ; & hoc quidem per ejus Sacramentum , quo filios ſuos alere , & nutrire vult . De hoc enim Sacramento hæc verba Cornelius , & Hugo Cardinalis , & communiter Expoſitores intelligunt (9) Et hac certe fœlicitate privaremur , cum per ſolam gratiam participare de hac naturali filiatione non poſſemus .

(9) *Cornelius hic . Hugo hic .*

239. Sed nec hac ſolum dignitate privaremur , ſed & alia non minori , quæ immediatè reſpicit ea , quæ per animam Chriſti D. ſuæ Divinitati unitam nobis obvenire poſſunt . Namque cum huic diviniſſimæ Salvatoris noſtri animæ hæc omnia debeamus , quod ejus , quo nos proſecuta fuit amore , acceptaverit ea omnia facere , & pati , quæ pro noſtra ſalute Chriſtus per totum temporis ſpatium , quo in mundo extitit , operatus , & paſſus fuit , uſque dum in patibulo Crucis vitam ſuam in ſacrificio illo cruento obtulit ; quod ſuo merito per perſonam divinam valorato , & condignificato nos redemerit ; quod omnium eorum cœleſtium donorum , quæ nobis meruit , veros hæredes effecerit ; quod ardentiſſimo , & exceſſivo amore , quo nos proſequitur , Chriſtus Dominus , hoc inſtituerit Sacramentum ; quod medio illo voluerit nobiſcum perpetuo manere , & ita nobis adeo ſtrictè uniri , ut unum cum illo effici poſſemus , & de ejus divinitate , & vita divina in eum transformati gaudere . Si poſt tot debita anima Chriſti , totque exceſſivi , ardentiſſimique erga nos demonſtrationes amoris , ejus permanentia in anima noſtra denegaretur , duo graviſſima mala profecto inferrentur ; quorum alterum eſt , ea maxima injuria , quæ illius amori fieret , quaſi iſte , qui ad tam magna , tantoque majora ſe extendit , ad hoc extendi non poſſet ; quandoquidem de poſſibilitate dubitari non poteſt ; ſicut nec de facto , ut vidimus §. XIV. & à num. 198.

(10) *V. Ludov. à Ponte de*

240. Alterum vero eſt , quod defraudaremur alia ineſtimabili dignitate , & conſolatione , quam ſecum innegabiliter afferre poteſt , ſi per nos non ſtet , uti eſt hanc diviniſſimam animam perpetuo nobiſcum habere , debitas grates de ejus exhibito nobis amore illi continuo poſſe rependere , frequenter eam amplecti , neceſſitates noſtras illi repræſentare , confidentiſſimè eam tamquam in naturalibus nobis æqualem tractare , & ab ea petere ea omnia , quibus egemus , quæ profecto minora ſemper erunt reſpectu eorum , quæ nobis meruit , & communicari voluit , etiam antequam nobis uniretur ; & de quorum conſecutione certi eſſe poſſumus . Nam ut ait Ven. Pater Ludovicus à Ponte (10) *ſupereſt adhuc aliquid in ſanctiſſimæ hujus animæ voluntate videndum . Sunt enim in ea etiam theſauri cæleſtium deliciarum : quia bi-*

bit

Digitized by Google

bit ex copioſiſſime flumine gaudiorum Dei uſque ad ſummam deſideriorum ſuorum ſaturitatem, & in tanta plenitudine; ut quod ſuperfluit, ex ea replere poſſit omnes lætitia. Illa vere eſt Manna abſconditum cum dulcedine immenſa, in qua ſunt ſapores omnes, modique omnes ſuavitatis poſſibiles ad delicias, & ſolatia Juſtorum; quibus ſtatim, atque in eas per ſacram Communionem ingreditur, eam partem communicat, quam illorum diſpoſitio meretur.

241. Et alibi (11) *Eleva igitur Sacramenti hujus velum, & agnoſce gloriam, & pulchritudinem ſanctiſſimæ illius animæ, tanta ſapientia, & gratia plenæ, quanta decet animam perſonaliter unitam unigeno Filio æterni Patris, qui Sol eſt ſplendoris infiniti, per quam unitionem immemorabiles, & excellentiſſimos gratiæ theſauros illi confert, omneſque ejus potentias iis divitiis exornat, quarum ſingulæ ſunt capaces: ſimulque poteſtatem ei facit reddendi homines earum participes. Et ideò deſcendit illa ad Sanctiſſimum Sacramentum. Quare ingreſſa hæc ſanctiſſima anima in hominem juſtum, ſtatim aperit primos theſauros gratiæ ſanctificantis animas; tantamque ejus copiam unicuique tribuit, quanta eſt communicantis diſpoſitio, & ita manent ambæ cum admiranda hac mutua ſimilitudine conjunctæ. Si enim qui adhæret Domino, (ut Apoſtolus ait) unus ſpiritus eſt cum illa, etiam anima mea, ſi cum Salvatoris anima conjungatur, manebit per gratiam facta unus ſpiritus cum illa.* Et præclare D. Paſchaſius, qui poſtquam dixiſſet, Deum per Sacramentum unum naturaliter nobiſcum fieri, ejuſque ſubſtantiam in nobis unum nobiſcum factam manere; ut ſupra vidimus, ait: (12) *Orantes ad Deum cum Propheta dicimus, memorare mea ſubſtantiæ, nunquid enim vanè conſtituiſti omnes Filios hominum? quæ igitur major ſecuritas hominis, quam ad ſuam ſubſtantiam orare, & eam in Deo venerari, atque per unitatem Perſonæ fidenter dicere: ò Deus mea ſubſtantia!* Itaque in illa deprecatione, quam poſt Sancti Sacrificii celebrationem, Sacerdos in gratiarum actione ad Chriſtum Dominum, quem in Sacramento ſuſcepit, dirigit, confidentiſſimè ait: *Anima Chriſti ſanctifica me*, & ſunt prima deprecationis verba.

(11) *V. Ludov. de Ponte ubi proxime c. 3. conſid. 4.*

(12) *D. Paſchaſ. lib. de Corp. & Sang. Domini c. 19.*

242. Alia etiam magna utilitate privaremur, ut eſt illa, quam nobis, noſtriſque operibus meritoriis afferre poteſt hæc intima realis unio cum Chriſto. Quandoquidem media ſua anima, ipſo nos aſſumente, ad ſe in nobis repræſentandum, & nobiſcum operandum, procul dubio ex hac unione, & ex hac quaſi hypoſtatica noſtri aſſumptione, noſtra opera majorem efficaciam, majoremque vim obligandi Deum, ac majus meritum ſi non de condigno, ſaltem de congruo habebunt. Namque cum ex hac aſſumptione reſultet nos fieri per transformationem unum quaſi ſuppoſitum cum Chriſto, quemadmodum arbor, ſeu vitis inſita transformatur, & una ſit cum ramo, ſeu germine, quod in ea inſeritur, ex quo reſultat, quod fructus arboris inſitæ plus participet de natura arboris, ſeu vitis, in qua fuit inſita, quam de ſua propria; idcircò opus eſt, ut ex hac aſſumptione, transformatione, & inſitione Chriſti in nobis multum de valore, dignitate, efficacia, & virtute ipſius Chriſti opera noſtra participent, cum opera quaſi ipſius Chriſti reputentur: ut ex Angelico Præceptore ſub hac eadem metaphora vidimus num. 118. Itaque Vener. Ludovicus de Ponte hanc felicitatem ponderans, ait. (13) *Chriſtus Dominus Noſter in illa inſtanti promeritus fuit omnes gratias, dona, & favores cæleſtes, quæ hominibus conceduntur; & omnia illorum merita, ſive proveniant ex iis, quæ patiuntur; ſive ex bonis, & ſanctis operibus, quæ præſtant: hæc inquam omnia tunc fuit promeritus Chriſtus offerendo pro eis omnia adverſa vitæ ſuæ, paſſionem, ac mortem. Quem pretioſiſſimum meritorum theſaurum ſecum affert ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum, ut ex eo nos ditet, applicando nobis merita ſua, ut noſtra plurimum augeantur. Cum igitur ad ſacram Communionem accedis, cogita, te immenſum meritorum hujus Domini mare accepturum, ut tuorum ſuppleas defectum; tuaque ipſa cum illis conjungas, ut gratiora apud Deum reddantur.*

(13) *Vener. Ludovic. de Ponte de Chriſtiani hominis perfect. trac. 4. de Euchar. c. 3. conſiderat. 5.*

243. Sed nec his ſolis bonis privaremur, quæ propria ſunt perſonæ Chriſti Domini, & ejus animæ in nobis permanentis. Privaremur etiam & aliis, quæ, & ſi per gratiam conſequi aliunde poſſimus tamen huic diviniſſimo Sacramento ex diſpoſitione divina alligata videntur. Et ratione hujus unionis maximè etiam in nobis excreſcunt. Nam ut ait B. Albertus Magnus de Sacramento loquens: (14) *Ipſe enim ſibi nos uniens, in nobis magna facit, & nos ſibi unitos ad Patris majeſtatem exaltans, facit majora, & quotidie innovat maxima. Quæ omnia in nobis facit quotidiè virtutem, & opera confortando. Magna enim facit in operibus gratiæ; majora facit in operibus donorum Sancti Spiritus. Maxima autem facit in operibus ſupererogationum, & beatitudinum. Sic unitus cum Chriſto loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 13. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus.* Cum quo & concordat laudatus Vener. Ludo-

(14) *B. Albert. Magn. de Euchar. diſt. 3. tract. 1. cap. 8. num. 3.*

(15) *Ven. Ludovic. de Ponte de Chriſtian. hom. perfect. tract. 4. cap. 4. §. 2.*

dovicus à Ponte, qui ait: (15) *cum igitur Chriſtus Dominus Noſter ſit vitis, & nos palmites, ille oliva frugifera, nos ſteriles, & inutiles; inſerere te in hanc vitę arborem, ut favare, & auxilio ipſius fructus proferas, quos ille profert: nam verè omnes ab ipſo proveniunt; ideoque ipſius potius ſunt, quam tui: cum virtutem ab eo accipias ad eos proferendos.... Ipſe dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & Ego in illo: Ego ſcilicet opus in ipſo faciam, ipſeque idem faciet mecum, quia uterque unus erimus ſpiritus, quemadmodum inſertus ramus cum ſuo ſtipite.*

244. Itaque pro comperto habere poſſumus, quod fere omnes illi favores, quos in vitis Sanctorum, & Venerabilium Perſonarum illis factos legimus, ut ſunt illæ altiſſimæ contemplationes, ad quas elevantur, tum Seraphica, tum flammea, tum ignea, tum vulnerativa, tum tenebroſa, tum illuminativa cum effectibus illis, quos ſecum ſemper afferunt, ut ſunt hæroici illi frequentes actus Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis, quos cum reliquis virtutibus moralibus exercent, quibuſque Chriſtum imitantur, & illum repræſentant, quemadmodum Apoſtolus illum repræſentabat; ſicut & illi effectus, qui frequenter hæc omnia comitantur, ut ſunt extaſes, raptus, ſpiritualia deliquia, Spiritus languores, internæ locutiones, dulciſſima ſoliloquia, internum ſilentium, fames, ſatietas, & alia id genus, quæ in fundo animæ, & in ejus apice operatur Deus, quaſi paſſivè anima ſe habente (cum ſolo eo, etiam ab ea imperceptibili concurſu ad vitalitatem, & meritum neceſſario.) Pro comperto, inquam habere poſſumus, hos omnes favores effectus eſſe hujus Sacramenti, qui etiam fluunt ex plenitudine Sanctiſſimæ animæ Chriſti, quæ nobis eos meruit, ſi ad eos recipiendos nos diſponamus.

245. Quod totum optimè ponderat laudatus Vener. Lodovicus à Ponte, qui ait: (16) *Inſpicies, & intellectum animæ ſanctiſſimæ ipſius Salvatoris, in quo (ut Apoſtolus dixit) ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Nam lumine gloriæ, quod habet, videt cum ſumma excellentia, & perfectione ipſam Divinam eſſentiam, & præterea omnes ſcientias ſupernaturales, & naturales rerum omnium in omni perfectione habet, quæ competunt animæ Divino Verbo, & ſapientiæ æterni Patris unitę: à quo ſapientia omnis, ſcientiaque dimanat, quę in Angelis, & hominibus invenitur. Et in ipſo Sacramento venit, ut animabus tribuat eam ſapientię, & ſcientię partem, quę illis competit. Adeoque in ipſo ingreſſu, cœleſtis ſapientię theſauros aperit, & admirandas illuſtrationes jacit: quibus ſua detegit arcana, ſenſumque aperit, ut ſcripturas divinas intelligant; concedit altiſſimas contemplationes, & meditationum inundationes, & nonnunquam etiam raptus, ſuſpenſiones ſenſuum, & extaſes ob luminis abundantiam, quam tribuit intellectui juxta diſpoſitionem humilitatis, & charitatis, qua quiſque communicat*. Et videri poſſunt ea, quæ ex eodem dedimus numeris 103. 104., & 105.

(16) *Ven. Ludovic. à Ponte de Chriſt. vitæ hom. perfect. tract. 4. cap. 3. conſiderat. 4.*

246. Nam licet benè verum ſit, quod cum gratia, cum qua nobis datur Spiritus Sanctus, & tota Trinitas per concomitantiam, hæc omnia, ut dixi, dari nobis poſſint, etiam independenter à Sacramento; cum tamen ex communi Theologorum conſenſu cum Divo Thoma habeamus, quod hoc ipſum donum concedebatur etiam Patribus, & Prophetis veteris teſtamenti, quibus inviſibiliter dabatur etiam cum gratia Spiritus Sanctus, ſicut & nobis, & conſequenter tota Trinitas; ait enim Sanctus Doctor: (17) *dicendum, quod miſſio inviſibilis facta eſt ad Patres veteris teſtamenti.... Cum ergo dicitur (Joan. 7.) nondum erat datus Spiritus Sanctus intelligimus de illa donatione cum ſigno viſibili, quę facta eſt in die Pentecoſtes*. Et eadem ferè repetit P. Suarez: (18) cum tamen nullibi in ſcriptura legamus Patribus illis factos tot ſimiles favores, licet virtutibus heroicis eſſent præditi, inde benè inferre poſſumus, hos ſingulares favores, haſque teneras, dulceſque conſolationes reſervare Deum voluiſſe legi gratiæ pro illis, qui hoc Sacramentum ea diſpoſitione ſuſciperent, qua omnes Sancti, & viri perfecti, quibus illos communicat, illud recipiunt. Itaque D. Laurentius Juſtinianus loquens de Apoſtolo Paulo, deque illa in Chriſtum transformatione, qua tot favores de Cœlo meruit, ait: (19) *In ſuo corde verbum ſuſceperat, & ſic ajebat vivo Ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Et merito quidem potuit hæc dicere, quando tam dignè toties Chriſtum in ſuis ſacrificiis receperat. Et ſic Eccleſia canit: (20) *O' quam ſuavis, eſt Domine ſpiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares pane ſuaviſſimo de Cœlo pręſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes*.

(17) *D. Tho. 1. part. qu. 43. art. 1. ad 2.*

(18) *Suarez de Deo uno lib. 11. cap. 5. n. ultim.*

(19) *D. Laurent. Juſtin. de Caſto Connub. cap. 13.*

(20) *In feſto Corp. Chriſti in antiph. ad mag. nific.*

247. Et idem dico de aliis ſolidiſſimis frequentioribus virtutibus, quas etſi nullo ex his ſingularibus dulciſſimis favoribus aſſociatas videamus, meritò

tan-

tanquam proprias legis gratiæ (cum in lege veteri vix, aut nec vix quidem agnitæ fuerint) tribui etiam poſſunt virtuti Sacramenti, huicque Chriſti Domini optatæ ſui in nobis repræſentationi, ut ſunt virginitas, omnium deliciarum renunciatio, voluntaria paupertas, mundi deſpectus, & omnium cruciatuum amplexus, humilitas etiam uſque ad deſiderium contemptus &c. Quæ omnes virtutes ſunt propriæ, & characteriſticæ legis gratiæ, in quibus per ſuos uniuſcujuſque gradus Chriſtus magis, vel mious repræſentatur, magiſque vel minus in ſeipſum illum transformat, & de vita ſua illi communicat, juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem, qua Sacramentum ſuſcipit, juxtaque majorem ſui in virtutibus profectum, majoremque etiam hujus unionis radicationem, quæ magis, ac magis intenditur, & creſcit ad menſuram diſpoſitionis, qua ad illud recipiendum quis accedat, juxtaque majorem, aut minorem ſuam cooperationem. Quandoquidem, ut ait Divus Bonaventura: *Cum hoc Sacramentum ſit unionis, effectus ejus primarius eſt unire, aut magis unire*. Ut numero 7. dedimus, uſque dum ad ſummum perfectiſſimum unionis gradum per Sacramentum à Chriſto Domino intentum, anima accedat, quem Angelicus Præceptor declarat, dum dicit: *Proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum, ut dicat cum Apoſtolo, vivo Ego jam non Ego, vivit vero in me Chriſtus*. Ut eodem num. 7.

248. Quod omne conſequi juſtus poteſt, ſi ex quo in aliqua ex ſuis hujus Sacramenti receptionibus, in qua nedum accedat cum diſpoſitione gratiæ, ſed etiam cum actuali devotione (hoc eſt cum actuali exercitio virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis, verique deſiderii, quod Chriſtus D. ſecundum ſuam animam, & divinitatem in eo perpetuo maneat) meretur hanc felicitatem, ut ipſi Chriſtus imprimatur. Tunc enim ſi curat de virtute in virtutem creſcere, creſcentibus conſequenter gradibus hujus unionis, per novas ejuſdem Sacramenti receptiones, poterit, plenè in Chriſtum transformatus, illud verè dicere: *Vivo Ego jam non Ego, vivit vero in me Chriſtus*. Habet enim hæc traosformatio ſuos gradus, ut optimè animadvertunt omnes Doctores Myſtici, & notat D. Laurentius Juſtiniauus loco proximè citato; & hæc transformatio incipit à primo gradu, quo virtutes Theologicas, & morales exercere incipit, qui aſcendere ad perfectionem deſiderat. Quandoquidem per eoſdem gradus, per quos in virtutibus creſcat, creſcet & in transformatione: & eo brevius, & facilius, quo de virtute in virtutem creſcens cum majori diſpoſitione hujus diviniſſimi Sacramenti receptiones frequentet. Nec opus eſt (ut nihil intactum relinquamus) ut peroptimè Doctores omnes myſtici docent, quod effectus hujus transformationis ſit ſenſibilis, ſicut nec actus, quibus ad Sacramentum recipiendum accedere debemus, nec quod transformatio aſſociata veniat illis ſenſibilibus favoribus, de quibus proximè. Tunc enim Juſtus verè transformatus in Chriſtum invenietur, quando opera, & virtutes ejus correſpondeant virtutibus, quas Chriſtus Dominus nos edocuit, & exercuit, etiamſi illis ſenſibilibus favoribus careat. Quandoquidem nedum bene hæc omnia componuntur cum amaritudinibus tentationum, obſcuritatum, derelictionum, & id genus aliorum, verum etiam ſecurius, & ſolidius in fundo animæ plus omnia radicantur, & firmantur. Hacque ratione D Thomas ait: (21) quod dulcedo, quæ per hoc Sacramentum animæ communicatur, non ſemper eſt ſenſibilis, imo multoties in magnas ſcoſibiles amaritudines convertitur. Tunc enim dulcedo eſt in fundo animæ, licet non percipiatur, & tunc repræſentat Chriſtum patientem, qui licet in fundo animæ gauderet de dulcedine ſuæ Beatitudinis, parti tamen inferiori non communicabatur; cum in hac nonniſi deſolationes, & omoe genus paſſionum experiretur.

Reſtat concluſa Synopſis totius ſubſtantiæ diſputationis ab Emo tam eruditè elaboratæ, adhuc & diſcurſus ſuper iis omnibus partibus, quas concluſio complectitur, ad gloriam hujus auguſti Sacramenti, & ad utilitatem, & conſolationem fidelium. Sed nooex hoc reſtat dictum, quidquid de tanto Sacramento, deque vi illorum verborum: *In me manet, & Ego in illo &c.* dici poteſt. Adhuc enim majora ſuperſunt, & ad majora dicenda Eccleſia nos excitat, quando, ut initio diximus, ait. *Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare ſufficis*: cum pauca adhuc hæc ſint Pſalmiſta dicente (22) *Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes ejus*. In quo ſignificat, nunquam de hoc Sacramento ea, quæ in eo continentur plenè dici poſſe. De hoc enim David in ſenſu Chryſoſtomi loquitur. (23) Itaque Ven. Ludovicus à Ponte ſuum tractatum de Euchariſtia concludens poſtquam dixiſſet: (24) *Omnia denique illa præclara, quæ de hoc divino Sacramen-*

(21) *Idem Opuſculo 58. c. 10. & 12.*

(22) *Pſ. 105. verſ. 2.*

(23) *D. Chryſoſt. hom. 83. in Matthæum.*

(24) *Ven. Lu-*

l *to,*

dovic. de Ponte ubi ſupra cap. 7. §. 3.

to, ejuſque nominibus hactenus diximus, adeò ſunt excelſa, & ſtupenda; & deſiderium, qua ipſe Salvator tenetur, ut eorum participes efficiamur, adeò eſt vehemens, ut, ad nos ad idem ſtudium, ac deſiderium animandos, adjecerit illa verba: nemo ſcit, niſi qui accipit: *quaſi diceret date operam diligentem, ut ea obtineatis; ipſa experientia percepturi, quantum illa valeant, abſque luce enim, & amore, qui cum illis communicatur, impoſſibile eſt ea integrè cognoſcere, ſicut dictum eſt.* Poſtquam enim hæc attulit, & expreſſit tot tavores, & utilitates, quas de anima Chriſti ejuſque unione cum anima noſtra participare poſſumus (in quibus declarandis primus dici poteſt) his verbis operi ſuo dat finem: (25) *Imponamus itaque huic de Sanctiſſimo Sacramento finem, dicentes de eo (quod Sanctus Joannes dixit) ſupereſſe alia multa mirabilia, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi eſſent libri. Quare plurima, eaque grandia dicenda ſuperſunt.* Hæc quæ de hoc miro effectu hujus auguſti Sacramenti, deque hac ſui amoris adinventione dicta ſunt, Deus huic Eminentiſſimo declarare reſervavit, volens modo ut pro gloria Sacramenti, & fidelium conſolatione illud adimpleret (26) *Notas facite in populis adinventiones ejus, ... Narrate omnia mirabilia ejus.... Lætetur cor quærentium Dominum.* Ad alia vero de eodem Sacramento declaranda, quæ adhuc in obſcuro nos latent, quando ſibi placeat, alios aſſumet.

(25) Idem ibidem cap. ultim. num. finali.

(26) 1. Paralipomenon cap. 16. v. 8. 9. & 10.

Proſequitur judicium tam de doctrina, quam de toto opere.

CONELUSA Synopſi, adbuc & diſcurſu: eum ex quatuor allatis fundamentis à Scriptura, Patribus, ratione, & ab abſurdo deſumptis, quibus doctrina præfatæ concluſionis corroboratur, adeo fulcita maneat, ut nullum dubium de ejus ſoliditate judicio noſtro remanere queat, in eamdem ſententiam, ut initio diximus, conveniendo, ei pluſquam libenter noſtram ſubſcriptionem adjicimus, abſque ulla hæſitatione rati, neminem prorſus futurum, qui eadem fundamenta perpendens, inſimul non judicet præſatam ſententiam ab omoibus amplecti mereri, à nulloque reſpui poſſe, qui etiam non recedat à rigoroſa Verborum Chriſti Domini ſignificatione, minuſque appoſite ſentiat de ardentiſſimo, ac maximo ejus erga nos amore in Auguſtiſſimo Sacramento maniſeſtato, ſicut & de ejus Omnipotentia.

Et ſi alicui forſan accidat, ut illi aſſentiri ex eo dubitet, quod in Scholis ſub his terminis, ut ſupra tetigimus, nondum eam audierit, licet ex ſupradictis ſatisfactum huic ſcrupulo maneat, ſubjungere tamen nobis aliqua lubet, quibus ambiguitas omnis ceſſabit. Nemini enim dubium eſt, etiam in materiis dogmaticis, accidiſſe, quod diligentiori animadverſione, & majori ſtudio, quædam dogmata proceſſu temporis magis illuſtrata fuerunt, & expolita, prout præclarè ad propoſitum docet Vincentins Lirinenſis, dum ait: (1) *Fas eſt enim ut priſca illa cæleſtis philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, & poliantur.* Namque ut D. Auguſtinus illa verba Apoſtoli aſſerens. (2) *Oportet & hæreſes eſſe*, ait; (3) *Multa quippe ad fidem Catholicam, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab Adverſariis mota quæſtio diſcendi extitit occaſio.*

Et cum hæc, quocumque tempore declarentur, ſimile dubium aſſerre poſſint, etiam ex capite novitatis vocum, quæ evitari debet, propterea alibi idem Auguſtinns exponens illa Chriſti Domini verba; (4) *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*, docet: quod licet ea, quæ cum tempore occaſione hæreſum clarius de veritate fidei cognoſcuutur, & declarantur, novitatem ſaltem in vocibus ſecum aſſerant, illis minimè obeſt illud Pauli: (5) *Prophanas verborum novitates evita.* Et ſic inquit: (6) *Non ait verborum novitates, ſed addidit prophanas. Sunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates.* Et paulo poſt ſequens apponit exemplum. *Adverſus impietatem quoque Arianorum Hæreticorum novum nomen Patres Homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignificaverunt, hoc enim vocatur Homouſion, quod eſt, ego, & Pater unum ſumus, unius videlicet, ejuſdemque ſubſtantiæ. Nam ſi omnis novitas prophona eſſet, nec à Domino diceretur mandatum novum do vobis, nec teſtamentum appellaretur novum.*

(1) Vincent. Lirinenſ. in Commonit. c. 30.
(2) Pauli 1. ad Corint. cap. 11. verſic. 19.
(3) D. Aug. de Civit. Dei lib. 16. cap. 11.
(4) Joan. c. 6. verſ. 11.

(5) Paul. 1. ad Timoth. cap. 2. verſ. 16.
(6) D. Auguſtinus tract. 97. in Joann.

Et ſufficere poſſet exemplum, quod materia ipſa, de qua agimus, nobis offert. Cum enim iidem Ariani ad impugnandam Filii cum Patre conſubſtantialitatem argumenta, ut ſuo loco vidimus, deſumerent ex omnibus iis teſtimoniis, quibus Chriſtus Dominus nos docuit de unione, quam nobis in

Sa-

Digitized by Google

Sacramento largitur, deque unitate, quam nobiſcum habere intendit, quam ſolam myſticam per dilectionem, & concordiam voluntatis, ut ſupra vidimus, exiſtimabant, ut ex eo arguerent non aliam unitatem eſſe inter Patrem, & Filium; hoc dedit occaſionem, ut Patres, qui contra illos agebant, ea omnia teſtimonia diligentius conſiderarent; examinarent, & ſic clarius intelligerent, & agnoſcerent, non de myſtica tantum, ſed de naturali, ſeu reali unione Chriſtum Dominum in illis teſtimoniis eſſe locutum, hancque eſſe unitatem, quam deſiderabat nobiſcum per Sacramentum habere. Quod quidem licet in Chriſti Domini teſtimoniis eſſet contentum, à nemine tamen erat antea declaratum, & forſan nec declararetur, ſi mota ab Hæreticis quæſtio occaſionem ad id non dediſſet. Et hæc novitas cum duntaxat eſſet in vocibus, quibus idipſum declarabatur, quod in Chriſti Domini teſtimoniis erat contentum, nedum evitari non debuit, verum & fuit omnino neceſſaria.

Hoc idem accidit in præſenti caſu. Cum enim noſter Eminentiſſimus occaſione hæreſis Novatorum negantium realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia, realemque veram illius ſumptionem, & permanentiam conſequenter in eo, qui Sacramentum recipit; admittentiumque duntaxat myſticam præſentiam per fidem, myſticamque ſolum ſumptionem, & in nobis permanentiam per fidem, gratiam, & charitatem, examinatis Chriſti Domini teſtimoniis, quæ de Sacramento loquntur, adhuc & doctrinis Patrum, qui contra Arium agebant; ex eorum mente invenerit, quod permanentia illa, de qua Chriſtus loquitur, in eo qui Sacramentum dignè recipit, non eſt tantummodo myſtica, ſed realis per realem ſpiritualem aſſumptivam unionem, ſuo loco jam declaratam; ex hoc motus eſt ad ſuam concluſionem ſtabiliendam, & ſcutiendum, hanc realem permanentem, ſpiritualem Chriſti Domini unionem omnino neceſſariam eſſe, nedum ad ſubſtinendam SS. Patrum doctrinam de hac reali unione, (quam tanquam in viſceribus teſtimoniorum Chriſti Domini contentam contra Arianos declararunt) verum etiam, ut majori cum efficacia contra Novatores agi poſſit. Quandoquidem ſi hanc realem unionem, & permanentiam non admittamus, quando contra illos agendo convincere ipſos conamur, quod fateri debeat ex verbis illis Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum*, & ex illis: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, & ex illis: *qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in illo*; non myſticam tantum, ſed realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia eſſe; ita redarguere nos tentabunt, quod ſicut ea ultima verba: *In me manet, & ego in illo*, nos de permanentia, & unione myſtica per gratiam, & non de reali intelligimus, ita & ipſi de præſentia myſtica, & non de reali illa alia intelligere poterunt.

Unde ſtante tam gravi fundamento (ſe ſolo ſufficienti ad ſuſtinendam concluſionis doctrinam) quod ita ſub his terminis in ſcholis non ſit audita, & ſic videatur nova, ſufficiens motivum, eſſe non poteſt, ut eo, & tot aliis adſtantibus fundamentis dubitare de ea amplectenda quis poſſit. Præſertim quando ultra allata exempla pro comperto omnes habemus ſub his terminis materiam in ſcholis non eſſe diſputatam, & conſequenter à nemine hanc doctrinam rejectam; imò potius habemus, quod quando Novatorum hæreſis orta fuit Theologi cæperunt dubitare de ſufficientia unionis myſticæ, ut Novatores convincere poſſent. Ut P. Vaſquez animadvertit, (7) idque circò ut eorum hæreſis inſectari, & configi efficacius poſſet illam realem ſubſtantialem corporalem unionem docuerunt, qua credebant hoc conſecutum, itaque eo confiſi, quod hæc ſufficeret, ad aliam quærendam non tranſierunt, neque de hoc curarunt.

(7) *Vaſquez in 3.p. D.Tho. diſp. 204. c. 2.*

Et cum Eminentiſſimus hanc corporalem ſubſtantialem, realem unionem examinaverit, & inſubſiſtentem cum graviſſimis Theologis invenerit, quæ nonniſi contiguitatis vocari debet: & etiam demonſtraverit, quod etſi ſubſiſteret, inſufficiens omnino eſſet, tam ad ſuſtinendam doctrinam Patrum contra Arianos, quam ad evitandam redargutionem Novatorum. Et inſuper oſtenderit, Patres ultra unionem gratiæ hanc realem ſpiritualem permanentem unionem cum Chriſto media ſua anima, quam adſtruit, clarè in verbis Chriſti Domini agnoviſſe; eaque duntaxat myſtica, nec eorum doctrinam contra Arianos ſuſtineri poſſe, nec horum argumenta, quæ ex myſterio Euchariſtico ſumebant, ut oportet, dilui, & configi; nec hæreſim Novatorum ita efficaciter propulſari, ut redarguere nos non poſſint cum noſtra myſtica intelligentia, ſi hæc admitteretur, ut ſuis in locis omnia hæc vidimus. Ex hoc, & iis omnibus, quæ deſumpta manent, tum ex

ſpecifica natura hujus Saeramenti , majorem unionem , quam myſticam ,
quæ ab omuibus Sacramentis cauſatur , peteotis , & quidem permanentem,
& perpetuam , quantum eſt ex iutentioue Chriſti , ſi per nos noo ſtet . Tum
ex eo quod Chriſtus intendit nobiſcum uniri , & uoum nobiſcum eſſe illa
majori uiiione , & majori unitate poſſibili , præter myſticam gratiæ , & præ-
ter illam tranſeuntem corporum . Tum ex titulo extenſionis Incarnationis ,
qua Chriſtus Dominus in Euchariſtia oos aſſumit , modo , licet inæquali ,
valde tamen ſimili illi , quo individuam noſtram oaturam in Iocarnatione
aſſumpſit (quæ aſſumptio aliter quam per præfatam doctrinam ſalvari non
poteſt) . Tum ex natura unionis aſſumptivæ ad ſe repræſentandum , quæ
petit unionem realem inter motorem , & mobilem , ut cum D. Thoma do-
cent omnes Theologi , ut §. V. dedimus . Tum denique , & quidem ur-
gentiſſimè , ex ſummo , intenſiſſimo , & ſupereminenti Chriſti Domini , quo
nos io hujus Sacramenti inſtitutione proſecutus eſt amore , quo ipſius di-
vitias in oos velut effudit ; adhuc & ex titulo omnipotentis .

Namque cum tam ingenti amori , deſiderium hujus perfectiſſimæ , perpe-
tuæ uuionis inficiari , oefas eſſet : & Angelicus Præceptor cum D. Augu-
ſtino dicat , de natura amoris eſſe , petere unionem realem inter amantem ,
& amatum , ſi hæc poſſibilis ſit , ut num. 125. , & poſsibilitas hujus rea-
lis perpetuæ permanentiæ io nobis , hujuſque realis unionis , qua Perſona
Divini Verbi nos aſſumat , ad ſe in nobis repræſentaodum , negari uon poſ-
ſit ; ſicut nec quod poteſt illud facere media ſua anima , ſine qua nec va-
leret ſpeciali modo io nobis eſſe , & nobis uniri , nec veriſicari , manere in
nobis Chriſtum ut §. VII. & cum qua ſola optimè hoc ſalvatur , ut o. 53.
multoque minus negari , quod anima Chriſti poſsit animæ noſtræ realiter uni-
ri , niſi velimus majus privilegium animæ Chriſti , quam ejus divinitati con-
cedere , quando Theologi Angelis hoc concedunt , ut num. 128. & tandem ,
cum verba illa : *In me manet , & ego in illo* , adhuc & reliqua cum illis con-
cordantia intelligi non poſſint in ſenſu myſtico , ut omnino ab Hæreticis
recedamus , ſed in ſuo literali , & rigoroſo ſenſu , inquo indubiè clare ſi-
gnificant hanc realem ipſius Perſonæ Chriſti D. in nobis permanentiam , hanc-
que realem , quam nobiſcum perpetuo deſiderat habere unionem , qua
unum cum illo efficiamur , de vita ſua participemus , & in ipſum ita tranſ-
formemur , ut poſſimus id ipſum dicere , quod Apoſtolus ajebat : *vivo ego
jam non ego vivit vero in me Chriſtus* . Ex his inquam omnibus , pro comper-
to , ut dicebam , habeo , magno plauſu à cunctis , qui ea omnia examinent
libenter doctrinam eſſe amplectendam , ſummaque laude approbandam , &
io dies quammaxime extendendam . Quandoquidem nil amplius deſidera-
ri poteſt ad hanc doctrinam lubentiſſime admittendam , eam populis aonun-
tiandam , in Cathedris tradendam , in ſugeſtis prædicandam , & in locis
Confeſſionum fidelibus commendandam .

Quapropter concludendo , libenter , ut diximus illi ſubſcribimus . Cum om-
nia ſupra expoſita oobis perſuadeant ex Evangelio , in ſenſu ſuo proprio , & lite-
rali couclusionem eſſe deductam ; doctrinæ , & menti SS. Patrum , Augelici
Præceptoris , & aliorum etiam inſignium Theologorum conſentaneam ; ra-
tioni , veræque Theologiæ conſonam ; Sacramenti magnitudine dignam ;
amori , quo à Chriſto Domino , ipſiuſque Sanctiſſima anima iu ejus inſtitu-
tione proſecuti ſumus , conformem ; Divinæ omnipotentiæ propriam ; ad ſu-
ſtinendam doctrinam Patrum contra Arianos neceſſariam ; ad Novatores
Sacrameotarios inſectandos , abſque eo quod nos redarguere poſſint , uti-
liſſimam ; & nobis omnibus valde gratam , atque etiam adeo proficuam ,
ut licet non tam ſolidis fundamentis , ſed minoribus ſtatueretur , adhuc de-
beret gratiſſimè amplecti ; quandoquidem ſemper amplecteremur id , ex
cujus ſola pia credentia copioſiſſimos fructus conſequi poſſemus .

Et quo ad reliquas diſputationes pariter æſtimamus , adeo dignè Eminentiſſi-
mum in illis de hoc Auguſto Sacramento , & de ſacrificio Chriſti incruen-
to , ac de ejus perpetuo Sacerdotio agere , & tanto magiſterio omnia tra-
ctare , ac concluſiones deducere , tantaque ingenioſitate , & eruditione om-
nia fundare , ut totum omnibus numeris abſolutum eſſe credamus . Unde ne-
dum approbanda omnia venire credimus , verum & perpetuas grates ſum-
maſque laudes pro labore tanto in hoc opere impenſo Eminentiſſimum me-
reri . Sic cenſemus ; ſupremo Eccleſiæ , & ſapientium etiam Virorum judicio ,
& correctioni dictamen noſtrum in omnibus ſubjiciendo . Datum Romæ ex
ædibus noſtris die 8. Decembris 1727.

Ludovicus Cardinalis Belluga.

AP-

APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS

D. COELESTINI GALIANI

Abbatis, & Cæleſtinorum Generalis Procuratoris, nec non in Romano Archigymnaſio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & ſacrorum Dogmatum Publici Profeſſoris.

ELaboratiſſimum Opus *Vita Abſcondita &c.* inſcriptum, mandante Rmo P. Gregorio Selleri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, attentè perlegi. In eo plurima de Sanctiſſima Euchariſtia planè obſtruſiſſima, ab aliis ne delibata quidem, ſingulari eruditione theologica, ac maximo ingenii acumine ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Albaro Cienfuegos S. R. E. Presbytero Cardinale pertractantur, & majori etiam in luce, quantum rei ratio patitur, collocantur. Miratus in primis ſum herculeum celeberrimi Auctoris laborem, quod in vita negocioſiſſima ſubſecivis horis quieti, & reficiendis viribus inſumendis, altiſſimis biſce meditationibus, vel otio maxime affluentibus moleſtiam creaturis, vacare potuerit; tum quod præter quamplura ingenioſe ab eo primum excogitata, tum multa undequaque, præſertim ex Sanctorum Patrum ſcriniis collegerit, unde ſuis elucubrationibus majus robur, & ornamentum accederet. Clariſſimi tamen Auctoris ſolertiam, in rebus theologicis peritiam, ſubactumque judicium id maxime commendat, quod in argumenti perdifficilis tractatione, ſemita plerumque incedens non alieno trita pede, ſentes ſcopuloſque omnes vitaverit; ut ſi nonnulla à ſe felici plane auſu recentèr adinventa tradat, ea, quod in illarum inquiſitionum cenſu ſint, de quibus integra fide, qua Chriſtiani ſumus, in utramque partem Theologis Catbolicis diſceptare licet, nec receptis Eccleſiæ placitis adverſantur, & ex inſignium Theologorum ſententiis ſat probabilitèr colliguntur. Collineat præterea labor univerſus qualis quantuſque eſt ad illuſtrandam, augendamque Chriſti Servatoris noſtri ſub ſpeciebus Euchariſticis latitantem gloriam, & majeſtatem, itaur non alio conſilio à religioſiſſimo Auctore ſuſceptus eſſe videatur, quam ut ſuæ ferventiſſimæ ergà Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum pietati obſequatur, idemque religioſum ſtudium in Fidelium cordibus intendat. Hæc cum ita ſint, Opus pietati, & eruditioni theologicæ fovendæ, promovendæque apprimè utile publica luce digniſſimum cenſeo. Ita ſentio

Ego D. Cæleſtinus Galianus Abbas, & Procurator generalis Cæleſtinorum, in Romano Archigymnaſio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ac ſacrorum Dogmatum publicus Profeſſor.

Digitized by Google

APPROBATIO
REVERENDISSIMI PATRIS
FR. MATTHÆI A' PARETA

S. Th. Lectoris Jubilati, SS. Congregationum Indicis, & Rituum Conſultoris, Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, nec non totius Ordinis Minorum S. P. Franciſci Miniſtri Generalis.

LEgenti mihi, ac pro facultatis modulo conſideranti eximium Opus, cui titulus *Vita Abſcondita &c.* ab Em̃o, ac Rm̃o Domino D. Albaro Cienfuegos S.R.E. Presbytero Cardinali non mediocri, ſi probè conjicio, labore, diligentia, atque etiam propter rerum in eo conquiſitarum, ac digeſtarum gravitatem, ſolicitudine concinnatum; illud ſtatim in mentem venit, quod olim politiſſimus Lirinenſis Catholicum Tractatorem inſtituens, æquè ſapientèr, atque elegantèr protulit: *Intelligatur, te exponente, illuſtriùs, quod antea obſcuriùs credebatur: Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur*. En habemus (quod adbuc non omninò Theologi explanaverant) ſub ſpecierum Eucharifticarum velo Chriſtum Dominum, non re modo, atque ſubſtantiâ, non tantummodò mentis acie, quod etiam è Cœlo poteſt, ſed ipſis etiam corporis oculis, auribuſque adſtantes colluſtrantem, exaudientemque. En habemus Sacerdotem æternum, ac principem ſeipſo jugitèr, atque uno penitùs Sacrificio, immolantem, atque offerentem, non figura quadam, ac modo minùs proprio, ſed verè propriéque, quantum quidem ad Sacrificii naturam ſat eſſe poteſt, permittitque immortalitas hoſtiæ. Quid jam loquar de conjunctione illa (mirabili quidem, ſed tamen vera, aut certè veriſimillima) Chriſti animæ cum piè, ſanctèque carnem ejus comedentibus? quam profectò, ſi rem ſatis calleo, olfecerunt penè cuncti, at nemo adhuc planè perſpicuèque detexit. Ea verò, atque alia præclara, tanta ſelectorum teſtimoniorum copia, tanto ratiocinationum flumine, atque acumine comprobantur, ut profectò *Vita* illa deinceps non ampliùs *Abſcondita*, noſtramque conquiſitionem, & cognitionem fugiens, ſed perſpecta jam planè, atque explorata, inque omnium penè oculis poſita meritò cenſeri queat. Nec verò arbitrentur recentia quædam ingenia, quibus ferè nihil arridet, nihil ſatisfacit, niſi novitatibus conſperſum, ac veluti conditum prodeat, favere hæc omninò eorum inſolentiæ, atque faſtidio; quin potiùs opto, ut egregium hoc Opus attentè perlegant, adhibeantque. Namque, niſi omnia me fallunt, addiſcent illicò, atque facillimè, quatenùs in his progredi virum gravem, atque catholicum deceat. Nimirum, nihil hic *novi*, quamquam pleraque *novè*: Nihil *uſurpationis privatæ*, nec nobis *pro aliis alia ſubjiciuntur*; tametſi multa congenitis, externiſque difficultatibus obvoluta, propriis animadverſionibus explicantur, atque illuſtrantur. Hi novi conatus, hæ privatæ diligentiæ, quippè quæ antiquam, perpetuamque doctrinam luculentiorem reddunt, & commendatiorem faciunt, dignæ profectò ſunt Viris chriſtianè doctis, ac probè, pièque eruditis; nequaquam eæ verò, quibus vel pietas læditur, vel utcumque dogmata temerantur. Quæ partes igitur apprimè decent, atque adeò conſtituunt, perficiuntque ſincerum, atque abſolutum Eccleſiæ Scriptorem, doctrinæ profunditas, eruditionis ubertas, in primis verò excellens in Deum, atque in Eccleſiam pietas, eas omnes in Eminentiſſimum præclari hujus Operis Auctorem inſignitèr convenire, res ipſa luculentèr, atque etiam magnificè comprobat. Quamobrem è re Theologica magnoperè futurum arbitror, ſi quamprimùm hoc Opus publici juris fiat, atque uti noſtra ſunt vota, ad communem utilitatem prodeat.

Cap. 27.

Ibidem in cap. 28.

Fr. Matthæus à Pareta S. Theologiæ Lector jubilatus, ac totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis.

AP-

APPROBATIO

ADMODUM REVERENDI PATRIS

EMMANUELIS IGNATII DE LA REGUERA

SOCIETATIS JESU

Olim primarii in Civitate Valleſaletana Sacræ Theologiæ Profeſſoris emeriti, ac Supremæ ibidem Inquiſitionis Qualificatoris; nunc verò in Collegio Romano ejuſdem Societatis per Hiſpaniam Librorum Cenſoris.

OPUS verè plenum ita inſcriptum: *Vita abſcondita, ſub ſpeciebus Euchariſticis velata, &c. Authore Emo & Rmo D. Albaro S. R. E. Presbytero Card. Cienfuegos &c.* Ex mandato Reverendiſſimi P. Fr. Gregorii Selleri Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, perlegi lubens, & non ſine aviditate luſtravi: fuit enim mihi æquè gratum atque honorificum, novum & fortè præ cæteris nobiliſſimum, quantocyùs ex propriis lineamentis recognoſcere, ac demirari fœtum illius Eminentiſſimi Authoris, cujus ad ſtuporem natum ingenium jamdudùm contubernalis in noſtro Collegio Regali Salmanticenſi, ſimul cum tota illa, & verè magnâ Univerſitate, ſuſpexi ſemper ut ſimile monſtro. At præterita ſileant, quando ſat eſt hoc novum, & rarum experimentum, ut quod omninò foret incredibile, oculis pateat omnium in Orbe literario: ſcilicèt in Romanæ Curiæ Principe Purpurato, in S. R. I. Legato, Germaniæ Comprotectore, in jam devexa ætate, in mediis negotiorum curis immenſæ vaſtitatis, atque infinitæ multitudinis, tamen intrà breves Romanæ ſtationis annos ſuffurando tempori morulas, neſcio quas, potuiſſe concipi, efformari, & manu poſtremâ perfici tantum hoc Opus.

In eo (ut aperiam illicò id quod cenſeo) non modò nihil eſt Fidei, aut moribus adverſum: ſed etiam totum quantum mirificè aptum eſt, tam Fidei, quàm morum documenta promovere: agitur enim de Myſterio Fidei, & Amoris, Sacrâ Euchariſtiâ, ex doctrina quidem non vulgari, ſed omnis Theologiæ principiis adeò conſona, ut excitet non minùs ſolidè, quàm piè ad acuenda ſimul ingenia, & igniculis afficienda corda. Hic Polemici nervoſis & reflexionibus, & ſolutionibus armantur contrà impios conatus Sacramentariorum; Poſitivi fulciuntur, ut ſacros Textus, & Patres penitiùs enucleando, ad medullam pertingere queant veritatum, quæ minùs erant in aperto: Scholaſtici juvantur egregiè, ut quicquid ſubtiliſſimè conquiri poſſet diſcurſu abditiſſimo à naturâ per Philoſophiam, & per Theologiam à gratia, totum litetur in honorem Chriſti Jeſu, latentis ſub Sacramento: Myſtici demùm accenduntur in amorem illius Divini Sponſi miris; & variis modis. Nam quis erit ità plumbeus, aut ſaxeus, ut non erumpat in flammas, dum ſive ſacrificans, ſive communicans, ſive orans ad menſam Domini accedit; poſtquam agnoſcit, ex efficaci perſuaſione convictus, ſe propè videri, & audiri adhùc ſenſibilitèr à ſuo Jeſu ibi, ubi eſt in Euchariſtia nobis familiaris? Quis dum intereſt ſummo Miſſæ ſacrificio, non rapietur in ardentiſſimam admirationem de novo, dum invenit ita ſimul efficaciter perſuaſum, idem non modò in Victima, & Sacerdote, ſed etiam in actione ſacrificandi, quod in Cruce litatum eſt, litari jugitèr in Altari, & æternùm in Empyreo, morte quadam mirificè aſſociata vitæ? quis gelu ipſo rigidior non ardeat diſponi ad eam Euchariſticam unionem, quæ in via, & in patria deveniat, uſque ad retinendam præſentiâ phyſicâ inenarrabili Animam Jeſu cordi, & animæ ſuæ intimatam in pignus gratioſæ cujuſdam, & glorioſæ vitæ ſpecialis?

Ut meam dicendi vim aliquali lumine afficiam, videor mihi vidiſſe Opus exquiſitè Euchariſticum, tàm opere ipſo, quam materiâ: quandoquidèm particeps quodammodò effectus illius Opificis ſupremi, qui divitias divini ſui ergà homines amoris velut effudit, noſter Eminentiſſimus Author velut effudit etiam divitias ferventis ſui amoris ergà Jeſum. Ipſe quoque videtur elevare ad novam ſubſtantiam argumenta theologica de hoc Myſterio: videtur non tam educere, quam ex nihilo creare quæ dicit: videtur docere contrà quæ videre conſuevimus, & tamen facit eſſe credibilia; facit enim, quod docet: & quemadmodùm docet, mirabilia hujus Sacramenti ſita eſſe in reproductionibus, & replicationibus rerum, quæ aliæ non ſunt ab antiquis, ſed producuntur, & ponuntur de novo: ſic & facit Eminentiſſimus,

dum

dum mirabilia, quæ de hoc Sacramento videtur ponere, aut producere de novo, tamen aliæ non ſunt res ab antiquis, ſed reproductiones, & replicationes illarum, quæ ſemper habitæ ſunt in Scripturâ, & Patribus, etſi nunc denuò, quaſi per miracula eruditionis, & ingenii, replicentur, & reproducantur.

Atque huc ſpectare poteſt (ſiquidem ex S. Hieronymo accipitur etiam in ordine ad rerum ſcientias) quod ait Sacer Eccleſiaſtes cap. 1. *Quid eſt, quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub Sole novum* (ſub Sole meliùs Euchariſtico liceat ita dicere), *nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt, jam enim præceſſit in ſaeculis, quæ fuerunt ante nos.* Romæ 17. Septembris 1727.

Emmanuel Ignatius de la Reguera, in Collegio Romano Societatis Jeſu Reviſor Generalis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Palatii Apoſt.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſg.

NOs Frater Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſtolici Magiſter. Eximium Opus, cui titulus *Vita Abſcondita* &c. eruditiſſimè, ſapientiſſimè, ac piiſſimè elaboratum ab Emo, & Rmo D. D. Albaro S. R. E. Presbytero Cardinali Cienfuegos, maxima animi jucunditate perluſtravimus, ipſumque orthodoxa, catholicaque ſapientia, ac pietate refertum reperimus, ac in omnibus noſtri Angelici Præceptoris Divi Thomæ Aquinatis doctrina decoratum venerati ſumus. Quapropter ſanè videntes, quam ſit neceſſe ad omnium utilitatem, & fervorem, quod ante omnium oculos publicè proponatur, ut quæ abſcondita ſunt etiam Sapientibus, de tanto theſauro proferantur, typis mandari libentiſſimè facultatem concedimus. Ex ædibus noſtris in Palatio Apoſtolico Vaticano die 1. Aprilis 1728.

Imprimatur. Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſt. Magiſter.

Cur

Cur hæc ex abrupto ſcribantur?

LEGI ſæpe, novi apprimè, audivi nuper effuſiſſimas Ætherodoxorum querelas: heu; inquiunt, vim patimur plane injuſtam, horridam, inhumanam! Cogimur frequenter, non modo inviti, verum & tracti, per Germaniam, & alias paſſim regiones Orthodoxas, demiſſiſſimè, cadenteſque, adorare Euchariſtiam circum Catholicorum plateas incredibili pompa ad inſtar triumphi geſtatam; renuentes autem renixu validiori miſerè compellimur, percutimur, & propè immolamur, tumultuante populo, aut furente zelo. Neque ſiſtit hìc calamitas, ſed oritur hinc potius, (Dii meliora Piis) turbatur Chriſtianæ Reipublicæ quies profunda, exoriuntur fatales utrimque diſcordiæ, ſemina cruenta belli Religionis (quo nullum acerbius) altè emittuntur, ut feracius inteſtina mala, ferociuſque renaſcantur, dealbeſcente jam infelici hac ſegete, ſeu rubeſcente potius, tincta cruore meſſe. Verum cur dira hæc? Cur, ajunt; niſi, quia Papiſtarum Anteſignani Novatorum, quos vocant, fundamenta ineluctabllia nequaquam ponderant, etiamſi in eorumdem volumina caſu offendant? Cur niſi quia dum in argumentum efficaciſſimum, adorationem illam ab imis ſubvertens, incidunt, aut præteriiſſe incautè ſimulant, aut penitus ignoraſſe affectant; cum elidere ratione minime valeant? Argumentum verò procedit adhuc ex gratiſſima Romanis ſuppoſitione realis præſentiæ, & non jam umbratilis, aut figuratæ duntaxat, Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini, non quidem in uſu tantum, ſed permanentis, ſed firmæ, & ad ſpecierum interitum uſque duraturæ. Eam non ſemel admiſit Lutherus cum turba Proteſtantium, præſertim in lib. de Euchariſtia ad Waldenſes, item ad Argentinenſes (tametſi parum ſibi conſtans): Philippus Melanthon in judicio de Cœna Domini, & ad Federicum Thuſconium: Illiricus in Confeſſione Antuerpienſi, & in Apologia ejuſdem Confeſſionis: Petrus Martyr: Brentius cum Svevicis Miniſtris: Clibicius: Joannes Matheus Smalcandenſis: Brandemburgenſes: Kemnitius: Wigandus: Jacobus Rex Angliæ in Apologia. Immo etiam nonnulli Calviniſtarum, qui in eam ſuppoſitionem invehuntur, ſub hypotheſi tamen exiſtentiæ illius, in adorationem adhuc Euchariſtiæ vehementer irruere non verentur, maxime Petrus Molinæus in libro de novitate Papatus, Jacobi Regis defenſionem ſuſcipiens. Argumentum autem non aliis præcipuè, quam eiſdem Romanorum armis, cultum illum Euchariſtiæ Sacræ debellare præſumit, quibus

ſententia Pontificia impulſa corruat, altè proſtranda; minime tamen Venerabunda.

Porro Theologiæ Romanæ Primates paſſim docent, Chriſtum Dominum in Euchariſtię Sacramento latitantem, tametſi animatum, adeſſe nihilominus omni vita actuali poſitiva corporis deſtitutum, cum nullas immanentes operationes per actus, ſive externos, ſive internos de facto eliciat (nec poſſit abſque ingenti creberrimo miraculo). Non aliter igitur exiſtit corpus realiter præſens ſub accidentium velo, quam ſi foret inanime, emortuum, vel ad inſtar trunci, forma quidem vitali præditi, carentis attamen omni functione vitæ corporeæ: dicendumque eſſet de Chriſto Domino in altari, quod Atalantæ dictum refert Ovid. 10. Methamorph.: *Teque ipſa viva carebis*. Quamobrem non inſtar dormientis ſolum, cum dormiens ſenſibus internis ſæpiſſimè utatur, appetat, imaginetur, ſed veluti ſtatua radicaliter viva, actu vero ſine voce, ſine motu, ſine ſenſu etiam poſſibili, proindeque ſurda, muta, cœcaque, quæ oculos habet, & non videat, aures, & non audiat. Quod namque oculis mentis intueatur omnia, cum id faciat pariter è Cœlo, adorationem neutiquam extorquet; ſin aliter ubique adorandus foret, eo quod ex Empyreo nos, noſtraque per ſcientiam beatam, & infuſam videat: immo numquam ſtandum nobis, vel ſedendum, ſed poplitibus ambulandum. Eſt igitur præſentia illa Chriſti in ara purè materialis, nihil prorſus advertens, nec adorationem videns, nec adorantem genuave flectentem: & ſanè quo pacto fucatos illos adulantium ſibi geſtus ſentiet, cum *nec te vivere ſentis*, ut ille de dormiente luſit? Ecquis autem Regem alto ſopore dormientem, & inſuper nunquam reſeranda cortina tectum, adoravit unquam, niſi ſtulte? Neque enim ſolum, ut Seneca in Hercule furente canit de ſomno: *par Regi, famuloque venis*, verum & parem efficit Regi famulum, ſicuti mors. Et tamen ſomnus 1. Ethicorum dicitur ab Ariſtotele *Vitæ dimidium*; Quid autem dicendum, ubi neque dimidium, ubi nec initium aliquod, nec adhuc vitæ ſenſitivæ, aut vegetativæ exiguum crepuſculum actu apparet, nec abſque prodigio inſigni apparere valet? Ubi, quà compoſitum humanum eſt, nihil penitus novit, aut experiri poteſt eorum, quæ circa ipſum fiunt, ſive alia per viſiones in Cœlo productas, & concomitanter venientes ad Euchariſtiam, proſpiciat, quod potius efficit illum præſentem alibi; ſive non; non aliter ac ſi cadaver foret, aut in Cruce pendens, aut in Sepulcro jacens? Ubi nec populum hymnos in ejuſdem laudem concinentem, nec infelicem aliquem fuſis precibus, & lachrymis clamantem exaudit: itaut juremeritò laudantibus, aut canentibus diceret, *ſurdis canitis*. Veriuſque luderes, & referres

de

de Chriſto quod de Ænea retulit, aut luſit Virgilius 4. Æneidos:

ſed nullis ille movetur.
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit,
Fata obſtant, placidaſque viri Deus obſtruit aures.

Quæ omnia indubitata cum ſint apud Theologos Pontificios, quo jure externum illum reverentię argumentum fugientes indigna patimur? Hæc, & ſimilia non ſine ſtrepitu effutiunt noſtri temporis Sectarii; quinimmo jampridem illos libraſſe idem numero telum adverſus adorationem præfatam, narrat P. Liberius à Jeſu tom. 1. controver. dogm. controverſia 5. num. 67. pag. 464. Sed injuſtè planè, ſed ineptè; cum vel Calvinus ſcribens adverſus Weſtphalum Lutheranum, rideat amentiam eorum, quà adſtruunt realem ſubſtantialem Jeſu Chriſti præſentiam in Euchariſtia, & ſimul illam procumbentes adorare renuant. Verum ſanè eſt, quod ex eodem fonte dolum bibentes Calviniſtæ, eodemque argumento fulti, inficientur realem Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus, ut ſic in radice adorationem præcidant, idque facilè haurire potuerunt ex duce Calvino lib. 4. Inſtit. cap. 57. §. 32. ubi ex præſentia reali Chriſti deduci, ait, abſurda, quæ Cœleſti illius majeſtate indigna ſint: ibique proculdubio inter abſurda illa comprehendere voluit nuper expreſſum, cum frequens in ore ſectariorum verſaretur ea etiam tempeſtate. Quam fallax vero ſit fundamentum, cui utraque hæreſis innititur, conſtabit ex præſenti ſcriptione, eo potiſſimum fine elucubrata. En primam, eamque graviſſimam ſcribendi cauſam. En incitamentum, nec ſegne, nec moræ patiens ad ſuſcipiendum raptim laborem hunc, elucidandamque, & ſolidiſſimè ſtatuendam vitam actualem corpoream Servatoris noſtri in Sacramento altaris, per operationes vitales præcipuas, à ſenſibus elicitas, aut miniſterio ſenſuum comparatas; ne alioqui ſit cadaver animatum, cum ipſe teſtetur Joann. 6. carnem ſuam eſſe *Panem vivum.*

Delibemus jam aliam hujuſce properantis nimium ſcriptionis occaſionem; oppoſitam ſanè præcedenti in radice, intentione, & fine; ſimillimam tamen, quin eandem prorſus, in hallucinatione valde noxia, ſupponendi tamquam fide Divina inter Orthodoxos certum, Chriſtum Dominum nullas de facto operationes ſenſuum externorum, internorumque, nec rationales intelligendi, aut amandi à ſenſibus originem ducentes, elicere in Euchariſtia, quamquam de potentia abſoluta Dei id contingere valeat. Incidi namque velut inopinatò in Criſim Theologicam Recentioris, docti alioqui, & pii, qui tomo 4. diſt. 5. ſect. 6. §. 1. inter fidei regulas, quas ibi præmittit circa ineffabile Euchariſtiæ Sacramentum, recenſet hanc numero 123. *Quarto ex unanimi Theologorum ſenſu, quem, ut*

 alias

alias dixi, certum eſt eſſe fidei regulam, quod Chriſtus, prout in Sacramento nullum actum materialem internum, aut externum intra ſe eliciat. Rurſuſque aliis interjectis: *quare quod ſub lite non eſt, adeoque videtur eſſe de fide, eſt, quod Chriſtus Dominus prout in Sacramento nihil de facto ullo ſenſu interno, aut externo opere operetur, nihil quoque de facto intra ſe agat, nihil demum de facto ab alio patiatur. Hæc omnia mihi ex unanimi Theologorum mente, quam eſſe fidei regulam, alias dixi, videtur de fide*.

Idque ipſum inculcat ibidem §. 2. num. 134.. Exhorrui, dum hæc legerem, immò antequam finem legendi facerem, quoniam vulgare, aut ſupponere ejuſmodi ſententiam tanquam fide ſanctam, non modo aberrat prorſus à vero, ſed errat planè in facto Theologis omnibus, & Mundo literario notiſſimo. Quamquam enim indubitatum ſit, quamplures Scholaſticos (ſi non pleroſque) eam opinionem tueri; irrefragabile pariter eſt, atteſtantibus ubique gentium ſapientum voluminibus, plurimos, (& quidem præſtantiſſimos, immò & facilè Principes) oppoſitum docere, ſive tamquam omninò ſibi firmum, ut multi ſentiunt, ſive tamquam valde probabile, ut alii loquuntur, quamtumvis nonniſi divina virtute id contingat, ut ſolemnior Theologorum ſententia arbitratur. Id conſtabit luculentiſſimè ex Doctoribus producendis diſp. 2. Ne tamen in ſede hac propriè omnino prætermittatur hujus veritatis teſtimonium præclarum, producam teſtes aliquos omni exceptione majores; ſit primus, & ſanè digniſſimus juxta ac notus, Cornelius à Lapide in caput 2. Cant. Cant. ubi diſſerens de ſpeciebus ſacramentalibus inquit. *Per eaſque quaſi per cancellos clarè nos intuetur* (Chriſtus Dominus) *non ſolum oculis mentis, ſed & corporis, ut multi Theologi cenſent*. En in uno plures pro facto illo, & ſententia apertè militantes, nec jam quod interdum raró videat oculis corporeis circumſtantes, ſed continuo, aut ſemper clarè nos intuetur de facto. Quid ad rem præſentem evidentius, aut efficacius? Niſi forte apertiorem adhuc exiſtimes teſtem doctiſſimum Leonardum Leſſium, qui de Euchar. qu. 76. art. 7. dubio ſecundo num. 51. ait. *Dico quinto, valde probabile eſt Chriſtum in Euchariſtia virtute divina oculo corporeo videre Sacerdotem, & alios præſentes, & audire ejus vocem, & reliqua*. Id ipſum tuetur, & firmat Gonet tomo 5. clypei Theologi diſp. 5. art. 4. Tannerus, Wigers, Serra, Henao, Gamachius 1. 76. cap. 9. eſſeque probabile docuit Eximius Doctor diſp. 53. ſect. 3., & quod caput eſt Doctor Angelicus in 4. diſtint. 10. quæſt. 1. art. 4. aſſerit, *quod oculus corporalis Chriſti videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem*, & loquitur de viſione elicita ſub ſpeciebus, ut notum faciam cap. 4. diſp. 2. uti & Doctor Seraphicus in 4. diſtint. 10. art. 1. quæſt. 2. ibi-

ibidem fuſè adducendus. Crediderim, nullam jam uberiorem lucem deſiderari poſſe pro re, quæ Solis claritatem æmulatur; ſi tamen ulteriorem velis, conſule eumdemmet Recentiorem, qui eadem diſp. 5. ſect. 6. §. 4. num. 163., ſui non parum oblitus, contendens poſſe divinitus Chriſtum Dominum elicere in Euchariſtia præfatas ſenſationes, ait. *Eſt juxta Divi Thomæ quæſt. 76. art. 7. mentem, quod Chriſtus Dominus ſuum corpus corporalibus oculis ſupernaturaliter videt.* Ejuſmodi autem viſio de facto elicitur, & veluti perenniter, per ſe primo in Euchariſtia. Statimque adjungit eamdem ſuam concluſionem defendi *à P. Suarez, ſect.* 3. verſ. *Dico ſecundo, aſſerente, non tantum poſſe, ſed improbabile non eſſe, quod Chriſtus Dominus de facto in Sacramento exerceat omnes ſenſus externos circa objecta ſibi propinqua. Idem tuetur P. Henao, diſp.* 10. *num.* 54. & refert eadem verba Leſſii nuper à me producta. Ubi eſt igitur regula illa fidei ex unanimi Theologorum conſenſione deducta? Profectò non jam unanimitas in re ſubjecta, ſed aperta diſcordia intercedit, pugnantibus utrimque Scholaſticis, & *Diis, & viribus æquis*: tametſi prælium, nec cruentum ſit, neque diuturnum, cum leviter, & curſim ex utraque parte dimicetur. Hanc autem felicem inconſequentiæ rationem divina providentia factam putamus, ne ſcripto illo veluti teſtamento ſignato incauti erroris hæredes poſteros inſtituiſſet. Quoniam tamen abſolutè profert, & non ſemel, tanquam fide certum, Chriſtum Dominum, quà realiter præſentem in Euchariſtia nullas operationes materiales vitaliter immanentes de facto ibi primo elicere; operæ pretium duximus, non jam demonſtrare luculentius, minimè eam doctrinam recenſeri poſſe inter objecta; aut dogmata fidei ſanctæ, cum id per ſe notum efficiant ſupra delibata, fuſiſſimèque in hoc opere adducenda; verum & factum illud omni via, & modo ſtabilire, adeo, ut nihil intentatum relinquam; etiamſi negotiis maximi, & publici momenti deditus, immerſuſque plane ſim, itaut non licuerit hactenus otium diligenter quæſitum invenire, nec quærendum prudenter ſpectare.

Tertius vero ſcribendi impulſus eſt ipſa Scholaſticorum nobis militantium ſegnities in opinione hac promovenda, altiuſque radicanda; cum vel ferventius illi adhærentes, uno ferè verbo rem abſolvant, ajentes, hoc eſſe planè conſentaneum dignitati, & decoro Chriſti Domini realiter abſcondito ſub accidentibus; vel ſibi longè probabilius, & congruentius apparere, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus deliteſcentem emittere continuò operationes videndi objecta propinqua, audiendique, & imaginandi. Adverſarii autem, tametſi prolixi admodum non ſint in laudata opinione rejicienda; diutius attamen hærent in ea expugnanda, ut ſic veritas

ex-

experiatur amicos frigidos; inimicos autem, ſi non calidos in ſummo gradu, calidos tamen. Idcircò præfatam vitam actualem, quam planè veram, Mundoque utiliſſimam credo, qua potuero energia mentis, & amoris, elucidare, & veluti in apertum è latebris arcani maximi proferre contendo; quantum permittat factum, humanam tranſcendens Philoſophiam, abſconditum à ſenſibus noſtris, non expreſsè revelatum in ſcripturis, nec deciſum clarè in Conciliis, nec traditum apertè à Patribus; tametſi non obſcurè deductum ex deſignatis fontibus: conjecturis, pluſquam congruenter, firmatum; argumentis tam ex authoritate, quam à ratione petitis validè munitum; abſurdiſque ex oppoſito naſcentibus egregiè promotum; ex dulciſſimis tandem fructibus hactenus ignotis, qui ex illa vita tanquam ex vitæ arbore prodeunt. Nondum enim patuere ſatis prodigia cuncta, ſinus omnes profundiſſimi hujus arcani, ut Sapientes norunt, & tum Innocentius III. tum Divus Thomas (ſuis locis referendi) docuerunt. Nondum ex myſterio hoc novi teſtamenti, vel ex novo teſtamento magni hujus myſterii, in quo cuncta bona ſua, & potiſſimè ipſum, qui teſtatus eſt, in Cœna facto, in Cruce aperto, & morte firmiter in æternum munito, omnia hæredibus credita ſunt: nondum omnia lecta, nec inventario notata, quia infinita; quia, nec plura legata mundo relicta, ſunt hactenus, examuſſim expreſſa. Nondum exhauſtus ab intellectu noſtro etiam qua fide illuſtrato, torrens miraculorum, gratiarum, & rerum mirabilium, exinde fluens, & una ibidem ſiſtens. Multa ex illo ſecreto, & ſtupenda, per fidem novimus, quæ alioqui latuiſſent hodie, & in æternum laterent; plura nihilominus deliteſcunt adhùc in abyſſo illa, (quæ fundo caret, & imum neſcit) nec à fide ſacra palam dicta, neque ex ejus principiis, & luminibus Theologicis clarè eruta; eruenda tamen guttatim aliqua, cum aſpiret aura illa divina, quæ levi motu detegat, quæ cortina tegit, & caligo ſacra obumbrat.

Accedit quartum, non abſimile ſecundo, motivum, plus tamen noxium, quia vulgarius, frequentius; & quia piorum hominum innocentes animos ſpecie quadam virtutis pervadit intimius. Inveniturque in doctrina aſcetica, Myſticæ Theologiæ Doctoribus, Concionatoribuſque admodum familiari, dum vel meditationis puncta circa Myſterium hoc communicaturis diſtribuunt minutim: vel dum è ſuggeſtu rudem populum elementis ſanæ doctrinæ in ſacramentorum digna ſuſceptione inſtruere ſatagunt. Namque ut mortificationem ſenſuum hauriant ex fonte ipſo Euchariſtico, quem plenè bibunt, ſupponunt, Chriſtum Dominum ſub eis accidentibus, nihil prorſus videre, nec audire, nec ſenſationem ullam de facto erga vicina objecta producere; ſed ad inſtar emortui omni

vi-

vitæ corporeæ functione circa illa deſtitul. Quo ſublimi exemplo adhortantur illos ad commoriendum rebus ſenſibilibus, cohibendoſque ſenſus (domeſticos ſemper, ſemperque inimicos infenſiſſimos) adeo, ut parcè cautiſſimèque utantur objectis, ne abutantur. Quo circa Eruditiſſimus, & Religioſiſſimus P. Antonius Maria Bonucci tom. 1. Ephemer. Euchariſticæ, die 28. Martii pag. 517. ait: *Cogitemus ergo cum Ricardo de S. Victore quid faciat ſomnus erga hominem exteriorem; hoc ferè facit ſomnus hujuſmodi circa Chriſtum Dominum in ſacroſancto altaris myſterio latentem. Somnus corporis, inquit prælaudatus Ricardus exuperat ſenſum corporeum: aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorumque ſenſuum, atque membrorum. Ecquid extaticus iſte charitatis ſomnus ſimile non egit in Chriſto, prout exiſtit in Hoſtia? Sopor iſte adeo altus eſt, ut quando aliunde ſenſuum externorum exercitio Chriſtus degens in Euchariſtia non privaretur, ut communiter docent Theologi, noſtrarum animarum deſiderio perunicè captus, hic quaſi in thalamo tota die commoratur, hic dormientis ad inſtar habet oculos, & non videt; aures habet, & non audit; nares habet, & non odorat .... ò divini amoris omnipotentem paſſionem, verè omnipotentem, quæ Chriſtum, quem poſſidet, ſui ipſius efficit impotem!* Hac doctrina à teneris imbuti annis adoleſcunt, ipſam velut dogmaticam amplectuntur, magnum aliquid feciſſe rati, ſi Chriſtum Dominum quà ſacramentaliter præſentem, exemplar mortificationis conſpicuum, ſummumque, ſibi effingant, aut meditentur, mortificationem portantes, non modo in corpore ſuo, juxta monitum Apoſtoli, verum & in corpore ipſo Chriſti Domini, quà in Euchariſtia præſenti; non ſine dedecore ſtatus glorioſi, & Majeſtatis Chriſti Domini poſt reſurrectionem: nec erit tantum Euchariſtia Crucifixionis memoria, aut commemoratio; ſed & quodammodo Crucifixio.

Hæc, & his affinia, fructuſque ſupra delibati in genere, ſunt incitamenta, quæ impulére vehementer nos ad extemporaneum hunc ſcriptitandi laborem, in præſenti mearum rerum conſtitutione duriſſimum, animosè ſuſcipiendum. Cæterum ſcribendi ratio eſt planè diverſa ab irritamentis inſinuatis, veritas ſcilicet, ſine qua incaſſum excitarent animum. (Ultra novas alias ejuſdem arcani glorias in ſcripto hoc aperiendas, è vita illa, ſeu vitæ radice non ita immediatè per ſe pullulantes; ipſam tamen per ſe ſupponentes). Credimus enim relatam hactenus opinandi viam aberrationem eſſe, planè deviam ab ſcopo veritatis, & amoris, à decoro Chriſti Domini præſentis, & à fine inſtitutionis, quod multis ſuadebimus, ſi, qui dat auſum, dederit ſimul otium, & auxilium. Fatebimur equidem Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus nul-

las

las actu vitæ functiones corporeas exercere ex eis, quæ fidei meritum ſubverterent, aut minuerent, (niſi interdum, raro, ob finem ſingularem), ut contingeret, ſi paſſim loqueretur ex ara nobiſcum; ſi ambularet, ſeu moveretur liberè à ſeipſo (& longè magis in acceptione paſſiva, puta ſi ab oculis noſtris corporeis videretur). Simul attamen contendimus, & probamus, ipſum de facto, indeſinenterque, tametſi miraculosè, elicere quamplures alias vitales ſenſuum operationes, potiſſimaſque, ut videre, audire, appetere, imaginari, ulterioreſque ab his pendentes; eo quod ex una parte practicum exercitium, frequentiſſimumque ejuſmodi operationum, nullum afferat detrimentum puritati, & merito arduo fidei noſtræ, nec ipſi ullo ex capite deroget; quandoquidem non magis percipitur ſenſibus, quam præſentia realis ipſius Chriſti Domini viventis. Et ex alia harum operationum notitia acuit miro modo devotionem, nutrit fiduciam, accendit incredibilitèr amorem, alit reverentiam, ſolatium ingerit orantibus in conſpectu illius, & fovet comercium divinum animarum cum Sponſo præſente. Etenim quanto confidentiùs accedet oraturus in templo, ubi patet latentèr vivus Theſaurus iſte, ſi noverit, Chriſtum Dominum ex Throno illo audire ſenſibilitèr gemitus ſuos, & videre fletum? Dum non licet viciſſim proſpicere amatum, nec audire ſenſibilitèr gratiſſimum illius vocis ſonitum; quam jucundum debet eſſe amanti, noſſe ab eo ſaltem perſpicuè videri, & ex integro audiri? Quanto reverentiùs aderunt fideles altari, ſi reſciverint, à Chriſto Domino, non duntaxàt oculis mentis, ut è Cœlo, ſed oculis corporeis, ſeu luminibus vivacifsimis, dulcedinem ſpirantibus, & ſimul terrorem, auribuſque, tam propè videri, & audiri, ſupremo ipſo Judice è loco admodùm conjuncto minitante, & urgente? Præſentia realis Chriſti Domini in Euchariſtia ab oppoſita ſententia inducta purè materialis eſt, emortua, non planè civilis, nec humana; cum nequeat homo eſſe formalitèr præſens in eo ſenſu, in quo formalitèr, quà talis, in actu ſecundo vivens non eſt, nec vitæ corporeæ operationes ullas emittère valet circa objecta præſentia. Noſtra verò formalitèr præſentiſsimum Chriſtum Dominum efficit, cum inducat ejus præſentiam actu vivam, ſeque exercentem per ſenſationes circa objecta vicina, aut proportionata, adeoque vivacifsimam, humanam, urbaniſsimam, & omnibus numeris abſolutam, excitantem ſub ea conſideratione, aut potiùs elicientem amoris flammas, gratitudinem, profundumque, & ſæpè trementem, reverentiæ affectum. Hic enim opportuniùs dicas: *Urget præſentia Turni*: Natura enim noſtra cum ſit corporea, ſenſibilibùs movetur acriùs, vividiùs, & celeriùs: & quamquam præſentia Chriſti Domini non ſit mutuò ſenſibilis illi; quod tamen ſciat, ſeipſum reddi ſenſibilem Chriſto Domino præſenti, juvat

vat magnoperè, & impellit ea conſideratio ad hoc, ut in ardentiores erumpat affectus: quinimò hæc fuit cauſa inſtituendi auguſtiſsimum hoc Sacramentum ſub ſpeciebus viſibilibus: *ſi enim incorporeus eſſes*, ajebat Chryſoſt. hom. 60. ad Populum Antiochenum, *nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona; ſed quoniam anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus, intelligibilia tibi prabet*. Conſonatque Synodus Tridentina ſeſſ. 22. Hæc eſt formalis ſtricta præſentia, quæ ſimplicitèr realem ſubſtantialem firmat robuſtiùs, & explicat clariùs, quæ obturat penitùs Sacramentariorum ora, impiè ubique latrantium, inutilem eſſe præſentiam Chriſti Domini emortuo modo ſub ſpeciebus abſconditam; Hæc demùm illa, quæ efficit ut Emanuelis nomen ſuaviſsimum omnimoda proprietate in Euchariſtia ſignificet, & ſit *Nobiſcum Deus*, & nobiſcum ut formalitèr homo vivus.

Umbra Cœleſtis hujus panis fuere panes propoſitionis, de quibus Exod. 25. ut legunt Septuaginta: *Panes facierum coram me ſemper*, vel panes *faciales*. Etenim ſi mentis aciem in ipſum intendas, pœnes faciem unam, ſecundum id videlicet, quod vi præcisè verborum ponitur, apparebit Corpus Chriſti Domini inanime præciſivè, exangueque. Si verò faciem aliam ejuſdem panis cogites, nempe ſecundum omnia ibidem realiter conſtituta, tam vi verborum, quam concomitanter, reperies diverſam Myſteriorum faciem: corpus ſcilicet animatum, vegetum, gloriæ dotibus veſtitum, & eadem Majeſtatis pompa, qua in Cœlo exiſtit, ornatum. Rurſus ſi Corpus ipſum, tametſi anima informatum, velis concipere penes modum Sacramentaliter exiſtendi inextenſum, & ſtupore dignum, deprehendes illicò, ipſum pro eo ſtatu, attentis rerum naturis, & Philoſophiæ principiis, adeſſe prorſus modo incapaci connaturaliter exercendi vitæ propriæ functiones in actu ſecundo, adeoque privatum omni vita corporea actuali. Si autem finem ſcopumque potiſſimum inſtitutionis hujus myſterii contempleris, & quæ debentur dignitati, & ſplendori Chriſti Domini, ſubitò apparebit immutata rerum facies, dignoſceſque, non tantum poſſe divinitus in eos vitæ actus erumpere, ſed & illos de facto, indeſinente ferè operatione emittere, indecentemque futurum illi alium exiſtendi modum; etiamſi jugi miraculorum profluvio opus ſit, ad eiuſmodi operationes ibidem primò producendas: quippe quod alienum minimè videri poteſt ab arcano, cujus gloria ſingularis eſt, & privilegium innatum, eſſe compendium omnium miraculorum, & mirabilium Dei, & Chriſti Domini. Ejuſmodi facies longè inter ſeſe diſsitas innuit Joann. Apocal. 5. *Agnum ſtantem tanquam occiſum*. Stare namque corporis actus ſenſibilitèr viventis eſt, & ſimul erat ad inſtar occiſi. Utrumque tamen eſt omninò verum diverſis luminibus conſideratum: & dum ſecundam hanc pulcherrimam,

miraculoſamque oculis mentis perſpicias , videbis illum videntem, corporeo obtutu , & acie aquilina Sacerdotem , & fideles adſtantes : itaut non verificetur duntaxat illud Matthæi 24. *Ubicumque fuerit corpus , illic & congregabuntur Aquilæ* . Sed paritèr , quod ubicumque fuerit Aquila illa , quæ provocat ad volandum filios ſuos , Deuteron. 32. ibi & congregabuntur corpora fidelium , quod eſt corpus myſticum ipſius . Proindèque , non verificatur tantum illud ex Doctore Angelico ſupra notatum , nempè quod Chriſtus Dominus accidentibus tectum viſu corporali intueatur ſeipſum ; ſed inſuper quod, inſtar Aquilæ , acutiſsima , & indefeſſa acie oculorum omnia circumquaque in templo exiſtentia luſtret ex Euchariſtia ; ne alioqui , ſi nihil aliud præter ſeipſum videret , cum poſsit , conqueratur tenerrimè fidelium amor , clamans: (ut ſub finem moribundæ jam præfationis cygnea voce canam , nonnihil triti carminis immutando)

& corpore figis in uno :
Quos Mundo debes oculos .



IN-

INDEX
DISPUTATIONUM, ET SECTIONUM,
Quæ in hoc Opere continentur.

DISPUTATIO I.

Præmittuntur generatim & curſim, quę ſolemnior Theologia docet circa naturam Sacramenti Eucbariſtiæ, converſionem, præſentiam realem Christi Domini *in ea: fineſque ſublimiſſimos Divinæ Sapientiæ; ut tantum opus moliretur: ne alioqui Tractatus hic confuſè, & cæco modo ad peculiares aſſertiones deſcendat, aut potius cadat.* pag. 1.

SECTIO I.

Eucbariſtiam Sacram participare ſtrictum conceptum Sacramenti, tamquam omnino exploratum ſupponimus. In illa verò contineri realiter ſubſtantialiter præſentem Chriſtum Dominum, ex fidei principiis ineluctabilibus, ex Patribus, ex numquam interrupta Eccleſiæ traditione, rationiſque luminibus, adverſus ſectatores oſtenditur. Fines tandem illius inſtitutionis, fructus mirabiles, & effectus, celeriter perſtringuntur. 6

SECTIO II.

Eſſentia tum Metaphyſica, tum Phyſica Sacramenti Eucbariſtiæ, ejus unitas, neceſſitas, traſubſtantiationis intercedentis ineffabilitas, & profundæ aliæ quæſtiones fusè inter Scbolaſticos, contentioſèque agitatæ, leviter percurruntur, aut narrantur, quoniam Hiſtorico potiùs quam Scbolaſtico more recenſentur. 29

DISPUTATIO II.

Utrum Christus Dominus *prout in Eucbariſtia latens vivat de facto, jugiterque, per ſenſationes aliquas, & actus alios immanenter vitales, à corpore pendentes, ab eo, quà ibidem exiſtente, primò elicitos?* 43

SECTIO I.

Prænotatis quibuſdam animadverſione, & ſcitu dignis, Theologorum placita recenſentur, & affirmativa ſententia vitæ actualis Corporeæ Chriſti Domini in Eucbariſtia multis nominibus prefertur, multiſque ſacrarum litterarum teſtimoniis, præſertim ejuſdem Chriſti Domini, multipliciter firmatur. 44

SECTIO II.

Promovetur aſſertio noſtra Sanctorum Patrum votis, præſertim Auguſtini, D. Thomæ, & S. Bonaventuræ doctrinis. Ubi producitur egregium, & perſpicuum valde pro ipſa teſtimonium Guillielmi Abbatis S. Theodorici in Epiſtola, aut Opuſculo frequenter (per errorem tamen) Divo Anſelmo attributo. 66

SECTIO III.

Sententia Doct. Subtilis circa materiam ſubjectam refertur; & tandem ex ejuſdem principiis aſſertum noſtrum legitimè eruitur. 80

SECTIO IV.

Firmatur rationibus, ſive potiùs congruentiis, quamquam ſatis efficacibus, ſatiſque perſpicuè ex communi Theologia deductis, & è fontibus Scripturarum ſalientium hauſtis, Aſſertio noſtra. 87

SECTIO V.

Tria alia ratiocina è vulgari Theologorum doctrina formantur, & veluti ex vi-

ſceribus communis Theologiæ extrahuntur. 113

SECTIO VI.

Ulteriora Aſſerti Noſtri fundamenta quorum plura notatu digna, & fractis viribus adverſæ opinionis, planè robuſta, ſolidiſſimè jaciuntur. 120

SECTIO VII.

Diruit multiplici ratione, & via adverſæ opinionis fundamenta. 144

SECTIO VIII.

Ultima propoſitio nervosè ſtabilitur, & neceſſitas concomitantiæ operationum volubilium, tempore conſecrationis actu in Empyreo exiſtentium, multis arcetur. 165

SECTIO IX.

Ulteriora objecta diluuntur, & Nebulæ quædam fugantur, è quarum fuga clareſcit amplius opinio noſtra. 177

DISPUTATIO III.

Munitur ſingillatìm Aſſertio noſtra, bactenùs in communi ſolùm firmata, deſcendendo in particulari ad potentias organicas, & ſenſus, qui ſub accidentibus vivunt de facto activâ, & paſſivâ vitalitate, abſconditâ cum Christo Domino in Eucbariſtia. 190

SECTIO I.

Promovetur egregiè, & ſolidiſſimè ex Sacra Pagina, & Doctrina Theologica uſus activus facultatis viſivæ Chriſti Domini quà ſub ſpeciebus Eucbariſticis realitèr latentis. 191

SECTIO II.

Firmatur paritèr Scripturæ Sacræ, Eccleſiæ, & Patrum teſtimoniis præſertim, exercitium activum de facto Potentiæ auditivæ Humanitatis Chriſti Domini ſub accidentibus Eucbariſticis; è quibus audit, & ſilet: uti & exercitium ſenſuum internorum: 208

SECTIO III.

Utrum Potentia loco motiva Chriſti Domini habeat de facto uſum aliquem activum proprium in Eucbariſtia, in nullo derogantem fidei merito, nec libero Sacerdotis moventis arbitrio? 226

SECTIO IV.

Removentur difficultates, quæ impedire poſſunt præcedentis aſſerti curſum, & Chriſti Domini in altaribus motum. 242

DISPUTATIO IV.

Num Christus Dominus, ut ſacramentalitèr præſens Altari, exerceat per ſe activè, & immediatè ex illo munia Summi Sacerdotis, & quidèm eadem proprietate, qua munus paſſivum Victimæ incruentè exercet? 250

SECTIO I.

Præmittitur ad aſſertum noſtrum, Chriſtum Dominum actu formaliter elicito exercere ſemper munus Summi Sacerdotis in jugi ſacrificio altaris, ubicunque illud offeratur: & quidem tam effectivè, quam affectivè, ſimul cum Sacerdote viſibili; ſive munere illo ex Empyreo, ut putat communis opinio, ſive ex ipſo altari, ut credit noſtra, fungatur. 252

SECTIO II.

Actuale munus ſummi Sacerdotis præcedenti ſectione ſtabilitum, tremendo, jugique ſacrificio, immediatè per ſe exercetur à Chriſto Domino non è Cœlo, ſed ex altari ipſo, qua Sacramentaliter præſente & ſpeciebus velato. Id quod ſuadetur ex Apoſtolo, & munitur clariſſimorum Patrum ſuffragio. 276

SECTIO III.

Promovetur rationibus Aſſertio noſtra; beneficio cujus ſedari poteſt inveterata

Theo-

Theologorum rixa circa modum, quo nunc ſummus Sacerdos Chriſtus Dominus interpellat pro alma Eccleſia. 295

SECTIO IV.

Argumentum, ineluctabile creditum ab Adverſariis, ex Triduo Mortis petitum, in quo Sacerdos eſſe minimè potuit Chriſtus Dominus, cum aliunde potuerit confici à D. Petro ſacrificium, apertiſſimè diluitur, quatenus poſſibilitas ſacrificii (quà de facto inſtituti) ſolidiſſimis rationum, & authoritatis momentis ab eo Triduo removetur, & exinde prætenſa ineluctabilitas nullo negotio ſuperatur. 304

DISPUTATIO V.

Utrùm Vita actualis Corporea CHRISTI DOMINI *in Euchariſtia, hactenùs à nobis ſtatuta, & ſupremi Sacerdotis munere æternùm firmata, ſit planè neceſſaria ad hoc, ut in Miſſa reperiatur ſtrictè verus conceptus formalis Sacrificii; itaut abſque, illa, repræſentaret quidèm cruentam Sacrificii Crucis Hiſtoriam; nullam attamen ſacrificaret Victimam?* 323

SECTIO I.

Semitæ diverſæ, per quas paſſim Scholaſtici incedunt, ad inveniendum ſtrictum conceptum Sacrificii in Miſſa, veramque rei oblatæ immutationem, in illo altè incluſam, aberrant procul. 326

SECTIO II.

Duplex alia ſemita, (prima noviter aperta, vetus ſecunda) occluditur, ſitque invia. 347

SECTIO III.

Utrum immolatio realis Vitæ Euchariſticæ in actu ſecundo hactenùs à nobis per varias, Regias attamen, vias aſſertæ, & nervosè ſtatutæ, ſit vera tranſmutatio phyſica Victimæ, deſiderata ad conſtituendam eſſentiam, ſalvandamque propriam, & ſtrictam rationem Sacrificii altaris? Ita tamen, ut poſt breve aliquod temporis ſpatium reſtituatur eidem vita actualis, aliqua veluti reſurrectionis ſpecie, vel potiùs reviviſcentia, iteratò comparata, aut poſtliminio gloriæ reverſa? 359

SECTIO IV.

Inſignis alia ratiocinatio, aut conjectura; qua denuò fulcitur, & elucidatur ſententia noſtra, deſumpta ex vetuſtiſſima Græcorum Liturgia, eorumdemque in tremendo ſacrificio conſuetudine inviolabiliter, exemplo Sancti Jacobi, Magni Baſilii, Chryſoſtomi, aliorum. que Græciæ luminum, obſervata. Quæ, cum ex alia parte videatur pugnare aperto Marte cum Eccleſia Latina, & doctrina Catholica, ægerrimè conciliari valet cum utraque, ni beneficio aſſertionis noſtræ veniant in amica fœdera. 380

SECTIO V.

Roboratur inſuper ſententia noſtra exemplo Sacrificii cruenti, & ratiocinio indè eruto. Vindicaturque nullo negotio ab omni difficultate, & abſurdo objecto. 398

DISPUTATIO VI.

Quo jure componi valeat unitas Sacerdotii æterni, ac ſubindè Sacrificii unitas ab Apoſtolo Gentium ineluctabilibus, grandibus, inculcatiſque argumentis, & irrefragabili authoritate ſtatuta, cum diverſitate ſpecifica ritus cruenti, & incruenti, & numerica ſpecierum, verborumque, & actionum in jugi ſacrificio? Ubi quid de merito ſupremi Sacerdotis in illo peragendo? 424

SECTIO I.

Adumbratur ſumma ingentis difficultatis, & exploduntur quæ paſſim adhibentur, illius ſolutiones, continentes potius fugam, quam rationem ſolidam & energiam? 427

SE-

SECTIO II.

Unitas ſimplicitèr numerica Sacrificii Crucis, & Altaris, & hujus ſecum, tametſi repetitione aſſidua, loco, & tempore diſſita, exponitur, profundè radicatur, & ſtabilitur; illâque mens Apoſtoli elucidatur. 445

SECTIO III.

Diluit objecta quamplurima, nonnulla in ſpeciem perquam ardua; reipſa tamen umbratili ſolùm difficultate apparentia. 468

SECTIO IV.

Undecima objectio, difficiliorque, aut durior præcedentibus, ex merito deſumpta, diluitur prorſus; dum perſuadetur, rationem meriti omni jure, & veluti conſequenter, debitam eſſe ſacrificio jugi, prout à nobis expoſito, & à ſummo noſtro Sacerdote immediatè phyſicè peracto; & nihilominus, nec id pugnare cum ſolemni Theologorum voto, nec cum ſtatu beatitudinis completo. 485

DISPUTATIO VII.

Occaſione cujuſdam ſatis arduæ difficultatis, ex doctrina præcedentis Diſputationis ſponte ſua emergentis, diſquiritur, num ſummus noſter Sacerdos poſt ſæculi conſummationem, & in æternum ſtrictìm uſurpatum, celebraturus ſit verum aliquod ſacrificium, cum ſit inextinguibile, perennaturumque unà cum ipſo ejus Sacerdotium? 506

SECTIO I.

Propoſita inſinuata nuper difficultate, ſpeciem quamdam victricis præſeferente, ſtatuitur verum, ſtrictumque in Eccleſia triumphante laudis ſacrificium à Chriſto Domino celebrandum, idemque numero cum Eccleſiæ militantis ſacrificio, quamquam veſtibus altis glorioſè indutum. 507

SECTIO II.

Diluit quamplures objectiones, & convellit aliarum radices. 521

DISPUTATIO VIII.

An fœliciſſima aliqua realis permanens unio inter CHRISTUM DOMINUM, *& ritè ipſum ad altare ſuſcipientem, ſit potiſſimus effectus Arcani Euchariſtici? quænam ſit illa, & quæ extrema formalitèr nectat?* 532

SECTIO I.

Recenſentur, & profligantur communes Theologorum opiniones circa nexum præfatum, potiſſimumque Sacramenti Euchariſtiæ fructum, (per ordinem ad quem, illud ritè eſſe valeat metaphyſicè definitum.) 537

SECTIO II.

Præſtantiſſimus omnium, peculiariſque Euchariſtiæ Sacræ effectus, hactenus reconditus, ſive nondum ſatis expreſſus (per ordinem, ad quem exponendus eſt ejus conceptus peculiaris metaphyſicus), eſt unio, aut conjunctio realis animæ Chriſti Domini, (adeoque & Verbi divini) deſtructis jam ſpeciebus, ut motoris aſſumentis, cum dignè communicante, tanquam cum mobili aſſumpto, ut in dies vividiùs repræſentet Deificum motorem. Id quod eruitur ex ſacris literis. 552

SECTIO III.

Alia Sacræ Paginæ teſtimonia caligine quadam Divina aſſertum noſtrum adumbrantia. 579

SECTIO IV.

Eamdem ſententiam eſſe planè juxta Sanctorum Patrum mentem, & productis eorumdem verbis oſtendit, & reflexionibus non contemnendis ſuadet. 594

SECTIO V.

Munitur ſententia noſtra fundamentis à ratio-

Digitized by Google

ratione, ſuppoſita fide, petitis, congruentiiſque promovetur, & exemplis illuſtratur. 612

SECTIO VI.

Diluuntur objecta ex longè diſſitis fontibus, & veluti undequaque petita. 634

SECTIO VII.

Reliqua objecta diluta. Ubi nonnulla circa apparitiones, præſertim Euchariſticas, obſervata. 650

DISPUTATIO IX.

Num præfata unio animæ Deificatæ CHRISTI DOMINI cum dignè illum ſuſcipiente in Euchariſtia duratura ſit æternùm in Patria? Quos fructus in eo fœlicitatis ſtatu paritura? Et in quem gloriæ noſtræ ſcopum ſit directa. 670

SECTIO I.

Affirmativa illius durationis immortalis ſententia breviter munitur. Et mirandus potiſſimuſque effectus ex ipſa copioſè derivatus, verbis Chriſti Domini & congruentiſſimis reflexionibus, firmatur. 672

SECTIO II.

Firmatur eadem aſſertio quoad reliquas duas ejuſdem partes, & enodantur difficultates occurrentes. 691

SECTIO III.

Ultima Aſſertio circa claritatem Corporis myſtici, per Euchariſtiam ſublimati, replicatam ex oceano ſplendoris Corporis naturalis Chriſti Domini, ſtabilitur. Qua præſens tractatus beatitudine clauditur, & claritudine glorioſa ſigillatur.

DISPUTATIO PRIMA.

Præmittuntur generatim & curſim, quæ ſolemnior Theologia docet circa naturam Sacramenti Euchariſtiæ, converſionem, præſentiam realem CHRISTI DOMINI *in ea: fineſque ſublimiſſimos Divinæ Sapientiæ, ut tantum opus moliretur: ne alioqui Tractatus hic confusè, & cæco modo ad peculiares aſſertiones deſcendat, aut potius cadat.*

LOCUTURUS de ineffabili arcano amoris, & ignis, calculo Iſaiæ fumantia vellem experiri labia polluta, & ejuſdem amoris fulmine tacta: ut enim loquitur os igneum, pariter ac aureum, Chryſoſtomi ſermone de Euchar. in Enceniis. *Propter quod, & accedentes, ne putetis quod accipiatis Divinum Corpus ex homine, ſed ex ipſius Seraphim forcipe ignem, quem ſcilicet Iſaias vidit, vos accipere.* Et rurſus ibidem: *Ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit.* Quod inculcat homil. 60. ad Populum Antiochenum. *Os quod igne ſpirituali repletur.* Et Sanctus Ephren lib. de Natura Divina non ſcrutanda, ait: *Hoc ſanè excedit omnem admirationem, quod fecit nobis Unigenitus Filius, Chriſtus Salvator Noſter, ignem, & ſpiritum manducandum, & bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, Corpus ſcilicet, & ſanguinem ſuum.* Et S. Damaſcenus lib. 4. fidei cap. 14. excitans fideles ad hoc, ut frequenter accedant ad menſam hanc, inquit, *demuſque operam, ut per divini ignis perceptionem inardeſcamus.* Hunc ignem reſpexiſſe videtur Propheta Regius dum pſal. 101. dixit: *Et cinerem, tanquàm panem manducabam*, quaſi ignis ejuſmodi cineres forent ſpecies Sacramentales hoſtiæ: Hic eſt etiam ignis, *quem venit mittere in terram*, ut orbem inflammaret. Ideo *carbonem ignitum* dixêre Euchariſtiam Sacram Patres frequenter, Damaſcenus, Cyrillus, Juſtinus Martyr, Procopius.

Locuturus, inquam, hærebam illicò, non jam dubius tantum, verùm & pavidus, conſultius mihi apparens altum ſilentium de ſecreto hoc profundiſſimo, cum in ejus conſpectu ſiluerit Philoſophia, & cum univerſim etiam celeberrima inter veteres fuerit illa ſententia, quæ docet, loquendi Magiſtros fuiſſe homines, tacendi Deos. Firmarunt attamen nutantem animum, & ſimul accenderunt, tùm inſinuata ſupra motiva, tùm etiam, quod introſpiceret cogitabunda mens in Euchariſtiæ ſecreto multa

rara, mirabiliaque, vel nondum planè detecta, vel ha tenùs pene ex integro velata, utilia admodum nobis, & glorioſiſſima Inſtitutori. Rupi itaque ſilentium, ne poſtmodum cum eodem Iſaia pœnitere ſilentii cogar: *Væ mihi quia tacui*. Dum in medio arcani maximi video arcana ulteriora admiratione digniſſima, velut rotam in medio rotæ, utramque tamen oculatam.

Radices, ſive cauſas impulſivas, occultas ſimul, & manifeſtas, hujus inſtitutionis, qua diſtinctas à communi fine gloriæ Divinæ, & utilitatis noſtræ, quærunt Patres, & Theologi diligentèr, & exponunt multiplicitèr; putarem tamen omnes illas ad amorem revocandas, aut trahendas: hic eſt origo, fons, venaque hujus ingenioſiſſimi velut artefacti. Hoc innuit Joan. 13. illis verbis: *in finem dilexit*: *ideſt*, *nihil omiſit*, inquit Chryſoſt. homil. 69. ex cap. 13. Joannis: *quod vehementer amantem deceret*. Et eiſdem propè verbis Theophilactus in eum locum. Clariùs adhùc ipſe Chryſoſtomus hom. 61. ad Populum Antiochenum. *Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit*, *& corpus ſuum in nos contemperavit*, *ut unum quid efficiamur tanquam Corpus capiti aptatum*: *ardenter amantium hoc eſt*. Undè Balduinus Archiepiſcopus Cantuarienſis de Sacramento Altaris ad illa verba Mathæi 20. *qui pro multis effundetur*: ait: *Tradidit Pater filium*, *tradidit filius ſeipſum*, *& hoc ex charitate*. *Neque traditionis rea eſt charitas*; *ſoli enim charitati licèt quid quidlibet impunè*. *Sola Deum cogere poteſt quaſi imperioſa charitas*. Et rurſus Idem exponens *Calicem novi teſtamenti*, ait: *Hic effudit Deus profundiſſimam charitatis ſuæ plenitudinem*. Pariter Tridentinum de Auguſto hoc Sacramentorum apice ſeſſ. 13. cap. 1. *in quo divitias ſui erga homines amoris velut effudit*. Quid mirum, cum ſui ipſius prodigus amor ſeipſum profuderit? Deinde, phraſi mirabili, poëtica, & amuletum amoris inducente, idem Archiepiſcopus Cantuarienſis ad illa verba Lucæ 22. *deſiderio deſideravi*, inquit: *Hic Calix amatorium poculum eſt*, *quod nobis Chriſtus conficit arte*, *quam ipſe novit*. Quod vividiùs adhùc expreſſit S. Ambroſius lib. 4. Examer. cap. 8. *Habet* (Eccleſia) *incantatorem ſuum Jeſum Dominum*, *per quem magorum incantantium carmina*, *& venena ſerpentis evacuavit*. Id enim, quod Magici ſuſurri philtra, vel ludicræ artes ſuis commentis nunquam aſſequi valuerunt, aſſecutus eſt Chriſtus Dominus poculo hoc. Rurſus *eſſe pignus amoris* prætioſiſſimum teſtantur omnes quotquot Chriſti Domini ſubſtantialem realem præſentiam faſſi ſunt; vel amorem ipſum oppignoratum. Hæc eſt officina amoris: ejuſdem tela artificioſiſſimè contexta, amoris miraculum, amoris ultima Thule, & meta ultra quam nihil plus, cui reliquis conatibus velitavit. Unde Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 14. docuit, *amorem divinum in Eucharistia ſublimatum fuiſſe in conſummationem*, *& omnis conſummationis vidiſſe finem*. Urgebat ſiquidem tempus diſceſſus, cumque ablaturus foret viſibilem præſentiam ſuam ab oculis fidelium uſque ad Mundi finem: ferre non potens amor tam longum vale, ſeipſum reliquit ſub velo, & veluti larva, accidentium. Ideo forſan Joannes profundè notavit; *Cum dilexiſſet*; *in finem dilexit*, & ſine fine quaſi innuens, non fuiſſe ad tantum opus amoris ſufficientem præſentem amorem, ſive amorem de præſenti; ſed opus ſimul fuiſſe amore præterito, & futuro, vel amore, qui complecteretur, & exhauriret omne tempus amandi, omnemque amoris æternitatem.

Quæ omnia amoris portenta, ut exprimere valeam fælicius; pœnitiori-

que

que tabella, non importunum exiſtimavi, nec ingratum lectoribus, referre Mithologiam, quam ex Fulgentio libro de geſtis Romanorum tradit Robertus Holkoth in libro Moralitatum. *Romani*, inquit, *verum amorem, ſive veram amicitiam hoc modo deſcripſerunt ; ſcilicet quod imago amoris, vel amicitiæ depicta erat inſtar juvenis cujuſdam valdè pulchri induti habitu viridi. Facies ejus, & Caput diſcooperta erant, ſivè nudata, & in fronte ipſius erat hoc ſcriptum ; HIEMS, ET ÆSTAS : Erat latus ejus apertum, ut videretur cor, in quo ſcripta erant hæc verba ; LONGE' ET PROPE' : Et in fimbria veſtimenti ejus erat ſcriptum : MORS, ET VITA : Similiter iſta imago habebat pedes nudos*. Hactenus Mithologia ; ejuſmodi autem eſt Deus amor, ſeù amoris Deus in Euchariſtia abſconditus: ibi latet realiter ſpecioſus forma præ filiis hominum, ut ad amorem provocet amatos. Veſtis, tametſi candida in hoſtia, & interdum rubra in calice videatur, revera tamen viridis eſt, ut ſpem (cujus eſt color proprius) beatam, aut beatitudinis nobis ingeneret: cùm idcircò etiam dicatur Sacramentum ſpei, & fidei Myſterium. *Corpora*, ait S. Ireneus libro 4. contra hæreſes cap. 34. *percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia ſpem Reſurrectionis habentia*. Et quia verus amor viret ſemper, & floret, quin marceſcat unquam, eſtque peculiaris habitus illius, qui de ſeipſo dixit Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt &c.* Facies ejus, & caput, quamquam oculis corporeis velata, fidei tamen nuda plane ſunt, & aperta, & idcircò appellatur Myſterium fidei. In fronte ſcriptum legitur : *hyems, & æſtas*: quia vitam præſentem hyeme ſignificatam nutrit, & futuram, verno tempore, aut æſtate expreſſam, cauſat : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Joan. 6. Tùm etiam, quia verus amans non minus in amati infortuniis perſiſtit, quàm in rebus ejuſdem proſperis; ſin alitèr jam non verus, ſed politicus amor, qui fælices colit, fugit miſeros. Tum etiam quia notum eſt illud Doctoris Maximi -- amicitia, quæ deſinere potuit, nunquàm vera fuit. Deindè latus habet apertum, è quo fluxit hoc Sacramentum: *ſed unus militum latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis, & aqua*: Joan. 19. Patuit eo vulnere cor amoris, & amantis ; quod aut patere debet amico, aut à ſuaviſſimis amicitiæ legibus deſciſcere. Inſuper, quoniam verus amor diù latere in pectore, quin ſeipſum prodat, æquè difficile eſt, ac ignem in pectore abſcondere, ut monuit ille -- *Sed malè diſſimulo : quis enim celaverit ignem?* Verba autem cordi affixa *longè, & propè* mirabilia ſunt : cùm & abiturus eſſet in Cœlum, dùm arcanum hoc inſtituit, heù, quàm longè à nobis! Et ſimul nobiſcum in Euchariſtia, immò intra pectus noſtrum permanſurus, Io, quàm propè! *O' Miraculum*, ait Sanctus Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, *O' Dei Benignitatem! Qui cum Patre ſurſum ſedet, in ipſo temporis articulo hominum manibus pertractatur*. Rurſus nihil opportuniùs Mithologiæ adumbraturæ amorem Euchariſticum, quàm ſcribere in fimbria veſtimenti: *Mors, & Vita*, cum ſit vita bonis, malis autem mors. Sed cur nudis pedibus in Euchariſtia amor? Quia dùm fratres inſtituit hæredes omnium ſuorum, & ſui ipſius in novo hoc teſtamento, ceſſit bonis omnibus, juribuſque propriis, eaque in nos tranſtulit: hic enim erat mos, ſive lege, ſive conſuetudine præſcriptus, ejus, qui bonis cederet, uti liquet ex libro Ruth. cap. 4. verſic. 7. *Hic erat mos antiquus in Iſrael inter propinquos,*

ut ſi aliquando alter alteri ſua jura cedebat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat homo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo. Hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrael. Præterquam quod vult ipſe docere nos reverentiam, qua aeeedere debemus ad rubum ignefeentem: Hoſtia enim illa plus quàm Terra Sancta eſt.

Neque eſt, eur miremur umbram aliquam, aut veſtigium Euchariſtiæ inter Gentiles fuiſſe repertum, cum ex Saeris Scriptoribus illam prædicentibus, & præfigurantibus, & ex Sybillæ vaticinio, cujus muſicum carmen audies apud Lactantium lib. 1. Divinarum Inſtitutionum cap. 13. aliquam ſecreti hujus, alioqui inſcrutabilis, notitiam, tametſi informem, rudiſſimamque, deguſtârint: ſicut ex eiſdem Sacris Fontibus hauſerunt alia, quæ deturpârunt, ut habetur 1. Machab. cap. 3. verſ. 48. *& expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.* Idque ſuadet Ethimologia nominis Euchariſtiæ, quamvis enim Græcè ſignificat bonam gratiam, aut gratiarum actionem; Latinè tamen à Chariſtia derivatur, ut commune Theologorum judicium firmat cum P. Salmeron, tom. 4. Valentia diſp. 6. quæſt. 1. par. 1. (quidquid in oppoſitum Caſpenſis cum aliis fuerit meditatus) Chariſtia autem ſolenne convivium erat, ſacrumque inter eognatos ſolos, & affines celebrari ſolitum: ubi mutuis compotationibus, ſi quæ rixæ ab invicem ſubortæ fuiſſent, ſedarentur hilaritate epulantium in Sacra Menſa, cui adſtare Deos convivantibus propitios ſomniabant: uti refert Valerius Maximus lib. 2. exemplorum moralium cap. 2. *Convivium etiam ſolenne*, ait, *majores noſtri inſtituerunt, idque Chariſtia appellavêre, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur.* Illiuſque meminit Ovidius lib. 2. Faſtorum. *Proxima cognati dixêre Chariſtia chari: & venit ad ſocios turba propinqua Deos:* Quæ veram affinitatem, tametſi vitiatis tramitibus, habere videntur cum Euchariſtia Sacra: Quippè quæ ad inſtar convivii in ratione cibi, & potus inſtituta eſt, ad fovendas hominum amicitias inter ſe, & cum Deo, mutuaſque rixas extinguendas, cum ſit vinculum nectens fideles cum capite, & ad invicem, pacis, & concordiæ Symbolum, ut loquitur Trident. Seſs. 13. In qua Deus omninò propinquior nobis eſt, quàm fuerit natio alia, ita Deos ſuos ſibi appropinquantes effingens; neque alios vocat, (quamvis permittat reliquos, & puniat) ad convivium, niſi amicos, & veluti Cognatos, neſcio qua Religionis, & Sanguinis neceſſitudine. Sic etiam libatione vini, & interdum Sanguinis, quamplures Gentes fœdera ſanxiſſe, narrat Petrus Huetius Epiſcopus Abrincenſis Alnetanatarum quæſtionum.

Idque feciſſe conjuratos in Catilina conſpiratione perhibent hiſtorici. Quin Tertullianus de præſcript. cap. 4. & Juſtinus Martyr Apolog. 2. tradit, ritum aliquem degenerem, ſimilem tamen Euchariſtieo, invaluiſſe quondam apud Perſas in ſacris Mithriacis, quod Mithræ myſterium appellabant. Conſulatur Doctor eximius tom. 3. in 3. par. diſp. 43. ſect. 1. Inter Maeedones pane, gladio diviſo, amicitiæ fœdus, quod religioſiſſimum haberi exoptabant, inire conſuetiſſimum fuit. Eoque ritu uſus eſt Alexander Magnus (orientis domitor, nunquam ſui) dum Rhoſanem Satrapis filiam viſam in Convivio effrenata libidine deperiiſſet, ut referunt Curtius lib. 8. Cœlius libro 28. cap. 19. Id quod innuebat Pythagoræ Symbolum.

Pa-

Panem ne frangito: id eſt amicitiam, quæ pane deſignatur, ne dirimas. Conſulendus Beyerlinc in Theatro vitæ humanæ. Ariſtoteles autem lib. 9. Ethicorum cap. 12. ſicut & lib. 8. dixit: *Maximè proprium eſſe amicitiæ convivare amicis*. Tandem ut obſervat ex diverſis Scriptoribus prælaudatus Huetius Alnet. quæſtion. lib. 2. pag. 278. *Pane, & vino ſacra Deo faciebat Tibitana gens. Apud Peruanos celebrabantur quotannis Paſchales quædam Cœremoniæ. Certis diebus immolabant agnum candidum, farinam ejus imbuebant ſanguine, populoque comedendam diſtribuebant, ac Dei ſui ſanguinem divinitus ad ſe miſſum affirmabant: Ut, ita cum ſole, & Juga: ſive Rege, novi fœderis ſocietatem contraherent. Iidem juvenem aliquem præſtanti forma annos triginta natum, bene lotum, veſte candida indutum, per quadraginta dies lautè paſtum, demùm mactabant, mactati carnem, veluti ſacram, ſanctamque vorabant, inſontis morte de noxis ſuis Deo ſatisfactum eſſe putantes. Die quadam procedebant ſupplicantes eo propè ordine, quo apud nos feſto Corporis Chriſti. Quod & Meaci in Japponia fieri ſolitum narrant. At Mexicani ſolemnem quotannis celebrant diem, quo ſimulacrum à Puellis Deo ſacrum ex farina & melle pictum, fictumque, & magnis cæremoniis conſecratum populo comedendum diſtribuebant: Iſta Dei ſui corpus commedere ſe aſſeverantes. Neque tum licebat aliud quidquam cibi capere*. Hæc & his ſimilia eruditus hic Author adducit, dum comparationem aliquam inſtituit inter dogmata Chriſtianorum, & Ethnicorum, in qua errorem ipſum inſervire facit quodammodo veritati, quam dum error obſcurare videtur, adumbrat; niſi cum interdum ex eadem jam orta, detorto flexu manans, ipſam deformat.

SE-

SECTIO PRIMA.

Euchariſtiam Sacram participare ſtrictum conceptum Sacramenti, tanquam omnino exploratum ſupponimus. In illa verò contineri realiter ſubſtantialiter præſentem Chriſtum Dominum, ex fidei principiis ineluctabilibus, ex Patribus, ex nunquam interrupta Eccleſiæ traditione, rationisque luminibus, adverſus ſectatores oſtenditur. Fines tandem illius inſtitutionis, fructus mirabiles, & effectus, celeriter perſtringuntur.

§. I.

Num. 1. NOTUM adeo viſum fuit ſemper Euchariſtiam eſſe verum novæ legis Sacramentum, ut ſectarii ubique cęcutientes ad ſplendorem Euchariſticum, vel potius ad umbram fidei, in re tamen ſubjecta conveniant, & veluti conſpirent ferè unanimiter, ut teſtatur Card. Bellarminus lib. 2. cap. 24. Quorundam nihilominus hęreſim circa materiam hanc refert eximius Doctor to. 3. in 3. part. diſp. 39. ſect. 1. quem ſuppreſſo nomine carpit P. Vaſquez in 3. p. diſp. 267. cap. 1. productis in medium teſtimoniis comprobans, nullum ex allegatis ab eximio Suarez ſectarium Sacramentum hoc datâ operâ negâſſe; niſi reliqua omnia Sacramenta unà removeret. Verùm magnus Suarez in laudato loco neutiquam aſſeruit, hęreticos illos repuliſſe Sacramentum Euchariſtiæ, reliquis admiſſis, ſed abſolutè illud expugnaſſe, quod æquè verum eſt, ſive ſimul cum aliis exploderetur, ſive ſeorſim. Præterea Doctor eximius ibi refert ex Venerabili Petro Cluniacenſi Petrobuſianos pro hæreſi hac; quod dum P. Vaſquez in ea diſputatione improbat, adductis Cluniacenſis verbis nonnullis, omittit alia ex ipſo, quæ tantiſper ſui oblitus (alioqui conſequentiæ ubique tenaciſſimus) producit diſput. 179. cap. 1. ex ejuſdem lib. 1. Epiſtolarum. Epiſtola ſecunda adverſus Petrobuſianos diſſerentis. *Si hæreſis hæc veſtra,* inquit Cluniacenſis, *Berengarianis limitibus contenta eſſet, quæ veritatem quidem Corporis Chriſti, ſed non Sacramentum, vel ſpeciem, aut figuram, negabant, facile me hujus capituli labore expedirem.... ſed quia ut dixi, errorem errore, hæreſim hæreſi, nequitiam nequitia ſuperaſtis, non tantum veritatem carnis, & ſanguinis Chriſti, ſed & Sacramentum, & ſpeciem, & figuram negatis. Eapropter, ſicut novus languor nova medicina curandus.* Refertque idem Cluniacenſis ſupra, Petrobuſianos agnoviſſe quidem realem præſentiam Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſemel tantum, dum ſcilicet in nocte Cœnæ Chriſtus Dominus ſeipſum incruentè immolavit, veramque rationem Sacramenti; negaſſe tamen poteſtatem conficiendi ejuſmodi Sacramentum conceſſam fuiſſe Apoſtolis. Solus inter modernos Caroloſtadius in Saxonia exul, nomen adhuc, & gloriam Sacramenti denegare auſus fuit Euchariſtiæ ſacroſanctæ, ut narrat Ekius.

Hæc igitur veritas fide ſancta habetur expreſsè apud Concilium Nicęnum primum, apud Cartaginenſe tertium cap. 28., & 29. Lateranenſe ſub Martino I. Lateranenſe quartum ſub Innocentio III. Lugdunenſe ſecundum, Viennenſe ſub Clemente V. Florentinum ſub Eugenio IV. in decreto unionis Armenorum, Lateranenſe V., & denique Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 1. & ſeſſ. 13. Eadem firmatur authoritate, conſenſuque Patrum ut liquet ex cap. *in Sacramentorum* primo de conſecratione diſt. 2. Rationibuſque munitur ab Innoc. III. in cap. *Cum Mar.* de celebratione Miſs. Item cap. *non oportet*. Competit enim illi evidenter eſſentia Metaphyſica Sacramenti, ab omnibus admiſſa, eruta ex Magiſtro ſententiarum lib. 4. diſt. 1. & ex D. Angelico 3. par. quæſt. 60. art. 1. & 2., & apertè colligitur ex verbis Chriſti Domini Math. 26. Lucæ 22. Joan. 6. ex Apoſtolo 1. ad Corint. cap. 11. Quocirca Sanctus Dionyſius de Eccleſiaſt. Hierarc. cap. 3. appellat Euchariſtiam juxtà Apoſtolicam Doctrinam *Sacramentum Sacramentorum*. Sanctos vero Patres ſigillatim producere ſupervacaneum eſſet, cum res ſit perſpicua, & ipſis etiam Acatholicis grata, referam dumtaxat verba Leonis I. Epiſt. 22. *Nec ab Infantibus linguis veritas Corporis, & Sanguinis intèr communia Sacramenta fidei tacetur*. Demum vel ex ore Barbaro extorquet laudem, & Sacramenti nomenclaturam Euchariſtia: namque Mahometes cap. 4. Alcorani, hoc eſſe Sacramentum ſumma veneratione dignum, fatetur: ut Sanctum hoc, etiam à Canibus, quibus planè denegatur, planè commendetur.

Num. 2. Jam verò illud non tantum honore Sacramenti gaudere, ſed inſuper realiter ſubſtantialiter præſentem Inſtitutorem ipſum, Chriſtum ſcilicet Dominum, includere, ita ut Corpus exiſtat ſub ſpeciebus panis vi verborum, & Sanguinis ſub ſpeciebus Vini, reliqua vero omnia, & ipſa mutuo, utrobique per concomitantiam, ſive naturalem connexionem, fide ſanctum eſt, fuitque ſemper in Eccleſia Dei ab ipſo ejuſdem naſcentis divino exordio. Immò quoniam primis ſæculis vix noverat hoſtes apertos Euchariſtia, quorum error infeciſſet populos, ſuppoſita potius hæc fidei doctrina, quam poſitivè adſtructa reperitur in Conciliis, & primis Patribus. Nihilominus nonnibil adverſus illam ſuſurraſſe videntur aliqui illius ævi Novatores: ita diem lucis, & veritatis, ſi non anticipat, comitatur prope malitiæ obſcuritas; quin & prætergreſſa eſt: ſiquidem monſtra illa ſecuta fuêre anteſignanos Capharnaitas (quamquàm alia via), qui dum Joan. 6. audierunt, ex ore Chriſti Domini *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus ve-*

rè

rò eſt potus : illico exhorruêre clamantes: *durus eſt hic ſermo , & quis poterit eum audire ?* Sic verſutus ille ſerpens , qui ſuggeſſit in Deſerto Inſtitutori hujus maximi Myſterii : *dic ut lapides iſti panes ſiant* : Math. 4. experiri cupiens num eſſet Filius Dei , ſi lapidum duritiam in panis ſuavitatem converteret ; ſuaſit è converſo Capharnaitis duriſſimum creditu eſſe , quin & auditu (ex quo fides) , Filium Dei eſſe poſſe , qui panem convertat in carnem ſuam , quaſi idem foret , ac panem tranſmutare in lapidem. Exindeque multi ex diſcipulis abierunt retrò , ſi non corpore omnes , animo tamen plures , inter quos primus Judas , ut aſſeverat S. Chryſoſtomus Homil. 46. in Joann. quos imitatus eſt Simon Magus , & ex ipſo Simoniani , Menander ejus diſcipulus , & ex Grege Menandri Baſilides , Saturninus , Gnoſtici , & id genus alia monſtra ex eodem cœno horrido ſucceſſivè ſcaturientia.

Verùm , cum plerunque ejuſmodi hæretici Chriſtum Dominum habuiſſe veram carnem , fuiſſeque verum hominem inficiati ſint , ſolùm ex conſequenti arcebant veram realem Corporis , & Sanguinis præſentiam , ab Euchariſtia . Contra quos ſtrenuè egit S. Ireneus lib. 1. cap. 24. conſulatur etiam Theodoretus dialogo 3. *Impaſſibilis* : Neque alieni videntur ab hac hæreſi Corinthii , de quibus Apoſtolus prima ad Corint. cap. 11. *convenientibus vobis in Eccleſia , audio ſciſſuras eſſe inter vos , & ex parte credo . Nam oportet , & hæreſes eſſe . Convenientibus ergo vobis in unum , jam non eſt Domini Cœnam manducare* . Undè Doctiſſimus Turrianus intulit lib. 1. de Can. cap. 22. ex S. Cyrillo Alexandrino , Corinthios erraſſe non diſcernentes Euchariſtiam à vulgari Cœna . Præterea Ophitas , Paulum Samoſatenum , Maſſilianos , Paulacitanos , Neſtorianos , Iconomachos , (ut infertur ex ſeptima Synodo act. 6.) indirectè ſaltem eamdem præſentiam rejeciſſe , vel circa illam turpiſſimè erraſſe , conſtat diviſim ex Dyoniſio Alex. in Epiſtola adverſus Samoſatenum , ex Cyrillo Alex. in Epiſtola ad Cœloſyrium : ex Concilio Epheſino Anathematiſmo II. ex Leone Papa ſerm. 4. in quadrag. ex Damaſceno lib. 4. de fide cap. 14. Theophilacto , Euthymio , & aliis . Directè verò & apertiſſimè in dulciſſimum hoc dogma fidei noſtræ irruere Bertramus , aut Retramus , & ante ipſum Joannes Erigena , patria Scotus , libro edito , & à Concilio Vercellenſi proſcripto , & flammis donato , regnante Carolo Calvo . Deinceps Berengarius , damnatus in Concilio Romano , Vercellenſi , & Turonenſi : tametſi percrebuerit , nihilominus combuſtus condemnatuſque error inter Albigenſes , Petrobuſianos , Flagellantes , & Waldenſes , ut notarunt Theologi Dogmatici , & refert Martinonus diſp. 30. ſect. 2. quorum ultima , & adhùc recentia veſtigia preſſit Wiclephus in Anglia , fulminatus à Concilio Conſtantinenſi ſub Martino V. Nondum ſatis tamen extincta , nec planè effœta ejuſmodi impietas , peperit viciniorìbus ſæculis Zuinglium , Caroloſtadium , Calvinum , Œcolampadium , Bullingerum , Ochinum , Petrum Martyrem , Molinæum , & aliam hujus farinæ viperarum progeniem , aſpidibus ſurdiorem , veritatique veluti incantationi obturatis auribus reſiſtentem.

Num. 3. Catholica tamen Doctrina eam præſentiam tanquam incomparabilem Eccleſiæ Dei gloriam firmiſſimè credens , ea ſacrarum Scripturarum copia , luce , & conſenſione illam oſtendit , ut dicere auſim , nullum Dogma Religionis noſtræ vividius , expreſſiuſque inculcatum reperiri in novo teſtamento. Nullum tantopere , totque figurarum Symbolis adumbratum inveniri , ita ut in re hac contendere poſſit cum ipſo Crucis , & Redemptionis Myſterio , etiam ſi per umbras propè innumerabiles præſigurato. Quanto namque reliquis omnibus Chriſti Domini operationibus , & Sacramenti inſtitutis difficilius creditu erat ; tanto uberioribus egebat teſtimoniis , & præcedentibus ſignis , quæ ejus credulitatem inducerent , viamque fidei illius ſternerent . Idque conſiderans S. Hilarius lib. 8. de Trinitate ante medium dixit , *De veritate corporis , & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus*. Idem affirmat S. Cyrillus Hieroſol. Chatecheſ. Myſter. 4. Unde Balduinus ex Abbate Fordienſi Archiepiſcopus Cantuarienſis de Sacramento Altaris exponens illa verba Matthæi 26. *Qui pro multis effundetur* : ait ; *omnis impiæ dubitationis occaſio amputatur , dum veritas fidei , ipſius ore veritatis aperitur ... Res enim licèt occulta , ut in veritate eſt , ita panditur , & inculcatur , ut ignorantia omninò non habeat excuſationem , & impietas vix inveniat erroris occaſionem*. Ipſe enim , qui erat expectatio Gentium , quà homo viſibilis ; ſpectatus pariter fuit quà cibus hominum , ut ab ipſa præcedente expectatione redderetur famoſior ejus realis præſentia Euchariſtica , tametſi inviſibilis , & velata : ut oſtendit Seraphicus Doctor in 4. diſt. 8. artic. 1. quæſt. 1. ibi: *Dicendum , quod illud Sacramentum præfiguratum eſt , & præfigurari debuit , tum ratione ſuæ dignitatis , quia prædicatum erat , ſicut & expectatum , ut donum Dei excellentiſſimum . Immò figuræ hujus Sacramenti præire debuerant , ut & in his præfulciretur expectatio fidelium , & dignitas hujus Sacramenti famoſior oſtenderetur . Unde figurarum præmiſſio non fuit aliud quam ejus famæ divulgatio . Ratione difficultatis ; quia hoc inter Sacramenta cætera eſt difficillimum ad credendum , immò inter cætera credibilia*. En famam vulgatiſſimam , vetuſtam , cunctis notam , & è ſacris Scripturis natam præſentiæ realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis , & vini , quæ firmatur authenticis præviiſque figuris : Chriſti Domini deinde verbis luculentiſſimis : poſtmodum ſapientioribus omnis ævi teſtibus , & tandem ſtupendis miraculis , quibus claruêre omni ſæculo ejus myſteria , dum coruſcarent Altaria.

Num.

Digitized by Google

Num. 4. Circa factum igitur promiſſionis Divinæ, tum etiam inſtitutionis Euchariſtiæ, ut contiuentis Chriſtum Dominum præſentem: tum denique evidentiſſimum ſenſum in Illis circumſtantiis ſignificationis verborum, quibus uſus eſt Chriſtus Dominus In ejus inſtitutione deſignantibus converſionem ſubſtantialem, & præſentiam ſuam realem ſub cis accidentibus; eſſe nequit dubitatio digna homine, qui conſultè à rationalitate deſcire nolit. Quapropter re ipſa, & practicè poſſibilitatem hujuſce converſionis appetunt ſuis argumentis, & Dei omnipotentiam feriunt machinationibus ſuis: ut fateri tandem debuit unus ex eis, alioqui non indoctus, dc præſenti materia mecum diſputaos. Cum enim opus hoe qoantumvis undique prodigioſum nullam deprehendatur involvens contradictionem, ut convincunt miraculoſæ aliæ converſiones, quas memorat Scriptura Sacra: neque ex alio titulo appauerit unquam, tametſi omni via quæſita; irrefragabili illatione deducitur, ſectarios, aut ſcripturis Divinis in omninò paribus mutationibus fidem denegare; aut ſtultiſſimè repellere ab omnipotentia vim effectricem hujus converſionis, ſive tranſubſtantiationis, in illamque turpiſſimè offendere. In quo etiam ſe profitentur Capharnaitarum diſcipulos, & ſequaces; porro cum Joan. 6. polliceretur Servator noſter ſe daturum carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum; Capharnaitæ horrore perculſi, & ſcandalum paſſi, cauſam illius aperuere palam, ajentes. *Quomodo poteſt bic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* De potentia itaque dubitârunt, *quomodo poteſt?* De facto alioqui minimè dubitaturi, cum audiſſent ipſum abſolutè promittentem, quandoquidem licet plures neutiquam crederent, illum eſſe Deum, credebant attamen Prophetam inſignem, per quem tanquam organum Omnipotentia mirabilia, jugi, & perenni miraculorum fluxu, patraret. Dei igitur omnipotentiam lædebant hæſitatione ſua, aut potius negatione, dum miraculum ejuſmodi fieri à Deo poſſe dubitârunt primo, & poſtmodum credere noluerunt: quod tametſi inſolita ingentique ſua magnitudine poſſet benè reddere ipſos attonitos; nunquam tamen incredulos.

Ut autem hujuſcemodi tam vetus quam nova incredulitas erubeſcat, ſimulque factum unà roboretur, præſtat audire S. Cyrillum Alexandrinum in Joan. lib. 4. (tomo 4.) exponentem nuper inſinuata Capharnaitarum verba: *Judaicum*, inquit, *eſt illud vocabulum, QUOMODO? & extrema cauſa Judicii .... QUOMODO? Quærere non verentur, quamvis univerſæ Sapientiæ largitorem eum eſſe noverunt, & ex omni Divina Scriptura cuncti potentem eſſe didicerint. Quod ſi perſiſtat, ò Judæe, uſurpare illud quomodo? Ego viciſſim tuam imperitiam imitatus tibi reponam, quomodo egreſſus es ex Ægypto? Quomodo manus lepra infecta eſt, & in priſtinum ſtatum rurſus rediit, ut ſcriptum eſt? Quomodo in ſanguinis naturam verſa eſt aqua? Quomodo per medium mare ſicco pede tranſiſti? Quomodo amara illa aqua de mare per lignum verſa eſt in dulcem? Quomodo tibi aqua è Petrarum uberibus effluxit? Quomodo propter te Manna deſcendit? Quomodo porrò Jordanis immotus ſtetit? Aut quomodo ſolo clamore Hiericuntis inexpugnabiles muri corruerunt? Nec te loquentem deficiet illud Quomodo? Multis enim deprehenderis jam antea attonitus eſſe miraculis, de quibus ſi tuum illud QUOMODO ſubinde inſeras, omni planè ſcripturæ fidem derogabis, & omnia Sanctorum Prophetarum ſcripta, adeo ipſius Moſis ante omnia ſacros libros evertes.* Sic dum Cyrillus veteres Capharnaitas redarguit, & imperitiæ incuſat, arma ſatis ſtrenua miniſtrat, quibus novi Capharnaitæ debellentur, & vel obſtinatiores rubore ſuffundantur. Niſi dexteram Divinam omnipotentem ſimpliciter fateri renuant, brevi motu, & facili gradu ab hæreſi in Atheiſmum deſcendentes.

Num. 5. Et ſane in Atheiſmum vergere, aut illum revera practicè involvere Sacramentariorum impiam ſectam, notat Reſcius in Atheiſmo, de Euchariſtia diſſerens, & Becanus tomo 1. opuſc. in opuſculo de Authore peccati cap. 1. refert, Godofredum à Valle, Calvini diſcipulum, librum poſtea edidiſſe *de arte nihil credendi*, ubi aſserit, verum Atheiſmum à Calviniſmo inchoandum eſse. Qui propterea Lutetiæ anno 1572. pœnas dedit, publicè combuſtus (egregios adeo in virtute fidei viros ſortitur Euchariſtia ſacra contradictores) & ſanè illa nata eſse videtur, tam in ſeipſa, quam in ſui figura, aut ſigno, ſub conſtitutione diſcordias influente, lites, quærelas, detractioneſque & ſcandala paſſiva. Nam dum Chriſtus Dominus Joan. 6. illam in publicam ſalutem ſe inſtituturum promiſit, confeſtim narrat Evangeliſta: *Litigabant ergo Judæi ad invicem*: Rurſus: *ſciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc Diſcipuli ejus*: Deinde: *hoc vos ſcandalizat*: Item: *durus eſt hic ſermo, & quis poterit eum audire*: Præterea: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum*: Tandem: *Multi diſcipulorum abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant*. Sic Numer. 11. Populus de Manna cœlitus demiſso conqueſtus eſt vehementer, impietate pœne incredibili; in ſui tamen perniciem, & in exemplum poſterorum. Quo alludens Sedulius Hymno 1. cecinit:

Murmurat impietas Manna veniente refecta.
Panis adeſt Chriſtus, murmurat impietas:

Quapropter non extra rem adduceres illa verba Simeonis Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur*. Cum enim Sacramentum Euchariſtiæ ſit ſignum ſenſibile eſſentialiter: cumque indicat dignè ſumptum reſurrectionem corporum glorioſam -- *Et ego*

reſu-

reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Et è converſo mortem, & judicium invehat improbè ſumptum., alienum planè à veroſimilitudine non erit dicere, Euchariſtiam eſſe ſignum illud, de quo Senex, canitie capitis, & juventute Spiritus Venerandus, canit, fore *ſignum*, cui *contradicetur*.

Num. 6. Nunc tamen novi teſtamenti loca, apertiſſimè eam realem præſentiam ubique ſpirantia producenda forent, quoniam tamen ea omnia, tametſi planiſſima, detorquentur ab Adverſariis in reprobum ſenſum, figuratum, ſcilicet, metaphoricumque, recurrendum omninò duxi ad illum, in quo Concilia præſertim Œcumenica verba Chriſti Domini de præſentia illa intellexerunt, ſanxêreque intelligendum; quorum primæva à ſectariis admittuntur ut ſacroſancta, infallibiliaque. Omnia ſiquidem illa, vel eam præſentiam ſubſtantialem, realemque, ut indubitatam ſupponunt manifeſtè, priuſquam hæreſes contra illam graſſarentur: vel ſtrenuè propugnant, dum ab hoſtibus palam impeteretur. Primum locum ſibi vindicant duo illa generalia Concilia, Nicęnum 1. 318. Epiſcoporum, & Epheſinum, quibus omninò fidem adhibendam teſtatur Calvinus lib. 4. Inſtitutionum cap. 9. num. 8. Tum quia ex primis illis quatuor, quæ Orbis Chriſtianus reveretur ad inſtar quatuor Evangeliorum. Nicęnum igitur primum Canone 18. (qui in aliis editionibus eſt 14) ait: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quod in nonnallis locis, & Civitatibus Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam; quod nec Canon, nec conſuetudo tradidit ut qui offerendi poteſtatem non habent, iis, qui offerunt, dent Corpus Chriſti*: Quibus verbis non figuram corporis Chriſti Domini; ſed verum ejus Corpus adeſſe realiter in Euchariſtia primo ſupponit, & deinde expreſsè affirmat: uti & Miſſæ ſacrificium: apertiùs tamen adhuc realem præſentiam docuit, dum adjungit: *In hac ſacra Menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & calicem: ſed attollentes mentem fide intelligamus, ſitum eſſe in illa ſacra menſa agnum illum Dei tollentem peccata Mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ejus Corpus, & Sanguinem verè ſumentes credamus, hæc eſſe noſtræ Redemptionis ſymbola*. En clariſſimam Concilii Nicæni primi definitionem circa exiſtentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia: & circa jugi, incruentumque Miſſæ Sacrificium. Non minus luculenter Epheſinum, Celeſtino Papa, Cyrillo Alexand., & Imperatore Theodoſio annitentibus congregatum, Epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium approbat (quæ eſt decima ordine apud Cyrillum) & contentam in ea doctrinam palam definit; eſtque ejuſmodi: *Ad benedictiones Myſticas accedimus, & ſanctificamur participes facti Corporis, & prætioſi Sanguinis effecti, non ut communem Carnem percipientes, quod abſit, nec ut viri ſanctificati, & Verbo conjuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem; ſed verè vivificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, ut Deus exiſtens, qui propriæ carni unitus eſt, vivificatricem eam profeſſus eſt eſſe; & ideo quamvis dicat ad nos: Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non tamen eam carnem hominis unius ex nobis eſtimare debemus. Quomodo enim hominis caro juxtà naturam ſuam vivificatrix eſſe potuit? Sed ut verè propriam ejus factam, qui propter nos Filius hominis, & factus eſt, & vocatus*. Hæc autem definitio, quamquàm occaſione erroris Neſtorii concepta fuerit à Patribus, evidentiſſimè tamen decernit, tanquàm fide divina certum, veram, & realem Chriſti Domini Carnem verbo Dei hypoſtaticè unitam adeſſe realiter in Euchariſtiæ Sacramento ad inſtar theſauri latentis, ita ut in toto rigore proprietatis aſſeveres: *Clauſam poſſides arca Jovem*.

Num. 7. Uberius tamen, & clarius adhùc definitionis verba concipit eadem Epheſina Synodus (tertia Generalis) dùm ſtatuit, de Euchariſtia loquens: *Si quis non confitetur Carnem Domini vivificatricem eſſe, & propriam Verbi Dei Patris, ſed veluti alterius per ipſum conjuncti eidem per dignitatem, aut quaſi divinam habentis habitationem, & non potiùs vivificatricem eſſe, quia facta eſt propria Verbi vivificore valentis: Anathema ſit*: Ubi notandum, Hæreticos illos nunquàm auſos fuiſſe negare realem præſentiam Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia, quia viderunt illam in verbis Chriſti Domini manifeſtè contentam. Quoniam verò perſonam filii hominis diſtinctam fecêre à Perſona Filii Dei, idcircò Carnem Filii Dei eſſe, infauſta, ſed legitima conſecutione, ex errore præcedenti negarunt. Ut autem illorum hæreſis, & Concilii definitio luculentiùs percipiatur, utar verbis D. Thomæ 3. par. quæſt. 2. art. 6. ajentis: *Alia fuit hæreſis Neſtorii, & Theodori Mopſueſteni ſeparantium Perſonas; poſuerunt enim, aliam eſſe Perſonam Filii Dei, & filii hominis, quas dicebant ſibi invicem eſſe unitas. Primò ſecundum habitationem, in quantum Verbum Dei habitavit in illo homine, ut in Templo. Secundò per unitatem affectûs, in quantum voluntas illius hominis eſt ſemper conformis voluntati Verbi Dei. Tertiò ſecundum operationem, prout ſcilicèt dicebant, hominem illum eſſe Verbi Dei inſtrumentum. Quartò ſecundùm dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, exhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei. Quintò ſecundùm æquivocationem, ideſt communicationem nominis, prout ſcilicèt dicimus illum hominem eſſe Deum, & Filium Dei. Manifeſtum eſt autem omnes iſtos modos accidentalem unionem importare*. Hac Epheſina definitione præſentia realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis nihil evidentius, nec protervia ſola ſufficiens erit ad veritatem adeò perſpicuam negandam, in eo qui fatetur, dogmata hujus

Synodi eſſe fide ſancta inconcuſſa; ſed ſcrabie comite opus eſt. Firmat eamdem præſentiam Concilium Alexandrinum in laudata Epiſtola Sancti Cyrilli ab Epheſino, ut diximus, approbata: eam ſupponit Concilium Arelatenſe ſecundum, Can. 15. dùm ſanxit: *In Secratorio Diaconos ſedere non liceat inter Presbyteros; vel Corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumant.*

Idem ſupponit Cartaginenſe tertium can. 24. quin & revera Calcedonenſe actu tertio in condemnatione Dioſcori. Nicænum ſecundum (quæ fuit ſeptima Synodus Generalis) ubi proſcribit Iconomachos, aberrantes in fide circa Euchariſtiam, quatenus ſaltem dubitativè locuti fuêre de reali ſubſtantiali præſentia Chriſti Domini: ſolam ejus Imaginem interdum agnoſcentes, etiamſi interdum quoque illam permitterent: ut cum Doctore Eximio Diſput. 46. ſect. 1. docent plures: vel adeo pravè, & ſubobſcurè, diſſerentes circa ipſam, ut ex eorum verbis dilucidè inferatur hæreſis illa, ut cum P. Vaſquez diſp. 179. cap. 1. & Cardinale Peronio lib. 2. de Euchariſtia contendunt alii. Sive igitur hæreſim illam, ſive ſenſum hæreticum ex locutione illa clarè illatum deteſtatur Sancta Synodus act. 6. verſus ſinem, dicens: *Nemo unquam Sanctorum Apoſtolorum, qui tubæ ſunt Spiritus Sancti, aut glorioſorum Patrum noſtrorum, incruentum Sacrificium in memoriam Paſſionis Chriſti Domini noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, Imaginem Corporis illius dixerit. Nam is, qui accepit à Domino, ſic non dicit, aut confitetur: ſed audiant eum ſic dicentem evangelicè: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis -- ET QUI MANDUCAT CARNEM MEAM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO in eo*: Deinde recenſitis aliis ſacræ paginæ locis, ſubdit: *legas quouſque voles, numquam invenies neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres, incruentum illud Sacrificium quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe: Verum ipſum Corpus, & ipſum Sanguinem. Ante Sanctificationis conſecrationem quibuſdam Patribus, piè ſanè viſum eſt antitipa: hoc eſt exemplar ſimilis formæ nominare*: & productis Euſtachii, & Baſilii verbis proſequitur: *Poſt conſecrationem autem Corpus Domini, & Sanguis Chriſti dicuntur. Sunt, atque ita eſſe creduntur: ſed generoſi iſti Sacrarum imaginum cupientes contemplationem obſcurare; aliam, ſcilicet imaginem introduxerunt, quæ ſanè non imago eſt, ſed Corpus, & Sanguis.*

Quo teſtimonio, non ſolum adſtruitur præſentia realis Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, non ſolum fugatur omnis alia præſentia figurata, aut in ſigno, vel imagine, ſed aſſeveratur inſuper hanc fuiſſe ſemper totius Eccleſiæ mentem, & doctrinam ab Apoſtolorum tempore, quod etiam docuit Tridentinum: proindeque extra gremium Eccleſiæ Chriſti Domini eſt, quiſquis gloriam hanc eximiam ejus, quam Fides tenet ipſa, ore delibat, & corde amplectitur, inficiatur, imitatus Averroem, dicere ſolitum: *Multa mihi placent in lege Chriſtianorum; ſed quia Deum, quem adorant, devorant, moriatur anima mea cum animabus Philoſophorum.* Vide quàm certum ſit ex ore etiam inimicorum, præſentiam realem Chriſti Domini ſub nube accidentium fuiſſe conſtanter Dogma Chriſtianæ Religionis. Propterea in primitiva Eccleſia Gentiles incuſabant Chriſtianos quaſi Antropophagos; quos horret Juvenalis Satyra 5.

Sed pectora, brachia, vultus,
Crediderint genus eſſe Cibi.

Num. 8. Cum verò nullo ſubterfugio eludere poſſint adductum Concilii teſtimonium, niſi vim apertam faciendo veritati, & luci, ambiguam tortuoſamque arripuêre ſemitam, proùt ibidem animadvertit ſancta illa Synodus: *& præter id*, inquit, *quod & ſingularis ruditatis opus, impietatem quoque admixtam habet. Deinde dimittentes mendacium, quadamtenus veritatem contingunt, confeſſi Divinum Corpus panem fieri, at ſi imago corporis eſt, non poteſt ſanè fieri Divinum Corpus*: & mox: *Idemque, quod inſani homines, patiuntur, jam hoc, jam illud imaginantes: & nunc quidem ſanctum, & notabile noſtrum Sacrificium imaginem fieri Corporis Chriſti; nunc autem Sacrum, & Divinum Corpus aſſerunt.* Quorſum jam abire poteſt error hic, ſumæ deſperatione undique circumventus? Miſſam feci ſextam Synodum generalem, quoniam licet Joann. 6. Verba exponat de Myſterio Euchariſtiæ, præſentiamque realem Corporis, & Sanguinis ea ratione firmet; leviter attamen, & obiter punctum attigit. Octava autem Synodus pariter Œcumenica act. 10. cap. 4. 5. & 11. ſtatuit eamdem orthodoxam veritatem, & præſentiam. Acta noni Concilii Generalis (Lateranenſis primi) non reperiuntur, uti nec decimi (ſecundi Lateranenſis) in tertio verò Lateranenſi undecimo generali indirectè ſolùm libatur, & ſupponitur doctrina hujus dogmatis: in quarto Lateranenſi duodecimo generali ſub doctiſſimo Innocentio III. ea definitionis claritate uberrima decernitur veritas hæc, ut vel inde haurire potuerint ſaluberrimos Canones Œcumenica omnia poſteriora, etiam Tridentinum ſufficiat tamen decerpere ex cap. 1. præfati Lateranenſis verba illa: *Verum Chriſti Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veracitèr continetur, tranſubſtantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguine poteſtate divina*: Cùm enim ſuborta jam fuiſſent nova illa Sacramentariorum capita Bertramus, & Berengarius, quibus adhæsêre poſtmodum Huſſius, Wiclefus, & Hyeronimus de Praga, bellum inductura cruentum præſentiæ huic (ac ſubinde incruento ſacrificio), nova & ſplendidiore face opus erat ad fugandas novas, denſioreſque tenebras.

Id

Id quod egregiè præſtitêre quoque Romanum ſub Nicolao ſecundo, in quo hæreſis Berengarii fuit expreſſius confixa, uti & Vercellenſe prius ſub Leone IX. Turonenſe ſub Victore II. Romanum aliud ſub Gregorio VII. Lugdunenſe ſecundum: Viennenſe ſub Clemente V. ut patet ex Clementina unica *de Reliq. & vener. Sanct.* Item Remenſe, Conſtantienſe: diſertiſſimè tamen, & fusè Florentinum in literis unionis: Lateran. V. ſeſs. 12. & omnium copioſiſſimè Tridentina Synodus. Cum verò Synodus Trullana cap. 32. liturgiam Sancti Jacobi Apoſtoli approbet, eaque utatur ad arcendum abuſum, erroremque eorum, qui aquam tantum in Sacrificio Miſſæ offerebant: Cumque præfata liturgia in uſu, & veneratione fuerit perpetuò apud Eccleſiam Græcam: & omnis ævi ſapientes, omneſque Eccleſiæ illam ut fontem reliquarum liturgiarum agnovêre, ſi recentes Sacramentarios excipias, quorum hæreſes pœnitus obtruncat, non abs re erit illius verba ante Conſecrationem prolata refferre. Inchoant enim lectores Hymnum Cherubicum dicentes: *Sileat omnis humana, ac mortalis caro, ſtetque cum metu, & tremore, ne nihil terreſtre apud ſeipſam cogitet. Rex enim Regnantium, & Dominus Dominantium Chriſtus Deus Noſter progreditur, ut immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipſum autem antecedunt Angelorum Chori cum omni Imperio, & potentia, Cherubin &c.* Adire juvat Anaſtaſium Patriarcham in liturgia S. Jacobi. Proclum in tract. de Divina liturgia, & S. Cyrillum Hieroſ. quamplura ex illa in ſuam quintam Catecheſim Myſtagogicam tranſcribentem, & Cardinalem Bona lib. 1. Rerum liturgic. cap. 8. Hoc ipſum & nobilitat, & convincit Imperator Carolus Calvus in Epiſtola ad Clerum Ravennatem, ſcribens ſic: *Uſque ad tempora Abavi noſtri Pipini, Gallicanæ Eccleſiæ, aliter quam Romana, vel Mediolanenſis Eccleſia, Divina celebrabant officia, ſicut vidimus, & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes ſecundum morem ipſum Eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrârunt. Celebrata etiam ſunt coram nobis Miſſarum officia more Hieroſolymitano, authore Jacobo Apoſtolo, & more Conſtantinopolitano, authore Baſilio, ſed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione.* Adeo indubitanter credebatur S. Jacobi liturgia hæc ea tempeſtate, eſſeque prorſus eamdem cum illa, quæ modo circumfertur demonſtrat ex vetuſtiſſimis Codicibus Leo Allatius, oſtenduntque teſtimonia antiquorum Patrum ex liturgia ipſa decerpta, & ab eodem Allatio eruditè producta. Conſule Epiſtolam ejus ad Bartoldum Nihaſium; niſi quod voluntaria nocte obſcurati, eo violentius claudunt oculos, quò clariora lumina adhibentur.

Num. 9. Vidimus, licèt raptim, conſenſum in re ſubjecta propè omnium octodecim Conciliorum generalium; nunc autem conſenſionem firmam Patrum, Eccleſiarum, & Populorum oculis ſubjicere præſtaret, ſi per tempus liceret, & prolixitas ipſa, & ſanè quam maxima futura, non impediret: præterquam quod pleraque eorumdem teſtimonia producenda ſunt in decurſu hujus tractatus: Ex primo namque ſæculo teſtantur eam conſenſionem unanimem liturgiæ Eccleſiarum: teſtantur Verba Magni Apoſtoli Andreæ, Ægeæ Proconſuli ſuadenti, ut Diis ſacrificaret; *Ego*, inquit, *Omnipotenti Deo, qui vivus, & verus eſt, quotidie immolo, non taurorum Carnes, nec hircorum Sanguinem; ſed immaculatum agnum in altari, cujus carnem, poſtquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui Sacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus.* Quæ verba Achajæ Presbyteri teſtes paſſionis, ejuſque diſcipuli, audierunt, & referunt; unde S. Petrus Damianus Sermone 2. de S. Andrea meritò dixit: *Non immeritò in ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta eſt* (hæc hiſtoria) *quam, qui viderunt, ſcripſerunt, & miniſtri fuerunt Sermonis.* Manifeſtum eſt autem, non locutum de eſu, & ſacrificatione Agni figuratè, & per ſolam fidem ſuſcepti; ſin aliter ineptiſſimè prædicaſſet, velut magnum aliquod, & inauditum, Agni carnes à Populi multitudine manducatas, & nihilominus integrum, vivumque, permanere Agnum: cum per ſe notum ſit manducationem ſola fide, & immolationem in ſigno, aut figura, nullo pacto efficere, quominus Agnus in ſe realiter ſubſtantialiter perſeveret integer in Cœlo v. g. luderetque potius, quam mirum aliquid prædicaret. Teſtatur S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smyrneos, ut refert Theodoretus Dialogo 3. & Epiſtola ad Romanos §. 7. Dionyſius Areopagita de Eccl. Hierar. cap. 2. 3. & 7. Clemens Romanus Conſtit. Apoſtol. lib. 7. cap. 22. & lib. 8. cap. 14. (ſi credas S. Clementem illarum authorem, vel doctum alium virum ejuſdem temporis) Sanctus Marcellus Martyr in vita Sanctæ Petronillæ, vel ſub ejus nomine ævi ejuſdem Author. S. Martialis in Epiſtola ad Burdegalenſes cap. 3. Teſtatur liturgia S. Marci pro Eccleſia Alexandrina. Liturgia S. Mathæi pro Æthiopica. Scimus, omnia fermè ſcripta hæc repelli a Novatoribus, tamquam ſuppoſititia, poſterioraque. Verùm quo fine, niſi ut hac trita, & voluntaria fuga eludant evidentiam conſenſionis primitivæ Eccleſiæ in fidem præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia? Morem tamen illis geramus, concedamuſque, non prælaudatos primi ſæculi Patres, ſed recentioris ævi alios fuiſſe authores; profectò, vel exinde liquet apertè, fidem de reali præſentia eſſe temporibus illis inconcuſſam; certumque pariter tunc, eamdem fuiſſe fidelium, & Patrum primi ſæculi Doctrinam, & communem ſenſum.

In ſecundo verò ſæculo eandem fidem teſtati ſunt Juſtinus Martyr latè in Apologia 1. ad Antoninum Pium, & in Apologia 2. ait: *Eâ omnipotentiâ, quâ Verbum factum eſt*

coro, fieri Eucharistiam Carnem Verbi: aſſumpſitne Verbum figuratam carnem tantum? Eademque Doctrinam, & per Evangeliſtas, & per traditionem perpetuam Eccleſiarum conſtanter haberi in eo ſæculo à Chriſtianis ſupponit, dum inquit; *Jeſu Chriſti ejus, qui homo factus eſt, carnem, & ſanguinem, eſſe accepimus*. Irenæus lib. 4. cap. 34. & lib 5. cap. 2. Alexander Primus Epiſt. 1. cap. 4. ut habes in cap. *Nihil* 8. de Conſecratione diſtinct. 2. Theleſphorus Papa in Epiſtola decretali anno Domini 127. Theophilus Antiochiæ Epiſcopus Comment. in quatuor Evang. & in libris adverſus Autolycum. Tertullianus, qui jam ſecundo ſæculo florebat ſumma doctrinæ, & eruditionis laude, tametſi ejus fama ſublimiores pennas ſuſceperit ineunte ſæculo 3., videndus in libro de reſurrectione Carnis cap. 8. lib. 1. contra Marcionem cap. 14. In ſæculo 3. præter Tertullianum, Origenes homil. 7. in lib. Numer. tum homil. 13. in Exodum: tum etiam diſputans de puero Centurionis Math. 8. homilia 5. de diverſis & lib. 4. contra Celſum. S. Cyprianus Epiſt. 57. juxta novam editionem; tum inſuper in ſermone *de lapſis*; uti & in ſermone *de Cœna Domini* ſive ipſe, ſive alius ſcriptor, cum fuerit ejuſdem ævi, ſiquidem illum dedicat Cornelio Pontifici Cypriani Synchrono; tametſi moderni Critici Authorem illius credant Arnoldum Abbatem Bonævallis. Dionyſius Alexandrinus in Harmonia quatuor Evangeliſtarum. Hippolitus Portuenſis in orat. de Antichriſto. Petrus Alexand. in ſermone de pœnitentia cap. 8. omiſſiſque quamplurimis aliis ejuſdem ſæculi.

In quarto, ultrà Concilium Nicænum primum, & Carthaginenſe tertium recenſita ſupra, veritatem realis præſentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini egregiè, & fuſè oſtendit S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & cap. 5. lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. 9. Cyril. Hieroſolymitanus Catech. Myſtagog. 4. in fine ait: *Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui apparet, non eſſe panem, etſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti: & vinum, quod apparet, tametſi guſtui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed Sanguinem eſſe Chriſti*. Videndus etiam Catech. 3. — Doctor Maximus in commentar. pſalmi 109. & in Pſalm. 145. Epiſt. 1. ad Heliodorum cap. 7. Ep. 85. ad Evagrium Epiſtola 146. ad Damaſum: Epiſt. 150. ad Hedibiam, q. 2. in cap. 1. Malachiæ & in cap. 26. Matthæi; & cap. 1. Epiſtolæ ad Titum — Optatus Milevitanus lib. 8. contra Donatiſtas. Baſilius Magnus in liturgia, & ſermone 2. de Baptiſmo cap. 3. tum in Epiſtola ad Cæſaream Patritiam. Nazianzenus oratione ſecunda in S. Paſcha, & orat. 3. contra Julianum diſſerens. Gaudentius tractatu 2. Niſſenus Orationis Catecheticæ cap. 37. Theophilus Alexandrinus Epiſt. 1. Paſchatis. S. Epiphanius in Ancorato. S. Ephrem de natura Dei non ſcrutanda cap. 5. tum Epiſtola ad Joannem Monacum, & alibi frequenter, in illo autem cap. 1. hortatur fideles his verbis: *Noli ſcrutari inſcrutabilia, nam ſi iſto curiosè rimaris, non jam fidelis vocaberis, ſed curioſus: participa de immaculato Corpore Domini, fide pleniſſima certus, quod Agnum ipſum integrum comedis*. Hilarius lib. 8. de Trinitate. Emiſſenus Homilia 5. de Paſcha. Juvencus lib. 4. carminum: totidemque alios ejuſdem ſæculi numerare facilè poſſem, ſi otium ſuppeteret, aut neceſſitas poſtularet; Vel ſi Joannes Garetius de verit. Corp., & Sangu. Chriſti illos, eorumdemque teſtimonia non produxiſſet. Idemque præſtitit egregiè per ſexdecim centurias in aureo illo ſcripto. Quem tamen inſinuata Patrum, & Scriptorum illius ævi non convincunt, ſive quia ipſa eludat, ſive quia contemnat; vel infinita etiam conglobata teſtimonia, & in unum locum congeſta obſtinatum invenient.

Num. 10. Quintum verò ſæculum peperit Chryſoſtomum aureo eloquentiæ flumine præſentiam hanc realem per omnia fermè ſcripta ſua accerrimè ſtabilientem, & perſpicua dicendi copia demonſtrantem, Homilia 24. 51. item 83. in Math. ubi de Chriſto in Cœna Euchariſtiam accipienti, ait; quod idem ſeipſum comedat, ſuumque ſanguinem bibat: lib. 3. 4. 6. de Sacerdotio: Homil. 45. & 46. in Joan. 24. in cap. 11. 15. ad Corint., & Homilia 24. etiam in cap. 11. ejuſdem Epiſtolæ, uti & homil. 41. in ipſum. Rurſus homil. 3. in cap. 1. ad Epheſ., & de proditione Judæ. S. Parens Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 4., & cap. 10. Enarratione in Pſalm. 33., & in Pſalm. 98. lib. 2. contra adverſarium legis, & Proph. cap. 9. tractatu 26. & 27. & 80. in Joan. lib. 17. de Civitate Dei, cap. 20. lib. 5. de Baptiſmo cap. 8., & Epiſt. 118. ad Januarium. Sermone 11. de verbis Domini cap. 11. & Epiſtola 162. deindè lib. contra lit. Petil. & ſæpiſſime in aliis locis. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. de adoratione in ſpiritu, & veritate, Epiſtola ad Neſtorium probata in tertia Synodo Epheſ. lib. 4. in Joan. cap. 2. 13. & 14. inſuper lib. 11. cap. 27. S. Leo Magnus 6. de Jejunio ſeptimi menſis cap. 2. ſermone 7. de paſſione cap. 1. ſer. 4. de quadrageſ. Epiſt. 23. ad Plebem Conſtantinopolitanam: Theodoretus dialogo 2. & 3. Caſſianus Collat. 22. cap. 7. Theodorus Ancyranus oratione de Nativitate Salvatoris habita in Concilio Epheſino, referente Doct. Eximio diſput. 46. ſect. 4. S. Petrus Chryſologus ſerm. 19. 31. 34. 95. Iſidorus Peluſiota Epiſt. 109., & 123.

Sexto ſæculo Magnus Gregorius dialogo 4. cap. 58. Homil. 22. in Evang., & homilia 36. Concilium Turonenſe ſecundum. S. Joannes Climacus gradu 15. Heſychius Hieroſol. lib. 2. in Leviticum cap. 8. Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyr. cap. 86. Alcuinus Avitus in carmine de tranſitu Maris Rubri. Evagrius lib. 4. Hi-

ſto-

ſtoriæ cap. 35. Caſſiodorus in Pſalm. 109. Septimo ſæculo Concilium Conſtantinopolitanum ſextum act. 8. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. offic. cap. 18. S. Martinus Bracar. Epiſcopus in libro de Græcorum Synodis cap. 55. ut refertur in cap. *Non oportet* 4. de conſecratione diſtinct. 2. Leontius in vita S. Joannis Eleemoſyn.: Catholico, pluſquam regio ſtigmate, inſignitus Recaredus Rex in Concilio Toletano tertio: Sergius Papa relatus in cap. *Triforme* 22. de conſecratione diſtinc. 2. Joannes Moſcus in Prato ſpirituali.

In octavo S. Damaſcenus ſæpè, maximè libro 4. de fide orthodoxa. Venerabilis Beda in cap. 22. Lucæ homilia de Epiphania, & in lib. Boetii de Trinitate. Alcuinus de Divinis Officiis. Elias Cretenſis in oratione S. Gregorii Nazianzeni. Theophilactus in cap. 26. Matth. ubi: *Non dixit hæc eſt figura, ſed hoc eſt Corpus, ineffabili enim modo transformatur, etiamſi nobis videatur eſſe panis.* Item in cap. 6. Joannis. In nono autem ſæculo cœpêre jam fuſiores tractatus de re præſenti in lucem edi: ſcripsêre namque S. Paſchaſius Corbejenſis in libro de Corpore, & Sanguine Chriſti: Ammalarius in libro de Myſteriis Miſſæ. Remigius Alteſiodorenſis libro de celebratione Miſſæ. Haymo in caput 2. ad Corint. Walfridus Strabo de Offic. Eccleſ.

In decimo ſcripsêre Stephanus Eduenſis de Sacramento Altaris. Simon Metaphraſtes in pluribus Sanctorum Vitis, præſertim S. Teotietis cap. 13. Odo Cluniacenſis Abbas in libro collat. cap. 21. Fulpertus Carnotenſis in Epiſtola ad Adeodatum, & quàmplures alii. Sequenti autem ſæculo occaſione erroris Berengarii cæpit præſentia illa abſcondita ea ubertate rationis, & authoritatis oſtendi, & veluti manifeſtari à viris doctiſſimis, ut otioſum nimis foret illos viritim recenſere: cum Lanfrancum, Anſelmum, Quizmundum, Algerum, Damianum, Euthymium, Œcumenium noverint vel Tyrones. Multoque minus expediret ſequentium ſæculorum Theologos, adhùc agminatim producere, quos latè recenſuit Garetius ſupra relatus. Pro Coronide audi ſcriptorem graviſſimum Lanfrancum Archiepiſc. Cantuar. in ultimo libro de Veritate Carnis in Euchariſtia in hunc modum loquentem. *Interroga univerſos, qui latinæ linguæ, noſtrarumque literarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, & cujuslibet nationis quoſcumque Chriſtianos, uno ore, hanc fidem, ſe teſtabuntur habere.* Audi etiam ſeptimam Synodum Generalem (Nicænam 2. act. 6.) *legas quoſque voles nunquàm invenies &c.* ut habes ſupra. In illaque coiere tercenti, & ſexaginta Epiſcopi, eximiæ doctrinæ, & pietatis, ut inferas inde, ſi præſentia realis Corporis, & Sanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini fuerit eo ſæculo orbi Catholico nota, ereditaque, ut ſic perſpicias quanta cùm veritate dixerit Synodus Trident. ſeſ. 13. *Ita enim majores noſtri quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de Sanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt.* Audi Magnetum vetuſtiſſimum ſcriptorem adverſus Theoſtinem clamantem: *meritò cum accepiſſet panem, & vinum dixit. Hoc eſt Corpus meum. Non enim figura Corporis, aut Sanguinis mei, ut quidam ſtupida mente nugati ſunt; ſed potiùs verè Corpus, & Sanguis Chriſti.* Ecquis autem hujuſce veritatis plures, dignioreſque teſtes deſideret, cùm omnes prope Mundi ſapientes per ſeptendecim ſæcula teſtimonium de illa uno ore, & ſenſu, perhibeant? ubi Mundus integer Teſtis unanimis jurat, quis, niſi per ſummam ineptiam, movet litem ex defectu Teſtium?

Num. 11. Mirare itaque, & ride ſimul egregiam Calvini, in ultima admonitione ad Weſphalium, falſitatem, ajentis, per quinque prima ſæcula Eccleſiæ omues ſcriptores ſuffragari ejus doctrinæ, qua admiſit in Euchariſtia ſolam præſentiam in ſigno, vel figuratam, aut per fidem; arcetque realem ſubſtantialem. Maximè cùm Zuinglius in lib. de vera, & falſa Religione protulerit. *Tempore Auguſtini opinionem de carne corporali jam victricem fuiſſe*; eamque de Cypriani temporibus, & deinde Ambroſii ſupponit Rudolphus Hoſpi: de Sacram. parte 1. lib. 4. cap. 2. Miraberis attamen vehementius ejuſdem inconſequentiam, nàm lib. 4. Inſtitutionum cap. 18. §. 1. diſputans de ſacrificio Miſſæ, inquit: *Peſtilentiſſimo errore Sathan totum pæne orbem obcæcavit, ut crederet Miſſam ſacrificium eſſe, & oblationem ad remiſſionem peccatorum*: & ibidem §. 18. ſubjungit: *Sententia, quod Miſſa eſt Sacrificium, inebriavit omnes Reges terræ, & populos à ſummo uſque ad noviſſimum*: (quæ verba non de ſolo illius ſæculo, ſed abſolutè ſignificant) manifeſtum eſt autem, eos, qui verùm Sacrificium incruentum agnoſcunt, & credunt, amplecti pariter fidem præſentiæ realis, ſi exoticam aliquam hæreſim excipias; tametſi Lutherus, & ejus ſequaces, vice verſa admittentes præſentiam illam, ſive permanentem, ſive in uſu ſaltem, Sacrificium Euchariſticum horreant. Et nihilominus Lutherus ipſe in libro de captivitate Babylonica, dixit. *Accedunt his dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, totuſque uſus per totum orbem conſtanter obſervatus*: & rurſus infra: *totus orbis contrarium, & ſenſum, & uſum habet*: locutus de ſacrificio Euchariſtico.

Immediatius tamen ejuſdem Calvini ſectatores conſenſum hunc ſæculorum, & gentium circa exiſtentiam realem Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia faſſi ſunt. Namque Œcolampadius, ut refert Lavaterus in Hiſtoria de Cœna Domini, contendere renuebat de re hac, niſi *ſemota hominum authoritate*, qua videbat, obrui doctrinam ſuam. Cauſabonus in Epiſtola ad Witemgobardum fatetur, doctrinam veteris Eccleſiæ opponi in ſubjecta materia eorum doctrinę. Similiter

liter Soceinus, Scaliger, Daillæus, quin & Zuinglius. Vidit hoc Hieronymus Zanchius (nulli Sacramentariorum in pertinacia ſecundus) vidit, & confeſſus eſt ſuam, ſuorumque impudentiam: *Patres jactamus, cùm nihil minus quàm eorum doctrinam ſequi velimus*. Hæc eſt igitur Univerſæ Eccleſiæ ortodoxa fides ab inſtitutione ipſa Euchariſtiæ, & Apoſtolorum temporibus, perenni deinceps ſæculorum curſu fluens ea perſpicuitate undarum, ut indubitatum plenè ſit illud, quod Seraphicus Doctor de præparatione ad Miſſam protulit. *Quid dubitationis de hoc Sacramento remanet, quod à Chriſto tam expreſsè traditum, ab Apoſtolis prædicatum, à SS. Patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum, tantiſque cæremoniis, tot miraculis, & prodigiis, & obſervantiis, quaſi teſtimoniis palpabilibus vides confirmatum?* Qui autem, hæc non videt; nonne cæcus eſt, mentis impos, aut conſultò obcæcatus, mentem avertens, ne verum omnibus patens intueatur? Scio Sectarios putare, & credere ſe oculatiſſimos: cæterum hæc ipſa nova cæcitas reflexa eſt, de qua opportunè dicam, quod Seneca Epiſt. 50. in qua referens cæcitatem cujuſdam Ancillæ Uxoris ſuæ: *Incredibilem tibi narro rem, ſed veram, neſcit ſe eſſe cæcam.*

§. II.

Num. 12. RAtione autem agendum breviſſimè nobis eſt, tum quia negotium à noſtro potiſſimo negotio alienum: tum quia ægrè, & incaſſum plerumque diſceptatur cum hominibus nunquam in eadem cauſa perſiſtentibus: ſi premas validè, cedunt; alia tamen diverſi erroris via declinant vim diſcurſus. Porrò Calvinus non ſemel diſertis verbis admiſit præſentiam realem ſubſtantialem Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus. Et lib. 4. inſtitut. cap. 17. §. 37. protulit, adeſſe realiter Corpus Chriſti in hoſtia: cæterùm exangue, inanimeque, ſic accipiens verba Chriſti Domìni. *Hoc eſt Corpus meum, ſine Divinitate & Sanguine*. Num. autem quinto ejuſdem capitis dixerat: *hanc non aliam eſſe, quam fidei manducationem fatemur*. Et num. 31. *Chriſtus præſens illis* (nobis) *non videtur eſſe, niſi ad nos deſcendat; quaſi verò ſi ad ſe nos evehat, non æquè potiamur ejus præſentia*. Similia habet §. 32. & in conſenſu cum Paſtoribus Tigurinis, & in Confeſſ. ſecunda contra Weſphalum: *Carnis ſubſtantiam devorari non credimus: Carnalem præſentiam oppugnare nobis ad extremum uſque vitæ ſpiritum decretum eſt*. Vide Cardinalem Bellarminum lib. 1. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 1. Ejus contradictiones latè adducentem: Coccium lib. 1. art. 1. Liberium à Jeſu tomo 1. Controverſiarum Dogmaticarum, controverſia 5. & eodem lib. 4. & cap. eodem §. 39. diſputans de veteri Eccleſiæ conſuetudine ſervandi Euchariſtiam ſub ſpecie tantum panis, & non ſub ſpeciebus vini ad miniſtrandum Viaticum infirmis, ait, *Sed enim qui ſic faciunt habent veteris Eccleſiæ exemplum fateor; verùm in re tanta, & in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutius eſt quam ipſam veritatem ſequi*; cum ut vidimus ſupra, præſentiam realem ideo ſe negaſſe dixerit, quia Eccleſiam antiquam credit pro ſe militare.

Rurſus idemmet Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. num. 3., & in cap. 11. Epiſtolæ primæ ad Corint. Verba Conſecrationis ita exponit: *Hoc eſt veriſſimum Corpus Chriſti, ut verba ſonant*. Et eodem cap. 17. num. 10. ſic: *Hoc eſt Corpus meum ibi, ubi eſt panis*. Quibus ſubdolis loquendi formulis ad utrumque extremum oppoſitum parati expectant venientem. Lutherus in Epiſtola ad Argentinenſes faſſus eſt, ſe conatum fuiſſe cunctis viribus non aliam quàm figuratam Chriſti Domini præſentiam ſtatuere in Euchariſtia; coactum attamen fuiſſe à Chriſti Domini verbis ad veram præſentiam realem tenendam; quoniam illis ſatisfacere nunquam potuit. Et inde iterum ſecum ipſo luctatur propendenſque, vel invita ratione, in oppoſitum ſerm. Domin. Septuageſ. dum exponeret verba Apoſtoli 1. ad Corint. 10. excludit ſimpliciter eam realem ſubſtantialem præſentiam, adhuc à ſumptione ipſa, dicens: *ſumendo Corporalem panem & vinum in altari, edimus, & bibimus verum Chriſtum ſpiritualiter, ideſt, bibendo & edendo externè, exercemus fidem internè*. Rurſus alia hæreſi, & via incedens docuit, Chriſtum Dominum eſſe quidem realiter præſentem, verumtamen in orali tantum manducatione, ut notârunt Ruſſius ſupra. Coch. lib. 3. Miſcellan. Hoſſius lib. 1. contra Brentium, quem errorem hauſit ex Buzero, conveniuntque Zuingliani, & poſteriores Lutherani catervatim. Non acquievit tamen his aberrandi ſpiritus ab una in aliam hæreſim, quique ſtatuerat apud ſe, diſponere de rebus & arcanis fidei liberrimè ad arbitrium proprium. Docuit in libro de Captivitate Babylonica cap. de Baptiſmo: Sacramenta nullatenus juſtificare; ſi autem gratiam nequaquam confert Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ probè ſuſcipientibus, quorſum præſentia realis ipſius ſub ſpeciebus, ut ſapienter arguit Cardinalis Bellarminus laudato lib. 1. cap. 1. 2. Permiſit denuo, & admiſit præſentiam permanentem, ſimul verò cum ſubſtantia panis, & vini, Bertrami, Berengarii, & aliorum factus diſcipulus; realemque tranſubſtantiationem explodens, ut nulla foret hæreſis, tametſi altè ſepulta, quam non extumularet, vel quacum portionem ſuam non poneret, donec tanta errorum varietate inſtar labyrinti ſeſe implicaret, ut exitum plane neſciret.

Num. 13. Adhuc autem in promulgando errore hoc ſuberrarunt ipſe, & ſequaces. Nam Kemnitius in ſecunda parte examinis Concilii Tridentini ſeſſione 13. cap. 4. uti & Brentius in Confeſſione Witembergenſi

cap.

Digitized by Google

cap. de Euchariſtia : utramque partem ſalva fide tueri poſſe opinati fuêre : adeoque potius reprehendendos eſse Catholicos, quia tranſubſtantiationem dicant fide ſanctam ; quam quod illam amplectantur, dixerintque poſſibilem, ut refert P. Vaſquez tom. 3. in tertiam partem diſp. 181. cap. 1. Lutherus autem conſonam magis rationi, & ſcripturæ eſse voluit permanentiam ſubſtantiæ panis, & vini una cum corpore, & ſanguine Chriſti Domini, quibuſcum copuletur. Num verò Lutherus effinxerit nexum hypoſtaticum Chriſti Domini cum pane, vel Sacramentalem dumtaxat, ſub lite eſt, uti & de Berengarii mente dubitatum fuit pariter (mirum ſanè quod adeſset novus aliquis error, in quem incidiſſe Lutherum dubium foret). Kemnitius, ubi nuper, negat, Lutheranos eam unquam unionem hypoſtaticam induxiſse : neque finem inſaniendi facit hic : nam in ſermone de Sacramento Cœnæ, uti & in libro : *Quod verba Chriſti &c.* docuit : Humanitatem Chriſti Domini ex unione ad Verbum Divinum aſsecutam fuiſse donum exiſtendi ubique, & non ſolum in Euchariſtia. Quam hæreſim illicò amplexati fuêre Brentius in tractatu de Cœna Domini, in libro de duabus naturis, & in Apologia pro Confeſſione Witembergenſi : Matthæus Illiricus, Jacobus Schemidelanus, & recentes Lutherani frequenter.

Qua doctrina poſita, ſuperflua eſsent verba Conſecrationis, ut illorum vi exiſtant Corpus, & Sanguis in Euchariſtia; cum præciſivè ab eis ibidem exiſtant ; niſi eo fine proferantur, ut bis ſint realiter præſentia, quod nugatoriè diceretur, cum ad omnes effectus inducendos ſufficiat eſse ſemel, panemque non conſecratum manducare, quin & peponem, ut utar verbis Tertulliani lib. 2. contra Marcionem cap. 40. *Cur panem Corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem iſtam fuiſſe figuram Corporis Chriſti, dicentis per Hieremiam : VENITE CONJICIAMUS LIGNUM IN PANEM EJUS, ſcilicet Crucem in Corpus ejus?* Inſuper, & impudentiſſimis verbis ſtolidos appellat, & fatuos, qui affirmant aquam ex præcepto miſcendam eſſe vino in Calice, additque : *Meo ſenſu melius & tutius foret, aquam non miſceri vino, cum ſit merum figmentum humanum, & ſiniſtram immò & peſſimam habeat ſignificationem.* Sic non tantum ſepta fidei, & rationis, ſed & modeſtiæ tranſilire ſæpiſſimè audet : Num. 14. in Epiſtola ſecunda ad Waldenſes indicat Corpus Domini in Euchariſtia adeſſe realiter, verum abſque ſanguine, anima, & divinitate. Ideo Lutherani frequenter rident concomitantiam ; & quidem itaut, Tilmanus Heſhuſſius *libr. de ſexcentis erroribus Pontificiorum*, hunc recenſeat inter alios : quod nimirum integrum Chriſtum adeſſe credamus ſub qualibet ſpecie, proindeque ſupponunt Corpus exangue ſub ſpecie panis, & ſanguinem fluctuantem extra corpus ſub ſpeciebus vini ; idcirco aſſerentes, plus ſumi ſub utraque ſpecie. Melanthon vero in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ recuſat huic quæſtioni reſpondere. Quem errorem hauſire potuêre ex Monacho illo, quem refert Nicetas lib. 3. cap. 7. ibi : *Nequam Monachus Sicidites homo ſeditioſus, & hæreticus,* qui præcipites egit ſecum complures ; ajebat enim Corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe : *Corruptibile, inanime, ad quod qui accedit non totum Chriſtum accipit, ſed partem.* Plerumque tamen integrum Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus latere fatentur, illi verò denegandam prorſus adorationem mordicus tenent, ut vidimus in præfatione ; ſed nondum finitus errorum circulus : in libro enim de Captivitate Babylonica aſſeruit Lutherus, communionem ſub utraque ſpecie eſſe jure Divino laicis etiam præceptam, ſecutus Bohemos, Jacobum Miſnenſem, Petrum Dreſdendum, & alios, quos referunt, & deteſtantur Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Euchar. Æneas Sylvius in hiſt. Bohem. cap. 35., & controverſiarum ſcriptores paſſim. Ejus Diſcipulus Caroloſtadius caſtra prius Lutheri ſecutus, ejuſdem errores impetu quodam, aut furore, tutatus ; poſtmodum illum deſeruit, factuſque ex diſcipulo æmulus, librum edidit anno Domini 1525. quo Lutherum vehementer exagitat, realemque Chriſti Domini præſentiam in altari prorſus removet, ut narrat Cochlæus lib. de ſcriptis, & dictis Lutheri. Demum palinodiam recantans, tametſi rauca admodum voce, ſe tantum ex proprio cerebro fuiſſe locutum in re hac, nequaquam vero ex ſacris literis, aut Patribus, proteſtatur : proinde minime credenda ab eo prius contentioſè dicta, ſed indaganda. Sic, ut vides, turpiter errat, etiam dum pœnitet errorum, cum non credendum fidei hoc myſterium aſſerat, ſed explorandum : quanta erit igitur turpitudo dum errat?

Œcolampadius, cum anno 1525. ægrè ferret Sanguinem Chriſti Domini denegari laicis, quaſi injuſtè privarentur Cœleſti potu, verum & realem Chriſti Sanguinem, & redemptionis pretium includente ; ſequenti anno menſe Julio (teſte Joanne Ekio) tam Corpus, quam Sanguinem realiter cunctis denegat, dum figuratam dumtaxat utriuſque præſentiam, furiis agitatus, invehit. Præterea circa verba conſecrationis variârunt adeo, variantque omnes, ut Claudius Sainctes Epiſcopus Ebroicenſis in ſuo doctiſsimo de rebus Euchariſticis lib. Repetit. 1. cap. 10: 84. formulas, ſive acceptiones verborum conſecrationis referat, alienas omnes à ſenſu orthodoxo, & accomodatas arbitrio, ingenioque libero uniuſcujuſque. Conſulatur Eruditiſsimus Cardinalis Laurentius Cozza in ſuis commentariis hiſtorico dogmaticis in librum S. Auguſtini de hæreſibus parte prima pag. 189. Cum hominibus igitur nunquam

quam ſibi conſtantibus, perpetuaque delirandi contradictione inſanientibus, & in omnigenas errorem ſpecies formam more Prothei variantibus, quis prudenter congredietur? Ubi error Vertuno inconſtantior, mutabiliorque, ſit (juxta Horatianum illud lib. 2. Satyra 3.) *Aper, modo avis, modo ſaxum, & cum valet, arbor*: ecquis diſputat, niſi ut in vertiginem rationis incidat, dum abſque ſcopo fixo, ab uno in alium mentem jugiter erratica exploſione convertat? Perſtringam nihilominus nonnulla rationis momenta, quæ fidem reali præſentia conciliare valeant, & flectere poſsint Lectoris animum, tametſi libertinum, ſi non ſit planè, & obſtinate erroribus mancipatus, & infami eorum ſervituti ſpecie libertatis deditus.

Num. 15. Primum autem ſimplici Interrogatione conficitur; rogo namque à Sacramentariis ingenuè, ſi Chriſtus Dominus re ipſa voluiſſet, ſeipſum, ſive Corpus, & Sanguinem ſuum reddere præſentia realiter ſubſtantialiter, & non figuratè, ſub ſpeciebus panis, & vini, &c., quod Eccleſia Sancta, quam fundabat, id prorſus crederet, & inter fidei myſteria numeraret, quibus aliis luculentioribus verbis id docere potuiſſet, & inculcare? Ubi clarius, & uberius in ſacris ſcripturis reperitur diſtinctio realis Perſonarum in unitate Deitatis, quam reveremini; cum aliunde eam Sabellius per figuratam pariter locutionem exponebat, quem vos jure meritò nobiſcum deteſtamini? Audite, precor, S. Cyrillum Alexandrinum lib. 4. in Joan. cap. 10, argumentum hoc apertè verſantem, & claritate verborum Chriſti Domini ſolitam figuratæ locutionis evaſionem veſtram prævenientem. *Sæpè Salvator eundem ſermonem Judæis inculcans variè proponit, modo quidem ænigmate; & obſcuritate multa involutum, modo rejecta tunica nudum, & apertum, ut niſi crediderint condemnationem non effugiant; ſed mali malè pereant in ſuam perniciem gladium ſtringentes. Nihil igitur occultans demum Chriſtus ait: Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi. Illud manna typus erat*, inquit, *& umbra, & imago. Audite palam nunc, & aperte: Ego ſum panis vivus: ſiquis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum: Qui ex illo manducaverunt mortui ſunt, non erat enim vivificus; qui autem manducaverit hunc panem, ideſt me, ſive carnem meam, vivet in æternum*. Quid igitur? Vultis hominem Deum illuſorem facere, utpote qui diſſertis expreſsiſsimiſque verbis Joan. 6. pollicitus fuerit, vere ſe daturum nobis ſuam veram carnem manducandam, & ſanguinem proprium potandum ſub ſpeciebus panis, & vini; mox, loco verè Carnis, aut Sanguinis, umbram Corporis duntaxat largitus ſit? Eſſet ne hoc ſtare promiſsis; an potius fucata, & figurata ſimul promiſsione ludere verbis, & illudere nobis? Sinite jam me vos, multa incaſſum reſpondentes, brevi illa Ciceronis in Catilinam veluti irruptione interpellare: *Quandiu* vos furor veſter *illudet*?

Rurſus, vel id non fecit, quia non potuit, vel quia noluit. Primum ſane non, quoniam diabolus ipſe parem aliam tranſubſtantiationem ſuppoſuit poſsibilem Chriſto Domino, ut vidimus, dum Matth. 4. ſuggeſsit illi, ut faceret ex lapidibus panes: quæ tranſubſtantiatio æque dura, ac lapides ipſi apparuiſſet Capharnaitis. Cur ergo repugnabit ſimilis mutatio panis in carnem Salvatoris? Non ſecundum, quoniam ipſum voluiſſe, exprimere apertius non potuit, & inculcatius. Supponamus attamen ſenſum hunc non eſſe plane expreſſum; ubi tamen clarius aperuit veſtrum ſenſum figuratum, cum verba per ſe illi potius repugnent, illumque colligere ſtudeatis aliunde, &c. ex abſurdis, quæ comminiſcimini, & nihilominus illum ſenſum amplectimini ut fide tenendum; & totius Eccleſiæ ſenſum; quia vobis voluntariè dubium arcetis, & anteferendo ſpiritum privatum; quod nôſtis bene ab Spiritu Sancto vetitum.

Num. 16. Secundo arguo: non aliter melius dignoſci poteſt ſenſus, in quo Chriſtus Dominus locutus fuerit, dum promiſit Euchariſtiam Joan. 6. quam ex informatione illorum, qui aderant tunc, audiebantque verba illa vitæ æternæ. Porro nullus eſt, qui neſciat, quantum præſtet viva vox ſcripto, ad mentem authoris percipiendam, ad ſenſum, ſignificationemque eorum, de quibus diſſerit luculentius, & vividius penetrandam; altiuſque animis auditorum figendam. In oraculo enim vocis non ſolum reperitur vivus ſermo, ſed & ſenſus vivus, animatuſque, dum in ſcripto languet, cadit; moritur. Ibi motus, geſtus, energia oratoris loquuntur una cum voce: hic autem omnia jacent. *Qui legit, intelligat*, ajebat loquens de prophetia Danielis Chriſtus Dominus Matth. 24. ſuperaddit ſiquidem difficultatem quammaximam ſecundum primo. Non ſic autem per ſe loquendo, qui audit, difficulter intelligit, ſed è converſo, & propterea fides per auditum facile appellit ad animum; ita qui veritatem percipere nequeunt, auditum avertere ſatagunt, teſte Apoſtolo 2. ad Timot. cap. 4. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas convertentur*. Recitante Marone ſextum librum Æneidos apud Auguſtum præſente Octavia, cum ad verba illa perveniſſet: *Tu Marcellus eris*: corruit pœnitus illa, deſecitque, ut Scriptores vitæ illius vatum facile Principis narrant frequenter; ſtetiſſet autem immota proculdubio, ſi verſus illos ſimpliciter legiſſet ipſa. Ecquid autem intellexit multitudo illa ſermonem Chriſti Domini tunc arrectis auribus excipiens? profecto, Teſte Evangeliſta Joanne, & fatentibus quoque adverſariis, apertiſſime intellexerunt, illum polliceri ſuam veram carnem daturum in eſum, & ſanguinem in potum: & idcircò ejuſdem diſcipu-

latui

lafui turpiſſimè renunciarunt, quuniam durus admodum viſus fuit eis ſermo ille, prænuncians ſimul, & promittens, daturum carnem ſuam veſceutibus. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem ad manducandum dare?* & infra: *multi ergo, audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt; durus eſt hic ſermo, & quis poterit eum audire?* & rurſus: *Sciens autem Jeſus quia murmurabant de hoc diſcipuli ejus, dixit eis; hoc vos ſcandalizat?* & tandem: *Ex hoc multi diſcipuli ejus abierunt retrò, & jam non cùm illo ambulabant*.

Cùm itaque illi, qui Chriſtum Dominum prædicantem audierant ſe daturum verè carnem, & ſanguinem ſuum in cibum, & potum fidelibus, clariſſimè, & iohæſitantèr intellexerint, eum nnn figuram carnis, & ſanguinis, ſed veram realem ſubſtantialem carnem propriam prnmittere in cibum, & ſanguinem propinandum, eoque titulo exhorruerint: ſubindeque neutiquam à fide deſcivere, quia minimè credidiſſent Chriſtum Dominum veram Carnem, & Sanguinem offerre, ſed figuratam ſolum; quoniam defeciſſe conſtat evidenter, eo quod horrore perculſi, ſequi in pnſterum noluerunt eum, qui carnem propriam ad veſcendum hominibus deſtinaret; quaſi eſſe non poſſet Dei Filius, qui carnem ſuam nobis devnrandam diſtribuere vellet. Cùm, inquam, illi propriis auribus Verba Chriſti Domini haurientes, ita evidentèr acceperint illa, quis niſi impudentiſſima, & voluntaria protervia alitèr accipiat? Cùm ingens multitudo Teſtium de viſu, & auditu proprio id deponant, tàmetſi à Chriſto Domino alieni prorſus, quis in oppoſitum contendit, niſi ſtultiſſimè? Ecquos habes, aut prnducis Teſtes de auditu prnprio, qui figuratum dumtaxat ſenſum intelligerent? Num impoſſibile mnralitèr non eſt, taotam multitudinem in ſenſu reali proprio ea verba intellexiſſe; & omnes ſimul in ſignificatione adeò perſpicua aberraſſe? Teſtimonin multitudinis hominum audientium Chriſti Domini ſermonem in re omninò plenum ſenſum habente, intra quos aderant plures legis Doctnres, ſapienteſque non credis; & cavillatinnibus quorumdam, qui pnſt mille, & ſexcentos annos vixerunt fidem præſtas?

Num. 17. Perperam autem reponeretur, illns audiiſſe procul dubio in eo ſermnne plura alia à Chriſto Domino, quæ ab Evangeliſta ſcripta nnn fuere, quorum vi ſenſum illum penetrarent, qui ex verbis tantum relatis à Joanne nequaquam cnlligitur. Contra enim: quia clariora relatis nulla excogitari poſſunt. Secundo quia ipſe narrat eos ſcandalizatos fuiſſe eo quòd aſſeruiſset, daturum ſuam carnem ad manducandum: *quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem dare ad manducandum?*

Hæc autem verba ad literam relata ſunt à Joanne: ergo eiſdem, quæ conſtant ex Evangelio, onverunt evidenter, Chriſtum Dominum promiſiſse carnem ſuam, & ſanguinem realiter miniſtraturum. Contra 3. quoniam ea reſponſione, jam fateris, Capharnaitas intellexiſse, non figuratam, ſed veram realem præſentiam ſui Corporis, & Sanguinis relicturum ſidelibus ſub accidentibus panis, & vini, quamquam ſenſum hunc non elicuerint ſolum ex verbis relatis, ſed ex eis, & aliis à Jnanne prætermiſſis: cum igitur tibi conſtet ex Evangelio, illns eum ſenſum tenuiſse, ut plane evidentem, cur ipſum pariter nnn tenes? Ulterius, ſi ex omiſſis hic erat ſenſus in quo Chriſtus Dominus loquebatur, quo jure, qua fronte, qua veritate accipis in ſenſu figurato verba ſcripta? Vis eſse contraria verba, quæ oarrantur, verbis, quæ prætermittuntur?

Cnntra quarto. Qunniam ſi relata efficerent ſenſum duntaxat ſiguratum, neglecta vero realem prorſus, debuiſset Evangeliſta hæc exprimere, ſive non tacuiſse, ne veritas præſentiæ realis Corporis, & Sanguinis in Euchariſtia, dum ſuppoueretur à Chriſto Domino apertè declarata, remaneret dubia, aut omninò ſuppreſsa. Immò incredibile eſt, Chriſti Domini lncutiooem, & narrationem illius ab Evangeliſta factam circa myſterium adeo ſublime, & captus humanos longè, latèque ſuperans, fuiſse talis naturæ, ut prudens ambigendi cauſa relicta ſit Eccleſiæ: ſignificarentne fruſtum duntaxat panis, an Corpus Chriſti Domini realiter præſeos? Neque rurſus ſubjicere vales; niſi parum aptè, eos non penetraſse Chriſti Dnmini ſenſum verum, intentamque ab eo ſignificationem: ſiquidem compertum nobis eſt, illos exiſtimaſse, daturum Chriſtum Dominum carnem ſuam fidelibus membratim; aut minutim conſciſsam, ut Patres, & notanter Auguſtinus tract. 27. in Joan. monent; ergo & errare potuerunt in ſenſu ipſo percipiendo, realem Corporis, & Sanguinis præſentiam rati, quæ duntaxat figurata prædicebatur. Contra enim: quoniam ſignificatio præſentiæ realis Carnis, & Sanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini erat manifeſta, captu facillima, & nullius, etiam rudiſſimorum, ambiguitati expoſita; modus autem exiſtentiæ ejuſdem corporis, & ſanguinis erat, ut eſt, ſupernaturalis, ſubliміſſimus, & exuperans naturales vires intellectus, etiam Angelici. Ergo ex eo quod ſecundum hnc minime intellexerint, qund nec ab Angelis naturali lumine percipi valet, ineptiſſimè deducitur, eos neutiquam penetraſse illud primum, omnibus quantumvis pinguiſſimæ rationis, & Minervæ, carnalibuſque obvium.

Sic Berengarius etiam dum primo errore voluit explodere præſentiam realem, & introducere ſnlam ſiguratam, præſupponebat, Doctrinam Orthodnxam adſtruere Chriſtum Dnminum, dum ſumitur à fidelibus, dividi, dilaniarique, ut Capharnaitæ cngitarant: arguebatque, quod licet Corpus Chri-

ſti Domini eſſet altius Turri Andegavenſi, neutiquam extitura jam, vel ruinæ illius veſtigia, ſed devoratum neceſſariò, & ex integro ſinitum jam fore corpus morſibus frequentiſſimis fidelium minutim conciſum. Contr. 2. Quoniam ſicut manifeſtum eſt, illos per prima verba Chriſti Domini intellexiſſe veram realiter carnem, & ſanguinem; ita eſt manifeſtum, eos non percepiſſe immediatè ex præfatis verbis modum, quo daturus eſſet ſuam carnem ad manducandum, cum relata prima verba nihil plane exprimant circa modum; Ergo aliunde id intulerint; ex conſueto nimirum uſu manducandi carnem minutim conciſam; cum ex alia parte non crederent, illum eſſe filium Dei potentem modum alium excogitare ſublimiorem. Quòd igitur erraſſent in hoc ſecundo ex incredulitate ipſorum deducto, neutiquam probat, aberraſſe in primo ex verbis ipſis Chriſti Domini immediatè hauſto, cum ſit prorſus impoſſibile, cunctos aberraſſe à ſenſu perſpicuè in verbis contento; è converſo autem impoſſibile fuerit, eoſdem non deviaſſe à vero ex ſuppoſitione, quod nec illum putarent Deum, nec ſaltem habentem omnipotentiam paratam ad alium ſupernaturalem cibandi modum per indiviſibilem & vivam exiſtentiam Corporis Chriſti Domini. Contra 3. Quia primum illud intellexiſſe clariſſimè liquet ex Evangeliſta in productis verbis: hoc autem ſecundum pœnitus ignoraſſe, & in abſurdiſſimam, prorſuſque materialem ſignificationem detorſiſſe, colligitur etiam ex Evangelio ipſo; cum ideo eos defeciſſe teſtetur; & aſſeritur ab omnibus tum Patribus, tum Interpretibus Sacris, tum etiam ab eiſdem Sacramentariis. Falſa igitur, & iniqua illatione ex hoc ſecundo intelligentiæ defectu colligeretur primus ille. Nullus ergo ſimilem conſecutionem inferre valet ex præſato defectu in Capharnaitis; ſed ex defectu ſinceritatis in ſeipſo: ex defectu alicujus alterius reſponſionis probabilis, & re ipſa ex aliquo ſimul defectu pudoris.

Num. 18. Confirmatur; quia ſi Chriſtus Dominus ſolam imaginem, ſignum, aut figuram corporis ſui promiſiſſet, dum vidit commotam plebem, concitatoſque, ſapientium auditorum etiam, animos, eo quod crederent, illum carnem (& ſanguinem ſuum) realiter phyſicèque diſtribuendam in cibum, miniſtrandamque fidelibus ſuis, deſtinaſſe; debuiſſet confeſtim illos ab ejuſmodi errore extrahere, ſuamque mentem, & promiſſionem ita exponere, ut conqueri juſtò nunquam poſsent, ſe fuiſse deceptos; quod nullo negotio aſſequeretur, dicens, ſe nullo pacto locutum de manducatione materiali ſui corporis; ſed de manducatione per ſolam fidem, nec de præſentia reali Corporis, & Sanguinis ſub accidentibus, ſed de purè figurata: ad quod teneretur de jure, cum videret populum planè deceptum, & inculpatè; quia verba toties inculcata id per quam diſertè ſignificabant, vel ſaltem ex charitate infinita erga nos ad hoc teneretur. Quemadmodum illico ac vidit plebem, & rcliquns auditores errare quoad modum illius manducationis, potationiſque exiſtimantes illam futuram ſub ſpecie externa carnis in fruſta dividendæ, & ſub ſpecie propria ſanguinis hauriendi; erroneam hanc exiſtimationem eliminaturus dixit: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus, & vita ſunt.* Carnem quidem meam manducandam exhibiturus ſum, verum non eo carnali, quò putatis, modo, quia ad inſtar ſpiritus adero præſens indiviſibiliter ſub ſpeciebus panis, & vini ad nutriendam animam, non corpus: proindeque adero præſens realiter modo excutiente pœnitus horrorem, ſed alliciente potius, & excitante animæ appetitum; quoniam Cibus eſt animarum Corpus meum ita ſumptum, & non cibus materialis corporum quò reſpexit Tertullianus, dum in libro de carnis reſurrectione cap. 8. dixit: *Caro Corpore, & Sanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur*: Quapropter impoſtores habendi ſunt, qui ex eiſdem verbis conantur elicere, Chriſtum Dominum per illa ſenſum tropicum inſinuaſſe, duritiamque ſuæ doctrinæ, ut pravè ab auditoribus uſurpatæ, emolliſſe; cum manifeſtum ſit, illa, eò tantum reſpexiſſe, ut modum quo manducatio illa fieri deberet, exponeret, alienumque à carnali devoratione vivæ, aut emortuæ carnis, in propria ſpecie apparentis, inſinuaret; cum examuſſim, & apertè oſtendere myſterium adeo ſublime, ob exiguam, vel etiam pravam auditorum diſpoſitionem, minime poſſet: imbecillis namque tunc eorum capacitas ſuſtinere nequibat tanti miraculi, & Myſterii pondus, ut in ſimili dixit Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis, & Paulus in re noſtra ad Hæbreos 5. Id quod vel ex eo convincitur, quod poſtquam eos litigantes de re hac audiret, ſemper nihilominus inſtitit, & ſanè tunc efficacius, in ſua realiter carne, & ſanguine promittendis: *Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filiis hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ultima ergo illa verba non ſubſtantiam promiſſionis reſpiciebant, ſed modum. Inſuper totus fuit ibi Chriſtus Dominus in aſſeveratione vitæ æternæ, ut obtinendæ medio eſu carnis ſuæ, ut ſic doceret ſenſim eos, Carnem, & Sanguinem, quæ in pignus amoris Eccleſiæ relicturum ajebat, non ad vitam carnalem ad inſtar carnis pecudis alendam inſtitui, ſed ad vitam ſpiritualem, ſubindeque aliter ſumenda. Omitto plurimas circa objectionem hanc Theologorum reſponſiones, producendo ſolum Doctorem ſubtilem in 4. diſt. 10. q. 1. ubi machinationi huic ſatisfaciens, inquit: *Dico, quod Magiſter reſpondet in litera huic authoritati, & bene, quod nec Chriſtus, nec Auguſtinus exponens*

potent vult negare veritatem Corporis Chriſti, ſed quod non eſt in Sacramento ſic carnaliter, ſicut ipſi (Capharnaitæ) *intellexerunt, qui abierunt retrò, ſcilicet viſibiliter in forma propria, ſed per oppoſitum ad iſtum modum intelligendi eſt ibi ſpiritualiter, & intellectualiter: & hoc eſt quod dicit Auguſtinus, & Magiſter adducit, & eſt de conſecrat. diſt. 2. ipſum quidem, & non ipſum corpus, quod videbatur, manducatur: ipſum inviſibiliter, non viſibiliter. Iſto enim modo de Euchariſtia diffuſe pertractatur à Paulo 1. ad Corinthios cap. 11.* Qui his non acquieſcit, acquieſcere non vult, ſed moveri omni vento doctrinæ. Veritatem hanc firmat inſigniter opinio, quæ primis Eccleſia ſæculis invaluit inter Gentiles de feritate Chriſtianorum, deſæviente in illos perſecutione tanquam in carnivoros: eo quod convenirent antelucanis temporibus ad æſum humanę Carnis, ſive infantis trucidati, & veluti ad epulas Thyſtæas, cum Deum ſuum comederent. Id conſtat ex Apologia, quam ſcripſit Athenagoras ad Imperatores Romanos, & ex Apologia S. Juſtini: ex Tertulliano in Apologetico, & ex propè omnibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Quin & ejuſmodi calumniam ex perfidia Judæorum natam fuiſſe, teſtatur Origenes lib. 5. contra Celſum, dicens: *Judæi Chriſtianæ doctrinæ exordio, ſparſerunt rumores, quod ejus ſectæ homines mactati pueri carnibus veſcerentur.* Adeo certum eſt, Judæos veram carnem intellexiſſe per eam promiſſionem, quam dicebant pueri, quia ad exiguum in Sacramento redacti. Erat igitur fama vulgatiſſima, & quidem ex confeſſione plurium Chriſtianorum vi extorta, illos manducare Chriſtum Dominum realiter præſentem; quamvis aberraret fama ipſa in modo, & deturparet veritatem horrore cruento, ut eſſet locus odio.

Num. 19. Ex eorumdem ſectariorum erroribus conficio tertium argumentum: omnes namque Sacramentarii docent Chriſtum Dominum in Euchariſtia manducari ſolum per ſidem: eaque fidei manducatione eludere putant locutiones ſacræ ſcripturæ quantumvis luculentiſſimas. Peto autem ab eis, in ſide cujus rei aut Myſterii edant Chriſtum Dominum, ſive ejus carnem, bibuntque ejus Sanguinem? In ſide præſentiæ realis ipſius in altari? Ergo nobiſcum ſentis, qui illam firmiter credimus: vel fidem tuam reddis fallacem, deceptricemque cum ſit ſides præſentiæ realis in Euchariſtia quę quidem (apud vos) non reperitur. In ſide Paſſionis Chriſti Domini, Incarnationis, aut ſeſſionis ad dextram Patris? Ergo non ſolum in templo ubi communionem accipis, ut jactas, verum & in Plateis, in foro, in lecto, ſemper ac recolis memoriam paſſionis, aut Incarnationis, vere communicas, (ut ſic verum efficias illud Auguſtini, quo abuteris: *Crede & manducaſti*): quod nugatoriè admodum, diceretur nam exterior illa panis manducatio ad nihil per ſe deſervit, aut conducit, niſi ad hoc, ut ejus occaſione per ſidem paſſionis, aut præſentiæ realis in Cœlo, Chriſtum Dominum ſpiritualiter accipias; ſed quavis alia occaſione arrepta poteris eodem modo elicerę actum fidei circa eamdem præſentiam, aut paſſionem; ergo pariter extra communionem potes per ſidem communicare.

Si reponas, materialem illam panis manducationem eſſe planè requiſitam. Contra: quoniam ibi formalis adæquata ratio manducandi Chriſtum Dominum ſupponitur à te per ſidem, manducatione ſe habente prorſus occaſionaliter; cum ergo aliunde adſint quamplurimæ aliæ ejuſmodi occaſiones ad excitandam ſidem illam, neceſſario aderit communio formaliter; itaut quamvis permittamus, requiri ſenſibilem materialem excitationem, non eſt, cur ſit potius hæc, quam illa. Quinimmo, & avara, parumque benigna foret reſtrictio ad unam, cum per innumeras alias vias excitari poſſit actus ille fidei, & bona communicantium propria nobis impertiri. In ſide illius panis, & vini ſeparatim benedicti, tanquam ſigni, imaginis, aut figuræ paſſionis Chriſti Domini aut præſentiæ realis Corporis, & Sanguinis? Ergo dum Euchariſtiam reverenter accipitis, ut media illius ſumptione mentem ad Chriſtum Dominum dirigatis, re ipſa adoratis imaginem aliquam repręſentantem Chriſti Domini Paſſionem, aut ipſummet Chriſtum. Ubi ergo horror ille cultus imaginum, aut figuræ repræſentativæ Chriſti Domini, quam tantopere cum Calvino lib. 1. inſtit. averſamini, tanquam idolatriam puram, & à fucata turpium Deorum religione emendicatam? Recole producta ſupra verba ſeptimæ Synodi Generalis act. 6. ubi ſectarios illius ævi redarguit ſtrenuè, eo quod imaginum cultum reſpuerent, & dum illum obſcurare ſatagerent, *aliam ſcilicet imaginem* (in Euchariſtiam) *introduxerunt: quæ non eſt imago, ſed Corpus & Sanguis.* Sic removere nequeunt Euchariſtiæ veritatem, quin offendant in aliam ſibi duram rupem.

Num. 20. Quarto ex doctrina vobis etiam nota, & in ſcripturis ſæpiſſimæ repetita figurarum veteris teſtamenti adumbrantium Euchariſtiam. Manna ſiquidem illam præfiguraſſe liquet ex eodem loco Joannis cap. 6. fatenturque veſtri ſcriptores: ita & Agnus Paſchalis: panis & vinum Melchiſedechi, Panes propoſitionis &c. De quibus omnibus Exodi 12. Exodi 16. Exodi 25. Pſalm. 109. 1. Reg. 21. Jam vero celebres ejuſmodi figuræ, & umbræ futurorum, quarum meminit ſæpiſſime Paulus in Epiſtola ad Hæbreos, nequaquam erant, nec eſſe potuerunt umbra umbræ, & figura figuræ; ſed umbræ reſpondebant Corpus, figuræ res, ſeu veritas. Tum quia oppoſitum, & ridiculum, & inane, & in reliquis figuris, quibus lex Evangelium præſignabat, egregie falſitatis convictur. Tum qui umbra deficit, adventante corpore; figura, adveniente veritate; ſed omnes illæ Euchariſtiæ veteres figuræ diſparuerunt per Euchariſtiæ adventum, & quidem formaliter, & directe, quia illa

 in-

inſtituta eſt, ut ex eorumdem adverſariorum teſtimonio claret, & orthodoxa fides ab eiſdem iu re hac credita docet. Ergo in Euchariſtia adeſt corpus illius umbræ, & veritas multiplicis figuræ legis antiquæ; ſin aliter deficeret, quin à ſuo contrario pelleretur, fieretque ſola figurarum, quaſi ejuſdem, aut parum diverſæ, ſcenæ commutatio, Theatrum potius concurſans, quam Evangelium. Quamquam enim interdum figura vetus aliqua adumbrare poſſit Myſterium legis gratiæ, quod ſimul ſit figura, aut imago Cœleſtium; ſemper attamen rem, & ſubſtantiam, veritatemque aliquam includit, ratione cujus verè & ſolidè figuretur, potiuſque intelligitur figurata per ſe primo ut res, quam ut figura. Reperiuntur quidem ſigna ſignorum, ut docuit S. Auguſt. libro de Magiſtro cap. 4. & lib. 2. de Doctri. Chriſtiana cap. 3. ac proinde figuram figuræ. Verum reſpectu diverſorum duntaxat, ut notat S. Tho. 3. p. q. 48. art. 3. ad ſecundum & in quartum diſt. 8. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad primum, itaut ſub una ratione ſit ſignum, & ſub alia ſignatum ſpecificative. Sic ſpecies ſignificant Corpus Chriſti Domini contentum ſub illis; ipſum vero Corpus eſt ſignum gratiæ, ſive effectus per Euchariſtiam conferendi. Alioqui ſigna reflexa vel ſunt ineptiſſima (fatentibus Adverſariis etiam) vel non ſunt ſtricta ſigna ſigni, ſed ſigna ſignati. Quemadmodum imago imaginis eſt re ipſa imago imaginati, facta ad æmulationem primæ imaginis. Vel ſubſtituuntur tantum pro alio, ſicuti literæ apud plures ſupponunt pro vocibus, & ſignificant conceptus, & res.

Quamobrem dum Apoſtolus ad Hæbreos 10. dixit: *Umbram enim habens lex futurorum, non ipſam imaginem rerum*, per imaginem intelligunt ſæpiſſimè Interpretes cum Chryſoſtomo veritatem, vel, ut Syrus legit, *ſubſtantiam rerum.* Niſi velles, nonnullas figuraſſe immediatè, & directè ſimul res aliquas Cœleſtes ſignificaſſe; verum illę neutiquam defecere immediatè, eo quod advenerit ſimilis alia figura per Evangelium adducta, ſed indirectè quatenus per Evangelium pulſa fuit lex vetus, qua cadente, & ejuſmodi figuræ inhærentes ipſi perierunt; dum vero myſterium futuræ Eccleſiæ militantis figurabant, directè ſolum per veritatem figuratam deficere poſſent. Tum quia res figurata ſemper ex natura rerum eſt Nobilior figura; ut eſt compertum, colligiturque delucidè ex Apoſtolo eo cap. 10. ad Hæbr. ubi ſupponit umbram, ſeu figuram imperfectam, figuratam verò deducens omnia ad perfectionem; idemque ſupponit 1. ad Corint. c. 10. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*; at eſt plane evidens, manna futurum Cibum perfectiorem Euchariſtia, ſi ſub ſpeciebus non adſit Chriſtus Dominus realiter pręſens, cum fuerit panis Cœleſtis, panis Angelorum, multis qualitatibus ſaporis imbutus: pariterque Agnus Paſchalis, cum eſſet vivens ſenſitivum, animalque perfectum, ſuperans idcirco longo intervallo panem, & vini liquorem. Ergo Euchariſtia continet realiter ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Conſule Cardinalem Bellarminum de Sacr. Euchariſt. cap. 4. & poſt illum, ex illoque Perticam de militante & triumphante Eccleſia lib. 9. diſp. 1.

Dices: Euchariſtia eſt repræſentatio Sacrificii Crucis: ergo juge ſacrificium antiquæ legis, quod repræſentabat Sacrificium Altaris, erat repręſentatio repręſentationis. Contra: quia Sacrificium Altaris non eſt tantum repræſentatio Sacrificii cruenti; ſed inſuper verum, & ſtrictum in ſe ſacrificium ut nos fide credimus. Subinde juge antiquum nullo pacto erat repręſentatio purę repręſentationis, ſed repręſentatio Sacrificii veri, & ſimul repręſentantis aliud. Occurrit Petrus Martyr in defenſ. de Euchariſt. cap. 3. dicens: & illas veteres fuiſſe figuras, & Euchariſtiam eſſe figuram; cæterum antiquas illas fuiſse caducas, utpotè quæ ſpirare debuerunt. veniente Euchariſtia; hanc autem perſeveraturam uſque ad finem Mundi. Contra tamen 1. Quia exinde eruitur potius aſſertio noſtra, eo ipſo namque quod Euchariſtia debeat perſiſtere, & ejus figuræ debeant per ejus adventum interire, arguitur illam continere corpus, & veritatem earumdem. 2. Quod vita unius figuræ ſit longęva, alterius autem brevior, nequaquam vitat abſurda à nobis objecta; repertaque in figura nudæ figuræ; eſt enim circumſtantia externa nihil labefactans virium noſtrarum. Tertiò. Sicut Euchariſtia duratura eſt uſque ad finem Mundi; non ſic autem figuræ; ita figuræ cęperunt una cum Mundo in lege naturali: quia ſicut Agnus occiſus dicitur ab origine Mundi, ita dici poteſt immolatus in altari à Mundi origine: Et aliunde neſcimus etiam, cujuſnam illarum futura ſit major duratio, cum Chriſtus Dominus venerit circa finem temporis, vel circa dimidium, juxta diverſas Emphaticas locutiones.

Reſpondet ſecundo: Euchariſtiæ adjuncta fuiſſe verba longè magis expreſſiva, quam pręcedentibus figuris. Sed contra: Quia ſi pręſatæ umbræ figurabant majorem illam claritatem, qua verba conſecrationis ſignificant apertius Corpus Chriſti Domini; cum illa evidenter exprimant ipſum præſens, ejus præſentiam à fortiori figurabant. Si autem illa nullatenus præſentiam realem Chriſti ſignificare dicas, profecto clariora non ſunt figuris veteribus, ſed obſcuriora, cum vos ipſi neſciatis quam ſignificationem habeant, diviſique in tot aberrandi modos, tenebras palpare videamini. Si tandem reſpondeas: figuras illas non repræſentare Euchariſtiam, ſed Corpus Chriſti Domini, ipſumque Chriſtum Dominum vel paſſum, vel in Cœlo exiſtentem; turpem fugam capis, tuoſque deſeris, apud quos exploratum eſt, antiquas illas, quas tetigimus, figuras, Euchariſtiam ipſam deſignare, ſeu Corpus Chriſti Domini, ut manducandum, & Sanguinem ut bibendum.

Nu. 21.

Digitized by Google

Num. 21. Quinto evincitur veritas hæc ex ingentibus miraculis & ſignis, quin & portentis, in ejus confirmationem à divina impotentia omni ævo patratis, pro quorum irrefragabili veritate adi S. Chryſoſtomum lib. 6. de Sacerdotio, Cyprianum de lapſis, Nazianzenum in orat. de Gorgonia, Gregorium Magnum lib. 2. dialog. cap. 24. Optatum Milevitanum lib. 2. contra Donatiſtas, Proſperum, D. Bernardum in vita S. Malachiæ, D. Thomam aureo opuſculo 58. S. Paſchaſ. libro de Corpore, & Sanguine Domini cap. 12. Guizmundum Algerum, Nicephorum lib. 13. Hiſtor. cap. 7. Sozomenum lib. 8. cap. 5. Garezium, Coccium, Doct. Eximium, & alios frequentiſſime, tam hiſtoricos, quam Interpretes, & Scholaſticos. Miracula autem fieri à Deo in confirmationem falſæ doctrinæ non minus impoſſibile eſt, quam ſit mentiri Deum. Quod vero ejuſmodi miracula minime credantur, cum Sanctiſſimorum, ſapientumque agmine, & teſtimonio nimis credibilia facta ſint, contingere valet, ubi incredulitas obſtinatur; evenire attamen minime poteſt, niſi ſimul teſtimoniis Dei nimis pariter credibilibus fides denegetur.

Sexto: Cur tanto ſtudio Eccleſia antiqua celatum voluit Catechumenis, præſertim nondum Electis (vel ſaltem Competentibus) ſecretum Euchariſticum, ut notum eſt Sapientibus, conſtatque ex Ambroſio Epiſt. 33. ad Marcellinam, ex Theophilacto in Dialogo *Inconfuſus*, ex Baſilio, Nazianzeno, utroque Cyrillo, Auguſtino ſepiſſimè, & Tertulliano, ſi purum ſignum eſſet Corporis, & Sanguinis Domini: cum aliunde, dum Catechumenos inſtrueret, ipſis panderet Incarnationem Verbi Divini, & Paſſionem Chriſti Domini, per ſigna illa commemoratam? Eſt ne profundius, aut creditu durius merum ſignum externum, quam myſterium ſignatum? Latere igitur credebat Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem ſub ſpeciebus; quod eſt arcanum creditu difficillimum (& propterea magnum fidei myſterium meritò appellatum) & meritò à notitia, & conſpectu nondum initiatorum ſemovendum. Conſulatur Martinon. de ſacr. Euch. reſp. 7. ſect. 4.

Septimo arguo ex eorumdem ſectariorum doctrina ſecum aperto marte pugnante: porrò ut præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia removeant, objiciunt abſurda bilocationis ejuſdem Corporis, quam reputant Chimericam. Impoſſibilitatem exiſtentiæ Corporis perfectæ ſtaturæ intra brevem circulum Hoſtiæ. Contradictionem, quam jactant manifeſtam, in eo quod corpus quantum ſit in loco, quin exiſtat modo quantitativo, & extenſo. Iiſque quamplurima ſimilia, quibus gloriantur, & acclamant victricem errorem ſuum. Ex alia vero parte, quia Catholicorum ratiociniis nimium urgebantur tum in hoc, tum in aliis dogmatibus, ſtatuerunt in ſua confeſſione Gallicana art. 5. ſtandum nullo modo humanis rationibus, ſed Verbo Divino infallibili, illique cœco ſtudio, & animo inſiſtendum. Qua ergo conſequentia hoc decernitis, miſeroque & rudi populo prædicatis; & ſimul in ſubjecta materia humanis Philoſophiciſque rationibus, tamquam armis irreſiſtibilibus in fidem præſentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini irruitis? Superſunt tamen propè innumerabilia alia argumenta ineluctabilia apud Divum Thomam, Bellarminum, Valentiam, Becanum, Cardinalem Perronium, Doctorem Eximium, & alios.

Date igitur manus, non jam nobis, ſed veritati, à qua vinci genus glorioſum victoriæ eſt. Non palpatur quidem phyſicè immediatè præſentia Chriſti Domini, ſive ejus Corpus præſens realiter; illius tamen præſentiæ veritas palpabilis eſt, ſitque ex principiis fidei, Catholicorum argumentis. E quibus unum è duobus redditur planiſſimum, aut Chriſtum Dominum videlicet voluiſſe decipere Eccleſiam ſuam; aut adeſſe realiter ſub ſpeciebus panis, & vini. Hæc eſt vena aquarum viventium, quibus Sancta Eccleſia indeſinenter irrigatur, ſovetur, floretque; ſed miſeri! Reliquiſtis venam hanc, & fodiſtis vobis ciſternas diſſipatas, quæ continere non poſſunt aquam vivam. Recolite, peramanter quæſo, Sanctorum Patrum, maxime Ambroſii, Auguſtini exclamationes in contemplatione hujus maximi arcani, (converſioneque ſubſtantiæ panis & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini;) in qua miraculorum profluvium demirantur, & uſque ad ſtuporem commendant, quaſi vires ſuas omnes atraheret conatu immenſo ad brachium ſuum omnipotentia, ut tantum opus efficeret. Quamobrem Dionyſius Alexandrinus Epiſt. adverſus Samoſat. exponens Illud Exodi: *Ne os illius confringatis*, inquit: *atqui prohibebatur illis hoc, ut nec toto irrationali veſci eis permitteretur. At vero qui ſeipſum exinanivit* (in Euchariſtia) *Chriſtus Jeſus habens in ſe caput Patrem, fecit potentiam in brachio ſuo, & exaltavit humiles, ut in eis capi poſſet Altiſſimus, & habitare in nobis, propter ſuam, qua dilexit nos, benignitatem, ac bonitatem*. Quorſum autem ſtupor hic, ſi nihil aliud in Euchariſtia reperitur, quam merum ſignum ad placitum in fruſtro panis, & exigua vini quantitate ſitum? Vis (impie tamen velles) in re tanta parturire montes? Heu quantum deſipit, quamque præceps agitur, qui ſemel à fidei ſcopo aberrare cæpit!

§. III.

Num. 22. VERUM quid ineffabili hoc præſentiæ realis, & Majeſtatis fulgore, quamquam velato, contendit Amor? Illum induxit, ut vidimus ſupra; ad quos tamen fines, effectus, fructuſque decerpendos, modo raptim inſinuandum nobis ſupereſt. Præſertim cum hujus temporis ſectarii, dum ejus exiſtentiam repugnantem efficere nequeunt, ut tentant, inutilem prorſus dicere audent, ubique impudentiſſimè jactantes, ſolam figuratam præſentiam eſſe

ſuffi-

NAZ. ROMA

Digitized by Google

ſufficientiſſimam ad cauſandos omnes illos effectus, quos realis peperiſſet, (adeo fæcundas credunt impietatis ſuas adinventiones). Charitas itaque ſumme rationalis, dum præſentiam realem ſubſtantialem diſponebat, neceſſario deſtinabat illam ad effectus glorioſiſſimos, inſolitos, & ſtupore ſummo demirandos; aliaque via ægre aſſequibiles, in quos fixis oculis intendebat, dum illius inſtitutionem parabat. Et quidem ejuſmodi effectus talis naturæ ſunt, ut in plures diviſi à ſingulis ex integro percipiantur. Unde quod Plutarchus in libello de amicitia in plures diſtributa monuit: quòd ſcilicet, quemadmodum flumina in multos partita rivos, lentiorem, pauperioremque in ſingulis curſum habent; ſic amor, tametſi vehementiſſimus, in plures diſperſus, & in varios effectus diviſus, caleſcit minus in ſingulis. Hoc, inquam, procul abeſt à miraculo amoris Chriſti Domini, quippe qui ex integro totus ſingulis communicatur per ſui explicationem, nec effervet minus in quolibet ſeorſim effectu, quam ſimul in cunctis, atque adeo totus fluvius in quolibet rivo adeſt. Supponendum tamen in limine, potiſſimum finem, effectumque inſtituendi ejuſmodi arcanum, ſicuti, & aliorum operum Dei, eſse manifeſtationem divioarum perfectionum, & Dei gloriam inde ſecutam: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Proverb. 16. Idcirco à S. Ignatio Martyre Epiſtola 14. appellatur Euchariſtia *gloria Dei.*

Neque aliter vividius aſsecutio hujus finis innoteſcit nobis, quam per comparationem, & veluti pugnam inter Incarnationem, & Euchariſtiam, ioſtitutam à Chryſoſtomo, a Doctore Seraphico, & aliis Patribus, egregia utrimque allegatiooe illas de re hac mutuò certantes repræſentantibus. *Sed ſi comparentur*, inquit Seraphicus Doctor in 4. diſtinct. 10. part. 2. artic. 1. quæſt. 2. io cooclusione; *ad manifeſtationem factam per effectus, judicandum eſt, quod ſe ſe habent, ſicut excedentia, & exceſſa: licet enim utrumque ſit nobiliſſimum, & oſtendat Dei potentiam eſſe ſummam, in illo tamen* (Incarnationis Myſterio) *magis laudatur Majeſtas Divina, & in hoc* (Euchariſtiæ, & poteſtatis illam conficiendi) *Magis ſe captivat ratio noſtra*. Exceſſum tamen, quem ſupponit ex parte Incarnatioois in ordine ad præfatam manifeſtationem, ſitum eſſe docet in eo, quod in Incarnatione fuerit Chriſtus Dominus realiter productus, non ſic autem, dum ſiſtitur in Euchariſtia; unde ſi ibi denuò produceretur, ut quamplures Theologi opinantur, foret in ordine ad prædictum finem excedens Euchariſtia, & non exceſſa, apud ipſum. *Nam Corpus Chriſti* (ſubjungit ibidem ad primum) *in conſecratione non fit, quodſi fieret, tunc utique bene concederem rationem.* Quid igitur ſentiendum modo, dum communis hac tempeſtate ſententia, celebriſque, aſſeverat, neutiquam poni Chriſtum Dominum in Euchariſtia per actionem purè adductivam, ſed per vere productivam, aut reproductivam ipſius? Præſertim cum ultra miram eam productionem, & ultra modum exiſtendi ſupernaturalem, interveniant tot alia prodigia, ut non jam miraculorum Epitomen, ſed Oceanum dicas, ſolutis omnipotentiæ velis arandum ſemper.

Num. 23. Ut autem omnipotentiæ aliarumque perfectionum Dei manifeſtationem exprimam, regredior ad Doct. Seraphicum, qui eadem diſtinctione parte prima art. 1. quæſt. 1. figuratam ſolum præſentiam, ejuſque Authores deteſtatus, inquit: *Sed iſte error peſſimus, & contra pietatem fidei, quæ tantum ſibi beneficium à Deo datum recognoſcit, & gratias agit, quod in carne ſua, & in natura propria nobiſcum ſit; eſt etiam contra Sacramenti dignitatem, & excellentiam, in qua relucet Divina omnipotentia, & ſapientia, & bonitas altiùs cæteris Sacramentis. Unde cætera Sacramenta excellit, & quaſi conſummativum eſt aliorum omnium, ſicut charitas omnium virtutum. Primo igitur hic manifeſtatur Dei omnipotentia in operis ſingularitate. Cum enim Panis in Chriſti Corpus verum, & integrum in multis altaribus convertitur, nullo remanente communi, & ſubjecto, oſtendit ſe Deus hoc poſſe ſupra omnem potentiam operativam in converſione: ſupra imaginativam, in hoc, quod idem eſt in pluribus locis: ſupra intellectivam in hoc, quod tam magnum, & integrum in tam parva ſpecie facit exiſtere non contractum.*

Pariter, & luculentiſſime Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 1. art. 8. dum numerum articulorum fidei ab Eccleſia conveuientiſſimè ſtatutum expendit, abſolute profert ad ſextum, Euchariſtiæ ſecretum revocandum eſſe ad omnipotentiæ articulum. *In Sacramento Euchariſtiæ*, ait, *duo poſſunt conſiderari, unum ſcilicet, quod Sacramentum eſt, & hoc habet eandem rationem cum aliis effectibus gratiæ ſantificantis, aliud eſt; quod miraculosè ibi Corpus Chriſti continetur, & ſic concluditur ſub omnipotentia*. Quin & S. Gregorius Niſſenus tract. 1. io Pſalm. cap. 8. expooens illa verba Geneſis: *De omni ligno, quod eſt in Paradiſo &c.* Euchariſtiam vocat *omnipotentem cibum*: ita ut non modo fiat ab omnipotentia, ſed fiat etiam ipſe omnipotens. Pari jure pertinet ad bonitatem, eamque dilucidè monſtrat. Proptereaque S. Baſilius Epiſtola ad Amphilochum Canone 5. Euchariſtiam dicit *ipſum bonum*: ſicut enim nulla major excogitari valet communicatio, aut diffuſio ſui, quam exhibere ſeipſum per modum cibi nobis intimè copulandum, ut fatentur omnes; ita nullum majus adeſſe poteſt argumentum Divinæ booitatis, cum illa ſit eſſentialiter diffuſiva ſui. Id quod ſumma claritate nos docent verba Zachariæ cap. 9. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum: & vinum germinans Virgines?* Quaſi foret hæc diffuſionis ultimus terminus, ultra quem Divioa bonitas non poſſet ſuis communicationibus progredi, ut explicant ibidem Patres, & Interpretes, quem ſenſum habent quoque verba illa Gen. 27. verſ. 37.

Fru-

Digitized by Google

Frumento & vino ſtabilivi eum, & tibi poſt hæc, fili mi, ultra quid faciam?

Ex hac autem intima ſui communicatione intulit egregia illatione Chryſoſtomus Hom. 2. ad Popul. fine; nihil jam in poſterum negaturum fidelibus ſuis. *Qui enim*, inquit, *Sanguinem ſuum pro nobis effundi non recuſavit, & carnem ſuam, & ſuum ipſum ſanguinem nobis communicavit, nihil pro ſalute noſtra recuſabit*. Eiſdem argumentis, ex eademque vena, clareſcit, declaraturque mundo largitas, & beneficentia, velut exercitium ejuſdem benignitatis: Ideo Clemens V. in Concilio Viennenſi, dixit: *Quam larga, & prodigia largitas, cum tribuit quis ſeipſum*: & S. Thomas in cap. 13. Joannis ait: *ſummus Divinæ liberalitatis gradus eſt, quòd dat homini Corpus ſuum in cibum, & in hoc eſt expreſſio ſummæ largitatis, & præcipui amoris*. Exinde autem ſponte ſua naſcitur oſtenſio dilucida miſericordiæ, cujus viſcera patent Mundo in Euchariſtiæ inſtitutione, etiam dum in illa Myſteria, & miracula cuncta deliteſcunt. Idcirco David arcanum hoc proſpiciens à longè pſalm. 110. cecinit: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe*. Neque propterea hærendum ulli eſt in attributo Divinæ Juſtitiæ, putans illius manifeſtationem locum obtinere neutiquam poſſe, ubi ſolùm reſpondeant Miſericordia, & Clementia; cum ſcriptum ſit ab eodem Regio Vate pſalm. 50. *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta &c.* Effuſio ſiquidem largiſſima ſanguinis, quam repræſentat & veluti renovat, Sacrificium Euchariſtiæ, tametſi incruentum, ſatisfactionem ex Juſtitiæ rigore pro hominibus factam includit, & exprimit, nobis teſtamento hoc legatam. In Cruce fudit pretium, quo empti ſumus, ut docemur prima Petri cap. 1. In Euchariſtia ſolvit, vel eſt quaſi ſacco paratus ad ſolvendum ex Juſtiria tam vetera, quam nova hominum debita. Præterquamquod nequit non emicare Juſtitiæ Divinæ attributum in arcano, ad quod accedens indignus judicium ſibi manducat, & bibit, ſubindeque vindicem juſtitiam devorat. In Sacrificio cruento fuit Crux ipſa Corporis Chriſti Domini ſtatera juſta; in Sacrificio autem incruento ipſum Corpus Chriſti eſt ſtatera juſti, & injuſti hominis.

Num. 24. Ecquid autem de ſapientia dicam? eſt ne, aut fuit unquam opus aliquod, artificium, aut inventio uberius explicans mirabile ſcientiæ Dei ingenium, artem, induſtriam (artificium enim nuncupatur a S. Paſchaſio exponente illa verba Math. 26. *Cœnantibus autem illis*)? Quis excogitare unquam poſſet novitatem adeo peregrinam, machinationem adeo raram, extra jactum intellectus humani, & Angelici ſepoſitam, media qua Chriſtus Dominus factus ſit realis hominum cibus nutriens, eiſdemque eo ipſo intime realiter conjunctus? Media qua inſuper cibus ipſe, Dei filius, convertat cibatum in ſubſtantiam ipſius cibi, ut aperuit ipſe S. Auguſtino? deduciturque ex verbis propheticis Iſaiæ 3. enunciantis: *Dicite Juſto*, ideſt Chriſto Domino, *quoniam bene; quoniam fructum adinventionum ſuarum comedes*. Hæc eſt menſa, quam ſapientia inſtituit, & in qua ferculum manu propria conditum appoſuit, Proverb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi Domum, excidit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam*. Cujus menſæ cibus eſt Sapientia ipſa; proptereaque adinſtar voluminis complectentis ſcientiam omnem oblatus pretioſus ille cibus Ezechieli 3. ut comederetur: *Comede volumen iſtud*: & ea ratione eſt panis vitæ, & intellectus, & ob eandem rationem etiam dixit Auguſtinus, fideles in hac menſa lumen manducare: & S. Chryſoſtomus Homil. 46. in cap. 6. Joannis, inquit; *Hic fons lucis eſt, fons diffundens radios veritatis. Huic ſupernæ adſtiterunt virtutes fluctuum ejus pulchritudinem inſpicientes, atque amplius illæ quam nos propoſitorum virtutem, & fulgorem intuentur.... Reſurgit enim vehementius igne fluvius, neque incendit, ſed abluit tantum quidquid comprehenderit*. Hæc eſt vera ſolis menſa, de qua veteres multa commenti fuere, in qua non modo lucem bibis, ſed hauris ſolem ipſum; ut ideo ſumma cum proprietate Aquilæ ad corpus hoc ſplendore veſtitum congregentur: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*. Hic eſt fructus arboris novæ ex duplici illa in Paradiſo poſita coaleſcentis, vitæ, ſcilicet, & ſimul ſcientiæ boni, & mali, quas in unam coegit Sapientia Divina: vetans quidem indignis eſum, & præcipiens dignè ſumpturis. *Arbor eſt vitæ*: ait S. Paſchaſius libro de Corpore, & Sanguine Domini: *Plantata in medio Paradiſi Eccleſiæ*. Quod Chriſtianus vates ſedulius expoſuit aptè, cum luſit: *Qui pereuntem hominem vetiti dulcedine pomi: inſtauras meliore cibo, potuque Sacrati Sanguinis infuſum depellis ab angue venenum*. Et Sybilla apud Lactantium libro 5. Divin. inſtitut. cap. 13. prædixit habitantes *Paradiſi æque per amænum hortum* (Eccleſiæ) *manducaturos dulcem panem de Cœlo ſtillato*. De oſtenſione autem attributi Sanctitatis per Euchariſtiam non eſt cur multa dicantur, cum notiſſimum ſit altare illud præfiguratum fuiſſe per Sancta Sanctorum, & ſic Euchariſtiam vocat Dionyſius Alexandrinus: & S. Cyprianus in libro de lapſis, *ſecretum* hoc eſſe, dixit, *Sanctum Domini*, & Concilium Laodicenſe canone 14. Sacrificium Euchariſticum appellat *myſteria tremenda, Sancta* & Math. 5. monuit Chtiſtus Dominus Sacerdotibus, *nolite dare Sanctum Canibus*, ut cum Chryſoſtomo exponunt omnes Interpretes. Ejuſmodi autem canes, dum Sanctum panem minimè edunt, vel ſcripto mordent, vel cum tacent (ut cum Perſio Satyra 3. loquar).

Rabioſa ſilentia rodunt.

Num.

Num. 25. Dum verò accingimur ad effectus ſeu fines utilitatis noſtræ concitato curſu delibandos, occurrit illico redamatio, tanquam primus Euchariſtiæ ab amore inſtitutæ ſcopus. S. Parens Auguſtinus diluvium ſanguinis à Chriſto Domino in Cruce pendente profluens appellavit *diluvium amoris*. Eodem plane titulo Sacrificium altaris, & Sacramentum Euchariſtiæ, diluvium pariter amoris dices, etiam dum arcam ipſum compellas: exundat autem in ſanctè accedentes ad menſam, ut ex illis refluat: nam qua alia via excitari poſſet acrius amor noſter, ſive redamatio, quam immenſo illo amore Chriſti Domini irritante vehementiſſimè noſtrum? Audi Sanctum Juſtinum lib. de Agone cap. 2. *Mirarit, proximus erat paſſioni, noverat quantas debebat ferre contumelias; & tamen ex hilaritate cordis ſe noluit continere, quin deſideriorum ſuorum æſtum exprimeret. Attendebat illorum commoda, propriis immemor ludibriis, pœnarum intrepidus, & de diſcipulorum profectu ſollicitus, atque amoris flammâ ſuccenſus, qualis latebat intus per oris apertionem manifeſtavit foris, ut ignem igne, & amorem excitaret amore*. En finem potiſſimum amantis hujus inſtitutionis, extorquere redamationem noſtram. Non abſimiliter S. Chryſoſtomus in Joann. 6. loquitur: *Quemadmodum fontes aqua ſcaturiunt, ſic & hæc menſa flammam quandam ineffabilem fovet*.

Neque ſolum haſce flammas accendit, & urget jam inſtitutum, ſed etiam dum promiſſum: quandoquidem Joann. 6. dum Chriſtus Dominus ejus inſtitutionem efficiendam vulgaret; abeuntibus retrò diſcipulis, ea cibi promiſsione ſcandalizatis, roganteque Chriſto Domino Apoſtolos, vellent ne, & ipſi abire? Petrus nomine omnium reſpondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei*. Quæ verba ponderans Chryſoſtomus hom. 46. in 6. Joan. ait, *Quanti amoris Verbum!* Redamatio itaque eſt primarius effectus, aut affectus in linea amoris, hujuſce ardentiſſimæ inſtitutionis. Secundus vero; fidei noſtræ robuſtum perpetuumque exercitium, aut ſtrenua probatio: nullibi ſiquidem validiùs ſenſibiliuſque luctatur fides cum ratione naturali, ſenſibuſque armata. Propterea inter reliqua, etiamſi altiſſima, ſimpliciter nuncupatur ab Eccleſia Arcanum hoc, *Myſterium fidei*, nihilque vulgarius apud Patres, quam fidei præſtantiam, & victoriam in ejus veritate firmiter monſtranda, commendare. Attamen in *Sylvam, ne ligna feram*, prolixus eſſe nolo in materia nimis obvia, & cunctis ferè trita. Cœterùm non prætermittam Balduini Archiep. Cantuar. verba ex tractatu ſupra recenſito, pugnam hanc graphicè deſcribentia. *Tentat autem Deus fideles, & electos ſuos, ut inveniat eos dignos ſe. Tentat, & fidem eorum, tentat ſpem, tentat, & dilectionem. Sed de fide nunc agitur, quæ multis modis tentatur, & in hoc Sacramento maximè ad probationem exercetur.... Volenſque* (Chriſtus Dominus) *probare fidem, & dilectionem ſuorum, quaſi quendam locum certaminum in hoc Sacramento poſuit, in quo exercentur quos probare voluit. In primis fides, & humana ratio compugnant; & hoc agitur inter eas, ut alter alteri oculum eruat: habet enim humana ratio oculum ſuum: habet fides ſuum*.

Pugnatur itaque atrociſſimè utrimque, & quamquam imparibus armis, quandoquidem ratio humana ſenſibus, velut copiis auxiliaribus, catervatim adjuta, apertiſque oculis concertat; fides vero, non clauſis modo, cœterum & velatis oculis, Triumphum attamen egit jampridem, & agit nunc de ratione, eamque captivam ducit ante Rhedam, ò cæcitatem oculatiſſimam, & viſu lynceo acutiorem! Qui velit igitur arcana profundiora rimari hujus ſecreti, minime conſulat rationem humanam ſejunctim, ſed fidem, nullibi ſapientiorem: *Ubi, ſi rationem quæris*, inquit S. Paſchaſius lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap. 4. *Quis explicare poteris, aut verbis comprehendere? Immò ſcias, quæſo, quòd ratio in voluntate Chriſti, ſcientia in fide, cauſa in poteſtate, effectus vero in voluntate*. Conſulatur etiam S. Chryſoſtomus homil. 83. in Math. ut de re hac profundiſſimè non ſit quærenda ſapientia, aut notitia in ſede rationis, ſed in Trono fidei, & unà in domicilio piæ affectionis.

Num. 26. Immeritò hic prætermitteretur noſtrum ſolatium, cum inter nobiliſſimos amoris fines, impellentes ad hujus maximi arcani inſtitutionem numerari debeat; præſertim cum ipſe dixerit Math. ultimo: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumationem ſæculi*. Quæ verba ſatis communiter uſurpant Patres, & Interpretes de præſentia Chriſti Domini in Euchariſtia. Unde Clemens V. in Concilio Viennenſi cap. unico de Reliq. & venerat. Sanctorum, ait: *In hac vero Sacramentali Chriſti commemoratione Jeſus Chriſtus præſens ſub alia quidem forma in propria tamen ſubſtantia eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in Cœlum dixit Apoſtolis: Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumationem ſæculi: benigna ipſos promiſſione confortans, quòd remaneret, & eſſet cum eis etiam præſentia corporali*. Ecquod autem majus, plenius, intimius, cogitari potuit ſolatium inter hujus miſeræ vitæ ærumnas, quam adire locum ubique vicinum, in quo poſſimus omni momento os ad os loqui cum Servatore noſtro, videri ab amato, noſtraſque ærumnas, calamitates, corda, & mala cuncta eidem immediatè aperiri, divinumque Emanuelem noſtrum ſalutare peramanter millies quotidiè; tametſi ab ipſo adſtante corporaliter, & gemitus noſtros phyſicè exaudiente, non reſalutemur ſenſibiliter, ſeu voce materiali, ſed locutione interna ſæpe, ope, conſilio, & ineffabili amoris illicio? Idem expreſſit S. Thomas noto, & miro opuſculo 57. *& de ſua contriſta-*

triſtatis abſentia ſolatium ſingulare reliquit. Quod ſumpſit ex S. Dionyſio cap. 1. de Cœleſti Hierarchia, docente: ſolamen Eccleſiæ Sanctum aſſervari in Euchariſtiæ adytis. Et ipſe Doct. Angelicus opuſc. 63. cap. 2. dixit: *Eadem humilitas incomprehenſibilem Dominum Majeſtatis coegit frequenter venire ſub ſpecie panis ad conſolationem fidelium in Sacramento*: Eſt namque Euchariſtia panis ille, & potius conſolationis (hauſtæ ex commemoratione mortis Chriſti Domini) de quo Jerem. cap. 16. *Et non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper Patre ſuo, & Matre.* Hæc eſt etiam illa *conſolatio abſcondita*, de qua Oſeas cap. 13. In Euchariſtia latent ubera ſuaviſſima deliciarum, quas Eccleſiæ militanti delibandas, & mox triumphanti ad plenum hauriendas pollicitus fuerat Dominus Iſajæ 66. *Ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* In Cœlo felix anima, & poſt reſurrectionem integer homo intrat in gaudium Domini ſui; hic autem gaudium Domini, & Dominus ipſe gaudens intrat in hominem.

Num. 27. Indubitatum rurſus eſt jugis Sacrificii gloriam cum Eccleſia militante duraturam, extitiſſe finem potiſſimum etiam inſtitutionis Euchariſtiæ; ita enim eſt Sacramentum, ut ſimul ſit Sacrificium Euchariſticum. Porro Sacrificium adeo per ſe requiritur ad exiſtentiam Religionis, ut nulla hactenus floruerit, adhuc fallax Religionis umbra, aut ſpectrum, abſque Sacrificio, ſicuti teſtatur Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. *In nullum nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum viſibilium conſortio colligentur.* Sumiturque ex Lactantio lib. 6. de vero cultu cap. 1. & colligitur ex verbis Pauli ad Hæbreos 7. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis translatio fiat*; & ex conſequenti, translato Sacrificio; ſiquidem duo hæc Sacerdotium, & Sacrificium mutuò convertuntur: ut probat Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 2. cum potiſſimum Sacerdotis munus ſit offerre Sacrificium. *Omnis Pontifex*, inquit Apoſtolus ad Hæbr. 5. *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Conſtat igitur abundè ex perenni gentium uſu: quippe quæ aliter non poſſunt in unum corpus, etiam politicum coadunari. Unde nec ſine Religione aliqua coire valent, nec religio adeſſe ſine Sacrificio. Jam vero cum Religio Chriſtiana perfectiſſima ſit, & ſanè ita, ut excogitari nequeat perfectior alia, à fortiori ejus Sacrificium eſſe debet perfectiſſimum, puriſſimumque omnium, & aliunde nullum eſſe valet par illi, in quo hoſtia ſeu victima eſt ipſe Chriſtus Dominus. In Sacramentis, ſeu Sacrificiis, ajebat Alexander Papa, & refertur in cap. *Nihil* de conſecratione: diſt. 2. *Nihil eſt majus Corpore, & Sanguine Domini.* Quapropter cum vetera Sacrificia omnia adumbraſſent pretioſiſſimum hoc legis gratiæ Sacrificium, cuncta illicò evanuerunt inſtitutione hujus ſuperantis illa longè plus, quàm corpus umbram ſui.

Ideo Euſeb. lib. 1. demonſtr. Evang. dixit: *Ceſſarunt Sacrificia animalium, quia jam venit victima pretioſa pro toto genere humano oblata.* Et S. Chryſoſtomus in pſalm. 95. *Omnia veterum Sacrificiorum nova ſuperveniens gratia uno complectitur Sacrificio.* Et S. Leo ſerm. 7. *Omnem differentiam hoſtiarum unius Corporis, & Sanguinis ſui complet oblatio.* Neque ſolum, ut victima, aut hoſtia foret ipſe, inſtituit ſublime hoc Sacrificium, verum etiam, ut eſſet unà Sacerdos ſummus æternuſque ſecundum ordinem Melchiſedech: *Idem Sacerdos, idem & hoſtia* clamat Sanctus Ambroſius 3. de fide cap. 5. & in Epiſt. ad Hæbr. cap. 9. *Ipſe ergo Sacrificium, & Sacerdos, & hoſtia eſt*: Eodem pacto loquitur S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 3. & lib. 10. de Civitate Dei cap. 2. ibi: *Chriſtus ipſe offerens, ipſe & oblatio.* Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. ſolus Sacerdos, Sacrificium, & Templum. Et in Liturgia S. Chryſoſt. *Ipſe eſt, qui offert, ipſe, qui offertur.* Tandem declaratur apertiſſimè veritas hæc in Lateranenſi Concil. ſub Innoc. III. *In qua Eccleſia idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium Jeſus Chriſtus*: quinimmo fungi Sacerdotio immediatè in altari ipſo per ſe, & directè, oſtendam ſuo loco; & hunc eſſe fructum eximium Euchariſtiæ inſtitutione intentum. Hæc eſt novitas illa, nec antea viſa, nec ab ullo excogitata, quæ rapuit in ſui admirationem, & laudem cælites omnes, & dein Prophetas, lumine infuſo proſpicientes, *has*, Mundo novas, Dei eſſe *fideles cogitationes antiquas* copulantes in unum ad gloriam Sacrificii Sacerdotem, & hoſtias. Pretium enim, & Majeſtas Sacrificii, non modo attenditur ex nobilitate victimæ, verum & ex majori dignitate Sacerdotis, ut elicitur planè ex illo Geneſ. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain vero & ad munera ejus non reſpexit.* Quem ſenſum intendiſſe videtur Apoſtolus Hæbr. 10. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit.* Ubi Rupertus in cap. 4. Geneſis cap. 2. *Fide plurimam, nam cultu, vel Religione parem uterque obtulit hoſtiam*: Neque enim decebat victimam illam jam immortalem alia principaliter manu cadere, niſi Divina, & propria, itaut de immolatione glorietur altius illo, cui fingitur dictum.

Æneæ Magni dextra cadis.

Num. 28. Deinde gratitudinem noſtram extorquet beneficentia hæc verè munificentiſſima; eſtque actio gratiarum ipſa, tam pro ſe, quam pro reliquis beneficiis, juxta illud Pſalmi 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam &c.* Hanc autem qualitatem ſibi

D intrin-

intrinſecam communicat dignè ſumentibus. Jure merito itaque Petrus Cluniacenſis contra Petrobuſianos ſcripſit: *Qui ab Eccleſia Sacrificium tollunt, hoc tentant, Dæmone ſuggerente, ut gens illa, quæ pluribus eſt à Deo cumulata beneficiis, minus grata illi ſit, minoremque cultum, & honorem illi tribuat*. Nam qua alia re, aut via ſublimiori rependere poſſumus dona nobis ex Divina liberalitate collata? Rurſus non duntaxat, ut Sacerdos, & hoſtia ſimul, in altari exiſtit, ſed inſuper tanquam Rex in Trono, è quo munia Regis inviſibiliter exercet. *Menſa Regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes; Ipſe Rex adeſt, & tu adſtas oſcitans?* inquit S. Chryſoſtomus Homil. 40. ad Populum Antiocheuum. Et rurſus. *Exercitum recenſet; tu ſub illius oculis ſtans rides?* Eandem Majeſtatem, & Regnum illi confert Homil. 61. & ſerm. de Euchariſtia io Enceniis: *Sic adſiſtite Deo, quaſi ad Terrenum Regem acceſſuri; multò magis cœleſti Regi cum timore adſtare oportet*. Et alibi ſæpe. Quin & Trident. ſeſ. 13. cap. 5. *Fide certi ſunt* (fideles) *ſe illum præſentem, licet ſpecie panis velatum adſpicere, qui ipſorum, ac totius mundi Princeps, ac Redemptor ſit unicus*. Eodemque pacto loquuntur ſæpiſſime Patres, inter quos Sanctus Bruno Aſtenſis Homilia in Domioicam 26. explicans verba illa Matth. 22. *Amice, quomodo huc intraſti? &c.* inquit: *Hoc enim dicere videtur eis, qui ad Chriſti Corporis, & Sanguinis Sacramenta indignè accedunt.... Tunc dicet Rex Miniſtris &c.*

Neque minori proprietate officium Judicis latenter ſubiit, cum pravè diſpoſitus judicium ſibi manducet, & bibat, ut teſtatur Apoſtolus, de quo interdum indignationis ſigna terribilia dedere vel ipſa accidentia, ut narrant Hiſtorici: nec mirum; nam ut refert S. Hilarius Amaſſiæ Epiſcopus in deſcriptiooe martyrii glorioſæ Virginis Euphemiæ, depingens eleganti penna tabulam, in qua penicillo ſtrenuè jam depictum videbat illius Agonem: *Sedet Judex Throno ſublimis, acerbo, ac truci vultu contuens Virginem; ars quippe in inanimi materia iraſcitur, cum lubet*; Quid igitur mirandum iræ argumenta oſtendi, ubi ſub accidentibus inanimatis latet animatus, & actu vivus Judex? Legatur S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. Chryſoſt., & S. Bruno in locis nuper allegatis. Quoniam tamen hujus veritatis feracíſſima ſunt omnia Patrum, & interpretum ſcripta, illam attigiſſe ſufficiat. Munus autem Paſtoris ita èxequitur, ut proprio cruore paſcat oves, deperditam quærat, alat, & paſtas regat, inſtruat, blandèque in gremio ſuo, dum in earumdem gremio recumbere videtur, foveat: *Ego ſum Paſtor bonus*: ait ipſe Chriſtus Dominus Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis &c.* Unde S. Chryſoſtomus Homilia 60. ad populum Antiochenum exclamat: *Quis Paſtor oves proprio paſcit cruore?... Ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat*. Similiter S. Fulgentius lib. 1. ad Traſimund. cap. 12. *Ipſe Paſtor, & ovis*: Poſſumuſque non incongruè Euchariſtiam dicere glorioſum illud ovile omnium ovium, quas unicus Paſtor, & paſcit, & nutrit.

Et ſanè officium hoc non metaphoricè ſolum, ſed in vero ſenſu aliquo ex Euchariſtia exercet, quod quia notiſſimum doctis, pariter inculcandum diutius non eſt. Uti nec Medici, Medicinæque, cum utriuſque veram rationem participet. Ideo à S. Ignatio Martyre Epiſt. 14. ad Epheſios: Appellatur Euchariſtia *Pharmacum immortalitatis, & omnia pellens mala*: A Synodo Tridentina ſeſ. 13. cap. 2. *Antidotum, qua liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur*: Sanctus Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 14. *ægrotos curat* (Euchariſtia) *colliſos redintegrat*, & ſicut *Paſtor bonus, qui animam ſuam pro ovibus ſuis ponit, ab omni nos eripit caſu*: Conſule S. Gregorium Niſſenum in ſermone Catechetico de Divinis Sacramentis. Chriſoſt. Homil. 4. in Matth. ibi: *Omnis morbus hoc remedio extinguitur*. S. Cyprianus in ſermone de Cœna (ſive vir alius, procul dubio doctus, & pientiſſimus) ait: *Medicamentum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens*. S. Auguſtinus ſermone de verbis Domini. S. Bernardus in ſermone de Cœna Domini, & de Sacramento altaris: D. Thomas 3. parte quæſt. 79. art. 6. & innumeri alii Patres, & Theologi: Id quod innuitur etiam Eccleſ. 38. *Da ſuavitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum Medico*.

Obſervandum attamen, alibi extra rem præſentem, non niſi malè valentes Medico egere, hic autem ſolum, qui bene valent opus habent Medico tali, & Medicina Cœleſti, ad præcavendum gravem languorem inſtituta. Eſt etiam in Euchariſtia Magiſter, Doctor, aut Præceptor fidelium ritè ſuſcipientium Euchariſtiam, quod ſatis dilucidè inſinuavit Deus ipſe Iſajæ 30. verſ. 20. *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem, & non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum, & oculi tui videbunt præceptorem tuum*. Quod teſtimonium frequentiſſimè exponitur de Euchariſtia. Modus autem exercendi ejuſmodi Magiſterium, cum ſanctè illum recipentibus, mirus eſt, varius, & ſublimiſtimus: Dum enim mens poſt dignam communionem audit à Magiſtro vocari: *Magiſter vocat te*: quemadmodum vocavit ad ſe Magdalenam; dumque tum illa ſedet ad pedes Magiſtri intra propriam Domum, arceſque ſedentis, ut audiat verbum illius, tunc illuminatur, inſtruitur, docetur inenarrabili, & intimo locutionis modo, mutuo Angelorum commercio ſimili, ubi ſilentium loquaciſſimum eſt.

Eodemque jure eſt ibidem animarum Epiſcopus juxta illud 1. Petri cap. 2. *ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*: Illas enim viſitat, regit,

git, alit, & benedictionibus implet. Adſtat quoque ſub ſpeciebus velut ſponſus in Thalamo, & propterea pelluntur è convivio non habentes Veſtem Nuptialem, ut liquet ex Evangelio Matth. 22. quo reſpiciens S. Chryſoſtomus laudata homilia 61. introducit Chriſtum in Euchariſtia dicentem indignis: *Quomodo adeſtis hic, non habentes Veſtem nuptialem?* Hanc amantis Sponſi gloriam verè tribuendam Chriſto Domino in Sacramento Altaris docuere S. Fulgentius ad Tranſimundum Regem cap. 12. citato, S. Ambroſius de Sacramentis cap. 2. explicans illud Cant. *Oſculetur me oſculo oris ſui*: Et ideo Chryſoſtomus eadem homilia, ait: *Fœtenti quidem ore tuo Regem oſculari non eligeres. Regem vero Cœli fœtenti anima deoſcularis?* Et S. Auguſtinus de Symbolo ad Cathec. lib. 2. cap. 6.: *O' Magnum Sacramentum hujus Conjugii! O' quam Magnum Myſterium hujus Sponſi, & Sponſæ? .... Quis eſt ille Sponſus abſens, & præſens? Quis eſt ille Sponſus præſens, & latens?* Undè de Matrimonio, mutuoque conjugum amore differens Apoſtolus ad Epheſios 5. inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt, Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. Hic enim fit nobiſcum quodammodo una caro realiter. In Menſa Nuptiarum olim fecit Chriſtus Dominus miraculoſam eam converſionem aquæ in vinum; In Euchariſtia vinum in Sanginem, & panem in Carnem ſuam convertit, ut præparet nuptialem menſam: in qua ſub candore hoſtiæ ſponſus paſcitur, & paſcit fideles inter lilia. Cantica namque Canticorum re vera eſt carmen nuptiale Euchariſtiæ, Epithalamiumque Sponſi Divini cum anima ſancta; Ex quorum conjunctione puriſſima generatur caſtitas, & germinat virtutum omnium fœcunditas.

Num. 29. Si verò fructus, quos decerpit anima dignè accedens ex hac vitæ arbore paulò accuratius explores, & attentiùs conſideres, obſtupeſces. In primis omnes illos effectus, quos cauſant in corpore cibus, & potus, efficit in anima cibus iſte Cœleſtis, ut nos docuit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ſumiturque ex Divo Thoma 3. p. quæſt. 79. art. 1. corpore: *Et ideo, ait, omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit ad vitam materialem (quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, & delectat) Hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam ſpiritus*. Propè eadem habet Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. S. Baſil. de Baptiſmo cap. 11. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, & Homil. 45. in Joan. Cyrillus lib. 4. in Joan. Auguſtinus, & agmen aliorum Patrum; traduntque Theologi omnes, & ideo inſtitutum eſt per modum cibi; & potus Sacramentum hoc. Quapropter confert gratiæ habitualis augmentum, in quo convenit cum reliquis vivorum Sacramentis, ut definitum eſt à Concilio Florentino in decreto Eugenii: in Lateranenſi ſub Innoc. III. & habetur cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate: in Viennenſi, & Tridentino. Quin interdum per accidens conferre primam gratiam opinantur multi, & magni nominis Scholaſtici; uti etiam non pauci adduunt, gratiæ ſanctificantis augmentum ex opere operato collatum copioſius eſſe, quam ſit gratia per aliorum Sacramentorum tramites per ſe decurrens. Præterea eſt efficaciſſimum, & eloquens valde incitamentum devotionis in accedentibus devotè, quibus ſatis frequenter, non tantùm charitatis fervorem excitat, ſed miram ſpiritus dulcedinem ſuavitatemque infundit: *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*: Pſalm. 33. tribuit inſuper ex opere operato auxilia actualia gratiæ ad reſiſtendum ſtrenuè tentationibus, præcavendaque pericula gravia: ſicuti ad ſuperandas difficultates omnes, quas experiuntur incedentes per viam ſalutis, & arripiendum animoſo pede arduum perfectionis iter. Quin & ultra hæc pluviam aliam voluntariam auxiliorum ejuſmodi inſtar nivium ſæpe cadentium, emittit in eos, qui ferventer diſpoſiti avidiſſimè accedunt ad menſam: præterea remittit ex opere operato venialia quoad culpam, ut cum D. Thoma eadem quæſt. 79. art. 4. & Doctore Seraphico docent Theologi, quibus præluxere S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 6. S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius, Cyrillus, Bernardus, Concilium Colonienſe, immo ex Tridentino habetur eadem veritas.

Pœnam verò temporalem anteactæ vitæ peccatis reſpondentem, ſeu debitum illius remittit ex parte, etiam ſi non ex opere operato, ſed quaſi indirectè, & ex quadam concomitantia pront loquitur Sanctus Thomas ubi nuper art. 5. quatenùs movet ad eas operationes, quibus homo debitor, & reus ſatisfaciat pro peccatis. Cæterum, quà Sacrificium eſt, vim habet remittendi ex opere operato partem aliquam temporalis, pœnæ, ſicuti eodem artic. 5. declarat S. Thomas, ex ipſoque Scholaſtici. Sic etiam ſub eadem ratione Sacrificii, & eſt propitiatorium, & impetratorium, de quo plura Synodus Tridentina. Omnes igitur virtutum flores, & fructus ex Regio illo viridario ſimul, & hortulo percipies plena manu: eoſque omnes uſque ad finalem perſeverantiam excolit, rigat, & fovet, quantum eſt ex parte Hortulani. Unde non jam duntaxat lilium convallium dicamus Euchariſtiam, aut florem Jeſſe; ſed ver integrum ſub nive latens, cum audiamus S. Ambroſium ſerm. 14. in Pſalm. 118. *Bona Paſcua Divina Sacramenta. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis: Carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: Carpis roſam, hoc eſt Corporis Sanguinem*. Per alia namque Sacramenta conferuntur auxilia ad determinatum aliquem effectum: per Euchariſtiam verò ad omnes univerſim operationes vitæ ſupernaturalis: quoniam, cibo hoc, & potu, ſeneſcens animi virtus, juveneſcit iterum, ſubindeque adoleſcentiæ vigorem, vires novas, ardentioreſque ſpiritus comparat undique, ad inſtar Aquilæ, integerque homo Cœ-

leſti quadam veluti immortalitatis alimonia roboratur, & Pomo Divino veſcitur, quo mors arcetur, quia latens in ipſo vita manducatur.

Num. 30. Nullus ferè exiſtit Theologus, qui ultra memoratos effectus, non attribuat Euchariſtiæ vim aliquam ſpecialem Magneticam copulandi ſingulari nexu animam cum Chriſto Domino; quamquam diſcordent non parum inter ſe ſe in eo nexu declarando, quem dicunt plurimi potiſſimum Euchariſtiæ fructum. Frigent tamen communes hujuſce vinculi explicationes, nihilque dignum Majeſtate, & Magnitudine amoris in tanto Myſterio deliteſcentis aſſerunt, ſed unionis modos, vel purè Metaphoricos, vel in effectibus aliorum Sacramentorum pariter repertos; Quod dignitati hujus maximi arcani derogat, finemque illud inſtituendi reddit planè vulgarem, immo non ſufficienter dignum; ut ad illum aſſequendum Regia phyſicè præſentia Chriſti Domini opus ſit, cum æque præciſive ab illa obtineri valeat, ſicuti re ipſa obtinetur per cætera Sacramenta. Nondum itaque finis principalis, & fructus dignior, glorioſiorque palam Theologiæ, & Orbi innotuit. Deſiderabatur adhuc individua aliqua ejuſmodi effectus notitia, cum jam in confuſo, & generatim per Scripturarum, & Sanctorum locutiones inſonuiſſet à longè ejus fama. Noviter autem modo in lucem editur fructus hic dulciſſimus, quantumvis jampridem, ab ipſaque arcani inſtitutione maturus, inter plurimas alias hujuſce ſecreti profunditates latuiſſet. Unio realis ſcilicet, aut conjunctio permanens ſemper (quantum eſt ex parte illius) animæ Chriſti Domini aſſumentis, & aſſiſtentis, nullatenus verò informantis, cum dignè, & ſanctè Corpus ejuſdem reale, integrumque Chriſtum Dominum ſuſcipiente, quæ perſiſtit, & conjungit etiam dum reſolutis ſpeciebus intra ſumentem, deſinit eſſe ibi Corpus, & Sanguis Domini; ex quo pullulat in Patria alius verè ſublimis, & ejuſdem Euchariſtiæ ſingularis, ejuſdemmet numero Viſionis Beatæ cum Chriſto Domino, quamquam pænes diverſum claritatis gradum infuſæ. Cæterum licet fructus hic optimus, nobiliorque omnibus, rubeſcat jam nobis; tempus attamen exponendi ipſum conſpectui, & examini Theologorum in præſenti diſputatione, immaturum eſt penitus; habetque ſeparatam, & conſpicuam ſedem diſputatione 8., & 9. hujus tractatus, eo potiſſimum, ſimul cum vita Euchariſtica, ſine elucubrati,

Neque animam duntaxat noſtram vegetat, nutrit, & perficit Euchariſtia religiosè ſumpta, ſed & corpus etiam, ejuſque temperamentum aliquo modo attingit ipſius virtus, & effectus; ſaltem peccati fomitem (& primam malorum labem) moderando, ut docuit S. Thomas opuſc. 58. cap. 21., & opuſc. 59. cap. 6. convincitque ex Cypriano, Ambr., Chryſoſt., Cyrillo Hieroſ. Nyſſeno, & aliis Doct. Eximius tom. 3. in 3. p. diſp. 64. ſect. 1. Verum quid dicam de Corporum Reſurrectione, & eorumdem gloria per Euchariſtiam tandem obtinendas, metendas tunc, & modo ſeminandas? Ecquem autem lucis radiolum, qualitatemve, ſive phyſicam, ſive moralem, quænam futuræ beatitudinis delineamenta, & veluti embrionem fœlicitatis æternæ in ſinu Corporis repoſuit? In quo ſitum eſt illud pignus gloriæ ab Eccleſia, & Patribus decantatiſſimum probe communicantibus altè impreſſum? *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*, ſicut canit Eccleſia, & accinit Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. Cum eſſe nequeat ſola gratia ſanctificans, utpotè reliquis Sacramentis communis, dum in re ſubjecta præſupponitur prærogativa aliqua Euchariſtiæ ſpecialis? Eſt ne extrinſecum aliquid in ſola promiſſione Chriſti Domini perſiſtens, moraliter perſeverans? Quidquid illud ſit, unum hoc extra dubium eſt, accedentem ad altare minime jam conqueri poſſe juſtè inter ærumnas vitæ cum illo, de quo Claudianus (1. de raptu Proſerpinæ) *Nullo ſolabor pignore caras?*

Num. 31. Namque firmum planè nobis eſt, ſive hac, ſivè alia via exponatur, vel per novum jus, aut novum titulum, eſſe propriam Euchariſtiæ operationem reſurrectionem corporum ad beatitudinem completam in ſumentibus illam probè: Cum modo poſitivè, modo negativè id aſſeveret veritas ipſa Joan. 6. Poſitivè, cum dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die:* Negativè dum inculcata aſſeveratione protulit: *Amen, Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quorſum, & qua reali ſoliditate hæc, ſi tantum ſpecioſum aliquem titulum conferri vellet ad reſurrectionem, & beatitudinem, aliunde indefectibilem obtinendam? Re vera foret titulus ſine re, aut coloratus duntaxat. Qua verò proprietate ſermonis, & effectus id fuerit à Chriſto Domino promiſſum, & futuro tempore ſit adimplendum, dicam oportune ultima diſputatione, ubi radix hujus effectus in arcano hactenus deliteſcens fiet patens.

Interim tamen properamus ad narrationem fructuum, qui delibantur, abſolvendam, quos, ut elegantius, & vividius exprimam, adducam verba Ruperti Abbatis lib. 2. de Divinis Officiis cap. 10. (tametſi de reliquo, nævo aliquo erroris deturpetur prædictus liber.) *Aufer ab Eccleſia quotidianas has exequias* (ita appellat memoriam Dominicæ Paſſionis, quæ recolitur in Sacrificio Euchariſtico) *& vide quam meritò dicat Chriſtus, quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Refrigeſcet Charitas: Muta erit fides: Claudicabit ſpes; celente memoria tam celebri Charitas Chriſti convaleſcit: perſtat ſuper fundamentum ſuum ædificium fidei: ſpes quotidiana peccatorum reviveſcit.*

Sanè

Sanè his auditis, aut lectis generatur illicò in mente digna quædam imago, ac veluti repræſentatio effectuum mirabilium, quos invehit in Eccleſia ſancta arcanum Euchariſtiæ. Non minùs vividè tamen illos expreſſit Doctor Seraphicus cap. 2. de præparatione ad Miſſam dicens: *Tolle hoc Sacramentum ab Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error; & infidelitas? Et populus Chriſtianus erit Grex porcorum diſperſus, & idolatriæ deditus, ſicut expreſſè patet in reliquis infidelibus. Sed per hoc ſtat Eccleſia, roboratur fides, viret, vel viget Chriſtiana Religio*: Ubi apertè; & abſque ulla hæſitatione pronunciat per Euchariſtiam ſubſiſtere Chriſtianam Rempublicam, & corruere infidelitatem: nihil autem glorioſiùs Chriſto Domino Sacramentaliter exiſtenti, quam ex eo quaſi puncto, in quo exinanitus apparet, efficere, ut per ipſum ſtet Religio: nec ſtat ſolum, ſed floret, ſplendet, & deliciis affluit.

SECTIO SECUNDA.

Eſſentia tum Metaphyſica, tum Phyſica Sacramenti Euchariſtiæ, ejus unitas, neceſſitas, tranſubſtantiationis intercedentis ineffabilitas, & profundæ aliæ quæſtiones fusè inter Scholaſticos, contentioſèque agitatæ, leviter percurruntur, aut narrantur, quoniam Hiſtorico potiùs quam Scholaſtico more recenſentur.

§. I.

Num. 32. INCONSIDERATÈ nimis procederet tractatus præſens, ſi diſputaturus de profundioribus, parumque tritis quibuſdam arcani hujus ſecretis, naturam ejuſdem arcani, conſtitutionem, indolem, & circunſtantias ipſum nobilitantes (quantumvis celerrimè) non perſtringeret. Ut enim Tullius monuit in libro de Officiis: Omnis inſtitutio, quæ de aliqua re ſuſcipitur, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur id, de quo diſſeritur. Scholaſtici frequentiſſimé illud metaphyſicè definiunt per analogiam ad refectionem corporalem, cum ſit verus animarum cibus, & eum idipſum expoſuerit Chriſtus Dominus: Quamobrem plures cum Soto in 4. diſt. 8. q. unica art. 1. in hunc modum definiendum putant: *Eſt Sacramentum novæ legis, quo vita ſpiritualis nutritur*: vel (ut alii explicant ejus differentiam) *per modum cibi, & potus reficiens animam*. Paulo aliter ſic alii: *Eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem animarum refectionem inſtitutum*. Ita Layman tract. 3. cap. 1. & in ſubſtantia Caſtropalao, & Recentes quamplures. Neque alienus eſt ab hac definitione P. Bernal. diſp. 22. ſect. 1. quem imitatur P. Henao diſp. 13. ſect. 3. dum ſic illud exponit: *Eſt Sacramentum Novæ legis inſtar alimoniæ reficiens animam*. Quamplures ex Doctore ſubtili in 4. diſt. 8. q. 1. ſic: *Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis Chriſti, & Sanguinis veraciter contenti ſub ſpeciebus panis & vini, poſt conſecrationem factam à Sacerdote ſub Verbis certis cum intentione prolatis ex inſtitutione Divina*. Quam prolixitatis, & redundantiæ notat Sotus; Attamen ſtrenuè vendicant plures Scotiſtæ; quamquam alii deſcriptionem potius, quam definitionem eſſe credant. Videantur Gavatius de Euchar. diſput. 1. qu. 2. Laurentius Brancati diſp. 17. Non pauci, ut refert P. Granad. ejus conceptum Metaphyſicum declarant per ordinem *ad unionem pluſquam affectivam ſumentis dignè cum Chriſto Domino*. Ipſe tamen Granad. controv. 6. diſp. 3. num. 11. ita Euchariſtiam exponendam cenſet: *Species panis, & vini Chriſtum continentes, & tam ipſum, quam gratiam ſignificantes*. P. Rhodeſ. diſp. 1. de Euchariſtia q. 2. *Signum ſenſibile gratiæ, prout augendæ, & confirmandæ*. Plerumque nihilominus, ut nuper monebam, Theologi per rationem alimoniæ, refectionis, nutritioniſve Sacramentum hoc definiendum aſſeverant; à quibus ſolo nomine diſcrepant Cardinalis de Lugo diſput. 1. ſect. 1. num. 2. Martinon. diſp. 28. ſect. 1. num. 12. Idque ſatis nervoſè probant ex verbis Florentini in Decreto Eugen. *Per Baptiſmum ſpiritualitèr renaſcimur, per confirmationem augemur, & roboramur in fide; renati autem, & roborati nutrimur*.. Eadem ferè ad verbum habet S. Thomas 3 par. quæſt. 73. art. 1. Trident. ſeſ. 13. cap. 2. & Patres in eundem ſenſum ſæpiſſimè loquuntur. Quem hauriunt ex verbis Chriſti Domini Joan. 6. *Caro mea verè eſt Cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*. Alioqui neſcio cur foret inſtituendum ſub ſpeciebus Panis, & Vini, animarum nutrimentum deſignantibus: cum exploratiſſimum videatur, eſum per ſe ſimplicitèr ordinari â natura ad alendam, nutriendamque vitam; quamquam ægrè diſpoſiti mortem una cum cibo manducent, ne Agnus Lupum, quem cibat, in ſui perniciem nutriat. Verum etſi voce deſſidere videantur, qui per ordinem ad unionem ab his, qui per ordinem ad nutrimentum animæ conceptum metaphiſicum exponunt; re ipſa tamen conveniunt, cum nutritio importet eſſentialitèr, ut terminum, unionem cibi cum ſubſtantia aliti, in quam convertitur: & unio, perquam alii explicant conceptum metaphiſicum, eſt ipſe formalis terminus nutritionis. Unde in unammet formalem rationem conſpirant omnes inſinuatæ definitiones, & in idem centrum coeunt ejuſmodi delicatiſſimæ lineæ amoris.

Num. 33. Simul autem ac per modum cibi, & potus verè nutrientis animam concipienda ſit, & declaranda eſſentia Metaphiſica Euchariſtiæ, non immerito ingenioſi recentiores, ex Doctrina quadam Doctoris eximii de Euchar. diſp. 39. ſect. 3. putant, non ad inſtar cujuſcumque cibi, & potus,

tus, explieandum eſſe conceptum Euchariſtiæ, ſed inſtar convivii, ut dicatur *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini per modum convivii ad nutritionem animæ inſtitutum.* Non itaque per alimoniam utcumque, neque per cibum, & potum nudè, & veluti jejuna oratione acceptos, exponendam credunt ejus à reliquis Sacramentis differentiam; ſed ſplendidiùs, lautiùs, & generoſiùs, tum quia re ipſa, ſub ſpeciebus panis & vini latet omnis ſaporis ſuavitas, & locupletiſſima diverſitas, ut Sapient. 16. de figura illius aſſeveratur: *Panem de Cœlo præſtitiſti illis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*, & Iſajæ 55. *comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.* Atque adeo ſanctè, ferventer, & avidè communicans ſimilitudinem analogicam gerit illius, qui delicatè, veſcitur, & opulenter Regiis dapibus; potius quam ejus qui ſolo pane, & potu naturam miſerè paſcit, quod abſtinentiam magis, quàm pabulum, quin & mendicum ſapit potius, quam convivam, quo nomine Scriptura Sacra non infrequenter appellat, aut ſignificat accedentes ad hanc menſam, ut docuere ſæpiſſime S. Patres elucidantes illud. Geneſ. 49. v. 10. *Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Uti etiam denotat apertè hoc ipſum, Regale convivium, de quo Matth. 22. & Cœna magna, de qua Lucæ 14. & Eccleſia Sancta idem profitetur, dum canit: *O ſacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur*: Sic etiam Clemens V. in Concilio Viennenſi, ut habes in Clement. de Reliq. & veneratione Sanct. dicens: *In hoc Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas*: Sic pariter Tertullianus in lib. de Carnis Reſurrectione cap. 8. verbis ſupra adductis: Sic D. Thomas 3. p. q. 79. art. 1. corpore, probans, convenientiſſimam eſſe realem Chriſti Domini præſentiam in hoc Sacramento, inter alias rationes congruentiæ adducit Philoſophum 9. Ethicorum ajentem; *Maximè proprium amicitiæ eſſe, convivare amicis.* Eandem veritatem inſinuarat q. 73. art. 6. Eandem exprimit opuſc. 57. *O admirandum convivium ſalutiferum, & omni ſuavitate repletum!* Neque prætermittendus S. Ambroſii locus ſpecioſiſſimus lib. 1. de Abel, & Cain cap. 5. Ubi hortatur fideles ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem, inquit. *Nec verearis, ne in convivio Eccleſiæ, aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diverſi potus, aut convivæ nobiles deſint, aut decentes Miniſtri. Quid Chriſto nobilius, qui in convivio Eccleſiæ, & miniſtrat, & miniſtratur?* Et ſane id videtur omninò neceſſarium, cum ejus effectus ſit non modo conferre vires ſtrenuas ad omnes planè operationes vitæ ſpiritualis, ſed delectare, reficere, & ſuavitate mirifica deliciarum egregiè diſpoſitos recreare: &, quantum ex ſe eſt, omnes. *Hæc ſunt vero feſta Paſchalia*, ait S. Bern. ſerm. de Cœna Domini: *Hæc ſunt gaudia, & fercula vitalia juſtorum, & ſanctorum: Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balſami Cœleſtis.* Hi autem effectus non ſufficienter indicantur per aliqualem, & quidem inopem Cibi ſpeciem, immo nimis deprimitur ea explicatione frugalitatis, ipſius dignitas, virtus, & qualitas.

Num. 34. Ex his facilè occurrunt laudati ſcholaſtici objectionibus P. Bernal, & aliorum clamantium, refectionem illam, quæ ſub pane, & vino aqua mixto ſignificatur, dici non poſſe convivium, niſi ſtultè, ironicè, aut nugatoriè. Reſpondent ſiquidem nullo negotio: Quia ſicut ſpecies panis, & vini aſſumi potuerunt aptiſſimè ad ſignificandum Carnem, & Sanguinem Chriſti Domini, ut fide docemur, tametſi nullam ſortiri videatur proportionem cum carne, niſi valdè genericam in ratione cibi: Ita aſſumi potuerunt congruentiſſimè ad ſignificandum convivium ſpirituale.

Præſertim cum deſignare debeant, ex Chriſti Domini inſtitutione, id quod Manna figurabat, ac proinde omnium exquiſitiſſimarum rerum comeſtibilium guſtus, dapeſque menſæ Regum. Neque rurſus obeſſe poteſt, quod ſit verum Sacramentum ſub altcrutra ſingillatim ſpecie: cum ex alia parte, nec potus abſque cibo, aut pane appellari valeat convivium, nec cibus ſive panis præciſivè à vino, & potu omni. Quoniam fames, & ſitis ſpiritualis nullo pacto diſtinguuntur, quantumvis in corpore ſint paſſiones diverſæ, ut docuit S. P. Auguſtinus tract. 25. in Joan. & in Pſalmo 103. exponens illa verba: *Panis cor hominis confirmat*: Atque adeo, & pane hoc Cœleſti extinguitur ſitis, & potu Divino fames pellitur, & anima ſaturatur: Unde quam optimè, oportunèque per convivium exprimitur Euchariſtiæ Sacramentum tametſi ſub una tantum ſpecie uſurpatum. Sicut igitur ſub ſpeciebus panis latere dicunt omnium eſcarum ſaporem, & *dulcedinem dulcedinum*, ut loquitur S. Bernardus; eadem ratione dicunt, latere vim reſtinguendi ſitim. Præterquam quod Sacramentum Euchariſtiæ integratur aliquatenus ex re ſignificata vi verborum ſub utraque ſpecie: Et inſuper adeſt per concomitantiam ſanguis, qui eſt verè potus, ſub ſpeciebus panis. Opponunt vulgarem Sacramenti Confirmationis difficultatem, cujus potiſſimum munus eſt augere vitam ſpiritualem in Baptiſmo ſuſceptam, juxta Concilium Florentinum: Si ergo præcipuus Euchariſtiæ finis ſit, nutrire animam, quod non aliter fit, quam augendo vitam animæ, nempe gratiam ſanctificantem, finis principalis utriuſque erit prorſus idem, ac ſubinde utriuſque conceptus metaphiſicus. Verum difficultas hæc non potius unam, quam reliquas allatas definitiones impetit, cum apud omnes illas incrementum gratiæ ſit Euchariſtiæ primarius finis, quacumque via explicetur.

Porro quamquam latum ſit diſcrimen,

ac

ac multiplex inter utrumque Sacramentum, ſi conſtitutiva purè phiſica conſpiciantur, hæc ſanè efficiunt quidem eſſentiam phiſicam unius multis nominibus diverſam ab eſſentia phiſica alterius, & veluti materiali, Metaphiſicè tamen, & formaliter recidunt in unum, & idem; à fortiori ſi ſcopus potiſſimus utriuſque ſit tantum gratiæ ſanctiſicantis augumentum. Neque enim ſatis eſt ad Metaphiſicam differentiam, quod plures reſpondent ex Doctrina Angelici Doctoris q. 73. art. 1. ad primum; quòd uimirum augumentum per confimationem acquiſitum ſit ad inſtar incrementi ab intrinſeco procedentis; augumentum vero, in quod fertur primariò Euchariſtia Sacra, proveniat quaſi ab extrinſeco, *ex adjunctione cibi*. Siquidem licet cibus ſit manducanti extrinſecus, (uti & Chriſma) nutritio tamen, per quam mediatè augumentum comparatur, exercetur intrinſecè per actiones immanantes à nativo calore, & per intus unctionem, non minus, ac illud, quod per Confirmationem obtinetur. Quamobrem aliò reſpexit oculatiſſima D. Thomæ mens, & Doctrina, ut oportunius diſp. 8. oſtendetur; In qua reaſſumenda nobis eſt præſens comparatio utriuſque Sacramenti, augens, ſimul cum difficultate, utrobique gratiam, ad augendam peculiari gloria Euchariſtię excellentiam, & ſplendorem primarii effectus ejuſdem. Ex doctrina autem ibi tractanda deſumendus eſt conceptus Metaphiſicus Euchariſtæ, planè ſublimior omnibus hactenus inventis, aut ſaltem inter ſcolaſticos vulgatis.

Num. 35. Curſim modo eſſentiam phiſicam, aut materialiter acceptam Euchariſtiæ, ſive conſtitutiva phiſica perſtringere juvat; Circa quæ multorum ſententia ſolas ſpecies Sacramentales conſtitutivas adęquatè, ex integroque, docet, itaut Corpus (& Sanguis pariter) ſit purè contentum, aut connotatum, non autem Sacramenti phiſicum conſtitutivum. Sic opinantur cum Alberto Magno Sotus, Arauxo, Gonet, Maſtrius, Gaſpar Hurtadus, Caſpenſis, Gavatius, & juniores alii referentes pro ſe alios, inter quos Arauxo numerat Ledeſmam. Cæterum nec ſatis fideliter, nec conſequenter ſatis, tametſi à doctiſſimo viro prolatum: Cum uterque Ledeſma, Martinus, & Bartholomæus oppoſitum in terminis tueantur, ipſeque Arauxo paulò antea dixerat. Cæterum Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini eſſe phiſica conſtitutiva eſſentialia Sacramenti Euchariſtiæ, tenet reliquorum propè omnium opinio cum D. Thoma in 4. diſtinctione 8. q. 1. art. 1. ad ſecundum ibi: *Ex ſpeciebus, & corpore Chriſti ſit unum Sacramentum* cum S. Irenæo lib. 4. adverſus hæreſes cap. 34. aſſerente: *Euchariſtiam duabus rebus conſtare terrena, & Cæleſti*: cum Damaſc. lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 4. cum D. Seraphico in 4. diſt. 8. in expoſitione literæ, contineturque in cap. *hoc eſt*: De conſecr. diſt. 2. Ita Cajetanus quæſt. 75. art. 1. Bellarmin. Alanus D. Eximius, Vaſquez, Valentia, Victoria, Capreolus, Leſſius, & innumeri alii, ex quibus nonnulli cum Dominico Soto diſt. 8. qu. 1. art. 1. arbitrantur, ſpecies conſtituere in recto, de obliquo autem Corpus Chriſti Domini. E' converſo nonnulli cum Thoma Waldenſi tom. 2. de Sacramentis cap. 21. Cardinali de Lugo diſp. 2. ſect. 2. Henriquez, Granados controv. 6. diſp. 2. alios recenſente. Communis tamen ſententia utrumque conſtitutivum per ſe primo, & pro recto poſtulat cum D. Thoma in 4. laudata diſt. 8. q. 1. art. 1. ad modum quo Chriſtus Dominus conſtituitur ex duplici natura Divina, & Humana, conjunctis in unitate Perſonæ. Nec defuit, qui crederet, ſolum Corpus, (uti & Sanguinem reſpective) Chriſti Domini eſſe conſtitutivum eſſentiale phiſicum adæquatum, ſpecies vero ex conſequenti extra illius eſſentiam poſitas eſſe, qui opinandi modus exoticus tribuitur frequenter Waldenſi in loco allegato, illumque in eum ſenſum accipere videtur, poſt Sotum, Granados ſupra, & Doct. Eximius diſp. 42. ſect. 1. refragantibus P. Vaſquez & aſſeclis.

Non defuere pariter, qui judicarent, ſolam formam verborum conſtituere adæquate phiſicam Euchariſtiæ naturam, excluſis ſpeciebus, Corporeque, & Sanguine Chriſti Domini, quam ſemitam inviam arripuiſſe, credunt aliqui, Cajetanum quæſt. 63. art. 6. Marſilium in quartum, Bartolum, & Veteres alios. Utraque tamen ſemita, aut cogitatio refellitur paſſim tanquam fallax, æquivoco laborans, Florentino, Tridentino, & Patrum Doctrinæ repugnans; cum juxta utramque, inveniretur Sacramentum phiſicè permanens abſque Symbolis viſibilibus, aut ſigno ſenſibili phiſicè perſiſtente; Quod perinde foret, ac inducere eſſentiam phiſicam Sacramenti abſque conſtitutivo eſſentiali ejuſdem, quandoquidem exploratiſſimum eſt, rationem Sacramenti importare eſſentialiter rationem ſigni ſenſibilis; quin oppoſitum ſuſtineri valeat, ni velles aberrare à lumine Theologiæ profugus, & rationalis Philoſophiæ deſertor vagus.

Num. 36. Diſceptatur etiam (ſi nomen hoc mereatur leviſſimum, & obſoletum ferè diſſidium) de ſumptione ipſa Euchariſtiæ, ſit ne prædicatum ad illius phiſicam naturam pertinens intrinſece, ſaltem tanquam pars integralis Sacramenti? Supponunt Orthodoxi ad unum, Sacramentum hoc minime conſiſtere adęquatè in uſu, ut ſomniant cum Luthero Etherodoxi, & quidem, tam ex eis, qui præſentiam realem Chriſti Domini inficiantur, Sacramentum attamen agnoſcunt; quam ex illis, qui præſentiam laudatam in ſumptione tantum, ſive uſu Euchariſtæ credunt. Quos omnes anathemate ferit Synodus Tridentina ſeſ. 13. can. 4. & 7. uti & cap. 3. & 6. Adverſus quos diſputarunt egregiè Valentia diſp. 6. Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 4. Bellarm. lib. 4. cap. 1. D.

Exi-

Eximius, Caſtro, Tannerus, & Controverſiarum Scriptores alii. Cæterum illius uſum partialiter conſtituere, vel integrare Sacramentum, docuit, non ſine formidine, aut hæſitatione Aureolus in quartam diſt. 8. q. 1. Gabriel vero in quartam diſt. 8. q. 1. art. 3. Marſilius, & pauci alii ex veteribus, ſumptionem Euchariſtiæ dixere novum aliud Sacramentum, illam in triplicem Sacramenti gradum, ſive ordinem, dividentes. Utramque tamen ſententiam exagitant ex definitionibus Florentini, & Tridentini Theologi ubique, cum definitum legatur apertè in utroque Concilio, Sacramentum Euchariſtiæ exiſtere permanenter ante uſum. Conſule D. Eximium ea diſp. 42.

Longè major eſt difficultas circa verba conſecrationis, quæ à multis removentur à conceptu formæ, immò & à conceptu prædicati quocumque modo conſtitutivi, eò quod Sacramentum hoc ſit phiſice permanens, ad differentiam aliorum; à reliquis verò ſcholaſticis inducuntur per modum formæ conſtituentia. Ut autem ſententiæ mutuò pugnantes clariùs percipiantur, animadvertendum eſt, duplicem reperiri in Sacramentis compoſitionem ex ſubjecto, & forma: Prima ex materia, aut ſubjecto ſignificante, & ex ſignificatione, inſtitutione ſcilicèt divina, tamquàm forma. Altera verò ex ipſo ſignificationis ſubjecto, quòd, ut ſubjectum ſecundum, iterùm ſubſtare debet formæ determinatæ ſenſibili, itaùt ex illo, & ex forma reſultet adæquatum ſignificans; & de hac diſceptatur. Doctores primæ ſententiæ, & numero, & qualitate graviſſimi ſunt, Doctor Subtilis, in 4. diſt. 8. qu. 1. cui adhęrent plerumque Scotiſtę, item Capreolus, Sancteſius, Bellarminus lib. 5. de Sacram. in genere cap. 18. Vazquez in 3. parte diſp. 167., Maldonatus, Gaſpar Hurtadus, Becanus, Amicus, Henriquez, Coninchius, Ochogavia, Bernal, Caſtro Palao, Gabriel de Henao, & ex Recentibus in manuſcriptis quàmplures. Oppoſitam vero, quam eliciunt ex Divo Thoma quæſt. 60. art. 6. ad 2. propugnant validiſſimè Doctor Eximius diſp. 42. ſect. 2. Arauxo pro illa referens non paucos ex veteribus Thomiſtis, Valentia tom. 4. diſput. 3. quæſt. 1. punct. 2. Tannerus, Cardin. de Lugo, Granados Martinon. diſp. 28. ſect. 3. Arriaga de Sacramentis in genere diſp. 4. Leander, Caſpenſis, Macedo (quamquam aliter de Euchariſtia, proùt eſt Sacrificium, opinentur). Idque evincere putant ex Florentino in Decreto Eugenii §. *Eccleſiaſticarum*, ex Tridentino, ex Catechiſmo S. Pii V. par. 2. cap. 1. nn. 13. ibi: *Hæ igitur ſunt partes, quæ ad naturam, & ſubſtantiam Sacramentorum pertinent, & ex quibus unumquodque Sacramentum neceſſariò conſtituitur*. Sermonemque inſtituebat de verbis, & rebus, materia nimirum, & forma; quoniam licèt Verba tranſeant phiſicè, quin & volitant, utpotè alata unà, & aerea; permanent nihilominus moralitèr, ſimul in, & cum aliis conſtitutivis phiſicè perſeverantibus, percipiturque eorum ſonus mente, & prudentum æſtimatione, quamvis non aure, ipſamque eorumdem notitia eſt Echo perſiſtens in memoria, & nullam detrahens ſyllabam, aut literulam voci. Circa actionem conſecrativam, ex verbis ipſis activè fluentem, nonnulla invenitur etiam inter Theologos controverſia. Namque Gabriel, ubi ſupra, eam exiſtimat Sacramentum diverſum, uti de ſumptione opinatus fuit, unumque ex gratiarum rivulis, in quos diſſecandum credidit Euchariſtiæ fontem. Eſſe prædicatum conſtitutivum Sacramenti, qua ſimpliciter unum, & unicum refutatur modo à Theologia; primus docuit, vel potius, eam peculiarem opinionem illuſtravit Cardin. de Lugo diſput. 1. ſect. 6., cui, licèt ſuboſcurè, præluxit Cornejo 3. par. quæſt. 73. art. 1. diſt. 2. dub. 1. §. *Dico ſecundò*; Acceſſit in re hac Cardinali, tametſi alioqui ejus impugnator accerrimus, Parer Bernal. diſp. 23. diſt. 1. §. 4. inviam hanc ſemitam arripuerunt duo hi nobiles Theologi, quia actionem conſecrativam credidere unionem, vel quaſi unionem Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ſub qua ratione illam exiſtimarunt eſſentialitèr conſtitutivam. Cæteri autem oppoſitum tenuerunt ea firmitate, ut memoratam primu loco doctrinam circa actionem improbabilitatis inſimulent. Quinimmo laudatus Ipſe Comejo initio dubii indicat, abſque periculo fidei pronunciari minimè poſſe, actionem conſecrativam conſtituere intrinſecè Sacramentum Euchariſtiæ. Mox verò tantiſper immemor ſui, incidere videtur in periculum, quod notarat. Quapropter tametſi recenſeantur antiquorum nonnulli in ipſam inclinantes, & apud Sotum S. Thomas in 4. diſt. 8. art. 1. quæſt. 1. reipſa tamen loquitur, non jam de actione conſecrativa, ſed vel de verbis conſecrationis, vel de actionis termino. Nunquam S. Thomam in ſenſu alio locutum evincit Arauxo diſp. 73. art. 1. dub. 2. num. 18. vel forſan diſputarunt veteres allegati de Euchariſtia ſecundum quod ſacrificium eſt, in qua acceptione importat eſſentialiter, adhùc metaphiſicè, juxta vulgarem ſententiam, actionem, ſive adductiva dicatur, ſive productiva Corporis Chriſti Domini, quoad ſecundum eſſe, per quam ſacrificatur Agnus vivus, itaùt victima incruentè immoletur, non tam ore gladii (ut paſſim loquitur Scriptura) quam gladio oris, quin interficiatur.

Num. 37. Quod verò ad unitatem attinet, aut multiplicitatem, tum ſpecificam, tum numericam hujus Myſterii, proùt complectentis utramque ſpeciem (materia ſane impleximma, & varietate opinandi, vel potius dicendi obſcurata) dicendum cum unanimi fere modò Theologorum voto, non eſſe plura Sacramenta ſpecie completa diverſa, ut quondam cum Aureolo, Gabriele,

le, & Majore, judicarunt nonnulli, quin & in ipſam opinionem inveteratam propendere videtur Tannerus, & (ſi attente legatur) Bernal. Ita decernitur in Concilio Lateranenſi cap. *Firmiter* de ſum. Trinit. in cap. Cum *Marthæ* de celebratione Miſſæ. Cap. *In Sacramento* de conſecrat. diſt. 2. Cap. *Qui manducat*, & cap. *Hoc Sacramentum* eodem titulo, & eadem diſtintione. S. Thomas quæſt. 73. art. 2. S. Bonaventura. Cathec. Roma. Trideut. ſeſ. 13. cap. 3. Hinc autem oritur diſcordia Theologorum inquirentium: an ex utraque ſpecie panis, & vini, tanquam ex partibus ſpecie incompleta diverſis, ſivè Etherogeneis, coaleſcat unum Sacramentum unitate ſpecifica atoma; an potius una quæque ſit perfectè Sacramentum in ſpecie completa ſeorſim ab alia; ita tamen, ut ſint duo Sacramenta ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincta? Primùm illud amplectitur communis opinio cum Doct. eximio, Tannero, Cardinali de Lugo, Bernal, Henao, Prado, Salmanticenſibus.

Secundum valdè probabilitèr docent, non jam modo Juniores, quos ſuppreſſo nomine recenſitos invenies apud eumdem Cardinalem de Lugo, & P. Arriagam; verum & Doctiſſimus P. Valentia quæſt. 6. diſput. 1. punct. 4., & quidem expreſsè. Bellarminus lib. 4. de Euchar. capit. 22. prop. 3., & 4. Nugnus art. 2. difficultate unica ad 2. Cornejo art. 2. diſp. 1. dubio 1. & 2. de Caſtillo diſp. 1. & revera traditur à D. Thoma quæſt. 73. art. 2. tum corpore, tum reſponſione ad 3. colligiturque ex Tridentino ubi nuper: Qua via in concordiam veniunt deſſidentes ab invicem Patrum locutiones, ſummorum Pontificum, & Conciliorum Carthagin. 3. cap. 24., & 29. Moguntini, Africani cap. 4. S. Ambroſii lib. 5. de Sacram. cap. 1. Cypriani in ſerm. de Cœna Domini, cap. *In Sacramento* cap. *Comperimus*. Cap. *Tribus gradibus*, cap. *Species*. De conſecrat. diſt. 2. Exiſtimat enim hæc ſecunda ſententia diverſitatem illam corporis à ſanguine, quæ ponitur vi verborum, & ſpecierum panis à vini ſpeciebus eſſe purè phyſicam, materialemque in ordine ad primarium effectum Sacramenti: adeoque ſub alterutra ſpecie ſumi à fidelibus integrum ſpecie Sacramentum ſub omni conſideratione. Quo circa affirmat eſſe tantùm duo numero individua ejuſdem ſpeciei atomæ eſſentialiter completa; Cum hoc tamen componi arbitratur, quòd unumquodque alio integraliter compleatur in ratione numerica, cum conceptus individui admittat magis, & minus integrale, quod convenire nequit ſpeciei. Idque deducitur ex D. Thoma Quæſt. 73. art. 2. corpore dicente: *Ad integritatem hujus Sacramenti duo concurrunt, ſcilicèt ſpiritualis cibus, & ſpiritualis potus.* Et ad ſacrificium requiritur omninò uterque ſimul, ut luculentiùs mors Domini repræſentetur, cum ſacrificium in Cruce oblatum ex cadente ſanguine, & ſtante Corpore coaluerit.

Num. 38. In ordine verò ad diſtinctionem utriuſque purè numericam variant etiam Scholaſtici; non quidem comparando ad invicem ſpecies panis, & vini, de quibus jam ſatiſdictum, ſed utraſque cum aliis ejuſdem rationis, diſſitis loco, tempore, & verbis numero diſtinctis; quæſtio ſanè mille flexibus obliqua; & cavillationibus lubrica. Prima opinio affirmat, diſtinctionem, & unitatem numericam deſumendas eſſe ab unitate, aut diſtinctione ſumptionum, itaût ſint plura numero Sacramenta, quæ à diverſis ſumuntur, vel ab uno diverſis temporibus, ſive diverſis phyſicè, & moraliter ſumptionibus. Sic diſcurrunt Cardinalis Bellarminus, Valentia, Sotus, Ledeſma, Cajetanus, Tannerus, Amicus, Bonacina, Averſa, Martinonus, Villalobos, Henao &c. His accedunt, qui ponentes intentionem conſecrantis hoſtias, vel pluribus, vel paucioribus diſtribuendas, eam deſumunt; ut ſunt illi, quos refert Cardin. de Lugo, item Gonet, & Recentes alii: & qui non à ſuſceptione, ſed ab ordine ad ſumptionem, ut relatus Gonet, & Joannes à Sancto Thoma. Secunda, quam pro viribus tuetur ipſe Cardinalis, ſub hypotheſi, quòd ſpecies importentur in recto (eidem ingrata) à conjunctione, vel ſeparatione locali, & ut ab eo quod ſpecies conſecratæ in eodem altari ſint, pyxideque, vel in diverſis. Utramque appetit P. Vaſquez argumento, nunquàm hactenus enervato ſatis. Tertia opinio ab eadem, vel diſtinctis numero conſecrationibus, aut verbis haurit diſtinctionem, ſive unitatem illam individualem; ſic Moderni aliqui cum P. Granados. Quarta ex continuatione phyſica partium ſumit unitatem; ut ex phyſica earumdem diſcontinuatione multiplicitatem. Unde tot agnoſcit Sacramenta, numero diſtincta, quot ſunt hoſtiæ, & particulæ realiter ſeparatæ. Sic philoſophatur Vaſquez, Maratius, Ledeſma, Monteſinus, Prado, Gaſpar Hurtado, Caſpenſis, Ochogavia, Caſtropalao, Henriquez, Cornejo, Salmanticenſes, & ex ſuppoſitione relata ſupra, quòd ſpecies tantum importentur in recto, Bernal, Henao, & plures Thomiſtæ, quos laudat Arauxo.

Quinta, & plauſibilis valde, aſſerit omnes ſpecies panis ubique Gentium hactenus conſecratas, & conſecrandas (idem intelligito de ſpeciebus vini) eſſe unum numero Sacramentum, ſive individuum, ſimpliciter, ſolumque numero multiplex ſecundum quid; atque adeo per ſucceſſivas conſecrationes, quaſi reproducendum. Quorum ratio potiſſima eſt identitas corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, quæ importantur in recto, ſuntque prædicata longè nobiliora, à quibus præcipuè deſumi jus, faſque eſt identitatem numericam. Sic ab hac abſtruſiſſima difficultate ſe expediunt Cardinalis

de Lugo, & Arriaga ſub hypotheſi, quòd conſtituant pro recto Corpus, & Sanguis Chriſti Domini Sacramentum, quàm ſuppoſitionem amat Arriaga ipſe. Arauxo tamen ſubſcripſit, (pluribus enim opinionibus ſimul adhærent probabiliter Scholaſtici in ſubjecta materia) etiam dum contendit, Corpus, & Sauguinem Salvatoris eſſe extra eſſentiam Euchariſtiæ; quoniam ſufficere credit, quòd ibi realiter contineatur, & quôd per ordinem ad ipſa concipienda ſit unitas numerica, eo quod habitudo illa ſit eſſentialis Sacramento, licet non illius terminus. Pro qua ſententia confirmanda opportuna ſunt verba S. Ambroſii relata in cap. *In Chriſto* de conſecrat. diſt. 2. *Una eſt hoſtia, & non plures, quàm Chriſtus obtulit, & nos offerimus*, Eadem mihi arriſit, dum olim tractatum Euchariſtiæ dictare cæpiſſem (illum tamen, non modo infectum, verùm, & in ipſo limine, vix ſalutatum, reliqui, ad munia alia obeunda accerſitus) Una numero fuit, eſt, & erit hoſtia hæc, quæ ad uſque Mundi finem mactabitur, eadem iterum quaſi denuo apparens, ut de Achille ſomniavit vates.

Atque iterum ad Trojam Magnus mittetur Achilles.

Num. 39. De Neceſſitate Euchariſtiæ multa diſſerunt ex verbis Chriſti Domini Joan. 6. Theologi; quæ ſilentio hic, vel premere, vel revereri juvat, cum non pauca de his daturus ſim diſp. 8. Circa materiam vero, præſertim calicis, diſputant, non abſque prolixis, & inculcatis ſæpiſſime concertationibus. Supponunt itaque, materiam proximam eſſe ſpecies remanentes poſt conſecrationem, & Corpus ſimul cum Sanguine Chriſti Domini, ſi verba ſint forma, ultra voluntatem inſtitutoris, ad placitum eligentis ſpecies illas ad ſignificandum, Quandoquidem compoſitum illud, utpote ad inſtar artefacti, contentum eſſe nequit unica ſimplici forma. Illico autem, & univerſaliter affirmant, materiam remotam eſſe panem, & vinum (circa quam errarunt ſtultiſſimè antiquiores hæretici, ut refert S. Thomas 3, p. qu. 74. art. 1.) Doct. Eximius diſp. 43. ſect. 1. & liquet ex Lateranenſi ſub Innoc. III. Florentino in decreto; Et Tridentino ſeſ. 13. cap. 3. & 4. Quapropter olim Gentiles vulgabant Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ Cererem, & Liberum Patrem colere, ut narrat S. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 3., itaut ex meſſe panem, & ex pane Deum, & bonorum ſegetem feraciſſimam colligerent, Panis eſſe debet triticeus ex neceſſitate ſimpliciter, tum quoniam illo homines freqenter utuntur, proindeque congruentiùs deſignat effectum hujus Sacramenti. Tum quia illo uſus eſt Chriſtus Dominus in hujus Myſterii inſtitutione. Materia hæc remota debet eſſe præſens ſenſibiliter vero aliquo modo, ut docuit S. Thomas in 4. diſt. 11. quæſt. 2, art. 1. non debet autem eſſe determinata, cum deſtinetur ad uſum fidelium, qui determinari nequeunt. Legatur Eximius Doct. diſp. 43. ſect. 6. Fermentatus panis eſſe poteſt, ut ex conſuetudine Eccleſiæ Græcæ conſtat; Purius tamen, & nobilius ex Azymo pane conficitur Sacramentum ab Eccleſia Latina, eo quod aptiùs, & expreſſiùs puritas Corporis Chriſti Domini ex intemerata Virgine abſque viri conſortio concepti per illum deſignatur: Et quia convenientiùs ſinceram fidelium mentem, ut ad Cœleſtem hanc menſam accedant, ſignificat, juxta illud Pauli 1. ad Corint. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis*. Materia remota calicis eſt vinum vitis, & nullum aliud, ob rationes circa panem triticeum inſinuatas. Conſtatque apertiùs ex inſtitutione Chriſti Domini, cum de calice, quem conſecraverat, dixerit ſtatim: Matth 26. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem illum &c.*

Modicam vero aquam infundendam vino, extra dubium eſt, quamquam non ſit mixtio hæc de neceſſitate ſimpliciter Sacramenti, ut Armachanus per errorem cenſuit de quæſtionibus Armen. cap. 9. & illi, contra quos agit S. Bernardus Epiſt. 96. quin & pro eadem recenſentur Hoſius, Alphonſus à Caſtro, Alexander de Ales, eo quod Divinum præceptum eſſe crediderint. Cæterum nullibi aſſeruerunt, invalidam, & incaſſum futuram ſolius vini conſecrationem, ut ſcitè notat P. Vaſquez diſp. 177. cap. 5. Exadverſo autem Armenorum error mixtionem aquæ plane ſupefluam, immo & noxiam, quatenus ſortiri poſſet ſignificationem aliquam, quæ non deceat arcanum hoc, pertinaciter aſſeverat. Adhæſere Armeniis novi Evangelici, ſiquidem Wolffangus Muſculus in locis communi. Cap. de Cœna Domini, auſus eſt dicere: *improbamus uſum illum, quo aqua vino in calice admiſcetur à Papiſtis*. Audaciùs adhuc Petrus Richerius Calviniſta, & Villagagnionus lib. 1. contra articulos quoſdam Calvini cap. 73. Impudentiſſimè pronuntians: *Eſſe hæreticos, blaſphemos, ſacrilegos, falſarios, qui vina Cœnæ aquam admiſcent, quòd ad puritatem Evangelii adjiciant ſua commenta*. Lutherus in formula Miſſæ, apud Sanderum lib. 7. viſibilis Monarchiæ: *Nondum* Inquit, *meeum conſtitui, miſcendane ſit aqua vino*. Sed heu! Quam verum eſt illud Taciti lib. 2. Hiſtoriar. *Qui deliberant, deſciverunt*; etenim non diù poſt hanc hæſitationem ſecum conſtituit in libro adversùs Regem Angliæ in hunc modum loquens, aut delirans: *Meo ſenſu meliùs, & tutiùs foret, aquam non miſcere vino, cum ſit merum figmentum humanum, & ſiniſtram, immò peſſimam habeat ſignificationem*, ut ſupra jam vidimus. Mixtionem vero illam aquæ fieri ab Eccleſia, tum Græca, tum Latina ex Apoſtolica traditione manifeſtum omnibus eſt, cum ab Eccleſiæ Sanctæ incunabulis uſum hunc viguiſſe conſtet ex Patribus, & Liturgiis, etiam pri-

mi

Digitized by Google

mi ſæculi, ex domo hac, quam Proverb. 9. ſapientia ſibi ædificaturam prædicit, in qua, *Miſcuit vinum*. Ex Alexandro Papa I. in cap. 1. *in Sacramentorum* de conſecratione diſt. 2.

Quinimmo exemplum hujus mixtionis deſumptum eſſe ex Chriſto Domino in mira ejus inſtitutione legitur in 6. Synodo can. 32. in Carthaginenſi 3. (cui interfuit Magnus Auguſtinus) can. 24. In Florentino in Decreto pro Armeniis. In Trident. ſeſſione 22. cap. 7. & rurſus can. 9. Ideoque à S. Cypriano appellatur *mandatum Domini*. & à laudato Concilio Carthaginenſi *traditio Divina*; Non quia Chriſtus Dominus hoc expreſsè juſſerit, ſed quia exemplum dedit, ut animadvertit P. Leſſius quæſt. 74. art. 7. Quare præceptum hoc humanum potiùs, quam Divinum dicendum eſſe tenet communior Theologorum ſenſus cum D. Thoma quæſt. 74. art. 7. cum Doct. ſubtili in 4. diſt. 11. quæſt. 7. Utrum vero aqua mediatè ſolum tranſire valeat in Chriſti Sanguinem, quatenus prius in vinum converti debeat, alioqui nullatenus in Sanguinem convertenda: vel immediatè in Sanguinem vertatur, manentibus ſimul vini ſpeciebus, & aquæ accidentibus: dubium eſt pugnaciſſimè hinc inde tempeſtate hac controverſum: Bellum utrimque juſtum, voce Sanguineum; re incruentum.

Num. 40. Hinc gradum facimus ad exponendam obiter veram realem converſionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, per quam conficitur venerabile Myſterium hoc, quam Eccleſia Sancta jurè merito dicit tranſubſtantiationem, eamque vocem utpote aptiſſimam ad prædictam converſionem explicandam induxit Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. Illa uſa fuere Florentinum, & Tridentinum, poſteriores Theologi, & fidelium, Eccleſiarumque cætus, à Chriſto Domino edocti. Qua Berengarii, & aſſeclarum, ſive impanatorum hæreſis (adversùs quam diſputat ſtrenuè S. Thomas quæſt. 75. art. 2.) corruit planè. Subvertitur pariter affinis alius error, ſive prioris explicatio, aſſerens manere naturam ipſam ſubſtantialem panis, ſecus vero ejus ſubſiſtentiam: Subindeque eam panis naturam aſſumi hypoſtaticè à Verbo Divino. Ita locutus fuit Joannes Pariſienſis, ſicut & author librorum de Officiis, qui inter opera Ruperti inveniuntur (quiſquis fuerit ille, de quo nos diſputatione ſequenti) Cadit 3. error aſſeverans è regione, deſtrui quidem ſubſtantiam panis, & vini, ſeu naturam; perſiſtere tamen ejus ſuppoſitalitatem. Sic opinatum eſſe ferunt Godofridum quodlib. 8. quæſt. 16. & partim Picum Mirandulanum. Ruit & quartus docens, manere formam panis, & vini, non verò materiam; Adversùs quam diſſeruit Doct. Angelicus in allegato loco. Similiter & quintus autumans cum Durando in 4. diſt. 11. perſeverare materiam primam. Uti & ſextus quorumdam affirmantium cum Bañez in 1. editione primæ partis (immo & in 2. adhuc probabilem dicit) manere ſolam exiſtentiam panis, & vini, quam ab eſſentia utriuſque diſtinctam realiter exiſtimat.

Expungitur etiam ſeptima opinio illorum, qui cum Henrico, & Cajetano 3. p. quæſt. 75. art. 3. in reſponſione ad art. 3. & 4. dub. 1. docuerunt ſubſtantias panis, & vini deſtrui penes gradum ſpecificum, aut differentialem; durare tamen penes genericum, factas Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Omnes ſiquidem has ſemitas facit devias conceptus tranſubſtantiationis, vi cujus Tridentinum ſeſ. 13. anathema dixit eis, *Qui negaverint converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem; manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini*. Non eſſet autem totius ſubſtantiæ, ſi perſiſteret aliquid illius, ſive ſubſiſtentiæ, ſive materiæ, ſive formæ, ſive exiſtentiæ; neque perſeverarent ſpecies duntaxat, vel accidentia, ſi quidquam ſubſtantiæ unà cum illis reſidua foret. Ex eadem radice colligitur, ſubſtantiam illam non modo deſinere eſſe intra Euchariſtiam, ſed abſolutè deſinere eſſe in rerum natura, ut Theologia Sacra colligit ex S. Auguſtino lib. 1. de Trinitate cap. 7. ex Cyrillo Alexandrino. Ex Gelaſio lib. de duabus naturis. Ex Leone I. in Epiſtola decretali 83. Non ideo tamen anihilatur, ut cum D. Thoma qu. 75. art. 3. ſuadet numeroſior, florentiſſimaque ſcholaſticorum manus, eo quod impropriè admodum dici puteut anihilatum id, quod in aliud convertitur. Converſionem hanc fieri in inſtanti convincit S. Thomas eadem quæſt. art. 7. definiturque in ſeſſione 13. Tridentini cap. 3. ajentis mirabilem eam converſionem contingere *ſtatim poſt conſecrationem*. Confeſtim enim ad inſtar fulminis, quin, & longè celerius, adeſt Corpus Chriſti Domini, & deſinit ſubſtantia panis: cum virtus operativa ſit infinita, ac ſubinde tarditatis neſcia. Species attamen ex ruina illa, aut ſtrage improviſa ſuperſtites, velut quaſi ſubiectum commune utrique ſubſtantiæ abeunti vale dicunt; venienti reverenter plaudunt.

Num 41. Perſeverant, inquam; ſed nonniſi per ingens miraculum ea panis, & vini accidentia (ſaltem ſenſibilia) cum abſque ſubjecto conſerventur perenniter, cui inhærere per ſe poſtulant, illiſque ea inhærentia negatur (ſermo erit duntaxat de utriuſque quantitate, ſi illi inhæreant reliqua) ut decernitur in Lateranenſi ſub Innoc. III. In Romano, in quo proſcribitur propoſitio hæc Wicleffi: *accidentia panis non manent ſine ſubjecto*. Uti & in Conſtantienſi ſeſſione 8. & ſeſ. 15. idem error Joannis Huſſii, turpiùs tamen adhuc ab ipſo prolatus. In Florentino, Colonienſi, & Tridentino. Per quem verò per ſe exiſtendi modum, vel actionem conſerventur abſque ullo ſubjecto, controvertitur non parùm inter ſcholaſticos.

Subtilis Doct. in 4. diſt. 12. q. 1. & 6. cui ſubcribunt paſſim Scotiſtæ, Maſtrius, Faber, Rada, Aretinus, Gavatius, Vulpes, Brancatius, tribuiturque etiam Ricardo, Paludano, & Dominico Soto: Putant, accidentia conſevari per eandem actionem, qua permanebant, dum ſubjecto priùs inhærerent, abſque ullo prorſus modo poſitivo ſuperaddito; ſed adiecta ſolùm negatione, aut carentia inhæſionis; vel ſubjecti.

Nonnulli Thomiſtarum referentium Divum Thomam q. 77. art.1. ad 4. rati, accidentia exiſtere per exiſtentiam ſubjecti, ſentiunt illa exiſtere per exiſtentiam noviter à Deo productam. Alii per modum ſubſiſtendi, ſive per ſe exiſtendi divinitùs productum, ſimilem ei, beneficio cuius natura ſubſtantialis per ſe ſubſiſtit: ſic philoſophantur Cajetanus q. 77. Ferrarien. 4. contra Gentes cap.66. Doct. Eximius diſp. 57. Vaſquez diſput.194. cap.1. Becanus, Cardinalis de Lugo, Ægidius Conink., & multitudo juniorum: Alii per quamdam virtutem ſupernaturalem illis à Deo communicatam, conferentem ipſis modum perſeitatis, ſaltem æquivalenter. Eamque virtutem adſtruere videtur Henricus quodl. 4. quæſt. 36. & quodl. 8. ut invenies apud Scotum, Paludanum, Sotum, Vaſq. cui conſentire videtur Cajetanus etiam, ut contendit Vaſquez ſupra. Alii cum P. Bernal., & Præpoſito, non modum aliquem poſitivum, qui ſit terminus actionis, ſed duntaxat per actionem, aut novam cauſalitatem effectivam. Alii tandem cum Amico diſput. 23. ſect. 1. ajunt, conſervari per eandem prorſus actionem, ac priùs, adjuncta nova quadam unione, per quam à Chriſto Domino ſuſtentantur abſque inhæſione.

Omnino tamen ſentiendum remanere eadem numero, & entitativè ſenſibilia accidentia, quæ præextitere in pane, & vino, & non alia numero diſtincta, aut ſpecie diverſa, prout Marſilius lib.1. Phiſic. quæſt.7. per errorem arbitratus fuit; per errorem, inquam, nam Tridentinum ubi ſupra, definit apertè, ſtupendam illam converſionem fieri, *manentibus duntaxat ſpeciebus panis, & vini*: ſi autem forent alia diverſa, vel numero diſtincta accidentia, nulla eo ipſo manerent ex præcedentibus. Deindè, ſi illa, quæ de novo producerentur, exiſterent divinitùs independenter à ſubjecto inhæſionis, cur non eadem antiqua, ſine quorum perſiſtentia ſalvari nequit conceptus converſionis unius ſubſtantiæ in aliam, tertium utrique aliquo pacto commune poſtulantem, ſi ſtandum ſit Philoſophicæ rationi, & autboritati Patrum omnium, Theologorumque irrefragabili? Rurſus ut non fallat pronomen *Hoc* in conſecratione, neceſſariò adeſſe debet aliquid ſenſibile panis, ſive illius compoſiti, quod demonſtrari valeat per ipſum, quodque propterea ſit idem plane in fine prolationis, ac in ejus principio, ut ſapienter arguit P. Rhodes de Euchar. diſp. 1. quæſt. 2. ſect. 7. Namque, ſi accidentia, quæ aderant initio prolationis, deſinunt unà cum ſubſtantia panis, nequeunt ipſa demonſtrari in fine ſenſibiliter per illud pronomen; quæ autem ſuccedunt demonſtrabilia eſſe non poterant, initio dictæ prolationis. Unde ergo ebiberet forma conſecrationis verificativum illius *Hoc*? Profecto illud diſcederet ſimul cum accidentibus abituris.

§. II.

Num.42. SUPERSUNT modo novæ Philoſopbiæ ſpectra quędam vaniſſima, quæ vel qualitates, & accidentia omnia phiſica improbant, & rident; vel ſaltem nulla ejuſmodi in Eucbariſtia agnoſcunt, tametſi illa per ſenſus percipiantur, ſintque palpabilia. Error hic, ſpecioſo novæ Philoſophiæ titulo fucatus, quadruplici via defenditur. Primam aperuere Juniores, quorum mentionem facit Modeſtus Gavatius de Euchar. diſp. 9. q. 2. cap. 2. Rhodes ubi proxime, & latiùs in Philoſophia, Comptonus in diſp. 12. Phyſic. Henao de Euchariſtia diſp. 7. ſect. 1., ajentes, remanere ſolùm ſpecies intentionales impreſſas, excitativas ſenſationum, quas experimur admodum, quo juxta Scholaſticos ex D. Thoma 3. p. qu. 76. art. 8. dum miraculosè apparet in hoſtia puer, aut caro, nulla immutatio realis adeſt ex parte objecti; ſed unicè ex parte oculorum ſe tenens per ſpecies Puerum repræſentantes. Parùm fideliter omittentes, quod S.Doctor tunc ſolum id adſtruat, dum viſio eſt ad horam, vel dum ab intuentibus hoſtiam ſimul cum vidente Puerum nullatenus hic videatur; ſecus dum permanenter, & uniformiter omnibus ſe conſpiciendum exhibet: tunc enim neceſſariò ſupponitur juxta Doct. Angelicum, & Theologos omnes mutatio realis ex parte objecti viſi. Præterea ſpecies illæ, à pane relictæ, ſunt illius effectus, nequaquam vero aliquid illius: Ecquod igitur erit tertium commune termino à quo, & ad quem, converſioni eſſentialiter neceſſarium?

Inſuper dum frangitur Hoſtia, quid ex parte rei frangitur? Sonus etenim ille non eſt ſpecies aliqua, aut qualitas propria panis, & illi intrinſeca, quippe qui diviſus ita non erat, dum panis erat, ſive ante conſecrationem: proindeque ſpeciem ſoni emittere non potuit in aures noſtras, niſi poſthumam illam nugando dixeris. Non Chriſti Domini Corpus, cum repugnet fidei, docenti, integrum perſeverare, diviſione Hoſtiæ facta, in quavis particula. Neque eſſe poteſt fractio purè imaginaria, aut merè intentionalis, dicente Apoſtolo 1. ad Corint. 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Chriſti eſt?* Ubi ſupponit fractionem ſimpliciter realem æque, ac communicationem phyſicam Corporis Chriſti Domini. Nihil ergo excogitabile frangi poteſt,

aut

aut dividi, niſi accidentia realia dulces pereuntis ſubſtantiæ panis exuviæ. Secunda aberrandi per inanem Philoſophiam ſemita putat, ſpecies illas neutiquam eſſe ſpolia deſtructæ, victæque ſubſtantiæ, & termini à quo, ſed eſſe proprias Corporis Chriſti glorioſi, cui particulæ aliquæ talis naturæ conveniunt, ut poſſint immittere ſpecies, ſenſationum noſtrarum excitativas: cum ſit privilegium Corporis glorioſi, apparere ſub ea ratione, aut forma, quæ Beato magis placuerit. Verum hac prærupta ſemita: ubi, aut quando reperies tertium commune abeunti, & venienti ſubſtantiæ per ſe aliquatenus expetitum à Chriſtiana Philoſophia in converſione Euchariſtica? Neque rurſus in nocte Cœnę Corpus Chriſti Domini poſitum fuit glorioſum in Euchariſtia, ſed paſſibile, & cujuſmodi tunc erat. Nondum igitur aderat hoc privilegium Corporis glorioſi; niſi ultro illud comminiſcaris.

Tertia via, non multo aliter, ſuaſit incautis, ſpecies illas, quæ apparent non eſſe accidentia, ſed corpuſcula quædam peregrina debiliſſimæ ſubſtantiæ, quæ prius deliteſcebant intra panis, & vini poros. Sed ejuſmodi ſubſtantiolarum umbra nihil habet commune cum pane, & vino, ut juniores hac euntes fatentur. Nihil ergo reſiduum erit illius compoſiti commune ſuccedenti loco illius, ac proinde nulla intercederet vera ſubſtantialis converſio, quod eſt hæreticum. Immò, cum præfata corpuſcula fingantur intra poros panis, in cujus locum ſubintrat Corpus Chriſti Domini, jam non continebitur Chriſtus intra ſpecies, ſed illas potiùs continere dicendum erit intra poros Corporis ſui. Neſcimuſque, qua rarefactione miranda novæ hujus Philoſophiæ corpuſcula tantum ſubitò ſpatium occupare potuerint, ut quæ priùs latebant inter anguſtos pororum anfractus; mox confeſtim totam panis dimenſionem, figuram, colorem, & rotunditatem, nihil magis, aut minus, ſua extenſione juſtè occupent; niſi ad miraculum recurſum faciant; quod in accidentium exiſtentia ſine ſubjecto recuſant. En Philoſophiam paradoxis refertam, & chimæris ſcatentem, in cujus ſectatores, tutam, & venerabilem Patrum Eccleſiæ Philoſophiam convitiis, & nugis liberrimè increpantes, oportunè contorqueres telum illud ab eiſdem emiſſum — *Gens ratione furens, & mentem paſta chimæris.*

Num. 43. Quarta præcedentis origo, & malorum ſub velamine philoſophiæ radix Authorem habet Renatum Carteſium phyſicas omnes qualitates, accidentarias entitates abſolutas è mundo philoſophico exturbare conatum enixè. Aſſerit enim nihil aliud remanere in tranſubſtantiatione Euchariſtica, niſi ſuperficies, quæ mediabant inter ſingulas particulas panis, ita ut ea ſuperficiei voce intelligant non tantùm exteriorem ſuperficiem terminantem panis figuram adequatè, ſed & illam, aut illas quæ terminant omnes partes in profunditate exiſtentes, poris ad invicem diviſas, intervallis breviſſimis ſeparatas; quæ eaſdem prorſus, quas antea panis impreſſiones emittere poſſunt in ſenſus noſtros. Hujuſmodi commentis facem prætuliſſe videtur Petrus de Alliaco in 4. quæſt. 5. art. 3. Vir alioqui inter præſtantiſſimos computandus; Cæterum ſi accuratè enucleare velis ejus mentem, invenies, ipſum minime inficiari realia accidentia in Euchariſtia; ſed dixiſſe tantùm, illa certo convinci non poſſe ex ſenſuum teſtimonio. Deinde quamquam in primum illud, diſputandi gratia, inclinaſſe dicatur, & à nota hæreſis vendicare conetur, ſubjungit attamen cautè: *Communiorem opinionem, & cui favet magis doctrina Eccleſiæ, eſſe, quòd in Sacramento accidentia, quæ fuerunt panis, remanent ſine ſubjecto, & in illis fit fractio, & hanc teneo.*

Adverſùs illam tamen tanquam planè erroneam aſſurrexere plures ſæculi proximè præteriti ſcholaſtici, ultra ſupra laudatos, inter quos ſedulò evolvendus tractatus gallico primum idiomate a P. Daniele elaboratus, & in duas partes diſtributus, & poſtea latinus factus accuratiſſimè Viennæ Auſtriæ à P. Ignatio Choler noſtræ Societatis. Tractatus inquam ſalibus diſtinctus, & ſimul armis Catholicæ veritatis inſtructus: & ad ineundam peregrinationem per mundum Carteſianum (cujuſmodi eſt libri titulus) viatico eruditionis, & ingenii locupletiſſimè munitus. Quamobrem nihil addendum exiſtimavi ad fuganda hæc ſomnia, ſuamet futilitate diſparitura; niſi digito ſolum oſtendere proſcriptionem potiſſimæ radicis hujuſcæ erroris, utpote damnati in Bulla Martini Quinti, quod & fecerat Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. Utrobique ſiquidem inter propoſitiones Wicleffi, & Joannis de Hus, configitur hæc prædicti Joannis: *Non eſt determinatum ab Eccleſia, quod accidentia ſtarent in Sacramento Altaris ſine ſubjecto.* Oppoſita autem eo ipſo decernitur, quæ niſi ſubterfugia per captiones quæras, ſatis maniſeſtè præfatam doctrinam condemnare videtur.

Rurſus Concilium Colonienſe part. 7. cap. 15. ait. *Quid enim panis, vinique ſpecies poſt conſecrationem ſunt, niſi ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubjecto?* & in lib. de Corpore Domini, quem Waldenſis tom. 2. cap. 83. tribuit Auguſtino; Bellarminus vero ſuſpicatur, illum fuiſſe Alcuini Venerabili Bedæ Diſcipuli, & Caroli Magni Præceptoris, aſſeritur expreſsè, nullatenus remanere ſubſtantiam panis, ſed converti in Corpus Chriſti Domini, *ſolummodo qualitatibus remanentibus.* Quare, uti prudentèr dixit Cameracenſis, futurum Philoſophiæ hæreticum, qui ea phyſica realiaque accidentia negaret; ita congruentèr adjungi poteſt, futurum infenſum Philoſophiæ Chriſtianæ. Ubi ſedulo animadvertendum (ne de errore ſuo, tanquam de novo ingenioſitatis invento gloriari poſſint moderni relati) aberrantem hanc doctrinam à Petro Abaelardo jam fuiſſe prolatam, & à D. Bernardo

do epiſt. 190. expunctam, dum ad Innoc. II. ſcribens refert ex Abaelardo: *Poſt conſecrationem Panis, & Calicis, priora accidentia, quæ remanent, dicit pendere in aere*, Non inhærere ajebat, quod eſt proprium accidentium ſtrictè talium, ſed pendere ad inſtar corpuſculorum Democriti. Eundem errorem expugnat, ut vetuſtum Cardin. Jacobus de Vitriaco in Hiſtoria Ecleſię Occidentalis anno *999*. Proindeque ejuſmodi corpuſcula extumulata potius, & putrida, quam noviter loco accidentium inventa fuere.

Num. 44. Hic adverſus Novatores præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti Domini, validiſſimè, & ineluctabiliter propugnant Scholaſtici, de qua nos ſect. 1. (licet neque juxta merita, nec juxta dignitatem materiæ) Addunt ex doctrina fidei in Synodo Tridentina ſtatuta, ſub ſpeciebus panis eſſe tantum Corpus ex vi verborum, reliqua vero omnia per concomitantiam, ſeu ex vi naturalis connexionis, qua ad invicem copulantur. Similiter in Calice ex vi verborum adeſſe Sanguinem duntaxat, alia autem vi ejuſdem connexionis. Cęterum quamquam reliqua non dicantur exiſtere ex vi verborum in Sacramento, adeſſe tamen creduntur paſſim ex efficacia eorumdem verborum, ut docuit S. Thomas 3. part. quæſt. 81. art. 3. ad 3. Paludanus, Capreolus, Doctor Eximius diſp. 51. ſect. 4. quos imitantur Recentiores; Quamvis refragentur plures cum P. Vaſquez diſp. 185. Coninkio, & Martinono. De Verbo Divino, ſive de unione hypoſtatica Corporis cum ipſo ambigitur, adſit, ne ex vi verborum ſub utraque ſpecie? Nonnulli, rati, verba illa: *Hoc eſt Corpus meum*; neceſſario deſignare ſubſiſtentiam, aut hypoſtaſim Divinam ſimul cum Corpore, affirmativam ſententiam tuentur, ita Cardin. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 23. fine, Claudius Sainctes repetitione 9. de Euchariſtia cap. 3. & acriter Bernal. diſp. 37. Id ipſum ſenſiſſe videtur Nugnus Cabez. 3. p. qu. 76. art. 1. niſi quòd unionem ipſam, aut nexum hypoſtaticum adduci ad Sacramentum vi verborum opinetur, non ſic autem perſonalitatem Divinam. Idem ſenſit Averſa q. 4. ſect. 1.

Reliqui vero propé omnes, tam perſonalitatem, quam unionem venire ſolum per concomitantiam exiſtimant, & multis probant. Quid vero intelligendum ſit nomine Corporis poſiti ex vi verborum fuſiſſimè controvertitur. Doct. Subtilis in 4. diſt. 11. qu. 3. quem ſequuntur plurimi, non duntaxat intra ejus ſcholam, ſed extra illam etiam, præſertim Leſſius (ſaltem quatenus admiſit formas partiales oſſium, Carnis &c.) Præpoſitus, Amicus Martinonus, Tannerus, & Wigers, id quod primus docuerat Henricus quodlib. 3. qu. 3. & 8. quodlib. 4. qu. 3. quodlib. 9. qu. 8. & quodlib. 9. quæſt. 10. Doctor, inquam, Subtilis aſſerit, Corpus, quod vi verborum adducitur ad Euchariſtiam, eſſe compoſitum ſubſtantiale coaleſcens ex materia, & ex forma ſubſtantiali corporaitatis. Aliter S. Thomas 3. p. q. 75. art. 6. ad 2. Cajetanus ibi, Doct. Eximius diſp. 51. ſect. 4. Paludanus, Capreolus, Medina, Ferrarienſis, Albertinus, Conimbricenſes, & Juniores frequentiſſimè, ſentiunt, per corpus ibi intelligi materiam primam ſimul cum anima, non ſecundùm conceptum ſpecificum animæ rationalis, ſed unicè ſecundùm gradum genericum formæ ſubſtantialis dantis eſſe Corporis organici, & humani, materiæ, præſcindentis à vivo, & mortuo, & utrique convenire potens. Quoniam corpus, quod ponitur vi verborum eſt vera caro Chriſti Domini, ut fide Sanctum eſt; Materia autem prima nudè ſumpta caro non eſt, nec ſanguis, ſed indifferens ad omnia compoſita: nec eſſe valet potus, aut cibus. Ulterius, Corpus, quod ibi conſtituitur, eſt corpus humanum, cum ſit Corpus Chriſti Domini, per » meum ſignificatum; pura autem materia prima Corpus humanum dici nequit, ut compertum eſt. Tandem Sanguis, qui exiſtit ibi ex vi verborum eſt ipſemet, qui effuſus fuit in Cruce, ut liquet ex Chriſti Domini Verbis; *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*: Non fuit autem effuſa ex illius venis ſola materia prima ſanguinis, ſed ſanguis ſtrictè talis, ſubindeque verè compoſitus ex forma ſubſtantiali, rubeſcens qualitate, & redimens merito, nunquam exangui, aut exhauribili.

Num. 45. Ex ultimæ hujus opinionis Aſſeclis, ſunt aliqui, qui ita illam, & Divi Thomæ mentem exponunt, ut materia prima voce corporis veniat in recto, & in obliquo anima, ſed non tantùm pœnes gradum corporeitatis proximè inſinuatum, verùm & abſolutè ſecundùm quod anima rationalis eſt, dummodo intelligatur ſolùm de obliquo veniens, & conſtituens. Sic opinatur Sotus, Palacios, Ledeſma. Hervæus autem in opuſculo de pluralitate formarum, apud Doct. eximium ſupra, exiſtimavit, adeſſe ex vi verborum animam etiam in recto, non tamen ut vivificantem, aut informantem; quem ibidem reiicit eximius Doctor.

Quorundam vero opinio cum Ægidio Romano, Gabriele, Argentina, Major, Gregorio de Arimino, Marſilio, & veteribus aliis, quibus ſubſcribit Henao, autumant, utrobique poni ſolam materiam primam vi verborum, cum habitudine tamen, ordineque ad animam; quamquam plerunque ii Authores non materiam nudam, ſed accidentium varietate ornatam, juxta animæ exigentiam intelligant nomine Corporis. Contra quos diſputant Vaſquez loco allegato, Cardin. de Lugo, & alii. Ipſe tamen Vaſquez, quem ſequuntur Mecatius, Cardin. de Lugo, Junioreſque non pauci, affirmat, nullatenus conſtitui vi verborum ſub ſpeciebus Corpus, proût dicit materiam, & formam ſubſtantialem, nec inſuper, proût dicit animam conferentem ma-

te-

Digitized by Google

teriæ gradum corporis communem vivo, & mortuo Corpori, ſed disjunctivè, proùt Corpus eſt, vel vivum, vel mortuum: ſub qua acceptione importat, vel formam cadavericam, vel animam pœnes gradum inſinuatum. Niſi quòd Lugo adjungat, poni materiam organizatam organizatione præſcindente ab accidentali, & ſubſtantiali, ut poſſit adeſſe Corpus organicum, ſive vivum, ſive mortuum. Quomodocumque autem id explicetur, certum fide divina eſt, computatis iis, quæ ponuntur, tam vi verborum, quam per concomitantiam, totum integrumque Chriſtum Dominum adeſſe realiter ſub quavis ſpecie, decernente Concilio Florentino ubi ſupra: *ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ Conſecratæ, & Vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus.* Idem definit Tridentinum ſeſ. 13. cap. 3. & quamquam utrumque Concilium adjiciat illam quaſi limitationem, *ſeparatione facta*: Cæterùm Tridentinum in cap. 3. laudato abſolutè, & omnis limitationis ſpecie ſemota, affirmat: *Totus enim: & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub Vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit;*

Unde temerarium eſſet oppoſitum dicere de illo ante ſeparationem, ut ſolidè oſtendit inter alios P. Leſſius qu. 76. art. 1. adversùs Magnum Albertum, & aliquos ei ſubſcribentes, quos ſuppreſſis nominibus refert Doct. Seraphicus in 4. diſt. 10. par. 1. art. 1. qu. 5. fuitque juxtà mentem Altiſiodorenſis lib. 4. Summæ Tract. 5. cap. 4. Dubitatur attamen, utrum ante ſeparationem, ita ſit totus Chriſtus Dominus in quavis parte, quantumvis minima, ut ſit etiam infinities in illa; ſi ſupponatur in infinitum diviſibilis? Doct. Seraphicus ubi nuper, Alexander de Ales, Gabriel, Major, & pauci alii, arbitrantur eſſe ſolùm in eis particulis, quantumvis minimis, in quibus conſervaretur, & exiſteret naturaliter ſubſtantia panis, & vini; ac proinde in minimis naturalibus adeſſe totum; non verò in particulis ſub minimo naturali in infinitum contentis, quæ ſeipſis tantùm ſubſiſtere nequeant. Hanc ſententiam invadunt acriter reliqui Scholaſtici, & quidem ratione ſimul, & cenſura, ab eaque vendicant Doctorem Seraphicum. Sed renaſcitur inter communis opinionis Patronos dubium aliud, vel potius illud ipſum paulo aliter veſtitum: an videlicet in ſingulis minimi particulis ita ſit totus, ut ſortiatur præſentias infinitas, ex ea ſuppoſitione continui Ariſtotelici: an potius in illis, ſeù minimis, ſeù minimo minoribus ſit totus, per præſentiam tamen indiviſibilem, illi particulæ adæquatè affixam? Primum illud docent cum S. Thoma, Cano, Doct. Eximius diſput. 52, ſect. 2. Vaſquez diſp. 188. Cardin. de Lugo, Averſa, Nugnus, Valentia, Granados, Serra, Prados, & alii quamplures, quos dabunt Salmaticenſes tract. 23. de Euchar. diſp. 6. dub. 4. ſecundum amplectuntur, Leſſius lib. 12. de Perfec. Divina, Conink. Rhodes, & Henao diſput. 8. ſect. 2. num. 26. quatenus ſolum potentialiter dicit, eas præſentias infinitas, non tamen actu: quem dicendi modum tenuere Salmanticenſes tract. 23. diſp. 6. ex ſuis Complutenſibus.

Major eſt difficultas circa præſentiam Chriſti Domini in punctis indiviſibilibus, ſive continuativis, ſive terminativis etiam, ſuperficiebus rurſus, & lineis, ſi hæc omnia indiviſibilia ſupponantur? Aſſertivè reſpondendum credit Sotus, (& quidem ea adhæſione, ut invehatur in oppoſitum, tanquam parùm tutum) in 4. diſt. 49. qu. 4. art. 6. Capreolus in 4. diſtinc. 10. quæſt. 4. artic. 3. ad 2. Doct. Eximius, Valentia, Arauxo, Nugnus, Cornejo, Albertinus, Prado, Gonet, Præpoſitus, Granados, Meratius, Tannerus, Amicus, Gamachæus, Salmanticenſes &c.: duce Sancto Thoma in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 2. qu. 4. ad 2. negativè reſpondent Doct. Subtilis, Ricardus, Mayron, Magnus Albertus, Ægidius Theorem. 11. & 20., Vaſquez, Henriquez, Gaſpar Hurtadus, Paſqualigus, & juniores oppoſitam, ajentes, ſententiam damnatam fuiſſe à Doctiſſimo in primis, & ſublimi Salmanticenſis Academiæ Cœtu? Conſentiunt à fortiori inſinuati ſupra Theologi, qui adhùc in particulis minimo tenuioribus pluralitatem præſentiarum inficiantur. Cardinalis de Lugo utriuſque partis argumenta ſatis difficilia, & quibus ægre ſatisfieri valeat, exiſtimat, P. Henao utrique ſatisfacere conatur, nulli adhærens. Ejuſmodi tamen argutiæ explicatu difficillimæ, naſcuntur ex ea Philoſophica continui opinione, ut Lugo animadvertit, eam idcircò repellens, ſaltem quoad illa indiviſibilia: Sic à rebus interdum infimis, & tenuiſſimis pendent ſublimiores difficultates, & propterea monuit ille;

In tenui labor; at tenuis non gloria:

Num. 46. Per quàm verò actionem ponatur Chriſtus Dominus in Euchariſtia, dubium eſt, in quo decidendo ſtrenuè utrinque dimicatur: Doct. Subtilis in 4. diſt. 11. qu. 3. & 4. & qu. 10. (& in Quodlibetis) quem ſequuntur Scotiſtæ, item Capreolus, Marſilius, Ledeſma, Bellaminus lib. 2. de Euchar. cap. 18., & quamplures Recentes, quibus omnibus præluxit Alexander de Ales, judicat conſtitui ſub accidentibus per actionem purè adductivam. Alii cum Innocentio III., & D. Thoma per actionem productivam, ſive illa reproductiva, ſive conſervativa, aut aliquatenus creativa, dicenda ſit. Ita Gabriel, & Sotus, eamque opinionem illuſtravit, plauſibilemque efficit Doct. Eximius diſp. 50. ſect. 4. Nomen eidem dedere ad inſtar agminis, Leſſius, Tannerus, & plures Thomiſtæ (quos dabit Arauxo) Coninkius, Granados, Becanus, Præpoſitus, Sainctes, Henao, Martinonus, Ber-

Bemal, Hurtadus, Peſſantius, Lambertus, Gamachæus &c. Pauci alii cum P. Vaſquez, & Turriano cenſent, tranſubſtantiationem eſſe ordinem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ideſt panis deſinentis in ſubſtantiam Corporis Chriſti ſuccedentis, ſeu relationem præſentialitatis, cujus denominationis extrinſecæ fundamentum latè exponit, & probat P. Vaſquez diſp. 181. à cap. 11. Cardinalis de Lugo arbitratur, eſſe actionem unitivam Chriſti Domini cum ſpeciebus, imitatus Alanum, Ledeſmam, Valentiam, & Albertinum, abeuntem fere in eundem ſenſum. Conveniunt tamen ii in removenda actione productiva, aut reproductiva; locutioneſque Patrum, ſatis manifeſtè eam adſtruentes, explicare ſatagunt; ægrè tamen obtinere poſſunt.

Controvertitur inſuper de unione Chriſti Domini cum accidentibus: illam antiqui maximæ notæ dixere formalem; non ſanè ità, ut ſpecies inhæreant Corpori Chriſti Domini, quemadmodum prius inhærebant ſubſtantiæ panis, & Vini; ſed alio prorſus modo, & nexu, quem mirabilem planè, ineffabilemque tandem appellant. Sic locuti fuere Doct. Angelicus in 4. diſt. 11. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. ex S. Damaſceno, Cajetanus 3. par. qu. 76. Aureolus, Capreolus, Paludanus, Ricardus, Alanus, Ledeſma, Bellarminus, Claudius Sainctes, Joannes Heſſet, Conink. &c. Eam nuncupant laudati Authores Sacramentalem; tametſi Alanus propendere videatur in nuncupatam illam hypoſtaticam (In quo dicendi modo, aut phraſi cautè procedendum). Heſſet vero in lib. de Corpore Chriſti Fol. 181. illam credit ſtrictiorem ea, quàm Angelus habet in, & cum corpore aſſumpto, cui loquendi modo conſentit Vaſquez diſp. 181. cap. 3. Conink. autem ipſam reputat ſimilem unioni intercedenti inter Corpus Beati, cum alio non glorioſo, ſi cum illo penetretur. Adi Doct. Eximium circa opinionem hanc diſp. 47. ſect. 3.

Secunda opinio unionem effectivam mutuam invehit, ſeu vinculum reale per efficientiam, aut colligationem ad invicem, & veluti attractionem (uti loquitur ibi Doct. Eximius) qua unum extremum magnetica virtute ſibi aliud conjungit alliciendo. Siquidem ultra actionem, qua Corpus Chriſti Domini apud ipſum Suarez conſtituitur in Euchariſtia, neceſſariam putat aliam, vi cujus conſervet accidentia ſine ſubjecto. Pro eadem Doct. Eximii opinione referuntur ex antiquis Magiſter Sentent. 4. diſt. 11. Altiſiodorenſis, & vix alius (quinimmo, & Magiſtri mens in dubium revocatur). Ex Modernis attamen, laudatus Doct. Eximius, quem ſequuntur plurimi; quamvis pænes circumſtantias aliquas diſcordent, præſertim cum Cardinalis de Lugo velit, conjunctionem illam arctiſſimam coaleſcere ex unione effectiva ſimul, & formali, Leſſius qu. 76. art. 6. dub. 1. Arauxo eadem quæſt. art. 5. dub. unico, tametſi non ex toto adhæreant, uti, & P. Arriaga ex parte duntaxat. Henriq. lib. 8. cap. 22. & 25. Granad. Albertinus de Prædicamento quantitatis: corolar. 3. dub. 6. Alii cum P. Valentia diſp. 6. qu. 6. puncto 3. nexum illum concipiunt, ut modum quemdam ſubſtantialem in Corpore Chriſti Domini exiſtentem, medio quo vices ſubſtantiæ panis quadantenus gerat. Fueruntque re ipſa hujus opinionis Alanus, Ledeſma, Palacios, & alii, quos allegat Peſantius. Nec deſunt, qui modum præfatum unionis, non ſubſtantialem, ſed merè accidentalem induxerint, ut Moncæus diſp. 11. cap. 14. & Meretius diſp. 16. Adeo caligat in profundo hoc arcano mens noſtra, ut quamquam illius aris non liceat inſcribere *Ignoto Deo*, ut Athenis olim (Act. 17.) deceat attamen inſcribere, ignoto Dei ſub ſpeciebus exiſtendi modo.

Num. 47. Floret, & alia ſatis frequens opinio, docens nihil aliud ſignificari per dictam unionem, quam intimas præſentias, tum Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, tum ſpecierum cum mutua horum connexione: Hanc præfert reliquis P. Henao diſp. 7. ſect. 3. à num. 37. Eandem amplectuntur Laurentius Brancatus diſp. 21. art. 13. niſi quòd in ea præſentiarum conjunctione recuſet agnoſcere unionem phyſicam, ſed illam dicendam putat mathematicam. Faber diſput. 36. cap. 4. Gabatius diſp. 4. q. 3. & alii, maxime Scotiſtæ. Ultima tandem, & celeberrima ſententia, præcedenti cognata, removet omnem prorſus unionem, ſive formalem, ſive effectivam inter Chriſtum Dominum, & ſpecies, ſolumque admittit inſeparabilitatem præſentiarum extrinſecè ex pacto Divino. Ex qua infert Chriſtum Dominum nequaquam moveri à Sacerdote ad Hoſtię motum, ſed à Deo attemperate ad eam Hoſtiæ Sacræ elevationem, vel motum alium, vi pacti inſinuati. Sic philoſophatur Doctor Subtilis in 4. diſt. 10. qu. 1. Cujus veſtigia premunt multi, tam intra, quam extra ejus ſcholam, eamque expeditiſſimam decantant ad implexas admodum difficultates evadendas, & ad modum exiſtendi, qui longè plus decere videatur ipſum Chriſtum Dominum, de quo nos copioſè diſputatione 3. Præſentiam autem Chriſti Domini eſſe intrinſecè ſupernaturalem docet communior longè Theologorum opinio, refragantibus veterum nonnullis, Gabriele, Soto, & aliis, quos retulit eximius Doctor diſp. 48. quin & Modernis, cum P. Vaſquez in 3. part. diſp. 191. cap. 2. & tom. 2. in 1. part. diſp. 214. Herize, Gaſpare Hurtado, Franciſco Lugo lib. 1. de Deo uno diſp. 8. Arriaga de anima, ſupernaturalitatem ſecundum quid duntaxat, vel quo ad modum agnoſcentibus.

An vero, & quomodo præſentia realis Chriſti Domini in Euchariſtia pendeat ab ejus connaturali exiſtentia circumſcriptiva in

Cœ-

Cœlis, prolixè diſcutitur, vocatis, & adductis ad examen undecunque teſtibus, & diſcurſibus. Primò diſquiritur, num attenta natura rerum, & præſentiarum dependeat ab hac illa? Secundò, an extrinſecè ſaltem ex Divina inſtitutione, aut inſtitutoris voluntate? Utrumque tamen alibi à nobis, quamvis aliud agentibus, & aliò euntibus, tractandum; Eſt enim materia à fine præſtituto huic libro aliena, niſi occaſio illam fecerit obviam. Quod & in aliis quæſtionibus continget non raro, & ſanè multa incidenter illuſtrantur, & reſolvuntur feliciùs, quam ſi ex profeſſo ad Lydium lapidem venirent: Siquidem proſilienti interdum ſcintilla quadam ex materia, quæ per ſe diſcutitur, inopinatò illuceſcunt.

Num. 48. Servatorem noſtrum non eiſdem verbis, ac nos conſecraſſe in Cœna, ſed vel aliis, vel ſolis nutibus externis, tactu ſcilicet, aut benedictione, ſimul cum imperio voluntatis, vel Divina ſolùm virtute, ſenſere ex veteribus clariſſimi Theologi, & Canoniſtæ. Innoc. III. lib. 4. de Myſteriis Miſſæ cap. 6. ſine reputat probabile Chriſtum Dominum nullis uſum fuiſſe verbis, ſed poteſtate excellentiæ, aut Divina. Durandus in Rationali, Gabriel probabiliter, Picus Mirandulanus, Alliaco, Catharinus, Mayron, Armacanus, & alii, videndi apud Salmeron tom. 9. tract. 13. Aliqui verbis quidem conſecraſſe faſſi ſunt, at non eiſdem, quibus modò nos ex ejuſdem Chriſti Domini ore, & oraculo, ut refert S. Thomas 3. p. qu. 78. art. 1. ad 1. uti & nonnulli opinati fuerunt, eiſdem prorſus, ſed prius ſecretè prolatis, ac proinde bis protuliſſe, ſicut ibidem narrat Doct. Angelicus. Eiſdem tamen uſum fuiſſe, quæ nobis conſecraturis reliquit, & eo tempore, quo illa ſenſibiliter protulit, ea certitudine tenendum judicat Theologia hujus ævi, ut oppoſitum foret planè temerarium. Ita Magnus Suarez diſput. 58. Vaſquez diſp. 197. Alanus, Aretinus diſp. 8. q. 2. art. 1. Bellarminus, Gravina, Valentia, & qui mitiùs loquuntur, aſſerunt, eſſe contra communem ſenſum Theologorum. Videatur Prado q. 78. dub. 2. Nituntur autem non tam decreto Florentini, cujus verba diverſimode uſurpantur, & leguntur; quam Tridentini doctrina ſeſ. 13. cap. 1. Solumque controvertunt Scholaſtici, an gratiarum actio, benedictio, & conſecratio fuerint omninò idem, an actiones diverſæ? Conſulendi Sotus in 4. diſt. 11. Vaſquez diſp. 196. à cap. 1. Doctor Eximius ubi nuper ſect. 2. Joannes à Sancto Thoma, Granados, & Henao. Verba autem illa à Sacerdote minimè proferuntur merè recitativè, aut hiſtorico modo, purèque materiali, quaſi narrando ſolùm, ea fuiſſe à Chriſto Domino dicta; ſed inſuper formaliter, & enunciativè, itaut eorum ſignificatum intendat Sacerdos: ſubindeque utroque modo, & enunciativo, & recitativo dicuntur, ut colligitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, & docuit S. Thomas q. 78. art. 5. ibi: *Ideo dicendum eſt, quòd etiam, quando proferuntur à Sacerdote, ſignificativè, & non tantum materialiter ſumuntur*. Poſſunt etenim verba habere quamoptime duplicem ſenſum, & manare ex duplici intentione, itaut ſignificatio ſit aliquatenus æquivoca, ut oſtendunt Leſſius q. 78. art. 5. Conink. Cardin. de Lugo, Amicus, Præpoſitus, Martinon, & P. Henao.

Quamquam oppoſitum docuerint aliqui cum Durando diſt. 8. q. 2. opinante, ſolùm recitativè, & materialiter pronuntiari: à quibus ſtare videtur Innoc. III. Eamque pro viribus tuetur Salmeron ubi proximè. Uti ex adverſo plures cum P. Vaſquez, nullatenus materialiter aut narrativè, ſed adæquatè purè formaliter, & ſignificativè proferri contendunt, quos imitatur Cardin. de Lugo diſputatione 11. Si veritatem illius enunciationis: *Hoc eſt Corpus meum*, inquiras, rogans quo pacto vera eſſe poſſit propoſitio, in qua verbum *eſt* ſignificat de præſenti; cum aliunde in illo nunc, non ſit adhuc peracta conſecratio, atque adeo nec exiſtat adhuc Chriſti Domini Corpus, nec aliquid illius? Reſpondent confeſtim Scholaſtici ultimum inſtans prolationis eſſe intrinſecum illi propoſitioni, in quo jam verificatur, adeſſe Corpus Chriſti Domini. Inſuperque ajunt, illam eſſe veram practicè jam tunc, eo quod ſit effectiva veritatis, quam ſignificat; tametſi nondum ſpeculativè formaliter ſit vera, donec finita ſit conſecratio. Super quo legendus omnino S. Thomas 3. p. q. 78. aliorum opiniones recenſens, & illuſtrans: & ibidem Cajetanus, Doct. Eximius, Amicus diſp. 24. Martinonus, Lugo, Gaſpar Hurtadus, Henao, Gamachæus, Rodes. Quamvis aliqui cum Doct. Subtili, Gabriele, Marſilio, Majore, veritatem ejus propoſitionis hauriant ex intentione proferentis Verbum *eſt* ex Chriſti Domini inſtitutione. In quo ſenſu Aureolus innuit, illam eſſe veram pro ipſo nunc prolationis verbi *eſt*. Quis in tanta viarum pluralitate dicere valeat tutò, hâc eundum; quin exponatur periculo dicendi eo ipſo, hâc aberrandum? Profectò ille ſolus, quem Deus erudierit, ut ipſe loquitur Pſalm. 49. *Illic iter, quo oſtendam ſalutare Dei*.

Num. 49. Negligenda tamen non eſt Ricardi cogitatio aſſerentis, propoſitionem illam eſſe veram quaſi disjunctivè, prout ſcilicet ſignificat, vel: *Hoc eſt*: vel: Hoc proximè erit, *Corpus meum*: inde autem elici videtur, præfata verba prius efficere, quam vera actu formaliter eſſe intelligantur; cum ex alia parte ægrè efficere poſſe appareat, niſi vera ſint, & quatenus vera: quoniam, dum veritas propoſitionis in ſuſpenſo concipitur, activa illius efficientia, cum ſit verborum, curſum divinitus ſortiri nequit, nondum exiſtente actu veritate, illius fonte. Si verò efficere practicè non poſſe dicas, do-

F nec

Digitized by Google

nee vera ſint formaliter, te ipſum, doctrinamque tuam implicationum nexibus fermè inextricabilibus irretis; ſiquidem non alia ratione eſt formaliter vera, niſi quatenus verificetur per exiſtentiam realem Corporis Chriſti Domini vi verborum ſub accidentibus. Ergo, dum non aliter adſtruitur efficiens exiſtentiam Chriſti Domini ibidem, quam dum ſupponatur formaliter vera, re ipſa affirmatur, illa eatenus eſſe effectiva, quatenus effectiva ſunt.

In hac rerum & verborum dubia explicatione Subtilis Doctor, cui adſtipulantur Scotiſtæ, item Vaſquez diſp. 202. Sotus diſt. 11. q. 1. art. 5. Cardin. de Lugo, Tannerus, Becanus, Leſſius, Bernal, Averſa, Præpoſitus, Valentia, Gaſpar Hurtadus, Martinonus, Caſpenſis, & alii Recentiores, ex doctrina quadam Ariſtotelis introducit mutuam quamdam prioritatem inter veritatem, & effectivum influxum. Cajetanus exiſtimat, verba efficere, ut practicè vera, & in eo ſenſu præſupponi veritatem, ſubſequi tamen veritatem ſpeculativè uſurpatam; quod docuerat etiam Capreolus, & æmulati fuere Doct. Eximius, Ledeſma, Nugnus, Coninkius, Henao, & Thomiſtæ frequenter; videturque revera conſormius menti D. Thomæ q. 78. art 5. tum in 4. diſt. 8. q. 2. art. 1. quæſtunc. 4. ad 1. vel, ut alii explicant, verba operantur, quà radicaliter vera; non quà vera formaliter. Utrum verò pronomina *Hoc*, *& Hic* accipiantur ſubſtantivè, vel adiectivè, dubium eſt crebrò agitatum; in quo primum illud tenendum ſenſere cum D. Thoma q. 78. art. 5. & cum Doct. Subtili in 4. diſt. 8. quæſt. 2. Sotus, Cajetanus, Doct. Eximius, Averſa, Valentia, Conink., Henriquez, Rhodes, & communiter Thomiſtæ, ſimulque Scotiſtæ. Plures tamen ſecundum extremum amplectendum cenſent, probantque cum Maldonato in cap. 26. Math. Majore, Claudio Sainctes, & Vaſquez diſp. 101. cap. 4. Præpoſitus, Mæratius, Lugo, quorum ſententiam valde probabilem dixit Eximius Doctor. Sunt & nonnulli, qui in utroque ſenſu illa uſurpanda rentur, quos ſequitur P. Rhodes, ex quibus luculentiſſimè dignoſces, niſi illa, quæ apertè fides revelat, & Alma Eccleſia expreſſè declarat; omnia ſubobſcura, dubia, & ſub lite mutua ſapientum poſita eſſe; itaut, tametſi nequaquam latitet velata eorum notitia, deliteſcat attamen in profundo arcani eorundem veritas.

Num. 50. Verba eſſentialiter certò exacta pro conſecratione Hoſtiæ non includunt præcedentia illa: *Qui pridie &c.* Ut Rada, Faber, & pauci alii judicarunt. Neque ſubſequentia illa: *Quod pro vobis tradetur*, ut Græci per errorem docuere; neque particula *enim* eſt de eſſentia formæ, in quo conveniunt Theologi; controvertunt tamen mutuò circa verba eſſentialia ad conſecrationem Calicis, aſſerente D. Thoma, omnia illa, quæ dicuntur unà, dum Sacerdos incipit pronuntiare: *Hic eſt &c.* præter particulam: *enim*: pertinere ad eſſentiam, neque eſſe tantùm de neceſſitate præcepti: D. Thomam ſequuntur plures, quos dabit, & quibus ſubſcribit Author Salmanticenſium; repugnante tenaciſſimè Scholaſticorum reſiduo. Media nihilominus quadam via incedere videntur Sotus, Ledeſma, & pauci alii Thomiſtarum, ajentes, reliqua ultra illa ab omnibus admiſſa, tametſi eſſentialia neutiquam ſint; pertinere tamen ad integritatem ſubſtantialem. De quo Sermo nobis inſtituendus iterum diſp. 5.

Plurima alia de Miniſtro hujus Sacramenti: de inſtitutionis tempore: de ſuſcipientibus, eorundemque apta diſpoſitione: de ipſo ſecundùm quòd ſacrificium eſt, ſuperſunt dicenda, quin & delibanda; ſed non dictum benè *plurima*, infinita ſunt, quæ prætermittuntur: & quidem nonnulla ſatis obvia apud Theologos, ut ſunt, quòd nihil ab Agente extrinſeco pati valeat Chriſtus Dominus in Euchariſtia; uti nec in ipſa agere poſſit connaturaliter quidpiam; poſſit ne primo elicere actus intentionales, non ſolum ſpirituales, ſed corporeos & alia his affinia. Quoniam vero de his tuſè in ſequentibus diſputationibus nobis diſſerendum eſt, quia intra metam tractatus noſtri continentur, altum ſilentium nobis de ipſis indiximus hic. Hactenus inſinuata, & ſummatim deprompta, exigua quidem ſunt, ſi materiæ dignitatem cogites; non deſcipienda tamen, ſi tanquam præviam tantum notitiam ad arcana deinceps in præſenti tractatu aperienda, aut prologum altiſſimarum quæſtionum conſideres. Qui Miſteriorum pelagus, quæ raptim libata fuere in hac veluti præfatiuncula contempletur; cum ſummis tantum labiis deguſtata ſint, meritò laceſſet nos, vetere paræmia uſus, & dicens, nos ante Myſteria diſceſſiſſe. Qui verò noverint nos ſummam illam attuliſſe inſtar facis duntaxat ad ulteriora profundiſſimè ejudem Arcani ſecreta inveſtiganda, inſectari jure nequibit brevitatem, nec inopiam lucis.

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

Utrum Christus Dominus *prout in Euchariſtia latens vivat de facto, jugiterque, per ſenſationes aliquas, & actus alios immanenter vitales, à corpore pendentes, ab eo, quà ibidem exiſtente, primò elicitos?*

VITAM Dei in terris abſconditam, Vitam Euchariſticam à Chriſto Domino ſub accidentibus, per ſenſus mirabiliter comparatam, & irrequieto ferè motu exercitam, à Theologorum ſenſu non prorſus alienam, quamquam ab eiſdem nondum adamuſſim diſcuſſam, nec eorundem votis frequenter admiſſam, ſolicita mentis, & amoris face inveſtigamus, eamque ex puriſſima Evangelii, præſertim Joannis, vena haurimus, & ex principiis fidei liquidò fluentem deducimus. Fatemur ejuſmodi Vitam eſſe Philoſophis ignotam, & Theologis non valde perviam, licet à multis obviter tractatam. Porro tametſi appareant hujuſce miræ vitalitatis intra arcanum latentis veſtigia; non ſunt adeo expreſſa, nec ſapientum exemplis adeo frequentata, ut omnem aberrandi formidinem pellant à me, illâ viâ exiguo, quamquam nobili, comitatu ituro. Prævaluit nihilominus ambitioſus amor erga Euchariſtiæ gloriam, doctiſſimorum hominum conſilium, fiducia in Deum, cujus ope viam hanc, lacteam ſane, ſimul attamen difficultatibus, & periculis arduam, quin & horridam, Sacrâ ipsâ Euchariſtiâ quaſi viatico munitus audacter arripiam. Prævaluitque demum ſpes elucidandi præfatam doctrinam ea ſcripturarum copia, & rationum vel ſaltem conguentiarum ubertate, ut ſi non evincant, ſuadeant efficaciter intentum. Nam victricibus aquilis, & argumentis pugnantem ex oppoſito ſententiam proſternere, Hoſtemque ſubjugare pœnitus in arcanis lumen rationis naturalis prætervolantibus, aut fugientibus, dum fides palam non loquitur, vel dum nutibus ſaltem non annuit, aut connivet, triumphus eſt extra vires intellectus humani ſepoſitus; hanc gloriam ſibi reſervant, Fides captivando, & Deus profuſione lucis intellectum noſtrum convincendo. Ex qua victoria commendatur à Job. cap. 36. *Ecce Deus Magnus vincens ſcientiam noſtram*. Namque genus demonſtrativum eloquentiæ Scholaſticæ in quæſtionibus obſcuriſſimis non revelatis, & pugnaciſſimè inter Theologos controverſis, imaginarium potius quam verum triumphum plerunque agit. Et cum (teſte Cicerone in oratione pro M. Marcello) arrogantia *ſit victoriæ comes*, jactabunda in ejuſmodi concertationibus ratiocinia ſæpiſſime pariunt arrogantiam; rarò tamen plenam victoriam.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Prænotatis quibuſdam animadverſione, & ſcitu dignis, Theologorum placita recenſentur, & affirmativa ſententia vitæ actualis Corporeæ Chriſti Domini in Eucharistia multis nominibus prefertur, multiſque ſacrarum litterarum teſtimoniis, præſertim ejuſdem Chriſti Domini, multipliciter firmatur.

§. I.

Num. 1. UT autem expeditius hæc Chriſti Domini vita corporea, perenni fluxu ſcatens in ara, probetur, obſervandum eſt 1. Chriſtum Dominum quà in Euchariſtia deliteſcentem poſſe elicere coonaturaliter operationes merè ſpirituales intelligendi, & amandi, à ſeuſibus, phantaſiaque prorſus independentes, actus videlicet ſcientiæ infuſæ, & beatæ; quæ doctrina tanquam dogmati affinior, potius quam opinioni, traditur ab Scholaſticis frequenter, deſumiturque ex Divo Thoma pluribus in locis; colligitur namque, apertè ex doctrina generica ipſius 3. p. q. 81. art. 4. Ex Doct. Subtili in 4. diſt. 10. quæſt. 5., quos Theologorum exercitus numeroſiſſimus unitim ſequitur. Ex cooceptu formali principii activi, & receptivi eorundem actuum independentium, nullo pacto exigentis extenſiooem localem ad operandum, nec habitudinem aliquam per proprias dimenſiones ad corpora., aut objecta extrinſeca; ut compertum ſit exemplo Angeli, & animæ ſeparatæ, elicientis pro eo etiam ſtatu ejuſmodi actus immanentes. Ex ea autem ſententia conſequenter inferunt iidem Theologi, poſſe connaturaliter animam Chriſti Domini recipere ab agentibus extrinſecis incorporeis, puta Angelis, aut anima ſeparara, impreſſionem aliquam, aut ſpeciem ſpiritual·m, ſi id extra Sacramentum contingere valeat; quemadmodum circa locutionem mutuam Angelorum philoſophantur plurimi: & ſicut poteſt Angelus loqui cum anima ipſa Chriſti Domini in Euchariſtia, cum illius ſpeciei ſuſceptio fiat independenter ab omni actu phantaſiæ, aut alio materiali, uti animadvertunt nonnulli ex laudatis Scholaſticis cum Doct. Subtili ſupra q. 10, & ex illo Gavatius diſp. 22. art. 5., & Scotiſtæ alii. A' fortiori igitur poterit ſpecies à Deo infuſas recipere, illiſque, aut antecedenter etiam infuſis, uti virtute naturali activa ad emittendos independenter à corpore, aut miniſterio ſenſuum, actus ſcieutiæ per ſe infuſæ, amoriſque actus ea ſcientia, uti & beata, regulatos, pro nutu ſuo.

Pauci aliqui tamen judicarunt, id univerſim fieri nequaquam poſſe naturaliter, ob implexas replicationis illius intellectionis infinitudines, juxta præſentiarum numerum ſine numero intra Hoſtiam; ſed divinitus ſolum, quibus conſentire probabiliter videtur Henao diſp. 10. de Euchar. ſect. 4. nu. 68. dicens: *Et à me quidem levitatis non inſimularetur Theologus, qui eadem cauſa affirmaret, Chriſti animam in Euchariſtia non poſſe naturaliter, aut ſine novo miracula elicere actus intellectus, & voluntatis.* Illico tamen ſubjungit: *præſtat tamen à communi ſententia non recedere.* Et Doctiſſimus P. Leſſius qu. 76. art. 7. dub. 2, num. 50. poſtquam dixerat: *Videtur tamen naturaliter poſſe elicere actus intellectus non dependentes ulla modo ab uſu phantaſiæ*: cum ſibi objeciſſet eam replicationum infinitatem, partim ſuccumbit, adjungens: *Unde hæc intellectio non poterit elici naturaliter ſub omnibus punctis Hoſtiæ, ſicuti Corpus Chriſti, & anima ſub omnibus punctis ponitur; ſed ſub aliqua puncto, vel particula, ubi Chriſto placuerit.* Reliqui vero conantur evadere hanc, & ſimiles alias difficultates totidem ferè reſponſionibus, aut ſemitis, quot opponuntur ipſis futuræ alioqui replicationes.

Num. 2. Obſervandum 2. juxta vulgarem ſententiam omnes operatiooes immanenter vitales, quæ eliciuntur à Chriſto Domino circumſcriptivè exiſtente in Cœlo, ſive purè ſpirituales, ſive materiales, tam illas, quæ pendent immediatè ab orgaoo, quam quæ in radice mioiſterio ſenſuum acquiſitæ fuerint; dummodo adſint præcedenter ad conſecrationem, venire ad Euchariſtiam per concomitantiam, ſeu vi naturalis connexionis cum anima, aut corpore, cui intrinſecè inhærent; cum ejuſmodi operationes nonminùs ſint conjunctæ intimè organis corporeis, aut potentiis, animæ, dum perſeverant, quàm reliqua corporis accidentia ſtabilia, quibus Chriſti Domini Corpus elegantiſſimè ornatur, quæque eo titulo venire, certum eſt ex Tridentino. Sic opinantur cum D. Thoma 3. p. q. 81. art. 4. corpore, & cum Doctore Subtili ſupra primi nominis Theologi. Sotus, Ledeſma, Eximius Doctor, diſp. 53. ſect. 3. Vaſquez diſp. 192. cap. 3. Card. de Lugo, & quamplures alii.

Nonnulli ſub diſtinctione loquuntur, adjunctiſque limitationibus, maximè Scotiſtæ, ſiquidem Gavatius diſp. 5. de Euchar. qu. 7. ſect. unica adducens pro ſe Scotum ubi ſupra, & quodlib. 13. aſſerit, operationes corporeas penes entitatem abſolutam materialem, quam important, deferri ad Sacramentum jure conoexionis inſinuatę; neutiquam verò ipſas formaliter, ſecundùm quòd reddunt actu videntem, exempli cauſa, vel audientem; eò quòd ejuſmodi denominationes includant eſſentialiter habitudinem realem ad præſentialitatem objecti, quæ minimè reperitur in Euchariſtia reſpectu objectorum, quæ ſunt realiter præſentia Chriſto Domino in Cœlo. Idemque affirmat de actu

omni-

omnino ſpirituali, qui ſimilem præſentiam eſſentialiter expoſcat. Et ſanè Doct. Seraphicus in 4. diſt. 11. part. 2. art. 2. quæſt. 2. ita ſenſiſſe videtur, cum docuit: *Similiter non oportuit, quòd ſi videatur in uno loco, quòd in olio videatur, quia hoc reſpicit præſentiam viſibilis.*

Idemque ſentiendum hiſce Scholaſticis, ſi conſequenter loqui vellent, de ſpeciebus impreſſis, quas ab objectis excipiat Chriſtus Dominus in Cœlis, quippe quæ ſupponuntur pendentes à præſentia objectorum. Sic ex ſuppoſitione præfatæ opinionis Præpoſitus mox adducendus, ſic P. Henao, qui (uti & plures deſiderantes præfatam objectorum præſentiam, adhuc ut perſiſtere valeant operationes vitales illa reſpicientes) non poſtulat eam præſentiam vicinam quoad denominationem formalem duntaxat, verùm, & opinatur, non venire ſimpliciter per concomitantiam operationem ipſam entitative ex defectu illius præſentię relatè ad Chriſtum Dominum, prout in Euchariſtia. Eandem ſententiam alio etiam titulo tenuere laudatus nuper Præpoſitus qu. 76. art. 4. dub. 3. Leſſius qu. 76. art. 4. dub. 1. num. 25. Henao diſp. 8. ſect. 5. num. 76., & 79. & noviter illis accedere videtur P. Caſnedi tom. 4. Criſis Theologicæ diſp. 5. ſect. 6. num. 120. & 124. Arbitrantur enim, ſenſationes inſtabiles, cogitationeſque volubiles, ſimileſque volitiones minimè adeſſe per concomitantiam in Euchariſtia, tametſi præexiſterent conſecrationi: tum quia non habent firmam connexionem cum anima, aut Corpore Chriſti Domini in Cœlis, ac proinde jure connexionis adduci non debent: tum quia non ſpectant neceſſariò determinatè ad ejus perfectionem, cum liberè adeſſe, & abeſſe valeant, vel ſuccedant neceſſariò aliæ loco ipſarum, vel purè omitti poſſint omnes. Tum denique quoniam alioqui *fatendum erit*, inquit Leſſius, *aſſiduè in Euchariſtia fieri eas mutationes, quæ fiunt in Corpore, vel anima Chriſti extra Scramentum in Cœlo: quod non eſt credibile*: Cæterum ratio hæc non urget circa cogitationes, aut ſenſationes præexiſtentes tantùm, de quibus hîc; ſed circa ſupervenientes, de quibus mox. Præterea ubi fatendum eſt, nullum inveniri abſurdum, ſed perfectionem quammaximam in ea viciſſitudine operationum in Cœlo, quo in loco, & ſtatu præſentiæ circumſcriptivæ per ſe primo eliciuntur à Chriſto Domino; quænam eſſe poterit abſurditas in eadem mutatione aſſidua per reſultantiam replicata in Euchariſtia? Si non dedecent locum gloriæ prædictæ vitales Theatri (ſucceſſivæque jugiter) mutationes, cur dedignari credendus eſt ipſas ſitus, in quo reperitur velata, quin & veluti exinanita Majeſtas?

Num. 3. Majus diſſidium eſt inter Scholaſticos circa operationes ſupervenientes Chriſto Domino in Cœlis, poſt conſecrationem, ſint ne deſerendæ eodem jure ad Euchariſtiam, ad omnemque locum, ubi illa exiſtat per Catholicorum Templa? Pariterque, an ea, quæ (ſaltem divinitùs) operetur, aut agat in Euchariſtia, debeant illico transferri in Cœlum per replicationem ipſo veluti jure ſubſecutam? Supponendo tamen utrobique, ſermonem eſſe de operationibus à loco independentibus, ſeu ut loquuntur Scholaſtici, loco prioribus. Latum eſt namque diſcrimen inter utrumque eventum; ſiquidem cum primò ponitur vi conſecrationis ſub accidentibus, ſive id fiat media actione productiva, ſive adductiva tantùm, producitur, vel adducitur ex Chriſti Domini inſtitutione ille ipſe Chriſtus Dominus, ut actu invenitur, ſicuti adducitur, prout modo exiſtit glorioſus. Quemadmodum ſi fieret conſecratio in Triduo (quam vulgata ſententia, de qua infra, ſupponit poſſibilem) poneretur in Euchariſtia Corpus, & Sanguis, prout exiſtebant tunc, ſeparata videlicet, & nullo modo conjuncta realiter; præſertim cum deficeret etiam in eo eventu connexio, quæ eſt concomitantiæ radix.

Quapropter licet congruentiſſimum appareat Theologis primo loco pro hac obſervatione laudatis, ut deſerantur ſimul cum Chriſto Domino qualitates omnes, accidentiaque quibus nobilitatur actu, dum proferuntur verba conſecrationis, ſive illæ ſint volubiles, & fluxæ, ſive permanentes; cum pro eo inſtanti omnia ſint pariter illi intime unita, ſubinde omnia, etiam inſtabilia, gaudent eodem connexionis titulo, jureque. Hæc tamen ratio non æque militat reſpectu operationum, quæ emittuntur in Cœlo, ſuppoſita jam replicata præſentia Chriſti Domini per verba conſecrationis in Euchariſtia, cum tempore replicationis Corporis Chriſti Domini, nulla foret cum præfatis operationibus connexio, quippeque nondum erant; dum autem ſuperveniunt, ſupponitur jam facta ex integro replicatio. Nihilominus tamen adhuc ſupervenientes illas, & quaſcumque qualitates alias, extemplo bilocari etiam, docent P. Vaſquez diſp. 183. cap. 1. & diſp. 189. cap. 4. & diſp. 192. cap. 2. & 3. allegans Doct. Subtilem in 4. diſt. 10. Marſilium, Gabrielem & alios antiquos, Catechiſmus Romanus, Cardinalis de Lugo, Ruvius, Gavatius, & frequenter Scotiſtæ apud Pontium. Non conveniunt attamen omnes in deſignanda radice hujus neceſſariæ concomitantiæ: nam Vaſquez ex eodem Doct. Subtili, id provenire credit ex eo, quòd præfatæ qualitates, aut operationes, utpote à loco nullatenus pendentes competant ſubjecto ſecundum ſe accepto, ac proinde ipſi ubicumque adſit; & quidem, apud Vaſquez, & Scotiſtas aliquos, ea neceſſitate connexionis, ut nec divinitùs oppoſitum contingere poſſe credant.

Catechiſmus verò Romanus, Cardinalis de Lugo, Henao, & multi Juniores, non hanc, ſed colligationem, ſive unionem arbitrantur radicem hujus inſeparabilitatis. Adverſus Cardinalem multus eſt P. Arriaga in Phyſic. diſp. 14. Ex oppoſito, comitan-

tiam

Digitized by Google

tiam non ſequi præciſè, & ex natura rei, ſed ex quadam congruitate, vi cujus conſentaneum magis ſit naturis rerum, ut ex ſuppoſitione miraculoſæ replicationis omnia illa accidentia deferantur ubicumque ponatur ſubjectum, autumant, decereque magis Chriſtum Dominum putant Doct. Eximius diſp. 48. ſect. 6. ex D. Thoma, Hugone Victorino, Alenſi, Majore, Palacios, Ledeſma (quamquàm Vaſquez pleroſque ab ea opinione removere contendat). Eximii Doctoris veſtigia premunt quamplurimi, Leſſius, quæſt. 76. art. 6. dub. 2. Præpoſitus, Bemal, Conink. & turmatim Recentes; niſi quòd Leſſius, & plerique aliorum, nec adbuc conſentaneam per ſe naturis rerum illam exiſtiment, ſed unicè ex puro beneplacito divino provenientem: vel ad ſummum ex quodam titulo decentiæ, quàm imaginantur, cujus colore nobilitent opinionem ſuam.

Num. 4. Supponere tamen videtur opinio hæc præfatam replicationem accidentium, & præſertim operationum, nullatenus fieri abſque novo miraculo; dum Vaſquez, & aſſeclæ connaturalem omninò dicunt eorum replicationem ex ſuppoſitione primi miraculi, ſive miraculoſam præſuppoſitivè tantùm. Alii vero ſola accidentia, quæ aliquo pacto pertineant ad naturale complementum, ſive ſtatum Chriſti Domini conſtitui debere ſub ſpeciebus, aſſerunt; nentiquam verò reliqua, ſive qualitates ſint purè phyſicæ, ſive actus vitales. Plerique tamen, adhùc primæ opinionis, ſentiunt, qualitates, operationeſque poſtulantes propinquitatem objectorum, eorumdemque præſentiam non modò non venire ad Sacramentum una cum reliquis, ut notavimus ſupra; verùm nec fieri poſſe etiam divinitùs: adeoque nec ſpecies impreſſas alligatas præſentiæ objecti, nec viſionem objecti vicini deferendam eſſe ad locum diſſitum, in quo iteratò exiſtat videns ipſe.

Ita cum Doct. Eximio opinantur non pauci ex allegatis. Et ob eam abſentiam objectorum Scotiſtæ, quos ſupra laudavimus, licet qualitatem ipſam, vel entitatem actuum vitalium per concomitantiam adducant ad Euchariſtiam; denominationem attamen videntis v. gr. per eam operationem procul arcent ab Euchariſtia. Non ſic autem P. Vaſquez, & adhærentes ipſi, quippe qui omnind ſufficere putant, quòd objectum ſit præſens, aut propinquum in uno loco, in eo ſcilicet, in quo primo elicitur viſio, ad hoc ut ex omni, ubi replicetur videns, intuitivè videatur.

Reſtat ſolùm notare, quòd juxtà mentem Doct. Eximii. ea diſp. 48. ſect. 6., & diſp. 53. ſect. 3. in fine, ſi Chriſtus Dominus in Cœlo exiſtens actum phantaſiæ eliciat, tametſi actus ille nullatenus per concomitantiam ineſſet Euchariſtiæ, ſufficeret nihilominus, quòd Chriſtus Dominus ex ipſa ſe converteret ad phantaſma, in Cœlo exiſtens tantum, ut eo ipſo intellectus ipſius, prout in Euchariſtia, poſſet erumpere in actum intelligendi à phantaſmate illo pendentem, ob ſympatiam earum potentiarum in eadem anima. In quo conſentit P. Vaſquez diſputat. 191. cap. 3. Mæratius, Granados, Henao, & re ipſa Cardinalis de Lugo (quamvis in modo diſſentiat) & paſſim Moderni Theologi; refragantur attamen plures, inficiati ſympathiam illam ſemper mirabilem, ſemper harmonicam, non ſemper tamen ſatis benè perceptam. Et hæc erat obſervatio 3.

Num. 5. Obſervandum 4. juxtà communiorem longe opinionem, ſi diſſeratur de potentia naturali præciſiveque ab omni miraculo, Chriſtum Dominum nullas ſenſuum operationes per ſe primò elicere poſſe in Euchariſtia; uti neque aliquid agere tranſeunter in paſſum extrinſecum, nec adhùc in ſe ipſo. Quemadmodum, nec pati ab extrinſecis agentibus: Similitèr philoſophatur communis Theologia de operationibus intellectualibus, quæ ortum ducant à ſenſibus, & à phantaſmatibus pendeant. Tum quia deeſt illi, proùt in Euchariſtia modus extenſionis in ordine ad locum, per ſe requiſitus à Philoſophia ad operationes corporeas, actioneſque. Tum quia adeſſe nequit phyſicus contactus quantitativus. Tum præcipuè, quia & ſenſationes illæ, actioneſque materiales neceſſariò ſortiri debuiſſent modum exiſtendi indiviſum, & Sacramentalem, uti & replicationes, quas nulla virtus naturalis creata conferre illis poteſt, niſi ut elevata, & quidem adhùc ex ſuppoſitione præſentiæ Sacramentalis operantis, vel recipientis. Poſſe tamen operari, agere, & pati divinitus, ſeù per potentiam obedientialem.

Sic opinantur cum Doctore Angelico, Seraphico, & Subtili propè omnes, præter mox recenſendos. Plerunque tamen affirmant iidem Scholaſtici, interdum de facto contigiſſe miraculum hoc, contingereque, ſed rarò. Idcircò eas operationes dicunt ſupernaturales, quoad ſubſtantiam; quamvis nonnulli ipſorum ſolam ſupernaturalitatem quoad modum ſufficere inſinuent; eo quòd ſolùm quo ad modum inextenſionis ſupplendum exigatur concurſus miraculoſus, cum operatio ipſa contineatur completè de reliquo in principio illo naturali; ad hunc ipſum tamen defectum extenſionis ſupplendum poſtulant reliqui influxum miraculoſum, etiam quoad ſubſtantiam operationis. Quamplures verò Nominalium exadverſo judicant, Chriſtum Dominum prout in Euchariſtia, & agere naturalitèr poſſe, & vitæ functiones exercere: uti & pati ab Agente extrinſeco tàm phyſice, quàm intentionaliter; impediri attamen per divinam providentiam ejuſmodi operationes de facto, ut fides noſtra locum habeat, & meritum. Undè ex conſequenti arbitrantur, miraculosè cohiberi naturalem illam virtutem activam,

vam, ſenſitivamque, ne erumpat in ſimiles actiones, vel ſaltem cauſas extrinſecas, ne in ipſum agant. Hi ſunt præcipuè Okamus in 4. quæſt. 5. Gabriel, Major, Aliacus, Rubion, Martinonus: in eamque valdè inclinat Coninkius quæſtione 76. art. 11.

Immo, ſi ſtandum ſit rationi potius, quam autboritati, illam probabilem credunt, præſertim quoad actionem, Doctor Eximius diſput. 53. ſect. 2. Becanus, Wigers, Præpoſitus, Amicus, Henao, & non infrequenter alii; quàmquàm nonniſi timidè, etiam dum eam ratione præſtantiorem dicunt. Media alia via procedunt docti aliqui Scholaſtici, ut Tannerus diſp. 5. qu. 5. Macedo de Clavibus Petri. Lib. 4. cap. 15. Henriquez, Gaſpar Hurtadus, Caſpenſis, Paſqualigus, imitati veteres quoſdam, quos expugnat Eximius Suarez laudata diſputat. ſect. 3. Putant ſiquidem Chriſtum Dominum, tametſi nonniſi de potentia Dei abſoluta elicere poſſit operationes ſenſuum externorum, poſſe tamen connaturaliter exercere ſe immanenter per ſenſus internos, ſubindeque per appetitum ſenſitivum; dummodò aliundè habeat ſpecies antecedenter acquiſitas in ſtatu, & modo exiſtendi circumſcriptivo, vel à Deo infuſas; ſecus verò ſi ipſas de novo comparare debeat miniſterio ſenſuum. Accedit P. Amicus diſp. 20. ſect. 4. quoad actus intellectus per converſionem ad phantaſmata eliciendos, ſi præceſſerint ſpecies modo præfato, & Cardin. de Lugo diſput. 9. ſect. 2. Judicant enim, extenſionem non eſſe per ſe neceſſariam ad eas determinatas operationes connaturaliter exercendas. Uti nec ad hoc, ut homo poſſit imaginari appetere, &c. etiamſi ad alias per ſe requiratur, & ex conſequenti nec prædicti actus petunt juxtà opinionem hanc extenſionem, licèt à ſenſationibus externis exigatur, utpotè craſſioribus rudioribuſque, & natis ad inſerviendum, aut famulandum internis.

Num. 6. Inſinuatas opiniones, quamquam ad invicem pugnantes, evertere conatur 4. alia, aſſerens, non ſanè univerſim, ſed per partes aliquas, nec adhùc divinitùs fieri poſſe, ut Chriſtus Dominus, proùt in Euchariſtia, agat in paſſum extrinſecum, aut quidquam ab extrinſeco agente patiatur, corporea actione, aut paſſione. Dixi, *non univerſim*, quoniam abſolutè, & ſine diſtinctione pronuntiare, Chriſtum Dominum, quà ſub ſpeciebus Sacramentaliter latentem, nullam prorſus actionem, ſive immanenter, ſive tranſeunter elicere poſſe unquam, etiam per miraculum, ſive de potentia abſoluta Dei, nimis durum, quin & abſurdiſſimum foret. Undè incautè Junior quidam pro ea negativa univerſim ſententia laudavit P. Vaſquez diſp. 191. & Gaſparem Hurtadum diſp. 6. diferentia 3. quandoquidem Hurtadus, ut ſupra vidimus, omninò cenſet Chriſtum Dominum poſſe, etiam naturaliter, ſe exercere per ſenſus internos reſpectu eorum objectorum, quorum ſpecies præcedenter habuerit. Vaſquez autem dum negativam aſſertionem probat ibi cap. 3. diſputat adversùs Nominales, qui naturali virtute Chriſtum Dominum eos actus elicere poſſe opinantur, ſecluſo omni miraculo; quin verbum ullum proferat de repugnantia in ordine ad potentiam Dei abſolutam; ſolùm aſſerit cap. 2. non poſſe divinitus derivari ſpeciem à Chriſto Domino proùt in Euchariſtia exiſtente, tanquàm ab inſtrumento elevato, & voluntariè aſſumpto, in oculos, media qua videatur ipſe proùt in Euchariſtia, licèt videri poſſit divinitus per ſpeciem Chriſti Domini, à Deo productam in oculis videntis, vel per concurſum divinum cum potentia viſiva, ſupplentem vices ſpeciei. Cæterum opinionem hanc fundat in alia, quam in primam partem latè munierat, de impoſſibilitate elevationis cujuslibet ad quolibet. Cùm verò præfata ſententia nullatenus contendat, nec impunè intendere valeat, non poſſe Chriſtum Dominum (uti & alia agentia creata) elevari divinitus ad plura, reſpectu quorum contineat virtutem aliquam activam, proportionemque; tametſi non poſſit ad omnia; alioqui nihil poſſet efficere Deus miraculosè, aut per potentiam abſolutam media Creatura, quæ non poſſet illa agere connaturaliter juxta vires proprias, nunquam verò, ut inſtrumentum elevatum; idcirco doctrina illa nequaquam tollit, quòdſi ad effectum illum, ſive ſpeciem ob peculiarem aliquam rationem elevari nequeat, non poſſit ad alios, præſertim ad actus immanentes materiales, (præexiſtente ſpecie) qui continentur in potentiis ejuſdem Chriſti Domini, quà præſentis Sacramentaliter; etiamſi ob defectum extenſionis localis erumpere connaturaliter minimè valeat in earumdem productionem.

Deindè P. Vaſquez allegato cap. 2. ut ſuadeat, poſſe divina virtute fieri, ut Chriſtus Dominus, quà Sacramentaliter exiſtens, videatur oculis corporeis, adducit D. Thomam in 4. diſt. 10. qu. unica art. 4. & 3. p. qu. 76. art. 7. docentem, Chriſtum Dominum videre ex Euchariſtia ſeipſum in Euchariſtia eadem exiſtentem, ut frequentiſſime ejus teſtimonia uſurpant Theologi; non videt autem ex Euchariſtia Corpus ſuum per viſionem à Deo tantùm productam, ut Sotus opinatus eſt, quem ibidem refellit Vaſquez, ſed per viſionem ab oculis corporeis Chriſti Domini elicitam divinitùs, vel media ſpecie à Deo ſolum producta, vel concurrente omnipotentia cum oculis eo ſpeciali influxu, ut ſuppleat defectum ſpeciei, ut ipſe Vaſquez oſtendit. Utroque autem modo ſemper verificatur, potentiam viſivam Chriſti Domini operari activè, emittereque eam ſenſationem actione corporea, ſecundum quod exiſtit in Euchariſtia. Inclinare etiam videtur in eam ſententiam reſpectu Agentis extrinſeci, Paſſique, Macedo, ubi

nu-

Digitized by Google

nuper, quamquam non ſatis apertè exprimat, loquatur ne, adhuc de abſoluta potentia Dei; quo circa ſcitè Autbor Salmanticenſium ex communi Theologia, dixit tract. 23. diſp. 6. dubio 5. in præfatione: *Manifeſtum namque eſt; non implicare, quòd Chriſtus in Sacramento exiſtens, ex divina virtute, & tanquam ejuſdem inſtrumentum agat actione corporea &c.* Loquendo tamen de quibuſdam determinatis actionibus corporeis, ſunt plures, qui inficiantur nonnullarum poſſibilitatem, etiam attenta abſoluta potentia, relatè ad Chriſtum Dominum, quà ſub ſpeciebus abſconditum, ſive activè, ſive paſſivè acceptas.

Sic non pauci arbitrantur, repugnare ſimpliciter, quòd Chriſtus Dominus, prout in Euchariſtia, efficere valeat, ut à nobis ſentiri per guſtum, olfactum, & tactum, poſſit, ob peculiarem aliquam contradictionem, quam ibi detegunt, aut detegiſſe putant. Ita ſenſiſſe videtur Seraphic. Doct. in 4. diſt. 10. par. 2. art. 2. qu. 2. *§. Item ſenſus guſtus.* Aureolus, Gamachæus, Capreolus, Amicus, Macedo, & alii, quos refert Henao Diſp. 10. ſect. 1. (quin & nonnulli idem ſentire videntur de auditu) Contra quos diſputant ſtrenuè Cardin. de Lugo Diſp. 10. ſect. 2. Henao in loco citato num. 11. qui nullam prorſus inveniunt repugnantiæ umbram in eo, quod guſtemus in Euchariſtia, adhùc materialiter, virtute divina tanquam in fonte dulcedinis; *Quam ſuavis ſit Deus.*

Num. 7. Audiendi tamen non ſunt Juniores aliqui, qui è regione philoſophati ſunt, ajentes, nos percipere de facto connaturaliter, vel ſaltem poſſe, tam ſenſibus externis, quam internis Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, à nobiſque tangi, guſtari, viderique. Pro quo loquendi modo referunt Alanum lib. 1. de Euchar. cap. 37. ubi hanc doctrinam ex Patribus, productis eorum teſtimoniis, firmare ſatagit, Waldenſis tomo 2. de Sacramentis cap. 53. & ſeqq. Cano de locis lib. 5. cap. ultimo in fine. Qandoquidem laudati Theologi nihil aliud re ipſa proferunt, nec Patrum verba adducta aliud evincunt, quàm de facto Chriſtum Dominum tangi, videri, &c. à nobis, verè, & propriè per hoc quod tangamus, videamus, guſtemuſque ſpecies, frangamus item ore, & manu attrectemus: quemadmodum vidiſſe Angelum dicimus, uti & Deum facie ad faciem, qui vidit corpus aſſumptum ab Angelo, aut à Deo: quod ſolum eſt dicere, convenire denominationem propriè viſi, aut guſtati, Corpori Chriſti Domini ratione ſpecierum; non tamen terminare connaturaliter viſionem, tactumque in ſeipſo, cujus conſpectum, & ſplendoris copiam, detracto velo, ferre non poſſet vel acies Aquilina, quin exclamaret: *ut vidi, ut perii!*

Major longè difficultas eſt in ordine ad potentiam abſolutam circa viſum, poſſit ne divinitùs videri Chriſtus Dominus prout in Euchariſtia oculis corporeis? Negant graviſſimi Scolaſtici, vel quia nequit videri modus quo exiſtit; & aliunde ſine illo nequit eſſe viſio intuitiva, ut credunt, ſed præciſiva, & veluti abſtractiva. Vel quia color redactus ad indiviſibile non eſt viſibilis ſimpliciter: ac proinde non magis percipi valet per potentiam viſivam, quam ſonus, qui extra illius ſphæram obſtrepit. Ita opinantur (ſaltem ut probabiliùs) Doct. Eximius diſput. 53. ſect. 4. imitatus Aureolum, Durandum, Capreolum, Argentinam, Paludanum, Ricardum, Egidium, Romanum, Mayronem, Dezam, Nugnum, referentes Divum Thomam, & Divum Bonaventuram ſupra. Ita etiam Recentiores, Becanus, Gamachæus, Leſſius, Arauxo, Mæratius, Gaſpar Hurtadus, Rubius, Wigers, Caſpenſis, Macedo, Fagundez, Paſqualigus. Plures arbitrantur videri poſſe divinitus Corpus Chriſti Domini, non reduplicative, quà modo Sacramentali exiſtens, ſed præciſive à tali modo, & ſecundùm ſe tantùm. Sic Faber Aretinus, Maſtrius, Bellutus, Henao, & alii Scotiſtæ; (niſi quòd reliqui adjungunt, poſſe quidem Deum efficere miraculosè viſionem Corporis Chriſti Domini latentis ſub ſpeciebus; per illam tamen oculus corporeus, eam recipiens, & in eandem influens, minimè videret formaliter Chriſti Corpus: ſic diſcurrunt Petrus de Aquila; Rada, Modeſtus Gavatius diſp. 5. q. 9. Brancatius diſp. 22. art. ultimo. Quam doctrinam magis conſentaneam eſſe menti Doct. Subtilis fatetur etiam Maſtrius, & alii ex ſupra memoratis pro communi ſententia) hanc fuiſſe mentem Scoti claret ex verbis illius: in 4. diſt. 10. q. 9. ibi: *Nec miraculum ad hoc juvat, quia Corpus, ut hic abſolutè non eſt viſibile, nec ut cauſativum viſionis, nec ut terminativum: miraculum autem non eſt ad id, quod includit contradictionem.*

Affirmativam verò ſententiam abſolutè tuentur reliqui Theologi adducentes Divum Thomam in 4. diſt. 10. quæſt. unica art. 4. quæſtiuncula 1. cum Alexandro de Ales. 4. p. quæſt. 10. memb. 7. art. 3. §. 8. affirmante pium eſſe credere, Deiparam oculis corporeis videre Chriſtum Dominum, quà gloriosè in Euchariſtia abſconditum. Quam opinionem egregiè promovet laudatus ſupra P. Vaſquez, & juniores paſſim, tametſi quamplures, ſolùm Corpus præciſivè à modo videri ſupernatulaliter poſſe, credunt, etiam ab oculis glorificatis; tantæ dulcedinis eſt viſio Corporis Chriſti Domini, ut vel oculi, qui contuentur illud manifeſtum in Cœlis, concupiſcant quodammodo iteratum ejuſdem proſpectum, adhuc quà velatum: adeo verum eſt illud Magni Gregorii Homil. 25. in Evang. *Amanti ſemèl aſpexiſſe non ſufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.*

Num 8. Quinto obſervandum, & quidem præcipuè, aſſertionem à nobis mòx ſtabiliendam nequaquam per ſe dependere plerumque à memorata ſententiarum varietate, ab eo ſcilicet,

Digitized by Google

licet, quod naturali virtute Chriſtus Dominus ex Euchariſtia eliciat ejuſmodi ſenſuum operationes immanentes, vel miraculosè, aut divinitùs ſolùm. Factum namque adſtruimus poſſibilitate præſuppoſita, ſive illa dicenda ſit purè naturalis cum Nominalibus, ſive miraculoſa duntaxat (cujuſmodi aſſeritur modò fermè à cunctis) Uti etiam præſcindam ab eo quod præfatæ ſenſationes producantur mediis ſpeciebus à ſolo Deo infuſis, vel ab objecto divinitus trajectis: vel concurrente omnipotentia abſque ſpecie, cujus influxum ſuppleat ipſa. Oſteudam namque factum, tametſi credatur miraculis neceſſariò veſtitum, eſſe convenientiſſimum mille titulis, & eiſdem neceſſarium, tum ad ipſius Salvatoris prout ibidem exiſtentis decorum, tum ad utilitatem noſtram: proindeque ad fines, quorum gratia inſtitutum fuit ab omnipotentia amoris hoc miraculorum compendium; in cujus brevi niveo campo ingens, inexhauſtaque panditur nobis ſcena prodigiorum, & ex conſequenti, tametſi miracula exigantur ad munia illa obeunda, finesque obtinendos, adſtruenda omnino ſunt, tanquam per ſe, & ex inſtitutionis ſcopo requiſita.

Immeritò namque, & per ſcrupulum philoſophicum recuſantur portenta in eorundem pelago (omnium confeſſione tali) cum de illo prædixerit Vates divinus Pſal. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe*: Fecit ſanè memoriam, quaſi indicans, ſe nullius, quod patraſſet, quin & patrare poſſet (quodammodo) oblivіſci, dum Euchariſtiam inſtitueret, ſed cuncta velle præſentia, utpote ad illà veluti neceſſaria. Neque extraneum magis foret demirari fluctus tumeſcentes, vel non niſi valde limitatos, in oceano, maxime cum juxta D. Thomam diſputatione præcedenti laudatum, contineatur Euchariſtia credenda ſub articulo omnipotentiæ, ita enim expreſsè 2. 2. q. 1. art. 8. ad 6. *Nullus hic naturæ ordo*, inquit S. Ambroſius in libro de Initiaudis cap. 9. Poteſtque quam optimè aptari arcano huic, quod Chryſoſtomus dixit homilia 28. in Matth. non longè à principio, de Chriſti Domini miraculis ab Evangeliſtis curſim delibatis: *Uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducente*.

Num. 9. Diligentiùs adhuc obſervaudum ultimò, quæ fusè dicturi ſumus circa operationes vitales corporeas de facto elicitas perenniter à Chriſto Domino ſpeciebus velato, minimè accipienda eſſe univerſim de omnibus vitæ ſenſitivæ operationibus. Siquidem illæ quarum exercitium derogaret merito fidei noſtræ, nullo pacto ab ipſo jugiter exercentur. Quippe quæ nec utilitatem nobis, ſed nocumentum potiùs afferre valeant: nec ad fines altiſſimos inſtitutionis hujus Myſterii aſſequendos, ſed removendos magis, aut retardandos deſervirent. Quo circa nec de facto loquitur, nec de facto à nobis videtur oculis corporeis: nec ſe ſolo movetur, aut tranſit de loco in locum: nec tangi, guſtarive immediate permittit: neque his ſimilia, quibus fieret nobis experimento ſenſibili nota ejus realis præſentia. Exercet attamen eas vitæ corporis functiones, longè magis nobis fructuoſas, & unà ſenſus noſtros planè fugientes, adeoque unicè à nobis cognitas, aut colligendas remotè ex principiis fidei, ex Patribus, & ex rationabilibus admodum congruentiis. Ex quarum notitia creſcit mirum in modum fidelium amor, confidentia, veneratio, propè divinum cum ipſo commercium, conſcientiæ puritas, ſolicitudoque vividior, ſive conatus major ad ipſum dignè ſuſcipiendum. Dum enim cogito, Chriſtum Dominum ex Hoſtia me corporeis oculis apertè videntem, preces, & vota publica auſcultantem; quanta ex præfata cogitatione fidei accretio, amoris affectuumque inflammatio, reverentiæ acceſſio, & conſolationis, dulcedinisque ſpiritualis fruitio? Experiatur dubius, & vel per fictam hypotheſim incredulus. Hoc fuit artificium ſubtiliſſimum Sapientiæ inſtitutricis, quo ita temperavit vitam ſuam Euchariſticam cum merito fidei noſtræ: munera Summi Sacerdotis cum veritate victimæ: æſtus amoris, vitali, & irrequieta agitatione ſe moventis ad intra, cum prudentiſſima ejuſdem amoris, & ſapientiæ reflexione, qua ſic immiſcuit utile merito prædicto, ut aptiùs de illo ludere poſſimus, quòd licet nimio fervens exuberet aſtu, ſciat tamen, non jam nivibus ſolùm, ſed & fidei noſtræ, ſervare fidem. Sanè ita efferbuit hic ſapientiſſimus amoris exceſſus, ut eſſet quidem ſine termino, non tamen ſine modo: quod difficillimum eſſe dixit politicorum hominum oraculum in vita Agricolæ: *Retenuitque, quod difficillimum eſt, in ſapientia modum*.

Num. 10. Hæc eſt luculentiſſima S. Thomæ doctrina 3. p. quæſt. 43. art. 3. ad 2. ajentis: *Et ideo ſic miracula fecit virtute divina, ut fidei de veritate carnis ejus præjudicium non faceret*: Et aureo opuſculo 57. *Accidentia autem ſine ſubjecto in eodem ſubſiſtunt, ut fides locum habeat, dum viſibile inviſibiliter ſumitur ſub aliena ſpecie occultatum*. Et 3. p. quæſt. 75. art. 1. ubi fines, allicientes Chriſtum Dominum ad hujus maximi ſecreti inſtitutionem, expendens, inquit: *Tertiò, hoc competit perfectioni fidei, quæ ſicut eſt de divinitate Chriſti, ita eſt de ejus humanitate, ſecundùm illud Joann. 14. Creditis in Deum & in me credite. Et quia fides eſt inviſibilium, ſicut divinitatem ſuam nobis exhibet Chriſtus inviſibiliter, ita & in hoc Sacramento carnem ſuam nobis exhibet inviſibili modo*. Audiendus quoque Adelmanus Epiſcopus Brixienſis in Epiſtola ad Berengarium de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia, ait enim: *Ut ergo fides exerceatur credendo, quod non apparet, vitale Sacramentum ſub ſpecie corporea vitaliter latet, uti anima in corpore*:

Conſule S. Auguſtinum tract. 27. in Joann, Euſebium homil. 1. de Paſchate, Cyprianum, (ſive verum, ſive perſonatum) ſerm. de Cœna Domini. Nec multis opus eſt in re adeo nota cunctis, præſertim ubi totius Eccleſiæ Sanctæ inſtituto appellatur Euchariſtia *Miſterium fidei*: ſola namque fides adyta illa divina tutò, & animosè, non reſerato velo, penetrat: ſidei duntaxat patet aditus, januaque Domus Sapientiæ, ſeu potiùs Aula, in qua ita miſcuit vinum, & temperavit gloriam ſuam Chriſtus Dominus, ut utrumque aſſecutus fuerit, & vitam actualem Corporis ſui cuſtodivit illæſam ſub ſpeciebus in ordine ad potiſſimas ejus functiones, & ſimul incolumem fidem noſtram.

Ad eundem ferè modum loquitur Doct. Seraphicus in 4. diſt. 10. art. 1. q. 2. ad 3. dicens: *Quòd divinitas noſtræ infirmitati ſe contemperat, ſalva integritate Sacramenti. Et præterea ſic ſe contemperat, ut intellectum excedat, fides locum, & meritum habeat*: Et ibidem ante concluſionem dixerat: *Corpus Chriſti, ſive Chriſtus, ibi videt, & audit, quamvis non loquatur, ne deprehendatur*: Id eſt ne ſenſibiliter à nobis percipiatur, cum fidei nocumento quammaximo, immo & cum ſtrage, itaut, quæ per auditum generatur, per auditum periret, ſi Chriſtus Dominus ex Euchariſtia paſſim loqueretur, ſive minis in indignos tonaret, ſive alloquio ſuaviſſimo devotos mulceret,

§. II,

Num. 11. NON eſt cur inficiemur receptam longè communius ſententiam eam eſſe, quæ negat, Chriſtum Dominum in Euchariſtia vivere de facto jugiter per operationes quocumque modo ab organo pendentes, prout ibidem primò exercitas, cum paſſim Theologi, præter mox recenſendos, adſtipulentur huic negativæ opinioni. Cæterum non eſt pariter cur non poſſimus apertè gloriari de nobilitate, numero, & excellentia Scholaſticorum, qui affirmativæ noſtræ, quantumvis celeritèr, rapidiſſimèque, album doctrinæ ſplendore calculum addidere, vel ut probabiliori, vel ut valde probabili, vel interdum, ut ſimpliciter veræ. Inter hos primo loco numerandi veniunt ejuſdem Theologiæ Sacræ primates Doct. Angelicus in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. & 3. p. q. 76. art. 7. & Seraphicus Doct. in 4. diſt. 10. Quoniam tamen eorum teſtimonia producenda, & ad amuſſim ponderauda ſunt ſect. ſequenti; quia peculiarem locum ſibi vendicant jure, tranſeo ad alios referendos viritim,

P. Leſſius q. 76. art. 7, dubio 2. §. *dico quartò*: hæc habet: *Valde probabile eſt Chriſtum in Euchariſtia virtute divino oculo corporali videre Sacerdotem, & alios præſentes, audire ejus vocem, & reliqua. Probatur primò &c.* Quæ verba iterum retuliſſe juvavit hic, tanquam in ſede propria, etiamſi producta jam fuerint in præfatione, ut nonnulla etiam alia ibidem libata repetere juſtè debuimus.

Ob eandem cauſam Doctiſſimus Cornelius à Lapide in caput 2. Cantico. Ubi multos refert Theologos pro eadem opinione, tametſi nullum exprimat, referendus ipſe; & laudandus à nobis, adductis ejuſdem verbis diſput. ſequenti. Doct. Eximius diſp. 53. ſect. 3. §. dico ſecundò, poſtquam dixerat: *de potentio abſoluto nihil repugnat, quominus ſenſus Chriſti externi hìc exerceant ſuas operationes*, ſubdit: *neque eſt improbabile, id facere nunc circa objecta propinqua*. Martinon. diſp. 32. ſect. 4. num. 44. inquit: *Quòd ſi quæras, an ſaltem ſupernaturaliter exerceat Chriſtus in Socramento aliquas operationes corporeas, & organicas? Reſpondeo: eſſe probabile, quòd aliquas exerceat: v. g. quòd videat, audiatque adſtantes*. Eandem ſententiam docuit expreſsè Gamachæus q. 76. cap. 9. Tannerus diſput. 5. q. 5. dub. 5. num. 61. Gloſſa in cap. *Timorem* diſt. 2. de Conſecrat. Albertinus in Corollario ex Prædicam. Quantitatis dubitatione 3., poſtquam firmat communem opinionem, aſſerentem, poſſe divinitus Chriſtum Dominum elicere eas ſenſationes in Euchariſtia, ſubjungit num. 4. *Hinc colligunt aliqui ſatis probabiliter, quòd de facto oculus Chriſti exiſtentis in Socramento videat circumſtantes, & oudiat præſertim orantes, tum quia hoc pertinet ad dignitatem Chriſti, tum propter conſolationem fidelium*.

Georgius Rhodes de Euchariſtia diſp. 1. qu. 2. ſect. 6. §. 4. de eiſdem ſenſationibus diſſerens ait: *Quòd autem divinitus poſſint illi actus à Chriſto elici, & quòd re vera eliciantur, non videtur habere difficultatem, quòd etiam certum eſt de actibus à Phantaſmate independentibus*. Præpoſitus quæſt. 76. art. 7. dub. 3. Conink. qu. 70. par. 7. dubio unico. Wigers qu. 76. art. 6. dub. 2. num. 18. ſcitè monens, & comprobans, omnino decere illud vitæ corporeæ exercitium in Euchariſtia Chriſtum Dominum: ut eo modo, qui nobiſcum habitat, poſſit habere nobiſcum commercium humanum aliquatenus, tametſi non utique completum, & inſuper ne emortuo modo, qui parùm dignus videtur tantæ majeſtatis, exiſtat. P. Henao diſp. 10. ſect. 4. num. 55., qui dum hæc ex Wigers recenſivit, ſententiam quidem approbat; non tamen aliquas ex indicatis rationibus, ſubjungens: *Referendum potius eſſe od dignitatem Chriſti*: Minùs rectè tamen inſinuatas alias cauſas hujus facti repellit, cum ſint fœcundiſſimæ radices hujus vitæ actualis, ex ipſiſque ſolidè, congruenter, quin & efficaciter vita illa eliciatur, & ſcateat, ut ex dicendis exploratum fiet: ſæpe namque vena ſalientium aquarum latet ſub gramineo ceſpite neglecta à prætereunte.

Num. 12. Eamdem ſententiam approbant, & firmant ex Thomiſtis Ledeſma quæſt. 12. art. 1. dub. 5. Serra qu. 76. art. 7. Gonet tom. 5. diſp. 5. art. 4. num. 75. ubi

&

& probabile, & credibile eſſe docet, Chriſtum in Euchariſtia oculo corporeo videre ſupernaturaliter circumſtantes, & quæ coram Auguſto illo Sacramento agunt; quod probat, adducitque pro doctrina hac Nominales. Cæterum illi ſolum dixerunt pollere Chriſtum Dominum virtute naturali ad eas operationes prout ibidem eliciendas; factum verò abſolutè impediri credunt à Deo per miraculum, ut notavimus §. 1. Author Salmanticenſium tom. 11. tract. 23. diſput. 6. dub. 5. §. 2. num. 66. Thomiſtas alios numerans, quibus laudatis, ſubdit: *Undè omnes in eo conveniunt, quòd Chriſtus in Sacramento exiſtens, videt de facto oculis corporalibus objecta propinqua.*

His accedit noviter Paulus Mezger. Benedictinus, tom. 4. Theolog. Scholaſt. tract. 17. diſp. 32. art. 3. §. 2. num. 11. ibi: *Quamvis naturaliter loquendo Corpus Chriſti, ut in Euchariſtia exiſtens, non poſſit elicere ſenſationem, minùs aliquam alterationem (quippe natura ſua diviſibilem, & extenſam): videtur tamen dependentia localis extenſionis divina virtute ſuppleri ... Ratio eſt, quippe cum nec corpus Chriſti modo mortuo ſit in Euchariſtia, congruum eſt, ut in ordine ad exercendas ſenſationes, illa dependentia extenſionis localis ſuppleatur*; Hac validiſſima Scholaſticorum manu, qua fulcitur ſententia noſtra (& qua munimur ſimul ipſi): tametſi impar numero ſit, confidenter deſcendimus, ſi non audacter, in arenam, oppoſitam extemplo aggreſſuri. Dolemus ſanè, quòd adeo breviter promoveant, & velut deguſtent laudati Theologi opinionem hanc, ut vix arma nobis ſuppeditent (niſi valde exigua), quibus diù, & irreſiſtibiliter pugnare valeamus, niſi amor, & non jam furor, arma miniſtret. Nihilominus ex ictibus eorundem reſultant, ad inſtar ſcintillarum, alia ſatis ſtrenua, quibus congredi urgentiùs, duriùſque agere poſſimus cum adverſa ſententia.

Num. 13. Firmatur itaque 1. Opinio hęc, dignè proculdubio de Chriſto Domino, & de Euchariſtiæ arcano ſentiens, verbis ipſius Chriſti Domini Joan. 6. quibus non tantùm affirmat, non duntaxat iterat, verùm ſæpiſſimè inculcat vitam ſuam in Euchariſtia. Porrò cum dixiſſet, panem hunc Cœleſtem Mundi vitam eſſe, quatenus illam Mundo largitur; cùm aſſeveraſſet verſ. 35. *Ego ſum panis vitæ*, & quidem ea vitalitatis expreſſione cadente formaliter ſupra ipſum panem, quandoquidem, ita intellexiſſe Judæos ejus verba, conſtat ex murmure ipſorum illico ſuborto, & verſ. 41. enarrato: *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi*: pro eodem uſurpantes panem vitæ, ac panem vivum: cum verſu 48. denuo affirmaſſet: *Ego ſum panis vitæ*: perſiſtit nihilominus verſu 51. clamans: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi*, (& nullatenus affirmat, ſe eſſe vinum vivum, quia per illud ſignificatur ſanguis, qui vel non animatur, juxtà ſolemniorem Philoſophiam; vel nullum vitæ ſenſitivæ actum elicit): & verſu ſequenti, vitam, quam nobis confert panis ille edicens, ait: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: & iteratò: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro Mundi vita*; adhuc verſu 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: & ſtatim verſu immediato: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*: & verſu 57. *Qui manducat meam carnem: & bibit meum ſanguinem, in me manet, & Ego in illo*; immanentia autem, ſeù intima inhabitatio duorum hominum, viventium actu formaliter eſt utrinque, ſive ex parte utriuſque extremi, & ſane ſecundùm rationem corporis etiam, ſive carnis, ſecundùm quam, per converſionem illam mirandam, ſtupendamque, dicitur panis.

Rurſus verſ. 58. *Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, & tandem verſ. 59. repetit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, concluditque: *Verba, quæ Ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*. Quam inculcatiſſimam verborum iterationem animadvertens S. Chryſoſtomus Homil. 46. in cap. 6. Joannis inquit: *Nam cum ſæpe repetiiſſet vitam æternam, ad id confirmandum addit: in me manet, ſi enim in me manet, & Ego vivo; qui me ſumit, & victurum perſpicuum eſt: Inde inquit: ſicut miſit me Pater vivens, & Ego vivo propter Patrem &c.* & paulo inferius de eadem vitæ repetitione diſſerens, adjungit: *frequenter idem repetit, ut auditorum animis imprimatur*; & rurſus: *vitæ ubique meminit*: Eadem ferè verba, eadem obſervatione facta, habet Theophilactus in Joan. 6. *Ubique*, ait, *Chriſtus vitæ meminit*: & in 1. ad Corint. 10. idem Theophilactus dixit: *Quia prior carnis noſtræ natura corrupta à peccato, vitaque deſtituta eſt, dedit nobis Chriſtus ſuam impeccabilem, & omnis peccati expertem, vivacem, & vitæ plenam, ſimilem tamen nobis, carnem.*

Hic accomodare non ineptè poſſent verba illa, quibus Eccleſia à Deo inſtructa, & ex antiqua Patrum traditione derivata, utitur in Canonæ Miſſæ poſt conſecrationem: *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis*. Ubi ſupponit, & affirmat, dona illa verè Cœleſtia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini (& non tantum novas fruges, quæ olim offerebantur tunc benedicendæ, de quibus Cardinalis de Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 14.) vivificari ab omnipotentia Patris in Euchariſtia, (licet ſanguis mediatè ſolum) ut nos ipſe Chriſtus Dominus poſtmodum communione, ſeù participatione eorundem bonorum, vivificet: vivificatio autem illa, ut-

potè paſſiva Chriſti Domini in Euchariſtia, effectivè intelligi nequit in ipſo, neque activè ab eo fluens, ſed formaliter, ut in eodem quaſi recepta, ut manifeſtum eſt.

Neque in actu 2. ſolum uſurpari valet, ſiquidem Corpus, cujus vivificatio poſtulatur à Deo, præſupponitur habens neceſſariò per concomitantiam ibi animam rationalem Chriſti Domini, quæ eſt ejus vita in actu primo, per hoc quòd illa informetur in actu 2. proindeque à fortiori denotant ea verba vitam in actu 2. Corporis Chriſti Domini per proprias vitæ corporis functiones, operationeſque organicas miraculosè exercitam, quia divinitus à Patre collatam. Sic etiam teſte S. Auguſtino lib. 1. de peccatoris meritis, & remiſſione cap. 24. Punici Chriſtiani Euchariſtiam *Vitam* appellabant, & profectò non duntaxat, quam largitur affluenter, ſed qua gaudet formaliter.

Num. 14. Priùs autem quam teſtimonia hæc dignis quibuſdam reflexionibus exponantur, & exornentur; generatim ſolùm rogamus, an inculcata toties, prolixaque vitæ, vivi, & viventis in Euchariſtiæ myſterio, mutuæque, & amicabilis manſionis in Chriſto, dum præfatum myſterium à Chriſto Domino promittebatur; dum realem præſentiam corporis, & ſanguinis ſui in illo, omni tropo ſecluſo, ſtabilire, & fundare in Eccleſia ſatagebat: dum tandem ſermo erat de corpore per panem vivum ſignificato, ſive de carne Chriſti Domini, tanquam de vero, & vivente cibo; rogamus, inquam, an verificari poſſint in ſenſu proprio, ſtrictoque, & non figurato, per hoc, quòd emortuo prorſus modo exiſtat in actu 2., & practicè? per hoc ſolum quòd cauſet effectivè ad inſtar inſtrumenti elevati in anima ſuſcipientis ipſam vitam ſpiritualem, ſeu gratiam, non aliter ac illam efficiunt inſtrumenta inanimata in reliquis Sacramentis, quin voluntariè concurrat, ſcienterque voluntate, & cognitione aliiſque ſenſuum internorum actibus, à corpore pendentibus, & per quos corpus dicitur, & eſt vivens verè in actu 2., actioneque efficiente, viva in radice; cum non expediat ita elevari à Deo, ſicut inſtrumentum inanime, ſed itaût vitaliter concurrat? vel per hoc, quòd corpus ſit hypoſtaticè unitum verbo divino, quod eſt formaliter vivens, & vita; cum ſub ea ratione etiam in triduo mortis diceretur eadem proprietate corpus vivum, aut panis vivus, licet eſſet Corpus ſimpliciter, & vere mortuum? vel denique per hoc, quòd anima Chriſti Domini ex Euchariſtia eliceret de facto operationes merè ſpirituales ab organo planè independentes; cum ſit exploratum, in eis operationibus minimè communicare per ſe animam cum corpore, de materiali prorſus, & per accidens, ad eas ſe habente, nec per illas corpus dici poſſit formaliter vivens, magis quam ſi elicerentur ab anima à corpore ſeparata? vel an ſaltem ſenſus à noſtra opinione intentus ſit conformior menti Inſtitutoris, proprietati, & ſignificationi naturali verborum; præſertim ubi figuratæ locutiones aperiunt viam ſatis planam Sacramentariis noſtri ævi ad realem Chriſti Domini præſentiam per ſimiles Metaphoricas ſignificationes eludendam?

Genuinus itaque ſenſus quem verba Salvatoris includunt, & ex ſe exprimunt, complectitur luculentiſſimè vitam formalem, & ſimul effectivam, nonnullaque eorumdem formalem tantum primò, & per ſe. Non enim dici poteſt *Panis vivus*, per hoc ſolùm quòd vivificet manducantes, niſi impropriè, & per analogiam ad modum quo Medicina dicitur ſana, quia ſanitatem inducit. Idque dilucidè expoſuit doctiſſimus Interpres Sebaſt. Barradas tom. 2. com. in Evang. lib. 10. cap. 9. num. 32. dicens: *At Euchariſtia panis eſt vivus, vitam, & habet, & donat*, Quamvis enim Joan. 4. promiſerit Chriſtus Dominus aquam vivam credentibus; verùm in primis aqua decurrens ex communi hominum acceptione, & veluti propria jam ex uſitata gentium ſignificatione, dicitur viva, uti & in Cant. Cantic. Puteus aquarum viventium, ideſt currentium, ſalientiumve, *quæ fluunt impetu ex Libano*: Idque expreſſit Virgilianum illud. *Donec me flumine vivo Abluero*. Et D. Thomas in epiſt. ad Hæbr. cap. 4. exponens illa verba: *Vivus eſt ſermo Dei*, inquit, *Dicitur autem res viva, quandiù habet operationem, & motum, ſicut enim fons ſcaturiens dicitur vivus ſic &c.* ad diſtinctionem aquæ conſiſtentis, vel in mare, quod propterea mortuum appellamus, vel torpentis in lacu. Non ſic autem *vox panis*, quæ ex ſe nullo pacto ſortitur vivi ſignificationem, nec ex loquentium conſuetudine. Quapropter ſicut ex eo quòd Chriſtus Dominus, dum nuncupatur Leo, Vitis, Lapis Angularis, & alia ejusmodi (quæ ſatis ex materia circa quam, & ex aliis circumſtantiis evidenter apparent metaphorica: tum etiam ex præcedentibus, & conſequentibus, ut liquet ex S. Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 10. & lib. 83. quæſt. 69. cujus doctrinam, & regulas exponunt interpretes paſſim) nullatenus verè talis ſit, ſed purè metaphoricè, quoniam hoc veluti ex natura ipſarum rerum, & locutionum, conſequitur; perperam ſubinferunt Novatores, per tropum ſimiliter, & in ſigno tantùm, intelligenda verba illa à Chriſto Domino prolata: *Hoc eſt Corpus meum*. Sic & in re ſubjecta dicendum, quam detorquere ad ſenſum figuratum gratiſſimum erit Sacramentariis, ſimile effugium avidiſſimè quærentibus, ratione cujus à fide ſancta defecerunt, illam duntaxat figuratam, vel in ſigno retinentes.

Num. 15. Rurſus, & efficaciùs, per aquam vivam ſignificatur ibi Spiritus Sanctus, qui in mundi creatione ferebatur ſuper aquas, ut ex Cyrillo, Theophilacto, Eutymio, & aliis Patribus notat Cornelius à Lapide in eum

eum locum; Spiritus Sanctus autem vivit formaliter vita divina, & ſimul effectivè, quatenus per dona ſua facit nos ſupernaturaliter vivere. Sin minùs ſignificatio illa vera non eſſet. Quod evincitur clariſſimè ex verbis ejuſdem Joannis cap. 7. ubi exponens in præfata materia mentem Chriſti Domini, dum ille dixiſſet: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de Ventre ejus fluent aquæ vivæ, ſubjungit. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Veritatem hujus doctrinæ expreſſit S. Hilarius in pſalm. 147. pronuntians: *Menſa enim Domini, ex qua cibum ſumimus, panis, ſcilicet, & vini; cujus eſt hæc virtus, ut ipſe vivens, eos quoque, qui ſe accipiunt, vivificet*. En apertam utramque vitam: à fortiori igitur, dum appellat ſe panem vivum, debuit ſignificare Corpus formaliter vivens, ultra conceptum activè vivificandi, in aliis verſiculis clarè aſſertum; atque ſubinde non colligimus vitam formalem Euchariſticam de facto exercitam ex eo præcisè, quòd adeſt ſub ſpeciebus vivificaturus nunc accedeutes ad ſuſcipiendum ipſum, & in æternum, juxta ſignificationem plurium verborum, quæ Chriſtus Dominus protulit. Sed ex eo, quod ultra eam vivificationem diſertis verbis enuntiatam, protulerit verba alia, non minùs diſertè ſignificantia vitam formalem Panis, ſeu Corporis effectivè vivificantis; quin illa uſurpari valeant, niſi valdè impropriè, & per metaphoras ab Euchariſtiæ inſtitutione, ejuſque promiſſione prorſus arcendas. Non enim ſolum vivere debet Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, ut effectivè concurrat ad vivificationem noſtram (nec ex eo præciſo titulo vitam formalem probamus) ſed ſimpliciter, ut & exiſtat dignè in Euchariſtia. Unde licet anima ſolam per concomitantiam ponatur, ut in ſeparatione vi verborum ſignificata Corporis, & Sanguinis, repræſentetur Chriſti Domini mors; nequit attamen re ipſa exiſtere in Euchariſtia corpus, niſi anima informatum, & vivum.

Præterea quamquam in genere loquendo nullo pacto arguatur vita formalis actualis ex effectiva, ut ſupra dictum eſt exemplo ex aliis Sacramentis deſumpto, & in eo ſenſu efficaciſſima ſunt argumenta, quibus Doct. Eximius Diſput. 48. ſect. 2. diſputat. adverſùs Gloſſam in cap. *timorem* diſt. 2. de conſecrat. & Ledeſmam allegata quæſt. 17. uti & adverſùs Algerum alibi; nihilominus in re præſenti ratione materiæ, ſi accuratè introſpiciatur Verborum Chriſti Domini ſenſus, & inſtrumenti, ad vivificandum activè elevati natura, item rerum ſignificatarum proprietas; ſatis efficaciter apparebit, & effluet illatio vitæ formalis in Corpore Chriſti Domini, quâ ſacramentaliter velato, ex effectiva a poſteriori legitimè deducta. Id enim iu primis colligitur ex ipſamet efficientia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, quæ ex ſolemniori Theologorum doctrina ſupponitur Phyſica, ſive proveniens phyſicè ab humanitate, tanquam inſtrumento conjuncto, medio quo cauſat in ſuſcipientibus vitam gratiæ, effectuſque, & affectus mirabiles ex hoc gratiarum, & vitæ fonte manantes.

Siquidem hoc efficere nequit Chriſtus Dominus ex Euchariſtia digno modo, quin vitaliter agat (quæ ratio neutiquam militat in aliis Sacramentis, quibus Chriſtus Dominus phyſicè realiterque præſens non eſt) & quidem vitalitate propria Humanitatis, & Corporis ſignificati per panem vivum, ſubindeque Corporea, & organica, ut animatum illud inſtrumentum emortua alia ſuperet nobilitate influxus, & modo influendi: ne ſonos edat dulciſſimos, quin ipſe viva manu barbiton moveat, ſed paſſivè tantum ad inſtar cavi ligni percutiatur.

Perperam autem diceres Corpus Chriſti Domini tribuere vitam ſpiritualem, ad quam nobis exhibendam egere quidem poteſt vita purè ſpirituali anima Chriſti; non tamen corporea. Contra enim: quia non arguimus formaliter hanc vitam ex illa, ſed ratione materiæ, ſive inſtrumenti concurrentis ad illam; cum autem Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia ſumptum ſit inſtrumentum vivificationis, debet concurrere modo, quo deceat ipſum, atque adeo vitaliter, ea ratione, qua illud vivere poteſt; vivere autem nequit propriè per actus ſpirituales ab ipſo alienos; vivit attamen per alios, per quos producitur inſtrumentaliter ea vivificatio ſpiritualis. Deinde etiam per actus ſpirituales a Phantaſmate pendentes vivit Corpus, per illoſque imperari poteſt præfatus concurſus. Tandem vivificatio, quam Euchariſtia cauſat, non eſt tantùm animarum, ſed corporum ſimul, quibus reſurrectionem impertit, totiuſque hominis idcirco vivificationem efficit. Nequidquam pariter diceres, ſanguinem vivificare, quin propterea ſit formaliter vivus, cum non animetur. Siquidem eo ipſo, quod incapax ſit animæ ut informantis, jam non concurrit indecenter, tametſi influat, ut inſtrumentum non vivum; Corpus autem informatur per ſe anima rationali, & vivit formaliter. Ideo notanter dixit Chriſtus Dominus *Panem vivum*; non ſic autem vinum, ut animadvertimus ſupra.

Præterea, etſi animaretur, cum ex defectu organorum elicere non poſſit operationes potentiarum proprias, nec motum ab intrinſeco vitalem; ideo influeret dignè inſtrumentaliter, licet per eas operationes vitaliter non concurreret; influeret tamen anima (cujus ille ſedes eſt) vitaliter, & quidem vitalitate propria corporis, ſeu compoſiti humani; quia cum ſanguis ſit pars phyſicè conſtitutiva compoſiti humani, ut viventis, Chriſtus Dominus minùs decoroſè concurrit medio ſanguine ſuo, ſi non operaretur, vitaliter, quâ compoſitum per ſanguinem conſtitutum; non vitalitate immediata ſanguinis cujus incapax ſupponitur, ſed compoſiti humani

mani per illum influentis, atque adeo vitalitate mediata, quæ propria ſanguinis eſt, eſtque ſenſus unicus, in quo mare hoc rubrum fluens, & refluens, & interdum fugiens, dicitur vivum.

Num. 16. Secundò id colligitur ex teſtimonio Chryſoſt. ſupra producto; non ita ſanè ut arguat in genere ex vita effectiva formalem, ſed ita ut ratione materiæ ſupponat, vel exigat neceſſariò hanc ad verificandum, tum illam, tum conceptum immanentiæ aſſertæ à Chriſto Domino intra dignè ſuſcipientem ipſum, quæ quidem realis inhabitatio mutua nequit primò fieri, niſi intercedat phyſica illa conjunctio, arctiſſimaque totius Chriſti Domini cum ritè communicante, quæ involvit, per ſe loquendo, amoris reciprocum commercium inter utramque Perſonam, & utriuſque humanitatem; ac proindè ſupponit utrumque extremum actu formaliter vivens in corpore. Et hoc titulo etiam arguitur quam optime ex illa vivificatione provenienté à Chriſto Domino prout in Euchariſtia vita humana actualis, formaliſque in ipſo, quâ ibidem latitante. Sin minùs, qua veritate, aut qua vera proportione mutua ea, & intima inhabitatio, tempore quo phyſicè durat, eſſe poſſet ſimilis illi, quam Pater vivens habet in Filio vivente, & viciſſim Filius vivus in vivente Patre?

Neque alia fuit mens Gloſſæ in cap. *Timorem* allegato: namque dum objicit (& objectioni ſuccumbit): *Si quis proferret verba hæc poſt mortem Chriſti ante reſurrectionem, conficeret ne? Videtur quòd non, quia Corpus Chriſti tunc erat mortuum, & inanimatum: Ergo ſi tranſubſtantiatio tunc fieret, tunc tranſiret in corpus mortuum, & inanimatum, & ſic inutiliter ſumeretur, quomodò enim vivificaret, vel vitam conferret aliquod corpus mortuum?* Statimque reſpondet Gratianus non confecturum in eo triduo, conſentiendo doctrinæ objectionis, territuſque objecto abſurdo. Quantumvis enim communiter rejiciatur ab Scholaſticis ea opinio negans conſecrationem pro triduo illo: uti & quòd non vivificaret corpus mortuum Chriſti Domini; cum ad hoc pluſquam ſufficiens eſſe credatur unio hypoſtatica ipſius ad verbum divinum; cœterum ratiocinatio facta evincere contendit neceſſitatem, non ſanè tantùm vitæ, ſive Perſonæ Divinæ, per quam corpus illi conjunctum neutiquam vivet, nec vivere poteſt formaliter, ſed vitæ formalis ipſius corporis, humanæque, quam recipit connaturaliter ab anima rationali informante ipſum, exercitæ actu per operationes immanentes organicas, vel ab organo pendentes, ſine qua minùs dignè concurreret ad fideles vivificandos Chriſti Domini Corpus, & Sanguis, & ſine qua Gratianus in ea Gloſſa putat, ob inſinuatos titulos provenire non poſſe dignè præfatam vivificationem à Corpore Chriſti Domini. In qua acceptione vera eſſe poteſt illatio, & Doctrina Gratiani, etiam qua docet, non confecturum in triduo D. Petrum, licet verba conſecrationis proferret, de quo nos prolixè in propria ſede. Unde licet commune argumentum adversùs Gratianum manifeſtum ſit in genere uſurpatum, qua parte convincit, fieri poſſe divinitùs ejuſmodi vivificationem ab inſtrumento, aut corpore non vivente formaliter; deficit attamen ſi contrahatur determinatè ad Corpus Chriſti Domini, quâ ſuſcipiendum in Euchariſtia, tum ob ſummam dignitatem Inſtrumenti vivificantis activè, quod propterea debet vivificare vitaliter ob decorem, & Majeſtatem, & excellentiam humanitatis aſſumptæ in modo operandi: tum ob Chriſti Domini verba Joan. 6.; quam putamus fuiſſe Gratiani acceptionem. Quinimo tametſi falleret ea conſecutio in triduo, quoniam ex ſuppoſitione, quòd Corpus Sacroſanctum eſſet tunc Cadaver, & ex ſuppoſitione pariter, quòd ille ſtatus nullatenus fuerit contra, ſed potiùs juxta decorum ejus, non ſequitur libatum abſurdum, ex eo, quòd aſſumeretur ad vivificandum ut inſtrumentum inanime; ſequeretur attamen modò, cum animatum ſit, eſtque proinde legitima argumentatio.

Non abſimilis huic eſt illatio Concilii Epheſini in loco relato diſp. 1. ſect. 1. n. 6. dum approbat epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium, ibi namque definit, Humanitatem latentem ſub ſpeciebus Euchariſticis, non eſſe alterius alicujus hominis, ſola dignitate, habitatione, aut virtute conjuncti verbo divino; ſed humanitatis hypoſtaticè phyſicè copulatæ eidem. *Vita enim*, inquit, *naturaliter, ut Deus exiſtens, qui propriæ carni unitus eſt, vivificatricem eam profeſſus eſt eſſe ... Quomodò enim hominis* (puri) *caro juxta naturam ſuam verificatrix eſſe poterit? ſed ut verè propriam ejus &c.* Verùm quo jure legitima eſſe valet illatio à vivificatione activa ad vitam formalem divinam humanitati vivificatrici intimè hypoſtaticè copulatam; cum evidens ſit etiam per aliam humanitatem non phyſicè conjunctam verbo, uti, & per inſtrumentum inanime elevatum potuiſſe vivificare effectivè nos? Sicut igitur, quamvis illatio illa abſolutè, & univerſim legitima non ſit in ordine ad unionem phyſicam cauſæ principalis elevantis, vitæque Divinæ cum humanitate vivificatrice; in re tamen ſubjecta, ratione materiæ credendum prorſus nobis, tenere argumentationem illam, ne alioqui frivola conſecutione, aut argumento uſam fuiſſe Synodum illam œcumenicam (noſtri autem inſtituti non eſt cauſas legitimitatis præfatæ illationis diutiùs explorare); ita ob rationes indicatas nuper, & ratione materiæ determinati inſtrumenti effectus per ſe primò intenti, arguitur validè, & legitimè, à vivificatione activa ad vitam formalem cauſæ inſtrumentariæ, ſive elevatæ: ſunt etenim aliqua, in quibus materia ſuperat opus, cujus titulo non abhorrent interdum ſimiles illationes à principiis

dia-

dialecticis, ut notum eſt Tyronibus.

Num. 17. Doctrina hæc, & argumentatio ex verbis Chriſti Domini facta efficaciter urgetur: quoniam illa habent re ipſa vim illationis propè manifeſtam; dum ait: *Ego ſum Panis vivus*, & mox aſſeverat, quòd, *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*: Ubi S. Thomas in cap. 6. Joannis lection. 6. inquit: *Dixit ergo, Ego ſum Panis vivus, & ideo poſſum vitam dare, panis enim corporalis non in perpetuum vivificat, quia non habet in ſe vitam*. Ergo eatenus vivificat eo modo, & in perpetuum (quantum eſt ex ſe) Chriſtus Dominus ex Euchariſtia, quatenus in ſe habet formaliter vitam, & quidem corpoream cum corpus ſignificetur per panem; unde adjungit ibidem S. Thomas: *Dixerat enim, quòd erat Panis vivus, & ne intelligatur quaſi hoc ei eſſet, in quantum verbum eſt, vel ſecundùm animam tantùm, ideo oſtendit, quòd etiam caro ſua vivificativa ſit.*

Non minùs clarè locutus eſt S. P. Auguſtinus in epiſtola ad Irenæum (ut refertur in cap. Chriſtus 57. diſt. 2. de conſecrat.) *Chriſtus*, ait, *Panis eſt, de quo qui manducat vivit in æternum; de quo ipſemet dicit, & Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, & determinat, quomodò ſit panis, non ſolùm ſecundùm verbum, quo vivunt omnia, ſed etiam ſecundùm carnem aſſumptam pro mundi vita. Humana enim caro, quæ erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni ejus mundæ unita, incorporata, unum cum illo effecta, vivit de Spiritu ejus ſicut vivit corpus de ſuo ſpiritu. Qui verò non eſt de corpore Chriſti, non vivit de ſpiritu Chriſti*. Non ſolùm ergo requiritur unio illa corporis cum Verbo Divino ad vivificandum nos eo vitæ admirabilis modo, ſed inſuper exigitur vita formalis, & propria ipſius Corporis Chriſti Domini proveniens ab ejuſdem Anima Sanctiſſima in ipſo, per illudque immanenter operante. Neceſſaria equidem eſt unio illa hypoſtatica humanitatis ad verbum, ut hæc ſit vivificatrix, cum purus homo vivificare non poſſit (juxta Epheſini Doctrinam) per ſe, ſed tantùm quaſi per accidens, & indebitè elevata; uti poteſt humanitas Chriſti ex ſuppoſitione unionis hypoſtaticæ, ratione cujus debetur illi per ſe hæc virtus, eſtque ex ea hypotheſi veluti connaturalis, ut laudata Synodus apertè ſupponit. Cœterum nequaquam ſufficit nexus hypoſtaticus ad hoc, ut vivificatio illa fiat activè per humanitatem aſſumptam, quia inſufficiens eſt ad hoc, ut corpus vivat formaliter, ſi non adſit anima informans ipſum, & aliunde hęc vita formalis actualis humanitati eſt neceſſaria neceſſitate decentiæ, ideſt non abſolutè ad efficiendum, ſed ad efficiendum modo decente humanitatem aſſumptam.

Jam vero Algerus lib. 1. de Sacram. Corpor. & Sang. Domini cap. 19. aſſeruit eam vitam formalem, ut congruentiſſimam ad connaturaliùs, & digniùs vivificandum effectivè: namque comparans panem, qui nutriendo confert vitam temporalem, cum Pane hoc cœleſti conferente æternam, inquit; *Quantò magis Chriſtus cibus vivens immortaliter, vitam ætrenam conferre credendus eſt, quibus ſibi placuerit? Magis enim credendus eſt vitam conferre, qui vitam in ſe habet, & vita eſt, quam qui non habet*. Deinde lib. 2. cap. 3. vitam illam, de qua loquitur, non eſſe tantùm Verbum Divinum Humanitati copulatum, ſed animam Chriſti Domini, ut informantem, & vivificantem Corpus, funtioneſque vitæ in illo exercentem, docens, ſubjungit; *Aut enim vivum ſumimus, aut mortuum? ſed ſumi mortuum impoſſibile eſt, cum ſit immortalis: Chriſtus enim, reſurgens ex mortuis, jam non moritur. De extero. Quam vitam ab eo ſperaremus, quem mortuum timeremus? Si autem vivum, aut in eo ſtatu, in quo fuit ante paſſionem, aut in eo in quo fuit poſt reſurrectionem? &c.* Quibus interrogationibus apertè ſignificat, Corpus Chriſti Domini mortuum, ut erat in triduo, non vivificaturum nos, ſi in Euchariſtia ſumeretur, & conſequenter, nec modo vitam noſtram cauſaturum ex Euchariſtia, ſi prout in illa emortuo modo exiſteret; non ſanè, quia per corpus mortuum, ſive non vivum in actu 2, non poſſet Verbum Divinum vivificare accedentes ad altare (in quo ſenſu minùs benè uſurpant Algeri doctrinam, qui acriter in illum inſurrexere) per illud tanquam inſtrumentum elevatum; ſed quia dedeceret Corpus Chriſti divinitati intimè conjunctum, ita jugiter ex inſtituto, & veluti per ſe, operari. Neque enim adeo deſipuit unquam Doct. aliquis Catholicus, ut crederet, non potuiſſe fieri virtute divina per Corpus Chriſti non vivum id ipſum, quod per inſtrumentum inanime fit quotidie in aliis Sacramentis, etiam ſi quodlibet non poſſit univerſim elevari ad quodlibet; ſed unicè contendit Algerus, id minimè congruere inſtrumento conjuncto divinitati, cujus ſummam excellentiam dedeceret, quòd ejus corpus concurreret per ſe ex inſtitutione & ſemper, emortuo prorſus modo in Euchariſtia ad Mundi vitam procurandam, producendamque, itaut in tanta aquarum viventium copia, quam largitur, ſitiret fons ipſe,

Num. 18. Firmat inſuper ſententiam noſtram (ut ommittam nunc perſpicua alia teſtimonia, ſequenti diſp. pro ſenſibus externis ſigillatim ponderanda) illud Iſaiæ 59. ver. 17. *& opertus eſt* (Dominus) *quaſi pallio zeli*: quæ verba ſatis frequenter ab expoſitoribus de Euchariſtia uſurpantur: Inter alios autem opportunè ad rem noſtram illis utitur Ricardus à Sancto Laurentio de laudibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ lib. 11. *Quippe ſicut Zelus*, inquit, *ſub alieno pallio explorat fidem, vel adulteria uxoris, ſic & Chriſtus ad hoc velat ſe in Sacramento ſub ſpeciebus panis, & vini*. Manifeſtum ſiquidem apparet, ſecretam illam exploratiónem

Digitized by Google

tionem non exerceri ſolùm per cognitionem, ſeù oculis mentis, cum eodem modo pateant ſcelera, & merita noſtra oculis ſpiritualibus Chriſti Domini, etiam quâ in Cœlo exiſtentis; proindeque nequidquam eo titulo deſcriberetur in Eucbariſtia velatus, ut obſervaret propiùs operationes noſtras in templo, ſeù Domo ſponſi propria, fruſtraque nos moneret, ſub ea larva excubias ſe agere; cum non aliter, nec magis ex altari deprehenderet fidelium geſta, quam ex Empyreo; ut ex ejuſdem vicina præſentia excitaremur ad reverentiùs, ac amantius adſiſtendum, terreamurque ab ejus oculis, ne indignum aliquid perpetremus. Supponitur ergo actu immanenter ſe exercens Chriſtus Dominus in Euchariſtia per operationes ſenſuum, tam externorum, quam internorum, ut ejus conſideratio, & cohibeat, & acuat, eo quòd ſimus corporibus immerſi, & propterea ſenſibilibus experimentis, adhùc ſolùm ut apprehenſis, longè acrius movemur, allicimurque.

Id etiam probabiliter deducitur, ex verbis Apoſt. 1. ad Cor. cap. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Verùm quid ſignificat propriè judicium manducare, bibereque, dum manducat, & bibit Judicem ipſum Chriſtum Dominum, ſub ſpeciebus panis, & vini? Profecto juxta communem Patrum expoſitionem, non aliud, quam manducare ſententiam ipſam æternæ mortis, ſub conditione prolatam, ſi non reſipiſcat; vel ſententiam etiam abſolutam pœnæ temporalis (interdumque mortis) illico infligendæ; ideoque ſubjunxit Apoſtolus: *ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Et quidem ſententiam ibi actu à Chriſto Domino, ut Judice, veluti ſedente pro Tribunali (in quo Homo eſt reus Corporis, & Sanguinis Domini) Unde S. Pacianus in tractatu de pœnitent. (quem habes in Bibliot. PP.) dixit: *Evigila peccator, time in viſceribus tuis præſens judicium.* Cum ad judiciariam poteſtatem Chriſti Domini, per humanitatem exercendam, ſpectent omnes univerſim operationes humanæ, & erga homines, etiam occulta judicia, ultra judicium ultimum, tam particulare, quam univerſale, ut docuit S. Thom. 3. p. quæſt. 59. artic. 4. & ibi Suarez diſput. 52. ſect. 2. Judicantur igitur actu, cum non ſolùm in actu primo judicium edere, & potare indignos, aſſeveret Paulus per verba illa (*formidinis plena*, ut ait Tridentin. ſeſ. 13.) nec cauſam, ſive meritum damnationis, cum hoc ſit peccatum ipſum in ſuſcipiente exiſtens, quod minimè manducatur, aut bibitur, adhuc ab eis, qui bibunt iniquitatem ſicut aquam; nec ſententiam præcedenter ſolùm in ipſa Inſtitutione Euchariſtica prolatam in accedentes indignè; cum hanc non manducet; ſed judicium ipſum actuale, medio quo fertur ſententia vel conditionata, vel abſoluta interdum, itaut tranſeat cauſa in rem judicatam. Quod explicuit clariùs, dum ſubdit: *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc Mundo damnemur.* Quæ omnia perſpicuè denotant, actualem ſententiam ſub ſpeciebus à Chriſto Domino latam contra indignè accedentem, tanquam reum læſæ Majeſtatis Divinæ, ſive Corporis, & Sanguinis Regis Regum Domini noſtri, in fragranti ab eodem Judice deprehenſum, convictumque; tametſi, aut neutiquam, aut male confeſſum.

Num. 19. Judicium igitur hoc formidandum non alterius eſt quàm ipſius Chriſti Domini, cibus ipſe eſt Judex actu condemnans. Ita Theologi omnes, colligiturque ex fidei principiis; à qua docemur Joan. 5. verſ. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*: & act. 10. ver. 42. *& præcepit nobis prædicare Populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo, judex vivorum, & mortuorum.* Verùm cum integer Chriſtus Dominus pœnes divinitatem, & humanitatem ſumatur in Euchariſtia, ſecundum quam earum judicat indignè communicantes? Certè SS. Patrum, & Theologorum conſenſione pœnes naturam humanam, ſive ſecundum quòd homo eſt; exerceturque per actum voluntatis humanæ Chriſti Domini, quantumvis etiam, quâ judex importet divinam Perſonalitatem, per quam ſubſiſtit. Sic ex verbis nuper productis elicitur perſpicuè: apertiùſque ex eis, quæ habentur ibidem ab ipſo Chriſto Domino prolata: *& poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Sic D. Thom. ubi ſupra art. 2. conſulatur Doctor eximius laudata diſp. 52. ſect. 1. Judicat ergo quâ filius hominis, ſive ſecundùm quòd homo eſt; oppoſitum namque ſaperet Calviniſmum, ſiquidem Calvinus lib. 4. Inſtitut. eum dixit judicem, & Sacerdotem, ſecundum naturam divinam tantùm, & victimam ſecundum humanam. Quare dum Joan. 3. dixit Chriſtus Dominus. *Non miſit Deum filium ſuum in Mundum, ut judicet Mundum*; loquitur ſolùm de primo adventu, qui non eo fine decretus fuit, ut judicaret Mundum, ſed ut Mundum redimeret, eidemque ab. erranti viam ſalutis aperiret, & oſtenderet: & idcirco ibidem adjunxit: *ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum.*

Nunc autem ſic. Judicium illud nequit proferri ab anima Chriſti Domini per actum planè independentem à corpore, ſiquidem ejuſmodi operatio non eſt hominis ſecundùm quòd homo eſt, nec anima præciſivè à Corpore filius hominis eſt, & aliunde actus cum Corpore nequaquam communicantes, cujuſmodi ſunt, qui regulantur per ſcientiam beatam, vel infuſam, ſunt operationes animæ ſolius, eodem jure dum ſeparata ac dum conjuncta eſt Corpori; ac

per

per conſequens, nec ille actus eſſet Chriſti Domini, ſecundùm quod judex noſter à Deo conſtitutus eſt. Quemadmodum enim animæ Chriſti Domini præciſivè à corpore minimè convenit Sacerdotium plenè, & perfectè, nec conceptus Legiſlatoris; ſed homini Deo; quamquam comparatione facta inter Corpus, & ipſam (quibus ut conjunctis, & verbo copulatis competit) potiùs de illa, quam de ipſo verificetur; ſic nec judicium. Præterea nequit verificari de ipſo in Euchariſtia, quatenus habeat per concomitantiam judicium illud, aut ſententiam, in Cœlo primò elicitam, aut pronunciatam; quoniam licet actus, quo intuetur per ſcientiam beatam, vel infuſam peccatum hominis ſacrilegè accedentis ad menſam divinam, habeatur quamoptimè è Cœlo; actus tamen percipiendi per ſenſus externos indignum hominem ſuſcipientem hic, & nunc Euchariſtiam, (quamquam præſupponere debeat peccatum antecedens per ſcientiam beatam, notum) haberi nequit ex Empyreo, juxta vulgatam Scholaſticorum doctrinam. Et aliunde, quòd hoc ipſum factum noſcat etiam per ſcientiam beatam, inſufficiens eſt ad hoc, ut judicium illud ſit proprium hominis, quà homo eſt, ut neceſſarium prorſus eſſe ad hoc judicium, liquet ex dictis nuper.

Rurſus. nec judicium illud, quâ elicitum in Cœlo à Chriſto Domino, ſecundum quod homo eſt, comitari debere ipſum ad Euchariſtiam, conſtabit ſigillatim ex infra producendis. Ejuſmodi ergo ſententia judiciaria proferri per ſe primò debet ex Euchariſtia, ita ut miniſterio ſenſuum aliquatenus comparetur ille actus, vel ab organo in radice pendeat. ac ſubindè vivit Chriſtus Dominus in Euchariſtia de facto per operationes immanentes, per ſenſus, & illorum miniſterio tandem elicitas. Præterea quantis univerſim quamque irretitis difficultatibus ſubjaceat illa operationum immanentium concomitantia, infinitaque propemodum, & fluxa perennitèr replicatio, ex dicendis planiſſimum erit. Accedit duriſſimum admodum creditu apparere, Chriſtum Dominum eſſe Judicem in Euchariſtia, non poſſe tamen in Euchariſtia, & ex illa proferre judicium, ſed expectare debuiſſe ſemper aliundè venientem ſententiam, quantumvis à ſe ipſo quâ alibi regnante emiſſam, & à tribunali ſupremo quaſi emcudicatam. neque eſſet hoc judicium ibi ferre, ſed ſententiam alibi datam, aut exequi, aut intimare ibi.

Num. 20. Quòd vero Judex ſit expeditiſſimè talis ſecundùm quòd exiſtit in Euchariſtia, tanquam compertiſſimum colligunt interpretes ex verbis Pauli, eſtque philoſophia, aut modus philoſophandi Sancti Auguſtini in tractatu 26. in Joan. ubi differens tàm de ſanctè, quàm de improbè recipiente Corpus Chriſti Domini, affirmat Chriſtum Dominum ex Euchariſtia illos videre, diſcutere, fulmenque ſententiæ vibrare in manducantes indignè. *Novit ille*, inquit, *quid agas, intus videt, intus examinat, intus inſpicit, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat*: Et loquitur apertè de Chriſto Domino *intus*, ideſt ſub ſpeciebus latente. Hæc autem tribunal judicantis in Euchariſtia deſignant, nec ſine vi aperta uſurpari valent de actibus cum Corpore nullo pacto communicantibus. Conſonat mirum in modum S. Chryſoſt. Homil. de ſacrorum myſteriorum particip. Ubi dum accedentes ad Euchariſtiam ſuſcipiendam hortatur ad puritatem animi diligenter procurandam, inquit; *Menſa Regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes, ipſe Rex adeſt, & tu adſtas oſcitans? Sordeſcunt tibi veſtimenta, & nihil eſt tibi curæ? At pura ſunt omnia, igitur adora, & communica. Per ſingulos dies venit diſcumbentes viſurus, omnes alloquitur, & nunc in conſcientia dicit. Socii, quomodo adeſtis hic non habentes veſtem nuptialem?* Venit utique diſcumbentes viſurus, non ſanè, oculis mentis duntaxat, alioqui de Cœlo, ut diximus potiùs efficeret, ſed Corporeis & idcircò longè aliter de locutione loquitur Chryſoſt. animadvertens alloqui ipſos in conſcientia tantùm, & non voce externa, diſtinctaque. Quia illud primum, quâ nobis cognitum, charitatem accendit, & devotionem fovet; ſecundùm verò fidem ſubverteret, & rupto arcanorum velo, deſineret Sacramenti conceptus, paterentque adyta ſidei ſenſibus. Hauſit ex deſignatis fontibus eamdem doctrinam S. Paſchaſius in lib. de Corp. & ſang. Domini cap. 8. aſſeverans, quòd Chriſtus Dominus ex altari, *concordiam videt omnium, fidem convenit ſingulorum, omnium peccata deſcribit, & ſanctorum à peccatoribus numerum ſegregat*. Omitto quamplurima alia Patrum teſtimonia, eandem ſententiam, quâ ex Euchariſtia prolatam, continentia, & duriſſimum judicium ad inſtar hami ſub eſca divina deliteſcentis non ſine terrore fulminantia indignis.

§. III.

Num. 21. MULTA ſunt, quæ excogitari valent ad enervandas illationes ex ſacræ Scripturæ locis ſupra deductas in favorem vitæ corporeæ actualis Chriſti Domini in Euchariſtia, ad vitamque illam armata ratione auferendam. Nolumus tamen inter ipſas recenſere illam, quam nudè ſumptam pauci aliqui non verentur proferre. Nimirum Corpus Chriſti Domini, panemque, appellari vivum in ſigno tantùm, quatenùs ſignificat vivificationem, quam activè cauſat in nobis. Quandoquidem hac figuratarum locutionum via ſemel aperta in verbis à Chriſto Domino prolatis, dum myſterii inſtitutionum polliceretur; actum eſt de præſentia reali, quàm ſimili fuga innani, & tropis umbrati eludunt Sacramentarii. Primò igitur reſpondebunt Adverſarii, vitam ſenſitivam, quam perſuadent aliquo modo

prima Sacræ paginæ loca, eſſe quidem formalem, ſed in actu primo ſolum, ſive Corpus animatum; ne crederetur, ut re ipſa credidere diſcipuli, dum pollicitus fuit Chriſtus Dominus carnem ſuam manducandam, teſte Auguſt. tract. 27. in Joannem, illum daturum carnem ſuam ab anima jam deſertam, & veluti in macello per fruſta diviſam; ſed illam anima propria, per concomitantiam adducta, informatam, adeoque carnem in actu primo viventem ſubſtantialiter, capacem ex conſequenti ſe exercendi per ſenſus, & per alias operationes à ſenſibus ortum trahentes; capacem, inquam, in Eucbariſtia, at non ad illas eliciendas, prout eſt in Euchariſtia. Cum igitur vivens per ſe potiùs ſupponat, juxta Ariſtòtelis, & totius philoſophiæ commune placitum, pro vivente in actu primo id ſolum colligi poteſt ex allatis Chriſti Domioi verbis, nullatenùs verò exercitium ipſum vitæ corporeæ in actu ſecundo.

Efficacius adhuc, & ſecundò occurrere poſſunt, ajentes, ſalvari perfectiſſimè teſtimonia illa per operationes intelligendi, & amandi purè ſpirituales, quas Chriſtus Dominus elicere poteſt counaturaliter, prout eſt in Euchariſtia, tametſi à Corpore omnioo alienas, independenteſque. Quandoquidem per illas concurrere valet vitali modo formaliter ad vivificandum accedentem: vixque excogitabile eſt munus, ad quod ſubeundum deſerviat vita organis alligata, quod ſuppleri nequeat ea ſublimiori ſpecie vitæ. Quin & dum illa exercetur ab anima intra Corpus, etiamſi à Corpore ſit prorſus independens, totus homo, ſivè totum compoſitum denominatur vivens. Sic & Beati poſt reſurrectiouem mutuum amicitiæ conſortium ſortiri poſſunt, etiam dum abſque converſione ad phantaſmata intelligent, ſeque viciſſim amabunt.

Tertiò & urgentiùs. Chriſtus Dominus ultra vim illam emittendi operationes nuper inſinuatas, poſſidet in Euchariſtia per concomitantiam actus omnes vitales, etiam Corporis proprios, quos elicit in Cœlo, tam præcedentes, quam qui ſubſequuntur conſecratiouem, ratione naturalis connexionis, quam habent cum Corpore, vi verborum præſente: vel ob ſympathiam potentiarum ejuſdem animæ, uti & ejuſdem Corporis: vel ob identitatem ſubjecti utrobique; atque adeo oeceſſitatem trahendi, quocumque feratur, omnia illa accidentia, quæ ſunt loco priora, ſive nullo pacto affixa loco determinato; ne ſequatur contradictio habendi ſimul, & non habendi ſibi unitos eoſdem actus intimè; aut etiam recipiendi actus inter ſe ſe oppoſitos, quamquam in diverſis locis: vel quia id conſentaneum magis videtur rerum naturis: vel ſaltem ex divino decreto, & beneplacito ità ſtatuente; juxta diverſas opinandi ſemitas. Salvatur ergò pleniſſimè vita Euchariſtica in Evangelio indicata, & à Patribus præſuppoſita penes omnes neceſſarias functiones; abſque eo quod de facto primò, & per ſe eliciat ex Euchariſtia ſenſationes ullas: ac ſubindè ſine recurſu ad nova miracula perpetuò erumpentia, non tantùm ſine neceſſitate, verùm ſine utilitate aliqua, & ſine philoſophia. Maximè cum nonnulli vitalitatem à Chriſto Domino inſinuatam Joann. 6. verificari putent, per hoc ſimul, quòd Euchariſtia ſit ſignum vitæ, quæ ſanctè accedentibus confertur, ſeu per vitalitatem in ſigno (ut nuper inſinuatum fuit): cum ſit ſignum gratiæ ſantificantis, quæ vera animæ vita eſt, etenim eâ diſcedente vel anima ipſa ſpirituale cadaver eſt.

Num. 22. Sed incaſſum planè reſpondetur, potiuſque voluntariè, quam jure, ut colligitur ex ſupra dictis. ad pleniorem tamen earundem ſolutionum ruinam, fuſius modo, & diſtinctiùs diluendæ ſunt. Prima namque corruit facilè: ſiquidem juxtà principia oppoſitæ ſententiæ, quamvis Corpus Chriſti Domini ſit animatum in Euchariſtia, utpotè actu informatum anima rationali; neutiquam tamen eſt, nec dici poteſt vera aliqua ratione, aut proprietate vivens in actu 1. ibi, prout ibi exiſtit; (uſurpando vitam in actu 1. in ordine ad operationes, ut re ipſa uſurpatur à Philoſophia: & propterea deſinitur per ordinem ad illas), ſed potiùs incapax in actu 1. vivendi, cum abſque miraculo, nullam elicere poſſet ſenſationem, nec proximè, nec adhùc remotè, niſi poteutia obedientiali, per ordinemque ad abſolutam Dei potentiam; eam autem potentiam de facto approximatam minimè habet, juxtà principia adverſæ ſententiæ, per decretum divinæ voluntatis concurrendi jugiter; ſed potiùs decretum ex diametro oppoſitum. Licèt enim humanitas Chriſti Domini habuerit in terris (& modo habeat in Cœlis reſpectivè) omnipotentiam expeditè applicatam ad patranda miracula omnia, quæ conducerent ad fioes incarnationis, vitamque propriam tuendam, ut ex D. Thoma docet inconcuſſa Theologia; proùt in Euchariſtia tamen exiſtens, nullatenùs gauderet ea potentia inſtrumentaria proximè expedita, pro nutu ad vitæ corporeæ functiones exequendas, ſi ſubſiſteret opinio contraria; atque adeò nec ſub ea ratione eſſet proximè potens.

Qui verò contenderet habere quidem omnipotentiam applicatam, & exindè potentiam expeditam in actu primo proximo; eâ tamen nequaquàm uti de facto, niſi rariſſimè admodùm (& in ordine ad actiones aliquas nunquàm, quia de viſu, & auditu non conſtat per miracula); aberraret procul dubio, juxtà vulgatam inter adverſarios doctrinam, juxtà quàm non uſus ille perpetuus per tot ſæcula ſupponeret manifeſtè noluntatem Cbriſti Domini efficiendi jugiter ea miracula, & conſequentèr decretum divinæ voluntatis hoc ipſum diſponens in ipſa arcani maximi inſtitutione.

Fru-

Fruſtra enim apud laudatos Theologos foret applicata omnipotentia habitualitèr in altarium infinitudine ad perpetranda miracula, quæ, ad inſtar avis rariſſimæ, in aliquo tantùm loco, aut locis determinatis fierent. Quod minimè infirmatur per divinam virtutem efficiendi mirabilia; tametſi interdum ſolùm contingant. Quandoquidem virtus illa eſt ipſa omuipotentia, eique connaturalis, & intrinſeca; reſpectu autem Corporis Chriſti Domini deberet eſſe voluntariè applicata. Neque rursùs infringitur aliquatenùs per ſimilem non uſum illius, dum Chriſtus Dominus erat paſſibilis, in ordine ad ſuam vitam tuendam. Quia illâ ſæpè uſum fuiſſe, etiam in limine ipſius paſſionis, & quidem non ſemel, colligitur planè ex Evangelio. Demùm quid utilitatis affert ea potentia corpori, tametſi ſupponatur expedita in actu ſecundo, ſi nunquàm deſcenſura ſit in actum ſecundum uſque ad conſumationem Mundi, ut ratione illius commendetur toties panis Cœleſtis, eo quod ſit formalitèr vivus? Quamvis tamen efficacia hujus diſcurſus, ſi ſumatur abſolutè, dubia ſit quàmplurimis, de quo ſermonem fecimus diſp. 14. Ænigmat. Theolog., uſurpatus attamen ad hominem efficaciſſimus eſt.

Secundò. Teſtimonia producta contenta eſſe nequeunt vitâ ſolùm in actu primo, cum expreſſis verbis, aut planè æquivalentibus, exigant actus vitales, ſive operationes, quibus ferveat Chriſtus Dominus in Euchariſtia, ut conſtat ex verbis Apoſtoli, eorundemque elucidatione ex doctrina S. Auguſtini, & Chryſoſtomi. Judicium enim, quod manducat indignus, actualis operatio eſt, & humanitatis Chriſti Domini propria, uti, & alii actus, qui hunc comitantur, ut ex dictis liquet. Tertiò argumentum à nobis ex teſtimoniis confectum, & ſimul ex dignitate Chriſti Domini deſumptum, perſuadet Corpus Chriſti Domini nequaquam poſſe digno modo concurrere ad vivificandos fideles ipſum ſuſcipientes, quin concurrat vitalitèr, atque adeò quin operetur immanentèr in actu 2. dependentèr aliquatenus ab organis. Quartò quoniam ad hoc ipſum, quod objicitur ex mente Auguſtini, omninò neceſſarium, aut ſaltem conducens valde erat, carnem illam. (ſeu panem) futuram vivam in actu 2. ſiquidem prædicare illam animatam in aliquo ſtatu, quin pro ſtatu illo, & ſanè duraturo uſque ad Mundi extremum ſpiritum, elicere valeat, nec de facto exercere debeat, aliquam vitæ corporeæ functionem, niſi rarò admodum (& plures ipſarum, juxta adverſarios, nunquam fortè), non minùs incredibile, aut ſummè difficile apparuiſſet diſcipulis, quam quod carne ſua animata cibaturus eſſet homines. Quocircà dùm Auguſtinus in loco objecto dixit: *Carnem quippè ſic intellexerunt; quomodò in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur; non quomodò ſpiritu vegetatur*; potiùs innuit, intelligendam eſſe carnem vivam etiam in actu ſecundo, ſivè per operationes illius proprias; ſin minùs quis eorum crederet, ſpiritu vegetatum, ſeù anima informatum Corpus, quòd ab eo tempore uſque ad Mundi finem nullum vitalitatis ſignum daturum foret unquàm, adhuc vel leviſſimæ reſpirationis motum, vel debiliſſimum oculorum ictum?.

Num. 23. Quintò. cùm verùm ſit illud S. Cyrilli Alexandrini lib. 12. de Adoratione in ſpiritu, & veritate: *Nihil enim facultas videndi proficit, niſi adjunctum illud ſit, ut rectè videatur*; quò pacto prodeſſe credenda eſt facultas videndi, cui adjunctum eſt, ut nunquàm actu videat pro eo ſtatu, ſimul tantùm cùm orbe perituro? Sextò. nequidquàm expreſſiſſet ſolicitè Chriſtus Dominus, ſe eſſe panem vivum, daturumque vitam Mundo, ſi Corpus illud nullum vitalitatis actum eliceret de facto, per quem vitam Mundo largiretur, ſed produceretur ea Mundi vita abſque ulla operatione vitali ipſius; ad quid igitur deſerviret ea vita in puro actu primo ſemper, & inſtar depictæ magis, quam realis? Hinc autem præcavetur effugium præfatum, ſi vitam ibi accipere vellet, non per ordinem ad operationes, ſed unicè per ſubſtantiam ipſam animæ rationalis informantis Corpus. Siquidem vita ſubſtantialis Corporis, ſi nullam per ipſum operationem vitalem ederet, nihil prorſus conduceret ad Mundum vivificandum, reliquoſque effectus Euchariſtiæ producendos; cum æquè fierent divinitùs per Corpus, quamvis foret ab anima ſeparatum: conſequenterque ſolùm poneretur neceſſitate connexionis, & unionis cum Corpore, non ob utilitatem aliquam noſtram, aut congruentiam. Non foret ergò cur tanquam peculiare aliquid excitans ad manducandum panem hunc, diceretur *panis vivus*. Præterquamquod plures Philoſophi conceptum formalem animæ, ſeù vitæ ſubſtantialis omninò definiendum putant per ordinem ad operationes, aut vitam in actu ſecundo; tametſi accidentalem. Neque illatio ex verbis Apoſtoli, ſicut nec Auguſtini, & Chryſoſt. permittit ſenſum hunc, ut dictum eſt.

Tandem prætereundum non eſt, Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia eſſe pignus reſurrectionis Beatitudiniſque noſtræ, ut ex verbis Chriſti, & ſenſu totius Eccleſiæ docet Synodus Tridentina: eſſeque ſignum, & figuram illius docet S. Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 5. ad 9. & aliundè Beatitudo æterna noſtra ſita formalitèr eſt in actu, ſeu operatione: *Viſio eſt tota merces*; quinimò fælicitas ſumma Corporis Glorioſi per ſenſus plenè haurienda eſt. Quomodò autem, aut qua proportione Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia Sacra eſſe poſſet pignus ſignificans, deſignanſque nobis operationem vitalem, gloria exuberantem, ſi, quà ibidem latens, nullam prorſus operationem vitalem exerceret? Quamquam

enim anima Chriſti Domini, quâ in Euchariſtia exiſtens, afferat ſecum ad Euchariſtiam viſionem Dei, & amorem Beatificum; cum tamen Corpus, nec ad operationem illam concurrat, nec operationes aliquas ex illo fonte derivatas primò exerceat proùt in Euchariſtia (quamvis effectus, & qualitates alias nobiliſſimas perſiſtentes participet) nec per illos actus videre, aut amare valeat; ſed emortuo planè modo adſtet: minùs aptè, ſi non ineptè, ſubiret munus pignoris, & ſigni, quòd ex natura rerum proportionari debet ſignato, quantùm fieri poteſt: quamquam enim ejuſmodi ſigna aſſumantur ad placitum, quatenùs liberum eſt inſtituenti, velle per ipſa aliquid aliud repreſentari; idoneitas attamen, aut proportio minimè ad placitum eſt, ſed naturalis.

Num. 24. Inſubſiſtens paritèr eſt ſecunda reſponſio, aut fuga. quandoquidem ejuſmodi operationes merè ſpirituales, quæ exiſterent eodem pacto in anima ſeparata, ac unita, eo quod corpus, adhuc in radice ſua planè neſciant, nec ullum cum ipſo commercium habeant; ſufficere nequeunt ad verificandum proprietate aliqua, Corpus Chriſti Domini, prout exiſtens ſub ſpeciebus Euchariſticis, vivere formaliter in actu 2. cum non ſint propriæ hominis ſecundùm quòd compoſitum humanum, & completum eſt, ut colligitur ex D. Thom. 3. p. q. 9. art. 4. & lib. 2. contra Gent. cap. 57. unde Areſt. lib. 1. de Anima cap. 1. tex. 12. de operatione intellectus differens ait: *Si corpus etiam illi cooperatur* (per phantaſmata) *dicitur operatio communis; ſi autem non pendet à corpore, dicitur operatio animæ propria*. Ubi legendus D. Thom. Lectione 2. & cùm non aliter ſe habeat ad illas corpus, ac ſi fierent in regione longo intervallo ſemota, ab anima propria ſeparata, vel ab alia perſona diverſa; quatenus nullum in eas influxum activum, nec paſſivum exercet. Ideoque omninò per accidens ſe habet unio animæ rationalis ad corpus, corpuſque ipſum reſpectu earum: quas non minùs ignorat elicitas ab anima ſibi copulata, ac ignoret, ſi fierent in triduo: itaut ſi non foret anima Chriſti Domini, in qua ſunt repoſiti theſauri Divinæ Sapientiæ, dicere poſſet cum Paulo: *Sivè in corpore, ſive extra corpus neſcio*. Maxime cum viſio beata animæ Chriſti Domini eadem extiterit in ea, dum ſeparata in triduo, ac dum unita.

Undè non magis præfatæ operationes, ab ſcientia infuſa, aut beata deſcendentes, denominare poſſunt vivens Corpus, quàm operationes intellectus, & voluntatis Divinæ media perſonalitate verbi copulata Humanitati Chriſti Domini poſſent illam efficere intelligentem, & amantem per ipſos: & quàm poſſent in triduo reddere formaliter vivum corpus, cui unitæ perſtiterunt. Denominatur quidem totum compoſitum amans, & intelligens per illas, ſi actu eliciantur ab anima informante corpus; cæterum ea denominatio per accidens, de materialique prorſus ſe habet ad ita intelligendum, & amandum, cum potuerit eaſdem operationes emittere anima extra corpus exiſtens. Proindèque ſolùm, quia de facto actuat corpus, & cum illo conſtituit hominem, illum denominat, quaſi per accidens. Viſio autem beata poſt reſurrectionem denominabit per ſe beatum totum hominem, quatenus per ſe refundit in corpus undas alias fœlicitatis & gloriæ corporis proprias. Quare licèt eo modò concurreret Chriſtus Dominus vitaliter ad vivificandos fideles per Euchariſtiam; cum tamen corpus ipſum, atteſtantibus contrariæ ſententiæ Doctoribus, concurrere debeat ut inſtrumentum ad eam vivificationem, eo quòd ſit conſtitutivum illud, quòd ponitur vi verborum; ſemper verificatur, corpus influere ut inſtrumentum emortuum, aut emortuo influxu concurrens, ſubindèque parùm idoneo ipſi modo. Secundò vel operationes purè ſpirituales eliciuntur ab anima Chriſti Domini in Euchariſtia miraculosè; vel naturaliter? Si primum, non eſt cur potiùs afferas, exiſtere de facto illas, & non reliquas vitæ ſenſitivæ, corporiſque functiones: præſertim cum ratio præcipua, frequentiorque removendi haſce ultimas, ſit fluxus miraculorum, quę perenni curſu neceſſariò forent in Euchariſtia ad exercitium juge ſenſuum, etiam internorum; & aliundè ſimilis frequentia reperiretur abs dubio in operationibus à corpore independentibus; quin & major, cùm amplior, liberior, & ſublimior ſit animæ, quâ intellectualis, ſinus, & facultas, quàm organum materiale. ea igitur major numeroſitas ſuperaret prodigiorum feracitate objectam noſtræ ſententiæ multitudinem, ac proinde abſurditatem; ſi ſemel talis dicenda ſit.

Importunè reponeres tamen, in ſenſationibus futuram miraculoſam, non ſolùm productionem activam ex defectu extenſionis connaturaliter requiſitæ, ſed & receptionem earundem eodem titulo inextenſionis, cùm extenſionem illam, utpote materiales petant omnino: non ſic autem res ſe habet in receptione actus immanentis ſpiritualis, cùm ſit prorſus indiviſibilis ex ſe. Contra enim. Quoniam ſenſationes, juxta plurium Philoſophiam, cum ſint operationes ex conceptu formali immanentes intra principium elicitivum ipſarum poſtulant eſſentialiter recipi in ipſo, & prout ab ipſo emittuntur, etiamſi aliundè earum productio ſupra naturæ vires extiterit. Immo debetur illis omni jure ea immanentia intra principium vitale, cùm intercedat, non tantùm naturalis, verùm, & eſſentialis connexio, aut affixio, qua privari nequeunt adhuc divinitùs. Conſequenterque ſolùm præſuppoſitivè erit miraculoſa ipſarum receptio, neutiquam verò formaliter, ut fatentur etiam non pauci ex adverſariis, quia vident, ex ſup-

ſuppoſitione miraculoſæ earum productionis, receptionem illam eſſe omni jure materiæ debitam, quin & impoſſibilem divinitus ejus privationem abſolutam. Convellere namque ſtellas è Cœlo, immò & ipſum Cœlum ita concutere, ut omnes impetu corruant, facillimum eſt omnipotentiæ, operationes autem immanentes, modaleſque, ſimul elicitas, durantes ſimul, & pœnitus avulſas efficere nequit virtus infinita.

Num. 25. Rursùs. anima per concomitantiam exiſtens in Euchariſtia, tametſi indiviſibilis in ſe, exiſtit nihilominus per præſentiam ſupernaturalem, vel quoad modum ſaltem, ut opinantur quàmplures cum Doct. Eximio diſp. 35. Cardin. de Lugo, Granad. Maratio, vel quoad ſubſtantiam quoque, ut cum P. Bernal. diſp. 23. credunt alii, quibus acceſſit P. Henao diſp. 9. ſect. 2. num. 23. Vel igitur operationes ſpirituales præſentiam illam ſupernaturalem animæ ſupponentes (cum ab eadem, prout ibidem exiſtente emittentur) ſunt nihilomiuus formalitèr in ſe naturales; & ſic fallit extremum hoc primum dilemmatis? Præterea habet intentum argumentum noſtrum nuper factum, quin ullateuus infringatur objectione hae. Vel ſupernaturales quoad modum; eo quod ex natura ſua recipi poſtulant in ſubjecto connaturali modo exiſtente; & ſimiliter produci à principio in ſtatu planè naturali conſtituto; quem modum non habent principium, nec ſubjectum in Euchariſtiâ: & ſic obtinuimus pariter, eum jam eo ipſo opus ſit miraculo ad eas exercendas, æque ac ad ſenſatioues. Undè quòd in his miraculum & reperiatur in modo exiſtendi, operandique principii, & ſimul in præſentia inextenſa illarum; in illis verò ſolùm appareat miraculum ex parte animæ pœnes modum exiſtendi; vel petit principium, vel nihil probat: quoniam opinio illa, ex qua conficimus argumentationem hanc, quòd ſcilicèt anima exiſtat modò ſupernaturali, vel elicit indè, operationes purè ſpirituales ex conſequenti recipi neceſſariò modo ſupernaturali; & tunc jam utrobique adeſſet miraculum ex parte etiam receptionis operationum: ſolùmque eſſe poteſt differentia penes majus aut minus in ratione ſuperandi naturæ vires, & in magnitudine miraculi. Vel non elicit; & ſic petit principium, cùm argumentum (ex doctrina contraria, ſolùm, & veluti ad hominem formatum) evincat oppoſitum, aut evincit ſaltem, nec futuram miraculoſam formaliter receptionem inextenſam ſenſationum, ex ſuppoſitione inextenſionis principii.

Deindè; etiamſi miraculosa dicatur ea ſenſationum receptio in ſubjecto non extenſo quoad locum: ad modum quo eſt ſupernaturalis elicientia viſiouis beatæ, adhùc ex ſuppoſitione luminis gloriæ illam exigentis; ſunt attamen miracula ità inter ſe connexa, ut ex primo præſuppoſito neceſſitate omnimoda ſequatur ſecundùm quaſi connaturalitèr debitum in illo ipſo ordine operandi ſuprà naturæ vires omnes. Præterquàmquòd viſio beata, ſive ejus productio, tametſi debita ſit, & connaturalis lumini gloriæ; reſpectu tamen intellectus ſecundùm ſe accepti ſemper eſt ſuprà jactum, fortunam, virtutem nativam, & exigentiam determinatam ipſius ſecundùm ſe, quamquàm non ipſius ut inſtructi lumine. Ergo & receptio illa ſenſationis eſt juxtà ipſius exigentiam ex ſuppoſitione, quamvis ſit ſupra illam, ſi concipiatur ſenſatio ſecundùm ſe præcisè: & paritèr eſt à principio operante exacta, utpotè viventi ex ſuppoſitione eadem miraculosâ. Adde pluralitatem miraculorum in ſenſationibus ex illa parte provenientem compenſari, aut vinci ex alia à longè majore numero operationum ſpiritualium, vel objectorum, quas exercere valent potentia intellectiva, & volitiva multo ampliores (vel quamplurima objecta, ſaltem in communi, uno actu attingentes). Adde inſuper, quòd ubi ſemel adſtruatur, vel utilitas, vel coudncentia ejuſmodi operationum, ipſamet reddit Philoſophicam eam prodigiorum multiplicatiouem, præſertim in arcano miraculorum omnium Epitomeu ſtupendam continenti. Demum, adſunt plures clariſſimi philoſophi rati, ſenſationes illas, aut eſſe indiviſibiles, ut de animabus Brutorum perfectorum opinantur, vel ſaltem eſſe poſſe ejuſmodi naturæ, ſeu eſſe poſſibiles; id quòd faciliùs, & connaturaliùs locum habere poſſet, ubi eliciuntur à principio exiſtente inextenſo, indiviſoque planè modo. Juxtà quàm philoſophaudi ſemitam, nec omninò inviam, nec præruptam nimis, vires ſuas cunctas amittit reſponſio facta, verè debiles, etiam nondum fractas.

Num. 26. Extremum verò ſecundum propoſiti dilemmatis, quod amplectuntur contrarii propè omnes, admittentes idcircò uſum connaturalem earum operationum, dùm averſantur, ob miraculorum neceſſitatem, reliquas; eſt penitus iuſubſiſtens, fallax, & ſi accuratè expendatur, incredibile multis, etiam ſi compertiſſimum aliis Theologis videatur. Porrò aut Chriſtus Dominus exiſtens ſub ſpeciebus, inſtructuſque ſcientia per ſe infuſa, v. g. ſemel ac elicit actum aliquem illius ſcientiæ in una hoſtiæ exigua particula, debet ſimilitèr operari per eandem ſcientiam in reliquis omnibus hoſtiæ partibus, etiam in minimis, in quibus integrè exiſtit (quin & in punctis juxtà plures ipſorum) eo quòd objectum ſit æquè proportionatum omnibus, vel non? Si ſecundum, aderit indecente, & emortuo ſemper modò in reliquis omnibus particulis. Si primùm, iterum exquiro; an actus ille debet eſſe idem numero productus in omnibus hoſtiæ particulis; vel diſtinctus in qualibet? Hoc ultimum repugnat, ut infrà oſtendam. Semel autem ac eandem numero ope-

operationem in cunctis hoſtiæ particulis replicatam admittas, fateri eo ipſo debes apertiſſimè, intervenire miracula quamplurima, quin & infinita: ſiquidem nulla virtus naturalis efficere poteſt, ut intellectio aliqua exiſtat replicata in diverſis locis adæquatis, ut manifeſtum eſt. Si autem, ſubjicias id fieri poſſe ex ſuppoſitione quòd producatur eadem in totidem locis; eam ſuppoſitionem dicam omninò ſuprà naturæ facultatem: quoniam ex illa per ſe naſcitur replicatio adæquata ejuſdem intellectionis in locis diverſis, ſeparabilibuſque, quamvis intrà idem ſubjectum: atque adeò ſequitur, non poſſe naturalitèr exercere eam operationem Chriſtum Dominum ex omnibus Hoſtiæ particulis. Nec prodeſt ſuppoſitio replicationis ipſius Chriſti Domini, ejuſque intellectus; quandoquidem illa non eſt per ſe connexa cum actuali operatione (& longè minùs cùm productione illius in omnibus Hoſtiæ particulis) quæ poteſt non produci à Chriſto Domino, vel potuit alia emitti loco hujus, aliaque, & alia in infinitum (ſi velis, ipſum ceſſare non poſſe in Euchariſtia ab omni intellectus operatione, prout in Euchariſtia primo, & directè producta) undè non eſt idem ac, ſuppoſita ſenſationis productione miraculoſa, affirmare, receptionem inextenſam eſſe illi debitam.

Immò retorquere non poteris in nos argumentum, quin eo ipſo fatearis ſenſationes produci poſſe primò à Chriſto Domino ex Euchariſtia connaturaliter ex ſuppoſitione primi miraculi, ac proindè aliquas de facto neceſſariò elici, quamvis unà tantum ex omnibus particulis. Id quod exarmaret reſponſiones, quas evertere contendimus, ex doctrinis etiam Authorum illius: ſive de reliquo illæ ſubſiſtant abſolutè, ſive non. Prçterquamquod cauſa (uti & ſuppoſitio) utrobique eſt diverſæ rationis.

Si loquaris de viſione beata, quæ perſiſtit eadem ſemper: hæc tamen defertur ad Euchariſtiam per concomitantiam, ſolùmque reſtat ex capite replicationis infinitæ difficultas ſimilis, de qua mox, dum occurramus ultimæ reſponſioni. Præterea ſi in omni particula hoſtiæ conſecratæ producitur eadem numero operatio (ut nobis etiam longè verò ſimiliùs apparet circa ſenſationes) cum ſub qualibet operetur Chriſtus Dominus prorſus independentèr ab eo quod ſub alia parte hoſtiæ eliciat eandem, quandoquidem, & produceretur, & conſervatur in qualibet ſeorſum, deſtructis ſpeciebus in reliquis Hoſtiæ particulis, deſinenteque idcircò præſentia reali Chriſti Domini ſub illis; fatendum eſt neceſſariò, id æquivalere pluribus adęquatis productionibus ſeu totalibus ejuſdem numero effectus, quæ ſive fiant à diverſis cauſis, ſive ab eadem in diverſis locis, audiuntur plerumquè à ſententia contraria circa ſenſationes tanquam ſuperantes naturæ capacitatem; quoad ſubſtantiam quidem, dum flueret à duplici adæquata cauſa; quoad modum verò ſi ab eadem replicata (ſi ſtandum ſit doctrinæ plurimorum ex Adverſariis, ex qua veluti ad hominem inſurgimus).

Quin ſatis ſit dicere, actionem eſſe eandem, uti & virtutem productivam, nullas propterea exerentem vires majores, dum ex omni particula influit, quam dum ex una duntaxat influeret: ut ſic tota difficultas refundatur unicè in replicationes illius actus; ſatis certè non apparet vulgatæ Philoſophiæ, & Adverſariis; quoniam licet verum ſit totum quo ad ſubſtantiam; negari tamen jure nequit, (ajunt) modum illum influendi ex omni parte mutuò independenter (& propterea adæquatè) eſſe ſupra vires, vel ſaltem ſupra capacitatem naturæ, quoad modum; alioqui cur non fieret naturalis influxus duplicis cauſæ totalis, intimè viciſſim præſentis per diſtinctas ſaltem actiones in eundem numero effectum: cum undequaque contineat naturaliter illum, & cum non exerat fortiores vires unaquæque ſecundum ſe, nec utraque ſimul debiliores, quia in ordine ad illum eſt prorſus ejuſdem ſpeciei virtus in utraque, aut eſſe poteſt; quamquam poſſet alioqui duplex numero effectus ab utraque fluere? Sin minùs, vis dicere re ipſa, operationem illam in una duntaxat particula valde exigua produci, & in reliquis adeſſe ſolùm per concomitantiam; cum qua philoſophandi ratione infra me videro.

Si ſubjeceris, influxum activum eſſe neceſſarium ex omni parte, & angulo, quia eſt eadem virtus ſympathica, idemque effectus, & productionis modus: nec apparet ratio, ob quàm potiùs ex una, quàm ex alia operetur idem Chriſtus Dominus. Aſſentiar libentèr, cùm ità opinemur de ſenſationibus etiam. Verùm ſi influxus illè debeat eſſe ſupernaturalis quoad modum (uti de ſenſationibus opinaris) minùs conſequenter ſimilem influxum ex Euchariſtia in ſenſationes titulo miraculorum repellas. Rurſus pari titulo, & modo dicam, Chriſtum Dominum in Euchariſtia efficere per ſe primò eaſdem numero operationes, quas in Cœlo elicit, ſi ſemel adeſſe debeant utrobique, nec tantùm ineſſe illas in Euchariſtia per concomitantiam, cum non majorem habeat dependentiam, ſed minorem potiùs, exiſtentia Chriſti Domini, illarumque operationum, in una parte Hoſtiæ à præſentia in aliis Hoſtiæ partibus, quam ab illo prout circumſcriptivè in Cœlis exiſtente, & cum ſit æquè proportionatum utrique loco reſpectu ſcientiæ beatæ (& infuſæ etiam). Quinimmò, & per cunctas orbis plagas, ubi adeſſent Hoſtiæ conſecratæ, influeret Chriſtus Dominus ex illis omnibus in eandem numero intellectionem. Quod ſi credibile fiet alicui, virtute divina ſimplicitèr factum; incredibile tamen eſt, id contingere poſſe naturali potentia, adhuc

ex

ex ſuppoſitione prodigioſæ undique præſentiæ Sacramentalis, exercitum per vaſtiſſimas mundi Regiones (utinam in omnibus, nulla, vel barbariori, excepta!)

Num. 27. Si non influere effectivè in quemlibet actum ex cunctis Hoſtiæ ſacræ partibus, dixeris, ſed ex unica tantùm, quam Chriſtus Dominus eligat, aut in qua Deus coneurrere decernat. confeſtim exurgunt peritiſſimi Scholaſtici clamantes, ſententiam hanc eſſe planè voluntariam, nulloque ſolido fundamento nixam. Ecquod enim rationabile motivum adeſſe valet Chriſto Domino, vel Deo, ad prudeuter decernendum, ut in hoc hoſtiæ ſacræ minimo, potiùs quam in reliquis omnibus, exerceatur operatio illa, cum in omnibus ſit idem prorſus principium, eodem modo exiſtens, eadem ſpecies infuſa, eadem replicatio, cæteraque omnia requiſita, & inter ſpecies Sacramentales numero diſtinctas per orbem, ſeu orbiculum illum hoſtiæ diffuſas, nulla ſit aliis præſtantior, aut eligibilior? Sane non aliud, inquiunt, motivum apparet, quam via pro nutu aperta fugiendi abſurda, quæ ex oppoſito extremo pullularent. Hæc autem eſſe nequit ratio ſufficiens adſtruendi hanc doctrinam, cum ex ea abſurdiora alia deducantur; ſed cogit tantùm vel ad objecta illa aliter ſolvenda, ſive alia via declinanda.

Verùm reflexio hæc multis nominibus mihi diſplicet; modò autem ſufficiat inſinuare, id fieri, vel quia Chriſtus Dominus vult operari potiùs ex hac parte, quam ex aliis, quia liberrimus eſt, & idem eſt, ſi ex pluribus (ſi non poſſet ex omnibus) voluiſſet uti ſpecie illa infuſa in ordine ad eandem, vel aliam numero intellectionem. Vel Deum eligere inter eas particulas eodem jure, quo inter individua infinita ejuſdem ſpeciei rerum, etiam minimarum, ſeligit potiùs hoc numero, quàm reliqua, ut Philoſophia teſtatur, quod non ſine rationabili fine nobis ignoto decerni oſtendimus tom. 2. ænigmatis Theol. diſp. 14. Solidiùs itaque, & efficaciùs removetur ſecundum hoc extremum, 1. ad hominem, cum apud oppoſitæ ſententiæ Theologos frequentiſſimè, abſque miraculo evenire nequat, ut eadem virtus cognoſcitiva bilocata, eodem modò utrobique exiſtens, pariterque approximata objecto, & veluti ſecum ipſa in loco continuata, operetur immanenter in uno loco, quin ratione Sympathiæ, identitatis principii, potentiæ, & ſubjecti operetur ſimiliter in alio, niſi miraculosè impediatur (ſi adhuc divinitùs impediri valeat, quod inſiciantur eorundem nonnulli) undè foret miraculoſa quoad ſubſtantiam ea impeditio; etiamſi productio ejuſdem actus ex omni particula adæquatè, ſit miraculoſa quoad modum, ut nuper arguebam. Sic quia omnipotentia eſt virtus communis per identitatem toti Trinitati, impoſſibile eſt, unam Perſonam divinam agere ad extra, quin reliquæ pariter per eandem virtutem adæquatè operentur eundem effectum.

Secundò. vel illa operatio, ex una parte ſolum elicita, debet adeſſe per concomitantiam in reliquis omnibus partibus; vel ſecus? Secundum hoc eſt ingratiſſimum Doctoribus, quibus cum diſſerimus: & meritò ex ſuppoſitione opinionis ſuæ, quoniam alioqui Chriſtus Dominus in Euchariſtia præter operationes independentes à corpore, nullas ſortiretur alias, nec per earundem ex illa productionem, nec per concomitantiam ex eis, quas in Cœlo producit, ſubindeque nullatenus viveret actu formaliter, ſecundùm quod homo eſt, exiſteretque ibi Corpus Chriſti Domini privatum ſimpliciter omni ſenſuum, & potentiarum uſu; quod abſurdum non aliter vitare credunt adverſarii, quàm per exiſtentiam concomitanter operationum vitalium, quas exercet in Empyreo.

Rurſus ſi ex qualibet particula poſſit efficere actus alios pariter à corpore independentes, poſſet utique velle objecta alia, vel per diverſos affectus circa idem objectum verſari ex diverſis Hoſtiæ partibus, eum, prout in una parte exiſtens non habeat affectum reſiſtentem oppoſito, nec operatio prout in hoc ſitu pendeat ab operatione ex alio facto; ut oſtendere conantur concomitantiæ Patroni; niſi per miraculum cohibeatur potentia naturaliter expedita. Vel igitur Chriſtus Dominus, prout ſub reliquis particulis realiter præſens, nec ad eam intellectionem activè concurrens, nec ipſam recipiens, ut per illam vivere poſſit, quâ exiſtens in eo angulo, alias ſimiles intellectiones elicere valet; & in eo eventu, cùm partes Hoſtiæ, juxta communem Philoſophiam, ſint in infinitum diviſibiles, Chriſtus Dominus non solùm diverſa, pluraque, quâ plura, ſed infinita actu per operationum actualium infinitudinem cognoſceret; quod, ſaltem ſine miraculo, contingere non poſſe docent iidem Scholaſtici, qui nobis hìc bellum indicunt. Vel quâ præſens in reliquis particulis nihil prorſus operaretur, aut ageret, patereturve, nec actu viveret, prout in illis; & hoc accidere non poſſe, adhuc in homine ſtupido omninò, niſi divinitùs prohibeatur per ſubtractionem concurſus, ſcitè monent Scholaſtici ex Sancto Damaſceno, infra tranſcribendo, ubi de ficta hac animata ſtatua redibit ſermo fuſior.

Num. 28. Si replicationem illius actus, per ejuſdem receptionem in reliquis omnibus Hoſtiæ partibus cum placito ſolemniori velis tueri; agnoſcere debes à fortiori miraculum in ea replicata præſentia: ſiquidem licèt ejuſmodi operatio poſtulet manere intra ſubjectum, è quo effectivè oritur; nullo pacto exigit, nec expetere poteſt remanere intra ipſum infinities replicata; ſed potius ob ſuam limitationem illam excludit, &

quia

Digitized by Google

quia ſimilis replicatio excedit omninò naturæ jactum, & vires cunctas illius. Quin juvare poſſit ſuppoſitio exiſtentiæ principii, & ſubjecti modo inextenſo, ut de ſenſatione ſupra diximus. quoniam illa operatio non indiget extenſione aliqua; nec in ſe, cum ſit undique ſpiritualis, & indiviſa, nec in ſubjecto recipiente, adeoque non ex eo capite eget miraculo, ſed ad multiplicatas adæquatè præſentias, & ſanè infinitas; quibus opus etiam haberet ſenſatio, ſi bilocanda foret.

Neque rurſus auxiliari poteſt replicatio principii, & ſubjecti, quam præſupponit, ad hoc ut eſſe debeat tantùm replicatio illius miraculoſa, aut ſupernaturalis purè præſuppoſitivè, quemadmodum ratione inextenſionis ſubjecti, è quo fluit operatio immanens materialis, nonniſi merè præſuppoſitivè diximus miraculoſam ejus replicationem inextenſo modo. Quandoquidem voluntariè, & falsò aſſeritur, aut fingitur, intellectionem illam ſupponere eam replicationem principii, & ſubjecti, in cujus ſinu excipitur, manetque. Tum quia per ſe poſtulat ſolùm oriri & recipi intrà ſuum principium in uno tantum loco; & ita elicitur, ac ſi principium nullatenus foret replicatum, prodiretque eadem, tametſi reliquæ partes Hoſtiæ minimè adeſſent, aut minimè conſecratæ forent. Tum quia operatio illa juxtà Adverſarios procedit omninò naturaliter, eſtque planè naturalis, tam quoad ſubſtantiam, quam quoad modum, apud ipſos; eo quòd tam principium, quam ſubjectum illius contenta ſunt modo exiſtendi inextenſo, cum ſint incapacia extenſionis ob eorum nativam indiviſibilitatem: adeoque nullum eſſe miraculum præſupponunt. (Uti ſenſatio, è quacumque particula prodiret, ſupponeret principium inextenſum, ſubjectumque). Ut ergo replicentur millies, ingenti miraculo opus eſt, & quidem etiam quoad ſubſtantiam ejuſmodi replicationis. Si autem ſemel egeat miraculis Chriſtus Dominus ad eam vitalitatis ſpeciem de facto poſſidendam; cur eo titulo negatur illi de facto vita corporea in actu ſecundo, tantopere Mundo utilis, ipſi decoroſa, & ſimpliciter neceſſaria ad miros effectus per ſacræ Synaxis dignam ſumptionem vitaliter, & permanenter in nobis producendos? Cum ad eos, quos medio alio altiori nobiliorique vitæ genere efficere poteſt, non minùs ex Empyreo, quam ex altari vicino, ſit potens?

Num. 29. Jam verò, eſſe totidem actus diſtinctos, quot ſunt Hoſtię particulę, quamquam ex nuper dictis contra replicationem infinitam ejuſdem numero actus, abundè ſubverſum, expugnatumque appareat, iterum expugnandum eſt. Etenim numeroſam illam turbam cogitationum diverſarum nequaquam elici poſſe abſque pari miraculorum concurſu, & numero, compertum videtur. Tum quia virtus naturalis ſe ſola nequit ſimul in lucem emittere innumerabiles intellectiones, etiam ſolo numero diſtinctas, ut clareſcit exemplo ipſius Servatoris noſtri circumſcriptivè exiſtentis in Cœlo, cujus intellectus humanus, fatentibus adverſariis, eam multitudinem ſimul efficere non poteſt, niſi concurrat divinitus omnipotentia, ſupplens defectum virium limitatarum. Tum quia juxta contrariam ſententiam omnis ejuſmodi operatio in una parte elicita, debet aliis ineſſe per concomitantiam; tot igitur intellectiones, exempli gratia, numero diſtinctæ inerunt intellectui Chriſti Domini in minima parte Hoſtiæ exiſtenti circa idem objectum, ut confunderent potentiam intellectivam, potiùs quam illuſtrarent, ſi divinitus non conſortaretur; (id quòd omninò otioſè fieret, cum per unam perſpicuè admodum, ſummaque cum claritate illud intueretur) conſequenterque miraculis infinitis opus foret magis ad impediendam eam replicationem, ſi illa connaturaliter ſequeretur.

Tum quia, cum ſit dogma Philoſophicum, fruſtra fieri per plura, quæ fieri valent per pauciora, ſuperflua prorſus foret ea multitudo, cùm per unam ſolam ex aliqua tantum parte, vel puncto elicitam, & ab omnibus receptam obtineri poſſunt fines vivendi intentionaliter; percipiendique illud objectum; alioqui multiplicaſſet gentem, & non lætitiam. Tum inſuper, quia cum unaquæque intellectio, juxta oppoſita principia, deferri per concomitantiam neceſſariò debeat, non ſolum ad reliquas ejuſdem hoſtiæ continuatæ partes, verùm & ad omnes conſecratas per orbem diffuſas; incredibilis apparet concurſus iſtæ operationum in unum confluentium mutuò, & ubique altarium, in quibus adſit hoſtia conſecrata, quin obruatur facultas intellectiva, maximè circa objecta toto orbe diſſita, & toto Cœlo diverſa, & ſine grandi admodum miraculorum acervo ineſſe minimè poſſent potentiæ finitæ, illamque percipientem diſtinctè omnia reddere. Tum denique, quoniam viſio beata, ut iidem Theologi docent, eadem numero eſt ſemper, quin multiplicetur in Euchariſtia; & nihilominus per eam, quà replicatam in omni particula redditur formaliter beatus Chriſtus Dominus ſub quavis, vel tenuiſſima Hoſtiæ parte. Cur ergo & in reliquis operationibus intellectus creati ejuſdem Chriſti Domini deſideras multitudinem? Subſtantiam felicitatis non multiplicas, ſed ad inſtar Phœnicis unicam numero inducis in omnibus Hoſtiæ partibus; & facilè mobilem alium intellectus ornatum, ſuppellectilemque, in immenſum numero auges?

Num. 30. Ultima reſponſio, nec ſufficiens, nec in tuto poſita, ſed in lubrico potiùs invenitur. Quamplures ſiquidem, qui ſuffragantur oppoſitæ ſententiæ, fateri recuſant, operationes facilè venientes, abeunteſque, cujuſmodi ſunt volatiles cogitatio-

tiones, etiam ſi præintelligantur exiſtentes, dum conficitur Sacramentum, deferri ſimul per concomitantiam ad Euchariſtiam, ut ex P. Leſſio, & aliis animadvertimus primò. Præterea multi, etiam ſi præexiſtentibus replicationem concedant; ſupervenientibus tamen conſecrationi illam prorſus denegandam cenſent. Undè primis ſenſationibus, quæ unà cum corpore venirent in Euchariſtiam deſinentibus, remaneret Chriſtus Dominus in Euchariſtia de facto vitâ corporeâ in actu ſecundò privatus omninò, aut carens; proindèque nullatenus vivens actu, quâ panis Cœleſtis eſt, & quà vivus appellatur ab ipſo Chriſto Domino, ideſt quà Corpus (quippè quòd per panem ſignatur) & quà caro viva eſt; quòd ſatis durè conciliari valet cum ſtricta ſignificatione Verborum Chriſti Domini, admittereque idcircò renuunt laudati Scholaſtici, eo titulo ad concomitantiam recurrentes.

Secundò. Quoniam ejuſmodi ſenſationes præſertim externæ, pendent per ſe ab objectorum præſentia, & propinquitate; & ſanè non tantùm ubi primò fiunt, verùm etiam ubi per bilocationem replicentur, aut per locorum commutationem extiterit earum ſubjectum, ut major Theologorum contrariæ opinionis numerus adversùs P. Vaſquez, & alios tuetur: adeoque perſiſtere nequeunt, ſaltem abſque ingenti miraculo. Immò D. Subtilis creditus author hujus philoſophandi viæ, quam ſequitur Vaſquez, inficiatur penitus effectum formalem replicatæ illius ſenſationis, viſionis, exempli cauſa, tametſi entitatem materialem replicatam agnoſcat; quia præſentiam objecti terminativi requirit in omni loco, & non tantùm ubi primò elicitur, ad eum formalem effectum; licèt ad exiſtentiam materialem, & purè entitativam operationis nullatenùs exigatur, niſi ubi primò, & per ſe producitur, cui opinandi modo adhæſere Scotiſtæ, quos dedimus ſupra. Et quidem locutio, quam de facto exerceat Chriſtus Dominus ore divino, corporaliterque in Cœlo, non exauditur ab ipſo Chriſto Domino proùt in Euchariſtia, juxtà adverſarios communiter.

Tertiò. Replicationes illas ſupernaturaliter duntaxat contingere poſſe, maximè dum præfati actus immanentes exercentur in Cœlo, facta jam conſecratione, arbitrantur plurimi ex eiſdem Scholaſticis: quia etſi intercedat naturalis connexio operationis immanentis cum principio, à quo fit, & intra cujus gremium remanet; hoc tamen efficere ſolùm poteſt, ut dum compoſitum ea operatione jam exiſtente inſtructum bilocatur, ad inſtar motus localis, in quo, motis nobis, moventur omnia, quæ ſunt in nobis, afferat ſimul ſecum cum reliquis actu ſibi tunc copulatis intrinſecè prædictam operationem. Cæterum dum bilocatio præcedit operationem, ceſſat veluti ex integro titulus ex connexione deſumptus, cum nec compoſitum adducatur ad novum locum, nec reproducatur in eo inſtanti, in quo elicit eam operationem in loco, ubi erat prius, ſed unicè conſervetur bilocatum, ut erat præcedenter ad ipſam. Undè nec tunc datur motus, nec aliquid inſtar illius, aut æquivalens. Neceſſarium igitur erit miraculum ad ejus replicationem, quin ſuffragari valeat identitas principii, ſubjectique utrobique; cum illud ſit capax habendi in uno loco præſentiam circumſcriptivam, quam minimè habeat in alio, nec ad ipſum deferat ſecum. Quamvis enim impoſſibilitas oriatur ex affixione eſſentiali ipſius præſentiæ ad primum locum; cur ex aliis capitibus intervenire non poterit ſimilis alia ratio impoſſibilitatis ſaltem naturalis, vi cujus venire non debeat; quin idcircò contradictionem (ſi talis dicenda jure ſit) incurrat. Maximè cum juxta probatam ſatis philoſophiam, etiam modus uni loco, aut ſubjecto affixus poſſit divinitus bilocari, manente ſemper ea poſitiva affixione, quin ideò ad Euchariſtiam deveniat præſentia circumſcriptiva bilocanda. Inſuper, operationem materialem productam à principio ſupernaturaliter inextenſo exigere connaturaliter ex ea ſuppoſitione ſimilem præſentiam, cum aliquam poſtulet eſſentialiter, & nequeat aliam pro tùnc ſortiri, admiſimus ſupra ex plurium doctrina, ut indè ad hominem validiùs expugnaremus oppoſitam ſententiam. Verùm operationem illam à principio quantitativo modo exiſtente emiſſam, poſtulantemque receptionem in ipſo pariter extenſam, poſſe naturaliter adduci ad locum alium, ut fiat illi præſens modo inextenſo, tametſi ſubjectum ita bilocatum præexiſtat ibidem (quod illa ex nullo capite, aut jure præſupponit), omninò incredibile videtur. Quin per ſympatiam temperari poſſit difficultas hæc: quandoquidem illa potius deſervit ad unà concorditer operandum, & velut harmonia quadam naturæ concurrendum activè, quàm unicè paſſivè ad excipiendam eam vitalem operationem. Erunt igitur à fortiori miraculoſæ ejuſmodi replicationes. Ubi autem ad miracula appellaodum ſit, aut has non deferas concomitanter; aut noſtras ea ratione ab Euchariſtia ſacra, & à Corpore Chriſti Domini glorioſo non arceas.

Num. 31. Quinimmò adhuc operationes illæ, quæ præcedunt bilocationem, licet quâ comitantur Corpus, aut organa bilocanda, connaturaliter replicari dicerentur ex eo capite, ſi ratione unionis deberent connaturaliter ſequi Corpus, ubicumque replicetur; cæterum plurimi ex eis Scholaſticis, non in naturale debitum ex connexione, ſed in merum beneplacitum Dei eam comitantiam revocant, juxtà quam doctrinam replicatio indebita præſentiarum manifeſtè ſuperat naturæ exigentiam. Quibus adjunge eſſe longè diverſum, exiſtere ſimul in duobus locis, ac eſſe in uno circumſcriptivè, & in alio Sacramentalitèr; neceſſaria igitur

erit potentia abſoluta Dei ad novum modum exiſtendi illarum contra propriam exigentſam ad unum limitatam. Quoniam licet quaſi per prius ratione noſtra intelligatur earundem ſubjectum modo inextenſo bilocatum ; hoc tamen non ſupponitur ab ipſa operatione præexiſtens, etiamſi illa deberet neceſſariò titulo connexionis illud comitari (uti ſupponeret miraculum, dum eliceretur ab ipſo quâ Sacramentaliter jam exiſtente) : multò autem minùs ſi ipſum unicè comitetur, quia Deus ita decernit pro nutu ſuo divino ; non quia nexus illius cum ſubjecto replicato id poſtulet,

Deindè. per hujuſmodi operationes comitanter venientes, juxta Theologos nobiſcum decertantes, ſolùm intentionaliter viveret corpus, nequaquam vero phyſicè, prout adſtat in Euchariſtia, cum nihil activè ageret, aut operaretur ; & aliundè dum aſſeritur corpus aliquod, aut compoſitum adeſſe vivum, etiam in actu ſecundo, ex natura rerum, & proprietate ſermonis intelligitur phyſicè vivens, ſe ab intrinſeco phyſicè movens, Quoniam verò contra ejuſmodi actuum immanentium concomitantiam fusè nobis diſſerendum eſt alibi ; parciùs remiſſiuſque illam modò attingimus. Revera tamen ęgrè creditur à quamplurimis, Chriſtum Dominum prout in Euchariſtia, & ex illa, per auditionem in Empyreo exercitam percipere harmoniam cœleſtem, ſonumque dulciſſimum, quem ex ipſo Empyreo audit (tametſi divinitùs fieri valeat per actum ex Euchariſtia primò elicitum media ſpecie ſoni à Deo infuſa). Uti & quod ex Euchariſtia videat Deiparam, & Empyreum ipſum per viſionem eorundem in Cęlis productam. Ut ut tamen res hæc ſe habeat, cum ex dictis intervenire debeant utrobique portenta jugiter, cur illa recuſas ad activè ex Euchariſtia de facto operandum directè ; dum ſimul adſtruis eadem ad recipiendum? Pręſertim cum nec idem ſit fructus hujus, ac illius. Siquidem ſenſationes per concomitantiam venientes, erunt neceſſariò objectorum, quæ in Cœlo ſunt Chriſto Domino præſentia, vicinaque ; hæ autem verſari debent circa nos ipſos, qui adſumus propinqui, ut nos ſcilicet videndo, audiendo gemitus, & preces noſtras,. commoveantur viſcera illa pietatis, & amoris. Deinde, cùm indignè accedens ſit reus Corp. & Sang. Dñi primò & per ſe prout eſt in Euchariſtia; cur non poterit ab illo judicari, ſecundum quod exiſtit in Euchariſtia per ſe primò? Cur extinguis vitam, ſeu vitæ lumen, ut in Euchariſtia primò accenſum, cum licet ille ſit occaſus Solis (*Sol cognovit Occaſum ſuum* pſal. 103.) reſpectu viſus, & ſenſus noſtri ; in ſe tamen nequaquam occidat, ſemper enim ſplendet eadem ubertate fulgoris, & vitalitatis, ut verificetur quod Apoſtolus ad Coloſſenſ. cap. 3. protulit : *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo* ; adeo verum eſt illud, quamvis alio diſſito longè fine uſurpatum : *Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra fortunam debet quiſque manere ſuam.*

SECTIO SECUNDA.

Promovetur aſſertio noſtra Sanctorum Patrum votis, præſertim Auguſtini, D. Thomæ, & S. Bonaventuræ doctrinis. Ubi producitur egregium, & perſpicuum valde pro ipſa teſtimonium Guillielmi Abbatis, S. Theodorici in Epiſtola, aut Opuſculo frequenter (per errorem tamen) Divo Anſelmo attributo.

§. I.

Num. 32. PLurima ſanè perilluſtria ex primoribus Eccleſiæ Sanctæ Patribus, & Doctoribus collecta teſtimonia adducere poſſem, & decreveram prius ; poſtmodum verò, mutatis conſiliis premere ſilentio malui pleraque. Tum quia ſubobſcurè materiam ſubjectam libant, & evaſionibus fugientium latiſſimè patent. tum præcipuè, quoniam opportuniùs producenda multa exiſtimavi occaſione locorum ſacræ paginæ, quæ ad rem noſtram mirè ab ipſis exponuntur, uti cæpimus jam præcedente Sectione. tum denique, quia in proximè ſequente Diſputatione, ubi ſingillatim de vita ſenſuum Chriſti Domini diſſeremus, plura ſatis aperta, ſatiſque conſpicua, dabimus: pariterque alia etiam Diſp. 4.

Magni tamen Parentis Auguſtini locum adducere præſtat, & quia illius, & quia verè egregius, clariſſimuſque, ſicut & minus obnoxius ſubterfugiis ; quamquam non immunis omninò à tergiverſationibus. Diſputans namque tract. 27. in Joan. S. Doctor de prætextu Phariſeorum ad deſerendum Chriſtum Dominum, dum Joan. 6. ſe daturum ſuam carnem in cibum hominibus promiſerat ; dumque illis criminantibus verba Chriſti Domini, & ab eo propterea diſcedentibus, dixiſſet Servator noſter : *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam* : adjungit Auguſtinus ; *Non prodeſt quidquam, ſed quomodò illi intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodò in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur ; non quomodò ſpiritu vegetatur. Proindè ſic dictum eſt : caro non prodeſt quidquam, quomodò dictum eſt, ſcientia inflat? .... Sola, ſine Charitate. .... & utilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodeſt quidquam, ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodò accedit Charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum Caro non fieret, ut habitaret in nobis. Si per carnem nobis multùm profuit Chriſtus, quomodò caro nihil prodeſt? Sed per carnem ſpiritus aliquid pro ſalute noſtra egit. Caro vas fuit, quod habebat, attende, non quod erat. Apoſtoli miſſi ſunt, numquid caro ipſorum nihil nobis profuit? Si caro Apoſtolorum nobis profuit, caro Domini poterit nihil prodeſſe? Undè enim ad nos ſo-*

nus

nus Verbi, niſi per vocem Carnis? Undè ſtylus? Unde conſcriptio? Iſta omnia opera carnis ſunt, ſed agitante ſpiritu tanquam organum ſuum. Spiritus ergo eſt, qui vivificat, Caro autem non prodeſt quidquam.

Ubi tum exemplis, tum ratione convincit carnem Chriſti Domini in Euchariſtia non futuram utilem, aut proficuam ad vivificandos dignè ſumentes (nec illam concipi dignè exiſtentem in Sacramento Altaris) niſi quatenus per illam latentem ibi exerceat anima Chriſti Domini (quam dicit ſpiritum, quo vegetatur, ut explicuerat jam diſertis verbis tract. 26. & inculcat hoc tract. 27. paulò inferiùs: *Spiritum tuum dico animam tuam*) operationes vitales, admodum quo illas per carnem exercuit, dum nobiſcum viſibilitèr eſſet, & modo quo Apoſtoli, dum Orbem Chriſti Domini jugo ſubmitterent (quamquam non omnes illas ob factam ſupra obſervationem). Ut igitur caro Chriſti Domini, quam promiſit ſe daturum Mundo, proſit nobis, eſſe debet, juxta Auguſtinum, non cadaverica, non velut emortua, licèt animata; ſed ſpiritu, ideſt anima propria illius mota, vegetata, & per operationes vitalitèr agitata. Ac ſubinde non ſolùm caro, quæ ita vegetetur anima rationali, ut nullum vitæ motum, ſivè actum per carnem exequatur; ſed caro, aut corpus organicum, medio quo, & per quod operetur vitaliter ſpiritus intra illud latens, & illud informans, inducatque effectus eximios, & vivificationem, quam per Euchariſtiam probè illam ſumentibus largitur: ad modum quo Apoſtoli non per ſolum corpus animatum, & ſubſtantialitèr vivificatum; ſed per operationes actuales prædicandi, ſcribendi, Orbem illuminarunt, nobiſque profuerunt.

Hæc mihi ſatis apertè videntur oſtendiſſe, militare nobis mentem illius Aquilæ Magnæ, quâ perſpicaciùs nulla circum Corpus Euchariſticum irrequieto gyro volitavit. Mentis hanc aciem aſſecutus eſt Guitmundus Archiep. Averſ. lib. 2. de veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchar. ubi ex diverſis S. Auguſtini locis ſenſum profundum illius eruens, ſcribit in hunc modum. *Putaverunt (Capharnaitæ, & Diſcipuli), quòd gratia ejus conſumeretur morſibus, & carnem, qua indutum erat Verbum, non integram, ſicut aſcendit in Cælum, ſed veluti conciſam, vel quomodò dilaniatur, aut in macello venditur, diſtribueret credentibus; non quomodò ſpiritu vegetatur, ideſt vivam. Nam ſi ſpiritu vegetatur, viva eſt. Quid ergo ſi putaſſent ſe accepturos carnem integram, non per particulas conciſam, non mortuam, ſed vivam, ſicut ſpiritu vegetatur? Numquid erraſſent? Utique non erraſſent. Dum enim culpantur, non ideo quòd illam carnem, ideſt, ejuſdem ſubſtantiæ, ſe manducaturos putabant. Sed hoc ſolo, quia non integram, non vivam. Atque conſequenter abſque culpa fuiſſent, ſi eandem, ideſt ejuſdem ſubſtantiæ, ſe manducaturos putaſſent integram, & vivam.* En teſtimonium, quod, ſi rectè expendantur, mentem Aquilæ Eccleſiæ luminoſam adeo reddit, ut obtutus reflexus alterius Aquilæ ad illam examinari poſſet abundè.

Num. 33. Accuratè igitur animadvertendum in quo ſitum fuiſſe crediderit S. Auguſtinus errorem Capharnaitarum. In eo nimirum quòd putaſſent, Chriſtum Dominum daturum illis in cibum ſuam carnem emortuam, aut emortuo modo diſtributam, conſequenter non vivam, ut vivit caro, quæ ſpiritu vegetatur, ideſt, anima. Per carnem autem vivam nullatenus intelligi ab Auguſtino vitam duntaxat in actu primo exploratiſſimum eſt. Quoniam alioqui non foret adeo turpis, & culpabilis error ille (immò nec ſimpliciter imputabilis). Quod ut luculentiùs oſtendatur, ponamus, carnem Chriſti Domini in cibum promiſſam, non exiſtere velatam accidentibus panis, ſed viſibilem, tametſi non ſimpliciter extenſam in ordine ad locum, nec plane indiviſibili modo inextenſam; ſed ita ut ad bucellam panis integer reduceretur, & ad exiguam vini quantitatem, uno hauſtu ſumendum, quin in ſingulis illius partibus exiſteret totus Sanguis, aut totum Corpus, ſed in omnibus ſimul tantùm. Profectò ſi in eo fruſto panis, aut carnis, quantumvis animato re ipſa, nulla vitæ ſigna, ſive actus apparerent, error formalis minimè foret, exiſtimare carnem illam eſſe ſpiritu deſtitutam, proindeque mortuam. Quemadmodum licet Chriſtus Dominus adeſſet realiter præſens ſub ſpeciebus panis, nondum tamen ſecretum hoc revelaſſet Eccleſiæ, qui videns accidentia panis, affirmaſſet, credidiſſetque illum eſſe verum panem, paniſque ſubſtantiam adeſſe, minimè formalitèr erraſſet. Ut igitur culpabiles deteſtationeque digniſſimi fuerint Capharnaitæ, ſupponi debet à fortiori, Carnem à Chriſto Domino promiſſam, futuram vivam in actu ſecundo tunc, idque ſufficienter illis conſtare debuiſſe per Verba Chriſti Domini: *Ego ſum panis vivus*, per ulterioraque inculcatiſſima (conſtareque debet nobis per ipſa, cum ſigna illa vitæ, quantumvis externa, lateant nos, utpotè velata) quin ſufficeret, quòd conſtaret nobis ex revelatis de vita ſubſtantiali tantùm: Quia ſi ſemel caro non prodeſt quidquam niſi fuerit viva, juxta Auguſtinum ex Salvatoris ſententia, neceſſariò intelligi debet vitalis in actu ſecundo per operationes. Sin minùs caro eſſet animata quidem, ſed cum intra illam inanimis foret reſpectu carnis, ſive Corporis, anima ipſa, quid magis prodeſſe poſſet in Euchariſtia, quam caro anima deſtituta? Gaudet igitur Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis, & vini, uſu expedito ſenſuum externorum de facto, & ſanè perfectiſſimè.

Quò alluſiſſe videtur S. Ambroſius de Sacramentis cap. 2. expendens illud Cant. Cantic. primò: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: cum ait: *Hoc eſt: Oſculum mihi Chriſtus in-*

ſigat (in ſuſceptione Euchariſtiæ ſacræ). Quare? *Quia meliora ſunt ubera tua ſuper vinum, hoc eſt meliores ſenſus, meliora Sacramenta ſuper vinum.* Sunt enim ſenſus Chriſti Domini in Euchariſtiæ Sacramento inextenſi, abbreviati, in indiviſo poſiti, ſed vegeti, ſed vivaces de facto, cum ex illo indiviſibili pupillæ oculi, exempli gratia, firmiùs, veluti ex puncto centrico videndi collimet in objecta propinqua. Eandemque vitalitatem actualem Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia expreſſit reipſa, & veluti practicè S. Juſtinus Martyr dum q.44. exponens verba illa Iſajæ cap. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium.* ubi Seraphini velabant ejus faciem; ſolium illud Euchariſtiam credens, ait: *Per viſionem Iſajæ prophetæ declaratum eſt Chriſti myſterium ſedentis in ſolio gloriæ, & eſu ſuæ ſanctæ carnis expiantis peccata hominum.* Ille autem modus exiſtendi, & expiandi, Corporis profectò actu viventis eſt, cùm ſit ſedentis actu, & operantis mundi expiationem.

Num. 34. Accedat jam Doct. Angelicus, qui licèt de exercitio actuali potentiæ viſivæ tantum loquatur, immò & de unico tantùm ejuſdem actu, objectoque; ſolidam tamen aperuit viam ſententiæ noſtræ, etiam reſpectu aliorum objectorum, & potentiarum. Etenim 3. p. q. 76. art. 7. ad 2. ait: *Oculus Corporalis Chriſti Domini videt ſe ipſum ſub Sacramento exiſtentem; non tamen modum eſſendi, quo eſt ſub Sacramento, quod pertinet ſolùm ad intellectum. Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia etiàm ipſe oculus Chriſti eſt ſub Sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorioſus.* Verba hæc, adhuc mox exponenda per alia ejuſdem S. Thomæ, negotium quammaximum faceſſunt ejus Interpretibus, & Scholaſticis omnibus; non ſanè ea potiſſimum ratione, quòd nequeat divinitus elicere ex Euchariſtia aliquem actum viſionis, uti & alios actus immanentes materiales, ſed quatenus indicare videtur S. Doctor Chriſtum non ſolùm prout eſt in Sacramento videre actu, ac de facto ſeipſum abſolutè, verum & videre ſeipſum quâ in Sacramento exiſtentem; id quod nec attenta potentia Dei abſoluta fieri poſſe acerrimè contendunt plurimi cum Capreolo, Paludano, Soto, & D. Eximio: conſequenterque opinantur præfati Theologi Chriſtum Dominum ex Euchariſtia ſolùm videre de facto ſeipſum quâ circumſcriptivè ſedentem in Cœlis: & quidem per viſionem primò elicitam in Cœlo ipſo, & adductam comitanter ad Euchariſtiam. Alioqui, inquit Eximius Doctor, ratio differentiæ producta à D. Thoma inter potentiam viſivam Salvatoris, & alterius corporis glorioſi eſſet planè inefficax, cùm nihil conferat ad hoc, ut Chriſtus Dominus, prout in Euchariſtia velatus, ſit objectum viſum, quòd oculus videns ſit intra eandem pariter occultus; ſed potiùs id auget difficultatem ex parte ipſius, ut videntis, cùm nec oculus videns eſſe debeat intimè conjunctus objecto viſo, nec id expediat per ſe, & connaturaliter ad viſionem. Conſtruendum eſt itaque, ait P. Suarez, to. *Sub Sacramento* cùm viſione ipſa, & potentia vidente; non verò cùm ipſo Chriſto Domino quâ objecto terminante viſionem. Præfatam interpretationem tradiderunt etiam Henriquez lib. 8. cap. 22. Ægydius Theoremate 16. & 17. Gamachæus qu. 76. Maratius, Granados, & conſentiunt non infrequenter Juniores. Illa tamen diſplicet plerunque Thomiſtis, & plerunque aliis, exiſtimantibus vim facere apertiſſimam verbis, & menti Doct. Angelici, majeſtati oculorum Chriſti Domini, privilegiiſque Humanitati Sacroſanctæ debitis.

Ut verò hæc clariùs pateant, operæ pretium erit verba ejuſdem S. Thomæ in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 1. in medium proferre, ut combinatione facta vividiùs explorari valeat ipſius mens. *Si oculus Chriſti*, inquit, *eſſet extra ſpecies, non videret ſubſtantiam ſuam intra ſpecies contentam ex natura gloriæ, niſi miraculosè; & ideò non oportet quòd oculus glorificatus videat, niſi fortè per miraculum.* Repetitque ſimilem doctrinam eadem diſtinct. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. & quæſtiunc. 2. ad 3. uti & diſt. 12. q. 3. art. 1. ad 4. in quibus locis inter alia docet: *quòd Chriſti oculus videt ſe in Sacramento, quia ibi eſt.* Quæ verba ægrè permittere poſſunt interpretationem illam, cùm tam de objecto viſo, quàm de potentia viſiva quâ velatis Sacramentalitèr manifeſtè loquatur. Inſuper in 4. ad Anibal. diſt. 10. q. 1. art. 4. ad 3. hæſitans tantiſper circa ſubjectam difficultatem, dixit. *Prout eſt ibi, forte non videtur à ſeipſo modò corporali, ſed tantùm ſpirituali. Vel poteſt dici, quòd non eſt ſimile de oculo Chriſti, qui eſt intra ſpeciem, & de oculo alieno, qui eſt extra.* Qui locus omnem removere videtur dubitationem, quin & umbram, circa mentem D. Thomæ, obſcurareque nimia ſua claritate interpretationem adductam.

Num. 35. Ex his itaque teſtimoniis indubitantèr apparere videtur, non tantùm viſionem, & oculos, Chriſtum Dominum videntes (de quibus D. Thomas) eſſe ſub Sacramento, ſed & Corpus Chriſti Domini, ut terminans eam viſionem; quod neceſſe minimè nobis foret, quia ſatis eſſet ad veritatem ſententiæ noſtræ, inducere Chriſtum Dominum videntem oculis Corporeis de facto ſeipſum quâ circumſcriptivè exiſtentem; niſi aliundè præfati Scholaſtici pronuntiarent viſionem illam haberi ſolùm per concomitantiam in Euchariſtia. Probatur itaque violentia prædictæ explicationis, ejuſque inſubſiſtentia. Quoniam alioqui differentia, quam S. Thomas inſtituit in loco producto tertiæ partis inter oculos Chriſti Domini, & oculos alterius Beatorum, ſita eſſet, non in eo, quòd oculus Chriſti Domini videat ſeipſum quâ exiſtentem ſub ſpe-

ciebus,

ciebus, quem non vident reliqui beati; ſed duntaxat in eo, quòd oculi Beatorum nequaquam videant ex Euchariſtia Chriſtum Dominum ut exiſtentem in Cœlo, quem vident oculi Chriſti Domini ſub ſpeciebus Euchariſticis latitantes.

Ita explicat differentiam hanc, & Divi Thomæ doctrinam idem Eximius Doctor diſp. 53. ſect. 4. circa finem: ibi. *Atque hinc etiam optimè intelligitur ratio differentiæ inter oculum Chriſti, & aliorum Beatorum, nam oculus Chriſti, inquit* (S. Thomas) *videt ſe in Sacramento, quia ibi eſt; oculi verò aliorum Beatorum non vident Chriſtum in Sacramento, quia ibi non ſunt: quæ ratio apertè declarat illam particulam* (*in Sacramento*) *referendam eſſe ad oculum videntem, non ad objectum viſum: ſic enim ratio eſt efficax, & alio ſenſu eſſet impertinens*. Quod re ipſa eſt dicere, ut nuper ajebam, S. Thomam differentiam illam tantoperè celebratam conſtituiſſe in eo, quòd corpora Beatorum nullatenus ſint miraculosè poſita ſub ſpeciebus panis, & vini; uti dignatione ſumma, & benignitate incomparabili decrevit ſeipſum exhibere in cibum, & potum, ſub eis accidentibus Chriſtus Dominus. Vel eſt diſcrimen ſtatuere in eo, quòd oculus alterius Beati, ſi foret Sacramentaliter in Euchariſtia, nullatenus videret Chriſtum Dominum in Cœlo; ſecus verò oculus Chriſti Domini ex Euchariſtia, quia eſt ibi. Utrumque autem, ut opinamur, parùm dignum videtur mente Doct. Angelici. Quandoquidem primum adeo alienum eſt à mente hominum, ut nullus hactenus ſomniaverit factum illud; licèt poſſibile eſſe divinitus fateantur omnes. Nec de exotica ejuſmodi cogitatione, valde diſſita à materia, de qua ibi diſputat S. Thomas, agebant illi quorum objectioni ſatisfacit S. Thomas.

Porrò quamquam in Synodo Epheſina damnentur, & rideantur ſimul Neſtoriani, aſſerentes, in Euchariſtia non adeſſe carnem Filii Dei, ſed alterius Perſonæ intimè cum Perſona Verbi conjunctę, habitatione, dignitate, & virtute; non ideò carnem alterius hominis in Euchariſtia credidere, ſed ipſam Servatoris noſtri. Inſaniebant verò dicentes, Perſonam Divinam verbi, & Perſonam Chriſti Domini eſſe diverſas, tametſi mirum in modum alitèr copulatas. ſecundamque conſtituebant in Sacramento, conſequenter ad errorem primum, ut ex Divo Thoma 3. p. q. 2. art. 6. notavimus. Cæterum in loco, de quo nunc tractamus, nec de errore illo agit ullo modò S. Thomas: nec de hypotheſi divinitus poſſibili, quòd aliquis alius Beatus de potentia abſoluta Dei collocaretur ſub ſpeciebus Sacramentaliter exiſtens, ad modum, quo exiſtit Corpus Salvatoris. Alienum igitur prorſus eſt à D. Thomæ ſcopo, & animo, quin & planè incredibile, in eo ſitum eſſe diſcrimen ab ipſo excogitatum. Ecquis enim excogitat differentiam inter extrema aliqua in ſenſu, in quo ea minimè comparat, niſi ſudore improbo extra rem, & ſenſum laborans?

Num 36. Secundum verò eſt omninò falſum, etiam ſub hypotheſi præſentiæ Sacramentalis alterius Beati (de quorum oculis glorioſis inſtituit comparationem cùm oculis Chriſti Domini) quoniam Beatus ille juxta Patronos hujuſce interpretationis, aſſerret ſecum per concomitantiam ad novum modum exiſtendi replicatam viſionem Corporis Chriſti, qua in Cœlis frueretur, cùm in illâ conſiſtat potiſſimè Corporum fęlicium gloria. Subindeque per illam videret ex Sacramento, (ſive adeſſet ibi ſimul cùm Chriſto Sacramentaliter etiam exiſtente; ſive ſe ſolo) Corpus Chriſti Domini prout in Cœlo exiſtens, æque ac ex Euchariſtia oculus Chriſti videt ſeipſum in Cœlo pariter. Deindè evidentiſſimum eſt ex teſtimoniis, S. Thomam non diſputare ſub ea hypoteſi, non ergo inſtituta fuit ab ipſo comparatio inter oculos Chriſti Domini velatos in altari cùm oculis alterius per hypoteſim deliteſcentis paritèr, ſed cùm oculis glorificatis aliorum extra exiſtentibus, & Empyreí fœlicitate æternùm gaudentibus. Aliundè corpora omnia glorificata vident Chriſtum Dominum ad dextram Patris ſedentem, cùm ab ejus eximia elegantia, rerum omnium venuſtiſſimarum, etiam cogitabilium pulchritudinem corpoream infinito penè intervallo ſuperante, beatitudinem corporis viſu hauriant. Ergo à fortiori conſtituenda eſt differentia, à D. Thoma producta ex parte objecti viſi, quia nimirum oculus glorificatus Chriſti Domini videt ſeipſum, non tantùm in Cœlo, ſed & in Euchariſtia exiſtentem, eo quod ſit ille etiam intra Euchariſtiam; non ſic autem oculus alterius beati, quia è Cœlo nequit videre Chriſtum Dominum in Euchariſtia; & aliundè intra Euchariſtiam non latet ſimul cùm illo ut per ſe notum eſt; immò & ſi lateret unà cùm ipſo videret quidem Chriſtum in Cœlo per viſionem indè adductam, neutiquam tamen quâ ſub ſpeciebus degentem.

Si tamen contendas viſurum in ea hypotheſi, quia eſſet pariter ſub Sacramento, ac oculus Chriſti, intimèque penetratus cum ipſo; permittam facilè; verùm inde firmas noſtram ſententiam, & rurſus de eo eventu non loquitur D. Thomas, nec diſcrimen ab illo aſſignatum, ut compertiſſimum ex ipſius verbis eſt. Item, & urgentiſſimè. de illo objecto, ſeu ſtatu illius de quo fit comparatio, negat D. Thomas viſionem oculis alterius beati, *niſi fortè per miraculum*, ut loquitur allegata diſtinctione 10., quam concedit oculis Chriſti Domini de facto, & non ſub dubio poſſibilitatis, ſicut de aliis dubitativè affirmat, adhuc relatè ad potentiam abſolutam. Sed oculus Beati cujuslibet in Cœlo videbit Corpus Chriſti omninò connaturalitèr ex ſuppoſitione ſtatus glorioſi, omni prorsùs miraculi ſpecie ſemota; ut certum eſt. non ergo de Corpore Chriſti Do-

mini

Digitized by Google

mini quà circumſcriptivè in Cœlis exiſtenti, ſed de ipſo prout ſacramentalitèr, tanquam de objecto terminante viſionem, erat quæſtio, fiebatque comparatio. Item, quæſtio, cui reſpondet S. Thomas in eo articulo tertiæ partis rogabat: *Utrum Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, poſſit videri ab aliquo oculo glorificato?* Argumentum verò ſecundum pro affirmativa parte, cui ſatisfacit S. Doctor, procedebat ſub hac forma. *Corpora glorioſa Sanctorum erunt configurata corpori claritatis Chriſti, ut dicitur Philip. 3. Sed oculus Chriſti videt ſeipſum, prout eſt in hoc Sacramento. Ergo pari ratione quilibet alius oculus glorificatus poteſt ipſum videre.* Ubi maniſeſtiſſimè verſabatur diſputatio circa ſenſum paſſivum; ſit, ne, viſibile corpus ad modum Indiviſibilem exiſtendi redactum in Euchariſtia? E' quo legitima illatione eruebatur poſſibilitas activi, vel impoſſibilitas; alioqui quænam eſſe poteſt digna diſcuſſione difficultas in eo quod Corpus Chriſti in Cœlo terminare valeat viſionem cujuſcumque oculi glorificati? Solùmque ea occaſione arrepta ex argumento ſecundo, affirmat D. Thomas, poſſe oculum glorificatum Chriſti Domini videre ſeipſum ſub ſpeciebus abſconditum, quia eſt etiam ibidem, quod neutiquam convenit reliquis Beatis. Hæc perſpicuitatem ſummam hauſiſſe videntur è claritate corporum glorificatorum, inter quæ verſantur.

Num. 37. Deindè non verbis ambiguis, ſed determinatis, diſertiſſimiſque, diſquiſitio erat de Chriſto Domino in Sacramento, reduplicativè prout ſub illo: poſſet, ne, videri ab oculis glorificatis, ut claret ex adductis verbis. Erit igitur probabile, tantum Doctorem extra chorum, & punctum controverſiæ, ab ipſo propoſitum ſaltaſſe, & extra ſeipſum? Idque urgentiùs premit ex eo quod D. Thomas concedat in terminis propoſitionem minorem objectam in ſecundo argumento articuli, in qua reduplicatur terminus viſus: *prout eſt in hoc Sacramento*. Ulterius adhuc, & nervoſiſſimè. Ita aſſeruit D. Angelicus, oculum Chriſti videre ſeipſum ſub Sacramento, ut nullo pacto videat modum, per quem ibi fit realitèr præſens. *Videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem; non tamen videt modum, quo eſt ſub Sacramento.* Modus autem, quo exiſtit in Cœlis, utpote ſenſibile commune, & quantitativè extenſum, videtur proculdubiò juxta communem philoſophiam, & ſaltem hoc non eſt capax diſcuſſionis potiùs reſpectu oculi ſub ſpeciebus poſiti, quam reſpectu ejuſdem circumſcriptivè exiſtentis: ſive non potiùs reſpectu oculorum Chriſti Domini, quam alterius Beati.

Tandem teſtimonio ejuſdem S. Thomæ in 4. inſinuato ſupra: liquet, oculos Chriſti Domini extra Sacramentum, ſeu in Cælo exiſtentes, nequaquam videre ipſum de facto, nec poſſe, niſi per miraculum; quod de facto minimè fieri ſupponit apertiſſimè, uti nec oculos alterius Beati, tametſi forſan per miraculum etiam videre poſſe Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus, dicat. Ergo viſio illa, quam de facto exiſtentem adſtruit, vel admittit in oculis Salvatoris noſtri, terminata ad ſeipſum ut in Sacramento præſentem mirabilitèr, nullatenus eſt viſio primò in Cœlo producta, & per concomitantiam ad Euchariſtiam delata; ſed in Euchariſtia ipſa, & ex illa primò, & per ſe elicita, qui eſt ſcopus noſter, metaque optatiſſima præſentis Diſputationis. Non enim fit à Deo ſolo, & oculis Chriſti Domini infunditur; quoniam, cum miraculosè concurrere valeant elevati oculi, ſive unà cùm ſpecie à Deo infuſa, ſivè ſupplente concurſu Dei ſpeciem, contra naturalem rerum exigentiam fieret infuſio illa. Fruſtraque adeſſet novum illud miraculum videndi per viſionem ab extrinſeco infuſam (quòd fieri poſſe inficiantur plures). Ulterius & ſi eo modo contingeret viſio, vel interdum ſic, & interdum concurrente potentia inſtrumentaliter; vel ſemper eodem modò; pariter finem optatum aſſequimur.

Qui ulteriores adversùs eam interpretationem deſiderat reflexiones, conſulat Ledeſmam, Vaſquez, Ægidium, Conink, Præpoſitum, Serram, Prado, Averſam, Fagundez, Arriag. Gonet, Tannerum, Cornejo, Contens. Henao, Wigers, & Salmanticenſes; qui non incongruè monent, quòd ſi objectum à Chriſto Domino viſum foret, juxta ſententiam D. Thomæ, Chriſtus Dominus ipſe quà in Cœlo exiſtit, nullatenus dixiſſet S. Doctor, in primo loco à nobis producto, quod *oculus corporalis Chriſti videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem*. Quia debuiſſet dicere; videt ſeipſum ſub Sacramento exiſtens, ideſt, oculus Chriſti Domini ſub Sacramento exiſtens videt ſeipſum, tunc enim faciliùs uſurpari poſſet terminus viſus pro corpore circumſcriptivè exiſtente, quin vis tanta fieret verbis S. Thomę; quę ut exiſtunt revera torquentur, ut venire poſſint dolenter in eum ſenſum, acclivem nimis.

Num. 38. Perſpicua igitur ex dictis oritur veritas noſtræ aſſertionis, quòd ſcilicet actus viſionis ſui ipſius in Euchariſtia, quem D. Thoma teſte, habet Chriſtus Dominus, nequaquam inſit illi per concomitantiam; cùm ille nequaquàm primò productus fuerit in Cœlo de facto, tametſi divinitus fortè elici poſſit. Et cum aliundè alicubi primò, & per ſe eliciatur, neceſſaria conſecutione deducitur, fuiſſe primò natum in Euchariſtia ab ipſo Chriſto Domino. Satiuſque foret proindè, aſſerere, illum per concomitantiam adeſſe, etiam Chriſto Domino in Cœlis (ſi reſultare ſemper deberet mutua illa concomitantia, quàm adſtruit opinio contraria) quandoquidem, licèt ex parte videntis requiratur paritèr virtus divina miraculosè ſupplens defectum extenſionis ad operandum, ultra id quòd exigitur ad efficiendum

dum viſibile per ſpeciem à Deo infuſam objectum in indiviſibili conſtitutum; cùm primum illud miraculum neutiquam foret neceſſarium Chriſto Domino ut producenti viſionem illam è Cœlo. Cœterum ex alia parte ad æqualitatem compenſatur hæc difſerentia per hoc, quòd objectum prout in Euchariſtia nullo modo eſt præſens, ſed penitus abſens à potentia viſiva, prout è Cœlis videnti, eſſeque extra illius ſpheram naturalem philoſophantur cùm D. Subtili in 4. diſt. 10. q. 5. frequenter adverſarii, qui præſentiæ defectus, dum primò ſaltem elicitur viſio, nonniſi per miraculum ſuppleri valet, juxta eoſdem Scholaſticos, & dum replicatur longè, præſtare nequit effectum formalem, juxta eundem Subtilem Doctorem. Et quamquam in Euchariſtia objectum, & potentia viſiva ſint intimè conjuncta, nimis propinqua, & veluti penetrata, quod ex ſe impedit viſionem; hoc autem locum non habet in oculis glorificatis, ut docet Theologia; Philoſophia ſtupente.

Rurſus. ſemel ac miraculum fieri debeat, congruentiùs eſt, ut de facto perpetretur cùm oculis quâ velatis in Euchariſtia, quàm cùm ipſis prout apertiſſimè ſuaviſſimèque exiſtis. Cùm enim debeatur illi ex congruentia factum illud miraculoſum, qua exiſtit in Euchariſtia, conſentaneum magis videtur, ut fiat in ipſo quâ in Euchariſtia exiſtenti. Præſcindimus autem hic ab eo quod videre poſſit tantùm Corpus ſuum ſub ſpeciebus, & nullatenus modum præſentiæ, prout cùm D. Thoma docuere Sotus in 4. diſtinct. 10. q. 1. art. 7. Valentia diſp. 6. q. 4. Eximius diſp. 53. ſect. 4. Marſilius, Nugnus, Henao, Fagundez, Wigers, Gabatius, & plures alii Scotiſtæ, referentes D. Seraph. in 4. diſt. 10. art. 2. q. 2. Nihilominus ille: Art. 1. q. 2. in concluſione dixerat. *Alterum (miraculum) verò eſt. quod eſt ibi Corpus clariſſimum, & eſt præſens. & non videtur*. Ubi ſupponit, miraculum ſitum non eſſe in eo quod ab alio videatur; ſed in eo potiùs quòd actu non videatur ab omnibus, qui adſint propè. Quòd ægrè componitur cùm ſententia laudata, ajente, nullatenus videri modum præſentiæ, ſiquidem eo ipſo nonniſi per miraculum videri intuitivè poſſe corpus præciſivè à modo, arbitrantur commune adverſariorum votum. Vel ab eo pariter quòd videatur etiam modus præſentiæ in confuſo: aut ſaltem videatur ita objectum, ut viſio nullo pacto præciſiva ſit; eo quòd juxta nonnullos, neque dum verſatur viſio circa objectum extenſum, diſcernit determinatè modum exiſtendi, nec ad illum poſitivè terminatur, ut cum Doctore Subt. ſuprà tenuere Nominales, quos imitatur partim Vaſquez diſp. 191. (tametſi hic ſolùm divinitus contingere id poſſe credat).

Accedit; quod juxta Scotiſtas cum D. Subtili ſæpè laudato, etiamſi viſio, quam Chriſtus Dominus emittit in Empyreo Cœlo deferri debeat comitanter ad Euchariſtiam; nec de potentia tamen abſoluta Dei fieri poteſt, ut exhibeat, prout ibi, ſuum effectum formalem, reddatque Chriſtum Dominum actu videntem objecta Cœleſtia, tantopereque à terra diſtantia, ut dictum eſt. Juxta quam philoſophandi viam, qui veſtigiis D. Thomæ inſiſtere velit circa viſionem proprii Corporis, quâ Sacramentaliter exiſtentis, cogendus erit à fortiori ad agnoſcendam viſionem illam, non ut ex Empyreo allatam, & veluti Cœlo lapſam, ſed ut primò elicitam circa objectum diſtans ex ipſa Euchariſtia ſacra, rerum mirabilium, prodigiorumque univerſali officina.

Num. 39. Semel autem ac ex mente depuratiſſima Angelici Doctoris habeamus Chriſtum Dominum, proùt ſpeciebus velatum primò producere viſionem ſui quâ ibidem exiſtentis, congruentiſſima, connaturalique illatione deducitur, pariter de facto Chriſtum Dominum videre ex Euchariſtia præſentes; & exindè ſimiliter audire preces eorundem, uti & indignabundum vanas ſæpe, & interdum noxias coram ipſo adſtantium confabulationes: imaginari, reminiſci, appetere &c. Quandoquidem ſuperata per miraculum ſemel jugi difficultate eliciendi de facto viſionem ex Euchariſtia per ſe & directè, cum aliunde faciliùs multò ſit videre objecta propinqua circumſcriptivè exiſtentia, quam objectum Sacramentaliter exiſtens, atque ideò penitus inextenſum. cumque rurſus accreſcat nobis ex ejus viſionis. auditionis, & vitalitatis corporeæ notitia, ſolatium verè ſingulariſſimum, reſpectus major, bonaque alia, quæ fusè in ſequentibus producam; conſentaneum ſatis ſuperque apparet, Chriſtum Dominum exercere de facto ex Euchariſtia operationes alias ſenſuum, quæ fidei hujus arcani nullum afferre valeant detrimentum.

Id quod paritate uſus activi potentiæ viſivæ, juxtà dicta ex mente D. Thomæ, & elicitur, & roboratur validiſſimè, obtinuiſſemuſque præcipua ex parte intentum, etſi inter ſenſus externos oculis tantùm in Euchariſtia concederetur privilegium hoc de facto; maximè cum ex illa viſione conſequantur ex natura rei actus alii quamplures ſenſuum internorum. Revera tamen nequeunt oculi Chriſti Domini videre eo pacto fideles, quin ineluctabile fore argumentum plaudat auribus. Neque reflexione prolixa dignum nobis videtur, relatè ad aſſumptum, aut finem, quò properamus, quòd Sotus in loco citato oculatiſſimè animadvertit, uti & Valentia, Tannerus, aliique, ſcilicèt in verbis illis D. Angelici: *Oculus Chriſti corporalis videt ſeipſum in Sacramento exiſtentem*: quaſi nempè velit dicere ſolùm, quòd oculi Chriſti ſupra ſeipſos reflectentes videant ſeipſos, ita tamen, ut ſimul videant reſiduum ex integro Corpus. In quo oculorum gyro reflexo exponendo laborat Sotus, aitque tandem; quòd

licèt,

licèt nequeat Chriſtus Dominus proùt in Sacramento multiplicare, aut modo aliquo emittere ſpecies ſui per medium in ordine ad oculos alterius, quibus ipſe videatur; eas attamen diffundere valet per ſemetipſum, ad ſuoſque oculos, ratione iutrinſeci ordinis partium ejuſdem corporis inter ſe: & ſimul ratione perſpicuitatis corporis glorioſi. Hujuſce autem reflexionis examen nec opportunum eſt, nec utile. Tum quia planum videtur, S. Thomam illis verbis locutum de toto corpore, conſentiente Soto ipſo, quamquàm *in ſeipſum* æquivocationem aliquam purè materialem, vel occaſionem illi pepererit. tum quia cum viſio illa fieri debeat per ſpeciem à Deo infuſam, vel per omnipotentiam munus ſpeciei activè ſupplentem, nulla reſtat difficultas momenti ſuperanda, maximè pro oculis glorificatis. tum quia dum conſtet ex D. Thoma Chriſtum Dominum, proùt in altari fugientem oculos noſtros, applicare ſuos fulgentiſſimos, & ad inſtar Syderum motu quodam retrogrado ſeipſos in ſemet volventes, ad viſionem aliquam primò eliciendam ex Euchariſtia, nihil ulterius deſiderandum, aut expetendum ex eo D. Thomæ teſtimonio reſtat: quoniam, & habemus factum, & ſimul exemplum verè fæcundum, cum ex eo ſolidiſſima paritate rationis colligamus ex integro aſſertionem noſtram: ut ſuavitatem, & amorem ſpirantes Chriſti Domini oculi ſint undique beati iu Euchariſtia, debent ipſum videre; nos autem videre debent, ut fortunatos efficiant.

Num. 40. Ventum eſt tandem ad Doctoris Seraphici mentem aperiendam, quam nullis interpretationum rationabilium ambagibus, aut erroribus, reliquit nobis in 4. diſt. 10. art. 1. qu. 2. inquirens, an Corpus Chriſti Domini in altari habeat naturalem ſuam quantitatem; ubi poſtquam argumenta ſententiæ negativæ attulit, tria alia pro affirmativa proponit, eaque in concluſione approbat, & iterum firmat, ait igitur: *Corpus Chriſti eſt vivens; & ſi vivens, organicum, & ſi organicum, quantum. ergo ſi in altari non abſtrahitur à vita, igitur nec à quantitate. Item Corpus Chriſti, ſive Chriſtus ibi videt, & audit, quamvis non loquatur, ne deprehendatur* (ideſt ne ipſum cum fidei detrimento ſenſibiliter experiamur in Euchariſtia) *Sed ſenſus exteriores præſupponunt quantitatem. Ergo eſt ibi ſecundum quantitatem.* Deindè ibidem rejecta opinione negativa tanquam erronea, & illi affines, ut errori proximas, ſtatuit denuò affirmativam: duos opinandi modos illi oppoſitos expungit, urgetque ſtrenuè adverſarios dicens. *Quamvis ſubſtantia poſſit abſtrahi à quantitate; tamen quòd Corpus vivat, & ſit organicum & non ſit quantum, hoc nec eſſe, nec intelligi poteſt; & ex hoc ſequitur Corpus Chriſti nec bene eſſe, nec vivere, quòd nefas eſſet dicere.* Ubi non ſolùm tuetur, & illuſtrat rationibus ſententiam noſtram, & factum ipſum videndi, & audiendi ex Euchariſtia; verùm nefas credit oppoſitum dicere, aut aliter opinari. Compertiſſimum ſiquidem eſt, Doctorem Seraphicum per abſurdum, quod ex contraria opinione ſequeretur, quòd ſcilicet Chriſtus Dominus alioqui nec bene eſſet in Euchariſtia, nec ibidem viveret, intellexiſſe vitam in actu ſecundò juxtà argumentum, quo uſus fuerat præcedenter.

Ad quòd evincendum manifeſtè ſufficerent ejuſdem verha primo loco appoſita. Similiter notum planè videtur, illum per relata verba: *Chriſtus ibi* (in Euchariſtia) *videt, & audit*, & per illa, *quòd Corpus vivat*, & per illationem deductam ex ſententia negativa, ut omninò abſurdam, quòd nimirum ſequeretur, Chriſtum Dominum (ſub ſpeciebus) *nec bene ibi eſſe, nec vivere*: per illam, inquam, intellexiſſe vitam per ſenſus ibi primò productam, & non tantùm per concomitantiam è Cœlo ad altare delatam: tum quia in eo ſenſu, in quo advertit, Chriſtum ex Euchariſtia minimè loqui, affirmat, ex illa, & in illa videre, audireque; at ſilentium illud evidentiſſimè uſurpatur à Seraphico Doctore in ordine ad fideles circum altare adorantes, cum aſſerat, ipſum non loqui, *ne deprehendatur*, à nobis ſcilicet, percipiamuſque ſenſibus ejus præſentiam realem Sacramentalem cum ruina fidei. Ergo videre, & audire ex Euchariſtia adſtruitur à D. Seraphico in ordine ad objecta Euchariſtiæ propinqua; proindeque per viſionem, & auditionem ibi primò elicitas; cum Chriſtus Dominus è Cœlo neutiquam auribus corporeis percipiat voces noſtras, nec videat corporeis oculis fletus noſtros, juxtà adverſarios, (licet mentis oculis omnia intuitivè proſpiciat), ut poſſit eas ſenſationes ex Empyreo deferre in Euchariſtiam. Verùm quo pacto vitalitatem per organa corporea exercitam Chriſti D. inficiari poſſet Doctor ille, humillimus juxtà ac Seraphicus, qui attonita mente conſpexerat loco ſe moventem, quin & volitantem intra Sacramentum, ſecumque propterea ſpecies deferentem, quibus ad inſtar alarum uſebatur (ſi ulterioribus pennis egeat ultra proprias, quibus deſcribitur amor) ut ejus præcordia peramanter adiret, foveret, paſceret?

Num. 41. Annectimus hìc teſtimonium D. Paſchaſii in Epiſtola ad Frudegardum de Corp. & Sang. Dom., in qua præfatam doctrinam adumbrat ita, ut ferè exprimat, dum loquitur ſic: *Et ſi in eu vita non eſſet, nequaquam infunderet vitam. Alioqui non qualiſcumque Cibus, niſi de vivo Domino vitam præſtaret æternam accipientibus in ſalutem ... Et ideò Sacramentum, quod vitam tribuit, in ſe habet, quod tribuit dignè ſuſcipientibus ſe, & vita in eo eſt caro verè viventis, & Sanguis in quo verè vita æterna eſt.* Ubi nec ſolùm loqui poteſt de vita per actus purè ſpirituales ab organis, & mini-

ſte-

ſterio ſenſuum penitus alienos, cum per illos non reddatur caro formaliter vivens; quam Paſchaſius hic vivam credit, & appellat intra Sacramentum. Neque rurſus de ſola vita ſubſtautiali, ſive in actu primo propter illa, quæ fusè produximus ſect. 1. modò idcircò prætermittenda. Et ſanè licèt caro informata anima rationali dicatur animata verè, & propriè, eo ſolùm titulo; ſi tamen nullum vitalitatis effectum, motum, aut actum eliciat in actu ſecundò, verè perfectèque vivens, cujuſmodi deſcribitur à Paſchaſio caro Chriſti in Euchariſtia, dici jure nequit, cum ſit vita ſine illo privata, ad quem ipſa per ſe ordinatur, & ob quem obtinendum inventa eſt. Neque inſuper per operationes ex Empyreo demiſſas; ob illa omnia, quæ ſupra diximus. Præſertim cum ad effectum vivificandi ritè communicandum, ſint vel inutiles, vel parùm conducentes ſenſationes illæ, quas è Cœlis deferre poteſt ad Euchariſtiam, eo quòd ſint objectorum à propinquis diſtantium non minùs ſpecie, aut ſtatu, quam loco. Non ſic autem viſio terminata ad Populum reverenter de poplite adorantem, & exauditio gemituum illius.

Paſchaſio annecto Adelmâtum de verit. Corp. & Sang. Chr. (quamvis ſect. 1. jam productum) ajentem: *Ut ergo fides exerceatur credendo, quòd non apparet, vitale Sacramentum ſub ſpecie corporali vitaliter latet, uti anima in Corpore*. Quæ verba non obſcurè denotant vitam actualem per operationes Corporis immanenter exercitas à Chriſto Domino, ex Euchariſtia, & non in actu primo duntaxat. Siquidem priùs aſſeverat, latere vitale Sacramentum, & deindè adjungit non modo adeſſe ibi quâ vitale, ſed vitaliter etiam, aut modo vitali; quòd vix alium ſenſum connaturalem permittit, niſi quatenus exequatur vitales corporis functiones, cum loquatur de Carne, & Sanguine, quæ vi verborum pouuntur in Sacramento. Idque rurſus confirmat comparatio, aut ſimile ultimis verbis ab ipſo inſinuatum, quòd ſcilicet Corpus Chriſti Domini quodammodò ſe habeat reſpectu ſpecierum, lateatque ſub ipſis, ſicut ſe habet anima reſpectu Corporis, à qua illud recipit motum, vitamque: non ſanè quia ſpecies vivant per operationes Corporis deliteſcentis, & vitaliter ſub ipſis operantis, cum non ſint capaces vitalitatis, nec adhùc denominationis; ſed quia latet vitaliter ſub illis, quemadmodùm anima intra corpus latitat, quippe quæ per ſolas operationes corporeas à principio intrinſeco procedentes manifeſtatur.

Immò proptereà latet occultiùs ſub ſpeciebus vitalitas corporea, quam in corpore anima, quoniam ſub illis ita abſcondita manet, ut nullo experimento nobis innoteſcat ſenſibiliter, ſed unicè ratione, principiis fidei, & Theologiæ innixa. Ex eis autem colligunt frequenter Scholaſtici, accidentia, quæ juxtà fidem perſiſtunt abſque ſubjecto, ſuſtentari activè à Chriſto Domino actione phyſicè illa conſervante in eo ſtatu. Uti & inferunt ex eadem fidei doctrina productlonem phyſicam mirabilium effectuum, qui cauſantur in ſanctè accedentibus ad Euchariſtiam ab Humanitate Chriſti Domini tanquam ab inſtrumentaria virtute verbo conjuncta. Quas omnes operationes dicimus vitales præſuppoſitivè, & in radice, atque adcò ſupponunt per ſe actus formaliter vitales ejuſdem humanitatis (quos ex ratione, illuminata documentis fidei, haurimus, quemadmodum delibatæ opiniones hauſtæ ſunt ex eodem fonte). De hiſque locutum Adelmanum credimus, dum Corporis Chriſti Domini vitalitatem inducit larvatam velo ſpecierum, ad eum modum, quo anima rationalis ſub rudi corpore incedit perſonata in hoc ſenſibili mundi theatro, hominem (plerunque tragicum) ad vivum repræſentans, & conſtituens.

§. II.

Num. 41. **R**ESTAT modò teſtimonium omni exceptione majus, quia conſpicuum, quia expreſſum, & quia univerſim complectitur operationes omnium ſenſuum (quæ nocere nequeant merito fidei) Chriſti Domini in Sacramento altaris. Eſſetque omnibus numeris abſolutiſſimum, & luculentiùs, ſi gloriari poſſet ſolidiùs Tractatus ille, ſive Epiſtola, in qua continetur, de fonte, è quo fluxiſſe, à graviſſimis viris creditur, Divo Anſelmo ſcilicet; revera tamen Anſelmi non eſt, nec eſſe poteſt, cum Author librorum de officiis, in quo oppoſita doctrina exiſtit, & adversùs quàm Epiſtola laudata dirigitur, fuerit tempore poſterior Anſelmo. Dolemus itaque nos fraudatos patrocinio hoc inclyti hujus Doctoris, quia Sanctiſſimi, & inſuper quia formaliter Scholaſtici. Cæterum teſtimonium proferendum tanti momenti eſt pro re præſenti, ut ſatius duxerim verum illius Parentem deſignare apertè, cum jactura eximiæ illius auctoritatis (quamquam magnæ proculdubio ſit etiam genuinus Epiſtolæ Scriptor) quàm efficaciam, ponduſque illius exponere cenſuræ Criticorum hujus ſæculi, qui protinus illud infamarent, veluti prolem adulterinam, ſuppoſititiamque, ob quam circumſtantiam amitteret omnes prope vires ſuas. Igitur libri illi de officiis, inter opera Ruperti frequentes, adſcribuntur Waleramno, Walerano, aut Waleramnio, vel potiùs Valeramno (quem incautè nonnulli Valerianum dixere) Epiſcopo Niwemburgenſi (non autem Attemburgenſi, ut loquuntur alii) in Turingia, ab Oxomienſis Academiæ Doctoribus, & ex illis ab Waldenſi, & ex hoc, ut ex Joanne etiam Pariſienſi (in eundem errorem alia via relabente) à P. Vaſquez tom. 3. in 3. par. diſp. 180. cap. 1. quos pauci ali-

ei aliqui imitati ſunt. Reliqui verò Scholaſtici, tum etiam hiſtorici, ipſum reſtituunt vero Domino, doctiſſimo videlicet, piiſſimoque Ruperto Abbati Tuitienſi; ſic Tritemius, Bellarminus, Eximius D. Bertrandus, Tiſſier. Tom. 4. Bibliothecæ Ciſterctenſis in Præfatione ad opera Guillelmi Abbatis. Ita etiam Gabriel Gerberan, ita Franciſcus Brikman, ita Arnoldus, Hortulanus Gratant, in diſquiſitione, & excuſſione antiqua operum Ruperti.

Ex quo evidenter colligitur, Epiſtolam redarguentem acriter ſimul, & modeſtè, doctrinam aliquam eorundem librorum de officiis, eſſe non potuiſſe D. Anſelmi, utpotè Ruperto prioris. Ita Edinerus Anſelmi diſcipulus (tum inſuper convictor, & alumnus, quin & quaſi ejuſdem D. Anſelmi ſuperior juſſu Pontificis, ut clariſſimi illius Doctoris vitæ curam gereret, cujus ipſe prodigus erat, comeſque ſimul peregrinationis ipſius) & mirabilis vitæ ejuſdem ſcriptor, quatenus in catalogo exactiſſimo operum Anſelmi hujuſcemodi Opuſculi, aut Epiſtolæ mentionem nullam facit; qua ratione autem, vel jure illius non meminiſſet, ſi Anſelmi foret, cum latuiſſe illum vix prudenter credi poſſit, præſertim cum diſſerat de re tanti ponderis, tametſi tabella, in qua deſcribit, & expungit errorem, brevis ſit? Cum igitur ex alia parte nullus (quem legerim) ex Catholicis Scriptoribus ambigat, libros de officiis attribuendos eſſe Ruperto, ſi ſemel jure denegentur Valeramno, idcircò indubitanter tractatus ille de officiis habendus erit ut legitimus Ruperti Abbatis (feraciſſimi ingenii) partus. Occaſio tamen aberrandi circa illius authorem eſſe potuit, quòd cum ille Impanationem in Berengario proſcriptam, quamquam ſub aliis terminis expoſitam contineat; ideò ab ipſo ſine nomine Authoris editus primò (ut ipſe alibi fatetur) per manus omnium tanquam anonymus circumſerebatur. Et propterea Joannes Wicleff opus illud modò S. Ambroſii, modò ex mente, & ſcriptis Auguſtini à S. Fulgentio congeſtum, modò tandem S. Iſidori fœtum eſſe vulgavit, ut errorem ſuum commendaret tanquam ab Spiritu Sancto Patribus inſpiratum.

Num. 43. Præſtat nihilominus duo illa paulò accuratiùs elucidare, firmareque ſolidiùs adhuc, quòd nimirum Epiſtola prædicta, aut Opuſculum de Sacramento altaris, nullatenus fuerit à S. Anſelmo elucubratum, ſed à Guillelmo Abbate S. Theodorici ad Remos: & quòd Author librorum de Officiis minimè fuerit Waleramnus, ſed Rupertus (quamvis alterutrum cùm altero ſufficienter connectatur). Illud prius convincitur ineluctabilibus, quin & evidentibus teſtimoniis. Sit primum ipſius Guillielmi Abbatis in præfatione ad librum, quem ſcripſit de vita ſolitaria ad Patres Carthuſienſes de Monte Dei (quem librum incautè nonnulli attribuendum S. Bernardo credidere, quorum errorem evincit Bertrandus, ipſaque Guillelmi præfatio) ubi catalogum operum ſuorum texens, recenſet inter alia præfatum libellum de Sacramento Altaris: *Sunt præterea*, inquit, *& alia opuſcula noſtra: tractatus duo, primus de contemplando Deo, alter de natura, & dignitate amoris. Libellus de Sacramenta Altaris &c.* (qui libellus præcedit alium longiorem ejuſdem Guillelmi de Corpore, & Sanguine Domini). quin revocari valeat in dubium loqui de Opuſculo præfato, aut Epiſtola de Sacramento altaris, de cujus Authore diſceptatur modò, quem S. Bernardo dicatum, ad eundemque miſſum, tradit allegatus Bertrandus.

Secundum, & penè irrefragabile decerpimus ex tractatu ipſo de officiis adversùs quem prodiit prædictus libellus, namque Author illius tractatus lib. 8. cap. 4. dum narrat miraculum, quòd per Monachum ejuſdem Monaſterii, in quo degebat ipſe, patratum fuerat (eodem anno, quo ille elucubraret tractatum hunc) ait: *Hoc Sancta Paſcha Sabbato, quo cereo (de cujus quaque præconiis ſuperiùs aliqua diximus) annus ab incarnatione milleſimus centeſimuſque undecimus interceptus eſt, in Eccleſia Sancti Laurentii &c.* Anſelmus autem humanis exemptus erat anno 1109. ut compertum eſt ex ejuſdem vitæ Scriptoribus; immo juxta computum Edineri è vivis exceſſerat anno 1106. Non potuit autem Anſelmus confutare librum, vel quinque, vel ſaltem duobus annis poſt obitum ſuum laboratum, & longè tardiùs in lucem publicam editum, extincto multis retrò annis magno illo Benedictinæ familiæ, & Eccleſiæ totius lumine. Deindè eodem libro 8. & cap. 4. miraculum illud deſcribens, adjungit: *Sed ecce cum hoc ſcribimus, jucundo per quemdam fratrem noſtrum, gratia reſurgentis, nobis occurrit miraculo*. Ex quo palam ſit, ſcriptorem fuiſſe Monacum tempore quo inſudabat in eo opere concinando; Waleranum autem fuiſſe Monachum, non potui hactenus invenire, tametſi non indiligenter quæſierim. quidquid tamen de hoc ſit, cum libros illos ſcriptitaſſet eorum Author, Waleram. jamdiù munus Epiſcopale ſubibat Niemburgi (cùm jam anno 1093. eſſet Epiſcopus Niwemburgenſis, ut refert Gareſius de verit. Corporis & Sanguinis Centuria 11. Vel, quòd probabiliùs videtur, mortem oppeticrat.

Tertium. Gabriel Gerberan, qui legitimos Anſelmi partus à ſuppoſititiis diſcretos Pariſiis edidit anno Domini 1675. Epiſtolam, aut Opuſculum, quamquam D. Anſelmo dignum, Divo Anſelmo non adſcribit. Quartum. quoniam licèt in quibuſdam manuſcriptis, Cambronenſi videlicèt, & Attrebatenſi inſcribatur laudato opuſculo nomen honorificum Anſelmi per incuriam, aut errorem; in vetuſtioribus attamen exemplari-

plaribus Pontis longi, Signacenſis Cœnobii (ubi Guillelmus vixit, & diem ultimum fœlicitèr clauſit, ut teſtatur ejus vitæ Author Anonymus, Brucardus Abbas in Chronic. Signac. Bertrandus, & alii paſſim Scriptores Ciſtercienſes) Claræ-vallis, & Signiacenſis, præmittitur ea Epiſtola, aut Opuſculum, tanquam Guillelmi Abbatis S. Theodorici libris de Officiis Ruperti Abbatis. Quæ monumenta, utpotè ejuſdem ævi, adeo conſpicua ſunt, ut poſtquam eorum notitia lucem vidit, nullus ferè ſapientum D. Anſelmo ampliùs opuſculum illud adjudicandum cenſuit. Quocirca in ſequentibus editionibus operum Anſelmi expunctum ſemper fuit; cùm jam temporibus P. Vaſquez neutiquam reperiretur inter reliquos Anſelmi tractatus, ut notat ipſe Vaſquez, ut numquam radicem hujuſcemodi facti, mutationiſque, aut avulſionis, inquirere noluiſſet; ſupponendo illam incuriam duntaxat hominum, & temporum, fatale etiam ſtudiorum malum.

Num. 44. Ulterius, quòd Valeramus Anſelmi Synchrunus, eundem per litteras non ſemel conſuluerit, & quòd in materia Euchariſtiam concernente tantiſper aberraverit; tantùm abeſt ab eo, quòd inde poſſit gigni prudens aliqua conjectura in favorem contrariæ opinionis, quòd potiùs evincat oppoſitum. Quandoquidem in litteris ipſius ad Anſelmum, in quibus conqueritur de varietate cœremoniarum, quæ in Sacrificio incruento obſervantur, juxta diverſas Eccleſiarum conſuetudines inveteratas (in eiſque Minervam appellat S. Anſelmum) nec verbum unicum profert de re ſubjecta, nec literulam detorquet in eum ſenſum. Nullibique rurſus S. Anſelmus in literis ad Waleram. datis ipſum carpit de re hac; uti feciſſet proculdubio, aut inſinuaſſet, ſi noſſet illum in prædictum errorem prolapſum, aut prolabentem. Quemadmodum nec ſalutare ipſum voluit in Epiſtola ad eundem miſſa, dum partes Schiſmatici Imperatoris ſequeretur, dumque ab Urbano turpiter ea ratione defeciſſet; quamquam mox, Anſelmo è longinquò elamante, & Deo propè monente, reſipuerit, ut ipſemet gratulabundus teſtatur in novis literis ad Anſelmum. Etenim S. Anſelmus in Epiſtola, & reſponſione ad querelas Waleram. tuetur quidem ſtrenuè ritus, quos ille frigidè nimiùm, & voluntariè reprobare audebat; nihil attamen circa alterum errorem innuit, cum occaſio illa eſſet opportuna. Uti nec prætextu quæſtionis de Azimo, & Fermentato, quam ad eundem miſit: ſicut etiam tractatum verè eximium de proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos.

Niſi abſque ullo prorſus fundamento dicatur, Waleramnum eo tempore nondum malè ſenſiſſe circa rem præſentem; deinceps verò, poſtquam ad Caſtra Sedis Apoſtolicæ, & veritatis, redierat, in hæreſim impanatorum, ab ipſa Apoſtolica Sede confixam impegiſſe. Quòd voluntarium nimis foret. Monuit ſanè ille, & demiſſiſſimè D. Anſelmum de ſua vita, & factionis mutatione, redituque in gratiam Paſchalis II.; & tunc illum reſultat Anſelmus, & laudat. Ex dictis autem apertiſſimè, poſitivèque infertur libros de officiis nullatenus eſſe Waleram. ac proindè eſſe Ruperti Abbatis (quòd erat ſecundum extremum elucidandum, quantumvis in primo jam ſufficienter expreſſum). Siquidem potiſſimum, ſi non unicum, argumentum oppoſitæ opinionis erat, quòd opuſculum adversùs doctrinam, in libris de officiis contentam, foret Anſelmi, ſub qua hypotheſi libri de officiis eſſe non poterant proles ingenii Ruperti; quippe qui non niſi poſt prætioſam Anſelmi mortem florere cæpit. Hoc itaque corruente fundamento, labitur ſe ipſa contraria opinio, totumque jus devolvitur ad Rupertum: cui nulla ſit injuria, dum ipſi opus illud imputatur, cùm ſit extra dubium omne, reperiri paſſim diſperſam per alios tractatus, qui ſunt indubitatò Ruperti, obſoletam, proſcriptamque eam ſententiam: ut lib. 2. in Exodum Cap. 10. & lib. 6. in Joann. alibique. Quoniam tametſi ignorare non poſſet, doctrinam ſimilem in Berengario tactam fulmine condemnationis; exiſtimabat tamen, ſe alio modo, non dum ab Eccleſia damnato, aſſumptum illud tueri jure poſſe. Cùm aliunde fuerit vir, non doctiſſimus tantùm, & piiſſimus, ſed illuſtratus in multis: eùmque juvenis adhuc, veluti immaturo fœtu, primum illum ediderit partum, ut inpoſterum collimaret in verum Scripturæ Sacræ ſcopum, & ſenſum.

Num. 45. Libros autem illos primitias fuiſſe ingenii ſui florentiſſimi teſtatur ipſe in Epiſtola dedicatoria ejuſdem operis de officiis ad Cononem Epiſcopum Ratisbonenſem (dum opus illud iteratò emiſſo, & ſub proprio nomine vulgavit) dicens: *Primitiæ ſunt iſtæ cunctorum operum, quæ mihi à Domino provenire gaviſus es, & libentèr legiſti .... Multa eorum operum tuo nomine attitulavi, nonnulla Colonienſi Archiepiſcopo Friderico.* Ubi elariſſimè jam ſe profitetur parentem hujus prolis, quàm dicit primogenitam. Reliqua autem opera, quorum meminit, eſſe Ruperti propria, nullus vertit in dubium. Ergo & illud de officiis, cui præmiſit Epiſtolam nuncupatoriam allegatam, & partim productam. Fingere autem præfatam dedicationem imponi Ruperto, eſſet contraire omnium conſenſioni, neceſſitudini amoris mutui, commerciique inter Epiſcopum Ratisb. & ipſum: & contentione fere obſtinata in lucem meridianam offendere. Subjungere autem verba illa fuiſſe ab aliquo inſerta Epiſtolæ ad Epiſcopum Ratiſbonenſem, foret eodem pacto inhærere tenaciter in re imaginaria, prætextuque voluntariè quæſito, & ex vaſtiſſimo puræ poſſibilitatis campo allato, omnique veſtigio authoritatis deſtituto. Cauſam hujus diſſidii

circa legitimum Scriptorem librorum de officiis attigimus ſupra, illamque reperies ibidem apud ipſum Rupertum. Quia ſcilicèt libros illos primùm vulgavit abſque nomine Authoris, abſque Mæcenate, undè facilè poſtmodum ſuboriri potuit ambigendi occaſio, tituluſque coloratus attribuendi illos modò uni, modò aliis, ut frequenter accidit anonymis partubus. Quin poſtrema illa operum ſuorum confeſſio, ſyllabuſque exactus, ubi jam ſibi adoptat eos libros dubitationem illam removeret, quia longè poſterior, cùm jamdiu altas radices egiſſet: cùm jam nonnulli alium feciſſent Authorem; quia verum parentem ignorabant: & cùm perveniſſet error, quò non pervenerit confeſtim claritas. Hanc veritatem teſtatur Rupertus in laudata nuncupatoria, dum ait: *Hoc autem* (opus) *quod primum erat, & alia pauca ſine ſplendore cujuſquam tituli demiſimus, ut ipſe noſti. Itaque primitias quidem frugum obtuleram, & demiſeram eas in conſpectu Domini Dei, & adorato Domino epulabar in ſcripturis.*

Hæc eſſe potuit ratio ob quam ignotus diù extiterit ſons rivi illius aliquautulùm turbidi. Quin placere poſſit nobis, quod P. Vaſquez, licèt dubitativè ſolùm, pronuntiat; forſan ſibi arrogaſſe, inſignem alioqui, Rupertum opus illud alterius Fabri, aut eidem à Diſcipulis adoptatum. Cum minimè credibile ſit, Rupertum omnigena ſcripturarum eruditione, & ſapientia refertum emendicaſſe ab alienis ſcriptis gloriam ſurtivam; dum ipſe locupletare aliundè poſſet coævos omnes. Quod urget validius, ubi fœtus ille ex parte deformis, non facilè poſſet in ſui amorem rapere, niſi legitimum Patrem, vehementi, exuberantique in liberos, etiam turpiſſimos propenſione obcæcatum: *Omnis in Aſcanio cari ſtat cura Parentis*. Neque alumni habuere locum ad eam adoptionem pro nutu efficiendam, uti nec ad prolem emancipandam, cum ipſe Rupertus, dùm adhuc in vivis eſſet, illam agnoverit ut propriam, ut ex nuper laudata epiſtola nuncupatoria liquet, quòd eſt juridicum teſtimonium veræ filiationis.

Num. 46. Ob nuper producta indubitatum eſt jam hac tempeſtate, Gullielmum Abbatem eſſe Authorem opuſculi de Sacramento Altaris, quod ad inſtar præfationis antecedit alium ejuſdem Gullielmi de Corpore, & Sanguine Domini. Et ideo nonnulli utrumque ſub alterutro, modò uno, modò alio titulo promiſcuè allegant, & confundunt. Uti & pariter hoc ævo eſſe debet jam exploratum, libros de officiis è Ruperti vena fæcundiſſima effluxiſſe. Ut tamen concilietur teſtimonio adducendo auctoritas conſultum erit, nonnulla de Guillelmo, & ſanè egregia, libare. Fuit enim vir doctiſſimus, ut conſtat ſatis, vel ex eo quod D. Bernardus epiſt. 79. conſultus in re difficili à Cuiſſiacenſi Abbate, reſcripſerit: *Miror, quòd tibi viſum fuerit me tam remotum expetere conſultorem, cum propè habeas virum ſapientem veſtri ordinis, & tuæ præcipuè domus amatorem, Guillelmum Abbatem S. Theodorici.* Guillielmus verò in Prologo libri de Corpore, & Sanguine Domini ad D. Bernardum, hæc inſcribit: *Chariſſimo ſuo electo ex millibus ſuus ille ſcipſum.* Vinculo ſiquidem amoris arctiſſimè conjuncti, poſtquam Guillelmus fama ſanctitatis, & ſapientiæ Bernardi permotus, attractuſque Claram vallem adivit, nova, & immortalia veræ amicitiæ fœdera iniere vieiſſim. Ideoque S. Bernardus Guillielmo reſpondens epiſt. 86. paribus mutuæ dilectionis verbis ipſum alloquitur. Et quoniam Guillielmus amicabili quadam, non inſuetaque âltercatione decertare cùm Bernardo voluerat, ſe amantem dicens magis, quam amatum, Doctor Mellifluus epiſt. 85. nativa, & ſuavi quadam ingenioſitate cedendo redarguit in hunc modum: *Fortè verum ſit, quod dicis, minùs ſcilicet me amare te, quam me diligis, ſed certè certus ſum, certum non eſſe tibi*. Deindè ſermonem cùm Deo ibidem inſtituens, ſubjungit: *Quòd diligam illum* (Guillielmum) *ex dono tuo, & ſuo merito, tu ſcis, & ego ſentio: quatenus autem diligam, tu ſcis, & ego neſcio*. Verba dilectionis ſimul, & honoris plena erga Guillielmum, cui nuncupavit S. Doctor aureum illud opus de gratia, & libero arbitrio, ſicut & apologiam pro familia Ciſtercienſi: uti & viciſſim Guillielmus Bernardo opus de Corpore, & Sanguine Domini, & libellum de Sacramento Altaris, ut ex Bertrando retulimus; ex cujus approbatione ab oculatiſſimo Bernardo facta ingens auctoritatis pondus accreſcit verbis Guillielmi pro ſententia noſtra ex eodem libello decerptis, moxque librandis. Et ſanè hoc unum ſaltem extra dubium vidètur ex vitæ Guillelmi ſcriptoribus, quòd propè omnia ſcripta alterius relegebat priùs, & probabat alter: uti probavit Guillelmi tractatum contra Petrum Abaelardum (adversùs quem egit ſtrenuè ipſe S. Bernardus etiam.)

Quantique fecerit Bernardus doctrinam, & eruditionem Guillelmi, vel ex eo apprimè dignoſcitur, quòd librum de gratia, & libero arbitrio, illi, ut diximus dicatum, ita ejuſdem deſpotico arbitrio, liberrimoque committat, ut ab ejus ſolùm cenſura pendere velit, quod lucem videat, vel tenebris, oblivionique mandetur. Cum autem Guillelmus ſupervixiſſet S. Bernardo, vitam illius ſuaviſſimo ſtylo ſcripſit, vel potiùs cæpit, in cujus primo libro multa de neceſſitudine familiaritatis inter utrumque refert: & inter alia narrat, ſe ægra valetudine laborantem in Cœnobio Sancti Theodorici, accerſitum fuiſſe à D. Bernardo, qui fratrem inſuper ſuum Gerardum miſit è Clara valle S. Theodoricum, ut ipſum conduceret in Claram vallem: ubi quantùm profecerit ex commercio charitatis cum Bernardo, & quantùm fuerit ab eo inſtructus, illuminatuſque, libentiſſimè

vul-

vulgat. Tantùmque valuit in corde Guillelmi amor S. Bernardi, ut prævaluerit amori proprii inſtituti: decrevit enim illud deſerere, & Ciſtercenſium ordini nomen dare, recuſante, & diſſuadente, dum viveret, S. Bernardo, ut apparet ex ejus epiſt. 86., inſiſtente tamen Guillelmo, donec voti compos factus Signiaci vixit, non ſine fama ſanctitatis, & Cœleſtium ſignorum copia; ibidemque ſancto fine quievit. Scripſit Guillelmus, ultra inſinuata jam opera, diverſa alia pari eruditione, ac pietate. Speculum fidei ſcilicet: Ænigma fidei: Meditationes in Cantica Cant. Expoſitionem epiſtolæ ad Romanos. Sententias fidei: Librum de natura corporis: aliumque de natura animæ: & tandem librum primum vitæ S. Bernardi, ut ſupra retulimus, quem in limine ferè reliquit, occurrente immaturè ſuprema die, quæ filum vitæ propriæ rupit, ut quantocyus rediret ad jucundiſſimam, & ineffabilem cum anima glorioſa Bernardi conſuetudinem.

Num. 47. Regrediar nunc ad reaſſumendum aſſertionis noſtræ, ejuſdemque probationis filum, interruptum ſanè digreſſione facta; non ſine utilitate tamen, ut putamus. Igitur Rupertus lib. 2. de officiis cap. 9. poſtquàm eum errore jampridem damnato, ſubſtantiam panis, & vini ſimùl cum Corpore, & Sanguine Domini ſupponit in Euchariſtia, quamquam alia ſemita incedens ab ea, qua Berengarius olim (non minùs attamèn prærupta). Poſtquàm dixerat, ſubſtantiam panis uniri cum ſubſtantia Corporis Chriſti Domini, medio Verbo Divino: *Verbum*, inquit, *quod humanam aſſumpſerat naturam, id eſt in carne manens, panis, & vini accipiebat ſubſtantiam, vita media*, (hoc eſt verbo ipſo) *panem cum ſua carne, & vinum cum ſuo jungebat ſanguine*. Poſtquàm, inquam, hæc, & alia ejuſmodi præmiſerat, adjungit doctrinam aliam, privantem de facto omni vita actuali ſenſitiva, ſive omnibus ejus operationibus immanentibus Chriſtum Dominum proùt ſub ſpeciebus. Eamque doctrinam introducit per modum reſponſionis ad cujuſdam alterius objectionem. *Sed dicit mihi Adverſarius, vivens, & ſenſibilis in corpore ſuo, mobiliſque eſt Deus, & homo Chriſtus, corpus autem ſacrificii vitam non habet, ſenſum non habet, mobile non eſt. Ergo Domini non eſt*. Statimque occurrit huic argumento ſic: *Obſecro te, quam in corpore Domini vitam requiris? eſt enim vita animalis: eſt ſpiritualis. Animalis vita quæque ſenſibus fungitur, viſu, odoratu, auditu, guſtu, tactu. Hæc vita animalis eſt, carnalis eſt, caro eſt. Dominus autem dicit, quia caro non prodeſt quidquam.... Solùm ergo ſpiritualem vitam in ſacrificio miniſtrare ſapientiam ejus decebat, quę eſt ſanctificatio, benedictio, miſericordia, & veritas, juſtitia, & pax. Hæc autem vita ſpiritualis ſic eſt in corpore ſacrificii abſque ejus vita animali, quemadmodùm lux ſolis abſque calore ejus in corpore lunæ*.

Ubi manifeſtè docet Chriſtum Dominum in Euchariſtia nullas elicere ſenſuum operationes, aut ullo modo corporeas, nec decere ipſum, ſed unicè gaudere vita ſpirituali, quam & habere formaliter dicit in ſe, & largiri nobis: vel ſaltem tribuere nobis hanc effectivè, ſi nec dum illam habeat in ſe formaliter actu; quem etiam ſenſum redolere videntur ulteriora ejuſdem verba, quæ ſequuntur: *Quapropter, qui viſibilem panem ſacrificii comedit, & inviſibilem à corde ſuo non credendo repellit, Chriſtum occidit, qui vitam à vivificato ſejungit, & dentibus ſuis mortuum laniat corpus ſacrificii; ac per hoc reus eſt corporis, & ſanguinis Domini*. Paradoxum nimis exoticum, cum innuere videatur, non aliam adeſſe vitam Corpori Chriſti Domini in Euchariſtia, niſi eam, quam in nobis operatur per fidem, & charitatem: qua deficiente in cordibus noſtris, mortuum ſupponit in nobis Corpus Chriſti Domini; tametſi animatum (nolumus enim illi imponere novum alium errorem, quòd videlicèt exiſtimarit, non poni animam Chriſti Domini ſub ſpeciebus per concomitantiam, (præſertim ſi tribuat illi vitam ſpiritualem actualem ut revera tribuit): cum ex ejus doctrina alibi ſæpiſſimè conſtet oppoſitum: dicit enim mortuum corpus illud tunc, quia non operatur effectivè vitam ſpiritualem recipientis).

Parùm tamen digna videtur docto admodum viro ſuppoſitio illa, aut cogitatio ſupponens indignam Chriſto Domino vitam ſenſitivam, eo quod animalis ſit illa; quandoquidem indè colligeretur, corpus glorioſum Chriſti Domini, nec proùt in Cœlo exiſteus habere poſſe uſum aliquem ſenſuum, aut vitę corporeæ, quod nefas eſſet docere, licèt vita animalis in ſenſu morali uſurpata aliena ſit ab ſtatu æternæ fælicitatis, & ab ſtatu etiam mortali hominum ſanctitatem immortalem ſpirantium. Quocirca uſus phyſicus ſenſuum, corporiſque per dictamen rationis, & legis divinæ regulatus, fructus quammaximos in Eccleſia Dei peperit (ut docebat ſupra Auguſtinus) cum nonniſi prædicatione, jugi motu, & ſudore, aliiſque operationibus è vita corporis pendentibus facta fuerit prodigioſa mundi obcæcatiſſimi ad fidem, & jugum Chriſti Domini converſio: cum, juxtà Apoſtolum opus ſit auditu ad fidem; *auditus autem per Verbum Dei. Quomodo autem audient ſine prædicante*. Quæ profectò fieri non potuit media vita animali, tametſi importet vitam ſenſuum, cum importet potiùs mutationem à vita animali ad novam ſpiritus vitam, rationem, & gloriam. Sicut & è regione interdùm reperitur etiam vita animalis (in ſenſu morali) in ipſis operationibus phyſicè ſpiritualibus, intellectus ſcilicèt, & voluntatis, dum nempè voluntati, & legi Dei reſiſtit, feruntur que in vetitum, itaùt ipſa rationis via aberret à termino, & à ratione ipſa.

Num. 48.

Digitized by Google

Num. 48. Guillelmus itaque in Libello, aut Epiſtola laudata ſæpè, de Sacramento Altaris, primò alloquitur blandis, & veram charitatem redolentibus verbis Monachum librorum de Officiis Authorem (ſub eo namque generico tantùm titulo Rupertum appellat; è quo iterum comprobatur, neutiquam fuiſſe ejus Parentem Waleramnum Epiſcopum): *Sed quoniam veritas charitatis*, inquit, *& charitas veritatis adulationis odit fucum, videor mihi videre in facie pulchri operis nævum unum; qui, & ſi inter nos interim benevola quodam diſſimulatione tegatur; ſi opus hoc exierit in manus eorum, qui carpere amant aliorum etiam benè dicta, futurum eſt in ſignum, cui à multis contradicetur*. Deinde tranſubſtantiationem (quàm obiter ſolùm, ſubobſcurè ſi non ſubdolè, attigerat Author libr. de Offic.) brevi, ſed efficaci exemplo, rationeque firmat. Poſtmodum vocem illam *Corpus Sacrificii* tanquam ſuſpectam removet, Authoremque leniter exagitat. Et tandem omnes eloquentiæ, & ingenii vires detorquet ad tuendam vitam per ſenſus à Chriſto Domino in Euchariſtia exercitam, averſandamque ex conſequenti contrariam opinionem, ut parùm tutam, immo ut erroneam: *Sed & vos*, ait, *Corpus illud Sacrificii appellatis Corpus Domini; ſed, pace veſtra dictum ſit, infertis, quod neſcio, an Corpori Sacrificii; ſed Corpori Domini non convenit. Nam Corpus Domini, immò Dominum Jeſum in Corpore ſuo, ipſo, inquam, corpore, in quo nobis præſto eſt in altari: quod non eſt aliud, quam quòd ſedet ad dexteram Patris, motum, & ſenſum habere, & per omnia noſtræ eſſe naturæ licèt alterius gloriæ, contradicit nullus, niſi inſipiens ille, qui dicit in corde ſuo non eſt Deus. Quòd ſi Corpus illud Sacrificii viſibilem illam ſpeciem appellatis, quæ apparet in altari, videlicet propter ſimilitudinem panis Corporalis, ſtultus, & ineptus erit ille Adverſarius, qui ea requireret in ſpecie panis, quæ propria ſunt viventis Corporis, id eſt, vitam, ſenſum, & motum; & non potius, quæ ſunt illius ſpeciei, ut ſunt rotunditas, albedo &c.*

Rurſus, poſtquam nonnulla de modò exiſtendi accidentium ſine ſubſtantia ediſſerit, ſubdit: *Deindè cùm Corpus illud Sacrificii vivere negatis vita animali; vellem, diceretis apertiùs, quam ibi vitam animalem dicatis?* Protinuſque vitam animalem diſtinguit in eam, quæ à Sacra Scriptura accipitur in ſenſu nequam; eo quòd rationis lumini, Spiritui, & legi Dei adverſetur, eamque arcet à Chriſto Domino in Euchariſtia abſcondito, ſicut & ab ipſo ad dexteram Patris ſedente arcenda procul eſt, juxta prima fidei noſtræ elementa: & ab eodem pariter, dum in terris viſibiliter degeret. & in illam, quæ per operationes ſenſuum, motum, & functiones alias vitæ corporeæ phyſicè explicatur, tametſi illa communis ſit Brutis. Qua diſtinctione præmiſſa, & excluſa prima acceptione animalis vitæ, irrumpit ſtrenuè in oppoſitam doctrinam conglobatis argumentis, & abſurdis: *Quòd*, ait, *ſi nomen animalitatis in hoc coarctemus, ut animalem vitam dicamus, quà vivificatur totum Corpus, & ſenſificatur, quicumque Corpori Chriſti poſt reſurrectionem ex mortuis denegat vitam, & ſenſus noſtræ naturæ, licèt alterius gloriæ; videos undè adſtruat, quòd dicis: maximè cùm membris auferat reſurrectionis ſpem, quam in capite videtur perimere: ecce hoc eſt, quòd in opere veſtro me offendit, & nonnullos Fratrum noſtrorum. In quem ſenſum etiam illud concurrere videtur, quòd paulò ſuperius dicebatis, ſic enim ibi legitur &c.* Quo teſtimonio expreſſius aliud deſiderari nequit, eſt enim, inſpectis omnibus manifeſtum; adjungitque circumſtantiam reflexione digniſſimam, quòd nimirum adverſam opinionem à fidei doctrina, reputet ejus Author, tantiſper alienam, errorique ſi non dicat proximam, innuit ſaltem parùm ab illo remotam.

Num. 49. Non enim ſubterfugium quæri prudenter valet per vitam ſenſitivam in actu 1. duntaxat; cùm manifeſtum ſit, Guillielmum agere de vita in actu 2. *per motum*, & ſenſum plenè deſignata. Et cùm Rupertus, adverſus quem diſputat ſupponere videatur vitam in actu 1. (quamquam, ut notavimus, occaſionem aliquam præbeant interdum illius verba ad illam etiam denegandam; re ipſa tamen, id nunquam ſenſit, ſed in alia acceptione ea verba protulit) ſiquidem tribuit Chriſto Domino vitam ſpiritualem actualem, adeoque credit Corpus Sanctiſſimum illius ibi animatum, & ex conſequenti vivens ſenſitivum in actu 1. ſolam ergo vitam ſenſitivam in actu 2. tanquam purè animalem removet; ac proindè hanc conatur adſtruere Guillelmus, cùm doctrinam Ruperti, ut penitus abſurdam in ſubjecta materia repellit. Si autem utramque inficiatum eſſe Rupertum credas; utramque ex diametro pugnans ſtatuit Guillelmus. Ulteriùs, Rupertus vitam animalem expugnat à Chriſto Domino, hæc autem eſſe non potuit vita in actu 1. ſenſitiva: quoniam hanc, ſitam in Corpore organico animato, poſſidet Corpus Chriſti Domini in Cœlo, & in Euchariſtia, ſemel ac habeat per concomitantiam animam rationalem, qua informatur, uti ſæpiſſime docet Rupertus. Hæc adeò comperta ſunt, adeòque evidenter apparent ex ejus teſtimoniis, ut pudeat hærere diutius in re manifeſta.

Neque eludi poteſt rursùs per vitam in actu 2. merè ſpiritualem nullo pacto cùm corpore, aut organis communicantem. Quoniam illam admittit Rupertus, ut dictum eſt; & nihilominus expugnitur ejus doctrina à Guillielmo, qua negat vitalitatem in actu 2. Chriſto Domino in Euchariſtia. Inſuper, indubitanterque, quoniam de vita per ſenſus externos, potentiaſque corporeas concertatio erat inter ipſos, ut patet ex eorundem teſtimoniis. Neque tandem declinari poſſet vis authoritatis per ſenſationes concomitanter habitas ſolùm ſub ſpeciebus,

quaſi

quaſi haſce tantùm inficiatus fuerit Rupertus, & ſtatuerit Guillelmus. Namque motus, quem habet in Cœlo nullatenus adeſt in Eucharistia, ut certum eſt; & aliunde Chriſtum Dominum in Euchariſtia motum aliquem vitalem exercere disſertè tradit Guillelmus, quamvis unicè attemperatum motui ſpecierum, dum illæ à Sacerdote hinc indè circumferuntur, ut ex mente gravium Scholaſticorum ſtabiliendum erit diſput. 4. Tum quia ſenſationes externas à propinquitate, & præſentia objectorum pendentes traduci non poſſe adhuc divinitus, itaut præſtent ſuum effectum formalem videndi, audiendique, valde probabilis Theologorum opinio eſt. Guillelmus autem aſſertionem Ruperti notat, caſtigat practicè, & revera fecit cenſura, aut fulmine erroris. Si autem per *motum* intelligas tantùm motum ab intrinſeco cujuslibet actionis vitaliter immanentis. In primis vitalitatem illam jam expreſſerat aliis verbis. Deindè, ſi ab intrinſeco movetur Chriſtus Dominus in Euchariſtia per operationes vitales corporeas, jam eo ipſo vivit actu per actiones immanentes ibi primo exercitas; quandoquidem per eas quas purè paſſivè recipiat è Cœlo miſſas, nullo pacto ſe movet phyſicè, ſed impropriè, & latè ſe moveret, intentionaliter ſcilicèt, aut grammaticaliter.

Præterea, vita actualis corporea, quam afferat Chriſtus Dominus concomitanter ex Empyreo, animalis, turpis, indecenſque eſſe nequit comparativè ad Euchariſtiam, ut certo certius eſt. Ergo vita corporea, quam denegat Rupertus Chriſto Domino velato ſpeciebus, non eſt illa, quæ per operationes ſenſuum primò elicitas in Cœlo defertur in Euchariſtiam, juxtà communem Theologorum ſententiam. Placuit adnectere hîc, quæ circa finem opuſculi pronunciat Guillelmus. *Nunc unum eſt, quòd precor charitatem veſtram per ipſum, qui eſt Charitas; ne me quaſi de integritate fidei veſtræ dubitantem, quòd longè ſit à corde meo, & à conſcientia mea, æſtimetis, in opus ſtudii veſtri quaſi cenſoriam tuliſſe ſententiam, juſtabunda quadam temeritate; ſed fraterna charitate, & ſollicitudine amica; teſte Deo loquor pro vobis ſollicitus, ſic vellem, & hoc, & omne opus ſtudii veſtri, & laborum exquiſitum eſſe, & circumſpectum, priuſquam exiret in manus eorum, qui foris ſunt, ut qui rodere illud velit, non inveniret, in quo dentem figere poſſit &c.* Ubi & cautè timet ferre cenſuram, & modeſtè audet: quam enim virgam cenſoriam recuſat judicando, aſſumit diligendo.

Num. 50. Adjungam prælaudatis authoritatibus illuſtre teſtimonium viri illuminatiſſimi, ut ab omni claſſe, gremio, & Religionis ſitu ſubſidium expetamus, quo aſſertio noſtra roboretur. Erit hic B. Amadæus, ſatis mundo notus, & Cœlo, ob mirabiles illos raptus, quibus dum extra ſe longiſſimè abiret, intra ſinum animæ opes Divinæ ſapientiæ ubertim excipiebat medio Archangelo Gabriele (fælicitatis humanæ nuncio olim, & Paranympho). Namque in ſua Apocalypſi Raptu ſexto non longè à principio, ubi revelationes ſibi factas ab Archangelo circa præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia refert (ut qui Legatus Dei fuerat miſſus ad anuntiandam Incarnationem, legatione pariter fungeretur ad ejus extenſionem exponendam) ait: *Immò nec oculus ejus* (Chriſti Domini) *ullo modo ibi exiſtens poſſet vos videre, nec aures ejus veſtras voces audire; niſi Deus addidiſſet miraculum miraculo.* Rurſus poſtquam rationes hujus naturalis impoſſibilitatis ad utendum ſenſibus indicat, proſequitur: *Addit huic miraculoſæ Corporis Domini præſentiæ aliud miraculum, quia virtute ſua Dominus facit, ut ſpecies illæ, & rerum ſimilitudines perveniant ad oculos, & aures Domini, & ita Dei virtute inſtillante, vos ibi videt, & vocem veſtram audit, utroque oculo mentis, & corporis.* Hæc ſuamet perſpicuitate ſeipſa exponunt, & tuentur.

Verùm quidem eſt, opus hoc Amadæi, juxtà plurium ſententiam, vitiatum eſſe, vel mutilum ſaltem, aut diſlocatum; ſive id contigerit incuria ſcribentium, ſive malignitate aliqua, ut animadvertunt ſcitè Wadingus tomo 7. Annal. ann. Domini 1482. Eruditiſſimus Petrus de Alva in ſua Bibliotheca Virg. Verum eſt etiam adversùs illud acerbè nimis inſurrexiſſe; ipſumque nimis exagitaſſe Abrahamum Bzovium in ſuis Annalibus. Nihilominus tamen liber ille, ut modò invenitur, & à nonnullis teritur, approbatus juridicè extitit ab Eminentiſſimo Cardinali Franciſco de Quiñones, qui fuerat Miniſter Generalis, & ornamentum Religionis Seraphicæ; ſupponente, vitia, quæ irrepſere, tanti momenti nequaquam eſſe, ut ſubſtantia illius operis, divinitùs accepta, deſpicienda ſit, aut procul amandanda. Item Eminentiſſimus Alphonſus Manrique Inquiſitor Generalis Hiſpaniarum, & Archiepiſcopus Hiſpalenſis, poſt diligens doctiſſimorum Theologorum examen, præfatam Apocalypſim permittendam cenſuit, & quidem non penitus illaudatam. Et, quòd non exiguam hujus operis æſtimationem peperit, approbatus ſumma cum laude fuit ab extatico, & planè mirabili Sancto Petro de Alcantara, approbatione manu propria ſubſcripta, ut apparet in Exemplari aſſervato Barcinone in Collegio Sancti Bonaventuræ (& in illo extant producta à nobis teſtimonia). Ita abyſſus arcanorum Dei abyſſum aliam ſuſpiciebat; ita Apocalypſis vivens ſcriptam reverebatur, quia illius ſecreta apprimè callebat.

Num. 51. Negligendum non putavi celebre teſtimonium Euchariſtiæ, & vitæ illius deductum ex illis verbis Geneſis 49. in benedictione Judæ: *Ligans ad Vineam pullum ſuum, & ad vitem: ò fili mi, aſinam ſuam: lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine*

Uvæ

Uvæ pollium ſuum ; deductum , inquam , à Rabbi Cahana , ut referunt Joannes Garetius in opuſculo de Sacramento Euchariſtię adversùs Calviniſtas , pagina 3. , & Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis lib, 10. cap. 7. præſertim ; ex utroque autem Emin. Laurentius Cozza , in Commentario Hiſtoridogmatico cap. 17. num. 48. exponens ſiquidem Cahana relata verba , inquit, *Rubriores ſunt oculi ejus vino , & dentes ejus lacte candidiores . Hoc eſt in Sacrificio , quod fiet ex pane , non obſtante , quòd album ſit velut lac , convertetur ſubſtantia in ſubſtantiam Corporis Meſſiæ ; eritque in ipſo Sacrificio vini ſanguis Meſſiæ , & eadem erunt in pane . Quoniam corpus Meſſiæ dividi non poteſt : idque ratio poſtulat . Nam ſi caro & Sanguis diviſa eſſent , diſtinguerentur* . (ideſt ſepararentur) *ab invicem ; Corpus autem Meſſiæ non poteſt dividi , ſicut ſcriptum eſt Exodi* 12. *& ſubſtantiam non confringetis ex eo . Præterea caro ſine ſanguine , & è converſo , ſunt res mortuæ ; Corpus vero Meſſiæ poſt reſurrectionem , quæ glorificatum erit , ſemper vivet* . Teſtimonium ſanè efficaciſſimum adversùs Sacramentarios omnes (quin & perfidiam Judæorum planè convincens) non prorſus tamen inefficax pro ſententia noſtra , cum videatur exploratum ibi ſermonem eſſe de vita , non ſolùm ſubſtantiali Corporis Chriſti Domini per unionem cum anima rationali , ſed & de vita etiam actuali per operationes accidentarias corporeas in Sacramento Altaris , & Sacrificio . Præſertim cum evideus ſit , vitam glorioſam , ſeù beatam importare eſſentialiter actum ſecundum , quin & copiam jucundiſſimarum operationum ; hanc autem vitam tribuit Chriſto Domino in Euchariſtia . Unde non ſolam ſeparabilitatem ſanguinis à Corpore , & ex illa ſeparabilitatem animæ , dicit impoſſibilem in Sacramento altaris , ſed ea occaſione intra illam adſtruit veram ſimpliciter vitam Corporis Chriſti Domini , quæ per ſe importat motum actualem ab intrinſeco, & immanenter , ad illumque per ſe primò ordinatur ; quid enim prodeſſet anima corpori , ſi illud nunquam vivificaſſet per vitæ actualis operationes ? Quid perciperet corpus ex illo intimo nexu , pluſquam ſaxum , cui anima foret alligata , licet non unita ? Profecto nihil prorſus in ordine ad vivendum (ut ſæpe obſervatum eſt) quidquid ſit , quod ab illa mutuari poſſet incorruptionem , quam aliundè etiam haurire poſſet divina virtute . Quamquam enim per abſolutam potentiam Dei poſſet ab intrinſeco ſe movere , hoc ipſum tamen quid juvaret , ſi de facto nunquam poteſtas illa inſtrumentaria reducatur ad actum , potiùs quam extenta manus ſtricto gladio in pictura ; aut ſtatua , quæ nunquam cadit in vulnus ? Verificaretur enim de Chriſto Domino illud pſalm. 38. *In imagine pertranſit homo* .

SECTIO TERTIA.

Sententia D. Subtilis circa materiam ſubjectam refertur ; & tandem ex ejuſdem principiis aſſertum noſtrum legitimè eruitur .

§. I.

Num. 52. NON licet nobis D. Subtilis mentem directè in protectionem , umbramque aſſertionis noſtræ producere abſolutè , cum ipſe in 4. diſt. 10. qu. 5. oppoſitam opinionem clariſſimè docere videatur ; licet attamen , juvatque plurimùm ex communi alioqui doctrina & principiis ejuſdem aſſertum noſtrum firmare , ut ſublimis admodum hujus ingenii patrocinium aſſequamur via , qua poſſumus, modo ſcilicet aliquo reflexo , vi cujus , tametſi opinio noſtra minimè dicatur immediatè , & directè juxtà Scoti ſententiam ; dicatur attamèn verè , juxtà ipſius doctrinam. Id ut obtineam facilius , producam priùs verba ejuſdem in loco relato §. *Item* : ubi diſputat in hunc modum : *Operatio eſt perfectio potentiæ operativæ ; & in ipſo conſiſtit beatitudo ipſius potentiæ : ipſam enim conſequitur delectatio proportionata perfectioni operationis . Patent hæc omnia ex* 10. *Ethic. Ergo ſi oculus Chriſti , ut hìc careret viſione , quam habet in Cælo , careret hìc ſua perfectione : & hæc eſt beatitudo ejus , eo modo , quo viſus dicitur beatificabilis . Careret etiam delectatione conſequenti illam operationem perfectam : & tunc ſequeretur , quòd oculus , ut hic , eſſet miſer , & cum dolore , & triſtitia : quia quod tollit delectationem eſt doloroſum , & tunc ſimpliciter eſſet contra appetitum naturalem ſenſitivum , quod haberet eſſe in Euchariſtia* . Ut abſurdiſſimam hanc infælicitatem , miſeriamque ſenſuum Chriſti Domini ſub ſpeciebus , quæ alioqui neceſſariò ſequeretur , declinet Subtilis Doctor , confugit ibidem ad comitantiam , tanquam ad commune Scholaſticorum aſylum : qua tritiſſima ſemita , licèt non declinetur inconveniens privationis viſus (exempli cauſa) terminati ad objecta altari propinqua , cum illa minimè ſubjaceant oculis corporeis Chriſti Domini ex Empyreo , apud eundem Subtilem Doctorem ibidem , in fine quæſt. ajentem : *Ad ſentiendum illa , quæ ſunt hic , oporteret ſenſationem primò inſieri oculo , ut hìc ; non enim illa ſenſatio primò inſieri oculo ut in Cælo , quia illud ſenſibile non eſt præſens oculo, ut in Cælo . Sed ad hoc , quòd inſiat ſenſatio concomitanter alicujus objecti oculo , ut hìc , ſufficit , quod illud ſit proportionaliter præſens oculo , ut alibi : & ut poſſit ſibi , ut ibi , primò inſieri . Sic autem eſt de objectis , quæ ſentit ſenſus Chriſti , ut in Cælo* . Declinatur attamèn privatio omnis complementi , perfectioniſque in actu ſecundo quo carent oculi Chriſti Domini in Euchariſtia ,

ſi nec

ſi nec per concomitantiam, nec per primam productionem poſſent ſub ſpeciebus panis, & vini habere uſum aliquem, conſequenterque adeſſet orbatus Chriſtus Dominus viſione ſuimet corporis glorioſi, quod eſt primarium objectum beatitudinis corporis. Ex quo colligit Subtilis Doct., tum ibi, tum in Reportatis, potentiam viſivam Chriſti Domini in Sacramento Altaris futuram poſitivè miſeram, paſſurumque Chriſtum Dominum poſitivum dolorem, & triſtitiam; quod eſſet ſimpliciter *contra appetitum naturalem ſenſitivum*. Quamquam revera ſi ſemel ſupponeretur, Chriſtum Dominum prout in Euchariſtia, nullum ſortiri poſte exercitium potentiarum, aut ſenſuum, tam internorum, quam externorum, ſive primò ibi elicitum, ſive aliundè comitanter tractum, nullum eo ipſo poſitivum dolorem ſentire poſſet, quâ ibi latens, nec ejus appetitus ſenſitivus vexationem aliquam pateretur; (loquitur enim ibi expreſſe de actu doloris contrario appetitui ſenſitivo), nam pœnes partem ſupremam triſtari non poſſe, compertum eſt. Sin minùs expungeretur opinio contraria argumento repetente principium, cum induceret ſenſationes, vel ut ibidem primò exercitas, vel per concomitantiam è Cœlo adductas (ſi triſtes illæ, dolenteſque ſenſationes in Cœlo primò, & per ſe fieri poſſent, ortum trahentes ex compaſſione videndi ipſum Chriſtum Dominum quâ alibi exiſtentem, privatum omni vitæ corporeæ exercitio): contra quod opinatur ſententia, quam Scotus fugare in eis locis intendit: quæque idcircò potiùs concipit Chriſtum Dominum in Euchariſtia inſenſibilem, quam capacem ſentiendi ſuammet ſenſationum privationem: ac proindè negativè ſolùm miſerum; ne deſtruat ipſamet dolendi ſenſatione carentiam omnis ſenſationis, quam fugit, & adſtruit. Si autem miraculosè ſenſationes eas habiturum permittas in eo eventu, ibidem primò, & dolenter productas; cur non modò alias jucundiſſimas de facto eliciet? Si na mque ſemel actum doloris ſenſibilis emittere valeat, quâ in Euchariſtia exiſtens, à fortiori poterit ſenſationes alias circa objecta voluptatum plena elicere, quibus abeſſet doloris cauſa, ſubindeque argumenti radix.

Num. 53. Vidimus apertam, & aſſertioni noſtrę repugnantem Doctoris Mariani ſententiam in hac ſpecie determinata; nunc autem videndum, quid pro aſſertione noſtra tutanda erui ſolidè poſſit ex ejuſdem doctrina generatim accepta. Multum ſanè, quantum opinor: namque ille quodlib. 13. latè diſputat de relatione realiter incluſa in operatione vitali ad proprium objectum, quâ terminans, aſſeritque viſionem materialem, externaſque ſenſationes illum reſpectum eſſentialiter importare; cognitiones verò aliquas eſſe ejuſmodi, non tamen omnes. Deindè affirmat, operationes, quæ per ſe referuntur ad objectum ut in ſe exiſtens, eſſentialiter poſtulare objecti exiſtentiam: unde à fortiori, quæ illud ut realiter præſens reſpiciunt per ſe, nequeunt perſiſtere, ſaltem quoad effectum formalem præſtandum, illo abſente. *Aliqua ergo*, inquit Scotus, *cognitio eſt per ſe exiſtentis, ſicut quæ attingit objectum in ſua exiſtentia actuali. Exemplum; de viſione coloris, & communiter de ſenſatione ſenſus exterioris. Aliqua enim eſt cognitio objecti non exiſtentis in ſe... Exemplum; ut imaginatio coloris, quia contingit imaginare rem, quandò non exiſtit, ſicut quandò exiſtit.* Ulterius facta diviſione cognitionis in intuitivam, terminatam ad exiſtentiam objecti in ſe, & alias: eaque diviſione ab objectionibus liberata, adjungit: *Iſta diſtinctione actus cognoſcendi ſuppoſita, poteſt dici, quòd primus, ſcilicèt qui eſt rei exiſtentis in ſe, neceſſariò habet annexam relationem realem, & actualem ad ipſum objectum: & ratio eſt; quia non poteſt eſſe talis cognitio, niſi cognoſcens habeat actualiter ad objectum talem habitudinem, quæ neceſſariò requirit extrema in actu, & realiter diſtincta.*

Evidentiſſimum itaque eſt, juxta Doct. Subtilis doctrinam genericam circa viſionem, præſertim externam, illam importare eſſentialiter realem habitudinem ad objectum, prout actu exiſtens, quin adhuc diviuitùs contingere valeat oppoſitum, (vel ut minimùm, quin divinitus poſſit abſque exiſtentia illa objecti reddere potentiam formaliter actu videntem illud) ut notat Cavellus in Conciliationibus eo quodlib. 13. Concil. 6. Proindèque eſſentialiter refertur ad objectum, quâ realiter præſens, ſi talis fuerit exiſtentia objecti, ad quam per ſe terminatur; prout neceſſariò eſſe debet reſpectu potentiæ viſivæ materialis, ad hoc ut ſit intra ejus Sphæram limitatam objecti exiſtentia, quæ dicitur præſens oculis, per hoc quòd objectum adſit intra illorum jactum. Quemadmodum cognitioni intuitivæ Chriſti Domini, prout in Cœlo exiſtentis, ſum modò præſens, tametſi in terris degam, quoniam Sphæra potentiæ intellectivæ longè amplior eſt, fereque ignorat limites (quamvis D. Subtilis eam adeò latè fuſam pro viſione mentis intuitiva minimè agnoſcat). quàm ſententiam illuſtrarat priùs D. Seraphicus (è quo illam hauſit Scotus) in 4. diſt. 11. par. 2. art. 2. quæſt. 2. dicens: *Ita ſimiliter non oportet, quòd ſi in uno loco* (videtur) *quòd in alio videatur, quia hoc requirit præſentiam viſi*. Jam ſic. ergo viſio Corporea, qua Chriſtus Dominus in Cœlo intuetur ſeipſum, Deiparam (oculorum delicium) aliaque objecta venuſtatem ſuaviſſimam ſpirantia, includit eſſentialiter relationem realem ad illa objecta, ut præſentia, apud D. Subtilem. Sed hoc ipſo nequit illa viſio deferri per concomitantiam ad Euchariſtiam, ita ut ibi Chriſtus Dominus per eam redda-

tur formaliter videns intuitivè eadem objecta (ut ut res ſe habeat circa entitatem materialem viſionis , quam ſaltem deferri eomitanter docuit ſupra dilucidè Scotus) ſtando ejuſdem doctrinæ ex quodlib. 13. extractæ , ut & D. Seraphici . Ergo aut Chriſtus Dominus , quâ Sacramentaliter exiſtens elicit de facto , & per ſe primò viſionem objectorum pro nutu ſuo , exercetque alias ſenſuum operationes ; aut privatur , quâ ibi exiſtit , complemcuto , perfectioneque actuali , quæ oculis debetur ; quoniam tametſi entitatem viſionis poſſideat ; ſi objectum , & delectationem ex illo ſubortam nullatenus percipit ; privatus exiſtit formaliter eo complemento , quod purè materiali , & emortuo modò habet . Periret igitur negativè fœlicitas corporis , non videndo ; quemadmodum è regione periit illa Paradiſi videndo : *Vidit lignum , quod eſſet pulchrum* . Neque ſatis eſſet dicere , defectum illum voluptatis ex viſione externa capiendum ſuppleri poſſe per augumentum delectationis purè ſpiritualis de novo ſuperadditæ . Semper enim (juxta D. Subtilem) verifiearetur Corpus miſerè in Euchariſtia exiſtere , cùm per illam nudè ſpiritualem nullo modò viveret Corpus ; nec plus aliquid perciperet voluptatis ex illa , quam Tantalus ſitiens , arenſque in ipſis præterlabentibus undis , & quærens aquas in aquis .

Num. 54. Subſumptam facilè oſtendo ex dictis ab eodem Subtili Doct. quoniam reſpectus ille eſſentialis viſioni eſt , apud ipſum ; atque adeo nullibi exiſtere valet , adhuc divinitus , quin dicat eam habitudinem ad objectum realiter præſens ; cum nullibi eſſe poſſit ſine prædicato eſſentiali , conſequenter ſine præſentia objecti , cum qua relatio connectitur . Licet enim permittamus (quod plerunque negat Philoſophia) fieri poſſe divinitùs , ut modus uni extremo , aut loco affixus exiſtat ſemel alibi abſque eo loco , aut extremo ; quia nihil poſitivum in uno loco importat , quod non involvat in alio ; nequit tamen id contingere reſpectu viſionis terminatæ ad hoc objectum ut præſens , quoniam deſineret ex loco , in quo loeatur , ferri in illud , ut præſens . uti minimè poteſt ex uno loco , aut ſubjecto bilocato , reſpicere aliud objectum diverſum ſimul cùm primo , quod ex alio ſubjecto , aut loco reſpicit eſſentialiter , juxta omnes , etiam illos , qui entitatibus modalibus eam libertatem de potentia abſoluta concedunt . Unde nec poterit ex uno loco reſpicere objectum ut realiter præſens , propinquumque , & ex alio ferri in ipſum , ut realiter abſens : ſequerentur enim contradictoria planè ſimillima eis , quæ in ſimili adſtruit Doctor Subtilis circa operationes loco priores non replicatas , videntis nimirum , & non videntis verificatas de eodem ſubjecto , quas ille verſat egregiè in 4. laudata diſt. 10. eadem autem prorſus contradictio eſt , videre objectum quâ realiter præſens , & ſimul quâ realiter non præſens . Et quamvis hæc contradictio præ aliis exarmetur per hoc quòd præſentia , aut propinquitas numeretur inter res non priores loco , ſed ab illo pendentes , in quibus apud Scotum non invenitur ea contradictio : cæterum ideo aſſerit ipſe , præfatos modos , aut actiones nequaquam debere comitanter venire , quia ſunt affixæ loco , (& ideo non replicatur præſentia circumſcriptiva , quæ adeſt Cœlo) & ex alia parte nulla ſequitur contradictio ex eo quòd non replicentur : vel tametſi comitentur corpus , non poſſe exhibere ſuum formalem effectum . Ex quo fieret , Chriſtum Dominum intra carcerem Pyxidis incluſum , adeſſe privatum viſione Corporis ſui , qua beantur oculi Corporei .

Ratio validiſſima eſt inſinuata ; quoniam modum alligatum uni extremo hic , eſſe divinitus alibi abſque eo extremo , non importat aliquid poſitivum intrinſecum entitati modali in uno loco diverſam ab eo , quo gaudet in alio . videre autem objectum abſens ex hoc loco , involvit neceſſariò tendentiam poſitivam , habitudinemque viſionis ad objectum planè diverſum , immo & contrariam habitudini in ipſum quâ præſens : non enim poteſt videre objectum abſque illa reali habitudine , aut tendentia in ipſum , nec illa poteſt divinitus ſuppleri , cum ſit eſſentialis illi actui , juxta laudatam Scoti doctrinam ; nec ſuppleri , cum ſit quaſi in genere cauſę formalis . Si autem dicas Chriſtum Dominum ex Euchariſtia viſurum objectum abſens , tanquam præſens , quia nec habitudinem , quam viſio illa ſemel habuit in Cœlo , exuere valet in Euchariſtia : nec aliam ſimul induere ; ſententiam diſplicentem frequenter Theologis profers : præſertim ubi miraculum intercedere neceſſe eſt , uti re ipſa intervenit aliquo modò in biloeatione illius viſionis : quandoquidem illa foret deceptio facultatis viſivæ , aliena prorſus à Deo , ut principali Authore . Et quamvis corrigeretur per ſcientiam beatam , aut infuſam ea fictio ; cùm tamen ſemper verum foret , præſentiam illam realem objecti comparativè ad viſionem , & videntem , prout in Euchariſtia , eſſe illuſivam , ſubindè viſionem fallacem comparativè ad potentiam viſivam , quâ exiſtentem ibi , tametſi caveretur error ille , ne intellectus etiam deciperetur ; ſemper verificaretur , actum illum videndi , prout in Euchariſtia futurum ex ſe imperfectum , fictitiumque , prout bilocatum , dedecereque propterea oculos gloriſicatos , ut ex Theologis nobiſcum decertantibus opinantur plurimi : & ideo neceſſariò removenda eſt potiori jure ab oculis Chriſti Domini quâ in altari latentibus : ne fallaciæ mortalium oculorum pluſquam Cœleſtes , Divinoſque , obnubilarent etiam . Et ſanè quidquid ſit de ſenſibus beatorum ; ita dignè ſentiendum de oculis Chriſti Domini non tantùm , cùm modò præſtantiſſimis qualitatibus gloriæ illuſtrantur , ſed & cùm adhuc

via-

viatores eſſent, doceot Eximius Doctor to. 1. in 3. p. diſp. 24. ſect. 3. Ægydius Luſitanus tom. 2. de Beatitud. lib. 11. quæſt. 9. art. 4. Granad. Wadingus, Martinon. &c. Proindeque neque unquam apparuiſſe illi remum obliquum in aquis, tametſi inter Piſcatores frequens adeſſet, ut illos efficeret Piſcatores bominum; ſicut ipſe Piſcatores ipſos non hamo, non retibus, ſed oculis fuerat expiſcatus.

Num. 55. Deindè ea reſponſio manifeſtè repugnat Doct. Subtili, quippe qui ſupra aſſeverat, objectum exiſtens in terra eſſe extra ſphæram viſionis in Cœlo elicitæ, proindeque eſſe non poſſe, nec apparere præſens reſpectu illius, ſed ſimpliciter abſens, vel nullo modò apparens. Idem autem à fortiori continget objecto exiſteuti in Cœlis comparativè ad viſionem, ut in Euchariſtia exiſtentem. Quocirca, etſi permittatur replicatio illa viſionis, effectuſque formalis ipſius in utroque loco; illam, quâ ex Euchariſtia, reſpicientem objectum, fore abſtractivam, & nullateuus intuitivam, dum habitudo ad præſentiam eſſentialis non ſit. Colligit ex mente Scoti (eſt expreſsè apud illum in 4. diſt. 10. quæſt. 9.) doctiſſimus Hugo Cavellus citata Conciliatione 6. Quodlibeti 13. referens pro eadem opinione Scholaſticos alios, ut Molinam, Rubio, putantes nullum eſse abſurdum in Philoſophia, admittere ſenſationes externas abſtractivas: quod eruditè oſtendit etiam Antonius Vargas Archiep. Hiſpal. in 1. ſent. diſt. 1. qu. 4. art. 2. quin & P. Henao in Empyrol. exercit. 32. Arriaga, & Juniores pauci. Si autem illa viſio debeat eſse intuitiva ſimul, & non intuitiva, ſed abſtractiva reſpectu ejuſdem Chriſti Domini pro diverſitate locorum; aut decantata contradictoria ab eodem Doct. Subtili exerunt ibi ſuas vires, aut ſi deſinunt eſse contradictoria, quia viſio, quæ poſtulat eſsentialiter propinquitatem, & præſentiam objecti, recenſetur inter modos loco poſteriores; conſequenter ad doctrinam ſtatutam ab eodem, nequaquam venire debet comitanter ad Euchariſtiam: aut tametſi veniat entitativè, & materialiter; effectus tamen formalis ipſius venire nequit: quoniam tunc videre, & non videre pugnare deſinunt mutuò, ut dictum eſt.

Si autem opponas teſtimonium ſupra ex eodem Scoto excerptum in 4. diſt. 10. qu. 5. ubi dilucidè affirmat ſufficere ad viſionem, proùt in Euchariſtia, quòd objectum ſit præſens Cbriſto Domino in Cælo, dummodò illa fiat primò, & per ſe in Cœlo, non verò in Euchariſtia; quia objectum in Cœlo exiſtens eſt extra ſphæram oculorum quâ præſentium realiter ſub ſpeciebus, & ideò non poteſt Chriſtus Dominus ex Euchariſtia eam viſionem primò emittere; ad hoc tamen ut per illam è Cœlo concomitanter adductam videat, ſatis eſſe, quòd objectum ſit præſens alibi, in Cœlis videlicet. Contra primò. quoniam peritiores Diſcipuli Subtilis Doctoris eam viſionis replicationem purè entitativam credunt intelligi ab Scoto, neutiquam verò præſtare utrobique effectum formalem videndi, ut mox ex eiſdem apparebit. Contra ſecundò. quoniam redeunt incommoda ſupra indicata: namque ſi ex Euchariſtia videatur ut præſens, cum ſit re vera abſens, ecce tibi fictionem clariſſimam, relegandam ab oculis glorioſis Chriſti Domini; ſi ut abſens per ſenſationem abſtractivam; quia permittatur viſio, cui non ſit eſſeutialis relatio præſentialitatis. Præterquamquod illam iuvadit plerumque Philoſophia; ex illa ſequitur contradictio videndi intuitivè, & ſimul intuitivè non videndi, vi cujus, ſeù ne ſequatur ſimilis contradictio, neceſſariam dixit Scotus concomitantiam qualitatum, & operationum loco priorum, ab illaque independentium. Quapropter, ut hæc uon ſit contradictio, à fortiori confitendum eſt, conceptum viſionis intuitivæ pendere à loco, in quo eventu non poteſt juxtà eundem Doct. Subtilem venire, cum nulla ſequatur contradictio ex eo, quòd in uno loco non videat hoc objectum, & videat ex alio: ſicut contradictio eſt, quòd videat intuitivè ex una parte, & non videat intuitivè ex alia: ſemel enim ac viſio pendeat à loco quâ intuitiva, & realiter tendens iu præſentiam objecti, pendet ſimpliciter ex integro ratione illius formalitatis; aut ſaltem licet bilocetur entitas materialis; nullatenus biloeandus erit effectus formalis.

Contra tertiò: quia licet utrobique exhiberet ea viſio ſuum effectum formalem videndi illud objectum; quatenùs tamen videt ex Euchariſtia, ea viſio redderet ſolùm abſtractivè videntem, aut attingentem ipſum, uti vidimus nuper ex mente Scoti; videbimuſque apertiùs numero ſequenti. Viſio autem purè abſtractiva ipſius nullo pacto perficeret potentiam viſivam Chriſti Domini, proùt in Euchariſtia, quautùm illa ex ſe perfectibilis eſt in actu ſecundò, cum deeſſet illi complementum ultimum in ſua linea, viſionis nimirum iutuitivæ objecti potiſſimi corporum glorificatorum, & exindè delectatio longè major ex hac viſione, quam quæ reſultaret ex abſtractiva. Tametſi igitur uon foret poſitivè miſer, & inſælix, ut eſſet ſi non videret ſimpliciter ſeipſum, juxtà Doctorem Subtilem, eſſet tamen longè minùs fælix, longèque minorem caperet delectationem, quin & deſinerent eſſe beati oculi, proùt ibi, cum abeſſet viſio intuitiva objecti potiſſimè beantis illos. De quo poſſet triſtari, & quidem hìc abſque ulla implicatioue, aut repetitione principii, quam indicavimus ſupra: ſiquidem jam ſupponitur vitalitas in actu ſecundò, & quamvis actum doloris primò elicere non poſſet, conſequenter ad principia hujus opinionis, poſſet attamen illi infundi à Deo ſactus, eſſetque illi quodammodo debitus, ut colligitur ex argumeuto Doct.

Subtilis ſupra producto . Præterquamquod divinitus poſſe in ſenſationes illas erumpere, vel à Deo primò infuſas ibi excipere, nullibi inficiatur Subtilis Doctor. Si autem dicas, eam minorem fælicitatem comparativè ad illam , quam haurit in Cœlo ex eadem viſione , eſſe ſummam reſpectu Euchariſtiæ , quia proùt ibi non eſt capax ulterioris . Pariter reponent illi , adversùs quos diſſerebat ibi Doctor Subtilis , nullam eſſe miſeriam , aut infælicitatem carere ſimpliciter omni operatione in eo loco , & ſtatu , ubi eſt ſimpliciter incapax illarum ; quaſi non foret ſumma infælicitas redigi ad ſtatum , in quo fælix eſſe nequeat , aut in quo fælicitatem , quam alibi poſſidet integram , obtinere cogatur diminutam : cum notum ſit , minorem proſperitatem illius, qui fortunatiſſimus erat , eſſe infælicitatem ſimpliciter .

§. II.

Num. 56. APPARENTEM hanc, quam inſinuavimus, locorum Doctores Subtilis contradictionem conciliare ſatagunt nobiles Scotiſtæ , (ut inſinuatum jam eſt) itaùt , licet mens Scoti ſit , omnes qualitates abſolutas , inter quas recenſet actus vitales , defereudas eſſe neceſſariò comitanter ad Euchariſtiam ſimul cum corpore, & ſanguine, titulo conjunctionis , ſive connexionis cum ſubjecto ; verùm nequaquam præſtare effectus ſuos formales ſubjecto , quod comitantur , videndi exempli gratia , audiendi , aut quovis alio modo ſentiendi : quia pœnes hunc conceptum formalem intentionalem reſpiciendi objectum , ipſumque percipiendi , ſunt entitates modales , affixęque præſentiæ , propinquitati , loco , & ſimilibus , exiguntque propterea objecti pręſentiam realem in loco , ubi exhibent effectum illum formalem videndi , audiendique. Ex quo ſequitur evidenter , Chriſtum Dominum ; ſecundum quòd exiſtit in Euchariſtia , habere ſibi conjunctas materialiter , & entitativè operationes ſenſuum , actuſque omnes vitales , quos elicit in Empyreo , per concomitantiam adductos ; non poſſe tamen excipere ab eis effectum formalem videndi ea objecta , quæ percipit in Cœlo per ejuſmodi actus . Hanc itaque eſſe mentem Doct. Subtilis , uti & Seraphici , & hac via conciliari loca in ſpeciem oppoſita , quorum aliqua concomitantiam earum operationum apertè dicunt neceſſariam ; alia verò ipſam planè inficiantur , exiſtimarunt Gavatius de Sacram. Euch. diſp. 5. qu. 7. cap. 1. & 2. Joannes Irribarn. in 4. diſp. 36. cui doctrinæ , tanquam magis conſentaneæ menti Scoti acquieverunt tandem Faber, Maſtrius , Lichetus in 2. ſent. diſt. 1. q. 4., & veteres alii , ut Gadius , Tartaretus , & alii , quos laudat , & imitatur Hugo Cavellus ubi ſupra , adhærentque plures ex Scotiſtis recentioribus . Adjungunt ex mente Doctoris Subtilis , relationem contingentiæ , nec de potentia abſoluta Dei exiſtere poſſe alicubi abſque præſentia objecti , poſſe tamen divinitus fieri , ut viſio aliqua corporea tendat in objectum , quin ineludat eam attingentiæ relationem , ut docuit Subtilis Doct. in 4. diſt. 10. qu. 9. §. *Ad quantitatem ergo* : ibi : *dico quòd Deus de potentia abſoluta poſſit cauſare in oculo glorioſo , vel non glorioſo viſionem iſtius Corporis , licet iſtud Corpus nunquàm eſſet , niſi in Euchariſtia . Hoc probatur , quià viſio eſt forma abſoluta ex 1. libro diſt. 3. Ergo ſine contradictione poteſt fieri ſine reſpectu præſentialitatis ad objectum , vel quocumque tali reſpectu .*

Viſio igitur , quæ ſemel habeat illum reſpectum realem pręſentialitatis , nunquam juxta principia Scoti , illum exuere valet , adhùc divinitus . Et ſanè eſt juxtà indubitata Philoſophiæ principia , cum relatio illa non ſit extrinſecùs adveniens , nec merè prædicamentalis , ſed prædicatum intrinſecum viſioni , illique eſſentiale , phyſicè ſaltem ; ac proindè , nec ut bilocata , ſeù alibi conſtituta , poteſt , non involvere ejuſmodi relationem pręſentialitatis : nec poteſt ſubjectum ferri intentionaliter per illam in objectum , *niſi cognoſcens* (aut videns) *habeat actualiter ad objectum talem habitudinem* , inquit Doctor Subtilis quòdlib. 13. Aut igitur viſio in loco diſſito poſita exhibere nequit effectum formalem videndi ; aut videret illud , re ipſa abiens comparativè ad locum illum , tanquam præſens , non ſine paſſiva deceptione videntis ; reſurguntque cætera in ſuperioribus inſinuata abſurda . Aliundè compertum eſt ; ejuſmodi eſſe viſiones , quas Chriſtus Dominus exercet primò , & per ſe in Cœlo , terminatas ad ſuummet Sacratiſſimum Corpus , tum ad Deiparam , v. g. tum quia connaturali modo , & ſtatu , eliciuntur ; viſio autem , quę præſcindat ab illo reſpectu , ſolùm divinitus fieri poteſt , apud Scotum ubi nuper . Ergo viſiones , auditioneſque quas Chriſtus Dominus elicit de facto in propria ſpecie , & Sede Cœleſti , ad præſtantiſſima objecta terminata , etiamſi per concomitantiam deferantur ad Altare , nequeunt reddere formaliter videntem ex Euchariſtia laudata objecta , elegantiam vel ab imaginatione conſictam , longè , lateque ſuperantia . Ergo aut erit triſtis , miſerque in Euchariſtia , ſaltem negativè , ut ſubinfert Doctor Subtilis , vel poſitivè etiam in parte ſuprema ſpiritus ; quod pugnat per ſe cum ſtatu beatitudinis : vel à Deo infunderetur ſenſatio doloroſa : aut erumpere debet primò , & directe ex Euchariſtia in ſimiles actus ; cum ſuum Corpus habeat ibidem præſens , quod eſt objectum vincens claritate , & pulchritudine reliqua omnia ſimul accepta , è quo hauriunt plenè oculi corporis beatitudinem, inexhauſtamque voluptatem , cum juxtà Philoſoph. 7. Moral. & 10. cap. 4. ubi objectum præſtantiſſimum eſt , & ſenſus purgatiſſimus , (cujuſmodi eſt facultas viſiva imbuta

glo-

gloria), conſequatur viſionem ſumma voluptas.

Num. 57. Non enim per entitativam, purèque materialem præſentiam viſionis, intimè copulatæ cum corpore Chriſti Domini ſub ſpeciebus, pellitur mæſtitia illa negativa, aut privatio delectationis, quæ ex perceptione formali illius objecti reſultaret indefectibiliter: cum notum ſit, ejuſmodi delectationem eſſe actum vitalem, ex vitalique, & intentionali perceptione objecti tantummodo ſubortam; non autem per conjunctionem, nullo pacto ſenſibilem actu ibi, cum qualitate emortuo modo inhærente. Unde S. Thomas 1. 2. qu. 35. art. 1. corpore dixit: *Ad delectationem duo requiruntur, ſcilicet conjunctio boni & perceptio hujuſmodi conjunctionis*: ſequitur enim delectatio apprehenſionem boni (uti & motus doloris) ex ea objectorum perceptione externa illico reſultantem. At planè abſurdum foret admittere, aut proferre, Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia eſſe negativè ſaltem infælix, adeſſeque privatum omni voluptate beatorum corporum propria, ſui autem ſingulariſſima, ut fatetur Doctor ipſe Subtilis. Ergo neceſſariò videt, auditque per actus corporeos per ſe primò in Euchariſtia emiſſos, ſive eliciantur ab ipſa potentia viſiva, ut elevata, ſive à Deo ſolùm infundatur, ut innuit Scotus, eo quòd ſit apud ipſum qualitas abſoluta, poteuſque idcircò ab extrinſeco infundi. Quamvis ſi poteſt, quodlibet tenuiſſimæ entitatis etiam, elevari ad quodlibet, ut ſtrenua, & numeroſa Philoſophorum manus contendit, vel ad plura ſaltem, quibuſcum habeat affinitatem aliquam, & proportionem; neſcio quo jure elevabilis non erit facultas viſiva Chriſti Domini proùt in Euchariſtia inextenſa, ad viſionem ſui Corporis, producendam, ſi ſemel poſſit quâ ibi exiſteus terminare divinitus viſionem? Dum enim Doctor Subtilis ſupponit impoſſibilem divinitus eam viſionem, loquitur expreſsè de viſione terminata ad ipſum, ut Sacramentaliter exiſtentem, ejuſque ſimul exiſtendi modum, ſub quo ſtatu per viſionem verè, & propriè intuitivam ſimpliciter minimè viſibilem eſſe, putat; quidquid ſit de abſtractiva, aut præciſiva.

Ex quo neceſſaria conſecutione deducitur, quòd nec viſio intuitiva ſtrictè, quam eliciat ex Euchariſtia, terminata ad ſeipſum, quâ ibidem realiter præſentem, deferri valeat in Cœlum per concomitantiam, ſaltem quoad effectum formalem, itaùt è Cœlo contueatur per illam ſeipſum proùt ſub ſpeciebus, præſertim juxtà Scoti mentem, ob eadem omninò incommoda, quæ ex comitantia viſionis in Cœlo productæ, & ad altare venientis, colliguntur.

Infertur ſimiliter ex eadem doctrina, quòd ſi abſtractiva illa viſio, deſtituta omni reſpectu præſentialitatis (quam Scotus admittit divinitus poſſibilem) eliciatur primò in Euchariſtia à Chriſto Domino terminata ad ſeipſum, quâ abſentem, ideſt in Cœlo regnantem; nullo pacto poſſet comitanter in Cœlo traduci, itaut ex ea nova, & peregrina ipſi ubicatione cœleſti redderet Chriſtum Dominum formalitèr videntem ſeipſum. Quia cum tendentia illius, ſit eſſentialitèr in objectum, ut abſens, videret ſeipſum in propria ſpecie ſeù in Empireo ipſo ex Empireo, tanquam abſentem, & procul à ſeipſo, prout ibi, diſtantem, ſemotumque in Empyreo Cœlo à Cœlo Empyreo: quemadmodum per vitrum convexum, aut concavum. Secus autem ſi viſio illa introducatur merè præciſiva tàm ab abſentia, quàm à præſentia, vel ab eo, quod terminet viſionem ex Cœlo, vel ex loco alio; ſi ejuſmodi viſio præciſiva tantùm, aut ſaltem conjunctio illius cùm alia verè intuitiva, non repugnat ex aliis capitibus; à quo modo præſcindimus, cùm ſatis ſuperque nobis ſit, valdè probabilitèr eruiſſe ex doctrinis Scoti, communioribuſque ejuſdem principiis, neceſſitatem in Chriſto Domino, quâ ſacramentaliter latente, ſe exercendi primò & per ſe per ſenſuum externorum, internorumque actus, & reliquas vitæ corporis functiones illi proportionatas, ſine quibus foret miſer pro eo ſtatu, licèt in Corpore glorioſo.

Num. 58. Hactenus ex doctrina quaſi univerſali Doct. Subtilis, ex ejuſdemque veluti primorum principiorum radice, licuit nobis ſententiam noſtram illuſtrare; nunc autem ex ejus in puncto ſubjectæ quæſtionis verbis, ſenſuque determinato, opere pretium duximus illam munire. Verba autem ſunt illamet, quæ ſupra dedimus ex 4. Sent. diſt. 10. q. 5. quarum energiam, & ſpiritum obiter etiam attigimus. Digniſſima tamen ſunt, quæ paulo acuratiùs examinentur. Ibi namque ex eo, quod facultas viſiva Chriſti Domini in Euchariſtia non haberet ſecum comitanter adductam viſionem ſui glorioſi Corporis circumſcriptivè exiſtentis in Cœlo, arguit ſic: *Sequeretur, quòd oculus, ut hic, eſſet miſer, & cum dolore, & triſtitia. Quia quod tollit delectationem, eſt doloroſum: & tunc ſimpliciter eſſet contra appetitum naturalem ſenſitivum, quod haberet eſſe in Euchariſtia.* Hujuſmodi autem actus, motuſque doloris, de quibus loquitur, & quos ſubinſert, eſſe appetitus ſenſitivi, & non purè rationalis appetitus; manifeſtum eſt, non ſolùm quia dolor eſt paſſio animæ (ſecundum quod illa eſt forma Corporis, illudque expetit) apud Philoſophos cùm D. Thoma, & S. Auguſtino lib. 14. de Civitate Dei cap. 8. ubi producit illud ex Virgilio 6. Æneid.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras.
Reſpiciunt, clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Sed inſuper, quia propriè loquendo hæ animæ paſſiones dicuntur propterea animales a Sancto Damaſceno lib. 2. de

fide

ſide cap. 22. ex quo S. Thom. 2. 2. q. 22. art. 3. docuit, motum doloris ſtrictius ſignificare motum in appetitu ſenſitivo reſidentem, ab eodem elicitum, & ad aprehenſionem ſubſecutum; quàm motum appetitus intellectivi. Verùm quia diſertis verbis id declarat Subtilis Doctor, ut notatum ſupra fuit: & rurſus quia dolorem in Corpus derivandum ex ea privatione palam docet, non inſiſtimus diutiùs in re hac. Nunc autem ſic. dolor ille, triſtitiaque ſenſibilis, quæ reſultaret in Corpore ex dicta privatione viſionis, vexaretque appetitum ſenſitivum, non reſultaret primò, & per ſe in Cœlo, cùm ibi nullo pacto adſit inimica ea privatio. Siquidem potentia viſiva, prout ibidem, eſt compleriſſima, fruiturque objecto ſuo præſtantiſſimo, cujus privatio excitaret motum doloris, totumque inferiorem hominem luctu, mæroreque, velut nigris veſtitum redderet. Proiodè quâ ibi florens Chriſtus Dominus eſt prorſus incapax doloris, etiam prout noſcens carentiam viſionis ſui Corporis in ſeipſo, ut ſub ſpeciebus abſcondito. Admodum quo dum novit, membra Corporis ſui myſtici, quæ erant propria illius arctiſſimè, quæque diligebat ſupra modum, in præceps ruere, & in perpetuam infælicitatem abire, eaque vidiſſet, ut videbit oculis corporeis univerſim in extremo judicio, nullum iodè motum doloris, aut mæſtitia experitur, nec poteſt experiri, ſiccisque oculis videbit damnatorum pœnas acerbiſſimas. Ergo ſenſationes illę neutiquam ineſſent Euchariſtiæ per concomitantiam, ſed forent ibidem primò elicitæ, vel à Deo infuſæ, eſſetque Chriſtus Dominus ſimul Beatus in parte ſuprema ſpiritus, & doloribus circumdatus in pomærio. ſicuti dum paſſibilis torqueretur in Cruce, & deliciis afflueret mente.

Num. 59. Hæc autem ultima illatio, non tantummodo rectè, legitimeque, verum & evidenter colligi videtur ex præfata D. Subtilis in re ſubjecta, doctrina. Quæ, ut jam aoimadvertimus, ne petat principium, vel potiùs, ne ſibi implicet, ſupponit virtutem connaturalem in Chriſto Domino, prout in altari, ad eas operationes eliciendas: vel ſaltem poſſe divina virtute, & miraculosè ſub ea hypotheſi eaſdem mittere. Quamquam id adhuc inſufficieos appareat ad illationem Scoti (niſi ſupponat illi debitam pro ea hypotbeſi ſenſationem doloroſam, ut ſupra attigimus), ſiquidem poſſet Deus prædictum miraculum pro libito non patrare, immo non eſt cur illud patraret in poſitivam afflictionem Corporis Chriſti Domini poſt reſurrectionem. Et aliundè D. Subtilis eam illationem colligit, tanquam plane, & per ſe ſubſecutam. Cùm aliundè mæror ille, doloriſque motus reſultare minimè poſſit in parte ſuperiori beata, ut per ſe notum eſt. Et ſanè adhuc divinitus, cum ſint actus inter ſe oppoſiti contradictoriè, quâ parte beatitudo perfectiſſima, cujuſmodi eſt procul dubio fælicitas Chriſti Domini modò modò, includit carentiam omnis ærumnæ, doloriſque in portione beata (ni velis etiam reſtringere eſſentialem beatitudinem, vel ſuſpendere in ea hypotheſi, quod foret vagari extra quæſtionem diſſerentem de Chriſto Domino prout modò exiſtit in Euchariſtia.

Aut niſi dicas, teneri Deum io facta hypotheſi ad concurrendum miraculosè ad motum illum exactum, debitumque in illis circumſtantiis, vel ad illum infundendum; tametſi & hoc ipſum duriſſimum multis apparet. quomodocumqne tamen occurras (quoniam hoc nec muneris noſtri, nec inſtituti præſentis eſt) profecto ſi ſemel ex ea hypotheſi elicerentur de facto primò, & directè in Euchariſtia ſenſationes prædictæ; perſpicua nimis illatione ſequitur, etiam modò de facto ex Euchariſtia elicere Chriſtum Dominum, non jam truces illas, afflictivaſque ſenſationes, ſed alias oppoſitas, vel jucodiſſimas, vel etiam conducentes ad utilitatem Corporis myſtici, ſive fidelium adſtantium. Quoniam hypotheſis illa non tollit impedimentum quantitativæ inextenſionis, ob quam Doctor Subtilis negat, primò fieri ſimiles operationes ex Euchariſtia: atque adeo ſi in eo eveutu, vel divinitùs, vel connaturalitèr ex ſuppoſitione elici poſſunt, & de facto producerentur, à fortiori id ipſum contingere poteſt modò. Aliunde ſi fieri poteſt, de facto & re ipſa eliciuntur, inhærendo ejuſdem Subtilis Doctoris principiis. Ergo: &c.

Subſumpta probatur. Quia ſtando illis principiis circa realem relationem attingentiæ, præſentialitatiſque objecti, viſio ſui ipſius, quam exercet in Cœlo, ad ſeipſum, prout ibidem in propria ſpecie exiſtentem terminatam, nequit reddere Chriſtum Dominum, ut in Euchariſtia, & ex illa, videntem intuitivè ſeipſum in Cœlo, ut ſupra oſtenſum fuit ex ipſo Subtili Doctore; purificatur ergo conditio, ſumuſque in caſu bypotheſis, in qua nimirum aut Chriſtus Dominus debet exiſtere privatus viſione ſui, & omni voluptate objectorum; adeòque complemento potentiarum, & carere omni ſenſatione, ut & omni vitali functione corporis: ex quo apud Scotum oritur inevitabilitèr mæror, dolorque in appetitu ſenſitivo. aut abſurda hæc vitare debet, exercendo de facto ſenſus externos, internoſque, tum circa ſeipſum, prout ibi deliteſcentem, ſeipſum intuitivè videndo, aliqua objecta propinqua, hominum preces, cantus, laudes exaudiendo &c. Præſertim cum ipſe Scotus viſionem terminatam ad Corpus Cbriſti Domini in Euchariſtia, tametſi non ad modum, quo ibidem exiſtit, credat planè poſſibilem, ut à Deo oculo glorioſo, aut non glorioſo etiam, infuſam (etiamſi illam non reputet, aut dicat omnibus numeris intuitivam, quia modum non videt intuitivè).

Ali-

Aliter & ex eiſdem etiam principiis: juxta quæ manifeſtum eſt, triſtes illas ſenſationes (motuſque doloris) extituras in eventu privationis inculcatæ non fore bilocandas in Cœlo, aut ſaltem non exhibituras ſuum effectum formalem, etiamſi purè entitativè acceptæ adeſſent Cœlis; cum hoc per ſe pugnet cum ſtatu beatitudinis corporis in propria ſpecie, & cum ſenſationibus voluptatem ſpirantibus, & omnem dolorem mæſtitiamque procul arcentibus, ut vidimus ſupra; nec alioqui intra ipſam gloriam inducatur ferox advena, inhumanus, peregrinuſque hoſpes, jura hoſpitii violans, & beatum tentans reddere infælicem. Ergo, quamvis diverſo titulo, viſio ſui ipſius, quam Chriſtus Dominus primò producit in Cœlo, venire minimè debet, ſaltem in ordine ad effectum formalem præſtandum, cum illa poſtulet eſſentialitèr præſentiam realem objecti, quâ terminantis, ſivè prout exiſtit circumſcriptivè, & ſub eo ſtatu abeſt à viſione, quâ bilocata ſub ſpeciebus, quantum diſtat Cœlum ab hoc templo: ut igitur non ſequatur privatio omnimoda viſionis, complementique perficientis ſummopere potentiam viſivam, debet neceſſariò viſionem ſui ipſius, aliorumque emittere directè ex Euchariſtia. Et ſanè diſcurſus ex doctrina Doctoris Subtilis hauſtus tantæ molis viſus eſt mihi, ut neceſſariò ex illo colligatur, vel adeſſe in beatitudine triſtitiam, & in corpore glorioſo dolorem; aut Chriſtum Dominum ſpeciebus Euchariſticis velatum exequi de facto in actu ſecundo corpoream vitalitatem, ſpirareque vitalis corporis odorem.

SECTIO QUARTA.

Firmatur rationibus, ſive potiùs congruentiis, quamquam ſatis efficacibus, ſatiſque perſpicuè ex communi Theologia deductis, & è fontibus Scripturarum ſalientium hauſtis, Aſſertio noſtra.

§. I.

Num. 60. QUAS producam non auſim appellare rationes ſimplicitèr, cum factum miraculoſum perennitèr ſuperans, non ſolùm naturæ, ſed intellectus humani ſphæram, & intra maximi arcani viſcera deliteſcens, dum nec à fide ſancta apertè docetur, nec in Conciliis definitur, nec ab Eccleſiæ Patribus clarè traditur: nec inſuper à Theologis rationum momentis plerumque ſtatuitur, ſed levitèr, obiterque examinatur; nec via aliqua, aut experimento à nobis percipitur; ægrè ratione à priori ſuaderi valet; ac proindè ſolùm per congruentias, conjecturas prudentes, illationeſque remotas ex principiorum fidei ſublimitate altè derivatas, promoveri debet. Speramus attamen, argumenta noſtra futura Majeſtate Theologiæ, & materiæ ſubjectæ digna, peritorumque defæcato judicio non improbanda.

Sit primum argumentum mihi ſanè urgentiſſimum. Abſurdum omninò eſt, ſi non temerarium, dicere, Chriſtum Dominum in Euchariſtia eſſe de facto privatum omni vita actuali corporea, comparata per ſenſus tam externos, quam internos: ſive illa habenda ſit unicè per concomitantiam operationum in Cœlo productarum, ut opinatur vulgaris ſententia; ſive per actus immanentes, ibidem activè primò elicitos (vel à Deo infuſos) ut aſſertio noſtra contendit; non enim ſupereſt modus alius obtinendi de facto vitam actualem ſenſitivam: cum ſit exploratum omnibus, nequaquam vivere de facto per ſenſationes ab alio Agente creato ab extrinſeco infuſas; ſi autem de potentia abſoluta à Deo infunderentur, pertingeret in primis metam aſſertio noſtra, maximè cùm eo ipſo haberet humanitas Chriſti Domini paratam ad nutum partis ſuperioris omnipotentiam in ordine ad eas operationum infuſiones jugiter excipiendas. Deindè cùm, apud omnes propè, ſenſus Chriſti Domini ſint per Divinam virtutem elevabiles tanquam inſtrumenta conjuncta ad operandum: cumque ad ſimiles operationes mirabiles omnipotentiæ in Chriſto Domino, aut medio ipſo aliquatenus efficiendas, conſentaneum ſit, ut ipſe virtute ſua inſtrumentaria concurrat: idcirco viderit, qui deneget influxum illum activum ſenſibus, ſi ſemel, non per comitantiam, num ſit conſultiùs, quod per productionem in Euchariſtia directè elicitam gaudere debeat de facto Chriſtus Dominus vita corporea ſub ſpeciebus. Jam ſic. Sed exiſteret in Euchariſtia de facto planè deſtitutus ea vita, ſi non eliceret activè ex ipſa Euchariſtia laudatas vitæ corporis functiones. Ergo Servator noſter, quâ Sacramentaliter præſens ſub accidentibus panis & vini emittit primò, & per ſe immanenter vitaliterque eas ſenſationes, alioſque ſubinde actus originem ab illis ducentes. Major nec litem ſuſtinet, nec permittit, ut abundè colligitur ex dictis ſect. proximè præterita: ex conſenſione Theologorum; & ex eo quod alioqui, malè ſe haberet in Euchariſtia: repugnaretque ſtatus ille ejus ſummæ fœlicitati, cùm exiſteret privatus viſione primarii objecti beatificantis Corpus, & reliquis operationibus vitæ corporis, quæ ſunt ultimum complementum, ultimaque perfectionis vivendi meta, ut ex Doctore Seraphico, & Subtili, Sapientumque omnium voto ſupra conſtitit.

Minor vero efficaciſſime perſuadetur. Chriſtus Dominus, quâ Sacramentaliter in altari præſens nobis, nullas habet de facto per concomitantiam ſenſationes, ſive actus vitales miniſterio ſenſuum comparatos, ex eis, quos elicit in Empyreo; immo nec eas operationes in Cœlo exercitas deferre valet ſecum in Euchariſtiam ſine novo miraculo,

& qui-

& quidem pari, ſi non majori, illi, quod interveniret, ſi activè in eas erumperet primò ex Euchariſtia inextenſus, incapaxque naturaliter contactus phyſici. Ergo ſi ejuſmodi operationes immanentes nequaquam per ſe primò eliceret ſub ſpeciebus, adeſſet ibi omninò deſtitutus vita Corporis, & inſtar emortui. Conſequentia eſt legitima. firmatur antecedens multipliciter; &, uti credimus, ſolidiſſimè, tam juxta principia Philoſophiæ, quàm Theologiæ Sacræ, alioqui Adverſariis familiariſſima; quin & juxta principia fidei, ſi nimiùm non deſipimus: non enim decerni potuit hujus facti miraculoſi perennitas in inſtitutione magni Myſterii, quin Divina Providentia facem aliquam tametſi ſuboſcuram, in revelatione, & doctrina ipſius Euchariſtiæ incluſam, & quantumvis è longinquo (quia non omnia expreſſè revelare expediebat) præfulgentem, & intra caliginem ipſam radiantem, prætulerit.

Num. 61. Primò. quoniam eatenus, apud obſiſtentes nobis Scholaſticos, operationes vitales, ſive præcedentes conſecrationem, ſive exercitæ in Cœlis poſt illam, venire debuiſſent per concomitantiam, ut veniunt prædicata permanentia ex doctrina D. Thomæ 3. par. quæſt. 76. art. 1., & ex Tridentina Synodo ſeſ. 13. cap. 3. quatenus vi naturalis connexionis, conjunctioniſve, qua partes Corporis Chriſti Domini jam non ampliùs morituri, inter ſe copulentur, ita connectuntur, ut nequeat una pars exiſtere in loco aliquo, aut aliò deſerri, quin connaturali quadam neceſſitudinis lege reliquæ conjunctæ comitentur ipſam: itaut abſque violentia rebus facta non poſſit Deus illum comitatum impedire, teneaturque propterea cùm eis concurrere, ex ſuppoſitione primi miraculi, ad ſupernaturalem replicatam præſentiam illis conferendam (quemadmodum ex trita Philoſophia evidentique experimento compertum eſt, motis nobis, moveri omnia quæ ſunt in nobis) dummodò ſit res loco prior, ſeu à loco determinato independens. Et dummodo eodem filo nulla operatio materialis hujuſcemodi fieri poſſit miraculosè in Euchariſtia à loco, & Agente extrinſeco independens, quin pariter per concomitantiam deferatur in Cœlum; cùm ratio connexionis ſit mutua, & utrobique eadem. Sed hæc ratio, quamquam convincens ſit prorſus circa prædicata permanentia, ſeſeque viciſſim poſtulantia; nihil attamen probat, immò fallit planiſſimè, circa operationes vitales non permanentes ex ſe, ſed volubiles (idemque eſt de purè ſpiritualibus, ſi excipias viſionem beatam, amoremque pariter beatificum, & fruitionem inde ſubſecutam, quoniam ex ſe immobilitèr perſiſtunt, & ab ſtatu ipſo gloriæ vehementiſſimè expetitur perpetua eorum duratio). Corruit ergo comitantia illa reſpectu operationis vitalis, inducta ab oppoſita ſententia, cadente ſimul ejuſdem ratione potiſſimoque, ſi non unico, illius fundamento. Major eſt contrariæ opinionis baſis.

Minor probatur. quia licèt prædicata, tam ſubſtantialia, quam accidentaria permanentia, & intrinſecè permanenter copulata Chriſto Domino, exigant determinatè connaturalitèr uniri cum ipſo permanenter, viciſſimque determinatè, & perſiſtente exigentia expetantur ab ipſo; operationes tamen vitales facilè mobiles, volatileſque, quæ licet ex ſe inſtantaneæ durationis minimè ſint, ex natura tamen ſua ſunt facilè mobiles, & à nutu voluntatis pendentes, nullatenus determinatè, hæ ſcilicet præ aliis poſtulantur, ſed disjunctivè tantummodò has, ſcilicet, vel illas, immò interdum pro ſpatio aliquo temporis nullas, dum vellet quis otiari in ſenſu aliquo, non videre, exempli gratia; & multò minùs exigitur earum permanentia; quamquam appetantur determinatè ſenſus, aut potentiæ, è quibus profluunt. Sed unio, aut conjunctio actualis, quæ non includat mutuam extremorum exigentiam, perſeverantemque ex natura ſua connexionem, inſufficiens omninò eſt ad eam comitantiam neceſſariò inducendam; nec de illa egit ibi Tridentinum, nec S. Thomas de illa diſputat in allegato loco. ergo &c. Major nullo negotio patebit. ſiquidem æquè benè, & interdum melius ſe habet Potentia, aut ſenſus, abjectis his numero operationibus, aliiſque loco earum ſubſtitutis, itaut pars fœlicitatis ſit in ſenſibus beatorum ipſa viciſſitudo operationum (per ſe loquendo, & præciſivè ab operationibus beantibus) ut non modò ex objectis gratiſſimis, ſed ex ipſa varietate operationum voluptatem capiant, ad inſtar paſſerculorum hinc indè irrequieto gyro, potius quam volatu exultantium, qui modò aſſultibus canunt, modò ſilent, interdumque pignora ramo credita inviſunt: nec liberiori tantùm aura fruuntur, ſed puriori aura libertatis. Quamobrem tametſi quies, ſedere v. g. ſit per ſe expetibile frequenter, ſi tamen perpetua eſſe deberet ſeſſio materialis, & neceſſària, miſerum efficeret ſedentem, eſſetque labor intolerabilis otium illud, potius quam requies, juxta illud Maronis.

Sedet æternumque ſedebit Infælix Theſeus.

Tum inſuper, quoniam ſummum bonum duntaxat clarè viſum rapit fortunatiſſimo libertatis interitu; in reliquis verò præferendum bonum libertatis delectationi hujus objecti particularis, quin & propè omnium ſimul ſenſuum: cùm jucundum ſit nonnunquam ad breve aliquod tempus carere materiali oculorum viſione, motu, auditioneque, ut contingit non ſolùm dormientibus, & profundè orantibus, ſed & his, qui rerum ſpeculatione extra ſe rapiuntur, aut intra ſe nimium occupantur.

Num. 62. Tum denique. quoniam, vel ipſiſmet beatis poſt reſurrectionem liberrimum erit, oculos huc, illuc pro nutu flectere, ſtare, aut moveri; exoticumque foret dicere, aut ſomniare omnes eorundem

actus

Digitized by Google

actus futuros immutabiles ad inſtar viſionis beatificæ. Et dum hujuſmodi nonnihil innuere viſus eſt Guillielmus Pariſienſis, maximè circa potentiæ viſivæ actus, & vendicatur ſolicitè à ſuis, & deſeritur pari ſolicitudine ab omnibus: de quo videndus P. Henao de Cœlo Empyreo exercit. 32. ſect. 2. Licet enim potentia emittens ex imperio voluntatis operationem aliquam, illam expetat, eademque plerunque delectetur, dum voluntas ipſam conſervare decernit; hæc tamen appetitio, qua fertur in illam determinatè, elicita potiùs eſt, quam innata, mutabiliſque, & propterea crebrò mutatur. Connexio autem quæ deſideratur ad concomitantiam ex natura rerum, & per ſe neceſſariò adſtruendam in Corporis bilocatione, eſſe debet, aut fundari in mutua partium permanentium exigentia connaturali, & innata rebus ſecundùm ſe, vel ratione ſtatus conſiſtentis ad quem ſupponitur evecta. Verùm hæc accedunt jam ad ultimæ minoris Provinciam, propriamque illius juriſdictionem, propterea que ipſi committenda. Illam autem perſpicuam reddunt ſequentia.

Primum ſit. quoniam ſi quælibet vera realis unio, aut intima conjunctio duorum cogeret ad concomitantiam illam, dum unum ex extremis divinitus exiſtit bilocatum, & dum illud, quod comitari debet, eſt independens à loco; à fortiori dicendum eſſet, accidentia Euchariſtica unita realiter Corpori Chriſti Domini in altari, juxta communiſſimam, ſolemnioremque Adverſariorum doctrinam; ſive unio illa phyſica ſit formalis, ſive activa, attractivaque ab invicem; cùm juxta omnes, ſit vera realis connexio, & conjunctio, vi cujus inſeparabiliter Chriſtus Dominus, immobiliterque ſub illis adeſt, quandiù illa exiſtant incorrupta, cùm ipſiſque inevitabiliter movetur, dum illa à Sacerdotibus circumferuntur. Cumque præſata unio mutua perſeveret eadem prorſus, tam in hoc, quam in diverſo, aut diſſito loco, quo illa ferantur, conſequenterque independens à loco, uti & independenter ab Agente extrinſeco creato, & approximato ſolùm huic loco; quandoquidem, vel ab ipſa Humanitate Chriſti Domini elevata producitur ea unio, & conſervatur, ut frequenter docent Adverſarii, vel à ſolo Deo. A fortiori, inquam, dicendum foret, accidentia Euchariſtica non poſſe non adeſſe etiam Chriſto Domino in Cœlo bilocata. Hanc autem illationem perabſurdam eſſe, & à ſana doctrina alieniſſimam, norunt, & fateri tenentur omnes; illam tamen urgentiſſimè deductam eſſe ex contraria opinione, ejuſque fundamento, prorſus indubitatum apparet, cùm ſit penitus juxta illius principia: patetque ex nuper dictis, quin novis reflexionibus opus ſit. Subindèque neceſſariò tenendum, nequaquam ſufficere unionem, tametſi intrinſecam, realemque; ſed inſuper requiri mutuam partium exigentiam (quæ neutiquam reperitur inter accidentia Euchariſtica, & Corpus Servatoris noſtri) in qua fundetur naturalis connexio, perſeverantiaque in mutua unione ex natura extremorum, & non per accidens ex voluntate Dei illis ſuperveniente.

Quocirca fruſtra diceres, accidentia Euchariſtica affigi beneficio illius unionis Corpori Chriſti Domini quà inextenſo, & Sacramentaliter exiſtenti; conſequenterque inèſſe minimè poſſe per bilocationem Corpori ejuſdem extenſo circumſcriptivè in Cœlis. Hæc enim neutiquam foret evaſio, ſed inutilis circumlocutio. quoniam accidentia illa in primis non alligantur eſſentialiter Corpori Chriſti Domini ratione unionis, cùm non ſint entitates modales, ſed entia abſoluta, quamquam unio ipſa affigatur illi. Rurſus. non minus accidentia, quæ illuſtrant Corpus Domini in Cœlo, poſtulant illius extenſionem, quam Euchariſtica inextenſionem; immo hæc præfatam inextenſionem, ut pote ſupernaturalem, nullo pacto exigunt; illa vero extenſionem, ut ſibi, & ſubjecto connaturali jure debitam, expetunt omninò: & nihilominus cœleſtia illa comitari debent Corpus extenſum ad inextenſionem, ibique permanere ſimul. Ergo & è converſo & à fortiori Euchariſtica. Demum. quia indè neutiquam probaretur, hæc numero accidentia, ſive has numero ſpecies Euchariſticas, ſub quibus modò in hoc altari adeſt realiter preſens Corpus Chriſti Domini, non eſſe bilocatas in reliquis altaribus, lociſque, ubi adſit Sacramentaliter, ſimulque cùm aliis numero penetratas; & ſic omnia viciſſim accidentia Euchariſtica infinities replicarentur, ſumeretque omnis communicans eaſdem numero ſpecies conſecratas, quæ exiſterent eo tempore in tota Eccleſia, eamdemque numero Hoſtiam, omnes tunc accedentes ad menſam Divinam exciperent, ſicut recipiunt idem numero Corpus Servatoris; atque adeo laterent intra has numero ſpecies conſecratas, non tantummodò Corpus Chriſti Domini, cujus ſunt ſignum, ſed inſuper ſpecies aliæ propè innumerabiles, forentque quodammodò ſignum, & Sacramentum alterius integri Sacramenti, (alterius, inquam, numero partim) aut potiùs quaſi infinitorum.

Num. 62. Nequidquam pariter diceretur: unionem illam, tametſi formalem, aut effectivam, & in ea acceptione realem, veramque, non eſſe unionem actus cùm potentia, cujuſmodi eſt unio operationum vitalium cùm principio, ſubjectoque elicitivo, & receptivo ſimul earum, & cujuſmodi eſt etiam nexus aliarum qualitatum ornantium Corpus Chriſti Domini in Cœlis; & hanc eſſe penitus neceſſariam, primam vero inſufficientem. Contra enim. quoniam attenta hac reſponſione, aut fuga potiùs, Sanguis Chriſti Domini nullo modò poneretur ſub ſpeciebus panis comitanter; immo nec anima ſub ſpeciebus vini, cùm nec Sanguis uniatur cùm corpore, veluti forma illius,

nec ut ſubjectum , ſed in illo contineatur , tanquam in vaſe , per illudque fluat , vel circulet , velut aquæ fluminum per alveum , Neque anima eſt forma ſubſtantialis Sanguinis in frequentiori Philoſophia , nec inter ſe immediatè nectuntur vinculo unionis ſtrictæ , Fallit igitur multùm præfata reſponſio ; conſequenterque , ideo ſe mutuò comitantur Corpus , & Sanguis , & anima , quia ſunt partes realiter connexæ ; conjunctione importante reciprocam partium illarum exigentiam in ordine ad conſtituendum permanenter unum totum ; tametſi non præcisè media unione rigoroſè uſurpata , perfectiorique , cujuſmodi eſt , quæ nectit actum cùm potentia . Siquidem ea mutua partium exigentia ad ejuſdem totius conſtructionem, ad reciprocamque connexionem immutabiliter , præſuppoſita , tenetur Deus, ex hypotheſi , quòd unam replicare velit , attemperare ſe rei bilocatæ exigentiæ , aliaſque propterea replicare ſimul cùm illa , Et hæc eſt vera radix concomitantiæ , quam adumbrarunt Patres , quam expreſſit Div. Thomas , & quam ſupponit Synodus Tridentina .

Contra 2. quoniam falſum eſt omninò apud Adverſarios , quòd ſolùm ponantur per concomitantiam ſub ſpeciebus , ea quæ ſe habent , ut actus , vel potentia reſpectu partis bilocatæ ; cùm quælibet alia realis conjunctio apud ipſos ſit ſufficiens : eo plane modò , ac ſufficit in motu locali ad trahendum ſecum per accidens extremum ſic conjunctum ; alioqui titulo præfatæ alligationis realis non deſerretur Corpus Dominicum , quòcumque abirent ſpecies conſacratæ ; ſed alio titulo contra quòd laudata opinio plerumque docet , Sic dum vel Rheda , vel Navis movetur , fert ſecum omnem ſarcinam aut pondus intra illam exiſtens . Unde Subtilis Doct. in 4. diſt. 10. qu. 6. obiiciens ſibi eandem Philoſophiam : *quòd movet aliquid per ſe . movet per accidens quidquid eſt in illo.* Reſpondet : *quòd illa propoſitio prima per ſe falſa eſt , niſi intelligatur de illo quòd eſt in motu , vel ſicut actus in potentia , vel ſicut pars in toto , vel ſicut aliquid neceſſitate naturali conjunctum , ut grave illi , cui innectitur* . Sicut igitur Sacerdos movens Hoſtiam per ſe , movet neceſſariò per accidens Corpus Chriſti Domini , ſive efficit , ut teneatur Deus ex ſuppoſitione conjunctionis Corporis Chriſti Domini cùm accidentibus , ſive per ſeipſum . ſive elevando ſpecies , vel Sacerdotem , juxta Patronos oppoſitæ ſententiæ , ad illud movendum : ita tenetur Deus apud eoſdem Theologos ad bilocanda extrema eodem , aut pari modò conjuncta . Ergo à fortiori deberet ſimiliter replicare accidentia Euchariſtica , deferendo illa ſimul ad Corpus Chriſti Domini , prout in propria ſpecie emicat in Empyreo .

Contra 3. quia juxta dogmata fidei noſtræ , certum eſt , unionem illam ejus indolis eſſe (quomodocumque explicetur) ut vi illius ſpecies , dum perſiſtunt incorruptæ , inſeparabiles ſint à Corpore Chriſti Domini ; ſicut & viciſſim Corpus Sacroſanctum nequit ſeparari ſimpliciter ab ſpeciebus , dum perſiſtant incorruptæ . Nulla autem ſtrictior connexio eſt inter actum vitalem , & ejus potentiam , quamvis ſit alterius ordinis , & rationis . Ergo aut hæc non cogit naturaliter ad replicandum actum unà cùm potentia ; aut cogit pariter ex natura rerum , in eodemque ſenſu ad replicandas ſpecies conſecratas , ubicumque ſit realiter præſens Corpus Dominicum . quòd foret abſurdiſſimum . abſurdius tamen adhuc , quòd debuiſſent ferre ſecum Corpus inextenſum Chriſti Domini in Cœlum (& in reliqua altaria) titulo ejuſdem connexionis , illudque reſtituere propriæ ſedi , quamvis larva peregrina tectum , & ſub illa fœlicisſimæ urbis civium oculis nunquam pervium .

Num. 64. Vana tandem foret evaſio confugientis ad Scotiſtarum , aliorumque opinionem , quæ inficiatur omnem illum realem nexum inter Corpus Chriſti Domini , & ſpecies panis , & vini ; exiſtimantium , alligationem illam eſſe purè extrinſecam , & in pacto divino tantùm ſitam , tempore inſtitutionis hujus arcani nobiſcum inito . Porrò diſcurſus noſter repellit per ſe , & directè concomitantiam , ſupponendo principia communitèr recepta ab ejus defenſoribus ; etiamſi nonnulli Adverſariorum diſſentiant à reliquis in radice illius deſignanda : in ea autem unione reali , & neceſſitudinis vinculo , hac , vel illa via ſtabilienda conſentiunt plerique illorum . Secundò . licet in ſententia Doctoris Subtilis ea alligatio ſit extrinſeca phyſicè , utpotè in divino beneplacito , pactoque conſiſtens ; moralitèr tamen intrinſeca eſt Corpori Domini , & ſpeciebus , non minùs quàm eſſet phyſica unio , aut connexio realis (quibus æquivalet) à reliquis adſtructa . Quamobrem , ſicut vi hujus teneretur Deus ad movendum Corpus Chriſti Domini , motis ſpeciebus ; quin & ad movendas ſpecies , ſi miraculoſè corpus per ſe directè moveretur ; ita conſequenter in doctrina Scoti , & eorum , qui illius veſtigia premunt hìc , tenetur ad novam corpori præſentiam conferendam , dum ſpecies moventur à Sacerdote . Debet ergo paritèr deferre ſpecies per concomitantiam ad omnia loca , in quibus replicetur Corpus Chriſti Domini , vi ejuſdem pacti , aut obligationis .

Si ſubjiceres , minimè fuiſſe initum eo modo pactum , cum replicatio hæc eſſet otioſa ad finem Euchariſtiæ ; unionem verò inter actus vitales , & potentiam , utpotè phyſicam , intrinſecamque non poſſe non comitari extremum bilocatum , ſecumque ferre aliud . Voluntarium effugium concipis , ſi ipſum aliter non explices . Rursùs , pactum illud , in quo ſita eſt alligatio extrinſeca , juxta Scotiſtas efficit id ipſum , quod alligatio realis intrinſeca ab aliis ſtatuta,

tuta,

tuta, cui planè æquivalet. Argumentum igitur, quod probat, ſpecies deferre ſecum ad omnem locum, in quo exiſtat Corpus Dominicum vi alligationis realis intrinſecæ (ſi ſubſiſterent principia vulgatæ acceptionis concomitantię) probat eadem vi, tametſi permittatur doctrina hujus reſponſionis. Cum igitur indubitanter modò credendum nobis ſit, nullibi adeſse, aut ire poſse, ſpecies conſecratas, quin ibidem pariter ſit præſens Corpus Servatoris noſtri; idcircò neceſſariò videtur aſserendum, alligationem illam extrinſecam habere eaſdem omninò vires, quas ſortiretur alligatio intrinſeca phyſicè; & in ea hypotheſi reſumit vires ſuas diſcurſus à nobis factus; quamquam revera illum producimus ſolùm juxta principia communioris ſententiæ; qui ſeorſim, & veluti ſecundùm ſe conſideratus perſuadet; ad hominem vero acceptus, convincit. Ægre namque excogitari, aut aperiri poteſt via, qua evadat diſcrimen aliquod ſolidum. Si dixeris: ſpecies, nec adeſſe poſſe circumſcriptivè in Cœlo, quia illæ ſunt ex ſe extenſæ in Euchariſtia, & nequit res aliqua materialis exiſtere circumſcriptivè in duplici loco; neque inextenſo modo, quia Corpus Chriſti in Cœlo quantitativo modo exiſtit, fierique nequit ea inextenſio accidentium ſine ingenti miraculo; utrinque ſalleret reſponſio. quoniam, & corpus poteſt divinitùs exiſtere in duplici loco, ut omninò ſentiendum docent plerique; & quamvis oppoſitum permittatur, ſi jure connexionis debeant replicari, aderunt modo, quo poſſunt, licèt miraculo opus eſſet, ſiantque inextenſæ. Sicut qualitates venientes eo titulo in Euchariſtiam, exiſtunt ibi modo inextenſo, & quidem non abſque miraculo, ut fatentur paſſim contrarii. Neque legem ſtatuere vales pro tua comitantia; quam non patiaris ipſe.

Num. 65. Secunda illius minoris probatio (qua ſimul & confirmatur, & urgetur diſcurſus nuper factus) ſit. Deus poteſt miraculosè bilocare Hoſtiam nondum conſecratam, ut quomodò exiſtit Romæ, exiſtat ſimul Neapoli; & quidem utrobique circumſcriptivè, juxta nobilem admodum Theologorum cœtum; inter quos recenſentur plerunque Adverſarii, ex quorum opinione præſentem diſcurſum elicio. Vel in ea hypotheſi, ſi Romæ conſecraretur Hoſtia illa in hoc altari, ſortiretur effectum naturali jure alligationis conſecratio etiam Neapoli, vel nonniſi tantùm Romæ? Si primum illud; roboras firmiſſimè hoc extremo diſcurſum nuper confectum. Porrò non major, aut intimior eſt alligatio ſpecierum conſecratarum ad Corpus Chriſti Domini, quam hujus ibi realitèr præſentis ad ſpecies, ut certum eſt, cum ſit mutua, & utrinque inſeparabilis æquali jure, ut fatetur, & docet paritèr contraria ſententia. Ergò ſi titulo prædictæ alligationis ſpecies, quæ conſecrantur Romæ, quia inveniuntur replicatæ Neapoli, debent paritèr Neapolim deferre Corpus Chriſti, eo quod ipſæ nequeant exiſtere Romæ conſecratæ, & divinitùs abſque ſubſtantia panis ſubſiſtentes, & Neapoli inhærentes ſubſtantiæ panis (ne reſultet contradictio tantopere exagerata ab Adverſariis); neceſſariò è regione Corpus Chriſti Domini quantitativo modo refulgens in Empyreo, debet trahere ad ſe ſpecies conſecratas, titulo unionis, & quaſi affixionis, quam habet ejus corpus in Euchariſtia, ipſeque Chriſtus Dominus ex integro, ad dictas ſpecies, cum ſit idem numero corpus in altari, & in cœlo, eodem pacto, ac forent eadem numero accidentia panis Neapoli, & Romæ in facta hypotheſi.

At hæc illatio eſt abſona prorſus apud omnes. Ergò (ſi verum ſit hoc extremum) comitantia in illo eventu hypothetico nullatenus proveniret ex debito connaturali præſuppoſitæ unionis, & alligationis realis, quam ſupponimus intrinſecam; eo quòd non ſit affixio ex natura, & mutua exigentia extremorum ſecundùm ſe, ſed proveniret extrinſecè ex inſtitutione divina, aut promiſſione, quam noluit Deus extendere, aut ſe obligare ad conſtituendas ſpecies conſecratas ubicumque fuerit corpus, ſicut promiſit conſtituturum indefectibilitèr corpus ubicumque adeſſent ſpecies conſecratæ. Si velis dicere, corpus non eſſe adæquatè unitum ſpeciebus; tametſi ſpecies uniantur adæquatè corpori, ut ex eo capite diſcrimen haurias; acquieſcam facilè, dummodò liceat mihi paritèr dicere, operationes volubiles, facilèque accedentes, & abeuntes, uniri adæquatè principio elicitivo earundem; non ſic autem è converſo. Liceretque aliis dicere paritèr, ſpecies conſecratas poſſe divinitùs bilocari, quin deferant ſecum corpus ſub illis contentum in hoc altari; proindeque neç eſſe illi adæquatè copulatas.

Prætereà repeteres principium. quoniam ideò ex parte corporis non foret adæquata unio, aut alligatio, quia poteſt illud exiſtere circumſcriptivè in Cœlo abſque eis ſpeciebus; licèt vice verſa hæ, ſemel conſecratæ, exiſtere nequeant alicubi ſine Corpore Sanctiſſimo, & aliundè primum illud contingere non poſſe ratione unionis, convincit argumentum, ſi principia contraria ſubſiſterent. Eodem igitur modo operationes volatiles, cùm mutua utrinque exigentia, naturalique connexione, venire nequeant neceſſariò (uti veniunt qualitates permanentes) ſolùm ex divina promiſſione comitari deberent. Et aliundè hoc minimè nobis conſtat, nec apparet univerſim utilitas tanta comitantiæ earum operationum, uti vi illius polliceri voluiſſet Deus earum adventum ſemper comitanterque. Eo quòd ubi ex natura rerum non adſit ea connexio, exerceri nequit abſque formali per ſe miraculo, & non præſuppoſitivè duntaxat, ut planum eſt. Ne autem alligare videamur ratiocinium

hoc opinioni bilocationis circumſcriptivę, quamtumvis receptiſſimę inter Scholaſticos, qui nobis refragantur; non tamen arridenti omnibus: ponamus Hoſtiam nondum conſecratam exiſtere circumſcriptivè Romæ, & ſimul miraculosè conſtitui Neapoli inextenſam, & ad indiviſibile redactam, ut fieri poſſe per potentiam abſolutam docemur à fide Orthodoxa exemplo Corporis Chriſti Domini. Sapè in illo caſu, per hoc ſolùm quòd Hoſtia conſecraretur Romæ, non exiſteret tantummodò Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus Romæ, ſed inſuper Neapoli, juxta doctrinam hujus extremi, ex quo arguimus. Et nihilominus, ut Romæ, eſſet verum Sacramentum Euchariſtiæ; Neapoli tamen ejuſmodi non foret, quamquam Corpus Chriſti Domini adeſſet realiter ibi etiam præſens. Eo quòd Sacramentum eſſe nequeat, ni fuerit ſignum ſenſibile nobis. Et aliundè ſpecies omnino inextenſæ, & veluti ſacramentalitèr etiam ipſæ exiſtentes, videri nequeunt, ſaltem naturalitèr, (quin apud plures nec divinitus) uti nec ſenſu aliquo percipi. Sicut igitur contradictio tum nulla foret in eo, quòd illæ ſpecies conſecratæ, Romæ eſſent verum Sacramentum, aut ſignum; ſecus autem Neapoli: quoniam eſſe, vel non eſſe ſignum pendet ab extenſione vel inextenſione omnimoda rei; extenſio autem, & inextenſio dicunt per ſe ordinem ad locum. Ita videre hoc objectum ex Cœlo; & non videre ex Euchariſtia importat abſentiam, aut propinquitatem objecti, quæ per ſe dicunt ordinem ad locum; ſubindeque nullam importaut contradictionem: quòd eſt unicum, vel ſaltem potiſſimum fundamentum adſtruendæ concomitantiæ univerſim, etiam ubi naturalis connexio id non poſtulat; cum revera tunc naturalis ratio poſtulet potius oppoſitum, vel ſaltem non habet, unde illam ſtatuat, niſi comitetur rationem voluntas.

Num. *66*. Qui præferret ſecundùm extremum, aberraret diu, & multùm, abſolutè & ſecundùm ſe; nobis autem arma miniſtraret. Quoniam ſi ſemel eadem numero Hoſtia eſſe poſſet Romæ conſecrata, & Neapoli non conſecrata, cum utrobique ſint prorſus eadem accidentia. Si rurſus ſubſtantia panis Romæ eſſe poſſet deſtructa converſaque in Corpus Chriſti Domini, & Neapoli poteſt exiſtere abſque ulla prorſus converſione in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini, cum ſit denominatio à loco independens; qua rationis umbra poteſt aſſeverari, contradictionem involvere, Chriſtum Dominum in Cœlo videre objectum ſibi proportionatum, & propinquum; illud autem neutiquam videre ex Euchariſtia? Quamvis enim conſecratio fiat à Sacerdote Romæ, ut ab Agente extrinſeco, procul diſtante ab Hoſtia Neapoli bilocata; effectus tamen tranſubſtantiationis, & permanentia accidentium abſque ſubſtantia panis, eſt intrinſecus accidentibus. Sicut juxta Theologos frequentiſſimè cum D. Thoma ſi Chriſtus Dominus perſiſteret in Euchariſtia, dum ſimul erat in Cruce, mortem quam ab Agente extrinſeco ſubiret in ara Crucis, oppetiiſſet ſimilitèr in ara altaris. Secundò. Si unio Chriſti Domini cum ſpeciebus talis naturæ eſt (ſive quia intrinſeca phyſicè, ſive phyſicè extrinſeca, cum debito moraliter intrinſeco) ut nequeant alicubi eſſe, aut moveri accidentia, quin Chriſtus Dominus adſit, vel moveatur ſimul cum illis, juxta fidei principia; & nihilominus ex illa unione ſolùm infertur inſeparabilis alligatio Chriſti Domini ad ſpecies, ut ſunt in loco, in quo conſecrantur immediatè, moveaturque dum illæ ex eo loco migrant in alium, primò relicto; quin debeat adeſſe ubi ipſæ divina virtute replicentur; cur liberum paritèr nobis non erit dicere, operationes vitales volubiles, non exactas determinatè, appetitu innato, (elicito enim appetuntur, eo ipſo, quòd præ aliis exerceantur), quantumvis affixas principio, à quo eliciuntur, & in loco, in quo primò exercentur; neutiquam ſequi debere ratione unionis cum principio, in quo manent, principium ipſum replicatum divinitus? Neque immorandum prolixiùs in hoc extremo confutando; eſt enim planè abſurdum, aut foret ſub ea hypotheſi. Maximè cum redoleret partim hæreſim Impanatorum: quandoquidem verificaretur, exiſtere Chriſtum Dominum ſub eiſdem numero ſpeciebus unà cum ſubſtantia panis, quamvis in diverſis locis. nec tranſubſtantiatio perfecta eſſet, cùm non deſineret ſimpliciter ſubſtantia panis; ſed relatè ſolum ad hunc locum. Adjungam duntaxat reflexionem brevem. ſi Hoſtia bilocata Neapoli non eſt ſufficienter præſens Sacerdoti Conſecranti eandem numero Romæ, ut illa, quantumvis eadem, intelligatur, ex verborum efficacia, & identitate cum ea, quæ Romæ adeſt, conſecrata; quo pacto objectum propinquum oculis Chriſti Domini in Cœlo; abſens tamen ab eiſdem, prout in Euchariſtia abſconditis (quamquam apertiſſimis) eſſe poterit ſufficienter præſens oculis, quâ latent ſub ſpeciebus, per hoc tantùm, quòd ſit præſens eiſdem, ubi primò emittunt ejus intuitivam viſionem, in Cœlis nempe; ubi neſcio, an oculi Chriſti Dñi jucundiores reddant beatos, quâ vident ipſos, an quâ ab ipſis videntur?

Num. *67*. Probatur eadem minor tertio. ex actu libero per cognitionem à fantaſmate pendentem, regulato, eorumque, qui vel ab eo imperati ſunt, vel ex eo reſultant. Actus liber primò elicitus in Cœlo à Chriſto Domino, vel dum conſecratur Hoſtia in altari debet ex connexione cùm principio, & ſubjecto replicato neceſſariò venire; aut liberè ita, ut pro nutu voluntatis Chriſti Domini comitetur voluntatem bilocatam, vel non comitetur, etiamſi perſeveret intra illam in Cœlo? Si hoc ſecundùm

dùm

dùm jam comitantia ſimilium operationum, ſive ſpirituales undique ſint, ſive materiales, titulo unionis, aut connexionis cùm ſubjecto comitari minimè debent ipſum replicatum; & ex conſequenti concomitantia, utpote nullo jure debita, adhuc ex ſuppoſitione, erit planè miraculoſa. Habemuſque propterea ſarctam, tectamque doctrinam aſſertionis noſtræ. Primum. vel patitur difficultates non facilè ſuperandas; vel noſtram etiam opinionem firmat. Quoniam aut Chriſtus Dominus in Euchariſtia actum illum miniſterio ſenſuum acquiſitum conſervat activè, eo modò ac illum conſervat in Cœlis; & ſic, quemadmodum poteſt ex Euchariſtia activè, & propriè operari, conſervando; cur non poterit, & primò producendo alium ſimilem? cùm manifeſtum ſit, virtutem, & requiſita ad operandum eſſe debere eadem utrobique? Idque vires habet, ſive neceſſariò illum conſervet, ſemel delatum neceſſariò, cùm jam activè, tametſi neceſsariò, operetur ex Euchariſtia, ſive liberè, cùm non tantùm operetur, ſed liberè valeat ceſsare ab actu (Idemque argumentum ſit de actu materiali imperato).

Rurſus. ſi neceſſariò comitari debet animam replicatam ad Euchariſtiam; vel proùt in illa, liberrimè pro nutu ſuo, quâ ſub ſpeciebus latens, illam conſervat; & ſic reſurgit inſtantia nupera, quòd nimirum inconſequenter denegatur vis primò, & per ſe activa ſimilium actuum à corpore pendentium pro eo ſtatu, pro quo ſupponitur liberrimus in conſervandis, vel in ſuſpendendis ejuſmodi actibus, cum nequeat liber eſſe, niſi valeat ſuſpendere concurſum, aut alium incompoſſibilem efficere; nequit autem eſſe potens ad ſuſpenſionem concurſus, quem nullo modo exhibere, nec excludere poteſt. Vel prorſus neceſſariò, proùt in Euchariſtia, itaùt ipſum aut relinquat neceſſariò, aut neceſſario amittat, juxtà nutum voluntatis, proùt illa adeſt Cœlo; & tunc ſequitur, in primis eundem actum eſſe formaliter liberum Chriſto Domino, & eſſe formaliter ſimul neceſſarium in diverſis locis, cum ille ſit actus loco prior, & nullam ab ipſo dependentiam habens, utpotè liber etiam ab hoc reſpectu. & ex conſequenti arguitur efficaciſſimè, perperam (ob devitanda ſimilia contradictoria in ſpeciem) aſſeruiſſe opinionem contrariam, repugnare omninò, quòd Chriſtus Dominus videat objectum aliquod è Cœlo, & quòd illud minimè videat ex altari. Proindeque, licet reflexio hæc nihil ſuadeat abſolutè, nec juxtà noſtra principia; probat tamen ad hominem; firmatque ex conſequenti principia noſtra.

Deindè. ſi actus ſit intrinſecè eſſentialiter liber, difficulter concipitur alicubi neceſſarius reſpectu ejuſdem ſubjecti, objectique; quin & eſſe ſimul liberum, & neceſſarium ſine contradictione in diverſis locis, arguit nullam eſſe repugnantiam, in eo quòd viſio materialis, etiam reddat videntem Chriſtum Dominum ex uno loco, & non ex alio. Si namque dicas, illum actum liberum in Euchariſtia, non proùt in Euchariſtia, ſed ibi, proùt alibi; pariter de viſione dicam. Idemque argumentum ſit, etiam ſi actus eſſentialiter liber non ſit, conficiendo illud ipſum ex complexo, cui intrinſeca eſt libertas: quodque radicem illam, & dominium perfectiſſimum in ſuas operationes, continet, & alit, & cum ipſo jus ſtrictum vitæ, mortiſque, non in alios, ſed in actus proprios. Ulterius. ſi nullo modo influere dicas in illius conſervationem, nec liberè, nec neceſſariò, quia ex Euchariſtia non operatur phiſicè, ſed purè intentionaliter per illum quaſi ab extrinſeco infuſum percipit objectum; opinionem duram pluribus Adverſariorum producis. Illâ tamen admiſsâ, id non ſine miraculo fieri poſſe notum eſt Adverſariis, cum non aliter per illum actum tendat in objectum, quàm ſi ab alio Agente elicitus, & à Deo infuſus illi ſub ſpeciebus foret. Ubi autem miracula perenniter neceſſaria dicenda ſunt; perperam eo titulo denegas influxum activum Chriſto Domino in Euchariſtia ad primò, & per ſe operandum ex illa; cum divina virtute omninò poſſet, ut Adverſariorum teſtimonio firmum eſt. Rurſus. hac via eſſe nequit libera operatio illa Chriſto Domino, ut in Euchariſtia exiſtenti, cum non concurrat ad ejus conſervationem ex illa: niſi per ſtultam implicationem concipias illam neceſſitatem ad liberam operationem, quòd foret idem, ac concipere veram, & ſimul coactam libertatem.

Num. 68. **Dices**. actus liber ille, utpotè ſpiritualis, non ſolùm poteſt conſervari, ſed primò fieri etiam in Euchariſtia, cum non requiratur extenſio in principio ad illum emittendum: & quamvis ad productionem cognitionis dirigentis concurrere debet phantaſma, ad quòd convertatur intellectus; attamen, ſemel producta cognitione, conſervantur, tam illa, quam volitio libera, independenter à potentia materiali. Unde & fieri poſſet primò in Euchariſtia, ſi præcedentes actus materiales per concomitantiam ſupponantur in Euchariſtia; vel etiam per hoc ſolum, quòd phantaſma adſit in Cœlo, vi miranda ſympathiæ, ut cum Doctore Eximio docuerunt Scholaſtici quamplures. Reſpondeo. illum actum liberum pendere per ſe à cognitione, & hanc ab ſpecie, in cujus productionem influit, vel ad quam omninò requiritur, phantaſma, atque adeò neceſſariò poſtulatur hoc ad conſervandum actum (niſi ad miraculum recurras) quatenus requiritur ad conſervandam ſpeciem cognitionis partialiter productivam, & conſequenter conſervativam, niſi vel alios numero actus, & ſpecies ſubſtituas, in quibus eſt eadem difficultas: vel potentiam productivam phantaſmatis, vel

prin-

principium aliud ejus vices ſupplens in conſervatione ſpeciei. Quamobrem ut in Euchariſtia liberè naturaliter conſervetur, debent à fortiori conſervari ibidem ejus principia connaturalia, quorum conſervatio, ſi à Chriſto Domino ſolùm, proût in Cœlo, vel à Deo fiat, independenter ab ipſo Chriſto Domino reduplicativè, ut in Euchariſtia adeſt; jam eo ipſo libera eſſe nequit illi, proût ibidem, conſervatio actus liberi. Si autem principia illa prærequiſita conſerventur ab ipſo, quâ ſub ſpeciebus præſente. ergo & primò ibi, & per ſe fieri potuerunt actus præcedentes, juxtà factum argumentum. Si reponas. illa ſuſpendi, aut conſervari à Chriſto, proût in Cœlo, vel à Deo, ad nutum tamen illius, proût velati ſpeciebus; philoſophiam parùm intelligibilem adducis, quoniam nutus ille explicari poſſet tantum per alium actum ſpiritualem, medio quo animum ſuum aperiret; adeoque jam immediatè liber non eſſet, ſed mediatè ſolùm, & per circultum, quaſi precibus obtinens conſervationem, vel ſuſpenſionem præfatam: & præſertim in ordine ad illum conſervandum; quoniam ad ſuſpendendum ſat eſſet, quòd influxum proprium in ipſum ſuſpenderet, dum ad conſervationem requiritur influxus poſitivus comprincipiorum. Verumtamen jam eo ipſo, ut dictum eſt, actus non foret ſimpliciter immediatè liber. Idemque ferè incommodum ſequitur, ſi tantùm ſit liber, quatenùs poſſit actum contrarium, à corpore planè independentem elicere. maximè cum nequeat eſſe potens expeditè ad actum oppoſitum, ſi nequeat ſeipſo impedire conſervationem hujus exiſtentis. Ulterius. ſi actus liber, de quo diſputamus, conſervari poſſet ſemel elicitus in Cœlo, à Chriſto Domino proût in Euchariſtia, neceſſariò ex conſequenti conſervare poterit actum vitalem corporeum imperatum, viſionem intuitivam v. g. hujus objecti, cum nec actus imperans ſubſiſtere valeat abſque efficaciter imperato; nec ſaltem aliter eſſe poſſet liber ad ipſum pro libito ſuo, ſecundùm quòd in Euchariſtia eſt, conſervandum. Et ad hunc modum philoſophica alia monſtra naſcerentur, quæ devaſtarent Philoſophiam ipſam.

Num. *69.* Ex hactenus dictis colliges diſcrimen inter comitantiam extremi conjuncti, dum alterum, cui copulatur, movetur localiter, comparando novum ubi, & antiquum deſerendo; & illam, vi cujus retenta antiqua præſentia, aliam ſimul divinitus per bilocationem acquirit. Quandoquidem in prima illa, motus terminatur purè phyſicè ad rem prout eſt tunc in loco primo, qui eſt terminus à quo motus, & defert illam ad locum, & præſentiam. *B*. Undè conducit ipſam ſecundum quòd phyſicè exiſtebat in loco. *A*. Quapropter licet potuerit incipere eſſe primò in loco. *B*. per primam ſui productionem; ut tamen terminat motum quâ talem, exigit utramque præſentiam, & utrumque terminum. Cum igitur trahat ad terminum *ad quem* ipſam rem, ſecundum quòd erat in termino *à quo*, neceſſariò trahit etiam omnia quæcunque erant illi materialiter conjuncta in eo loco, ſive illa viciſſim exigantur, connectanturque inſtar partium permanentium, ſivè per accidens reperiantur tunc eidem aliquo modo copulata: ut trahit veſtimentum, exempli cauſa, quo extremum motum induebatur, aut pondus illi ſuperimpoſitum. Et ideò Philoſophia docet ſemper tanquam inconcuſſum: motis nobis, moveri omnia, quæ ſunt in nobis. Non ſic autem replicatio divinitus facta, quippe quæ non tendit in rem, proût eſt in loco connaturali, nec reſpicit illum ut terminum *à quo*.

Immò nec præſentia replicata pendere ullo modò per ſe à naturali præcedente, tradunt, & firmant frequentiùs, qui nobiſcum hic certant: nec productio miraculoſæ præſentiæ, dum replicatur Corpus, eſt motus localis, tametſi mutatio ſit, ſed fertur in rem ſecundum ſe, quaſi præciſivè ab omni alio loco, in quo præexiſtat, vel non, & veluti ſi tunc primò produceretur; res autem ſecundùm ſe non importat, nec dicit conjunctionem cum aliis, illi merè per accidens ſupervenientibus. Quocirca nullo jure debetur concomitantia extremis, ſubjecto replicato in altero loco præcedenter exiſtenti conjunctis eo modo realiter; quemadmodum non deberetur productio eiſdem, ſi primò produceretur tunc ſubjectum ipſum; ſed tunc duntaxat debita erit vi conjunctionis, aut unionis, quandò extrema ſunt aliquatenùs ſpectantia per ſe ad conſtituendum, vel integrandum ſubjectum bilocatum, aut exigantur mutuò ſimili aliquo titulo, ab ipſo, aut ſecundum ſe accepto, aut ratione ſtatus, ad quem ſit elevatus, ſive elevetur ipſa replicatione: quoniam jam tunc poſtulat natura ipſa ſtatus bilocationem conjunctorum modo dicto, etiamſi bilocatio alium ſtatum ex ſe minimè præſupponat, ſiquidem natura ipſa rei bilocatæ id expetit, (& ſtatus, qui reipſa præſupponitur, tametſi non poſtuletur ab ſtatu ſuperveniente bilocationis). Namque in eo eventu Deus miraculosè replicans ſubjectum debet conſequenter conſtituere pariter in nova illa præſentia ſimul cum eo omnia, quæ naturaliter ſpectant ad proprium illius, ſtatuſque complementum; alioqui faceret illi injuriam, aut violentiam (ex ſuppoſitione dicta) in denegatione comitantiæ aliorum; & quidem etiamſi aliunde careret divinitus illis prædicatis in loco ubi priùs erat, & in quo illi debebantur etiam: utrobique enim inferretur illi vis, & utrobique ſine miraculo denegari non poſſent. Unde & ſi primò produceretur privata ornamentis illis, & integritate ſibi debita, quæ poſſunt illi de potentia abſoluta non conferri utrobique; fieri tamen

ne-

nequit, quòd ipſa ex utroque loco ingentibus, quantumvis emortuis, clamoribus ea non poſtulet: & hic eſt fletus iunatus de quo veriùs diceretur

Sunt lacbrymæ rerum.

§. II.

Num. 70. SEcundum principale ratiocinium deſumendum eſt ab ipſomet Chriſto Domino; à merito ſcilicet ipſius, & rurſus à dignitate ejuſdem, & à decoro etiam. Incipiam à merito. quoniam juxtà probabiliſſimam, & veram Theologiam ex innumeris Scripturæ Sacræ locis, ex Patribuſque erutam, merita Chriſti Domini fuerunt intrinſecè infiniti ſimpliciter valoris de condiguo, ut ex Divo Thoma ſæpiſſimè præſertim quodl. 2. art. 2. & 3. ex 3. par. qu. 46. art. 6. & qu. 48. art. 2. conſonat qu. 34. art. 3. ad 3. & ex D. Seraph. in 3. diſt. 12. art. 1. qu. 2. ad 3. & qu. 18. per totam, uti ex Clemente VI. in Extravagante *Unigenitus* de pœnitent. & remiſſion. ubi de Theſauro Eccleſiæ loquens ait: *De cujus conſumptione, ſeù minutione non eſt aliquatenus timendum; tam propter infinita merita Chriſti Domini quàm &c.* docent Scholaſtici: quin & illi qui infinitatem ſimpliciter negant operationibus Theandricis ipſius, ſatis frequenter invehunt infinitudinem extrinſecam ſaltem à divina acceptione pendentem. Ex hac autem infinitudine ſimpliciter meriti ſequitur irrefragabiliter, illum meruiſſe omne præmium poſſibile, dum aliundè ſit potens cadere ſub meritum (ut excludantur unio hypoſtatica, viſio Dei, & gratia eidem in primo conceptionis inſtanti communicata; atque adeò principia ipſius meriti). Ita colligitur ex D. Thoma, ex eorundem Theologorum conſenſu reipſa, & in ſubſtantia cum Magiſtro lib. 3. ſent. ex voto communi Patrum. conſulantur Cajetanus, Ferrarienſis, Capreolus, Sotus, Doctor Eximius; Vaſq., Vega lib. 7. in Trident. cap. 8., & 9. Et ſanè cum meritum per ſe dicat habitudinem ad pręmium; ubi meritum eſt ſimpliciter infinitum, pręmium vel eſſe debet ſimpliciter infinitum, ſi hoc exiſtere valeat, vel ſaltem debetur ipſi omne poſſibile præmium, ſive omne, quòd poſſit actu exiſtere, tam intenſivum, quam extenſivum: cum ipſammet extenſionem, adhùc infinitum ſibi vendicat ex Juſtitia meritum ſimpliciter infinitè intenſum, tametſi infinitè extenſum minimè ſit; eo quòd illam contineat eminenter, aut virtualiter intra ſuam infinitudinem intenſivam. Quo pacto namque foret infinitè ſimpliciter dignum pręmio, ſi finito duntaxat extinctum fuiſſet illius jus, ex integroque remuneratum; etiamſi ulteriùs aliud majus foret ipſi poſſibile? Quomodo eſſet infinitè ſimpliciter dignum pręmio, ſi adeſſet pręmium aliquod poſſibile in ratione pręmii, cujus dignum nequaquam foret? Eo ipſo enim jus aliquod dignitatis eſſet extra meritum, ac ſubindè eſſe non poſſet dignitas meriti undecunque, & ſimpliciter infinita. Alioqui juſte meritum ipſum conqueri poſſet de præmio, in largitoreque ipſius juſtitiam deſideraret, ut nimium frequenter accidit merito humano comparativè ad Principes. Hanc fuiſſe putarem genuinam mentem Sanctiſſimi Præcurſoris, dum Joan. 3. dixit de Chriſto Domino: *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*, ipſi Chriſto Domino ſcilicet, ut manifeſtè colligitur ex contextu, maximè cum protinus adjungatur: *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manibus.* Docentque Eccleſiæ Patres ſæpiſſimè, præſertim S. Aug. tract. 14. in Joan. & quidem de Chriſto, quâ homine, Cyrillus lib. 2. in Joannem, Chryſoſt. in Joan. Theophilactus, & plures alii, quibus conſentit D. Thomas 3. part. qu. 7. art. 11. ad 1., ubi ſupponit, ita expreſsè legendum: *Pater non ad menſuram dat Spiritum filio*: refertque ibidem S. Auguſtini teſtimonium, dicens: *Menſura divina diviſio quædam donorum eſt; alii enim datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ; ſed Chriſtus, qui dat, non ad menſuram accipit.* Et aliundè menſurabile foret proculdubio ipſius meritum, ſi illud eſſet finitum: pariterque dediſſet Filio ad menſuram pręmium; ſi hoc talis conditionis ſit, ut permittat aliud majus, ſive intenſivè, ſive extenſivè; quomodò namque foret ſine menſura præmium, ſi ſupponatur aliud ſuperans in menſura ipſum?

Num. 71. Neque rurſus dici jure poteſt, teſtimonium illud Præcurſoris accipiendum duntaxat de gratia unionis, vel de viſione Dei, aut de habitibus, gratia, &c. non de merito, & ejus præmio. Porrò ſenſus iſte falſificaret abſolutam ſignificationem, ſeu indeterminatam Sanctiſſimi Baptiſtę propoſitionem. quandoquidem ſi ſpiritus Chriſto Domino communicatus, tam meritum, quam præmium effeciſſet menſurabilia, aut immenſurabilia non faceret, jam eo ipſo non fuiſſet illi datus ſpiritus ſine menſura; quippe quæ indefinitè uſurpata non tantùm denotat immenſurabilitatem reſpectu alicujus doni, ſed reſpectu omnium, quorum eſt capax humanitas Chriſti Domini. Sequitur ſecundò ex præfata meriti infinitudine abſoluta, Chriſtum Dominum non ſolùm meruiſſe nobis; verùm & ſibi etiam; obſiſtente Calvino lib. 2. Inſtitut. cap. 17., dum num. 6. dixit, Chriſtum Dominum ſui oblitum, omnia ſua merita in nos tranſtuliſſe; alioqui, inquit, fruſtra à D. Paulo Rom. 5. commendaretur eximia illius charitas erga nos; ſi per operationes meritorias ſuam quæſiviſſet utilitatem. Adjungitque illa Chriſti Domini verba. Joann. 5. *Pro illis ſanctifico meipſum.* Hæc autem doctrina eſt prorſus erronea; ut docent Theologi; quamquam non ſit formalitèr hæreti-

ca,

Digitized by Google

ca, ut putarunt Præpoſitus, & pauci alii. Unde meruit gloriam ſui corporis: exaltationem ſui victricis nominis: dignitatem capitis Eccleſiæ: poteſtatem judiciariam: dominium practicum in Orbem univerſum: & uno verbo meruit ſibi omnia illa, quæ ſubſecuta fuerunt aliquod ipſius meritum (quin & omnia, quæ per meritum obtinere potuit, quia cadebant ſub meritum) ut ex Magiſtro 3. Sent. diſtinction. 18. & ex Divo Thoma 3. p. quæſt. 19. art. 3. tradunt Scholaſtici, eliciturque ex illis verbis ipſius, qui meruit, Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam?* Ex Paulo ad Philip. 2. uti & ad Hebreos 2. *Vidimus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum*. Et latè oſtendunt S. Auguſt. lib. 2. contra Maxim. cap. 5. & lib. 3. cap. 2. S. Baſilius contra Eunomium lib. 4., Ambroſius, Chryſoſt. Beda, & ſæpiſſimè alii Patres.

Exindè autem inferunt Theologi, Chriſtum Dominum meruiſſe adorationem trium Regum, Peana Angelorum, Reſurrectionem corporis, & Seſſionem, uti & reliqua omnia, quæ decurſu vitæ ſuæ verè divinæ, tametſi paſſibilis, in ejuſdem honorem ceſſére. Circa quæ videndus Doctor Eximius tom. 1. 3. par. diſp. 40. ſect. 3. Id tamen ſedulò advertendum ex ſolemni eorundem Theologorum doctrina, infinitudinem illam meriti reſpectu aliorum eſſe duntaxat accipiendam in actu primo, ſeu quoad ſufficientiam; quoad efficaciam verò ſolùm meruiſſe illis, ad quos, & quibus, præfata merita ordinavit ipſe Chriſtus Dominus, vel prout ſub divina ordinatione, vel promiſſione cadebat merces. Sibi autem meruit de condigno omnia, quæ cadere poſſunt ſub meritum, etiam quoad efficaciam, ut tradunt paſſim Scholaſtici, quamvis aliqui id inſinuent potius, quàm apertè doceant; non quia hæreant, ſed quia id potiùs ſupponunt ex dignitate Chriſti Domini, & decoro Perſonę merentis, quàm in diſſidium revocent; quod genus tractandi materiam aliquam, majorem illi conciliat fidem, & authoritatem, quàm ſolidiora, ſubtiliſſimaque argumenta; cum hæc ſupponant rem dubiam, & probationis indigam; illa verò ſupponunt rem indubitatam.

Num. 72. Modò autem formatur ex pręmiſſis argumentum. Chriſtus Dominus meruit, ſaltem ſibi ipſi, omne præmium poſſibile, potenſque cadere ſub meritum, ſeu quod meriti principium non ſit, ad illudque præſupponatur; ſed vita ſenſitiva in actu ſecundo in Euchariſtia poſſibilis eſt Chriſto Domino, ſubſequiturque ejus merita, licet tantùm divinitùs illa obtineri valeat, ut Theologia communis approbat, ſive quoad ſubſtantiam, ſive quoad modum. Ergo Chriſtus Dominus eam ſibi meruit. At, ſi illam meruit, illam obtinuit, habetque de facto: utitur ergò Chriſtus Dominus in altari ſenſibus tam extemis, quam internis, elicitque alios actus ab his ortum trahentes. Major ex nuper dictis, & ex Theologorum communi voto, ſupponitur. Minor eſt paritèr propè omnium Scholaſticorum, ut vidimus Sect. 1. Quamquam enim meritum non ſit miraculoſum, ſed tantùm ſupernaturale, poteſt attamen quamoptimè eſſe jus ſtrictum ad præmium miraculoſum, ſicuti certum eſt, meruiſſe Chriſtum Dominum ſui Coporis Reſurrectionem, & ejus Gloriam, Aſcenſionemque.

Subſumpta illa brevis, ſed continens totum, quod ſcilicet, ſi meruit, obtinuit de facto, ineluctabili illatione deducitur ex productis è Theologia principiis. quoniam ſi meruit ſibi de condigno, & quoad efficaciam omne præmium poſſibile, & potens cadere ſub meritum, neceſſariò præmium hoc, utpote poſſibile, & ex nullo capite principium meriti (proindèque capax terminandi meritum) fuit debitum ex juſtitia Chriſto Domino, eum fuerit merito condigno acquiſitum. neque ulla ratione, aut prætextu credendùm eſt, Deum denegare Chriſto Domino præmium, quòd de condigno meruit efficaciter, cùm ſit aliunde poſſibile, & ipſi conveniens. Unde quòd Chriſti Domini merita reſpectu aliorum fuerint tantùm quoad ſufficientiam in ordine ad pleraque, ſolùmque efficacia in actu primo relatè ad omnes, quamvis comparativè ad plures fuerint efficacia in actu ſecundo ad determinatum præmium, juxta Dei, & ipſiuſmet Servatoris noſtri diſpenſationem, acceptationemve divinam; nequamquam provenit ex defectu efficaciæ, aut vigoris in ipſis meritis Salvatoris; ſed ex eo quòd neceſſarium id omninò foret, ad hoc, ut locum haberent merita noſtra: ut beatitudo noſtra eſſe poſſet corona laborum, ſtrenuèque dimicantium: ad tuendas perfectiones divinas Juſtitiæ, Providentiæ, Sapientiæ &c. debuit tamen mereri ſibi omne præmium quoad efficaciam in actu ſecundo; tum quoniam hoc conſentaneum erat dignitati infinitæ Perſonæ merentis; tum quia unuſquiſque, quæ meretur de condigno ſibi, ſi perſeveret, meretur efficaciter in actu ſecundo, obtinetque irrefragabiliter. Quamobrem meritò Doctor Seraphicus in 3. Sentent. diſt. 18. art. 2. quæſt. 2. arguit: *Efficaciùs meretur quis ſibi, quam alii: hoc non habet inſtantiam de his, quæ ſunt nata cadere ſub merito; ſed Chriſtus meruit nobis reſurrectionem, & Corporis glorificationem: ergo multo fortiùs meruit ſui Corporis glorificationem.*

Præterea. quoniam alioqui poſſet aliquis impunè amplecti errorem Calvini, ſtatuendo quidem meritum Chriſti Domini pro ſeipſo quoad ſufficientiam, aut efficaciam in actu primo ſimul tamen affirmare, nihil ſibi meruiſſe quoad efficaciam in actu ſecundo, nihilque idcircò obtinuiſſe præmii; quod eſt per ſe erroneum. Neque probabili diſcurſu reſponderi poteſt, Chriſtum Dominum

num

Digitized by Google

num potuiſſe non ordinare merita ſua quoad efficaciam pro ſeipſo, quamquam non potuiſset non mereri quoad ſufficientiam; vel nullatenus ea Deus acceptaſſe quoad efficaciam, ad eum modum quo, licet pro cunctis meruit quoad ſufficientiam, ſolùm tamen meruit quoad efficaciam illis, ad quos merita ordinare voluit efficaciter.

Eſt enim diſcrimen ingens, patenſque, ut numero ſequenti oſtendam. Maximè cùm hoc ipſum præmium ſui Corporis futurum erat ſolatium, & exemplar in noſtram cadens utilitatem; quid enim gloriæ ſperare poſset Corpus, ſi noſset Caput infinitè dignum nunquam gloria, exempli gratia, illuſtrandum, tametſi meritis infinitis ſimpliciter illam promeruerit ſibi? Ecquis ſapiens ſibi perſuaderet ad ſpem nutriendam, merita illa eſse potuiſse ordinata ad glorificationem ſui Corporis quòad effectum? Ex quo fit, nullam eſse poſſibilem Chriſto Domino remunerationem in ordine ad quam comparandam efficaciter, & re ipſa, non ordinaverit ad effectum merita ſua; & quæ non acceptaverit ad illum effectum Deus; ſin minùs abſque fundamento ſolido aſseverare tur, meruiſse ſibi quòad efficaciam Reſurrectionem, Gloriam Corporis, & alia, quæ omnium confeſſione obtinuit merito: quæque abſque temeritate nequeunt non dici præmia meritis efficaciter comparata. Et exindè fit rurſus, voluntariè omnino, injuſtè, & periculosè excipi præmium aliquod ex eis, quę venire poſsunt ſub meritum, ſi eidem conveniant, aut conducant aliquo pacto ad ejus ſplendorem, & fœlicitatem. Ergo injuſtâ, & parùm ſanâ doctrinâ aſseruiſses, Chriſtum Dominum Sanguine ſuo, lachrymis, ſudore nequaquam meruiſse ſibi quoad efficaciam uſum vitæ actualis per ſenſus in Euchariſtia uſque ad mundi finem duratura; ubi aliundè ſupponitur infinitudo meriti illa poſſibilis, & terminare potens meritum, utpote ſubſecuta ad Incarnationem; & cum in ipſo paſſionis limine fuerit inſtituta Euchariſtia, ipſo, inquam, tempore, quo prçcedentia omnia Chriſti Domini merita conſumaret, & infinito undique meriti, & Sanguinis pelago exundabat, quo cuncta ſibi congruentia juremerito vindicare poterat; & cùm, licet ipſe tacuiſſet, Sanguis effuſus innocentioris Abel è terra clamaret, quo pacto non exaudiretur quoad vitam Euchariſticam (hac recens inſtituta) cùm poſſet illa ad meritum venire efficaciter vocata?

Num. 73. Urgetur. ſi vita illa ſenſitiva Euchariſtica & exiſtere poteſt de facto, & ſub meritum cadere, fatentibus Adverſariis; vel illam non meruiſset efficaciter quoad effectum, ſed unicè quoad ſufficientiam, ex defectu acceptationis divinæ; aut ex defectu pacti; vel ex eo quòd Chriſtus Dominus ipſe meritum ad illum effectum non ordinaſſet? Hæc enim tria eſse potuerunt impedimenta, quorum quodlibet removeat efficaciam à merito, & nulla alia, ut ex communi S. Thomæ doctrina monent Scholaſtici conſtanter; ubi aliundè præſupponitur, actus honeſtus, dignuſque, & proportionem habens quamdam cùm remuneratione pęnes æqualitatem aliquam in prudentum æſtimatione à Perſona Deo grata elicitus, dum peregrinatur in via: quæ omnia aderant perfectiſſimè merito Chriſti Domini. At nullum ex tribus delibatis impedimentis obeſse potuit ullatenus efficaciæ meriti ipſius ad obtinendam actu vitam Euchariſticam a nobis aſsertam. Illam ergo meruit efficaciter, quoad effectus, & reipſa obtinuit, poſſidetque de facto in Euchariſtia. Minor probatur, brevi, ſed efficaci eorundem trium diſcuſſione. Non ex defectu acceptationis à Divina voluntate liberè pendentis. quoniam hæc, juxta magis probatam Theologiam contra Doctorem Subtilem, & Nominales, nullo pacto requiritur ad meritum conſtituendum, nec quòad ſufficientiam, nec quòad efficaciam, & longè minùs comparativè ad Chriſtum Dominum. Quapropter S. Thomas 1. 2. qu. 112. art. 3. affirmat, Deum facturum contra juſtitiam ab ipſomet ſtabilitam, ſi præmium merito de condigno denegaſſet (vel ſi meritum ex ſe ſtrictè tale non efficeret condignum, ut alii loquuntur, eo quòd noluiſſet illud acceptare, ſi ad conſtituendum meritum in ratione condigni illam acceptationem exigas; quod inficiatur S. Th.) quòd procul dubio falſum eſſet, ſi poſſet liberrimè pro nutu ſuo non acceptare meritum in ordine ad eam remunerationem: quandoquidem, eo ipſo denegaret præmium juſtè ipſamet ſua non acceptatione. Proindèque manifeſtè ſupponit S.Th. meritum adæquatè conſtitutum antecedenter ad acceptationem, quæ ex natura rerum ſubſequi debet actum meritorium: ac per conſequens, meritum, quòd eſt jus ad præmium, ſive ut ſufficiens, ſive ut efficax, non conſtituitur per acceptationem; nam ſi ſaltem ejus efficacia conſtitueretur per acceptationem, jam eſſe non poſſet Deus injuſtus in non acceptando merito, cum per eam non acceptationem deficeret illi efficacia, ſine quâ nihil ei debetur ſtrictè in actu ſecundo, vel debetur incaſſum, jure irrito.

Quidquid tamen ſit de communi hac S. Thomæ doctrina in ordine ad aliorum hominum merita, juraque; merita ſanè Chriſti Domini non potuiſſe non acceptari à Deo, & quidem adhuc potentia Dei abſoluta, ejuſque ſupremo dominio, docent quamplures Theologi cùm Soto in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. Ledeſma, & veteribus aliis Thomiſtis. Et ſi promiſſio ſupponatur, eſt omnino tenenda eorum ſententia, ut ex D. Thoma ibidem conſtat: cùm Deus utpotè ſummè fidelis, juſtuſque, nequeat non ſtare promiſſis. Si verò non ſupponatur promiſſio, poſſet Deus, attento dominio, & poteſtate abſoluta, non acceptare meritum Chriſti Domini, neutiquam verò attenta poteſtate ordinaria, ut cùm eiſdem Thomi-

N ſtis,

ſtis, quos ſequitur Doctor Exlmius tom. 1. in 3. p. diſp. 4. ſect. 4. tradunt Scholaſtici. Non igitur, niſi miracuolsè, ſive de potentia abſoluta operans, potuit Deus Chriſto Domino denegare miraculum exactum à merito ipſius concurrendi cùm ipſo, inextenſo modo exiſtente in Euchariſtia, ad vitales Corporis functiones: nullus enim prudenter ſibi perſuadebit, Deum feciſſe miracula, continuareque in dies, eo fine, ut denegct Chriſto Domino ſub ſpeciebus uſum tam internorum, quam externorum ſenſuum, cùm in ipſum acquiſierit proprio Sanguine jus immortale. Acceptatio itaque, vel ejus neceſſitas, efficere poſſet ad ſummum, quòd debitum ex meritis reſultans non ſit ex juſtitiæ rigore; nequaquam verò, ut Chriſto Domino de facto non conferatur remuneratio meritis reſpondens, & ad meritum veniens. Non ſecundùm. tum quia ſi ſtandum foret ſententiæ Cajetani 2. 2. qu. 114. art. 3. cui ſubſcribunt magni nominis Thomiſtę, ea promiſſio, aut pactum non eſt per ſe neceſſarium ad conceptum meriti de condigno, cui eſſe intrinſecum illud jus ſtrictum arbitratur. Vel tantum exigitur, juxta aliorum opinionem, ut titulo juſtitię ſtrictę obligetur Deus ad remunerandum, neutiquam verò ad hoc ut maneat abſolutè obligatus, vel ex juſtitia latiùs uſurpata, vel ex Providentia, & titulo ſupremi dominii in omnes, vi cujus debet præmia, & ſupplicia diſtribuere, juxta merita, aut demerita: cùm enim ſit Mundi gubernator ſupremus, ſi nec delicta puniret, nec benefacta præmiaret, eſſet quidem ſummè bonus, & ſapiens; verùm *Rector ineptus*.

Num. 74. Inſuper & efficaciùs. quoniam promiſſio illa ſub conditione operis ſupponebatur de facto, antecedens merita Chriſti Domini, & ſanè univerſaliſſima, ut tam Eccleſiæ Patres, quam Theologi crebrò docent: tum ex Iſaja 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit, anima ejus videbit, & ſaturabitur. In ſcientia ſua juſtificavit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia; pro eo quòd tradiderit in mortem animam ſuam*. Tum ex Pſalmis frequenter, præſertim ex Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; Id eſt, ſi poſtulaveris, ſeu oraveris: & Pſal. 20. *vitam petiit à te, & tribuiſti ei &c.* Idque innuitur Lucæ 24. verbis ſupra productis. Conſulantur D. Thomas 1. 2. quæſt. 114. art. 6. Driedo de Captivitate, & Redempt. Gener. hum. par. 3. cap. 2. Magnus Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 39. ſect. 1. ubi de lege ordinaria ſupponi pactum Divinum, aut promiſſionem, non ſolùm reſpectu Chriſti Domini, verùm & reſpectu omnium hominum extra dubium eſſe, docet.

Non eſt autem cur limitetur promiſſio univerſalis facta Chriſto Domino, itaut excipiatur ab illa vita Euchariſtica ipſius per ſenſuum operationes ſumma varietate excurrens, & ſe actu exercens. nec alicubi excepta invenitur, nec potuit excipi, niſi per poteſtatem ſupremi dominii, cùm de lege ordinaria per ſe ſupponatur. Quocirca poſſeſſio meriti efficacis, terminata ad hanc vitam adeſt nobis; donec ex Sacra pagina, aut ex Conciliorum, Patrumve doctrina eruatur limitatio, hactenus non reperta; immò nec reperienda; quia potiùs Joann. 13. dum reſumitur divinus ille ſermo, quem Chriſtus Dominus habuit ad Apoſtolos: dumque Euchariſtiæ Sacramentum inſtituebatur, inquit Joannes: *Sciens Jeſus quia omnia dedit ei Pater in manus*; non ſanè quia omnia jam actu dediſſet, cùm nec gloriam Corporis, ejuſdemve Reſurrectionem, & dotes, uti nec exaltationem clariſſimi nominis poſſideret. Sed quia promiſſa, ſubindeque debita jam erant, cùm meum ſit, teſte Juriſprudentia, quòd mihi planè debetur. Et tamen nihil excipit, ſed omnia, quorum eſt capax, quæque vel dignitate infinitæ Perſonæ conveniunt, vel quæ ſub meritum cadunt, aut jam ipſi collata, aut promiſſa, & deinceps conferenda à Deo, noverat, dum arcanum illud maximum inſtituebat. Quo igitur titulo ſpecioſo, aut quo ſolido motivo, aſſeverari poteſt, non comprehendi in Divinis promiſſionibus Chriſto Domino factis donum illud pretioſum, & cùm univerſo duraturum, vitæ Euchariſticæ corporeæ?

Tandem. non ex defectu ordinationis ipſius Chriſti Domini (quòd erat tertium impedimentum) quatenus noluerit merita ſua ad eum finem referre; ſed excludere potiùs. Tum quia in excluſione foret ſibi injuſtus, & nobis crudelis. Injuſtus in ordine ad ſe quia denegaret ſibi, ut in Euchariſtia præſenti, vitam actualem (quâ ibidem primò elicitam), quæ ſecundùm ſe eſt perfectio formalis viventis, complementum potentiarum, & ſenſuum: & qua ipſe digniſſimum ſe ſe eſſe ſciebat; uti & ſibi promiſſam, aut in promiſſione univerſali implicitè contentam. Item vim faceret ipſi merito ex ſe infinito, & proportionato ad illum effectum, denegando voluntariè illi efficaciam, aut illam impediendo. Crudelis nobiſcum, quoniam ſolatio, & commercio intimiori, quę reſultant ex ejus vitæ corporeæ notitia, in nobis genita, ut infra oſtendam, privaret nos. Tum quia eodem modò, ac ex ſcripturis conſtat manifeſtè, promiſſiones Chriſto Domino factas ſub conditione meritorum, mortiſque, fuiſſe univerſales reſpectu omnis mercedis, potentis cadere ſub meritum; conſtat, Chriſtum Dominum merita ſua ordinaſſe univerſim pariter ad omnem remunerationem, ſibi actu poſſibilem, capacem terminandi ipſa merita. Sic Joann. 17. generatim clamat ad Patrem: *ſublevatis oculis in Cælum dixit: Pater venit hora, clarifica*

rifica

rifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Quam orationem iterat ibidem verſ. 5. & ad Hebr. 5. ſcribit Apoſtolus: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſalvare à morte, cùm clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Ubi interpretes frequenter, omnia precibus, etiam pro ſeipſo, petiiſſe, obtinuiſſeque ajunt: cùm ibi mortis nomine non liberationem à morte ſimpliciter, pro qua jam incaſſum oraverat in Horto, ſed Reſurrectionem, Gloriam Corporis, & reliqua omnia ſibi proportionata, intelligat. Cur autem & non ſimul, & in ſenſu proprio, liberationem à morte, ideſt à privatione omnis vitæ actualis Corporis in Euchariſtia, naturali conſecutione reſultaturę, ſi per miraculum Deus hoc mortis genus non impediret? Et ſanè qui dum oraret in Horto, ter rogavit Patrem, ut calix paſſionis ab illo tranſiret, quod ſciebat poſſibile minimè eſſe, quia aderat, & adeſſe noverat, oppoſitum decretum; qua ratione prohibere potuit, ne intenderet merito ſuo in Euchariſtia inſtituenda, & paſſione toleranda, vitam Euchariſticam in eis promiſſionibus incluſam, ſeu liberationem à modo exiſtendi emortuo ſub ſpeciebus? Et ad Philippenſ. 2. *Chriſtus humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quòd* (Ecce cauſam meritoriam) *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen &c.* Igitur qui velit non planè voluntariè aſſerere, Chriſtum Dominum nullo pacto ordinaſſe merita ſua ad eum finem verè mirabilem aſſequendum; immo potiùs illum excepiſſe, cùm non potuerit illum ignorare, debet ſimiliter ex ſcriptura eam exceptionem oſtendiſſe; quod profectò contingere minimè poſſe credimus, etiam fœliciori ingenio, & ſtudio, cùm ſoliditate copulato.

Num. 75. Tum quia ſequeretur idem abſurdum à Calvino intentum, & à nobis ſupra attactum, quòd nimirum unuſquiſque liberè affirmare poſſet, nihil de facto, ſeu quoad efficaciam Chriſtum Dominum ſibi meruiſſe, quia noluit merita ſua ordinare ad præmium ullum ſibi comparandum; ne amorem ſuum erga homines obſcuraret nota, aut umbra propriæ utilitatis. Tum quia certum eſt gloriam Corporis debitam eſſe Chriſto Domino titulo beatitudinis eſſentialis animæ, è quâ derivatur flumen ſplendoris, & voluptatis in Corpus impetu irreſiſtibili, niſi per miraculum cohibeatur; & nihilominus certum pariter eſt, Chriſtum Dominum illam efficaciter meruiſſe, ut adversùs Calvinum docent conſtantiſſimè Scholaſtici, id evidenter ex Scripturis Sacris colligentes: & conſequenter indubitatum eſſe debet, merita ſua ordinaſſe ad eum finem. Si ergo abſque neceſſitate (utpotè aliundè ſibi debitum) merita ſua ordinavit ad prædictum effectum, & quidem non otioſè, ut illum novo ſolùm titulo obtineret, uti iidem Theologi tradunt; quantò magis credendum eſt, eadem ordinaſſe ad privilegium vitæ Euchariſticæ comparandum; tametſi illud non foret ſimpliciter neceſſarium ipſi, eo quòd vivere poſſet ſufficienter in Euchariſtia per actus funtioneſque ſenſuum è Cœlo ad Euchariſtiam comitanter adductas? Maximè cùm nec gratia habitualis fuerit Chriſto Domino neceſſaria ad operandum; & nihilominus illi debeatur tanquam ornamentum, ut conſtans Theologorum votum eſt.

Quinimmò hinc deſumitur robuſtum argumentum ad aſſumptum hoc egregiè firmandum, unàque aſſertionem noſtram ſimpliciter. Vel enim privilegium hoc ſupponitur aliundè debitum, ſicut gloria, Corpori, & ſimilia, vel non? Si primùm, habemus quidquid præſenti Diſputatione quærimus: & indè rurſus inferendum erit, privilegium hoc haberi etiam per meritum, ut novo titulo poſſideatur. Uti ob eandem rationem meruit gloriam ſui Corporis, tametſi aliundè debitam. Cum verum ſit illud D. Thomæ 3. p. q. 19. art. 3. corpore, diſputantis de Chriſti Domini merito: *Unde nobiliùs habetur id, quod habetur per meritum, quam id, quod habetur ſine merito;* Dummodo tamen non debeat per ſe antecedere omnem operationem meritoriam, ut ibidem advertit S. Doctor. Si ſecundum. à fortiori dicendum, illud meruiſſe. quandoquidem ſi ob infinitudinem meriti fatendum eſt, Chriſtum Dominum meruiſſe etiam illud, quod ſecluſo omni merito, erat illi debitum, & planè conferendum; quo pacto, quâ æquitate, immò & quâ juſtitia, removenda erit à merito illo ſimpliciter ſummo, vis aſſecutiva præmii, quo ſimpliciter privandus erit, ſi illud merito non acquirit, ubi aliunde præmium hoc ſeu prærogativa, ſive donum ex ſe perfectiſſimum, & completivum potentiarum, ſenſuumque Chriſti Domini, ipſi poſſibile, ſubſecutum ad merita ipſa, adeoque capax terminandi meritum? Quo jure aſſerendum erit, meritum Chriſti Domini importare ordinem efficacem ad omnem remunerationem ſibi poſſibilem, ſi prærogativam hanc verè æſtimabilem, verè adoratione dignam, & uſque ad ſæculi conſummationem per omnes mundi plagas duraturam, efficaciter non mereatur? Poſt Reſurrectionem victricem, & Corporis gloriam in æternum manſuram, ubi reperies vitalem excellentiam magis illi proportionatam, magiſque merito dignam?

Num. 76. Accedit, quòd cum meritum Chriſti Domini ſit undequaque ſimpliciterque infinitum, nequit non comprehendere, omnem promerendi modum, ipſi poſſibilem, qui deceat ipſum (ſicut propterea etiam per actus purè naturales promeruiſſe, docet probatiſſima Theologorum opinio) ut evincunt ſupra laudati Scholaſtici pro infinitudine ſimpliciter meriti Chriſti Domini militantes. Idque expreſſit S. Tho-

mas 3, par. qu. 7. art. 9. dum aſſeruit, in Chriſto Domino extitiſſe plenitudinem gratiæ, non ſolùm quantitativè, intenſivèque, verùm proùt ſignificat virtutem operandi omnibus modis, & omni genere honeſtæ operationis; *Similiter etiam*, inquit, *quantum ad virtutem gratiæ, plenè habuit gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam univerſali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principii alicujus generis univerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis: ſicut ſol, qui eſt univerſalis cauſa generationis (ut Dionyſius dicit 4. cap. de divinis nominibus) ejus virtus ſe extendit ad omnia, quæ ſub generatione cadunt. Et ſic ſecunda plenitudo gratiæ attenditur in Chriſto, in quantum ſe extendit ejus gratia ad omnes gratiæ effectus, qui ſunt virtutes, & dona, & alia hujuſmodi*, Ergo ſi adſtruatur donum aliquod, aut privilegium Chriſto Domino conveniens ad perfectiori modò exiſtendum, ubicumque adſit, aut exiſtat, quod ipſi non debeatur titulo ſuæ dignitatis Perſonalis, ſitque aliunde poſſibile, decens, & ſub meritum cadere potens; debet neceſſariò competere merito Chriſti Domini formalitas aliqua ipſum ſibi vendicans jure meriti, Conſequenter non ſolùm Chriſtus Dominus ſuis operationibus meritoriis feciſſet de debito debitum ſibi novo titulo; verùm & de indebito debitum ſimpliciter: cum hæc ſit vera ſpecies meriti, ſtrictiorque (ſi aliundè ſupponatur aliquid Chriſto Domino dignum, & illi non debitum, adhùc præciſive à meritis,

Quamobrem cum D. Seraph. in 3. ſent. diſt. 18. art. 2. qu. 2. ad 3. docuit, Chriſtum Dominum non meruiſſe ita, ut de indebito faceret debitum, ſed duntaxat: *Alio modò dicendi, videlicet quo quis de indebito uno modò facit debitum alio modò*, ſolùm intendit, nullum eſſe donum, privilegium, aut præmium, quod ipſi non debeatur titulo unionis hypoſtaticæ; quod libentiſſimè admittimus; nequaquam verò, quòd, ſi ſemel ſupponatur aliquid non debitum aliunde, illi tamen conveniens, non poſſit tunc merito ſeu de indebito debitum efficere; immò non poſſet aliter fieri, ſi ſtandum ſit infinitudini ſimpliciter meriti, adeoque penes ſubſtantiam, & modum omnem, adſtructæ ex Magiſtro ſent, ab ipſo D. Seraphico eadem diſt. art. 1. qu. 2. uti namque exploratum eſt, Chriſtum Dominum, dum viator eſſet, non potuiſſe non mereri operationibus ſuis, vel de potentia abſoluta, ut nonnulli, imitati Alenſem 3. par. qu. 16. membr. 2. opinati fuerunt; vel de potentia ordinaria intra ordinem ſupernaturalem, eo quod haberet omnia neceſſariò conſtitutiva meriti, ut cum Doctore Eximio tom. 1. iu 3. par. diſp. 39. ſect. 1. tenet probabilior ſententia. Ita extra dubium eiſdem eſt, non potuiſſe non promereri omni modo, & via poſſibili, & omnem poſſibilem ipſi remunerationem. Si autem meruit hanc, de qua litem nobis movet contraria opinio, obtinuit profectò noſtra (ut ſæpe ſubintulimus) cum non potuiſſet merita ſua non dirigere efficaciſſimè in hunc ſcopum. Duriſſimum namque foret, ut qui exolvit quæ non rapuerat, rapere non poſſet per rei vendicationem, quæ profluvio ſanguinis infiniti valoris omni jure ſibi debita effeciſſet.

Num. 77. Confirmatur principale argumentum ex D. Thoma 3. par. q. 19. art. 3. Corpore: ubi recenſens ea, quæ ſibi Chriſtus Dominus promeruit efficaciter; excludenſque ſimul, quæ ſub meritum cadere non potuerunt; quoniam præcedere meritum ex ſe debebant, ut ſunt (præter unionem hypoſtaticam) gloria videlicet animæ, gratia, ſcientia, & alia, quorum privatio in aliquo inſtanti eſſet contra dignitatem Chriſti Domini, ait: *Sed gloria corporis, vel ſi quid aliud hujuſmodi eſt, minus eſt quam dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem charitatis. Et ideò dicendum eſt, quòd Chriſtus gloriam Corporis, & ea, quæ pertinent ad exteriorem ejus excellentiam (ſicut eſt Aſcenſio, Veneratio, & alia ejuſmodi) habuit per meritum*. Quibus verbis ſatis probabiliter apparet comprehenſum privilegium vitæ Euchariſticæ de facto, proùt à nobis deſideratum: cum evidens ſit, illam, utpotè vitam actualem ſenſuum glorificatorum, eſſe vitam ipſam glorioſam Corporis Chriſti Domini, vel planè ſimilem illi, quam habet in Cœlo exiſtens (tametſi objecta ſint partim diverſa) cum ſint operationes corporis glorioſi: atque adeò comprehendi ſub gloria corporis, quam expreſſis verbis meruiſſe abſolutè docet S. Thomas: uti ſub illis: *Vel ſiquid aliud hujuſmodi eſt*. Quin & per exteriorem excellentiam, cum hæc vita ſit excellentia exterior comparativè ad vitam internam viſione Dei fortunatiſſimam, purèque ſpiritualem animæ; quæ vitæ exterioris excellentia ſubſecuta nulla ratione excludi debet à merito, ubi reliqua omnia, pariter ſubſecuta ad meritum, ſub meritum venère. Secundò, quoniam ideò apud Doct. Angelicum reliqua ab eodem, vel formaliter, vel virtualiter comprehenſa habita fuerunt per meritum, quia cum eſſent minùs æſtimabilia, quàm dignitas merendi (quippè quæ in Chriſto Domino, eſt ſimpliciter infinita, quemadmodum eſt meritum ipſum) non debuerunt præcedere meritum, ſed tantùm ſubſequi; cum ſatius ſit illis carere pro tempore aliquo, quàm dignitate merendi ſtatus viatoris propria, utpotè nobiliori. Hæc autem ratio, aut reflexio, manifeſta illatione evincit pariter privilegium à nobis intentum haberi quoque per meritum, cum dignitas merendi, ut pretioſior dono illo, debeat ipſum antecedere, ſitque propterea capaciſſimum terminandi habitudinem meriti. Quod eo

for-

fortiùs premit, quo notum eſt, privilegium vitæ Euchariſticæ habere non potuiſſe de facto uſum tempore, quo florebat dignitas merendi, niſi ſemel tantùm, in myſterii ſcilicet Inſtitutione; potiſſimuſque idcircò, & perennis ipſius uſus in poſterum futurus erat poſt Chriſti Domini mortem, & finem etiam exercitii meritorii dignitatis merendi ulterius aliquid.

Tertio. perſuadetur ex Inſtitutione Sacramentorum, quam meruiſſe de condigno Servatorem noſtrum fatentur Scholaſtici unanimi voto. Neque ſolùm meruit eorundem Inſtitutionem; verùm etiam meruit inſtituendo ea, quæ ante mortem reliquit expreſſa ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, ut eadem confeſſione compertum eſt: adeoque meruit inſtituendo Euchariſtiam in confinio ipſo vitæ, & mortis, in conſummationem, & veluti in coronam reliquorum omnium, exceſſu charitatis infinitè ſimpliciter meritorio: & conſequenter meruit omne id, quod perfectioni, nobilitati, gloriæ hujus maximi myſterii, & utilitati noſtræ ex ipſo expediens erat. Unde Eximius Doctor tom. 1. in 3. par. diſp. 10. ſect. 4. dixit: *Ultimo tandem oddendum eſt, meruiſſe Chriſtum, ut hæc unio hypoſtatica, non quidem multiplicaretur, ſed ut eadem quaſi iterum, atque iterum in rerum natura poneretur, quod per myſterium Euchariſtiæ ſupra fieri diximus. Quod quidem myſterium ex meritis Chriſti profectum eſſe, & in virtute illorum quotidiè perfici certiſſimum eſt*. Cum igitur meruiſſet prodigioſam illam mirabilem Epitomem, miraculis circumquaque ſcatentem; cur miraculum duntaxat eliciendi ex ipſo functiones vitales, ſenſuumque operationes, æque poſſibile divinitus, ac alia, ſolùm divina etiam virtute poſſibilia, excluderet? Præſertim cum reliqua miracula cederent plerunque in utilitatem noſtram; hoc autem per ſe primò in complementum, perfectionem, decentiamque ipſius Inſtitutoris. Num ignorabat, quid illi eſſet obventurum in Euchariſtia? Neſciebat ſe extiturum ibi privatum vita corporis actuali, omnique ſenſuum operatione ab eodem quâ ibi deliteſcente elicita, ſi privilegium hoc divinitus non obtinuiſſet? & ſi obtinendum erat, cur non per meritum comparandum, cum hoc juxtà D. Thomam ſit longè excellentiùs. Nonne recuſavit, & in eum finem merita ſua dirigere noluit? Verùm hoc, ut vidimus, nihil abſurdiùs, duriùſque nihil; cum incredibile ſit, Chriſtum Dominum fuiſſe adeò poſitivè crudelem, aut immitem in ſuam Humanitatem, quâ ſub nubè accidentium latentem.

78. Urgetur ſecundò. Chriſtus Dominus tum quâ inſtituens Euchariſtiam, tum per merita antecedentia, ſubſequentiaque, morte conſummata, meruit ſibi vitam ſenſitivam actualem, ut habendam per concomitantiam, quàm de facto poſſidere docet opinio adverſa. ergo, & meruit eandem vitam ut primò eliciendam ex Euchariſtia. Antecedens videtur extra dubium apud Scholaſticos nobis contrarios, ſuppoſita infinitudine ſimpliciter meritorum Chriſti Domini, & reliquis præſuppoſitis, quæ in ſuperioribus ex eorundem doctrina ſtabilita fuere. Et quidem etiamſi alioqui comitantia illa debita crederetur aliundè; ſiquidem illam ex meritis obtinere etiam debuiſſet, ut novo alio titulo eam poſſideret, cum hoc ſit glorioſiùs, ut confitentur omnes ex D. Thoma ſupra laudato. Neque obeſſe poteſt, quòd replicatio illa operationum ſit naturalis: ex ſuppoſitione ſiquidem jam ſaltem eſt ſupernaturalis præſuppoſitivè, uti etiam quoad modum, juxta comunem eorumdem nobis adverſantium Theologorum: quòd ſufficit, ut à merito reſpiciatur; præſertim cum impediri poſſit à Deo illa comitantia abſolutè; ſubindeque cadere ſub meritum potuit, ne actu impediretur. Præterea eſſe ſimplicitèr miraculoſam præfatam replicationem vidimus ſupra, arbitranturque non infrequenter Adverſarii. Rurſus. donum naturale, proùt relatum ad ſpirituale, illique inſervire potens, cujuſmodi ſine dubio eſt vita hæc, cadere ſub meritum quamoptimè poſſe, aſſeverant Theologi conſtanter. Demum, meritum Chriſti Domini non comparatur diviſim ad arcanum hoc, ſed generatim ad integrum illud, & perfectè conſtitutum myſterium; in quo plurima ſunt miraculoſa quoad ſubſtantiam, alia quoad modum, & alia præſuppoſitivè duntaxat. Conſequentia verò probatur, tum à paritate: non enim apparet; cur promeruiſſet Chriſtus Dominus ſenſationes emendicatas à ſeipſo, proùt in Cœlis vivente; & non ut primò elicitas in altari ex Euchariſtia, cum meritum ſit ſimpliciter infinitum: & utrumque ſit poſſibile ipſi, capaxque terminandi meritum.

Præſertim cum ſit per ſe nobiliùs, convenientiùs, longèque majus privilegium, & per ſe loquendo utilius ad finem, quem reſpicit arcanum, hoc ſecundum, illo primo: eo quòd ſenſationes primò productæ in Euchariſtia verſentur circa objecta altari propinqua, fideleſque circumſtantes, quorum profectum intendit Chriſtus Dominus Inſtitutione hujus arcani; illæ verò, quæ per concomitantiam venire poſſunt, reſpiciant objecta longè diſſita, ad effectuſque, per Euchariſtiam intentos, minimè per ſe conducentia. Et ſane eſſet evidenter melius, etiam circa vicina hæc objecta verſari poſſe pro libito: cum proxima potentia videndi oculis corporeis, audiendi, quin & imaginandi, appetendique ea, ſive eos, qui adſunt, eorundemque adorationem, preces, laudes &c. ſit per ſe expetibilis ab Humanitate Chriſti Domini ibi realiter præſente: eoque maximè, quo illos ex Empyreo Corporis oculis, quantumvis perſpicaciſſimis, minimè videat, nec per concomitantiam eorundem hymnos audiat Corpo-

poreis auribus, ut docent Adverſarii. Rurſus. præſentia Chriſti Domini in Euchariſtia, atteſtantibus opinionis contrariæ Doctoribus, neutiquam pendet à præſentia illius in propria ſpecie, ac proindè etiam illo non exiſtente in Cœlo, nec alicubi, niſi in Euchariſtia ſub illis numero, & determinatè ſpeciebus, perſiſteret ibi. Tunc antem nullas poſſet ex alio loco, cui foret præſens circunſcriptivè, mutuari ſenſationes, nec alias functiones vitæ quovis modò cum corpore communicantis. Eſſent igitur ſenſus externi, internique privati ſuis operationibus, quibus ultimò completur, ſi ipſas primò elicere nequiret ex Euchariſtia; quod contingere minimè poſſe abſque infælicitate illius ſtatus, ſaltem negativa, vidimus ſect. proximè antecedenti. Et quidem dedeceret adeò ſtatus ille Corpus glorioſum, ut meritò invidere poſſet in ratione vitæ corporeæ viatori dormienti: ipſaque impotentia ſentiendi malum hoc, eſſet infælicitatis genus, cum foret inſenſibilitatis opus.

Num. 79. Dices. Argumentum hactenus diverſis reflexionibus expenſum habiturum vires propè ineluctabiles, ſi vita illa Euchariſtica foret, vel neceſſaria, vel utilis ſaltem, ut à nobis ſupponitur: cæterum minimè probatur ea neceſſitas, aut utilitas. Et aliunde ad illam de facto aſſequendum jugiter, quamplurima miracula concurrere debent, quæ meruiſſe Chriſtum Dominum ut de facto perennitèr exiſtentia, extituraque, perperam diceretur. Cùm Chriſtus Dominus non potuerit promereri effectum omnino alienum à divina omnipotentia, cujuſmodi eſt miraculum abſque neceſſitate ulla, quin nec utilitate patratum. Contra tamen. quoniam vitam illam actualem per ſenſus explicatam, per diverſaſque alias operationes miniſterio ſenſuum acquiſitas, vel initiatas, eſſe perfectionem, & complementum potentiarum viventis, eſt per ſe notum, Philoſophorumque omnium conſenſu firmatum, ut diximus ſupra: atque adeò eſt per ſe utilis Chriſto Domino, ubicumque, & quocumque modo exiſtat; ſummè decens, quin pœnitus neceſſaria ad hoc ut completo, & perfecto modo ſit præſens realiter ſub ſpeciebus: ex conſequenti illi debita. Quemadmodum gratia ſantificans tametſi ſolùm ornatus cauſa conferatur animæ Chriſti Domini quâ pulchreſcat, quin neceſſaria ſit ad ejus ſanctificationem; eſt nihilominus, & utilis titulo ulterioris illius perfectionis habendæ, & ſub ea reduplicatione, neceſſaria aliquatenùs, ipſique idcircò debita. Et aliundè in re noſtra uon exigitur illa vita ad hoc tantùm, ut meliùs ſe habeat, & elegantiùs; ſed ad complementum ſimpliciter expetitum à ſenſibus, & potentiis. Proindèque illa foret ſolum carentia majoris perfectionis, ſi abeſſet, ſeu imperfectio negativa; hæc autem poſitiva, ſive foret ejuſmodi, non tantùmmodò innatè, ſed elicitè etiam, ut Doctor Subtilis ſect. 2. allegatus pronuntiat; ſivè purè innatè in ratione imperfectionis poſitivæ; merè negativè autem, ſi ſumatur in acceptione elicita.

Si verò inutilem eam dicere ſatagis, eo quod poſſideat ipſam nobiliorumque objectorum per concomitantiam; falsò præſupponis, neutiquam à nobis probari ejus utilitatem ex hoc capite. Quoniam oſtendimus ſatis, concomitantiam illam non jam entitatum ipſarum, ſed effectuum formalium, in ſententia quamplurium, qui nobis contradicunt, eſſe impoſſibilem. Rurſus. per illam non pellitur defectus vitæ phyſicæ, quæ ſita eſt in phyſica operationum immanentium productione; & aliundè hæc eſt per ſe phyſicum complementum potentiæ vitalis. Deinde, illam nec quo ad entitatem operationum, neque quoad effectum evenire poſſe abſque miraculis planum fecimus; hæc autem ſi patranda ſint, connaturaliùs eſt, quòd ſiant ad primò producendam eam vitam in actu ſecundo ex Euchariſtia; quàm ad comitantiam operationum, ſaltem plurium illarum nihil per ſe comune habentium cum Euchariſtia, nec cùm fine Chriſti Domini, ut exiſtentis in illa. Et tandem ſummè proficuam nobis futuram notitiam exercitii actualis oculorum, & aurium Chriſti Domini erga nos, noſtraſque preces; jucundumque per ſe, & expetibile ipſi Chriſto Domino, poſſe videre objecta Euchariſtię propinqua, quæ per viſionem comitanter delatam videre nequit, oſtendit, aut conatur, factum à nobis ſupra argumentum, ut, ipſo teſte, eſt manifeſtum, nihilque in hac diſputatione invenies ſolemniùs inculcatum, neque directè magis intentum.

Num. 80. Dices II. Chriſtus Dominus juxta probatiſſimam opinionem non meruit ſibi de facto beatitudinem eſſentialem animæ, nec gratiam habitualem, cœteroſque virtutum habitus ſupernaturales, quos habuit infuſos in primo inſtanti Incarnationis; & tamen de potentia Dei abſoluta potuiſſet omnia illa promereri, ut cum Alberto Magno, Altiſidior. Majore, Rubione, Baſſolis docent Eximius Doct. Becanus, Ripalda, Perez, Martinon. Mæratius, Arriaga, Iſambertus, Platelius, & alii referentes D. Thomam 3. p. q. 34. art. 3. Non quia miraculo, aut elevatione aliqua opus eſſet ex parte dignitatis merentis, aut ex parte potentię; ſed quatenus, ut ſupremus Dominus potuiſſet decernere contra regularem earum perfectionum curſum Chriſto Domino debitum; nec largiri eidem, niſi dependenter à merito, ejuſmodi dona. ergo licèt potuerit mereri privilegium vitæ Euchariſticæ, illud attamen de facto non meruiſſe dicendum eſt à pari. Sed contra primò. Quia ideo plerique ex allegatis docent, meruiſſe de facto gloriam eſſentialem gratiam, habituſque (quin & nonnulli etiam unionem hypoſtaticam, non per merita antecedentia; quod eſſet à fide alienum; ſed

per

per ſubſequentia): Producuntque in medium S. Vigilium lib. 5. contra Eutychetem, ubi de Chriſto Domino uſurpat illud Jajæ 53.: *Pro eo quod laboravit, videbit, & ſaturabitur*: quæ viſio ſatians eſt apertiſſimè viſio beata, juxta illud Pſal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Colliguntque id ipſum etiam ex Pſalm. 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. Ubi per unctionem illam Sancti Patres, præſertim Auguſt. Athanaſ. Hilarius, & Anſelmus, unionem hypoſtaticam, aut divinitatem, quâ imbuta eſt humanitas, intellexerunt.

Contra 2. quoniam idcircò exadverſo reliqui exiſtimant, nec de potentia abſoluta Dei potuiſſe ea dona cadere ſub meritum: alioqui ipſa proculdubio per meritum etiam poſſeſſurum Chriſtum Dominum. Idque ſuadent ex S. Auguſtino exponente eam doctrinam tract. 82. in Joan., & in Enchirid. cap. 36. & de Prædeſt. Sanctor. cap. 15. Quam ſententiam multis illuſtrat S. Thomas tum 1. ſecundæ qu. 114. art. 5. ad 3., tum 3. p. q. 2. art. 11., tum & fuſiùs q. 29. de verit. art. 6. Ubi poſtquam retulit ſententiam oppoſitam contendentem, poſſe aliquem mereri, quòd jam habeat, uti de Angelis dici conſuevit, ſubjungit: *ſed hoc non videtur eſſe verum propter duo. Primum quia contrariatur probationi Auguſtini per quam contra Pelagianos probat*, (primam) *gratiam ſub merito cadere non poſſe, quia ante gratiam nulla ſunt merita 2. quia eſt contra rationem meriti: nam meritum eſt cauſa præmii, non quidem per modum finalis cauſæ; ſic enim magis eſt per reductionem ad cauſam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium diſponit. Id autem, quod eſt cauſa per modum efficientis, nullo modo poteſt eſſe poſterius tempore eo, cujus eſt cauſa, undè non poteſt eſſe, quòd aliquis mereatur, quod jam habet*. quæ ratio probat etiam de potentia abſoluta, cum aſſerat, oppoſitum fore contra conceptum proprium meriti, qui mutari nequit divinitus; & ſaltem probat quòad primum eſſe talium donorum, ſub qua ratione ſunt meritorum fontes, qui ex ſuiſmet rivulis manare primò nequeunt.

Nu. 81. Contra 3. Quoniam ratio negandi factum ab his, qui divinitus contingere potuiſſe arbitrantur, non infirmat, ſed potiùs ſolidat aſſertum noſtrum. Siquidem ideò factum repellunt, quia alioqui neceſsè foret, ut gratia unionis, exempli cauſa, aut viſio beata, conferretur Chriſto Domino dependenter à meritis futuris, ex illiſque: hic autem modus conferendi tantum donum imperfectionem importaret reſpectu ejus, cui Deus illud exhiberet, ut notat Doctor Eximius tom. 1. in 3. p. diſp. 10. ſect. 4. §. 2. *ſi admittatur*: dicens: *at verò hic modus eſt imperfectus, nec in Chriſto locum habet: ſed à principio habuit gratiam unionis perfectiſſimè, & ſimpliciter, & ideo nec in illo talis modus meriti locum habuit*. Hæc autem ratio, ſimileſque aliæ nullo pacto urgent reſpectu donorum ſubſequentium merita, ſivè præſupponantur debita aliundè; ſivè non: quoniam eo ipſo, quòd minimè collata fuerunt in primo inſtanti, eorum carentia, aut privatio præjudicare non poterat perfectioni Chriſti Domini pro eo tempore, eo quòd excellentior fuerit illis dignitas merendi ea ſibi, & alia plura nobis, ut diximus ſupra ex D. Thoma. Inde autem legitimè infertur, ea neceſſariò habenda eſſe per meritum; ſin minùs argueretur defectus virium moralium in actu meritorio ipſo; cùm ceſſet planè motivum, ratione cujus præcedentia venire nequeant ad meritum. Hęc eſt mens S. Thomæ 3. p. quæſt. 19. art. 3. corpore, ubi probans, nobilius eſſe habere aliquid ex meritis, quàm ſine merito, & propterea Chriſtum Dominum meruiſſe ſibi quamplurima, ſubdit: *Niſi ſit aliquid, cujus carentia magis dignitati, & perfectioni præjudicet, quàm per meritum accreſcat. Unde nec gratiam, nec ſcientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit. Quia cùm meritum non ſit niſi ejus, quòd nondum habetur; oporteret, quòd Chriſtus aliquandò iſtis caruiſſet: quibus carere magis diminuit dignitatem Chriſti, quam augeat meritum. Sed gloria Corporis, vel ſiquid aliud hujuſmodi eſt, minus eſt, quàm dignitas merendi, quæ pertinet ad virtutem Charitatis &c.*

Neque imperfectio illa evaderetur per duplex decretum, quorum unum conferret gratiam incomparabilem unionis ſimpliciter, & aliud dependenter à meritis futuram; ad modum quo duo alia decreta his ſimilia invehit P. Ripalda diſp. 86. ſect. 2. Quandoquidem ſecundum decretum, vel non ſupponeret alterum abſolutum; & ſic falsò aſſeritur, aut per repetitionem principii ſupponitur poſſibile; cum ſententia communis affirmet, impoſſibile eſſe, adhuc de potentia abſoluta Dei, quod principium per ſe meriti in Chriſto Domino poſſet cadere ſub meritum: ac proindè; quod exiſtere valeat decretum conferendi illud ex meritis, aut per merita. Deindè non declinaretur imperfectio inſinuata, cum talis eſſe deberet efficaciæ ſecundum decretum, ut vi illius exiſteret unio hypoſtatica pendens à merito futuro, quod planè incideret in eandem imperfectionem reſpectu Chriſti Domini aſſertam ab Scholaſticis ſupra cum Doctore Eximio. Si autem per ſe ſupponeret primum decretum, argueretur etiam carentia aliqua majoris perfectionis in primo modo exiſtendi independentèr, & in decreto inductivo illius: cum perfectio illius modi eſſendi abſque meritis, talis indolis repræſentari videatur à laudatis Scholaſticis, ut non tantùm poſitiva ſit, & veluti cumulativè illi competat; ſed privativè, ſubindèque excludat neceſſariò omne aliud decretum ex meritis futuris decernens ejus exiſtentiam ſimul cum eadem abſque interventu meritorum præſuppoſitivè ſtatuta. Secundo.

decre-

Digitized by Google

decretum hoc ſecundum ſemper eſſet cauſa modi exiſtendi imperfectè unionis, alienique à dignitate Chriſti Domini. Quia quantum eſt ex ſe efficeret unionem pendentem à meritis ſuturis.

Imperſectio autem hæc minimè puriſicatur, aut deletur per hoc, quod præſupponat aliud decretum, vi cujus exiſtat unio independentèr omnino à meritis. quandoquidem licet eo titulo eſset expers imperſectionis præſuppoſitivè; ſormalitèr attamen, & pœnes modum exiſtendi poſitivum unionis, quem inferret, vel minimè purgaretur ab imperfectione; vel ſi omnem exueret imperſectionis umbram ratione ſimultaneitatis cum alio modo, & decreto; incunctantèr ſentiendum, melius ſore, perſectiuſque ita exiſtere, quàm ex vi ſolius primi decreti, cum ex utroque titulo ſimul abſque ulla imperſectione poſset exiſtere: adeòque dicam omninò ita extitiſse de ſacto.

Accedit tertiò (& quidem pro utroque extremo dilemmatis) alia congruentia, quam indicat etiam Eximius Doctor ibidem: quòd nimirum unio hypoſtatica fuit opus ſummum divinæ omnipotentiæ, præmiſsum, veluti primum meritorium ſundamentum. Ejuſmodi autem opus, nunquam ſatis demirandum, debuit fieri ex mera, & pura Dei liberalitate, abſque ulla mixtura, aut interventu humanæ operationis. Sicut autem in illo decebat, Deum ſummè, privativèque liberalem; ita alia ſubſequentia dona decent Deum, vel remuneratorem tantùm, vel remuneratorem ſimul, & liberalem.

Si dixeris tertiò, & poſtremò. Chriſtum Dominum meruiſse quoad ſufficientiam unionem hypoſtaticam Spiritus Sancti cum alia humanitate, quia illam meruiſſet quoad efficaciam. Nihil ſubjicies dignum conſideratione. quoniam ſolùm aſserimus, meruiſse quoad efficaciam omnia dona ſibi convenientia, ad illaque neceſsariò direxiſse merita ſua, & eidem fuiſse promiſſa. Incarnationem verò alterius Perſonæ Divinæ (licèt meritum Chriſti Domini ob ſuam infinitudinem ſimplicitèr eſſet illi proportionatum in actu primo) nec Deus promiſerat, nec nlla ratione neceſsaria eſt, nec ad illam ordinare debuiſset merita ſua Salvator noſter; ne redemptionem copioſam humani generis, ab ipſo ſaciendam, argueret inſufficientem, ſive defectuoſam, & veluti claudicantem; ſubindeque merita ſua, non undequaque inſinita, ſed humani aliquid paſsa.

§. III.

Num.82. A' Dignitate (ut conficiam tertium argumentum). quoniam exploratiſſimum eſt, dignitatem Chriſti Domini eſse ſimplicitèr infinitam, dignamque, adhuc præciſivè ab omni merito proprio, cunctis gratiæ, honoris, facultatum, & privilegiorum donis, quæ adeſse illi convenientèr poſsent. Sed uſus activus ſenſuum, functioneſque vitales corporis in Euchariſtia, ſive omninò per potentiam Dei abſolutam, ſive per ordinariam quoad ſubſtantiam, pœnes modum autem per abſolutam, poſſibilis eſt Chriſto Domino in Sacramento altaris: & aliundè eſt verè privilegium, donumque valde æſtimabile, nullam dicens imperfectionem, ſed potiùs illam, & quammaximè, excludens. Ergo Chriſtus Dominus, quà ſub ſpeciebus Sacramentalitèr præſens, dignus eſt ea vita actuali corporea. At ſi ſemel dignus eſt illa, ipſi debetur; & aliundè ſi debetur, illi de facto collata ſuit. ergo illa de facto gaudet. Subſumpta videtur indubitata: ſiquidem ratione illius dignitatis debentur Chriſto Domino gratia ſanctificans, gratiæ gratis datæ (ita appellantur comparativè ad alias) donaque alia innumerabilia. *Et hoc neceſſe eſt*, inquit S. Thomas diſputans de gratia habituali ejuſdem Chriſti Domini: *Propter tria. Primò quidem propter unionem animæ illius ad Verbum Dei. Quantò enim aliquod receptivum eſt propinquiùs cauſæ influenti, tantò magis participat de influentia ipſius. Secundò. propter nobilitatem illius animæ, cujus operationes oportebat propinquiſſimè attingere ad Deum .... Tertiò. propter habitudinem ipſius Chriſti ad genus humanum .... & ideò oportebat, quòd haberet gratiam redundantem*: & priùs quæſt. 6. art. 6. dixerat: *Gratia habitualis eſt effectus quidam conſequens unionem, ſecundum illud Joann. Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quòd ex hoc ipſo, quòd ille homo eſt Unigenitus à Patre, quod habet per unionem, habet plenitudinem gratiæ, & veritatis.* Ubi clariſſimè docet, gratiam deberi animæ Chriſti Domini titulo dignitatis, ſeu unionis ad Perſonam Divinam.

Quæ omnia eadem vi, eiſdemque prorſus titulis militant pro reliquis donis, quæ in ſequentibus articulis fusè expendit Sanctus Doctor. Tum præterea, quia dignitas illa, utpotè ſimplicitèr inſinita, non ſolùm importat capacitatem ad ea dona, ſed inſuper exigentiam poſitivam, cum jam ſupponatur humanitas elevata per nexum hypoſtaticum ad eum dignitatis ſupremum apicem, ut cuncta illi proportionata, & quibus meliùs ſe habeat, ſint illi connaturalia; proindèque expetita ab ipſo, eique propterea connaturali quodam jure ex ea ſuppoſitione debita illius ſtatui, ut docuit S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 40. dicens: *In humanæ naturæ ſuſceptione, fit quodammodò ipſa gratia illi homini naturalis, qua nullum poſſit admittere peccatum.* Ea autem, quæ poſtulantur, ſive exiguntur per ſe, & connaturali jure, ſive ratione naturæ, aut perſonæ ſecundum ſe, ſive ratione ſtatus, id per ſe expetentis ad ſui naturale complementum, denegari nequeunt de lege

ordi-

ordinaria, ac ſubindè debentur. Semel autem ac debeantur, de facto conferuntur, niſi per miraculum, quod patratum minimè fuiſſe ad neganda Chriſto Domino bona, quæ illi deberentur, & quorum ſuſpenſio, aut privatio pro tempore aliquo non deſerviret ad generis humani Redemptionem, (cujuſmodi fuit paſſibilitas) nulla ratione credendum eſt, aut ſuſpicandum; maximè ubi ſummè juſtus, ſummè fidelis, & ſummè bonus debitor eſt. Conſonat, ſivè accinit dictis S. Cyprianus ſerm. de ratione Circumciſionis, (ſive Abbas Bonæ Vallis) dum ait: *Tantæ dignitatis Redemptoris noſtri illa una fuit oblatio, ut una ad tollendum mundi peccatum ſufficeret*. Ubi Redemptionem mundi attribuit dignitati oblationis Chriſti Domini, quæ dignitas refundebatur in merita ex dignitate Perſonæ: ex dignitate autem meriti reſultat jus, quod dum actu rem debitam non exigit per meriti applicationem, remanet pure ſufficiens, inermeque ad illam ſibi vendicandam; applicatione tamen facta, reſumit vires efficaces, quibus veluti cogit Deum ad debitum ſolvendum.

Num. 83. Major complectitur doctrinam incontroverſam, canentibus Angelis Apocal. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. (Et fanè per Agnum ibi quamplures Interpretes Chriſtum Dominum in Euchariſtia intellexere) cum etiam Perſona illa ſit verè divina, non eſt, quo ſublimiùs ſe attollere poſſit natura humana ſubſiſtens in illa: adeòque, nec quo poſſit creſcere humanitati dignitas in ordine hypoſtatico conſtituta. Unde S. Thomas allegata qu. 19. art. 3. ſuadens, Chriſtum Dominum ſibi meruiſſe, ex eo quòd nobilius ſit in genere, habere ex meritis, quàm ſine illis, donum aliquod, ſubdit: *Quia autem omnis perfectio, & nobilitas Chriſto eſt attribuenda, conſequens eſt, quòd ipſe per meritum habuerit illa, quæ alii per meritum habent; niſi ſit tale quid, cujus carentia magis dignitati Chriſti præjudicet*. Dignitati autem undique infinitæ debentur omnia illa, quæ ipſam complent, decentque; quæ nullam imperfectionem involvant, & quæ exiſtere reipſa valeant, ſive de lege ordinaria, ſive juxta potentiam abſolutam duntaxat: ut exemplis Reſurrectionis, Gloriæ Corporis, Aſcenſionis, Exaltationis ſui clariſſimi nominis, Excellentiæ capitis, & ſimilibus notum eſt. Tametſi pleraque nonniſi miraculosè ſortiri valeant exiſtentiam, eodem ſere pacto, ac de merito ex Theologorum communi placito dictum eſt: apud quos Dignitati Chriſti Domini illimitatæ undequaque debebatur omne donum poſſibile, ſicut ipſius merito omne poſſibile præmium; & idcircò etiam illud ipſum, quod debetur titulo dignitatis, ſi aliundè cadere valeat ſub meritum, novo meriti titulo eidem debitum eſſe notavimus ſupra ex eiſdem Scholaſticis. Quamobrem in ordine ad ſibi proportionata, utiliaque, non eſt, nec fuit dignitas in actu primo ſolùm, vel quoad puram ſufficientiam; ſed neceſſariò quoad efficaciam, ſeu in actu ſecundo, uti de merito in ordine ad ſe. Quinimmò potiùs quodammodò competit hoc dignitati, quàm merito: quoniam licèt operatio Chriſti Domini, ex eo quod ſit Theandrica, ſive Deivirilis, includat eſſentialiter dignitatem meriti infiniti, quin ejuſmodi formalitas poſſit, adhùc divinitus, illi deeſſe, cum ſit eſſentialis actibus hominis Dei; attamen ne meritoria dicatur quoad effectum etiam in actu ſecundo, obſtare poſſet, aut concipi ſaltem, vel defectus promiſſionis, aut pacti divini, vel defectus prædeſtinationis illius meriti ad prædictum finem: & apud nonnullos Scholaſticos defectus etiam divinæ acceptationis: & quidem (apud ipſos) ad ſibi quoque efficaciter promerendum: quamvis nullum de facto ex his impedimentis extiterit, nec expedire unquam potuit ejus, aut eorum, exiſtentia in ordine ad ea, quæ ſibi meruit. Cœterum dignitas Perſonæ, nec promiſſionibus eget, ut accipiat dona, muneraque ſibi adaptata, & proficua, nec prædeſtinatione aliqua ipſius Humanitatis dignificatæ: & longè minùs indiget acceptatione extrinſeca Dei, per quam conſtituatur in ratione exigentis prætata dona; cum opus non habeat illa, ad hoc ut conſtituatur in ratione dignæ; ſiquidem hoc habeat intrinſecè, adæquatè, & formaliter per intimum nexum cum Perſonalitate divina: & aliundè dignitas ipſa ad inſtar cauſæ formalis conſtituit exigentiam, juſque ad munera illa obtinenda, vi cujus efficit Deum Debitorem; qui propterea de lege ordinaria nequit denegare terminum poſtulatum; tametſi poſſit attento ſupremo Dominio; in qua acceptione nemini debet; cum vel ipſius debiti ſupremum, & liberum dominium habeat. Verùm eſt, quòd dignitas Perſonæ comparata ad res, quas poſtulat, ut ſibi debitas, interdum ſit in actu primo, reſpectu illarum, cum plurimas expetat, vel expetiverit pro alio ſolùm tempore obtinendas; attamen reſpectu exigentiæ, juriſque ſemper eſt in actu ſecundo, quia eſt ipſa formalis exigentia talium rerum.

Dignitas autem meriti, quoad efficaciam, ſeu quâ parturientis jus abſolutum, exigentiamque actualem præmii, juxta opinionem plurium Theologorum, non eſt ſe ſola operatio Perſonæ divinæ, cum partialiter conſtituatur, vel ex ordinatione Chriſti Domini merentis, vel ex pacto, vel ex acceptatione. Quoad ſufficientiam verò uſurpata meriti dignitas, non eſt immediatè dignitas rerum, ſed dignitas quaſi proximè poſſibilitatis illarum ex eo capite, adeoque non importat exigentiam terminatam immediatè ad res ipſas, aut dona. Undè exigentia meriti quoad ſufficientiam

O eſt

eſt tantùm potentialis, quæ fieret actualis; præſtaretque jus abſolutum, ſi adeſſent alia conſtitutiva meriti, ut efficacis, & in actu ſecundo. Dignitas autem Perſonæ divinæ, utpotè nullo alio conſtitutivo per ſe indigens, immediatè exigit terminum, quem reſpicit, quicumque ille ſit; ſubindeque vi, & pondere infinitæ ſuæ majeſtatis illum poſtulat in re, & quoad effectum, ſive efficaciſſimè. Id apparet vel ex eo, quòd abſque ullo ex prolatis meriti efficacis conſtitutivis, obtinuit incunctanter innumerabilia dona, tanquam ipſi debita: conſequenterque in ſola unione reperitur adæquatum conſtitutivum illius juris, debitique. Ergo, illa perſiſtente, perſiſtit pariter exigentia, aut jus ad omnia illa, quorum eſt digna Humanitas Chriſti Domini, ut exhibenda congruis temporibus. Jam verò, cum dignus habeatur Chriſtus Dominus ab Angelis, qui obtineat honorem, gloriam, & bonorum omnium cumulum; ſolum vitâ Euchariſticâ dignus non erit? Importunè autem diceres jus illud in dignitate Chriſti Domini ſitum, eſſe meram capacitatem, ſeu potentiam obedientialem; nullatenus verò poſitivam exigentiam, cui dona illa ſint abſolutè debita. Importuniſſimè quidem. quoniam dignitas illa non reperitur in abſtracto in Humanitate Sacroſancta, ſed in concreto, prout conſtituente ſuppoſitum divinum unà cum ſubſtantia Verbi. In ea autem acceptione, præſupponitur jam elevata humanitas, ac ſubindè paritèr jam conſtituta in eo ſtatu ſublimitatis, cui connaturaliter debeantur præfata dona, aut privilegia, connaturaliterque poſtulentur, & non ſit tantùm indè capax obtinendi illa; licet Humanitas ſecundum ſe, & præciſivè ab unione, conſiderata, ſolùm per nudam potentiam obedientialem ſit capax illa recipiendi. Immò etſi anima, in quâ recipiuntur, nonniſi per potentiam obedientialem, etiam poſita unione, illa excipere valeat; ſuppoſitum attamen integrum illa expetit efficaciter, ut ſibi connaturalia (ad modum quo de intellectu elevato per ſummam gloriam notavimus in ſuperioribus, cui eſt debita viſio beata, & connaturalis) quoniam unio hypoſtatica bona illa poſtulat Humanitati aſſumptæ, non jam gemitu inenarrabili, ſed veluti exigentia infallibili.

Num. 84. Minor verò argumenti, quoad ejus primam partem, ſupponitur hìc ut certa, cunctorumque propè votis indubitata. Quoad ſecundam verò mihi apparet per ſe nota. vix enim in dubium cadere poteſt, nec eſſe utile, conveniens, appetibile Chriſto Domino prout ſub ſpeciebus realiter ſubſtantialiter præſenti, habere expeditam facultatem utendi ſenſibus externis circa objecta propinqua ad libitum, imaginandique, & appetendi, & exindè cognoſcendi, amandique, aut reſpuendi illa: cum hæc utilitas, & ex naturis rerum, & ex connaturali appetitu ſenſuum, potentiarumque, neceſſariò reſultare debeat connaturaliter, ſi Philoſophiæ, Animaſticæque prima elementa ſubvertere noluerimus. Deindè, ejuſmodi operationes nullam afferre poſſe imperfectionem, ſed potiùs complere, ornare, & perficere potentias ipſas, eiſdem rationibus, & principiis fundamentalibus Philoſophiæ conſtans pariter eſt. Sicut enim evidens eſt, ſubſtantiam viventem eſſe nobiliorem, dignioremque non vivente; ita pariter compertum per ſe, & ex terminis apparet, perfectius, nobiliuſque eſſe ſubſtantiæ viventi in hoc loco, vivere actu in illo, itaùt pro libito exerceat de facto, quas præferat, operationes; quàm prout ibi nullas unquam de facto elicere: maximè dum exiſtentia in eo loco, & ſtatu momentanea non eſt, ſed perennatura cum univerſo; quapropter Seraphicus Doct. in 3. ſent. diſt. 21. art. 2. qu. 2. ad 3. argumentum; objicienti, eſſe contra perfectionem nobilitatemque carnis Chriſti Domini, quòd per triduum fuerit vita deſtituta, reſpondet: *Præterea cum dicitur, quòd nobilior eſt ſubſtantia vivens ſubſtantia non vivente, hoc intelligitur de ſubſtantia, quæ caret vita ſimpliciter; caro autem Chriſti non carebat vita ſimpliciter, ſed ad tempus. Unde ſicut nobilior eſt filius Regis captus, & incarceratus, filio ruſtici in libertate ſua conſtituto: ſic etiam intelligendum eſt de carne Chriſti, quæ modico tempore caruit complemento vitæ, ut poſtea nobiliſſimam vitam reſumeret*. Hoc autem quòd de corpore reſpectu vitæ ſubſtantialis, ſive animæ illam tribuentis, dicitur, eodem plane jure urget circa vitam ipſam ſubſtantialem, ſive in actu primo, privatam actu ſecundo (& reipſa de utraque vita loquitur ibi Doct. Seraphicus; cum primam citò reaſſumendam expoſcat ob ſecundam, accidentariamque, in operationibus ſitam) non jam pro exiguo aliquo tempore, ſed pro mundi duratione: & quamvis non ſit Chriſtus Dominus privatus eo complemento ſimpliciter, quoniam in Cœlo utitur, & gaudet vita illa; eſſet tamen privatus ipſa, prout in Euchariſtia exiſtit, exiſtetque quam diutiſſimè; quòd ſufficit ad imperfectionem repugnantem ejus dignitati; quia licet non pugnaret cum ipſo ſimpliciter, pugnaret attamen cum illo, quâ præſenti in eo loco.

Præterea, quid nobilitatis, aut complementi in genere vivendi afferre poſſet anima corpori, ſi ita copuletur illi, ut nullas per ipſum unquam in eo loco functiones vitæ exerceat? Ponamus artificem adeò divinum, ut (ſicuti Poetæ canunt ſæpiſſimè) animam marmori infunderet; ſi tamen nullum motum, vel actum vitalem eliceret ſtatua, nec marmor plus aliquid ſentiret, quàm priùs, dum nimirum rude, & impolitum eſſet; quid illi prodeſſet anima in ratione, & genere vivendi, licet redundaret in peregrinam laudem Artificis, quaſi generantis, potiùs quam ſculpentis? Undè quòd anima Chriſti Domini ex Euchariſtia

poſ-

poſſit erumpere in actus intelligendi, & amandi, à corpore pænitus independentes emoliri nequit verum argumenti. Tum quia emortua corporis animati præſentia per tot ſæcula dedeceret iufinitam Perſonæ dignitatem: uti juxtà D. Bonaventuram dedeceret verbum diviuum corpori unitum bypoſtaticè, conſervare diù corpus Cbriſti Domini ab anima ſeparatum. Tum ob quamplura alia in ſuperioribus ponderata, & ideò non repetenda bic. Neque rurſus eluditur argumenti conatus per concomitautiam, ab oppoſita opinione ubique celebratam, & ad inſtar ineluctabilis reſponſionis adductam. Tum quia diguitas perſonæ divinæ, utpotè ſimpliciter infinita, non ſolùm expetere debet ex Eucbariſtia receptionem vitalium operationum, de quibus ambigitur; ſed earundem etiam activam productionem ex Eucbariſtia: cum ſit evidenter perfectiùs, nobiliùſque habere poteſtatem liberam, & expeditam ad utrunque. Tum præterea, quoniam objecta vicina Eucbariſtiæ nec videret, nec audiret, nec ſenſu ullo perciperet per operationes è Cœlo venturas; & ex alia parte eſt expetibile per ſe ei, qui adeſt, poſſe pro arbitrio videre, ſenſuque experiri objecta propinqua, ultra eoruudem purè ſpiritualem notitiam, aliundè habitam; præſertim, cum vivens, utpotè in ſtatu beatitudiois conſtitutum, nullam ex perceptione eorundem objectorum experiri valet moleſtiam, poteſt autem voluptatem. Inſuperque conducere poteſt multùm ex ſe ad fines ipſos inſtitutionis arcani. Et ſanè dignius ita concipi exiſtentem Cbriſtum Dominum ſub ſpeciebus, manifeſtum videtur; reſurgitque idcircò argumentum noſtrum ex per ſe nota majore nobilitate exercendi vitam corporis per actus ibidem primò productos, terminatoſque ad objecta, inter quæ verſatur aliquo modo, quia eiſdem præſens formaliter redditur, ut cum illis ſit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſeculi*: quàm ex illius vitæ actualis privatione. Alioqui eſſet vivens in altari reſpectu objectorum procul diſtantium; & ad inſtar inanimis reſpectu objectorum præſeutium, quibus cum nullum poſſet habere commercium vitale corpus, adhùc non mutuum, ſive ex parte ſui; ſed quaſi per extaſim aliò raperetur, borum quaſi oblitus; quidquid foret de purè mentali commercio, quod pariter adeſt nobis è longinquo.

Num. 85. Confirmatur ex indignitate oppoſita, & reſultante ex opinione contraria. quoniam revera tam phyſicè, quàm intentionaliter malè ſe haberet in Eucbariſtia, ſi ibi adeſſet realiter præſens cum privatione vitæ actualis Corporis. Porrò Serapbicus Doctor in 4. diſt. 10. art. 1. quæſt. 2. in reſolutione oſtendit, Corpus Chriſti Domini in Eucbariſtia exiſtere non poſſe dignè ſine quantitate, erroneumque fore, oppoſitum dicere; nec aliam affert potiſſimè hujus abſurditatis rationem, niſi: *Quia & ſi ſubſtantia corporea poſſit intelligi eſſe ſine quantitate, & aliis accidentibus; nunquam tamen intelligitur, bene eſſe. Si ergo non habet, tunc malè eſt*: Statimque ſubjungit, quòd ſect. præcedenti ex ipſo retulimus, nempè inde ſequi ulteriùs, nec Corpus Chriſti in Eucbariſtia fore organicum, nec vivere poſſe (& expreſsè loquitur de vita per viſum, auditumque) ex conſequentique, *nec benè ibi eſſe*: Utrumque autem fore diſſonum affirmat: *quòd nefas eſt dicere*. Non ſanè alia de cauſa, niſi quia iudigno modo exiſteret ibi Perſona Divina, quin nec Mundi Redemptio, nec ejus utilitas id expoſceret; ſed magis oppoſitum; uti fuit neceſſaria mors Cbriſti Domini in Cruce ad eum ſinem; verumtamen ita, ut illam brevi intervallo repeteret, ad inſtar potius interruptæ per mortem vitæ, quàm ſimpliciter ablatæ (quamvis re ipſa verè, & ſimpliciter ſublata fuit). Confirmatur ſecundo illuſtri teſtimonio Doctoris Angelici in 4. diſt. 44. art. 1. quæſt. 2. quæſtiun. 3. ibi: *Dicendum, quòd aliquem ſenſum eſſe in Corporibus Beatorum, omnes ponunt: alias corporalis vita Sanctorum poſt reſurrectionem ſimilaretur magis ſomno, quàm vigiliæ; quòd non competit illi perfectioni, eo quòd in ſomno Corpus ſenſibile non eſt in ultimo actu vitæ, propter quòd ſomnus dicitur vitę dimidium in primo Ethicorum*. Si autem vita ſenſibilis debetur perfectioni cujuſvis corporis glorificati, quid ſentiendum de Corpore glorioſo Chriſti Domini ubicumque ſit, atque propterea Sacramentaliter etiam exiſtenti in altari? Cùm prout in Eucbariſtia etiam vincat gloriæ magnitudine, & majeſtatis dignitate omnia ſimul corpora Beatorum: & cùm dignitati glorioſi ſtatus accedat ſuprema dignitas unionis hypoſtaticę? Proindèque ſi vita Corporis actuali careret in Eucbariſtia, dormienti ſimilis foret potiùs, quàm vigilanti; ſortireturque ſtatum valde imperfectum, arcendum procul eo ipſo à majeſtate Chriſti Domini.

Quin declinetur ſufficienter inconveniens hoc per vitam actualem comitanter adductam (cogimur ad toties inculcandam eam reſponſionem, quoniam illa comitatur plerunque argumenta noſtra; & niſi remoto obice hoc, ægre curſum habere poſſunt) ſiquidem ultimus ſtatus vitæ perfectæ Corporis, quem Beatis adſcribit S. Thomas non eſt ſola & pura receptio ſenſationum, etiamſi per illas nudè receptas ſentiat formaliter; ſed & ulterius activa ipſa productio illarum: cùm potentia ipſa, aut facultas, non tantùm ſit receptiva, verùm etiam activa; ſub qua ratione debet ſortiri in gloria ultimum ſtatum perfectionis. Fugaretur itaque ea via inſenſibilitas paſſiva; remaneret autem inſenſibilitas activa pbyſica. Rurſus, licet corpus per eam concomitantiam non foret pœnitus dormienti comparandum, nec modo inſenſibili exiſtens: eſſet tamen inſenſibili modo præſens comparativè ad objecta

propinqua, & fideles, qui devotè, & ſanctè ipſum reverentur; dormiretque reſpectu Aquilarum, quæ circa corpus congregantur. Neque dormiret (ut ita loquar) in utramque aurem, ſed dormiret in unam veluti dimidiate. quoniam reſpectu objectorum ipſum circumſtantium eſset omninò inſenſibile; eò quòd ſenſationes objectorum, quæ circa illa verſarentur, è Cœlo recipere non poſset (uti & reſpectu omnium ſimpliciter in genere activo vivendi) Unde inſtar ſaxi foret nobis præſens Corpus Chriſti Domini, qui licet Petra dicatur ab Apoſt. 1. Corint. 10. *Petra autem erat Chriſtus*; aſſimilatur attamen Petræ, quæ motum à ſeipſa habuiſſe legitur ibidem: *Conſequente eos Petra*, adeoque vitalem operationem habuit adhuc in figura ipſa: quare igitur Chriſtum Dominum in Eucharistia per illam figuratum omni motu phyſico ab intrinſeco deſtituis? Saxum ſeipſo vitali motu volvi fateris, & corpus animatum; quòd figurat, immotum, immobileque ſemper ab intrinſeco invehis, ut *Capitolii immobile ſaxum*?

Num 86. A' decentia, ſeu decoro Chriſti Domini conficio jam quartum, & affinem diſcurſum. Nihil quòd deceat Chriſtum Dominum denegandum eſt ipſi, ubicumque adſit. ſed decet ipſum prout in altari Sacramentaliter abſconditum exercere de facto, & activè ſenſus, potentiaſque corporeas & alias, ab organis in operando pendentes. Ergo &c. Major non minùs certa eſt conſenſione firma Theologorum, quàm dignitas ſumma ejuſdem Chriſti Domini. Profecto namque ſæpius vix aliquid commendatur in Sacra Pagina, loquendo de Chriſto Domino in ordine ad dona, officia, privilegia, operationeſque ipſius, quàm decentia; neque accuratiùs aliquid examinant Scholaſtici, cùm diſſeritur, num poſſit attribui hoc, vel illud, aut poſſit ne habere munus aliquòd, quàm utrum deceat Chriſtum Dominum illud exequi? Imitati ipſum Salvatorem Math. 13. ajentem: *Sine modò, ſic decet nos implere omnem juſtitiam*: Tum etiam Apoſtolum ad Hebr. 7. dicentem: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cælis factus*: Et ibidem cap. 2. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*. Et his ſimilia, quę paſſim reperiuntur in ſcripturis. Hæc eſt regula, juxta quam Theologi, adſcribunt, vel denegant Chriſto Domino quamplurima. Hac moventur SS. Patres, & ipſi Scholaſtici, dum eximiam corpori ejuſdem Servatoris pulchritudinem, tametſi virilem, concedunt, temperaturamque perfectiſſimam. Eâdem menſurâ regulantur in ordine ad defectus naturæ humanæ communes, quos debuit aſſumere, vel prætermittere, ut liquet ex Magiſtro lib. 3. ſent. diſt. 15. ubi Seraphic. Doct. art 1. qu. 2. docuit, *Chriſtum Dominum* non omnes defectus noſtros aſſumpſiſſe; *Sed illos tantùm, quos ipſum aſſumere decuit, & nobis expediens fuit. Sed qui ſunt illi defectus, adhuc quæſtione indiget, ſicut & primum: & innuit Magiſter, illos defectus decuiſſe, & expediviſſe illos aſſumere, qui faciunt, vel ad veritatis naturæ oſtenſionem, vel ad operis, propter quòd venerat, conſummationem*. Et infra: *illos autem defectus, qui non tantùm ſunt in culpa, ſed etiam via ad culpam, non decuit Chriſtum aſſumere. Alios autem defectus decuit*. Eodem reſpexit S. Athanaſ. lib. de Incarnatione, dum dixit: *Non decuiſſe, ut ille, qui infirmitates noſtras ſuſcepturus venerat, infirmus eſſet*. Et S. Cyril. lib. 12. & 14. decentiam munerat inter primas cauſas inſtituendi myſterium profundum Euchariſtiæ. *Decebat enim* (inquit) *eum noſtris quodammodò uniri Corporibus per ſacram ejus carnem, & pretioſum Sanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificatricem in pane, & vino*. Eodem S. Auguſtin. tract. 33. in Joann. dum ait: *Ubi enim decebat docere Chriſtum, niſi in monte Oliveti?* A' decentia colligens, eruenſque rationem facti. Et Origen. lib. 5. contra Celſum ait. *Deum nihil poſſe, quòd ſe non deceat*; Unde omittere nequit, quòd deceat ipſum, ejuſque majeſtatem. Et aliundè compertum omnibus eſt, debitum hoc decentiæ Chriſti Domini talis conditionis eſſe, ut quaſi jure quodam tametſi non ſtrictæ juſtitiæ, impellat Deum ad conferendum illi, quidquid ipſum deceat. Quapropter S. Anſelmus in Proſologio cap. 10. uti & 11. dixit: *Juſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis quòd decet*.

Et D. Thomas 3. p. quæſt. 57. art. 1. loquens de convenientia Aſcenſionis Chriſti Domini, licet opus non haberet regione Empyrei, ad hoc ut eſset completiſſimè beatus, non aliam potiſſimam adducit illius cauſam, quam Chriſti Domini decentiam. Nam ibi in reſponſione ad ſecundum ait: *Per hoc quòd Chriſtus aſcendit in Cœlum, nihil ei accrevit, quantùm ad ea, quæ ſunt de eſſentia gloriæ, ſive ſecundùm Corpus, ſive ſecundùm animam; tantùm accrevit aliquid, quantùm ad loci decentiam, quod eſt ad benè eſſe gloriæ; non quòd Corpus ejus aliquid, aut perfectionis, aut conſervationis acquiſierat ex Corpore Cæleſti, ſed ſolummodo propter quandam decentiam; hoc autem aliquo modò pertinebat ad ejus gloriam. Et de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quidem quòd tunc de novo de hoc gaudere inciperet, quandò in Cœlum aſcendit, ſed quia novo modo de hac gaviſus eſt, ſicut de re impleta*. Similem doctrinam tradit jure pari D. Eximius diſp. 49. ſect. 6. §. *ultimo addendum*. Ubi de integritate debita Chriſto Domino in Euchariſtia ſcribens, ait: *Ad quod ita inſtituendum fuit etiam hic ſpecialis ratio, tum propter excellentiam, & majeſtatem Corporis Chriſti: tum etiam, quia hoc Sacramentum eſt memoriale, & ſignum ejuſdem Corporis in propria ſpecie exiſtentis. & ideo decuit, ut eodem modo eſſet in hoc Sa-*

cramen-

cramento , quo extra , quo ad omnia abſoluta , quæ à loco non pendent . Audiendus etiam P. Leſſius quæſt. 76. art. 7. dub. 2. ubi ſententiam noſtram firmat his verbis : *Probatur primò, quia cùm Dominus per hoc Sacramentum nobiſcum habitet corporaliter , omninò decebat , ut haberet aliquod nobiſcum corporale commercium per ſenſus corporales , nec ibi eſſet modò ſtupido , & mortuo* . Verba ſanè notatu digniſſima , quibus & præſens argumentum, & integra opinio noſtra egregiè fulciuntur. Adjiciendus P. Granados tom. 5. controv. 6. tract. 4. diſput. 1. differens de his , quæ Chriſtus Dominus habet per concomitantiam in Euchariſtia , inquit : *Chriſti Domini majeſtatem omninò dedecebat partitus ille , ac veluti incompletus exiſtendi modus , ut nimirum alicubi ſolùm corpus exangue ſine vita , ſine divinitate exiſteret ; cùm poſt reſurrectionem ſemper vivat , & ubique debeat exiſtere glorioſum* . Nihil igitur decere potuit Chriſtum Dominum quòd ipſi eo titulo debitum non ſit , etiamſi per miraculum tantummodò viam ſibi aperire valeat ad illud obtinendum: ſicut Aſcenſio illius , quæ ab Eccleſia Sancta nuncupatur *admirabilis* , nonniſi per prodigioſam elevationem , & ingreſſum in arcem munitiſſimam divinitatis contingere potuit ; & nihilominus ei debebatur aſcenſus in locum illum majeſtatis proprium , juxta D. Thom. ex decentia præcipuè ; vi cujus non denegaretur illi regio nativa gloriæ abſque ipſius dedecore.

Num. 87. Minor perſuadetur primò ex dictis circa meritum Chriſti Domini, & ejus ſupremam dignitatem. 2. quoniam manifeſtum eſt , convenientiſſimum eſſe viventi , ubicumque exiſtat, & quomodocumque, habere potentias , ſenſuſque expeditos ad functiones vitæ peragendas ; cum abſque actu 2. ſint imperfectè exiſtentes, ut oſtendimus ex philoſophia , & ideo D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 2. Corpore : dixit : *Unumquodque autem in tantum eſt perfectum , in quantum eſt in actu, nam potentia ſine actu imperfecta eſt.* Et aliunde non minùs exploratum eſt , decere Chriſtum Dominum in Euchariſtia id ipſum , quod per ſe, & honeſtiſſimè convenit, debetur, aut conſentaneum eſt viventi rationali 3. Quoniam alioqui erit in ſtatu per ſe violento ; cum neceſſariò potentiæ ſenſuſque poſtulent expeditam facultatem comparandi perfectionem , & complementum per proprias operationes, quibus carerent ; quòd contrariatur ſtatui completo beatitudinis , defectu cujus anima beata nondum habet ſtatum ex integro completum fælicitatis ipſi debitum , & ab ea vehementer exactum, corpus ſcilicèt . Neque ſtatus ille violentus à completiſſima beatitudine extraneus , ſubindeque à Chriſto Domino, patitur inſtautiam juſtam in modo exiſtendi ſacramentalitèr , inextenſoque ; cum ex natura rei exigat Corpus extenſionem in ordine ad locum , ut propterea concipi poſſit in ſtatu violento ; qui nihilominùs ob fines utilitatis mundi liberè fuerit à Chriſto Domino inſtitutus, deceatque eo ipſo, ſicuti decuit olim vita paſſibilis ipſum. Contra enim 1. Quoniam modus inextenſus exiſtendi ſub ſpeciebus eſt adeo mirabilis , undique miraculoſus , & ad præſentiam propriam rei ſpiritualis accedens : quin & ad perfectiorem longè participationem immenſitatis, cum ſit præſens ſimul innumerabilibus propriè locis ; ut contineat eminenter alium connaturalis extenſionis : atque adeo compenſatur quamoptimè defectus ille , ſuppleturque nobiliori modo, beneficio cujus violentus eſſe nequit prædictus ſtatus . Sic apud Cajetanum , & Thomiſtas , quibus ſubſcribit Doctor Eximius tom. 1. de Incarn. diſp. 8. Humanitas Chriſti Domini ſubſiſtens per verbi divini perſonalitatem, privataque idcircò ſuâ, connaturaliter alioqui reſultaturâ , hanc minimè appetit , nec violenta eſt ſub divina : quoniam videlicèt compenſatur altiori eminentiorique modo per illam defectus hujus . Cæterum privatio omnium vitalium operationum reſpectu Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia per nullum effectum ſublimiorem , in quo eminenter contineatur, ſuppletur, ut compertum eſt.

Si namque velis animam Chriſti Domini prout ibi præſentis habere gaudium ſpeciale de privatione illa in mundi utilitatem ſuſcepta ; gaudium voluptatemque animæ auges ; Corpus attamen, utpotè nihil percipiens ejuſmodi delectationis , permaneret in ſtatu violento, miſeroque, negativè ſaltem ; cum ex nullo capite compenſaretur illi damnum , quod in privatione ſui complementi pateretur . Idemque erit , & ſi Corpus ipſum Chriſti Domini prout in Cœlo exiſtens , obtineat inexplicabiles denuò voluptates eo titulo ; quandoquidem hoc minimè efficeret, quòd prout ſub ſpeciebus præſens violentum non ſit, dummodò ipſi, quâ ibidem præſenti realiter compenſatio non fiat . Niſi ad comitantiam earundem recurſum facias : quem occludimus ſæpiſſimè, ut fallacem, & inter ipſos Adverſarios in ordine præcipuè ad formalem effectum, valde dubium . Quod verò adjungitur de utilitate hujus privationis , falſum omninò eſt , & voluntariè dictum : cum oppoſitum oſtenderimus abundè ſupra, inferiùſque conſtabit uberiùs quantùm conducant ejuſmodi operationes ex Euchariſtia primò exercitæ ad fines per Euchariſtiam intentos . Quinimmò, & ſi profectus noſter utrobique fingeretur æqualis ; cum tamen magis proculdubio deceat per ſe modus à noſtra opinione intentus, præferri debebat ; nec credendum eſſet , Chriſtum Dominum oppoſitum præ hoc eligere voluiſſe , ut ſua prælectione illum faceret decentem . Neque exemplum vitæ ſenſibilis, mortiſque , quidquam juvat , quantumvis potuerit Deus decernere aliam viam , minùs duram Chriſto Domino ad liberandum humanum genus . ſiquidem Chriſtus Dominus venit , non modo,

dò, ut genus humanum redimeret, verùm, ut exemplar noſtrum foret; quo titulo congruentiſſimum erat, ut genus vitæ aſperrimum duceret, multaque acerba, & mortem denique toleraret, ut vita noſtra, in præceps ſeipſa ruens, ad ejus normam ſe, ſuaque componeret, & carnis illecebras cohiberet, dum in ſeipſam prudenter ſæviret. Euchariſtia autem non fuit inſtituta in exemplar vitæ noſtræ, ſed in cibum quo confortemur, nutriamurque, ad exemplar illud primum ſtrenuè æmulandum. Rurſus, quæ decere poſſent Chriſtum Dominum in vita paſſibili, dedecere poſſunt eundem in glorioſa, & impaſſibili. Ad hæc dolor, & ignominia mortis compenſata fuere exaltatione glorioſa, *propter quod*, ait Apoſtolus, *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen &c.* Privatio autem vitæ Corporis in Euchariſtia nullum præmium, quo compenſetur obtinere valet. Denique motiva, quæ impulere Deum ad decernendam vitam paſſibilem Chriſti Domini, ejuſque mortem crudeliſſimam adeo ſublimia fuere, & ab Eccleſia Patribus profundè adorata, ut alienum foret à judicio prudenti ſimilia fingere, ad boc, ut Chriſtus Dominus in Euchariſtia adſit vita Corporis ſpoliatus, & in tenebris degens; dum, licèt apertis, fulgentibuſque luminibus, adeſſet nihilominus lumine captus.

Num. 88. Contra 2. quia ſi violentia, quam pateretur corpus omni vita actuali deſtitutum, ſe contineret purè intra limites phyſicos, poſſet aliquatenùs permitti ſine dedecore. Cæterum illa tranſcendit fines appetitus merè innati, offenditque vitam corpoream, & appetitum elicitum: vel quatenus poſitive doleret neceſſariò, ut Scotus opinatur (quamvis doloris motu per miraculum elicito), vel ſaltem careret poſitivè delectatione earum operationum, libertateque luſtrandi pro libito vicina objecta. Quod malum, cum aliunde compenſari nequeat bono æquali, aut majori, juxta proportionem, ut dictum eſt, neceſſariò dedecet corpus glorioſum, & maximè caput omnium, Chriſtum Dominum. Ut autem hæc omnia clareſcant uberiùs, rogamus unde deſumendum nobis exemplar, per comparationem ad quod, dignoſcere, dimetirique poſſimus ea, quæ decent, vel dedecent Chriſtum Dominum in Eucbariſtia? Profectò non aliunde verius, opportunius, propriuſque, quàm ex ipſomet Chriſto Domino in propria ſpecie exiſtente, cum omnia, quæ ipſi competunt per ſe in Cœlo, reperiantur in illo, quâ ſacramentaliter præſenti altari, præter modum præſentiæ; ſubindeque è converſo etiam, quæ dedecent ipſum circumſcriptivè præſentem in Cœlis, à fortiori dedecent pariter illum ſub ſpeciebus latitantem, uti ex doctrina Synodi Trident. colligunt Scholaſtici: inter quos nobilem ſibi locum vendicat P. Martinon. de Euchar. diſp. 32. ſect. 2. num. 19. dicens: *Menſura ſtatus Chriſti Sacramentalis eſt ſtatus naturalis Chriſti: & perfectio illius ſtatus eſt menſura perfectionis ſtatus ſacramentalis. Alioqui Sacramentum redundaret in imperfectionem Chriſti: & minùs ei delectabile foret, in Sacramento eſſe, ſi alioqui ſpoliaretur ſuis perfectionibus: quæ ſpoliatio, cum alioqui nec neceſſaria, neque utilis ſit ad bonum finem, non debet afferi.* Cum autem totn lumine ſacræ Theologiæ certum ſit, futuram indecentem Corpori glorioſo Chriſti Domini in Cœlis privationem vitæ actualis, quin & privationem facultatis expeditæ ad uſum activum erebrum, & perſpicacem, quantumvis ſucceſſivum, operationum vitalium ſenſuum, potentiarumque; quo juris colore, quave decentia introducis Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus ſpoliatum vita actuali Corporis, quâ gaudet, & ſummè delectatur in propria ſpecie conſtitutus?

Reſpondebis integro huic diſcurſui. nec Chriſto Domino, quâ replicato in Euchariſtia fieri injuriam, nec violentiam aliquam in ea vitæ corporis privatione; tametſi fieret ipſi, quâ Cœlis adeſt: quoniam prout replicatus divinitùs minimè poſtulat operari, vel exigit ibi operari, ſentireque, ſed non prout ibi præſens, ſed prout alibi, quia nec vires ſuppeterent ad operandum ſimul utrobique: nec poteſt exigere connaturalitèr operari ex eo loco, & modo exiſtendi, quem nullo pacto expetit naturali exigentia, cum ſit ſupra naturam. Idemque fieret aut contingeret, etiamſi bilocatio eſſet pariter circumſcriptiva. In oppoſitum tamen eſt, quod ex ejuſmodi doctrina ſequeretur contra producentes, nec Chriſtum Dominum in Euchariſtia futurum in ſtatu violento, miſeroque, nec abſolutè futurum contra decentiam, & decorum ipſius, licet nec per concomitantiam poſſideret vitales ullas corporis operationes in Cœlo emiſſas: nec anima illius elicere poſſet ullos actus nudè ſpirituales, maximè ſi intercedere debeat miraculum, quoad modum, ut ſupra diximus; immò licèt, prout in Euchariſtia, privaretur viſione beata, dummodò his omnibus frueretur in Cœlo: quia nullo modo exigeret replicatum illum modum exiſtendi. Quæ omnia abſona valdè forent; quia licet non appetat naturalitèr replicationem; eâ tamen præſuppoſitâ, expetit ſibi jure meritò illa omnia.

Secundo: calor v. g. bilocatus utrobique calefaceret, ſaltem dum in alterutro ex locis non exerceret vires ſuas omnes: nec enim exiſtentia adæquata illius in uno pendet ab exiſtentia in alio: adeòque in quolibet, juxta naturam propriam exigit calefacere ex ſuppoſitione bilocationis, ut frequentiſſimè tradunt Adverſarii. Idque vires habet robuſtiores in cauſa libera bilocata, cum poſſit in uno loco ita attemperatè, aut remiſsè ſe exercere, ut ſinat ſeipſam in alio loco ſimul operari. Quanto

igitur

igitur fortiori jure id aſſerendum de corpore glorioſo Chriſti Domini replicato, cum ejus exigentia dimetienda non ſit per appetitum naturalem humanitatis, ſenſuumve, ſi nudè uſurpentur, ſed per exigentiam, tum unionis hypoſtaticæ, tum meriti, tum donorum ſupernaturalium, divinarumque ſupellectilium poſtulantium vividiſſimè omnem perfectionem ipſi Humanitati poſſibilem, omneque complementum; cujus privatio, vel exigua, non minùs dedeceret ipſum in linea decori, & completiſſimè undique beatitudinis, quàm imperfectio moralis in linea Sanctitatis?

Num. 89. Hinc probatur iteratò eadem minor ab oppoſito abſurdo, indecentiæ ſcilicet, quæ neceſſariò ſequeretur ex præfata privatione. Etenim ut doctè obſervat S. Damaſcen. lib. 3. de fide ortodo. cap. 18. *Mens ſapientiâ, & operatione deſtituta, nulla unquam eſſe queat, nam ſi torpida, & immobilis eſt, nec quidem omnino eſt.* Idemque à fortiori judicium formandum de vita animati corporis, ſi omni prorſus operatione, functioneque vitali deſtitutum ponatur. Si igitur Chriſtus Dominus in Euchariſtia nullas planè eliciat vitæ ſenſitivæ operationes, immo nec rationales miniſterio ſenſuum comparatas, torpida omnino erit anima ipſius, prout vegetans Corpus Sacramentaliter præſens, & uſque ad finem mundi in altaribus, ac proindè, ut ſubintulit Damaſcenus, prorſus non erit, ne indecenter, aut indecoroſo exiſtat modo. Firmat quoque; & illuſtrat ſimul, hunc diſcurſum Nemeſius Epiſcopus Emiſſenus in libro de natura hominis, ubi probans ex operationibus, animalia reliqua non habere, animam ejuſdem ſpeciei cum rationali hominis propria, amovenſque reſponſionem eorum, qui ajebant, brutorum animas de facto quidem non exercere functiones vitæ rationalis ob improportionem corporum, ſive organorum; habitu tamen, ſive in radice, illas exercere poſſe, ſubdit: *Relinquitur enim adhuc idem abſurdum, Deum non ingenuiſſe Corpori accomodatam animam, ſed ſupervacaneam, inutilem, & otioſam, quæ per omnem ipſorum vitam à fungendo ſuo munere impediatur.* Videatur Eruditiſſimus Card. Cozza to. 1. par. 1. cap. 6. pag. 194. Quanta vero proprietate hæc omnia adaptari poſsent Chriſto Domino in Euchariſtia, ſi opinio adverſa ſubſiſteret, vel ſimplici reflexione perſpicuum apparebit; cum juxta eam modus exiſtendi, quem obtinet Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus, ſit adeo improportionatus vitæ Corporis functionibus, ut nec ullas connaturales elicere poſſit, nec aliquam de facto eliciat, etiam per miraculum. Ac proinde potentiæ ſenſuſque Chriſti Domini in Euchariſtia, & prout in illa, ſi ſtandum eſt doctrinæ Nemeſii, erunt ibi inutiles ad finem, & complementum proprium actìvè aſſequendum, otioſæ, ac ſupervacaneæ; quod in nullo ſenſu verificari poteſt, quin ſimilis ſtatus dedeceat majeſtatem, deturpetque gloriam Servatoris noſtri. Dicenda ne foret illa majeſtas, an potiùs infelicitas? Namque majeſtatis celſitudinem componi in eadem ſede indiviſa cum amore, ſcimus omnes; eum dedecore tamen poſt Reſurrectionem, & ſtatum completum gloriæ, neſcire prorſus cupio. Quod enim concomitanter percipere intentionaliter, ſive experiri valeat ex Euchariſtia objecta remotiſſima, ſub lite eſt, vel extra rem; quoniam vita illa non appareret hìc, & ſi Chriſtus Dominus ſenſibiliter videretur; propè verò exiſtentia minimè perciperet. Dormiret itaque templis, & nobis, & ſolùm vigilaret Cœlis. Præſtat autem vigilare, quàm dormire, ut dolenter pronuntiat S. Auguſt. lib. 8. Confeſ. cap. 5. Ubi ſomnolentiam quondam ſuam mirè deſcribens, & noſtram faeilè increpans, ait: *Nemo eſt, qui dormire ſemper velit, & vigilare præſtat.* Sin minùs, vel ipſi Chriſto Domino opportunè diceretur: *Surge, qui dormis &c.*

Eundem ſenſum luculenter admodum innuit D. Seraphi. ubi ſupra in reſponſione ad ſecundum diſputans de illis defectibus, quos dedecebat Chriſtum Dominum aſſumere: *Ideo*, inquit, *nullos defectus debuit aſſumere, qui non eſſent ordinati ad noſtrum profectum, & expeditionem noſtræ ſalutis: multi autem ſunt, qui potiùs impediviſſent, quàm juvaſſent, ſicut defectus membrorum, vel ſenſuum, & aliorum conſimilium.* Et ibidem in reſponſione ad tertium adjungit opportuna alia ad rem præſentem: contendebat enim objectio, defectus alios corporis conducentes fuiſſe ad ſcopum Incarnationis titulo humanitatis; cui ſatisfacit in hunc modum S. Doctor: *quia de aliquibus defectibus rationabile non erat, ut Chriſtus ſe per illorum aſſumptionem humiliaret; quia ſe potiùs ex illa humiliatione inutilem, quàm utilem reddidiſſet, ſicut ſi fuiſſet cæcus, gibboſus, & hujuſmodi; & ideo tales nullo modo debuit aſſumere.* Perpendat ſerio Lector, num per defectum vitæ ſenſitivæ, ſive per non uſum activum ſenſuum, tam internorum, quam externorum; immo nec paſſivum circa objecta propinqua, ſe reddat potiùs inutilem ad fidelium ſolatium ex oppoſita notitia oriturum: ad commercium amoris nobiſcum, ad influendum phyſicè tanquam Inſtrumentum concurrens ad omnes Euchariſtiæ effectus digno, & decenti modo, ut decet hominem Deum operantem; vel ſecus? Perpendat, num exiſtere ſine motu, & ad inſtar ſurdi, cæcique impediat magis, quàm juvet, altiſſimos arcani maximi fines? Profecto victimæ, quæ in veteribus ſacrificiis immolabantur, quæque Euchariſtiam præfigurabant, immunes ab ejuſmodi defectibus eſſe debuerunt: ut conſtat ex cap. 22. Levit. & in Deuteron. cap. 15. jubetur; *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Deo tuo.* Si hoc exigebatur in pecude, quid in homine? Si in victima

pure

purè tali ; quid in victima ſimul & Sacerdote?

Num. 90. Illico tamen inſurgent aliqui hæc omnia in nos contorquentes ſic . ergo eadem plane ratione, & titulo dedecet Chriſtum Dominum in Euchariſtia non loqui palam nobiſcum , nec poſſe expeditè, proximèque non moveri pro nutu , ambulatione interdum prodente ſuam vitalitatem : & id genus alia , quæ juxta aſſerti noſtri principia minimè de facto exercentur à Chriſto Domino ; nec expediret , ſed nocuiſſet potiùs illarum exercitium . Redargutio hæc, quæ apparet incauto ſpecioſa , re ipſa, & inermis eſt, & leviſſima . Et in primis novo reflexoque ictu retorquetur in obiicientes, apud quos neceſsè omnino eſt , ſenſationes alias à Chriſto Domino è Cœlo emiſſas deferri ad altare per concomitantiam ; & nihilominus apud ipſos nec locutio, nec motus, quem Chriſtus Dominus eliciat in Cœlo defertur ad Euchariſtiam ; alioqui dum phyſice loqueretur ibi ; tametſi fieret ſolùm per locutionem comitanter ex Empyreo adductam, & ad Deiparam, exempli gratia, ibi præſentem directam, audiretur ſonus ille dulciſſimus à Sacerdote, & circumſtantibus altare ; cum ad hunc effectum , idem penitus ſit , quod exiſtat ibi concomitanter duntaxat , aut quod ibidem primò proferatur : ſiquidem ex ejus ore divino prodire debet articulata, & canora vox , ſive alibi primò prolata, & ad eum locum ſimul adducta ; ſive in Euchariſtia primò edita . Quemadmodum ſi Chriſtus Dominus exiſteret circumſcriptivè in altari, & in Cœlo ſimul, æque videretur oculis corporeis a nobis hic, ac à Sanctis completè beatis illic. Vel quemadmodum apud D. Angelicum Chriſtus Dominus videt ſeipſum in Euchariſtia oculis , prout ſub ſpeciebus latitantibus , eodem pacto, ac eiſdem oculis videt in Cœlo ſeipſum alio modo exiſtentem . Diſcrimen igitur deſumendum eſt ex eiſdem fontibus , è quibus Theologi cum Magis : ſent. ſupra, & D. Angelico in 3. diſt. 14. & 15. & D. Bonaventura ubi nuper , hauſere cauſas: ob quas Chriſtus Dominus aliquos naturæ humanæ defectus merè phyſicos aſſumpſerit ; non verò alios, eos nimirum , quorum aſſumptio conducens erat, tum ad manifeſtandum omnibus , ſe accepiſſe veram naturam humanam , tum ad finem ipſum Incarnationis.

Unde D. Seraph. loco allegato non ſemel , ſed ſæpius eam diſtinctionem commendat , tanquam regulam firmiſſimam, qua aberrare nequeat mens noſtra in diſcernendis defectibus à Chriſto Domino aſſumptibilibus , à reliquis, quos aſſumere non decuit, uti & quæſt. 1. ejuſdem articuli inculcaverat eandem doctrinam , adjungens: *Et ideo licet incongruum videatur , hujuſmodi defectus reperire in Chriſto , tametſi ad finem referantur , magna reperitur congruitatis condecentia* . Jam vero cum Euchariſtia , juxta phraſim Sanctis Doctoribus familiarem, ſit extenſio Incarnationis , decuit , Chriſtum Dominum quaſi aſſumere defectus illos (defectus, inquam, non in habitu, ſed in privatione operationis ſitos) quos conducere noverat ad Sacramentum ipſum inſtituendum, & ad fines inſtitutionis illius : & aliunde, tum ad conceptum Sacramenti, maximique ſecreti , tum pariter ut fides noſtra meritum habeat , neceſſariò debeat latere Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus, itaut minimè ſenſibus experiri valeamus ejus præſentiam realem, ſed fide pura ; ſin minùs, jam derogaretur merito fidei , ut vidimus ſect. 1. hujus diſput. Ideoque Paſchaſius Corbeienſis Abbas lib. de Corp. & Sang. D. cap. 1. dixit: *Quatenus fides exerceatur ad juſtitiam, & ob meritum fidei, merces juſtitiæ conſequatur ... Ut fides comprobetur &c.* Similiterque deſineret eſſe arcanum ſecretiſſimum , cum pateret ſenſibus . Inſtituere autem magnum fidei myſterium , itaut fides ipſa præjudicium patiatur : & arcanum omnium ſummum ita , ut penitiora ejus adyta in aperto ſint cunctis ad limen accedentibus, alienum foret à ſapientia Dei inſtitutrice . Ex alia autem parte manifeſtum eſt, fidem noſtram habituram experimentum ſenſibile, & indubitatum , quin & multiplex præſentiæ realis Chriſti Domini (proindèque deſineret eſſe fides) ſi Chriſtus Dominus ex altari nobiſcum loqueretur, ſeipſum, & ſpecies paſſim moveret , circuiretque ſe ſolo ſpatium altaris, aut templi. Tunc enim fides eſſe poſſet egregia, ſi per revelationem crederet oppoſitum objecto fidei noſtræ, (ſi ita re ipſa tunc foret) ſi nimirum crederet non adeſſe præſentem Chriſtum Dominum nihilominùs. Non igitur decuit Chriſtum D. eas operationes elicere de facto , niſi raro per inſigne miraculum, & opportunum circumſtantiis , in Euchariſtia . In qua aliundè compenſatur altiùs privatio hæc per gaudium, aut delectationem, quam capit Chriſtus Dominus, & quidem corporalitèr, dum oculis corporeis videt fideles ſuos adſtantes adorare , quod non vident , credere oppoſitum illius , quod ſenſus materiales intimant. Res autem aliter ſe habet in privatione uſus actualis vitæ ſenſuum nobiliorum, quippe quæ nos ſenſibilitèr experiri nequaquam poſſumus, nec videre videntem, nec audire audientem nos ; atque adeò, nec in minimo præjudicare valet merito fidei noſtræ . Cum aliunde operationes illæ compleant, perficiantque ſummoperè ſenſus, & potentias organicas ipſius Chriſti Domini, efficiantque ut modo vitali ipſum decente, & exiſtat , & concurrat ad miros effectus Euchariſtiæ inducendos ; & ſimul earum cognitio in nobis, & fiduciam noſtram excitat, & amorem nutrit . Quamobrem, motiva, vi quorum decet Chriſtum Dominum operationum objectarum defectus aſſumere privativè , efficiunt , oſtenduntque , dedecere ipſum alios (quos removere conatur aſſertio

tio noſtra) pati. Sic aſſerta veritas ex motivis oppoſitis novit ſæpius ſtabiliri, quam concuti.

SECTIO QUINTA.

Tria alia ratiocinia è vulgari Theologorum doctrina formantur, & veluti ex viſceribus communis Theologię extrahuntur.

§. I.

Num. 91. INSTITUAM modò quintum argumentum, Adverſariorum doctrina, armiſque validè inſtruendum, adornandumque. Theologi namque, qui nobiſcum pugnant hìc, plerunque aſſerunt cum D. Thoma, & primatibus Scholæ Thomiſticæ, Humanitatem Chriſti Domini concurrere phyſicè activè ad effectus omnes, & gratias, quæ per Euchariſtiæ ſacræ conductum, vel fontem potiùs, derivantur in ſanctè recipientes illam; & quidem vel ex eis, qui moralem dumtaxat influxum Chriſti Domini agnoſcunt in reliquis effectibus, & Sacramentis; in Sacramento tamen hoc omnium maximo, cui ipſe Chriſtus Dominus præſens realitèr adeſt, phyſicum planè, & jugem per modum inſtrumenti conjuncti concurſum in omnes ex illa, & per illam ſcaturientes effectus admittunt, & ſtrenuè propugnant. Ut Ægydius Conink, Martinonus, & plures alii. Sed nequit humanitas Chriſti Domini concurrere phyſicè de facto, prout exiſtit in Euchariſtia, ad memoratos ejuſdem effectus, quin vitalitèr ad illos concurrat; & aliundè nequit de facto vitalitèr ita influere, aut agere, quin vita illa actualis ſit corporea, aut à corpore pendens. Ergò Chriſtus Dominus, prout Sacramentalitèr præſens altaribus, exercet de facto operationes, functioneſque vitales corporeas, ſive organo addictas, & ſenſibus, aut ab eis originem ſumentes.

Major propè nullum faceſſit negotium, præſertim nobis, cum ſit contrariorum ſolemnis opinio, è quibus illam mutuamur, ut indè, vel abſolutè, vel ſaltem ad hominem, evincere poſſimus, quod conatibus noſtris vehementer expetimus. Illam ſiquidem hauriunt ex D. Thoma 3. p. quæſt. 8. art. 1. corpore, ajente: *Et ita actiones ipſius ex virtute Divinitatis fuerunt ſalutiferæ, utpotè gratiam in nobis cauſantes, & per meritum, & per efficaciam quandam*. Item quæſt. 13. art. 2. & 3. quæſt. 18. art. 4. quæſt. 48. art. 6.: quæſt. 62. art. 2. 3. 4. quæſt. 84. art. 3. ad quartum. Item in quartum diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. corpore, & diſt. 10. & diſt. 14. qu. 2. art. 4. & diſt. 44. quæſt. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. uti & qu. 27. de veritate art. 4. & quæſt. 6. de potentia art. 4. ſumiturque ex Auguſt. tract. 8. in Joan. ex S. Damaſc. lib. 3. cap. 19. ex Sancto Gregor. Niſſen. in libro de Baptiſmo, & oratione. ex Gregor. Taumaturgo: ex Cyrillo Alex. lib. 2. in Joan. cap. 42. ex Magno Gregorio dialogo 2. cap. 30. ex Chryſoſt. homil. 25. in Joan., & 26. in Math. ex Ambroſio lib. 1. de Sacramentis cap. 2. Tertulliano de Baptiſmo cap. 4. Cypriano (ſeù veriùs Arnoldo Carnotenſi) ſerm. de unctione Chriſmatis: S. Leone ſerm. 5. de Nativitate Euthymio in Luc. 7. cap. 19. Uti & ex Cathechiſ. Rom. in ſecunda parte Symboli cap. 1. quæſt. 18. Hauriunt, inquam, ipſam ex laudatis, aliiſque Patribus Capreolus, Cajetanus, Sotus, Paludanus, Ferrara, quibus adhærent fermè omnes intra Scholam Thomiſticam, ſicut, & quamplurimi extra illam, quos dabit Coquetius lib. de gratia Diſp. 6. & ex Societatis noſtræ ſchola Bellarm. D. Eximius, Valentia, Henriq. Granad. Ripalda, Fonſeca, Caniſius, Conimbric. Mæratius, Albertin. aliique, quorum Syllabum texunt Juniores, præſertim Salmanticen. to. 11. tract. 22. diſp. 4. dubio 4. §. 1. habetque fundamentum in verbis Chriſti Domini Luc. 8. Tum ex illis, quæ idem Evangeliſta cap. 6. protulerat: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Ubi phyſicus influxus manifeſtè denotatur. Id autem quod de Sacramentis omnibus universìm opinatur ſententia hęc, longè ſolidiori ratione affirmatur ab eiſdem (quin & ab aliis, ut notavimus) de Chriſto Domino, ut phyſicè præſente ſub accidentibus Euchariſticis. Solùmque circa reſurrectionem, glorificationemque corporum beatorum hæsère pauci aliqui, rati eam non poſſe phyſicè cauſari ab Euchariſtia; eo quod phyſicè non aderit, dum reſurrectio illa diem claritatis ſuæ viſura eſt. Ita Gonet diſp. 8. art. 1. imitatus Joannem à S. Thoma diſp. 3. art. 5. Prado dub. 5. §. 2. & unus, vel alter ex reliquis.

Poſtremò hanc doctrinam firmaſſe videtur Synodus Epheſina, tùm in Epiſtola ad Neſtorium; tum in fine ipſius Concilii, ubi anathematizat eos, qui auſi fuerint dicere, carnem Chriſti Domini exiſtentem in Euchariſtia vivificatricem non eſſe, definitque, illam pollere virtute vivificandi nos, ex unione cum verbo divino, ut ex verbis ejuſdem Concilii productis diſp. 1. conſtat apertiſſimè. Et S. Cyril. lib. 4. in Evang. cap. 12., & 14. dixit: *Vivificativum Dei verbum, uniens ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam vivificatricem*: Eſſe autem, & nuncupari ſimpliciter vivificatricem carnem per hoc ſolum, quod moralitèr agat, movendo Deum ad productionem effectus promiſſi, durum ſatis videtur, & alienum valdè à mente, à verbis; & ab ſcopo Concilii; quin & à Chriſti Domini dignitate, & meriti infinitudine ſimpliciter; cum ſemel atque influat, exequi debeat operationem modo perfectiſſimo, illi multis nominibus debito. De quo audiendus Græcæ facundiæ honos Chryſoſt. homil. 46. in caput 6. Joan.

expendens illa verba Chriſti Domini: *Nunquid vos vultis abire?* dum ſic loquitur: *Admiranda ſanè Eccleſiæ Myſteria! Admirabile Sacramentum! Ex Paradyſo fons ſcaturit, à quo ſenſibiles fluvii emanant. A menſa hac prodiit fons, qui fluvios ſpirituales diffundit. Juxta hunc fontem non ſteriles ſalices germinant, ſed arbores Cœlum ipſum tangentes. Multi hujus fontis rivi, quos Paradyſus diffundit, & Filius eſt arbiter.* Præme miros hoſce Euchariſtiæ Sanctæ effectus, à Chriſto Domino liberè cooperante, & pro arbitrio diſtribuente manantes, & phyſico motu decurrentes. Quos expreſſiùs adhùc, licèt breviùs, deſcribit idem Chryſoſt. in cap. 2. Epiſtolæ ad Galat. expendens illa verba Apoſtoli: *Vivo ego, jam non ego*, dum adjungit: *Ipſo Chriſto vivente in nobis, hoc eſt agente, & dominante*: Cum enim ille per dignam Euchariſtiæ ſumptionem ſit realiter phyſicèque in nobis, & polleat virtute inſtrumentaria phyſicè concurrendi, ut fatentur etiam, qui moralem influxum tuentur; cur ipſum concipis otio phyſico, ſi non torpentem (quod ſupremæ majeſtatis indignum foret) voluntaria tamen inactione, ut olim ex laſſitudine, *ſedentem ſic* (ideſt modò inenarrabili Euchariſtico) *ſupra fontem?*

Num. 92. Minorem probo quoad utramque ejus partem: & prima, quantum opinor, extra dubium eſſe deberet, cum modus concurrendi ad inſtar inſtrumenti emortui ſit imperfectus, parùmque idcircò dignus Chriſto Domino, præſertim, qua inſtrumento conjuncto operante: & re vera inutilis eſt ad finem eo concurſu effectivo intentum ab omnibus; quòd nimirum ab ipſo, tanquam à fonte gratiarum omnium redundent, aut in nos deriventur fluenta illa (cum ideò dicatur Joan. 1. *plenus gratiæ, & veritatis*, ut ſupra ex D. Thoma vidimus): ſemel enim ac non aliter concurrat, quàm ut inſtrumentum inanimè Artificis, quomodò concurrere poteſt res etiam viliſſima, ſuppoſita potentia obedientiali, non alios amoris, & gratitudinis effectus in nobis excitaret erga Chriſtum Dominum, attento eo præcisè influxu, & præſcindendo à primæva hujus arcani inſtitutione, & ab ipſius meritorio influxu, quàm erga inſtrumenta inanimata, quæ aſſumere poſſet omnipotentia ad effectum aliquem ſupernaturalem, miraculoſumve efficiendum; maximè cum ad eum agendi modum prorſus inanimem concurrere poſſit Humanitas, tametſi pœnitus neſcia foret ejuſmodi concurſus, quantum eſt ex hoc capite; ſin aliter jam expeteretur aliquatenus concurſus vitaliter præſtitus, ut contendit aſſertio noſtra.

Hæc eſt manifeſta D. Thomæ doctrina 3. par. qu. 7. art. 1. ad 3. dicentis: *Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum divinitatis; non quidem ſicut inſtrumentum inanimatum, quod nullo modo agit, ſed totum agitur; ſed tanquam inſtrumentum animatum anima rationali, quod ita agitur, ut etiam agat*: & meritò quidem, ne irrationali modo agat, aut emortuo, nobile adeò, & vivaciſſimum alioqui inſtrumentum, quod tametſi inſtrumentum ſit reſpectu Dei comparativè tamen ad alia inſtrumenta, quæ elevantur ab ipſo Chriſto Domino (quâ inſtrumento conjuncto) ad cooperandum, habet ſimul honores cauſæ principalis. Præterea idem S. D. eadem 3. par. qu. 13. art. 2. inquirens, an nutritio corporis, augumentum, & ejuſmodi alia, quæ per ſe non ſubduntur rationis imperio fuerint voluntaria in Chriſto Domino reſpondet; quòd ſi conſideretur Chriſtus Dominus ſecundum propriam virtutem nullo pacto habere poſſit liberum jus, aut dominium in ejuſmodi operationes: alio modo, inquit, *Poteſt conſiderari anima Chriſti ſecundùm quod eſt inſtrumentum unitum verbo Dei in Perſona, & ſic ſubdebatur ejus poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprii corporis*. Qui ſenſus alienus non eſt à mente S. Damaſc. libr. 3. Orthodox. fidei, tum cap. 20., tum 23. ajentis: *omnia naturalia fuerunt Chriſto voluntaria*. Si ergo etiam innocentes illas functiones à poteſtate noſtra planè exemptas debuit Chriſtus Dominus habere ſub libera ſua poteſtate; quantò magis conſentaneum rerum naturis erit, magiſque ipſi debitum, ut in myſterio altiſſimo Euchariſtiæ ab ipſo inſtituto, cui adſtat realiter præſens, nihil efficiat ipſe tanquam inſtrumentum divinitatis, quin ſcienter, voluntariè, vitalique modo concurrat? Vel igitur non influit phyſicè, ne indecenter, imperfectèque cooperetur, quod tenaciſſimè averſatur celeberrimus, & florentiſſimus Theologorum cœtus, qui nobis in præcipua aſſertione diſſentit; vel concurrit vitaliter, quod inconſequenter ſatis inficiarentur. Id autem minimè contingeret, ſi facta fuiſſet in triduo mortis conſecratio; quia pro illo brevi intervallo, uti non fuit contra perfectionem Chriſti Domini ſeparatio animæ à Corpore in libertatem humani generis, ſed opus immortale prodigioſæ charitatis, & perfectionis; ita minimè obeſſet Chriſti Domini perfectioni, aut decoro, quòd corpus concurreret tunc mortuo modo, uti reipſa erat (quamquam in triduo illo poſſibilem nequaquam fuiſſe conſecrationem, aut ſaltem ſacrificationem, juxta præſentis inſtitutionis modum, & providentiam, oſtendam alibi) Illuſtrat hanc ſententiam Ægydius Conink., & ex ipſo Martinon. tom. 4. diſp. 34. ſect. 4. verbis, quibus finem imponit diſputationi, inquiens: *Ubi addit præterea* (Ægydius) *tanquam probabile, Chriſtum Dominum in hoc Sacramento vitali modo concurrere ad effectus prædictos; quemadmodum cum viveret, concurrebat ad opera miraculoſa* (en vitam corpoream) *itaut eatenus Sacramentum Euchariſtiæ vitaliter operetur, & non tantùm mortuo modo, ut cooperantur reliqua Sacramenta*. Quæ verba placuit

cuit annectere, quia valde opportuna, & quia exemplo miraculorum, quæ Servator noſter, dum nobiſcum palam converſaretur, patravit, firmat, non ſolùm primam, ſed, & ſecundam minoris partem, ad quam firmiſſimè ſtabiliendam accingimur.

Num. 93. Illa namque ſtrenuè ſuadetur, quoniam apud allegatos ſupra Scholaſticos, phyſicus ille Humanitatis influxus ex Euchariſtia non exercetur dumtaxat per animam Chriſti Domini præciſivè à corpore; adeoque fieri nequit per actus merè ſpirituales organorum planè expertes, etiam in radice, ſed per utrumque Humanitatis conſtitutivum, animam, ſcilicèt, & corpus. Tum quia alioqui, proùt conſtituit eſſentialiter Sacramentum, proûtque in illo ponitur vi verborum, non ageret inſtrumentaliter; aut concurreret mortuo modo: quorum primum repugnat doctrinæ Adverſariorum: ſecundum autem, & eorundem pluribus, & à verò prorſus deviare oſtendimus num. præcedenti: cum corpus per illos actus purè ſpirituales ab ſcientia per ſe infuſa, aut beata profluentes, ſive regulatos, non potiùs vivat, quàm per actus alterius ſuppoſiti, qui nullatenus ab extrinſeco illi infunderentur, ut ſæpiſſimè notum fecimus. Tum quia D. Thom. 3. par. qu. 8. art. 2. corpore ait: *Vnde tota Chriſti Humanitas, ſecundum ſcilicet animam, & Corpus, influit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad Corpus; ſed principaliter quantum ad animam, & ſecundariò quantum ad corpus.* Non ſolùm itaque docet, influere Chriſtum Dominum in animas, & corpora noſtra (maximè beatorum) ſed influere, tum ſecundum animam, tum ſecundum corpus ſuum expreſſè docuit. Et quæſt. 56. art. 1. corpore addit: *Et ideò Verbum Dei primò tribuit vitam immortalem corpori ſibi naturaliter unito, & per ipſum operatur reſurrectionem in omnibus aliis.* Dixeratque paulo antea: *habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus conſtitutus, ut quælibet cauſa primò operetur in id, quod eſt ſibi propinquiùs, & per illud operetur in alia magis remota.* Quod cum alibi verum ſit, veriùs longè erit procul dubio in effectibus, quos ex Euchariſtia phyſicè producit Chriſtus Dominus in nobis, quoniam Corpus, & Sanguis ſunt illa, quæ vi verborum conſtituuntur in hoc Sacramento; & aliundè Sacramenta, adeoque eorum conſtitutiva, pollent vi efficiente, tum id, quod ſignificant, tum etiam effectus proprios uniuſcujuſque, juxta inſtitutionem, & pactum divinum, profluentes. Quare, licet anima principaliter operetur; operatur attamen per corpus.

Poſtremò ſatis congruè promovetur idem aſſertum ex verbis Chriſti Domini Lucæ 8. *Tetigit me aliquis, nam ego novi, virtutem de me exiſſe* Ubi non tantummodò inſinuat phyſicam efficientiam in ſanitatem illius fœminæ; verùm & exprimit, ſe expertum fuiſſe influxum ipſum ſenſibiliter: maximè cùm Interpretes aliqui, non jam *novi*, ſed potius *ſenſi* legendum putent: debet igitur concurrere corpus modo vitali ejuſdem proprio, quod fieri valet excitando imaginationem, quemadmodum ipſa eſt principium motus, aliarumque mutationum, Philoſopho atteſtante tertio de anima: & D. Thoma 3. par. qu. 3. art. 5. de quo fuſior ſermo nobis infra. Inſuper, dum influit ex Euchariſtia in communicantes, experitur illos ſenſibiliter, oculis ſaltem: inde autem per ſenſum communem, & exinde rurſus cognoſcit, amat, odit, decernitque; ſimul autem cum notitia comparata per ſcientiam beatam, aut infuſam de ſtatu gratiæ, aut horroris eorundem, ut juſtè decernat, & operetur. Movetur itaque vitalitate corpori conveniente, ut contactu ipſo phyſico mediis ſpeciebus, dum recipitur, erumpat in eorum effectuum productionem digno modo, quo mirabilia operatur, verùm ſenſibus noſtris abſcondito: niſi dum interdum inexplicabilis devotio, amorque recipientis, hoſpitis divini fragantiam, & munificentiam ſimul experitur. Neque enim vitalitas hujus concurſus ſalvari poteſt per ſolùm imperium ſupremum rationis, aut voluntatis; ſiquidem per ejuſmodi actus neutiquam vivit corpus, ut dictum eſt, nec imperium illud, utpotè planè à corpore independens, ita percipit, ut ex illo motum operari valeat modo vitali aliquo; proût in ſimili contra Ferrarenſem probat D. Eximius tom. 1. in 3. par. diſp. 31. ſi autem, ut inſtrumentum inanime concurrat tantùm, indignum influxum tribueres corpori glorificato Chriſti Domini ſub accidentibus. Quòd autem ſanguis, ex ſuppoſitione, quòd minimè animatus ſit, vitaliter ſeipſo non concurrat nihil omninò probat: quoniam jam ex ea ſuppoſitione nulla imperfectio arguitur in concurſu præſtito modo inanimi, aut non vitali; cum ſit incapax vitalitatis immediatæ, cujus corpus eſt capax, ut in præcedentibus diximus. Ulteriuſque, licet vitaliter per ſe immediatè non concurrat, cum tamen ſit pars phyſica viventis, poſtulat, ut vivens medio ipſo concurrens, (quod per concomitantiam ſecum adducit ad calicem præclariſſimum) vitaliter per illum, & cum illo concurrat, modo nuper inſinuato; expoſcitque propterea vitalitatem mediatam, vi cujus & ſedes animæ appellatur, & vitam in ſanguine eſſe dicitur; quippè quæ effuſo ſanguine, citius perit, quàm piſcis ſicco in littore ſe volvens.

Num. 94. Arguo ſexto (ſimulque roboratur diſcurſus nuper confectus) ex honore Capitis Eccleſiæ Sanctæ, omniumque hominum, qui Chriſto Domino juxta fidem competit, quique illi debitus fuit, tam ratione unionis hypoſtaticæ, quàm meriti proprii. Ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Et 1. Joann. cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro*

noſtris tantùm , ſed etiam pro totius Mundi . Quæ verba expendens S. Thomas quæſt. 8. art, 3. inquit : *Salvare autem homines , & propitiationem eſſe pro peccatis eorum , competit Chriſto , ſecundùm quod eſt caput .* Ad Coloſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ &c.* Modò autem accuratè exploranda , & introſpicienda officia propria hujus capitis , ſecundum quod munus iſtud verè excelſum practicè exercet : ſupponendo prius , veluti inconcuſſum inter Theologos , Chriſtum Dominum non eſſe caput Eccleſiæ ſecundum animam præciſivè à corpore , ſed potius unà cum illo , ut latè oſteodit S. Thomas qu. 8. toto art. 2. Munia verò ipſa capitis fuſiùs adhuc expendit integra ea quæſt. Namque art. 1. corpore inquit : *Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ ſecundùm ſimilitudinem humani capitis . In quo tria poſſumus conſiderare , ſcilicet ordinem , perfectionem , & virtutem . Ordinem quidem , quia caput eſt prima pars hominis , incipienda à Superiori , . . . Perfectionem autem , quia in capite vigent omnes ſenſus , & interiores , & exteriores , cum in cæteris membris ſit ſolus tactus . , . . . Virtutem verò , quia virtus , & motus cæterorum membrorum , & gubernatio eorum in ſuis actibus eſt à capite , propter vim ſenſitivam , & motivam ibi dominantem .* Deinde verò mirificè exponit , quo pacto tria hæc conveniant Chriſto Domino , & duobus primis ritè expenſis , ait : *Tertiò virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ , ſecundùm illud Joann. 1. de plenitudine ejus omnes accepimus . Et ſic patet , quod Chriſtus convenienter dicatur caput Eccleſiæ .* Rurſus ibidem art. 6. corpore ait : *Caput in alia membra influit dupliciter . Uno modo , quodam intrinſeco influxu , prout ſcilicet virtus motiva , & ſenſitiva à capite derivantur in extera membra : Alio modo ſecundùm quandam externam gubernationem : prout ſcilicet ſecundùm viſum , & alios ſenſus , qui in capite radicantur , dirigitur homo in exterioribus actibus . Interior autem influxus gratiæ non eſt ab aliquo , niſi à ſolo Chriſto : cujus Humanitas ex hoc quod eſt divinitati conjuncta , habet virtutem juſtificandi .*

Secundum vero modum competere quidem Chriſto Domino præcipuè ; verùm & aliis etiam Populi Chriſtiani Rectoribus convenire ſecundariò , docet : & quamvis dignitas hæc capitis miſtyca , & ſpiritualis ſit , & dicatur ab ipſo ; attamen , quia etiam pęnes Corpus ſimul cum anima eſt caput Eccleſiæ , ut diximus : & Inſuper quia caput hominum eſt , non tantùm pęnes animas , ſed pœnes corpora etiam , neceſſariò explicanda eſt præfata ratio capitis , & modus influendi per ordinem ad caput materiale in corpore humano : in quo differentiam conſtituit S. Doctor inter ejus influxum , & influxum Spiritui Sancto peculiariter attributum . Etenim art. 1, ejuſdem quæſt. in reſponſione ad tertium , ut differentiam aſſignaret , inquit : *Dicendum , quod caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu exterorum exteriorum membrorum ; ſed cor habet quandam influentiam occultam . Et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus , qui inviſibiliter Eccleſiam vivificat , & unit . Capiti autem comparatur ipſe Chriſtus ſecundum viſibilem naturam , ſecundum quàm homo hominibus præfertur .* Quo diſcurſu apertiſſimè docet , Chriſtum Dominum eſſe caput Eccleſiæ ſponſæ ſuæ ad inſtar capitis reſpectu membrorum , & inſtar capitis , quod præeſt exteriori regimini inferiorum . Ac proinde & ipſam regere , & in membra ſua influere , per modum , potiùs comparandum , tum ſenſibili externo , tum interno corporeo , aut materiali , per ſpiritus animales , veluti emiſſarios , exercito , quàm pure Spirituali , cujuſmodi eſt Spiritus Sancti influxus , tametſi igneus .

Num. 95. Nunc autem arguo in hunc modum . Chriſtus Dominus prout in Euchariſtia abſconditus , eſt etiam caput Eccleſiæ formaliter . ſed qua Eccleſiæ Sanctæ formaliter caput neceſſariò vivit de facto vita actuali ſenſitiva , ſive corporea phyſicè ab intrinſeco producta . Ergo Chriſtus Dominus , prout Sacramentaliter exiſtens , exercet actu ſenſus , & potentias materiales , ut aſſertio noſtra contendit . Major ex dictis manifeſta eſt : quoniam excellentia hæc capitis convenit formaliter Chriſto Domino , apud D. Thomam laudata quæſt. 8. art. 6. & Theologorum placitum , titulo conjunctionis intimæ Humanitatis ad Verbum Divinum , & quidem per modum proprietatis debitæ . Sed Humanitas etiam , prout eſt in Euchariſtia eſt unita hypoſtaticè verbo , æque ac in propria ſpecie exiſtens , quamquam nonniſi per concomitantiam adſint ibi Verbum , & unio ipſa . Ergo Chriſtus Dominus , quâ in Euchariſtia præſens eſt formaliter caput Eccleſiæ Sanctæ , eodem plane modo , ac eſt caput , quâ circumſcriptivè exiſtens ; tametſi non ſit caput , ſecundùm illud duntaxat , quod ponitur ſub ſpeciebus vi verborum , ſed prout eſt ibi integer , adæquatèque præſens , tam pęnes id , quod ponitur ex vi verborum , quam pęnes alia , quæ comitanter veniunt ad Euchariſtiam . Etenim ſicut eſſe nequit Sacerdos , nec Judex , niſi in quantum homo , ſubſiſtens tamen per Divinam Perſonalitatem , illâque connotatâ , juxta vulgatam , omnibuſque notam Theologiam : ita nec Eccleſiæ caput , niſi quâ homo , quamquam homo Deus . Propterea dixit ſupra S. Thomas , non pęnes animam duntaxat , ſed pęnes illam ſimul cum corpore , eidemque intrinſecè copulatam , eſſe caput Eccleſiæ . Habemus tamen adhuc clariorem Div. Thomæ mentem in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3. ad tertiam quæſtionem .

Ubi luculentiſſimè expreſſit , Chriſtum Dominum etiam quâ ſacramentaliter præſentem altari , eſſe caput Eccleſiæ : & ideò non fuiſſe inſtitutum hoc myſterium , niſi vicina , & urgenti jam morte , in ejuſque limi-

ne .

Digitized by Google

ne. Adducit enim ad boc quatuor congruentiæ rationes. *Prima*, inquit, *apparet ex ipſa neceſſitate Sacramenti aſſignata: quod ad perfectionem noſtram exigebatur, ut caput noſtrum etiam nobis realiter conjungeretur. Et ideo quandiù ſub propria ſpecie cum hominibus converſatus eſt, non oportebat hoc Sacramentum inſtitui, ſed quandò ejus corporali præſentia deſtituenda erat Eccleſia. Et hæc ratio tangitur ab Euſebio*. Et eodem art. in primo, *§. Sed contra*, ait, *ad perfectionem corporis exigitur, quòd membra capiti conjungantur: ſed per hoc Sacramentum membra Eccleſiæ ſuo capiti conjunguntur: unde Joann. 6. dicitur: qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ergo neceſſaria fuit hujus Sacramenti inſtitutio*: id docuit Guillielmus Abbas in lib. de Corp. & Sang. Domini cap. 12. inquiens: *Nam Corpus Chriſti, quantum ex ſe eſt, omnibus ſe præbet cibum vitæ æternæ, & fideliter ſe ſumentes unum vivere ſecum efficit: & amore ſpiritus, & ipſius conſortio naturæ, caput exiſtens Corporis Eccleſiæ*. Quam doctrinam egregiè confirmant, quæ fusè dicturi ſumus de Sacerdotis munere exercito actu à Cbriſto Domino ex Euchariſtia, ut Sacerdote ſummo. Quinimmò, ſi rerum proprietatem accuratè inſpiciamus, crederem non importunè dicendum, Chriſtum Dominum prout ſacramentaliter nobiſcum exiſtentem, exercere propriùs, ſtrictiùſque munus capitis viatorum: quandoquidem ille caput eſt, tam viatorum, quam in Patria jam fæliciter degentium; tam hominum, quam Angelorum, ut tradit ex doctrina veritatis S. Thomas eadem quæſt. art. 4. *Dicendum, quòd Eccleſia ſecundùm ſtatum viæ eſt congregatio fidelium, ſed ſecundùm ſtatum Patriæ eſt congregatio comprehendentium. Chriſtus autem non ſolùm fuit viator, ſed etiam comprehenſor. Et ideo non ſolùm fidelium, ſed etiam comprehendentium eſt caput: utpotè pleniſſimè habens gratiam, & gloriam.* Cum enim ex benignitate incomparabili decreverit manere nobiſcum in Sacramento altaris uſque ad conſumationem ſæculi: cumque ex alia parte neceſſariò ſit etiam caput Eccleſiæ, prout inibi præſens; cum ſub ea etiam reduplicatione includat unionem hypoſtaticam; congruentiùs videtur muneri ipſo, rationi, propinquitati, & ſolatio noſtro, quòd fungatur practicè hoc munere quoad uſum ex Euchariſtia reſpectu viatorum hominum; & quâ Cœlis præſens exerceat glorioſam, præeminentemque dignitatem capitis reſpectu comprebendentium, tam hominum, quam Angelorum. Quamvis in unoquoque loco ſit in radice ipſa formali, & in actu 1. caput omnium. Quia tamen uſus illius debet eſſe perfectiſſimus, adeoque phyſicus utpotè ſtrictior: & aliunde ad hunc influxum proportionatus magis apparet, quâ nobis præſens ſacramentaliter; maximè quoad effectus proprios Euchariſtiæ (qui ſunt univerſaliſſimi) dum ipſa dignè ſuſcipitur: Ideo congruentiam hanc inſinuamus obiter. Utrobique enim eſt idem caput numero, variato quidem præſentiæ modo, & habitudine, & influxu (ſi velis), ſed invariato titulo. Si autem ſemel excellentia hæc ſit debita humanitati ut elevatæ ad ordinem hypoſtaticum, debita eſt à fortiori ei ubicumque exiſtat, modo perfectiſſimo, nobiliorique: quoniam idem eſt titulus, ratione cujus illi debetur ut ſummè perfecta, expeditaque, ac ille, vi cujus ipſi debetur ſimpliciter uſurpata.

Num. 96. Minor facti ſupra diſcurſus perſuadetur, tum ex locis D. Thomæ productis, tum ex rationibus delibatis. 1. quia eſt caput fidelium in Eucbariſtia, non tantùm ſecundùm animam, verùm & ſecundùm corpus, ideſt ſecundùm quòd homo eſt; conſequenterque debet influere in membra, ut homo, ſub qua ratione eſt inſtrumentum verbi divini. Ut homo autem nequit perfectè, dignèque concurrere effectivè ad effectum, aut in paſſo propinquo, niſi vitaliter influat; ne inanimi, mortuove modo, non ſine dedecore exequatur pbyſicè officium capitis reſpectu membrorum viventium ea ipſa vitæ ſpecie, qua illud privatum foret. Neque effectus omnes, quos producit, ſunt ſpirituales, cum apud Scholaſticos frequentiſſimè nonnullos etiam efficiat in Corpore ritè ſumentis Eucbariſtiam; præſertim cum Corporum Reſurrectionem cauſaturum ſit ſtato tempore, modò autem dulcedinem, devotionemque ſenſibilem, ſaltem interdum. In capite enim, ut teſtantur Medici, ſita eſt virtus illa radians, quæ per omnia corporis membra effectus ſuos, ſpirituſque diffundit jugiter. Deindè effectus ipſi ſpirituales, quos in membra derivat, proveniunt phyſicè effectivè ab illo, non tantùm ſecundùm animam, ſed etiam ſecundùm Corpus concurrente activè, eum procedant ab ipſo, qui eaput eſt membrorum: undè neceſſariò debent procedere ab illo, ut actu vivente ſecundùm Corpus etiam.

Secundò: quoniam juxta D. Tho. allegato art. 1. ideo eſt eaput propriè, quia in capite phyſico reſident ſenſus perfectionem magnam præſeferentes. Credibile autem non eſt, eſſe caput myſticum ob eam proportionem, quam habet cum eapite purè phyſico; & quod aliundè, ſecundum quòd caput eſt Eccleſiæ in Euchariſtia, ſit prorſus deſtitutum uſu, & exercitio omni activo ſenſuum tam externorum, quàm internorum.

Tertiò: quia ſecunda proportio hujus capitis ad caput phyſicum, ibidem adducta à S. Thoma, eſt virtus ſenſitiva, motivaque ab eo derivata in membra viva: quæ autem eſſe poteſt proportio hæc, ſi nulla ejuſmodi virtus ſenſitiva, nec motiva proximè expedita ſit in eapite myſtico, prout ſacramentaliter exiſtente? Quartò: quoniam proportiones aliæ à D. Thoma deſum-

ptæ

ptæ per comparationem ad caput merè naturale art. 6. ſunt in ordine ad influxum intrinſecum in reſidua corporis membra demiſſum: & in ordine ad externam gubernationem membrorum, quam providè adminiſtrat caput per *viſum, & alios ſenſus*. Item art. 1, ad 3. comparatur operatio hujus capitis operationi capitis purè naturalis ſecundùm regimen externum, In quo unus homo eſt caput aliorum, ſenſibiliter imperans, aut gubernans; in quâ differre, ait, capitis influentiam, quæ competit Chriſto Domino, influentiæ occultæ, quæ tribuitur Spiritui Sancto. Modò autem quæro, num ejuſmodi comparationes unius capitis ad aliud per analogiam quandam connaturalem, ſpecioſamque ridendæ forent magis, quam affirmandæ, ſi caput hoc diviniſſimum Eccleſiæ, ſecundum quòd in myſterio magno fidei exiſtit, nec unquam de facto videat, audiat, Imaginetur, vel appetat, nec vitalem influxum in operationem, vel actionem à Corpore pendentem exerceat reſpectu membrorum? Quæ digna comparatio inſtitui poteſt inter rem vivam, & mortuam, vel inſtar emortuæ exiſteutem, ad functiones vitæ exequendas? Ubi adeſſet philoſophica Div. Thomæ proprietas, & eloquentiæ angelicæ fœcunditas? Hæc omnia probant eodem modo, etiam ſi influxus hujus capitis myſtici in membra ſit tantùm moralis, ut planum eſt: quoniam ad mutuus hoc per moralem influxum perfectè exequendum vita actuali influentis capitis, quâ caput eſt, opus erit; ne inſcius planè quâ homo concurrat, & quâ formaliter caput in humerum, aut ſupra pectus cadat.

§. II.

Num. 97. EX virtute inſtrumentaria humanitatis Chriſti Domini miraculorum effectrice conficimus jam ſeptimum argumentum. Porrò humanitatem illam ſacroſanctam habuiſſe permanenter concurſum omnipotentiæ paratiſſimum ad nutum ipſius Chriſti Domini in ordine ad omnia miracula, quæ tum ad finem tuendæ vitæ ſui corporis, tum ad fines Incarnationis conducerent, compertum eſt, & non tantùm receptum inter Scholaſticos; uti pariter eſt inter eoſdem exploratum, eam virtutem inſtrumentariam fuiſſe illi debitam ratione unionis hypoſtaticæ, per modum proprietatis neceſſariò conſecutæ, & in primo Incarnationis inſtanti, ut tradit S. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 13. paſſimque Theologi, ſive qui influxum moralem agnoſcunt duntaxat, ſive qui phyſicum deſiderant. Colligiturque ex Evang. Math. 8. *Domine, ſi vis potes me mundare .... Volo, mundare*: & cap. etiam 9. *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata, dicit Paralitico, ſurge, tolle lectum, & vade in domum tuam*. Paritèr ex cap. 11, & 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas &c.* uti & Joann. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic filius, quos vult vivificat*. Similia habentur cap. 11. cap. 15. Idque extra controverſiam poſitum eſſe docent Eximius Doctor Diſp. 3. ſect. 2. & frequenter alii Scholaſtici ex D. Thoma, Div. Bonav. Doct. Subtili, Alenſi, Altiſiodorenſi &c. qui ex Sanctis Patribus hanc veritatem eruere.

Dubium tantummodò aliquod eſt inter ipſos Theologos, num ea virtus miraculorum factiva fuerit Chriſto Domino communicata mediis aliquibus (vel aliqua) qualitatibus inhærentibus ad inſtar habituum Humanitati, vel ſolùm per præſentiſſimum omnipotentiæ concurſum in actu primo paratum, quo uti poſſit, dum velit; ad modum quo habitibus utimur, dum volumus? Illud primum negat S. Tho. 2. 2. quæſt. 78. art. 1. Unde neutiquam inficiatus eſt illius virtutis in Chriſto Domino permanentiam; ſed illam per modum qualitatis, aut habitus inhærentis; propterea eo loco ad primum ait: *Et ideò impoſſibile eſt, quòd principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitualis permanens in anima*. Cæterum, ſive hoc, ſive illo modo expoſitam, Humanitatem Chriſti Domini poſſidere ad nutum eam vim inſtrumentariam in ordine ad duplicem finem nuper indicatum, conſtans eſt D. Thomæ ſententia ex fidei elementis deducta 3. part. quæſt. 13. art. 2. corpore, ubi ait: *Si autem loquamur de anima Chriſti ſecundum quòd eſt inſtrumentum Verbi ſibi uniti, ſic habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem, qui eſt inſtaurare omnia, ſive quæ in Cœlis, ſive quæ in terris ſunt*. Et art. 3. corpore eandem virtutem illi tribuit in ordine ad tuendum miraculosè proprium corpus, ſive ejus vitam, ut liquet ex verbis ſupra productis. & quæſt. 47. art. 1. exponit poteſtatem hanc inſtrumentariam Chriſti Domini ad arcendam à ſe mortem (opprimendoſque aggreſſores, ſi voluiſſet) his verbis: *Quia ſpiritus ejus habet poteſtatem conſervandi naturam carnis ſuæ; ne à quocumque læſivo opprimeretur*. De quo multa tum ex D. Thoma, tum ex antiquis Doctoribus diximus tom. 2. Ænigm. Theolog. Diſp. 14. ſect. ultima. Ad tuendam igitur vitam propriam omnibus modis ad omnemque diſpoſitionem proprii corporis miraculosè obtinendam, uti & ad fines omnes Incarnationis latè, fusèque patentes in Cœlis, & in Terra, habet Chriſtus Dominus facultatem inſtrumentariam permanentèr, & ad libitum prorsùs illius uſum, & quidem expeditiſſimam, proximèque potentem erumpere in grandia quæque, & ſtupenda prodigia in ordine ad utrumque finem à D. Thoma expreſſum. Ad reliquos verò fines, tametſi abſolutè habuerit vim effectricem portentorum, ſitque organum, & veluti univerſale inſtrumentum divinitatis, non debuit per ſe habere, nec exigere paratum ſimpliciter om-

omnipotentiæ concurſum in actu primo pro libito, ut advertit Cajetanus 3. p. qu. 56. art. 1. quoniam ordo rerum, & ſcopus intentus ſolummodò poſtulabat expeditionem illam ad fines prædictos: ſubindéque determinata, aut conſtricta fuiſſe, creditur à Cajetano (invitis reluctantibuſque quamplurimis aliis ob infinitudinem dignitatis perſonæ) immenſa illa virtus ad duo tantum flumina, quamquam extra terminos ferè omnes, & ripas præterlabentia, itaut ad eorum conſpectum mare fugiat, & Jordanis convertatur retrorſum.

Num. 98. Inſtrumentaria autem illa virtus non fuit ſolùm permanens, & proximè potens tempore vitæ mortalis Chriſti Domini: neque rursùs permanet tantummodò in Euchariſtia nunc, ut oſtendimus; ſed adeſt ſemper, & ubique illi, (utpotè debita unioni hypoſtaticæ, tanquam proprietas) etiam poſt Reſurrectionem, & modò comitatur ejus humanitatem, & per totam æternitatem erit inſtrumentum Divinitatis, ad mirabiles, etiam in eo ſtatu, operationes, tum gloriæ accidentalis in Beatis, tum ad alia divinitus, vel efficienda, vel conſervanda, de quibus Diſp. ultima. Rem hanc tanquam inconcuſſam docuit S. Thomas 3. p. qu. 56. art. 1. ut vidimus. Et rurſus ibidem art. 2. omniaque tum ſupernaturalia, tum miraculoſa, quæ modò fiunt, fientque in poſterum per ſpatia inexhauribilia æternitatis, exerceri, exequendaque fore per Humanitatem Chriſti Domini, ſive phyſicè, ut plerique autumant, ſive moralitèr influentem tanquam proprium Verbi Divini inſtrumentum, & ſimul univerſale, colligunt Scholaſtici, non ſolùm ex D. Thoma, ſed inſuper ex Patribus, præſertim Ambroſio, Auguſtino, Theodoreto, & Euſebio lib. 4. Demonſtr. Evang. Conſulendus Cajetanus in locis allegatis, ut & Eximius Doctor, qui relata Diſp. 31. ſect. 2. inquirens; quandiù ſit duratura virtus ea inſtrumentalis reſidens in humanitate Chriſti Domini ad miracula perpetranda, ait: *Reſpondetur, ex quo illam accepit, nunquam eſſe illa privatum: tum quia dona Dei ſunt ſine pænitentia: tum etiam quia, (ut dictum eſt) illa eſt proprietas connaturalis, conſequens unionem, quæ ſemper perſeverat. Tum etiam, quia pertinet ad perfectionem illius humanitatis, & non includit imperfectionem ſtatui beatitudinis repugnantem. Dices. poſtquam Chriſtus ad Cælum aſcendit, non poſſe habere uſum hujus poteſtatis. Reſpondetur, hoc falſum eſſe, primo &c.* Adductiſque plurimis hujus uſus exemplis, conjecturis, & rationibus, concludit: *Denique ſicut Chriſtus nunc retinet, & perfectiſſimè exercet dignitatem Capitis: ita & perfecto modo influit gratiam per uſum hujus poteſtatis.*

Quam doctrinam operę prætium duximus libare hic, quia licèt pro re præſenti ſufficeret nobis, eam poteſtatem permanere modo in Chriſto Domino etiam ſub ſpeciebus ſacramentaliter exiſtente, quod ex communi ſenſu notum fecimus ſupra; cum tamen opinio noſtra ſingularem effectum primarium attribuat Euchariſtiæ dignè ſumptæ, duraturum pari curſu cum æternitate: & aliunde potiſſimus ille effectus poteſtate miraculorum effectrice opus habeat, ut conſtabit ex ultima diſputatione, veſtigium aliquod hujus veritatis impreſſum leviter hic reliquiſſe præſtat, occaſione permanentiæ illius virtutis in Euchariſtia: & inſuper quoniam extenſione hac perſeverantiæ dictæ poteſtatis clareſcit magis inhærentia, aut conſiſtentia illius in Humanitate ſacramentaliter præſente, & diſcurſus ex prælato illo principio deducendus. Ex his autem elicitur ratiocinatio efficaciſſima procul dubio ad confirmandam aſſertionem noſtram: & ſanè naturali prorſus conſecutione ex præſuppoſita ſemel poteſtate illa miraculorum factiva permanente in humanitate Chriſti Domini, etiam quâ Sacramento Altaris realiter præſentis, perennaturaque cum ipſo, ut eidem planè debita, ut omnino neceſſaria pro vita nunquam moritura ad raros, prodigioſoſque effectus Euchariſtię, terminum durationis nunquam habituros, cum ſedem ſibi fixerint conſpicuam intra beatitudinem ipſam eſſentialem.

Num. 99. Diſcurſus autem eſt hujuſmodi. Chriſtus Dominus quâ nobis realiter præſens in Euchariſtia gaudet expeditiſſima virtute inſtrumentaria miraculorum effectrice in ordine ad fines Incarnationis, & in ordine ſimul ad omnem ſui Corporis diſpoſitionem, vitamque. Sed hoc ipſo exercet activè de facto in Euchariſtia functiones vitæ ſenſitivæ, aliaſque operationes à Corpore pendentes. Ergo ſubſiſtit omninò aſſertum noſtrum. Major ex dictis ſupra abundè conſtat, jecitque radices altas in penitiori Theologia. Quinimmò & ſi facultas illa libera patrandi inſinuata prodigia non debuiſſet comitari humanitatem, ubicumque, & quomodocumque illa extiterit, conſentaneum valde foret, quòd illam ſequeretur quâ ſpeciebus velatam: cum ſacramentum hoc ſit centrum, & veluti officina miraculorum, rerum omnium mirabilium panoplia; nec jam tantùm memoria eorum, quæ facta ſunt, *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe*: Pſ. 110. ſed compendium etiam præſentium, & futurorum, quod re ipſa intercedit continuò, cum omnibus momentis fiant, protinus ac verba conſecrationis proferantur. Quis autem, niſi injurius eſſe velit arcano huic, arcanorum Principi, dum in ipſo demiratur Epitomen ſtupendam, & inenarrabilem prodigiorum, renuit concedere Chriſto Domino poteſtatem prodigiorum ejuſmodi factricem (quam concedit de facto illi in propria ſpecie exiſtenti) quamvis eidem, prout alibi præſenti, ubi ejuſmodi portenta non fiunt, nec alia niſi rara, & valde inſolita, eam denegaſſet? Maximè cum utilitas Eccleſiæ, fide-

fideliumve ritè accedentium ad menſam illam, ſit finis Incarnationis, & Euchariſtiæ præcipuus, ad quam promovendam, non parùm conducere vitam actualem corpoream Chriſti Domini ſub ſpeciebus, claret ſatis ex nuper dictis, & clareſcet amplius ex mox dicendis.

Minor verò probatur primò: quoniam poteſtas illa inſtrumentalis reſpicit per ſe primò diſpoſitionem proprii corporis, ad cujus vitam perfectè tuendam ordinatur (cum ad illam tuendam ſimpliciter non ſit neceſſaria, quia ipſe reſurgens ex mortuis, jam non moritur) ut S. Thomas docuit, & reliqui Theologi cum ipſo. Non eſt autem cur ea libera poteſtas ex Euchariſtia negligere credatur vitam actualem ſenſuum externorum Corporis Domini, ſenſus communis, imaginativæ, memoriæve, æſtimativæque, & appetitus, uti nec cognitionis, & amoris, qui ex numeratis ſenſationibus reſultant; cum hæc ſit vita per ſe expetibilis, naturaleque complementum perficiens ſenſus, & potentias, ut evidens apparet ex terminorum notione. Secundo: quoniam finis utilitatis noſtræ, quem etiam per ſe primò reſpicit dicta poteſtas, id ipſum exigit, ut mox colligam ex ſolatio fidelium ex cognitione hujus veritatis, ferventiori devotionis affectu, & reverentia longè magis ſollicita, depreſſaque, cum noverint, Chriſtum Dominum, coram quo adſtant, luſtrare oculis corporeis operationes ſuas externas, modumque attentæ, & demiſſæ adorationis, audiat eorum clamores, & experiatur ſenſibus ſuis omnia ſenſibilia circumſtantium. Ut rurſus ex ejuſmodi objectorum perceptione influat modo perfectiſſimo, & ipſum decente, vitalique per humanitatem Sacroſanctam, quâ Eccleſiæ Caput in membra, gratias omnes, quæ ex fonte Euchariſtico avidiſſimè, copioſiſſimèque hauriuntur. Tertio: quoniam de facto eam virtutem inſtrumentariam reducit jugiter ad actum, ut ex mirabilibus, quæ neceſſaria ſunt ad conficiendum, & conſervandum myſterium illud, patet evidenter; ad quorum potiſſima efficienda, in ſuſtentandis, v. g. accidentibus ſine ſubſtantia, aliiſque ejuſmodi, concurrit ipſe Chriſtus Dominus activè, ut recepta Theologorum doctrina tradit. Pariterque efficit non infrequenter miracula alia, interdum populis ſenſibilia. Si autem illa operari debet ad ipſius myſterii conſtitutionem, & ad fines alios nobis proficuos; cur non ad vitam actualem ſui corporis tuendam? Sic etiam, dum in terris converſaretur, uſus eſt ea poteſtate ſæpiſſimè, tum ad miracula in aliorum utilitatem cedentia, tum etiam ad vitam ſuam illæſam conſervandam, donec veniret hora ejus: & tunc mortem ſimpliciter arcere noluit, quia erat prorſus neceſſaria ad liberationem humani generis; miraculosè tamen operatus eſt, adhuc in Cruce ipſa, ea, de quibus diſp. 5. diſſerendum fusè nobis eſt. Ubi non minori miraculorum effuſione, quam Sanguinis, mundum perditum à fatali ruina vendicaſſe, patebit.

Num. 100. Quarto: quia vel ex Euchariſtia operatur per eam inſtrumentariam facultatem miracula alia; vel ſecus? Si primum, cur non & miraculum exercendi vitam actualem corporis ſui glorioſi, & myſtici? Si ſecundum, qua Philoſophia adſtruitur virtus permanens completiſſima in actu primo, proximèque expedita, ſimul cum repugnantia, improportione, quin & impoſſibilitate extrinſeca, ſivè ex decreto Dei, ſive ex alio capite proveniente, erumpendi in actum ſecundum illius, non pro exigua aliqua mora, non in uno loco duntaxat, aut tempore, ſed uſque ad finem Mundi, ubique ferè, ſeu pœnè innumerabilibus locis, & omni temporis momento; ut ſupra arguebam? Rimare altius, ſi vacat (vacat autem, ſi velis) ſcænam illam mirabilium rerum, quæ in medio templorum panditur fidelibus: & invenies humanitatem illam, unctam non ſolùm lætitia divinitatis, ſed vitæ pariter glorioſiſſimæ, tum animæ, tum corporis etiam, ex puncto centrico exultantem in Deum vivum, & pro eo Mundi beneficio gratias agentem. Quam corporis vitam, ejuſque privilègium, obtinuit procul dubio, dum corporis ſui claritatem, & vitam ſplendore perpetuo circundatam poſtulavit à Patre; extatque adumbrata à Regio Vate Pſalm. 20. *Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi*. Ubi per longitudinem dierum aptiſſimè poteſt intelligi vita Euchariſtica cum Mundo ipſo ad extremum uſque perennatura; per reliqua autem verba vita corporis perpetua in Cœlis. Ut, namque S. Auguſt. in hujus Pſalmi enarratione, ait: *Vitam petiit à te, & dediſti ei, Reſurrectionem petiit, dicens: Pater clarifica filium tuum; & dediſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi. Longa tempora ſæculi hujus, quæ haberet Eccleſia, & deinceps æternitatem in ſæculum ſæculi*. Neque enim vita illa longæva, quam expetivit, eſſe potuit, quam in ſtatu paſſibili obtinuit, quamque in flore ætatis voluntariè depoſuit, fuitque propterea breviſſima, quâ annorum numero computata; ſi fructus numeras, & glorias, vita æterna.

SECTIO SEXTA.

Ulteriora Aſſerti Noſtri fundamenta quorum plura notatu digna, & fractis viribus adverſæ opinionis, planè robuſta, ſolidiſſimè jaciuntur.

§. I.

Num. 101. PRælibanda ſunt nonnulla circa immutationes miraculoſas, quæ non rarò in Euchariſtia Sacra ſtupore ingenti Populorum, con-

contingere: ut ſolidiùs inde jaciamus octavum noſtræ ſenteutiæ fundameutum. Illas & frequeutes, & ſumma interdum admiratione publica dignas, referunt Agiographi paſſim, de quibus peculiarem, & eruditum tractatum edidit P. Thyræus. videnduſque pariter Theophilus Rayuaudus in candelabro ſeptiluſtri. Breſerius lib. 6. de conſcientia. Bꝛovius de ſignis Eccleſiæ. Paſcaſius de Corp. & Sang. Domini cap. 14. Lanfrancus, Guizmundus, Algerus, Garetius, Henriquez; qnin & plures ex Patribus, quos laudat Eximius Doctor tom. 3. in 3. p. diſp. 46. Ejuſmodi autem immutationes diverſimodè fieri poſſunt: vel immutatione ſolùm facta ex parte oculorum per ſpecies intentionales, repręſentantes infantulum, exempli gratia, pulcherrimum, qui modò riſu, dulciſſimove oculorum ictu blanditur, & allicit: modò in Sacerdotis complexum ruit: vel ſimili immutatione facta in aere intermedio, qui ſit hujus repræſentationis velut Theatrum: Vel reipſa ex parte accidentium Euchariſtiæ: quæ rurſus, vel poſſunt diutiſſimè permanere, vel illico evaneſcere. Et ulterius ejuſmodi eventus reſpiciunt fines diverſiſſimos: jam ut demulceant; jam ut terreant; jam ut fidem faciant reali Chriſti Domini præſentiæ, de quibus omnibus multa opportunè P. Thyræus, præſertim cap. 31. Circa hujuſmodi igitur mutationes diſſidium uou leve fuit inter veteres Scholaſticos; fiereut ne per veram præſentiam realem viſibilem, & circumſcriptivam Chriſti Domini, Corporiſve, aut Sanguinis ipſius; vel potius per ſpecies divinitus inditas videnti, ſivè ex parte objecti, immutando ſcilicet figuram, colorem, & alia ejuſmodi, ut loquitur S. Thomas: vel in aeris ſpatio medio formando ſimulachrum aliquod Chriſti Domini?

Iu quo dubio Alexander de Aleſ. 4. p. ſummæ quæſt. 11. memb. 2. art. 4. primum extremum amplexatus eſt, cui adhæſère Gabriel lectione 51. in Can. Miſſæ, Major, Palatios, Breſſerus, & ejuſdem reipſa opinionis fuerunt Paſchaſius, Lanfrancus, Guizmundus, Algeruſque. Et licet P. Vaſquez. velit aliquatenus vendicare Paſchaſium, & Guizmundum diſp. 193., & clariùs eos vendicaſſe putet Author Salmanticenſium tract. 23. de Euchariſtia diſp. 6. dubio 7. numero 89. ægrè obtinebunt finem ab eo, qui legerit eorundem verba unitim collata apud Breſſerum; ſi adire ipſos, vel uon licet, vel non vacat. Cenſent itaque ii, & pauci alii cum ipſis, in his apparitionibus ferè univerſim adeſſe realiter, viſibiliter Chriſtum Dominum, vel carnem ejus veram, eo præcipuo argumento Alexandri ducti pleruuque: quòd alioqui Deus ipſe per miraculum foret cauſa deceptionis, illuderetque & ſenſibus, & exinde rationi; quippe quæ ab ipſis edocta crederet, objectum viſum eſſe Chriſtum Dominum, vel carnem ipſius, cum revera non eſſet: foretque propterea ſpectrum ſimile Magorum præſtigiis. Nonnulli verò, & peritiſſimi Juniores exiſtimarunt non ſemper in apparitionibus illis adeſſe Chriſtum Dominum, veruntamen non infrequentèr adeſſe realitèr in illis præſentem; maximè dum viſio omnibus manifeſtatur, & diù perſiſtit; & dum finis ejus eſt ſolatium, aut recreatio Perſonæ Eximiæ Sanctitatis. Ita Ægydius Conink, Wigers, Caſtropalao, Martinon, & alii Recentes. Solemnior autem opinio oppoſitum docet cum D. Thoma 3. p. qu. 76. art. 8. & in quartum diſt. 10. art. 4. In quibus locis occurrit fundamentò, cui nitebatur Alexander, præſertim laudato art. 8. corpore, ubi exponens ſecundum modum, juxta quem videri poſſint eſſe hujuſmodi immutationes, ait: *Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem ſicut accidit in Magorum præſtigiis, quia talis ſpecies divinitùs formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc ſcilicèt, quòd manifeſtetur verè Corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento: ſicut etiam Chriſtus abſque deceptione apparuit Diſcipulis euntibus in Emaus. Dicit enim Auguſtinus in libro de quæſtionibus Evangeliſt. quòd cum fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis*. Deindè relato alio apparitionum modo, ſubdit etiam: *& ſicut priùs dictum eſt, hæc non eſt deceptio, quia fit in figuram cujuſdam veritatis, ſcilicet ad oſtendendum per hanc miraculoſam apparitionem, quòd in Sacramento eſt vere Corpus, & Sanguis Chriſti*. Unde illa deceptio, quæ ſuboriri, ſive reſultare poſſet ex oculis, corrigitur per veram hanc doctrinam, & apparitionis ſenſum, ſignificationemque. Quemadmodum à fide ſancta cohibetur intellectus ne aſſentiatur oculis, ducentibus illum in ſubſtantiam panis ex viſione accidentium. Hæc ſunt veluti prima rudimenta Teologiæ circa difficultatem hanc; ex hac autem, & ex illis eruo diſcurſum, ut opinor, robutiſſimum, & nulli deceptioni, aut fallaciæ expoſitum quantumvis inter illas verſetur: eſtque hujuſmodi.

Num. 102. Apparitiones Sacramentales, ſivè hoc, ſive illo modo factæ, eſſent deceptrices fallaceſque nimium, juxtà principia Theologorum utriuſque ſententiæ, ſi non fiereut ita, ut licet Parvulus ille, qui comparet, non ſit Chriſtus Dominus, aſſumatur tamen figura illa, aut ſimulachrum ad ſignificandum veritatem præſentiæ realis Corporis Chriſti Domini, & Sanguinis, ad fidemque hujus maximi arcani radicandam. At ſi Chriſtus Dominus quâ ſpeciebus velatus, non eliciat de facto operationes quorundam ſenſuum, nullaſque vitæ corporeæ functiones exerceat, quamplurimæ (ſi non omnes) dictarum apparitionum eſſe minimè poſſent figura, aut Symbolum alicujus veritatis latentis in Sacramento Euchariſtiæ. Ergo forent illuſoriæ, & mendaces. Major extra controverſiam ponitur ex

dictis. Probo minorem. Quamplurimæ ex ejuſmodi celeberrimis apparitionibus, quas rerum Eccleſiaſticarum Hiſtorici narrant, & demirantur, importabant Puerulum Jeſum actu exercentem miniſteria ſenſuum, vitalitate ipſa, & Perſona amata (cui apparebat) gratioſè ludentem, ut manifeſtum erit legenti præfatos Hiſtoricos, & Patres: & ut infinitas propè omittam inſinuabo tantùm, quam refert Paſchaſius loco ſupra indigitato, ubi Sacerdoti celebranti apparuiſſe viſibiliter intra hoſtiam refert, ſpecie pueri elegantiſſimi, qui oculis, amplexibuſque ipſum tantæ dignationis priùs modeſtè avidum, & deinceps attonitum, mirum in modum delectavit; illicò tamen recuperantibus priſtinum ſtatum accidentibus.

Non abſimilia ſunt, quæ narrantur in Revelat. S. Brigittæ, & in vita Henr. Brum. à Venerabili Thoma de Kempis conſcripta: ab Algero, à Garetio, & à Patre Thyræo, tum cap. 15. tum 31. aliaque ſatis obvia, & ideò prætereunda; in quibus oculorum illicio parvulus, & mulcere corda, & vulnerare noverat. Ergo ejuſmodi operationes vitales exerceri neutiquam poſſent à Chriſto Domino viſibiliter, & apparenter ad ſignificandam aliquam latentem ſub ſpeciebus veritatem, ſi in Euchariſtia alias ejuſdem vitæ ſenſitivæ de facto non exerceret; cum nihil aliud per ſe denotare valeant, niſi vitam corpoream actualem; & quidem non pro eo eventu ſolùm, ſed perenniter; ſicuti non pro eo ſolùm momento præſentiam realem denotant, ſed permanentem. Ergo illas actu emittit in Sacramento altaris.

Illuſtratur, & urgetur; & quidem ſive communior, validiorque ſententia ſit vera; ſive minùs communis reipſa prævaleat, ſaltem quâ affirmat, interdum adeſſe Chriſtum Dominum. Namque, ſive Chriſtus Dominus viſibiliter appareat in ſpecie propria, ſive non, ſemper tamen exploratum eſt, ſimiles viſiones corporeas fieri in oſtenſionem veritatis, quæ latet ſub accidentibus, ut notum eſt, tum per ſe, tum ex D. Thoma, tum ex doctrina contrariorum: atque ideò tam Chriſtus Ipſe apparens vivus, & viſibilis in propria ſpecie intra Hoſtiam, quàm ejus ſimulachrum, ſive in aëre interjacente, ſive in ipſo objecto miraculoſè depictum ſimul, & apparenter vivum, debet ordinari, cedereque in verificationem præſentiæ Chriſti Domini Sacramentalis; non poſſet autem vita illa, per ſenſus actu exercita, aut apparens in Symbolo, ſi eo vitæ genere privatus exiſteret in Sacramento, niſi per claram fictionem cllci, & per inſigne mendacium; quippè quod non minùs factis, quàm dictis perficitur (uti verùm etiam) ſicut notat S. Thomas 3. par. qu. 75. art. 4. ad 1. idque patet ex ſupra relatis utrimque ſententiis, & ex reſponſione, tum S. Auguſt., tum D. Tho. & Theologorum, qui non aliter occurri poſſe arbitrantur illuſioni, ſive deceptioni, quæ reſultaret, ſi non adeſſet præſens ibi realiter viſibiliter Chriſtus Dominus, ſed figura tantùm, aut umbra illius. Adeoque neceſſario viſio illa aſſumitur in Symbolum, aut ſignificationem præſentiæ realis Sacramentalis, & inviſibilis, aut aliam in Sacramento ipſo deliteſcentem circumſtantiam, mirabilem quoque. Alioqui eſſet manifeſta, & indubitata falſitas, repræſentatioque illuſoria, ut convincitur ex ſuperioribus, & firmat S. Thomas 3. part. qu. 55. art. 4. ad 5. ex D. Auguſt. lib. 2. qu. Evangel. cap. ultimo: *Non omne quod fingimus mendacium eſt, ſed quandò illud fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium: cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, tunc non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis*; Quod repetit S. Thomas ex eodem Parente Auguſt. citata qu. 76. art. 8. ut vidimus. Ergo ſi nullus actus vitæ ſenſitivæ exerceretur à Chriſto Domino in Euchariſtia, effigies illa præſeferens actu vitam actualem ſenſuum ibi elicitam, & ſucceſſivis operationibus commutatam, mendax foret, Deuſque per illam miraculoſè formatam, aut Chriſtus Dominus ſenſibiliter intra hoſtiam in ea forma apparens exercendo vitam illam de facto, egregiè mentiretur; quod horret animus, vel imaginari, impoſſibile eſt enim mentiri Deum. Chriſtus Dominus igitur, quâ exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus, vivit de facto etiam per ſenſus, ſeù vita propria corporis; quamquam nonniſi miraculoſa; uti & per miraculum effinguntur vividæ illæ apparitiones, quorum fulgor perſiſtit in hominum ſapientum, totiuſque Eccleſiæ ſanctæ memoria, adhùc illis extinctis.

Num. 103. Urgetur præcavendo ſimul fugam ſolitam concomitantiæ. Chriſtus Dominus in memoratis apparitionibus, aut ejus ſimulachrum divinitus apparens, non oſtendebatur tantùm vivus, ſed & eliciens primò per ſe ex loco eo eas ſenſuum operationes: tum quia modò intuebatur Sacerdotem, exempli cauſa, modò alia objecta, modò tenerrimis ſtringebat illum brachiolis, portans ibi Puer ſenem in ulnis ſuis. Quas omnes operationes ibidem incipere, ac deſinere, planum erat, cum tranſiret ab una in aliam diverſam: & cum comitantia non deferat ſenſationes in Cœlo elicitas ad Chriſtum Dominum quâ apparenter exiſtentem (ſi ipſe non adſit ibi viſibiliter realiter) ut eſt evidens; ſin aliter operationes immanentes ipſius Chriſti Domini eſſent replicatæ in apparenti ſimulachro, quod & diſſonum foret, & juxta pleroſque, impoſſibile, eo quod pendeant ab organis corporis vivi. Tum quia certum eſt, Chriſtum Dominum prout in propria ſpecie Empyreo præſentem, nec Sacerdotem deoſculari tunc, nec amplecti materialiter, cum non adſit præſens Sacerdos Empyreo ipſi, ſed Cœlo altaris. Ergo, aut actus illi falſitatem importabant, quod nefas eſſet co-

cogitare ; aut Chriſtus Dominus prout in Euchariſtia Sacramentaliter præſens elicit primò ſimiles operationes. Non enim redargui juſtè poteſt argumentatio hæc per hoc, quod nec, quâ Sacramentaliter exiſtens deoſculetur Sacerdotem, nec tactum exercere poſſit, nec fortè oculos in illum conjiciat tunc de facto ; & nihilominus figura illa non propterea illuſoria eſt juxtà principia noſtra. Porrò ad verificandam ſignificationem ſimilium apparitionum, ſat eſt quòd Chriſtus ipſe Dominus ejuſdem ſpeciei ſenſationes eliciat ex Euchariſtia, parique vita corporis fruatur; tametſi non per eaſdem omninò, nec per ſimiles in illo momento, operationes vivat: quoniam ex figura ſignificante ſolùm infertur in ſignificato uſus operationum ejuſdem rationis. Sicut infertur apud omnes amare ex Euchariſtia juſtum illum ; quamquam non eodem actu ſignificante, ſed alio affectu ſignificato : Rurſus voluntariè ſupponitur, non videre tunc illum ex Euchariſtia ; ſignificat enim effigies illa, vel potiùs externæ illius actiones, Chriſtum Dominum vel tunc, vel ſaltem alias ſæpiſſimè oculos ad ipſum, uti & ad juſtos alios ſuaviſſimè convolvere, amoreque etiam ex illius viſione progenito, vel de facto provenire potente, ipſum affectivè amplecti, & ore divino ſponſæ dignæ redamationem fovere. Non enim materiales amplexus exercere poſſet de facto, jugiterque ex Euchariſtia, quin irreparabile damnum pateretur fides, ut dictum eſt ſect. 1. & aliundè ad ſalvandam ex integro veritatem ſignificationis, ſufficit, quòd ſenſus aliquos, & quidem potiſſimos exerceat ſub ſpeciebus de facto.

Urgetur ſecundò ex mira, & opportuna P. Thyræi doctrina, in laudato cap. 31. ubi aſſerit, ideo Chriſtum Dominum diverſas planè figuras, aut formas, aſſumpſiſſe, vel repreſentaſſe in ejuſmodi Euchariſticis viſionibus (de quarum varietate, & differentia tractaverat cap. 15.) ut ſua munera in Euchariſtia deſignet, & oſtendat. Undè non ſemel ſub ſpecie Agni viſus eſt ; non tantùm ut ad inſtar occiſi in Euchariſtia eſſe demonſtret ad ſacrificium cruentum incruento modo ſignificandum ; verùm ut mitiſſimum ſe exhibeat, & probet ſub accidentibus. Sæpiſſimè ſub ſpecie Crucifixi, ut eandem repræſentationem, & Paſſionis memoriam adeſſe in Sacramento altaris declaret : & Paſſionis merita per eum gratiarum canalem effluere indicet, ut applicetur diligentiſſimè ab eis, qui accurrunt ad hauriendas indè aquas ; quin ut accurrant. Modò in ſpecie Pueri, bilari vultu, & geſtu, blandè arridentis, & ſic allicientis, ut hortetur parvulos, ideſt humiles, venire ad menſam Cœleſtem lacte & melle fluentem, manifeſtetque jucunditatem, qua excipit dignè accubantes ad illam. Uti & ſub ſpecie furoris interdum, ut terreat indignè accedentes. Modò elevatis in Cœlum oculis, ut preces, quas ex Euchariſtia pro nobis fundit, ſignificet. Interdum demiſſis, modeſtiam arguentibus, & noſtram deſiderantibus, præſertim in Templis, ubi ſæpiſſimè incautè gyrantes fidelium oculi prædones ſunt pudicitiæ. Et denique aptiſſimè de Cœleſti hoc Protheo luderes: *Omnia transformat ſe ſe in miracula rerum*. Conſequenterque nulla prorſus fuit unquam circumſtantia digna ſpeciali reflexione in ſimilibus apparitionibus, quæ non haberet ſignificationem relatam ad veritatem aliquam in Euchariſtia deliteſcentem (& quidem cum proportione quadam ſigni ad ſignatum) ; ſiquidem ipſa frequentia comparendi ſub ſpecie infantili proportione ſua non caret : Quoniam licet in Euchariſtia ſit præſens in menſura ætatis plenitudinis ſui ipſius, ſicut in Cœlo ; habet tamen congruenter vim ſignificandi, integram illam glorioſam Humanitatem adeſſe totam adæquatè in qualibet, vel exigua particula Hoſtiæ conſecratæ, & modo illo, quantumvis extenſo quoad locum, ad brevem tamen figuram redacto, ſignificat inextenſionem Euchariſticam ſui corporis. Et ſic de reliquis circumſtantiis, etiam minutiſſimis, per quas excurrere, jucundiſſimum mihi foret, ſi aliundè extra rem, & extra utilitatem non eſſet. Ergo extra dubium eſſe debet, externas illas ſenſationes apparentes ſignificare vitam ſenſitivam Euchariſticam, quam de facto ibidem exequitur Chriſtus Dominus, & vi cujus fungitur muneribus, tum Capitis, tum Sacerdotis, tum Judicis, tum Magiſtri, Regis, & Amantis.

Num. 104. Ex his occluſa manet reſponſio illius, qui iteratò diceret, ſatis ſuperque fore, ut ea vitę ſenſitivę oſtenſio credatur vera, quòd deſignet vitam actualem ſenſuum, corporiſque Chriſti Domini ſub accidentibus, quomodocumque illa poſſideatur ibi, ideſt ſive per primam ejus ſub eo Sacramentali ſtatu productionem ; ſivè per concomitantiam : cum hoc penitus de materiali ſe habeat ad ſignificationem illam verificandam : nec ſecundùm omnia proportionem ſortiri debent ſignum, & ſignatum, ut inductione ſignificationum aliarum circumſtantiarum evincitur, & nos ipſi fatemur. Occluſa, inquam, occludenda tamen ulterius. Contra igitur: quoniam oſtenſio relata, & ſenſibilis vitæ actualis corporis duo continet valdè diverſa, & ſeparabilia non mutuò, nempe vitam ipſam actu fluentem, & ejus primam productionem in figura intra Euchariſtiam, vel ejus ſinum, apparente. Illa ſumma cum proprietate, & porportione ſignificare poteſt vitam actualem corporis, qua pollet Chriſtus Dominus in Euchariſtia, quocumque modo vita illa baberetur. Hæc autem nulla via aut proportione deſignare valet ſimilem productionem in ipſo Sacramento, abſque deceptione, ſi ejuſmodi prima productio nullo pacto reperiatur de facto in Euchariſtia ; tametſi reperiretur vita actua-

lis corporea, ut alibi producta, & ad altare perlata. Fingamus autem virtutem aliquam, activam quidem ad extra, cujuſmodi eſt Omnipotentia, nullatenus verò receptivam, aut paſſivam, quoniam paſſio argueret imperfectionem; profectò reſpectu hujus virtutis eſſet planè falſa omnis ſignificatio, quæ ſive dicto, ſive facto exprimeret ſimul vim activam, & paſſivam illius, ut eſt evidens. Et aliundè Humanitas Salvatoris, quâ ſub accidentibus Euchariſticis, juxtà opinionem contrariam nec de facto elicit primò activè eas ſenſationes, nec eſt proximè expedita ad eas pro libito ſuo eliciendas; quia impeditur decreto divino, vel non haberet ad illud miraculum jugiter pro arbitrio patrandum applicatam permanenter omnipotentiam, ne fruſtra illam, vel illius concurſum paratiſſimum haberet. Ergo omnis ſignificatio vitæ activæ corporeæ illius in Sacramento, & prout in Sacramento, licèt ſimul cum paſſiva, eſt fallax prorſus.

Neque enim dici jure aliquo poteſt, figuram illam nequaquam ſignificare pœnes conceptum vitæ activæ, ſeù productivæ, quam præſefert, ſed unicè ſignificare vitam paſſivam, quemadmodum in Simulachro illo ſemper apparet Chriſtus Dominus cum extenſione quantitativa, & interdum proceræ ſtaturæ; & nihilominùs pœnes illam rationem non ſignificat prædicatum aliquod, aut circumſtantiam ipſius Chriſti Domini in Euchariſtia, in qua inextenſo prorsùs modo exiſtit. Et ideò fallax non eſt apparitio, quia ſecundùm illam formalitatem non ſignificat: eſſet autem mendax, ſi pœnes illam foret ſignum ſimilis præſentiæ ſub ſpeciebus. Nullo ſanè jure evaſio hæc excogitaretur. Quoniam poteſt figura illa ſignificare Myſterium aliundè latens, etiam in Euchariſtia, nempe molem corporis virilis, & ſtaturæ perfectæ contineri ſub illo brevi accidentium orbiculo, & ſub quovis puncto. Deindè permittamus nihil ſignificare; modus attamen inextenſus, Sacramentaliſque præſentiæ Chriſti Domini ſub accidentibus ſignificabilis propriè non eſt ſenſibiliter; eo quod, vel nec adhùc divinitus, vel ſaltem abſque novo alio miraculo percipi valeat ſenſibus corpus in indiviſibili conſtitutum; eſt tamen ſignificabilis productio activa vitæ. Nequit igitur terminare ſignificationem ſenſibilem propriam (ut plures ſentiunt) & ex conſequenti nequit apparitio illa per imaginem quantitativo modo præſentem ſignificare modum proprium præſentiæ Euchariſticæ (qui nobis ex fide innoteſcit) niſi dum in ſpecie parvuli apparet, quoniam tunc proportione quadam, & minùs propriè, modum illum indicat, & veluti arguit, ut nuper dicebam. Rurſus nequit ſignificari ſenſibiliter præſentia realis Chriſti Domini in Euchariſtia, vel aliqua alia veritas latens ſub ſpeciebus, quin ſignum ſenſibile ſit extenſum quoad locum, cum aliter non foret jam ſenſibile: circumſtantia ergo illa extenſionis in ſigno, aut ſimulachro, eſt pœnitus neceſſaria ad quamcumque, & cujuſcumque veritatis Euchariſticæ ſignificationem ſenſibilem efformandam, ex ſuppoſitione quòd apparere eo fine decernat. Ex eo autem quòd circumſtantia planè neceſſaria ad ſignificationem aliarum rerum, nihil omninò ſeipſa ſignificaret; (præterquamquod ſignificat myſterium aliquod ſemper dum in procera ſtatura apparet, ut dictum eſt: & in nulla figura comparere valet, quæ non deſignet verùm aliquid reconditum in Euchariſtia) immeritò, & illegitimè arguitur, circumſtantiam aliam prorſus voluntariam; cujuſmodi ſunt operationes illæ vitales apparentes (quia potuit adeſſe figura illa Chriſti Domini nullas functiones vitales corporeas emittens; vel ſi ita repreſentatio diſponeretur, ut denotaret, illud recipere ab alio loco actus illos vitales) nihil pariter deſignare, aut non aſſumi ad ſignificandum. Cui autem facilè perſuaſum erit, aſſumi abſque ulla prorſus deceptione circumſtantiam aliquam voluntariè, vel elici operationem liberè in ea repræſentatione ad nihil exprimendum, ſed ſolùm ad ſimulachri ornamentum, & veluti ad Theatri plauſum?

Num. 105. Contra ſecundò. quia vita illa, quæ apparebat viſibiliter in Puero repreſentato, erat toto Cœlo diverſa ab ea, quam per ſenſus exequitur Chriſtus Dominus in Cœlo, ut notavimus ſupra, cum ex illo deliciarum Campo verſari nequeant ſenſus illius circa objecta in terris, ut ſupponunt iidem Scholaſtici; quidquid ſit, quòd ſenſationes alias circa objecta ibidem propinqua emiſſas, obtinere debeat per concomitantiam; vel nec debeat, nec abſque novo miraculo valeat. At vitales actus, qui in apparitionibus videbantur à fidelibus diſtantibus, verſabantur circa objecta præſentia altari, vel objectum, cujus gratia fiebant, circa Sacerdotem v. g. Ergo aut Chriſtus Dominus in Euchariſtia exercet activè ſimiles vitæ functiones; aut præfatæ operationes forent mendaces, deceptriceſque; quod alienum eſt à fide, à pietate, & à ſuppoſitione. A fide, ſi præſupponantur à Deo factæ, cum ipſe neminem decipere valeat. A pietate Chriſtiana, ſi contenderet nullas ipſarum à Deo extitiſſe, ſed à Dœmone. A ſuppoſitione, quoniam doctrina illa apparitionum, ex qua procedit præſens argumentum, eſt propria Adverſariorum, ſanæque Theologiæ. Et ſanè ubi mutatio intercedit ex parte objecti, non tam facilè arte, opeque Dœmonum effingi poſſunt, cum illa contigerint plerunque, quaſi in gremio, aut in medio ipſo Hoſtiæ conſacratæ; ad quam vel appropinquari horrent quamplurimum Dœmones. Ita ex placito Theologorum, adversùs Alenſem, & Gabrielem, P. Thyræus cap. 22. Pro quo, luſtranda diligenter vita S. Bernardi lib. 2. cap. 7. D. Exim. di-

ſput.

ſput. 46. ſect. 5. ubi & exempla, & ſenſum Patrum refert. Experientia namque teſtatur, nihil ſpiritibus malignis horridiùs ſacrâ Euchariſtiâ, ad quam inviti, coactique magis accedunt, quàm in gehennæ centrum indignati abeant.

Contra tertio. Quia vir rudis, aut fœmina ſimplex, cui effigies illa vivida appareat, neſcia prorſus eſt concomitantiæ, ſapientibus notæ, non rudioribus. Dum ergo contuetur eas operationes in figura apparente, connaturali ductu fertur ejus intellectus ad judicandum, Chriſtum Dominum in Euchariſtia ſimiles operationes productivè elicere de facto; ac ſubindè foret illuſoria viſio, deciperetque, ſi Chriſtus Dominus ex Euchariſtia eas nequaquam primò produceret. Minùs rectè pariter reſponderet alius, ſigna illa eſſe ad placitum, conſequenterque poſſe aſſumi à Deo pro nutu ſuo vitam illam apparentem figuræ, in illa exercitam productivè, ad ſignificandum ſolam vitam eomitanter in figurato exiſtentem. Minùs rectè quidem; quia licet poſſet Deus in confirmationem, aut oſtenſionem præſentiæ realis ſub ſpeciebus aſſumere hanc potiùs, quàm illam effigiem, figuram, aut repræſentationem: cæterum figura aſſumpta eſſe debet talis conditionis, ut ex natura ſua poſſit ducere videntem in cognitionem illius veritatis, quam vult manifeſtare Deus, & inſuper debet ita aſſumi, ut non decipiat: quià cum minimè notum ſit nobis beneplacitum illud, ſive ſcopus Divinæ voluntatis (uti novimus illud per fidem in inſtitutione Sacramentorum) duceret ſignum illud intellectum noſtrum in errorem potiùs, & falſitatem. Quapropter tametſi apparentia, aut figura cadaveris eſſe poſſet ſignum mortis Chriſti Domini quæ in Euchariſtia recolitur: nequit tamen aſſumi in ſymbolum exiſtentiæ corporis animati per eoncomitantiam in Sacramento: quoniam ex natura ſua duceret nos in oppoſitum potiùs (& quidem poſitivè) denotaret enim apertè, & quaſi diceret, Corpus Chriſti Domini adeſſe ibi anima privatum, veluti intra ſpecies ſepultum, & in pectoribus noſtris altiùs ſepeliendum. Quinimmo ex pari exemplo deſumitur nova diſcurſus noſtri confirmatio: namque ſi Corpus adeſſet in Euchariſtia deſtitutum anima, non aptè, nec ſine deceptionis ſpecie repræſentaretur nobis ſimiliter per Corpus animatum, & in vitales Corporis operationes erumpens; tametſi unitum exiſteret Divinitati, eujus intellectionem, volitionemque poſſent ſignificare vitales apparenter operationes. Ergo ſi ex Euchariſtia modò eas operationes minimè producat, ſed merè patiatur alibi factas, & ad ſtatum Sacramentalem adductas, figura repræſentans non modò paſſivam ſimilium operationum receptionem, ſed vim activam illas primò producendi, deciperet vel periti ſſimos, & illuderet rudioribus.

Num. 106. Iterum ſubjicies. licet Chriſtus Dominus non vivat phyſicè productivè per ſenſus, & potentias materiales in Euchariſtia; attamen, quâ in illa realiter præſens, primò & per ſe producit operationes intellectus, & voluntatis ab organis independentes prorſus, per ſcientiamque beatam, aut infuſam regulatas. Ejuſmodi autem vitalem productionem opportunè, verè, & maxima cum proprietate ſignificant apparentes illæ operationes in ſimulachro, quâ primo, & per ſe ibidem productæ. Confirmatur. quoniam alioqui motus, locutiones, aſpectus, & alia ejuſmodi apparenter vitalia quæ Angeli in formatis, & aſſumptis Corporibus efficiunt, ut ex Sacra pagina indubitatum eſt, denotarent quoque, Angelos vivere per hujus vitæ ſenſitivæ actus: quandoquidem præfatæ operationes neceſſariò debent ſortiri proportionem aliquam cum Angelo aſſumente, affinitatem, aut umbram. Et nihilominus ſolùm quia ſubindicant, & deſignant vitam intellectivam, volitivamque Angeli apparenter loquentis, & videntis oculis Corporis aſſumpti, nequeunt dici fallaces, vel illuſoriæ in ſignificatione ſua. Ita diſtinctè S. Thomas 1. p. quæſt. 51. art. 2. ad 2. ibi: *Corpus aſſumptum unitur Angelo, non quidem ut formæ, neque ſolùm, ut motori, ſed ut motori repræſentato per Corpus mobile. Sicut enim à Sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudine rerum ſenſibilium deſcribuntur: ita corpora ſenſibilia Divina virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc eſt Angelum aſſumere Corpus.* Et art. 3. ad 2. repetit id ipſum. Quamoptimè igitur per vitam ſenſibilem Pueruli apparentis in Euchariſtia ſignificari poteſt vita purè intellectualis Chriſti Domini in Euchariſtia primò ibidem exercita, cum ſit intra idem genus, ſicut ſignificatur aptiſſimè vita Angelica per operationes materiales in Corpore aſſumpto, juxta Div. Thomam; & propietates rerum intelligibilium per ſenſibiles juxta Sacram Scripturam: & inviſibilia Dei per viſibilia juxta Apoſtolum. Hæc tamen apparentem duntaxat vim habent, & ſpecioſitatem; revera tamen & fallaciſſima ſunt, & erroribus expoſita, non ſanè in antecedenti, quod veriſſimum eſt, ſed in conſecutione ex illo illegitimè deducta.

Non enim ambigimus, quin per vitam ſenſitivam poſſit optimè ſignificari vita intellectualis, eum concurrant intra idem vitæ genus: per ſenſibilia deſignari ſæpiſſimè purè intelligibilia: per viſibilia hæc inviſibilia divinitatis, & per operationes materiales in corpore aſſumpto factas, naturam, & operationes ſpiritualis Angeli, ita ut vel alatum juvenem eredas Angelum viſibilitèr apparentem; vel Corpus aſſumptum purum Spiritum viſibilem oculis corporeis. Quotus enim quiſque erit hæc ignorans? Cæterum nec Deus in ſe aliam habet, nec habere poteſt vitam præter intellectivam, & mere ſpi-

ſpiritualem: nec ejuſdem attributa perfectioneſque eſſe valent, niſi ſpirituales, & inviſibiles: nec Angelus eſt capax vitæ ſenſitivæ, ſed purè ſpiritualis: neque purè intelligibilia capacia ſunt ſenſibilitatis in ſe (ſi autem nonnulla, quæ ſignificantur, mixta ſint, hoc ipſum per ſignificationem ſenſibilem repræſentabitur) & aliundè omnia hæc innoteſcunt Mundo per fidei principia. Ex quibus neceſſariò arguitur, aut infertur ſignificatio oppoſita illi ſenſibili, proveniens ex divino beneplacito, & moraliter intrinſeca eis operationibus, corrigens aut elevans ſenſibilem naturalem per ſublimiorem ad placitum, ſignificativam vitę Angelicę poſitivè. Proindeque nihil mirum, quod per ſenſibiles actiones vitæ ſignificetur vita intellectualis pura, abſque ulla ſpecie deceptionis, nec ejus periculo, in Deo, & Angelo, animaque ſeparata; eo quod compertum ſit omnibus, per ſe non adeſſe aliam vitam, aut alia prædicata, quæ ſignificentur, niſi purè intelligibilia, aut ſpiritualia: dum ex alia parte quælibet vita ſortitur proportionem ſufficientem, quantumvis inferioris ordinis ſit, ad gradum ſublimiorem vitæ repræſentandum, ratione cujus proportionis prudentiſſimè aſſumi poteſt in ſignum illius: quemadmodum agniculus in veteribus ſacrificiis, tametſi irrationalis, erat figura vivens, ſignumque Agni Dei, ejuſque vitæ rationalis, quæ futura erat victima immolanda hoſtium furori omni ratione deſtituto.

Num. 107. Verùm Chriſtus Dominus non eſt duntaxat capax vitæ intellectualis, ſed inſuper ſenſitivæ, & corporeæ, ut ex vita, quam egit in terris, & ex gloria, quam ſpirat in Cœlo, ſanctùm eſt. Quinimmò vita corporis per ſe primò ſupponere videtur in ſenſu phyſico, pro ſenſitiva, licèt includat ſimul intellectivam, miniſterio primæ illius acquiſitam, & ſub ea ratione à Corpore pendentem. Ergo operationes ſenſibiles in ſimulachro, ſignificantes vitam Chriſti Domini in Euchariſtia, ſenſitivam, ſive corpoream indubiè deſignant; aut planè decipiunt per ſe incautum, cui ſit apparitio; cum fides non doceat ejuſmodi vitam minimè de facto adeſſe ſub ſpeciebus, nec illius productionis eſſe proximè incapacem humanitatem, quâ ſpeciebus velatam. Opportunum exemplum, & affine ſupra numerato, ſuppeditat nobis opinio quorundam Theologorum, quos dedimus ſect. 1. aſſerens, nec actus purè intellectuales, in nullo cum Corpore, aut ejus organis, communicantes, produci poſſe ab anima Chriſti Domini in Euchariſtia abſque novo miraculo. Uti juxta alios, nec ſine miraculo deferri poſſunt per concomitantiam ad Euchariſtiam operationes vitales in Cœlo exercitæ. Immo nec divinitus effectus formalis earundem in ſententia plurium Scotiſtarum.

Ponamus itaque, humanitatem Chriſti Domini nullas de facto operationes vitales nec animæ, nec Corporis habere, nec à ſe quâ ibi præſente elicitas, nec per concomitantiam aliunde adductas. Profectò in ea hypotheſi effigies ſenſibiliter apparens in Hoſtia, & vitales operationes oſtendens in ſignificationem vitæ Chriſti Domini illuderet planè, deciperetque illum, cui apparuiſſet; & nihilominus adhuc in eo eventu veriſſimum foret, adeſſe realiter ſub ſpeciebus Perſonam Divinam intelligentem, & amantem actu per intellectionem, & volitionem increatas. Sed cur deceptoria foret omnium confeſſione ea apparitio, non aliter ac ſi fieret ea vitalis repræſentatio in triduo, ſub hypotheſi, quòd in illo celebratum fuiſſet ſacrificium (calente adhuc cruento) incruentum? Non alia certè ratione, niſi, quia ultra vitam divinam Perſona illa eſt capax alterius vitæ humanitatis propriæ, & ſecundùm animam independenter à Corpore, & ſecundùm Corpus, quâ ab ipſa vegetatum. Et aliunde operationes illæ, quæ apparent in ſigno repræſentante, eſſent vitæ ſenſitivæ propriæ (uti & intellectivam animam, è cujus imperio, & directione provenirent, demonſtrarent) quam per ſe deſignat, in eamque, prout in Euchariſtia de facto exiſtentem ducerent; cum re ipſa non adeſſet ea vita de facto in humanitate ſub accidentibus abſcondita. Neque per vitam actualem increatam vivit de facto humanitas illa, nec denominari poteſt ab ea. Non magis autem (quantùm comparare licèt humana divinis) communicat cum corpore vita purè intellectualis animæ, nullo pacto acquiſita per ſpecies ſubminiſtratas à ſenſibus, quàm vita increata cum humanitate. Unde S. Thom. 1. p. q. 75. art. 2. Corpore, dixit: *Ipſum igitur intellectuale principium, quod dicitur mens, vel intellectus, habet operationem per ſe, cui non communicat Corpus*. Vita igitur actualis ſenſitiva, quæ reſplendet in apparitionibus Euchariſticis, nequit eſſe Symbolum deſignans ſolam vitam animæ planè independentem à Corpore, purèque intellectualem, quin ſit deluſoria, ducatque inſpectorem in falſitatem: eſſet enim apparitio fingens vitam ubi non eſt; nec ſolum foret merè apparens, & ficta in ſimulachro, ſed inſuper in Sacramento.

Num. 108. Rurſus loquendo de vita in ſpecie Corporis aſſumpti ab Angelo; quamvis aſſumptio illa importet eſſentialiter ordinem Angeli aſſumentis ad ſeipſum in Corpore aſſumpto repræſentandum, ajente D. Thoma, ubi nuper art. 3. *Non enim aſſumitur, niſi, ut per proprietates hominis, & opera hominis propriè tali, Angelorum, & eorum ſpiritualia opera deſignentur*. Cæterum finis ejus aſſumptionis per ſe primò intentus, ultimuſque non eſt illa ſignificatio conſtitutiva aſſumptionis; ſed ulterior alia, quæ eſt ultimus finis ſignificationis, terminuſque ſignificatus. Nam Angeli natura completè ſpiritualis, ſublimiſque virtus, & ſcientia,

tia, ſufficienter præſupponi debent ex documentis ſidei notæ videnti. Quamobrem S. Thomas 1. p. q. 51. art. 2. ad primum: omnes hujuſmodi apparitiones veteris teſtamenti factas fuiſſe docet in ſiguificationem naturæ aſsumendæ à Magni Conſilii Angelo, Verbo ſcilicet Divino; ſubindeque deſignabant omnes per ſe primò vitam etiam, corpoream, & ſenſitivam Chriſti Domini. *Hoc etiam*, inquit S. Doctor, *quòd Angeli corpora aſſumpſerunt in veteri teſtamento; fuit quoddam figuratè indicium; quòd Verbum Dei aſſumpturum eſſet Corpus humanum: omnes enim apparitiones veteris teſtamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, qua filius Dei apparuit in Carne*. Uti modo (& interdum etiam in ipſo teſtamento veteri) deſignat Angelus per actiones illas in Corpore aſſumpto (præter qualitates proprias) munus aliquod, vel opus à Deo ſibi injunctum, ut exequendum circa homines alios, vel circa aliquem determinatè. Quemadmodum glorioſiſſimus Raphael Archangelus in juvenili corpore aſsumpto Tobiam, juvenem pariter, comitatus, oſtendebat evidenter (dum innotuit) curam illi commiſſam tunc illius juvenis; inpoſterum peregrinantium; infirmiorumque, uti & eorum, qui à Dæmone vexantur, quæ illum officia incredibili ſollicitudine, vel pergraudia etiam miracula frequenter exequi norunt ejuſdem veri amatores. Omnia autem hæc vel pleraque ſunt vitalia, & ſenſibilia munia, vel in ſeipſis, vel in effectu.

Ulterius exemplum retorquetur efficacitèr in objicientem, ſi fingamus, hominem aliquem, integrè acceptum, inviſibilitèr exiſtentem, ut exiſtit Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus, aſſumere divinitùs corpus aliud ex aëre formatum ad aliquid aliud ſignificandum (fingitur etiam poſſibile, quod corpus animatum poſſit aſſumere aliud corpus aëreum, quod propriè fieri nequit) tunc profectò, juxta doctrinam objectam omninò in ſe veram & aſſumptionis naturam ab omnibus probatam, deberet per actiones exercitas in corpore aſſumpto deſignare proprietates, vitam, naturam aſſumentis: quapropter non ſolam vitam intellectualem aſſumentis ſignificaret: tum quia hoc eſt naturalitèr impoſſibile ipſis: tum quia alioqui & foret diminuta ſignificatio, valdèque imperfecta; & ſub aliqua ratione negativa decipiens, quatenus anſam præberet videnti, ut putaret, vel Angelum, vel ſolam animam rationalem, eſſe aſſumentem, ſi nulla corporis veſtigia, aut argumenta in operationibus, earumque ſignificatione detegeret. Si verò vitam etiam ſenſitivam deſignarent (uti neceſſariò connaturalitèr eam ſignificant) poſitivè deciperent, ſi aliundè aſſumens pro eo ſtatu non exerceret functiones vitæ corporis. Quoniam illæ utpotè corporeæ, & vitales, ducerent per ſe intellectum videntis in affirmationem ſimilis vitæ in termino ſignificato; quæ minimè adeſſet.

Duntaxat igitur operationes in corpore aſſumpto ab Angelo vitam intellectivam aſſumentis actu ſignificant, quia aliam non habet, ſignificaturę procul dubio ſenſitivam etiam, ſi illâ potiretur aſſumens. Jam verò apparitiones Euchariſticæ, juxta Theologos paſſim, minime fiunt per aſſumptionem alicujus corporis ex aëre formati factam, vel ab Angelo, vel ab ipſo Chriſto Domino; ſed per puras ſpecies à Deo miraculosè productas, ſive ex parte oculorum videntis, ſive ex parte objecti. Adeòque operationes apparentes non præſupponunt motorem aſſumentem, cujus proprietates ſubjectivè ſignificent, ſed unicè deſignant præſentiam, & vitam Chriſti Domini ſub accidentibus, qui eſt terminus ſignificatus, quique capax eſt per ſe vitæ corporeæ. Ergo aut hanc etiam ſignificant, aut deludunt videntem.

Nollem tamen, quod aliquis, vel putaret, vel reſponderet, veram abs dubio interventuram fictionem decipientem in ſymbolo, ſi aliunde illa non corrigeretur per magis probatam Scholaſticorum opinionem, docentem, Chriſtum Dominum in Euchariſtia nullas per ſe primò emittere poſſe operationes ſenſuum, aut functiones vitæ corporis. Sicut igitur, licet ſenſus noſtri experiantur odorem, colorem, & guſtum accidentium panis in Hoſtia conſecrata, quæ per ſe manuducunt intellectum in ſubſtantiam panis; nulla tamen intercedit fictio, aut deceptio, ſive erroris occaſio; quoniam ſenſuum notitia purgatur per fidem: ita in ſubjecta argumenti noſtri materia cauſa illa erroris cohiberetur, fieretque omnis deceptionis expers, per opinionem noſtræ oppoſitam, aut ſemel aprehenſus error exueretur illicò. Nollem equidem, quod ita reſponderet voluntas, ne cavillationibus agatur in quæſtione undequaque reali, momentoſaque. Quoniam tamen vel à Sophiſmatibus eam expedire interdum oportet, eo quod, tametſi veritatem minimè expugnent, obtenebrant attamen, diemque non ſemel vertunt in noctem: reſpondeo.

Num. 109. Tricam ipſam retorquendo in objicientem, quippe qui jam fateretur, eas operationes vitales elicitas in ſymbolo apparenti, futuras planè ſallaces, deceptoriaſque, ſi non illuſtraretur intellectus illas videntis ſolemni hac Theologorum opinione. Sed fœmina devota, exempli cauſa, vel rudis homo: aut ſaltem rerum Theologicarum planè ignarus, quibus frequentiùs, quàm doctioribus (cum hi numero ſint longè pauciores) hæc contingunt, neſciunt plerunque ejuſmodi Scholaſticorum opinionem, nec ejuſmodi ſententiam, aut doctrinam audiere forſan unquam, niſi per accidens unus vel alter; ſi interdum aliqui eam è ſuggeſtu tradiderint, ut in Præfatione diximus. Ergo reſpectu eorum præfatæ apparitiones eſſent falſitatum radices, errorum officinæ, & cauſæ. Niſi fingas paritèr, quod Deus peculiari notitia eos illu-

illuminarit, ut præcaverent errorem, alioqui infallibilitèr contrahendum. Id quod ſine fundamento aſſeritur, cum nulla ejuſmodi illuſtrationis notitia appareat in narratione harum apparitionum, quam texuere Hiſtorici; immò potiùs oppoſitum, cum talem putaſſent adeſſe Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus illis, quibus fieret apparitio, qualem videbant ſenſibilitèr ex ipſa. Et inſuper fruſtra exercerentur divinitus illæ operationes per ſe ſignificantes vitam ſenſitivam, ſi earum ſignificatio debet præcaveri nova aliqua illuſtratione, ne decipiat; cum alioqui poſſet abſque illis apparitio realem Chriſti Domini præſentiam deſignare: undè non eſt neceſſarium per ſe illarum exercitium ad ejuſmodi ſenſibilem viſionem, ſicut extenſio figuræ apparentis neceſſaria eſt per ſe ad hoc, ut ſit ſignum ſenſibile præſentiæ realis. Sanè ad repræſentandum corpus mortuo modo præſens, nequidquam aſſumeretur ſimulachrum illius actu vivaciſſimum, ut notatum fuit.

Secundò: Eatenus accidentia panis, & vini, præſertim quæ dicuntur propria, peracta conſecratione, non decipiunt, etiamſi per ſe connaturaliter deſignent præſentem ſubſtantiam panis, & vini: quatenus ultra ſignificationem illam naturalem ſortiuntur aliam rationem ſigni ad placitum, ab Inſtitutore Divino illis adjunctam (quæ innoteſcit omnibus ortodoxis per fidem) vi cujus ſignificant, & quidem ſenſibiliter per verba conſecrationis, præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, & abſentiam omnimodam ſubſtantiæ panis, & vini; ſuperante, & obruente ſecunda ſignificatione primam connaturalem, (quam exuere nequeunt accidentia, quia eſt illis intrinſeca ex natura ſua) uti & creatura divinitus paret Deo, etiam contra naturalem ejus exigentiam. Qua ſignificatione ad placitum ignorata, vel ejus notitia (tametſi illa reipſa exiſteret, exiſtente etiam, ut modò, reali præſentia Chriſti Domini ſub utraque ſpecie) eo quod non foret nobis revelata exiſtentia Myſterii, accidentia illa ducerent, vel ſapientiſſimum quemque in errorem materialem. Jam verò opinio aliqua Theologorum, eorundemque placitum quantumvis probatiſſimum, nequit inſtituere ſignificationem aliam ſimilem, ſive ad placitum etiam, in Corporeis viſionibus, aut apparitionibus Euchariſticis, per quam cohibeatur prima connaturalis; atque adeo ſemper hæc foret ſeductoria ex ſe, indignaque propterea, quæ per miraculum formaretur. Si autem opinio illa ſolum dicat, eam ſignificationem inſtitutam fuiſſe à Deo; in primis ejuſmodi opiniones ignotas per ſe eſſe, & fuiſſe pleriſque eorum, quibus factas fuiſſe legimus ſimiles apparitiones, advertimus ſupra, eſtque conſtantiſſimum: adeoque earum lumine pelli minimè potuit error inculcatus.

Deindè: ſi viro docto Theologo, quantumvis inſigniſſimo, & contrariæ ſententiæ addicto, fieret ea apparitio, cum ſententiam illam ut probabilem, vel ad ſummum, ut probabiliorem amplectatur; ægrè poſſet opinio illa, aut notitia ſimilis doctrinæ, corrigere notitiam practicam ſenſibilem; ſed potiùs notitia per ſenſus phyſicè percepta, argueret falſitatis eam ſententiam apud ipſum. Vel ad ſummum hæreret in bivio: ac ſubindè per apparitionem miraculoſam, qua debuiſſet illuminari, obſcuraretur magis ejus intellectus, cum præcedenter ad illam adhæſiſſet poſitivæ opinioni neganti illam vitam, ut ex Euchariſtia productam (quam Adverſarii putant veram doctrinam) & poſt apparitionem dubius planè remaneret, quidquid ſit, quòd circa veritates alias illuſtraretur. Tandem omnino per accidens eſt, quod ſit in Theologia valde peritus ille, cui appareat in Hoſtia Sacra imago illa; unde per ſe loquendo apparitio ſeduceret videntem; quod tam procul eſſe debet ab omni miraculoſa manus Divinæ operatione, quàm mendacium à lingua Divinitatis.

Num. 110. Dum verò Angelus apparuit ſæpiſſime in Corpore aſſumpto ad aliquod aliud myſterium deſignandum, per operationeſque in ſpeciem vitales manifeſtabat, tum præfatum myſterium, tum etiam ſeipſum, aliter res ſe habet, ac inmemorata Scholaſticorum opinione: quoniam Angelus ipſe eadem virtute, qu poteſt formare Corpus, & aſſumere, ut ad inſtar viventis appareat, poteſt inſtituere eas ſenſibiles operationes ad ſignificandum myſterium, cujus gratia Corpus aſſumit, & ad ſeipſum repræſentandum. Idque manifeſtat ei, cui apparet, tum loquendo, tum illuminando: atque adeo facit illi evidenter notam ſignificationem operationum, quas elicit. Sic dum Angelus repræſentans Deum apparuit Moyſi Exodi 3. dixit apertè: *Ego ſum Deus*, innuitque Sacer textus ibidem, & Actor 7. id fuiſſe notum Moyſi, ut colligunt ex utroque loco Interpretes. Similiaque inveniuntur apud Danielem, præſertim cap. 1. & per Aoocalypſim ſæpiſſimè, ubi Angeli monebant Prophetas, tum de munere, ad quod exequendum mittebantur: tum de proprietatibus ſuis, quin & de proprio nomine frequenter. ut Tobiæ 12. *Ego enim ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum ... Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere; ſed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*: Quam manifeſtationem diſtulit uſque in finem miniſterii ſui, & comitatus, quia non expediebat muneri ipſi exercendo, & eorundem probationi, pandere ſecretum hoc à principio, ſed, dum jam jam abiturus, memoriam ſui illis, & poſteris reliquit. Neque ante ſui manifeſtationem aderat ulla deceptio reſpectu Tobiæ, putantis Raphaelem hominem verum: eo quod aſſumptio illa, uti reliquæ veteris teſtamenti, deſignabat naturam humanam à Verbo aſſumendam, eratque propterea ſignificativè

ho-

homo ille Deus repræſentatus, ut ex Divo Auguſtino circa mendacium animadverſum fuit ſupra.

Ubi notandum diſcrimen inter hanc ſignificationem, & illam, quam opinio contraria affigere conatur apparitionibus Euchariſticis, quam vel ipſa invenit, vel potius a Deo inſtitutam ſupponit; hæc enim nullatenus eſt ſignificatio aliqua ad placitum impoſita, & ſe tenens ex parte ſignificantis, ſed potius correctio quædam ſignificationis naturalis, ne decipiat ſpectatorem. Correctio autem illa, dum purè talis eſt, & non includitur in ſignificatione aliqua poſitiva effectus ſublimioris caſtigantis, vel cohibentis connaturalem ſignificationem, nequit ſe habere ex parte corporis, aut figuræ ſignificantis; cum nullam habeat illa ſignificationem, ſed potiùs ſigno oppoſitam: atque adeo ſemper relinquit ſignificationem naturalem ſigni, planè ſeducentem præfatum ſpectatorem, ignarum per ſe illius Theologicæ caſtigationis, vel à Theologis Deo probabiliter adſcriptæ: immò, nec ex parte Dei concipi valet prudenter, cum ſit pura cohibitio ſignificationis naturalis, quin alteram poſitivam, qua excludatur ſive corrigi valeat intrinſecè, inſtituat: adeoque, nec ex parte ſigni poteſt concipi intrinſeca moraliter ea pura ſignificationis falſificatio. (Quin & conſcium etiam illius probabilis ſententiæ deludere poſſet, ut nuper indicatum eſt) Alienum autem eſſe à Deo ſimile deceptionis genus, nihilque aliud quærendum, norunt omnes, ſupereſt ad immutationem aliquam reprobandam, ſi ſemel illa deceptoria probetur: eo ipſo namque à maligno ſpiritu credenda eſt, qui ſæpiſſimè larvis, & immutationibus in ſpeciem mirandis (quamquam non tam facilè Euchariſticis) deludit incautos, ſuadens primùm hac via levioris momenti errores, donec paulisper fide diruta, lumine naturæ obſcurato, exclamare minimè vereantur horrendum illud: *Mentimur regnare Jovem.*

Num. 111. Deciperetur pariter (inſiſtendo principiis relatæ opinionis) qui reſponderet, operationes apparentes in ſimulachro Euchariſtico ſortiri ſignificationem ſolius vitæ purè ſpiritualis, ſive independentis à corpore, ut primò productæ in Euchariſtia, ſignificatione ſe habente ex parte ſimulachri, & corrigente ſignificationem naturalem vitæ ſenſitivæ; cum non aliter poſſit oſtendi ſenſibiliter vita intellectualis, quam per ſenſitivam. Contra enim ex dictis ſupra: quoniam licet ſignificare poſſint vitam intellectivam, minimè tamen ſignificatio illa excludit ſignificationem vitæ ſenſitivæ etiam, cum poſſit utramque ſignificare, & hanc omnino connaturaliter oſtendat, dum intra Hoſtiam ipſam ludit Parvulus viſibiliter. Ea autem excluſio per voluntatem Inſtitutoris, aſſumentis ſignum illud ad operationes ſpirituales demonſtrandas excluſivè, nec probatur ab adverſa opinione, itaùt clareſcat doctrina hæc ſpectatoribus: neque itaùt poſſit intelligi ex parte ſigni, illi moraliter intrinſeca, quâ incluſa in ſignificatione altioris, purioriſque vitæ: cum in illa nentiquam includatur; uti involvitur in ſignificatione ad placitum, Sacramentalive accidentium poſt conſecrationem, correctio ſignificationis panis & vini. Et quemadmodum etiam ſi in triduo facta fuiſſet conſecratio, parvulus qui apparens in hoſtia eliceret ſimiles operationes ſenſitivas, ſeduceret videntem; reputaret enim omninò certum, Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus exangue non eſſe, inanimatumque; neque evaderet ritè illuſionem hanc, qui contenderet, operationes illas elicitas fuiſſe ad ſignificandum privativè vitam divinitatis unitæ corpori mortuo, & non poſſe ſenſibiliter explicari nobis vitam divinitatis, niſi per eas, ſi vita ſpiritualis Euchariſtica non poſſit aliter, quàm per ipſas ſenſibili modo declarari (quod verum abſolutè non eſt) Quo circa, ſi Chriſtus Dominus in Euchariſtia de facto nullas ſenſationes eliceret, idque nobis per divinam revelationem conſtaret, non poſſent operationes ſenſibiles apparentes in ſimulachro aſſumi à Deo in ſignum ad placitum vitæ purè intellectualis Euchariſticæ. Quoniam vitam intellectivam ſignificant illæ naturaliter, cum deſignent ex ſe ſenſitivam, ut imperatam ab anima rationali, adeoque non ex inſtitutione.

Aliam autem poſitivam ſignificationem, quæ foret illis intrinſeca moraliter, non induceret voluntas Dei, aut revelatio illa, quippè quæ ſolum dictaret, fallere ſignificationem vitæ ſenſitivæ, quam præſeferrent, quod nihil intrinſecum ponit in ipſis. Remanerent igitur ex parte ſui ſeductrices, ac proinde nequeunt decenter aſſumi in ſignum vitæ ſpiritualis. Aliaque idcircò ſigna excogitaret divina ſapientia. Objecta igitur excluſio, dum pure negat, non eſt poſitiva aliqua ſignificatio inducta per voluntatem inſtituentis ſignum, quatenùs imponat ſigno aliam ſignificationem poſitivam, incompoſſibilem cum propria, & naturali; adeoque nequit intelligi ex parte ſigni poſitivè: nec adhùc, ut purè negativa, itaùt in eo ſenſu ſit moraliter intrinſeca, quia non ſatis percipitur quo pacto inſtituere poſſit Deus ſignum aliquod eo fine præcisè, ut non ſignificet id, quod per ſe aliundè deſignat, cum ſit deſtruere abſque termino poſitivo, qui inducatur. Quandoquidem ſignificatio vitæ intellectivæ, licet poſitiva ſit, non pugnat attamen ullo pacto cum prima illa, ſubindeque hujus excluſio foret pura illius privatio abſque termino poſitivè introducto (loquimur ex principiis vulgatæ Philoſophiæ). Abſque illa autem ſignificatione poſitiva ſublimioris effectus, quamquam prima cohibeatur, ſemper remanet ſignum intra naturam, & limites deceptionis, & mendacii; quod,

juxtà plures, ſufficeret ad defectum ſinceritatis Deo patranti illud miraculum, imputandum. Ex quo ſit, illam ſignificationem purè negativam futuram repugnantem, etiamſi conciperetur moraliter intrinſeca.

Præterea, quem terminum reſpiceret ea Dei volitio? Non ſanè carentiam ſignificationis illarum operationum, ſiquidem illa eſt ipſis connaturalis, intrinſecaque, quæ poteſt equidem corrigi per aliam, neutiquam tamen auferri: quemadmodum, nec volitio inſtituens ſignificationem Corporis Chriſti Domini, & gratiæ conferendæ, in accidentibus Euchariſticis, aufert ab eis propriam naturalem ſubſtantiæ panis, & vini ſignificationem, ſed cohibet per aliam ſublimiorem illis adjunctam. Non effectum ipſum decipiendi, quoniam hic ſequitur neceſſariò ex ſignificatione naturali, ſi non corrigatur, per ſignificationem aliam oppoſitam ad effectum alium terminatam (ut opinatur laudata ſententia, ex qua arguimus) ſigno moraliter intrinſecam; ne illud ſecundum ſe acceptum ſit deluſorium. Uti operationes ſenſibiles factæ in corpore aſſumpto ab Angelo deſignarent non ſolùm vitam ſenſitivam, ſed intellectivam propriam hominis, ſi per ſignificationem ad placitum non inſtituerentur ad deſignandum ſublimiorem intelligentiam. Si verò colluſtrari intellectum videntis face occulta, dixeris, & luminoſa: in primis hæc illuminatio eſt prorsùs extrinſeca ſigno, ſemperque illud remanebit ex ſe capax ſeducendi: deindè, ut jam advertimus, narratio hiſtorica harum apparitionum, cum minutim ſæpiſſimè illarum circumſtantias referat, hujus notitiæ divinitùs comparatæ ab ſpectatore nuſquam meminit; uti profectò meminiſſet, cum ſit adeò gravis, ſi ejus faces accenſæ fuiſſent in intellectibus adſtantium. Vides, te fugam arripere non poſſe per ſubtilitates dialecticas, quin apparitiones Euchariſticas, ubique notas, efficias purè Scholaſticas, dubias, & captioſas.

§. II.

Num. 112. NEque minoris momenti eſt nonum fundamentum opinionis noſtræ, cui militat ipſa præſentia Euchariſtica. Porrò hæc præſentia phyſica nequaquam eſt purè materialis, ſed formalis, ſtricta, & rigoroſa. At ſi de facto non ſe exerceat per ſenſus, & potentias corporeas, earum operationes primò producendo ex ipſa Euchariſtia, eſſet purè materialis præſentia Chriſti Domini in venerabili Sacramento, & impropria, ideoque in nullo ſenſu ſtricto formalis, propriaque. Ergo Chriſtus Dominus quà Sacramentaliter exiſtens exercet activè functiones vitæ ſenſitivæ, & rationalis per illam comparatæ, in quibus ſita eſt vita actualis corporis. Tam major, quam minor propoſitio deſiderant probationes, quas libenter producam. Ut tamen ſuadeatur major, prænotandum eſt, ſermonem hìc non eſſe tantùm de præſentia purè objectiva excluſivè, aut præciſivè à materiali reali; eo modo quo objectum aliquod, tametſi diſtans procul, dicitur eſſe ſingulari modo præſens creaturæ rationali, cognoſcenti, & amanti ipſum, qua via efficit, ut objectum, Deus exempli gratia, adſit ſpecialiter illi, uti juxtà veram Philoſophiam *Cognitum eſt in cognoſcente, & deſideratum in deſiderante*, ut loquitur de hac præſentia S. Thomas 1. par. queſt. 8. art. 3. Tum quia præſentia hæc ſecundùm ſe præciſè accepta eſt purè intentionalis; præſentia autem Chriſti Domini in Euchariſtia eſt realis, & phyſica etiam: Tum quia eo modo præciſè non minùs eſt præſens nobis Chriſtus Dominus quâ in Cœlo exiſtens, ac quâ ſub ſpeciebus.

Tum præterea; quoniam ad hoc, ut vel hæc etiam præſentia ſit aliquatenùs propria, debet objectum fieri præſens cognitioni intuitivæ aut ſenſui (ſi namque ſenſui præſentetur, jam eſt realiter ſubſtantialiter præſens ſentienti, cum ſit intra ſphæram facultatis ſenſitivæ, & experimentalis); ſin minus componitur quamoptimè cum abſentia ſubſtantiali, phyſica, & propria objecti, atque adeò cum carentia præſentiæ ſubſtantialis, realis, & propriæ. Ita S. Thomas in 3. ſent. qu. 1. art. 2. in 3. qu. ad 4. ubi ex Auguſtino diſputat ſic: *Illud propriè dicitur præſens, cujus eſſentia intellectui, vel ſenſui præſentatur: & quia hoc facit viſionem, ideò dicit Auguſtinus, quòd videntur præſentia, ſed creduntur abſentia; & propter hoc etiam fides aſſimilatur auditui, quia de abſentibus eſt, ſicut auditu cognoſcimus, quæ, cum ſint abſentia, nobis recitantur.* Corpus autem Chriſti Domini in Sacramento Euchariſtiæ, nec intuitivè à nobis videtur oculis mentis, nec corporeis, ſed fide tantùm cognoſcitur. Conſequenterque attento ſolùm eo præſentiæ objectivæ genere, & ex conceptu illius ut ſic, eſſe poſſet abſens; niſi quatenùs per fidem irrefragabilem aſſeritur nobis præſentia ſubſtantialis, realiſque ibidem latens, quæ ſimul intentionaliter ſit præſens credenti per actum ſidei. Uti & Clemens V. in Clementina unica de Reliq. & Ven. Sanct. dixit: *Alia namque, quorum memoriam agimus, ſpiritu, menteque complectimur; ſed non propter hoc realem eorum præſentiam obtinemus; In hac verò Sacramentali Chriſti commemoratione Jeſus Chriſtus præſens, in alia quidem forma, in propria verò ſubſtantia, eſt nobiſcum.*

Tum demùm, quia hoc intentionalis præſentiæ genus non facit rem præſentem ſubſtantialiter, ſed illam ad ſummum ſupponit interdum. Dum autem illam ſupponit realiter exiſtentem, tunc planè neceſſaria eſt ea notitia intentionalis, præſertim intuitiva, aut veluti experimentalis ad perfectum formalemque conceptum præſentiæ conſtituendum. Diſſerimus itaque de forma-

li

li hae, ſuppoſita omnino reali materiali. Notandum pariter, neque ſermonem eſſe nunc de ubicatione ipſa, ſeu modo qui appellari conſuevit præſentia formalis, ſive fuerit circumſcriptivus, ſive diſinitivus, ſive Sacramentalis (Euchariſtiæ proprius); ſed de reipſa, ſive de ipſo Corpore Chriſti Domini, quod per eam ubicationem ſit præſens loco, aut ſpeciebus; & hujus præſentiam ſubſtantialem contendimus, & probamus, eſſe debere formalem reſpectu noſtri, & non purè materialem; quia res, quæ hoc tantùm mortuo exiſtendi modo eſt præſens, eſt equidem ibi realiter ſubſtantialiter, ſed non adeſt, quantùm eſt ex parte ſui, formaliter, cum omnia, etiam illi phyſicè præſentiſſima, abſint ab ea; & cum nec illa ſit ſibi ipſi præſens.

Num. 113. Quibus obſervatìs probatur major primò: ex eo quod compertiſſimum ſit ex Pâtribus, præſertim Sanct. Auguſtin. Euſeb. Emiſ. Chryſoſt. &c. & ex Divo Thoma 3. part. quæſt. 23. arr. 5. & opuſc. 57. & aliis ſæpe, Chriſtum reliquiſſe præſentiam ſui Corporis inviſibili modo in Euchariſtia, in ſolatium & veluti ſubſtitutionem præſentiæ viſibilis, quam ab oculis Diſcipulorum auſerebat: quomodò autem ſuppleret illam, ſi non eſſet formaliter præſens, quia nec videre nec audire ex occulto illo poſſet? Quòd enim hæc inviſibilis ſit, dum illa ſenſibilis erat, conſtat ex fide; quòd autem emortua eſſe nequeat, ut ſuppleat illam, ex ipſa fide colligitur, & ex conceptu ſupplentis aliam formalem. Probatur ſecundò: ex verbis Chriſti Domini, cjuſque promiſſione Matth. 28. adducta à Concilio Viennenſi cum Clemente V. in laudata Clementina, in qua immediatè poſt verba nuper relata, ſubjungitur: *Aſcenſurus enim in Cælum dixit Apoſtolis, & eorum ſequacibus: ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebas uſque ad conſummationem ſæcali: benignu ipſos promiſſione conſortans, quòd remaneret, & eſſet cum eis, etiam præſentia corporali.*

Quamquam enim verba illa Chriſti Domini uſurpent frequenter Patres de præſentia illius per Divinitatem, minimè inficiantur ſenſum hunc à Concilio intentum, neque illum excludunt, qui merè præſcindunt; nonnullique ipſorum illa accipiunt etiam de præſentia poſitivè Sacramentali ejuſdem Chriſti Domini. Ita ex Sancto Auguſtino Sebaſtianus Berradas tom. 4. lib. 5. cap. 13. Ita Sanct. Gregor. Niſſenus, & Sanct. Hilarius, S. Hypolitus orat. de conſummatione Mundi, Philippus Presbyter, Fulbertus Carnotenſis. S. Bernardinus tom. 2. ſerm. 54. Petrus Cluniacenſis, Lyra, Salmeron to. 11. tractat. 33. Valentia, Henriquez, Doctor Eximius, Henao in Empyrol. exercitat. 24. Ita etiam Janſenius cap. 149. concordiæ. Ita Cornelius à Lapide in Matth. cap. illo 28. Ita S. Laurentius Juſtinianus ſermone de Euchariſtia, Innocent. III. lib. 4. de hoc myſterio cap. 44. Doctor Seraphicus in 4. diſtinct. 10. art. 1. quæſt. 1. in prima parte fundamentorum; quæ approbat argumento tertio: & tandem acceptio hæc eſt Concilii Generalis Viennenſis, ut vidimus, adjungentis inſuper verba alia, præſentiam illam formalem maniſeſtantia.

Porro, *eſſe nobiſcum etiam præſentia Corporali*, exprimit clariſſimè, non modò adeſſe materialiter Corpus: nec rursùs providere tantùm Sponſæ ſuæ Eccleſiæ per actus ſcientia beata, & infuſa regulatos, quibus illam regat, illuſtret, foveatque; cum hoc æquè fieret per eas operationes ex Empyreo, & per Divinitatem ubique præſentem: ſed Corpus actu vivum, habenſque nobiſcum commercium per humanitatem; non ſanè mutuum in ratione ſenſibilis, cum hoc cederet in fidei ſanctæ detrimentum, ſi non in ruinam ex integro; ſed ex parte ipſius Chriſti Domini. Idque non minùs dilucidè tradit Synodus Tridentina ſeſs. 13. cap. 1. adſtruens realem ſubſtantialem præſentiam Jeſu Chriſti Domini Noſtri tanquam verè Dei, & Hominis ſub ſpeciebus illarum rerum ſenſibilium contentam, ait ſiquidem: *Nec enim hæc duo inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit.* Deindè hanc præſentiæ Confeſſionem tenuiſſe omnes, quotquot de Venerabili Sacramento diſſeruerunt intra Eccleſiam Orthodoxam, docens, adjungenſque, Chriſtum Dominum ejus inſtitutorem diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatum fuiſſe eam veritatem, ſubdit: *Quæ verba à Sanctis Evangeliſtis commemorata, & à Paulo poſtea repetita, cum propriam illam, & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt; indigniſſimum ſanè negotium eſt &c.* Ubi notanda inter alia verba illa deſinientia, *propriam eſſe* illam præſentiæ ſignificationem, & apertiſſimè in verbis Chriſti contentam.

Id autem rursùs firmat cap. 5. dicens: *Nam illum eundem Deum præſentem adeſſe credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, Scriptura teſtatur.* Adorationes autem, quas memorat Sancta Synodus, terminatas fuiſſe ad præſentiam realem ſubſtantialem, non jam materialiter, ſed formaliter talem, perſpicuum omnibus eſt: neſas enim eſſet, vel cogitare Chriſtum Dominum non adſtitiſſe formaliter ſibi, & circumſtantibus præſentem, dum à Magis, & dum ab Apoſtolis, & ab Angelorum exercitu demiſſis alis adoraretur. Eo igitur modo præſens nobis eſt, juxta Tridentinum, in Euchariſtia. Eandem præſentiam formalem indicant verba illa Deuteron. 4. (quæ

Div. Thomas, & cum ipſo Eccleſia Sancta accommodat præſentiæ Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis) *Nec eſt alia natio tam grandit, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris* (vel, *nobis*, ut loquitur S. Thomas). Si namque præſentiam duntaxat materialem, & emortuam diceret propinquam, in eo ſenſu ſatis propinqua erant idola Gentium ipſis, cum ubique ferè intra Domum adeſſent, deferrenturque ab eis quocumque abeundum illis foret: *Has cape fatorum comites*. Diis ſuis inſidebant interdum, ut Geneſ. 31. Rachel Diis Patris ſui; & è regione nonnunquam larvatus ille Puer, quem Dido fovebat in gremio, de quo Virgilius 2. Æneid. *Inſcia Dido, inſideat quantus miſeræ Deus*. Et licet intimior adhuc ſit conjunctio noſtra cum cibo Euchariſtico; cæterum non exemplo caret affinis illa Dei conjunctio per cibum in fabulis. Et inſuper extra dubium ſaltem eſt, futuram grandiorem, celſioremque nationem, cui Deus Humanitatem indutus, eſſet formaliter præſens, quam, cui tantum immobili, & emortuo modo adſit propinquus: formatur namque eo ipſo ſublimior idea illius præſentiæ, digniorque conceptus illius gentis.

Num. 114. Sancti verò Patres, quos laudat ibi Tridentinum generatim, ſunt re ipſa omnes, quamquam aliqui vividius, & facundiùs, formalem eam præſentiam ante oculos fidei noſtræ conſtituant. Namque Chryſoſt. homil. 24. in primam ad Corint. inquit: *Hoc Corpus in Præſepi reveriti ſunt Magi, & Barbari cum timore, & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur Barbaros nos, qui Cælorum Cives ſumus. Illi eum in Præſepi viderunt; tu verò non in Præſepi, ſed in Altari*. Quàm autem impoſſibile ſit, componere Chriſti Domini Majeſtatem, non minùs præſentem Altari, ac olim Præſepio, cum purè materiali, & emortua præſentia; ubi aliundè catholicè fatendum eſt, Chriſtum Dominum præſentem fuiſſe Præſepio, & Magis, corpore, ſenſu, & ratione (cujus uſum habuit perfectiſſimè ab inſtanti Incarnationis) nemo non videt, etiam dum oculos avertere tentet. Item homil. 2. in Epiphan. perſonat idem Chryſoſtom. *Ex hac menſa ſpiritualium fons emanat bonorum, & hanc tamen ſtatim relinquis, & curris ad Theatrum, ut iſtud aſpicias? Sedentem juxta dona Cæleſtia Chriſtum relinquis: nam & modò ſupra fontem ſedet, non unam Samaritanam, ſed univerſam alloquens Eccleſiam*. Collige hinc, jaceat, ne, in Euchariſtia; an activè ſolliciteque operetur ut vivens: ſitne materialiter tantum præſens, & ſenſibus abſens ab objectis circumſtantibus; an formalitèr potiùs, & perfectè præſens corpore actu vivo, ſive operatione, & motu ab intrinſeco?

Iterum tamen, & egregiè reſonat homil. 61. *An non vides, qui ſenſibili, corruptibili, temporali, & terreno Regi aſſiſtunt, quam ſint immobiles, non loquentes, non oculos huc illuc mittentes, ſed mæſti, territi, lugentes? Ex ipſis documentum accipite homines, & ſic aſſiſtite Deo* (in auguſto Sacramento) *quaſi terrenum Regem acceſſuri; multò magis Cæleſti Regi cum timore adſtare oportet*: & homil. 83. in Matth. detonat eadem energia, & veluti fulminat. Et Magnus Gregor lib. 4. Dialog. cap. 58. ait: *Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri, in illo Jeſu Chriſti Myſterio Angelorum Choros adeſſe, ſumma imis ſociari, terrena Cæleſtibus, unumque ex viſibilibus, & inviſibilibus fieri?* Quæ omnia perſpicuè ſonant eandem prorsùs in Euchariſtia præſentiam ſubſtantialiter formalem ex parte ſui, quam habet in Cœlo, quamque habuit, dum vivus nobiſcum adeſſet, tametſi modus præſentiæ in ordine ad locum (ſeu Ubi ipſum) ſit diverſus; adeoque excepta ejuſdem viſibilitate, inſenſibilitateque reſpectu noſtri, cum non ſit mutua, nec foret expediens ſenſibilitas utrinque.

Neque omitttendus hic plane Parens Auguſtin., qui in Symbolo ad Catechumen. lib. 2. cap. 6. loquens de Chriſto Domino abeunte in Cœlum, & ſimul manente apud ſuam Sponſam dilectiſſimam in Euchariſtia, inquit: *Quid eſt hoc? quis eſt hic Sponſus abſens, & præſens? quis eſt hic Sponſus præſens, & latens, quem Sponſa Eccleſia fide tantùm concipit, & ſine ullo amplexu membra ejus quotidiè parit?* Mira verba ad exponendam præſentiam formalem (utpote fœcundam, activamque) hujus latentis, velatique Sponſi. His addo Tertullianum lib. orat. cap. 13. ubi in abuſum ſedendi intra Miſſarum ſolemnia invehitur ſic: *Siquidem, irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu contraque conſpectum ejus, quem maximè revereris, ac venereris; quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante? factum illud irreligioſiſſimum eſt; niſi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit*.

S. Ambr. in cap. 1. Lucæ inquit: *Cum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur*. S. Dionyſius de Eccleſ. Hierarc. exclamat ſic: *O Diviniſſimum, & Sanctum Sacramentum, obducta tibi ſymbolia ænigmatis operimentum revelans, dilucidè nobis demonſtrare, & ſpirituales noſtros oculos ſingulari apertoque lumine imple*. S. Paſchaſ. lib. de Corp. & Sangu. Domini cap. 8, ponderans, *quam terribile ſit ipſum Corporis, & Sanguinis Sacramentum*, addit, *ubi pleniſſimè virtus Chriſti accipitur, & neque ab alio, quam ab ipſo Chriſto porrigitur; licèt viſibilis Sacerdos aſſiſtere, & ſingulis tribuere videatur. Quia quod iſte per ignorantiam omninò indifferentèr tribuit, Chriſtus virtute Majeſtatis ſuæ interiùs, cui ad remunerationem, cuique ad judicium tribuatur, divinitùs diſcernit*. Infinitus eſſem, ſi vellem producere ex Patribus omnia, quæ præſentiam hanc formalem com-

pro-

Google

probant, facunda magis, quam Scholaſtica elocutione; quæque ægrè permittunt alium ſenſum; percipitur enim practicè ex illis veritas hæc adeò cougenita eorumdem ſignificationi connaturali, ut inter fluctus ſpeculationum oppoſitarum immota perſiſtat tanquam rupes in medio Maris.

Num. 115. Ex productis itaque in medium teſtimoniis, (ſimilibuſque datis ſect. 1. & ſecunda) legitimè deducitur, verba Chriſti Domiui, quibus maximum hoc arcanorum iuſtituit, habere propriam formalitèr, & apertiſſimam ſignificationem præſentiæ ejuſdem Servatoris ſub accidentibus Euchariſticis; hanc autem obtinere nequeunt, niſi præſentia ſignificata ſit formaliter, & propriè talis. Quamvis enim eſſe valeat ſignificatio propria rei impropriè talis in aliqua linea: uti & in re ſubjecta eſſe poteſt, v. g. ſignificatio apertiſsima rei opertę (quoniam hoc ipſum oſtendit ea aperta ſiguificatio) in præſenti tamen materia idem omninò eſt, verba illa habere ſignificationem propriam, perfectiſſimamque, ac præſentiam ſignificatam eſſe ſtrictam, & formaliter talem: cùm non uſurpetur proprietas ſigui, niſi in quantùm deſignat verè propriam Chriſti Domini præſentiam; alioqui potes dicere pariter, præfata verba ſignificare propriè formalitèr præſentiam figuratam duntaxat (ſicut dum Chriſtus Dominus ſe dicit vitem, & palmites diſcipulos, proprietas verborum ſignificantium vitem, & palmites, figuratam ſolum ex parte termini naturam, qualitates, & effectus palmitum, vitiſque adſtruit) quod pro re noſtra eſſet Hæreticum. Teſtimonia igitur Patrum non ſolùm probant proprietatem ſignificationis, ſed & termini ſignificati per illam, quia hoc ipſum verba Chriſti Domini ſignificant, & Patres declarant.

Præterea, Chriſti Domini præſentia ſub ſpeciebus exponitur in dictis teſtimoniis majeſtatis plena, noſtri ſolicita, actuoſa, incutiens timorem, & reverentiam ſummam, quâ per fidem cognita: inducitur Chriſtus Dominus accedentes ad menſam illam perſpicaciſſimè diſcernens, & exactè judicans, exercens munia quamplurima, & ipſius, quâ homo eſt, officia: quòd adſit realiter præſens, uon utcumque, ſed nobis. Proponitur ejuſdem rationis formaliter, ac ſit illa, quâ gaudet in Empyreo, quamque habuit in terris, & præcedenter ad mortem, & poſt reſurrectionem, priuſquam Cœlum adiret. Non quia ſacramentalis præſentia non importet diverſam ubicationem à circumſcriptiva; ſed quia eſt eadem ex parte termini, ſeu perſonæ præſentis, quatenus eodem pacto ex parte ſui adeſt nobis præſens Chriſtus ipſe Dominus per hanc præſentiam, ac per illam (tametſi per circumſcriptivam ſit mutuò præſens ſenſibiliter Cœlicolis; per ſacramentalem vero inviſibilitèr ſolùm adſtat, proindeque non mutuò). Hæc autem oſtendunt evidenter formalem præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia, & uon materialem ſolum: æquè ac, dum poſt reſurrectionem adfuit viſibiliter Diſcipulis in Galilæa, formalis procul dubio fuit, & dicitur ab omnibus, operatoſia, & commercium ſenſibile importans ipſius Chriſti Domini cùm Diſcipulis; diſcrimine tameu explicato, ex parte ſcilicet modi, ſivę ubicationis, vi cujus diverſitatis hæc fuit mutua; illa verò ſecus, quia adeſt inviſibili, inſenſibilique modo nobis: ſumus attamen uos ſenſibilitèr præſentes ipſi eadem proprietate, ac Diſcipuli fuerunt illi ſenſibiliter, viſibiliterque præſentes in Galilæa. Si namque reciprocaret ea præſentia formalis, jam non tam appellanda foret Euchariſtia, aut bona gratia, ſed bona gloria etiam.

Num. 116. Promoveri rursùs poteſt efficaci ratione eadem major: quoniam alioqui non minori proprietate, immò ſtrictiùs dici poſſet abſens à nobis in Euchariſtia, quàm præſens. Siquidem præſentia formalis Chriſti Domini abeſſet planè ab Euchariſtia, cùm non adforet inibi formaliter præſens; illud autem quod ſub aliqua ratione mihi præſens non eſt, ſub eadem neceſſariò eſt à me in toto rigore abſens; maximè cum alicubi, nempè in Empyreo, ſub ea etiam ratione ſit præſens. Sicut ergo in ſenſu aliquo reali, materiali nimirum, verum eſſet enunciare: Chriſtus Dominus eſt realiter præſens in Sacramento Euchariſtiæ; ita in ſenſu alio reali, (habent enim realem exiſtentiam operationes actuales vitę Corporis) formali ſcilicet, qui eſt nobilior, & magis proprius in ratione præſentiæ, ſi cum alio purè materiali ſingillatim conferatur (neuter attamen ſecundùm ſe, & ſeorſim ab altero, eſt perfectus, ſed incompletus, & inadæquatus, quia ex utroque ſimul conſurgit vera, & undique propria rerum pręſentia) eſſet verum dicere: Chriſtus Dominus non eſt præſens in Euchariſtia, ita tamen ut hæc propoſitio minimè negaret ſimpliciter omnem præſentiæ realis ſenſum, ſed aliquem, & potiſſimum.

Ex quo rurſus colligeretur, propoſitionem primam univerſim prolatam poſſe argui falſitatis in vero aliquo ſenſu reali, & è regione, poſſe ſuſtineri contradictoriam in vero, & rigoroſo ſenſu, quod abſurdiſſimè concederetur. Id autem explicari valet apprimè verbis Pauli 1. ad Corinth. cap. 5. *Fgo quidem abſens corpore, præſens tamen ſpiritu &c.* En veram abſentiam in uno ſenſu, ſimulque veram præſentiam in alio; ſecundùm quas acceptiones vera eſſet utraque propoſitio in ſpeciem ſibi contradicens cum verè dicerent Corinthii: Paulus non eſt præſens nobis, eo quod eſſet abſens Corpore, & ſimul verè affirmabat ipſe Paulus: ego ſum Corinthiis præſens, ſpiritu ſcilicèt. Et ad Coloſ. cap. 2. *& ſi Corpore abſens ſum ſed ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens, & videns ordinem veſtrum.* Ita etiam S. Thomas 1. p. q. 8. art. 3. ad ſecundum dixit. *Quòd aliquid po-*

teſt

teſt dici præſens alicui, in quontum ſubjocet ejus conſpectui, quod tomen diſtat ab eo ſecundùm ſubſtantiam: Quemadmodum è converſo etiam notant Aſcetici ex Divo Bernardo, verè me aſſeverare de illo, qui mente diſtracta, & veluti ab oratione divulſa orat (aut orare oſtendit) eſſe quidem præſentem corpore loco orationis; abeſſe tamen procul mente. Quod expreſſit eleganter ex S. Auguſtino, & ex ipſo Bernardo S. Thomas opuſc. 59. cap. 8. dicens: *Ubi eſt Theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Et Auguſtinus quaſi dicat: veriùs eſt anima ubi omat, quam ubi animot. Et D. Bernardus de quibuſdam dicit: quòd Corpore ſunt in choro, & corde in foro*: quoniam in æſtimatione prudentum illa mentis diſtractio, alienatioque à præſenti exercitio, habetur ut abſentia.

Urgetur: quoniam ſi ſola præſentia materialis Chriſti Domini adſtruatur in Euchariſtia, aperitur via latiſſima Sacramentariis, negandi realem ſubſtantialem præſentiam ſimpliciter Chriſti Domini in Sacramento Altaris. Si namque ſemel verum ſit, illum non ſic adeſſe nobis, ut formaliter ſit præſens, ſive itaut nos ſimus eidem, prout in Euchariſtia, præſentes formaliter, nec commercium ſenſitivum ex parte ſui nobiſcum habeat, per potiſſimorum ſenſuum operationes, alioſque actus per eas comparatos, ſed præſentia omninò emortua exiſtat in ordine ad objecta propinqua; illico reſurgent Adverſarii cum Calvino lib. 4. Inſtitut. cap. 17. §. 32. Et Petro Martyre lib. contra Gardinerum object. 52. & 60.: fruſtra poni realiter Carnem, & Sanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini, ſiquidem quantum attinet ad fructum, & utilitatem noſtram, iidem prorſus effectus gratiarum, & donorum promanarent ab ipſo, tametſi figuratè duntaxat præſente; quia ex Empyreo illos cauſaret. Ut liquet in aqua Baptiſmi regenerante, & vitam ſpiritualem conſerente, quin illa convertatur in Spiritum Sanctum, vel in aquam, è latere Chriſti Domini exanguis in Cruce, fluentem.

Præſertim cum ultra eam utilitatis carentiam, exiſtere debeat parùm digno modo, & mortuo ſimili potiùs quàm viventi, ipſius Corpus; expoſitum ſimul impiorum abuſui, & eventibus, qui Majeſtatem illam dedecerent, ſi utilitas peculiaris noſtra eam realem præſentiam non honeſtaſſet. Quænam eſſet victrix adeo perſuadendi fœlicitas, ut impelleret Sectarium ad credendum, Chriſtum Dominum eſſe realiter præſentem ſub accidentibus Euchariſticis per coacervata jugiter, & inſignia miracula, ad otiandum pœnitus ſenſibus, & Corpore, ad jacendum inſtar cadaveris, ad nihilque efficiendum ea emortua præſentia, quod ſimiliter non efficeret eadem vi, intenſione, & energia è Cœlo realiter? Fruſtra igitur realiter lateret, & majeſtatis pompam in latebris ſpecierum veluti exinaniret. Quin ſufficiat, illum ex altari intueri omnia per ſcientiam infuſam, ut & per beatam; cum hoc ipſum ex Empyreo aſſequatur, ac ſubinde nequidquam eo titulo veniret ad altaria. Uti ſufficiens non eſſet, quod per concomitantiam poſſideat in Euchariſtia actus alios, in Cœlo elicitos; quoniam eo ipſo, quòd alibi exiſtant realitèr, inutilitèr replicantur in ordine ad utilitatem noſtram, ad quam valent vel ex uno loco tantùm, non minùs quàm ex utroque ſimul. Si autem ad fructum noſtrum operationes illæ nihil conducant, otioſa eſt ad eum finem earundem replicatio. Remaneret itaque ſemper inutilis ea præſentia, quæ ex ſuppoſitione ſuæ replicationis poſtularet quidem ſibi (ut permittimus) comitatum illum operationum, velut ornamentum, ipſa tamen ſuppoſitio neque utilis, nec expediens foret, ut probat argumentum, quod ex defectu operationum vitalium, ab opinione oppoſita introducto, inſert inutilitatem illius præſentiæ, tanquam abſurdum omnium maximum, & maximè cavendum. De quo infra iterum: eſt enim diſcurſus hic velut gladius opinioni noſtræ accinctus, ſubindèque non ſemel extrahendus.

Num. 117. Adhuc tamen firmanda eſt major illa argumentis, quibus jam fulcitur minor; quæ ſuadetur primò ex eo quòd præſentia formalis ſuppoſiti rationalis, ſive Perſonæ, non dicit tantùm illam adeſſe præſentem ſecundùm realem ſubſtantiam, aut penes eſſentiam, & ſimul ſecundum virtutem operativam; verùm inſuper expoſcit præſentiam ſecundùm intuitionem, aut experimentum rerum circumſtantium, ſive mutua, ſi fuerit utrinque formalis præſentia, ſive ex una duntaxat parte, ſi alia purè materialitèr adſtat. Conſtat hoc vel ex Divina præſentialitate, per quam adeſt cunctis rebus, quæ ut ſtricta, formaliſque ſit, non modò intima eſſe debet omnibus per eſſentiam ſuam, & ſubſtantiam realem, & per operativam omnipotentiam, ſed ulterius per intuitionem illarum apertiſſimam: immò hæc eſt, quæ, ut contradiſtincta à duabus aliis, appellatur ſimplicitèr præſentia. Ideoque 4. Regum cap. 5. verſ. 26. dixit Eliſæus: *Non ne cor meum in præſenti erat, quandò reverſus eſt homo de curſu ſuo in occurſum tui*: cum non alitèr adſtitiſset Eliſæus præſens corde, quàm per intuitionem propheticam, vel Prophetæ, ſeu videntis propriam. Unde Sanctus Thomas prima part. quæſt. 8. artic. 3. corpore: exponens triplicem illum conceptum præſentialitatis Deo convenientem, ait: *Per præſentiam verò ſuam dicitur aliquid eſſe in omnibus, quæ in proſpectu ejus ſunt, ſicut omnia, quæ ſunt in aliquo domo, dicuntur eſſe præſentia alicui, qui tamen non eſt ſecundùm ſubſtantiam ſuam in qualibet parte domus. Secundùm verò ſubſtantiam vel eſſentiam dicitur aliquid eſſe in loco, in qua ejus ſubſtontia habetur*. Et rurſus ibidem: *Sic ergo eſt in omnibus ſecundùm potentiam,*

tiam, in quantum omnia ejus poteſtati ſubduntur, & per præſentiam in omnibus; in quantum omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus. Eſt in omnibus per eſſentiam, in quantum adeſt omnibus, ut cauſa eſſendi. Quamquam enim per cognitionem potiùs dicatur, cognitum eſſe in cognoſcente, quàm viceverſa; cæterum hoc ſolùm eſt verum, ſi attendatur unicè modus, non autem ſi attendatur vis cognoſcitiva, ſivè notitia, quæ exigitur ad eam præſentiam, nimirum clara, & aperta intuitio, ut notat ibi Cajetanus diſtinguens inter modum, & vim cognoſcendi, paulòque inferiùs ſubdit: *Quòd aliud eſt loqui de notitia abſoluta, aliud de notitia intuitiva, de qua hîc eſt ſermo: hæc enim ad res ex propria ratione, qua intuitiva eſt, tendit; & propterea modus eſſendi per præſentiam optimè conſtituit; quamvis ex ratione notitiæ communi cognoſcens non tendat in cognitum.*

Neque propterea confunduntur ſapientia Dei, ejuſque omnipotentia cum immenſitate; ſed aſſeritur, ad propriam, & Deo dignam præſentiam tria illa attributa concurrere neceſſariò: cum immenſitas ſe ſola dumtaxat efficere valeat ipſum ubique exiſtentem quoad ſubſtantiam, realitèrque; ut verò ſit ubique præſens formalitèr minimè ſufficit, adeſſe realitèr ſubſtantiam, quoniam hic præſentialitatis modus foret purè materialis, ſi accipiatur ſeorſim à præſentia, quam inducunt duo alia attributa: uti nec ſufficeret ad perfectionem omnimodam præſentiæ intuitio rei illius, cui dicatur aliquis præſens, ſi illa abeſſet procul realitèr quoad ſubſtantiam. Indèque deſumitur argumentum robuſtum pro noſtra aſſertione. Rationalis igitur creatura uti & ſuppoſitum capax ſentiendi, nequeunt eſſe formalitèr præſentia per hoc dumtaxat, quòd adſint realitèr ſubſtantiâ ſuâ, quin licèt ſimul adeſſe valeant virtute operativa, ſi abſint pœnes vitam actualem perceptivam rerum ibidem phyſicè exiſtentium, quibus dicuntur præſentia; beneficio cujus & vivant, & experiantur, & agnoſcant illa, quæ circumſtant, vel quæ exiſtunt intra ſphæram virtutis ſenſitivæ. Idcircò S. Thomas appoſuit exemplum aptiſſimum hujus præſentiæ in rebus intra domum aliquam exiſtentibus, quæ dicuntur præſentes homini, qui intra domum eſt, quatenus oculis eas luſtret, tametſi ille non ubique domus ſit ſubſtantialiter præſens; cum nec in Fabulis Dii Penates ex integro domus occuparent. Et ideo ſolus Deus noſter eſt pleniſſime, & ſumma perfectione præſens omnibus rebus, quia triplicem illum modum ambit.

Num. 118. Ergo ſi Humanitas Chriſti Domini, ſeù Chriſtus Dominus quâ homo, in Euchariſtia non ſit nobis præſens eo modo præſentialitatis, ultra realem ſubſtantiæ materialis; quatenus nimirum nos intueatur, etiam oculis corporeis, audiat, & ex ejuſmodi ſenſationibus per cognitionem tandem, & actus voluntatis ſe exerceat circa adſtantes altari, nullo modo erit formaliter præſens, ſed purè materialiter; cum foret abſens mente, ſenſuque (non erit, inquam, nobis præſens activè, quia non eliceret erga nos actus illos intentionales, quibus res fiunt præſentes formaliter, & non modo purè inanimi, perſonæ, cui adſtant). Quæ abſentia efficit hominem nobiliori ſui parte abſentem, cum verum ſit Auguſtini effatum pronuntians: hominem non tam adeſſe ubi animat, quàm ubi amat. Dices, aut inculcabis: in Euchariſtia ultra præſentiam realem ſubſtantialem ipſius Chriſti Domini, adeſt intuitio, non corporis, ſed mentis, qua adſtantes omnes in templo videt clariſſimè. ergò licet oculis corporeis nos minimè videat, eſt nihilominus formaliter præſens nobis, idcſt ſumus formaliter ipſi præſentes. Contra verò: quoniam & ſi indè colligeretur animam eſſe formaliter præſentem, Corpus attamen utpotè nequaquam vivens per eam intuitionem, remanet materialiter ſolùm adſtans, modoque parùm digno præſens; cum nullatenus eſſent illi præſentes formaliter, qui circumſtant illud: nec aliter eſſet præſens, vel eſſemus illi præſentes, quàm ſi exiſteret ibi exangue, inanimeque, quemadmodum adeſſet, ſi fieret conſecratio in Triduo. Sicut igitur nunc minimè exiſteret digno modo præſens corpus ſub ſpeciebus, ſi non adeſſet ſimul anima per concomitantiam: ita nec eſſet digna illo præſentia, ſi non eſſet formalis conſtituta per operationes vitales corporeas, terminatas ad objecta propinqua, vi quarum ſiant illi formaliter præſentia. Non enim conſtitui poteſt in ratione formalis dicta præſentia per actus in Cœlo elicitos, & perlatos ad Euchariſtiam; cum ſenſationes circa objecta in templis exiſtentia nequiquam exerceantur in Empyreo. Deindè nec adhùc anima foret completè formaliter præſens, ſed imperfectè, cum ultra notitiam illam comparatam per ſcientiam infuſam, poſſet habere alias per ſenſus acquiſitas, verſarique ſenſibiliter circa illa. Quemadmodum, ſi adeſſet juxtà me cœcus, & ſurdus, qui per divinam revelationem noſſet, me adeſſe propinquum; non eſſem tamen illi perfectè formaliter præſens, ſicuti forem alteri, qui ultra præfatam notitiam, me videret, audiret, mecumque loqueretur.

Si reponas, veram futuram hanc doctrinam, ſi naturaliter poſſet Chriſtus Dominus ex Euchariſtia exercere primò ſenſus; cœterum cum non poſſit naturaliter, habebit neceſſariò præſentiam formalem, quam poteſt: ad modum quo res inſenſibilis eſt formaliter præſens ea ratione. Minimè hac redargutione difficultatem evades: quia corpus animatum Chriſti Domini nequit conſtitui ſub ſtatu, in quo non ſortiatur illam vitam actualem de facto, cujus eſt capax ſecundùm ſe uſurpatum, & cujus

non

non ſunt capacia inſenſibilia; quin ſimul conſtituatur in prædicto ſtatu abſque præſentia formali (ut probat diſcurſus expenſus hactenus) ſub ea ratione, ſub qua illa careret de facto. Aliundè argumentum noſtrum perſuadet, id fore diſſonum. Ergo ſuadet pariter, non poſſe Chriſtum Dominum ita conſtitui ſub accidentibus, ut ſit privatus ea vita actuali de facto habenda, per miraculum, tametſi naturaliter actus vitales præfatos elicere non poſſet. Res autem inſenſibiles ſunt incapaces præſentiæ formalis, quia ſunt incapaces illius vitæ. Undè attenta præcisè ea impoſſibilitate naturali neutiquam eſſet capax præſentiæ formalis. Quoniam verò hoc abſurdiſſimum foret: & quia eſt capax per potentiam obedientialem eliciendi divinitus eas vitales functiones, propterea contendimus, illas de facto elicere tanquam inſtrumentum divinæ potentiæ, ne purè materiali, & inanimi præſentia adſit. Et quidem licet inſenſibilia dicerentur formaliter præſentia, quia non ſunt capacia ulterioris.

Dices ſecundò: Chriſtum Dominum eſſe nobis præſentem formaliter in Euchariſtia, etiam ſi illum nullo pacto ſenſibus percipiamus, eo ſolùm quòd fide ipſum aſſequamur. ergo & nos illi, etiam ſi nos minimè corporeis oculis videat, nec audiat, ſed agnoſcat, & mente intueatur. Verùm hæc reſponſio detorquetur in reſpondentem: quoniam licet Chriſtus Dominus ſit realiter ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia, ut fide docemur: reſpectu tamen corporis noſtri ea præſentia quantumvis realis, & phyſica, eſt tamen purè materialis, cum nulla ſenſuum operatione, aut notitia per ſenſus acquiſita, illum percipiat corpus vivens; reſpectu verò animæ noſtræ eſt minùs perfectè formaliter præſens, quatenus per actum fidei divinæ eam præſentiam realem attingit, quæ notitia minùs perſpicua eſt, quàm foret intuitio; & inſuper non eſt completa perceptio adhuc reſpectu animæ noſtræ, cum poſſet experiri ſenſibus objecta præſentia (per ſe loquendo) ultra cognitionem, aut notitiam (compoſſibilem) quam aliunde hauriat. Sicut igitur Chriſtus Dominus in Euchariſtia, tametſi realiter materialiter præſens, fugit ſenſus noſtros, ſe habetque propterea in eo ſenſu velut abſens potius à ſenſibus, & experimento noſtro; ita viceverſa abeſſemus, formaliter à corpore vivente Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ſi erga nos minimè per ſenſuum operationes, aliaſque ex eis renaſcentes, verſaretur. Undè & in conſpectu ipſo noſtro poſſet nos vocare ad ſe tanquam abſentes, nec poſſemus in eo ſenſu gloriari, Deum noſtrum, quâ carne indutum, eſſe nobis præſentiſſimum, præ Diis gentium: quomodo namque vèrum foret.

Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos?

Num. 119. Elucidatur ampliùs. Præſentia humana eſſe nequit formalis, propria, & digna, abſente, vel non adſtante præſentia hac vitali; etiamſi abſque illa, materialitèr, & purè phyſicè adſit loco, & rebus, homo aliquis, ut liquet ex dictis ſupra. Rurſùs præſentia purè formalis, intentionaliſque, abſque reali ſubſtantiali ea præſentia, quamquam nobilior, & altior appareat purè materiali, non eſt attamen undique propria, nec adæquata; ſed incompleta, utpotè, quæ componitur cum reali ſubſtantiali abſentia, ut conſtat paritèr ex adductis hactenùs. Ex utroque igitur coaleſcere debet vera, realis, & propria Chriſti Domini ſub ſpeciebus præſentia, ut ſit Chriſto Domino ipſo digna, & ut adversùs Sacramentarios ſalvetur præſentia illa vera, ab Eccleſia Catholica tanto ſtudio definita, & tantoperè defenſata. Utrumque illud veræ præſentiæ conſtitutivum ſonant verba Geneſ. 31. verſ. 50. dum Laban dixit Jacob: *Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt, abſque Deo, qui præſens reſpicit*, ſupponens apertè, non futurum Deum proprietate omnimoda, & vera præſentem, licèt adeſſet realitèr materialitèr per ſubſtantiam ſuam, ſi non reſpiceret loquentes ad invicem; uti nec futurum verè præſentem, licèt eos intueretur, ſive reſpiceret; ſi per ſubſtantiam ſuam realem, & phyſicam non adeſſet præſens, aut vicinus materialitèr. Quod ex ipſa ratione, aut conceptu teſtis comprobatur, cum teſtimonium perhiberi nequeat, niſi, vel præſens formalitèr etiam ſit facto, ut teſtis oculatus: vel narranti factum, ſi ex auditu ſolùm teſtetur. Undè ſi purè materialitèr adſit, quin videat, audiat, aut ullo modo factum ſenſibus experiatur, teſtis eſſe jure nequit, niſi dormientes etiam teſtes adhibeas cum Principibus Sacerdotum, Senioribuſque. Eandem veritatem ſignificat Eliphaz Themanites 4. Job verſ. 15. dum ait: *Et cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ*; namque verba illa, *me præſente*, habent eandem vim, ac *me vidente*; & non ſolùm materialitèr adſtante; ſin minùs, nec inhorruiſſet. Utrumque ergò requiritur ad conſtituendam veram præſentiam, quam exigit per ſe, qui teſtificatur.

Dixi, per ſe, quia per accidens interdùm ſufficit ſola præſentia formalis, intentionaliſque ad verum teſtimonium proferendum, ut contingit eis, qui viſione prophetica contuentur eventus è longinquo. Cœterùm in eventu, qui eſt planè extra curſum regularem naturæ, & juris, ſupplet infallibilitas Dei revelantis, & loquentis, defectum præſentiæ adæquatæ, exiſtente ſola intentionali ad ferendum teſtimonium creditu digniſſimum. Immò & invaluit apud omnes ea ſignificatio, ut ex Adagio illo Plautino in Aſinaria conſtat: *manus oculata*: quo uſque enim promiſſum donum manu experiatur accipiens, non dum illud intelligitur verè, & propriè præſens: *ſemper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.*

Uti

Uti & illud ejuſdem Planti proverbium in Pſeudolo : oculata die vendere , ideſt parata , & præſentiſſima pecunia ; & è converſo, illa non viſa , aprehenſaque , die cœca vendere , aut emere dicebant : *Eme die cœca herclè olivum , id vendito oculata die* , accinitque Terentius in Adelphis , & in eodem ſenſu inter Philoſophos præſentia ſumitur reſpectu viventis ſenſitivi , appellaturque *præ ſenſu ens* : quatenus res conſpectui , ſenſuique viventis propinqui ſubjacens efficit illud formaliter præſens rebus circunſtantibus , ultra materialem ſubſtantialemque pręſentiam; alioqui ſe habet moraliter , & in ſapientum æſtimatione ut abſens , vel ad inſtar abſentis ; ità ut proprietate ſermonis dicatur abeſſe , quod reipſa adeſt : vel ut aptiùs loquar , eſſet , ſed non adeſſet .

Num. 120. Non importunè , nec ineleganter declaratur veritas hujus doctrinæ miro D. Pauli raptu 2. ad Corinth. 12. *Scio* : inquit , *hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore , ſive extra Corpus neſcio , Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium Cælum* . Ponamus igitur raptam fuiſſe animam Pauli una cum Corpore (ne alioqui Ecſtaſis raperet vitam Corporis ſimul cum anima) ut cum communiori ſenſu docuit S. Thomas 2. 2. quæſt.175. art. 5.(quomodocumque raptus ille uſurpetur , juxta varias Sanctorum Patrum acceptiones , de quibus diſputat. S. Thomas in expoſitione hujus textus) ſanè Corpus D. Pauli in eo raptu adeſſet præſens , & non præſens , ſubindeque præſens , & abſens : præſens quidem materialiter ; abſens quatenus adeſſet tantùm ad inſtar mortui , alienatum à ſenſibus prorſus , & à rebus omnibus propè illud exiſtentibus ; & aliunde nullo pacto vivens per mirabiles illas viſiones , & arcanorum manifeſtationes , quas faſtigium animæ , ſpirituſque , mente ſolùm percipiebat altiſſima quidem ſecreta , quæ licuit Paulo videre , audireque ; non licuit attamen vulgare , quin vel à ſuomet Corpore abſcondit . Tam longè itaque aberat Corpus à conceptu formaliter , & verè præſentis , quantùm à ratione percipiendi intentionaliter objecta propinqua , & arcana illa Cœleſtia . Tam longè fuit à natura formalis præſentialitatis , ut ipſe Paulus , cujus erat , illam ignoraverit , neſcius adeſſet ne ſimul cum anima realiter Corpus , an realiter abeſſet . Tam longè , ut vel anima ipſa , ſi Paulus raptus non fuit realiter , ſed imaginariè ſolùm ad tertium Cœlum (uti opinantur plures) præſens formaliter minimè fuerit rebus objectiſque circumſtantibus locum , ubi aderat ipſe realiter materialiter toto tempore admirandi raptus : quoniam Cœleſtibus ſecretis videndis , audiendiſque abſortus , quaſi aliò penes vires , & facultates integras delatus , abſens planè erat ab eis , quæ gerebantur in præſentia materiali ipſius , abſenſque ipſe à ſeipſo .

Si igitur Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia , tametſi anima informatum , nullas ſenſuum operationes circa objecta in proſpectu illius poſita exerceret , exiſteret quidem phyſicè , & realiter quoad ſubſtantiam ; verùm adeo emortua præſentialitate , adeoque materiali , ut in ſenſu formali , moraliterque in æſtimatione prudentum , abeſſet ; vel adeſset realiter in Euchariſtia , neutiquam tamen nobis adeſset , aut nos eidem : quia non experiretur ullo modo eos , qui in ejus conſpectu adſtarent ; ſenſationes namque , quas habere poteſt comitanter è Cœlo , circa objecta altari propinqua minimè verſantur . Actus etiam purè ſpirituales , quos elicere valet erga illa , nullo modo communicant cum Corpore : nec magis per illos fit nobis præſens ex Euchariſtia , quàm ex ſede glorioſa . Quamobrem , ſi aliunde non exiſteret inſtructus altitudine deliciarum ſcientiæ beatæ , & infuſæ circa objecta vicina : & rurſus ſi ipſemet non fuiſset inſtitutor author ſuæ præſentiæ realis ſub accidentibus ; quantùm eſt præcisè ex vi notitiæ præſentiæ ſuæ realis in altari acquiſitæ , poſſet dicere cum Paulo , ſcio hominem à tertio Cœlo raptum (non quia inde amoveatur , dum altari præſens conſtituitur ; ſed juxta phraſim quorundam Patrum , præſertim S. Gregorii Magni , & Chryſoſtomi , apud quos Cœlum aperitur , dum Sacerdos conſecrat) ad altare , ſive in Corpore , ſive extra Corpus , neſcio , Deus ſcit . Eſset itaque Chriſtus Dominus realiter ſubſtantialiter in Euchariſtia , cęterum foret quaſi in ecſtaſi , aut raptu , quem Paulus de ſe narrat , videns , audienſque arcana , & ſecreta Cœleſtia , cum referat ſecum viſionem claram Dei ; non magis tamen pręſens formaliter , & in prudentum judicio , adſtantibus circum altare , quàm D. Paulus in raptu ſuo , cum patiens ecſtaſim ſit à ſeipſo alienatus , proindeque à fortiori minimè præſens aliis , ſit extra ſe , & ſupra ſe elevatus : *Sedebit ſolitarius , & tacebit : quia levavit ſuper ſe* .

§. III.

Num. 121. EX ſolatio noſtro , à Chriſto Domino hujus arcani inſtitutore per ſe intento : tum ex commercio , quod nobiſcum inire ſtatuebat amor ea dulcedinum menſa , conficiam decimum argumentum . Solatium hoc expreſſit inſigniter Dionyſ. de Cœleſti Hier. cap. 1. Euchariſtiam nuncupans Eccleſiæ *ſolamen* . Et Div. Thomas opuſc. 57. *Hoc Sacramentum inſtituit tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne , figurarum veterum impletivum , miraculorum ab ipſo factorum maximum : & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare reliquit* . Et opuſc. 63. cap. 2. ait : *Eadem humilitas incomprehenſibilem Dominum majeſtatis coegit frequenter venire ſub ſpecie panis in Sacramento ad conſolationem fidelium* . Proclus Conſtantinopolitanus in libro de traditione Divinæ Liturgię,

loquens de Apoſtolis, antequam per Mundi plagas glorioſè diſperſi ab invicem ſepararentur, inquit: *Et cum multam conſolationem ex Myſterio illo Domini Corporis Sacrificio poſitam reperiſſent, fuſiſſimo, longoque verborum ambitu miſſam decantabant*. Conſolationis fontem, ideſt conſolatorem adeſse altari, & nobis, & ideo adeſse, ut ſolatium haurirent in ejus, ſecundùm ſtatum viſibilem, abſentia, eredentes. Eandemque veritatem eruunt paſſim interpretes ex Sacra pagina, ut ex illis verbis Matth. ultimo: *Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi*; Uti & ex illis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Unde quia fraudandi erant homines ſua præſentia ſenſibili, reliquiſse ſeipſum ſub accidentibus ſenſibilibus in ſolatium aliquod, docuit Seraphicus Doctor in 4. diſt. 12. par. 1. art. 1. quæſt. 2. ex Hug. Victorino: *Congruit*; inquit, *ibi accidentia manere, ſicut dicit Hugo in ſolatium ſenſus, & in fidei meritum: dum enim velatur verum Corpus carnis, & fides magis meretur, credendo, quod non videt, & ſenſus libentiùs recipit*.

Ideò Doctor Angelicus cauſas recenſens inſtituendi hoc myſterium tempore, quo vicinus eſset inſtitutor paſſioni, mortique, & non potiùs ab initio ſuæ prædicationis, ait in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 3. ad 3. qu. *Quandiù ſub propria ſpecie cum hominibus converſatus eſt, non oportebat hoc Sacramentum inſtitui; ſed quando ejus Corporali præſentia deſtituenda erat Eccleſia. Et hæc ratio tangitur in litera ab Euſebio*. Idque non modò ex Euſebio Emyſſeno, verùm & ex Auguſtino docuit etiam 3. par. quæſt. 75. art. 5. & art. 1. dixerat, eſſe ſublevamentum ſpei noſtræ. Otioſumque foret ulteriora annectere teſtimonia, cum ſit omnium ſapientum votum; idem namque eſt dicere, inſtitutionem hujus arcani neceſſariam minimè fuiſſe, dum Servator noſter aderat viſibiliter Mundo præſens; convenientiſſimam tamen fuiſſe, dum migraturus eſſet hinc ad Patrem, ac ſupponere, & aſſerere, præſentiam ejus in Sacramento Euchariſtiæ ſupplere inviſibiliter præſentiam ipſius viſibilem, muniaque illa, quæ ſubibat, dum eſſet viſibiliter cum hominibus. Idcirco diſceſſurus è Mundo conſolatur diſcipulos, ne triſtitia oppreſſi deficerent, animo, & ſpe cadentes Joannis 14. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*, quæ verba, uti & alia, quæ protulit in ſermone Cœnæ ultimæ à cap. 14. uſque ad 17. incluſivè à Joanne relata, ſolatium illis, & Eccleſiæ, media ſua reali, quamquam velata præſentia ſub ſpeciebus, ſatis clarè indicant. Sicuti & refugium ibi deliteſcens, ut in omni afflictione, aut neceſſitate, ad Chriſtum Dominum realiter Sacramentaliter præſentem recurſum habeamus ex fide ejuſdem veræ præſentiæ ortum, fiducia veſtitum, & amore ſociatum. Hoc autem per ſe expetere vitam actualem corpoream ex Euchariſtia ipſa primò elicitam, mihi manifeſtum videtur. Tum quia, quodnam ineſſe poſſet ſolatium mortalibus in recurſu ad Chriſtum Dominum; quà ſub accidentibus Euchariſticis abſconditum, dum urgeret funeſtus aliquis eventus; ſi prout ibi præſens, nec audiret clamores populi, nec videret ipſum altè proſtratum, dolentemque, nec illius miſeratione tangi ullo modo poſſet ex Euchariſtia potiùs, quam è Cœlo, immenſo propè intervallo à nobis ſemoto? Cur in hiſce fatalibus, publiciſque calamitatibus exponitur frequentiſſimè Venerabile, & Auguſtum Sacramentum, ſi generari miſeratio illa aliter nequit in pectore ſuaviſſimo Chriſti Domini, niſi per notitiam à ſenſu, & Corpore planè independentem; cum aliundè gemitibus, ut eo modo ſolum notis, tam brevis pateat via è templo in Empyreum, ac in vicini altaris fumantem Thronum?

Num. 122. Tum quia ſolatium hoc haberi nequit per ſolam vitam ſpiritualem ab ſcientia beata, aut per ſe infuſa obortam; quippe quæ, vel eadem numero, vel prorſus ſimilis, adeſt Chriſto Domino in Cœlis, è quibus per actus illarum ſcientiarum audit ſuſpiria, commoventurque clementiſſima illius viſcera illicò ad ſubveniendum miſeris. Fruſtra igitur ad eum finem inſtitutum foret profundiſſimum, & miraculis undiquè ſuffultum arcanum Euchariſtiæ, cum per illud nihil plus ſolatii hauriri poſſit ex præſentia reali Chriſti Domini in ipſo, quàm ex præſentia circumſcriptiva, quam habet in Cœlo. Neque enim ad rem facit (ut occurram futili evaſioni) major, aut minor diſtantia materialis præſentiæ in ordine ad ebibendum ſolatium, & percipiendum auxilium ex eis purè ſpiritualibus operationibus; cum objectum dolens, & clamans ſit intra ſphæram notitiæ intuitivæ, æquè dum videns concipitur exiſtens in illo diſtanti materialiter loco, ac in hoc propinquo. Ac proindè ad ſolatium noſtrum expectandum non magis confert præſentia ſacramentalis vicina, quâm circumſcriptiva in regione tantopere diſſita. Solùmque conferre poteſt ad obtinendum effectum orationis directæ ad Chriſtum Dominum circumſcriptivè in Empyreo exiſtentem, quòd illa fiat in templo, potiùs quàm ex loco alio, cum ſit Domus propria Dei, & cum promiſſum fuerit Paral. 7. *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit*. Si verò ex Euchariſtia, ultra actus illos ſcientiarum cum corpore minimè communicantes, exerceat activè primò, & per ſe functiones ſenſuum tam externorum, quàm internorum, quibus videat fletum, & reverentiam noſtram exaudiat præces afflictorum, & ſtrictiſſimum illud *heu* delubri ſpatium perſonans diù (miſerorum facundiſſima, licet muta ſimul oratio, Tullianis præſtantior): delatiſque ſpeciebus ejuſmodi rerum tragicarum per ſenſus internos, labyrinthumque vivum, com-

patia-

patiatur tandem, deſideret, appetat (cum dolere jam nequeat): & per cognitionem, & amorem inde reſultantes, provideat, ſtatuat, ſitque illud veluti ultimum echo reſultans in intellectu Chriſti Domini ex clamoribus infælicium; extra dubium omne eſt, pleniùs tunc ipſum Chriſtum Dominum moveri, utpotè multiplici via, & conductu miſericordia tactus. Sicut namque, dum Puer divinus inter mortales converſaretur, mortalis & ipſe, *proficiebat ſapientia, & ætate*. Lucæ 2. non quia creſceret ſapientia ex parte cognitorum, aut in claritatis inteuſione; ſed in novo modo percipiendi eadem objecta, experimentali videlicet. Ita in re noſtra creſcit in ſenſu aliquo experimentali notitia, non quia ea mala patiatur, ſed quia à Corpore ſuo myſtico paſſa ſenſibiliter percipiat, cum per ſcientias independentes, nullatenus illa fiant ſenſibilia Chriſto Domino. Quamvis enim ejus reminiſcentia neutiquam ſit ignara malorum omnium; hæc tamen numero in his circumſtantiis non aliter ſenſibiliter eidem præſentari poſſunt in Euchariſtia, quàm per ſenſus activè ſe ex illa exercentes. Creſcere poteſt igitur miſeratio in Chriſto Domino creſcentibus rationibus comparandi diverſimodè eandem notitiam, eo quod novæ aperiantur regiæ viæ ad illam; quas opinio contraria occluſerat, vel obcæcare tentarat.

Num. 123. Deinde reſpectu noſtri creſcit in immenſum ferè ſolamen. Ratio eſt, quia cum ſimus corporei, & ſenſitivi, quemadmodum eo titulo expediens fuit, Sacramenta, Sacrificiumque juge, inſtitui ſub ſignis ſenſibilibus, ut ex Tridentino, & Patribus diximus diſp. 1. ſic, ut incitemur ad redamandum ferventiùs, ad ſperandum validiùs, & ad ſumendam Euchariſtiam puriùs, conducit à fortiori quamplurimum exercitium vitæ illius ſeuſitivæ Chriſti Domini in Euchariſtia (cum non poſſimus viciſſim illum ſenſibus noſtris attingere, ne fidei meritum, aut jaceat, aut reptet) & ex eiſdem cauſis confert ſummopere ad ſolamen noſtum notitia hujus vitæ ſenſitivæ exercitæ à Chriſto Domino ex Euchariſtia circa nos: quoniam illa utpotè ſenſitiva objectivè, ſive terminata ad vitam ſenſibilem, generat, excitatque in natura noſtra corporea affectus vividiores: corporalia namque quacumque via etiam remota, à nobis ſcita, aut credita, concitant affectus noſtros vehementiùs, quàm nudè ſpiritualia; tum quia magis recipienti affinia, & connaturalia; tum quia magis nota, maximè pro hoc ſtatu; in quo nec ſpiritualia concipere poſſumus, niſi ad inſtar rerum corporearum, ægrèque poſſumus veram aliquam eorum notitiam reperire, aut comparare, niſi inter idola fictitia, delicataque, & juvenes alatos. Multiplicantur itaque ſemitæ commiſerationis Chriſti Domini in altari per hanc vitam ſenſitivam; & unà augetur ex ejus notitia fidelium conſolatio. Unde S. Chryſoſtomus homil. 72. in Math. ait: *Euchariſtiæ myſterium quanta miſericordia plenum ſit, initiari ſolummodò noverunt*. Ad hanc autem pleuitudinem miſerationis conſtituendam in Euchariſtia concurrere debet vita ſenſitiva ibidem exercita; ſin aliter eſſe non poſſet undique plena.

Deindè, ſicut præſentia corporali, & viſibili in propria ſpecie conſolabatur diſcipulos, dum eſſet cum illis, dicente S. Auguſtino Tract. 94. in Joan. *Et ideò de illo* (Spiritu Sancto) *non dixit ab initio quandò cum illis erat, quia ejus præſentia conſolabantur*. Sic modò conſolamur ejus præſentia viva conſiderata ut realiter formaliter tali, alioqui ſufficeret Spiritus Sancti interior conſolatio incorporea, & inviſibilis, quin opus foret præſentia reali ſub ſpeciebus ſenſibilibus Chriſti Domini. Tandem explicatur exemplo veritas facti diſcurſus. Qui, per hypotheſim, Regem cortina velatum propè alloqueretur ſuper negotio urgentiſſimo, ſciens, Regem abſconditum videre, audireque ipſum loquentem, quamquam, nec videri, nec audiri valeat; multò confidentiùs ſperaret, Regis animum, aut cor, flectendum, commovendumque ad miſericordiam, quàm ſi ſolùm per notitiam alia via ad Regias aures pervenientem, ipſum calamitatis ſuæ certum faceret. Porrò uti veriſſimum eſt illud:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator .....

Sic verum eſt etiam, conſiderationem, aut notitiam hanc; quòd nimirum, dum adſtamus ineffabili Euchariſtiæ Sacramento, ſubjecti ſimus oculis corporeis, conſpectuique vivaciſſimo Chriſti Domini, cauſare pariter in nobis aeriores effectus amoris, ſolatii, & ſpei.

Num. 124. Ex commercio, quod habere nobiſcum ex Euchariſtia intendebat, deſiderabatque Salvator Noſter, dum illam inſtituebat, ſuaderi poteſt aſſertio: ut enim dixit S. Damaſcenus lib. 4. de fide Ortodoxa cap. 14. de Sacramento altaris, & Sacrificio loquens: *Communio optimo jure appellatur, quia per illud cum Chriſto commercium habemus, ac carnem ipſius, & divinitatem percipimus: atque adeò nos inter nos communicamus, atque copulamur*. Hoc ſiquidem conſortium diſponebat, dum pollicebatur ſe manſurum in accedente dignè ad Euchariſtiam; uti & viciſſim communicantem in ipſo. Hoc aſſeruit juxtà plurium Interpretum mentem, dum Proverb. 8. dixit: *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum*, quia in delitiis habet habitare in nobis, ut nobiſcum perfamiliariter converſetur. Unde S. Chryſoſt. ſuper illa verba Joan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*, inquit, *Quid indicat, & habitavit in nobis? Tentoria fixit in nobis, ſignificat inhabitationem, & quaſi in tabernaculo manſionem.*

Hæc, & quæ præcedenti argumento li-

bata fuere, mirè conjunxit S. Thom. 3. par. quæſt. 75. art. 1. ubi congruentias præſentiæ Sacramentalis deſignans, inſinuatâ primâ, inducit veritatem corporis in ſacrificio novæ legis, cum vetus illam contineret in umbra, aut figura, proſequiturque dicens: *Secundò: hoc competit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra Corpus verum noſtræ naturæ aſſumpſit. Et quia maximè proprium eſt convivari amicis (ut Philoſophus dicit 9. Ethic.) ſui præſentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens: Math. 24. ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ. Interim tamen, nec ſua præſentia corporali nos in hac peregrinatione deſtituit, ſed per veritatem corporis, & ſanguinis ſui nos ſibi conjungit in hoc Sacramento. Unde ipſe dixit: Joan. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & Ego in eo. Undè hoc Sacramentum eſt maximum charitatis ſignum, & noſtræ ſpei ſublevamentum ex tam familiari conjunctione Chriſti ad nos.* Hæc autem ſtupenda familiaritas Humanitatis Chriſti Domini cum hominibus medio Euchariſtiæ Sacramento, adeò communis etiam eſt inter Patres, & Aſceticos Euchariſtiæ Sacræ fructus, majeſtatem, & effectus commendantes, ut inſiſtendum minimè ſit nobis in ejus ulterioris comprobatione. Illa autem ſalvari minimè poſſet, ſi Chriſtus Dominus in Euchariſtia nullas de facto operationes ſenſuum primò eliceret. Ecquod enim eſſe poteſt nobiſcum commercium Humanitatis emortuæ, vel adinſtar cadaveris exiſtentis? Materialiter ſolùm corpore præſens, cum nec videat nos præſentes, nec fuſas ad ipſum preces exaudiat, nec per actum aliquem Humanitatis proprium vel compati, vel experiri modo aliquo valeat dolenter, & amanter ipſius opem implorantes? Non enim per notitiam purè intellectualem, nec etiam per alias operationes comitanter adductas ſuppleri poteſt hic defectus, ut copiosè oſtenſum fuit in præcedentibus.

Præterea quantò efficaciùs excitatur ad eam familiaritatem reverenter procurandam, & excolendam confidentiùs, qui judicat Chriſtum Dominum ibi præſentem oculis corporeis videre ipſum orantem, cadentemque; audire ſenſibiliter ſuſpiria cominus ab eodem ejaculata; quàm qui ſolùm putat, Chriſtum Dominum non aliter ex præſentia Sacramentali, quàm ex Empyreo illum loquentem audire, ejuſque ærumnas contueri, per actus videlicet ſcientiæ beatæ tantùm, & infuſæ? Cogitet hæc unuſquiſque ſecum, ſepoſita omni contentione, etiam qui oppoſitam teneat opinionem, induatque brevi ſaltem illo tempore, quo ad Euchariſtiam Sacram accedat, ſententiam noſtram; experietur enim procul dubio, dum contempletur apertos ſub accidentibus micantiſſimos Chriſti Domini oculos ipſum clariſſimè intuentes, ſe excitatum tremore quodam inſolito, pavida reverentia, & animoſiore ſimul fiducia ad ardentiores affectus virtutum prçſertim amoris, ſpei, ſollicitatumque ad dulciſſima cum hoſpite illo Cœleſti familiaritatem, colloquia, & commertium. Quemadmodum enim, ſi illum modò videres in ſpecie propria fulgentem, & apertis luminibus te, tuaque luſtrantem, corrueres extemplo demiſiſſimè adoraturus (ſi ſtupor mentem non occuparet), ſtudioque perquàm diligenti removeres vagas etiam à mente cogitationes. Sic in re noſtra, quamvis non planè ſimiliter; quoniam licet reciproca minimè ſit ea utrinque viſibilis præſentia, comparativè tamen ad nullum ex utraque parte viſibilem conſpectum, nullamque ſenſibilitatem ex parte utriuſque extremi, quę tuetur adverſa opinio; major ſine comparatione aderit amoris; & familiaritatis cauſa, incitamentumque nobilius, & homini connaturalius; dum conſiderat, ſe propè videri, & audiri ſenſibiliter; tametſi nec videat, nec audiat, audientem, & videntem Judicem, & amantem: ſic cœcus ut diximus, tametſi non videat videntes ipſum; aliter tamen ſe gerit dum adſtant, aut circumſtant illum Perſonæ, in diginitate præſertim conſtitutæ, quàm dum ſolus exiſtit. Et quidem aliter etiam, quàm ſe gereret, dum ſciret ſe videri per ſcientiam, ſive lumen divinum, aut propheticum, ab alio. Siquidem cœci, quorum meminit Evangelium, ſciebant, Chriſtum Dominum eſſe ſaltem inſignem Prophetam, ſeu videntem, ut liquet de cœco illo, de quo Joan. cap. 9. (etiam antequam noſſet eſſe filium Dei) *Ille autem dixit: quia Propheta eſt.* Et tamen neutiquam clamarunt ad ipſum, dum abeſſet, nec eadem fiducia, & ſpe erecti fuerunt, ſicut dum illum noverunt tranſeuntem, audientemque eorum clamores, & videntem eorum cæcitatem. O' quantum fidei, & roboris accreſcit gemitibus, & clamoribus infælicium notitia vicinarum aurium (& ſi non videantur) percipientium tenerum illud carmen miſerorum!

Num. 125. *Si incorporeus eſſes*, inquit S. Chryſoſtomus homil. 83. in Math. *Incorporea tibi dediſſet dona: nunc autem, quoniam conjuncta eſt corpori anima tua, ſub ſenſibilibus tibi intelligibilia tradit.* Quæ radix ſenſibilitatis, aut corporeitatis noſtræ æquè facit ad aſſertionem præſentem, ac ad congruentiam inſtitnendi Euchariſtiam (& alia Sacramenta) per ſigna ſenſibilia, ut ſæpe ponderatum fuit. Idem docuit homil. 61. ad Populum Antiochen. *Nihil inſenſibile*, ait, *nobis Chriſtus tradidit; ſed res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles.* Et S. Dionyſ. lib. 1. de Eccleſiaſt. Hierar. dixerat: *Neque enim aliter fas erat infirmitati noſtræ lucere divinum radium, niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora feramur opertum; & his, quæ nobis familiaria ſunt, providentia paterna naturæ mortalium ſe accomodante, veſtitum.* Qua doctrina utitur S. Thomas

mas

mas 3. par. qu. 60. art. 4. corpore dicens: *Eſt autem homini connaturale, ut per ſenſibilia perveniat ad cognitionem intelligibilium.* Conſtatque ex S. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, & lib. de unitate Eccleſiæ cap. ultimo. Ex Nazianzeno oratione de Baptiſmo, & reliquis Patribus. Uti ex Conciliis Florentino, & Tridentino. Sicut autem naturale homini, eſt exigere ſenſibilia, ut per ea devenire poſſit in cognitionem inſenſibilium: ita & connaturaliùs ipſi eſt per objecti ſenſibilis, gratique cognitionem (quantumvis inſenſibilem) commoveri vehementiùs, ferrique avidiùs in ipſum: cum eadem utrobique ſit ratio, aut radix. Quapropter diſplicet omnino P. Henao, qui diſp. 10. de Euch. ſect. 4. num. 54. referens ſententiam hanc P. Wigers qu. 76. art. 6. dubio 2. num. 18., & rationem, qua illam fulcire ſatagit: quòd nimirum ille, qui nobiſcum in Sacramento quaſi habitat corporaliter, non debeat adeſſe ibi quoad potentias, & ſenſus corporeos, emortuo prorſus modo; ſed potiùs habeat quoddam commercium nobiſcum reponit: *Cæterum cum nos vicissim non percipiamus ſenſibiliter Chriſtum, parùm refert ad commercium, ſi ille nos viderit, aut audierit. Quare quòd nos videat, aut audiat referendum potius eſt ad dignitatem Chriſti.*

Diſplicet ſanè impugnatio hæc: tum quia ob nuper dicta ex notitia hujuſce vitæ ſenſitivæ ex parte Chriſti Domini ad nos terminatæ, commerciique ſenſibilis nobiſcum ex parte illius ſubjectivè, excitamur acriùs ad converſandum familiariùs cum ipſo: adeòque licèt commercium, quâ ſenſibile, mutuum eſſe non poſſit ſubjectivè; ex eo tamen quòd reperiatur ex parte Chriſti Domini, & hoc ipſum noverimus, profectum quammaximum reportamus. Inde autem commercium illud ſenſibile efficitur aliquo modo reciprocum, quatenùs ſcilicèt ex parte Chriſti Domini reperitur ſubjectivè; & ſimul objectivè ad nos ſenſibilitèr præſentes terminatum; ex parte verò noſtra objectivè ſolùm, quatenùs præditi ſumus notitia præfati commercii, vitæque corporeæ ſubjectivè exercitæ erga nos à Chriſto Domino, è cujus cognitione intenſiùs operamur, reſpondemuſque ferventiùs commercio alterius rationis ſubjectivè ſpiritualis. Fit inſuper, quòd etiam ex parte noſtra reſponſio amoris, & gratitudinis, commerciumque eſſe valeat ſenſibile etiam, non ſanè per operationes ſenſuum externorum, quæ verſari nequeunt erga Chriſtum Dominum ſub accidentibus reconditum; ſed quatenùs ex cognitione percipiente exercitium ſenſuum externorum Chriſti Domini directum ad objecta illi propinqua, excitatur devotio ſenſibilis (ſatis familiaris ſanctè communicantibus) caleſcente amore in appetitu ſenſitivo, & convocante veluti comitia generalia omnium affectuum humanorum, ut fidelitatem, homagiumque præſtent Hoſpiti Divino: ſitque via hac commercium, aut ſocietas utrinque ſenſibilis, quamquam diverſa ratione.

Tum quia commercium ſenſibile eſſe poſſe non mutuum, docent plures (tametſi perfectum in ratione commercii ſenſibilis non ſit, quia completum non eſt) maximè dum ex alia parte reſpondet vita aliqua quantumvis diverſæ ſpeciei: ut cum Angelus in corpore aſſumpto alloquitur hominem; cum vita illa ſolùm apparentèr ſenſibilis ſit, re ipſa tamen ſolùm ſpiritualis; ex parte verò hominis ſpectatoris, verè ſenſitiva ſit, quæ Angelo reſpondet, quocum converſatur, & rationale commercium habet. Quidquid tamen de nomine commercii ſit, creſcit attamen indubiè in nobis ex notitia præfata ſummoperè familiaritatis ratio, & origo, cum notum ſit, vel ex prophana hiſtoria, & eruditione, uti & ex vera Philoſophia, quam potens ſit imaginatio objecti alicujus ſenſibilis, etiam nondùm viſi, quod repræſentatur admodùm delectabile, gratum, pulchrum; aut exadverſo horridum, formidandum, & terroris plenum, ad concitandum in homine paſſionum tumultum, turbamque affectuum, quos ex arce ſuprema ratio ægrè compeſcit, dum ſilentium indicit *majeſtate manus*.

Num. 126. Obitèr modò delibanda veniunt argumenta alia, non pœnitus oblivioni tradenda, & quia memoratu digna, & quia nobilitant, muniuntque reliqua jam producta. Sit itaque undecimum ex receptiſſima inter Patres, & Aſceticos doctrina circa munia, quæ Chriſtus Dominus ſumma dignatione exercet ex illa amoris Eucharíſtica ſede. Unde Venerabilis Pater Ludovicus à Ponte, inſignis vitæ ſpiritualis Magiſter, & ſcripto, & exemplo 3. p. Medit. medit. 33. pun. 1. ſupponit, & docet, Chriſtum Dominum ex throno illo Altaris obire munera Paſtoris, Medici, Magiſtri, Redemptoris, ſummi Sacerdotis, & reliqua omnia officia, quæ exequebatur in propria ſpecie viſibilitèr, dum eſſet paſſibilis in terra. Idemque docuit S. Fulgentius lib. 1. ad Traſimundum Regem cap. 12. ibi: *Unus igitur, idemque Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, ipſe Paſtor, & Ovis: ipſe Sponſus, & Sponſa: ipſe Sacerdos, & Victima: unus idemque & oblator muneris, & munus factus oblationis, ut nec oblator à muneris qualitate deſciſceret, nec munus oblatoris meritò diſcreparet.* Quin & aliqua, quibus vivens inter homines vix functus eſt, fungitur modò ex Euchariſtia, ut ſunt munia Regis, Sponſi, & alia, ut liquet ex Chryſoſtomo homil. 61. de ſacrorum myſteriorum particip., cujus verba dedimus alibi. Item ſuaviſſimum Nutricis noſtræ officium, aut Matris potiùs, exequitur, ut innuere videtur illa Dei locutio per Oſeam cap. 11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Et ſicuti quamplures Expoſitores colligunt ex illis verbis

1. Pe-

1. Petri : *tanquam modò geniti infantes rationabile lac concupiſcite* : quæ verba explicans Clemens Alexandriuus lib. 1. Pedago. cap. 6. & loquens de Euchariſtia , ait : *Illique ſunt verè beati, qui lactant hanc mamillam* ; ex qua certè ſanguis albus , vel lac rubrum profluit ubere de Cœlo pleno . Rursùſque adjungens nonnulla de ſignificatione lactis , quod alimentum eſt infantibus, & nutrimentum viris , concludit : *Aluiſſe autem , inter homines ſæpè affert plura amoris incitamenta , quàm procreaſſe liberos* . Ad eum etiam modum loquitur S. Chryſoſt. homil. 83. *Quis Paſtor oves paſcit cruore ? Et quid dico Paſtor ? Matres multæ ſunt , quæ poſt partus dolores filios aliis tradunt nutriendos ; hoc autem ipſe non eſt paſſus* . Jam verò ejuſmodi munia nequaquam exerceri poſſe decentèr à Chriſto Domino , niſi vitalitèr ea exequatur , liquet ex latè dictis ſect. 2. & 3. Sanè cum munia ejuſmodi nonniſi per corpus Chriſti Domini divinitùs elevatum , utpotè inſtrumentum Verbi Divini , intimè eidem conjunctum , phyſicè expleantur , ut eſt evidens : indecoroſum planè videtur corpori anima rationali informato , & Divinitati unito , concurrere ad varias illas , vagaſque munerum ex ſe vitalium operationes ad inſtar cadaveris, vel inſtrumenti inanimis , quod purè agitur; nec tam influit , quàm ſervit ; quod inſtrumentarii concurſus genus , vel rebus vilioribus competit , ſemel elevatis : abhorretque idcircò à dignitate humanitatis ſubſiſtentis in Perſona Divina , ut ſæpè in re pari arguebam ſect. 1. & 2.

Neque exemplum Conſecrationis , quæ fieret in triduo mortis Chriſti Domini enervat vires præſentis diſcurſus , aliorumque affinium , quos conſecimus ſparsìm per utramque illam ſectionem , maximè per ſecundam : tum quia juxta providentiam præſentis inſtitutionis Euchariſtiæ , fieri minimè potuiſſe Conſecrationem , vel Sacrificationem ſaltem , in triduo illo , efficaciſſimis reflexionibus , inſigniumque Theologorum ratiociniis elucidandum eſt nobis alibi. Tum maxime , quoniam motiva , fineſque altiſſimi , qui Chriſtum Dominum impulere ad mortem pro humano genere ſubeundam, honeſtarent eo ipſo concurſum Corporis exanguis ex Euchariſtia ; ſiquidem tunc , utpote privatum anima eo tempore , adhuc per concomitantiam vitaliter concurrere non poterat . Cæterum poſt reſurrectionem , cum nequeat non adeſſe altari informatum concomitanter anima rationali ; indignè influeret, niſi vitali modo concurſum præſtaret . Quod autem minimè dedeceat cadaver , quamquam verbo Divino copulatum , concurrere mortuo modo ; neutiquam poteſt arguere non dedecere Corpus vivum ſubſiſtens in Perſonalitate Divina , concurrere inſtar emortui .

Tum demum : quoniam officia illa propè omnia , de quibus præſens argumentum diſputat , exerceri nequaquam poſſent à Corpore in triduo , nec ab anima ſeparata ; cum ex conceptu formali ſuo poſtulent utrumque intimè copulatum , ſuntque munia hominis, cujus completa ratio formalis non convenit corpori , aut animæ ſeorſim , ut conſenſu Theologorum firmum eſt . Ideo nec eſſe poſſet Sacerdos in triduo Corpus , nec Sponſus Chriſtus Dominus , neque Rex , aut Paſtor completè , & alia ejuſmodi , quæ conveniunt ipſi penes humanitatem completè acceptam. Quod autem dum munera illa vitalia non ſubit , nec illorum dignitas perfectè , & adæquatè Corpori ſigillatim conveniat , vitalitèr non influat in alios effectus , perperam adducitur ad inferendum , prædicta officia non exerceri à Corpore vitaliter , dum illorum dignitatem planè , & expeditè obtinet, & dum muneribus illis actu fungitur , quia anima rationali per reunionem informatur , & quia Sanguis in triduo ſeparatus , & largè fuſus , per reſurrectionem ad venas Sacroſancti Corporis , veluti ad foſſas pietatis , & alveum amoris reverſus eſt .

Num. 127. Materiam duodecimo argumento inſtituendo congruentem miniſtrant verba Seraph. Doctoris in compendio Theologicæ veritatis lib. 6. cap. 14. ubi tractans de Venerab. Euchariſtiæ Sacramento , ait : *Nota quòd Deo convenit eſſe ubique ſimpliciter, & propriè ; creaturæ convenit eſſe in uno loco tantùm . Corpus verò Chriſti medio modo ſe habet . Cum enim ſit creatura , non debet æquari Creatori in hoc , quòd ſit ubique : cum verò ſit unitum Deitati , debet in hoc excellere alia Corpora , ut ſimul , & ſemel poſſit eſſe in pluribus locis , ſub iſto videlicet Sacramento .* Quibus ſimilia habet in 4. diſt. 10. par. 1. qu. 1. ad 2. ubi præſentiæ replicationem ſolùm Deo , vel divinitati unito ſubjecto competere poſſe docet . Idemque repetit ibidem q. 3. ex Innoc. III. concinit S. Thomas opuſc. 59. cap. 8. ubi poſtquam aſſeruit tanquam fide certum , quod Filius Dei , in quantum Deus , eſt ubique ſine dubio (ubi irrepſiſſe videtur Typographi error aliquis in editione Romana anno 1570. qua utor) ſubjungit: *In quantum eſt caro , eſt ſolùm in uno loco , ſed in quantum eſt Deus , & homo , tenet medium locum utriuſque , eſſe ſcilicet in pluribus locis . Et hujuſmodi ratio , quamvis poſita eſt à Doctoribus Magnis* (innuere videtur Innocentium, & Doct. Seraphicum) *potiùs tamen quædam adaptatio , quam ſimilitudo dici debet* . Et poſt aliqua rurſus : *licet ipſum Corpus Chriſti , quantùm eſt de ſe , ſit uno loco tantùm ſecundùm naturam corporalem , tamen quia panis , qui convertitur eſt in locis pluribus , & ideo neceſſariò ſequitur , quòd ipſum Corpus ſit in pluribus locis , & non per ſui mutationem , ſed per alterius converſionem in ipſum . Et ubicumque eſt iſte panis ſic conſecratus ſubſtantificatur in ipſum , & ab ipſa Perſona Filii Dei : & quantùm ad hoc habet quandam ſimilitudinem ſpeciei, quæ verè eſt in omnibus ſuis individuis , ubicumque ſit . Ipſum autem Corpus ſua natura reſtringitur ad unum locum particularem . Per*

unio-

ſtuiauem, quam habet cum divinitate, dilatatur quodammoda, & extenditur quaſi ad quendam modum univerſalem, ut ſit ubicumque ſuum individuum reperitur. Ejuſdem ſententiæ fuit Guillielmus Abbas S. Theodorici lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 1. Ubi ratione unionis ad divinitatem eam replicatam præſentiam competere Corpori, & Sanguini Domini affirmat, ſubditque: *Neque tamen naturam illam Corporis Domini ubique eſſe dico, quia nec opus eſt, niſi ubi vult, & ubi certo fidei Sacramento, ad quod aſſumpta eſt, & glorificata, myſterium ſcilicet ſalvationis humanæ.... Deus enim ſolus neceſſariò ubique eſt.* (quamquam modus explicandi ſuam mentem duriuſculus ſit). idque re ipſa tradunt Scholaſtici, cum docent, humanitati Chriſti Domini titulo nexus hypoſtatici deberi omnia privilegia eidem poſſibilia, convenientiaque, vel quæ ipſam ornant. Et immediatiùs adhuc, dum probant, Chriſtum Dominum meruiſſe inſtitutionem, & excellentiam hujus maximi Sacramenti.

Ubi igitur fatendum eſt, eam multiplicationem miraculoſam deberi Chriſto Domino, ſive ejus humanitati titulo unionis, cur eodem jure, & titulo, Corpori animato ejuſdem, & ſplendoribus gloriæ veſtito, non erit debitus uſus de facto (quamquam miraculoſus) ſenſuum, & potentiarum, ut per illos actu, & productive ſe exerceat: præſertim, cum tum ad ornatum, & decorum ipſius Chriſti Domini quâ ſub ſpeciebus latitantis: tum ad utilitatem noſtram, congruentiſſimum eſſe videatur? Id quod urget efficacius, ubi compertum eſt, eiſdem titulis debitam eſſe humanitati Salvatoris. adhuc pro ſtatu præſenti glorioſo, poteſtatem miraculorum factivam. Alioqui deberetur illi præſentia, ejuſque replicatio numeroſiſſima, jure excellentiæ, quæ potiùs eſſet (quantùm eſt ex ſe) quaſi mortificatio ſenſuum, & ſtupidus exiſtendi modus, nullam aſſerens commendationem, aut excellentiam: de quo aptè caneret Horatius lib. 1. Epiſt. Epiſt. 6.... *Defixis oculis, animoque, & corpore torpet*. Quæ præſentia à quovis prudente recuſanda foret, ſi conſimilis alia eſſet in ejus poteſtate: quoniam ea replicatio materialis, torpens, & emortua Corporis animati, afferret modum exiſtendi monſtruoſum æque, ac bilocatum.

Num. 128. Argui etiam poteſt decimo tertiò ex perfectione hujus ineffabilis myſterii, quæ omnium ore ſumma eſt, dicente Seraphico Doct. in 4. diſt. 12. p. 1. art. 1. q. 2. *quarta ratio propter divinorum operum perfectionem, quæ debet in hoc Sacramento reperiri, cum ſit perfectiſſimum. Et attenditur duplex perfectio in hoc Sacramento*. Et cum principalis perfectio illius neceſſariò deſumenda ſit ex re contenta, cumque mamanifeſtum ſit perfectius eſſe corpus animatum, ut actu de facto vivens, ſeu proximè, & expeditè potens ad utendum pro libito ſenſibus, & potentiis, quàm nec actu vivens, nec proximè potens ad nutum elicere has modò, modò illas vitales operationes; ſicut perfectius indubitanter eſt vivens ſimpliciter non vivente: & uti ex hoc capite non exiſteret modo perfectiori phyſicè Corpus Chriſti Domini in triduo, ſi fieret conſecratio, utpote deſtitutum vita & anima; quamvis argutivè, & extrinſecè, moraliterque importaret ſummam perfectionem in altera linea, ob redemptionem ſcilicet mundi, natam ex morte illa; à fortiori debet eſſe actu vivens Corpus Chriſti Domini in Sacramento Eccharistiæ ſummè undique perfecto.

Deſunt modò alia capita congruentiæ, & veluti radices argumentorum; cœterùm quia illæ commodiorem locum ſibi vendicant alibi, ratione materiæ de qua ibi diſſeritur, idcircò eas hic prætermittendas duximus, v. g. ratio illa energiam, & vim ſpirans deprompta ex Sacerdotio, quo fungitur Chriſtus Dominus in altari, & ex altari: de quo fusè Diſp. 4. quodque exequi minimè poteſt, niſi vita corporis actu potiatur. Pariter etiam miſſum facimus hic fundamentum aliud ſolidiſſimum, ut credimus, deſumptum ex vero, & ſtricto conceptu victimæ, & oblationis, quæ in Sacramento Euchariſtico reperitur, tametſi incruenta. Conceptus autem ille nulla firma ratione ſalvari poteſt, niſi adſtruatur vita hæc actualis corporea, quâ privari poſſet Chriſtus Dominus tempore Immolationis ad brevem aliquam moram; quamque iteratò confeſtìm reſumat. Quandoquidèm utiliſſima hæc, juxtà ac difficilis materia integram Diſputationem quintam occupat. Conſultò præterire volui diſcurſum à nonnullis celebratum, tametſi in ordine ad diverſum ſcopum, & ab Eterodoxis in nos paſsim contortum; ſitumque in eo, quòd improprium, importunumque videatur, adorare profundè hominem, vel dormientem, vel cęcum, ſimul & ſurdum, ſenſu omni privatum, qui neſcius planè ſenſibilitèr ſit, nec eſſe valeat conſcius ſenſibilitèr adorationis, quę illi exhibetur. Pręterivì ſanè, quia vel etiam in triduo Corpus Chriſti Domini anima deſtitutum adoratione latriæ dignum erat unâ cum Verbo Divino, cui copulatum manſit; ita tamen, ut eademmet latrię adoratio ferretur in utrumque ſimul, quamquam ratio ſic adorandi eſſet Verbum, cui intimè erat conjunctum. Propterea inefficax ſemper, & inerme planè cenſendum eſt ejuſmodi argumentum; tametſi vulgari ſtrepitu, potius quam nobilitate rationis illud Hæretici vociferentur ubiquè. Sufficiunt equidèm productæ congruentiæ ad aſſenſum extorquendum ab ſpiritu nondùm occupato; fæliciora autem Ingenia rapidiores alios diſcurſus, ſpecioſiùſque adornatos è Theſauro ſapientię & ſcientiarum, pectore ſcilicet Chriſti Domini, unà cum Sacramento manantes haurire poſſunt. Nobis enim, & quia humi repentibus & quia otio ſimul deſtitutis,

alt io-

altiores alios aſſequi non licuit, nec pretioſiorem, ſublimioremque rationis telam ordiri; cæterum quibus tegatur decenter veritas aſſertionis noſtræ, contenti ſumus: digna ſanè, quæ niteſceret deauratis nobilioribus, & de qua verificaretur illud Proverb. 31. *Byſſus & Purpura indumentum ejus.*

SECTIO SEPTIMA.

Diruit multiplici ratione, & via adverſæ opinionis fundamenta.

§. I.

Num. 129. PLURA ſunt oppoſitæ ſententiæ machinamenta, quæ communiter adducuntur: plurima verò, quæ adduci poſſunt; utraque planè diruenda fore, ſperamus, ut ex eorundem ruina ſtruatur ſolidiùs, tutiùſque ſententia noſtra. Primum eſt. Id quod ponitur ſub ſpeciebus vi verborum conſecrationis, Corpus ſcilicet ſub accidentibus panis, & Sanguis ſub vini accidentibus, elicere nequit ejuſmodi actus vitales à ſententia noſtra deſideratos, ut eſt evidens: atque adeo Sacramentum Euchariſtiæ formaliter, quâ tale, nullatenus importat, aut exigit vitam illam ſenſitivam, corporeamque; quin propterea dedeceat magnum illud myſterium, ejuſmodi emortua præſentia Corporis, ſanguiniſque; vel quod Sacramentum ita ſit formaliter conſtitutum, ut ejus formalia, conſtitutiva nullo pacto ſint actu de facto viventia. Ergo nec dedecere poteſt Corpus Chriſti Domini integrè modò in Euchariſtia præſentis, adhuc ratione illorum ſimul, quæ per concomitantiam ponuntur, nullo modo vivere de facto, nulloque pacto primò producere eas ſenſuum operationes, aliaſque, ab organo pendentes. Quo & inſtantur validiſſimè omnia prope argumenta, quibus innititur aſſertio noſtra.

Reſpondeo, objectionem eſſe fallaciſſimam: primò quoniam ex illa fieret nequaquam dedecere modò Corpus Servatoris noſtri, quod exiſteret in Euchariſtia, ab anima ſeparatum, exangueque, etiam poſt reſurrectionem, cum illud, quâ Sacramentum formaliter conſtituit, aut in ipſo continetur, Sacramentumque ipſum, quâ formaliter completum, animæ rationalis præſentiam minimè poſtulet. Secundò: nec pariter alienum erit à Majeſtate Corporis Chriſti Domini, quòd ſubſit accidentibus ſeparatum ab unione cum Verbo Divino; eum nec verbum, nec unio ponantur vi verborum, nec conſtituant formaliter Sacramentum, quâ Sacramentum Euchariſtiæ eſt. Quę omnia, eum diſſona ſint procul dubio, ęque invadunt objectionem, & ſententiam contrariam, ac illa noſtram. Dicendum igitur pro utraque, Sacramentum hoc ſupremum, maximumque omnium, importare eſſentialiter memoriam, & repreſentationem Paſſionis, & Mortis Chriſti Domini, vi cujus debuit exprimi ſeparatio Sanguinis effuſi (ſubindeque animæ) à corpore. Penes hanc autem conſiderationem, ſecundùm quam eſt formaliter Sacramentum, non modò alienum non eſt à corpore contento ſub ſpeciebus panis, & ſignificato, nullatenus vivere de facto, & poſitivè; verùm & prorſus requiritur ea præciſio à ſanguine, & anima rationali, quâ tali adęquatè, & pænes omnes vitę gradus, ut locum habere poſſit præfata repręſentatio. Hoc autem minimè facit, quòd non poſtulet obtinere comitanter ſecum unita ſub ſpeciebus ea omnia, permanentia, quibus poſt Reſurrectionem in Cœlo integratur, & fulget; atque adeò neutiquam facit, quominus dedeceat ipſum exiſtere, abſque illis, ut per concomitantiam poſitis in Euchariſtia, ut Adverſarii nobiſcum reſpondent, & aſſerunt; ultra rationem connexionis, unioniſque corporis, & ſanguinis eum illis prædicatis, quà connaturali quodam vinculo trahuntur, & qua poſt S. Thomam; & Patres frequenter, utitur Tridentinum. Et quidem ita, ut tametſi connexio prædicta, aut unio vim præfatam ex ſe non haberet, liberumque proindè foret Deo animam comitanter deferre ad Euchariſtiam (& alia extrema per ſe fixa) vel ſecus; deberetur Corpori Chriſti Domini poſt Reſurrectionem ob decorum illius, dignitatem, & titulos reliquos argumentis noſtris indigitatos. Eiſdem ergo debetur vita actualis ſenſitiva de facto, quatenus debetur anima comitanter; & qua ſemel copulata corpori, debetur ipſi vita actualis, eodem jure (& jure etiam munerum, quæ exequi debet ex Euchariſtia, quæque illius dignitati debentur) etiamſi extra conceptum formalem Sacramenti conſtituta ſit, uti poſita eſt extra illam, anima, quâ rationalis, & quamplura alia, ob repræſentationem mortis adumbratam, & Sacramenti propriam: oportet enim hęc facere, & illud non omittere. Plurima, namque adſcribuntur Euchariſtiæ, quæ nullo jure ſibi vendicat, quâ Sacramentum formaliter eſt, ſed aliis titulis, aut juribus, quorum non minùs fæcunda eſt, quàm gratiarum.

Num. 130. Secundum fundamentum oppoſitum, miraculorum copiam horreſcens, à multiplicatione miraculorum, quæ neceſſariò concurrerent ad eas vitæ operationes, vires ſuas deſumit, eaſque putat ineluctabiles. Quandoquidem, ut Theologia univerſa unà cum ratione naturali docet, miracula nullibi adſtruenda ſunt, niſi ubi cogat urgens neceſſitas, aut utilitas manifeſta, quæ vim quandam neceſſitatis ſubinduit interdum. Idque determinatè etiam circa, admirabilia, quæ in Euchariſtia contingunt, aut contingere poſſunt, exprimunt jugiter Scholaſtici cum S. Thoma quamplurimis in locis, & D. Bonaven. in 4. diſt. 10. par. 1. art. 1. qu. 2. in concluſione, ajente:

Et

Et ſi in hoc Sacramento fieri debeant miracula: non tamen debent fieri, niſi quæ congruunt Sacramento. Ut autem aſſertio noſtra ſubſiſteret, non jam uno, aut altero miraculo opus foret, ſed prodigiorum acervo ferè immenſo, & propterea incredibili: & quidem omni temporis momento, & in omni loco, ubi Chriſtus Dominus Sacramentaliter adſit. Rurſuſque perennis etiam mutatio, & fluxus eorundem portentorum neceſſarius foret, cum in ictu oculi varianda foret viſio, exempli cauſa, pro diverſitate objectorum, & pro nutu ejuſdem Chriſti Domini, novæ in momenta auditiones, viſiones, actus imaginationis, & appetitus &c. quæ omnia devorare non licet, cum ſufficiant ea prodigia, quæ vel ex fide novimus planè requiſita ad mirabilem arcani exiſtentiam: vel ex fidei principiis, rationiſque fide inſtructæ, agnoſcuntur à Patribus, & à primæ notæ Scholaſticis. Nova autem hæc ſeges prodigiorum, nec à Patribus adſtructa, nec ad myſterium conſtituendum neceſſaria eſt, cum illud potius ſupponat conſtitutum plenè. Erit igitur otioſa, omninoque ea ratione propulſanda. Sicut enim tentare dicitur Deum, qui expoſcit abſque neceſſitate miraculum, ut docet S. Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei cap. 19. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 36. De opere Monach. cap. 27. lib. 10. Confeſ. cap. 35. D. Thomas 2. 2. qu. 97. Abulenſis in Math. cap. 10. Doctor Eximius tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. Sanchez, & Theologi ad unum propè; ita tentare videtur fidem, qui miracula in myſteriis abſque pari neceſſitate ponit. Quòd verò abſque inſinuato rerum mirabilium cumulo obtinere nequeat de facto Chriſtus Dominus eam vitam actualem corporis, fatemur ipſi, vel permittimus cum probata adversùs Nominales ſententia. Quòd inſuper vita illa nullam utilitatem ſecum afferat ſufficientem ad repellendam otioſitatem ab eis miraculis, vel ex eo clareſcit abundè, quòd nulla excogitari poteſt ratio utilitatis in ea objectorum ſenſibili perceptione, quæ non habeatur pleniſſimè, & nobiliori modò per vitam intellectivam, & volitivam purè ſpiritualem, & nullo pacto cum corpore communicantem. Ut quid igitur congeries illa miraculorum in Theatro Euchariſtico, quæ poſſunt quidem paſcere curioſitatem Philoſophantium hinc indè; neutiquam tamen profectum dignè communicantium; cum aliundè ſuamet numeroſitate ſtellarum numerum excedente, exponatur irriſioni Etherodoxorum?

Num. 131. Objectio hæc, Sacramentariis gratiſſima ſimul, & familiaris eſt, qui omnes nihil vehementiùs averſantur, quàm indeficientem miraculorum fontem in altari, & ex altari ſcaturientem ad realem Salvatoris Noſtri præſentiam ſtabiliendam, conſervandamque. Clamant enim ubique, fruſtra per ingentia, creberrimaque miracula intendi finem, qui obtineri poteſt abſque illis, proindeque ſine præſentia reali Chriſti: nullus enim, inquiunt, eſt effectus ſanctificationis, & gratiarum, quem non poſſit Deus cauſare in ſumentibus panem Euchariſticum, per hoc ſolùm, quòd figuratè exiſteret in Sacramento, ad quem exiſtendi modum nullum miraculum exigitur. Sic nequidquam adſtruitur præſentia realis Chriſti Domini in aqua, aut ſub aquæ ſpeciebus, ad præſtantiſſimum, & ſimpliciter neceſſarium effectum Baptiſmi, regenerationiſque, quia ſufficit adeſſe virtute. Quo igitur fine, jure, & Philoſophia parare debet omnipotentia ſumptuoſiſſimas illas prodigiorum expenſas continuas ad effectus, quos, vel gratis, vel exiguo pretio, & connaturali comparare poteſt? Quo titulo expoſcitur ut neceſſaria, aut ſummè utilis phyſica præſentia Majeſtatis, cum ſatis ſuperque ſit ad prædictos omnes fructus parturiendos præſentia divinæ virtutis? Quemadmodum ergo ejuſmodi argumenta ampullatis vocibus producta; ratione vacua, & ſonitu duntaxat prædita, à Patribus, & Theologis plenè enervata, & partim deſpecta, nullum verum impetum ſortiuntur in doctrinam fidei de reali præſentia corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini; quoniam fines, altiſſimi moventes Deum, & Chriſtum Dominum Inſtitutorem ad eam realem præſentiam decernendam, tanti momenti ſunt, ut non fusè deſcribere, ſed vel ſummatim deguſtare ſufficiat, ad indicendum perpetuum ſilentium loquaciſſimo, impudentiſſimoque ori; ita, & quidem à fortiori, ſimiles captiones nullas pariter vires exercere poſſunt in aſſertionem noſtram.

Dixi, à fortiori, quoniam ſemel atque præſentia illa realis Corporis, & Sanguinis Domini miraculis imbuta, & undique penetrata, inſtituta fuerit, neceſſaria conſecutione debetur Chriſto Domino expedita facultas ad vitæ ſenſitivæ functiones peragendas, ad ſenſuſque potiſſimos de facto exercendos; etiamſi id minimè fieri valeat, niſi divina virtute elevatis potentiis materialibus, ob earundem inextenſionem ſub accidentibus Euchariſticis (quod eſt diſſidium judicem adhùc deſiderans, aut ultimam illius ſententiam). Debetur itaque ornatus ille operationum vitalium, quibus actu vivit, & floret corpus titulo ſummæ dignitatis Chriſti Domini; debetur ejus meritis; debetur ſtatui glorioſo; debetur decoro ipſius; debetur muneribus Summi Sacerdotis, Regis, Judicis, Amantis, influentis, aliiſque paſſim in præcedentibus inculcatis, quibus ſubeundis excogitavit, & molitus eſt artefactum Euchariſticum ſummo ſtupore digniſſimum. Debitum autem hujuſmodi importat ex ſuo conceptu formali neceſſitatem ſimpliciter; maximè ubi Chriſtus Dominus eſt, cui debetur, ut exploratiſſimum eſt. Perperam ergo explodere ten-

T tas

tas præfatam actualem vitam ex otioſitate ingentium, compluriumque miraculorum, quæ ad ipſam per ſe requirantur; niſi prius unà cum Sacramentariis realem Chriſti Domini præſentiam expungas: cum illâ præſuppoſitâ, jura eadem planè conveoiant Humanitati Chriſti Domini, cui ex conſequenti debentur abſolutè neceſſariò omnia ea, quæ jura præſentiæ realis poſtulant, & ſibi vendicant. Ubi autem hæc obtineri nequeant, niſi per grandiora porteuta, adeſt eo ipſo neceſſitas illa patrandi. Ubi adeſt igitur, vel color aliquis rationis ad repellenda præfata miracula ex otioſitate, ſuppoſitâ ſemel præſentiâ reali Chriſti Domini in Euchariſtia? Ubi nam reperies in hac linea miraculum magis neceſſarium, aut minus ſuperfluum?

Num. 132. Debetur inſuper Chriſto Domino ſub ſpeciebus expedita facultas inſtrumentaria miraculorum effectrix, permanenter, habitualiterque ipſi copulata, quæque appellatur jure poteſtas excellentiæ, cum hæc competat illi ratione unionis hypoſtaticæ, ſubindeque ubicumque illa reperiatur. Hac autem facultate inſtrumentaria proximè expedita ſemel admiſſa ad nutum Chriſti Domini (utpotè à Theologia plerunque indubitanter adſtructa) importunè recuſantur prodigia neceſſaria ad ejus uſum: quandoquidem ea virtus, juxta D. Thomam, & Scholaſticos illi ſubſcribentes (cujus verba dedimus, dum argumentum ex illa virtute conficeremus) conceſſa eſt Humanitati Chriſti Domini in ordine ad proprium Corpus, & tuendam ejus vitam: ubi ergo miracula patrantur ad vitam ſenſitivam de facto poſſidendam, eadem ratio, jus, & radix, cui debetur ea poteſtas omninò expedita ad illa efficienda, juſtificat miraculorum effectionem, reddit illam utilem, & ab omni redundantiæ vitio purgatam; ſin aliter, jam non foret poteſtas illa ad nutum Chriſti Domini, ſed ad arbitrium neceſſitatis ſupervenientis. Conſulatur Angelus Maria Verricelli de Apoſtolicis Miſſion. qu. 36.

Præterea, dum eſſet paſſibilis, tametſi polleret eadem virtute inſtrumentali, tum in ordine ad propriam vitam, tum io ordine ad ſcopum Incarnatiouis; uſus attamen illius, licet frequens extiterit, adeò tamen jugis, uti modò in Euchariſtia, eſſe non debuit; quoniam vita ſui corporis nullo tunc miraculo indigebat poſitivè, ut vigeret, niſi urgente paſſione, & morte, quam noluit arcere, cum poſſet; dum reipſa mortem obivit; tametſi nonnulla mirabilia in ordine ad hunc effectum perpetraverit, ut oſtenderet potuiſſe mortem amovere ſi vellet; neceſſarius autem fuit illius poteſtatis uſus multò ante paſſionem ad præcavendam mortem illi ſæpiſſimè ab Hoſtibus paratam. Verumtamen minùs rectè, aut inconſideratè proceſſit oratio noſtra; ſiquidem curſum miraculorum numquam intermiſſum in ſtatu paſſibili habuit facultas illa inſtrumentaria, cum pro omui vitæ paſſibilis momento effecerit actu, ne è regione ſuperiori animæ derivaretur in inferiorem præceps torrens gloriæ, qui paſſibilitatem inuodaret; quamquam faciliùs eſſet tumentes maris fluctus ſiſtere. Et quidem non ut tueretur vitam; ſed ut ſuſtineret ærumnas, & mortem, ob mundi libertatem. Finis verò Incarnationis neutiquam ex ſe poſtulabat curſum nunquam interruptum prodigiorum (præter nuper expoſitum) ſed frequentem duntaxat, menſuratumque utilitate ſpectatorum. Cæterum vita actualis Euchariſtica, aut ex integro ſuſpendi, ceſſareque debet in quolibet inſtanti, aut miraculis fulciri debet, non crebris tantùm, ſed continuis; cum pro quovis momento illa conveniat dignitati perſonæ, ejuſque perfectioni, ſcopo inſtitutionis Euchariſtiæ, & ſtatui præſtantiſſimo gloriæ; & naturaliter haberi nequeat. Semper igitur poteſtas illa inſtrumentaria, dum permanenter, & quaſi adinſtar habitus conceſſa eſt, ſortiri debet uſum, non planè rarum, ſed crebrum, ſi non ſemper in ordine ad omnes effectus, ad quos ſe extendit, in ordine tamen ad aliquos, vel modò ad hos, modò ad illos, frequentiùs, aut minùs frequenter, juxta qualitatem effectuum, & utilitatem hominum; alioqui, ſi vel nunquam, vel rariſſimè uſum habitura foret, nequidquam permanenter, habitualiterque illi aſſiſtens diceretur; quoniam ſufficeret Dei promiſſio ad concurrendum divina virtute cum ipſo, urgente peregrino illo eventu. Neque eſt cur ipſa foret debita Humanitati, ut permaoens (ſicùt non eſt debita ipſi ea poteſtas in ordine ad alios fines, præter duos illos à D. Thoma expreſſos; non alia ratione, niſi quia in ordine ad alios uſum habitura non eſt). Siquidem eſſet inutilis ejus habitualis perſiſtentia, atque adeò non adeſſet cauſa, aut finis, vi cujus fundaretur jus ad illam. Niſi velis ornatus gratia futuram illi debitam: verùm jus illud Humanitatis, de quo nunc diſſerimus, juxta mentem D. Thomæ, & Theologorum, non tendit ad ornatum Humanitatis præcisè, ſed ad utilitatem, neceſſitatemque.

Rurſus ornatus cauſa exhibentur Humanitati ea, quæ licet per ſe neceſſaria non ſint ad munera propria (quia ſublimiùs, & eminentiùs per alias quaſi formas habentur) per ſe tamen præſtant intrinſecam aliquam pulchritudinem, ut de gratia ſanctificante dicitur, qua phyſicè pulchreſcit anima. Cæterum virtus hæc non eſt aliquid phyſicè intrinſecum ſuperadditum; ſed conſiſtit in decreto Divino extrinſeco, applicante omnipotentiam aliunde jam unitam. Hinc oritur diſcrimen inter virtutem hanc, quâ inſtrumentariam, & Humanitati conceſſam, & quâ Deo ad inſtar attributi connaturalem: cum enim hæc competat intrinſecè, & ex

na-

natura ſua Deo, ut illam poſſideat, opus non habet jugi miraculorum exercitio, cum per ſe, & eſſentialiter illi conveniat. At verò dum veluti ex privilegio conferri debet, ut Humanitati: vel ut jus in ipſa radicetur ad eam poteſtatem, debet illa uſum habere jugem; ſin minùs deeſt finis, ob quem obtinendum competat jus Humanitati, aut deficit cauſa poteſtatem conferendi. Præterea viſibilia omnipotentiæ miracula vileſcerent multitudine, ut S. Auguſtinus loquitur, proindeque creber uſus noxius potiùs foret, quàm utilis. Illa verò, quæ Chriſtus Dominus ex Euchariſtia perpetrat, ut vitam Corporis actualem foveat, & inviſibilia nobis, & ſummè utilia ipſi Chriſto Domino, nobiſque ſunt; atque adeo ex nullo capite vileſcunt, & omni jure nobilitantur, cum eorumdem ſcopus ſit pretioſiſſima Chriſti Domini vita.

Num. 133. Si non uſum hujus poteſtatis poſt mortuorum reſurrectionem opponas; cum tamen illa permanſura ſit in Humanitate Salvatoris. Voluntariè ſupponis ejus tunc non uſum, cum certum ſit Theologorum voto, facultatem illam habituram immenſam rerum mirabilium copiam, in qua ſe exercere poſſit: nam penetratio ſui cum quovis alio Corpore ſolido fieri nequit abſque miraculo à Corpore Chriſti Domini glorioſo. Siſtere ſeipſum circumſcriptivè in duplici loco, & fieri poſſe à Chriſto Domino, (licet ſola virtute Divina, aut miraculosè) Theologorum, & Philoſophorum Elenchus prolixiùs tuetur; adjungunt tamen nonnulli cum P. Tannero tom. 2. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 4. ejuſmodi prærogativam convenire permanenter Chriſto Domino glorioſo; quòd non alia ratione, aut virtute fieri poteſt, quàm inſtrumentaria, de qua loquimur. Et id genus alia mirabilia, quæ nonniſi divinitus exerceri valent ab Humanitate, etiam ex integro glorioſa, Chriſti Domini. Quapropter licet tunc uti nequeat ea poteſtate ad tuendam vitam, nec ſubſtantialem, cum mori iterum minime valeat; nec accidentariam operationum (etiamſi aliquam etiam ſit habitura, de quo diſp. 7.) cum Euchariſtia perennatura non ſit in Cœlo; habet tamen uſum færaciſſimum in ordine ad alios eventus concernentes Corpus ipſum Chriſti Domini, phyſicum, & myſticum, quorum ſeges immenſa eſt.

Et tandem ad perenne miraculum communicandi viſionem ſuam beatificam Beatis Euchariſticis de qua nos Diſp. ultima. Propterea ſemel ac poteſtate illa præditus fuerit à principio ad removenda utriuſque vitæ impedimenta, etiam diſcrimine illo vitę, ratione ſtatus gloriæ conſummati, perfectique, ceſſante, debuiſſet retineri ea facultas (ſine uſu tunc) in recordationem gratiſſimam præteriti uſus illius. Eſt enim valde diverſum, illam conferri à principio, ſi nullum unquam habere poſſet uſum; vel illam conſervare poſtquam & habuit, & habere potuit uberiorem; tametſi inpoſterum nunquam ſit exercenda in ordine ad illum effectum; præſertim dum comparativè ad alios miraculoſos pariter, pariterque Corpus reſpicientes, ſe exercere valet frequenter, tum reſpectu ſui Corpotis phyſici, tum myſtici quoque. Quinimmò & ſi ad nonnulla ex eis futuris in Cœlo prodigioſis eventibus conſerenda eſſet Beatis qualitas aliqua dotibus gloriæ annexa, ut complures Theologi arbitrati fuere; illa tamen non fuiſſet Chriſto Domino neceſſaria, cum inſtructus ſit ea facultate inſtrumentali permanente altioris ordinis, & amplioris. Aderit nihilominus Chriſto Domino ad ipſius ornamentum, ut ineſt illi gratia ſanctificans, cum illa ſit qualitas phyſica illuſtrans Corpus fulgoribus ſuis. Ex dictis apparet clariſſime, perperam objectionem hanc criminari tanquam ſuperfluam pluviam, aut profluvium potiùs miraculorum concementium ad vitam ſenſitivam de facto exercendam, ex defectu utilitatis noſtræ; cum & ſi nihil utilitatis inde in nos derivaretur, adeſſet copia jurium, quæ fusè expendimus ſupra, vi quorum vita illa deberetur multis titulis Chriſto Domino in Euchariſtia, fieretque illi injuria, ſi denegaretur omnipotentiæ concurſus.

Falsò tamen & per commentitiam ſuppoſitionem defectum illum utilitatis attingit; cum argumenta per diſputationem præſeutem ſparſa oppoſitum evincant. Cum enim officia inculcata, Theologorum confeſſione, Chriſti Domini, quà velati accidentibus, propriè adminiſtrari neutiquam valeant, niſi per Humanitatem vivam, vitaliterque operantem: cumque illa cedant per ſe ex integro in profectum noſtrum, ut eſt pluſquam exploratum; objectio, quæ contrarium ſupponit, ut nos redarguat, cadit eo ipſo à vera ratione objectionis. Neque ſuſtinetur aliquantulùm per hoc, quòd media ſcientiâ infusâ, & beatâ, cuncta luſtret intuitivè; contendimus ſiquidem ultra eam vitam merè ſpiritualem, quà pariter è Cœlo contuetur nos, noſtraque omnia, neceſſariam eſſe Chriſto Domino ſub ſpeciebus vitam corpoream, tum ob ipſius dignitatem, decorum, & meritum, tum ut munia illa exequatur, quæ in profectum noſtrum cedunt, quibus per ſolam vitam ſpiritualem fungi nequaquam poteſt. Unde dum objectio ſupponit primam vitam ſufficientem, ut miraculorum factionem ad ſecundam obtinendam reddat inutilem, repetit principium, circumagiturque ipſa inutili, aut inani gyro.

Num. 134. Rogandus foret etiam, qui eam prodigiorum multitudinem nobis objiceret, an minùs prodiga, vel magis parca manu efficiat miracula Deus in conferenda Chriſto Domino, vita Euchariſtica, juxta ſententiam contrariam expoſita? Porro ex fusè dictis ſect. 1. præſertim §. 3. conſtat abundè, neutiquam poſtulari minora, aut

numero, aut qualitate, miracula ad comitanter deſcrendas ad Euchariſtiam ſenſationes cunctas in Empyreo elicitas, quàm ad primò producendas illas, quæ reſpondent objectis propinquis altari; quin & plura exigi, inſolitaque magis ad primum illud, probabiliſſimum eſt ex ibidem diſcuſſis, uberiùſque patebit ex infra dicendis. Per fallacem igitur ſuppoſitionem miraculorum exuberantem exceſſum objiceretur nobis ab opinione contraria. Adjungendum: nequaquam eſſe ſcrupuloſè taxandam neceſſitatem, vel utilitatem efficiendi mirabilia, ubi intercedit dignitas Salvatoris, ejus decentia, & meritorum energia; quoniam, vel ſuſpicio, aut conjectura prudens ſufficiens credenda eſt ad miracula in eum finem adſtruenda. Maximè cum hæc contingat in Euchariſtia, quæ eſt miraculorum officina, & centrum, ideoque appellatur non infrequenter à Patribus miraculum miraculorum, à Div. Thoma miraculorum maximum: unde jure meritò S. Ambroſ. Leo Magnus, & alii Patres exclamarunt: quid quæris naturam in Euchariſtia; cùm ſupra naturam ſint omnia? Ideoque S. Thomas opuſc. 59. dixit: *Tot, & tanta ſunt ibi ſupra, & præter rationem, & etiam contra rationem naturalem, quę niſi per fidem tenerentur, & crederentur. nunquam intelligerentur.* Non quia adſit in Euchariſtia, aut fiat contra quod lumen rationis dictat; ſed contra id, quod ex rebus naturalibus ratio noſtra haurit. Conſulendus S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, S. Cyprianus, vel Author Sermonis de Cœna Domini.

Opportunaque ſunt pro hac veritate ſtabilienda verba inſignis interpretis Maldonati in Math. cap. 10.: quoniam & ſi de Euchariſtia non diſputet ibi; exinde tamen ſumitur ſolidum argumentum ad ſimilem miraculorum congeriem non incuſandam in maximo arcano, ex natura ſuæ conſtitutionis prodigiorum nido. Namque exponens illud Chriſti Domini. *Curate infirmos*, inquit, *docet, ut data ſibi paulo ante poteſtate miracula faciendi; liberaliter, & largiter utantur, Sciens, Homines, ut ait Hieronymus, ruſticanos majorem miracalis fidem, quam verbis facturos eſſe, quaſi dicat. Ne parcatis miraculis, facite quotieſcumque ad perſuadendum, aut neceſſarium, aut utile judicatis.* Si autem hoc verum fuit in Diſcipulis, quid ſentiendum de Magiſtro? Rurſus ſi de Magiſtro hoc abſolutè, & veluti à fortiori tenendum omnino; quid de illo, quâ intra miraculorum propriam ſedem abſcondito, & habente ad nutum facultatem inſtrumentariam permanentèr, quæ vagari poſcit per omnem mirabilium latè fuſum campum? Neque propterea, aut numeroſitate, aut curſu perenni vileſcunt, quia non apparent ſenſibus, & quia obſcuritate aliqua velantur etiam cogitationibus noſtris. Et ſanè, ubi ſemel, juxta fidei dogmata, intervenire quamplura miracula credendum nobis eſt, quin ideo per ejuſmodi notitiam vileſcant: quòd numerus computandus creſcat aliquantulum, vel decreſcat, nec minuit, nec auget æſtimationem; juxta utramque enim numerandi rationem ſummo in prætio habentur, & nimiùm apertis admirationum oculis cogitantur.

Num. 135. Objices tertio: ſenſationes, quæ primò elicerentur ex Euchariſtia deferendæ per concomitantiam eſſent in Cœlum, juxta commune placitum Scholaſticorum; quemadmodum, quæ prodeunt in Cœlo traducuntur comitanter ad Euchariſtiam: cum ratio ſit utrobique formaliter eadem. Modò ſic: vel præfatæ ſenſationes ſunt indiviſibiles realiter, vel realiter diviſibiles, utpotè materiales? Si primum, ſequitur Chriſtum Dominum, quâ in propria ſpecie exiſtentem non poſſe, ſaltem abſque novis miraculis, ſentire per eas operationes è Sacramento altaris in Cœlum perlatas: cum ſenſus materiales, ubi naturali extenſione gaudent, poſtulent extenſionem etiam ſuarum operationum immanentium vitalium, ut Philoſophia tuetur. Ideoque licet illæ quæ deferuntur ex Empyreo, ex ſuppoſitione miraculi exigant in Euchariſtia modum exiſtendi indiviſibilem, ſive inextenſum, ut cum Henriquez, Tannero, Gaſpare Hurtado, & veteribus tenent docti Juniores; dum tamen in Cœlo exiſtunt, poſtulant præſentiam formalem extenſam, juxta modum exiſtendi circumſcriptivum ſubjecti, cui inſunt in Cœlis. Aut ergo prædictæ ſenſationes non efficiunt, Chriſtum Dominum è Cœlo videntem objecta, quę contuetur ex altari; aut comminiſci debet ſententia noſtra nova miracula in Empyrco, non contenta planè miraculorum copiâ, quam introducit in altari. Secundum aſſeverari nequit abſque Philoſophiæ injuria: juxta quam potentia aliqua divinitus elevata ad operationes immanentes, & ſupernaturales, debet eas efficere juxta proportionem, & modum exiſtendi, tum agentis, tum maximè recipientis, quantùm poſſibile fit; ſicut enim debet recipi ad modum recipientis, ita & produci, ſortirique exiſtentiam ad modum illius, quantum componi valeat cum ejus natura, aut eſſentia; præſertim cum modus operandi ſequatur modum eſſendi, aut exiſtendi, qui in Euchariſtia eſt prorſus indiviſus. Quòd vero operationes illæ intentionales eſſe valeant indiviſibiles entitativè, tametſi materiales ſint, convincitur exemplo, ſatis communiter recepto, animæ bruti perfecti, & punctorum indiviſibilium in continuo. Ergo ubi principium ſenſitivum definitivè exiſtit, ad indiviſibile redactum, ſenſationes ab eo, ſecundum quod latet ſub eo ſtatu, debent eſſe indiviſibiles: tum ut modo exiſtendi agentis, & recipientis ſe accomodent: tum ut præcaveatur neceſſitas miraculorum in ubicatione indiviſa earum, cum ipſæ forent diviſibiles, proindeque extenſionem in or-

dine

dine ad locum poſtulantes ; dum aliunde productio earum entitativè indiviſibilium miraculoſa nullatenus ſit, utpotè naturaliter poſſibilis, juxta inſinuata ; neque miraculoſum ullo pacto erit *ubi* inextenſum earundem, cum ſit illis naturaliter reſpondens. Quæ ratio minimè locum habet in ſenſationibus in Cœlo productis à Chriſto Domino ; cum tam principium activum, quam receptivum ſint extenſa ibi in ordine ad locum, & gloriam, ac ſubindè expoſcant ob ſtatum, & rationem oppoſitam ſenſationes dividuas, & extenſionis capaces. Variatis enim circumſtantiis non modò in moralibus, & politicis rebus, verùm, & in phyſicis variantur interdum exigentiæ pro variatione terminorum, & ſtatuum, effectus, & ſimilia ; apparetque ſubito ex earundem mutatione altera rerum facies : cum ex ſuppoſitione aliqua, ſive deprimente, ſive elevante, expetant quæ abſolutè, ablatâque illâ, vel nullo pacto exigunt, vel averſantur etiam.

Num. 136. Momenti tamen non eſt objectio pręfata, etſi permittatur ejus ſuppoſitio, ſed leviſſima, ſive primum illius extremum amplecti cupias, ſive potiùs pręferas ſecundum. Namque primum deſtruit ſeipſum, quâ nobis objectum : quoniam ſi ſemel ea indiviſibilitas connaturalitèr ſit poſſibilis eis ſenſationibus, quamvis ex ſuppoſitione modi exiſtendi Sacramentalis Agentis, paſſique; nullum eo ipſo intervenire debet miraculum in eo quod per ejûſmodi operationes delatas in Cœlum Chriſtus Dominus ut circumſcriptivè ibidem pręſens percipiat eorundem objecta. Quandoquidèm licèt permittamus, ipſum in propria ſpecie quantitativè præſentem non poſſe abſque miraculo elicere ſenſationes indiviſibiles ; tametſi, quâ inextensè præſens ſub ſpeciebus illas indiviſibiles connaturalitèr ex præſuppoſito Sacramentali exiſtendi modo, producat ; ſemel attamen ac operatio ſit naturalitèr indiviſibilis, quia aliò primò exercita ; non eſt cur illa non poſſit (ex hoc capite) recipi naturalitèr, & exiſtere per præſentiam indiviſam in ſubjecto diviſibili : ut probat ipſa objectio exemplo animæ materialis bruti perfecti, quæ indiviſibilis ſupponitur, & in ſubjecto quantitativæ exiſtenti dividuoque recipitur ; ſive operatio unica iodiviſa præſentia gaudeat, intra potentiam viſivam, v. g., ſive pluribus, itaut tota ſit in ſingulis partibus ad inſtar ipſius animæ indiviſibilis reſpectu totius corporis. Si verò ſecundum extremum eligas, planum eſt, nullo novo miraculo opus eſſe, ut ſenſationes euntes in Cœlum, vi connexionis, & comitantiæ, recipiantur in ſubjecto dividuo, & extenſo. Utrum verò re ipſa prædictæ ſenſationes in Euchariſtia emiſſæ, ſint naturalitèr dividuæ, vel individuæ potiùs, noſtra non intereſt, cum nec unum, nec aliud noceat aſſertioni noſtræ : aliqua tamen circa quæſtionem hanc dabimus infra, ubi iterùm opportunior redibit ſermo.

Pręterea ſicut apud Adverſarios intercedunt neceſſariò miracula in eo, quod ſenſationes productæ in Cœlo adducantur ad modum exiſtendi inextenſum in Euchariſtia, cum illæ ex ſe poſtulent extenſionem; quid mirandum, licèt pari virtute miraculosè operanti indigerent in Cœlo ad ſui receptionem, ſenſationes, quæ pullularent in Euchariſtia, quas vis comitantiæ traheret in Empyreum : cum ex nuper dictis, dum fieret ſatis præcedenti argumento, ubi quamplura miracula omninò agnoſcenda ſunt, & quidem in ipſa etiam comitantia, quam adſtruit opinio contraria, importunè, & per ſcrupulum inanem objicitur tanquam abſurda miraculoſa quoad modum receptio operationum, quæ non ſequitur per ſe ex aſſertione noſtra, ſed immediatè ex comitantia ab Adverſariis introducta. Ultimò reſponderi cum viris doctiſſimis (ex Adverſariis ipſis) poſſet, eam operationum Euchariſticarum traductionem ab Euchariſtia in Empyreum, neque eſſe neceſſariam, nec utilem, nec Philoſophicam (de quo §. ſequenti) etiam permiſſa comitantia ad Euchariſtiam illarum, quæ fiunt in Cęlo ; dummodò reperiantur exiſtentes tempore, quo per Conſecrationem ſit præſens Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus; & longè magis, ſi nec adhùc tunc exiſtentes ſenſationes venire debeant comitantèr ad Altare : eò quod pendeant ab objectorum propinquitate, quibus abſentibus evaneſcunt illæ, ſucceduntque alia objecta, aliæque viſiones, ad inſtar enim fluctuum maris præcedentes impelluntur à ſubſequentibus, habentque fluxum, nec minùs concitatum, nec minùs perpetuum.

Num. 137. A' privatione aliarum functionum vitalium in Euchariſtia accipit robur quarta oppoſitio : non enim ex illa occulta ſede loquitur Chriſtus Dominus : neo tactus uſum aliquem habet : nec motum pro libito exercet, ne jacturam irreparabilem ex eis operationibus, quæ ex natura ſua ſenſibiles forent præſentibus, ſuſtineret fides. Et nihilominùs non ideò patitur indignum aliquod ex ea privatione Chriſti Domini majeſtas, decor, gloria, nec potentiæ, aut ſenſus ex defectu illius complementi exiſtunt imperfectè ; è quibus radicibus deſumit aſſertio noſtra argumenta ſua, omnemque ſuæ probabilitatis rationem. Ergò licèt reliquas ſenſuum potentiarumque materialium functiones neutiquam exequeretur, non propterea dehoneſtarentur ipſius dignitas, integritas, decentia, meritorum infinitudo &c. Reſpondeo, objectionem ſolvere ſeipſam, dum affert nobis, aut attingit radicem diſcriminis inter operationes vitales, quibus privatur juxta omnes, & quas actu exercere contendimus. Sicut enim compertum eſt, illa exequi non poſſe Chriſtum Dominum jugitèr abſque evidenti nocumento fidei (cujus eſt per antonomaſiam myſterium) cum nequeant exerceri, quin earum effectus percipiantur à nobis ſenſibilitèr ; proindèque

eſſe

eſſe nequit contra dignitatem, meritumve Chriſti Domini non exercere operationem, quia deſtrueret fidem myſterii, quam ejus inſtitutione præcipuè intendit: quæque utilitatem fidelium præcideret in radice. Ita manifeſtum eſt, ſenſationes nobis planè imperceptibiles, cum per ipſas nullus extrinſecus effectus producatur, aut ex illis reſultet, qui poſſit eſſe ſenſibilis nobis. Conſequentèr, perperàm ex illarum non uſu de facto, & ex eo rursùs, quod nulla ex memoratis abſurditatibus indè ſequatur, deducitur non uſus actualis aliorum ſenſuum, abſque eo, quod exindè colligantur ſimilia abſurda.

Id autem evidentiùs fiet ex doctrina ipſa contrariorum, quæ inſtantiam exhibet ineluctabilem. Siquidèm apud ipſam tametſi ſenſationes aliæ, quas Chriſtus Dominus in propria ſpecie exiſtens edit, vi connexionis trahi debeant comitantèr ad altaria; objectæ attamen operationes nequaquam deferuntur è Cœlo ad aram, ne alioqui ex Euchariſtia loqueretur (licèt cum objectis Cœleſtibus) moveaturque frequentèr, fieretque nobis ſenſibilis per locutionem, & per motum in Cœlo elicitum, & ad Euchariſtiam traductum. Non alia ratione, niſi quia per primas illas purè iotrinſecè immanentes nullum præjudicium accipit fides noſtra, ſecùs vero per has ſecundas, cum non minùs fieret planè ſenſibilis præſentia realis Chriſti Servatoris per locutionem aliundè traditam, quam per primò ibidem productam. Dummodò namque vox turturis ſonaret in auribus noſtris, ſive gemitus ſuaviſſimi ibi primò formarentur, ſive ex Empyreo ortum ducerent, & modulatum; eodem prorsùs modo vulgarent ejus realem præſentiam ſub accidentibus. Cum ex alia parte incredibile videatur, locutionem, (aut motum) ibi adeſſe, quin auribus adſtantium Euchariſtiæ obſtreperet, niſi miraculosè impediretur, ſiquidem neceſſariò exiſteret in Euchariſtia ſonus articulatus, canorumque aliquid; quamquam aër, ex quo formaretur, eſſet alterius regionis, (non enim dici poteſt loqui ex Euchariſtia, eo præcisè, quòd ſpeciem producat in Cœlicolas audientes; alioqui jam non adduceret per concomitantiam locutionem ipſam, quam exercet in Cœlo. Et rursùs jam ex Euchariſtia ageret aliquid), Sin minùs non locutio, ſed altum ſilentium, carentiaque locutionis eſſet. Sic per viſionem materialem ex Empyreo delatam ad Euchariſtiam, intuetur ex illa, apud Adverſarios, objecta ipſa, quæ ex Empyreo contuetur per eandem. Reſponderet igitùr Echo ſaltèm in Euchariſtia vocis emiſſę à Salvatore noſtro in Cœlis, & veluti repercuſſa ibi vocis imago, tracta è longinquo, referret nobis, & quidèm ex integro, eandem vocem, quam reciperet Echo fidelis:

Vociſque offenſa reſultat imago.

Num. 138. Forſan reſpondebis; neutiquam afferri comitantèr ad Sacramentum Altaris effectus illos extrinſecos locutionis, & motus localis, quia in ſe formalitèr vitales minimè ſunt: poſſunt enim fieri & fiunt ſępè ab Angelo aſſumente corpus, quod nullo pacto vivit: & rursùs quia ſunt affixi loco, & quia ſequeretur inconveniens jacturæ fidei: venire tamen actus illos intrinſecos, immanentèr, vitaleſque, à quibus effectus illi proveniunt, & à quibus dicuntur radicalitèr vitales. Atque adeò, mirandum non eſſe, quod nec harmonia vocis Chriſti Domini in Euchariſtia percipiatur à circumſtantibus: nec motus localis appareat, cum nullus adſit. Verùm inſufficientèr ita reſponderetur: quoniam licèt effectus illi extrinſeci, & tranſeuntes exerceri valeant abſque utilitate, adhùc radicali, ut ex corpore aſſumpto ab Angelo liquet; per ſe tamen loquendo ſunt vitales radicalitèr, & pręſuppoſitivè, ſuntque ejuſmodi, dum fiunt à compoſito vivente. Operationes autem immanentes, à quibus procedunt nullo pacto exiſtere poſſunt, nec perſiſtere abſque termino illo, quem per ſe reſpiciunt: ſive alligatio earum ſit eſſentialis, ſivè connaturalis duntaxat, itaut nonniſi de potentia abſoluta Dei avelli poſſint à termino. Vel igitur ſecum deferunt terminos prædictos, & ſic reſumit vires ſuas iotegras facta à nobis inſtantia, ſiletque reſponſio. Vel non deferunt, ne ſequatur fidei noſtræ ſubverſio, aut diminutio; & ſic ob eandem rationem; tametſi erumpat in Euchariſtia in alias ſenſationes principaliores; has tamen edere non debet; quia inutile foret, eas elicere, ſi effectum obtinere non debent, aut terminum; præſertim cum nonniſi miraculosè poſſit impediri reſultantia termini. Si non deferantur quia ſunt affixi loco, ſivè quaſi alligati, eo quod à propinquitate objectorum pendeant; ob eandem planè cauſam, nec viſio ocularis, nec auditio deſerri poterunt; cum ſimilem propinquitatem objectorum expetant. Proptereaque, aut Chriſtus Dominus erit privatus in Euchariſtia omni ſimpliciter complemento potentiarum, ſenſuumque, aut activè eorum actus primò producit.

Et rurſus, velle eas deferre ſine termino divinitus, contradicit principiis oppoſitæ ſententiæ; cum præcipuè ex nimia fœcunditate miraculorum noſtram impugnet. Maximè cum in replicatione hac adeſſent miracula abſque ulla prorſus utilitate noſtra, nec ipſius Chriſti Domini cum ex Euchariſtia beneficio illarum, nec loqui poſſet, nec moveri: eruntque idcirco operationes truncatæ, aut mutilæ, termino ſibi naturaliter debito privatæ, foretque muta, vel ipſa locutio. Unde etiamſi naturaliter venire poſſent abſque terminis, non deberent adduci, quoniam fruſtra venirent. Similiterque etiamſi actus illi vitales unà cum ſuis terminis ad extra adeſſe poſſent naturaliter per concomitantiam in Euchariſtia;

nequa-

nequaquam bilocari permitterentur, prohibente, adhuc per miraculum Chriſto Domino, eorum comitantiam, ne orthodoxæ fidei meritum declinaret valdè in ſuum occaſum, contra finem per Eucbariſtiam intentum: & ne Salvator noſter, qui in Euchariſtia voluit eſſe Deus abſconditus, efficeretur Deus manifeſtus. Quamobrem non dedecet Chriſtum Dominum privatum eſſe locutione, & motu libero, quia ejuſmodi operationes enervarent fidem, quam ipſe intendit, ſubindeque potiùs dedecerent locutio, & motus. Et ſanè fructus hic Corporis myſtici Chriſti Domini, & gaudium, quod ſenſibiliter ex illo percipit, compenſat phyſicum complementi illarum potentiarum defectum (præterquamquod motus in vero aliquo ſenſu convenit Chriſto Domino ſub ſpeciebus, ut dicam diſp. ſequenti). Dedeceret tamen privatio viſus, & auditus, quia fidem minimè deſtruunt, ſed acuunt potius fiduciam, & amorem; & aliunde ſunt complementa debita, quorum defectus compenſari minimè poſſet ſimili utilitate. Non dedecet poteſtatem excellentiæ ad efficienda miracula non ſe exercere de facto per uſum locutionis, & motus frequentis à Chriſto Domino ad nutum ſimpliciter eliciti; vel non ſe extendere ad eas operationes: quoniam illæ opponerentur ſcopo incarnationis, & fini Euchariſtiæ; cum poteſtas illa ſit conceſſa ad promovendos fines per incarnationem, & reliqua myſteria intentos; quamquam enim data ſit in ordine ad propriam vitam tuendam; actus tamen illi vitales locutionis, & motus &c. nec ſunt per ſe ita frequentes, nec adeo præſtantes, ut oculorum, & aurium, habentque inſuper nobiliorem compenſationem, vl cujus etiam in opinione contraria, tametſi comitari debeant formaliter ſenſationes aliæ Chriſtum Dominum ad Sacramentum, nec motus, nec locutio, ſaltem quoad effectum formalem, venire debent: quę compenſatio eruitur à ſimili ex verbis illis Joann. 4.: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.*

Si circa gùſtùm, cujus actus eſſet planè inſenſibilis nobis, etſi à Chriſto Domino eliceretur in Euchariſtia, eo quod præditus ſupponatur qualitate aliqua (uti & reliqua Beatorum corpora) miram, exquiſitiſſimamque ſaporis ſuavitatem inſtillante; crediderim omninò, eodem pacto illius actus primò elicere ex Euchariſtia poſſe, ac in Cœlo ſenſum illum exercet, quocumque id modò explicetur ab Scholaſticis cum Divo Thoma in 4. diſt. 44. Conſulendus P. Henao de Empy. Cœlo exercit. 31. cum enim in altari ipſe Chriſtus Dominus ſit panis Angelorum, omnium deliciarum guſtum continens, ut nobis exhibendum; non eſt cur panis ipſe, quâ vivus, & glorioſus fraudetur dulcedine hac, & potu (quem exhibet ea qualitas; non verò à rebus noſtris deſumptus) Cœleſti, uti ex Euchariſtia primò, & per ſe hauſto; ſi illum habere debuiſſet aliundè per concomitantiam, dummodò inſenſibili prorſus nobis operatione exerceatur.

Idem ſentiendum de tactu, non ſanè in ordine ad nos, quia redderetur ſenſibilis nobis præſentia, ſed veluti paſſivè reſpectu ipſius Chriſti Domini, in cujus Sacroſancto Corpore partes ſe mutuò contingentes ſenſationem illam efficiant (contactus enim phyſicus immediatus ab alio terreno objecto ſumptus, & inutilis foret, & parùm dignus Majeſtate Chriſti Domini in Euchariſtia apparet; ubi nec tangere vult eo modo fideles, nec, vel à Magdalena, tangi). Eiſdem tamen legibus, aut conditionibus, quòd nimirum per concomitantiam ſimiles actus tradi debeant juxta contrariam opinionem è Cœlo: & quòd exerceri valeat ea ſenſatio modo nobis inſenſibili. Si autem abſurda alicui repręſentetur ejuſmodi operatio, illam arcere debet priùs ab Empyreo; vel ſaltem ab Euchariſtia, ut comitanter tradita; ſin aliter diſſona illa dici pro Euchariſtia nullo jure poteſt; maximè cum eo exiſtendi modo Sacramentali omnes corporis partes, quaſi compenetrentur viciſſim in ſenſu aliquo (quidquid ſit de nomine). Neque quia contactus, utpotè rudior, pendeat à propinquitate immediata objecti, poni abſolutè non poteſt per concomitantiam in Sacramento (ſi aliæ operationes ponantur) aliqua ejus ſenſus operatio: cum nec à loco, nec à propinquitate alteriùs objecti pendeat, quòd Chriſtus Dominus manu ſua dextra ſiniſtram complectatur, ut & ſeipſum experiatur ſenſibiliter in Euchariſtia, & utraque unitim manu pleniùs dona ſua in homines effundat: *Manibus date lilia plenis.* Ex producta doctrina occurri debet, quorumdam Patrum locutionibus (vel privatæ alicui revelationi, quæ interdum legitur) inſinuantibus, Chriſtum Dominum ex Euchariſtia non exercere actiones corporeas. Intelliguntur ſiquidem de illis actionibus, quæ fidem noſtram, vel ejus meritum, labefactarent; vel de externis actionibus; nequaquam verò de operationibus immanentibus, & nullum Fidei Sanctæ præjudicium importantibus; quam potius acuunt, dum imaginationi noſtræ occurrunt, aut illuceſcunt.

§. II.

Num. 139. DIFFICILIÙS, aut implexiùs oppones quinto retorquendo in nos argumentum ſection. 1. formatum. Vel ſenſationes primò elicitæ à Chriſto Domino ſub ſpeciebus realiter præſente ſunt totidem numero diverſę circa idem objectum, Sacerdotem exempli gratia celebrantem, quot ſunt hoſtiæ partes, & minima continuata, vel una numero tantùm? At neutrum aſſeri poteſt abſque ingenti abſurditatum cumulo. Ergo Chriſtus Dominus ex Euchariſtia in nullas hujus generis operationes vitales per ſe primò erumpit. Minor oſtenditur, diſcutiendo ſigillatim extrema majoris, quæ medium non admittunt.

Non

Digitized by Google

Non primum: quoniam ſuperflua, ſi non ridicula multiplicatione viſionum materialium circa eundem Sacerdotem ex infinitis Hoſtiæ partibus, in quibus integer delitescit Chriſtus Dominus, eliceret infinitos viſionis actus, ad ipſum terminatos, ſine utilitate ſua, ſine fructu Sacerdotis, & ſine philoſophia; cum per unicum plenè, undique, & adæquatè ipſum intueretur oculis corporeis, omniaque ipſius conſpectui ſubjecta. Unde importunè diceretur, multiplicationem illam, non eſſe quidem utilem Sacerdoti, ſive objecto viſo; eſſe tamen neceſſariam Servatori noſtro ad completè vivendum ubique, & ex omni Hoſtiæ vel minimo angulo, cum ibi adſit totus. Quopiam argumentum præſens aſſumit neceſſitatem hanc in perniciem ſententiæ noſtræ, eo quod ex ipſa naſcatur conſimilis abſurdiſſima neceſſitas; cum abſolutè nullo negotio contueri poſſet Chriſtus Dominus objectum illud propinquum per eandem numero viſionem, ſive in una parte, aut minimo ſubjectatam, ſive replicatam comitanter in omnibus, quamquam ex una tantùm activè elicitam. Secundo: quoniam alioqui plus infinitè vigeret facultas viſiva Chriſti Domini in Sacramento Euchariſtiæ reſpectu objectorum, quæ intra ejus ſphæram exiſterent; quàm in Empyreo comparativè ad objecta glorioſa, Cœlumve ornantia; cum ibi nonniſi unico actu viſionis feratur ſimul in quodlibet objectum; quod incredibile apparet, & riſu excipietur ab hoſtibus præſentiæ realis Euchariſticæ.

Tertio: quia unaquæque illarum viſionum neceſſariò replicari debet per omnes Hoſtiæ minimas particulas, ſiquidem connexionis vis, in qua Tridentinum fundat concomitantiam, eadem prorſus invenitur in operationibus immanentibus, quantumvis facilè mobilibus, & quaſi volitantibus dum actu perſiſtunt, ac in prædicatis, aut qualitatibus ex ſe permanentibus, & quæ veluti ſixis radicibus hærent: copulantur enim intimè, immediatè, & phyſicè, potentiæ activæ, & receptivæ. Unica ergo ſufficeret omnibus; vel deberent in quavis Hoſtiæ particula perexigua, quin & in punctis indiviſibilibus, conjungi infinitę numero diſtinctæ viſiones ſimul, & ſemel ejuſdem numero objecti: quæ potiùs confunderent potentiam viſivam, infinitudinis actualis incapacem, quàm illuſtrarent notitia intenſiori objecti præſentis; cum vel nimia lucis copia obruat potentiam: fabuloſumque Argum ſuperaret in immenſum cum non ſolùm centeno lumine, tum à fronte, tum etiam à tergo, verùm infinito, apertiſſimoque, corporis excubiis *unam ſervaſſe juvencam*, diceretur. Multòque urgentiùs premit hoc, eo quod eiſdem planè motivis admittenda foret replicatio mutua omnium operationum vitalium è quavis Hoſtia (& Calice) in omnes alias per totum Orbem diſperſas: itaut in quovis minimo aut puncto hoſtiæ ſupra infinitas viſiones, tum eorundem, tum etiam diverſorum objectorum recipere deberent oculi Chriſti Domini, paritèrque auditus, ſenſus communis, phantaſia &c.; quæ omnia opprimerent facultates illas organicas, inopemque redderent videndi potentiam viſivam ipſa viſionum copia.

Num. 140. Non ſecundùm: quoniam ubi objectum viſibile eſt (ut eſſe poteſt) æquè propinquum, proportionatumque cuilibet particulæ hoſtiæ, ſi viſio illa formanda ſit divinitùs per ſpecies intentionales, vel ab objecto emiſſas, vel à Deo infuſas, ſive abſque ſpeciebus per omnipotentiam ſupplentem concurſum ſpecierum; non eſt cur potiùs producat actum viſionis ex hac, quàm ex illa parte: cum ſpecies utpotè ab objecto æquè approximato omnibus traducantur unà ad omnes partes. Non eſt igitur cur elicienda ſit viſio magis in hac, & ex hac particula, quàm ex reliquis paritèr inſtructis, & applicatis. Atque adeò, aut à cunctis ſimul producitur, aut à nulla. Si verò non per ſpecies ex objecto pullulantes, ſed à Deo infuſas activè elicitur; cum Deus tunc ſuppleat munus objecti in productione ſpecierum, ſicut objectum ęquè ſpecies illas diffunderet per omnes hoſtiæ minutiſſimas partes, ita & omnipotentia loco objecti producens, & ipſius nomine; & propterea ſe debet attemperare productioni, ſecundum quod illa fieret ab objecto, ſi poſſet connaturaliter agere in Euchariſtiam. Rurſus, ſi non per ſpecies, nec ab objectis immiſſas, nec à Deo infuſas, ſed per Dei concurſum, quo influxus ſpeciei ſuppleatur; eodem prorſus jure rogandum erit, cur ex hoc angulo, & non ex alio? Si per Divinam voluntatem, aut per humanam Chriſti Domini determinari credamus unam præ alia ad efficiendum (vel ad infundendam ſpeciem) in primis rem aſſerimus planè voluntariam, utpotè nullo teſtimonio, aut ratione fultam, ſed unicè excogitatam, quia aliter ſuſtineri nequit opinio noſtra.

Deinde cum Hoſtia frangitur in partes diverſas, vel Chriſtus Dominus in illis producit de novo aliam numero viſionem illiuſmet objecti, vel non? Si primum: ergo dum continuaretur cum aliis ea particula, Chriſtus Dominus ex illa nullo pacto percipiebat, ſive contuebatur objectum illud propinquum; alioquin viſionem ſecum retineret, quin nova opus eſſet; & nihilominus nec infæliciter, nec indecenter in illa exiſtebat realiter præſens. Ergo id ipſum continget, licet ex nulla hoſtiæ parte producat eam viſionem, nec ſenſationes alias. Si ſecundum: ergò quemadmodùm Chriſtus Dominus poteſt exiſtere perfectè ac decentèr in particula ſeparata, abſque vita corporis actuali; ita & ſimplicitèr in tota Hoſtia, quin argumenta noſtra vires ullas exercere valeant in hoc extremum, quas non infringat illud. Inſuper ex omnibus partibus æquè poſtulat operari, ſi ſupponatur concurſus omnipotentiæ divinitus paratus in actu primo: illæ igitur exigentię

mu-

mutuò ſe elident, quin Deus teneatur ad conſentiendum potiùs cum hac, prout hic, quàm cum illa, prout illic (quæ ubivis eſt eadem) immo ut Author naturæ non poſſet magis concurrere in una, quàm in altera parte. Neque adeſſe poteſt ratio, ob quam Divina voluntas velit Chriſtum Dominum eſſe privatum vita actuali in hac parte, potiùs quàm illa, aut è converſo; immo vel rationabiliter decernere minimè poteſt. Chriſtum Dominum in his particulis exiſtere vita Corporis actuali deſtitutum; vel poteſt decernere privationem illius vitę in cunctis ſimul particulis, ſubinde in tota Hoſtia. Quemadmodum, ſi in una Hoſtia exiſtere dignè poſſet ex integro ea vita privatus; poſſet ſine dubio adeſſe decentèr in omnibus eadem deſtitutus.

Si autem opinemur, operationem in una parte exercitam, adeſſe per concomitantiam in cunctis particulis, ſive continuatis, ſive etiam diviſis; cur pariter per ſenſationes in Cœlo primò productas non poterit ſimpliciter in Eucharistia vivere æquè, ac per elicitas ex uno Eucbariſtiæ angulo, cum illud ſit magis connaturale, hoc autem planè miraculoſum? Ulterius, ſi ſemel ejuſmodi comitantiam adſtruamus, eodem titulo admittenda erit, non ſolùm è Cœlo in Euchariſtiam, & ex hac in illud: verùm & ab uno altari, & templo, in quo ſit præſens Chriſtus Dominus Sacramentaliter, ad latè fuſa mundi ſpatia, ubi pariter exiſtat ſub ſpeciebus; quod abhorrere à prudenti credulitate, liquet ex nuper dictis. Si dixerimus, eas operationes exigere quidem potentiam, & animam determinatè, & primariò; præſentiam verò in ordine ad ſpecies, aut locum, indeterminatam ſolùm, ut ex Patre Amic, & Couink. reſpondent nonnulli; doctrinam aſſerimus Philoſophiæ parùm conſonam, & ſecum ipſa pugnantem, inutilemque ad difficultatem enodandam: quia licèt non expoſcat ſibi determinatè hanc vel illam ubicationem, aut præſentiam formalem, cum qualibet contenta ſit; dum tamen expetit determinatè hanc animam, & potentiam, exigit neceſſariò eandem ubicationem, aut conſimilem determinatè præſentiam localem ei, quam habeat anima, ſive potentia: & ex conſequenti (juxta communem ſententiam) plures, ſi pluribus actu gaudeat præfata anima, cum eo ipſo appetat eſſe, ubicumque fuerit ſubjectum illius receptivum. Si verò unicam tantùm poſtulet adhuc ex ſuppoſitione replicationis animæ, & potentiæ, & ex unica tantùm particula activè produci; reſurgit confeſtim inculcata interrogatio: cur ſcilicet ex hac, & in hac, & non in reliquis, nec ex illis, cum juxta intentatam reſponſionem, nullam determinatè exigat?

Involvit item hallucinationis ſpeciem prædicta reſponſio: quoniam operatio priùſquam intelligatur producta, & exiſtens, nondum concipi valet exigens ubicationem, ſolùmque concipimus illam, ut poſtulaturam ſibi ubicationem in loco eo, ubi adſit præſens principium à quo exeat, & ſubjectum, in quo recipiatur. Dum verò ſupponatur hic & nunc prodiens activè ex hac particula, potiùs quàm ex illa, tunc procul dubio expetit ſibi ubicationem determinatè in hac parte ſaltem. Cæterum reſtat ſemper intacta difficultas, cur in hac parte eliciatur, & non ex aliis pariter inſtructis, & approximatis? Demum tametſi indeterminatè, aut disjunctivè præſentiam formalem expoſcat, vel unica contenta erit, quamvis ſubjectum plures divinitus obtineat; & ſic in reliquis particulis Chriſtus Dominus vita actuali Corporis minimè fruitur, attoluntque caput in ſententiam noſtram diſcurſus facti, vel comitanter adeſt in reliquis etiam; & ſic etiam reſumunt arma nuperæ calculationes; à quibus ægrè ſe expedire poteſt aſſertio noſtra, & vix adhue fuga.

Num. 141. Occurrendum expeditè nobis erit huic objectioni, & omnibus in ea ſparſim contentis per triplicem propoſitionem, quarum unaquæque ſeorſim ſtabilienda eſt, & profundè radicanda. (Animadvertimus tamen, immeritò objectionem præſentem dici retorſionem, cum ea ſect. 1. ſolam neceſſitatem miraculi quoad modum ſaltem objiciamus Adverſariis, & quidem ex eorumdem communi ſenſu; quam nos minime recuſamus, ſed libenter admittimus in re noſtra). Prima: Chriſtus Dominus ſecundùm quod eſt realiter præſens huic hoſtiæ conſecratæ, nonniſi unicam numero Corpoream viſionem (exempli cauſa) elicit, hic & nunc reſpectu objecti propinqui, aut intra ſphæram potentiæ viſivæ exiſtentis, dummodo ad eandem diſtantiam, & proportionem ſit comparativè ad omnes partes minimas Hoſtiæ; illam tamen unicam viſionem primò, & per ſe producit (recipitque) ex omni particula, aut minimo Hoſtiæ, vel etiam ex quovis puncto, cui adſit. Secunda: nulla ex eis operationibus volubilibus, quæ ſuperveniant, ſivè quæ ab ipſo eliciantur in Cœlo, vel ex alia hoſtia pariter conſecrata, facta jam hujus numero hoſtiæ conſecratione, venire poteſt per concomitantiam ad illam; uti nec quæ exercentur primò ex hac deferuntur in Empyreum, nec ad altaria reliqua, quibus adſit realiter, adeoque nec hæc eadem numero replicatur per comitantiam. Quoniam putamus comitantiam operationum volubilium minimè ex natura rerum neceſſariò conſequi replicationem ſubjecti, futuramque non modò inutilem, ſed noxiam inſuper. Tertia, non tantùm prædictas ſenſationes, operationeſque volatiles, ſupervenientes replicationi jam factæ, neutiquam replicari unà cum ſubjecto, affirmat; verùm nec illas adhuc, quæ actu inerant Chriſto Domino ſive in Empyreo, ſive alibi ſub ſpeciebus, dum per hujus ho-

ſtiæ conſecrationem bilocatur, bilocari cum ipſo de facto.

Priuſquam vero iſtæc propoſitiones ſolidè ſtatuantur, retorqucnda eſt objectio in arguentes; ſive per inſtantiam manifeſtam objicienda ipſis, quamquam alibi jam rem hanc attigerim. Porro eiſdem planè, aut conſimilibus calculationibus expugnari poſſet (ut ſupra vidimus) facultas proxima intelligendi, & amandi per actus omnino ſpirituales, & à Corpore independentes, quos de facto elicit in Euchariſtia per ſcientiam infuſam v. g. & beatam, juxta Adverſarios unanimiter, & reliquos Theologos; ne alioqui ipſemet Chriſtus Dominus in Euchariſtia foret quaſi inanimis. Vel enim illos emittit primò, & per ſe in omni, & ex omni particula hoſtiæ; vel ex una tantùm circa idem numero objectum, ſive præſens ſive abſens? Et ecce tibi contrariam opinionem expoſitam pariter eiſdem fulminibus, appetitamque eiſdem armis, & dilemmatibus, quibus ipſa noſtram aggreditur. Et cum ex alia parte, juxta principia ejuſdem ſententiæ oppoſitæ, neceſſariò replicandæ ſint operationes vitales omnes primò exercitæ à Chriſto Domino in quovis loco, deferendæque ad reliquas omnes vi connexionis, ſive unionis earundem cum principio operante immanenter, adeoque recipiente quoque; naſcitur inde confuſio, aut battologia innumerabilium, quiu infinitarum operationum ſpiritualium circa idem numero objectum, in quovis minimo Hoſtiæ ſacræ angulo per totum orbem, & locum, ubi adſit venerabile Sacramentum altaris; quam in noſtram aſſertionem incautè vibraſti. Cum non ſolùm quæ producuntur ab anima Chriſti Domini ex qualibet particula hujus Hoſtiæ conſecratæ deferantur ad alias ejuſdem Hoſtiæ particulas, mutuòque ab illis excipiat alias, ſed & ad Empyreum, & ad ſacraria totius orbis, ſingulaſque illorum particulas minutiſſimas perferantur illicò, & ex eiſdem viciſſim accipiat comitanter omni momento illarum exercitus volitantes, vel inſtar nivium deſcendentes. Modus igitur evadendi, vel aliter diſſipandi haſce nebulas ab Adverſariis excogitatas, erit nobis via planiſſima ad eaſdem repellendas, vel immunis ſaltem ab inſultibus oppoſitæ, & communis opinionis. Aliam nihilominus arripimus tutiſſimam expeditamque admodum, cum nec arcta ſit, neque aſperitate aliqua Philoſophica horreſcat; tametſi ad veritatem, & vitam ducat.

Num. 142. Prima itaque propoſitio ſuadetur, tum negativè, tum poſitivè etiam. Negativè ex dictis: quia ſi ex unica tantùm particula produceret actum vitalem (quicumque ille ſit) determinante Deo, vel ipſa voluntate humana Chriſti Domini (ut cum P. Leſſio de Euch. quæſt. 76. dubio 2. ſentiunt docti juniores) particulam, ex qua emittat eam operationem; colligitur à fortiori, in reliquis Hoſtiæ partibus exiſtere Chriſtum Dominum privatum omni vita actuali, privatumque complemento omni ſuarum potentiarum, tam materialium, quam ſpiritualium; quod & dignitati, & merito, decoroque ipſius contradicit, ſi noſtræ opinionis fundamenta ſubſiſtant. Maximè cum ita exiſtat velatus ſub quavis particula tenuiſſima, ac ſi nullibi Sacramentaliter adeſſet, niſi ſub ea. Semel autem ac non dedeceat Salvatorem Mundi ita adeſſe præſentem realiter, cadunt neceſſariò illa omnia, quibus aſſertum noſtrum fulcitur; cum nullum ex ponderatis incommodis aſſerat privatio actualis omnis vitæ ſimpliciter in plurimis Hoſtiæ particulis, adeoque, nec in omnibus ſimul. Vel ſaltem debilitantur magnopere præjacta fundamenta, vehementerque quaſſata, cum jam nixa forent duntaxat, vimque ſuam totam collocarent in eo, quod non eſſet digno modo in tota Hoſtia, ſi ſub aliquo ipſius minimo non viveret actu de facto; id quod, ſemel ac in reſiduo, innumerabilique particularum numero, indignum nequaquam ſit; ſegniter admodum, & frigidè perſuadere valet pro aliqua ex partibus continuatis. Si autem ad comitantiam illius operationis vitalis in reliquis minimis, ad unum omnibus, confugias tanquam ad commune aſylum; incidis eo ipſo in turbam illam numeroſſimam replicationum actuum vitalium in quavis Hoſtia ſucceſſivè naſcentium indeſinente motu ad reliquas alias per ſpatia orbis exiſtentes, uti & ad Empyreum virtute comitantiæ avolantium. Quæ replicatio tametſi eam infinitudinem minimè præſeferat, quam importaret replicatio ſimilium operationum, ſi ex quovis ſpecierum loco, vel minutiſſimo, emitterentur; aſſert tamen copioſiſſimam, & aſſiduam (præſertim ſi particulæ diſcontinuatæ debeant ſuas operationes ſigillatim producere) & pluſquam ſufficieotem ad hoc, ut confunderentur objecta in potentia viſiva, ipſaque obrueretur, niſi per multa, & ingentia miracula ſuppleatur ejus virtus; quod faciliùs contingere poteſt in ordine ad illas activè emittendas, quàm ad percipiendam intentionaliter, formaliterque eam objectorum plebem unitam.

Qui recurrat ad operationes numero diſtinctas ex quavis particula, cum aliorum Scholaſticorum ſententia, ut vitet comitantiam, labetur in profluvium inculcatiſſimum infinitarum operationum ejuſdem potentiæ intra brevem Hoſtiæ ſacratæ circulum, aut ſphæram, non ſine infinita pariter otioſitatis ſpecie, & cum nulla prorſus utilitate. Quamquam enim multiplicatio inveſtigationis, ſit propria amantis ut ſupra notavimus; cæterum ea vis amoris Chriſti Domini in fideles adſtantes efficere valet, ut non ſemel tantùm, verùm ſæpiſſimè, quin & ſemper conſpiciat gregem ſuum ex altari, neutiquam verò, ut ſimultanea infinitarum viſionum accretione ex eo orbiculo, nullam intenſiorem, clarioremque objecti

no-

notitiam afferentium, nec ad illius amorem acriùs incitantium, ſed purè materialem, ac proinde inutilem multiplicationem, ſe exerceat. Et quidem ultra vires planè miraculoſas, omnino requiſitas ad infinitos actus vitales ſimul emittendos ab eadem potentia, ex ſe limitata, quantumvis ſumma perfectione, & ingenti virtute prædita. Si tandem, ut hunc ſcopulum declines, & ſimul offenſum illum ſupra indigitatum, quòd nimirum exiſtat Chriſtus Dominus in quibuſdam, vel infinitis Hoſtiæ particulis veluti inanimis, dixeris, ex omni quidem particula operari activè immanenter; ita tamen ut ex una operationem hujus potentiæ, aut ſenſus, ex alia actum alterius, & ſic de reliquis, vel ex eadem ſæpe verſetur circa aliud objectum: ut ſic in omnibus particulis vivat; quin multiplicentur uſque in ſummum actus numero diſtincti circa idem objectum. Viam excogitas ſyrtibus plenam: quoniam ſunt quamplures actus, qui ex conceptu ſuo poſtulant, aut præſupponunt alios in eodem loco, eidem ſubjecto inhærentes; ne alioqui in una parte Hoſtiæ intelligat, & in alia amet, quin ibidem agnoſcat; niſi per comitantiam deferas intellectionem ad illam particulam, & ſic reliquæ omnes operationes mutuò deſerentur, pullulabuntque incommoda in ſuperioribus expenſa. Neque imaginatio ſuborta ex objecto viſo reſultare poteſt in hac Hoſtiæ parte, per hoc quod in alia objectum videatur, quin pariter ex viſione objecti vel ex Empyreo elicita, vel ex alia Hoſtia, altari, & templo remotiſſimo, reſultet imaginatio in hac Hoſtia, quod plerunque diſplicet Doctoribus nobiſcum pugnantibus, ſi viſio non comitetur. Si autem per concomitantiam confluere non debeant in eandem particulam perexiguam; cum operationum numerus (uti potentiarum, & ſenſuum) in actu ſecundo prout ſimul, & ſemel exiſtentium, ſit valde limitatus; minimorum verò, quibus Chriſtus Dominus ſit realiter præſens, infinitus, reſtat ſemper latè patens objectis abſurditatibus locus, altera dilemmatis acie ſtrenuè appetendus.

Num. 143. Ut autem poſitivè fundetur allata propoſitio, notandum eſt, nobis probabilius videri, miraculum exercendi activè ſenſus ex Euchariſtia fieri de facto, non per ſpecies ab objectis tranſmiſſas, & divina virtute à ſenſibus exceptas, ſive à Deo ſolùm activè elicitas, & infuſas; ſed per Dei concurſum ſupplentem influxum ſpeciei, quamquam de poſſibili utroque modo fieri poſſe divinitùs indubitatum inter Scholaſticos ſit. Ratio ſic philoſophandi eſt, quia licet ſpecies trajici poſſent facilè de potentia abſoluta Dei, maximè cum ipſe Chriſtus Dominus, ſubindeque illius ſenſus externi, ſint æquè in ſuperficie accidentium, ac intùs; attamen recipi nequeunt modo inextenſo, & indiviſo, neque ſub illa inextenſione activè concurrere (extenſæ namque, & quantitativo modo eſſe nequeunt in ſubjecto prorſùs inextenſo) ſine novo miraculo trajectioni earum ſuperaddito (ſi ab objecto tranſmittantur) & ultra aliud neceſſarium Potentiæ (ut hic ſupponitur) ad influendum concurſu activo abſque modo connaturali extenſionis. Huic autem, aut his adjunctis miraculis parcitur, ſi omnipotentia concurrat ſupplendo etiam munus ſpeciei: præſertim cum eſſet etiam neceſſarius ſupernaturalis, ſpecialiſque divinæ potentiæ influxus, tametſi una cum ſpecie divinitus infuſa, aut trajecta, influeret. Undè licet mirabilior ſit concurſus ille, quo ultra ſpecialem rationem ſupernaturalitatis adderet influxum munus ſpeciei exercentem, erit attamen major exteuſio tantùm ejuſdem miraculi, neutiquam tamen diverſum aliud, vel duobus titulis miraculoſus; unicum tamen miraculum.

Præterea, cum ſpecies objectorum in diverſis hoſtiæ particulis receptæ, ſint numero diſtinctæ, difficiliùs concipi poteſt unitas numerica illius functionis, aut actus vitalis activè producti ex omnibus hoſtiæ particulis, quoniam crederetur alligata eſſentialiter, vel connaturaliter ſaltem illi numero ſpeciei, è qua fluit in hoc minimo adequatè, alteraque ſpeciei numero diſtinctæ, qua ex alio minimo prodit totaliter. Et quamvis non recipiatur in ſpecie ipſa, ſed in potentia, aut organo; per ſe tamen hic numero effectus ab hoc numero principio pendet connaturaliter, ac proindè ab hoc numero ſpecie in hac particula, etiam dum abſolutus eſt, in recepta ſatis philoſophia: & conſequenter à fortiori modalis ab illa numero ſpecie, tametſi in ea neutiquam recipiatur. Idemque ſentiendum, etiamſi ſpecies effectivè non concurreret, cum ſemper requiratur per ſe ex parte principii, apud illos etiam, qui activum influxum ſpeciebus denegarunt.

Quo poſito ſuadetur propoſitio aſſerens, eandem numero operationem vitalem, ſive corpoream, ſive purè ſpiritualem, produci effectivè primò per ſe ab omni, & ex omni particula, minimo, aut puncto, in quo Chriſtus Dominus ſit adæquatè Sacramentaliter præſens: pariterque recipi in ſingulis à quibus elicitur (ut ſic nullus ſit locus comitantiæ.) Ratio mihi eſt efficaciſſima, & ex vera philoſophia eruta: quoniam ubi adſunt idem numero principium, tam proximum, quam remotum, effectivum, & receptivum operationis immanentis, viſionis materialis, verbi causâ; idem omnino concurſus Dei paratus: idem prorſus objectum: eadem diſtantia, aut propinquitas: idem temporis inſtans: idem numero non locus (ſi juxta S. Thomæ ſententiam Chriſtus Dominus non ſit ibi tanquam in loco ratione ſui) eademque proportio, & diſtantiæ menſura in ordine ad objectum ex omnibus, aut quamplurimis ſaltem, Hoſtiæ partibus: eadem determinatio divinæ voluntatis ad eandem

dem numericam operationem, ſive ad ejus individuationem: & tandem eędem planè circumſtantiæ undique; ubi, inquam, hæc reperiuntur eadem numero, à fortiori invenitur eadem numero operatio; & quidem ſive metaphyſicam conſulas, & conſtitutiva intrinſeca individuationis; ſive principia extrinſeca ecceitatis rerum à libris phyſicorum requiras; ſivè cauſam primam credas unicè determinantem negativè ad hoc numero individuum præ alio ejuſdem ſpeciei, quatenùs parat concurſum ad illud, non verò ad alia in eis circumſtantiis. Eo quod noſtrum minimè ſit, ſed Dei proprium, diſcernere inter individua, circa quæ, eorumque notas caracteriſticas, cœco omnino modo procedunt cauſæ ſecundæ. Præſertim, cum vulgus ecceitatum poſſibilium ſit infinitum intra eandem ſpeciem, adeoque incapax cauſa limitata habendi ex ſe judicium diſcretionis inter illas; ſolùmque poſſit cauſa rationalis creata appetere elicitè aliquam ex nobilioribus, ſi inter plebem illam confuſam, & interminabilem detur major, aut minor perfectio individualis intra eandem ſpeciem; inter perfectiores autem nunquam deveniri poteſt ad perfectiſſimam, juxta valdè tritam Philoſophiam, ne fiat injuria omnipotentiæ; immò & ſi nobilior foret deſignabilis, ac ſubindè appetibilis, eſſent attamen poſſibiles infinitæ ecceitates paris nobilitatis, inter quas diſcernere negatum eſt cauſis ſecundis, adhùc ſublimioribus, & alata ratione præditis.

Num. 144. Namque vel individuationem exponendam credis per ordinem ad ſubjectum materiale, & eaſdem quantitatis illius dimenſiones cum pluribus Thomiſtis; & hoc ſubjectum eſt idem numero in omnibus particulis Hoſtiæ Sacræ, nempè eadem numero potentia ſenſitiva, idem numero organum ſenſorium, idem numero Chriſtus Dominus, & eadem numero partium extra partes illius extenſio in ordine ad ſe, nulla tamen extenſio illius ratione ſui in ordine ad locum; accidentium verò extenſio eſt impertinens ad hunc effectum, cum operatio elicienda non ſit per ſpeciem ab objecto per diverſas illas ſemitas transmiſſam, ſed à Deo tantùm infuſam, aut per concurſum duntaxat omnipotentiæ, vices activas ſpeciei gerentem; & cum idcircò ſit compertiſſimum, eandem numero functionem, quæ elicitur ex hac hoſtiæ particula, elici potuiſſe ex alia. Vel cum pluribus aliis ejuſdem Scholæ Thomiſticæ opinaris, deſumendam eſſe individuationem per ordinem ad circumſtantias temporis, objecti, loci, principii activi, paſſivique, proportionis, finis, diſtantiæ, quantitatis dimenſivæ, aut ſimilium, quæ à Philoſophis paſſim exponuntur, & carminibus interdum notantur; & omnia etiam hæc reperiuntur in cauſa, ſive potentia elicitiva illius operationis vitalis, & in principio *quod*, Chriſto Domino ſcilicet, ſive relatè ad illum ſub omnibus ſimul minimis panis, & vini, & ſigillatim in quovis; & quidem non tantùm reſpectu termini, aut qualitatis productæ per actionem diſtinctam (ſi ejuſmodi naturæ credatur operatio illa), verùm & pariter reſpectu ejuſdem numero actionis. Ergo eadem numero eſt operatio vitalis adæquatè ſumpta, quæ producitur, (& recipitur) in cunctis illis partibus, & ex cunctis.

Pari omnino diſcurſu convincit S. Thomas opuſc. 32. cap. 7. reſurrecturum eundem numero hominem, qui modo exiſtit, dicens: *Ex quo patet, quòd idem homo numero reſurget, & non alius, cum omnia ſua principia redeant ad invicem eadem numero. Anima enim humana ſimpliciter eadem numero manet poſt mortem ..... etiam materia manet eadem numero, cum ipſa ſit incorruptibilis. Eaſdem etiam dimenſiones neceſſe eſt manere in materia, licet nonniſi in potentia; aliter Agens phyſicum eaſdem numere produceret, quod falſum eſt. Manent ergo in potentia materiæ eædem numero reſpectu Agentis divini, quia aliter non foret idem numero individuum, cum dimenſiones agent in individuationem, ut ſupra dictum eſt: & ideo ex eadem materia, & ex eiſdem dimenſionibus cum anima eadem reſurget idem homo numero, & non alius.* Ubi quamvis præcipuè loquatur de principiis intrinſecis, ſimul tamen extrinſeca delibat partim; dum principia activè influentia attingit: per extrinſeca enim illa, identitatemque numericam, vel dimenſionem, & confluentiam circumſtantiarum, tametſi non conſtituatur individuatio, oſtenditur tamen diſtinctio, aut identitas numerica operationum. Conſtat autem ex dictis, omnia hęc identitatem numericam operationis vitalis ex ſingulis Hoſtiæ minimis deſignantia concurrere hic. Et conſtat rurſus, modum operandi ex utraque parte Hoſtiæ futurum eundem. Ergo eſt eadem numero operatio, quæ producitur ex omnibus, quæque in eis ſubjectatur. Diverſitatem autem numericam accidentium uniuſcujuſque particulæ ab accidentibus aliarum officere minimè poſſe identitati numericæ ejuſdem operationis ex omnibus, liquet ſatis ex dictis; ſiquidem non eſt cur ſpecies ipſæ concurrere debeant ad actus intrinſecè vitales, immanenteſque intra ſolam potentiam vitalem, cum nec illa operatio ſit effectus Sacramenti, ut Sacramentum eſt, quia provenit à Chriſto Domino, quà vivente in actu primo (quamvis Sacramentaliter exiſtente) cui jure unionis hypoſtaticæ debetur cuncurſus miraculoſus ad functiones illas exercendas. Ad alias verò actiones tranſeuntes, effectuſque miraculosè interdum productos, concurrere dicuntur paſſim ſpecies, eo quòd conſtituant formaliter Sacramentum ſimilium prodigiorum feraciſſimum; illiſque propterea ſcintilla quædam virtutis communicatur, cum non jam

pro-

proximus tantùm, ſed intimè præſens ardeat ignis.

Num. 145. Munitur præfatus diſcurſus ex frequenter admiſſa ab Scholaſticis, ſivè Philoſophis, ſive Theologis determinatione Dei quoad individuationem, libata nuper. Porro licet Deus pro nutu determinet abſolutè ad hanc præ illa ecceitatem; ex ſuppoſitione tamen, quòd hanc eligat ut exercendam ex una Hoſtiæ particula, neceſſariò decernit, eandem eliciendam ex reliquis minuſculis æquè objecto proportionatis. Id conſtat 1. ex eo quod juxta Apoſtolum, *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*; non eſſet autem ordinatio, ſed confuſio potiùs, & inordinatiſſima functionum numero diſtinctarum multiplicatio uſque ad infinitudinem, ſi ex unaquaque parvitate exigua ſpecierum ſacramentalium emitteretur operatio numericè diſtincta, ut nervosè admodum probat objectio. Secundo: quoniam ubi eſt idem numero principium adæquatum, tam agens, quam recipiens, objectum, tempus, modus operandi, & reliquæ circumſtantiæ, conſentaneum magis apparet naturis rerum ut cauſa prima exigentiæ, & congruentiæ majori cauſarum ſecundarum, & earundem effectuum attemperans ſuum concurſum, ad eandem numero operationem utrobique, ſive ex omni parte, producendam determinet, ut ex doctrina Eximii Doctoris, aliorumque Theologorum in ſimili conſtabit infra; maximè cum verum ſit illud effatum Philoſophorum: *Idem manens idem, ſemper eſt natum facere idem*. Et cum unio (quæcumque illa ſit) Chriſti Domini cum accidentibus numero diſtinctis in hoc minimo ab accidentibus alterius minimi; nihil conferat ad diſtinctionem numericam operationis; eo quòd illa in plurium ſententia ſit unio, aut alligatio activa, quæ impertinenter ſe habet ad operationes alias immanentes, vitaleſque.

Tertio: quia aliter neceſſe foret, omnipotentiam augere vires activas potentiæ viſivæ Chriſti Domini (quin & paſſivas) cum ſimul infinitas viſiones numero diſtinctas producere debuiſſet; quod eſſet augumentum virium hactenus inauditum, minimeque neceſſarium, quin & penitus otioſum erga idem numero objectum, inducere. Quarto: quoniam ſuperfluè omninò mutiplicarentur circa idem planè objectum, ad eandemque diſtantiam, viſiones diſtinctæ nullam luminis interioris claritatem novam ſecum adducentes, ut abundè convincitur ex ſupra dictis. Quinto: ex ipſa Adverſariorum doctrina circa neceſſitatem omnimodam deferendi per concomitantiam ad Euchariſtiam omnes illas operationes, quas vel ex Empyreo, vel ex aliis locis, ubi ſacramentaliter adſit (ſi ſemel ibi aliquas miraculosè efficiat) producit: ſiquidem ratiocinia Philoſophica, quæ eam neceſſitatem ſuadent, ſive ex ſympathia, ſive ex unitate Perſonæ operantis, & recipientis; ſive ex connexione, aut unione illarum operationum cum ſubjecto ſecundum ſe, & abſtrahendo a loco: ſive ex majori congruentia, vel conſentaneitate; ea, in quam, ratiocinia probant eadem vi activam productionem, & receptionem ejuſdem numero actus ex omnibus Hoſtiæ partibus, de quo mox uberius. Neque inde inferri poteſt, eaſdem numericè futuras operationes vitales Euchariſticas ubivis: quandoquidem licet principium activum, & paſſivum ſit ubique idem, etiam dum per infinita propemodum Altaria Sacramentalitèr exiſtant; attamen objecta, quæ ipſum circumſtant, ſunt planè diverſa pro diverſitate locorum; niſi objectum in Templo hoc exiſtens, bilocaretur, aut replicaretur eodem tempore divinitùs circumſcriptivè in aliis ſimul locis ad eaodem diſtantiam, & proportionem reſpectu Hoſtię, ſimul cum reliquis circumſtantiis, quæ per ſe requiruntur in hoc loco vel concurrunt ad individuationem. Quin & adhùc in eo eventu locus eſſet aliquis diſcrimini ſemper; ſiquidèm ex eo quod congruentiùs ſit, Divinam voluntatem determinare ad eandem numero viſionem pro omnibus particulis hujus hoſtiæ continuativè unitis intra ipſum, deduci minimè valet par omninò congruentia ad aſſerendum id ipſum pro reliquis hoſtiis diſcontinuatis, & per totum Orbem diſperſis, pro objectiſque divina virtute per accidens replicatis.

Probabilius tamen mihi eſt, & conſequens magis ad aſſertum noſtrum, futuram etiam tunc eandem numero viſionem, cum illa non ſit ex ſe pendens ab hoc vel illo loco accidentium. Unde conſentaneum videtur identitati agentis, paſſi, objecti, & temporis, reliquarum circumſtantiarum unitati, aut ſympathiæ, viriumque tam ad activè operandum, quam ad recipiendum, limitationi, ne diſtinctas numero ſimul operationes eliciat, & patiatur. Quemadmodum ſi eidem numero igni Romæ exiſtenti, & ſimul Neapoli bilocato approximaretur eadem pariter bilocata ſtupa, eodem tempore, eiſdemque circumſtantiis replicatis, foret utrobique eadem numero conflagratio; niſi fortè à circumſtantia loci (cum utrobique eſſet extenſus ignis) aut aliis, quæ non bilocarentur, reſultaret numero diſtincta; ut v. g. ſi modus operandi ex uno loco ſit naturalis, & ex alio miraculoſus. Non eſt tamen cur aſſertio noſtra vagari debeat per ſimiles hypotheſes, cum adhuc ex earum permiſſione illibata remaneat, eo quòd congruentia, & proportio rerum, tam in phyſicis, quam in moralibus, ad inſtar auræ, vel leviſſima variatione mutentur.

Num. 146. Deſiderabis attamen, & jure merito, videre non voluntariè productum, ſed firma aliqua ratione, aut congruentia ſtabilitum ſuppoſitum hujus propoſitionis, ſine quo reliqua aërca ſunt: nempe rationabilius, aut congruentius eſſe naturæ, inſtitu-

ſtitutioni, & decoro hujus maximi myſterii, quin & philoſophiæ, ut Chriſtus Dominus concurrat activè ex omnibus ejuſdem continuatæ Hoſtiæ partibus ad operationem vitalem; tametſi ex ſuppoſitione, quod effectivè ex omnibus concurrere debeat, connaturalius ſit, ex dictis, quòd eliciatur eadem numero functio immanens adequatè. Sunt enim duo hæc prorſus diverſa, cum eſſe poſſet eadem numero replicata in omnibus partibus perexiguis etiamſi in una tantùm, & ex una efficeretur. Huic reflexioni, & juſto deſiderio ſatisfaciam breviter (quia re ipſa ſatisfactum jam eſt) efficaciter probando influxum activum, & adæquatum ex omni particula, aut parvo naturali Hoſtiæ. Id quod non aliter meliùs, aut adverſariis gratiùs, oſtendere poſſumus quàm ex argumentis ipſis, quibus concomitantiam omnium actuum vitalium ex loco, in quo primò producuntur ad alia, in quibus exiſtat replicatum idem principium idemque paſſum, promovent ipſi. Etenim vel eam neceſſitatem comitantiæ, vel potiùs conſentaneitatem eruere vis cum D. Eximio 3. p. qu. 48. diſp. 53. ſect. 3. Cui ſubſcribunt Vaſquez diſp. 191. cap. 3.. Præpoſitus, Wigers, Tannerus, Mæratius, Granados, Henao, & partim Cardin. de Lugo, Amicus, & Moderni ſæpiſſimè ex ſympathia ſemper mirabili, beneficio cujus nequit operatio aliqua exerceri à vivente ubi adeſt circumſcriptivè, quin confeſtim reſultet eadem in loco, ubi adeſt replicatum, ſive circumſcriptivè etiam, ſive ſacramentaliter, eo quòd eliciatur ab eadem potentia, radicetur in eadem anima utrobique exiſtente, cum qua operatio elicita habet ſympathiam violentiorem magnetica. Et juxta hanc ſententiam, quemadmodum aſſerta ſympathia habet præfatam vim trahendi ita, ut neceſſariò debeat adeſſe utrobique operatio, quia utrobique adeſt ipſum vivens; ſic à fortiori pollet eadem virtute ad efficiendum, ut operetur activè utrobique idem principium (dum tamen modus operandi non ſit diverſus, ut contingit in naturali, quo operatur Chriſtus Dominus ex Empyreo, & miraculoſo ex Euchariſtia.) Immò præcipua vis ſympathica minimè dignoſcitur ex paſſione eadem, aut conſimili; ſed ex operatione effectiva potiùs: itaut ſtupendâ quadam harmoniâ operetur conſimiliter in una parte, dum alia operatur: ad modum quo excitatur appetitus ex operatione phantaſiæ ad actum phantaſmati reſpondentem, & proportionatum.

Quare per ſe loquendo, concors hæc, & naturalis rerum affectio, propriè uſurpata, exigit ſupponitque diſtinctionem potentiarum, inter quas verſatur, ut conformitèr operetur, vel agat hæc, dum illa agit, & dependentiam unius ab alia, quæ ægrè reperiri poteſt abſque potentiarum diſtinctione; niſi ad ſummum latè, quatenùs pendere fingamus illam, quà Sacramentalitèr hìc latitantem à ſeipſa quà Sacramentalitèr alibi exiſtente: quamvis poſſit excogitari inter unam potentiam, phantaſiam, exempli gratia, in hoc minimo ſua phantaſmata efformantem, & intellectum in alio minimo præſentem, vis illa ſympathiæ, itaut excitetur hìc ad intellectionem emittendam per phantaſma in alia particula elicitum, ut opinantur laudati Scholaſtici cum Doctore Eximio (quamquam inſtituant comparationem inter potentias in Empyreo, & in Sacramento) ſæpiùſque invenitur inter potentias, & operationes ejuſdem rationis: uti de lyra, muſica manu ad numeros apprimè diſpoſita, quæ pulſatur juxta Chelim tentis etiam fidibus aptiſſimè inſtructam, credunt nonnulli, aut imaginantur. Dum verò inter ejuſdem potentiæ bilocatæ operationes verſatur, non tam harmonia ſympathica, quàm identica dicenda eſt, etiamſi actum ab ea elicitum in uno loco compares ad eandem, ut alibi ſimul præſentem. In qua comparatione inferri debet conſequentèr identitas numerica operationis in utroque loco (ſi in utroque loco ſit idem operandi modus) & quidèm non tantùm quà paſſivè utrobique ineſſe debet potentiæ, verùm & quà effectivè prodit ab ipſa: cum ratio ſit formaliter eadem ad agendum, ac ad recipiendum: & cum ſtrictior hæc conjunctio identitatis potentiæ, & poſtulet concurſum activum utrinque, quà recurrit modo aliquo cum ſympathia, juxtà eam ſententiam, & ſtrictiorem unitatem operationis præ illa, quæ reſpicit diſtinctas potentias (quantumvis concordes) atque adeò eandem numero, eundemque ſonum edit ex utroque diſſito loco inſtrumentum.

Num. 147. Sic, quia omnipotentia eſt virtus operandi ad extra, conveniens per identitatem tribus Perſonis Divinis, nequit illa aliquid ad extra efficere ex una Perſona, quin reddat paritèr verè operantes reliquas, verèque elicientes activè eandem numero operationem, ut definitum eſt in Lateran. cap. firmitèr de ſum. Trinit. ubi Trinitas ſancta proponitur credenda tanquam: *Unum univerſorum principium, Creator viſibilium, & inviſibilium &c.* Non alia potiſſimùm ratione, niſi quia virtus activa eſt adæquatè identificata cum qualibet earundem Perſonarum: ſuntque proptereà ſingulæ æquè diſpoſitæ ad agendum, & æquè præſens omnibus objectum, aut paſſum. Ergò cum eadem ſit virtus, immò & idem principium adæquatè *ut quod*, nempè Chriſtus Dominus ſub uno minimo, ac ſub alio ejuſdem hoſtiæ (quod non reperitur in Patre, v. g. comparativè ad Filium, & Spiritum Sanctum, cum involvant ex parte principii *quod* ſubſiſtentias relativas diſtinctas realitèr à Paternitate) neceſſariò, ex ſuppoſitione miraculi replicationis, dùm operatur immanentèr ex uno minimo continuato, operatur paritèr ex alio: eritque neceſſaria, ex ea ſuppoſitione mira, effectio miraculi quo ad modum

dum (ſi ejuſmodi credatur præfata ex omni particula productio adæquata). Non ſic autem dùm operatur ex Empyreo, quia cum ibi potentia eliciat ſuas operationes connaturali, & extenſo modo; ex Euchariſtia autem inextenſo, & exindè pœnitùs miraculoſo, neutiquam colligitur operatio activa corporea illius in Euchariſtia ex ejus naturali operatione in propria ſpecie. Inſupèr objectum, quod eſt propinquum, & proportionatum oculis corporeis Chriſti Domini in Cœlo, nec eſt, nec eſſe connaturalitèr valet proportionatum æquè, aut propinquum eiſdem, quà in Euchariſtia velatis: & ob parem rationem, quod eſt proportionatum illis Romæ præſentibus in hoc templo; extra proportionis aleam eſt eiſdem Neapoli, aut Romæ etiam in alio Templo Sacramentali præſentia latentibus. Poteſt attamen quamoptimè eſſe proportionatum idem objectum, & eſt ſæpiſſimè, vel cunctis, vel quamplurimis ejuſdem hoſtiæ particulis; & cum aliundè ex omnibus exerceri debeat operatio modo planè miraculoſo; ſequitur apertiſſimè ex ejus influxu activo ſupernaturali in hac particula ſimilis influxus ex alia continuata: & quidem connaturalitèr (quoad ſubſtantiam) ex ſuppoſitione, quod velit divina virtute exequi viſionem illius objecti.

Si dixeris, colligi ſaltem ex doctrina noſtra, operationes purè ſpirituales elici non poſſe in Cœlo, quin activè paritèr eliciantur in Euchariſtia circa idem objectum, & è converſo; licet falſum eſſe conſtet ex nuper dictis, permittam attamen, dummodò objectum ſit utrobique æquè proportionatum: & dummodò Adverſarii fateantur, etiam eas operationes trajici debere ex uno loco in alium vi concomitantiæ. Cœterùm cum apud ipſos etiam potentia intellectiva, v. g. ſub ſpeciebus poſſet naturalitèr ſe activè exercere per operationes corporis expertes; contingere ſæpiſſimè poteſt, ut dum elicitur voluntariè ex Empyreo intellectio, aut intuitio alicujus objecti, velit ex Euchariſtia (expediatque ad fines inſtitutionis) verſari circa objecta præſentia, eorundemque internos affectus, mente autem ſic occupata, variantur utrobique circumſtantiæ ita, ut impedire poſſit ea variatio influxum ſympathicum: atque adeò efficere valet ſuperveniens illa circunſtantia, ut neque ex operatione in Empyreo elicita reſpiciente hoc numero objectum excitetur intellectus in Euchariſtia ad conſimilem actum circa idem objectum, nec ex actu producto ex Euchariſtia circa objectum aliud moveatur harmonicè in Empyreo ad ſe exercendum circa ipſum, ſive per eandem numero, ſive per diſtinctam operationem. Maximè cum illa ſympathica rerum cohærentia, aut conſonantia (miraculo affinis) *Non tàm fiat ope, aut potentia Deorum, quam conſenſione connaturali rerum*: ut obſervat Tullius 3. de natura Deorum, proptereàque facilè variata illa circumſtantia interrumpitur ſympathia, & ſilet harmonia, in quo eventu impeditur concurſus in hujus viſionem ex ea particula: & paritèr concurſus in illam ſingularem ex aliis minimis ob eandem rationem (niſi valeat ſimul utrumque proſpicere ex omnibus). Uti etiam intra circulum hoſtiæ ejuſdem poſſet Chriſtus Dominus liberè ex hac particula obtutum figere in objecto diverſo ab eo, quod intuetur ex reliquis partibus, quodque illi eſt æquè proportionatum. Hoc autem per accidens eſt potiùs reſpectu potentiæ viſivæ materialis, quàm intellectivę inſtructæ ſcientia beata, & infuſa, & quia reſtrictior multò illius ſphæra: & quia per ſe loquendo, potentia viſiva, reductis palpebris, videt objecta magis proportionata, aut propinqua, quorum concurſum ſupplet hic omnipotentia, de quo infra uberiùs, & opportuniùs. Dum intellectus inter infinita æquè proportionata ſibi objecta ſeligere poteſt pro libito voluntatis, ab unoque tantùm fortunatiſſima neceſſitate raptus, & nexibus fælicitatis æternùm vinctus.

Num. 148. Vel deſumitur à connexione, ſive nexu operationis immanentis cum potentia; & ſic nulla adeſt ratio, ob quam vi illius connexionis alligetur operatio potentiæ ubivis quâ receptivæ, & non quâ productivę etiam; cum æquè poſtulet per ſe oriri phyſicè ab illo principio, & non ab alio, ac ſubjectari in ipſo. Ergo aut non debet recipi in illo quâ replicato, titulo connexionis, aut prodire debet effectivè ab eo, quâ exiſtente per replicationem ſimul in alio loco. Voluntariè namque dicitur actus per unionem phyſicam potiùs alligatus ſubjecto, quàm eidem ut principio; ſiquidem hæc numero actio non minùs eſſentialiter alligatur huic numero principio activo (& connaturaliter eidem effectus abſolutus, ſi per ipſam producatur) quàm vi unionis eidem ut ſubjecto, in quo manet: actio ſiquidem immanens æquè formaliter eſt ab intrinſeco, ac in intrinſecum, proptereaque æque unitur principio ut producenti, & conſervanti, ac ut recipienti. Ergo ſi ratione hujus unionis, alligationiſque, debet replicatè ſubjectari in ipſo, qua replicato, ratione ejuſdem debet oriri activè, & conſervari ab ipſo in omni replicationis loco.

Rurſus per connexionem naturalem, in qua fundat Tridentinum (uti & priùs Sanctus Thomas) concomitantiam, intelligendam minimè eſſe unionem præcisè actualem operationis cum potentia conſtabit abundè ex infra producendis. Inſuper vera Philoſophia nos docet, illam exigere duntaxat alligationem, & unionem cum principio, è quo fluit, non autem cum alio, quam potiùs refugit. Ergo nec copulari poſtulat cum ipſomet principio, vel ſubjecto, quâ alibi reproducto, ſeu bilocato, ſi ab eodem ut ibidem iterato exiſtente nullatenus procedat realiter, adeoque fieri nequit ea replicatio operationis juxta illius exigentiam, ſed vel contra, vel præter illam. Si autem

ex

ex rerum exigentia, ex qua oritur connexio illa, colligenda ſit comitantia; non video quo jure, ex ſuppoſitione miraculoſę replicationis potentia replicata debeat exigere paſſivum ſui influxum in operationem ex omni loco, & non activum; cum potiùs exigat tantùm ſubjectare actum vitalem, quem elicit, & ubi eum elicit; ut patet vel ex eo, quod non aliter vivere actu poſtulet, aut appetat, ut dictum eſt, niſi ſe movendo ab intrinſeco, & in intrinſecum. Pariterque actio ipſa immanens ex eadem præſuppoſita ſubjecti replicatione, nequit expetere receptionem ſui in illo ſubjecto, niſi quatenus poſtulat oriri ab intrinſeco ab ipſo, & manere intra ipſum.

Præterea colligi jure non poteſt concomitantia prædicta ex eo quòd id magis conſentaneum appareat naturis rerum; cum ſatis apertè evincatur ex abſurdis ab objectione conglobatis, tum ex nuper in reſponſione productis, eſſe potiùs magis conſentaneum rebus, ut ex omni particula concurrat activè Chriſtus Dominus, uti & quòd concurrat ex omnibus ad eandem numero operationem vitalem. Ulterius potentia viſiva v. g. non minùs proximè potens eſt in actu primò, ſuppoſita applicatione omnipotentiæ ſupra ſtabilita, ad activè influendum in viſionem, ac ad illam ſubjectandam. Ergo non eſt cur ex omni parte non influat activè illam efficiendo, ſicut paſſivè eam ſubjectando, aut in ſinu ſuo recipiendo, ut per ipſam fruatur intentionaliter objecto. Nec Philoſophia permittit (plerunque) eam vitam intentionalem in loco aliquo, quin in ipſo phyſicè oriatur à potentia, apud Adverſarios frequenter, ſaltem juxta ordinem naturalem, & attenta potentia ordinaria; dum non ſupponit ortum phyſicum illius viſionis ab eodem principio in alio loco (quem ſi præſupponeret, aliter ſentiendum foret, ut tom. 2. Ænigm. Theolog. fusè oſtendimus) quia non ſupponit per ſe realem præſentiam principii in Cœlo, exempli cauſa, præſentia realis Sacramentalis, nec ab ea pendet apud Adverſarios paſſim; quemadmodum, nec ab alia Sacramentali in alia particula; ſunt enim præſentiæ planè ſeparabiles, & inconnexæ, ſi ſtandum ſit contrariæ opinioni, à qua modo leges accipimus perlibenter, ut ad earundem, aliarumque, quæ ex ipſis legitima conſecutione manant, obſervantiam, ipſam cogere poſſimus.

Num. 149. Probatur denique, & urgentiſsimè per illationem deductam ex verbis Chriſti Domini Joan. 16. verſ. 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi: quia ex meo accipiet* (Spiritus Sanctus) ubi ex eo quod omnia Patris illi conveniant, & conſequentèr virtus activa ſpirandi, ab ipſo procedere Spiritum Sanctum, ſive de ipſo accipere, ſicut procedit à Patre, infert; tametſi ſuppoſita ſint realitèr diſtincta. Ex eo igitur, quòd omnia quæcumque habet Chriſtus Dominus in uno Eucharistiæ minimo in ratione principii activi, & paſsivi, omneſque circunſtantiæ, quæ influere debeant re ipſa, conveniant eidem quà præſenti in reliquis ejuſdem hoſtiæ, optima, & efficaci illatione deducitur, operationem ab ipſo procedentem phyſicè ex una Euchariſtiæ parte minima, prodire realitèr ab ipſo, etiam quà præſente ſub reliquis ejuſdem hoſtiæ partibus, vel etiam punctis, ſi fuerit illis adæquatè præſens. De quo argumento latè diſputavimus tom. 1. ænigm. Theolog. Diſp. 3. ſect. 3. & tom. 2. Diſp. 9. ſect. 3. & 4.

Hinc autem eruimus inſuper, operationem illam vitalem ita produci adęquate (& recipi) à potentia quà exiſtente in qualibet exigua particula, ut quantum eſt ex ſe nullo pacto egeat, nulloque jure exigat concurſum ſui principii, quà exiſtentis ſub reliquis; ſub quibus tametſi non produceretur, quia per accidens facultas prout in eis partibus exiſtens, retardaretur, interpoſito aliquo impedimento, ratione cujus Deus denegaſſet actu concurſum, aut Chriſtus Dominus prout ibi præſens noluiſſet illo uti; exiſteret ibi, flueretque completè, & adæquatè. Quemadmodum Pater, & Filius ita ſunt unum principium Spiritus Sancti, ut ſalvetur in quolibet verus conceptus principii adæquati, & completiſsimi; ne alioqui ex utroque coaleſceret per compoſitionem unum principium adæquatum, ut ex Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 14. docet Theologia, eſtque fidei orthodoxæ doctrina: eo quòd virtus ſpirandi ſit completè in Patre, & completè in Filio, itaut eundem quidem ignem, aut amorem ſpirent ſimul, unuſquiſque tamen ex integro. Neque influxus ille in viſionem eſt abſolutè miraculoſus: ſed præſuppoſitivè duntaxat: ut enim in ſimili docuit Eximius Doctor diſp. 49. ſect. 6. *Licet abſolutè, & ſimpliciter, nullaque facta ſuppoſitione materia eadem recipere non poſſit varias formas virtute Agentis naturalis; tamen facta ſuppoſitione, quòd ſit in pluribus locis, & quòd Deus relinquat naturalia agentia operari præciſa virtute ſua, conſequenter ſequi, ut eadem materia poſſit à variis agentibus naturalibus varias formas recipere*. Deinde ibidem paulò inferius idem affirmat reſpectu actuum vitalium: *Quidquid in hoc genere*, inquit, *agit, & recipit in uno loco, videtur neceſſariò agere, & recipere in alio, hìc enim ceſſat difficultas oppoſita in aliis generibus*. Si autem miraculo opus eſſe credas ad diverſas præſentias conferendas eidem operationi, adhuc ex præfata ſuppoſitione, & inſuper, quoad modum etiam ratione influxus adęquati in eundem effectum, & actionem; tametſi ab eodem principio bilocato, (ut arguebam ſect. 1. ad hominem) eodem indiget opinio adverſa, ad replicandam toties per concomitantiam eandem operationem, quantumvis in uno duntaxat loco productam: nequidquam igitur nobis objiceret

ret

ſet miracula, quæ ipſa invehit, & adorat.

§. III.

Num. 150. MOdò ſtatuenda eſt ſecunda propoſitio, quam abſolutè docuerunt graviſſimi Theologi cum Hugo Victorino lib. 2. de Sacram. par. 8. cap. 3. cum Innoc. III. cum Majore, Alenſi, Gabriele, Ochamo, Palaciòs, Ledeſma, Soto, Ricardo, Doctore Eximio ubi ſupra, quamquam hic *§. ultimo addendum*: fatetur tandem, magis conſentaneum eſſe, quòd Deus replicationem illam efficiat, tametſi miraculosè fieri debeat: & loquitur ſolùm de mutationibus aliis, extrinſeciſque, non de actibus vitaliter immanentibus. Ita etiam Pater Leſſius quæſt. 76. ſect. 2. Pater Bernal., Præpoſitus, Conink. Martinon. Rhodes, Cardinalis de Lugo, tametſi oppoſitum appareat illi congruentius naturæ rerum, & partim Henao diſputat. 10. ſect. 4. numer. 64., tum etiam Averſa: in eandemque propendet Prado, eamque omninò amplectitur Arriaga; ut & Juniores quamplurimi. Qui omnes plerumque loquuntur præcipuè, aut ſolùm de accidentibus extrinſecis facilè mobilibus, & ſupervenientibus; fundamentum attamen eorundem urget à fortiori circa actus vitales, & ſanè vehementiùs, cum ſit in utroque loco idem principium agens, & recipiens ipſos. Illa verò ſaltem quoad operationes ſenſuum externorum, probatur ex Doctore Angelico 3. part. quæſt. 81. artic. 4. corpore, ubi docens, eadem convenire Chriſto Domino in Sacramento, ac in Empyreo, quamquam diverſo modo, ſubjunxit: *Quæcumque verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti; non autem prout eſt in Sacramento &c.* Et ibidem ad primum. *Paſſio convenit Corpori paſſo per comparationem ad agens extrinſecum: & ideo Chriſtus ſecundum quod eſt in hoc Sacramento pati non poteſt, poteſt tamen mori.* Sed videre, audire, loqui, moveri, & ſimilia conveniunt Chriſto Domino in propria ſpecie per comparationem ad objecta extrinſeca, agentiave, in eo loco præſentia, ut manifeſtum eſt. ergo operationes illæ, juxta mentem Div. Thomæ minimè replicantur in Euchariſtia, quamquam inſint Chriſto Domino jugiter in propria ſpecie ibidem elicitæ. Univerſim tamen colligitur propoſitio ex eodem Angelico Doctore quæſt. 76. art. 1. corpore: ibi: *Ex naturali concomitantia eſt in Sacramento illud, quod realiter eſt conjunctum ei, in quod converſio terminatur.* Ergo quidquid non eſt conjunctum ſubjecto, aut ſubſtantiæ, in quam converſio terminatur, dum hæc actu exercetur, nequaquam vi concomitantiæ poni debet in Euchariſtia. ergo actus vitales ſupervenientes converſioni jam factæ minimè deferri debent in Euchariſtiam.

Neque rectè diceretur, ſufficere conjunctionem ſubſequentem cum termino, in quem facta eſt converſio, tametſi non ſint conjuncta de præſenti, dum converſio fit; cum Div. Thomas oppoſitum non expreſſerit. Contra enim: quoniam verba D. Thomæ ſatis clarè innuunt, & expetunt conjunctionem actu præſentem tempore, quo converſio exercetur, adeoque deinceps ſupervenientem excludit. Idque deducitur ſoliſſimè ex ipſa concomitantiæ Ethymologia, quæ deſumitur à motu noſtro, in quo tritiſſimum eſt illud Ariſtotelis: *Quod dum movemur, moventur nobiſcum omnia, quæ ſunt in nobis*, conſequenterque omnia nobiſcum realiter copulata, etiam per accidens, & mobili nexu, comitantur nos euntes, euntque nobiſcum: & dum Sacerdos movet Hoſtiam, moventur unà cum Chriſto Domino operationes etiam volubiles, & reliqua, quæ actu reperiuntur eidem conjuncta, ſi à primo loco, è quo moventur, non pendeant eſſentialiter. Ad hunc igitur modum, juxta communem Theologiam, licet Chriſtus Dominus non ponatur ſub ſpeciebus per motum localem ex Empyreo, cum illud non deſerat, ſed incipiat eſſe ſub accidentibus per actionem productivam, vel adductivam, comitari dicuntur ipſum ad novum illum exiſtendi modum omnia illa, quæ copulata erant cum eo actu in Cœlis in conſecrationis inſtanti; quemadmodum comitarentur eundem, ſi fieret præſens in Sacramento per motum localem ex Empyreo. Quamobrem ſi accidentia, quæ ſupervenirent Chriſto Domino in Cœlis, deferrentur vi comitantiæ in Euchariſtiam, concomitantia ſe haberet potius ad inſtar finis, & quaſi adeſſent, ut comitarentur; non autem, ut ſocia, prout deſignat nominis Etymon; ſatis apertè innuens, ideo comitari, quia inſunt realiter conjuncta, ſubindeque præcedenter. Duo igitur importat eſſentialiter concomitantia, nimirum conjunctionem realem, & ſimul coexiſtentiam illius ipſo converſionis tempore, quin ſufficiens ſit una ſine altera de facto, & univerſim loquendo: ſunt enim veluti duę rotæ hujus comitatus, quarum una fracta ſiſtit ipſe comitatus, & currus.

Num. 151. Dixi, univerſim loquendo, quoniam ſi in triduo mortis celebraretur à D. Petro, perſeveraretque Hoſtia conſecrata, exiſtente ſolùm Corpore exangui, divinitati unito, dum fieret reſurrectio Corporis in ſepulchro jacentis in propria ſpecie reuniretur, juxta vulgatam Theologorum mentem, anima Corpori, etiam quà Sacramentaliter exiſtenti; cæterum id neutiquam fieret vi concomitantiæ ſtrictè uſurpatæ, ſed radicaliter ex debito morali mox declarando, è quo reſultaret jus ad diſpoſitiones proprias Corporis organici, quin & glorioſi, & ex eis rurſus mutua connaturalis exigentia corporis ad animam, & animæ ad cor-

pus, ubicunque illud adſit; quæ juremeritò dicitur actualis connexio, & latè concomitantia, ſeu radix concomitantiæ latè ſumptæ, vel debitum illius: aut vi etiam ſtatus glorioſi in propria ſpecie, qui hoc exigit pro omni loco, in quo replicatur Corpus: vel ex promiſſione etiam divina, quia ſicut ſimul ac reſurrexit, jam mori denuo non poteſt, ita nec mortuus alicubi exiſtere: uti & ex vi contradictionis, quæ ſequeretur alioqui, ut plures volunt. Quamvis enim cadaver nullatenus appetat proximè animam, cum ſit ſpoliatum diſpoſitionibus, ſine quibus aptum natum minimè eſt, illa informàri; ſemel autem ac Corpus illud in propria ſpecie foret glorioſum, deberentur illi etiam quà Sacramentaliter exiſtenti diſpoſitiones illæ, quibus reddatur aptum ad reunionem cum anima ſanctiſſima. Deberentur, inquam, non titulo concomitantiæ, ſed ex decentia, ex meritis Chriſti Domini, ex fine inſtitutionis Euchariſtiæ.

Tum inſuper quia illud prout in Sacramento eſt ſignum ſuimet, ut in propria ſpecie viſibilis, uti frequenter aſſeritur à Sanctis Patribus; nequit autem cadaver eſſe proprium ſignum Corporis viventis, & glorioſi. Unde ejuſmodi diſpoſitiones (& ex conſequenti anima) nullo veræ concomitantiæ unionis, neque immediatè ex vi exigentiæ naturalis Corporis emortui, & planè exanguis deberentur illi, ſed debito morali aliunde accepto, è quo manarent diſpoſitiones, quibus poſitis reſultaret exigentia mutua, & immediata: ***Si fuiſſet hoc Sacramentum***, inquit S. Thomas qu. 81. art. 4. ad 3. ***conſecratum, vel peractum, quando anima erat à Corpore realiter ſeparata, non fuiſſet anima Chriſti ſub hoc Sacramento, non propter defectum virtutis verborum, ſed propter aliam diſpoſitionem rei***. Jam verò ex ſuppoſitione earum diſpoſitionum pro priori exiſtentium deberetur animæ reunio Corpori titulo exigentiæ connaturalis, & in eo ſenſu, connexionis, cum ſine miraculo denegare non poſſet Deus præfatam reunionem.

Idemque ſentiendum de quovis alio prędicato tam ſubſtantiali, quam accidentali, permanenter Chriſto Domino convenienti, ſi abeſſe poſſet, & de facto abeſſet ab illo in Cœlis tempore conſecrationis, adveniretque, ipſa jam peracta: cum ad ejuſmodi prædicata, & ornamenta per ſe duratura, ſæpe præcédat naturalis exigentia, aut jus in ſubjecto, vi cujus illi debeatur, tametſi per accidens tunc non adeſſet, tardiùſque veniret. Cum autem id de facto contingere nequeat eo quòd habeat Servator noſter omnia ſua complementa, ornatumque omnem ſtatus glorioſiſſimi, idcirco de facto ponuntur vi conjunctionis naturalis ea omnia, quæ termino converſionis ſunt actu permanenter conjuncta, dum fit conſecratio. Eiſdemque titulis (aliiſque peculiaribus) eadem numero viſio divinæ eſſentiæ, qua beatur Humanitas Chriſti Domini in Cœlo, comitatur ipſam ad Sacramentum, eo quòd illa ſit ex natura ſua permanens debitaque intellectui lumine gloriæ illuſtrato: & lumen gloriæ, utpotè ex ſe permanens inamiſſibiliter comitatur per ſe intellectum, præſupponiturque exiſtens ad conſecrationem. Quapropter ſolùm operationes vitales volubiles, aliæque mutationes tranſeunter inhærentes advenire poſſunt Chriſto Domino in ſpecie propria fulgenti; quippe quæ ſucceſſivo, & perenni motu venientes, & abeuntes, diù vivere neſciunt: ſunt etenim longævæ etatis reſpectu illarum, vel brevioris vitæ, flores. Haſce autem operationes nullatenus exigi determinatè à potentia, ſed has vel alias diverſas pro libito, manifeſtum eſt, cum ęquè foret contenta aliis diverſæ ſpeciei circa alia objecta, vel intenſioribus, remiſſioribus circa idem (& interdum magis) ac illis, quibus actu fertur in objecta illa pro nutu, ut latè ſupra dictum eſt. Titulo igitur connexionis deſumpto ex connaturali exigentia perferri nequeunt in Euchariſtiam. Deinde nec titulo unionis, ſive conjunctionis realis, cum non eſſent conjunctæ actu tempore, quo novam præſentiam comparavit, ut requirit conceptus proprius concomitantiæ, & ut ſuadent nuperi diſcurſus. Ergo nullo jure volatiles illę operationes, ſubſecutæ ad modum exiſtendi replicatum, venire debent concomitanter ad Auguſtum Sacramentum, hoc ſolùm titulo ab innata ſua volubilitate deſciſcentes, quòd volubilitatem ipſam replicare non poſtulent.

Num. 152. Promovetur ſecundò & efficaciùs. ea, quæ ponuntur in Euchariſtia per concomitantiam, vel ponuntur eadem actione, ſive adductiva, ſive productiva (loquimur de his, quæ producibilia ſunt, minimè verò de Divinitate) qua ponitur Corpus v. g. ex vi verborum, ut docuere complures ex antiquioribus Thomiſtis, quos ſequitur D. Eximius diſp. 51. ſec. 3. Card. de Lugo diſp. 8. Tannerus, Arauxo, Prado, Mæratius, Salmanticenſes, Granados, Rhodes, & Recentes alii allegantes pro ſe Divum Thomam, tum 3. par. qu. 75. art. 4. ad 3. & art. 6. ad 2. tum in 4. diſt. 11. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 2. vel per actionem aliam diverſam (ſive productivam, ſive adductivam) ut cum P. Vaſq. diſp. 185. docent Martinon. Conink. Henao, & alii, referentes etiam pro ſe D. Thomam quodlib. 5. qu. 6. art. 11. ad 1. ſed quocunque modo id contingat, functiones vitales ſupervenientes corpori jam replicato neutiquam bilocari debent cum potentia productiva eorundem, ſed exiſtere tantùm in loco, in quo emittuntur. Ergo &c. Probo minorem quoad primùm extremum. actio illa, ſive productio, ſemel ac terminetur primariò ad corpus, & ſecundariò ad alia, quæ per concomitantiam in eodem inſtanti adducit, illis affigitur tanquam modus, quin poſſit tendere deinceps in novum alium termi-

num,

num, maximè non ſubſecutum per ſe ad terminum primarium (modo quo, juxta quamplures Scholaſticos, actio productiva ſubſtantiæ terminatur ad ejus proprietates) alioqui actio productiva unius termini poſſet tempore ſucceſſivo ad alios diverſos terminari denuò; quod eſſentialiter pugnat cum limitatione actionis, ſiquidem hęc importat alligationem eſſentialem, adæquatamque, ſui cum primo termino producto; ſin aliter in primis illis inſtantibus defuiſſet illi partiale ſubjectum ſuæ alligationis. Alligationem autem vagam introducere in ipſa actione modali, duriſſimum Philoſophiæ genus eſt, & ubique rejectum. Secundò. operatio illa potuit vel naturaliter non deferri per concomitantiam, ut multi ex oppoſitæ ſententiæ Scholaſtici opinantur: rurſus apud eoſdem frequenter concomitantia fieri nequit per actionem purè adductivam, ſed neceſſariò eſt productio, ſive reproductio. Jam ſic. actio præcedens eſt per ſe indifferens ad novam illam operationem producendam, vel reproducendam in Euchariſtia; tum quia illa potuit non exiſtere in Cœlo: tum quia etiam dum exiſteret, potuit non perferri ad Euchariſtiam. Ergo, ut ea indifferentia tollatur, requiritur nova alia actio, aut modus, juxta vulgatum argumentum Philoſophorum, modos diſtinctos agnoſcentium. Quin ſufficiat nova præſentia realis, cum hæc etiam adeſſet, etiamſi actio productiva non foret, ſed merè adductiva.

Tertiò: Quoniam actio tranſubſtantiativa eſt, omnium confeſſione, non modò ſupernaturalis, non tantùm miraculoſa, verum & ſtupore grandi digniſſima, quam idcircò Nazianzenus, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Beda, & alii Patres frequenter, cum Incarnatione comparant, & Synodus Tridentina ſeſ. 13. Canone 2. illam dicit, *mirabilem, & ſingularem converſionem*. Non eſſet autem adeò miraculoſa, divinaque, ſi quà parte adducit per concomitantiam reliqua omnia cum corpore, quod conſtituitur ſub ſpeciebus panis vi verborum, eſſet connaturaliter operans; eo quòd ex ſuppoſitione termini primariò, & per ſe intenti ut producendi vi verborum, cuncta alia abſque ullo miraculo, ſed veluti connaturali jure deberent ex vi illius deferri ad altare. Porrò cum ſub ſpeciebus panis ponantur per concomitantiam Sanguis, anima, quantitas, & alia accidentia, quibus nobilitatur Sanctiſſimum illud Corpus in Cœlo, dotes gloriæ, modus unionis hypoſtaticæ, viſio beata &c. non foret undique ſingularis, & ſupra naturæ, quin & admirationis, vires conſtituta, ſed veluti mixta ex naturali, & ſupernaturali: eſſet equidem ſupernaturalis quà exequeretur vim præciſè verborum; naturalis verò, quà, juxta illorum efficaciam, ultra vim ſignificativam, operatur.

Si nihilominus omnia illa miraculoſè poni dicas per concomitantiam, quamquam miraculum illud ex integro, & pœnes omnia extrema adducta tale ſit, fiatque per modum unius; à fortiori, & evidenti conſecutione elicitur, futuram pariter ſupernaturalem, & miraculoſam trajectionem operationis ſupervenientis in propria ſpecie ad præſentiam aliam ſub ſpeciebus Euchariſticis vi ejuſdem actionis: cum ratio ſit eadem, quin & longè vividior; dum nunc exercetur concomitantia illa tempore ipſo converſionis ſimul cum reliquis, ſed ſeorſim ſingulariterque. Ubi autem nonniſi per miraculum, vel per extenſionem miraculoſam primi miraculi venire debeat operatio ſuperveniens, poteſt eo ipſo nullo pacto adduci, immò ſecundùm naturæ leges replicari minimè debet, ac ſubindè nec ex parte ipſius operationis adducendæ, nec ex parte actionis adductivæ invenitur jus, quod illam comitantiam poſtulet; ſed potiùs quod illam averſetur naturaliter. Immò ex ſuppoſitione quòd Deus decerneret ejus replicationem, congruentiùs diceretur, illam efficiendam per actionem diſtinctam, quàm per præcedentem: tum quia valdè probabile eſt, hanc utpotè alligatam terminis jam adductis, vel productis, incapacem eſſe producendi ulteriorem ſupervenientem, adhùc divinitus: tum quia & ſi divina virtute id fieri poſſet, ſemper attamen ultra miraculum bilocandi operationem illam, novamque illi præſentiam ſub ſpeciebus conferendi, interveniret aliud comparativè ad actionem ipſam, qua adduceretur; ſiquidem illa ſupponeretur jamdiù completè terminata, alligataque propterea connaturaliter termino adæquato præcedenter, & exindè impotens ad exercitium productionis ulterioris termini, niſi per miraculum diverſum ab illo, quod includit per ſe replicatio. Quamquam igitur hac via caveretur multiplicatio actionum; inducitur proculdubio multiplicatio miraculorum: ubi autem alterutrum ex eis extremis neceſſariò multiplicandum eſt, ſatius erit (in quo blandimur opinioni adverſæ) multiplicare entitates, quam miracula.

Num. 153. Non minùs efficaciter pugnandum, agendumque contra ſecundum extremum. Et primo illud rejicitur, ex eo quòd tempore ad conſecrationem ſubſecuto non permanent verba conſecrationis moraliter in ordine ad novum aliquem terminum efficiendum, ſed unicè perſiſtunt moraliter ad inſtar formæ ad ſignificandum: ſed omnia illa, quæ adducuntur è Cœlo, ut fiant præſentia realiter ſub ſpeciebus, non aliter ponuntur, nec poſſunt, juxta præſentem conſtitutionem, quàm aut ex vi verborum, ut Corpus, & Sanguis: vel ex eorundem efficacia, út ſunt ea, quæ per concomitantiam adducuntur, ſicuti fatentur, & opinantur Adverſarii. Repugnat igitur præſenti Euchariſtiæ inſtitutioni nova illa actio poſterior, vi cujus adducatur concomitanter ad Euchariſtiam operatio in

Cœlo producta poſt conſecrationem. Major, quæ ſola deſiderare valet probationem, clareſcit facilè: quoniam omnia, quæ ex vi, aut efficacia verborum collocantur ſub ſpeciebus, ponuntur per actionem converſivam unius ſubſtantiæ in aliam, quæ ſimul eum ſubſtantia per ſe intenta, in quam fit converſio, adducit comitanter ea, quæ illi ſubſtantiæ ſunt realiter copulata; die autem ſequenti ad conſecrationem, nulla fit in pyxide converſio, nec fieri valet, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, ut exploratiſſimum eſt. Ergo nulla ſupponitur moraliter durans efficacia verborum in ordine ad eam actionem, & comitantiam noviter efficiendam. Rurſus: quia alioqui Lutheri ſequacibus miniſtrantur arma, quibus impanationem ſuam tueri poſſint: ubi namque admittenda eſt actio aliqua verè, & propriè Euchariſtica, quæ nullo pacto converſiva ſit, & nihilominus efficiat realiter præſentem ſub ſpeciebus terminum, aut extremum phyſicè copulatum Humanitati Chriſti Domini; eur pariter, ſecluſa omni reali converſione, aut tranſubſtantione, ſubſtantiæ panis in corpus ejuſdem Servatoris, exiſtere non poteſt actio adductiva, vel reproductiva Corporis Sacroſancti in altari, ſimul cum ſubſtantia panis?

Reſpondebis, actionem adductivam operationis vitalis in Cœlo productæ, non eſſe quidem per ſe formaliter converſivam; præſupponere tamen neceſſariò converſionem ſubſtantialem, ex qua, & vi cujus, neceſſitate quadam conſequentiæ, ſuboriantur ejuſmodi actiones adducentes ad Euchariſtiam mutationes realiter in Cœlo ſupervenientes, conjunctaſque per unionem phyſicam cum Humanitate Chriſti Domini: proindeque ex illis perperam, & nequidquam eliceretur à Berengarii Sectatoribus actio ſimpliciter conſtituens Corpus Domini in Euchariſtia abſque ulla abſolutè tranſubſtantiatione. Non ſatisfacis tamen: quoniam licet præfata actio ſupponat eſſentialiter Corpus Chriſti Domini præſens jam in Euchariſtia; nullo tamen jure præſupponere debet illud per actionem verè converſivam adductum, cum illa non minùs afferret ad Euchariſtiam operationem, aut qualitatem in Cœlo ſupervenientem Humanitati, ſi Corpus Chriſti Domini, integraque Humanitas, exiſteret unà cum ſubſtantia panis abſque ulla ſubſtantiali converſione, ac proùt modo exiſtit media tranſubſtantiatione productum. Neque exarmatur difficultas per hoc, quòd ea converſionis ſuppoſitio neceſſariò provenire debeat aliundè, ex providentia ſcilicet præſentis inſtitutionis Euchariſtiæ, quantumvis illam minimè præſupponat actio ſubſequens. Contra enim: quia ſi actiones illæ adductivæ, quæ ſubſequuntur tempore conſecrationem, trahere valent ad Euchariſtiam terminos, aut operationes ſupervenientes in Cœlo, quin illam converſionem inferant, præſuppoñant, aut arguant, colligent indè Impanatores, inſtitutionem præſentem Euchariſtiæ neutiquam eſſe, ut docet ortodoxa doctrina, per tranſubſtantiationem, ſed per coexiſtentiam potiùs utriuſque ſubſtantiæ ſimul: nam qua ratione, aut exemplo efficaciùs deduci poteſt modus præſentis inſtitutionis, & natura actionis conſtituentis primò & per ſe Corpus Chriſti Domini in altari, quàm per conſimiles alias actiones Euchariſticas tempore poſteriores, quæ adducant pariter ad Euchariſtiam prædicata, aut extrema aliqua jugiter, ſucceſſiveque; quin ullam converſionem ſubſtantialem, vel accidentariam afferant, aut ſupponant, ſed replicationem tantummodò ſubjecti quoquomodo factam, & omni modo miraculoſam?

Num. 154. Et quamvis permittamus mutationes illas ſupervenientes conſtituendas eſſe in Euchariſtia titulo connexionis, quæ neutiquam præcedit, dum elicitur prima actio adducens Chriſtum Dominum ad altare; diſcrimen tamen hoc opportunum non eſt: quia probatur ad ſummum, mutationes ſupervenientes connaturali jure adducendas eſſe ob connexionem ex ſuppoſitione primæ miraculoſæ actionis; actionem autem hanc primam eſſe pœnitùs miraculoſam, cum nullum ſupponat debitum ex connexione aliqua reſultans; neutiquam verò ſuadet, eam futuram converſivam, ſi illæ ejuſdem rationis eſſe non debeant: aut illas non importare ſimilitèr converſionem aliquam accidentalem, ſi prima ſubſtantialem involvat neceſſariò, juxta præſentem Euchariſtię inſtitutionem. Tertiò: vel actiones illę tempore poſteriores fiunt à ſolo Deo (ſive miraculoſæ ſimplicitèr dicantur, ſive tantùm præſuppoſitivè, & ſecundum quid) & hoc ægrè ſuſtineri poteſt: tum quia Humanitas Chriſti Domini concurrit per modum inſtrumenti elevati, & conjuncti ad omnem actionem prodeuntem ex Euchariſtia, aut illius contemplatione productam, ipſamque conſervantem, ut teſtatur ſolemnis Theologia: tum quia parùm Philoſophicus eſt recurſus ad Deum ad continuum illum mutationum fluxum adducendum actionibus diverſis. Vel fiunt ſimul influente Humanitate, ut inſtrumento elevato; & ſic quemadmodùm poteſt actiones tranſeuntes efficere, cur non & vitales paritèr, cum opinio contraria utraſque illi deneget, aut nullas? Inſuper, vel illam actionem producit Humanitas emortuo modo, & tunc minùs decentèr operatur; vel vitali, & ſic eur paritèr in alias operationes vitales non erumpat ex Euchariſtia, quin illas mutuetur ab Empyrei gloria?

Quartò: actio illa, adducens ad præſentiam inextenſam in Euchariſtia operationem materialem in Cœlo exercitam, eſt planè ſupra vires naturæ, ut liquet ex dictis, & copioſiùs ex mox dicendis. Vel ergò miraculum illud, quod eſſe deberet juge, patratur de facto continuò, vel rarò, aut nunquam?

quam? Si primum: cum aliundè ſit æquè poſſibile divinitùs, ſenſus Chriſti Domini exercere activè functiones ſuas, fatentibus Adverſariis, cur non potiùs exercet de facto vires ſuas miraculosè adjectas, ut contendit opinio noſtra? Si ſecundum, aut tertium: ſequitur evidentèr, aut potentias Chriſti Domini (deſinentibus operationibus in inſtanti conſecrationis adductis, eo quod ſuccedent aliæ in Empyreo) adeſſe ſub ſpeciebus privatas omni functione vitali, tam per concomitantiam, quàm per productionem ibidem elicita, quod diſſonum fore, vidimus ſupra; aut de facto, quamquam ſemper miraculosè, eas operationes ex Euchariſtia emittere. Ita miracula nobis objecta miraculis objicientium tuemur, & doctrina oppoſitæ ſententiæ noſtram protegimus.

SECTIO OCTAVA.

Ultima propoſitio nervosè ſtabilitur, & neceſſitas concomitantiæ operationum volubilium, tempore conſecrationis actu in Empyreo exiſtentium, multis arcetur.

§. I.

Num. 155. TERTIA propoſitio multis firmatur, & ſanè egregiis reflexionibus. Primò verbis Concilii Tridentini exponentibus radicem concomitantiæ, vi cujus ponuntur ſub ſpeciebus ea etiam, quæ vi verborum minimè ponuntur: *Vi naturalis illius connexionis*, inquit Sancta Synodus, *& concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur. Divinitatem verò propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem.* Ubi notandum ſedulò; verba hæc diſputare ſolùm de partibus permanentibus, conſtitutiviſque intrinſecè hujus ſuppoſiti *Chriſtus*; atque adeò non differere de mutationibus, quæ rapido curſu ad inſtar fluctuum veniunt, & abeunt. Ex quo ſequitur, Concilium per naturalem connexionem non modò intelligere conjunctionem realem partium inter ſeſe, verùm conjunctionem inſeparabilem, cum adjungat connexioni mutuæ partium Chriſti Domini verba illa, *qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus*; eſſet autem ſub ſpeciebus mortuus planè, ſi ſanguine, animaque deſtitutus lateret ſub ipſis. Non ergò ſufficit qualibet connexio, ſed talis, rerum ſcilicèt permanentium ex ſe, propterea exprimitur *vi illius connexionis*, adeſt non vi cujuſcumque conjunctionis, ſed talis. Quoniam licèt harum partium comitantia ſit adhùc ſupernaturalis ratione inextenſionis ſaltem, quam debent ſortiri extrema materialia: & quia debent terminare actionem aliam adæquatam diſtinctam ab ea, qua conſervantur in Cœlis; verumtamen debetur, titulo connexionis permanentis, & ſtatus glorioſi, ea operatio ex prima ſuppoſitione, quin propterea deſinat eſſe ſupernaturalis; quemadmodùm debetur viſio beata intellectui lumine gloriæ illuſtrato, quin ideò cadat illa à ſupernaturalitate, ut ſæpè monui; quamquam ſolùm reverà miraculoſa dicenda ſit præſuppoſitivè, juxta hanc philoſophandi viam.

Ratio autem hujuſcemodi debiti, dum partes ſunt permanentes, conſtituentes intrinſecè, & ex ſe inſeparabiles, ſolida eſt: ſiquidèm illæ eo ipſo pertinent ad complementum naturale, vel ſubjecti ſecundùm ſe, vel ſtatus, aut ſaltem ad ornatum perpetuum ejuſdem: & quidèm illa numero extrema ex ſuppoſitione exiſtentiæ, antecedentèr verò eadem ſpecie ſolùm deſiderantur. Quæ autem ſpectant ad ſubjecti complementum intrinſecum, aut integritatem, perfectionemve connaturalem, gaudent titulo juſto, in quo fundari poteſt debitum concomitantiæ, ſive counexio naturalis illa, de qua loquitur Synodus Tridentina; cum neceſſariò foret eo ipſo in ſtatu violento, quod ponitur vi verborum, ſi non adeſſet ſimul complementum illud, ſive alia compars. Ejuſmodi autem titulus nullatenùs reperitur in operationibus facilè mobilibus vitalitèr emiſſis in Cœlo, actuque exiſtentibus ibi, dum fit converſio: tum quia illæ tam longè abſunt à permanentia, quàm propè accedunt ad inſtabilitatem; atque adeò conjunctio realis, quam habet actus, ſive operatio cum potentia tempore converſionis, cum non ſit unio rei permanentis, ſed volatilis cum alia permanente, non inducit titulum, aut debitum; cum per accidens, & quaſi extrinſecè ſe habeant mobilia ea; & ideò S. Thomas qu. 76. art. 5. ad tertium dixit: *Illa accidentia corporis ſunt in hoc Sacramento, quæ ſunt ei intrinſeca*: atque adeò, quæ per accidens, & veluti extrinſecè ſe babent ad ſubjectum, nullo pacto in comitatu corporis venire debent, juxta S. Thomam. Conſequenterque ea unio non fundat connexionem, quam poſtulat, aut præſupponit Tridentinum ad concomitantiam.

Tum quia ratione earundem mobilitatis licèt actus ſecundus ſit complementum debitum principio, minimè poſtulat determinatè has ſpecie infima præ illis, antecedenter, & ſecundùm ſe; nec ex ſuppoſitione exiſtentiæ illarum adhuc has præ aliis numero, vel ſpecie; cum poſſit liberè illas arcere, & alias ſubrogare; atque adeo potiùs eſſet contra naturale jus facultatis elicitivæ illius operationis, violentumque ipſi; cum ob ſuam amplitudinem ſit capax quàmplurimarum conſimilium, & diverſæ etiam rationis, quibus æque perficiatur: & pariter contra libertatem ſuppoſiti, ſi illi neceſſariò determinatè affigeretur hoc de-

ter-

terminatè complementum. Tum quia actus liber in Cœlo exercitus veniret neceſſariò ad Euchariſtiam per concomitantiam, eſſetque Chriſto Domino prout in Euchariſtia neceſſarius, quod ægrè conciliatur cum ejus libertate, præſertim ſi in intrinſeca eidem ſit, ut diximus in ſuperioribus. Vel igitur Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus pollet vi activa functionum vitalium, eamque de facto exerit; aut erit planè emortuus in actu 2. adhùc intentionaliter, cum nullas ejuſmodi functiones alibi exercitas afferre valeat per concomitantiam ad Euchariſtiam; adhùc eas, quibus gaudet actu in Cœlo, dum conficitur Sacramentum. Hinc apparet differentia inter motum localem ſubjecti ab hoc loco ad alium, & replicationem ejuſdem, de qua ſermonem fecimus jam ſect. 3. hujus diſp.: dum enim Hoſtia ſacra; & cum ipſa Chriſtus Dominus movetur à Sacerdote ex una parte ad aliam, vel Chriſtus Dominus in Cœlo movet ſeipſum; moventur utrobique cum ipſo omnia, quæ actu copulata ſunt ipſi, ſive ſint complementa ad ejus perfectionem ſpectantia, ſive non; quia motis nobis moventur nobiſcum omnia, quæ actu ſunt in nobis, quæcumque illa ſint: cujus neceſſitatis radix eſt conjunctio actualis ſolùm ſe moventis cum rebus illis, aut operationibus (niſi aliunde ratione motus de loco in locum deſinant eſſe propinqua, quibus alligantur ſenſationes aliquæ) ſecus autem dum ſubjectum adducitur, vel reproducitur in ſecundo loco, retinendo unà primùm: quoniam In eo eventu, cum Perſona replicata non moveat ſeipſam, ſed producatur veluti denuo in loco alio; cumque manifeſtum ſit, produci poſſe, & reproduci unam partem, alia minime reproducta, nulla adeſt neceſſitas, aut radix neceſſitatis ad producendas omnes actu copulatas, niſi pars reproducta per ſe poſtulet aliarum complementum, ob idque debeantur illi connaturaliter. Sic dum Chriſtus Dominus in ſtatu paſſibili moveretur de loco in locum, movebat ſecum neceſſariò veſtem ſacram, qua actu erat indutus; dum tamen in nocte Cœnę ſeipſum replicavit in Euchariſtia, nequaquam poſuit ſub ſpeciebus panis ſimul cum Corpore veſtem, nec adhuc inconſutilem, undique textilem ab incunabilis indutam, & cum ipſo Corpore unitim creſcentem, quaſi linum nativo campo adhærens adhuc (ex virtute contactus) adoleſceret.

Num. 156. Probatur 2. quia connexio realis partium, quibus debeatur mutua coexiſtentia in quovis loco, ubi alterutra adſit, neceſſariò includit mutuam earundem partium exigentiam vi cujus unaquæque habeat jus ad alteram ubique; adeoque nullibi exiſtere valeat, quin alia ſit eidem debita, etiam ut ibidem poſſidenda. Sed inter Potentiam viſivam (exempli cauſa) Chriſti Domini, & hanc numero viſionem objecti nulla reperitur mutua exigentia. Ergo non reperitur inter eas connexio illa, quæ requiritur ad comitantiam: proindeque ex eo quòd potentia viſiva Chriſti Domini replicetur divinitus in Euchariſtia, neutiquam inſertur replicandam eſſe neceſſariò per concomitantiam viſionem objecti in cœlo ab eadem emiſſam, vi connexionis realis, aut unionis, quam habet in propria ſpecie cum potentia. Major ſolidiſſimè colligitur ex verbis, & mente Tridentini nuper expoſita.

Deinde elucidatur manifeſta ratione: quoniam ubi unum extremum aliud non exigit, nequaquam indiget illo ad exiſtendum ſimpliciter, nec ad exiſtendum completè in ſtatu connaturali; ſin minùs illud neceſſariò poſtularet, ut ex nota Philoſophia & ex rerum omnium inductione perſpicuum eſt. Si autem ſine illo exiſtere poteſt connaturaliter, poterit conſequenter, & evidenter, ſine illo produci, aut reproduci. Et aliunde reproductio Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, adeo independens eſt, apud ſententiam contrariam, ab ejuſdem conſervatione in propria ſpecie, ut minimè exiſtentiam illius per ſe ſupponat, aut expoſcat, ut ſcitè arguitur pro re noſtra à Leſſio q. 76. art. 6. dub. 2. Idemque dicendum, tametſi actio ex verbis conſecrationis fluens, ſit purè adductiva, ſi converſiva ſit, ut conſtat ex ejuſdem potiſſimo aſſertore Doct. Subtili in 4. diſt. 10. qu. 4. ejuſque Diſcipulis. Et quamvis repugnare videatur, actionem illam eſſe merè adductivam Corporis, & non præſupponere ipſum alicubi præexiſtens, ut obiiciunt cum Doct. Eximio diſp. 48. ſect. 2. complures; cæterum hoc vires ſuas exerere valet adversùs puram illam adductionem evincereque, eam eſſe neceſſariò productivam; neutiquam verò probat eam independentiam non adſtrui ab Authoribus plerumque illius opinionis.

Præterea licèt, actio illa ſupponat præexiſtentem in propria ſpecie alibi Chriſtum Dominum, ubi tunc ineſt illi intimè conjuncta præfata viſio, non ideo ille, ejuſque potentia viſiva in Cœlo eam per ſe determinatè exigit, cum poſſit pro libito ab ea ceſſare, & aliam diverſam ſubſtituer, eſt enim hoc jus proprium habentis dominium ſupra ſuos actus. Ergo, dum per conſecrationem ponitur in Euchariſtia Chriſtus Dominus, nihil replicatur per ſe poſtulans bilocationem illius viſionis; ac ſubinde nullus adeſt juſtus titulus movens, & veluti connaturali jure cogens Deum ad eam replicandam. Sola igitur unio actualis viſionis In Cœlo cum facultate viſiva, ſi deſit exigentia mutua partium inter ſe, inſufficiens eſt ad concomitantiam per ſe, & de jure inducendam: ſiquidem comitantia, quæ non poſtulatur ab extremo bilocato, nullo jure ipſi debetur, poterit igitur Deus illam cauſare miraculosè, quantumvis indebitam; non tamen illam de facto efficere ſem-

ſemper credendum eſt, niſi pariter fatearis Deum concurrere miraculosè de facto, & jugiter ad hoc, ut operationes vitales eliciat potentia viſiva ex Euchariſtia, & quidem potioribus titulis, & tunc redundans prorſus erit concomitantia illa; niſi interdum per accidens aliqua.

Neque declinatur vis argumenti per exigentiam conceptam ex parte ipſius viſionis, licet non detur ex parte principii, aut Potentiæ. Contra enim: quia reſponſio probat ad ſummum viſionem ipſam replicari non poſſe, quin exigat replicationem ſubjecti, cui eſſentialiter affigitur, ac proinde quin illi debeatur ſubjecti replicatio; nequaquam verò probat, ſubjectum bilocari non poſſe, quin debeatur illi operatio, cum illud non exigat viciſſim eam determinatam viſionem. Contra rurſus: quia viſio illa affixa huic ſubjecto in cœlis, non ſupponit replicationem ſubjecti, unde nequit exigere ejus comitatum, ſive replicari cum ipſo, ut manifeſtum eſt. Permittamus attamen, eam ſuppoſitionem, non idcirco ſanè ipſum comitari poſtularet, uti expeteret, ſi compararet ſubjectum per motum localem novam eam præſentiam, prima relicta. Quandoquidem alligatio ejuſdem ad ſubjectum efficere poteſt, ut exiſtere nequeat alicubi ſine illo; neutiquam verò, ut non ſinat illud adeſſe ſimul alibi ſine ipſa: præſertim cum illa nonniſi per ſupernaturalem præſentiam poſſit replicari cum ſubjecto, illa autem ſicuti vires naturæ ſuperat, ita ſupra omnem innatam rerum exigentiam, earundemque jactum, aut proſpectum exiſtit: quia dum miraculum fit, natura è longinquo illud ſupra ſeipſam conſtitutum, veluti attonita miratur, videt, & ſtupet.

Num. 157. Minor ſufficienter munitur ex dictis in Majoris confirmationem; & ſanè dominium fermè diſpoticum, quod ſuppoſitum rationale exercet in actus ſuarum potentiarum, adeo ſui juris eſt, adeoque robuſtius omni alio jure particulari earundemmet operationum, ut nec illud affigi poſſit alicui determinatæ functioni cujuslibet potentiæ, illamve exigere determinatè, ne reſtringatur ejus amplitudo, & libera facultas: neque vincatur ab exigentia & alligatione, non mutua, quam habet ipſa operatio (quippe quæ poſtulat determinatè hoc numero ſubjectum, ſuique conſervationem intra illud) ne lædatur ſupremum ejus dominium. Quapropter licet dum viſione actuali illius objecti fruitur, quieſcat appetitu innato gaudii in illa numero; nullatenus quieſcit innatè in ipſa, quà talis numero, aut ſpecie infima, eſt; alioqui violenta foret principio, & ſubjecto ſubrogato alterius loco ipſius; ſed quà exercitium aliquod eſt potentia, ad libitum mutabile quantumvis quieſcat elicitè in tali numero objecto, & viſione per ipſammet viſionem & per actum imperantem illam. Secundo: quoniam aliter non poſſet liberè, aut pro arbitrio videntis otiari potentia viſiva, fieretque eidem violentia, ſemper ac clauderentur oculi ad ſpatium aliquod temporis; quod verum, ſimpliciter non eſt: quia & ſi violenta foret potentia viſiva, ſi diù avertatur ab illicio objectorum (uti ſummopere expedire notum eſt, ut animæ exitium fatale præcaveatur) hæc ipſa violentia cum fiat ad exigentiam fortiorem dominii, & juris ſupremi in omnes operationes, eſt planè naturalis, & debita ſuppoſito; tametſi alio titulo ſublimiori ſupernaturalis evadat ea ſenſuum caſtigatio ob finem altioris ordinis imperata. Rurſus pauſa aliqua, aut ſuſpenſio brevis (& interdum diuturna, ad ſomnum neceſſaria) violenta minimè eſt potentiæ, cum defatigata non ſemel exercitio poſitivo, per accidens quietem amet; tametſi, dum videre commodè alioquin poſſet, ut plerunque contingit, non ſatietur oculus viſu, è quo haurit ſæpe lachrymarum cauſas, & inexauribiles venas.

Tertio: quia, licet potentia viſiva inſtructa ſpecie hujus objecti exigat determinatè erumpere in actum viſionis terminatum ad ipſum; cœterum potentia ſecundùm ſe hanc ſpeciem pro alia minimè expoſcit. Undè dum potentia replicatur, nullo jure comitari debet ipſam ea ſpecies facilè mobilis, ob inſinuatas reflexiones. Quocirca potiùs ex hac indifferentiæ radice deſumitur argumentum efficax in oppoſitum: namque facultas viſiva ſecundùm ſe eſt prorſus indifferens ad hanc, vel illam ſpeciem determinatam excipiendam; quin & ad eſſentiam omnem hic, & nunc, & ex conſequenti ad hunc vel illum actum viſionis tam numero, quàm ſpecie, & intenſione eligendum, vel ad nullum. Sed Potentia indifferens ad diverſa exercitia, cum nullo eorundem connectitur, nullumque propterea determinatè exigit. Ergo &c. Dices: quamvis Potentia non expetat determinatè hanc viſionem, aliquam tamen vagè, aut disjunctivè exigit omninò, cum actus ſecundus perficiat primum, ut proprium illius complementum; exigentia autem disjunctiva, quolibet extremo ſatiatur, contentaque eſt; ut de appetitu materiæ reſpectu formarum docet philoſophia. Ergo dum actu gaudet illius objecti viſione, illam poſtulat, conſequenterque ſecum deferre debet ad locum in quo replicatur; & licet permittatur, non exigere innatè illam, quà talis determinatè eſt, illam appetit, ſecundum quòd aliqua eſt.

Reſpondeo primò, facultatem viſivam non ſolùm exerceri poſitivè per diverſos actus, ſed negativè etiam quandoque, non ſolùm ex imperio ſupremo dominantis, ſed per accidens ex fatigatione (quod eſt potiùs non ſe exercere): quapropter ſi appetitu gaudii ſolùm poſtulet exercitium, quo actu gaudet, prout aliquod exercitium ejus eſt,

eſt, cum adeſſe valeat pro nutu ſuſpenſio omnis actus poſitivi, nullum actum poſitivum exiget, illo adhùc appetitus genere. Secundò ejuſmodi appetitus, tametſi admittatur quieſcens determinatè in hac numero viſione; neutiquam convenit ſubjecto, aut potentiæ ſecundùm ſe præcisè, cum appetitus illius in eo ſenſu ſit disjunctivus, ſed ipſi ut includenti ipſummèt actum: maximè cum hoc ſit de conceptu formali appetitus gaudii imbibere eſſentialiter poſſeſſionem rei, de qua gaudet. Dum ergo ſubjectum replicatur, nulla determinata exigentia illius viſionis, quæ actu exiſtit in Cœlo, reperitur in ipſo, quà replicato, vi cujus debeatur ei viſionis comitantia; ni viſionem ipſam præſupponas ex parte ſubjecti ut bilocati, quæ foret turpis principii repetitio, quæ lentè, & incautè ſerpit per reflexiones, quibus aſſertionem aliquam nodoſam, & irretitam ſtatuimus; vel per eas, quibus illam ab irruentibus difficultatibus arte, & ingenio vendicare optamus.

Num. 158. Replicabis: tametſi ſubjectum replicatum non exigat determinatè illas numero, aut ſpecie opera iones; aliquas tamen omnino expoſcit, quibus perficiatur, ut ſuper libatum fuit. ergo cum illas emittere nequeat ex Euchariſtia, neceſſariò debet illas exigere, ut poſſidendas per concomitantiam; adeoque has, quas de facto poſſidet, ut in propria ſpecie exiſtens; non quia tales, ſed quia de facto inhærentes ſubjecto. Ut hoc effugium præcludam, formo tertium argumentum in hunc modum. Vel Chriſtus Dominus, quà replicatus, & Sacramentaliter exiſtens, exigit compleri in actu ſecundo per functiones vitales, ſive has, ſive illas; vel ſecus? Si hoc ſecundum, cadit eo ipſo replica, corruente fundamento, caditque pariter opinio adverſa: quoniam ſi complementum illud minimè appetat, ob inextenſionis modum, quo præſens in altari eſt, nulla juris ratione illi debetur comitantia operationum ejuſmodi, quæ inſunt Chriſto Domino exiſtenti in propria ſpecie. Si autem miraculosè nihilominus de facto ſemper adducantur, potiori jure factum conſimile, tametſi miraculoſum, adſtruendum erit in ordine ad efficientiam earundem functionum ex Euchariſtia; vel ſaltem eo titulo expugnari nequit, immo nec juſtè impeti (ut plerunque fit) ab Adverſariis.

Primum verò extremum ſententiam noſtram eiſdem viribus firmat: quoniam ſemel ac modus inextenſus exiſtendi non impediat, quominus potentia exigat ſuum complementum in actu ſecundo, illique idcirco debeatur, neutiquam impedire valet, quominus potentia ſub eo ſtatu exigat elicere activè eas functiones, quæ propterea ſunt eidem debitæ. Quod erit gratum Nominalibus, ſi poſſet inferri inde, eas emitti naturaliter; quia tamen hoc minimè ſequitur, eo quòd poſſent deberi, & nihilominus nonniſi ſupernaturaliter produci, ſupernaturalitate quoad modum ſaltem: ideo colligitur, eas planè deberi tanquam complementum perficiens potentiam, quam non modo complent dum inhærent, ſed etiam dum emanant; utrumque enim poſtulat innatè potentia ſub ea inextenſione, aut neutrum. Exigentia enim illa, aut nulla reipſa eſt, aut eſt eadem, qua gaudet in Cœlo viſiva potentia, ſed ibi utrumque expetit. ergo & ſub accidentibus utrumque pariter, aut neutrum. Repetit igitur principium objectio, dum ſupponit eas elicere primò non poſſe ex Euchariſtia: & ſibi implicat dum hoc inficiatur, & ſimul adſtruit exigentiam potentiæ viſivæ, quà exiſtentis Sacramentaliter, ad eas operationes aſſequendas. Quartò promovetur ex eo, quod nec per eandem actionem, qua ponitur Corpus, (aut Sanguis) vi verborum, adduci poſſunt præfatæ operationes, nec per diverſam aliam; quem diſcurſum confecimus, dum ſecundam propoſitionem firmaremus, & ideo hic illum inſinuamus, ut accommodandum etiam præſenti.

Quinto. Vel operationes illę nonniſi per novum miraculum formaliter comitari poſſunt corpus organicum, potentiaſque; vel connaturaliter comitantur, quamvis ex præſuppoſito miraculo? Primum, vel arguit, neutiquam illas de facto venire per concomitantiam, proindeque aut potentiam viſivam ex Euchariſtia erumpere de facto divinitus in ſuas operationes, aut exiſtere omnibus actu privatam, prout latet in Euchariſtia, & ex conſequenti miſeram, & ab ſtatu gloriæ valdè alienam. Vel ſi de facto per continua miracula deferantur, evincunt, neceſſariò, & potiori jure, admittendum eſſe jugem miraculorum curſum, tametſi omnino requiratur ad conſimiles operationes ex Euchariſtia producendas; aut ſaltem eo titulo repelli nequit ab Adverſariis opinio noſtra. Secundum, rem difficilem adſtruit in plurium ſententia, ſi non oſtendat exigentiam aliquam ejus comitantiæ ex ſuppoſitione, ratione cujus dicatur naturalis formaliter comitantia; maximè cum alioqui, non ſolùm fiet præter exigentiam; ſed & contra, ſupraque; eo quòd per ſe repugnet operatio replicationi ſui, & præſentiæ Sacramentali, ſive inextenſæ. Si autem ex ſuppoſitione, quòd corpus bilocetur, eam exigentiam invenies, & deſignes, parem indubiè agnoſcere debes in facultate viſiva ex ſuppoſitione replicationis ad exigendum influxum activum, & paſſivum in proprium complementum, ſeu in operationes, quibus actu perficitur.

Sexto: ſemper remanebit potentia viſiva Salvatoris Noſtri ſub ſpeciebus incapax videndi objecta propinqua altari, quod & ſcopo Inſtitutionis Euchariſtiæ, & Majeſtati Chriſti Domini; & utilitati noſtræ parùm conſonat. Si autem ſemel circa illa ſe exerceere debeat Chriſtus Dominus de facto,

facto, nec aliarum comitantia indiget, neque illius eſt capax, quia opprimeretur potentia multitudine viſionum objectorumque, tametſi dotibus gloriæ confortata; cum ex omni etiam loco, ubi exiſtat Sacramentaliter Chriſtus Dominus perferri concomitanter operationes viciſſim, neceſſè foret: periretque ipſa vita actualis, veluti ex nimia vitæ replicatione. Dices: divinitatem exiſtere in Euchariſtia per admirabilem unionem hypoſtaticam, ut loquitur Tridentinum ſeſ. 13. cap. 3. & nihilominus humanitas non exigit perſonalitatem divinam. Ergo aut hæc non ponitur per concomitantiam, quod abhorret à Doctrina Catholica; aut fallit diſcurſus factus. Reſpondeo: idcircò non dixit Concilium, divinitatem poni vi naturalis connexionis, ut de aliis docuerat, ſed ob admirabilem hypoſtaticam unionem, quæ non ſolùm nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit, ſed & nuſquam etiam. eſt igitur diverſa radix hæc, è quà perperam deſumitur argumentum ad aliam connaturalem. Deindè perſonalitas eſt conſtitutivum intrinſecum ſuppoſiti, ſine quo ſubſiſtere nequit, & quamvis exigat determinatè ſubſiſtentiam naturalem; cum tamen illa ſuppleatur altiùs per divinam hanc: cumque rurſus illa, quæ debetur neganda ſit ei ob decretum ipſum Incarnationis, quaſi ſubrogatur hæc in locum alterius, ut debitum extinguat, aſſuefacta ex tunc perſona reſultans, ut deinceps quæ non rapuit, exolvat;

§. II.

Num. 159. **R**Oboratur ſolidè ſeptimò eadem tertia propoſitio (& ſecunda etiam ex conſequenti) ex unione admiſſa plerunque ab Scholaſticis, quocumque modo explicetur, ſive formalis, ſive effectiva dicenda ſit, inter Corpus Chriſti Domini, & accidentia Euchariſtica, quæ adcò efficax eſt, & inſeparabili nexu vinciens adeò extrema (dum utrumque perſiſtit) ut vi illius, motis ſpeciebus, & hâc illâc quaquaverſum circumactis, neceſſariò moveatur, circumducaturque corpus in ordine ad locum, & mutet præſentiam formalem. Ergo ſi ſemel verùm ſit, ea quæ Chriſto Domino ſunt copulata in uno loco per unionem, ſive conjunctionem realem (cujuſcumque generis, aut rationis illa ſit) deferri neceſſariò per concomitantiam ad locum alium, ubi ipſe replicetur; à fortiori dum Corpus Chriſti Domini quod modò eſt unitum ſuis numero ſpeciebus in hoc altari, ponitur per conſecrationem in alio, aliiſque ferè ſine numero, defert ſecum concomitanter has numero ſpecies, quibus realiter copulatus eſt, ad omnia alia loca, in quibus vi verborum fit præſens: quemadmodum contingeret, ſi fieret præſens illis per motum realem. Immò & corpus ipſum, quâ præſens circumſcriptivè in Empyreo, vendicaret ſibi eadem vi concomitantiæ ſpecies omnes Euchariſticas ſupervenientes Corpori ſuo Sacramentaliter replicato, ut illas ſecum haberet in Cœlo, in ſpecie propria exiſtens, ſicut ipſum ob ſimilem conjunctionem realem operationum vitalium in Cœlo debet ferre ſecum eas ad altaria, in quibus replicatur: quodquàm abſurdum, quàmque nugatorium eſſet, vel hebetiores reſcire poſſunt. Verùm de hoc ſupra jam latè; ibi ut ſuadeat, hic ut ſolvat.

Firmatur octavo. eodem conatu, & argumento, quo ſententia oppoſita invehit comitantiam operationum vitalium, illas è Cœlo in Euchariſtiam perferens, inducit è regione pariter comitantiam operationum per ſe ſpiritualium, à phantaſmatibus independentium, quæ in Euchariſtia primò exercentur, eas ad Empyreum trajiciens. Sed hoc ſecundùm eſt planè falſum, ſtando principiis eorundem Adverſariorum, quin & orthodoxæ doctrinæ. ergo & illud primum. Perſuadeo minorem: namque, dum Hæretici, tum hic, tum alibi frequenter, ad expugnandam concomitantiam objiciunt, Humanitatem intimè hypoſtaticè unitam verbo divino, quin propterea illa ſit ubique, ſicuti verbum divinum ubique adeſt; vel etiam ut indè exadverſo probent, illam ſimul cum verbo eſſe ubique, ut nimiam, monſtroſam, & hæreticam comitantiam ex Catholica noſtra ſubinferant. Illico reſpondent Ortodoxi, unionem Humanitatis cum Verbo non eſſe adæquatam conjunctionem cum ipſo in ordine ad locum, ſive cum ipſo, ut adæquatè localiter exiſtente, cum Verbum divinum ratione immenſitatis poſtulet eſſentialiter, adeſſe ubique realiter præſens. Quemadmodum ob conſimilem inadæquationem intellectio unita animæ in capite non eſt cum illa per concomitantiam in pede, & quidem etiamſi ibi poſſit anima ſaltem divinitus reddi intelligens, eo quod minimè copuletur cum anima adæquatè viciſſim, ſeù penes locum adæquatum ejuſdem animæ, ſed inadæquatum duntaxat. Jam ſic: ſed Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia non exiſtit tanquam in loco adæquato ſecundùm extenſionem localem, ſibi naturaliter convenientem (ſivè dicatur præſens loco illi per ſe, ſive tantùm per dimenſiones ſpecierum.) ergo intellectio elicita ex Euchariſtia, & conjuncta ibidem realiter animæ Chriſti Domini non debet aſcendere per concomitantiam ad Empyreum, uti nec deſcendere debet ad pedem, etiamſi corpus, quod informat anima, eſſet extenſum quantitativè.

Neque ad rem facit, quòd ejuſmodi præſentia ſit ſupernaturalis; in exemplis verò productis in medium naturalis inadæquata; ſiquidem altior longè eſt unio Humanitatis cum Verbo divino, utpotè ordinis hypoſtatici; & nihilominus coërcetur inadæquatione, ne fines limitatos creaturæ

in ordine ad locum tranſilire valeat Humanitas. Præterea intellectio conjungitur in Euchariſtia cum anima naturaliter exigente corpus extenſum localiter, ut ſedem propriam, & aulam, quam inhabitet; atque adeò intellectio non copulatur animæ, ut exiſtenti in loco adæquato, intellectio tamen adequatè ibi exiſtit. Demum operatio vitalis quæcumque illa ſit, in Cœlo emiſſa non unitur cum anima, aut organo corporeo, ſi materialis ſit, adæquatè, ſed inadæquatè ſolùm cum ipſa in capite: ſicut ergo ob prædictam inadæquationem non defertur per concomitantiam ad pedem, ita potiori titulo deferri non debet ad locum, in quo replicatur Sacramentaliter, cum præſentia in illo eſſe debeat ſupernaturalis. Fateris, unionem intellectionis cum anima Chriſti Domini in capite nequaquam pollere vi comitandi illam per deſcenſum connaturalem ad pedem (neque intellectum ipſum, ſi potentia realiter diſtincta ſit) & ſimul contendis, præfatam unionem poſtulare comitantiam intellectionis ad locum toto Cœlo remotum, dum per inſigne miraculum anima replicatur? Si autem id minimè poſtulet, dum novum miraculum tibi aſſumis, nobis impunè adſtruendum permittis, quin & exemplo cogis.

Num. 160. Hinc progredimur ad ſuadendum pari diſcurſu, conſimilique inadæquatione, operationem vitalem in Cœlo à Chriſto Domino productam nequaquam replicandam eſſe per concomitantiam ſub ſpeciebus. Quoniam illa non conjungitur adæquatè cum anima, ſive id contingat, quia affigitur etiam organis, ſive quovis alio titulo. ergo ob hanc inadæquatam ex parte unius extremi unionem, licet replicetur ſubjectum, nullo pacto bilocari debet operatio. Tum quia, tametſi adæquatè unitam dicamus viſionem materialem potentiæ viſivæ attenta naturali capacitate; in ordine tamen ad potentiam obedientialem potentiæ, aut corporis, virtutemque inſtrumentariam Chriſti Domini replicandi ſeipſum in propè infinitis locis, (quæ replicatio debetur ei quà unito verbo divino, & ad ordinem hypoſtaticum elevato; ſecus autem operationibus volubilibus) unio illa eſt prorſùs inadæquata. Cum igitur replicatio illius viſionis exercenda foret per ſupernaturalem præſentiæ modum, & in eo ordine ſupernaturali ſit inadæquata conjunctio viſionis cum facultate viſiva Chriſti Domini in Cœlis, legitimè infertur ex ea, & communi Adverſariorum doctrina, inſufficientem eſſe præfatam unionem ad inducendam comitantiam.

Dices. inadæquationem ſumendam eſſe ex parte extremi ſecundum ſe, non ex parte illius in ordine ad locum, in quo ſenſu potiùs eſt effectus ſecunda hæc primę illius; ſin alitèr diſcrimen peteret principium. Cœterum ſi adæquatio uſurpetur in ſenſu purè reali, cum tam perſonalitas Verbi Divini, quàm anima rationalis ſint realiter indiviſibiles, erit à fortiori in ea acceptione adæquata unio relatè ad extremum ſecundum ſe; ut igitur ſit inadæquata, concipienda eſt in ordine ad effectus alios; ad quos eſt potens in actu primo, quos nequeat unio pertingere, neque uſque ad illos perducere alterum extremum, puta in ordine ad plus loci occupandum, ut anima, vel ad exiſtendum ubique, ut verbum divinum. Qua via conantur aliqui declinare principii repetitionem; quod ipſi viderint; cum nos ex eorundem tantùm doctrina, circa ſubjectam materiam, præſentem diſcurſum eruamus. Eâdem tamen ſemitâ, qua illi incedunt, inadæquationem unionis actus vitalis cum anima, aut potentia in ordine ad replicationem declarabimus, illam ex eorumdem doctrina probantes, non verò ſupponentes. Si verò inadæquationem accipias in ſenſu formali, in quo nec unio hypoſtatica reſpicit formaliter primariò omnia, quæ ſunt realiter identificata cum perſonalitate verbi, cum ſecundariò tantùm juxta quamplures illam reſpiciat; juxta alios verò, nec adhùc ſecundariò formaliter: nec intellectio expetit formaliter animam, niſi pœnes gradum intellectivum, & ad ſummum etiam volitivum. In ea acceptione pariter nos dicimus, operationem vitalem, elicitam à Chriſto Domino in propria ſpecie exiſtente, uniri cum ipſo inadæquatè formaliter, quatenus copulatur ipſi, proùt connaturali modo exiſtenti, & operanti, non autem cum ipſo pęnes potentiam obedientialem, & ſimul per facultatem inſtrumentalem petentem replicari divinitùs Sacramentaliter, & quà replicatam milliès, elicere miraculosè functiones vitæ corporeæ (ut noſtra ſententia contendit, & probat) & effectum Sacramenti ritè ſuſcepti divina virtute producere, & id genus alia, quæ minimè competunt ipſi, quà naturaliter exiſtenti, & operanti, & quà principio, ſubjectoque intellectionis in Cœlo exercitæ.

Quoniam licet operatio vitalis habeat etiam potentiam obedientialem ad ſui replicationem; attamen illi neutiquam debetur per ſe ea bilocatio; adhùc quà operatio eſt hominis Dei, ut planum eſt. Chriſto autem Domino, & ejus potentiis debetur multiplicatio illa præſentiarum, (ut ex D. Thoma, & D. Seraphico notum fecimus) ob unionem hypoſtaticam. Quemadmodum etſi ſupponatur potentia obedientialis in humanitate ad exiſtendum per ſui replicationem in tota hac Civitate unà cum Verbo; quia tamen ſimilis replicatio non eſt illi debita, unio illius cum Verbo Divino eſt inadæquata, etiam relatè ad urbem hanc. Inadæquatè igitur unitur ipſa cum anima Chriſti Domini ſecundum ſe uſurpata, ac proindè ex eo, quòd illa replicetur unà cum corpore, perperam deducitur, bilocandam pariter ipſam, ſi doctrina

na Adverſariorum, ſolemniſque Theologia, Hæreticorum argumentum diluens, ſubſiſtat, victrixque ubique (ut contingit) contra Ubiquetarios ipſos evadat.

Num. 161. Ex probatiſſima pluriurn, graviumque Theologorum opinione firmari poſſunt ſtrenuè diſcurſus hactenus facti; & quamquam quorumdam inter ipſos doctrina abſolutè uſurpata nobis non probetur, pro qualitatibus tamen facilè mobilibus, actibuſque vitalibus determinatè acceptis, & ſub ea ratione neutiquam exactis, efficax eſt. Nonnulli ſiquidem ex eis connexionem naturalem à Tridentino requiſitam ad comitantiam, à Divo Thoma expoſitam quæſt. 76. art. 1. & à Catechiſmo Romano parte 2. cap. 4. confirmatam, ita uſurpaut, ut nullatenus innuat neceſſitatem ex natura rerum, ſed ex mero beneplacito Dei, decentia, aut promiſſione divina; quoniam pars illa, quæ comitanter adducenda erat comparare minimè valet præſentiam Sacramentalem, niſi per abſolutam Dei potentiam; hæc autem cogi nequit ullis naturæ legibus, aut exigentiis ad efficiendum. Ita Juniores complures cum Conink. quæſt. 76., & Bernal. diſp. 35. quam ſententiam, licet reſpectu partium mutuò ſe exigentium repellant plerunque Scholaſtici, & juremeritò; quoniam juxta illam radix comitantiæ non foret connexio naturalis; contra quod ſtatuit Tridentinum; in ordine tamen ad qualitates, & operationes venientes facilè, & abeuntes eam omnino tuentur Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 8. cap. 3., Major, Innocent., Alenſis, Palacios, Ledeſma, Ricardus, quos imitantur Doct. Eximius diſp. 48. ſect. 5. §. *dico quarto*, dummodo Corpus bilocetur per actionem reproductivam (quamvis congruentius, & naturis rerum magis conſentaneum exiſtimet, quòd utrobique illas habeat) P. Leſſius quæſt. 76. art. 6. dubio 2., & complures alii. Siquidem, reſpectu illarum qualitatum, aut operationum, neutiquam adeſſe putant radicem illam comitantiæ, connexionem ſcilicet naturalem, quam Tridentinum deſiderat; atque adeo nullam reperiri cauſam cogentem naturali jure ad comitatum illum, ſed in Dei beneplacitum, aut decretum ex integro revocandum. Qua doctrina ſemel, vel ſtatuta, vel permiſſa, cum ex alia parte replicatio ipſa ſecundum ſe ſit ſupra vires omnes naturæ, ſitque ſupernaturalis præſentia inextenſa, quam viſio materialis ſortiri debeat in Euchariſtia; rectà illatione deducimus inde, inerme futurum argumentum in noſtram opinionem frequentiſſimè contortum, à jugi miraculo, quod in exercitio activo ſenſuum intercederet, deſumptum: profuturumque potiùs nobis exemplum hoc ad uſum per ſe primò functionum vitalium ex Euchariſtia elicitum, liberè adſtruendum; quo ſemel ſtabilito, nulla adeſt neceſſitas comitatus operationum, quę ex Empyreo emittuntur.

Accedit, quòd, licet opinio hæc minimè prævaleret relatè ad qualitates alias purè phyſicas tranſeunter inhærentes ſolùm; omninò tamen ſubſiſteret in ordine ad operationes intentionales ſenſuum præſertim externorum, cum illæ aſſigantur proprinquitati objectorum, ut ſuo loco oſtendemus ex Divo Thoma quæſt. 81. art. 4. Corpore: *Quæcumque verò conveniant ei* (Chriſto Domino) *per comparationem ad Corpora extrinſeca, poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti, non autem prout eſt in Sacramento*. Idem autem prorſus eſt attribui eidem per comparationem ad objecta extrinſeca proprinqua, ac attribui ſolùm per comparationem ad Corpora extrinſeca, idemque planè judicium de utroque eventu formandum eſt. Neque enim viſio materialis objecti Cœleſtis fieri poteſt ex Euchariſtia intuitivè in objecta in Empyreo conſtituta, ut in ſuperioribus fusè oſtendimus: nec illa ſecum deferre, & efficere altari propinqua; quoniam licet adſit Rex ipſe præſens, non idcirco adeſt materialis aula. Collige ex his, quòd etiamſi Chriſtus Dominus, quà exiſtens ſub ſpeciebus, repræſentet ſeipſum, ut in propria ſpecie exiſtentem, & eo etiam titulo debeantur illi Sacramentaliter præſenti omnia illa, quæ permanenter conveniunt illius Animæ, Corpori, & Gloriæ, ne alioqui minùs perfectè ſeipſum exprimat, ut Patres, & Theologi docuerunt: operationes attamen volubiles, qualitateſque curſim venientes, & abeuntes, quæque breviter inhærent, potiùs ut tranſeant, quam ut exiſtant, repræſentari minimè debent determinatè: quandoquidem immutari alioqui oporteret continuò in Euchariſtia repręſentatio viciſſitudine ipſa perenni actuum vitalium rerum, & objectorum, quod eſt alienum à dignitate repræſentationis. Quamquam enim ea mutatio, aut viciſſitudo pro eo ſtatu, in quo prædictæ operationes emittuntur, ſummam importet perfectionem, dominium videlicet liberum, quin & deſpoticum viventis iu ſuas operationes, & voluptatem ex varietate ipſâ objectorum perceptam, ſive dum eliciuntur è Cœlo, ut omnes fatemur, ſive dum etiam ex Euchariſtia, ut nos putamus: nec ex illo capite viciſſitudinis aſſiduæ repugnaret abſolute earum comitantia, ut adversùs Leſſium, & Præpoſitum contendunt Conink. & Henao; in ordine tamen ad conſtituendam ſub uno ſtatu repræſentationem, & veluti imaginem propriam ſui ipſius ſub alio ſtatu, & quidem omnimoda neceſſitate, imperfectionem præſeferre videtur quammaximam, ne faciem, figuramque commutare debeat, itaut in quovis ſtatu ſit nova. Rurſus ſi adamuſſim exprimere debeat omnia illa, quæ actu in quovis ſtatu in Cœlo habet; cur non potiùs facultatem expeditam activè erumpendi in actus ſenſuum, & potentiarum, cum hæc perfectio magna ſit, permanenſque? Deſideras in imagine repræſentationem affectionum caducarum, & invehis carentiam vivæ repræ-

 ſenta-

ſentationis perfectionum permanentium?

Num. 162. Hactenus dicta ſatis evincunt, parùm vero ſimilem eſſe quorundam opinionem, exiſtimantium, nec divinitus eſſe poſſe alicubi ſeparata, quæ in uno loco ſunt realiter conjuncta, Doctori Subtili ab eiſdem adſcriptam, & Marſilio, quam deinde amplexati fuere Nugnus, Vaſq. diſp. 189. cap. 4., & diſp. 192. cap. 3. Serra, Scotiſtæ nonnulli, & Salmanticenſes fulciti verbis quibuſdam Div. Thomæ quæſt. 76. art. 1. Corpore, ajentis: *Si enim aliqua duo ſunt realiter conjuncta, ubicumque eſt unum realiter, oportet, & aliud eſſe. Sola enim operatione animæ diſcernuntur, quæ realiter ſunt conjuncta*: quomodo etiam Cathechiſmus Romanus ubi ſupra loquitur. Et in primis tametſi ea opinio à nobis permitteretur, nullum afferret noſtræ aſſertioni nocumentum; cum ipſe Divus Thomas, tum alibi ſæpiſſimè, tum quæſt. 81. art. 4. excipiat ab hac regula, non ſolùm ea, quæ pendent à loco, verùm & operationes pendentes ab objectis, corundemque propinquitate, vel etiam agentibus extrinſecis, Præterea adducta verba ſolam naturalem connexionem exprimunt apertiſſimè, & nullatenus eſſentialem alligationem; quæ nec divinitus disjungi poſſit, cum Fide ſancta certum ſit, animam, Sanguinemque fuiſſe ſeparatos à Corpore, & ab invicem in morte Chriſti Domini, ac ſubinde licet dum actu modò realiter copulantur in loco aliquo, ſola operatione intellectus, ſive animæ in illo diſcernantur, abſolutè tamen, & ex ſe ſunt pluſquam ratione, realiter nimirum ſeparabilia, quia poſſet iterum de potentia abſoluta mori, tametſi moriturum ampliùs non eſſe de facto, doceamur. Ex quo rurſus ſit, quod, dum Corpus divinitus replicatur, poſſet etiam eadem virtute divina conſtitui in novo illo ſtatu, aut loco, ſeparatum realiter ab anima, & Sanguine, potuiſſeque Deum ita decernere: quandoquidem plus aliquid eſt, poſſe ſeparari ſimpliciter, quam in ordine ad aliquem duntaxat ſtatum, in quo poteſtate abſoluta Dei bilocetur, ut per ſe notum videtur; ſi aliunde ex hac ſecunda ſeparatione non ſequatur contradictio, uti nullo pacto ſequi patebit ex dicendis.

Neque obſtat modus unionis, qui ſupponitur affixus eſſentialiter Corpori, & animæ in primo loco: quoniam licet ille affigatur utrique extremo, exrrema tamen ipſa, nec illi mutuò eſſentialiter alllgantur, nec inter ſeſe, ſed connaturali jure duntaxat: atque adeo ex eo quod Corpus replicetur divinitus in Euchariſtia, nequaquam ſequitur neceſſariò ſecum afferre ad Euchariſtiam præfatam unionem, & ex conſequenti animam, itaut nec divinitus impedirl valeat ejus comitantia. Neque inſuper deberi poteſt ea replicatio affixioni eſſentiall unionis, ſiquidem ea affixio efficit quidem quod Ipſa nequeat exiſtere abſque extremis, neutiquam verò, quòd neceſſariò extitura ſit ubicumque replicetur alterùtrum; nec hoc unquam Div. Thomas docuit, nec Tridentinum aſſeruit. Potiuſque colligitur oppoſitum ex principiis fidei, & Divi Thomæ etiam: quandoquidem modus ubicationis circumſcriptivæ Chriſti Domini in Cœlis non minùs alligatur eſſentialiter Corpori ibidem realiter præſenti, quàm unio alterius extremi à loco independentis; quin propterea debeat ipſum comitari ad aram uſque. Et quamvis hoc contingere dicas ratione alligationis ejuſdem ad ſpatium; exterum hoc ipſum demonſtrat, nou repugnare eſſentialem alligationem alicujus modi ad ſubjectum, quæ nullo pacto exigat, nec valeat, illud bilocatum comitari, cum convellere nequeat illud Cœli ſpatium, ut ſecum deferat, nec ipſum bilocari poſſit.

Id quod validiùs premit in probabili plurium Philoſophorum doctrina, quam tuentur Spinula, Izquierdus, Raynaudus, & Neoterici paſſim, ajente; poſſe modum aliquem annexum duplici extremo replicari divina virtute alibi per modum diſtinctum, abſque extremis, vel abſque alterutro, quamquam non poſſit, adhuc de potentia abſoluta, non adeſſe alicubi alligatum ſuis extremis. Et nihilominus non propterea divinitùs replicatur modus præſentiæ circumſcriptivæ ſimul cum Corpore, nec plures alii loco (ut ajunt) poſteriores; nec illis debetur ea replicatio, per quam ipſa entitas modalis, quæ in Cœlo efficit Corpus circumſcriptivè exiſtens, redderetur in Euchariſtia Sacramentaliter præſens per aliam diſtinctam præſentiam formalem. Accedit eodem ferè modo pendere ſenſationes externas à propinquitate objectorum in Cœlo, ac modus præſentiæ à loco, ut vidimus nuper ex Divo Thoma: ergo ratione hujus alligationis venlre nequeunt ad novum locum, retento primo; ſaltem, itaut ex utroque videat intuitivè idem objectum. Qui verò dicunt, propinquitatem requiri eſſentialiter ad viſionem in loco, ubi primò exercetur, ſecus in alio ubi replicatur; viam aperlunt nobis, & omnibus, ad reponendum conſimiliter, alligationem illam unionis ad Corpus ſimul & animam eſſe tantùm eſſentialem reſpectu actionis, per quam primò producitur, & ultimò diſponitur Corpus ad formam rationalem poſſidendam; non verò reſpectu alterius actionis, per quam reproducatur, vel adducatur ad novum exiſtendl modum, & ſtatum ſummè diverſum, æquè ac diſſitum ab alio; vixque dignum aliquid proferri valet in hujus parùm tritæ opinionis obſequium, quod non redundet pariter in noſtræ ſubſidium.

Num. 163. Nequidquam tamen diceres ex Salmanticenſibus connexionem, quam Synodus Sancta, & D. Thomas ſupponuot, eſſe debere planè eſſentialem in ordine ad finem concomitantiæ, ut eorundem illatio ſit inconcuſſa; quoniam alioqui, ajunt, non concluderet factum ipſum; cum de poten-

tia

Digitized by Google

tia abſoluta poſset Deus oppoſitum velle, & efficere. Contra enim: quia Tridentinum definit ipſum factum, hæc autem definitio nulli exponitur periculo cadendi ab infallibilitatis arce, per hoc quod Deus potuiſset abſoluta ſua potentia oppoſitum efficere; nunquam tamen effecturus. Sic abſentiam ſubſtantiæ panis ex vi converſionis decernit eadem Synodus œcumenica; quin ideò inferatur, minimè hoc verificari poſſe (nec alitèr obturanda Impanatorum ora) niſi aſseratur, quòd nec per poteſtatem abſolutam potuerit Deus ita Sacramentum inſtituere, ut Corpus Chriſti Domini ſimul cum ſubſtantia panis exiſteret ſub accidentibus. Quamobrem ex eo quod Concilium exprimat naturalem connexionem, tanquam radicem hujus facti, illegitimè arguitur, arctam adeò eſse illam, ut in ordine ad replicationem, nec divinitùs ſeparari queant. Quoniam evincit ſolùm, Deum ita de facto inſtituiſse maximum hoc myſterium, eo quod naturalis illa rerum connexio, mutuaque exigentia id efflagitabat: & aliundè omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, & ordinatiſſimè procedunt; dummodò ad finem præſcriptum, & nonniſi per inſignia miracula obtinendum, neceſsaria non ſit, utilis, aut conducens inverſio ordinis; alioqui ſuſque deque irent abſque ulla prorsùs congruentiæ ratione naturæ leges, quas ipſe condidit. Concedimus rursùs alia etiam via impoſſibilitatem ſuſpenſionis concomitantiæ partium permanentium, adhùc attenta poteſtate abſoluta omnipotentiæ; adjungimus tamen, præfatam impoſſibilitatem ſimpliciter neutiquam ſuboriri ex intrinſeca illa, & reciproca partium conjunctione præcisè; ſed ex illa, quà extrinſecè tali, ideſt ex circumſtantia extrinſeca divinæ promiſſionis factæ Chriſto Domino à mortuis ſuſcitato ad ſtatum gloriæ, quòd ſcilicèt corpus ejus deſtituendum ampliùs nunquam ſit anima, nec dotibus, integritate, ornatuque ullo ex ſe permanente ſpoliandum. Quam circumſtantiam tetigit, aut innuit ſatis Concilium, ut notavimus ſupra. Hæc autem impoſſibilitas planè conſequens neutiquam reſpicere valet actus vitales, quippe qui in Beatis omnibus, & à Chriſto Domino in Empyreo jugitèr naſcuntur, pereuntque jugiter: ſpectat enim hic idem fluxus aſſiduus operationum ad jus ſupremi dominii, & libertatis Chriſti, vi cujus congruit potiùs, ut ita conſtituatur ſub ſpeciebus replicatus, quod poſſet æquè ac in Cœlo, uti pro libito jure hoc ſuo tàm activo, quàm paſſivo reſpectu actuum vitalium volubilium; proindeque non includuntur in promiſſione.

Quæ omnia elucidantur egregiè exemplo ſanguinis, qui ponitur comitantèr ſub ſpeciebus panis, uti & corporis per concomitantiam poſiti ſub ſpeciebus vini; cum aliundè re ipſa nulla vera immediata realis unio intercedat mutuò, vi cujus ſanguis debeat naturali nexu comitari corpus, & vice verſa; niſi tantùm lata illa conjunctio continentis, & contenti liquoris in vaſe. Multòque minùs unitur animæ (ſi ab illa non informetur, juxta vulgarem Philoſophiam) quam nihilominùs per concomitantiam adducit unà cum corpore ad exiſtendum ſub ſpeciebus vini. Adeòque non titulo ſolùm & univerſim connexionis intrinſecæ viciſſim de facto ſe comitantium; alioqui veſtes paritèr, quibus indutus erat Chriſtus Dominus in nocte Cœnæ comitari debuiſſent illum ad Euchariſtiam; ſed aliis titulis ſupra delibatis, mutuam earum partium exigentiam importantibus, perfectionemque ipſi Chriſto Domino & ejus ſtatui glorioſo debitam involventibus, ſeu vi talis connexionis. Sin alitèr nequaquam foret ſanguinis effuſio in Sacrificio Euchariſtico purè repræſentata, ſed ſimul actu exercita, deſineretque eſſe incruentum, cum ſanguis exiſteret à corpore ſeparatus, quamvis non per altare fuſus, ſed intra ſinum miraculi collectus.

Num. 164. Prædicata verò contradictoria, quæ nobis opponit hæc ſententia pro rebus nec à loco, nec ab Agente extrinſeco pendentibus, veram plerunque pugnam, & ſtrictam contradictionem pœnitùs ignorant, ut ex Adverſariorum confeſſione perſpicuum faciam. Porrò ipſi ex trita Scholaſticorum doctrina, quam amplectuntur cum Doctore Subtili in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. Juniores paſsim, inter quos Salmanticenſes laudati, docent, veſtimenta Chriſti Domini ſacratiſſimo illius Corpori, tempore Inſtitutionis hujus arcani conjuncta, nullatenùs fuiſſe poſita per concomitantiam ſub ſpeciebus panis, & vini: uti nec cibus, quem in Cœna ſumpſerat, & in ſtomacho erat. Et aliundè veſtis eſt ornamentum à loco prorsùs abſolutum, & à nullo agente extrinſeco pendens ſimplicitèr, ut conſervetur, cum deferatur ab homine ſemovente ad locum alium. Aderat igitur Chriſtus nocte Cœnæ in uno loco, & in ſpecie propria realitèr veſtibus ornatus; & ſimul in diverſis locis (ubi nimirum Apoſtoli ſedebant) ſub ſpeciebus alienis panis, & vini aderat realitèr ſpoliatus eiſdem veſtibus, quæ prædicata non minùs per ſe ſimplicitèr ſibi mutuò contradicunt reſpectu ejuſdem, quam eſſe album, & non eſſe album, videre hoc objectum, & ſimul non videre ipſum. Et nihilominus, juxta Adverſarios, & juxta omnes, neutiquam illa ſibi contradicunt in diverſis locis, & ſtatibus ejuſdemmet ſubjecti, aut exiſtendi modis, ſub quibus adſit replicatum Corpus Chriſti Domini. ergò nec ſecum pugnare poſſunt contradictoriè hæc alia, dum interveniat diverſitas locorum, & ſtatuum.

Non enim ſubterfugium, aut diſcrimen ſufficiens eſſe poteſt, quòd veſtis non ſit per intrinſecam unionem copulata corpori, ſicut reliqua accidentia, quæ inhærent, operationeſque immanentes. Siquidem licet diſcrimen hoc admittatur ut verum; deſpiciendum venit

quà

quà importunum : quoniam conjunctio illa extrinſeca veſtis cum corpore eſt planè ſufficiens ad hoc, ut realiter de corpore diceretur tunc prædicatione vera ſpectante ad prædicamentum babitus , Corpus Chriſti Domini in propria ſpecie eſt phyſicè realiter veſtitum ; & ſimul ſub ſpecie panis non eſt pbyſicè realiter veſtitum , ſed nudum , ut mox pendebit in Cruce. Ergo aut prædicantur de illo contradictoria à loco prorſus independeutia , & quæ nullum importaut reſpectum ad agentia extriuſeca, aut nullo modo ſibi contradicunt , Chriſtum Dominum videre è Cœlo, ſeù in ſpecie propria objectum aliquod oculis corporeis, & illud minımè videre ex Euchariſtia. Pręterea nou tantùm contradictoria ſunt prædicata intrinſecè, intimèque unita ſubjecto, ſed extrinſeca etiam, ut liquet, vel ex eo quòd in ſubjecta materia forent hæc contradictoria ſtrictiſſima, Corpus Chriſti Domini in hac boſtia numero adeſt realiter indutum tunica Inconſutili ; Corpus Chriſti Domini adeſt in bac numero hoſtia realiter non indutum tunica inconſutili. Inſuper ſanguis, qui ponitur vi verborum ſub ſpeciebus vini nullam intimam immediatam unionem habet cum anima ; & tamen comitatur illum ad ſpecies vini ſimul cum corpore (reſultatura alioqui contradictione, juxta Adverſarios) immò nec cum corpore ipſo intimè copulatur, ut nuper oſtenſum fuit, ſolùmque per venas decurrit inſtar fluvii, niſi quod gyro indefeſſo circumactus eiſdem numero rubris fluctibus, quibus præterlabitur, plerunque revertitur.

Num. 165. Secundò : Scotiſtæ, qui eo contradictionis argumento uſi fuere, frequenter aſſeverant , ſenſationes illas in Empyreo productas replicari quidem phyſicè, ut vitentur præfata contradictoria ; nequaquam verò præſtare effectum formalem , intentionalemque videndi (exempli cauſa) ex utroqne loco objectum ob defectum propinquitatis objectorum , quam requirunt eſſentialiter ad hoc, ut potentia materialis feratur intentionaliter in ipſa , illaque percipiat, quin ad hunc effectum credant ſufficientem propinquitatem objecti in loco, ubi viſio primò exercetur. Non ſunt autem minùs contradictoria ex ſe, videre & non videre formaliter, percipere, & non percipere intentionaliter bic & nunc hoc numero objectum, ac ſunt, ineſſe Chriſto Domino phyſicè qualitatem illam , ſive operationem in ſpecie propria exiſteuti, & nullatenus ineſſe eidem ſub ſpeclebus panis, & vini. Quod autem prima denominatio pendeat ab objecto extrinſeco, & non ſecunda ; in primis voluntariè aſſeritur, cum vel non pendeat in effectu formali exbibendo in loco, ubi replicatur , vel pendeat itidem in phyſicè exiſtendo.

Deindè permiſſa ea differentia ; efficeret illa ſanè, ut eſſet prorſus neceſſaria , inevitabiliſque, prima contradictio, ſi ejuſmodi ſuppnnatur ſecunda, atque adeo efficeret ut Chriſtus Dominus non poſſet adhùc divinitus replicari Sacramentaliter ; non tamen ut non importaret ſecum, poſita replicatione, contradictionem percipiendi intentionaliter, & non percipiendi idem objectum ; eodem modo ac ſecunda involveret contradictionem phyſicam habendi, & non habendi eandem phyſicam qualitatem , aut operationem . Tertio : quid eſt re ipſa in ſenſu formali, ſenſationem eſſe realiter præſentem ſub ſpeciebus? ſanè nihil aliud, conſentientibus Adverſariis, quàm habere modum exiſtendi inextenſum , vi cujus affigatur loco illi, aut ſpeciebus: ſicuti eſſe præſentem formaliter Empyreo eſt habere modum extenſum quantitativè in ordine ad locum illum , cui adeſt circumſcriptivè præſens Chriſtus Dominus. Ergo adeſſe eam ſenſationem ſimul cum Corpore Cbriſti Domiui in Cœlis, & non adeſſe ſimul cum illo Sacramentaliter exiſtenti, eſt revera , præfatam ſenſationem habere præſentiam circumſcriptivam , & non habere Sacramentalem, licet ſubjectum gaudeat utraque ſimul, quæ ſunt præſentiæ non ſolùm uumero, ſed ſpecię diverſæ. At nullam importat rixam contradictionis, ſenſationem habere præſentiam circumſcriptivam , & nou habere ſimul in alio loco Sacramentalem ; tametſi ſubjectum habeat utramque ſimul in diverſis locis : nullam, inquam, pugnam , aut oppoſitionem denominationum ſibi contradicentium, nec ex parte ipſius operationis , nec ex parte ſubjecti. Ergo &c.

Subſumpta probatur ; tum quia contradictio non ſolum eſſe debet de eodem ſubjecto , verum & ſecundùm idem : hic autem exercetur in ordine ad loca diverſa , cum præſentia circumſcriptiva , & ſacramentalis includant formalem reſpectum ad diverſa loca. Tum quia ideo apud D. Thomam, & Theologos omnes, ea quę pendent à loco , ſuntque ipſo priora minimè replicantur , quin ex eorundem nou replicatione ſequatur ulla contradictio , quia exarmatur illa per diverſitatem locorum præſentiarumque à quibus pendeat denominatio ; & aliunde nòn minor diverſitas præſentiarum , & locorum reperitur in denominationibus , de quibus diſſeritur : nec dependentia ſenſationum exteruarum à propinquitate objecti eſt minor. Ex quibus inferes relatè ad evadenda contradictoria in ejuſmodi replicationibus , nullum eſſe prædicatum, cujuſcumque rationis ſit, quod non pendeat à loco ſufficienter ad hunc effectum : maximè eum replicatio ex natura ſua involvat reſpectum ad loca diverſa ; eo tantùm noto diſcrimine , quòd nonnulla prædicata pendent à priori à loco , quo ſunt poſteriora ; & quidem à loco ſecundum ſe , præciſivè etiam à replicatione . reliqua verò ſecundum ſe pendent ſolùm à poſteriori à loco , quantumvis indeterminato , cum non poſſint non exiſtere in ali-

quo,

quo, & longè magis quà replicata, cum replicatio includat per ſe ſtrictiorem reſpectum ad utrumque locum. Tum quia ob parem omnino rationem, ſibi non contradicunt apud Adverſarios duo hæc: Chriſtus Dominus in Cœlo præſens eſt proximè potens elicere ſenſationes; Chriſtus Dominus prout in Euchariſtia præſens non eſt proximè potens, & expeditus ad eas ex ipſa Euchariſtia: quoniam ſcilicet eatenus verificatur, Chriſtum Dominum non poſſe in ſenſationes activè erumpere ſub ſpeciebus, quatenus verum eſt, illum adeſſe ſub ſpeciebus modo inextenſo, qui ſupponitur connaturaliter ineptus ad activè ſe exercendum per actus materiales; & aliunde eſſe extenſum, & inextenſum dicunt eſſentialem reſpectum ad locum, quamquam potentia operativa ſecundum ſe ſit loco prior.

Deinde rogamus, num, ſi ubi circumſcriptivum, per quod redditur Corpus formaliter quantitativè extenſum in ordine ad locum in Empyreo, poſſet venire ad Euchariſtiam, & non veniret, reſultaret contradictio objecta nobis, vel ſecus? Si ſecundum, ergo nulla pariter reſultabit contradictio ex eo quod reliqua prædicata, quæ comitari poſſunt abſolutè Corpus, illud non comitentur, ut evidenter ſequitur ex identitate rationis. Si primum, neceſſariò erunt contradictoria modò, tametſi venire nequeat, eo quod ſit alligatum ſpatio cœleſti, & eo quod non poſſet, licet adduceretur ad Euchariſtiam, præſtare ibi ſuum effectum formalem extenſionis ſub ſpeciebus, cum adſit ibi inextenſio formaliter. Quandoquidem non poſſe deferri per concomitantiam, nihil aliud argueret, quàm non poſſe non ſequi contradictoria, ſi ſemel fiat replicatio Corporis. Sicut ex ſuppoſitione quòd aſſenſus, & diſſenſus circa idem objectum opponantur contradictoriè, qui fingat hypotheſim, in qua potentia cogeretur divinitus ad utrumque ſimul, & ad utramque denominationem, finget eo ipſo hypotheſim in qua neceſſario ſibi contradicant. Contradictio enim verſatur formaliter immediatè inter duo illa extrema, non inter potentiam, & impotentiam veniendi, aliunde ſumptam. Unde ſi extremum comitari nequit ſubjectum replicandum ob eſſentialem alligationem in primo loco, impoſſibilis dicenda foret replicatio corporis, ne de illo prædicata contradictoria plenè dicerentur, quorum pugnaciſſimum conflictum, nec ipſum omnipotentiæ brachium manu armata, & vi infinita, placare valet.

Num. 166. Quocirca prædicatum aliquod independens à loco, illove prius, convenire ſubjecto ſecundum ſe, neutiquam arguit univerſim, neceſſariò conſtituendum, replicandumque eſſe, ubicumque adſit replicatum ſubjectum, ut oppoſita opinio arguit; futuram alioqui litem inextinguibilem contradicentium ſibi propoſitionum; ſed unicè arguit, non poſſe moveri ſubjectum ab uno loco in locum alium, quin illud ſecum deferat, utpotè ſibi copulatum realiter. Ratio eſt: quia licet præfata qualitas conveniat ſubjecto ſecundum ſe, & independenter à priori à loco; non ideo tamen convenit illi eſſentialiter, ſed purè connaturalitèr: ergo quantùm eſt ex hoc capite, ſicut potuit primò produci, divinitùs ſaltem, quin aliud unà cum ipſo produceretur, ita reproduci valet abſque illo. Contradictio verò, quæ inde reſultaret inevitabiliter, ſi in eodem loco fieret, quia haberet, & non haberet illud, utpotè de eodem, & ſecundum idem; exarmatur per diverſitatem locorum, à quibus pendent à poſteriori ſubjectum, & prædicatum, eadem vi, & energia, ac ſi prædicatum illud foret loco poſterius. Tandem non minùs pendent à priori ab objecti propinquitate ſenſationes externæ (quæ reductivè eſt dependentia à loco) quam extrema alia loco poſteriora. Ergo ut ut res ſe habeat circa qualitates alias, circa operationes tamen vitales, maximè externas, nulla aderit contradictio, juxta principia contrariæ opinionis, tametſi earum concomitantia ſuſpendatur.

Ingenuè tamen ſatendum nobis eſt, D. Thomam in 4. diſt. 11. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. oppoſitum in ſenſu aliquo docuiſſe circa extrema permanenter conjuncta, ait enim: *Deus benè poterat facere quòd anima Chriſti à Corpore ſeparata jacente in ſepulchro, eſſet in loco, ubi erat Corpus ſub Sacramento, quia hoc importat reſpectum ad extra; ſed non quòd eſſet ei unita ſub Sacramento ſicut forma, quia hoc pertinet ad diſpoſitionem interiorem. Unde inevitabiliter ſequeretur, duo contradictoria eſſe ſimul* Idemque aſſeverat in Corpore articuli. In ſenſu, inquam, aliquo verificante D. Angelici mentem illuminatiſſimam, & illuminantem; non idcirco tamen ſubvertentem doctrinam ex communi Scholaſticorum voto nuper traditam. Ratio hujus non eſt illa, quam Neoterici frequenter hauriunt ex Doct. Eximio diſp. 48., quòd ſcilicet contradictoria minimè ſint, Corpus eſſe vivum hic, & mortuum illic; uti ſunt contradictoria hæc Corpus eſſe vivum, & non eſſe vivum: quoniam ſecunda negativa, utpotè malignantis naturæ, negat vitam univerſim pro omni loco. Non ſanè eſſe poteſt hæc genuina ratio, ſiquidem licet præſata doctrina abſolutè vera ſupponatur, neutiquam ſalvat mentem D. Thoma, qui aſſeverat, adfutura inevitabiliter contradictoria, ſive hoc, ſive illo modo exponantur, in eo, quod Corpus Chriſti Domini eſſet animatum in uno loco, & non in altero. Ergo affirmare, illa non eſſe contradictoria in acceptione aliqua, pœnes quam exiſtere re ipſa ſimul poſſent, tametſi, verum eſſe, permitteretur, contradiceret menti D. Angelici; quod & à mente, & voluntate noſtra alieniſſimum eſt.

Vera

Vera igitur ratio, & reſponſio eſt illa, quam tetigimus ſupra, Etenim certiſſimum eſt, Deum Optimum Maximum non aliter decreviſſe redemptionem generis humani, quàm per veram ſimpliciter mortem Chriſti Domini; proindeque decrevit, Corpus ipſius per triduum anima privandum, conſequenterque ſimpliciter non vivum pro eo temporis ſpatio: decrevitque inſuper, quòd recuperare ſimpliciter deberet illam per reſurrectionem. Hæc veritas probationes minime deſiderat; eſt enim veluti primum fidei noſtræ elementum, Chriſtum Dominum fuiſſe pro nobis ſimpliciter mortuum. Rurſus ita de facto contigiſſe, ut nullibi fuerit in triduo illo Corpus ejus animatum, ſeu vivum, adhuc ſub ſpeciebus ſacramentalibus, docent ad unum propè omnes Theologi. Si Aſceticos nonnullos cum Alenſi excipias, qui in pectore Virgineo ſub ſpeciebus permanſiſſe animatum, piè crediderunt. Si autem ita de facto contigit, manifeſtum eſt, ita de facto fuiſſe à Deo ſtatutum, aut decretum. Quamobrem eo decreto præſuppoſito, ordinationeque divina ſi per hypotheſim fuiſſet in Euchariſtia animatum triduo illo, ſequeretur inevitabiliter, Chriſtum Dominum non fuiſſe ſimpliciter mortuum, vel Corpus non fuiſſe eo tempore ſimpliciter non vivum, cum foret vivum alicubi, ſive non mortuum. Aliunde Deus efficaci decreto (adeoque infruſtrabili) ſtatuerat; quòd exiſteret in præfato triduo ſimpliciter non vivum, ſive mortuum ſimpliciter, & ex conſequenti nullibi vivum, aut non mortuum. Ergo ex ſuppoſitione illius decreti reſultarent infallibiliter contradictoria, atque adeo optimo jure potuit D. Thomas reſultantiam contradictionis affirmare, quæ eſt contradictio conſequens; tametſi præciſivè ab ea ordinatione divina nulla foret implacabilis contradictio antecedens in eo, quod alicubi foret animatum, alibi autem anima deſtitutum.

Neque in oppoſitum hujus reſponſionis quidquam ſuadent illa verba; *quia hoc pertinet ad diſpoſitionem interiorem*; quandoquidem loquitur de interiori diſpoſitione, ut ſubſtanti decreto illi; ideo tamen exprimit prædicata intrinſeca, ut innuat Deum decreviſſe tantùm illorum comitantiam; cum mutuò intrinſecè ſe compleant, & exigant; non verò aliarum qualitatum, aut operationum facilè mobilium, quæ ad inſtar intrinſecarum ſe habent. Conſequenterque pro triduo ſtatuiſſe eorundem ex ſe permanentium ſeparationem ſimpliciter: ex quo extremo negativo à fortiori ſequitur ſeparatio è corpore operationum vitalium, quarum eſt planè incapax corpus anima deſtitutum; quamvis nullo modo ſequatur earundem comitantia ex poſitiva extremorum permanentium conjunctione, quia notum ſatis eſt mundo Philoſophico diſcrimen inter effectum poſitivum, & negativum, qui ad inſtar mali ex quocumque defectu naſcitur; cum ille integram cauſam expoſcat, ſæpe integerrimam deſideret.

Num. 167. Hanc interpretationem mentis D. Thomæ hic, haurio ex mente ejuſdem alibi, nempe 3. p. q. 76. art. 1. ubi, in eundem ſenſum diſputans, aſſeruit, animam Chriſti Domini informantem ejuſdem Corpus Sacratiſſimum in propria ſpecie, non poſſe non comitari ipſum ad Euchariſtiam, ob realem conjunctionem utriuſque. Idque diſtinctiùs explicans in reſponſione ad primum inquit: *Sed quia Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur (ut dicitur Romanorum ſexto) anima ejus ſemper eſt realiter Corporis ejus unita. Et ideo in hoc Sacramento Corpus quidem Chriſti eſt ex vi Sacramenti, anima autem Chriſti ex reali concomitantia.* (ex quo fonte deſumpſit verba Synodus Tridentina). Ubi ſupponit ex D. Paulo, Chriſtum Dominum non ſolùm non moriturum iteratò, attenta potentia ordinaria; hoc enim modo nec mori poterat, antequam moreretur; cum nonniſi per miraculum ſuſpenſivum gloriç, quæ derivanda foret in Corpus, pati potuit, adeoque mori. Sed attenta etiam potentia abſoluta, ac proinde impoſſibilitate conſequenti decretum Dei infruſtrabile. Deinde Apoſtolus, & ex eo Divus Thomas quodammodo ſubinferunt, Chriſtum Dominum non moriturum iterum, eo quod ſurrexerit à mortuis ad ſtatum gloriæ, quia ita decretum erat à Deo. Et aliunde non minùs Corpus, quod eſt ſub ſpeciebus reſurrexit, nec minùs glorioſum eſt, quàm in propria ſpecie. Ergo decretum ulteriorem ejus mortem repellens negat ſimpliciter carentiam vitæ, etiam in Euchariſtia, & ubicunque ſit. Adeoque ex præſuppoſitione illius divinæ ordinationis contradictionem importaret eſſe vivum in Empyreo, & mortuum, ſeu non vivum in Euchariſtia. Et exadverſo, quia decreverat mortem ſimpliciter pro eo triduo, impoſſibile erat impoſſibilitate conſequente, Corpus eſſe vivum in Euchariſtia, & cadaver in ſepulchro.

Non aliò igitur reſpexiſſe credimus Div. Thomam in utroque loco, niſi ad impoſſibilitatem conſequentem divinum decretum, vi cujus poſt reſurrectionem debet eſſe ſimpliciter Corpus vivum (adeoque nullibi non vivum) debuit eſſe Corpus in triduo ſimpliciter non vivum ubique, itaut impoſſibile ſit oppoſitum impoſſibilitate conſequenti. Quapropter ſi alicubi foret modò inanimatum, ſeu non vivum, falſificaretur univerſalis affirmativa de vita in omni loco per particularem negativam vitæ in loco aliquo, & ſtatu. Illa tamen univerſalis, eſſet quidem vera connaturaliter ſolùm, attentis rerum naturis, & exigentia; non autem eſſentialiter, & in ordine ad poteſtatem abſolutam Dei: eſt tamen vera eſſentialiter ex ſuppoſitione divini decreti; atque adeo tantùm ſunt eſſentialiter

ad

ad invicem pugnantia ex ea ſuppoſitione, & veluti conſequenter. Atque adeo reſpectu earum qualitatum, aut operationum, quas minimè comprehendat ejuſmodi decretum (ut nullatenus complecti volubiles, & facilè abeuntes, oſtenſum abundè fuit) nulla erit contradictio antecedens, nec conſequens in exiſtentia illarum in uno loco, & non in altero. Immo nec contrarietas connaturalis ex defectu mutuæ partium exigentiæ, ut dictum eſt fusè.

Dices: quod Chriſtus Dominus non ſit iterum moriturus, neutiquam referri à Div. Thoma in ordine ad ſcopum à nobis intentum, ſed eo præcisè fine, ut ſubinferat inde extituram indefectibiliter animam in Euchariſtia per concomitantiam, quia jam ex decreto Divino firmum eſt, ſideque ſanctum, ouuquam iterum moriturum, ac ſubinde nunquam ſeparandam à Corpore in propria ſpecie. Reſpondeo, admittendo lubenter cum Div. Thomæ finem; dummodo tamen ulteriorem nuper inſinuatum minimè excludat: quamoptimè ſiquidem conciliantur inter ſeſe: quoniam ex eo quod impoſſibile ſit, impoſſibilitate conſequenti decretum (à quo ſi præſcinderetur, potuiſset divinitus iteratò mori) Corpus Chriſti Domini à mortuis jam ſuſcitatum non eſse ſimpliciter vivum, adeoque nullibi non vivum, cum in quocumque loco, ubi ſit realiter præſens, verum ſit de illo, etiam quà ibi præſenti, è mortuis jam ſurrexiſſe; & ſicut inde legitimè infertur, nunquam defecturam comitantiam animæ in Euchariſtia, eſſeque prorſus neceſſariam neceſſitate conſequente illud decretum; ita æquali neceſſitate deducitur propoſitionem negantem exiſtentiam animæ in Euchariſtia per concomitantiam eſſe contradictoriè oppoſitam affirmativæ univerſali, quæ eſt ſimpliciter vera, etiam attenta poteſtate abſoluta Dei, non ſanè antecedenter, ſed conſequenter uſurpata. Ubi ergo S. Thomas ſatis clarè deſignat fontem contradictionis conſequentis decretum, ſivè conſideretur ſtatus præſens, de quo in hoc loco diſſerit, ſivè ſtatus Corporis in triduo, de quo in loco objecto, nequidquam infertur ex Div. Thomæ verbis alia contradictio antecedens, cum ſufficiat conſequens, & cum hæc reipſa colligatur ex doctrina S. Doctoris, & non alia, niſi voluntariè deducta. Cum igitur nulla ejuſmodi neceſſitas, aut impoſſibilitas conſequens præſupponatur, vel probetur, nti oeutiquam ſupponitur circa volubiles ſenſationes (immo & ſi foret antecedens circa alia omnia, circa illas eſſe nequiret, cum dicant reſpectum ad aliquid extrinſecum, propinquitate videlicet objectorum: adeoque nulla ſequeretur contradictio ex non comitantia, juxta doctrinam Divi Thomæ; tametſi ſequeretur apud ipſum, ex non comitatu animæ). nulla erit contradictio in eo, quod inſint Chriſto Domino in propria ſpecie, & nequaquam in aliena. Id quod mihi clariſſimum ſemper viſum eſt; quamquam nonnullis oppoſitum appareat luculentius. Sic vix aliquid in Philoſophia obſcurius naturâ luminis, luciſque, de reliquo ſplendidiſſimâ, & in conſpectu omnium poſitâ: confundamus præſumptionem noſtram argumento Chriſti Domini Matth. 6. *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt?*

SECTIO NONA.

Ulteriora objecta diluuntur, & Nebulæ quædam fugantur, è quarum fuga clareſcit amplius opinio noſtra.

§. I.

Num. 168. OBJICIES ſextò. Si Chriſtus Dominus Sacramentaliter exiſtens poſſet è quovis Euchariſtiæ minimo operationes vitales, ſenſuumque functiones primò elicere, ſequeretur neceſſariò, quamlibet ejus potentiam, ſive materialem, ſive ſpiritualem, habituram vires penè infinitas, aut ſaltem nullo determinato operationum numero exhauribiles; cum tot ſint præſentiarum Sacramentalium myriades, tot Mundi loca, in quibus ſub ſpeciebus latet, tot inquam Hoſtiæ minima, ſub quibus integer adeſt Chriſtus Dominus, ut in eorum ſuppatatione, vel Aritbmetica exbauriatur, vel nimiùm defatigetur. Simul igitur, & ſemel innumerabiles producit viſiones materiales, v. g., objectorum, quæ non modò ſunt inter ſe planè diſſita, verùm & planè diverſa. Incredibile autem videtur judicio prudentum, etiamſi potentia viſiva, uti & quæque alia Beatorum, futura ſit longè perſpicacior, vegetiorque noſtris, & quamvis multò adhuc nobiliùs, & efficaciùs in Chriſto Domino veluti in capite totius Eccleſiæ reſideant perfectiſſimi ſenſus, potentiæque quaſi univerſales, reſpondentes immenſo ferè conjuncto ſui myſtici Corporis; incredibile, inquam, eſt, ſuppetere illi vires ſufficientes ad infinitudinem ſimultaneam viſionum. Neque ſatis occurritur huic naturali reflexioni per abſolutam poteſtatem Dei, confortantis mirabiliter ſenſus & potentias Chriſti Domini, & miraculosè juvantis, & conatu efficaciori influentis.

Tum quia ultra miraculum operandi, dum potentiæ materiales ſunt actu inextenſæ: dum carent ſpeciebus, quæ ab objectis naturaliter trajiciuntur, quarum defectus ſuppleri debet ab omnipotentia, vel infundendo ſpecies à ſe productas, vel ſine ſpeciebus ullis exhibendo concurſum, quem ipſæ perſtarent. Ultra hæc, inquam, & id genus alia, deberet concurſus miraculoſus Dei ſupplere vires potentiarum, & ſenſuum, vel ad hoc etiam ut inſtrumentaliter coope-

rentur, eo quod virtus illorum, utpotè limitata ex una parte, & ex alia nonnihil influxns activi exerens (ut eſſe poſſit cauſa) nequeat pollere viribus ſufficientibus ad numeroſitatem interminabilem operationum ſimultanearum. Ubi enim operationes ſunt infinitæ, tametſi perexiguus concurſus in unamquamque exhibeatur, ſemper tamen ex omnibus ſimul arguerentur vires infinite per infinitas operationes diſperſæ, eum vel ex finitis guttulis coaleſcat flumen, quin & Pelagus. Et aliunde virtus ipſa potentiæ, per quam concurrat, adhuc purè inſtrumentaliter, exhauribilis ſimpliciter eſt, cum ſit finita. Confirmatur, urgeturque ſimul: quoniam quidquid de viribus phyſicè activis ſit, quarum defectus ſupplebilis apparere poteſt; paſſivæ tamen per nullam Dei potentiam ſuppleri poſſunt ob imperfectionem, quam paſſio includit, aut connotat. Et aliunde, cum virtus paſſiva cujuslibet potentiæ ſit limitata; operationes verò, quæ in eadem ſimul reperirentur ſine limite forent, & ſine numero; neceſſariò illa, multò magis quàm activa, impotens evaderet ad eas unà ſubjectandas. Conſimilis diſcurſus formatur circa vim intentionalem percipiendi conjunctim interminatum vulgus objectorum, loco, ſpecie, & modo diſtantium; reſultaret namque confuſio, & informis objectorum ſtatus intra potentiam, quæ videret homines, tanquam arbores ambulantes, nec poſset diſtinguere inter illa, aut unum ab alio ſatis diſcernere. Quinimmo obrueretur multitudine, eſsetque cœca, nimis videndo, ſeu præ infinito viſionum numero ſine numero (maximè cum nec potentia intellectiva, tantò ſublimior, capax ſit ejuſmodi amplitudinis) vel maſsa rudis, indigeſtaque moles, indiſcriminatim ex omnibus conficeretur, quæ ſenſum gravaret, potiùs quàm inſtrueret.

Num. *169.* Non meminit objectio hæc aſserti noſtri diſtinctim, ſed inconfusè, & ex falſo præſuppoſito. Diximus namque ſectione proximè præterita, ex omnibus Hoſtiæ minimis produci activè eandem numero viſionem circa idem objectum, dum illud adeſt omnibus æque proportionatum, & ſufficienter propinquum; per impoſturam igitur, aut invidiam adſcribitur aſsertioni noſtræ infinita numeroſitas viſionum, exempli cauſa, ex quavis Hoſtia, aut orbiculo; tametſi circa objecta diverſa, & juxta numerum hoſtiarum, & particularum per totum orbem exiſtentium eliciantur quamplures viſiones, nunquam tamen infinitæ, ſed in limitato prorſus numero, conſequenterque nullam virium infinitudinem exigentes. Priuſquam verò objectum nodum directè ſolvamus, retorquendus eſt ipſe in adverſam opinionem, quæ, vel ad illum enodandum cogenda eſt, vel ad eundem nobis inpoſterum non ultra objiciendum.

Inſtantia namque, cui latè patet ejuſmodi calculatio, adeo perſpicua eſt & indubitata, ut vel ab Adverſariis toleranda ſit ruina ſententiæ ſuæ, aut pro nobis etiam objectio ab eiſdem diſsolvenda. Porro contraria opinio, immo univerſalis, conſtantiſſimuſque Theologorum conſenſus, docet, Chriſtum Dominum in Euchariſtia ſe exercere de facto per actus ſpirituales à phantaſmate omnino independentes, puta per actus ſcientiæ infuſæ, quin & acquiſitæ; cum trita valde doctrina ſit, quæ aſſerit, quemlibet etiam Beatum poſſe intelligere quæcumque objecta ſine converſione ad phantaſmata: cum verò ſint infinitæ præſentiæ Sacramentales, ſi ultra Hoſtias, & particulas per Eccleſiam Catholicam conſecratas, partes, minimaque, uniuſcujuſque Hoſtiæ in infinitum diviſibiles cum Ariſtotelicis credas; innumerabiles, infinitieſque infinitæ erunt neceſſariò operationes intellectus, & voluntatis Chriſti Domini ex Euchariſtia; cum plerunque apud Adverſarios ex quovis Hoſtiæ minimo actus præfatos emittat; & non eundem numero ex omnibus. Id autem efficaciùs urget adhuc in potentia paſſiva, cum hæc ultra actus è quovis minimo productos ſubjectare debeat per concomitantiam omnes ex quocumque alio loco, aut præſentia, emiſſos, cumularenturque uſque ad immenſum infinitudinum acervum in quolibet puncto.

Rurſus per aliquam ſublimem, & univerſaliorem intellectionem plura ſimul objecta percipere poteſt, quàm per complures ſenſuum operationes: unde multiplicatis ſine numero intelligibilibus, confuſio eorum creſcet ita, ut nec intellectus Chriſti Domini lumine ſupremo conſortatus eſſe poſſit capax illa ſimul percipiendi per actus ſcientiæ acquiſitæ, vel infuſæ. Ad hanc infinitam operationum numeroſitatem impotens planè eſt naturalis facultas potentiæ intellectivæ, quantumvis longè, latèque ſuperet amplitudine, & ſublimitate materiales omnes potentias. Aut igitur elicit activè eas operationes per vires ſolùm connaturales, aut aliùndè ratione ſtatus debitas; & ſic miraudum minimè eſt, quòd potentia materialis poſſet quà elevata ex illa locorum multitudine ſe exercere, cum ſpiritualis id efficiat abſque ulla elevatione. Si miraculis opus eſſe credas; in primis jam non eſt, cur tantopere averſeris factum, a noſtra opinione aſſertum, titulo præcipuè repellendi miracula, cum ſimilia omninò ipſe invebas; & quidem vel nulla, vel longè minori utilitate, cum oculis mentis intueatur nos æque è Cœlo, ac ex Euchariſtia, atque adeò non apparet in ea operationum exercitatione ex Euchariſtia color ille, aut titulus conducens ad bonum fidelium, & finem inſtitutionis arcani, qui multa ſimul luce reſplendet in ordiue ad uſum potentiarum materialium, & ſenſuum, quos exercere non poteſt erga nos, noſtraque ex Empyreo, & quorum operatio ex unaquaque Hoſtia, aut Calice, ſuppoſita obje-

cti

cti ſufficiente approximatione, eſt una numero frequenter, juxta principia altè jacta ſectione præcedenti. Et (ut eiſdem armis, quibus impetimur, aggrediamur impetentes) cum virtus illa intellectualis activa, ſit limitata, deveniendum erit tandem ad ultimam ejus ſcintillam, ad impoſſibilitatemque nobis objectam, etiamſi illam diceres elevatam, ſi quæ nobis opponis, umbram ſaltem habeant rationis, & nonnihil ſoliditatis.

Num. 170. Si per nova prodigia, vireſque ſupernaturales additas recuſent Adverſarii difficultatem à ſe excutere, aut ſaltem conari, adjungantque, nullas eliciturum activas operationes intellectuales, ubi vires naturales langueant, deficiantque ad activè influendum in ulteriorem actum, itaùt nullum jam producere valeat ex quamplurimis, immò nec ex infinitis particulis; ſed habiturum ibi ſolùm per concomitantiam, quas alibi elicuerit; doctrinam Exoticam, & dedecentem non parùm Chriſti Domini majeſtatem, invehis: fieret enim indè Chriſtum Dominum in infinitis locorum ſpatiis, & accidentium minimis; quin & ex integris hoſtiis conſecratis, adeſſe incapacem prorſus cognoſcendi, aut intuendi oculis mentis objecta circumſtantia: licet enim per ſcientiam infuſam poſſit in actu primo omnia cognoſcere; non ſemper actu omnia cognoſcit, aut de illis neceſſariò cogitat, ut S. Thomas docuit 3. part. qu. 11. art. 5. vel fruſtra igitur, vel in incertum ſaltem preces ſuas funderent homines coram venerabili terque Auguſto Euchariſtiæ myſterio. Et quamvis per ſcientiam beatam, illa actu in divina eſſentia videat (quam viſionem beatam comitanter adducit ſecum ad omnem ſui præſentiam Sacramentalem) & voluntatem per actus ea ſcientia regulatos circa illa exerceat (quos pariter affert comitanter) nullum tamen de novo actum ex præfatis locis erga illa emittere poſſit. Unde non eſſet cur ad ejus præſentiam ſub ſpeciebus confidenter recurrerent fideles, ut precibus, ſingultibuſque ſuis ejus pietatem commoverent. Quinimmò nec ad ipſum prout in propria ſpecie exiſtentem in Cœlis, cum eſſe poſſent exhauſtæ vires, tum cognoſcendi, tum amandi, aut miſerendi, quin erumpere poſſit in ulteriorem actum aliquem.

Ulterius: vel potentiam paſſivam ſubjectandi reſtringis etiam proportionatè ad activam, vel ſecus? ſi primùm illud. ergo dum omnes vires activas, adhùc ut elevatas, exercet intellectus, non poterunt actus illi per comitantiam replicari per omnes hoſtiæ, & hoſtiarum partes, cum eo ipſo reciperentur in pluribus, & fierent tantùm in una; eſſetque idcircò latior potentia receptiva, quàm activa: ſiquidem licet ſit eadem, affert tamen novam præſentiam, & novam actionem adductivam. Si ſecundum: voluntariè reſtringis vim activam; cum hæc faciliùs poſſit divina virtute juvari potiùs quàm illa, & inſuper poſſet ſaltem intellectionem à Deo infuſam ſine fine recipere.

Præterea quamquam ex plurimis partibus, & ſpecierum locis, poſſet eos actus exercere, cum reſcire neutiquam poſſint fideles, ex qua parte, aut loco ſit potens ad cognoſcendum, & amandum per actus recenter editos ad conſpectum calamitatis præſentaneæ, & fletus exundantis, dubia fide rogaturi accederent ad aram, ut Chriſtus Dominus eorundem vota exaudiret, & miſericordia permotus opem ferret præſentiſſimam; potiùſque id efficerent ex propria domo, platea, aut campo, ſuſpiria ad ipſum quà Empyreo in ſpecie propria præſentem; cum præſumendum foret, in eo potius majeſtatis loco, & ſede propria gloriæ conſervaturum vires ſufficientes ad eos actus ingenti neceſſitate, & occaſione eliciendos; vel ſaltem non eſſet cur immediatius ad altare, ubi pateat venerabile, quàm ad ipſum Chriſtum Dominum quà Patri in Cœlis aſſidentem, fieret recurſus. Indeque reſurgerent impetuoſiùs hæretici, eorumque furor, inutilem dicens realem Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus panis, & vini, cum effectum gratiæ, gratiarumque cauſaret abſque ea præſentia, ut in reliquis Sacramentis contingit. ad alios verò recurſus ægrè deſervire poſſet, cum ignotum eſſet accurrentibus, num ex illo altari perciperet, intentionaliter adhùc, gemitus ſuos ita, ut poſſit ſubvenire miſero illi ex imperio elicito. Immò efficeret præſentia Euchariſtica infinities replicata, ut vel in propria Sede Empyrei exiſteret effeta illius virtus cognoſcendi novo actu, & per voluntatem exercendi miſericordiam. Undè nec per concomitantiam novum illum actum commiſerationis habere poſſet in Euchariſtia, & inſuper, ſi per ſolam concomitantiam ex Empyreo mendicare illos oporteat, non minùs ex omni loco extra templum latiſſima, æque brevis, rectaque patet via ad ipſum, proùt Cœlis præſentem. Rurſus circa paſſivam, ſeù receptivam virtutem tot operationum intellectualium, perceptionemque intentionalem ſimultaneam innumerabilium objectorum (niſi illam limites etiam, & effetam dicas, ut ſic exiſtat, veluti truncus in multis hoſtiæ partibus) reſtat ſuperanda ab Adverſariis eadem omninò difficultas, & eiſdem terminis propoſita, quibus objecta, ſubindeque ab arguentibus ipſis expectat reſponſionem argumentum. Interim tamen dum illa expectatur.

Num. 171. Reſpondendum & ſimul notandum, potentias, ſenſuſque cujuſpiam Beati, & ex conſequenti ſublimiùs multò Chriſti Domini, tum gloriæ dotibus, tum diſpoſitionibus aliis verè cœleſtibus inſtrui, quibus mirum in modum confortantur. Tum per refluentiam quamdam ex ipſa viſione beata in facultates ſenſitivas derivanda, ut

docet S. Thomas 1. 2. qu. 3. art. 3. in infinitum propriè augeri. Quapropter S. Proſper lib. 1. de vita contemplativa cap. 11. (quamquam tractatus ille Divo Juliano Archiepiſcopo Toletano, ut jamdiù eruditiſſimis viris placuit, omninò attribuendus ſit) inquit; *incorruptibilium corporum viſus utique incorruptibilis erit, & ita ſine comparatione vivacior, quàm hìc ſit; ut ei aliquid viſibilium clauſum eſſe non poſſit*. Cum igitur Lynces, Aquilæ, & Dracones tanta vigeant perſpicacitate, ut ſint admirationi, quæ de accerrima ipſorum acie narrantur; quibuſcum aptè compares invidiam, & malevolentiam, ut fecit Horatius.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm,
Quam aut Aquila, aut Serpens Epidaurius.)

Immeritò denegaretur ea perſpicacitas hominibus glorioſis, ne alioqui ſuperentur acumine ab irrationabilibus. Ideò facultatem viſivam pluſquam lynceam Corporis glorioſi præſtaturam Aquilis, animantibuſque acutioris viſus abſolutè protulit S. Antoninus 3. par. ſum. tit. 30, Medina, & frequenter Scholaſtici,

Rurſus, de notiſſimo illo Argonauta celebratur prodigioſus oculorum vigor, inſolituſque nimium, qui, ut in fabulis, & à Vatibus, præſertim Valerio Flacco, refertur, eſt planè incredibilis. Uti & de Strabone, cujus potentiæ viſivæ ſphæra ultra milliaria tredecim protendebatur, ſi fides adhibenda ſit Valerio Maximo, Plinio, Solino, & Martiali lib. 9. Epigram., quin ferunt, è Promontorio Lilybeo, ingruente bello Punico, claſſem inimicam è portu Carthaginis ſolventem vidiſſe ita diſtinctè, ut naves, ſive triremes numerarit. Quænam igitur repugnantia inveniri poteſt, aut quæ non aderit congruentiæ ratio ad concedendam ſimilem viſus ſtrenuitatem, majoremque longè amplitudinem, & acumen oculis glorioſis? ut ſcitè inferunt Major, Rubion, & Ledeſma, quos imitantur complures. Eandem fuiſſe mentem S. Auguſtini innuunt ſatis verba illa lib. 22. de Civitate Dei cap. 29. *In illo ſpirituali corpore videbunt Sancti omnia, non ſolùm ſi oculos claudant, verùm etiam undè ſint abſentes corpore.*

Quapropter minùs juſtè P. Henao de Empyreo Cœlo lib. 8. exercit. 28. ſect. 16. num. 225. carpit Medinam, eo quod præfata Auguſtini verba uſurpaverit de viſione corporea; cum ſolùm de intellectuali accipienda fore exiſtimet Henao. Non juſtè carpit; quoniam ſi de viſione oculorum mentis propria loqui vellet Auguſtinus, importunum foret advertere, quòd ex corpore, quaſi ſpirituali facto poſt Reſurrectionem, viſionem præfatam eliceret. Importunum etiam ponderare vim illam perceptivam ex eo, quod ſive clauſos habeat oculos, ſive adeò ab objecto remotos, ut verè dicantur abſentes ab illo, nihilominus ea perſpiciat, cum ſit exploratum, circumſtantias illas futuras omninò impertinentes, ſi de viſione purè intellectuali ſermonem faceret; ſiquidem ad illam obicem nullum inducit, qui oculos claudat: immò ea occluſio juvare per ſe conſuevit ad contemplationem ſtatui viæ proportionatam. Reſpectu autem viſus corporei in Beatis præſefert mirum aliquid inexpertum nobis, attamen omninò verum, eo quod dote claritatis adeò pellucidæ redduntur palpebræ, ut non minùs clauſis, quàm reductis illis clariſſimè intueatur objecta. Sin aliter occluſis oculis fieret nox Beato illi; hæc autem, adhùc voluntariè quæſita, foret nimiùm aliena ab illa Civitate, de quâ Apocal. 21. *Nox enim non erit illi*. Neque rurſus per ea verba poteſt aptè intelligi occluſio ſpiritualis, ſive oculorum mentis, nolente Beato applicare aciem intellectus ad cogitandum de objecto aliquo creato; ſiquidem tunc nulla foret præfati objecti viſio; quam aliundè adſtruit Auguſtinus clauſis etiam luminibus; de corporeis oculis diſſerebat igitur Doctor ille, qui Aquilinam perſpicaciam bene noverat, & inconniventibus palpebris hauſerat.

Num. 172. Accinit S. Bernardus ſerm. 8. in Pſalm. 90. dum ait; *Tanta capiet oculus reſurrectionis, quanta nec auditus, nec animus ipſe* (nunc) *capiat*. Pariter S. Thomas in quartum diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. §. *vel dicendum*, ubi inquit: *& quia in Sanctis erunt omnes Potentiæ perfectiſſimæ, una poterit intensè operari, ita quod ex hoc nullum impedimentum præſtabitur actioni alterius, ſicut & in Chriſto fuit*. Et ibidem quæſtiun. 4. ad ſextam. *Quantò ſenſus eſt perfectior, tantò ex minore immutatione facta poteſt objectum ſuum percipere. Quantò autem ſub minori angulo viſus à viſibili immutatur, tantò minor immutatio eſt, & inde eſt, quòd viſus perfectior magis à remoto aliquid videre poteſt, quàm viſus debilior: quia quantò à remotiore videtur, ſub minore angulo videtur. Et quia viſus Corporis glorioſi erit perfectiſſimus ex parviſſima immutatione poterit videre, unde ſub angulo multò minori videre poterit, quàm modò videat, & per conſequens multò magis à remoto*. Ita etiam D. Seraphicus in 4. diſt. 49. part. 2. art. 1. qu. 2. Ita S. Bernardinus to. 3. in Quadrageſimali Seraphico ſerm. 49. par. 2. principali, ubi de oculis corporeis Beatorum ait: *Videbunt ita clarè à longè, ſicut de propè*, & Patres ſæpiſſimè, quorum veſtigia premunt Hugo Victor. Toſtatus, Salmeron, & Expoſitores frequenter. Idem affirmat Guillelm. Pariſienſ. de univerſo par. 2. cap. 32., Doct. Subtilis in quartum diſt. 49. quæſt. 14. dicens: *Virtus viſiva intenditur reſumpto corpore glorioſo, quia, ut videtur, tunc poterit ſine difficultate viſibile quodcumque videre inſpiciendo*. Aureolus in 4. diſt. 50. art. 4. Ferrarienſis, Doct. Eximius tom. 2. in 3. p. diſp. 47., Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. Granados, Tannerus, Ægydius Luſitanus, Salas, Henao, & Recentes propè omnes.

Et

Et ſanè cum perſpicaciam viſus, aliorumque ſenſuum in ſtatu innocentiæ præſtantiorem incomparabiliter noſtra ſupponant, & ſuadeant viri Doctiſſimi, de quo videndus Cedrenus in compendio Hiſtoriarum; conſentaneum divinæ providentiæ, & bonitati erat, jacturam illam per lapſum primi hominis in ſenſus etiam derivatam (ut fatalem eam ruinam omnia ipſius membra, partes omnes altè ſentirent) non ſine fænore reparari per Corporum glorioſam Reſurrectionem, reſtituente ſecundo Adamo, & ad nobiliorem ſtatum elevante naturam, quam miſeram effecerat primus homo: in omnibus enim, in quibus abundaverat pœna, ſuperabundavit Reparatoris gratia.

Quamquam enim Geneſ. 3. referatur, quòd immediatè poſt vetiti pomi eſum: *aperti ſunt oculi amborum*; id autem deſervire potuit ad hoc ſolùm, ut viderent ſuammet cæcitatem, deflerentque plenis oculorum alveis primam illam malorum omnium labem, vi cujus è Paradiſi honore, & juſtitiæ originalis culmine dejectos, velut totius Orbis Phaetontas deturbavit vindicta omnipotentis; non verò quia vegetam oculorum aciem unà cum juſtitia originali acceptam, ex integro retinuerint. Jam verò modus novum illum, præſtantiſſimumque vigorem conferendi ſenſibus glorioſis, & Potentiis, multiplex eſſe poteſt, ut attigimus ſupra. Primus deſumitur juxta D. Auguſt. Epiſt. 56. ad Dioſcorum, ex ipſa beatitudine animæ, è qua refluere vim quammaximam in ſenſus Beatorum arbitratur Auguſtinus, cujus mentem refert, & ſequitur S. Thomas 1. ſecundæ quæſt. 3. art. 3. Corpore, inquiens: *Quia poſt reſurrectionem ex ipſa beatitudine, ut Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Dioſcorum, fiet quædam refluentia in Corpus, & in ſenſus corporeos, ut in ſuis operationibus perficiantur; ut infra magis patebit, cum de Reſurrectione agetur.* Idipſumque iterum inſinuat ibidem in reſponſione ad tertium; cui deinde modo ſubſcribunt perplures: eſt enim illa exuberantia gloriæ adeo connaturalis perfectæ beatitudini, ut ſi non redundaret, ex parte aruiſſet, quia deſiderandum aliquid ſupereſſet.

Num. 173. Secundus modus delibatur etiam à D. Thoma in quartam diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 4. diſputante ſic: *Quandò unum duorum eſt ratio alterius, occupatio animæ circa unum non impedit, nec remittit ocupationes ejus circa aliud. Et quia Deus aprehenditur à Sanctis ut ratio omnium quæ ab eis agentur: ideo occupatio eorum circa ſenſibilia ſentienda, vel quæcumque alia contemplanda, aut agenda, in nulla impediet divinam contemplationem, nec è converſo.* Quem ſenſum mirè elucidat Doct. Seraphicus in quartam diſt. 49. art. 3. q. 1. in concluſione, dum ait: *Ad illud verò, quod objicitur, quòd nullus ſit ſenſus, quia unus actus impedit alium, dicendum, quòd verum eſt, quando unus non ordinatur ad alium, non ſic in propoſita; ſed actus rationis redundat in ſenſum, & actus ſenſus ordinatur, & ſubvenit actui rationis: & ideo unum vigoratur ab alio.* Tam longè, abeſt ut una operatio aliam, vel retardet, vel minuat, ut potiùs illam augeat, & juxta D. Seraphici ſententiam, mutuò ſe foveant, vegetioreſque ex conſortio operandi ſiant viciſſim.

Tertius modus credit, per dotes gloriæ confortari vividiſſimè, & virium acceſſionibus intendi ſenſus omnes Beatorum cum probatiſſima Theologorum opinione: maximè ajente S. Thoma in 4. diſt. 44. qu. 2. art. 3. quæſtiun. 1. ad tertium. *Per dotem agilitatis corpus glorioſum reddi habile, non ſolùm ad motum localem, ſed ad ſenſum, & ad omnes alias operationes animæ exequendas.* De quo legendus Ferrarienſis, & veteres alii, quibus adhærent moderni Scholaſtici: uti alii ex quadam doctrina S. Laurentii Juſtiniani ſubſidium illud vigoris per ſe primò venire putant à dote claritatis, non modo objectivè, ſed ſubjectivè accepto. Alii rurſus cum Durando in 4. diſt. 44. qu. 5. Paludano, Soto, & Arriaga, à dote ſubtilitatis. Conſulantur Medina 1. ſecundæ qu. 3. art. 5. Doct. Exim. diſp. 48., Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 56. Granados 3. p. controv. 13. Diſp. 5. Ægydius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine. Nonnulli ab impaſſibilitate; ſolidiùſque, copioſiùs, & illuſtriùs vim illam ab omnibus ſimul hauriendam dicunt; tametſi ab una dote plus ſplendoris, & virtutis, quàm ex alia ebibere poſſint.

Quartò: alii recurrunt ad prævias aliquas diſpoſitiones, quæ antevertunt fœlicem eam dotum infuſionem, illamque per ſe præcedunt, quas nobiliſſimas, ſpiritibus ſubtiliſſimis, purioribus, vividiſſimis, & mirandum in modum vitalibus, inſtructas, inducunt, & conſequenter aptiſſimas ad roborandas potentias, & ſenſus, ut longè plures, vivaciores intenſioreſque functiones unà exercere valeant, ſuperantes noſtras omnes, quantùm ipſe ſtatus Corporis glorioſi vincit Corpus paſſibile infirmum, miſerum, & calamitatibus undique obnoxium. Quem ſenſum adumbrare videtur illud Pauli prima ad Corint. 15. *Seminatur Corpus animale, ſurgit ſpirituale*; non ſanè ſpirituale natura, ſed veluti poteſtate, & quodammodò conditione, operationum ſubtilitate, & copia, virium robore, & amplitudine. Quintò: non pauci cum Soto in quartum diſt. 44. non eoſdem numero ſenſus, aut potentias materiales ſuſcitandas autumant ſed diverſas, & longo intervallo potentiores, validioreſque. Quamvis hanc opinionem impetat, feriatque communis Theologia.

Sextò: nonnulli confugiunt ad ſpecies nobiliores, altioreſque modos repræſentandi, & influendi. Nec deſunt, qui per uberiorem Dei concurſum litem abſolvant. Verum-

rumtamen ſive hoc, ſive illo modo, aut potiùs multis ſimul id à Deo fiat, extra dubium eſt, ita planè futurum in Patria, conſequenterque habituram potentiam viſivam in ea deliciarum regione vires tantò perfectiores præſentibus, ut tum diſtantia, tum intenſione, & claritate, tum numero objectorum, quæ ſimul percipere queat, vincat de facto exiſtentem potentiam, quantùm acies ſtrenuiſſima præſtantioris Aquilæ lippos oculos, ſi non talpam.

Nu. 174. Paritèrque compertum eſt, & ex hactenùs productis legitimè illatum, pro qualitate meritorum, altiorique, vel remiſsiòri gradu Beatitudinis, vegetiorem, vel minùs vegetam futuram viſivæ facultatis, aliorumque ſenſuum præſtantiam. Quoniam ſicut in Beatitudine eſſentiali, ſubſtantiaque gloriæ, in dotibus aliiſque pretioſiſſimis corporis Beati ſuppellectilibus, aut proprietatibus, excedit unus alterum, quantùm ſtella differt ab ſtella in claritate: ita à fortiori in illa magis perfecta potentiarum, & ſenſuum temperatura. Sic expreſsè, & eruditè P. Salmeron tom. 11. tract. 36. Colligiturque ex doctrina familiari Patribus, quos laudat, & imitatur Doctor Eximius ea Diſput. 48. ſect. 1. è quorum mente (uti & Scripturarum) ſequitur ſponte ſua, plus in ea prærogativa, & reliquis donis, quàm Sol ſtellarum exercitum, ſuperare Chriſtum Dominum collectionem fæliciſſimam, & ſimultaneam omnium corporum Beatorum: atteſtante Magno Parente Auguſtino libro de cognitione veræ vitæ cap. 46. (vel quiſquis eſt legitimus Parens illius fœtus): *In hac*, inquit, *claritate tantùm quiſque ab alio pro meritis differt, quantùm ſtella ab ſtella: Corpus autem Chriſti tantùm in hac claritate omnia excellit, quantùm Creator creaturas excellit*. Idemque repetit ſerm. 143. de temp.

Quæ doctrina adeò firma eſt, ut oppoſita cenſeatur abſolutè parum conſona, aut etiam poſitivè diſſona Scripturæ Sacræ, Patribus, Theologis, & naturali rationi, nullumque ei ſuppetat patrocinium, niſi ex audacia petitum, quod eſt pejus, ipsâ malâ causâ. Eodem autem jure, quo doctrina hęc evincit circa dotes alias, comprobat urgentiſſimè circa vires prædictas ad clariùs intenſiùſque, & extenſiùs videndum, intelligendum, & amandum, &c. cum creſcant proportionalitèr ad menſuram illarum perfectionum: *Creſcunt illæ, creſcetis amores*, ſeu amandi facultates, aut vires. Ea igitur eſt virtus, energia, & amplitudo potentiarum, ſenſuumque humanitatis glorioſæ Chriſti Domini, ut virtute innata, aut renata, poſſit vires ſuas in operationum numeroſitatem fermè innumerabilem exerere: quæ facultas ampliſſima, aut virtutis amplitudo debetur ejus meritis, ſupremæ beatitudini animæ, unioni hypoſtaticæ, officio capitis, & ſummi Sacerdotis, aliiſque muneribus, ejuſdem propriis. Et tandèm ipſimet Inſtitutioni mirabilis hujus arcani, & ſui illius, replicationique in infinitis propè locis ad fidelium ſolatium, & juge eorundem aſylum. Conſulatur Doctor Eximius Diſputat. 47. ſect. 6. cum enim ſecundùm quod homo eſt, vel ratione humanitatis ſit caput corporis totius Eccleſiæ, prout docet Fides ſancta, congruentiſſimum erat, ut illius ſenſus, in capite reſidentes, ea extenſione, ſive amplitudine pollerent, ut membra ſua omnia per totum Orbem diffuſa luſtrare, & infortunia noſtra videre poſſet etiam oculis corporeis, preces audire, eiſque præcipuis, ſublimioribus ſenſibus, omnia noſtra percipere, & experiri ex Euchariſtia, ſi ad aram illam confugiant homines. Non quidèm ita ut omnia illa ſimul percipiat ſenſibus, quia nec omnia ſunt propinqua ſimul, aut in ea diſtantia, ad quam ſphæra viſus ſe extendat; ſed quamplurima ſimul per diverſos actus ex locis diverſis, & ſub ſpeciebus diſtinctis. Immò quantùm eſt ex ſe illa omnia ſimul ex ea diverſitate locorum, per totidem viſiones diverſas percipere poſſet. Ita tamen ut non ex quovis minimo Hoſtiæ cujuſvis viſionem diſtinctam eliciat, ſed unicam, ex omnibus ad eandem proportionem exiſtentibus, ut fusè oſtendimus ſect. præced. qua via amputatur infinitudo illa ſimultanea, quam horret nimium Philoſophia, objicit nobis opinio adverſa, ſuimet oblita, & declinat cautiſſimè ſententia noſtra.

Num. 175. Si verò vel ad hoc etiam opus eſſet interdùm concurſu miraculoſo, eo titulo, quia ad novos illos actus deficerent vires, adhùc illæ quæ ratione ſtatus glorioſi, & ex dignitate Capitis conveniunt Chriſto Domino; nunquam ita exhauſtæ reperiri valent potentiæ, vel ſenſus, ut à Deo elevabiles non ſint ad operandum denuò, tanquam ejus inſtrumentum conjunctum, concurrendumque exiguo aliquo influxu. Ratio eſt manifeſta: quoniam virtus operativa ſemper remanet entitativè identificata cum ſubſtantia, aut potentia operante, eſtque idcircò inexauribilis in eo ſenſu obedientiali; ac proindè ſemper radicalitèr manet virtus, tametſi formalitèr effæta, dum nimium vehementibus, plurimiſque operationibus laxaretur; ſin alitèr virtus activa diſtingueretur ab ipſa potentia, cum foret ab ea ſeparabilis: quin & adhùc tunc permaneret ſemper entitativè, cum neceſſariò eſſet ens reale poſitivum, & ex conſequenti replicaretur in Euchariſtia, & aſſumi poſſet divinitùs, ut inſtrumentum ad ulteriorem operationem eliciendam, cum exiſteret virtus entitativè, & radicalitèr potens, proximè autem obedientialitèr. Semper ergò ſuppetunt vires in ea potentia obedientialitèr uſurpata.

Ita opinatur doctiſſimus P. Henao de Empyreo Cœlo lib. 8. Exercit. 28. ſect. 2. differens namque ibi de multitudine operationum ſimultanearum ejuſdemmet potentiæ in quolibet Beato, aut plurium poten-

tia-

tiarum ſimul, ad mentem Guillielmi Pariſienſis, conſentienſque exercitio ſimultaneo præfatæ numeroſitatis, virtute connaturali ſtatui beatitudinis, ſubiungit, id intelligendum, *caſu quo objectorum pluralitas non eſſet tanta, ut ſuperaret omninò nativam virtutem facultatis viſivæ perceptio omnium ſimul clara, & diſtincta, ſive per unum, ſive per plures actus. Dixi, ut ſuperaret omninò nativam virtutem, nam reſpectu obedientialis nequit aſſignari perceptio tot objectorum, quin plurium*. In Chriſto autem Domino timor ille defectus virium connaturalium ipſi titulo unionis, & Beatitudinis, ad Corpus myſticum proprium perluſtrandum, modò hæc membra, modò illa, quamquam plurima ſimul, irritus foret, cum illi debeantur facultates præſtantiſſimæ reſpondentes vaſtiſſimæ ſphæræ totius myſtici Corporis; ne alioqui ſenſus eſſent hæbetiores fini, & officio eorundem, quà in tali capite exiſtentium. Propterea que eſſe debent capaces ſuperabundantèr ſe exercendi ampliſſimè, quin exhauriantur unquam prædictæ vires in varia illa objectorum, & actuum multitudine, quia neceſſariò fuerunt collatæ à Divina Sapientia ad menſuram objectorum, quæ prævidebat, actibuſque illis commenſuratæ. (Ut vero ſit prudentèr credibilis ea amplitudo non debet eſſe nova operatio ex omni minimo). Non ideò tamen ſunt actu infinitæ viſiones, nec intenſionis infinitæ, ſed intenſionis ſufficientis ad munera propria ritè exequenda, & juxta objectorum merita. Neque ideò virtus eſt actu infinita ſubjectivè, ſed quatenùs connotat potentia obedientialis infinitam Dei potentiam. Optimè nanque noverat Deus, quantùm virium, tum extenſivè, tum intenſivè, neceſſarium, utileve foret ſenſibus, & facultatibus Capitis omnium hominum. Si tamen ſupernaturalibus adhùc in eventu aliquo indigeret, eas habebat ad nutum paratas ipſi, tanquam inſtrumento intimè conjuncto, ut totiès diximus. Neque miraculoſus ille influxus, etiam quà ſuppleret defectum virium in eis eventibus, diceretur otioſus, ut ex eo capite miraculum expugnetur; cum omnes illi publicæ utilitatis, & decentiæ tituli, ſive jura, quæ in ſuum auxilium allegat, & vocat aſſertio noſtra, illi ſuffragarentur: ea autem tametſi humanitati conceſſa, jura ſunt Divina, ſeu è Divinitate manantia.

Num. 176. Indidem verò occurrendum confirmationi: namque ſi de phyſica receptione actuum loquamur, ipſæmet Cœleſtes qualitates, aut diſpoſitiones, à quibus ſuſcipit incrementum virium activarum, conferunt neceſſariò amplitudinem paſſivam, cum vires illæ activæ ſint in ordine ad operationes immanentes, adeoque per ſe ſubjectandas in principio elicitivo earum. Hoc autem faciliùs percipitur, juxta principia aſſerti noſtri, nullas poſtulantia ſpecies impreſſas ad eas ſenſuum ex Euchariſtia functiones emittendas, ſed uberiorem Dei concurſum eas ſupplentem. Unde oriatur virtus ſpecierum receptiva, & ideo facilius poteſt majorem duplò numerum operationum ſuſcipere in ſinu ſuo. Quod magis adhuc comprobatur, & clareſcit, ſi operationes illæ, quantumvis materiales forent indiviſibiles, quemadmodum de Brutorum perfectorum anima opinantur nobiles Philoſophi; præſertim ubi eliciuntur à potentia inextenſo modo exiſtente, & operante; & ubi operationes ipſæ conſimilem præſentiam indiviſam ſortiri debent. Cæterum etſi diviſibiles ſupponantur entitativè; cum tamen ſiant præſentes realiter per modum exiſtendi indiviſum, planèque inextenſum, & ſupernaturalem; quamvis innumerabiles ſimul adſint in eodem gremio, aderit aula omnium reipſa capaciſſima vel in puncto, cum acervus rerum indiviſibili modo exiſtentium exiſtere valeat in loco, aut ſinu indiviſib.li: ad modum quo integrum Corpus perfectiſſimumque Chriſti Domini in Euchariſtia non majorem loci, aut ſpecierum capacitatem expetit, quàm quælibet Corporis pars vel minutiſſima. Si autem de perceptione intentionali tot ſimul objectorum diſſeratur, eadem ratio, quæ movet ad eam ſimultaneam productionem phyſicam ſine repugnantia adſtruendam, receptionemque; movent pariter ad firmandam concurrentiam illam intentionalem, non ſanè confuſam, ſed diſtinctam, claram, ordinatiſſimam eodemque lumine, quo confortatur phyſicè ſenſus, confortatur unà intentionalis vigor diſtinguendi, & diſcernendi objecta. Dummodò infinita non ſint, ut contra oppoſitam ſententiam ſupra arguebam.

Tum quia omnia illa in Beatis diriguntur tanquam ad finem ultimum in Deum, cujus operationes illæ ſubalternæ ſunt; & aliunde, ut ex D. Angelico, & Seraph. vidimus ſupra, ubi multitudo operationum ordinatur ad unum, quod eſt ratio illarum, nec numeroſitas exhaurit vires, nec operationes ipſæ mutuò ſe impediunt, ſed potius ſeſe viciſſim juvant, eliciunturque abſque defatigatione virtutis, & ex conſequenti objecta, utpotè ordinata ad eundem finem, ordinatè etiam, ſecluſa omnis confuſionis nebula, percipiuntur. Id quod adeo firmum eſt, ut adhuc in via, ſi viſio intuitiva divinæ eſſentiæ per temporis ſpatium alicui communicaretur, nullo pacto impediret, aut retardaret ſenſuum, aliarumque facultatum materiales operationes, nec objectorum earundem peceptionem, ut ſentiunt Theologi paſſim: Doctor Eximius lib. 2. de attributis negativis cap. 3. Vaſq. in 1. par. diſp. 56. Molina in 1. p. quæſt. 12. art. 11. Sandæus, Salas, Henao, & quamplures alii. Quinimmo etiam altiſſimus contemplationis gradus, dum ad ſummum pertingit, maturuitque diuturnitate, minimè eas operationes remorari docent frequenter Aſcetici, oſtenduntque exemplis ex fide digna Hiſtoria petitis clariſſimorum hominum,

ſanctitate illuſtrium. Accedit omnia ea objecta diſtinctè in Verbo Divino per viſionem beatam percipi, ex qua idcirco expeditiſſimè, abſque nixu, ſpirituum jactura, aut virium deliquio, erumpit in operationes proportionatas objectis, per quas verſatur circa ipſa: eademque facilitate, & ordine illa percipit: eo quod viſio beata ſit prima ratio ejuſmodi operationum, quæ reſpiciunt per ſe præfata objecta, objecto primario ſubordinata. Etenim ſi intellectus Chriſti Domini ferri poteſt ſimul in objecta intelligibilia infinita, quantumvis intenſione finita, ſecluſa omni inordinationis umbra, ut graves Scholaſtici arbitrati ſunt; quid mirandum, quòd objecta finita, & objecto per ſe primo ſuaviſſimæ ſuppoſita, quantumvis in ingenti numero, diſcernat, viritim capiat, quin ea inter ſe confundat? Quin viribus deſtitutus elangueſcat? Quin ea obſcurè cognoſcat, etiam dum nox nocti ſcientiam indicat?

§. II.

Num. 177. SEPTIMO objicies, ſimulque replicas adverſus nuperam ſolutionem, & doctrinam. Chriſtus Dominus ex Empyreo non ſolùm mentis, ſed Corporis etiam oculis, omnia objecta, adeoque nos omnes miſeros terrarum incolas intuetur diſtinctè; tum juxta producta in ſuperioribus teſtimonia, viresque omnium facultatum propè infinitas, quas illi attribuimus: tum quia idcirco etiam damnatorum Corpora viſurum connaturaliter Chriſtum Dominum ex eodem Empyreo poſt diem judicii, tuentur cum Theodoreto, Bernardo, Anſelmo in elucidario, & Aureolo, D. Eximius, compluresque Scholaſtici; & quidem etiamſi Corpora opaca interjaceant. Tum quia, & ſi concurſu miraculoſo indigeret ad res ſublunares oculis luſtrandas, non minùs deceret ipſum, nec minùs utile nobis eſſet præfatum miraculum, quàm ſint illa, quæ in conſimili cauſa adſtruit, aut comminiſcitur ſententia noſtra in Auguſto altaris Sacramento. Maximè cum neceſſarius non eſſet influxus omni ex parte miraculoſus: eo quod gaudeat potentiæ materialis extenſione quantitativa in Cœlo, ubi adeſt Chriſtus Dominus in propria ſpecie: & ex conſequenti eadem extenſione, quà fruitur principium, gaudebunt functiones immanentes illius. Inde autem colligitur, inutilem fore eam viſionum ex Euchariſtia multiplicitatem miraculoſam; cum ſupervacaneum ſit per ſupremi ordinis miracula producere viſionem materialem objecti, quam ex Empyreo elicit, vel ſine miraculo prorſus, vel parciori ſaltem illorum uſu.

Argumentum hoc ſubjacet in primis inſtantiæ operationum ſpiritualium, quas apud Adverſarios primò producit ſub ſpeciebus, etiamſi alias prorsùs ſimiles circa eadem numero objecta conſtitutus in ſpecie propria in Cœlis emittat. Et quamquam diſcrimen intercedat, in eo quod has connaturaliter exercere valeat utrobique; non ſic autem materiales ex Euchariſtia. Id tamen non declinat inſtantiæ vim; ſiquidem, ea connaturalitate permiſſa, (quam averſantur reſpectu Euchariſtiæ nonnulli) compertum nihilominus dicunt Adverſarii, exercitium illud actuale intellectus, & voluntatis ex Euchariſtia eſſe valdè utile, decereque ſummoperè Chriſtum Dominum, tametſi in Cœlo ejuſdem omninò rationis actus eliciat; immò & ſi eoſdem debeat trajicere per concomitantiam in Euchariſtiam, & ex hac elicitos in Cœlum perferre. Ergo & eſſe poſſet utiliſſima facultas proxime potens ſe exercere ex altari per operationes vitales corporeas; etiamſi ejuſdem ſpeciei alias circa eadem prorſus objecta emittat in propria ſpecie, & gloriæ majeſtate ex Empyreo.

Rurſus ſi facultas proxima intelligendi, & amandi, activè uſurpata etiam, debetur Chriſto Domino titulo decentiæ, & dignitatis ipſius, & utilitatis noſtræ, ut teſtatur opinio contraria, licet in conſimiles omnino actus ad eadem objecta terminatos erumpat jugiter ex Empyreo, cum reciproca ſaltem comitantia eorum ægrè exerceri valeat in praxi abſque miraculis, ut animadvertimus ſuo loco; cur ex eodem decoro, & utilitate fidelium, non erit illi debita expedita facultas viſiva corporea in Euchariſtia, quamvis pares viſiones erga eadem objecta ex Empyreo exequatur; & quamquam miraculoſus omnipotentiæ concurſus poſtuletur? Adde intellectiones non expoſcere objectorum propinquitatem, etiam dum adeſt illa, nec ab illa per ſe pendere, undè poſſunt abſque ulla difficultate ex hoc capite comitari Chriſtum Dominum ad Euchariſtiam, ac per conſequens redditur minùs neceſſaria facultas activa expedita ad intellectiones primò eliciendas ex Euchariſtia: cœterum viſio materialis terminata in Cœlo ad objectum remotiſſimum ab Empyreo, & altari propinquum, difficulter deferri poteſt ad Euchariſtiam, itaut per illam videat tanquam remotum objectum ibi propinquum, cum deceptionis ſpeciem præſeferret: ut arguebam in ſimili, dum aſſertionem noſtram firmarem: ſubindeque aut debet ſub ſpeciebus pollere virtute primò productiva viſionum materialium; aut exiſtet Chriſtus Dominus in altari privatus exercitio, adhùc purè intentionali ſenſuum, atque adeò parùm utili, & minùs digno præſentiæ modo (ut ſupra copioſè dictum eſt) de quo non ſine dedecore prædicaretur, quod ad ſummam laudem in alio ſenſu dixit Panegyriſta: *Præſens deſideratur.*

Num. 178. Secundò: doctrinam illam de viſione corporea in Cœlis exercita connaturaliter, & ad objecta ſublunaria terminata, falſam eſſe, docet oppoſita ſatis communis ſententia Theologorum qui verba illa Apocal. 14. *Cruciabuntur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni*, uſurpant de viſione in-

intellectuali, vel de materiali in die Judicii. Et in eodem ſenſu exponunt illa Patres Eccleſiæ, id ipſum aſſerentes. Quod egregiè firmant (ſaltem in ordine ad Beatos univerſim) Verbis Iſajæ cap. 66. *Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me .... Et erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni*. Ubi per verbum illud *egredientur* denotat Propheta, aut ſupponit neceſſarium egreſſum realem ex Empyreo ad infælices illos videndos, ſi de materiali viſione agatur. Qui verò egreſſum illum indecoroſum reputant, nonniſi per ſcientiam, exitumque intentionalem egredi poſſe admittunt, ad damnatorum pænas proſpiciendas, illumque duntaxat ſignificari prædicto teſtimonio credunt. Atque adeò exiſtimant à fortiori, Beatos è Cœlo nequaquam oculis corporeis viſuros naturaliter reos illos ſempiternæ ultionis. Juxta quàm erunt objecta viſionis omni carni; ſed non oculis carnium proſpicienda, ſed oculis intelligentiæ, ſive animæ informantis carnem. Ita S. Parens Auguſtinus lib. 20. de Civit. cap. 22. *Sed quomodò*, inquit, *egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Numquid corporis motu beatas illas relicturi ſunt ſedes, & ad loca pœnalia perrecturi, ut malorum tormenta proſpiciant præſentia corporali? Abſit, ſed egredientur per ſcientiam; hoc enim verbo ſignificatum eſt, eos, qui cruciantur, extra futuros, propter quod & Dominus ea loca tenebras exteriores vocat .... ſed ad illos potiùs veluti egredi per ſcientiam, qua eos cogituri ſunt benè, quia id, quod extra eſt, cogituri ſunt*. Similia omninò habet Hieronym. Iſaje locum explanans, *Egredientur non loco, ſed intelligentia*. Quamobrem immeritò Leonardus Coquæus in commentariis ad eum Auguſtini locum ipſum accipit de viſione corporea, cum manifeſtè repugnet hic ſenſus textui Iſajæ, ut verbis Auguſtini expoſito.

Neque fælicius refert D. Thomam in 4. diſt. 50. qu. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. cum non tantum commodè intelligi valeat de viſione ſpirituali; ſed de illa duntaxat loqui manifeſtum appareat ex reſponſione ad primum ibidem. Crediderunt igitur laudati Patres, diſtantiam illam eſſe valdè improportionatam potentiæ viſivæ materiali, ut docuit etiam D. Subtilis in 4. diſt. 52. qu. 3. *Quod Beati non vident* (pœnas illas) *viſione ſenſibili, quia non eſt diſtantia debita ſimpliciter* (quin & ſi divinitus fieri poſſe concederetur, eam tamen nullo pacto eſſe debitam ſtatui beatorum, opinantur) & quidem etiamſi concedenda ſit Beato cuilibet facultas longè major, quam Linces omnes ſimul habent in ordine ad diſtantiam, & quam Aquileges cuncti ſimul, relativè ad objecta aliqua perſpicua, aut aquas ſubterraneis meatibus diſcurrentes: ſiquidem hi neutiquam ea objecta videre poſſunt, dum ſint longè ſepoſita, & ubi media quamplura opaca interjiciantur, ut contingit objectis in terra exiſtentibus reſpectu potentiæ viſivæ exiſtentis in Empyreo; cum inter Cœlum Empyreum, & terram mediet ſpatium denſum, pervium tantùm cogitationibus, & affectibus; nequaquam verò oculis corporeis; nec eſſe valeat commercium ſenſibile inter incolas utriuſque regionis, quæ licet ſummoperè diſtent ſpatio locorum, longè tamen plus diſſident conditione ſtatuum, & fælicitate Civium.

Num. 179. Probatiſſima verò ſententia affirmat, viſuros oculis etiam corporis Beatos poſt diem Judicii facultate præſuppoſitivè miraculoſa congenita beatitudini, vel ſaltem ſupernaturali virtute formaliter debita, & ſi non pœnas damnatorum (quia centrum terræ ſemper erit opacum, ægrèque à denſitate propria vendicari poteſt terra intrinſecè, & propterea D. Thom. in 4. diſtinct. 48. qu. 2. art. 4. ſolam terræ ſuperficiem perviam futuram ad inſtar vitri docuit) elementa tamen, præſertim terram, omniaque diviſim illius objecta; eo quod poſt Reſurrectionem Univerſalem, & Mundi conflagrationem, cuncta illa, mirabiliter renovata, erunt perſpicua, itaùt nullum ſuperfuturum ſit corpus adeò opacum, aut denſum, quod nequeat potiùs appellari diaphanum, & quidem ſimpliciter: atque adeò nullum erit, quod tranſitum ſpecierum, & proſpectum intuitivum impediat; & aliundè confortata gloriæ dotibus potentia viſiva pertingere quamoptimè poterit uſque ad terrenam ſuperficiem. Non ſic autem antè diem judicii ob rationem oppoſitam, vi cujus nec Chriſtus Dominus modò connaturaliter valet intuitu corporali noſtra proſpicere. (Ex quo rurſus colligitur enodatio præſentis objectionis) maximè cum perſpicuitas illa nova rerum, & elementorum per novæ lucis productionem diſpoſita, miraculosè efficienda ſit, ut docent Scholaſtici mox referendi pro hac ſententia. Hanc igitur opinionem eliciunt ex D. Thoma in 4. diſt. 48. qu. 2. art. 4. præſertim ad ſecundùm Paludanus in 4. diſt. 48. Ricardus ibidem. D. Eximius tom. 2. in 3. par. diſp. 58. ſect. 2. & 47. ſect. 6. Valentia tom. 4. diſput. 11. qu. 6. pun. unico. Thyræus de judiciaria Chriſti apparitione cap. 22. Salas, Tannerus, Bonacina, Barradas tom. 3. in Conc. lib. 10. cap. 1. Granados, & plures alii, quos laudat, & illuſtrat P. Henao lib. 8. de Empy. excert. 28. cui ſententiæ præluxere ſine dubio nonnulli Patres, maximè Chryſolog. Cyprianus, Bernardus.

Quod verò modo ea viſio è Cœlis pervadens intuitivè uſque ad nos, noſtraque, ſit connaturaliter impoſſibilis Chriſto Domino eſt propè omnium votum, in quo conveniunt relatæ, & ſecum mutuò pugnantes ſententiæ, ratione interpoſitæ denſitatis opaciſſimæ, ob quam tranſmitti nequeunt ſpecies ab objectis è terra in Empyreum. Conſulatur Aureolus in 4. diſt. 47. qu. unica, qui licet terram dicat permanſuram

poſt finale judicium connaturali quadam opacitate, ſubjungit: *Tamen non tantam, quantam modò, quia modò magis eſt opaca ex admixtione corporum extraneorum.* Verum quidem eſt, eſſe probabilem Theologorum opinionem, quæ docet, medium opacum interpoſitum non impedire viſionem materialem oculi glorioſi, Ita D. Subtilis in 4. diſt. 49. qu. 15. dicens: *Oculus Beati per ſuam limpiditatem poterit videre per parietem* (Ibi tamen loquitur Scotus de alio corpore glorioſo, & propinquo, cujus intima præcordia videri ab alio Beato aſſerit, cum de reliquo objecta in terris exiſtentia eſſe extra Sphæram, metamque potentiæ viſivæ, etiam Chriſti Domini, apertè tueatur) Guillielmus Pariſienſ. Toſtatus, Major, Rubion. Capreolus, Ledeſma, Ægydius Luſitanus, Franciſcus Fælix, & pauci alii. Cæterum hi plerunque Theologi ſolùm divina virtute id contingere poſſe arbitrantur, ſi ſermo ſit de viſione objecti remotiſſimi, cujuſmodi ſunt terrena hæc comparativè ad potentiam viſivam in Cœlis glorioſam. Si verò de objecto propinquo diſſeratur, contingere poſſe connaturaliter dicunt, ut per poros corporis opaci, ſimul tamen pellucidi partim, trajici valeant connaturaliter ſpecies in oculos beatos. Id quod fieri minimè poſſe naturaliter ab objectis hìc exiſtentibus modò, fatentur paſſim Theologi iidem, cum impoſſibile videatur, eas objectorum imagines delicatiſſimas occurſu corporum, affectionumque extranearum, hâc illâc fluitantium, non diſſipari; ultra opacitatem denſiorem tot corporum interjacentium. Et quia aer modò eſt corpus, tametſi molliſſimum, minimè tamen poroſum (nec pura elementa) ut ſunt plerunque alia corpora duriora, poris ſæpiſſimè cava, ſicuti animadvertit D. Eximius de anima lib. 3. cap. 19. & ſanè viſionem aliquam fieri poſſe per medium opacum ſimpliciter, ſive denſum connaturali virtute, fabuloſum credit Ægydius Theoremate 13. Vera-Cruz lib. 2., quos imitatur D. Eximius de anima lib. 3. cap. 16. fine.

Immò & ſi phyſicè contingere poſſet naturali virtute, ut ſpecies aliqua ab objecto hinc emiſſa perveniret ad Chriſti Domini in Cœlo exiſtentis oculos; eſſet hoc veluti per accidens, non poſſetque inde deduci jugis illa viſio objectorum circum altare exiſtentium, quæ indefectibiliter veniret per concomitantiam ex Empyreo. Unde de facto Chriſtum Dominum ſive hac, ſive illa ratione, minimè videre oculis corporis ex Empyreo objecta, quæ in terris degunt, nec hoc per ſe convenire pro nunc ſtatui beatitudinis; per ordinem verò ad potentiam abſolutam Dei, ſolùm probabile dici poſſe, ſaltem quod de facto id contingat divinitus, docent tanquam planè inconcuſſum præfati Scholaſtici ex Patribus, & antiquis Theologis, quorum mentem apprimè aſſecutus D. Eximius tom. 2. in 3. par. diſt. 47. ſect. 6. §. *Dices*, ait: *Objecta viſibilia, quæ nunc ſunt in terra non poſſunt imprimere ſpeciem ſui in oculis Chriſti, aut B. Virginis naturali virtute, ut per ſe conſtat. Quòd autem divinitus eleventur ad imprimendas illas, aut quòd Deus ſupernaturaliter illas infundat, aut det virtutem ſupernaturalem Beato ad videndum ſine ſpeciebus quodcumque objectum, ubicumque ſit, nulla ratione ſit ſatis veraſimile, ſi generaliter de omnibus Beatis ſit ſermo. Quia licet illa omnia ſint poſſibilia: non tamen pertinet ad Beatorum ſtatum, nec eſt perfectio beatitudini eorum debita. De Chriſto autem Domino propter ſingularem quandam omnipotentiæ participationem, quam habet Humanitas ejus, ut eſt inſtrumentum conjunctum verbi, probabile eſt, poſſe videre etiam oculis corporeis quodcumque objectum viſibile, ubicumque ſit, non per ſpeciem acceptam ab objecto, ſed per efficientiam objecti; ſed per efficaciam ipſius Chriſti. Quia hæc virtus non eſt in objecto, ſed in Chriſto, qui hoc poteſt facere vel ſupernaturaliter efficiendo ſpeciem in ſuo oculo, vel immediatè efficiendo viſionem ſine ſpecie.* (Quod à fortiori probat urgentiùs de auditu) illa ergo viſio, & ſi poſſibilis divina virtute admittatur, non eſt tamen debita Chriſto Domino pro nunc ſaltem, in propria ſpecie exiſtente; & longè minùs debitum eſt ipſi, ut omnia ſimul, per diverſas viſiones, terrarum objecta ex Empyreo intueatur, ut deinceps illas per concomitantiam demittat in Euchariſtiam, cum hoc improportionatum planè videatur. Debetur attamen eidem, quà latenti Sacramentaliter viſio objectorum, quæ propinqua fuerint altaribus ob motiva ſolidiſſima, à nobis latiſſimè ponderata; ſive plura intervenire debeant miracula, ſive pauciora in productione viſionum ex Empyreo, & comitantia earundem, quàm dum ex Euchariſtia eliciantur. Hoc enim deſumendum eſt ex debito proportionis, & congruentiæ, tituliſque aliis, quamplurimis, qui eam facultatem expeditam omni jure debitam efficiant potius velatis in Euchariſtia oculis, quam eiſdem luminibus in Cœlo patentibus, & æquè luſtratis, ac omnia luſtrantibus.

Num. 180. Quo circa argumenta, quæ pro acumine intenſiſſimo, parique amplitudine prædito, facultatis viſivæ Chriſti Domini adduximus, evincunt ſanè ſummam eam perſpicacitatem in omnibus, quæ utilitatem peculiarem nobis afferre poſſunt, quæque conducunt, ut munera Sacerdotis, Capitis univerſalis, Judicis, Paſtoris &c. exercere valeat, vel etiam, quæ deceant ſuppoſitum ipſum divinum; ejuſmodi autem non cenſetur à Theologis privilegium hoc videndi de facto connaturaliter ex Empyreo oculis corporeis objecta, quæ terram accolunt, quidquid ſit futurum poſt horrentem illam Mundi totius conflagrationem, quæ ſi nondum ardet, fumat attamen, & vicinum incendium commune prædicit. Et quidquid ſit etiam, an divinitus modò poſ-

poſſit ea intueri interdum. Volumus tamen eam prærogativam admittere de præſenti, & quidem ut connaturalem Beatitudini Christi Domini; nulla propterea ratione, nullaque ex parte officit aſſertioni noſtræ. Primo: quoniam objecta illa è Cœlo videntur neceſſariò, ut ſummè diſtantia; dum autem per concomitantiam deferrentur ad Euchariſtiam hic, cujus Aræ ſunt omnino propinqua, conſpici minimè poſſunt, ut in immenſum ferè remota, quà viſa ex Euchariſtia, abſque deceptionis ſpecie, ut ſatis conſtitit dum aſſertionem noſtram firmaremus rationum momentis. Aut igitur ex Euchariſtia debet uti facultate viſiva primò, & per ſe; aut erit cæco prorſus modo latens ibi, privatus oculorum voluptate, & gloria.

Secundo: licet de facto Chriſtus Dominus ex Empyreo terrena cuncta luſtraret oculis corporeis, hoc neceſſariò fieret per diverſos actus, ſive intuitiones ſucceſſivas; & quia in Cœlo occupatur præclarus ille ſenſus circa alia objecta nobiliora illi propinqua, & quidem multiplicia, circa quæ minimè verſatur primò & per ſe ex Euchariſtia: & quia repugnaret libertati intueudi potiùs hoc objectum, quàm illud, ſi omnia ſimul objecta attingibilia ab ipſo, actu neceſſariò contueretur, tam remotiſſima, quam proxima, etiam ſi præſupponatur, vires neutiquam fore attenuandas in ea ſimultanea ex eodem loco, & ſitu innumerabilium viſionum productione; deberet igitur vigilare ſemper per ſcientiam beatam, aut infuſam, ubi adeſſet utilitas, aut poſtularet finis inſtitutionis myſterii, decentiaque ipſiuſmet Chriſti Domini, quà ſub accidentibus Euchariſticis deliteſcentis: ubi neceſſitas exercendi munia propria ex Euchariſtia, viſionem objectorum, vel exauditionem præcum &c. ſeu ubi exigerent hæc omnia exercitium videndi ex Euchariſtia determinata objecta approximata, ut confeſtim viſiones illas produceret in Cœlo, mittendas eadem celeritate in Euchariſtiam; qui modus philoſophandi eſſet pluſquam alienus à Philoſophia Sacra, recurreretque cum fabuloſa. Deſcribendus namque foret Chriſtus Dominus in Cœlo ad omnem partem ſeſe vertens perenni oculorum ſtudio circa objecta terrena, ſollicitudineque nimia, modò huc, modò illuc materialiter occupata, juxta notitias, quas hauriret ex ſcientia, deſideraretur que ſubinde providentia magis regulata, magiſque majeſtati Chriſti Domini & rebus divinis opportuna, cujuſmodi concipitur ab aſſertione noſtra. Ad hæc, exercere munia ſæpiſſimè inculcata in Euchariſtia; & ſenſationes, alioſque actus valde conducentes ad illa perfectiſſimè exequenda, adeſſe tantùm in Empyreo, indeque expectandas, & afferendas, fingi poteſt glorioſum Chriſto, quà in propria ſpecie, reipſa tamen eſſet aliquatenus indecoroſum ipſi, quà ſub aliena ſpecie abſcondito, aut parùm dignum myſterio profundiſſimo inter abyſſos æternæ Sapientiæ invento, & à providentia ſollicita amoris nato.

Num. 181. Tertio: quoniam circa auditum ſaltem exploratum inter Scholaſticos omnino videtur Chriſtum Dominum ex Empyreo nequaquam percipere phyſicè connaturalitèr auribus gemitus noſtros: & aliunde ſenſus ille, ejuſque exercitium valde conducit ad utilitatem, ſolatiumque noſtrum, & commercium cum ipſo, ut coram ipſo in altari realiter præſente fundere valeamus confidentiùs, & familiariùs preces noſtras. Si autem ſemel exercitium unius ſenſus eliciendum eſt primò, & per ſe ex Euchariſtia; cur non etiam alterius? Quarto: etiamſi reliqua ſalvarentur ea via, dedecus tamen exiſtendi ſub ſpeciebus modo phyſicè activè emortuo, à majeſtate hominis Dei, & hominis ſummè glorioſi procul arcendo, neutiquam declinatur. Quinto: quoniam ſi ſolùm ex Empyreo videret, audiretque voces noſtras rubore tremulas, cum aliunde ſine dubio mente pariter omnia intueatur, fruſtra confugiendum nobis eſſet in tribulationibus, & ærumnis ad altare, ubi Chriſtus Dominus adeſt, cum ibi ſolùm veluti per reflexionem, ſive per actus videndi, & audiendi ex Empyreo receptos intueretur, & audiret: atque adeo directè magis, immediatiuſque è propria domo ad Chriſtum Dominum, quà aſſidentem Patri recurrendum foret nobis lacrymis, & precibus, quàm per circuitum ad Euchariſtiam.

Sexto: quoniam tum argumenta per integram hanc diſputationem formata in robur ſententiæ noſtræ: tum ſolatium, quod ex notitia exercitii actualis Chriſti Domini, quà ſub accidentibus realiter præſentis redundat in accedentes ad aram, confidentia tantò productior, & intenſior, uti & familiaritas amantior, probant uſum activum earundem potentiarum ſub ſpeciebus, illiuſque neceſſitatem; ſive conſimiles alias exerceat circa noſtra omnia ex ſede Cœleſti, ſicut ex utroque loco exercet intellectum, & voluntatem; ſive, ex eo loco divinos oculos, & ſenſus alios intentos habeat circa objecta ſolùm vicina, deliciarum plena, & à nobis nimis procul ſejuncta. Quemadmodum neque ex Euchariſtia in hac alma Urbe conſpicit objecta, quæ illi Sacramentaliter præſenti in alia Civitate, aut templo adſtant: eſſet enim otioſum miraculum (ſi ad hoc prærequiratur, ut frequentiùs aſſeritur) vel inutilis ſollicitudo, ordiniſque inverſio, cum ex loco illo commodiùs, connaturaliùs, & convenientiùs naturis rerum, mites oculos in præfata objecta convertere poſſit: uti namque omnia tempus habent opportunum, ita ſedem, & locum.

Num. 182. E' regione autem opponeſ ſeptimò ſequi ex noſtra aſſertione, Chriſtum Dominum privatum iri in Euchariſtia viſione actuali, jucundiſſimaque Deiparæ, ſicuti, & aliorum objectorum conſtituentium,

aut ornantium Civitatem illam pretioſiſſimam, voluptatis Patriam, in Apocalipſi tanto myſteriorum apparatu deſcriptam. Potiùs igitur privatio hæc dedeceret Chriſtum Dominum ſub accidentibus deliteſcentem, cum illam, nec elicere poſſit ob ſummam objecti diſtantiam, nec afferre ſecum concomitanter, ut volumus; quàm carere viſione objectorum plerunque infælicium. Quod expreſſit mirè Doctor Subtilis in Reportatis lib. 4. diſt. 10. quæſt. 5. dicens in argumento, quod approbat: *Item ſenſus Chriſti in Cælo eſt beatus ſuo modo: & in altari non eſſet per te; igitur triſtes eſſet, ſi eſſes in altari, propter carentiam viſionis Matris ſuæ, & multorum, quæ videt in Cælo, in quibus delectatur*. A' fortiori igitur erit miſer, triſtiſſimuſque in altari, ſaltem negativè (quin & poſitivè, cum juxta principia noſtra, poſſit ex Euchariſtia ſe exercere primò per operationes ſenſitivas, per ejuſmodique appetitum), ſi viſione pulcherrimæ Matris, cuncta ſimul terrarum, Cœlorumque objecta (præter incomparabilem elegantiam Corporis Sacroſancti ipſiuſmet Chriſti Domini) ſuperantis venuſtate, quantùm ſuperat excellentia.

Reſpondeo: Chriſtum Dominum in Euchariſtia gaudere viſione objecti longè præſtantioris, nempe ſuimet Corporis, ut ex Divo Thoma vidimus ſect. 2. quà privari minimè poſſet abſque diſpendio beatitudinis ſenſuum, præſertim facultatis viſivæ, cujus primarium objectum eſt Chriſtus Dominus ipſe. Unde quemadmodum anima, tametſi in pluribus locis replicata exiſtat, nequit carere alicubi viſione divinæ eſſentiæ, perſonarumque, ſin aliter eſſet infælix, ita nec ejus oculi, aſpectuſque ſuaviſſimi (Cœlorum lætitia) privari poſſunt alicubi ſui Corporis viſione. Reliqua verò objecta, tametſi alioqui delicioſiſſima, cum non pertineant per ſe primò ad Beatitudinem Corporis, nec per ſe ad fines inſtitutionis Euchariſtiæ, nequeunt ſtatum illum miſerum negativè arguere, licet eorum viſione privaretur. Unde abſque abſurdo, indecoro aliquo, aut imperfectione ex defectu voluptatis ex eis percipiendæ exiſteret in Euchariſtia, dum ad alios fines altiores Capitis Eccleſiæ, per Euchariſtiam aſſequendos ea viſione careret. Cum jam oculi Chriſti Domini prout in Euchariſtia ſimpliciter aliunde viverent, & beatè viverent. Cum pariter juxta Adverſarios, etiam audire nequeat ex Euchariſtia, adhuc comitanter, vocem ſuaviſſimam Matris. Cum odoratu, tactuque aliorum objectorum privetur apud omnes, ſine abſurdo (quamquam ſeipſum experiri per eos ſenſus, & guſtum, valeat, abſque fidei noſtræ præjudicio, ut alibi inſinuatum fuit) Cum vel in Cœlo poſſit oculos ab objecto gratiori avertere, ut alia minùs ſuavia intueatur. & tandem cum defectus voluptatis, quam ex eis caperet ſenſus, poſſit optimo jure ſuppleri per acceſſionem novam voluptatis in anima; quod neutiquam ſuadet ſupplendum conſimiliter defectum viſionis terminatæ ad Corpus Chriſti Domini, cum illud ſit potiſſimum objectum Corporalis beatitudinis; proindeque nihil in ejus locum ſubrogari valet, quod impediat, ne Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus eſſet infælix, quà exiſtens ibi. (De quo plura diſp. ſequenti). Nihilominus ad eum modum, proportione ſervata credunt multi philoſophandum eſſe de viſione Deiparæ, ac de viſione Corporis Chriſti Domini. De illa ſiquidem dixit Carthuſianus in laude vitæ ſolitariæ art. 29. *In regno Cælorum Mariæ præſentia, & aſpectus ineffabiliter auget accidentale præmium Beatorum*. Specioſiſſimæ itaque Matris aſpectu ex Euchariſtia gaudere poteſt, dum libuerit, vel per viſionem ibidem miraculosè elicitam, vel perconcomitanter traditam, prout minori miraculo opus ſit (ſaltem ſi non ſit illi intrinſeca relatio propinquitatis). Noſtra ſiquidem doctrina ſolam neceſſitatem adducendi ſecum per concomitantiam omnia etiam facilè mobilia, ſive quæ præcedant, ſive quæ ſubſequantur conſecrationem, excluſit; nullatenus verò poſsibilitatem, & interdum factum, ſi velis; dum ex natura operationis non repugnet.

Crediderim attamen, congruentius futurum, ut operatio illa exerceatur ex Euchariſtia ad nutum Chriſti Domini, quàm quod faciat, illam ex Empyreo comitanter deferri, aut venire: maximè ſi diſtantia Cœli à terra non efficiat, objecta in alterutro ex eis locis degentia eſſe extra ſphæram connaturalem viſus Chriſti Domini, quæ intra obedientialem ſupponuntur exiſtentia: itaut non deſiderentur alia miracula præter illa, quæ ad exequendas alias functiones vitales circa objecta Sacramento venerabili propinqua, concurrunt per ſe. Quinimmò ſi diſtantia illa ſupponat, vel arguat amabiliſſimam Deiparæ præſentiam extra jactum connaturalem facultatis viſivæ Chriſti Domini, pariter, juxta Scotiſtarum opinionem cum Doct. Subtili, erit Divina Mater extra metam viſus Euchariſtici in ordine ad effectum formalem intentionalemque percipiendi ipſam; licet per concomitantiam adduceretur viſio ad ipſam in Cœlo terminata, & ibidem primò elicita. Id ipſum revera opinantur plures alii, quibus ſubſcribit Henao de Euch. diſput. 10. ſect. 2. num. 39. exigentes objecti propinquitatem, non tantùm in loco, ubi primò producitur viſio, ſed reſpectu etiam loci, ad quem defertur per replicationem. Idemque admitti jure poteſt circa Empyreum ipſum (aliamque ejuſdem ſegetem lætiſſimam objectorum) ex Euchariſtia perluſtrandum, ſi oculos interdum divina virtute inſtructos vertere cupiat erga Palatium Beatitudinis, & aulam ſpatioſam fælicitatis, ubi inter alia gratiſſima invenient ſeipſos omni corporea elegantia, & prætioſitate, gratiores.

Num.

Num. 183. Neque ejuſmodi operationes impediunt, aut interrumpent attentionem facultatis viſivæ Chriſti Domini in Euchariſtia erga noſtra cuncta: tum quia non ſemper obtutu fixo intentus eſſe debet præfatis objectis, ſed interdum: tum quia id ipſum quandoque conducere poteſt ad utilitatem noſtram, ad modum quo, dum nobiſcum reſpiraret, ſæpe oculos ſublevabat, ut illos iterum demitteret victrices, opemque Patris pro nobis expetitam ferentes: tum quia vires Potentiæ viſivæ Chriſti Domini glorioſi ampliores ſunt, quàm ut ſimultaneo plurium objectorum concurſu obruatur (dummodo exceſſus nimius non ſit; ineptè ſiquidem à longè minori, licet in ſe magno, argueretur ad numerum infinitum, vel propè). Dum tamen à dulciſſima Matre oculos ex Euchariſtia avertit, ut membra ſui Corporis myſtici intueatur, compenſat jacturam illam gaudii accidentalis accidentali alio & ſenſibili etiam, utilitatis, quam novit inde nos percepturos, uti & honoris, gloriæque reſultantis in Deum, & in Deiparam ipſam. Idem judicium exiſtimo faciendum de auditu, dummodo fieri poſſit divinitus, ut ſenſus hic elevetur ad audiendum ſonum abſentem, & è longinquo adeo ſonantem: & dummodo ſtrepitus ille nullo modo ſentiri valeat ab aliis auribus circum exiſtentibus non elevatis (ne alioqui prejudicium aliquod fides noſtra circa ineffabile Euchariſtiæ ſecretum pateretur) difficillimum valde eſt in Philoſophia Chriſtiana, ſonum intra Empyreum duntaxat obſtrepentem eſſe intra ſphæram intentionalem obedientalis Potentiæ aurium in terra exiſtentium, & quidem etiamſi per concomitantiam deferatur auditio ejuſdem ſoni è Cœlo; quoniam poſſet phyſicè replicari, quin præſtaret effectum formalem audiendi, ut contingeret, ſi præfata harmonia eſſet extra ſphæram auditus eſſentialiter.

Difficillimum eſt pariter, juxta plures, ſonum immenſo intervallo diſtantem, per ſpecies illius à Deo infuſas auribus Chriſti Domini ſub ſpeciebus miraculosè, aut per concurſum omnipotentiæ ſupplentem ſpecies, poſſe audiri in Euchariſtia per auditionem aliam diverſam ibi primò productam, cum ſonus ille credatur paſſim extra ſphæram auditus eſſentialiter; ne ſonus ille extra mænia Empyrei divagari poſſit itaut perveniat ad aures Chriſti Domini in Euchariſtia, quin adſtantes circum illum percipiant. Quoniam tamen, plures alii Scholaſtici docuerunt, per ſpecies diffuſas poſſe ſonum abſentem percipi, cum vel naturaliter ſæpiſſime percipiamus harmoniam, aut tonitruum à longe terrentem, ipſamque vehementis percuſſionis diſtantiam ſentimus ex quo inferunt laudati Authores, ſonum minimè adeſſe realiter propè aures, ſed purè intentionaliter per ſpecies quàm citiſſimè diffuſas; de quo legendus Doct. Eximius de anima lib. 3. cap. 21. & cap. etiam 12. ex Ariſtotele, Avicena, & Alberto Magno; propterea, ſi ejuſmodi opinio in ordine ad Potentiam abſolutam ſubſiſtat (à quo omnino præſcindendum nobis), dicendum eſt conſequenter ad ea, quæ de viſione dicta fuere, perceptionem illam cæleſtis harmoniæ, locutioniſve in Cœlo factæ, potiùs fieri per auditionem in Euchariſtia divinitus productam, quàm per eandem numero, quæ in Cœlis producitur, adductam per concomitantiam.

Ratio breviter inſinuata ſupra fuit in ſimili. Cum enim per actum formalem audiendi in Empyreo elicitum percipiatur dicta locutio, aut ſonus, ut planè vicinus; ſi per eandem numero auditionem ſentiretur in Euchariſtia, vel auditio falleret, quâ ex Euchariſtia ſentitur, cum propinquus neutiquam foret ſonus, ſed diſtantiſſimus; vel deberet exuerę modum, quem in Cœlis habet, notificandi auribus ſonum, & alium aſſumere, quod repugnat conceptui operationis: ſemper tamen eſſet miraculum longè inſignius viſione Euchariſtica terminata ad objecta cæleſtia, cum ſphæra auditus ſit brevior, & ſenſus ipſe, ex natura ſua minùs ſubtili, tardior juxta vulgatum illud Horatii.

Segnius irritant animos demiſſa per aures.
Quam quæ ſunt oculi ſubjecta fidelibus, &
quæ.
Ipſe ſibi tradit Spectator ....

Qui tandem objiceret argumenta noſtra, aut nihil obtinere, aut ſimul probare vitam habendam eſſe in Euchariſtia ex vi Verborum; ne alioqui contra dignitatem, meritum, & decorum exiſteret corpus ut vi verborum poſitum; abuteretur ratione, & tempore: quoniam alioqui evinceret, aut viſionem beatam adduci non debere ad Euchariſtiam eis titulis, aut ponendam fore vi verborum. Eſſet itaque minùs decenter in Euchariſtia, ſi privatus vita exiſteret, non tamen ſi ab illa præſcindatur ex vi verborum; dummodo poſſideatur concomitanter ex eorundem efficacia: quoniam debuit repræſentari per hoc myſterium Chriſti Domini Mors, & ſeparatio Sanguinis à Corpore. Oportuit ergo utrumque facere. Oportuit ibi Chriſtum pati in repręſentatione; & ſic obtinere vitam glorioſam re ipſa etiam ibi.

DI-

DISPUTATIO TERTIA.

Munitur ſingillatìm Aſſertio noſtra, hactenùs in communi ſolùm ſirmata, deſcendendo in particulari ad potentias organicas, & ſenſus, qui ſub accidentibus vivunt de facto activà, & paſſivà vitalitate, abſcondità cum Christo Domino *in Euchariſtia.*

Vita Eucharistica in præcedentibus altè generatìm ſtabilita, tanti momenti eſt, ut ſatis non ſit, perennes ejus, inexhauſtoſque ſontes oſtendiſſe universìm; ſed inſuper opportunum, utiliſſimumque putamus, uniuſcujuſque ſontis latices ab intrinſeco ſalientes, adeòque vivos, ſeorsìm libare, & divisìm per alveos proprios trahere ut vita corporea actualis Servatoris Noſtri per adverſam doctiſſimorum hominum opinionem cursìm, & diſcurſu veluti ſubreptitio ablatam incautè, reſtituatur extemplò Euchariſtiæ. Sic Plato in Protagora inducit Prometheum ſubripientem ex communi officina Vulcani, & Minervæ, ab illo artem igneam, ab hac artem, media qua obtinetur facultas vivendi: *Communem*, inquit Plato, *Vulcani & Minervæ officinam, in qua artes excolebantur, clam ingreſſus, furatus eſt Vulcani artem igneam, aliamque Minervæ, qua vivendi facultas obvenit.* Neque ſine fructu erit deſcenſus iſte in particulari comparativè ad aſſertum noſtrum in genere uſurpatum: quemadmodùm enim ex illa deducuntur recto tramite ſingulares iſtæ aſſertiones, ita viciſsìm ab his ritè fulcitis, teſtimoniis præſertim ſcripturarum luculentiſſimis, & Patrum votis, roboratur mirum in modum aſſertio univerſalis. Incipiendo, tanquam à digniori, à potentia viſiva, ut ſint etiam oculi in amore Euchariſtico duces. Ut ſic pretioſiſſimam illam ſemper, paritèr ac velatam, vitam, hac etiam noſtra ætate pœnè intermortuam repetitis clamoribus & argumentis excitemus. Non ideò tamen omnem ſenſum, potentiam organicam, aut corpoream virtutem, efficimus in actu ſecundo vitalem, ne Fides Divina juſtè conqueratur de aſſertione, & audacia noſtra. Ex Euchariſtia nanque nos oculis corporeis (exempli cauſa) placidè intuetur; at non propterea ex Euchariſtia loquitur, alioqui ſtuperet quidem omnis quicumque audiret, inter alios tamen fides ſtuporem paſſa, & deliquium è ſolio caderet, & velum ſcinderet. Luſtrat igitur Chriſtus Dominus ex Euchariſtia omnia ſibi propinqua, & ſilet: *Totumque pererrans luminibus tacitis*: Virgil. 4. Æneid.

SE-

SECTIO PRIMA.

Promovetur egregiè, & ſolidiſſimè ex Sacra Pagina; & Doctrina Theologica uſus activus facultatis viſivæ Christi Domini *quà ſub ſpeciebus Euchariſticis realitèr latentis.*

§. I.

Num. 1. SYLLABUM Theologorum aſſertioni prçſenti ſubſcribentium dedimus Diſputat. 2. ſect. 1., qui enim exercitium vitale ſenſuum Chriſti Domini ſub ſpeciebus latitantium agnoſcunt, & ſuſpiciunt, illud oculis potiſſimè tanquam Primatum in corpore habentibus, dein auribus, & tandèm ſenſibus internis, attribuunt. Quamobrem expeditus jam ab ea moleſta Scholaſticorum enumeratione, fidem illicò abſolvam, producendo in medium verba Sponſæ Cant. Cantic. cap. 2. verſ. 9. ubi exultans de adventu Sponſi colles tranſilientis, monteſque pluſquam alata celeritate, exclamat: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum: reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Quæ verba frequentiſſimè uſurpant de Euchariſtia Expoſitores, & Theologi, inter quos clariſſimus Interpres Cornelius à Lapide illa expendens, inquit: *In Euchariſtia enim Chriſtus non ſolùm Deitatem ſuam, ſed & Humanitatem per ſpecies ſacramentales panis, & vini, quaſi per parietem intermedium abſcondit, per eaſque quaſi per cancellos clarè nos intuetur; non ſolùm oculis mentis, ſed & corporis, uti multi Theologi cenſent. Sed per fidem, & ænigmata duntaxat videtur à nobis, puta per ſpecies Sacramentales, ac multò magis per conſolationem, illuminationes, & gratias ſpirituales, quas manducantibus exhibet.* Teſtimonium ſanè luculentiſſimum, non jam ex mente unius viri, quamquam ſapientiſſimi, duntaxat, ſed ex mente plurium, & Sacræ Scripturæ verbis legitimè, & connaturalitèr erutum.

Accinit Michael Giſlerius in eundem Cant. locum, nam cum dixiſſet: *proſpiciens per cancellos: per externas videlicèt panis, & vini ſpecies:* Firmat ſenſum nuper expreſſum hiſce verbis quaſi ex ore Sponſæ acceptis pagina 342. *En ille ipſe, qui tanta advolabat celeritate, jam præſens adeſt: abſcondit ſeſe ille quidèm, nec noſtras ingreditur ædes, ſed ſtat poſt parietem noſtrum. Nonne vides quàm jucundè ipſe nos aſpiciat per feneſtras, quamque amicabilitèr ſui nobis exhibet deſiderium, oſtendens ſe, ſimulque ſeſe nobis abſcondens?* Habemus attamen hujuſce interpretationis, veritatiſque teſtem, Patronumque locupletiorem, Angelicum Doctorem ſcilicèt, qui ſemper demirando illo Opuſculo 58. cap. 2. ait; Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, ideſt indutus parietem carnis noſtræ: proſpiciens per cancellos, quia licèt intus degens occultus à nobis videri non poſſit, tamen omnia noſtra videt.* Ubi dum accommodat præfatum locum Chriſto Domino ſub ſpeciebus Euchariſticis, manifeſtum apparet, ipſum loqui de viſione per oculos corporeos à Chriſto Domino ibidem abſcondito producta: non enim eſſe potuit illi ſermo de Divinitate, cum hæc ex omni loco videat noſtra omnia: nec de oculis mentis, quibus pariter nos videt è Cœlo: rurſus quia oculis mentis etiam à nobis ipſe viciſſim cognoſcitur per fidem, ut exiſtens in Euchariſtia, etiamſi modus cognoſcendi, ſeù videndi ſit longè diverſus ab eo, quo nos ipſe contuetur (quæ differentia videndi non attingitur hìc à D. Thoma, ſicut illam inſinuat, dum in alio ſenſu, mox objiciendo, verba illa accipit). Tum demum, & præcipuè, quoniam, ſubjectum reconditum, quod adſtruitur ibi videns, & non viſum, nullatenùs eſt per ſe primò divinitas, ut compertum eſt, & clariùs ſtatim apparebit.

Verum quidem eſt, ipſum Div. Thomam ſuper Cant. Cant. exponentem præfatum locum, dixiſſe, verba illa accipienda eſſe de Divinitate latente in Humanitate, videnteque noſtra cuncta, ſive de Chriſto Domino ut vidente nos per Divinitatem. Cœterum in opuſculo laudato (in quo potiſſimè ſcopum Euchariſticum attigit mens Angelica Divi Thomæ) uſurpat prædicta verba de Chriſto Domino prout Sacramentaliter abſcondito; non ſic autem in loco objecto, in quo diſputat de Chriſto Domino in propria ſpecie exiſtente, & divinitatem ocultante, nequaquam verò de ipſo ſub ſpeciebus alienis, cum Euchariſtiæ ibi non meminerit, cui eadem illa accommodat in opuſculo. Quòd autem in propria ſpecie exiſtens non videat nos, niſi per divinitatem, quia ſola ea erat in Chriſto Domino abſcondita oculis hominum: & aliunde ibi ſit ſermo de aliquo abſcondito, ſeu latente, & quidem poſt parietem Humanitatis; nequiquam arguit, illum, qua ſub ſpeciebus panis, & vini abditum, non videre nos oculis corporeis. Ac per conſequens ex eo quod Div. Thomas juxta ſecundum ſenſum viſionem illam per Divinitatem explicet, perperam ſubinfertur, eodem modo illam intellexiſſe juxta primum. Sunt etenim varii, mirabiles, & diverſi coloris ſcripturæ ſenſus, quibus Patres ſatis communiter utuntur diviſim, juxta diverſitatem materiæ de qua diſſerunt, circumducendo eadem flueta, eandemque veritatem per tramites diverſos, per omnes tamen Spiritus Sanctus ferri novit ſuper aquas.

Num. 2. Ex duplici igitur illo exiſtendi modo Chriſti Domini duplicique illius veluti ſtatu, deſumitur inconcuſſa ratio diſcrimi-

minis, & ſenſus diverſitatis inter utrumque Divi Thomæ textum, fuſiùs modo enucleandum. Porro utrobique fatetur S. Thomas (& fateri debent omnes, ne apertè verbis illis Scripturæ Sacræ contradicatur) adeſſe aliquem abſconditum videntem, & non viſum, qui latebris non obſtantibus intueri valeat objecta præſentia, fideles v. g., quin ab eiſdem viciſſim conſpici valeat. Jam verò in Chriſto Domino exiſtente in propria ſpecie, dum cum hominibus converſaretur in terris, nullo modo latebat Humanitas, cum hæc pateret oculis omnium, & quidem tam Corpus ſeipſo viſibile, quàm anima per ſenſibiles, vitaleſque operationes ſeipſam effundens, & oſtendens. Sola igitur latitabat Divinitas in ipſa Humanitate: ac ſubinde illa tantum eſſe potuit, quæ reſpiceret per cancellos Humanitatis, cum proſpiciens ſupponatur planè latens. Quare ubi S. Thomas intelligat prædicta verba de Chriſto Domino in propria ſpecie, ut in explanatione directa illius loci, neceſſaria conſecutione infertur, abſconditum, qui videbat veluti per rimas, ſeu per Humanitatem, Sponſam Eccleſiam, eſſe Verbum Divinum, ſive Divinitatem. *Poteſt etiam hoc, quod dicit* (ait ibi Div. Thomas) *ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, & ad humanitatem ejus referri, quaſi enim poſt parietem noſtrum ſtetit, quia carnem noſtram ſibi appoſuit, in qua divinitas ejus latuit. Quod vero ſequitur, reſpiciens per cancellos, hoc ad Divinitatem ejus refertur. Ille enim per feneſtras, vel per cancellos intuetur cuncta, quæ foris aguntur, videt, & ipſe à nemine videtur.* Et quia certum eſt, Deum videri intuitive ab Sponſa triumphante, & à militante per fidem, & contemplationem, addidit immediatè D. Thomas ſenſum, in quo divinitatem à nemine videri ſub humanitate abſconditam: *Ita Deus cum omnia videat, & omnia perſerutetur, ipſe inveſtigari, & comprehendi non poteſt.* Videri quidem poteſt à Beatis; comprehendi tamen nequit: cum ipſe comprehenſivè attingat omnia. Uti & viæ ejus ſunt inveſtigabiles nobis. Et ideo in eo ſenſu non eſt reciproca viſio, quia utrinque comprehenſiva non eſt. Quæ differentiæ ratio in particulari eſt prorſus neceſſaria ad veritatem extremi negativi; quoniam alioqui univerſim acceptum falleret, ut ſupra diximus in eadem materia. Dum verò uſurpantur verba Sponſæ de Chriſto Domino latente ſub ſpeciebus panis, & vini, prout illa intelligit S. Thomas in aureo eo opuſculo (quem amoris exceſſum in Sacramento Auguſtiſſimo ſpirant Cantica ferè omnia cum ſint epithalamium mutuæ dilectionis, conjugiumque divinum, ore in terris cæptum, & per gloriam ſuper montes aromatum conſummatum) tunc ſubjectum abſconditum, velatumque neutiquam eſt, nec eſſe poteſt per ſe primò divinitas, ſed humanitas, ut manifeſtum eſt: quoniam ſicut divinitas occultabatur ſub humanitatis velo, ita humanitas abſconditur ſub velo accidentium in Euchariſtia, prout loquuntur ſæpiſſimè Patres ex Cypriano, aut Authore ſerm. de Cœna Domini. Et quamquam ſit etiam divinitas ſpeciali modo in Euchariſtia, poſſitque dici ejus latibulum, attamen hæc ſpecialis ratio præſentiæ revocatur unicè ad unionem intimam cum ejuſdem humanitate latente, à qua ſub hypotheſi quod præſcinderetur, adeſſet tantùm ibi divinitas non aliter, quàm in omnibus rebus, vel ut eſt per gratiam in omnibus juſtis, ſi ejuſmodi foret homo ille latens, & Perſonalitati Divinæ non copulatus in ea hypotheſi.

Ulterius cum de ſubjecto velato accidentibus Euchariſticis diſſeritur, ab omnibus, per ſe loquendo, intelligitur in recto humanitas; maximè cum divinitas per concomitantiam ſolùm, & quaſi indirectè veniat in Euchariſtiam ratione corporis, & ſanguinis & licet anima etiam conſtituatur præſens concomitanter; cæterum ubi ſemel ſubjectum abſconditum ſub ſpeciebus panis, exempli cauſa, intelligatur Corpus Chriſti Domini, dum affirmatur de illo diſtinctè, quòd videat per cancellos, & proſpiciat per feneſtras, ideſt per ſpecies ſacramentales, evidenti illatione colligitur ab anima informante corpus provenire eam viſionem; cum ſolùm per ejuſmodi ſenſationes (vel per operationes aliquatenus ab eis pendentes) poſſit denominari corpus videns, & vivens in actu 2., & nullatenus per actum divinitatis proprium, ut notum eſt omnibus, quorum mentibus non ſit abſcondita Doctrina Theologica, æquè, ac eſt oculis corporis recondita, imperviaque præſentia Chriſti Domini Euchariſtica. In eum finem præmiſerat in eodem cap. 2. laudati opuſculi D. Thomas, Euchariſtiam eſſe memoriam Salvatoris, habendamque nobis memoriam de tribus, de præterito, præſenti, & futuro: *De præſenti*, inquit, *ut omnium inſpectoris, qui per occultam præſentiam omnia noſtra ſemper cernit.* Et hoc extremum probat verbis ſponſæ productis. Inde autem ſatis probabiliter eruitur, ſcopum D. Thomæ fuiſſe viſionem Corpoream Chriſti Domini ex Euchariſtia: quia ſi de viſione per Divinitatem, vel per ſcientiam diſſeruiſſet, fruſtra dulces latebras Euchariſtiæ inſinuaret.

Num. 3. Efficaciùs adhuc. ille, qui rimatur ex occulto ſub accidentium velo adſtantes, ita proſpicit per cancellos, & feneſtras reticulatas, vel per retia (ut cum ſeptuaginta S. Hieron. lib. 3. in Ezechiel. cap. 12. Ambroſ. in Pſalm. 118. Origene, & aliis Patribus, legunt complures interpretes) ut à nemine videri poſſit, eo quod abditus ſit prorſus in eo ſtatu, ſicuti ex Div. Thoma, & laudatis Expoſitoribus liquet, eſtque compertiſſimum ex ſenſu verborum Sponſæ; à nemine autem videri, non minùs convenit Divinitati extra Euchariſtiam,

quam

quam in Euchariſtia comparativè ad mortalium viſum, ut Sanctum eſt: & ſi loquatur de viſione comprehenſiva, ut putat S. Thomas, etiam comparativè ad beatos. Ergo ſubjectum, quod videt nos per ſpecies, veluti per cancellos, quodque videri nequit à nobis, quia latet ſub ſpeciebus illis, aliud eſt à Divinitate. Deinde eſſe nequit per ſe primò anima Chriſti Domini, quâ per ſcientiam beatam, aut infuſam independenter à Corpore noſtra videns: tum quia illa indirectè ſolùm, aut concomitanter, & ratione Corporis, vel Sanguinis conſtituitur in Sacramento, pariter ac Divinitas; conſequenterque eatenus ponitur ex parte primò & per ſe abſconditi Corporis, quatenus illa neceſſaria eſt ad hoc ut primò, & per ſe abſconditum Corpus videat, non viſurum ſine illa, nec viſurum per operationes illius ab ipſo independentes. Et inſuper pœnes eas operationes, utpotè minimè cum Corpore communicantes, non minùs etiam abſcondita eſt oculis noſtris extra Euchariſtiam, quàm intra illam, cum illæ minimè ſe prodant, etiam dum ex aperto campo à Chriſto Domino in propria ſpecie exercentur; uti ſe manifeſtant, quæ per Corpus in eo ſtatu exequitur externè. A' fortiori igitur ſubjectum illud eſt Corpus per ſe primò intelligendum, quod videri nequit ab oculis Corporeis adſtantium, quia abſconditum eſt; licet ipſum, quâ anima informatum (comitanter poſita) oculis Corporeis præſentes nos intueatur; nec in alio ſenſu, aut per filum diverſum fieri valet hic reciprocatio, ut ex dictis affatim apparet.

Incaſſum autem opponerentur verba ipſa Divi Thomæ à nobis producta, veluti contra producentem ipſum probantia, eo quod dixerit: *poſt parietem noſtrum, id eſt indutus parietem Carnis noſtræ*; ille ergo, qui induit parietem carnis noſtæ, reſpicit per cancellos, & feneſtras, juxta S. Thomæ doctrinam; ſed verbum Divinum eſt quod præfatam carnem, aut carnis parietem induit, aſſumpſitque: ergo verbum Divinum, aut Divinitas eſt, quæ videt, & non videtur. Nequidquam ſanè, quoniam licet veriſsimum ſit, verbum aſſumpſiſſe parietem carnis, licet inſuper ſit indubitatum, Perſonam Verbi Divini denominari videntem ex Euchariſtia per cancellos, & feneſtras, quia operationes ſunt ſuppoſitorum; verùm nullo pacto eſt verum, viſionem illam à qua denominatur, exerceri formaliter per Divinitatem ipſam, ſed per Humanitatem aſſumptam, ſeu per parietem, aut murum carneum, ut evincunt hactenus dicta, & in ſequentibus dicenda. Verbum igitur eſt, quod ſeipſo immediatè carnem aſſumpſit: verbum eſt pariter, quod in carne aſſumpta denominatur videns, amans, patiens; verumtamen videns per viſionem Corpoream ex Euchariſtia ab Humanitate, Divina ejus virtute ipſam elevante, productam; ſeu ab oculis velatis in Euchariſtia, qui in plurium interpretum explicatione ſunt feneſtræ totius muri, juxta illud Jeremiæ 9. *Aſcendit mors per feneſtras*; accidentia verò ſunt retia, quę impediunt denſitate ſua, ne viciſſim à noſtris oculis videatur: ut eo non mutuo aſpectu, niſi tantùm in voto ex parte noſtra, inflammetur ardentiùs Sponſa deſiderio fruendi Divino illo vultu in patria fœlicitatis, ſuſpirans interim ex imo pectore.

Fas mihi ſit, patrios contingere vultus.
Fas, junxiſſe manus: Statius lib. 5. Sylv.)

Num. 4. Adjungendum omnino: locum ex opuſculo decerptum eſſe Divi Thomæ, cum divinum illud opus ſit fœtus legitimus, doctiſſimorum hominum conſenſu, pariter & admiratione, mentis Angelicæ, (tametſi Cardin. Turrecremata, & Petrus de Pruſſia in vita Magni Alberti, uti & pauci alii, illud Alberto Magno cap. 4. de Sacramento Altaris attribuendum putarint). Non ſic autem expoſitio illa Cantic. Cant. quæ adducitur in argumentum; de qua meritò dubitarunt viri eruditiſſimi. Et ſanè idem planè teſtimonium ad verbum expreſſum extare apud Haymonem, qui floruit 450. annis ante Div. Thomam, compertiſſimum eſt, patebitque cunctis Haymon. legentibus. Idcirco alius prorſus ab iſto credendus eſt commentarius, quem S. Thomas Foſſæ novæ, non tam febre correptus, quàm vi amoris, unà cum ſponſa languens, morienſque cecinit: quippe qui ſeorſim lucem vidit ſtudio, & opera Petri Gualteri anno 1545. ſimulque cum expoſitione Cardinalis Cajetani in Proverbia, & Eccleſiaſten reperitur. Conſulatur laudatus Cornelius à Lapide, dum Commentatores in Cantica laudat.

Importunè tamen occurreres diſcurſui hactenus confecto, dicens: textum productum ex cap. 2. Cantic. Cant. intelligi quidem manifeſtè de Chriſto Domino penes ejus Humanitatem Sacroſanctam; cœterum de illo prout in Empyreo oculos mortalium planè fugiente, adeoque abſcondito: in qua acceptione eſt nobis hic inviſibilis æquè, ac in Euchariſtia, & ſimul videt terrena cuncta oculis Corporeis etiam, quibus ſuam Sponſam Eccleſia perluſtrat, diaphana Cœlorum Corpora viſu penetrans, ſalienſque montes influxu, inſpirationibus, & amoris aſſultibus. Contra tamen primò: quoniam hic diſſerimus de loco illo prout intellecto de Euchariſtia frequentiſsimè à Patribus, & à Div. Thoma in opuſculo Euchariſtico memorato, ex qua hypotheſi deducimus ſatis aptè, proſpectum illum ex occulto ſitu, & veluti ex inſidiis amoris, ſub accidentibus, eſſe viſionem Corpoream ipſius Humanitatis terminatam ad fideles altaria circumſtantes.

Secundo: quoniam in dramate illo inducitur ſponſus tranſiliens montes, & colles, ut veniat: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*; non verò rediens in Cœlum: ſenſus autem ſaliendi per influxum, & inſpirationes valde metaphoricus eſt, ſi compara-

paratur eum iiterali per incarnationem adventum illum declarante, & illud etiam objectum ſimul comprehendente; cum ideo venerit, ut inſpiret, accendatque præcordia gelu rigentia. Tertiò: quoniam de adventu ipſius per incarnationem ad reparanda omnia per mortem, & Sacramentorum inſtitutionem paſſim intelligitur à Patribus Ambroſio ſcilicet in Pſalm. 118., Gregorio Magno, uti & Nazianzeno, Theodoreto, Beda, Euſebio Emyſſeno, Caſſiodoro, Anſelmo, Bernardo, & ab Interpretibus propè omnibus: videantur à Lapide, Ghislerius, Titelmanus &c. Iidemque, ſicut & plures alii, de volociſſima illius præſentia reali ſub velo accidentium ad ſonitum verborum; quaſi panis ille de Cœlo, non ad inſtar panis, ſive Corporis, ſed ad inſtar fulguris adeſſet illico ſub ſpeciebus panis, aut vini. idque eo efficaciùs urget, quo communiùs, & contentioſiùs Adverſarii docent, Chriſtum Dominum è Cœlo nequaquam intueri nos viſione Corporea; cum in carmine, aut Cantico inducatur proſpiciens Sponſam in terris miſerè degentem, & conſpectum Sponſi ſuſpirantem; oppoſitumque falsò ſupponi in reſponſione; liquet abundè ex ſupradictis.

Quartò: quoniam ille, qui videt per cancellos, & non videtur ſupponitur à textu ſacro ex latibulo occultè explorans fidem Sponſæ; Chriſtus Dominus autem, prout ſedet in Empyreo in propria ſpecie, eſt quidem à nobis phyſicè abſens; non eſt tamen, nec in rigore, aut proprietate ſermonis dici poteſt abſconditus: ſunt enim res planè diverſæ, abeſſe, & abſcondi; quamvis utroque modo fugiat conſpectum noſtrum. Namque fide ſancta noſcimus, Chriſtum Dominum eſſe realiter phyſicè præſentem in orbiculo conſecrato, quem proni adoramus, adeoque non eſſe realiter phyſicè abſentem; & nihilominus eadem veritate reſcimus, adeſſe ibidem abſconditum, prorſus occultum, & latenter velatum, cum per ſenſus nullo pacto experiri valeamus ejus præſentiam in vicinia. Et ſanè ſi Chriſtus Dominus ex Euchariſtia non aliter ſe gereret nobiſcum per ſenſus, quàm nos cum ipſo; tametſi non propterea conciperemus votum illud decantatum, tanquam in amante novum, ſiquidem nequaquam vellemus, amatum, adhuc eo modo tantùm præſentem, abeſſe; non eſſet attamen cur tantoperè indulgeremus dolori, licet præſentia illa quaſi emortua privaremur; cum æquè ex Empyreo per notitiam intuitivam ſcientiæ beatæ; & infuſæ noſtra videat, ac ex Euchariſtia: & cum effectus uberioris gratiæ, quæ ex præſentia illa materiali derivari credatur in eos, qui innocentiam, puriſſimumque animi candorem portant ad altare, multiplici alia ductili via manare poſſent. Neque tandem per viſionem corpoream è Cœlo comitanter adductam verificari poteſt ea curioſa exploratio Sponſi ex latebra ſpecierum: tum quia è Cœlo non intuetur oculis Corporeis, ut ſentiunt Adverſarii: tum ob ea, quæ producta fuere à nobis ſect. ultima præcedentis diſputationis, recolenda pro materia ſubjecta. Et ſanè juxta eam doctrinam ægrè verificaretur ſenſus connaturalis verborum Sponſæ; quandoquidem illa denotant, non tantùm videntem eſſe abditum intra cancellos, ſed viſionem ipſam exerceri, & veluti haberi per ipſos (adeoque non aliunde, & è loco, ubi adeſt manifeſta) cum id innuat proculdubio modus ille dicendi: *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Per quos, vel trajiciant objecta divinitus ſpecies, vel per concurſum omnipotentiæ, aliaſve ſpecies eo fine per ſe primò infuſas, ut ſuppleant trajiciendas alioqui ab objectis ipſis; quam energiam ſortiri emphaticam eam locutionem, aut ſignificantiam, planum videtur, alioqui reipſa proſpiceret è cancellis, ſeu retibus tectus, at non per cancellos.

Num. 5. Confirmatur argumentum principale ex verſione Chaldæi, accipientis decantata illa Sponſæ verba de Agno Paſchali, qui fuit Typus notiſſimus Euchariſtiæ, legentiſque in hunc modum. *Et ſtetit poſt parietes noſtros, & proſpexit* per feneſtras, *& aſpexit per cancellos, & vidit ſanguinem victimæ &c.* Et quamquam ibidem adjungat, Deum contemplatum eſſe hæc ex ſublimitate Cœlorum; id tamen nequaquam denotat, Agnum ipſum figuratum non videre ſimul per rimulas, ſive ſpecies, ex occulto, per quas impropriè admodum diceretur, Deum videre: atque adeò Agnus ipſe divinus adumbratus per illum, eſt qui per rimulas viſurum corporeis oculis nos, ſignificabatur ex Sacramento, in quo velatus adeſt, & in quo immolatus exiſtit: ita ut ex illo loco abditiſſimo omnia circumquaque proſpicere valeat oculatiſſima, fructuoſiſſimaque nobis curioſitate. Unde ſubdit Chaldæus: *Et vidit populum ſuum, qui comedebat victimam ſolemnitatis, aſſam igni, cum inteſtinis, & lactucis agreſtibus, & azimis.*

Urgetur ex ſimilitudine, quam induxit Sponſa ibidem, *Capræ, hinnulique Cervorum*: namque Capra, Græcè Dorcas, à videndo dicitur, ut docuit S. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 6. dum ait: *Salit ſuper Eccleſiam, quæ eſt domus panis, eo quod fidelium corda confirmet. Meritò ſicut Capreola, quia Capra in altis paſcitur. Dorcas dicitur à videndo Dorcadum enim viſus acutior eſt*. Et licet ſtrenuam illam viſus aciem comprobet Ambroſius ex eo etiam quòd Patrem videat; non tollit attamen, quòd ſimul viſu corporeo acutiſſimo ex panis ſpeciebus, ſub quibus latet, non proſpiciat apertiſſimè ipſam Eccleſiam, ſeu Domum panis, ex mente ejuſdem Ambroſii, & intra Domum habitantes. In eundem ſenſum ſcripſit S. Bernardus ſerm. 55. *Time oculos Capræ: acuto viſu eſt, nihil inſerutatum relinquit oculus ejus &c.* Similitudinem autem viſus corporei aſſumere; per ipſamque figurari, dum ad

Eu-

Euchariſtiam venit; ut nihil prorſus ex Euchariſtia ſibi propinquum aſpicere valeat, mihi probari ſatis nunquam poterit. Eſſet namque idem, ac ſub hypotheſi, quòd peractis conſecrationis verbis non illi adforet, citiùs quàm in ictu oculi (cum ſit operatio inſtantanea) ſed gradu ſucceſſivo, pedeque admodum tardo, & teſtudineo veniret; comparare nihilominus ejuſdem adventum Cervorum velocitati, qui ſi non ocyores euro, illius æmuli, de celeritate cum eo contendunt; etiamſi aliundè ſumma pernicitate, & luce intelligendi præſtaret, & licet per concomitantiam adduceret ſecum viſionem, qua cœleſte aliquod objectum contueatur; cum ſemper adeſſet veluti cœcus erga objecta propinqua: & cum illa intuitio objecti diſtantiſſimi cederet in honorem replicationis, nequaquam verò argueret præſtantiam facultatis viſivæ; quoniam ſi ſemel viſio objecti approximati, quæ comitetur ſubjectum replicatum in loco valdè diſſito, poteſt ipſum formaliter denominare; eundem effectum formalem exhiberet procul dubio, quantumvis potentia illa viſiva debilis foret, & nihil Aquilinum, Capræ viſui comparandum, aut acutum ſimpliciter cernens præſeferret, ſed miraculum à Potentia viſiva hæbetiori, & perſpicaciſſima præſcindens, & Dei omnipotentiam ſolùm commendans.

Num. 6. Impertinens autem foret reſpondere, Sponſam etiam ibidem exultantem de adventu Sponſi dixiſſe: *Vox dilecti mei*: quaſi illum audiſſet excitantem illam, ut ſe præpararet ad nuptias Agni; & nihilominus Sponſus ſub ſpeciebus nequaquam loquitur nobiſcum, niſi quatenùs mentes illuſtrat. Pariter ergo uſurpanda erunt, quæ de viſu per feneſtras reticulatas metaphorica locutione pronunciat. Neque ſolùm dum adventaret, ſonuit vox ſuaviſſima Sponſi, verùm & dum jam adeſſet realiter præſens in abſcondito, cum verſ. 10. iterùm exultans Sponſa dixerit ad Sodalem: *En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*. Sanè tametſi in ſenſu materiali ad literam locutio illa intelligi deberet, quemadmodum viſio; nihil attamen concluderet, niſi oppoſitum illius, quod intendit objectio. Quandoquidem principalis Sacerdos in Sacrificio Euchariſtico eſt Chriſtus Dominus, ut Theologorum conſenſus probat, & dictat: quocirca prima Sponſi, jamjam venturi, ſunt verba conſecrationis à Sacerdote ſubalterno prolata, quæ principali attribuuntur.

Propterea monuit S. Ambroſius ubi ſupra verſ. 1. vocem illam exilem ſubmiſſamque fuiſſe ad inſtar ſuſurrantis, quoniam ſic proferuntur conſecrationis verba nomine Chriſti Domini, & in ejus perſona. Undè Gbislerius laudatus inquit: *Vox dilecti mei, ea ſcilicet eſt, quæ in conſecratione à Sacerdote profertur*: per ſubſequentia verò, quibus Sponſa invitatur ad recipiendum Sponſum, *Veni*, deſignantur illa, quæ pariter à Sacerdote ſacram ſynaxim diſtributuro proferri conſueverunt perquam diutiſſimè: in antiqua namque Eccleſia exclamabat Pontifex: *Sancta Sanctis*, ut habetur in Liturgia S. Baſilii, (vel Diaconus) ejuſdemque uſus meminit S. Chryſoſt. ho. 61. ad Popul. Antioch. & ex inviolata Græcorum conſuetudine referunt Scriptores rerum Liturgicarum. Conſulatur Cardin. de Bona lib. 1. rerum Liturg. nu. 1. & 3. & cap. 17. num. 3. *Vox illa*, inquit Chryſoſtomus, Homil. 17. in Epiſt. ad Hebr. *In noſtras aures incurrens, alios quidem repellit, & ejicit; alios autem introducit, & ſiſtit. Nam quandò dicit Sancta Sanctis, hoc dicit: ſiquis non eſt Sanctus, non accedat &c.* In Eccleſia autem Latina modò Sacerdos vertens ſe ad Populum alta voce monet communicaturos: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit &c.* Undè quia Sponſa pura omninò, manſueta, Sponſo grata, & gratiarum pulchritudine, ornatuque inſtructa ſupponitur, ipſam blandè alloquitur Sponſus per Sacerdotem. *Surge, propera, veni &c.* Cœterum ea locutio uſurpari, audirique debet etiam in ſenſu anagogico per illuminationes internas, affectioneſque pias cordis, de quibus Oſeæ ſecundò: *Ecce ego lactabo eum, & loquar ad cor ejus*; etiamſi viſio Sponſi ex occulto accipi debeat de viſione planè corporea, & immediata. Diſcrimen eſt in aperto, omnibuſque patens; quoniam Sponſum videre dilectam ſuam, nihil importat aliud ex parte Sponſæ, quam denominationem purè extrinſecam; & quia Sponſam videre amatum videntem ipſam, obtutuque ſuaviſſimo inhærentem eidem, includeret neceſſariò activitatem facultatis viſivæ ex parte Sponſæ, vi cujus contueretur Sponſum, & ex conſequenti, aut periret, aut deliquium extremum pateretur fides, cujus energiam intendit per ſe primò Chriſtus Dominus eo myſterio. Idcircò licet videri poſſit, & debeat Sponſa oculis corporeis Sponſi larvati, ipſum tamen Sponſa viciſſim videre intuitione conſimili minimè valet, nec debet. Jam verò locutio vocalis Sponſi ordinatur ex natura ſua ad hoc, ut Sponſa audiat vocem amantis per operationem elicitam activè à potentia auditiva ejuſdem Sponſæ, ſine cujus auditione inutilis foret locutio ineptaque: eſſet enim vel ad inſtar inſanientis loqui ſecum ipſo: vel inſaniret pariter ſi ad rupem loqueretur, auditionis incapacem, ubi nec ſyllabam redderet echo. Si autem Sponſa exaudiret Sponſi vocem ex abſcondito illo, confeſtim tranſiret fides in evidentiam, vel attenuaretur nimium; ſubverteretur que finis potiſſimus Euchariſtiæ, æquè ac ſi videret illum attentè. Deindè jam deſineret eſſe abſconditus dilectus, cum perciperetur phyſicè per aures ejus præſentia, tametſi conſpectui non ſubjiceretur (quamquam oppoſitum exindè meritò inferret in eo eventu ratio Theologica): fides igitur, quæ ex auditu genera-

 tur,

tur, per auditum, & ex auditu interiret.

Num. 7. Probatur ſecundò ex illis verbis Levit. 21. *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerret panes Deo ſuo, neque accedet ad miniſterium ejus, ſi fuerit cæcus, ſi claudus &c.* Ubi arcetur à munere Sacerdotali cœcus, quin & *Lippus, & Albaginem habens in oculo*. Quæ verba exponens S. Cyrillus Alexand. de adoratione in ſpiritu, & veritate lib. 12. ait: *Habet autem ea res* (cœcitas) *per ſe, etiam ſi corporaliter accipiatur, magnam turpitudinem*. Expreſſiùs adhùc S. Fulgentius lib. 1. ad Traſimundum Regem cap. 12. loquens de Chriſto Domino quà Sacerdote Summo (prout eſt in Euchariſtia): *Qui ſi minus aliquid habuerit humanæ naturæ, nec perſonam ſumere Pontificis, nec offerre potuit pro peccatis: in lege enim Sacerdotio fungi non poterat, ſi quis homo minus aliquid habuiſſet in ſe; nec vitioſum, nec imperfectum pecus ad ſacrificium cuiquam licebat offerre. Pontificem verò noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe, quis ambigat? quem ſub hac appellatione Paulus commendat: habentes autem Pontificem Magnum &c.* Quòd verò Chriſtus Dominus in Sacrificio altaris ſit principalis Sacerdos, liquet ex Concilio Florentino, Tridentinoque, ex adductis Patribus, & ex reliquis propè omnibus, uti & ex Scholaſticis; & quidem eſſe Sacerdotem, prout ibi Sacramentaliter præſentem, ſequenti diſputatione planum faciam. Ergo proùt in Euchariſtia exiſtens nequit adeſſe actu privatus oculorum uſu activo (maximè cum ex ea privatione ſequeretur etiam paſſivæ, & intentionalis viſionis carentia erga objecta altari proportionata, ut ſæpiſſimè argumentati ſumus): quæ privatio, tametſi illum minimè faceret intrinſecè orbatum facultate viſiva, ſeù diſpoſitionibus aptis ad videndum, cum organa forent ſemper, ut modò, perfectiſſima, gloriæ dotibus, aliiſque qualitatibus præſtantiſſimis inſtructa, efficerent tamen illum ratione ſtatus, aut modi exiſtendi, cœcum de facto in actu ſecundo in Euchariſtia; immò & in actu primo impeditum quoad exercitium videndi, ſubindeque cœcum in eo ſenſu accidentario, & extrinſeco toto tempore durationis Mundi, & reduplicativè proùt in Euchariſtia; quod reipſa eſt idem æquivalenter, ac eſſe cœcum ſub eo ſtatu: ſiquidem habere impedimentum inauferibile naturaliter, nunquamque auferendum divinitus, ſive illud intrinſecè inhæreat, ſive extrinſecè aſſiſtat, eundem formalem effectum cœcitatis, quoad ſubſtantiam, parit. Conſecutio legitima eſt, taliſque foret, etiamſi nonniſi è Cœlo tantùm exerceret munus Sacerdotis actu: quia cum utrobique ſit idem Chriſtus Dominus, ſi proùt in Euchariſtia latens foret privatus viſu in perpetuum pro illo ſtatu, arceretur à dignitate Summi Sacerdotis, adhùc quà in Cœlis exiſtens in propria ſpecie, luminibus actu errantibus per objecta undique cœleſtia: quoniam jam verificaretur, Sacerdotem Summum eſſe alicubi cœcum, quia cœco modo in perpetuum ibi exiſtentem; & quidem non tantùm negativè, ſive purè non videntem ex eo ſtatu, ſed poſitivè, prohibente nimirum impedimento poſitivo inextenſionis exercitium facultatis viſivæ pro illo ſtatu, qui ex ſe, ut Adverſarii loquuntur, & opinantur, nec alium præſupponit, aut expetit, in quo eo impedimento ſolutus colluſtrat de facto, in propria ſpecie patens, viſibilia intra ſphæram viſus conſtituta.

Præterea non ſolùm quà Sacerdos, ſed & quà victima, debet eſſe immunis planè ab ea viſus privatione, ut cap. 22. Levit. jubebatur: *Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit ... non offeretis ea Domino.* Et aliunde tametſi Chriſtus Dominus, prout in Euchariſtia clam exiſtens non foret Sacerdos, eſt attamen victima, incruentè quidem, ſed verè nihilominus immolata: quæque ſic immolari debet, ut perſeveret (aut reviviſcat) peracto etiam Sacrificio, integra, & viva, juxta verba trita S. Andreæ Apoſtoli; ac proindè oculata: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari: cujus carnem poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus*: quâ Victima igitur, & quâ ſimul Sacerdos eſſe debet oculatus, binoque eo titulo in altari perfectus, & integritate membrorum, & expeditiſſimo exercitio Potentiarum: ne alioqui claudicaret aliqua ex parte Sacrificium.

Num. 8. Reſpondebis. Victimam illam ante immolationem ſecundum ſe acceptam præſtare uſum aciei, quam actu exercet pro libito in Cœlo: poſt immolationem verò, nec uſum facultatis viſivę deſiderari debet in Victima, nec poteſt, cum potiùs adducatur ad Aram, ut ejus vita, & ex conſequenti exercitium potentiarum materialium, immoletur ſupremo vitæ auctori. Cœterum doctrina hæc, ſicuti evidentiſſima eſt in Sacrificio cruento Chriſti Domini in Cruce per Victimas antiqui teſtamenti figurato: & in illa pecudum immolatione, etiam dum ſignificaretur per illas Sacrificium incruentum altaris; ſolùmque propterea arcebatur cæcitas à Victima ante immolationem, quia debebat eſſe undique materialiter perfecta, ut eligeretur immolanda: ita extra dubium eſſe debet de Agno qui per vetera Sacrificia repræſentabatur in altari abſque cruore immolandus, ſeu quin ara rubeſceret, aliter eſſe philoſophandum, quandoquidem Victima hæc in Sacrificio incruento perire non debet, cum Chriſtus Dominus ex mortuis reſurgens, non ſit iterum alicubi moriturus. Ubi autem Agnus, immolandus, eſſe non poteſt cæcus in ara; ſi aliunde ipſe ita immolari debeat, ut ni-

nihil prorſus amittat, per ſui immolationem, eorum quæ priùs habebat, ut opinatur vulgata Theologia; neceſſariò erit ſemper actu ſe exercens per facultatem viſivam poſt immolationem, quandiù fuerit ſacramentaliter exiſtens, æquè ac ante illam, ſi fuiſſet priùs in ara exiſtens, quàm actu immolatus: verumtamen quia ſententia noſtra longè aliter ſentit de præfata immolatione incruenta, exiſtimans, illam à fortiori importare privationem vitæ actualis ſenſitivæ quouſque illam, per quamdam veluti reſurrectionem, per quam recolitur memoria reſurrectionis ſimpliciter talis, iterum intra Euchariſtiam recuperet, aut reſumat; idcircò dicimus, Agnum per immolationem amittere quidem uſum actualem ſenſuum in Euchariſtia; uſum tamen, quem præcedenter ad immolationem habet actu ſub ſpeciebus; putamus enim priùs adeſſe ibi realiter præſentem per brevia aliqua momenta, quàm ſacrificetur; & in ea tantùm acceptione, eoque tempore ſolùm eſt propriè Victima immolanda, propriè, & immediatè; non autem in Empyreo, prout ibi; licèt prout ibi eſt in propria ſpecie, ſit in potentia Victima, alibi, & ſub alio ſtatu immolanda; atque adeo fallit reſponſio, dum in Cœlo, & nonniſi in Cœlo, credit, illam eſſe Victimam immolandam, & in Euchariſtia immolatam duntaxat. Semel verò ac Agnus præexiſtere debeat in altari ad ſui immolationem, ut vera immolatio, verumque Sacrificium reperiatur in altari, legitimè ſequitur ex teſtimoniis allegatis, illum antevertenter ad ſacrificationem, uſum de facto habere potentiæ viſivæ, ne cæca alioqui in ſenſu aliquo (quoad ſubſtantiam vero) ſit Victima, quæ ſiſtitur ad Aram ſacrificanda. Quoniam tamen de re hae copioſè diſſerendum nobis eſt Diſput. 5. negligenda eſt hic ulterior hujuſce materiæ diſcuſſio. Ad eundemque modum diſcurrimus de officio Sacerdotis ſummi, quo fungitur prout eſt ſacramentaliter præſens altari immediatè poſt conſecrationem, cum nonniſi ea peracta, Sacramentoque confecto, fiat Sacrificium ab ipſomet ſupremo Pontifice ibidem latente; ad quod munus exequendum opus habet expedito uſu potentiæ viſivæ in ara ipſa, ubi adeſt Sacerdos ſacrificaturus, & Sacerdos per humanitatem, ſeu quâ homo eſt, de quo plura latiſſimè eadem Diſp. 5. & 4. etiam.

Si antem aliquis indidem colligat, adeſſe non poſſe mutum in Euchariſtia Pontificem noſtrum ob parem, aut conſimilem rationem; illegitimam ſequelam erueret ex præfatis principiis, ob inculcatam ſæpiſſimè differeutiam inter eas operationes, quarum uſus redundaret iu ſtragem myſterii, fideique ipſius, & reliquas ſuſtinentes decorum, & nullum afferentes præjudicium. Ulterius loquacitas nullo pacto exigitur in ove v. g. ad Sacrificium deſtinata; & quamquam ex naturæ lege, & veluti neceſſitate, occiſionis tempore balatum mutaret in gemitum, hoc ipſum nullo modo exigitur ad ſacrificium, immò de Victima per illas adumbrata ſcriptum eſt Iſajæ 53. *ſicut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obtumeſcet, & non aperiet os ſuum*. Neque rurſus quâ principalis Sacerdos aperire debet labia ad ſacrificandum, cum ſacrificium ipſum, juxta principia noſtra, prȩſupponat conſecrationis verba, quæ profert ipſe per ſubalternos miniſtros ſuos, ejus nomine loquentes, ſacrificatio autem ipſa verba non poſtulat, licet prȩſupponat, ſed actionem ſacrificativam, vel locutionem internam ad Deum terminatam; non autem externam ad homines, aut Deum: cum ſatis ſuperque ſit ſupremo Sacerdoti aperire ſubalternorum ora ad conſecrandum: quemadmodum Spiritus Sanctus locutus eſt per Prophetas. Uſus igitur immediatus linguæ Supremi Sacerdotis officeret ipſius muneri, & myſterio; ſilentium verò utrique prodeſt, & Sacerdotem magnum intra profunditatem illam arcanorum ſummopere decet.

Num. 9. Confirmatur 2. ex Sacrificio ab Abrahamo intentato, dum immolandum ſecum tulit dilectum filium Iſac, typum Chriſti Domini omnium confeſſione, uti & Sacrificium illud typus fuit Euchariſtiæ, quatenus incruentum fuit reſpectu Iſac, principaliſque Victimæ, ut frequentiſſimè invenies apud interpretes ex Ambroſio, & aliis Patribus. Porro eum Angeli clamore prohibitus eſſet filium immolare, animadvertit Textus Sacer Gen. 22. Abrahamum appellaſſe montem illum, & locum: *Dominus videt*, adjungitque, *unde uſque hodie dicitur, in monte Dominus videbit*. Locus igitur Sacrificii, ubi Chriſtus Dominus immolandus incruentè figuratur, appellari debet, *Dominus videt*; per *to* autem *Dominus*, intelligendum Chriſtum Dominum docuere cum S. Ambroſio, Eucherio, Vatablo, & Lipomano complures alii, eſtque inter Expoſitiores ſatis receptum, uti quod altare Sacrificii ſit mons ille per montem *Moria* ſignificatus. Nomen autem illud eo diligenti ſtudio animadverſum, & reflexione ſignatum; impoſitum fuiſſe ad ſignificandam tantùm divinitatem videntem ex eo loco, cum ex omni pariter videat: vel viſionem Chriſti Domini per ſolam ſcientiam beatam, infuſamque, media qua è Cœlo eoutuetur omnia; contingere quidem potuit titulo aliquo ſpeciali nobis ignoto; ægrè tamen invenietur, qui fidem præſtet. Proindeque viſionem corpoream Chriſti Domini ex Euchariſtia denotaſſe, quamquam ex ſe difficilem, & planè miraculoſam, cenſendum eſt. Hoc ipſum perſuadet egregiè figura antiqua & expreſſiſſima Euchariſtiæ manna ſcilicet, quȩ Exod. 16. deſcribitur: *in ſimilitudinem pruinæ* eadens è Cœlo; ubi Philo Hæbreus lib. 2. Allegor. legit: *ſimile*

pupil-

pupillæ oculi . Unde turbo immenſus defluentium granorum , acervum pupillarum oculi conficiebat , ut ſignificaret in particulis panis per illum figurati , extituros oculos perſpicaces , & actu proſpicientes; neque enim rotunda illa pupilla incaſſum, aut cæca ſignificatione impreſſa fuit in figura . Multa inſuper adjungi poſſunt Scripturæ Sacræ teſtimonia in comprobationem hujus doctrinæ ; quoniam verò non adeo perſpicua ſunt plerumque , ſed ſuboſcura potiùs, & allegorica , aut accommodatitia prætereunda ſunt hic , libatis duntaxat nonnullis , uti videlicet illud Exodi 18. *Venit enim Aaron , & omnes ſeniores Iſrael ad comedendum panem cum Socero Moyſi coram Domino* . Quem locum de Euchariſtia ſacra, per panem illum ſacrificii adumbrata , intellexere plures ex Patribus , inter quos S. Cyril. Alexandrin. lib. 3. de adoratione in ſpiritu , & veritate , expendens præfata verba , inquit : *nec verò parvam ſignificationem præſefert illud , quòd tanquam in conſpectu Dei panem manducare oporteat ; quid enim adeo ſub Dei oculis , atque conſpectu , quam myſtica menſa , & Hoſtia , quique ejus participes ſiunt* .

Idemque denotant conſimilia ejuſdem Exodi 25. *Pone ſuper menſam meam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper* . Circumſtantia namque illa, quæ ſacro Scriptori notatu digna viſa fuit , quòd panis Euchariſticus (& idcirco ejus typus) peculiari titulo in conſpectu Dei comederetur , apertè ſatis innuit , non quidem intuitionem divinam , Deique , quà talis , oculis, quibus omnia æque patent : non ſcientiam infuſam , aut beatam Chriſti Domini ſecundum humanitatem , cum illa pariter verſetur erga objecta omnia , per quæ ad nutum vagatur pari luminis , ac intuitionis claritate : ſed viſionem materialem oculorum humanitatis ipſius Chriſti Domini clam exiſtentis , veloque accidentium tecti. Eundem ſenſum connaturaliter ſortiri poſſunt verba illa Deuteron. 33. *Oculus Jacob in terra frumenti , & vini , cælique caligabunt rore* . Quod de Euchariſtia paſſim accipi exploratum eſt ex Interpretibus, & ita uſurpatur à Carthuſiano , & utraque Gloſſa ibi enim Jacob Perſonam Chriſti Domini ſubinduens, aut gerens (juxta illud Lucæ 1. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum* .) Supponitur oculatus ſub ſpeciebus panis, & vini ; immò ſit ſolùm mentio de præſentia oculorum, ſive facultatis viſivæ Chriſti Domini quaſi de re mirabiliori, & nova prodigia poſtulante : ſimulque deſcribitur obſcuritas myſterii , dum repræſentantur Cœli caligantes eodem tempore, quo emittunt manna ad inſtar roris, & arcanum Euchariſticum deſignant , in quo nubes juſtum pluere dicuntur , & juſtus ipſe nova imbrium ſpecie Cœlos in pluviam diluit.

Num. 10. Adducam hic teſtimonium Math. 22. ex Parabola Regis filium matrimonio copulantis , qui , dum ad prandium concurrentes luſtraret , dumque inter alios videret unum non ornatum veſte nuptiali, dixit illi : *Amice quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Quam Parabolam de ſacro Altaris Convivio , deliciarum centro, intelligunt propè omnes , & de apparatu , diſpoſitioneque requiſita ex parte accumbentium . Illam autem exponens Sanctus Bruno Aſtenſis homil. 26. in Pentecoſtem , inquit: *Tunc dicit Rex Miniſtris &c. Semper enim his nuptiis Deus intereſt , ſemper benè , & malè indutos videt , & quamvis ipſe à nemine videatur* : Expreſſèque loquitur de Chriſto Domino, *& de his , qui ad Chriſti Corporis, & Sanguinis Sacramenta accedunt* . Eodem pacto prædicta verba uſurpat S. Chryſoſt. homil. 61. de ſacror. myſterior. participatione, ibi : *Per ſingulos dies venit diſcumbentes viſurus &c.* Hic perficiuntur aliquo modo nuptiæ Agni , de quibus Apocal. 19. & propterea dicitur : *Beati qui ad Cœnam Nuptiarum Agni vocati ſunt* : & de Agno , ſive Sponſo adjungitur ibidem : *Oculi autem ejus ut flamma ignis*, quoniam vel in tenebris ipſis , ſub quibus latent , ſplendorem concipiunt , non jam ut videantur , ſed ut videant .

Loquatur etiam S. Auguſtinus tract. 26. in Evang. Joan. dum monet accedentes ad ſacram menſam , ut purè , ſanctèque accedant : *Novit ille* (Chriſtus Dominus) *quid agas , intus te videt , intus te examinat , intus inſpicit , intus judicat , intus aut damnat, aut coronat* ; & quamvis hæc viſionem intuitivam mentis includant , corpoream etiam indicant . Ad eundem etiam modum loquitur Paſchaſ. de corp. & ſangu. Dom. cap. 8. ubi altare æneum deſcribens , ait : *Quia Sacramentorum vota in illo pro nobis offeruntur Altari , quo nimirùm Chriſtus concordiam videt omnium , & fidem convenit ſingulorum* . Quamobrem orbiculus ille Hoſtiæ conſecratæ non incongruè comparari poteſt rotæ Ezech. 1. quæ oculis undique diſtincta erat, & ſignata : in cujus medio rota alia : *& totum corpus oculis plenum in circuitu ipſorum quatuor .... ſpiritus enim vitæ erat in rotis* , ut quaquaverſum per gyrum oculatiſſimus ille, centoculuſque divinus ſemper vigil , palpebriſque reductis exiſtat , nec per fabulam , aut fictionem dormiant aliqui eorum , cœteris excubantibus , quippe qui ſola replicatione præſentiarum ſine numero ſimulant numeroſitatem , cum re ipſa ſint planè ſingulares per rotę ſphæram , in qua eſt ſpiritus vitæ , & vita ſpiritus noſtri .

§. II.

Num. 11. PRODUXIMUS latè diſputatione ſecunda inſignem D. Thomæ locum in gratiam vitæ actualis Euchariſtiæ oculorum Chriſti Domini, uti & Doctoris Seraphici , teſtimoniaque Patrum . Produximus pariter momenta rationis, quæ

per-

perſuadere valent aſſertionem noſtram generatim ſumptam, quæque eadem efficacia, & virtute impelluut ad particularem hanc in illa univerſali incluſam firmiter tuendam. Adjungam nihilominus unum, aut alterum motivum, vel novis acceſſionibus elucidatum, vel nondum in favorem aſſerti univerſalis propoſitum. Arguo itaque primò in hunc modum. Corpus Glorioſum Chriſti Domini eſt potiſſimum, primariumque objectum viſionis corporeæ Beatorum, Beatitudiniſque noſtri corporis, ſine quo minimè completa foret fælicitas illius. Sed hoc ipſo Chriſtus ipſe Dominus quà ſacramentalitèr exiſtens elicit activè de facto viſionem corpoream terminatam ad ſuummet corpus ſpecioſiſſimum præ filiis hominum (quin & ad ſuoſmet oculos videntes, ut alibi tetigimus). Ergò Chriſtus Dominus quà ſub ſpeciebus Sacramentalibus præſens, & latens utitur de facto, & activè facultate viſiva materiali. Majorem concedunt, & extollunt omnes, ſive Patres, ſive Theologi Scholaſtici, Myſticique. Idque expreſſit graphicè Guillelmus Altiſiodorenſis in ſumma cap. de Reſurrectione quæſt. r. diſputans ſic: *Anima non indigebit ſenſu in Patria ad cognitionem intelligibilium, ſed propter aliud, ſcilicèt ad videndam Humanitatem Chriſti: terra enim illa melle & lacte fluit, lacte Humanitatis, & melle Divinitatis. Et habebunt oculi corporales gloriam ſuam in viſione Humanitatis, ſicut oculi ſpirituales in viſione Divinitatis. Vita æterno prout competit homini non erit ſufficientèr in anima, immò pars erit in corpore .... & ita viſio Chriſti ſecundum quod homo eſt pars vitæ æternæ, prout competit homini.* Quam doctrinam hauſerat ex Auguſtini fonte, præſertim ex Manuali cap. 26. ubi ait: *Deus namque propter homines factus eſt homo .... & ut uterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in ejus Divinitate, & oculus corporis in ejus Humanitate: ut ſive ingrediens, ſive egrediens, in ipſo Paſcua inveniret natura humana condita ab ipſo.* Vividiùs adhùc eam veritatem ſubjecit oculis noſtris idem Sanctus Auguſtinus ibidem, cap. 15. dicens: *Si quotidiè oporteret, nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria poſſimus videre .... nonne dignum eſſet pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?*

Conſimilitèr loquuntur Hieron., Chryſoſt. ipſe Auguſt. de Civit. cap. 22. Cyprianus, Juſtinus, Tertullianus, Anſelmus in Elucidario, D. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. & in Pſalm. 44. expendens illa verba Job 19. *Quem viſurus ſum ego ipſe.* Et Gilbertus Abbas ſerm. 20. in Cantica agens de glorla, & ſpecioſitate Chriſti Domini audet pronuntiare, eam veluti cogere intuentes vi quadam ſuaviſſima, itaut ad inſtar Divinitatis quodammodò rapiat: *Verè*, inquit, *efficax eſt, ac violenta, & intuentium in ſe rapit affectus.* Sic etiam Idiota in Pſalm. 15. verſ. 10. dixit: *Fælicitas noſtra completur in viſione, & fruitione Humanitatis.* S. Antoninus 3. p. Summæ tit. 30. cap. 4. Gerſon. Titelm. Carthuſ. Salmeron, Hugo, Cajetanus, Pineda in verba producta Job. Uti & exponens illud Iſaiæ 33. *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus.* Cornelius à Lapide, & Expoſitores, uti & Scholaſtici, Richardus, Major, Baſſolis, Medina, Sotus, Doctor Eximius, Tannerus, Arriaga, Martinon. Henriquez, Bonacina, Henao, & uno verbo propè Theologia univerſa, quæ non infrequenter refert verba illa Cypriani: *Deus homo factus eſt, ut homo haberet in Deo, undè fieret plenè beatus in animo videndo Divinitatem: in corpore videndo Humanitatem.* Ergò ne credendum, Servatorem noſtrum ſpeciebus velatum hac gloria corporis, & oculorum, ibi deſtitutum?

Profectò duriſſimum creditu eſt, maximè, cum inde ſponte ſua deduceretur, infælicem aliqua ex parte (corporis nimirùm) futurum, uti & foret ex parte infælix Beatus, qui poſt reſurrectionem careret neceſſariò viſione corporea terminata ad Humanitatem Chriſti Domini: tum quia ea infælicitas ſequitur neceſſariò ex privatione objecti præſtantiſſimi, primariique Beatitudinis illius: tum quia id diſertis verbis traditur à S. Aug. ſupra, (vel ex eis colligitur) & egregiè firmatur à D. Subtill, tum in 4. diſt. 10. cujus verba dedimus Diſp. 2. tum in Reportatis, cum ſit facies illa, in quam deſiderant Angeli proſpicere; quin poſſeſſio fælix intuendi ipſam, minuat, ſed augeat potiùs votum ardentiſsimum. Quantum igitur mæroris adduceret ſecum ipſi Chriſto Domino ejuſmodi privatio neceſſaria termini vehementèr deſiderati, & quo in alia ſede potitur, ſi prout in Eucharistia foret capax dolendi, non concurrente omnipotentia ad actum viſionis, & concurrente divinitus ad actum triſtitiæ inde ex natura rerum ſubſecutum? Eoque atrociùs torqueret ibi privatio hujuſmodi, quo magis novit experimento ipſo, alibi incredibiliter delectari: & in morem illius, qui quærebat apud Vatem aquas in aquis: cum haberet, non modo juxta ſe, ſed in ſeipſo Paradiſum voluptatis, ejus conſpectu privaretur ſub eo ſtatu, & à ſeipſo veluti abeſſet. Ex quo rectè colligitur infælicitas negativa, quam pateretur ſub ſpeciebus (ſi poſitiva ſit illi impoſſibilis) cujus quantitas menſurari debet ex poſitiva, quæ ſub hypotheſi vexaret ipſum.

Num. 12. Deſcendimus jam ad Minoris probationem, quæ licet robuſtè ſatis Diſput. 2. firmata ſit, ulterius nihilominus eſt hic roboranda, tanquam in ſede propria. Et quidem eatenus non privaretur viſione illius delicioſiſſimi objecti, tametſi non eliceret activè ſui Corporis glorioſi viſionem ex Euchariſtia, quatenus ſecum afferret per concomitantiam viſionem præfatam in Cœlo primò productam; at hoc eſt omnino ſal-

falſum, quin & impoſsibile. Ergo exercet productivè per ſe primò ſub ſpeciebus facultatem viſivam per intuitionem ſui ipſius. Major eſt unicus doctrinæ contrariæ recurſus. Minor ſuadetur multipliciter: vel enim viſio illa foret terminata ad Chriſti Domini Corpus prout reconditum ſub ſpeciebus Euchariſticis: & hanc nullatenus producit Chriſtus Dominus ex Empyreo, ut ex Divo Thoma contendunt ſtrenuiſſimè Adverſarii, & vidimus diſput. 2. ſect. 2. ſive (& à fortiori) qui eam dicunt impoſſibilem, etiam divinitus; ſive, qui nonniſi per miraculum ipſam elici poſſe opinantur, eamque propterea de facto negant. Namque ſi ſemel miraculum patrandum foret ad eum effectum, ſatiùs eſſet illud efficere, ut ſeipſum ex Euchariſtia, & in illa ſe contueretur, cum oculus Chriſti ſit ibi etiam, ut loquitur Div. Thomas laudatus à nobis ea ſectione 2. & ſaltem titulo neceſſitatis miraculoſæ operationis nequiret expugnari opinio noſtra ab adverſa. Vel foret viſio terminata ad Corpus prout in Cœlo circumſcriptivè exiſtens; & hoc, vel impoſſibile, vel abſurdiſſimum, & omnino fallax eſſe, intended ſupereſt declarandum, & promovendum; id quod exequar omni via, ſententia, & Philoſophia.

Et primo: ſi ſtandum ſit tritæ admodum Doctrinæ Sancti Thomæ, operationes quæ pendent ab extrinſecis Agentibus, aut objectis, nequaquam comitantur Corpus bilocatum: Ita Sanctus Doctor 3. par. quæſt. 81. art. 4. tum Corpore, tum ad primum, quem imitantur complures ex Adverſariis, ut ſunt Major, Alenſis, Palacios Hugo, Ricardus, Ledeſma, quos refert, & ſequitur Doctor Eximius tom. 3. in 3. par. diſp. 49. ſect. 6. §. *Quarto loco*, ibi: *Diſtinctione ergo opus eſt: nam quidam ſunt actus immanentes, qui pendent non tantùm à potentia, ſed etiam ab objectis loca propinquis, & actu immutantibus, & in his habet etiam concluſio poſita locum, quòd actus v. g. viſionis hoc loco factus, non neceſſariò ſit in alio realiter præſens, quia pendet ab objecto præſente: objectum autem, quod hìc eſt præſens, non eſt alibi, propter rationem ſupra factam, quia non poteſt tranſmittere ſuam actionem in diſtans: ergo virtus activa viſionis non eſt in alio loco, quia ipſa ſpecies eſt partialis virtus: ergo nec actus erit neceſſariò in utroque loco ex vi naturalis virtutis activæ*. Doctori Eximio ſubſcribit multitudo Recentiorum quammaxima. Si autem miraculum ad eam comitantiam neceſſarium eſt, oportebit illud reſervare, ut ex Euchariſtia ſimiles viſiones eliciat circa objecta propinqua, Deo infundente ſpecies loco objectorum, vel earum concurſum ſupplente omnipotentia. Neque refert quidquam, Corpus Chriſti Domini ad quod terminatur viſio ex Empyreo, adeſſe pariter in Euchariſtia, adeoque reſpectu ſaltem hujus viſionis locum habere non poſſe doctrinam S. Thomæ. Non refert, quoniam, juxta allegatam doctrinam, & ejuſdem Patronos, Corpus Chriſti Domini prout Sacramentaliter exiſtens, vel non eſt viſibile, adhuc divinitùs, vel ſaltem abſque miraculo; immo nec per miraculum videri poteſt modus ipſe Sacramentalis, quo exiſtit, etiam apud illos plerunque, qui divina virtute fieri poſſe exiſtimant, ut Chriſtus Dominus in Euchariſtia pateat oculis Corporeis. Quod autem ita eſt præſens, ut viſibile nequaquam ſit, ſe habet reipſa, quâ objectum eſt, prorſus inſtar abſentis, eodemque planè modo in ordine ad potentiam viſivam terminandam, ac ſi in Cœlo remanſiſſet (quantumvis ſit præſens in ordine ad viſiones producendas activè, ut arbitramur) unde juxta aſſertionem noſtram viſio, quam ex Euchariſtia elicit ſui ipſius, terminatur divinitus ad Corpus ſecundum ſe, præſcindendo à modo Sacramentalis præſentiæ, vel ad illud, quâ in Cœlo exiſtens, in propria ſpecie.

Deinde permittamus, ſpeciem ipſam, media qua concurrebat ad viſionem objectum aliquod in Cœlo, conſervari in Euchariſtia ad exigentiam ejuſdem, quâ copulatum organo, quod bilocatur. Permittamus ſimul, objectum præfatum, quâ diſtans adeo, & in Cœlo exiſtens, poſſe nihilominus terminare viſionem, prout illa eſt in Euchariſtia concomitanter; quamvis ipſa, ut in Cœlo primò elicita, terminetur ad ipſum, ut præſens. Vel illa ſpecies operatur ex Euchariſtia conſervando viſionem; vel non? Si primum: ergo illa operatur utrobique: quod gratum eſſe nequit Adverſariis: ſiquidem ſpecies influere minimè poteſt, niſi unà cum potentia ipſa viſiva, ut compertum eſt; ſi autem facultas viſiva influit activè conſervando viſionem, manifeſtum videtur, poſſe pariter illam primò producere, cum non minùs requiratur extenſio principii operantis ad influxum conſervantem, ac ad producentem, eo quod uterque ſit verè effectivus. Si ſecundum: inutilis erit comitantia illa ſpeciei. Rurſus jam viſio conſervaretur in Euchariſtia ab alio principio diverſo ab eo, quod ipſam conſervat in Empyreo, Deo nimirum; hoc autem impoſſibile eſſe reſpectu actionis immanentis (quidquid ſit de qualitate) utpotè alligatæ eſſentialiter principio, è quo manat, & in quo recipitur, fatentur Adverſarii, & docet conſtanter Philoſophia. Illa igitur actio productiva viſionis in Cœlo non poſſet per comitantiam deferri ad Euchariſtiam. Si autem per aliam à ſolo Deo productam conſervari dicas qualitatem viſionis in Euchariſtia; juxta familiarem eiſdem ſententiam, non viveret per viſionem illam in Euchariſtia, quia non ſe moveret ab intrinſeco. Deindè duplicem actionem adæquatam terminaret in duplici loco; quod abſque miraculo novo non fieret; nova autem miracula exprobat nobis opinio contraria; dumque illa fugit, incidit in

alia

alia grandiora, ut ſæpe animadvertimus.

Num. 13. Secundò: quoniam Authores illi, qui cum Scoto eam comitantiam adſtruunt, rati, ſufficere propiuquitatem objecti in loco, ubi primò producitur; tametſi diſtet immenſo intervallo ab eo, in quem per concomitantiam defertur; ſatis frequenter tuentur ſimul, qualitatem quidem phyſicam deferri comitanter ad Sacramentum; neutiquam tamen præſtare poſſe ibi effectum formalem intentionalem videntis, quippe qui, apud ipſos, importat eſſentialiter relationem præſentialitatis, ſeù dependentiam ab objecto, quà præſenti, ubicumque ſit. Quam relationem eſſentialem prorſus eſſe viſioni, ſeù intentioni claræ, non ſolùm ubi primò cauſatur, ſed ubicumque exiſtat, arbitratur Doctor Subtilis, ut vidimus diſput. 2.: eo quod ejuſmodi relatio non ſit tantùm ad objectum, ut cauſa objectiva eſt, cujus influxus ſuppleri valet, & propterea poteſt phyſicè comitari ſubjectum replicatum ad locum remotiſſimum, cum in eo ſenſu propinquitas ſit potius approximatio cauſæ effectivæ, quam præſentia reſpectu viſionis; verùm & ad illud potiſſimè ut terminum. Illâ autem præſentiâ terminativâ ſemel ſtatutâ, vel permiſſâ, neceſſariò dicendum eſt, comitantiam viſionis in Cœlo productæ inutilem fore ad ſalvandam Beatitudinem Corporis Chriſti Domini, cum per illam nequaquam perciperet intentionaliter ſeipſum, adeſſetque privatus gloria Corporis.

Tertio: quia abſurdiſſimè diceretur, eandem viſionem terminari formaliter ex uno loco ad objectum quà diſtans, aut abſens, & ſimul ex alio terminari ad ipſummet, quà indiſtans, ſeù præſens: tum quia ſi relatio præſentialitatis ſit illi eſſentialis ſemel proùt in Cœlo exiſtit, ut vult Doctor Subtilis, nequit ab ea deuudari in alio loco, ut probatiſſima Philoſophia teſtatur; neque enim eſſe poteſt eſſentialis viſioni, ut primò producitur, & non quà comitatur; ſiquidem indè colligeretur apertè oppoſitum illius, quod opinio contraria ſtatuit tanquam planè neceſſarium ad concomitantiam, independentiam ſcilicet à loco, & quovis alio extrinſeco: quandoquidem ſi dependentia illa à propinquitate, ſeu præſentia objecti obeſſe non valeat comitantiæ; nec ubicationi circumſcriptivæ officere poteſt, quo minus veniat ſimul cum reliquis ad Euchariſtiam, quia ſolùm erit pendens à loco primo, quà ibidem præſens, non quà in alio per concomitantiam exiſtens. Rurſus deberet in Euchariſtia inducere alium reſpectum, cum diſtantia ſit, apud Philoſophos, ſenſibile commune, quod percipitur ſimul cum ſenſibili proprio; ut illud ergo percipiat ex Euchariſtia tanquam diſtans, alio reſpectu viſioui intrinſeco opus eſt. Si verò ex utroque terminetur viſio ad objectum ut præſens, ſive indiſtans, & itaùt appareat utrobique videnti propinquum, neceſſariò reperiretur fallacia in ſenſibus Chriſti Domini quà latitantis in Sacramento auguſtiſſimo altaris, corrigenda ſanè per ſcientiam beatam, aut infuſam; corrigenda tamen, indigenſque propterea correctione, aberratura alioqui ex ſe à vero, & manuductura intellectum in errorem, & falſitatem; quod pro ſenſibus hypoſtaticè copulatis Verbo Divino, & ab eo confortatis, uti & dotibus gloriæ munitis, indecorum videtur, ajente S. Leone Magno Epiſt. 11. propè finem: *Animam Chriſti excellere, non diverſitate generis, ſed ſublimitate virtutis... ſenſus corporis vigebant ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine Deitatis, & mentis.*

Quapropter jure D. Eximius tom. 1. in 3. par. diſp. 24. ſect. 3. §. *Ad ſecundam confirmationem*, dixit: *Deindè negatur etiam minor: quia licet deceptio ſenſus eſſet minor imperfectio: potuit tamen Chriſtus Dominus ſua divina virtute ita confortare ſenſus, ut ſemper viderent, ſeu apprehenderent res, proùt veræ ſunt, ſive propè eſſent, ſive diſtantes, & ſive hoc, ſive illo modo applicarentur... quamvis ratio per ſuperiorem ſcientiam poſſet præveniri, ne ipſa ſequatur apparentem cognitionem ſenſus; non tamen, ne ſenſus ipſe tali modo apprehendat objectum, & ideo oportuit hoc fieri ſuperiori virtute, & poteſtate.* Si namque fallacia omnis arcenda eſt à ſenſibus Beatorum, ajente Sancto Auguſtino in Enchirid. cap. 21. *nullo quippè modo falleremur in aliqua vel animæ, vel corporis ſenſu, ſi jam vera illa, ac perfecta fælicitate frueremur.* Dedecet ſtatum beatitudinis ea deceptio, & auderet aliquis impunè dicere, falli viſum Chriſti Domini (alicubi) divinitate imbutum, & confortatum, maximaque omnium beatitudine, & dotibus ſublimioribus munitum? Hac via tametſi non ab omnibus trita, digniùs procul dubio ſentitur de perfectione Chriſti Domini, ab eaque imperfectione immunis erit actus ex Euchariſtia primò elicitus, & terminatus ad ipſum Chriſtum Dominum quà fulgeutem in propria ſpecie, cum ex conceptu ſuo formali terminetur ad corpus, ut longè latèque diſtans; nec ab Euchariſtia defertur per concomitantiam in Empyreum, ubi variata ſcena, & diſtantia, quæ per viſionem illam repræſentatur, adeſſet ex conſequenti defectus materialis veritatis in viſione, & ſenſu, proùt ibi; verumque foret tunc de Chriſto Domino ſibimet præſentiſſimo Virgilianum illud (4. Æneid.) *Illum abſens abſentem, auditque, videtque.*

Obiterque obſervandum diſcrimen hujus viſionis Chriſti Domini ab apparitionibus Euchariſticis miraculosè factis: illæ namque fiunt in ſignificationem præſentiæ realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ſubindeque neutiquam ſunt fallaces. Viſio tamen Chriſti Domini proùt eſt hic, non eſt ſignum ſuiipſius, proùt eſt alibi, ubi objectum ſit præſens, & ſimpliciter indiſtans. Præterquamquod ſenſus noſtri, quibus ſimiles ap-

paritiones innoteſcunt, poſſunt aliquatenus falli, dummodò corrigantut ab intellectu lumine fidei illuſtrato; ſenſus autem Chriſti Domini adhùc ab ea corrigenda mox deceptione vendicari debent, collocandique extra juriſdictionem erroris, adhùc materialis, adhùc perexigui, itaǹt nulla ratioue oculi Innocentiſſimi ejus caſtigari debeant, aut poſſint, ab ipſius intellectu.

Num. 14. Quartò, & præciſivè à varietate, aut contradictione pugnantium ab invicem Philoſophiæ opinionum; vel potiùs juxta opiniones utrimque dimicantes. Vel operatio vitalis ſita eſt in qualitate abſoluta ex integro; vel in relativa, ſaltem ex parte, aut quatenus requiratur actio ad effectum formalem exhibendum? ſecundum hoc extremum perſpicuè arguit, non poſſe illam per allam actionem conſervari à Deo in Euchariſtia, nec ad ipſam adduci per eoucomitantiam, cum juxta vulgarem Philoſophiam non detur actio actionis, nec actio immanens poteſt divinitus conſervari ab alio principio, quàm ab ipſo, è quo prlmò fluxit, & cui eſſentialiter affigitur. Aliundè compertiſſimum eſt, eam commigrare minimè poſſe ex Empyreo in altare abſque actione aliqua nova, ſive ſit eadem realiter cum tranſubſtantiativa, aut converſiva, ſive diſtincta. Si dixeris, actionem illam, ſeu viſionem eonſervari in Euchariſtia ab ipſa potentia viſiva Chriſti Domini, è quà manavit in Empyreo; actlonemque adductivam deſervire ſolùm, ut novam viſioni ubicationem, aut præſentiam formalem conferat: permittam facilè: cæterum inde infertur luculenter facultatem viſivam Chriſti Domini ſub ſpeciebus operari active de facto, quandoquidem conſervatio eſt continuata productio, nec debiliores, per ſe loquendo, ſufficiunt, aut poſtulantur vires ad conſervandum, quam ad primò producendum effectum, vel operationem immanentem. Poterit ergo ea facultas Chriſti Domini quà ſub accidentibus latens prlmò producere viſionem, ut poteſt illam conſervare.

Ulterius, ad verè agendum requiritur extenſio quantitativa in potentia materiali, quemadmodum ad producendum ſimpliciter primò, cum ſit operatio materialis illa, quà conſervatio eſt, æquè ac quà prima productio; recurrendum igitur erit ad miraculum, ut defectus extenſionis, & contactus ſuppleatur de facto. Cur ergo non primò emittet viſionem ex Euchariſtia, tametſi miraculum ſit neceſſarium ob extenſionis, & contactus defectum? Primum autem non ſegnioribus patet difficultatibns: quoniam vel qualitas abſoluta, quæ traducitur ex Empyreo ad altare per replicationem ibidem, conſervatur per eandem actionem ac in Cœlo, vel per aliam diverſam, aut diſtinctam ſaltem? Si per aliam, ecce tibi duas actiones totales circa eundem effectum, quarum ſecunda abſque miraculo admltti non debet à Philoſophia Chriſtiana; cum miraculo autem permitti non debet à ſententia oppoſita, vel debet pariter admitti ab illa miraculum in noſtra.

Deinde etiam illi, qui viſionem, intuitionemque qualitates eſſe rentur, aſſerunt, nonniſi divinitus poſſe nobis ab extrinſeco infundi viſionem, per quam feramur intentionaliter in objectum; conſequenterque nec ſine miraculo conſimili per viſionem ab extrinſeco conſervatam: quoniam viſio ipſa poſtulat ex ſe, ſaltem connaturaliter, naſci ab intrinſeco, & conſervari, cum ſit motus ſaliens ab intrinſeco in intrinſecum, tamdiuque ſaliens, quamdiù perſiſtens: ad modum quo voluntarium dicitur, quod procedit ab intrinſeco cum cognitione. Si per eandemmet actionem conſervatur (quamquam adducatur per alteram); cum illa affigatur eſſentialiter principio circumſcriptive exiſtenti in Cœlo, alligeturque propinquitati objecti ibidem, reſurgunt nupera argumenta noſtra librata in præcedentibus, & reſurgit pariter diſcurſus factus contra primum extremum. Deinde jam verificatur, actionem illam conſervare utrobique qualitatem, & quidem in quovis loco independenter ab alio: operatur ergo ex Euchariſtia effectivè potentia viſiva Chriſti Domini conſervando (cum neceſſariò conſervet paritèr actionem conſervantem, utpote ſibi alligatam), æquè ac ex Empyreo, ac ſubindè poterit eadem facilitate, & virtute, primò illam elicere ſub ſpeciebus, ut ſæpe ſubintulimus. Si namque prędicta actio, prout replicata in Sacramento nihil ageret in qualitatem, nullateuus conſervaretur ibidem, cum nonniſi per hanc actionem ibidem conſervetur; & aliunde exploratum eſt, verè, realiter, & propriè agere principium, quod realiter verè conſervat, cum influat jugiter idem eſſe in effectum conſervatum, eſſetque ſufficiens influxus ille ad primò producendam qualitatem, ſi exhiberetur in inſtauti antecedenti, in quo nondum illa ſupponeretur præexiſtens; ſin aliter poſſet aliquis ſeipſum ſimpliciter conſervare; nec ex conſervatione rerum omnium exiſtentium, argueretur exiſtentia prlmæ cauſæ ſimpliciter incauſatæ. Corrueret enim Mundus in priſtinum ſuum nihil, ni à manu omnipotenre ſuſtineretur eadem vi, & poteſtate, qua illum extraxit è profundo ſinu negationis: *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſet, aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* (Sapien. 11.)

Num. 15. Ad hunc modum trahi poſſunt id genus fundamenta alia, quibus opinio noſtra univerſim accepta muniatur ſolidiſſimè; apparent enim per latiſſima ſcientiarum ſpatia, tum intra Philoſophiam, tum intra Sacram Theologiam, & Scripturam quamplura in ſuperioribus generatim libata, è quibus eruere valeas diſcurſus ſplendidiſſimos, ut illis particularis hæc aſſertio locupletetur, & niteat. Adjungam tamen argu-

gumentum deſumptum ex apparitionibus intra orbiculum Hoſtiæ ſæpiſſimè factis, in quibus repræſentaretur Puer oculis vivaciſſimis, & veluti ridentibus, aſpiciens afflictam ovem, cui conſpiciendus objiciebatur; vel hâc illâc flectens caput, ut circumſtantes omnes per gyrum luſtraret; quæ notiores ſunt, quàm quod nova face, aut hiſtorici alicujus narratione opus habeant. Hoc autem ęgrè ſtare poſſe cum eo, quod Chriſtus Dominus intra illum orbem Hoſtiæ Sacræ privatus exiſtat uſu activo facultatis viſivæ, mihi planum videtur. Quandoquidem illæ evidenter ſignificabant exercitium actuale illius potentiæ ſub velo Euchariſtiæ; aliunde viſiones materiales, quæ comitari poſſunt illum ex Empyreo, terminari nequeunt, juxta probatam Adverſariis Theologiam, ad objecta altari propinqua, ſed ad Cœleſtia alia, vicina loco aut ſedi, è quà in Cœlo primò producuntur. Ulterius minùs veræ, doloſæ aliquatenus, aut deceptionis ſpeciem præſeferentes, eſſent, cum oſtenderent evidenter viſionem terminatam ad objecta aris approximata, & Euchariſtiam ipſam avidè expetentia. Rurſus apparitiones illæ ſignificant omnium conſenſione id, quod latet in Euchariſtia: ergo dum illæ exprimunt Puerum videntem, & colluſtrantem omnia propinqua oculis Corporeis, aut fallit repręſentatio; aut potentia viſiva latens in Euchariſtia habet uſum activum, & primò productivum viſionum, cum illam circa objecta vicina accipiſſe nequeat per concomitantiam ex Empyreo, ut dictum eſt.

Antecedens continet doctrinam D. Angelici opuſc. 58. cap. 15., ubi ait: *Tertiò probatur idem demonſtratione miraculorum Exodi 34. Signa faciam, quæ nunquam ſunt viſa ſuper terram, nec in ullis gentibus*. Progreditur ulterius ex Paſcaſio, ſic: *Paſcaſius, nemo, qui Sanctorum vitas, & exempla legerit, ignorat, quod ſæpe Corporis Chriſti, & Sanguinis Sacramenta, aut propter dubios, aut certè ardentiùs amantes, viſibili ſpecie agni, vel Pueri forma, aut in Carnis, & Sanguinis colorem monſtrata ſunt, ut quod latebat myſterio pateſceret in miraculo*. Latet igitur in Chriſto Domino quà accidentibus Euchariſticis velato id, quod oſtenditur in Puero. ſeu in ſpectro Pueri ſpeciem præſeferente. Sed in hoc apparet manifeſte viſio Corporea terminata ad videntem, vel circumſtantes: & quidem primò ibidem producta, cum ejuſmodi elici nequeat è Cœlo circa fidelem altari vicinum: & cum viſiones, & videndi modum variaret, modò ad hæc, modò ad illa objecta oculos convertens: modò firma acie & viſus intentione ſpectatorem recreans. Ergo Chriſtus Dominus quà deliteſcens Sacramentaliter exercet de facto primò, & per ſe potentiam viſivam circa objecta circumſtantia; aut apparitio illa, ut nuper inferebam, tametſi à Deo miraculosè formata ſupponatur, eſſet fallax, quod impudentiſsimè concederetur. Reliqua verò effugia, quæſita frequenter, occluſa fuere diſput. 2., quin pateat ulterius via fugientibus illàc, ſi verè & Theologicè ire velint.

Num. 16. Eruam à ſimili tertium argumentum: porrò cum Deipara feſtinanter adiret Domum Zachariæ, ſalutaretque Eliſabetham, Lucæ 1. protinus exultavit Joannes in utero Matris, choream præ inſolito gaudio ducens intra ſinum maternum, in quo aderat obvolutus, clauſus, ligatuſque. Ex eodemque loco mutuò ſe conſpexiſſe oculis Corporeis infantes, communis ſententia Patrum eſt, quam veluti notam ſupponere videtur S. Chryſoſt. (in feſto Viſitationis ab Eccleſia productus): *Cum ad nos adveniſſet Redemptor noſter, venit protinus ad ſuum amicum Joannem, dum adhuc eſſet in utero Matris, quem cum ex utero in uterum aſpexiſſet Joannes terminos naturæ concutiens, exclamat: video Dominum .... Sed dic nobis Joannes, cum adhuc in tenebroſo Matris utero contineâris, quomodo intueris, & audis: quomodo res Divinas contemplaris?* Qua ultima interrogatione apertiſsimè diſtinguit intuitionem mentis à viſione Corporali (utramque in illo miratus) ... *Video, & ſi adhuc in utero ſim, quoniam in utero geſtari video ſolem Juſtitiæ: Auribus percipio, quoniam naſcor vox magni verbi*. Quin & ipſa verba Eliſabethæ, ab Evangeliſta relata, id inſinuant: *Ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo*: gaudium enim motum exultantis excitantem ſenſum interiorem phantaſiæ per ſpecies ſenſuum externorum, per ſe ſupponit. Et Origenes relatus à Cornelio à Làpide in 1. Lucæ. *Sancta erat anima Beati Joannis, & adhuc in Matris utero clauſa, venturaque in mundum, quaſi per experientiæ ſenſum ſciebat, quæ Iſrael ignorabat*: & ut Sanctus Leo ſerm. de Epiphan. dixit: *quaſi etiam intra Matris viſcera clamaret: Ecce Agnus Dei*: Adverbium enim, *ecce*, videntis eſt, & ſimul demonſtrantis. Hoc reipſa ſenſit Ambroſius. Hoc Patres ab interpretibus in 1. Lucæ producti paſſim: & hoc ipſum exprimit ſufficienter Eccleſia Sancta in hymno S. Joannis: *Ventris obtruſo recubans cubili, ſenſeras Regem thalamo manentem*: quibus verbis illius notitiam per ſenſus accepiſſe affirmat: & ſanè qui motum, aut ſaltum phyſicum habere potuit ab Spiritu Sancto agitatus; cur non & pariter viſum terminatum ad Solem nube divina tectum?

Præterea Joannem auribus phyſicè percepiſſe vocem dulciſsimam Deiparæ (per quam loquebatur Verbum incarnatum) ſententia receptiſsima eſt inter Patres S. Ambroſius lib. 1. in Lucam, & lib. 2. cap. de Prophetia Zachariæ, ait: Zachariam ideo locutum voce materiali ad filium, *quia eum audire poterat, qui ſalutationem Mariæ audierat* Euthymius ibidem, dicens: *Chriſtus locutus eſt per os Matris ſuæ: Joannes autem audivit per aures Matris ſuæ, & agnita ſu-*

pernaturaliter Domino, ſua exaltatione illum prædicavit: & S. Hieronym. epiſt. 7. ad Lætam, de Joanne dixit: *audiebat verba Domini per os Virginis perſonantis*. Si verò hoc privilegium conceſſum fuit Joanni clauſo intra alvum Matris, manifeſtum apparet, eodem uſum fuiſſe è gremio Deiparæ tunc etiam Chriſtum Dominum per divinam virtutem, viſionemque miraculoſè ediram. Erat enim in utroque ſimpliciter neceſſarium miraculum ad ſeſe mutuò videndum: tum quia ſpecies trajici minimè poterant ab objecto: tum quia facultas viſiva, & maximè in Corpore Chriſti Domini recens formato, delicatiſsimoque, connaturalis, proximèque expedita eſſe non poterat adhuc, tametſi de reliquo ſubſtantialiter perfecta eſſet, quantùm eſt capax ſtatus ille, quia non debebantur ei pro eo ſtatu vires, ſpiritusque, & alia requiſita ad eliciendam viſionem: uti licet potentia loco motiva eſſet ſubſtantialiter perfecta, motum attamen violentum, aut ſaltum elicere nequibat ex defectu virium. Et quidem virtute divina opus erat, non ſolùm ex parte videntis, verum & ex parte viſi, cum utrumque foret altè abſconditum, & modo inviſibili incapacique ſimul videndi exiſtens; (quamquam permittatur poſsibilis virtus aliqua viſiva præternaturalis in aliquo per accidens ad ſimilia objecta contuenda, dum potentia viſiva eſt perfectè conſtituta). Vidit igitur Chriſtus Dominus ex utero Deiparæ, dum eſſet nuper conceptus, Joannem exiſtentem, & exultantem in alvo Eliſabethæ, uti & Joannes ex eodem ſitu, & eodem tempore vidit in clauſtro Virgineo agniculum immolandum in Cruce, & in altari, ægrè conſpiciendum minutim à robuſta jam potentia, tametſi in aperto exiſteret, ut tunc erat. Potiori ergo jure credendum eſt, Chriſtum Dominum velatum accidentibus videre de facto per actus ex eis latebris productos objecta propinqua, quæ patent omnibus; cum exercitium illud ſit perutile nobis, & debitum planè ſtatui glorioſo, & impaſſibili jam.

Maximè cum Deipara, dum geſtaret in utero, fuerit, in ſententia quamplurium, navis illa *de longè portans panem*. Prov. 31. Conſulatur Antonius Maria Bonucci Ephemerid. Euchar. 8. Julii: *Illa fuit menſa Cæleſtis panis, utpotè de Cælo deſcendentis*, ut loquitur S. Ephrem de laudibus Virginis, adjungens: *Virginem appello velut Sacerdotem pariter, & altare, quæ quidem menſam ferens, dedit nobis Cæleſtem panem*. Et S. Bernard. ſerm. 2. de Natali Chriſti Domini: *Fælix mulier, benedicta in mulieribus, in cujus caſtis viſceribus, ſuperveniente igne Sancti Spiritus, coctus eſt iſte panis*. In eodem ſenſu loquitur S. Damaſcenus orat. 1. de dormit. Virgin. S. Epiphanius ſerm. de laudibus Deiparæ, S. Lauren. Juſtin. ſerm. de Nativit. B. Virg. & innumeri alii Doctores. Ut videas Chriſtum Dominum videntem in eo ſtatu, in quo intra domum vivam panis deſignabat ſtatum, & modum exiſtendi Euchariſticum ſub ſpeciebus panis. Ideo in Cant. Cantic. cap. 7. de utero Beatiſſimæ Virginis dicitur: *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis*. Non propterea tamen debuit ex utero Virgineo omnia objecta ſemper contueri de facto, etiamſi virtute inſtrumentaria, ſibi ab inſtanti Incarnatione data, potuerit; uti de facto illa intuetur eadem potentia ex Euchariſtia: quoniam ſtatum paſſibilitatis non dedecebat illa privatio; præſertim cum nec uſus illius potentiæ foret illi ſtatui connaturalis; dedeceret tamen ſtatum impaſſibilem, & immortalem, in quo latet nunc ſub ſpeciebus. Et eodem titulo ſtatus paſſibilis potuit in prima inſtitutione hujus arcani maximi adeſſe ſub ſpeciebus panis, & vini privatus omnino uſu activo, paſſivoque ſenſuum omnium (niſi quòd in inſtitutione ipſa exercere debuit, quaſi in exemplari, id quod deinceps perpetuò facturus erat:) præſertim cum nocte illa adeſſet in propria ſpecie realiter præſens, præſentiſſimuſque Apoſtolis; proindeque, nec ad illorum profectum, nec ad Salvatoris decorum neceſſarium erat illud miraculum ex hoc capite (erat attamen prorsùs neceſſarium ad rationem Sacrificii); quemadmodum nunc planè expedit ad utrumque illum finem; & quemadmodum perutile fuit, quòd Præcurſor illius videret, ex utero videntem ipſum, ut prælaudati Doctores fusè, pièque exponunt, ut ſic aſſultibus præcurreret, plauderetque venienti Meſſiæ, nondum natus; in qua acceptione præcucurrit etiam ſibi ipſi, ut ingenioſè tetigit Chryſologus ſerm. 91. *Quid dicam? Joannes antequam Chriſtum præcederet, ſe præceſſit*.

Num. 17. Quartum, & mihi valde efficax argumentum innititur communi placito Theologorum cum Doct. Subtili in 4. diſt. 50. qu. 4. Soto, Ledeſma, Doct. Eximio, Vaſqu. manuque Recentiorum numeroſiſſima: qui omnes abſolutè docent, præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia neutiquam pendere extrinſecè, & ex ſe, à præſentia ejuſdem naturali, ſeu in propria ſpecie; quidquid aliunde ſit, quòd extrinſecè in præſenti providentia, ſive ex inſtitutione, pendens concipiatur. Ex hac doctrina valdè probata, receptaque, arguo ſic. ſi Chriſtus Dominus quà ſacramentaliter exiſtens non poſſet primò elicere viſionem corpoream, exercereque activè potentiam viſivam, penderet neceſſariò præſentia ſacramentalis ipſius ab ejuſdem præſentia in propria ſpecie intrinſecè, ex ſe, & connaturaliter (& quidem ſub aliqua conſideratione, & ſententia, eſſentialiter): ſed hoc falſum eſſe, validè tuetur ſolemnis Theologia, Doctoreſque frequenter ipſi, quibus cum diſſerimus. Ergo Servator noſter, prout præſens altari ſacramentaliter, gaudet uſu primò & per ſe activo facultatis viſivæ. Major oſtenditur: quoniam ſi

Chri-

Chriſtus Dominus nullam de facto eliceret corpoream viſionem : vel privaretur de facto complemento illius Potentiæ , & ejus ultima perfectione , eſſetque propterea miſera Potentia illa, triſtis, deſolata, & ſimpliciter infœlix, ſaltem negativè, cum careret delectatione , & beatitudine corporea illius propria , & viſione objecti primarii , quin & poſitivè , ùt ſubinfert Doct. Subtilis diſput. 2. ſect. 2. prælaudatus : vel ut ejuſmodi abſurditas declinaretur , confugiendum eſſet cum opinione contraria ad viſiones in Cœlo primò elicitas, & ad Euchariſtiam per coocomitantiam perlatas ; ſed in hoc à fortiori includitur dependentia Chriſti Domini ut ſacramentaliter præſentis à præſentia ſuiipſius in propria ſpecie , circumſcriptivaque : ergo &c.

Probo facile minorem : quoniam ſi à loco, cui eſt præſens circumſcriptivè , Empyreo ſcilicet , non mutuaretur , & veluti emendicaret viſionem ſui, & aliorum objectorum , è quorum intuitione hauriunt ejus oculi ſuaviſſimas, & incomprehenſibiles nobis , delicias ; orbatus ſimpliciter exiſteret ea beatitudine , prout in Euchariſtia , & conſequenter ſtatus ille, ſive exiſtendi modus, eſſet per ſe violentus ſtatui beatitudinis , malèque ſe haberet ſub illo Chriſtus Dominus , quem redderet infœlicem , meſtumque, ſive poſitivè, ſive negativè ; cum beatitudinis ſtatus completus poſtulet per ſe eam actualem voluptatem ſenſuum ſibi omnino debitam (maximè cum Euchariſtia, licet fuerit inſtituta , dum eſſet in ſtatu paſſibili, inſtituebatur tamen, ut per ſe duratura , & exercenda poſt reſurrectionem & completam beatitudinem Chriſti Domini inſtitutoris). Ergo vel pendere ſimpliciter dicendus eſt Chriſtus Dominus quâ ſacramentaliter præſens à præſentia circumſcriptiva in loco alio, ut mediis operationibus ex eo loco per concomitantiam acceptis beatitudinem corporis obtineret ; quod averſatur communis doctrina, & ſententia oppoſita ; vel neceſſariò debet ex ipſa Euchariſtia eas operationes primò elicere, cum non ſit deſignabile medium, nec alia præſentia ſacramentalis deſerviat ad hoc, cum pariter egeret. Addendum, quòd ſi ſemel penderet Salvator Mundi, prout deliteſcens in venerabili Sacramento à præſentia circumſcriptiva ſuimet in Cœlo in ordine ad illum finem , penderet ſimpliciter ab illa in ordine ad exiſtendum in Euchariſtia ; cum adeſſe nequeat ibi , niſi digno modo , quem exigit dignitas Perſonæ, & perfectio ſtatus beatitudinis completiſſimæ. Quamobrem Doct. Seraphicus in 4. diſt. 10. p. 1. art. 1. qu. 2. docuit , erroneum eſſe , aut errori proximum , affirmare , Chriſtum Dominum ita adeſſe ſub ſpeciebus , ut non benè ſit ibi ; ideſt ut non adſit ibi cum ea perfectione ſumma actuali, quæ ipſum, quâ Deum hominem, immortalem , & beatitudine ſublimiſſima ex integro præditum, decet: aliter enim, inquit , malè ſe haberet cum præſentia ſacramentali , & ex conſequenti nullo pacto ita exiſteret realiter phyſicè præſens, pateretque via ſacramentariis, ad ſolam figuratam præſentiam in Euchariſtia adſtruendam. Qui autem nequit eſſe alicubi cum imperfectione aliqua, vel ſine perfectione ſibi debita, ſaltem ſine miraculo, (ſi decere poſſit Deum patrare ejuſmodi miracula , quæ majeſtati , & dignitati Chriſti Domini derogant per ſe) & aliunde pendet omnino intrinſecè ab alio , ut eam perfectionem aſſequatur, oppoſitamque imperfectionem removeat, manifeſtè pendet intrinſecè ab ipſo in ordine ad exiſtendum in præſato loco ; in quo alioqui accidentia velarent infœlicem, qui per ſupremum uſum rationis videret miſerum ſuæ illius præſentiæ ſtatum, de quo ſi dolere non poſſet per actum appetitus ſenſitivi, quia præſupponeretur impotens ad exercitium omne vitale potentiarum materialium, illoque de facto ſimpliciter privatum ; eſſet infœlix, vel ex eo etiam, quod dolere, aut triſtari neutiquam poſſet.

Num. 18. Reponet aliquis , etiam in noſtra aſſertione reperiri veſtigia expreſſiſſima ſimilis dependentiæ, vel affinis valde, juxta quam viſio elicita ex Euchariſtia à Chriſto Domino , media qua reſpicit ſeipſum , debet terminari ad corpus , quâ circumſcriptivè in Cœlo exiſtens , cum prout in Euchariſtia viſibile non ſit, tametſi videns eſſe valeat . Reſpondendum attamen , aſſertionem noſtram minimè ſupponere , aut affirmare , Chriſtum Dominum quâ ſacramentaliter præſentem non eſſe viſibilem oculis corporeis divinitus ; præſertim dum non differatur de viſibilitate ipſius modi exiſtendi , ſeu de præſentia ſacramentali formaliter , ſed de corpore ipſo præciſivè à modo exiſtendi , ut loquitur probatiſſima opinio, uti ex D. Thoma, & florentiſſima Theologorum copia vidimus diſp. 2. ſolùmque interdum uſi fuimus contraria opinione, ut ad hominem adversùs nonnullos, qui illi ſuffragantur, & refragantur noſtræ, argueremus. Non igitur penderet adhuc objectivè fœlicitas hujus ſtatus à præſentia Chriſti Domini alibi in propria ſpecie. Secundò longè diverſum eſt , pendere ſolum objectivè ab aliquo, tanquam à puro objecto , è quo hariat facultas viſiva voluptatem ; aliud vero pendere ab eodem ſubjectivè ad obtinendum ipſum actum videndi. Primum illud non eſt ſimpliciter pendere , ſed frui libere bono illo; alioqui Chriſtus Dominus in Cœlo penderet à Deipara, aliiſque objectis mira venuſtate ſua viſum oblectantibus: immo & in ſenſu aliquo ſcientia viſionis Dei penderet à creaturis ex ſuppoſitione exiſtentiæ earundem ; ſed eſt uti pro libito , & poteſtate , quam aliunde habet , amænitate locorum, & ſpecioſitate rerum, quæ impedire nequeunt , per ſe loquendo , liberam eam poteſtatem facultatis viſivæ (præſcindimus ab eo , quod Beatus poſſit,

vel

vel ſecus, ſe interdum reddere inviſibilem alteri Beato). Cæterum ſecundum illud importat veram realemque dependentiam ſubjectivam ipſius potentiæ: & dum ſumitur in ordine ad viſionem Chriſti Domini terminatam ad ipſum prout in Cœlo, involveret dependentiam propriam unius præſentiæ ab alia.

Replicas: nequit eſſe infælicitas carentia viſionis, dum viſio ſupponitur impoſſibilis; & aliundè talis connaturalitèr eſt, & præſupponitur uſus facultatis viſivæ ex Euchariſtia, qui propterea unicè per miraculum obtineri valet. Sed contra: quoniam ideò argumentum noſtrum probat, aut miraculum patrandum eſſe de facto, aut Chriſtum Dominum non futurum realitèr præſentem Euchariſtiæ; quia cum ſit poſſibilis ea beatitudo illi ſecundum ſe, neceſſariò repugnat ipſi ſtatus, in quo illa carere debeat actu, atque adeò repetit principium reſponſio, aut objectio. Subjicies iterùm: potuiſſet Deus efficere, ut Chriſtus Dominus exiſteret duntaxat in Euchariſtia, adeòque non alibi ſimul, quam hypotheſim admittunt iidem, qui independentiam prædictam defendunt: in eo autem eventu, ſi aliundè præſupponatur etiam vera opinio illorum, qui exiſtimant, Chriſtum Dominum, prout ſacramentalitèr exiſtentem eſſe ſimplicitèr inviſibilem, adhùc relatè ad poteſtatem abſolutam Dei; miſer nullo modo dicendus foret, cum nulla ſit infælicitas carere bono prorsùs impoſsibili; alioqui triſtari poſſet Beatus, eo quod non ſit unus per identitatem cum Deo, quæ non tam foret mœſtitia, quam imaginatio ſtulta. Contra tamen primò: quoniam ex hypothetico illo eventu perperàm arguitur ad præſentem ſtatum, in quo attingere poteſt facultas viſiva Chriſti Domini Corpus ſuum, vel quà in Euchariſtia abſconditum, ut arbitratur laudata communis opinio, (cujus oppoſita ſuppunitur vera ad fingendam urgentiori modo hypotheſim), vel quà in propria ſpecie, & majeſtate promicans. Quandoquidèm ex eo, quod nulla ſit infælicitas carere bono, dum illud per hypotheſim ſupponitur impoſſibile, atque adeò indebitum, illegitimè infertur, non futuram paritèr miſeriam, carere illo, dum ſupponitur poſſibile, & debitum ſtatui perfecto beatitudinis.

Contra ſecundò: quoniam ex ſuppoſitione quod Chriſtus Dominus moriturus iterùm non ſit, ſemel jam à mortuis ſuſcitatus, nec ulteriùs aliquid paſſurus, debetur illi ex juſtitia perfecta, & ſumma fælicitas animæ, & corporis, & ex conſequenti debetur ipſi ſtatus, in quo prædicta beatitudine fruatur poſitivè: & itidem debetur eidem remotio omnis ſtatus, aut modi exiſtendi, ſub quo illa privetur. Quocirca, ſi per Divinam omnipotentiam, ex alto dominio, ſupremoque Dei conſtitui poſſet unicè ſub aliquo ſtatu, ſub ſpeciebus videlicèt, in quo careret corporis beatitudine, fieret proculdubiò illi violentia, eſſetque infælix (ſicuti miſer foret, ſi per deſpoticum dominium privaretur in Cœlo etiam viſione Dei; tametſi id fieri valeat per altum dominium): ſiquidèm Beatitudo illa corporis, qua fraudaretur, non eſſet impoſſibilis, ut falsò præſupponit reſponſio, ſed antecedentèr ſimplicitèr poſſibilis, & omninò debita ipſi ſecundum ſe. Ergò, ſi modo ita conſtituatur in Euchariſtia Chriſtus Dominus, quantumvis non foret ſimplicitèr miſer, quoniam alicubi, in Cœlo nimirùm, ſeu in ſpecie propria, torrente voluptatum, proſperitatumque allueretur undique etiam corpus; eſſet attamen infælix, prout ſub accidentibus reconditus; quod abſque errore minimè tolerando non pronuntiaretur, cum certum ſit, Deum nequaquam uti alto jure ſupremi dominii ad Chriſtum Dominum privandum fælicitate ſibi omnimodè debita.

Tertiò: voluntariè ſupponitur, hic vera opinio negans, Corpus Chriſti Domini, quà ſacramentalitèr præſens, terminare non poſſe viſionem divinitùs præciſivè à modo exiſtendi. Quin & in hypotheſi facta congruentiùs diceretur, Deum infuſurum Chriſto Domino ſpeciem ſui corporis circumſcriptivè exiſtentis, tametſi nullibi modo quantitativo adeſſet, cujus viſione frueretur (juxta tritam ſatis doctrinam Philoſophorum): quoniam licèt adeſſet fallacia, aut error materialis ſenſus, corrigendus per ſcientiam infuſam, qui abſolutè, & juxta præſens rerum ſyſtema, arcendus ſit à Chriſto Domino, uti diximus; in ea tamen hypotheſi foret longè minùs malum imperfectio hæc materialis, quàm privatio ſimplicitèr objecti potiſſimi beatitudinis corporalis, cujus viſio, ſi non eſt tota corporis beati merces, eſt ejuſdem apex, fons omnium deliciarum, centrum voluptatis, & ultima meta ſpei noſtræ, quà reſpicit Corpus, de qua Job 19. *Et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

Num. 19. Adjiciam curſim non tam nova argumenta, quam confirmationes eorundem, quæ tetigimus Diſput. 2. generatìm. Nam quantum incrementi accedat fidelium reverentiæ, & tremori ſancto in conſpectu Venerabilis Sacramenti ex conſideratione hujus veritatis, quòd ſcilicèt oculi Chriſti Domini ex ſecreto illo omnia circumquaque ſumma perſpicuitate contueantur, prædixerat ſuboſcurè Regius Vates Pſal. 103. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*; expreſſit tamen clariſſimè, & multiplicitèr Divus Thomas opuſc. 58. cap. 2. ubi inſtitutionis hujus arcani radices altè ſcrutatur; inter quas numerat timorem ſanctum, qui ex notitia præfatæ doctrinæ generatur in nobis, nutriturque. Cui expoſitioni accommodat plura Scripturæ loca: *Omnis homo* (Eccl. 23.) *qui tranſgreditur lectum ſuum contendens in animam ſuam dicens, quis me videt? tenebræ*

cir-

circumdant me: non intelligit, quoniam omnia videt oculus Domini, & expellit à ſe timorem Dei. Ezech. 8. *Certè vidiſti, fili hominis, quæ ſeniores faciunt in tenebris, dicunt enim, non videt Dominus*. Gloſſa: *Si Dominum præſentem, & omnia videntem, & judicantem, ſemper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus*. Boetius: *Magno nobis indicta eſt neceſſitas benè vivendi, cum agamus omnia ante oculos Judicis cuncta cernentis*. Hæc D.Thomas, ut inde evincas, aut colligas effectum intenſiſſimum reverentiç, & timoris Dei ſubſecutum ad conſiderationem objectivè ſenſibilem perſpicaciæ, jugiſque exercitii oculorum Chriſti Domini ex Euchariſtia erga cuncta præſentia. Quæ illatio legitimè deſcendit (& veluti à fortiori premit) ex conſimili deducta à Divo Thoma, & teſtimoniis irrefragabilibus firmata, ex conſideratione præſentiæ Dei in nobis per ſcientiam. Quin ſequela, prout Euchariſtiæ à ſimili accommodata, uſurpari valeat adeò propriè de proſpectu Chriſti Domini paritèr per ſcientiam infuſam, aut beatam; cum exploratum ſit oculis mentis non minùs clarè ex Empyreo, quàm ex Auguſto Sacramento noſtra conſpicere.

Præſtat inſuper audire detonantem auream Chryſoſtomi linguam homil. 40. ad Populum Antiochen. his verbis tremorem incutientibus, dum ad profundam reverentiam coram throno, & Sacrificio Euchariſtico nos adhortantur: *Neſcis, quod cum Angelis conſtitiſti? cum illis cantas, cum illis Deum laudas, & ſtas ridens? Quod fulmen non torquetur, non tantùm in iſtos, verum & in nos, nonne mirandum? Sunt enim iſta fulmine digna. Adeſt Rex, exercitum recenſet, tu ſub illius oculis ſtas ridens, & viſum deſpicis. Quouſque accuſamus? Quouſque redarguimus?* Similia protulit homil. 24. in cap. 2. Actorum: verba ſanè verè fulminantia, quæque ſimul ſplendore ſuo, quem non ſine terrore vibrant, ſententiam noſtram mirè illuſtrant, cum oculos Chriſti Domini ex Euchariſtia repræſentant explorantes operationes noſtras, geſtus, riſumque (utinam & ſæpe fletum). Quin aliquid conferat, vel impediat, quòd habeat in Euchariſtia palpebras reductas, aut clauſas, ut notavimus diſp. 2. docentque plurimi cum Gamachæo, & Henao; eo quod illæ gloria imbutæ pellucidæ undique ſint ita, ut per ipſas, etiam dum voluntariè in Cœlo demittantur pateant cunctis duo illa Empyrei lumina animata, pateantque luminibus illis omnia: ſuntque oculi Chriſti Domini primum mobile amoris, etiam dum velantur in Cœlo palpebris.

Num. 20. Quantùm verò incrementi accipiat indidem ſolatium noſtrum: quantùm conſolationis, & voluptatis ingerat fidelibus, noſſe, ſe videri propè, apertiſsimè, ab oculis illis divina quadam ſuavitate collucentibus, & per gyrum vagantibus, animarum dulciſsimis prædonibus, interim dum non poſſumus intueri videntem, colligitur ſufficienter, & quaſi intrinſecè ex ipſa natura noſtra Corporea, & ſenſibilibus, pro ſtatu præſenti, immerſa. Eruiturque ex S. Damaſceno lib. 4. de Fide orthodoxa cap. ultimo, ubi diſputans de Beatis hominibus poſt reſurrectionem glorioſam, inquit: *Qui bona egerunt, fulgebunt ſicut Sol cum Angelis in vitam æternam, cum Domino noſtro Jeſu Chriſto, videntes ipſum ſemper, & viſi, & inacceſſibili, quæ à Chriſto eſt, lætitia perfruentes*. Ubi beatitudinem Corporis partitur inter operationem activam videndi glorificatum Chriſti Domini Corpus, & merè paſsivam terminandi ejus viſionem: quam gloriæ partem obtinemus, tametſi per notitiam ſolùm imperfectam, dum in tremendo arcani Euchariſtici, ſimul & jucundiſſimo conſpectu ſiſtimus. Quo reſpexiſſe videtur S. Auguſt. ſerm. 10. de verbo Dei, cum dixit: *Nobis autem promittitur viſio Dei viventis, & videntis*. Verùm quid? num viſio Dei non eſt tota merces? In Deo viſo ab illis, & amato, non eſt ex integro Beatorum fœlicitas? Ita ſanè: ſed in viſione Dei videntis, & amantis videntem, & amantem ipſum: ſi namque per impoſſibile, vel non videret, tametſi oculos habeat; vel oculos mentis aliò avertere poſſet, quaſi advertere renuens, nec redamare cupiens; tametſi ſummum bonum undique ſit; & eo titulo efficeret Beatum hominem, à quo intuitive videretur; minimè tamen ſatiaret perfectè undequaque appetitum, quia non foret plenè poſſeſſum. Cum deſiderium terminandi viſionem, etiam materialem (ſi fuerit illius capax) objecti amati urgeat plerumque non ſegniùs, ac votum terminandi redamationem dilecti; quam doctrinam arbitror innuiſſe Apoſtolum 1. Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte; tunc autem agnoſcam, ſicut & cognitus ſum*: ideſt videbo tunc ſummum bonum, ſicut ſum viſus ab illo; indicans non obſcurè, beatitudinem noſtram ex utraque viſione compleri, mutuumque conſpectum exigere perfectam amantium fœlicitatem. Quinimmo interdum optant vehementiùs amantes videri, quam videre, ut illa, de quâ Virgil. Ecloga 3. Eſt igitur magna fœlicitas noſtra videri à Chriſto Domino oculis corporeis ex latibulo accidentium: excitat ſiquidem ea notitia in cordibus noſtris mirabiles effectus timoris, & amoris. Ex abdito enim loco ille videt nos adorantes ipſum, acta, motum, & id genus plurima exteriora, quæ intueri debet ut principalis Sacerdos, tum quâ Judex, tum etiam quâ Sponſa, Amans, & Paſtor, cum munia illa exequatur penes humanitatem. Neutiquam tamen cupit mutuò videri, niſi tantùm in voto, & ſpe, cujus eſt pignus immortale. Subindèque, nonnihil immutato illius fabuloſæ narrationis affectu, & verſu, liceat nobis de Servatore, ad reconditam eam præſentiam ſe veloci-

tate

tate nimia, & quaſi fuga, recipiente, dicere: *Et fugis ad calices, & te cupis ante videre.*

SECTIO SECUNDA.

Firmatur paritèr Scripturæ Sacræ, Eccleſiæ, & Patrum teſtimoniis præſertim, exercitium activum de facto Potentiæ auditivæ Humanitatis Chaisti Domini *ſub accidentibus Euchariſticis; è quibus audit & ſilet: uti & exercitium ſenſuum internorum.*

§. I.

Num. 21. INcipiam ab Authoritate irrefragabili almæ Eccleſiæ in Liturgia, juſſu cujus Sacerdos celebrans, in deprecatione illa ad Chriſtum Dominum poſt confractionem Hoſtiæ Sacrę, percuſſo pectore, & elevata tantiſper voce ter dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c.* Alloquitur itaque Chriſtum Dominum præſentem voce perceptibili; verùm quo fine? Quo jure? Qua prudentia, ſi nihil audiret ex Euchariſtia? Audi Algerum de Sacram. Corp. & Sang. lib. 2. cap. 3. fine: *Hac fide ipſum Sacramentum quaſi vivum quiddam, & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis: quia non quod videtur, ſed quod verè eſt, Chriſtum ibi eſſe credimus.* Hic autem mos, hoc vel alio modo uſitatus, ferè cum Eccleſia inolevit, eumque Sergius Pontifex communem Eccleſiæ fecit, ut refert ex Anaſtaſio Cardin. de Bona lib. 2. rer. Liturg. cap. 16. *Statuit, ut tempore confractionis Dominici Corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miſerere nobis, à Populo decantaretur.* De quo videndus etiam Innoc. III. lib. 6. de myſteriis Miſſæ cap. 6.: cœterum cum Chriſtus Dominus in Euchariſtia habere nequeat per concomitantiam auditionem formalem precationis illius è Cœlo adductam, cum ad Cœlum vox illa è terra non perveniat, nec auribus Chriſti Domini in propria ſpecie intra Empyreum exiſtentibus percipiatur, ut fatentur omnes (tametſi ad aures mentis pertingat, ut petat veniam, uti & ſanguis Abel clamabat è terra, ut peteret vindictam) ſi aliundè nequeat actum auditionis primò elicere ſub ſpeciebus Euchariſticis, neceſſariò fatendum eſſet, Sacerdotem Surdo canere, cum nullatenus vocem illius audiat de facto, nec exaudire valeat Chriſtus Dominus. Quocirca intimaretur Sacerdotibus illud Num. 20. *Loquimini ad Petram* maximè cum certum ſit etiam, quod dicitur 1. Corint. cap. 10. *Petra autem erat Chriſtus;* niſi quòd rupes illa Deſerti poſſet voces truncatas reddere per echo, indicans, ſe modo aliquo ſenſiſſe vim locutionis, quemadmodum percuſſioni reſpondit de facto. Petra autem latens in Euchariſtia, nec phyſicè ſentire poſſet vocem (quamquam mente percipiat vel ſyllabam debiliorem.)

Incaſſum igitur emitteretur à celebrante ſonus ille articulatus ad Chriſtum Dominum immediatè per ſe directum, cum obturatæ ſint illius aures, & nec illum de facto audiat, nec abſque miraculo ingenti poſſit. Ex quo ſequeretur rurſus, neutiquam probandum fore ejuſmodi uſum, aut ritum ab Eccleſia Sancta, ſed removendum potiùs tanquam fallacem, illuſoriumque: quandoquidem ecquis adeſſet Gentilium Philoſophorum v. g. qui audiens eam deprecationem voce magis diſtincta prolatam ad eum, quem in Euchariſtia dicimus realiter præſentem, directam, cum obtutu fixo Sacerdos prolationis tempore contueatur Hoſtiam, qui illico non aſſeruiſſet, Chriſtianos procul dubio, in ea eſſe exiſtimatione, ut firmiter credant, Deum hominem, quem adorant ſub accidentibus panis, & vini obvelatum, exaudire, planèque percipere eorundem preces, ſimileſque voces? Aut igitur uſus ille eſt per ſe deceptorius, cum ſimpliciter ducat circumſtantes in cognitionem falſitatis, aut Chriſtus Dominus in Euchariſtia pollet reipſa aurium uſu quantumvis miraculoſo. Maximè cum ille ſit perutilis Inſtitutioni hujus arcani, ſive ſcopo illius inſtitutionis; impium enim foret, dicere, non commovenda viſcera illa pietatis, dum audit infælicium ſuſpiria, ſemper fæcunda, & interdum adeo propè ſonantia, ut vel incaleſcat Sacra Hoſtia. Confirmatur ex illis etiam verbis, quæ ante communionem proferre *elata aliquantum voce* jubemur Sacerdotes: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum &c.* quæque ſub eiſdem reflexionibus, ac præcedentia ſtrenuè promovent cauſam noſtram. Hunc autem fuiſſe pariter morem conſuetum in primitiva Eccleſia, conſtat perſpicuè ex Origene Homil. 5. in diverſa loca Evangelii, ubi ait: *Quando ſanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini: tum Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus; ubi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur.* Conſtat ex Chryſoſt. Homil. de Apoſtolo Thoma: *Dicamus Redemptori noſtro: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum animorum noſtrorum: quia tamen tu à nobis teneri vis, tua freti indulgentia ad te accedimus.* Quid ergo dicendum nobis? efferri aliquatenus vocem eo ſolo fine, ut pereat cum ſonitu, & ſine fructu? clamabit infidelis: *Fertur vox irrita ventis.*

Num. 22. Non abſimiliter hortatur Sacerdotes, dum Hoſtiam Sacram jam communicaturi manutenent, S. Anſelmus in Orationibus, orat. 27. *Ad ipſum*, inquit, *dulciſſimum dulciſſimi Domini Corpus, quod in manibus tenes, loquere, & quaſi eum præſente*

la-

loquens, tuas illi neceſſitates expone. Hic itaque mos alloquendi Chriſtum Servatorem communionis tempore, elata parumper voce, non congruenter duntaxat, ſed efficaciter movet ad aſſerendum, ſemper in Eccleſia viguiſſe practicè ſenſum hunc, ex ſe ſatis connaturalem, quòd nimirum Chriſtus Dominus auribus corporeis preces noſtras, hymnos, & gemitus intra Euchariſtiam exaudiat. In Miſſali Romano manuſcripto, adductoque ab eodem prælaudato Cardinali Bona, hæc babentur dicenda immediatè ante ſuſceptionem Corporis Chriſti Domini: *Ave in æternum Sanctiſſima Caro Chriſti, mihi ante omnia, & ſuper omnia ſumma dulcedo*. Numquid hæc ſalutatio vocalis alloquebatur ſurdum, creditumque hujuſmodi à fidelibus pro eo ſtatu, in quo ipſum peramanter ſalutat? loqueremur ſanè ad habentem aures, verùm non aures audiendi; adeoque ſtultè. Idcirco Propheta 1. Regum cap. 3. ajebat: *Loquere Domine, quia ſervus tuus audit*; innuens in vanum alioqui locuturum cum ipſo, & ad ipſum, ſi ipſe nequaquam audiret. Et ſanè loqui eum planè ſurdo pro eo tempore, & ſtatu, in quo talis exiſtit, veſania eſt. Unde Sapientiæ 13. ridetur impudentia, & ſtultitia impii, qui non erubeſcit loqui cum idolo aureo, cum ejus vocem exaudire nequeat truncus: *Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt*.

Hæc autem vota appellantur ſurda à Perſio Satyra 6. meritòque rurſus convenirет illis, quod Paulus 1. ad Corint. 14. ait: *Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus*, non alia de cauſa, niſi quia alloquitur non percipientem formaliter; quid autem ſi neque ſonum materialem vocis ſentire poſſet? Certè non barbarè tantùm, ſed ut diximus, ſtultiſſimè loqueretur. Propterea S. Auguſt. lib. 19. de Civit. cap. 7. ait: ignorantiam idiomatis *alienare hominem ab homine*: ſubditque: *itaùt libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quam cum homine alieno*. Quid autem confert, in ordine ad vitandam ſtultitiam, illum, quem ſonora voce alloquitur, eſſe intelligentem, ſi aliunde nec audit, nec videt, proindeque alloquitur truncum rationalem? Quemadmodum exigere à muto, incapacique movendi labia, reſponſum vocale oraculi, canorumque, ineptiſſimum foret (tametſi audiret) quod ridet Juvenalis Satyra 13.

Audis Jupiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem.

Debueras, vel marmoreus, vel ahæneus:

Ratio autem à priori eſt, quoniam locutio ex ſuo conceptu formali, ut rationalis ſit, poſtulat, juxta notiſſimam Philoſophiam, alium percipiendi capacem; cum ex ſe, ut prudenter exerceatur, importet ordinem ad alterum, quo cum rationabile commercium intercedat; ſicuti amicitia includit eſſentialiter reciprocum amorem duorum, teſte Magno Gregorio, Philoſophia Morali, & naturæ lumine. Neque ejuſmodi inconveniens declinatur, per hoc, quòd auribus mentis cuncta mirum in modum percipiat; & quidem fideliùs, ſublimiùſque, quàm per aures perciperet. Siquidem delibata à nobis incommoda nequaquam inferri arguimus ex eo, quod abſolutè non percipiat; ſed ex eo, quod non percipiat corporeis auribus: exinde enim colligitur, locutionem illam voce aliquatenus elevata prolatam inutilem fore: & quia abſque illa pariter contueretur affectum: & quia pariter è Cœlo modo illo ſentire novit, ſive audire preces noſtras, etiam purè internas; non eſſetque proinde cur ad illum, prout in Hoſtia præſentem oratio illa vocalis dirigeretur, ſed ad ipſum in Cœlo. Foret rurſus indiſcreta, cum alloquatur ſurdum voce clara. Deinde eſſet ſeductoria locutio ob ouper tacta in argumento; cum occaſionem præberet manifeſtam rudibus (quin & Doctis) judicandi, Chriſtum Dominum ex Euchariſtia voces noſtras percipere, & veluti arrectis auribus ibi adſtare. Inſuper, quia ſi exiſtimandum nobis foret, Chriſtum Dominum neutiquam ex Euchariſtia gemitus noſtros exaudire, deficeret fructus ille, quem ex oppoſito generari in pectoribus noſtris, oſtendimus; abeſſetque commercium illud humanum noſtrum cum eodem Chriſto Domino quà ſub ſpeciebus recondito; quod licet undique completum non ſit in ratione commercii humani, eo quod non viciſſim nos ipſe alloquatur; eſſet tamen longè debilius, & imperfectius in ea ratione, ſi nec auribus corporeis alloquia noſtra exaudiret; accederetque potiùs ad commercium Angelorum inter ſe: vel ad illud, quod interveniret, ſi ſola anima Chriſti Domini foret præſens realiter io Euchariſtia. Sicut igitur auditio illa unicè per ſcientiam infuſam, aut beatam eſſet purè ſpiritualis, & Angelica, potius quàm humana; ita deberet eſſe locutio noſtra (quantum eſt ex hoc capite) ad inſtar Angelicæ, in quà conceptus obſtrepunt, & linguæ obmuteſcunt.

Num. 23. Diſcurſus factus Patronum habet inclitum, & in re valde cognata, in qua reperiretur alioqui abſurditas ipſa, quam opioioni contrariæ objicimus, S. Ambroſium videlicet lib. 2. in Lucam cap. 1. fine, ubi exponens illa verba Cantici Zachariæ: *Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis*, ſubjungit: *Sed fortaſſe aliqui quaſi irrationabilem mentis exceſſum putant, quòd octo dierum alloquitur infantem*: eo quod non eſſet pro eo ſtatu capax percipiendi ſeoſum illius Propheticæ locutionis ad ipſum terminatæ: cui reflexioni occurrit immediatè profundiſſimus hìc Eccleſiæ Doctor, inquiens: *Verùm ſi teneamus, intelligemus profectò, quòd potuit vocem Patris natus audire, qui Mariæ Salutationem, antequam naſceretur audivit. Sciebat profectò, alias eſſe aures Prophetæ, quæ*

ſpiritu Dei, non corporis ætate, referantur. Habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum: Et ſanè modus intelligendi, tametſi miraculoſus in tenerrimo ſtatu, & corpuſculo, includebat ſpecies ſoni miniſterio aurium acquiſitas, quas virtus divina fecit intelligibiles puero, alioqui incapaci percipiendi ſenſum. Foret igitur, juxta Ambroſium, irrationalis locutio illa Patris, filium directè compellans, ſi aliundè filius ipſe divinitus non ſupponeretur, & audiens vocis ſonum, & percipiens ſenſum. Ergo irrationalis eſſet deprecatio illa Sacerdotis, aut oratio perceptibili voce prolata in Miſſa ante communionem immediatè ordinata ad Chriſtum Dominum proùt ſub accidentibus Hoſtiæ, quam manu premit, & fixis oculis adſpicit; ſi Chriſtus Dominus proùt ſub accidentibus realiter præſens, nullatenus de facto, etiam per miraculum, vocem illam exaudiret.

Reſpondebis: illationem Ambroſii optimam eſſe, quia arguit futuram irrationalem allocutionem, ſi puer non intelligeret; & propterea debuit ſupponere illum divinitùs inſtructum ad capiendum ſenſum: cæterum in ſubjecta materia, tametſi Chriſtus non audiat aure corporis ſonum vocis, comprehendit perfectiſſimè aure mentis ſignificationem illarum precum. Ex eo igitur quod foret irrationabilis locutio facta non intelligenti, licet audienti ſonum, illegitimè deducitur, futuram pariter irrationalem locutionem directam ad non audientem materialem vocem, intelligentem attamen apprimè ſenſum locutionis. Ambroſii igitur argumentatio non eodem filo aureo, quo agit cauſam ſuam, ducit noſtram. Sed contra: quoniam illatio utrobique fluit eodem ductu: ſiquidem ideo, juxta Magnum Ambroſium locutio Zachariæ cum neonato puero irrationalis non eſt, quia puer non ſolùm percipit auribus corporeis materialem ſonum locutionis, ſed inſuper aure Prophetica mentis divinitus eo fine illuſtrata percipit ſenſum allocutionis per aures materiales pervenientis ad mentem. Ergo ſi Chriſtus Dominus aure corporea nullo pacto perciperet allocutionem, ſeu preces vocales Sacerdotis, atque ideo, nec per auditionem illius percipiat ſenſum loquentis aure mentis; quidquid ſit, quòd aliundè noverit independenter ab ea locutione id, quod Sacerdos precibus expetit, earundemque ſignificationem, allocutio eſſet irrationalis.

Probatur ſequela; quoniam ad hoc ut per ſcientiam infuſam, & beatam, qua omnia noſtra contuetur, & audit mente, percipiat preces illas, earumque ſignificatum, inutiliter efferretur vox à Sacerdote ad illas proferendas, cum æquè illas præfata aure, & notitia percipiat, tametſi ſubmiſſa voce dicantur; immò nulla vocis articulatione opus eſt, cum pariter exaudiat modo illo animi affectus, ut exploratiſſimum eſt, & quidem ita ex Empyreo, & ex reliquis altaribus, quibus ſit præſens, ac ex illo, in quo Sacerdos actu ipſum alloquitur. Ergo ad hoc ut locutio illa non ſit prorſus inutilis, & ſimpliciter irrationalis, non ſufficit, quod ille, ad quem ordinatur ſciat aliunde ſenſum, & animum loquentis, & locutionis, quem ſciret pariter etiamſi non moveret labia, & antequam moveat, cum videat affectum, & conceptum mentis (quo novo titulo eſſe poſſet otioſa locutio) ſed neceſſarium eſt, ut præfatum ſenſum aſſequatur per auditionem dictæ locutionis, ſivè ultra illam requiratur nova mentis illuſtratio miraculoſa ad ſenſum locutionis materialiter perceptæ intelligendum, ut in neonato puero; ſive neutiquam, ut in Chriſto Domino, reſpectu cujus miraculum ſitum erit tantùm in ipſa materiali ſoni perceptione ex Euchariſtia, qua præſuppoſita per ſpecies miniſterio auris comparatas, (quantumvis ex aliis capitibus intercedant miracula etiam, quatenus ſenſus internus exiſtens modo inextenſo operatur. Uti & ſi velis, quod Deus ſuppleat ſpecierum concurſum) noſcit ſignificationem, notitia diverſa ab ea (& illi ſuperaddita) qua aliunde cuncta videt, & audit, ad cujus uſum indeſinentem nullatenus eget præſentia reali Euchariſtica. Illa autem notitia per auditum comparata, eſt quæ ſola arcere valet irrationabilitatem à locutione: hæc eſt illa, quæ tantum haberi poteſt à Chriſto Domino, ut propinquo locutioni, atque adeo, quà Sacramentaliter exiſtente, ſub quo ſtatu eſt rationabile lac illud, de quo loquitur Apoſtolorum Princeps Petrus 1. cap. 2. quod non ritè ſugit, niſi qui parvulus factus eſt.

Num. 24. Confirmatur argumentatio hæc clariſſimo teſtimonio S. Gregorii Nazianz. orat. 11. in funere Gergoniæ Sororis, illuſtrique ejuſdem Gorgoniæ fidei exemplo, uti & devotionis, erga Euchariſtiam Sacram: *Cum morbus*, inquit Nazianz. de ſorore hac ſua, dum langueret nimiùm, *non nihil remiſiſſet. ad altare cum fide procumbit, eumque, qui ſuper ipſum honoratur, cum ingenti clamore invocat*: lacrymarumque imbribus unà cum clamoribus orantem, ſenſiſſe continenter, ſe à morbo liberam, & à latente, quem invocaverat, Domino exauditam, refert. Ut quid autem clamor ille ad Chriſtum Dominum ſupra altare in pyxide clauſum, ſi, tametſi aures habeat, ut & reliqua ad ejus integritatem permanenter ſpectantia; uſum tamen illarum minimè ſortiatur, proùt ibidem incluſus? ſi autem nonniſi auribus mentis percipere valeat Chriſtus Dominus ex Euchariſtia precum & lachrymarum facundiam, fruſtra Gorgonia, quæ jacebat ſpe vitæ deſtituta, licet tantiſper recuperata, adiret altare (ubicumque illud eſſet) intempeſta nocte, ut ingenti clamore, fletuque cum ſanguine permixto (quo pharmaco ſe unxit) Chriſtum Dominum

nium ſpeciebus velatum compellaret, alloqueretur, & veluti cogeret, proteſtata, numquam ſe avulſuram ab altari, niſi recuperata valetudine, cum ejuſdem oratio fervens è lectulo, aut quovis loco, etiam ab Euchariſtia Sacra remotiſſimo, directa ad Chriſtum Dominum, quà iu Empyreo in propria ſpecie coruſcantem, eodem pacto exaudiretur aure illa; immò & facta ex quovis loco diſtante directa ad eundem, quà iu Euchariſtia.

Deindè licet ratione præſentiæ realis propè exiſtentis, quamquam ſine uſu potentiarum adeſſet, plus aliquid gratiarum in accedentes derivaretur, quàm ſi minimè phyſicè præſens exiſteret: quemadmodum ex illius ſumptione uberiora gratiæ incrementa hauriuntur; irritus autem ſemper foret clamor ille, cum per hoc solùm, quòd eoſdem affectus mente exprimeres, exaudiendus fores non minùs diſtinctè, & quidem minori ſpirituum diſpendio. Quamobrem ſi adeſſet tunc juxta Gorgoniam qui noſſet opiuionis adverſæ doctrinam, jure meritò ridere poſſet Gorgoniæ lamenta articulata, cum clamaret coram ſurdo pænitus, illuderetque ei cum Elia, vel ad modum, quo Elias illuſit Sacerdotibus Baal 3. Reg. cap. 18. cum enim illi clamaſſent: *Baal exaudi nos;* urgebat ipſos dicens: *Clamate voce majori Deus enim eſt, & forſitan loquitur* (cum alio ſcilicet, itaùt attendere nequeat, niſi clamore ingenti excitetur, ut advertat) *aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna ..... nec audiebatur vox, nec aliquis reſpondebat, nec attendebat orantes.*

Et ſanè diſputatio, vel potiùs propoſitio facta ab Elia Sacerdotibus erat de adorando Deo illo, qui exaudiret, vel illorum, vel Eliæ clamores, ſuperimpoſito altari bove, & non ſubterpoſito igne: *Et Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus:* expectante Populo, & ajente: *Optima propoſitio.* Cæterum Baal ſurdus perſtitit, & inanimis; cui nec Artifex ſtrenuè fiugens, nec turba infælix rogans animam præſtitere, aut auditum. Cum vero *jam tempus eſſet, ut afferret holocauſtum, accedens Elias Propheta ait: Domine Deus Abraham, & Iſac, & Iſraei ... exaudi me Domine, exaudi me .... cecidit autem ignis Domini, & voravit holocauſtum:* Eu Dominum in Holocauſto illo, Euchariſtiæ typo, exaudientem clamores Eliæ, oſtendentemque Populo, adeſſe verum Deum in altari, eo quod audierit voces, & preces ſacrificantis, aut accedentis ad aram: *Quod cum vidiſſet omnis Populus, cecidit in faciem ſuam, & ait; Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Scio Patrem Vaſquez in 3. par. tom. 3. diſp. 197. cap. 24. multis contendere, Gorgoniam nullatenus procubuiſſe ad Aram, in qua adeſſet Sacramentum Euchariſtiæ; ſed vel ad ſignum aliquod, vel imaginem ſanguine fuſo exprimentem paſſionem Chriſti Domini, aut reliquia tincta aliquatenus ſanguine. Tum quia Nazianzenus vocat illa, quæ adorabat Gorgonia, Antitypa corporis, & ſanguinis Domini; non verò ipſum corpus, & ſanguinem. Tum quia licet juxta illius temporis morem poſſet domi habere Sacramentum Corporis Chriſti Domini ſanguiuem tamen Domini aſſervare minime poterant, nec deferre Domum, etiamſi ſub utraque ſpecie in Eccleſia communiearent. Et aliunde Nazianzenus ibi de ſorore ſua narrat: *Et ſi quid uſpiam antityporum prætioſi corporis, aut ſanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiſcuiſſet:* ut eo pharmaco proprium corpus deplorata valetudine deficiens ungeret. Tum quia non ſine aliqua irreverentiæ ſpecie, admota ſanguini facie, fletum cum illo miſcuiſſet, & prætioſum illud mixtum applicaſſet ægro corpori; dubium, num gloria miraculi tribuenda foret potiùs lachrymis, an Sacramentis.

Num. 25. Cœterum ſapientes omnes crediderunt hactenus, & narrarunt, Gorgoniæ preces illas fletibus ſubmerſas, fuſas indubitanter fuiſſe in conſpectu Venerabilis; quod manifeſtè ſonare videntur verba Nazianzeni à nobis ſupra relata. Cum inſolitum nullatenus ſit Patribus Græcis, appellare Corpus ipſum verum, & Sauguinem Domini antitypa, ſive repræſeotationem, memoriamque ſacrificii cruenti, aut ſignum ejuſdem Corporis, quà in Empyreo glorioſi in propria ſpecie, de quo plura nos diſp. 5. & in primis longè probabilius videtur, illud miraculum non contigiſſe in Eccleſia extra domum, ſed domi; quoniam licet Gorgonia ſæpe excurſiones ejuſmodi per Eccleſias noctu feciſſet, ut refert idem S. Gregorius: *O Spiritus fervorem, ob orationis deſiderium, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem:* Verùm tempore miraculi jacebat miſerè incapax ferè conſiſtentiæ. Rurſus antitypa, quæ eſſent in Eccleſia, non potuerunt eſſe recondita ibi manu Gorgoniæ, uti ſupponuntur illa ad quæ clamabat, ut liquet ex verbis adductis.

Demum hujus rei teſtes fuerunt ipſi Sanctus Gregorius frater, & alius, qui erat Pater Spiritualis Gorgoniæ, cum quo loquens ibidem Gregorius, ait: *Nobis ſolis hoc arcanum commiſſum eſt, atque hujus miraculi teſtes nobis ipſi mutuò ſumus.* Credibile autem non eſt, viros ejuſmodi permiſiſſe moribundæ prope Gorgoniæ exitum de domo intempeſta nocte, eamque comitatos fuiſſe, præſertim ſi jam tum Gregorius eſſet Epiſcopus; quamquam nondum coadiutor Patris ſui in Eccleſia Nazianzena. Neque abſolutè verum eſt, quod nunquam ea tempeſtate deferretur domum ſanguis unà cum Corpore ſeparatim: quoniam S. Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſticum de S. Exuperio Epiſcopo ſcribens, ait: *Nihil illo ditiùs, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro.*

Neque diſcrimen peti jure valet ex ſexu, quandoquidem etiam fœminæ tunc ſub utraque ſpecie communicabant; periculum verò effuſionis æquè imminebat, dum portaretur Sanguis, ut hauriretur à viro, ac à fęmina, Sacerdote, aut laico. Rurſus notum ſatis, & cunctis pervium eſt, quod Sophronius narrat in vita S. Mariæ Ægyptiacæ, illam nempe morti vicinam inſtanter petiiſſe ab Abbate Zozima, ut afferret ſibi intemeratum Corpus Domini, & ſimul portionem Sanguinis viviſici in vaſe; quod & fecit S. Abbas, non jam deferens ipſe, ſed mittens in calice Sanguinem, & intra ipſum calicem particulam ſacram; quo inebriata potu animam emiſit, inebriandam affluentiùs torrente gloriæ. Idque faciliùs contingere potuit, ſi in eodem altari (aut Antimenſiis, juxta ritum Græcum, dum celebraretur ſacrificium in Oratorio privato, de quibus Balſamon in expoſitione Canonis 31. Synodi Trullanæ) Sacerdos die illa celebraſſet (cum eſſet Gorgonia fœmina nobilis, & vi morbi ad extremum reducta) ibidemque ex Corpore, & Sanguine pretioſo nonnihil decenter in vaſe cuſtoditum reliquiſſet, quod hauriret, dum mortem vicinam aſpiceret. Vas autem illud neutiquam habebat locum determinatum in altari domus ſicut habet Sacrarium in Eccleſia; & ideo dixit Nazianzenus: *ſiquid uſpiam antityporum &c.* Ex quo adverbio minùs rectè arguit Vaſquez. Quapropter Chriſtianus Lupus tom. 6. Synod. Gen. pag. 204. ait: *Porro ſacra Virgo Gorgonia erat, & Epiſcopi dilecta ſoror, & alterius Epiſcopi dilecta filia, hinc ab illis habuit ſingulare privilegium.* Quamquam enim Sanguis plerumque non aſſervaretur pro infirmis ob inſinuatum profuſionis diſcrimen, dum portaretur, ubi tamen ibidem celebrarentur myſteria, ceſſabat periculum.

Inſuper nonnunquam ad breve aliquod tempus aſſervatum fuiſse docent quamplures, fulti authoritate S. Chryſoſt. in Epiſt. ad Innocentium referentis ſeditionem militum Conſtantinopolis, qui ferocia, & inſolentia, Popularis tumultus propria, Eccleſiam ingreſſi & Paſtophorium, ſive Cyborium aggreſſi, Sanguinem Chriſti Domini incautè effuderunt: *Quin & Sacratiſſimus Chriſti Sanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt.* Quem Sanguinem fuiſſe tantùm ex eo, qui è percuſſa imagine Crucifixi Berithi (per totumque orbem ſparſi, teſte Athanaſio) voluntariè comminiſcitur, aut ſuſpicatur Vaſquez; cum modus loquendi de Sanguine illo apertiſſimè deſignet vivum, realemque Sanguinem Euchariſticum, qui ſolus aſſervari potuit in Sanctuario, uti aſſervatum fuiſſe illum teſtatur Chryſoſt., per quam vocem ſignificari Sacrarium, aut Cyborium compertum videtur. Accedit quòd idem Chryſoſtomus ibidem dixerit: *Nam & Sanctuarium ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant*; ad inveſtiganda verò curioſiùs reliqua, quæ extra Cyborium exiſterent, & in quibus Chriſti Domini Corpus, vel Sanguis minimè exiſteret; ſed reliquia alia, aut Sanguis miraculosè proſiliens ex imagine quadam, neceſſe non erat, eos fuiſse myſteriis initiatos, cum vel oculis prophanis pateant objecta illa, ſicuti patet ipſis templi janua.

Num. 26. Præterea, etiamſi Sanguis ſeparatus à Corpore non mitteretur; potuit attamen mitti panis conſecratus Sanguine intinctus, juxta conſuetudinem quorumdam illorum temporum, quibus porrigebatur panis ille Cœleſtis Sanguine Chriſti Domini aliquantulum rubeſcens, ut teſtatur Author Microlog. cap. 19. liquet etiam ex Concilio Bracarenſi 3. cap. 1. eum morem abrogante, uti & ex Claromontano Canon. 28. ut refert Cardin. Baronius ad annum 1095. num. 27. Immo Synodus Claramontana ita conſuetudinem illam abrogat, ut exceptionem aliquam faciat illis verbis: *niſi per neceſſitatem, & per cautelam.* Et Paſchalis ſecundus in Epiſt. 32. ad Pontium Abbatem Cluniacenſem eundem uſum removet ab Eccleſia, *præter parvulis, ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt, niſi intingatur.* Inoleviſſeque hunc morem apud Græcos refert Arcudius, additque eruditiſſimus Franciſcus Pagi in ſua Critica ad Annales Baronii ad eundem annum: *Uſus autem ille utramque ſpeciem commiſcendi hoc tempore ſervabatur apud Græcos, quem hodie quoque in ſuis Eccleſiis frequentant &c.* Quin & in Latina, cum Ivo Carnoteſ. par. 2. cap. 19. referat decretum cujuſdam Concilii Turonenſis, quo ſancitur, *Ut omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de ſæculo. Quæ tantùm ſacra oblatio intincta eſſe debet in Sanguine Chriſti.* Neque indecens reputabat Gorgonia, quæ relata fuere ſupra: quia laici eo ſæculo Corpus Chriſti Domini manu dextra accipiebant, ipſique admovebant ori; & quamquam fœminę in Eccleſia Latina non ſine linteolo mundiſſimo tecta manu, particulam Sacram ſuſciperent; in Græca tamen Eccleſia nuda manu, quemadmodum viri, illam recipere conſueverunt, ut tradit Cardin. Bona lib. 2. rerum Liturg. cap. 17.: quia Synodus Trullana, inquit Bona, exiſtimavit, nudam manum eſſe digniorem quavis alia materia. Cum ergo fœmina ſeipſa attrectare poſſet Corpus Chriſti Domini; ob quod uſitato Græcorum more, dum pro infirmis pararetur feria 5. majoris Hebdomadæ panis ſolito major, Chriſti Domini Sanguine leviter humectabatur, ut ex Leone Allatio refert prælaudatus Cardin. Bona cap. 18. tametſi deinceps exſiccaretur. Cum rurſus intinctum actu, denuoque Sanguine Corpus, dum communicandum foret, manu propria accipere poſſet.

Præ-

Præterea , cum viguiſset olim mos per Eccleſias , tam in fœminis , quàm in viris , poſt ſuſceptum Chriſti Domini Corpus , hauſto etiam Calice , manum protinus rubentibus adhuc Sanguine labris admovere , humenteque illa frontem oculos , alioſque ſenſus intingere , ut de Antiochena , & Hieroſolymitana Eccleſia docet S. Cyril. Hieroſol. Catecheſ. 5. Mytag. ibi : *Poſt communionem Corporis Chriſti accede , & ad calicem Sanguinis illius . Sanctificerit eo Sanguine Chriſti , quem adſumimus . Et cum adhuc eſt humiditas in labiis tuis , manibus attingens , & oculos , & frontem , & reliqua ſenſuum organa conſecra* . Idque feciſſe puriſſimam Agnetem innuere videntur illa ipſius verba amoris plena ; *& Sanguis ejus ornavit genas meas* . Eamque conſuetudinem à Principe Apoſtolorum manaſſe putat Lupus tom. 6. diſſert. de quibuſdam Patrum locis cap. 8. Cumque inſuper apud Græcos etiam ſepeliretur unà cum Cadavere particula Sacra , ut de Magnó Baſilio compertum eſt ex ejuſdem vita, ut omittam quod de S. Benedicto refert Sanctus Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 24. mirandum non eſt , Gorgoniam eo tempore familiariùs , quàm par eſſe nobis videatur modò modò , egiſſe cum Corpore , & Sanguine Domini : præſertim cum morbi furore , & fervoris exceſſu , ſive etiam divino inſtinctu , quem probavit miraculoſus eventus , mota extiterit , & veluti agitata ; in ſimilibus autem operationibus non expoſtulat reverentia cum amore . Et ideo Panegyriſta frater ibidem dixit : *tandem pia , & præclara quadam impudentia effertur* , ut ſcilicet lacrymas cum Sanguine illo miſceret , ſeque perfunderet .

Unde Magnus Baſilius in Epiſt. ad Cæſarium conſuetudinem laicorum illius temporis accipiendi manu propria Euchariſtiam, maximè non præſente Miniſtro , excuſans, inquit : *ipſam rem non eſſe graviter , & iniquè ferendam , eo quod inveterata conſuetudo hoc ipſum revera confirmatum dederat* : quod dum probat exemplo eorum , qui vitam monaſticam per Eremos inſtituebant , adjungit : *Alexandriæ autem , & per Ægyptum unuſquiſque , etiam de plebe , ut plurimum habet domi ſuæ communionem* . (quam Gorgonia ſumpſit ſine dubio poſtea ſtato tempore) . Et Chriſoſt. lib. 3. de Sacerdotio dixit : *Nam dum conſpici Dominum immolatum , & illic ſitum Sacerdotem ſacrificio incumbentem , ac preces fundentem , tum verò turbam circumfuſam pretioſo illo Sanguine intingi & rubeſieri ; etiamne te inter mortales verſari , atque in terra conſiſtere , cenſes ?* Aberraret enim , qui tempora non diſtinguens Gorgoniam diceret tunc Cathecumenam ; fuerat ſiquidem non multò antea ; jam tamen ingraveſcente morbo, per lavacrum regenerata , eam ſanctitatis viam arripuerat , eoſque progreſſus in vita ſpirituali fecit, ut admirationi fuerit eloquentiſſimo fratri , qui Theologi nomenclaturam , & gloriam meruit , inque ſororis laudibus Græcam facundiam exhauſit , inacceſſibilem ſe reddens aliis ſcripto , & ſororem exemplo . Propterea inter alias eximias virtutum ejus laudes , cum eſſet vinculis Matrimonii ligata , hanc exprimit Nazianzenus exclamans : *O ingentem poſt Baptiſmum caſtitatem , & Sponſam Chriſti animam in puri Corporis thalamo !* Namquæ gemitibus indeſinentibus à Deo Mariti regenerationem impetravit , ſuam uſque ad extremum diſtulit ? Maximè cum jampridem per revelationem divinam diem optatiſſimum præproperæ mortis ſuæ noviſſet .

Num. 27. Ponderatis hactenus teſtimoniis , eorundemque reflexionibus occurres , reſpondebiſque deprecationes , & humilitatis affectus elata nonnihil voce editos , uti & clamores interdum excitatos in conſpectu Venerabilis Sacramenti ; tametſi ex propria illarum vocum ſignificatione , & modo illos proferendi , dirigantur ad Chriſtum Dominum , ut ſacramentaliter præſentem ; ex intentione tamen Eccleſiæ ſanctæ eo potiſſimum fine emitti , ut tum proferens ipſe Sacerdos , tum adſtantes , moveantur ad actus intenſiores confidentiæ , amoris , & humilitatis , fideique vividiùs excitandos . Sic etiam eadem Mater Eccleſia , & alternatim canere Deo laudes , & in ipſa Miſſę celebratione plura alta voce ad æternum Patrem ordinata proferri jubet ; quin idcirco inducere aliquem poſſit in errorem turpiſſimum exiſtimandi, Patrem æternum humanis auribus inſtructum. Virtus enim Religionis expetit externum cultum , ut non mente ſolùm , verùm & Corpore Deum honoremus , cum utrumque habeat eſſe ab illo , eique propterea debeat grates rependere utrumque ſimul . Alioqui nec in Veteri Teſtamento canoris precibus exorare poſſet Deum ejus populus rudis , ne deciperetur putans Deum , cum nondum verbum carnem tunc aſſumpſiſſet , humanis jam auribus , ſenſibuſque cunctis pollere . Immò nec in nova lege Deiparam Cœlorum Reginam , & accolam , Salutatione Angelica alternis vocibus prolata alloqui poſſemus , ob ſimilia abſurda , cum è Cœlo audire nequeat materiales canentium , aut orantium voces .

Inſufficienter tamen reſpondetur , cum adſit apertum diſcrimen : quoniam ubi ſupponitur fide divina exploratum , Deum eſſe incorporeum , noſque tam penes corpus , quam penes animam eſſe illius facturam , extra dubium pariter eſt , clamores noſtros externos , ejuſdem clementiam immediatè exorantes , nec arguere poſſe , nec ſignificare per ſe materiales aures corporis in Deo ; & quidem ſive ante , ſive poſt incarnationem Verbi Divini gemitus hominum , aut vocales preces eorundem conſiderentur ; atque adeo ſcopum illius cultus externi eſſe aliquem ex inſinuatis ſupra , vel omnes ſimul , alioſque eiſdem affines . Conſimiliter , ubi præſupponitur lumine naturæ notum ,

tum ,

tum, & fide certum, vero Deo immateriali, & infinitè perfecto debitum eſſe cultum externum, beneficio cujus homiues ipſum colentes connectantur inter ſe externis ejuſdem Religionis actibus, Sacramentis, aliiſque viſibilibus ſiguis; manifeſtum eſt, omnia illa neutiquam per ſe ducere in errorem aliquem affigentem Deo Corpus, ſed denotare tantùm ſcientiam infinitam Dei cuncta percipientem, ejuſque omnipotentiam, & alia attributa in omni Prudentum judicio, & Populorum communi voto. Quantumvis per accidens poſſit alicujus malitia abuti religionis armis, illaque vertere in ipſius perniciem. Similiter dum Salutationem Angelicam alternatim proferimus; cum aliunde ſit notum Deiparam non eſſe præſentem realiter nobis, ſed Cœlis; nulla deceptionis occaſio adeſſe poteſt, quia ſolùm laudes illas percipere arguimus. Voce tamen & animo pſalimus, ut uterque in ejuſdem honorem occupetur, ut aliis exemplum exhibeatur, ob alioſque orationis vocalis & cantus, utiliſſimos, ſuaviſſimoſque fines.

Cæterum ubi ſermo, aut oratio per ſe ordinatur ad Deum hominem ipſiuſque humanitatem, deliteſcentem ſub ſpeciebus integrè, perfectiſſimèque, ſicut eſt in Cœlo. Ubi Sacerdos celebrans (& fidelis propè altare exiſtens) fixis oculis iu Euchariſtiam, quam manu premit, capite demiſſo, & pectore altè percuſſo, Chriſtum Dominum adorat, ut præſentiſſimum: cum aliunde nec fides palam docuerit, illum adeſſe ibidem ſurdum, nec lumen rationis id dictet, ſed magis oppoſitum ex ſuppoſitione ſtatus glorioſi: quouiam licet plurium Philoſophia (refragantibus aliis) neceſſariam credat extenſionem corporis ad operationes immaneutes eliciendas connaturaliter; Theologia tamen affirmat, deberi Chriſto Domino omne privilegium, tametſi per miracula aſſequendum, eidemque conceſſam virtutem inſtrumentariam effectricem miraculorum omnium per ſe conducentium ad finem conſervandi propriam vitam, ad Incarnationis fines, & Euchariſtiæ gloriam. Ubi, inquam, hæc concurrunt, evidenter arguunt, Corpus illud animatum, ſive humanitatem ſpeciebus velatam, quam alloquitur, auritam eſſe actu, & practicè, voceſque percipere auribus corporeis, futuram alioqui in exſtimatione prudentum irrationalem præfatam allocutionem, uti & illuſoriam. Secundò: quoniam aliter nec exindè inferri poſſet jure, Corpus Chriſti Domini quâ accidentibus tectum, & illis realiter præſens, fore animatum, prout ibi latens, perſpicienſque aure mentis preces fuſas à Sacerdote, & circumſtantibus: quia ſatis eſſet, divinitatem Corpori hypoſtaticè ibidem copulatam illas auſcultari; quod abſurdiſſimè concederetur vel ex hoc capite. Quemadmodum ſi immediatè poſt Chriſti Domini mortem, antequam ad Sepulchrum deſerretur, vel dum intra illud ſignatum jacebat, celebraſſet D. Petrus ſacrificium incruentum; imprudenter, importunèque Diſcipulus aliquis, vel ipſemet Petrus alloqueretur exangue Servatoris Corpus directè; etiamſi ad fervorem in aliis excitandum id efficeret: rideretur que potiùs, eo quod à mortuis exigeret auditum (niſi evidentia mortis ſenſibus percepta faceret, ut oratio intelligeretur per ſe ordinata ad divinitatem): quoniam licet verbum unitum Corpori perciperet infinita vi per intellectum divinum preces illas; cum tamen per ſe primò dirigerentur ad corpus inanimè, ſeu cadaver, irritas dicerent circumſtantes, potiùs quàm actum aliquem religionis, aut orationis Verbo dicatum, periuſas eas preces. Sicut namque mortuo inſultare turpiſſimum eſt, ita & mortuum, ut præſentem, & aſcultautem alloqui, ſtultum.

Num. 28. Arguo 2. opportuniſſimè ex verbis illis Pſalm. 39. ver. 7. *Sacrificium, & Holocauſtum noluiſti: aures autem perfeciſti mihi*. Quorum memoriam fecit Apoſtolus Hæbreor. 10. paulò aliter dicens: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*: quæ verba de ſacrificio altaris etiam intelligit Sauctus Auguſtinus iu enarrat. hujus Pſalmi, myſteriorum fœcundiſſimi: *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluiſti. Quid ergo? Nos jam hoc tempore ſine ſacrificio demiſſi ſumus? Abſit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideo illa noluiſti, ut hoc perficeres: illa voluiſti, antequam hoc perficeres. Perfectio promiſſorum abſtulit verba promittentia .... In hoc corpore ſumus, hujus corporis participes ſumus, quod accipimus, novimus, & qui non noſtis* (Catechumeui) *noveritis, & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit. Perfectum eſt nobis corpus perficiamur in corpore.* (Sic etiam alii Patres). verùm in quo ſenſu, aut quâ ratione æternus Pater perfecit Chriſti ſui aures in ſacrificio altaris? Profectò ſi de auribus mentis loqueretur, non ſolum eadem perfectione, qua pollent in Cœlo ejus aures, vigent in Euchariſtia, ſed & eadem connaturalitate etiam apud Adverſarios; juxta quos gaudet ſub ſpeciebus expedita naturaliter potentia intellectiva, & volitiva per uſum independentem à corpore, non minùs ac in Empyreo, cum ad operandum eo modo non requiratur extenſio quantitativa. Quodnam igitur foret illud mirabile, quod Pater contulit unigenito ſuo intra Sacramentum, perficiendo ejus aures, quod non conveniat eidem propriè in Cœlo exiſtenti? Aliud ſanè non eſt, quamquod litera ipſa exprimit; quòd nimirum auditum ipſius corporeum naturaliter incapacem percipiendi ſonum, eliciendique primò & per ſe actum auditionis pro illo ſtatu, per miraculum ingentiſſimum, perenneque, perficeret omnipotentia, itaut non minùs diſtinctè, nec minùs acriter clamores, noſtroſque ejulatus, & lacrymarum voces (uti & harmo-

moniam cæleſtem (per illius ſpecies infuſas) ſi libuerit interdum quamquam immenſo intervallo diſtet ſonitus) percipiat, quàm audiat ſonum proportionatum auribus, intra earundemque ſphęram connaturalem ex Empyreo.

Inſigue autem hoc beneficium perſiciendi ipſius aures pro eo ſtatu, tanti momenti eſt, ut noluerit Chriſtus Dominus ſilentio illud obvolvere. Quocirca, ſicuti de ipſo dictum eſt, bene omnia fecit, *& ſurdos fecit audire, & mutos loqui*. Ita ipſe Patris benignitatem erga ipſum, & potentiam extollens, indicat, æternum Patrem non ſolùm benefeciſſe præbendo ſurdo auditum, ſed & perfeciſſe modo alias inaudito. Idque ipſum invenitur ſufficientèr inſinuatum per alteram ejuſdem verſiculi expoſitionem: *Corpus autem aptaſti; aut perfeciſti mihi*: cum enim, quà ſacramentalitèr exiſtens ſit ineptum functionibus vitæ ſenſitivæ exercendis naturali virtute; illud nihilominùs ita divinitùs aptum reddidit, & miraculosè diſpoſitum, ut in eas erumpere valeat pro libito. Propterea grates Patri refert quammaximas, eo quod corpus adaptaverit ipſi, perfeceritque ejus aures, in Euchariſtia; tametſi id non appareat. Porrò ſicuti in Paſſione, uti prædixerat ejus nomine Regius Vates Pſalm. 37. ſe geſſit velut ſurdus: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam .... & factus ſum tanquam homo non audiens*: eo quod obmutuiſſet; non alitèr ac ſi nullatenus opprobria in ipſum jaculata perciperet aure, ut S. Auguſt. ibi declarat: ſic in Eucbariſtia, quæ eſt Paſſionis memoria, & repræſentatio, ita adeſt præſens, ut appareat quidem non audiens, ſive ad inſtar ſurdi exiſtens; reverà tamen acerrimi auditus de facto ibidem eſt.

§. II.

Num. 29. NON eſt cur ſubjectam cauſam multis rationibus, aut argumentis agam, cum illa fuerint abundè expenſa univerſim Diſp. 2. Delibauda tamen ſunt nonnulla peculiaritèr auditum concernentia. Cum euim ſenſus iſte ſecundùm dignitatis locum obtineat poſt facultatem viſivam, reliquos ſenſus ſanè vincens utilitate, modo, & excellentia. Cumque aliundè certum ſit illud D. Thomæ in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 1. *Potentia conjuncta actu eſt perfectior, quàm non conjuncta; ſed natura humana eſt in Beatis in maxima perfectione: ergò erunt ibi omnes ſenſus in ſuo actu*. Deindè art. 2. *Vicinius ſe habent ad animam potentiæ ſenſitivæ, quàm corpus; ſed corpus præmiabitur, vel punietur propter merita, vel demerita animæ: ergò omnes ſenſus præmiabuntur in Beatis, & punientur in malis &c.* Compertum videtur, & legitimè deductum ex mente D. Thomæ, auditum in Chriſto Domino omnium Beatorum perfectiſſimo, immò omnium collectionem excedente inſuito propemodum intervallo, eſſe non poſſe perfectum, & undique beatum in Euchariſtia, ſi fuerit privatus exercitio actuali audiendi. Et quidem duplici ex capite malè ſe haberet ſub ſpeciebus: & quia ſenſus ille careret perfectione actus ſecundi, quo completur, & perficitur: & quia privaretur delectatione ſuaviſſima ex concentu, & harmonia inexplicabili reſultante, ut notat ibidem S. Thomas ad quæſtiunc. 4. in reſponſione ad quartum ubi adſtruit laudem vocalem in Beatis poſt reſurrectionem: *propter perfectionem ſenſus, & delectationem*: Quod verò perfectionem illam actualem minimè poſſideat in Sacramento Auguſtiſſimo concomitantèr, conſtat ſatis ex dictis Diſputat. 2. ſect. ultima circa viſum, quæ à fortiori probant circa auditum, viſu rudiorem, ut valeat ſentire harmoniam extra ſphæram connaturalitèr illi deſtinatam, per hoc ſolùm, quod ſit propinqua, aut proportionata auribus in loco, ubi primò elicitur auditio.

Maximè cum ibi reſonet vicina, & per auditionem eandem replicatam in Euchariſtia deberet neceſſariò eodem pacto ſentiri, cum actus ille audiendi, illam propinquitatem ex ſe formalitèr deferat ad aures, quin mutari poſſit ejus natura. Tunc autem perſonaret, ut auribus vicina, cum reverà procul, ò procul ſonitus ederetur; quod deceptionis genus ablegandum ab auribus Salvatoris. Si verò ad ſphæram obedientialem, & miraculum confugiendum ſit; in primis non evitatur indicata difficultas: & rurſùs immeritò jam auditionem primò productam ex altari recuſares, quia miraculoſa eſſe deberet. Adeſt inſuper peculiaris alia ratio adſtruendi eam facultatem expeditam proximè ſub ſpeciebus, utilitas nimirùm quammaxima ex præfato Chriſti Domini uſu in nos redundans: & ex conſequenti congruentia, ob quam concurſus Dei miraculoſus ſit convenientiſſimus, ac ſubindè nequaquam otioſus. Namque orationes, hymnoſque canentium, uti & ſuſpiria clamantium in conſpectu Venerabilis Sacramenti exaudiri à Chriſto Domino corporeis auribus, & fideles hoc ipſum noſſe, tantam confidentiæ, ſpei, ſolatii, familiaritatis, & amoris parit acceſſionem; quantum ponderis viſum fuit Deo ipſi inſtituere arcanum hoc (uti & reliqua) ſub ſymbolis ſenſibilibus, proportionatis Eccleſiæ militanti, cujus membra, & individua, corporea ſunt, ideòque per ſenſibilia, viſibiliaque aſcendunt gradatim connaturali modo ad ſpiritualia. Ecquis autem in dubium vertat, ſenſibilia eſſe per ſe magis proportionata, & commodiùs eidem objecta, quam nudè ſpiritualia: illa enim imaginamur pro hoc ſtatu immediatiùs, & jucundiùs, & lumine intellectus agentis intelligimus connaturaliùs, ac ſubindè excitamur ad affectus circa objectum illud vividiùs. Alitèr enim movemur ad amandum objectum pulcherrimum, dum cogitamus

illud

illud ſenſibilitèr ita exiſtens, ac accendimur dum ad inſtar Juvenis, v. g., alati cogitamus purum ſpiritum.

Num. 30. Undè quamquam non experiamur ſenſibus, nec adbùc outibus, ipſum audire gemituum noſtrorum energiam, & veluti Rhetoricam; ipſa tamen notitia, ſive cogitatio auditionis materialis, & ſenſibilis ex parte Chriſti Domini juvat quamplurimùm animum ſenſibus immerſum ad prædictos effectus, & affectus concitandos. *Nunc autem*, inquit D. Thomas 3. p. q. 61. art. 4. ad primum: *Quando per ſpeculum, & in aenigmate cognoſcimus, ut dicitur 1. ad Corint. 13. Oportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna in ſpiritualia devenire. Quod pertinet ad rationem Sacramentorum.* Ideòque dum ſigna alia, in ſe ſenſibilia, eſſe nequeunt viſa, aut à nobis per alium ſenſum externum percepta; illa tamen cogitata ut ſenſibilia conferunt non parùm ad commovendum appetitum ſenſitivum. Sanè loqui cum amico auſcultante ex loco occulto, tametſi loquens ſciat, illum nihil reſponſurum ore auditis, ſolatium eſt quammaximum amici loquentis, etiamſi ſcripto, aut alia via poſſet ipſum certum facere de eiſdem rebus, aut infælicitatibus propriis, de quibus cum eodem loquitur. Eſtque paritèr jucundiſſimum amico audienti, licèt aliundè noverit clariſſimè dulces amici quærelas, & earum cauſas: *ſe invicem diligentes*, inquit Ægydius Romanus quodl. 6. qu. 25. *In ſuis collocutionibus delectantur, & ſi nihil intenderent ſcire de conceptibus, & nihil intenderent per hoc addiſcere* (quia aliundè reſcirent prius) *ſed ipſa collocutio dilecti magnam delectationem facit. Dulcis enim eſt vox dilecti, non ſolùm ut illuminet mentem, ſed etiam quia refocillat auditum, & gaudium generat audienti.*

Quod gaudium procul omni dubio percipit Chriſtus Dominus ex dilectorum ſuorum precibus, laudibus, ejulatuque, & cum rumore aliquo cadente fletu. Ad modum, quo de Præcurſore dictum eſt, Joann. 3. *Amicus autem Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.* Noverat hoc quamoptimè Propheta Regius, qui, ut habetur 2. Reg. cap. 6. *Saltabat totis viribus apud Dominum .... David & omnis Iſrael ducebat arcam teſtamenti Domini in jubilo, & in clangore buccinæ &c.* Arcam verò teſtamenti figuraſſe Euchariſtiam cunctis exploratum eſt cum manna in ipſa cuſtodiretur. Coram typo igitur notiſſimo ſacræ Euchariſtiæ Choreas ducebat Regius Pſaltes: coram expreſſa figura ter Auguſti Sacramenti altaris perſonabat tubarum clangore regio illa, ut facem præferret, & exemplar fidelibus in conſpectu figurati: ut laudes Chriſti Domini quà cœleſtis panis, caneret Populus Chriſtianus: ut clamoribus noſtris pateret ad Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis & vini latentem aditus, nunquam occluſus, obturatus nunquam; ſin minùs ineptè canora voce, cantu, fidibus, ſurdum demulceres. Novit paritèr id ipſum Eccleſia Sancta, dum circumgeſtari juſſit Venerabile per Urbium plateas, vias, & loca publica ſolemni pompa ad inſtar triumphi, ut loquitur Tridentinum ſeſ. 13. cap. 15. ut victricem ex mendacio veritatem, ovantemque præſentiam realem Chriſti Domini in ipſo, repræſentet, unà cum vocum, & affectuum concentu harmonico, uti ex Clementina unica de Reliqu. & Venerat. Sanct. perſpicuum eſt: præcipit enim Urbanus IV. & ex eodem Clemens V. in Concilio Vien. ut feria 5. poſt octavam Pentecoſtes: *Turbæ fidelium propter hoc ad Eccleſias affectuosè concurrant, & tam Clerici, quam Populi gaudentes in Cantica laudum ſurgant. Tunc enim omnium corda, & vota, ora, & labia hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris: tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, pietas jucundetur.* Sed quorſum hi muſici plauſus, & rumores ad demulcendas aures obturatas? Quorſum pompa illa majeſtatis, & ſplendoris ad recreandos oculos caligine denſiſsima planè obcæcatos? Profectò rogaret Sacramentarius Catholicos, vehitur ne ſurdus, & cœcus eo apparatu gloriæ ad ignominiam, vel in pompam? Triumphum adornatis quammaximum, floribus undique, luminibus, gemmis, pretioſis veſtibus, ſimul cum modulationibus, & hymnis, ut circumducatis Corpus inſenſibile in actu ſecundo pro eo ſtatu, in quo circumfertur?

Num. 31. Noverat hoc S. Franciſcus Solano, decus Seraphicum, dum alta voce (Davidem imitatus) ſaltu, fidibuſque luderet ante aram ineffabilis Euchariſtiæ, credens omnino, ſonum illum jucundum fore, auribus Chriſti Domini: *totum decet*, ait S. Ambroſius: lib. 2. de pœnitentia cap. 6. *quidquid defertur religioni, ut nullum obſequium, quod proficiat ad cultum, & obſervantiam Chriſti erubeſcamus.* Noverat eandem veritatem Sponſa Sancta 2. Cant. Cantic. dum exultat de adventu Sponſi ad occultandum ſe intra cancellos Euchariſticos; dum adventare, ait, ad inſtar Capræ, viſus acutiſsimi, & hinnuli cervorum, qui, ut tradit Ariſtot. lib. 9. de natura animal. dum ſurripit aures, acerrimi auditus eſt, & fermè incredibilis; cum verò illas demittere velit, nihil illo ſurdiùs. Ex Philoſopho hauſit hanc notitiam Plinius, tametſi fabuloſis aliis immixtam. Ejuſmodi autem eſt Chriſtus Dominus in Euchariſtia, quia attenta virtute inſtrumentaria, comparandus meritò eſt hinnulo cervorum arrectis auribus; ſi verò conſideretur penes facultatem naturalem ſtatu inextenſionis impeditam, nullam auditionem actu elicere poteſt, eſtque ſurdior cervo ipſo aures demittente. Si vellet auſcultare, quæ in templo muſſitant homines adinvicem, vel dum ipſum deprecantur, nihil illius auribus acriùs, nihil vividiùs ad percipiendum ſonum; &

qui-

quidem vel à longinquo, novo alio miraculo ſaltem: dum verò nollet interdum ea virtute inſtrumentaria uti, nec vehementiſſimum ſonitum ſentiret, etiamſi templi, in quo adoratur, machina horriſono fragore, & impetu corrueret.

Hinc autem faciliùs dignoſcitur, & altiùs corde imprimitur id, quod lumina Eccleſię tantopere infigere altè voluerunt fidelium cordibus: quantæ nimirum enormitatis ſit peccatum turpiſſimarum confabulationum, ſcurriliumque, in templis, ubi adeſt ineffabile hoc Sacramentum: ad quod grande malum removendum, quod graſſatur impunè, præſentiſſimum remedium eſt, omnique alio efficacius, quòd ſibi perſuadeant fideles, ejuſmodi turpia colloquia, & mille titulis indigna, percipi à Chriſto Domino aure Corporea, melius quam mutuò percipiantur ab ipſis colloquentibus: exaudiri à Judice ſupremo, qui contemnitur peculiari ratione, cum ad ejus aures conſimilia proferuntur inſolenter, illo deſpecto: quique liberiorem illam ſandi, eo pręſente, licentiam horret, deteſtatur, vindicaturus, vel modò (ut non ſemel contigit) ictu fulminis, collapſu repentiuo templi, vel improviſa, & infauſta garrientium morte; vel accepto tempore opportuno. Idcirco Propheta Habacuc cap. 3. in quo de Chriſto Domino, ejuſque myſteriis præcipuis, loquitur (& quidem ad literam, ut docent S. Auguſt. lib. 18. de Civitate Dei cap. 32. S. Hieron. Theodor. Theophil. Rupertus, & alii, tum Patres, tum Interpretes) ait: *Domine audivi auditionem tuam, & timui*: Ubi quamquam per metonymiam intelligant frequenter Expoſitores rem auditam per actum audiendi, ſive per auditionem, media qua ſonus percipitur; ad literam tamen uſurpando vocem illam, juxta ſtrictam formalemque ejus ſignificationem, ſonat, & exprimit ipſam formalem operationem audiendi. Et aliunde, uti plures cum S. Auguſtino, ubi nuper, & Div. Bernardo, verba hæc Prophetæ intelligunt de myſterio Incarnationis; ita Expoſitores alii peritiſſimi eadem accipiunt de myſterio recondito Euchariſtiæ; maximè cum in eodem Cantico, paulò inferius dixerit: *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus*.

Cœterum quo jure verum eſſe poteſt, Prophetam audiſſe auditionem, & timuiſſe, cum ſonus ſit, qui audiatur, non ſoni auditio, quæ terrere ſolùm poteſt audientem per illam ſtrepitum ingentem, aut vocem minacem? Ecquid autem conducere valet ad horrorem incutiendum, quòd audiamus, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus abſconditum audientem; cum non idcirco auſcultemus malum aliquod ab ipſo nobis infligendum? Multum ſanè, quoniam nihil terrens magis, nihil magis frigidum pavorem incutiens (nihilque ex conſequenti, quod homo magis caveat) quàm abuti inſolenter, aut incautè etiam, effrænata lingua in offenſionem Principis Supremi præſentis, audientiſqu[e] & in ejuſdem deſpectum. Igitur ſi audia[nt] Chriſtum Dominum ex Euchariſtia reipſa muſſitationes illas, à loco, & ab honeſt[ate] alienas, adeoque ſi audiant ejus auditionem, [time]bunt, terrebuntur ita, ut ſubitò compeſc[entur] voces, obmuteſcet libertas illa indecens, nunquam toleranda, neque impunè abire permittenda, donec ora ipſa, quæ edidere prophana, aut indecora, perferant illicò lamenta. Quoniam *auris zeli*, ut dicitur Sapient. 1. *audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur*.

Num. 32. Negligendum non eſt hic argumentum depromptum ex eo, quod Chriſtus Dominus etiam quâ accidentibus obvelatus, ſit Caput Eccleſiæ militantis, ut fusè oſtendimus diſp. 2. caput autem ut perfectum ſit in eo loco, & ſtatu, in quo munia capitis exequitur, habere debet ſenſus expeditos, præſertim nobiliores, viſum, ſcilicet, & aures, ut ex Div. Thoma ibidem vidimus, cum in capite reſidere debeat ſenſus, qui excubent, ut dignè obire valeat munia capitis, ad quæ ritè exercenda facultates viſiva, & auditiva ſunt prorſus neceſſariæ. Quamquam enim caput illud myſticum appelletur reſpectu Corporis Eccleſiæ, & Corpus, cujus eſt caput, dicatur etiam myſticum; hoc tamen idcirco ſolùm dicitur, quia ſub ea ratione occultum, & veluti arcanum eſt; & inſuper quia unio utriuſque ſit tantùm, juxta vulgatam doctrinam, per fidem, & charitatem; vel quia illius ut capitis Eccleſiæ phyſica immediatè non eſt; non quia Corpus phyſicum non ſit, adhuc quâ myſticum, in ordine ſupernaturali, tametſi multitudine membrorum conſtans; & ex conſequenti phyſicum etiam caput, & quidem ſtrictiùs, cum ſit unicum phyſice, humanumque caput in ſe.

Rurſus, in quacumque acceptione, adhuc purè morali, uſurpetur laudatum caput, debet actu exequi officia capitis reſpectu Corporis, regendo, influxum, etiam phyſicum, præſtando in ſupernaturales gratias Corpori myſtico conferendas, per Sacramenta, tanquam per canales, aut ductus aureos. Debet igitur caput illud, etiam quâ deliteſcens in altari, binos ſenſus illos expeditiſſimos habere, oculos nempè, & aures ſummi vigoris; ne alioqui deforme ſit in ratione capitis, & imperfecto modo munera propria exerceat reſpectu ſui Corporis. Hæc vires ſumunt robuſtiores, juxta principia noſtra, apud quæ eadem realiter anima capitis per ſumptionem dignam Euchariſtæ remanet phyſicè realiter in Corpore, non ut informans Corpus, uti informat caput, ſed ut aſſumens Corpus illud; eique aſſiſtens, ut motor, modo exponendo diſp. 8. ſubindeque jam in vero aliquo ſenſu realiter uniuntur phyſicè caput, & Corpus myſticum: ut eo ſtrictiori titulo expediti eſſe debeant in capite oculi, & aures ad munia capitis perfectiſſimè exequenda reſpectu Corporis ſui myſtici. Et ſanè quemadmo-

... aliunde illuminatum homo cœcus, tam ideo inſtructus, ut nata mente ſupponat quidquid per oculos, & videat, & audiet; nihilominus tamen in ra- aures per propria capitis imperfectum ſine du- tione exiſteret caput illius comparativè ad Corpus, cujus foret caput. Ita à fortiori contingeret in re noſtra. Ergo licet Chriſtus Dominus ex Euchariſtia, quà caput Eccleſiæ etiam ex illa, contueatur ſentiatque auribus mentis omnia, quæcumque conducere poſſunt ad officium Capitis relatè ad ſuum Corpus myſticum, ejuſque membra; foret attamen imperfectum in ea ratione Capitis, ſi auribus Corporeis exaudire non poſſet preces, hymnos, gemituſque fidelium, ſive membrorum: non enim expeteret opportunè vocem ab Sponſa. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Cant. 2. quinimmo illuderemur ab Infidelibus, Sectariiſque, dum audirent nos clamantes ad aram; proferrent enim verba Habacuc cap. 2. adversùs illos, qui opem dormientium Deorum implorabant; *Væ qui dicit ligno: expergiſcere, ſurge lapidi jacenti: numquid ipſe docere poterit? Ecce iſte coopertus eſt auro, & argento: & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus*. Quòd autem habeat ſpiritum, ſive animam, ſi nihilominus incapax audiendi eſt, eodem pacto arguet fatuitatis clamores ad illum editos: forent enim vota noſtra in ſurdum locum miſſa, ut ſupradictum fuit (iterandum tamen, quia valdè opportunum). Quod reipſa expreſſit eleganter Horat. lib. 5. Odarum. Ode 2. *Quem vocem Divum Populus ruentis Imperii rebus? Prece, qua fatigent Virgines Sanctæ, minus audientem Carmina Veſtam?* Si autem preces fuſas ad Deam ſurdaſtram dicit inanes; ad ſurdum planè miſſas irrideret. Caſſiodorus lib. 11. Epiſt. 40. dum narrat Ulyſſem obturatis auribus percipere noluiſſe dulces, & exitiales ſimul, ſyrenarum cantus, ait, illum, *cogitaſſe fœliciſſimam ſurditatem*. Foret autem è regione ſurditas infeliciſſima, ita occluſas aures habere Chriſtum Dominum in Euchariſtia, ut miſerorum planctus exaudire minimè poſſet; id namque concipere, infamare videtur aliquatenus Providentiam.

Num. 33. Chriſtus Dominus igitur poſt parietem accidentium, & per Cancellos, ut deſcribitur ab ſponſa in Euchar. Cant. cap. 2. prælaudato, non ſolùm videt cuncta, quæ in Templo fiunt, ſed audit aure corporea omnia verba, quæ ibidem proferuntur. Neque ſolùm parietes audiunt, ut vulgus loquitur, verùm & qui poſt parietem adeſt; quid ergo mirandum, quod audiat intra parietem etiam latens? Porrò viſus, & auditus emittunt operationes longè magis intentionales reliquis ſenſibus externis, & propterea eorum uſus pertinet ad perfectum exercitium vitæ rationalis; qua de cauſa appellantur ſenſus diſciplinæ: conducuntque ſummoperè poſt Reſurrectionem corporum ad vitam beatam completiſſimè obtinendam, ut probat Doct. Eximius tom. 2, in 3. par. diſp. 44. ſect. 6. ecquid enim eſſet, fidem nonniſi per auditum habere poſſe aditum ad homines; & ſenſum auditus extiturum in Patria vita actuali, & fælicitate propria ſimpliciter deſtitutum? Si trium aliorum ſenſuum externorum privatum dicere velis Chriſtum Dominum in Euchariſtia; quin ideo vim ullam patiatur, aut moleſtiam, ſive poſitivè, ſive purè negativè uſurpatam: ut inde ſubinferas, nullam ſimiliter parituram inſuavem vitam, aut aſperitatem vitæ, privationem actualem uſus auditus, & viſus; inermem paritatem objicies nobis, proſtratam jam pænitus in allegato loco. Præterea diſcrimen inter duos illos ſenſus reliquorum Principes, & vulgus aliorum, craſſioremque operandi modum eorundem, notiſſimum eſt, & pervium cunctis. Quapropter licet Seraphicus Doctor in 4. diſt. 49. art. 3. qu. 1. opinatus fuerit, nullas futuras in Beatis operationes tactus, & olfactus, cui ſubſcripſere nonnulli, quos retulit P. Henao de Empyr. Cœlo Exerc. 30. & 31. & probabiliter Toſtatus in caput 17. Math. qu. 116. Quin & circa ſenſationes guſtus dubius apparet Sanctus Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. (quamquam reliqui Scholaſtici affirmativæ parti inconcuſſe adhæreant) nihilominus carere nullatenus poſſe Beatos, ſine diſpendio fælicitatis corporis, uſu libero, & jucundiſſimo potentiæ viſivæ, & auditivæ, tuentur iidem Doctores. Secundò: exercitium aliorum ſenſuum in Euchariſtia nullam afferre per ſe valet utilitatem nobis, ut compertum eſt; plurimam autem viſus, & auditus, ut patet ex copioſè dictis.

Inſuperque fideles altaribus adſtantes eſſe nequeunt objecta proportionata guſtui, tactuique Chriſti Domini, aut alterius Beati, itaùt in eis poſſit aliquatenus delectari, ut eſt manifeſtum, cum palatum cœleſtibus diſpoſitum qualitatibus, rudiſſimas ciborum noſtrorum deguſtare nequeat; etiam dum cibum trajiciat in ſtomachum vitali motu; ut fecit Chriſtus Dominus manducans poſt Reſurrectionem cum diſcipulis, & animadvertunt complures. Non ſic autem reſpectu viſus, & comparativè ad auditum, utpotè magis intentionales potentias, quæ proindè delectabiliter percipere valent objecta terreſtria, ad eum modum quo circa eadem objecta verſantur Intellectus, & voluntas Chriſti Domini, & cujuſcumque Beati, ceditque in gloriam, & in decorum illius, & in utilitatem Eccleſiæ militantis, illa percipere. Delectatur igitur Chriſtus Dominus ex Euchariſtia canticis, & laudibus divinis, precibus fuſis. Neque adolere thus Chriſto Domino in Euchariſtia, deſignat, aut arguit, ipſum odore illo recreari, illumque miraculosè percipere, tametſi gratiſſimus ſit illi affectus, quo emittitur, quique fumat ſuaviùs ipſo thure: quandoquidem modus ille honorandi Deum ſuffitu communis eſt, fuitque ſemper omni ſacri-

ficio;

ſicio ; nec per ſe poſtulat præſentiam realem illius, in cujus honorem crematur, ſed in ſigno, aut imagine ; cum vel in imagines Sanctorum in altari exiſtentes, reliquiaſve, Thura mittat Sacerdos. Nullo itaque ſpeciali modo, aut ſigno, incenſum adolemus Hoſtiæ Sacræ, qui ſignificet Chriſtum Dominum ſuffitum illum materiali ſenſu olfactus percipere ; quemadmodum ſignificat peculiari modo, ipſum auribus percipere preces, dum ipſum immediatè alloquimur: odor enim ex aromatibus, thureque aſcendens, rudis nimium eſt pro ſenſu glorificato, ut ex illo purè phyſicè percepto voluptatem capiat, cum cœleſtia aromata ſint ſublimioris naturæ, & ordinis delicatiſſimi, ubi omnia ſpirant *divinum vertice odorem*. Et cum aliunde neceſſarium foret miraculum, ad hoc ut eum ſuffitum odoretur Chriſtus Dominus ex Eucbariſtia, ſupervacaneum eſſet abſque utilitate noſtra, & ubi ex oppoſito nulla ſequitur beatitudinis jactura, illud poſtulare ab omnipotentia ; ſponſa enim debet currere in odorem unguentorum ſponſi, non autem è regione.

Num. 34. Iterum & tertiò: falsò ſupponitur Chriſtus Dominus privatus uſu trium reliquorum ſenſuum ſub ſpeciebus, ſi utatur illis in propria ſpecie, & ſede cœleſti; cum eoſdem circa objecta mox delibanda exercere valeat, quin deroget fidei noſtræ, ad arcanum hoc terminatæ. Ratio eſt perſpicua: quoniam vel actus illi, quos elicit in Empyreo, neutiquam deferuntur per concomitantiam ad altare ; & tunc illegitimè, & injuſtè objicitur nobis eorum privatio, ut arguens, inducenſque ſine abſurdo privationem exercitii potentiæ viſivæ, & auditivæ: cum privatio operationum trium ſenſuum, ſeù privatio concomitantię illarum, minimè arguat apud Adverſarios privationem concomitantiæ actuum potiſſimorum ſenſuum, viſus ſcilicet, & auditus. Maximè cum illarum privatio facilè compenſari valeat, uti ſæpe diximus; ſecus autem carentia harum, cum ſemper deficeret utilitas noſtra, ex illis cognitis percipienda ; & cum Cbriſtus Dominus ſit primarium objectum beatitudinis corporum. Vel præfatæ operationes infimorum ſenſuum ſtipari debent corpus replicatum, æquè ac actus ſenſuum nobiliorum ; & ſic eodem jure primò illas producere poteſt ex Euchariſtia. Non jam circa objecta mortalia præſentia altari, ut animadvertimus (in quo differunt à duobus ſublimioribus) ob ſummam improportionem, majoremque eorum craſſitiem comparativè ad ſenſus glorificatos, cum deberent attingi purè materialiter, non autem eo modo intentionali, quo attinguntur objecta per viſum, & auditum ; ſed circa eadem objecta, quæ percipiunt ſenſus illi in Cœlo.

Tum quia veriùs, connaturaliùſque eliciuntur primò in Euchariſtia, quam adducantur comitanter, ut planum fecimus circa ſenſationes alias. Tum præcipuè, quoniam odorem ſpiratura ſuaviſſimum omnia beatorum corpora (arbuſculæ rationales in fæliciori illa Arabia) è quibus diffundatur fragrantia mirabilis, tradunt ſæpiſſimè Expoſitores, & Scholaſtici ex D. Thoma, quos recenſet, & æmulatur Henao exercit. 29. cur igitur ſuimet corporis mirum odorem (rapientem poſt ſe cunctos) percipere non poterit Chriſtus Dominus divinitus ſub ſpeciebus, quamquam in præſentes minimè diffundatur, ne fiat miraculum in ejus diffuſione ex Euchariſtia (ſine quo nequit agere in objecta extrinſeca) in præjudicium fidei ? Conſimiliter ſaporem inexplicabilem ex temperie divinitus diſpoſita ; & veluti condita, primarum qualitatum in Beatis reſultaturum, & nullatenus ex aliquo extrinſecùs applicato, ſentiunt cum S. Anſelmo in Elucidario, cum D. Thoma in 4. diſt. 44. qu. 2. art. 1. (ubi mihi dubius neutiquam videtur quæſtiun. 4.), S. Bernardinus tom. 1. ſerm. 38. & tom. 2. ſerm. 65., Sotus, Medina, Ledeſma, Bellarm. Leſſius. Doct. Eximius, Lorinus, Barradas, & Juniorum multitudo. Pariter etiam puriſſimas aliquas operationes tactus exercendas fore à Beatis docent iidem Theologi ex Patribus ; operationes tamen potiùs accedentes ad modum ſpiritus, quàm corporis, & quas veluti permanenter eliciat, aut experiatur, independenter ab alio extrinſeco: erunt enim ibi in corpore *ſicut Angeli Dei in Cœlo*, ut docuit nos Chriſtus ipſe Dominus Math. 22. & quidem Angeli exuentes veteres alas, & corporum illecebras.

Num. 35. Sive id contingat, quatenùs una corporis pars vicinioris ejuſdem corporis partis cœleſtem temperaturam aliquatenus ſentiat, ut cum Leſſio de ſummo bono cap. 8. docent plures. Sive illa perceptio credatur ſita in perenni ſenſatione, quà partes corporis harmonicè diſpoſitæ ſeſe invicem experiuntur, ut cum Alphonſo diſput. 10. de anima opinantur alii, recurritque cum præcedenti diſcurrendi modo. Sive quia guſtus etiam ſpeciem quandam tactus includit. Sive juxta diverſas alias philoſophandi vias ; dummodò operatio hæc ſit ex illis, quæ perenniter exiſtunt in corpore glorificato, quæque illius fælicitatem integrant, ornant, & undique ſatiant: & ab agente extrinſeco per ſe non pendent. Et aliunde ubi qualitates illæ, aut radices depuratiſſimæ, utpotè immobiliter convenientes ſtatui Beatorum, adeſſe debeant ſub ſpeciebus panis, & vini, ab eiſdem oriri debent per ſe primò ſenſationes illæ, potiùs quàm adduci per concomitantiam. Præſertim cum ejuſmodi operationes, quo rudiores, eo ſtrictiùs poſtulent præſentiam phyſicam objecti, ſub ea ratione, & modo, quo illud attingunt: unde quæ eliciuntur in Empyreo ex mutua connexione partium in propria ſpecie quantitativn modo exiſtentium, ægrè conſervari poſſent in Euchari-

ſtia, ubi Sacramentaliter adſunt, ſaltem abſque miraculo; & conſequenter rejicienda non foret jam aſſertio noſtra, quia miraculum deſiderat, Si verò ab ipſis qualitatibus, à quibus oritur in Cœlo, conſervetur in Euchariſtia, jam illæ, quà Sacramentaliter præſentes agunt realiter conſervando; unde poterunt etiam agere primò producendo, ſaltem divinitus.

Juxta noſtra itaque principia, ſive qualitates ipſæ concurrant immediatè ex Euchariſtia, ſive Deus ſuppleat divinitus earum concurſum, poteſt jugiter Corpus Sanctiſſimum Chriſti Domini experiri ſeipſum: ſupplente pariter Divina Omnipotentia copiam ſpirituum, etiamſi aliundè ſupponatur in Beatis per ſe neceſſarium eorundem auxilium, vel è cerebro deſcendant, vel ex corde expeditiſſimè occurrant, itaût celerrimè diſcurrant, juxta diverſitatem operationum ſenſuum Corporis Beati: licet abſque alteratione corum diſcurſus exerceri debeat, ut ſcitè notavit Doct. Eximius tom. 2, in 3. par. diſp. 47. ſect, 6, Henao de Empyreo exercit. ultima ſect. 1. & paſſim alii; ponunt enim in Beatis ejuſmodi ſpiritus, ſive animales, ſeu vitales, incorruptos perſiſtenteſque ex parte ipſius potentiæ organicæ inter alias qualitates. Cum tamen illa ſit elevanda, ut erumpat in operationem propriam ex Euchariſtia, congruentiſſimè concipi poteſt divinus concurſus, eorundem ſpirituum concurſum ſupplens; quia ſemel ac concurſus divinus ſit neceſſarius, faciliùs, & veluti connaturaliùs cogitatur ille intenſior, quàm coucipiatur novum miraculum in concurſu activo ſpirituum materialium inextenſo modo, ſive per modum ſpiritus, præſentium; dicuntur enim per quamdam analogiam ſolùm ſpiritus ob ſuam nimiam ſubtilitatem, & agilem naturam, gueo vigore præditam. Sicut ventus conſuevit appellari conſimili jure ſpiritus, tam in ſacris literis, quàm in prophanis,

Num. 36. Hæc eſt miranda illa utilitas, quam externis ſenſibus Chriſti Domini ſacramentaliter præſenti competere jampridem mihi altè perſuaſum eſt; neque ab ipſa adſtruenda, ullis hactenus ab opinione contraria productis argumentis, aut tentatis abſurdis, dimoveri potui, nec hæſitatione aliqua judicium cunctabundus ſuſpendi: quemadmodum enim nulli credendum eſt, Chriſtum Dominum adeſſe ſub ſpeciebus ſine ſenſibus ipſis; ita credibile mihi nequaquam eſſe valet, adeſſe ibi abſque eorum uſu activo, ſeu eſſe quidem præſentes, non tamen expeditos proximè ad functiones proprias peragendas, ubi non reſultet nocumentum fidei, & ſcopo inſtitutionis. Immò & ſi dubius aliquatenus forem, cogitarem extemplo, reſolveremque id ipſum, quod monuit exequendum Subtilis D. in 3. diſt. 13. qu. 4.: *in commendando Chriſtum, malo excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*. Neque per exceſſum laudis aberrare timendum prudenter eſt in materia ſubjecta, cum privilegium, quod aſſeritur, nec repugnet fidei principiis, nec Patribus, nec adbuc abſolutè principiis Philoſophicis. Quia licet Philoſophia exigat ad ejuſmodi functiones vitales ſenſuum emittendas extenſionem connaturalem potentiarum (quod Nominales ſtrenuè, & conſtanter negant); verumtamen id fieri poſse divina virtute, & per miraculum, nec philoſophia gentilis oppugnat, cum ſupra illam ſit, & nullo pacto contra ipſam: nec Philoſophia Chriſtiana reſpuit, ſed adorat potiùs, cum fateatur ubique, id poſſibile eſſe jugiter omnipotentiæ. Quòd vero factum ipſum congruat ſatis Chriſti Domini decoro, ſtatui beatitudinis, fini inſtitutionis, & quantum nobis afferat utilitatis, colligitur abunde ex copiosè hactenus dictis. Eſt igitur ſacrarium, in quo cuſtoditur realiter præſens, & latens Chriſtus Dominus, illud, vel potiùs eidem ſimile, quod S. Parens Auguſt. ſerm. 28. de Sanctis, alloquens Deiparam, appellat: *Sacrarium exauditionis dum* inquit: *admitte noſtras preces intra Sacrarium exauditionis &c.*

§. III.

Nu. 37. AB externis ad internos ſenſus via facilis, plana, tuta (quamtumvis videatur acclivis) & re ipſa ducens indefectibiliter ex illis ad hoſce, ſubtiliores multò, amplitudine longè majore præditos, & aulæ regiæ nobilitatem ſapientes. Quapropter Ariſtot. lib. 1. de memoria, & reminiſc. dixit: *Unde patet, hæc omnia ad primariam illum principem ſenſum pertinere*, & diſputat de ſenſu communi, phantaſiaque, legendus quoque S. Auguſt. lib. 12. de Geneſ. ad literam cap. 26. Horum enim exercitium primò, & per ſe elicitum reperiri in Euchariſtia, compertum eſſe debet, & planè indubitatum, ex ſuppoſitione, quòd ſe activè exerceat Chriſtus Dominus ex illa per ſenſus externos. Quinimmò & præciſivè ab ea ſuppoſitione plures inſigneſque Theologi ex adverſariis ipſis, quos prælaudatos invenies diſp. 2. ſect. 1. ſtrenuè propugnant, Chriſtum Dominum ſacramentaliter exiſtentem elicere activè de facto ſenſationes internas; in ordine tamen ad objecta illa, quorum ſpecies antecedenter habeat in ſenſu communi, aut in ſinu organico memoriæ conſervatas, reconditaſque, miniſterio ſenſuum externorum, ubi extitit in propria ſpecie, acquiſitas, vel à Deo illi, prout in Euchariſtia præcedenter infuſas, ut eis utatur, cum libuerit. Et quidem connaturaliter ſe exercere putant per dictas ſpecies, eo quod neceſſariam minimè reputent extenſionem, quantitativamque præſentiam in ordine ad eas operationes, aut actus ex ſe nobiliores, & cum ſpiritualibus cognationis quodam vinculo adſtrictas. Quocirca nullus juſtè, nec conſequenter eas inficiari

ciari

ciari valet, qui ſemel operationes ſenſuum externorum admittat, ſaltem relatè ad objecta, quæ per externas ſenſationes ibi percipiuntur.

Ratio eſt : quoniam ad ſenſationes externas ſequuntur immediatè, & per ſe internæ adeo connaturaliter, ut, per ſe loquendo, oppoſitum contingere nequeat, adhuc in vivente ſenſitivo irrationali. Maximè cum ſenſationes internæ ſint veluti finis intentus per externas, inter quas, ſeu inter earum objecta diſcernit ſenſus communis, non verò ſenſus ipſe externus. A fortiori igitur id ipſum ac de externis ſenſibus affirmat opinio noſtra, aſſerendum eſt de internis ex hypotheſi à nobis ſtabilita circa exercitium actuale Chriſti Domini in altari per ſenſus externos. Quamvis enim ſenſationes illæ internæ, juxta modum philoſophandi plus arridentem nobis, neutiquam elici neceſſariò debeant per ſpecies productas, aut immiſſas à ſenſationibus ipſis externis, vel ſimul cum externis, vel ſolùm cum ipſo ſenſu interno, in quo recipiuntur; ſed concurrente omnipotentia loco ſpecierum, ut præcaveatur numeroſitas miraculorum, uti ſæpe dictum eſt : niſi ad ſummum pro illis internis ſenſationibus, quarum ſpecies ſupponantur aliunde conſervatæ in memoria ſenſitiva: quandoquidem jam illæ præſupponuntur modo inextenſo exiſtentes ſimul cum ipſa potentia; quin tunc ſuppleri debeat aliquis defectus complementi ex parte ipſius principii, aut objecti, quoad virtutem activam, ſed unice quatenus operantur, dum non adſunt modo connaturali, quæ difficultas ſuperanda eſt divinitùs in potentia ipſa, ſubindeque congruenter ſatis concipitur virtus divina ſuperans præfatam repugnantiam ex parte modi pro ipſa potentia, ut completa, quaſi per modum unius. Verùm eo ipſo quod ſenſationes internæ conſequantur per ſe ad externas illas, debetur quaſi naturali jure ſenſui interno influxus in proprias ſenſationes circa eadem objecta præſtitus ab omnipotentia eliciente, & conſervante (ut probatiſſima Theologia loquitur): eſt itaque debitum connaturale ex ſuppoſitione illa; cæterum conſtitutum in ordine ſublimiori, & in linea vires naturæ per ſe excedente, ut exemplis indubitatis, & notiſſimis planum eſt. Et ſanè (uti ſæpiſſimè obſervatum eſt) ex ſuppoſitione viſionis beatæ debetur planè concurſus ad amorem beatificum, fruitionemque inexplicabilem, tametſi tam amor, quàm fruitio ſint operationes ſupernaturales, & propè divinæ, prętervolantes vires humanas, & Angelicas ſecundum ſe: viſio namque infinita vi rapit, amor immenſo pondere actus ſequitur, fruitio autem ſtat, gaudetque.

Num. 38. Accedit quòd alioqui inutiles ex integro forent ſenſationes externæ, & otioſa miracula in earundem emiſſione patrata, utpote incapaces inducendi ſenſus internos ad judicandum, diſcernendumque inter objecta mediis ſuis actibus; per ſenſus enim illos, tanquam per ductus artificioſos deveniunt tandem objecta ad intellectum, ut exerceri valeat liberum arbitrium erga illa. Eſſentque imperfectiores ſenſationibus externis brutorum, in quibus hæ invehunt neceſſariò illas viva quadam, & per ſe indefectibili connexione, & mediantibus illis commovent appetitum ſenſitivum, vel ad fugam, vel ad proſecutionem. Fieretque rurſus, ut nunquam ſenſuum externorum miniſterio, & opera, tametſi illi ſuas functiones perenniter exequerentur, poſſet excitari intellectus Chriſti Domini ad cognitionem ſpiritualem objectorum, quę per ſenſationes externas attingerentur, nec voluntas verſaretur unquam eo titulo circa illa. Secus autem admiſſis ſenſationibus internis ab externis provenientibus; quoniam tunc, licet opus non habeat intellectus abſtractione ſpeciei ſpiritualis à Phantaſmate; poteſt nihilominus per converſionem tantùm ad ipſum Phantaſma elicere cognitionem talium objectorum.

Præterea in ſpecie intelligibili, ultimaque, non invenitur difficultas illa multiplicitatis miraculorum, quæ urget in ſpeciebus materialibus, cum illa ſit purè ſpiritualis, & modo naturali exiſtens; quantumvis permittatur præſuppoſitivè concurſus effectivus partialis phantaſmatis in illam, qui à fortiori eſſet miraculoſus, eo quod concurreret, dum exiſtit modo non connaturali. Addendum, nec adhùc eſſe neceſſarium novum phantaſiæ actum in Euchariſtia elicitum, aut comitanter advectum ad cognitionem producendam ex eadem ſacra Euchariſtia, ut contendunt omnes illi Scholaſtici, qui cum Doctore Eximio laudato Diſp. 2. docent, ſufficere phantaſma ipſum, ſecluſa ſpecie intelligibili per illud inducta, ad hoc ut ob ſympathiam potentiæ intellectivæ radicatæ in eadem anima, ad operationem phantaſiæ commoveatur ſubitò intellectus ad ſe exercendum circa idem objectum: & quidèm ut moveatur ex Euchariſtia ſacra, tametſi phantaſma ſit tantum in Cœlo. Modo, quo movetur appetitus ſenſitivus ſæpiſſimè ad motum imaginationis; quæ non ſolùm phyſicè interdùm, ſed & moralitèr facit caſum. Ceſſarent itaque fines illi, quibus movemur ad aſſerendum, congruentiſſimum eſſe, quòd Chriſtus Dominus ſacramentalitèr præſens utatur de facto activè, aſſiduèque, ſenſibus externis; ſi internis deinceps minimè de facto uteretur : conſequentèrque omnia argumenta, quibus fulcitur, & promovetur illa aſſertio, militant eodem impetu vitalitati activæ ſenſuum internorum circa eadem objecta, quæ externis objiciuntur; & circa alia quoque. Cum aliundè ſenſationes, quibus attingantur, profectui noſtro, & fini Sacramenti utiles ſint, vel Inſtitutoris Majeſtati, & libertati congruant; cujus dignitas ſumma, & par decus, ſunt (ut in prę-

ceden-

cedentibus diximus) aurea illa menſura, qua metiri debemus Chriſti Domini privilegia, & gloriæ ſtadia propè infinita, quemadmodum arundine aurea menſus eſt Angelus Apocal. 21. Empyrei vaſtiſſima ſpatia.

Num. 39. Munitur ſecundò aſſertio præſens ex naturali ratione perfectionis ſenſuum internorum Corporis glorificati, quibus, ubicumque ſint debetur actuale complementum ſuorum actuum; ita ut illis omnibus privatos exiſtere, eſſet genus infælicitatis deplorandum intra ipſum fælicitatis ſinum, & gloriæ ſtatum. (Nec compenſatio adſtruenda eſt, niſi ubi privatio illa ſit per ſe requiſita ad myſterium, & ſines ipſius). Maximè cum non poſſint obtinere concomitantèr in venerabili myſterio ſenſationes internas reſpondentes externis, terminatas ad objecta in Cœlo viſa, auditave, ut vidimus ex mente Divi Thomæ non ſemel; eo quod ſenſationes illæ externæ pendeant omninò à propinquitate objectorum. Adeòque pars aliqua miſeræ vitæ foret, adeſſe Chriſtum Dominum præſentem realitèr ſub nubecula accidentium objectis circum exiſtentibus, circa quæ per nullum actum verſaretur de facto, nec imaginari, nec illa in phantaſia repræſentare, nec illorum unquam ſenſibilitèr memorari (quæ ſunt operationes nobiliſſimi ordinis, cum potentiæ elicitivæ earum ſint per ſe neceſſariæ ad rationalem Mundum hominis regulatè, & prudentèr gubernandum).

Neque tandèm fructus illos colligere, quos præſentia ſua Sacramentali formalitèr uſurpata intendit; quia omnis alia notitię, ſeu cognitionis ſpecies, terminata ad eadem objecta, æquè habeatur ex Empyreo. Si autem non circa objecta illa, prout ſenſibus percepta; ſed vel circa alia cœleſtia, vel circa ipſa ſecundùm ſe, & præciſivè à notitia illorum comparata per ſenſus externos per ſpecies infuſas, introducere velis concomitantiam ſenſationum internorum ſenſuum, ne alioqui vitali ea perfectione careant; incidis in ea omnia in ſuperioribus producta adversùs concomitantiam ſenſationum externarum: & rursùs non evadis difficultatem inſinuatam; quòd nimirùm vel immaturè præcidantur, vel attenuentur, eximii fructus illi, quos ſua pręſentia viva, & amoris plena decerpere intendit Chriſtus Dominus inſtitutione divina hujus ſecreti.

Munitur tertiò: quoniam Salvator noſter, ut velatus ſpeciebus in altari, eſt actu de facto principalis Sacerdos; ſed eo ipſo neceſſariò habet uſum activum ibidem primò exercitum ſenſuum internorum circa objecta Sacrificium altaris, quod hic & nunc offertur, concernentia, vel quia ſimul cum Sacerdote offerunt: vel quia poſtulant, aut dederint Miſſæ ſtipendium: vel quia aſtiſtunt purè Sacrificio. Ergò Chriſtus Dominus prout ſacramentalitèr præſens altari exercet actu ſenſus internos, primò & per ſe producendo, quâ ibidem exiſtens, eorum actus. Major ſirmanda multis validiſſimiſque argumentis nobis eſt Diſp. ſequenti, à quibus propterea ſuperſedendum hic. Minor verò nervosè ſtabilitur: ſiquidèm unanimi Patrum ſenſu, uti & rationis ductu (ex ſuppoſitione principiorum ſidei) exploratum eſt, Chriſtum Dominum, (ut ibidem copiosè oſtendam) eſſe ſummum Sacerdotem ſecundum quod homo eſt, quia per humanitatem munus illud exequi debet, licèt Perſona Divina ſit, cum in ea acceptione ſit mediator inter Deum & homines, ſitque capax ſacrificandi Deo tanquam ſupremo omnium Domino; non verò quà Deus formaliter, & veluti in recto; alioqui poſſet Deus ut talis offerre ſibi ipſi Victimas, & Sacrificia, ſeque ipſum agnoſcere tanquam ſeipſo ſuperiorem, quod abſurdiſſimum foret, & nugatorium, computaturque error hic inter maximas, & inſignes Calvini ineptias, ſi primatum non occupat inter omnes; quantumvis ſint complures, quæ de principatu decertent inter ſeſe.

Num. 40. Semel autem ac fatendum ſit, Chriſtum Dominum ſacramentalitèr altaribus præſentem exequi immediatè per Humanitatem munia Sacerdotis principalis, eadem proprietate, & rigore ipſo, quo Victima ſimul eſt, non multùm negotii faceſſere poteſt plena minoris comprobatio: ſiquidèm cum intentio, oblatio, & alii actus Sacerdotis immolantis ad Aram, ſint prorsùs neceſſarii ad præexcelſum illud Sacrificii opus: cumque aliundè actus intellectus, & voluntatis rationalis independentes omninò, adhùc remotè, & quaſi in radice, à miniſterio ſenſuum, non ſint verè, ſtrictèque actus per ſe hominis, ſeu compoſiti humani, ſed animæ duntaxat; eo quod corpori nulla ratione ſubdantur, nec originem ab illo ducant, exiſtereque idcircò valeant in anima ſeparata iidem numero; propterea neceſſitate quadam conſecutionis dicendum eſt, actus per ſe neceſſariò ex natura Sacrificii ſenſibilis, ut Sacerdotis per humanitatem quà talem, exactos ad celebrandum, eſſe à fortiori ex parte aliqua dependentes à corpore, ſenſibuſque tum externis, tum deinceps internis.

Premitque urgentiùs, inſpectâ naturâ hujus Sacrificii incruenti, quod inſtitutum eſt ad repræſentandum cruentum, & ideo recolitur in illo memoria Paſſionis Dominicæ, ut ſummus ipſe Sacerdos præcepit efficiendum ſubalternis ſuis celebrantibus. Namque conſentaneum valde illius naturæ, inſtitutioni, & ſini eſt, ut per ſpecies illas ſenſationum internarum, quæ reſervantur (reſtitutæ in reſurrectione glorioſa) in memoria ſenſitiva, exerceatur recordatio illa paſſionis, & Sacrificii cruenti, de quo fuſior redibit ſermo diſp. ſequenti. Quapropter non incongruè diceretur, Eccleſiam Sanctam, dum in oratione propria hujus

myſte-

myſterii ait: *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti &c.* non ſolum iutelligere memoriam objectivè uſurpatam ex ſigno, & ſacrificio incruento, excitante in nobis memoriam cruenti; ſed actum ipſum formalem rememorativum paſſionis exiſtentem ſubjectivè in Chriſto Domino, quà Sacerdote immolante, celebrare principaliter.

Munitur quartò ab abſurdo ex oppoſita opinione ſcateute: quoniam ſi Chriſtus Dominus quà ſub ſpeciebus occultus ſolùm videat, audiatque, objecta per operationes comitanter adductas è Cœlo, adeoque ſolùm imaginetur, appetat, recordetur, aut diſcernat ſenſu communi inter objecta, quæ ſenſibus externis ſubjacent in Empyreo; profectò ejus præſentia in altari, ſecundum quod homo eſt (uti alibi ſubinferebam) erit non tantùm purè materialis, adeoque abſentia potiùs in ſenſu formali, verùm & parùm digna, quam tanto amoris, & famę diſpendio (dum illam futuram prædicavit Joan. 6.) tamque ingenioſè divinæ profunditatis, & ſollicitudinis ſtudio, ſudoreque intentaret, & ſponſæ ſuæ ultimis ferè vitæ momentis tantoperè commendatam voluiſſet, tanquam ardentiſſimum charitatis exceſſum). Nam quà homo, & penes actus vitales homini proprios, & à Corpore aliquatenus oriundos, totus eſſet in aliis objectis, negligeretque ex conſequenti adſtantes omnes (ad ejuſdem opem imploraudum aſſiduè venientes) non aliter ac ſi extaſim paſſus, aut alto ſopore foret correptus; quamquam excubantibus ſcientia beata, & infuſa, luminibus indefeſſis, & inextinguibilibus, quibus nos pariter intuetur è ſolio excelſo Empyrei; quin opus eſſet Euchariſtia ad eo modo invigilandum, & Eccleſiæ Sanctæ providendum. Demum qua proprietate dixiſſent Patres, & ex eis ſæpiſſime Divus Thomas, præſentiam hanc velatam relictam fuiſſe nobis, ut ſubſtitueret abſentiam ejuſdem Chriſti Domiui in propria ſpecie? Ecquod eſſet ſolatium contriſtatis Diſcipulis ob diſceſſum præſentiæ vivæ, & ſenſibilis; non ſolùm præſentia inſenſibilis, ſed emortua, & ad humanum commercium, etiam paſſivum nobiſcum prorſus inepta?

Num 41. Minùs ſufficienter verò reſponderetur, eam præſentiam Humanitatis, quam appellamus non humanam, ſed materialem, & emortuam, eſſe admodum nobis proficuam, cum ex illa, & vi illius longè ſpecioſa dona infundantur communicantibus, dicente Seraph. Doct. in 4. diſt. 10. art. 1. quæſt. 1. fine: *Præſentia Corporis non auget Dei virtutem, ſed congruum eſt, quòd Dominus ſua præſentia Corporali aliquod munus ſpecialius tribuat: & licet non valeat illi, qui credit, eum, non poſſe operari, niſi ubi eſt Corporaliter, credenti tamen multum valet, ſicut multum valuit Zachæo præſentia Corporis Chriſti*. Eſſet enim reſponſio hæc multis titulis reſpuenda: & primò falleret, quatenus allegato teſtimonio inniteretur, cum in illo potius contineatur præſentia phyſica formalis, quàm materialis pura, ut vel ex ipſo Zachæi exemplo liquet, eujus domum præſentia ſua reali in propria ſpecie nobilitavit Chriſtus Dominus, non ſanè emortua, incapacique videndi, audiendi, & ſenſu commuui percipiendi Zachæum, ejus verba, Domum, & apparatum. Et rurſus cum idem Doctor Seraphicus prælaudatus, & productus diſp. 2. expreſsè docuerit: *Malè ſe habiturum* Chriſtum Dominum in Euchariſtia, ſi nou uteretur ſenſibus circa objecta propinqua; quibus verbis manifeſtè poſtulat, & adſtruit in Chriſto Domino ſub ſpeciebus panis, & vini præſentiam realem formalem, ac ſubinde uſum activum tam ſenſuum externorum, quàm internorum.

Secundò: tametſi permittatur, Chriſtum Dominum cum ea tantummodò purè materiali præſentia plus aliquid profecturum dignè ſumentibus, quàm ſi nullo modo adeſſet ibi realitèr præſens; ſed duntaxat figuratè, aut tanquam in ſigno. Cæterum id neutiquam probat præſentiam quaſi emortuam, & unicè materialem, cum non minus evideus appareat, futuram nobis longè fructuoſiorem formalem à nobis expetitam, & hactenus explicatam, quàm materialem ſolum. Tertiò. Quamvis gratis quoque permittamus, fructum non fore uberiorem; munera tamen ab ipſo, quâ homine, ſeu per Humanitatem exequenda in altari, Sacerdotis præcipui & immediatè concurrentis ad Sacrificium, Judicis, Sponſi &c. exigunt ex natura rerum, & ex ſuo conceptu formali expeditas facultates vitales ſenſitivas proprias uaturæ humanæ, quà talis. Neque poſſet concurrere Humanitas, ut inſtrumentum conjunctum, ad producendos effectus, fructuſque, quos ex Euchariſtia percipimus, cum indigno modo influeret, ſi vitaliter non concurreret, & quidem vitalitate propria hominis, ſecundum quod homo eſt, vel propria Humanitatis, quæ eſt inſtrumentum. Quartò: quoniam etſi nihil inde pateretur utilitas noſtra; dignitas tamen, majeſtas, & decorum Chriſti Domini jacturam irreparabilem experirentur, ut multis perſuadere conati ſumus in præcedentibus; ubi dirutum reperies quidquid nobis objici fuco aliquo rationis poteſt adversùs actualem, crebrum, & plurimis teſtimoniis commendatum uſum activum ſenſuum erga objecta altari propinqua, quæ per oculos, aut per aures percipiuntur, & per januas illas, aut feneſtras, ſive potiùs per ſcalas aſcendunt ad interiora Palatii, exindeque per ſenſationes internas introducuntur tandem ad uſque penetralia mentis, & adyta ſecretiora rationalitatis.

Num. 42. Fulcitur quintò verbis Pauli ad Hæbreos cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitu-*

dine

Digitized by Google

dine abſque peccato . Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ , ut miſericordiam conſequamur . Poteſt igitur ſummus Sacerdos noſter in altari deliteſcens, veluti in Throno miſericordiæ , & gratiarum , exaudire gemebundas preces , & facunda miſerorum lamenta ; ita ut eis auditis , & ad ſenſum internum illicò appulſis , moveatur ejus appetitus ſenſitivus , viſceraque miſericordiæ Sacroſanctæ Humanitatis ad ſubveniendum enixè , & fiducialitèr amanti . Illatio hæc aptiſſimè deducitur ex verbis Apoſtoli : namque primo loco compertum videtur per Thronum gratiæ , ubi Pontifex , quem adire nos adhortatur Apoſtolus , aſſiſtit , non intelligi ſolùm Empyrei locum , ubi ſedet ad dexteram Patris in Throno gloriæ , ſed inſuper Thronum etiam Euchariſtiæ . Tum quia Euchariſtia & eſt , & appellatur bona gratia , eamque ex Euchariſtia cauſat in nobis , ac ſubinde gratiæ Thronus eſt omnimoda cum proprietate . Tum quia , cum non minùs realiter integerque ſit Chriſtus Dominus in altari , quàm in Cœlo , & in altari ſit vicinior phyſicè , non minùs frequenter , ſed frequentiùs recurrunt fideles ad ipſum in Euchariſtia in ſuis ærumnis , ſive afflictionibus quam ad ipſum mente , quâ in propria ſpecie micantem . Tum præterea , quia Pontificatum ſuum , de quo loquitur Apoſtolus exequitur etiam , & præcipuè ex altari , ut ex mente Patrum planum faciam diſp. 4. Maximè cum initium capitis ſequentis ejuſdem Epiſtolæ , *omnis namque Pontifex*, demonſtret connexionem cum verbis productis , quibus finitur caput 4. & aliunde in cap. 4. differit de ejus Pontificatu , aut Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech , atque adeo de ſacrificio exercendo in altari : Euchariſtia ergo eſt Thronus gratiæ , quem adire nos hortatur Apoſtolus.

Tum 5. quoniam adire Thronum ipſius prout ſedet in regia cæleſti ad dexteram Patris , poſſumus mente ſola , pro ſtatu viæ ; Thronum verò regale ipſius , quâ ſub ſpecie aliena præſentis altari , & mente , & ſimul corpore adire poſſumus ſemper . Jam verò quod ille è Throno Euchariſtico non tantùm condolere valeat , aut compati infirmitatibus , ſive malis noſtris per actus merè ſpirituales , cum organis , & corpore nequaquam communicantes ; verùm & ſimul per operationes ſenſus interni , appetituſque ſenſitivi , è quorum actibus reſultat mox cognitio , & effectus rationis in voluntate ſpirituali , liquet ſufficienter ex eo , quòd verba Pauli repræſentant Chriſtum Dominum paratum ad condolendum (ablata ſanè moleſtia , aut mæſtitia compaſſionis , cujus modo non eſt capax) compaſſio autem per ſe primò accepta in homine , eſt actus appetitus ſenſitivi ex aprehenſione de calamitate alterius, excitatus , quocum dolet, & cui ſubvenire optaret : ex quo excitatur confeſtim (ut dictum eſt) cognitio ſuperioris potentiæ , affectuſque illi reſpondens , eandem opem miſero ferre deſiderans , ſi ærumna ſit capax curationis. Id autem ſignificare verba Pauli , conſtat ex radice hujus condolentiæ , quam exprimit ſitam in eo, quod noverit experimento doloris proprii condolere aliorum malis: hæc autem experientia manifeſtè involvit ſcientiam experimentalem Chriſti Domini ; & quidèm non ita ſolùm , ut purè objectivè attingat per ſcientiam independentem à corpore , ſpecieſque jam non dependentes à phantaſmatibus , acerbiſſimos paſſionis ſuæ cruciatus , quatenùs memoria ſpirituali reminiſcatur illorum ; verùm etiam per actus memoriæ organo ſenſorio inhærentis , in qua repoſitas cuſtodit ſpecies terribilium illarum ſenſationum , quarum meminiſſe juvat modò ad gloriam: quæque propterea nequeunt non excitari connaturalitèr (ut in ſimili opinantur multi cum Doctore Eximio) utpotè adhærentes potentiæ radicatæ in eadem anima , in qua memoria ſpiritualis ; vel ſaltèm poſſunt voluntariè excitari , eſtque congruentiſſimus hic commiſerationis modus relatè ad hominem afflictum.

Eundemque ſenſum reddunt verba , quæ cap. ſequenti protulit Apoſtolus , dicens: *Didicit ex iis , quæ paſſus fuerat* . (Et ſanè ejuſmodi recordationis actus elicit proculdubio , ultra operationes illas ſenſuum internorum, quibus percipiat mala recurrentium, & clamantium ad ipſum): prædictas autem ſpecies horridarum ſenſationum quondam , quamquam depuratas modò ab omni ratione (ut obſervatum eſt) effectiva præſentis mœſtitiæ , ſed merè præteritam recordantes, cum præſenti propè infinita jucunditate ; conſervari modò à Chriſto Domino extra dubium eſſe debet ; cum ſcientiæ experimentali , quam actu poſſidet Chriſtus Dominus inſerviant ; & eum in Sacrificio altaris memoriam faciat ſummus Sacerdos per actus hominis quâ talis duriſſimæ illius quæſtionis uſque ad ultimum vitæ ſpiritum, & ultimum Victoriæ punctum.

Num. 41. Novit itaque quamoptimè Pontifex noſter , & Salvator artem miſerendi , quia illam didicit ab incunabilis uſque ad extremum vitæ , in quo emiſit ſpiritum victricem , ſuperata ingenioſitate rara crudelitatis: ac proinde eadem via, eiſdemque ductibus, quibus miſericordiam didicit , eam exercet . Deinde illam didicit per omnia afflictionum , & ærumnarum genera . Ideoque animadvertit Apoſtolus , fuiſſet tentatum per omnia *pro ſimilitudine* , id eſt ſimiliter, vel pariter ac nos , ut ex Græca, & Hæbraica lectione exponit à Lapide. Undè cum dolor noſter ſit motus appetitus ſenſitivi, dum Chriſtus compatitur infirmitatibus noſtris, quia ipſe ſimilia, quantumvis longè atrociora , paſſus eſt ; non duntaxat commiſerationem exercet per actus ſuperioris partis animæ purè ſpirituales ,

per

per illoſque meminit tantùm; ſed & ſimul per potentias ſenſitivas recordatur, & miſeretur, ut ſic congruat magis commiſeratio afflictioni, & medicina (aut ejus cauſa) ægritudini, ægrotoque.

Conſtat ſecundò: quoniam compati, aut condolere exprimitur græcè verbo ſignificante idem ac: *ſenſu alieni mali tangi, & affici*; ut notat Cornelius à Lapide ad eum locum; atque adeò importat per ſe actum aliquem Potentiæ ſenſitivæ compatientis (reſecatis imperfectionibus) è quo ſuboritur rationalis; ſin aliter illegitima foret cauſa à Divo Paulo inſinuata condolentiæ illius: quia videlicet ipſe fuerit tentatus per omnia, paſſuſque fuerit conſimilia; quia ſi ſemel nonniſi per actus purè ſpirituales objectivè terminatos ad paſſionem ſuam compati poſſet actu, irrita foret, aut impertinens experientia ſenſibilis cruciatuum ad condolentiam, & quòd ex illis didiciſſet; quandoquidem ſolùm meminiſſet illius objectivè per notitiam aliundè habitam, vel infuſam, vel beatam: ad eum modum, quo Deus ipſe commiſeretur noſtri, videns afflictionem Populi ingemiſcentis, præſertim dum ſubvenit ex meritis Paſſionis Chriſti Domini. Quid igitur juvaret, vel conduceret ad hoc, ut compateretur, didiciſſe ex propriis doloribus, ſi non moveretur ad compatiendum ex notitia, quam ſanguine multo didicit; ſed ex eo quod aliundè noverit mala noſtra, noſſetque, etiamſi experimento non didiciſſet compati? Si autem commoveri dicas ad coodolendum objectivè ex doloribus ab ipſo toleratis, quamquam præterita illa tormenta noſcat ſolùm per ſcientiam infuſam nunc, quoniam ſemper illa objectivè uſurpata movent, non compaſſurus forſan alioqui; verum dicis; ſed nequaquam ſatisfacis reflexioni elicitæ ex Divo Paulo: quia licet moveretur ex malis præteritis ad compatiendum, non compateretur tamen, quia *didicit* ex iis, quæ perpeſſus fuerat; *to* enim *didicit* ſignificat ex conceptu formali proprio cauſam de præſenti ex parte actus, & non purè ex parte objecti: exprimit enim doctrinam experimentalem, qua præditus erumpit in actum compaſſionis; quoniam ſi tantùm denotaret mala, quæ ſuſtinuit, è quibus excitetur ad commiſerendum, poſſet excitari commoverique, etiamſi nihil didiciſſet ex malis, quæ perpeſſus eſt, nullamque ſcientiam experimentalem comparaſſet; dummodò poſtea per notitiam aliundè habitam feratur intentionaliter in præteritam illam paſſionem. Et ſanè perfectiùs ita concipi movendum, manifeſtum apparet. Si ſubjungeres conſervari in memoria ſpirituali ſpecies merè ſpirituales relictas ex cogitationibus per ſenſationes illas acquiſitis, quæ licet in ſui prima productione penderent à ſenſationibus, iu ſui tamen conſervatione non pendent; jam prorſus alieuus non fores ab aſſertione noſtra, cum actus illi elicerentur per ſpecies ſimpliciter acquiſitas miniſterio ſenſuum internorum. Deinde, ſi ſemel manere debent ſpecies præfatæ, cur non ſpecies etiam materiales ſenſationum illarum in memoria organica, quæ immediatiùs crudelium vulnerum, & tormentorum vim repræſentant, ut remaneant exuviæ glorioſæ victoriæ, & ut poſſit erumpere in actus ſenſibiles etiam compatiendi? cur condolentiæ rivulum hunc exſiccare ſatagis, cum poſſit una cum alio defluere, & cum utriuſque curſus conjunctim connaturaliùs alluat miſericordiam?

Num. 44. Tertiò: quia Paulus agit de Chriſto Domino, ut Pontifice, qui ſcit compati, compatiturque infirmitatibus noſtris proindeque diſputat de compaſſione illius, ut homo eſt, per humanitatemque habenda: undè conſequenter diſputat de actibus compaſſionis aliquatenus hic, & nunc pendentibus à corpore, quibus Sacerdos ſummus ſenſu malorum Populi tactus impetrat nobis divinæ clementiæ effectus. Et tandem dum concipimus juſtum calamitate oppreſſum, confugientem ad aram, & Thronum Euchariſticum in gemitus, & preces effuſum, connaturaliùs aprehendit Populus adſtans, Chriſtum Dominum illius infœlicis ejulatum ſenſu percipientem, ut ſenſu ipſo miſeriæ afficiatur, condoleatque. Duo igitur per ſe requiruntur ad conſtituendam condolentiam, de qua Apoſtolus loquitur; unum eſt cognitio afflictionis, quam miſer homo patitur, & à qua impulſus adit Thronum gratiæ: alterum verò docta recordatio Chriſti Domini Pontificis noſtri propriæ, & ſæviſſimæ paſſionis: ex utraque enim oritur compaſſio à Divo Paulo expoſita. Ex utroque autem fonte luctus, & ſanguinis naſcitur commiſeratio præfata: ex primo, quia per ſe, & abſolutè in homine pio audiente, aut vidente alterius horrentem ærumnarum copiam, in qua auxilium ab eo poſtulat, commovetur appetitus ſenſitivus ad compaſſionem, in illoque appetitu reſidet humanæ clementiæ motus veluti primus. Ex ſecundo pariter ob nuper indicata, cum nonniſi quà doctus experimento proprio, & per doctrinam, quam duro illo Magiſtro didicerat verificari jure poſſit, quòd condoleat, quia *didicit*. Quam energiam præſefert Virgilianum illud Tyronibus valdè notum.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere, diſco.

SECTIO TERTIA.

Utrum Potentia loco motiva Chriſti Domini habeat de facto uſum aliquem activum proprium in Euchariſtia, in nullo derogantem fidei merito, nec libero Sacerdotis moventis arbitrio?

§. I.

Num. 45. INTACTAM, aut neglectam relinquere controverſiam præfixam, nec jus, nec fas eſt indaganti vitales operationes Chriſti Domini obvelati accidentibus Euchariſticis: maximè cum ejuſmodi operatio conferat per ſe, & integret ſacrificium incruentum aliquatenus; ſacrificium autem conficere, eſt primum Sacerdotis munus, & ex conſequenti Chriſti Domini, quà in altari exiſtentis, ſub quo ſtatu ſubire munia principalis Sacerdotis, veniente diſputatione dicemus. Cavendus attamen loquendi modus Durandi in 4. diſt. 10. qu. 3. quatenus innuit, Servatorem noſtrum ſub ſpeciebus, nec per ſe, nec per accidens moveri ad motum ſpecierum. Reipſa verò non aliud intellexit, quàm id ipſum, quod plures Recentes cum Cajetano tradidere, de quo infra. Conſentiunt itaque modò Scholaſtici in eo, quod Chriſtus Dominus moveatur in Euchariſtia ſemper ac Sacerdos movet Hoſtiam. Quapropter revocanda eſt nunc controverſia ad explorandum motorem, à quo ſcilicet moveatur, & quo modo? Qua reflexione curſim adumbrata, diſcordes in præſenti materia Scholaſticorum opiniones recenſere præſtat, ut ſic luculentiùs, diſtinctiùſque noſtra exponatur, & comprobetur.

Prima itaque celebriſque Scotiſtarum ſententia aſſerit, moveri quidem per accidens Chriſtum Dominum in Euchariſtia ad motum ſpecierum; cæterum nullatenus moveri à Sacerdote, nec ab alio Agente creato, ſed immediatè à Deo, quo non operante ſpecialiter, immotus perſiſteret (vel nec ſpecies moveri poſſent à Sacerdote:) eo quod nullam Chriſtus Dominus cum ſpeciebus alligationem phyſicam, aut nexum habeat, vi cujus trahi debeat neceſſariò, ſpeciebus alio migrantibus. Atque adeò ex pacto divino ſolùm, & inſtitutione hujus myſterii ſequitur neceſſitas extrinſeca motus in Corpore Chriſti Domini, dum moventur ſpecies, & ex conſequenti ad ſolum Deum pertinet, illum movere, cujus promiſſione infallibiliter ſpecies euntes, aut redeuntes, ſtipari debet. Ita Subtilis Doct. in 4. diſt. 10. qu. 6. Gabriel, Argentina, & Scotiſtæ quaſi agmine facto. Videndus Faber diſp. 31. Gavatius diſp. 5. qu. 8., quibus ſubſcripſere plures alii, inter quos Granados (tanquam valdè probabili doctrinæ) controv. 6. tract. 6. diſp. 2. num. 10. Mæratius diſp. 25. Platelius, Henao diſp. 7. ſect. 3. Rhodes, & Juniores non infrequenter. Secunda opinio videns ex una parte, motum illum neceſſariò futurum ſupernaturalem, atque adeò à nullo agente naturali propriis viribus producibilem, & ex alia fugiens miraculorum copiam, niſi ubi omnimoda neceſſitas, & aperta cogat, arbitratur, moveri quidem Chriſtum Dominum per accidens, infallibiliter tamen, ad motum accidentium, ſive intercedat unio phyſica ipſius cum accidentibus, ſive non; verumtamen nullo pacto recipi motum, nec ejus terminum in Corpore Chriſti Domini, ſed unicè in ſpeciebus ipſis, quæ poſſunt naturaliter moveri, ab illiſque locum commutantibus, dici, & eſſe verè motum per accidens Corpus Chriſti Domini. Hæc revera fuit Durandi mens, quamquam indè intulerit, & ſanè conſequenter ex ea falſa hypotheſi, minimè affirmandum, Chriſtum Dominum propriè moveri ad motum Hoſtiæ, adhùc per accidens; forſan quia putabat, præſentiam Servatoris eſſe tantùm ad ſpecies, ſubindeque invariabilem, indifferentemque ad omnes ſpatiorum locales præſentias (ut ſentit etiam P. Amicus, quamvis motum ipſum credat in Corpore Chriſti Domini immediatè receptum) ſic Cajetanus qu. 76. art. 6. P. Vaſquez diſp. 190. Henriquez, Ledeſma, Nugnus, Serra, Albertinus, Cornejo, Gonet, Ochogavia, Contenſonus, Salmaticenſes. Diſplicuit tamen vehementer reliquis Theologis præfata opinio, quæ, ſublatis vocibus, non aliter attribuit Corpori Salvatoris ſub ſpeciebus motum, quàm eo lato modo, & improprio, quo tribuitur interdum ipſi à Patribus fractio, purè per extrinſecam denominationem, & valdè laxam: uti & quòd dentibus atteratur, quòd calefiat, incaleſcente Hoſtia, & id genus quamplurima, quarum, vel omnes, vel pleræque ſaltem, nonniſi per metaphoram eidem convenire, oſtendunt contra Waldenſem, & alios, quos refert Bellarm. lib. 1. de Euchar. Doctor Eximius diſp. 47. Valentia, Cardin. de Lugo, & paſſim Recentes cum Alenſi, Victoria, Soto &c. & quod caput eſt cum Doct. Seraphico in 4. diſt. 2. art. 3. qu. 1. & Doct. Angelico eadem diſt. art. 3. qu. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. ibi: *Manducatio aliquo modo competit Corpori Chriſti, ſed non fractio ſeu diviſio*. Quemadmodum denominari nequit rotundum Corpus Chriſti Domini à rotunditate Hoſtiæ. Quin vel metaphoricam adhùc diviſionis appellationem refugit, ut loquuntur prælaudati Scholaſtici, Sacramentum unitatis, & concordiæ.

Num. 46. Solemnior modo opinio motum (uti & præſentiam motu comparatam) ſupernaturalem, & intrinſecè receptum in ipſo Chriſti Domini Sacro Corpore adſtruit, à quo, & ratione cujus dicatur verè, & pro-

prie

priè mutans præſentiam, localiterque moveri (eo modo, quo præſentia Euchariſtica appellari valeat localis; dummodo ſit fixum, illam eſſe formam realem intrinſecam, à qua, & per quam reddatur præſens ſpeciebus, & ſpatio, cui illæ adſunt) & quidem ſive intercedat unio vera, formalis, aut effectiva inter Corpus, & ſpecies, ut frequentius autumant hujus tertiæ ſententiæ Patroni; ſive neutra exiſtat; ſed duntaxat alligatio extrinſeca unà cum ſimultate præſentiarum. Adjungunt, dicendum nihilominus, moveri Chriſtum Dominum ſolùm per accidens ad motum ſpecierum, quia de lege ordinaria ex ſuppoſitione inſtitutionis, non aliter moveri valet, quàm motis ſpeciebus à Sacerdote, ſive agente extrinſeco. Pro qua doctrina allegant Doct. Angelicum 3. part. quæſt. 76. artic. 6. ſicut & Doct. Seraphicum, quibus adhæſere Capreolus in 4. diſt. 10. quæſt. 3. art 3. ad argumentum Durandi, Carthuſianus, Valentia, Major, Ricardus, Gabriel, Marſil., uterque Soto, Doct. Eximius, tum ubi ſupra, tum diſput. 53. ſect. 1. Arauſo, Card. de Lugo, Prado, Fagundez, Præpoſitus, Becanus, Mæratius, Gaſpar Hurtadus, Wigers, Conink. Caſpenſis, & innumeri alii. Qui ab invicem dividuntur circa principium creatum, ſive inſtrumentum, quod de facto elevatur à Deo ad eum motum, ejuſque terminum producendum in Corpore Chriſti Domini, dum ſpecies moveantur.

Quoniam plures cum Doct. Eximio diſp. 53. Mæratio, & Card. de Lugo docuerunt, ſpecies ipſas à Deo elevatas efficere per modum virtutis inſtrumentariæ motum illum ſupernaturalem Corporis Chriſti Domini, ſubſecutum neceſſariò ad motum naturalem ipſarum ſpecierum. Sive ſpecies concurrant per qualitatem aliquam inhærentem eiſdem; ſive, quod communiter arridet, ſeipſis immediatè abſque ulla conſimili qualitate per potentiam obedientialem extrinſecè elevatis ab omnipotentia. Pauci aliqui à neſcio qua qualitate alia impreſſa ad hunc ſinem Corpori Chriſti Domini. Fruſtra tamen ubi adeſt agilitatis dos, qualitas alia peregrina excogitatur. Non pauci ab ipſo Sacerdote elevato, & elevante Hoſtiam, & Calicem, fieri motum utrumque, & utramque præſentiam, tam naturalem ſpecierum, quàm ſupernaturalem Corporis Chriſti Domini, opinantur: ita Leſſius quæſt. 76. artic. 6. dub. 1. aſſerens communem eſſe inter Theologos, Becanus, Wirgers, Præpoſitus, Henao &c. Neque defuere qui putareot, dotem ipſam agilitatis (propriam facultatis loco motivæ Beatorum) eſſe virtutem productivam motus Chriſti Domini in Euchariſtia, & præſentiæ per ipſum comparatæ, dum ſpecies moventur à Sacerdote; ſicut receptum eſt in Theologia, competere Beatis Corporibus eam vim ſe movendi mirum in modum ex dote agilitatis derivatam. Quamquam enim Euchariſtia pœnes formalem conceptum præſcindat à paſſibilitate, vel impaſſibilitate Corporis Chriſti Domini, cum fuerit paſſibile tempore inſtitutionis; cæterum de facto, nonniſi impaſſibile, glorioſumque Corpus conſtitui valet ſub ſpeciebus: decretumque erat, ut poſt primam illam inſtitutionem in ultima Cœna, à nullo deinceps Apoſtolo conſecraretur; niſi poſt ejuſdem Corporis glorificationem, & aſcenſum in Empyreum.

Hanc ſententiam, vel potiùs doctrinam, cui prædicta ſententia innititur, hauriunt ex Doct. Subtili in 4. diſt. 10. quæſt. 7. Doct. Eximius adhærens huic opinioni, ſaltem quoad poſſibilitatem prælaudata diſput. 53. Becanus, Amicus, Præpoſitus, Wigers, & veteres aliqui apud Eximium ibidem, referentes pro ſe Div. Thomam. Ajunt enim, omne agens, quod, vel propria virtute, vel caſu, moveat Hoſtiam, elevari eo ipſo à Deo ad Corporis Chriſti Domini præſentiam effectivè inducendam. Quin & Scholaſtici alii, quos recenſet Mæratius, crediderunt, ab unione ſupernaturali Corporis Sacroſancti cum ſpeciebus produci ejuſdem Corporis motum. Demum non tantùm Nominales, Martinonuſque, verùm & Amicus partim, Gaſpar Hurtadus, Caſpenſis, & pauci Juniores rati fuere, præſentiam ſub ſpeciebus Corporis Chriſti Domini nullatenus eſſe entitativè ſupernaturalem, ac ſubinde provenire poſſe à quovis Agente movente naturaliter ſpecies, & ab ipſa Chriſti Domini anima per imperium voluntatis excitante phantaſiam, & appetitum ſenſitivum, potentiamque loco motivam ad vitaliter deferendum ſimplici motu Corpus, novamque præſentiam illi præſtandam. Adeo arcana ſunt nobis, quæ in arcano Auguſto latent, ubi fides non loquitur diſertis verbis, ut vel illa, quæ oculis percipimus, cujuſmodi eſt motus, circumgeſtatioque Hoſtiæ Sacræ, ſint penitus ignota conſpicientibus; ſanctèque numerari valent inter incerta, & occulta Sapientiæ Dei, nondumque nobis reſerata, ſed multiplici adhuc & denſa cortina tecta.

Num. 45. Noſtra ſententia præſupponens eum prope omnium doctrina ſupernaturalitatem præſentiæ, etiam ſucceſſivæ, Corporis Chriſti Domini ſub accidentibus, motuſque, uti & receptionem illius in Corpore Chriſti Domini immediatè, diſcordat à communi opinione, immo & à reliquis (ſi ultimam excipias ex parte) in principio effectivo prædicti motus, præſentiæque. Sentio namque, ipſum Chriſtum Dominum, ejuſque potentiam loco motivam animatam, utpotè inſtrumentum verbo intimè conjunctum, eſſe principium vitale elevatum producens de facto motum ſimplicem præfatum, ejuſque terminum, dum moventur à Sacerdote ſpecies, vel ab alio quocumque agente naturali. Et quidem ſive uniatur, Corpus cum ſpeciebus alligatione for-

mali, vel effectiva; ſive tantùm ex pacto Divino, ſimul cum intimitate præſentiarum. Ita tamen ut ex vi inſtitutionis, voluntatiſque Divinæ, & humanæ etiam ejuſdem inſtitutoris, nequeat umquam moveri, niſi motis ſpeciebus, nec gradum ſiſtere, niſi illis ſiſtentibus: quoniam hæc eſt veluti cauſa, aut conditio, cui ſe attemperare debeat Chriſti Domini motus, quæque prioritate attemperationis præcedit ratione noſtra operationem phyſicam Chriſti Domini, ideo ſe moventis, quia ſpecies moventur, de qua prioritate copioſè diſſerui tomo 2. Ænigm. Theolog. diſp. 12. ſect. 2. ex Ariſtotele 5. Metaphyſic. ſect. 13. & S. Auguſt. lib. 3. de libero arbitr. cap. 4. & lib. 5. de Civit. cap. 15. & propterea dicitur moveri per accidens ad motum Hoſtiæ, ſive *to* per accidens uſurpetur ex parte Sacerdotis moventis ſpecies, ſive ex parte Chriſti Domini phyſicè producentis motum: ex parte illius, quia motui naturali ſpecierum accidentaliter advenit, quod lateat ibi Corpus Chriſti Domini & adhuc ex ſuppoſitione quod lateat, per accidens eſt, quòd ſit ita alligatum ex præſenti Divina ordinatione: reſpectu hujus, quoniam non movetur à ſe, & per ſe, ſed unicè quia Sacerdos movet ſpecies; niſi reduplices ſuppoſitionem motus ſpecierum, & alligationem.

Hunc ſentiendi modum amplectuntur revera multi ex allegatis pro prima, & tertia opinione, quamvis disjunctivè ſolùm, quatenus ajunt, motum illum produci vel à ſolo Deo, vel ab ipſo ſimul cum ſpeciebus elevatis, vel cum ipſo Chriſto Domino quâ inſtrumento, organoque divinitatis. Sic Mæratius diſp. 25. Gregorius Rhodes diſp. 1. de Euchar. qu. 2. §. 3. fine, Becanus, Amicus, Fagundez, Henao diſp. 9. ſect. 6. num. 73. compluresque alii, tametſi obiter ſolùm: qui omnes preſſere veſtigia Gabrielis, Majoris, Ochami, veterumque aliorum, ajentium, Chriſtum Dominum in Euchariſtia, non tantùm Divina, ſed humana etiam ſua voluntate ſe movere phyſicè, quos refert Vaſqu. 3. p. diſp. 19. cap. 2. Non minùs verè recenſeri debent pro eadem aſſertione quotquot ſupra dotem agilitatis Chriſti Domini principium illius motus in Euchariſtia dixerunt, ad motum Hoſtiæ neceſſariò conſecuti (tametſi non omnes pro ea ſententia prællegati factum tueantur, ſed poſſibilitatem duntaxat aliqui;) cum dos agilitatis reſidere cedatur potiſſimè in facultate loco motiva: atque adeo motio illa neceſſariò erit operatio peculiaris Potentiæ loco motivæ Chriſti Domini quâ inſtructa dote præſtantiſſima agilitatis. Eximius, Suarez ea diſp. 53. ſect. 1. §. *dico tertio*, docet tanquam planè inconcuſſum, Chriſtum Dominum in Euchariſtia inſtructum eſſe poteſtate inſtrumentaria movendi ſuum Corpus miraculoſè, deferendo ſimul ſpecies; eo quod ſacroſanctæ Humanitati fuerit communicata omnipotentia ad patranda pro libito miracula, omnia, quæ conducere poſſint ad fines Incarnationis, Euchariſtiæ &c. Eaque facultate inſtrumentaria uſum fuiſſe interdum in ordine ad hoc determinatum miraculum, credit, evinciturque perſpicuè ex vita Doct. Seraphici. A fortiori igitur dum ſpecies moventur localiter à Sacerdote, poterit Chriſtus Dominus uti eadem virtute inſtrumentali, movereque ſeipſum attemperatè ad motum ſpecierum à Sacerdote productum. Niſi quod primum illud raro contigit, ne miraculi viſibilis aſſiduitate, & miracula vileſcerent, & langueret fides; ſecundum verò jugiter patrari debet, quoties nimirum Sacerdos transfert Hoſtiam ab uno in alium locum, & uno verbo, quoties ſpecies quocumque modo, aut caſu moveantur; hoc tamen inviſibile nobis eſt (licet motus Hoſtiæ videatur), proindeque miraculum, tametſi frequentiſſimum, vulgare non ſit, nec Fides ſancta à ſua nobilitate, ardua pariter, ac conſpicua, cadit.

Num. 48. Prænotandum verò, duplicem eſſe Potentiam motivam, juxta principia Doct. Subtilis in locis proximè allegatis; aliam organicam, elicitivamque motus progreſſivi, ordinatè movendo partem unam poſt aliam, quam experimur in nobis; alteram, quam appellat inorganicam, in anima etiam ſeparata perſiſtentem, & illius propriam, qua, uno veluti impetu, ex imperio voluntatis totum corpus penes omnes ejus partes ſimul movetur. Et hanc reſidere putat in anima independenter per ſe, & ſimpliciter ab organis; vi cujus anima à Corpore ſejuncta movere poſſit ſeipſam, & corpus etiam aliud impellere: quemadmodum Angelus pellere loco poteſt corpus, cui fiat virtualiter propinquus; & aliunde immeritò denegaretur animæ conſimilis nativa virtus, quamquam non in eadem perfectione, qua ineſt Angelo. Cum juxta Philoſophum ſecundo degeuaratione in fine. *Dignificanda eſt natura ſemper ſecundum melius, in quantum poſſibile eſt*: hanc in beatis poſt corporum reſurrectionem uſum habituram frequentiſſimum, aſſerit ibidem Subtilis Doctoris & Patres ſæpiſſime, præſertim S. Auguſt. lib. 13. de Civit. cap. 18. & lib. 22. cap. ultimo ibi: *cum ubi velit ſpiritus, ibi erit corpus*. Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 2. de Theologia (quamquam ibi obſcurè admodum hoc innuat) Tertullianus in Apologetico cap. 22. S. Laurentius Juſtinianus, Anſelmus &c. ex Scholaſticis imitantur Doct. Subtilem & ejus ſcholam, Eximius Doct. tom. 2. in 3. p. diſp. 48. & tom. 3. diſp. 53. ſect. 1. Tannerus, Leſſius lib. 3. de ſummo bono, & multitudo varia, & ingenioſa Recentiorum. Unde illam competere Chriſto Domino in Euchariſtia, utpote glorioſo, & beatorum omnium facile Principi, probat ibidem laudatus Doct. Subtilis; niſi quod virtus illa nequaquam ſit naturaliter potens ad moven-

vendum corpus inextenſum, & ſacramentali modo exiſtens: atque adeo, prout ſubeſt ſpeciebus, poteſt alia corpora propinqua, & quantitativo modo exiſtentia impellere, inquit Doct. Subtilis, non tamen proprium Corpus naturaliter, quod à ſolo Deo idcirco moveri ad motum Hoſtiæ opinatur. Eandemque vim tribuit animæ, quà informanti Corpus noſtrum paſſibile, quamvis proxime expedita pro nunc minimè ſit; eo quod partes corporis non ſint diſpoſitæ ad motum recipiendum unà omnes, ſed ordinatè, & diviſim.

Ut autem noſtra aſſertio, mox ſtabilienda, locum habeat nihil intereſt, quòd prima illa organica virtus, aut facultas, ſit quæ elevatur, vel inorganica potiùs hæc; dummodo ad motum eliciendum excitetur ſimul appetitus ſenſitivus phantaſiaque, ut vitalis ſit (in radice, aut principio) vitalitate propria compoſiti humani, ſive hominis, quâ talis. Cum enim Potentia ea inorganica, tametſi in ſeipſa ſpiritualis ſit, terminativè tamen ſit corporea, aut materialis, ut latè convincit ibidem Doctor Subtilis, conſequenterque ejus impulſus, utpote corpori impreſſus, materialis ſit omnino, etiam dum à Potentia purè ſpirituali profluit; neceſſariò, vel ſaltem congruenter, vitalitas illi correſpondens, dum anima impellens corpus, corpus informat, debet eſſe materialis etiam ex parte; quia ultra imperium merè ſpirituale concurrit ſenſus, & appetitus ſenſitivus. Ideoque licet juxta Scoti fundamenta, effectio illa ex Euchariſtia miraculoſa non foret, quâ emanat à potentia ſpirituali, quæ extenſione non eget ad operandum; miraculoſa tamen eſſe debet, & qu motus corporeus recipitur in corpore inextenſo, & quia excitari debent ad prædictam operationem phantaſia, & appetitus materialis, incapaces naturaliter producendi ſuos actus, dum non exiſtunt modo quantitativo ipſis connaturali; non quia illi actus ſint per ſe neceſſarii ad motum inorganicum, utpote independentem per ſe ex parte principii effectivi à corpore; ſed ut ille ſit vitalis eidem corpori, quod dedecere videtur motus plane emortuus.

Rursùs fruſtra in re hac explananda diutiùs inſudaremus, cum ipſe Doctor Subtilis prælaudata diſt. 49. q. 14. nervoſa ingenioſitate ſtatuat, utramque potentiam utpotè merè activam, cum motus non recipiatur in ipſis, eſſe prorsùs eandem; niſi quod, dum anima exiſtit ſeparata à corpore, elicit ſe ſola impulſum, aut motum in corpore alieno, & ſeipſam movet motu ſimplici; dum verò informat corpus paſſibile, producit motum, vel in ſuo corpore, vel in alio, progreſſivum duntaxat, & non ſe ſola; ſed unà cum organo, ſive dependentèr ab illo, præcedentibus ſenſationibus inſinuatis. Si verò informet corpus glorioſum, vel ferè ſemper, vel plerunque elicit motum ſimplicem erga proprium corpus, ab eiſdem tamen principiis deſcendens, quamquam poſſit ex imperio ſolùm voluntatis movere ſimplicitèr corpus: *Verumtamen*, inquit Subtilis Doctor, *non videtur mihi ponendam eam aliam virtutem à motu organicè; quia nunquam ponenda eſt pluralitas ſine neceſſitate. Sed non eſt neceſſe ponere duplicem virtutem motivam in anima reſpectu corporis ſui movendi: poteſt enim uterque motus ſalvari ponendo eandem virtutem in anima: Ergò &c.* Protinùſque aſſumptum probat ſolide, & fusè, ut occurrat objectis, objicibilibuſque, ſolito acumine, à quo impellimur, & nos ad motum ſimplicem attribuendum ſub ſpeciebus Chriſto Domino ab ea virtute elevata productum, tametſi motui ſpecierum attemperatum, obediente Deo, jam non tantùm voci, ſed motui hominis.

Num. 49. Quibus prælibatis perſuadetur aſſertio noſtra primò ex verbis illi Pauli 1. Corint. 10. *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt; & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt (bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos Petra, Petra autem erat Chriſtus).* Hanc autem eſcam, & potum, ſive aquarum effluxionem, fuiſſe typum Euchariſtiæ (quemadmodùm Petra deſignabat Chriſtum Dominum) concors eſt Patrum, & Interpretum ſententia, liquidòque fluit ex eorundem mente unà cum aquis ex Petra ipſa, & ex textu D. Pauli. Ita Ambroſius ſtatim producendus, S. Auguſt., Theodoretus &c. Idcircò Capharnaitis viſus eſt durus ſermo ille: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem &c.* Petræ duritiem invenère in cibo illo promiſſo: *Durus eſt hic ſermo*, ut ait S. Auguſtinus enarrat. in Pſal. 113. in prima Concione, & parte Pſalmi, *& quis poterit eum audire? Iſta Petra, iſta duritia converſa eſt in ſtagna aquarum, & iſta rupes in fontes aquarum.* Et S. Ambroſius in Pſalm. 38. inquit: *Umbra in petra, quæ aquam fluxit, & Populum ſequebatur, nonne umbra erat aqua de Petra, quaſi ſanguis ex Chriſto, qui fugientes ſe populos ſequebatur, ut biberent?* Quòd verò Petra illa mirabilitèr movens ſeipſam ad motum Populi deſignaverit motum activum Chriſti Domini cibantis, & potantis Populum ſuum in Euchariſtia, ſufficientèr innuitur verbis ipſis Pauli, oſtenditque S. Ambroſius, tum productis verbis, tum lib. 5. de Sacram. cap. 1. dicens: *Non immobilis Petra, quæ Populum ſequebatur: & tu bibe, ut te Chriſtus ſequatur*: & rursus ibidem: *Sacerdos ergò Dei tangit Petram, & fluit aqua, & bibit Populus Dei; tangit ergò Sacerdos Calicem, redundat aqua in Calice, & ſalit in vitam æternam; & bibit Populus Dei*: Immò Syrus, ut notat in ea Apoſtoli verba Cornelius à Lapide, vertit ſic: *Bibebant de Petra ſpirituali, quæ cum ipſis veniebat*: Quò reſpexiſſe videtur Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 9. cum dixit: *Hæc eſt aqua, quæ de comite Petra Populo defluebat.* Et lib. 3. contra Marcion. ait: *Petram potui ſubminiſtrando comitem, Chriſtum adlegit fuiſſe.* Conſonat

ſonat S. Chryſ. ho. cui titulus: *Nemo læditur, niſi à ſeipſo*: ubi loquitur ſic: *Quid de ſequente dixerim Petra, aquarum fluvios emittente?*

Undè juxta traditionem Hæbreorum, eorundemque fontes (modò lutulentiſſimos) Petra ipſa materialis, aut rupes, quæ typum Chriſti Domini gerebat inſequebatur motu miraculoſo Populum; eamque reverà tenuerunt nonnulli ex Patribus, ut ex nuperis teſtimoniis perſpicuè ſatis apparet. Quantumvis illam fallacem eſſe, parùmque fide dignam doceant paſsim Interpretes, inter quos Sebaſtianus Barradas tom. 4. Coment. in concord. Evang. lib. 6. cap. 3. Genuinus itaque, & frequentiſſimè probatus ſenſus motum illum realem attribuit, non Petræ ſignificanti, & typicæ, ſed Petræ ſignificatæ, ideſt Chriſto Domino; cum ideò monuerit Apoſtolus, Populum bibiſſe de Petra ſpirituali, conſequentèrque non de Petra illa purè materiali in ſe, ſed de Petra, quam illa figurabat. Quamquam enim Populus hauſiſſet fluenta illa aquarum largiſſima, è percuſſa rupe manantia; myſterium attamen, quod intendebat Paulus adumbrare per eam Petram, aquam, & ejus hauſtum; uti & per eſcam ſpiritualem, diſtat à rudi illo typo, quantùm corpus ab umbra. (Erat attamen ſatis apta ad ſubeundam rationem ſigni, quia emittebat aquas percuſſa, decurrentes aliquantulum unà cum Populo, licet non ſemper). Corpus igitur, & Sanguis Chriſti Domini in Euchariſtica illa figura repræſentatum, eſt quod movetur unà cum Populo, ſive ad illius motum; itaut non tam ab illo feratur, quam ipſum comitetur, à ſeipſo inſtrumentaria virtute motum, quamvis ad alterius ductum, quaſi logicè priorem; alioqui impropriè admodùm diceretur, Petram, ideſt Chriſtum Dominum ſequi Populum; veriùſque proindè, & propriùs dixiſſet Apoſtolus Gentium, Petram deferri à Populo, ut fontem ipſum aquæ, vitalitèr ſalientis, portaret ſecum (tametſi hoc etiam affirmari potuiſſet in ſenſu mox exponendo). Parem ſignificationem ſortiuntur verba Petri 1. cap. 2. *Ad quem accedentes lapidem vivum .... & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*: Ubi, licet metaphora ſit alia, Petra tamen eſt procul dubio eadem; alludit ad illam rupem in deſerto, ſe ab intrinſeco moventem in extrinſecum, colligiturque ex S. Cypriano lib. 2. contra Judæos cap. 16.

Neque obeſt, quòd in deſerto deſcribatur rupes illa incedens ſimul cum Populo; hic autem ut immobilis ad firmitatem ædificii conſtruendam; quoniam hoc arguit ſanè, metaphoras eſſe diverſas, Petram eſſe utrobique eandem; cum utrobique accipiatur, ut vena ſcaturiens potum vivum Populis, eo quod hic etiam ſermonem inſtituat de Sacramento altaris Apoſtolus Petrus. Quin & S. Auguſtinus in Pſalm. 86. loquens de hoc ædificio motum agnoſcit in lapidibus firmitatem illius ſtruentibus. *Erigeris in hanc fabricam affectu pio, religione ſincera, fide, ſpe, & charitate: & ipſum ædificare ambulare eſt*. Rupes igitur ſemovens, vel fluenta ſua emittens, comitatura Populum in deſerto præfigurabat inceſſu ſuo, ad inſtar vitalis, lapidem hunc vivum, qui offertur in altari, qui ex ipſo nos potat, ut humor divinus, & alit, ut eſca; & cum vita ex motu colligatur, ut repræſentet illum actu viventem, figurat ipſam motibus ſuis ſtipantem populum, aut Populi Sacerdotes; quemadmodùm è regione aqua mortua dicitur, dum curſu privatur, quaſi fluidum ſpiritum emiſerit, dum amiſit motum.

Num. 50. Sed confeſtim repones: inde ſequi, & perabſurdè, Chriſtum Dominum in Euchariſtia dici verè, & propriè non poſſe circumgeſtatum à Sacerdote, contra quod definitur in cap. *Firmiter* de ſumm. Trin. in Concil. Vien. & in Trident. ſeſ. 13. cap. 5. & 6. & ibidem canone 6. ſicut nec Petram deſerri à Populo, aut Sacerdotibus, eo quod ſeipſa, & veluti motu ab intrinſeco, populum comitaretur. Redargutio hæc veram doctrinam includit, fallacem attamen applicationem. Vera prorſus eſt, quatenus affirmat, Chriſtum Dominum ſub accidentibus Euchariſticis in rigore, & proprietate ſermonis circumferri, geſtarique à Sacerdote, ab eodemque moveri. Id enim quamoptimè verificatur, tametſi activè producat ipſe motum, quo ducitur unà cum ſpeciebus: eo quod, nonniſi attemperando ſe motui ſpecierum, moveat ſeipſum, cum omnimoda neceſſitate, morali ſaltem (ex ſuppoſitione inſtitutionis, quæ de facto exiſtit) immobiliter quieſcendi, dum ſpecies ſubſiſtant, & ſemovendi, dum ipſæ locum commutent, vel circumferantur. (De quo fuſiùs dum objecta diluantur:) cauſæ autem morali tribuitur ſumma cum propietate effectus: etiamſi non ſit cauſa moralis per ſe, ſed ex ſuppoſitione: ergo & motus Corporis Chriſti Domini Sacerdote movente Hoſtiam, & in eodem ſenſu morali, aſſeverari potuit, Petram circumduci à Populo, uti in ſenſu phyſico, utrumque ſeipſum movere, veriſſimè aſſeritur (quamvis non ideo Sacerdos, movens ſpecies, ſit per ſe cauſa ſimpliciter ſupernaturalitatis motus Corporis Chriſti Domini, cum non ſit illius cauſa, niſi ex ſuppoſitione alligationis). Fallax ejus applicatio: quoniam ad hoc ut Petra figuraret utrumque, nempe quòd Chriſtus Dominus in altari, per illam Petram ſignificatus, moveret actu ſe, & quòd nonniſi ſequendo ductum Populi, quem inſeparabiliter ſtipabatur, moveretur (ſive motus ille phyſicè, & materialiter verus extiterit, ſive tantùm ſignificativè, & typicè) neceſſe erat utrumque deſignare, & quòd Petra motum à ſe haberet, & quòd illius motus non fieret aliter, quàm ad nutum, & motum Populi, moraliter effectricem,

Digitized by Google

cem, regulantemque inceſſum Petræ, cum illa rotaret, ambulante Populo; & ſiſteret, illo quieſcente.

Non poſſet autem utrumque figuratè exprimi, ſi alterutrum duntaxat narraſſet Scriptura Sacra: quandoquidem licet cauſa moralis, vel cui altera attemperatur, non excludat phyſicum influxum illius in proprium motum; uti nec activitas phyſica cauſæ ad ſeipſam movendam excludat moralem concurſum alterius in eundem motum, ſive attemperationem ſui ad motum alterius; neutra tamen alterius influxum, utpotè diverſæ lineæ, & inconnexæ, poſtulat per ſe, aut includit; cum poſſet, quæ movetur, ſeipſam activè movere, quin alteri ſe attemperaret; & poſſet etiam ſe attemperare alteri, quin ſeipſam moveret; quia moveretur phyſicè ab alia cauſa attemperante impulſum, quo illam movet, motui alterius. Conſequenterque nulla earum ſe ſola ſignificare valet ſimpliciter utriuſque concurſum. Quòd igitur verè dicatur Chriſtum Dominum in Euchariſtia geſtari à Sacerdote, minimè probat, Chriſtum Dominum non movere phyſice ſeipſum, à quo præſcindit denominatio illa: ſicuti minimè ſuadet, aut arguit, Petram non moveri à Populo moraliter, quod ſeipſam moveret phyſicè, quandoquidem ita volvebatur, aut incedebat, ut attemperaretur motui Populi, vel Sacerdotum. Hic obiter deſpicienda venit quorundam Rabbinorum expoſitio contendens, Petram illam iterfacientem fuiſſe nudam Divinitatem (cui expoſitioni alicubi ſavere viſus eſt Tertullianus) vel ſignificatam fuiſſe per Petram. Illam nanque erraticam prorſus eſſe conſtat, non tantùm ex eo quod Divinitas ubique exiſtens incapax motus eſt, niſi per Metaphoram alterius ſpeciei motus; ſed inſuper & potiſſimè, quia Petra illa, juxta Apoſtolum, erat Chriſtus, quatenus per illam ſpiritualiter ſignificatus; adeoque non ſola Divinitas, ſed illa ſimul cum Humanitate, ex quibus coaleſcit Chriſtus Dominus: inquit enim S. Auguſt. ſerm. 108. (de feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis) *Petra autem erat Chriſtus. Quod utique non ad Divinitatem ejus, ſed ad Carnem relatum eſt, quæ ſitientium corda Populorum perenni rivo ſui Sanguinis inundavit*. Ubi Petram illam typicam Carnem, & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia deſignaſſe docet, cum aliunde ſeipſa Petra materialis moveretur, vel potiùs ad inſtar ſemoventis (illa enim Divina ſolùm virtute, vel propria elevata per Divinam, impellebatur, cum in ſe emortua foret), ut ſignificaret Chriſtum Dominum per ipſam figuratum, motum habiturum in altari. Ridiculum ergo, & ſimul hæreticum eſt, affirmare ſaxum illud, quod volvebatur aſſiduò, & leui motu, ſignificaſſe, tantùm, purèque Deum in itineribus æternitatis ſuæ ſemoventem.

Num. 51. Qui velit ſecundò ire obviam diſcurſui elicito ex verbis Pauli, per hoc quod nomine Petræ ambulantis veniant aquæ ipſæ erumpentes è rupe illa, aut vena aquarum in fluvium, aut torrentem congregatarum, quæ ſecutæ ſemper fuerint Populum Iſraeliticum non jam præcipiti celeritate, aut impetu, ſed lento curſu, & temperato, aut ſiſtente, juxta Populi motum, vel quietem; petra illa è qua fluxerunt immota perſiſtente, uti ex aliorum Hebræorum traditione refert Genebrardus in Pſalm. 77. nihil roboris detrahit facto diſcurſui, ſolùmque mutat aliquantulùm Typum, transferendo figuram à cauſa, ſeu origine, ad effectum, à rupe ad aquam, ex illa largè promanantem. Idemque erit, etſi transferas conſimiliter ſignificatum ad Sanguinem Chriſti Domini, quo potamur in Euchariſtia, primariò, dummodò una deſignetur formaliter Chriſtus Dominus, qui ponitur integer per concomitantiam, dum vi verborum ſanguis conſtituitur ſub ſpeciebus vini. Adhùc ergo permiſſa ea, frequentiſſimè rejecta, interpretatione, colligitur pari energia motus Chriſti Domini ſub ſpeciebus vini, & ex conſequenti ſub ſpeciebus panis etiam. Quod verò fallat ſententia hæc, uti & quod rupes materialis ſecuta fuerit Populum ex eo abundè convincitur, quòd iterum defuerint Populo aquæ in Cades. Num. 20. & murmure alio longè magis rauco, confuſoque, quam foret torrentis murmur, aut ſonitus, adversùs Moyſen exarſerit Populus: nec opus fuiſſet iterum Petram aliam percutere, nec puteo divinitus effoſſo Num. 21. Niſi voluntariè fingas, fluvium ſtetiſſe, vel per novum alveum à Populo remotum fugam tentaſſe: aut ſolis æſtu nimio, vel divinæ ultionis igne, exſiccatum fuiſſe; verùm qui per figmenta difficultates evadere tentat, non diſputat, ſed vel ludit, vel ſomniat. Solùm contingere benè potuit, credibileque multis ſit, attenta divina largitate, ut torrens ille, ſemel elicitus è rupe, perenniter effluxerit ex eadem vena in poſterum, ut latices illi miraculoſi, dum primò naſcerentur, excitarent in prætereuntibus, haurientibuſque, memoriam, & ſtuporem tanti miraculi, ut ſæpè contigit in conſimili fontium, aut puteorum prodigioſa aperitione, ſicuti narrant rerum Eccleſiaſticarum Hiſtorici. Quam ſententiam illuſtrat Toſtatus num. 20. qu. 3. dicens: *Priùs ex defectu aquarum habitari non poterat Arabia; facta eſt autem habitabilis poſt tranſitum Iſraelitarum per illam. Egreſſa enim ſunt fluenta largiſſima ex Petra percuſſa in Raphidim, quæ manent uſque in hodiernum diem, & totam illam terram irrigant*. Cui ſubſcribit Gaſpar Sanchez in cap. 43. Iſajæ.

Reſpondebis tertiò, ex textu producto elici quidem, Chriſtum Dominum in altari, ſive Petram figuratam per typicas illas, moveri quidem, aut comitari Sacedotem, quin phyſicus impulſus imprimatur illi à

Sa-

Sacerdote , aut alio motore extrinſeco ; neutiquam verò probari inde , præfatum motum non ſore unicè à Deo , vel ab ſpeciebus à Deo elevatis. Maximè cum Petra ipſa materialis nullum concurſum activum præſtaret in motum , ſed merè paſſivum. Verùm progreſſus ipſe argumenti noſtri ſufficienter præcludit aditum huic reflexioni : ſiquidem Petra , quæ movebatur , non erat materialis ea rupes typica , ſed quæ per illam ſignificabatur , nimirum Chriſtus ipſe Dominus potans fideles ſanguine ſuo in Euchariſtia ; cum autem Petra illa ſignificata , ſit animata , per hoc quod exprimatur à Divo Paulo ſemovens comitata Populum , aut Sacerdotes , repræſentatur eo ipſo , ut movens ſeipſam : hoc enim per ſe ſignificat propoſitio affirmans , hominem aliquem ſe movere , ut eſt evidentiſſimum. Et quamvis ſignificaretur Chriſtus Dominus Sacramentaliter exiſtens , ſub quo ſtatu inextenſo quantitativè incapax eſt connaturaliter operandi ; quoniam tamen capax eſt operandi divinitus per virtutem inſtrumentariam , ad nutum ipſius illi conceſſam , ideo dum affirmatur de illo motus , legitima , & connaturali illatione deducitur , illum concurrere activè , vitaliterque ad motum , tametſi nonniſi virtute inſtrumentali.

Præterea , licet ſimul cum motu petræ ſignificatæ , intelligas ex parte ſignificantis , aut Typi , non rupem ipſam ſecundum ſe , ſed aquarum fluenta , quæ erupere ex ipſa cuncto Populo , quæque naturali impetu feruntur (uti ex quorumdam expoſitione animadvertimus nuper) non ineleganter , nec impropriè in decurrentium aquarum motu ſignificaretur motus vitalis , activuſque Sanguinis Chriſti Domini intra Calicem , vel cum Calice . Audiatur S. Ambroſius lib. 3. Examer. cap. 2. miris verbis id declarans : *Fontes labuntur in fluvios , in freta concurrunt flumina , lacus derivantur in maria , ipſa ſe aqua præcedit , urget , & ſequitur* . Atque adeo nihil accomodatiùs motui vitali ſignificando , quàm motus vivi fluminis , aut aquarum viventium . Quinimmò , etſi adhærere velis traditioni Hebreorum circa motum , aut circumvolutionem ipſius Petræ materialis (qua conſequente non ſitiret ulterius Populus , uti dicunt) operę prætium erit , ſi proprietatem Sermonis Apoſtoli ſervare deſideras , fateri , optimè per illius motum ſignificari vitalem Chriſti Domini ; ſiquidem ad miraculoſum illum Petræ motum concurriſſet activè per potentiam obedientialem rupes . Quemadmodum propria gravitate rueret naturaliter , dum via ipſa interdum valde declivis foret ; tunc enim miraculoſum potiùs eſſet , quòd ſiſteretur in præcipiti gravitate vaſtiſſima moles , ſic & lapis ipſe , ſignificans lapidem vivum , & angularem , abſciſſum è monte Daniel . 2. disjectuſque ſine manibus ; non tamen ſine pedibus , aut pennis velociſſimo gravitatis propriæ motu metam tetigit , & ſtatuam percuſſit . Concurreret itaque effectivè in ſui motum , elevata ſupra ſeipſam rupes : ergo & Petra per illam ſignificata efficit inſtrumentaliter lationem ſuam ; ſi autem ſemel influere debeat in motum Petra figurata , tametſi typica vitaliter non influat , quia incapax vitæ erat , præfigurata tamen vitaliter à fortiori concurrit , cum ſit vivens , cum influat virtute inſtrumentali ad voluntatem ejus parata ex diſpoſitione divina : & quia modus alius concurrendi parùm deceret Majeſtatem Chriſti Domini : ſicut enim idem lapis Zacar. 3. oculatiſſimus erat : *ſuper lapidem unum ſeptem oculi ſunt : ecce ego cœlabo ſculpturam ejus* , ad undique , & ex omni orbiculi parte videndum , ita & præcinctus , paratiſſimuſque ad ambulandum .

Num. 52. Adducam pariter in confirmationem emphatica verba Chriſti Domini Joan. 6. prolata , poſtquam carnem ſuam ad eſum fidelium , & ſanguinem in potum ſe daturum promiſerat . Poſtquam novit Capharnaitas , lite veluti ad invicem conteſtata , diſputare , quomodo poſſet ille ſuam carnem ad manducandum exhibere : durum enim illis viſum fuit , & horrendum , membratim per fruſta humanam carnem vorare . Hunc ſiquidem eſſe promiſſionis ſenſum genuinum ſtultiſſimè crediderunt : ut ex Chriſoſt. Hom. 46. S. Auguſt. tract. 27. in Joan. Theophraſto S. Cyrillo Alexandr. D. Thoma , Paſchaſio , Guizmundo , & propè omnibus Patribus , docent Interpretes , & Scholaſtici , & vidimus diſput. 2. ſect. 2. Sed cur in ſenſum adeo ſtolidum uſurparunt ea verba divina , ex ſe perſpicua , & vivam carnem exprimentia ? Quoniam reputarunt planè impoſſibile , ſuam carnem vivam , ſeque integrum , & ad bucellam redactum , dare potuiſſe nobis in cibum : *quia igitur dicebant , hoc eſſe impoſſibile* , inquit S. Chryſoſtom. in præallegata Homil. *ut ſcilicet carnem ſuam ad manducandum daret , oſtendit , quòd non ſolùm non eſt impoſſibile , ſed valde neceſſarium* . Ex hac autem impoſſibilitate per errorem turpem credita ſubinſerebant , non aliter quàm ad inſtar carnis in macello conciſę diſtribuendam ſore illis humanitatem ſuam in eſum , & ſanguinem in potum . Quamobrem , illos minimè aberraturos ab ſcopo doctrinæ , quam audiebant ex ore Chriſti Domini , ſi crediſſent , illum promittere , ſe daturum ſuam carnem vivam , & pariter ſanguinem conjunctum , ſeque totum integrum , & ab intrinſeco ſe moventem , vitaliterque operantem , docuit Auguſt. , & ex ipſo Guizmundus relatus à nobis ea diſp. 2. ſect. 2..

Poſtquam itaque Chriſtus Dominus novit rudes , craſſiſſimas illorum cogitatiooes , quo pacto occurrit pręſenti huic modo ? Qua arte mederi decrevit latè fuſo (tametſi momentò) ulceri ? Sanè non alio , quàm ſequentibus verbis , arcana profundiſſima altè includentibus , & vel ex ipſa non perfectè clauſa oratione

em-

emphaſim præſeferentibus: *Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc Diſcipuli ejus, dixit eis. Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat priùs?* Verùm quo jure, quave proportione occurritur Capharnaitarum errori, per hoc quod ſciant, Humanitatem, quam Sacramentaliter cibantem, & potantem Mundum promiſerat, aſcenſuram in Cœlum poſt reſurrectionem Sacri Corporis, virtute propria Divinitatis, & inſtrumentalis Humanitatis: vel etiam propria ſtatus glorioſi, ſi per dotem agilitatis aſcendiſſe velis? optimo ſanè jure: quoniam videntes filium hominis priùs crudeliter occiſum ab invidia, poſtea ſuſcitatum propria virtute, inde deinceps eadem virtute (ut nuper inſinuata) ferri ſeipſo in Cœlum vitali operatione, & motu ad vitam immortalem poſſidendam; nullo ferè negotio allicerentur ad credendum, ipſum in Sacramento altaris, quod pollicitus fuerat, manentem apud nos, & vitam habere poſſe, & motum à ſeipſo, manducarique à fidelibus, quin membratim dividatur; cum poſt aſcenſionem in Empyreum ſit eo ipſo jam immortalis, incapaxque conciſionis illius. Siquidem facilius eſt gaudere vita, & motu ſub ſpeciebus cibi, & potus, quàm ſeipſo ſurſum ad ſupremum Cœlum, & gloriæ ſolium, ferri virtute ſua, *ubi erat priùs*: & ideo præmiſerat: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi*; qui namque ſeipſo in Cœlum aſcendebat, credibile reddit, quòd ipſe fuerit panis vivus, è Cœlo deſcendens, adeoque vivus etiam ſub ſpeciebus panis. Quoniam eo ipſo colligebatur, illum non eſſe purum hominem, ſed hominem Deum, qui de Cœlo deſcenderat, in Cœlum aſcenſurus: arcebatur itaque reipſa conſideratione illa horror audientibus incuſſus; ex craſſa ignoratione natus, quòd ſcilicet carnem ejus mortuam, & in fruſta diviſam manducandam polliceretur. Et ſimul ſtatuebatur implicitè actualis vita, motuſque ſui ipſius, quà in Eucbariſtia manentis.

Quare opportunè in Actib. Apoſtol. cap. 1. notatur ante aſcenſionem ipſam mirabilem: *& conveſcens*, quaſi jamjam diſceſſurus Eucbariſtiam conſecerit, aut repræſentaverit: *Notate verba, ſignate Myſteria*. Inquit S. Gregorius Magnus Homil. 29. in Evang. *conveſcens, elevatus eſt. Comedit, & aſcendit.* Si namque in altari exiſteret prorſus immobiliter à ſeipſo, etiam dum moventur à Sacerdote ſpecies, nequidquam contenderet Dominus eo eventuro aſcenſionis ſuæ mirabili exemplo, & prodigio, excitare Diſcipulos ad credendum, ſe erogaturum Carnem ſuam vivam, integramque: cum modus exiſtendi, ſub quo remaneret, talis eſſet conditionis, ut nunquam ſub illo ſeipſum movere poſſet, nec unquam de facto, adhuc Divina virtute elevatus, moveretur à ſeipſo; quandoquidem vita ex motu colligitur. Et inſuper impropriè nimis, ſi non ineptè, declaratur immobilitas omnimoda, emortuaque, ex propria virtute, per ſublimiſſimum aſcendentis Aquilæ volatum, aut impetum, etiam dum recuſat pennarum uſum.

Num. 53. *Non igitur Diſcipulos*, inquit S. Chryſoſt. laudata Homil. *in ſcandalum mittere volens, hoc dicit; ſed eorum ſcandalum ſolvere volens: nam dum æſtimant eum de Joſeph natum, non ſuſcipiunt ea, quæ dicebantur. Qui verò credituri erant, quoniam de Cœlo deſcendit, & illuc aſcendit, faciliùs attendunt his, quæ dicebantur*. Et S. Auguſt. eo Tract. 27. in Joann., *illum enim putabant, erogaturum Corpus ſuum* (in partes conciſum) *illis autem dixit, ſe aſcenſurum in Cœlum, utique integrum. Cum videritis, inquit, filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat Corpus ſuum* (filius hominis) *& quia gratia ejus non conſumitur morſibus*. Cyrillus Alexand. Comm. in Joann. lib. 4. tomo 4. eadem Chriſti Domini verba exponens, præſupponenſque Diſcipulos inſinuato errore excæcatos, quòd nempe non ſuam integram, & viventem carnem erogaturum hominibus fuiſſet pollicitus ſub ſpeciebus panis, ſed quod ferarum in morem humana ejus carne in particulas diſtributa veſcerentur, ait: *Non enim myſterii illius decus noverant, & pulcherrimam ob ipſum excogitatam diſpoſitionem. Chriſtus ergo eorum conſilia intelligens, (cuncta enim nuda ſunt, & aperta oculis ejus) ad comprehenſionem eorum, quæ ignorabant, multis modis officioſè quaſi manuducit. Si ergo expectaveritis, inquit, in Cœlum aſcendentem filium hominis, quid porrò dicetis? Non mediocriter enim inſanire deprehendemini. Nam ſi carnem meam vitam vobis inſerere non poſſe putatis, quomodo volucris inſtar in Cœlum aſcendit? Si enim vivificare non poſſet, quia ad vivificandum natura ſua comparata non eſt: quomodo per aerem incedit, aut quomodo in Cœlos aſcendit? Nam hoc quoque carni eſt impoſſibile. Quod ſi præter naturam aſcendat, quid prohibet demum, quominus etiam vivificet, licet natura ſua vivificare non poſſet? Nam qui Cœleſte efficit id, quod de terra eſt, vivificum quoque reddit, tametſi natura ſua corruptioni ſit obnoxius*. Ut igitur Chriſtus Dominus interrogatione illa, exemploque mirabilis aſcenſionis ſuæ diſſiparet denſam inſcitiæ nebulam, qua intellectus Diſcipulorum caligabat, & quam Patres allegati ſupponunt, inſectanturque, neceſſariò probare debent præfata Chriſti Domini verba, quaſi per modum argumenti à majori ad minus propoſita, poſſe quamoptimè dare humanitati ſuæ deliteſcenti ſub ſpeciebus vitam actualem, & motum, qui Corpori tribuit poſt mortem reunionem cum anima, & deinceps vim aſcendendi in Empyreum, ipſis cernentibus, & ſtupefactis. Quoniam verò Diſcipuli, & Capharnaitæ, qui litem movebant, diſpoſiti non erant (aberrarentque forſan turpiùs) ſed potiùs incapaces adhuc profunditatis hujus myſterii (præſer-

tim cum murmuratione ipſa indigniores facti fuerint) idcirco errorem ænigmatico duntaxat exemplo (opportuniori tempore clariùs introſpiciendo) repulit ; quantumvis appoſitè ad arcendam eorum incredulitatem adducto ; rem tamen omnimoda perſpicuitate noluit ipſis aperire , imperfectamque orationem verbo aliquo ; perfectiſſimam tamen ſenſu , & energia , cum reticentia facundior ſit interdum , & elegantior deſideratis in ea oratione vocibus , ut de trita illa Virgiliana celebratur : *quos ego* : & quemadmodum ea ad motos nimiùm fluctus compeſcendos inventa fuit ; ita illa Chriſti Domini exadverſo ad motum ipſius proprium in Euchariſtia tuendum adducta eſt , eo quod à murmurantibus , & immobilis à ſe , incapaxque motus , & vitæ conciperetur manducandus , qua cibus futurus .

§. II.

Num. 55. PLACUIT autem tantopere noſtra hæc opinio ſapientiſſimo illi viro , cujus mentionem fecimus diſp. 2. ſect. 2. ſive is fuerit Anſelmus , ſive Guillielmus Abbas , ut contrariam doctrinam non ſine exceſſu notaverit , tum inſipientiæ , tum Atheiſmi etiam , cum in ea Epiſtola adverſus Rupertum ibidem membratim producta , loquatur in hunc modum . *Dominum Jeſum in Corpore ſuo , ipſo , inquam , Corpore , in quo nobis præſtò eſt in altari , quod non eſt aliud , quam quod ſedet ad dexteram Patris , motum , & ſenſum habere , & per omnia noſtræ eſſe naturæ , licet alterius gloriæ , contradicit nullus , niſi inſipiens ille , qui dixit in corde ſuo , non eſt Deus* . Manifeſtum autem eſt , motum ibi ſumi à Guillielmo activè , ut ab eodem Chriſto Domino elicitum , quoniam ſi merè paſſivè acciperetur , nequaquam probaret vitam activam Euchariſticam , quam ibi totis viribus oſtendere nititur laudatus Auctor ; neque aliter reſponderet Ruperto , qui cum ibidem aſſerens oppoſitum referatur , cumque introducatur ſimul objiciens ſibi hæc : *Sed dicet mihi Adverſarius , vivens , & ſenſibilis in Corpore ſuo , mobiliſque eſt Deus & homo Chriſtus* ; confeſtim argumentum hoc diluere conatur , eam vitam , motumque Corporeum planè rejiciens . Adeo fixum eſſe debere exiſtimavit Guillielmus , Chriſtum Dominum in Euchariſtia movere phyſicè vitaliter ſeipſum ad motum Hoſtiæ , ut oppoſitum erroris intolerabilis damnare incunctanter non dubitaverit : fortè quia ea tempeſtate vigebat opinio noſtra piorum omnium conſenſu probata .

Hoc ipſum convincunt teſtimonia in præcedentibus allata S. Chryſ. , quibus apertiſſimè docet Populum , Chriſtum Dominum ipſum in altari , & ex illo exercere munia principalis Sacerdotis ſeipſo ; eſſe Sacrificantem , offerentem , diſtribuentemque ſuam carnem ; quæ omnia exequi non poteſt activè abſque motu locali . Chryſoſtomi veſtigiis inhærens Paſchaſius de Corp. & Sang. Domini cap. 8. dixit : *Neque ob alia , quam ab ipſo Pontifice Chriſto porrigitur , licet viſibilis Sacerdos aſſiſtere , & ſingulis diſtribuere videatur* : Eundem motum innuunt verba S. Baſilii in Liturgia , quibus Chriſtum Dominum altari præſentem poſt conſecrationem , & antequam communicaturi accedant , alloquitur , dicens : *Veni ad ſanctificandum nos , qui ſurſum Patri conſides , & hic nobis inviſibiliter ades* . Eundem dilucidè verba illa Auguſtini in Pſalm. 33. concione ſecunda , ubi ait : *Ferebatur in manibus ſuis . Quomodo ferebatur in manibus ſuis ? quia cum commendaret ipſum Corpus ſuum , & Sanguinem ſuum , accepit in manus ſuas , quod norunt fideles , & ipſe ſeſe portabat quodammodo , cum diceret ; hoc eſt Corpus meum . Et procidebat ad oſtia portæ , ideſt humiliavit ſe* . Ubi expreſsè agit de Chriſto Domino in manibus ſuis , dum in ſpecie propria exiſteret adhuc nobiſcum , portabatque ſeipſum ſub aliena ſpecie exiſtentem : ideoque dixit , portaſſe in manibus ſeipſum , cum diceret : *Hoc eſt Corpus meum* . Eſt autem compertiſſimum , protuliſſe verba illa quà exiſtens in propria ſpecie viſibilis Apoſtolis .

Idque ipſum expreſſit Auguſtin. ibidem concione prima . En itaque quàm diſertis verbis affirmat Auguſtinus , Chriſtum Dominum ipſum ſacramentaliter præſentem portatum fuiſſe in clariſſima illa nocte Cœnæ à ſeipſo circumſcriptivè exiſtente ; ſed portatum fuiſſe *quodammodo* duntaxat , adeoque non ſimpliciter ; quoniam ipſemet , quà ſub ſpeciebus panis , & vini latens , movebat phyſice ſeipſum , tametſi ad nutum ſui ipſius , prout viſibiliter moventis ſpecies , diſtribuens illas manibus ſuis , & veluti ad ora communicantium , aut manus eorundem , admovens , atque adeò movens , aut ferens , tanquam cauſa moralis latentem ſeipſum ſub eis accidentibus ; non verò ut cauſa phyſica motus ; alioquin abſolutè dixiſſet , Chriſtum Dominum manibus ſuis viſibiliter portaſſe , moviſſeque ſimpliciter ſeipſum ſpeciebus panis , & vini inviſibiliter velatum . Miraculum enim illud eliciendi motum phyſicè , non eſt attribuendum Chriſto Domino in propria ſpecie , adhùc pro ea nocte , quamvis exequeretur viſibiliter officium Summi Sacerdotis . Tum quia in ea Euchariſtiæ inſtitutione fieri debuit , quantum poſſibile foret , id ipſum , quòd poſtmodum exerceri , & perſiſtere debuit in Euchariſtiæ Sacrificio , & Sacramento . Tum quia Chriſtus Dominus expreſſit ſeipſo viſibiliter illud , quòd Sacerdotes ſubalterni illius modò efficere debent , & conficere . Et tandem ob eaſdem cauſas , ob quas expedit modò , ut non ab alio agente , nec à ſolo Deo , motus ille producatur ; ſed ab ipſo Chriſto Domino qua ſub ſpeciebus alienis exiſtente , & elevato (quamvis aliter ſentiendum , dum miraculo opus non eſſet ,

ſi eſ-

ſi effectus produceretur à Chriſto Domino in propria ſpecie; cum neceſſariò interveniret, ſi ab ipſo ſacramentaliter exiſtente procederet). Itaque ſi conferre non poterat novam præſentiam ſibi ipſi velato, motumque, abſque miraculo, ut communis opinio tenet; potiùs adſcribendum erit miraculum Chriſto Domino quà inviſibiliter latenti (ut in poſterum efficiendum erat) quàm eidem ut viſibili. Nam in ordine ad motum, juxta principia hujus opinionis, facultas naturalis Humanitatis Chriſti Domini etiam in propria ſpecie exiſtens, præciſivè à virtute inſtrumentaria, & divinitate, nullas peculiares vires ſortitur præ quovis alio Sacerdote, cum eſſent prorſus limitatæ, ſicuti noſtræ; remanent enim intra limites naturæ, cujus conatus omnes in unum collecti, & infinito pæne niſu inſudantes, nequeunt vel entitatulam ſupernaturalem minimam producere, aut exiguam gutam è vena ſupra naturam poſita elicere.

Num. 56. Parùm aptè verò opponeres ejuſdem Augnſt. verba in enarratione præfati Pſalmi conc. 1. *Ferebatur enim Chriſtus*, inquit, *manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt Corpus meum, ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.* Ergo ipſe quà viſihiliter in propria ſpecie exiſtens ferebat ſeipſum, ſeu movebat ſeſe quà in Sacramento abſconditum. Ex dictis enim corruit argutia hæc: utrumque ſiquidem eſt verùm, quoniam & ipſe quà viſibilis movebat ſpecies conſecratas, ad cujus motum neceſſariò movetur ipſe Chriſtus Dominus quà ſub illis latens, ac ſubindè, rectè movere dicitur corpus ipſum deliteſcens, utpotè cauſa moralis illius motionis: uti & corpus abſconditum movet phyſicè ſeipſum attemperatè ad nutum ferentis hac illac ſpecies: & propterea ſub nullo ſtatu ſeorſim ab alio movebat Chriſtus Dominus ſeipſum ſimpliciter, *ſed quodammodo* ſolùm, juxta mentem Auguſtini. Verba igitur. quæ objiciuntur neutiquam excludunt ſenſum à nobis elicitum ex primo ejuſdem teſtimonio; & aliundè illa ſunt apertiſſima pro aſſertione noſtra, ſi ad perſpicacem Aquilæ Doctorum mentem percipiendam figas aciem eo ſtudio, quo Aquila ipſa fixit obtutum in Euchariſtia. Si autem dum ille circumſcriptivè præſens altari portabat ſeipſum Sacramentaliter ſimul præſentem, ipſemet, quà ſacramentaliter exiſtens produxit phyſicè motum proprium, attemperatum motori, aut nutui motoris ſpecierum, ratione cujus productionis phyſicè dici nequit, illum, proùt viſibiliter ſacrificantem, moviſſe ſimpliciter ſeſe inviſibili modo præſentem: cum in eo eventu circumſtantia identitatis motoris viſibilis cum moto inviſibili conferre poſſet non parum ad hoc, ut ipſi attribueretur abſque ulla indecori umbra motus ſimpliciter; quid ſentiendum nobis, dum maoibus Sacerdotis ſubalterni, Miniſtrique Summi Sacerdotis, fertur, geſtatur, & vel per plateas circunducitur? Quid, dum intraturus caſam, ſive tugurium pauperis infirmi, non cadunt tantùm adoraturi adſtantes, ſed vel ipſemet Chriſtus Dominus quaſi procidit benignitate ſumma, & humilitate pari? ut ibidem concione prima, & ſecunda loquitur idem S. Auguſtinus, dum accomodat Chriſto Domino in Sacramento altaris verba ulteriora: *ferebatur manibus ſuis, & procidebat ad oſtium portæ. Quid eſt procidebat? Ad humilitatem ſeipſe diiciebat &c.* Infinitus eſſem, ſi cuncta, quæ ex Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis probatæ auctoritatis adducere poſſem, producerem; idcircò illa prætermittam, maximè cum ferè per totum hunc tractatum diſperſa reperiantur quamplura alia materiam præſentem concernentia, motumque Chriſto Domino in Euchariſtia à ſeipſo elicitum ſignificantia, vel dum movetur in ſacrificio à Sacerdote Hoſtia, vel dum ad infirmos delata, non dedignatur... *Sordida rura....*

Atque humiles habitare Caſas &c.

Num. 57. Oblivioni tamen tradere nolumus teſtimonium B. Amadæi in Raptu 6. (cujus liber, ut diximus ſupra, ſpirituſque, ſanctiſſimorum hominum umbra protegitur) quoniam aſſertionem noſtram diſtinctè, dilucidèque exprimit his verbis: *Similitèr poteſt dici, quòd Sacerdos movet, fert, & elevat Corpus Domini, quòd tamen non fertur ab ipſo, neque movetur, neque elevatur: nam Dominus pactam vobiſcum fecit* (loquitur Archangelus), *ut ubicunque accidentia illa poſueritis, & collocaveritis, ibi erit ipſe propria virtute ſua præſens: propria voluntate ſe transferret ipſemet.* Adjungit deinde, interdum viſibili (raro tamen) miraculo detuliſſe ſecum ſpecies nulli motori ſe attemperando: *eo motu, quo anima movebit corpus poſt ejus glorificationem.* (alludens ad notam de Seraphico Doctore Hiſtoriam, quem adeſſe raptui illi ſupponit ibidem). Inſuper in eodem raptu prope finem inculcat præfatam doctrinam, ſubdens: *Satis dictum eſt, vos non movere, neque elevare Corpus Domini, ſed virtute ipſius Chriſti movetur ex pacto: hoc eſt, quia pepigit fædus vobiſcum, ut ubicunque vos poſueritis accidentia, ibi ipſe faciat præſens eſſe corpus ſuum, & ſanguinem: unde vos ipſi non movetis eum per ſe, neque per accidens, ſed valde impropriè per accidens, quia ſolo beneplacito voluntatis divinæ ſe illo modo transfert.* Quæ ultima verba nequaquam ita intelligenda ſunt, ut excludant veritatem ſimpliciter hujus propoſitionis, Sacerdos movet, aut circumgeſtat Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus ſacramentalibus; hæc enim propoſitio in ſenſu aliquo ſtricto, & vero deducitur ex Concilio Lateran. ex Vienenſi, & Tridentino; cum ad ejus veritatem, ſermoniſque vigorem ſufficiat, quòd Chriſtus Dominus nec poſſit non ſe moveré., motis à Sacerdote, nec poſſit ſe movere, non motis à Sacerdote accidentibus

Euchariſticis; ſiquidem eo ipſo eſt cauſa moralis motus Chriſti Domini, quantumvis ex ſuppoſitione ſit talis (cui ſuppoſitioni attribuenda eſt ſimpliciter neceſſitas motus ſupernaturalis); atque adeo quod debeat ſe attemperare Chriſtus Dominus in re hac Sacerdotis operationi, quam ut logicè priorem ſequi tenetur, ſive ex reali conjunctione, ſive ex pacto extrinſeco, aut lege, ſolùm. Sed uſurpanda in ſenſu purè phyſicè activo, in quo Sacerdos nullum influxum phyſicum exerit in novam Chriſti Domini præſentiam comparandam, dum conducit ſpecies, quibus phyſicam præſentiam activè confert; quoniam ſolus Chriſtus ipſe Dominus, ut elevatus, novum illud ubi, ſeù novam præſentiam elicit activa virtute inſtrumentaria. Quapropter in genere phyſico, nec per accidens adhùc eſt cauſa propriè Sacerdos circumducens ſpecies conſecratas; ſed valde impropriè tantùm; quatenus cauſat phyſicè præſentiam accidentium, vi cujus eſt cauſa moralis, ex ſuppoſitione, motus phyſicè cauſati ab ipſomet Chriſto Domino neceſſaria conſecutione, ut declaratum fuit: & cum hæc ſuppoſitio conſtituat aliquatenus actum primum expeditum potentiæ phyſicæ loco motivæ Chriſti Domini per modum ſuppoſitionis, aut conditionis omnino præſupponendæ, dici poteſt in ſenſu lato, aut improprio cauſa phyſica per accidens. Hunc Raptum unà cum reliquis mirabundus probavit, & extulit, ut diximus diſp. 2. S. Petrus de Alcantara; & aliunde credibile vix eſt, virum hunc illuminatiſſimum, & jugi rerum divinarum contemplatione extra ſeipſum frequentiſſimè raptum, præfatum Amadæi comprobaſſe, abſque raptu alio veluti reflexo.

Num. 58. Nunc autem rationibus diſſerendum eſt; quarum prima, & ſane efficax, ſi prudentia conſulatur, deſumitur ex ipſa Adverſariorum doctrina. Porro tritiſſima, & veluti univerſalis Theologorum opinio docet, motum illum Chriſti Domini attemperatum motui ſpecierum fieri divinitus ab inſtrumento aliquo elevato à Deo, ſive illud ſit Sacerdos ipſe, ſive ſpecies, ſive unio, juxta diverſitatem viarum, per quas dividuntur, quarum mentionem fecimus ſupra. Rurſus iidem Theologi concorditer affirmant, Chriſti Domini Humanitatem, tanquam inſtrumentum conjunctum verbo, præditam eſſe virtute inſtrumentaria ad omnes operationes miraculoſas, quę conferre valeant ad fines Incarnationis, vel concernant corpus ipſum, vitamque: quæ doctrina ſumitur ex D. Thoma 3. par. q. 43. item quæſt. 44. uti & ex 4. contra Gentes cap. 54. Eademque gaudere Humanitatem, etiam quà ſub accidentibus Euchariſticis reconditam, ſentiunt unanimiter, notatque Doct. Eximius tom. 3. in 3. par. diſp. 53. ſect. 1. jam ſic: ubi ſemel fatendum eſt, divinam omnipotentiam elevare inſtrumentum aliquod ad motum Corporis Chriſti Domini miraculosè eliciendum, ejuſdemque præſentiam de novo comparandam; ecquod inſtrumentum magis connaturale, proportionatumque, quam illud, quod ſolemni Theologorum voto habet ibidem paratum ſibi ad nutum permanenter concurſum ejuſdem omnipotentiæ? Quod nam opportunius, & credibilius, quàm illud, quod eſt inſtrumentum intimè, & intrinſecè Verbo Divino, Divinitatique ipſi elevanti conjunctum? Quod nam reperiri poteſt inſtrumentum intimius, vel æque intimum? congruentius, dignius, ubi aliquo utendum eſt; quia id apparet connaturalius modo operandi omnipotentiæ in ejuſmodi factis, & conſultius?

Deinde extra controverſiam eſt inter Scholaſticos, Chriſti Domini Humanitatem concurrere ad effectus omnes manantes ubertimè è fontibus Sacramentorum per virtutem illam inſtrumentariam, & quidem phyſicè reſpectu effectuum ex ter Auguſto Euchariſtię Sacramento fluentium, etiam apud ipſos plerumque, qui ſolum influxum moralem in ordine ad reliquorum Sacramentorum effectus admittunt. Ubi autem ſacroſancta ea Humanitas phyſicè concurrere debet ad prędictos univerſim effectus Euchariſtiæ, tam quà ſacrificium eſt, quam prout eſt Sacramentum; quis prudenter inſtrumentum aliud excogitat, vel adſtruit, elevandum ad motum phyſicum Corporis Chriſti Domini producendum; præſertim cum motus illi, qui eliciuntur intra ſacrificium, ſint per ſe aliquatenus integrantes ipſum ſacrificium, aut ſaltem ad illud ritè, & perfectiori modo conficiendum instituti? Inſtrumentum deſtinatum permanenter ad effectus ſacrificii phyſicè inducendos, non erit aptius, & congruentius omnibus ad operationes, quæ ſacrificium ipſum concernunt, quæque inſtrumento aliquo divina virtute elevato egent, eadem facultate emittendas? Sacerdos principalis, & ſummus aderit altari impotens movere Victimam, quam offert, & immolat, & diſtribuit; dum ſubalterno conceditur (à compluribus inter Adverſarios) ea facultas? Dos agilitatis erit in motrice potentia Humanitatis Chriſti Domini ſpeciebus tecta, indiga impulſus alterius brachii, ut corpus, cujus eſt agilitas, & ſe ipſam, ciere valeat vel ad locum viciniorem? Quis avium Reginę pennas adſcititias tanquam ad volatum neceſſarias accommodat propriis agilioribus?

Num. 59. Neque ab his victricibus, conſimilibuſque reflexionibus ſe expedit, qui confugiat ad opinionem Doct. Subtilis, ajentis, Corpus Chriſti Domini moveri à ſolo Deo ad motum ſpecierum abſque elevatione & concurſu cujuſpiam inſtrumenti. Quoniam ubi adeſt inſtrumentum univerſale, & permanens ad ejuſmodi miraculoſas immutationes efficiendas, intimè copulatum, digniſſimumque, medio quo apud ipſum

Doct.

Doct. Subtilem in 4. diſt. 10. quæſt. 7. dum miraculosè movetnr interdum Hoſtia, nullo apparente motore viſibili, eam movet; cur illo non uti credendum eſt? Loquens enim ibi de potentia motrice organica Scotus, inquit: *Non organicam ſuppono eſſe in anima Chriſti, quia etiam erit in anima cujuſlibet beati, non tantùm quantum ad habitum, ſed quantum ad actum, & uſus poſſibilitatem... Hac autem fortè uſus eſt Chriſtus in vita iſta, ut quando elapſus eſt de manibus Judæorum, qui ducentes eum ad montem, ſuper quem erat Civitas eorum ſita, voluerunt ipſum præcipitare: quando etiam elapſus eſt de manibus Parentum, manſit in Jeruſalem, ut patet ſecundum Origenem ſuper illud Lucæ 2. cum factus eſſet Jeſus annorum 12. ergo anima Chriſti in Euchariſtia exiſtens poterit uti iſta Potentia, movendo ſpecies illas, vel Hoſtiam, & fortè ſic aliquando mota eſt Hoſtia à Chriſto immediatè.* SI autem Humanitate ſacroſancta, aut anima Chriſti utitur Deus, ut inſtrumento intimè copulato, organoque divinitatis, ad motum illum ſpecierum prorſus miraculoſum efficiendum, cur eodem uti non credimus ad motum Corporis ejuſdem Chriſti Domini ſub ſpeciebus abſconditi producendum? cum motus hic aſſiduè exerceatur in ſacrificio jugi ex Liturgiarum, & Eccleſiæ Sanctæ inſtitutiooe, adeoque congruentiſſimum apparet, adeſſe inſtrumentum determinatum ſemper; maximè cum plerunque, mirandi alii effectus, qui interdum ex Euchariſtia proveniunt viſibiliter, agnoſcant Humanitatem Chriſti Domini, ut cauſam inſtrumentariam, ut conſeoſus Sapieutum firmat, & Scotus hoc exemplo roborat. Quiu & ibidem adjungit, poſſe Chriſtum Dominum ex Euchariſtia facultate inorganica motrice impellere corpora alia approximata: *potentia alia non organica poteſt in actum ſuum hic* (in Euchariſtia) *ſicut in Cœlo, & per conſequens ſecundum iſtam poteſt movere corpus aliud ſibi approximatum, ſicut Angelus poſſet*: Corpus autem paſſibile Euchariſtiæ propinquum incapax naturaliter eſt ſuſcipiendi impulſum, aut motum non progreſſivum, ſive organicum; cum ex natura ſua mobile non ſit, niſi per partes, vel movendo uuam partem per aliam, ut ibidem tradit Doct. Subtilis. Unde licet motus ille ex parte principii concipiatur naturalis motori, quoniam per ſe loquendo movet per facultatem ſolius animæ, quæ extenſione locali corporis non eget ad operandum, ratione tamen mobilis, ſive termini, ſupernaturalis neceſſariò eſt. Igitur virtus, potentiaque motrix inorganica Chriſti Domini prout in Euchariſtia elevatur, ſeu elevabilis eſt ad imprimendum impulſum, aut movendum non progreſſivè, ſed unà totum corpus; iocapax naturaliter recipiendi ſimilem motionem, aut motum inorganicum (de illo enim tantùm diſputat ibi Scotus); quâ ergò ratione deneganda eſt conſimilis virtus inſtrumentaria eidem potentiæ ad movendum proprium corpus capax illius motus dum movetur Hoſtia?

Neque rectè diceretur, motum illum impreſſum Corpori propinquo Euchariſtiæ cenſeri ab Scoto naturali virtute elicitum, quandoquidem, tum in loco producto, tum diſt. 49. qu. 14. ad quam ſe refert in primo loco, expreſsè docet, motiooem illam eſſe impoſſibilem corpori, niſi glorificato; eo quod paſſibile ex natura ſua habeat partes remotiores minùs diſpoſitas. Ac proindè non ſolùm eſt impoſſibilis pro hoc ſtatu nobis motio illa, quatenus anima movere nequeat aliud corpus, niſi medio proprio corpore, ſed & quia mobile non eſt capax connaturaliter. Unde verum ſimpliciter non eſt, quòd Angelus poſſit motu inorganico per facultatem purè naturalem movere corpora quæcumque; ut enim dixit Eximus Suarez de Angelis lib. 4. cap. 32. *At verò motus Corporis intrinſecè, & ex parte mobilis requirit ſucceſſionem, in qua involvitur quædam repugnantia, & quaſi reſiſtentia inter ipſas partes, dum ſeſe invicem loco expellunt; & ex parte poteſt terminus maximæ velocitatis aſſignari* (Angelo, de quo diſſerit). Sed permittamus Doct. Subtilem ita ſenſiſſe; dum ergo præallegata diſt. 10. qu. 7. coucludit: *ſed tamen non poteſt movere corpus ſuum, ut hic, quia ut ſic illud corpus non ſubeſt alicui potentiæ motivæ, niſi divinæ immediatè*, loquitur ſolùm attenta facultate naturali Chriſti Domini in Euchariſtia, per quam poteſt, ex illa, corpora aliena approximata movere; ergo per potentiam obedientialem, ſive inſtrumentalem conjunctam poterit ex mente Doct. Subtilis movere ſuum Corpus: non enim hoc inſtrumeutum excluditur, per hoc quod aſſerat, eſſe tantùm mobile à divina virtute immediatè; quandoquidem ſemper hæc eſt cauſa principalis immediatè effectrix miraculi, tametſi aſſumat inſtrumentum aliquod creatum; ſolùmque proinde excludit motum illud ſui corporis ut provenientem à potentia naturali motiva Chriſti Domini: ſemel autem ac fatendum eſſet, potentiam motivam Chriſti Domini concurrere, quamquam illa inorganica radicetur in ſola anima, juxta doctrinam Scoti, nou ſitque propterea neceſſaria per ſe ad motum excitatio appetitus ſenſitivi, alteriuſve ſenſationis; ut tamen ipſum Corpus unitum Divinitati, & ipſa delibatum, digniori modo locum commutet, excitari debet eo titulo materialis aliqua potentia, aut ſenſus internus, vel pendere aliquatenus imperium voluntatis, motum decernens, à Corpore, ne ad inſtar ſaxi rotetur, purèque patiatur motum corpus vivum, & perfectè animatum, quod unà cum anima eſſe debet inter inſtrumenta omnia divinitatis, veluti primum mobile, & primum inſtrumentaliter movens.

Num. 60. Arguo ſecundo: fundamento ſenſibus, & potentiis materialibus communi, & propterea omnibus accomodando,

quan-

Digitized by Google

quantumvis faſtidium aliquod ingeneret nimia repetitio, quam ægrè cavere poteſt materiæ affinitas; dum aliunde prætermittere omninò illud non ſinat ſtabiliendę aſſertionis neceſſitas, Chriſtus Dominus altari præſens realiter exequitur actu immediatè munus principalis Sacerdotis, dum tremendum Sacrificium incruentè celebratur; ſed boc contingere nequit, quin ipſe Chriſtus Dominus moveat phyſice corpus proprium, Victimamque, facultate effectrice miraculorum, ſæpè explicata. Ergo &c. Majorem fusè expenſam, altèque fundatam auctoritate Sanctorum Patrum invenies io proxima futura diſput. minor facilè ſtabilitur: quandoquidem ſigna illa, Cruces; elevatio Hoſtiæ, Calicisque, & id genus alia, ſpectant per ſe ad officium Sacerdotis, itaut non per alios, ſed per ſeipſum immediatè debeat ea munia ſubire phyſicè. Ergo cum Chriſtus Dominus operetur, ut præcipuus Sacerdos, quâ ibi præſens, ipſe erit potiſſima cauſa, in linea inſtrumenti, elevandi corpus ſuum, aliarumque motionum, quæ iu ſacrificio, & ſæpe intra ipſum à Sacerdote exerceri debent, per quas redduntur ſenſibiles illæ, quas Chriſtus Dominus elicit inviſibiliter circa corpus ſuum; cum aliunde non debet movere ſeipſo ſpecies ſimul, quoniam ſubalternus Sacerdos, poteſt ille naturali virtute eas transferre; dum Chriſtus Dominus utpote inextenſus quantitative, non poſſet abſque miraculo (quod in ordine ad hunc finem otioſum foret) & quia ſi crebrò illas moveret, redderetur ſenſibilis præſentia realis Chriſti Domini cum detrimento ſidei; & quia Sacerdos viſibilis aliquid etiam efficere debet, præſertim ſenſibile, in ſacrificio, ut ſit verè celebrans.

Antecedens continet doctrinam Catbolicam, ut liquet ex cap. *Nihil* cauſ. 7. q. 1; ex Trident. ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis, & evitandis iu celebratione Miſſæ, ex Liturgia, ex Divo Tboma 3. p. q. 82. art. 3. & quæſt. etiam 83. ex decreto S. Pii Quinti: *Mandantes, & ſtrictè omnibus &c.* Ex Concilio Rhemenſi cap. 2. ut habetur in cap. *pervenit* de Conſecratione diſt. 2. ubi adjungitur, tractari Eucbariſtiam ſacram ab alio, quam à Sacerdote, à Laico videlicèt, aut fœmina, *Quam ſit borribile quamque deteſtabile omnium Religioſorum animadvertit prudentia*. Et in Concilio Niceno primo Canone 14. dicitur: *Pervenit ad Sanctum Concilium, quod in locis quibuſdam, & Civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant, & boc, neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut bi, qui offerendi Sacrificii non babent poteſtatem, bis, qui offerunt, Corpus Chriſti porrigant*. Immò id jure divino præcipi, opinati fuerunt Sotus in quartum diſt. 13. q. 1, art. 3. Ledeſma, Doctor Eximius tom. 3. in 3. p. Diſp. 72. ſect. 1. & paſsim Theologi, adducentes D. Thomam 3. p. qu. 82. art. 3. ibi; *Sacerdos conſecrat in Perſona Chriſti. Ipſe autem Chriſtus, ſicut conſecravit Corpus ſuum in Cœna, ita & aliis ſumendum dedit. Vndè ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio*. Quamvis in caſu ueceſſitatis miniſtrari poſſe per Diaconum, certum ſit ex Divo Thoma ibidem art. 1., Soto, Doctore Eximio &c. adeatur etiam S. Doctor in quartum diſt. 13. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. Eo quod ſit de jurè divino illud præceptum poſitivè uſurpatum, quatenùs conſtituit Sacerdotes diſpeoſatores hujus Tbeſauri abſconditi, juxta illud Pauli 1. Corint. 4. *Sic nos exiſtimet bomo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Attamen negative acceptum non excludit Diaconos ſimplicitèr, & pro omni eventu, ſed extra caſum ueceſſitatis duntaxat. Quinimmò dum ſub utraque ſpecie Eucbariſtia à fidelibus ſuſcipiebatur, adhùc extra caſum neceſſitatis (uti & dum Summus Pontifex ſolemnitèr celebrat) dummodò Presbyter juberet, ſanguinem Diaconi diſpeuſare conſueverant, neutiquam verò corpus, quippe quod immediatè taugitur (quatenùs ſpecies ſacræ immediatè attinguntur) à diſtribuente; non ſic autem ſanguis in Calice contentus; ut docet Divus Thomas in laudata quæſt. 82. art. 3. Iſidorus lib. 2. de offic. Eccl. cap. 8. Concilium Aquiſgran. primum cap. 7. Cum igitur motus illi ſint per ſe, & quidèm de jure divino, ſpectantes ad officium Sacerdotis, quod potiſſimè deſumitur per ordinem ad Sacrificium conficiendum; ubi ſemel conſtiterit, Chriſtum Dominum in altari exequi phyſicè activè, & immediatè ſeipſo inviſibilitèr munia Sacerdotis ſacrificantis, & nequaquam merè paſſivè tantum munus victimæ, compertum videtur, motiones divinitùs activè eliciendas ab aliquo inſtrumento, ad hoc elevando, exerceri à Chriſto Domino, tanquam Divinitatis organo, ſummoque Sacerdote, & principali ſacrificante, pauperibus diſtribuente ſeipſum.

Et ſanè dum amore illectus reficere intendit dilectos ſuos, ab alio impelli, & non magis proprii amoris pondere ferri, amoris philoſophia nou permittit. Hæc intelligenda ſunt de operationibus illis, quæ inviſibilem Sacerdotem non produnt ſenſibilitèr, ne fides experiatur nocumentum. Uti & de illis, quæ peculiares non ſint Sacerdotis miniſtri, quæque ab eo oaturali virtute elici poſſunt; ſicut etiam de iis, quæ ſiunt à Chriſto Domino jam altari realitèr præſenti; namque verba Couſecrationis, quę ad eam præſentiam activè inducendam, elevantur, cum illam præcedant, nequeunt influxum aliquem effectricem inſtrumentarium ab illa ex altari ſimul concurrente ſortiri; proferuntur tamen nomine ipſius omnimoda cum proprietate, & quia ipſe ita inſtituit, & quia Sacerdos proferens, fungitur legatione pro Chriſto Domino. Non ſic autem dum ipſe jam ſupponitur realitèr præ-

præſens aræ, tunc enim legatione alterius opus non habet, in eis, quæ per ſe ſpectant ad officium principalis Sacerdotis; præſertim dum ſupernaturalem virtutem poſtulant, inſtrumentumque elevatum, Rem divinam facere, quod illius curæ, & executioni principalitèr commendatum eſt; alteri tradet, immediatè, & in omnibus exercendum, dum ipſe adeſt præſens, & plura ſeipſo efficere valet in Patris honorem, & in decus maximum ipſius Sacrificii? Sacerdotibus miniſtris imperat, ut ſeipſis immediatè ſacra munia exequantur, & ipſe ſummus Sacerdos in eis, quæ principalem Sacerdotem reſpiciunt, complicatis manibus eidem Sacrificio adeſt, ſi non poſitivè otioſus, in nulla tamen ſacra functione occupatus? Hortatur illos voce; & ſilet exemplo?

Num. 61. Roboratur tertiò aſſertum noſtrum: Eatenus opinio contraria denegat Chriſto Domino quà velato accidentibus uſum activum ſenſuum omnium, & potentiarum materialium, quatenùs arbitratur, nimiùm fore miraculum concurrendi divinitùs ad eas ſenſationes emittendas, dum nobiliſſimas alias ejuſdem rationis à Chriſto Domino in propria ſpecie ſcaturientes aſſiduo fluxu poſſidere valet per concomitantiam in Euchariſtia. At motus localis Chriſti Domini in propria ſpecie, ſive in Empyreo (uti nec præſentia alia formalis denuò acquiſita in quovis alio altari, aut templo) adeſſe nequit per concomitantiam Chriſto Domino quà ſub ſpeciebus Euchariſticis præſenti, ut præſupponunt Adverſarii, eſtque extra controverſiam omnem; alioqui præſentia ipſa circumſcriptiva, qua redditur formalitèr præſens Empyreo, reperiretur concomitantèr in Euchariſtia, quod abſurdiſſimum foret, cum involvat adhæſionem, & alligationem eſſentialem ad illud ſpatium. Deficit ergò in potentia motiva adæquata, aut potiſſima, ratio denegandi eidem ſuum complementum, motumque activè elicitum ex Euchariſtia. Subindèque concedendus eſt illi, quà ſub accidentibus latenti, uſus activus, motioque, quantumvis attemperata ad motum Hoſtiæ, factum à Sacerdote (ne alioqui myſterium corruat, & ejuſdem fides) ſi conſequentèr procedere velint Adverſarii, etiamſi ad illius productionem, novamque præſentiam comparandam, opus ſit miraculo; maximè cum apud eorundem principia paſſim, ſemper intercedere debeat operatio miraculoſa ad eam novam formalem præſentiam acquirendam, ſive inſtrumentum præfati miraculi ſit ipſe Sacerdos, ſive ſpecies, ſive Deus ipſe ſe ſolo operetur ſupra vires totius naturæ. Et hoc eſſe poteſt quartum validiſſimum argumentum: quoniam in reliquis ſenſibus, ſi Chriſtus Dominus non elevetur ad eorum, vel quorumdam, ſenſationes activè eliciendas in Euchariſtia, à nullo alio agente ibidem, ſive creato, ſive increato producuntur illæ; ſed vel purè recipit per concomitantiam eas, quæ in Cœlo emittuntur, vel adeſt potentia viſiva, exempli cauſa, vel auditiva privata omni actu ſecundo: quippe qui non eſt ſimplicitèr neceſſarius, apud contrarios, nec Sacrificio, nec Sacramento. Cœterùm motus aliquis Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia, eſt planè neceſſarius, tum ad Sacrificium, tum ad diſtribuendam Cœleſtem hanc eſcam, & quidèm ſemper miraculoſus, cum recipiatur in corpore inextenſo prorsùs, ac ſubindè naturalitèr incapaci illius; aliundè nec hic [neque aliquis alius] haberi poteſt per concomitantiam è Cœlo, ut dictum eſt. Neceſſariò igitur patrandum eſt miraculum ad ejuſmodi motum efficiendum; ecquod autem inſtrumentum aptiùs, & opportunius, quam ipſamet potentia loco motiva Chriſti Domini dote agilitatis inſtructa, & cui aliundè adeſt omnipotentia parata? Perſpectis igitur reflexionibus, quibus movetur opinio contraria ad denegandum reliquis potentiis corporeis uſum activum, influxumque in proprias operationes ſub accidentibus Euchariſticis; inconſequentèr illum inficiatur in potentia loco motiva, in qua profundè jacent omnes illæ. Ulteriùs, & quintò: in vulgata Philoſophia, dum movetur corpus, anima non movetur phyſicè eodem motu, quippe qui, utpotè materialis, recipi nequit, juxta eam philoſophiam in anima, ſed movet activè ſeipſam. Ergò & ſeipſam movebit anima Chriſti Domini in Euchariſtia, dum ejus corpus movetur, cum ad eam operationem polleat virtute naturali, eo quod extenſione non egeat, nec illius in ſe capax ſit. Si autem ſemel debet movere ſeipſam, cur non ſimul & corpus ſuum elevata, itaut motus ſit ſupernaturalis, quà corpus ciet, & naturalis, qua ſeipſam una movet? Maximè cum nullo negotio per imperium excitare poſſit etiam phantaſiam, & appetitum ſenſitivum, ut motus ſit etiam vitalis corpori, & dignus planè corpore vivo; ne alioqui reperiatur vita non vitalis, ut Græcis in proverbio erat, dum inertem deſcriberent.

Num. 62. Inſuper & ſextò probatur (diſcurſu abſolutè accepto, quantumvis nuper illo uſus fuerim ad hominem) quoniam ſenſus, & potentiæ aliæ, tametſi non elicerent ſenſationes proprias ex Euchariſtia, illas tamen mutuarentur è Cœlo, per quas viverent intentionaliter, licet phyſicè non viverent, gauderentque propterea complemento, & perfectione ſua penes gradum potiſſimum. Verùm facultas motiva, cum nullos actus ſortiri valeat per concomitantiam ex Empyreo, nec per illos perficeretur ullo modo, quamvis eos concomitanter ſecum deferret, cum non moveretur in Euchariſtia per motum illum è Cœlo adductum, eſſet ibi prorsùs abſque effectu formali. Deinde ſi potentia illa ſit vitalis purè phyſicè, ut opinantur plures, non viveret per illum motum

in

in Euchariſtia, cum ipſum non produceret phyſicè. Remaneret igitur motrix ea facultas, quà præſens altari, orbata omni ſua perfectione in actu ſecundo, & quidem ſimpliciter; quæ privatio abſoluta in cœteris ſenſibus reperiri nequit apud oppoſitam etiam opinonem, quia forent miſeri.

Neque ſatisfacit, quod ex Doct. Subtili ea diſt. 10. quæſt. 7. reſpondere poſſet aliquis: inconveniens minimè eſſe potentiam aliquam motivam fraudari ſimpliciter omni actu pro aliquo ſtatu, aut tempore: etenim ibi diſputat Scotus de potentia inorganica pro ſtatu præſenti, & paſſibili, noſtro, aſſeritque ejus non uſum pro ſtatu hoc repugnantem non eſſe, dummodo illo fruatur pro ſtatu beatitudinis: *Potentia motiva non organica*, inquit, *non eſt fruſtra, licet uſus ejus non poſſit modò haberi; cujus tamen uſus erit perpetuus in beatitudine*. Status autem præſens Chriſti Domini in Euchariſtia eſt beatitudinis perfectiſſimæ ſtatus: ut ut ergo ſe habeat circa ſenſus, guſtus, & tactus, de quibus obviter diſcurrit etiam ibidem; potentia tamen motiva eſſet imperfecta in ſtatu beatitudinis, ſi nullum motum, nec organicum, nec inorganicum elicere poſſet. Et licet eos producat, quà circumſcriptivè exiſtit in Cœlo; verumtamen hoc non tollit, quominus prout in Euchariſtia eſſet miſera potentia illa, ut Doct. ipſe Subtilis loquitur de potentia viſiva Chriſti Domini, quamquam in Cœlo gauderet actuali ſua perfectione, ſi ea caruiſſet in Euchariſtia, tam ut ex illa primò producta, quàm ut habita concomitanter.

Idque vires reſumit urgentiores in doctrina ejuſdem, affirmante, Chriſtum Dominum glorificatum potuiſſe exiſtere tantummodo Sacramentaliter, etiamſi nullibi exiſteret in propria ſpecie; nec ſtatum illum pendere ullo pacto ab hoc. Præterea, permittatur omnis abſurditatis expers exiſtentia potentiæ in Euchariſtia abſque ullo prorſus actu ſecundo, quo perficiatur, ubi nullus præfatæ potentiæ actus, aut terminus proprius illius debet adeſſe neceſſariò in Euchariſtia; motus attamen Corporis Chriſti Domini in altari, & ex altari eſt planè neceſſarius, & frequens, debetque elici ab aliquo alio inſtrumento elevato; miſera ergo proculdubio foret ea potentia in Chriſto Domino, quin & in quovis alio Corpore glorificato, ſi motum illum ſibi neceſſarium elicere à ſe non poſſet.

Miſſum facio, ut ſeptimo arguerem, inſolitum ſplendorem apparitionum quarumdam Divinarum, quo illuminante viſus eſt interdum in Euchariſtia Puerulus quaſi ludens aſſultibus, & motibus hilaritatem præſeferentibus geſtiens, ex naturaque ſua ſignificantibus uſum facultatis motricis ipſius ſub accidentibus, quod abſque deceptionis illuſoriæ ſpecie, fieri non poſſet, ſi omni motu ſimpliciter adeſſet privatus ſub præfatis accidentibus, ut fusè expendimus diſp. 2. ſect. 4. Quin ſufficeret ad eas apparitiones verificandas, quòd interdum miraculosè moveret Hoſtiam ſeipſo; alioqui, nec illæ arguerent præſentiam realem permanentem Chriſti Domini in Euchariſtia: quoniam ſatis eſſet ad eas verificandas, ipſum adeſſe realiter in ſumptione, vel pro tempore ſolùm Sacrificii, juxta diverſitatem errorum, & hæreſum. Uti & libenter prætermittimus (quia ſæpè in conſimilibus ponderatam) ſpeciem indecentiæ alienam à majeſtate Corporis Chriſti Domini glorioſi & Sacroſancti: quæ ſatis manifeſtè apparet in eo, quod ad inſtar Corporis emortui deferatur ab aliis, impellaturque quocumque eundum illi ex officio eſt, quin eat ipſe: Cum enim gaudeat potentia motiva perfectiſſima, & agilitate glorioſa ſumma: cumque rurſus habeat permanentem intimam rationem inſtrumenti, & potentiæ obedientialis conjunctæ ad ſe movendum, pugnare videtur cum ejus decoro, quòd ab alia potentia motrice aliena, & à potentia obedientiali extranea accipere debeat beneficium motus.

Num. 63. Impertinenter autem diceretur, Chriſtum Dominum ipſum meruiſſe vim illam inſtrumentariam vel Sacerdoti miniſtro conceſsam, vel ſpeciebus, ad hoc ut moveant Corpus ſuum; ſub qua ratione eſt cauſa moralis ipſius motus phyſicè ab alio divinitus activè eliciti. Quo namque jure credendum eſt, illum meruiſse præfatam virtutem alteri, & non ſibi? Immo & qua ratione, quæ non repetat principium, dicendum eſt, Chriſtum Dominum meruiſſe id, quod abſque ejuſdem indecentia, aut colore illius, exercere nequit, ut argumentum probat, aut delibat? Quamvis enim excogites modum, quo ex ſuppoſitione decreti de non concurrendo cum potentia motrice ipſius Chriſti Domini promeruerit, quòd à Sacerdote moveatur; emergere non vales: quoniam eam ſuppoſitionem dicimus indecentem Chriſto Domino, cum illius oppoſitum ſit æque poſſibile ejus potentiæ motivæ ut inſtrumento divinitatis, ac poſſibile eſt, Sacerdotem elevari ad ipſum movendum. Immo ut in ratione cauſæ meritoriæ eſset perfectiſſimus, debuit utramque vim influendi in motum, & moralem, & phyſicam, promereri; ſin minùs illius meritum non fuiſset undique ſummum, cum æquè ſit connaturaliter impoſſibilis motus ut inducendus ab alio agente, ac ab ipſomet Chriſto Domino, divinitus verò æque poſſibilis ipſi, ac alteri.

Tandem licet eo titulo morali impelli ab alio agente creato foret minùs indecoroſum, in linea tamen, & ordine phyſico ſemper dedeceret Chriſtum Dominum ad inſtar cadaveris à portitoribus moveri, aut tranſmutari. Semperque potentia illa motiva reſtaret incompleta, privataque ſua perfectione actuali, cum per influxum eum

mo-

moralem compleretur ſolùm cauſa, ſive potentia merendi; neutiquam verò potentia loco motiva. His reflexionibus adjungenda illa, quæ ad aſſiduum ferè illum motum Chriſti Domini ſub ſpeciebus, tum intra ipſum ſacrificium, tum in ejus diſpenſatione, & cum ad infirmos defertur, aut in pompa ſolemni circumgeſtatur, poſtulat virtutem aliquam, aut qualitatem permanenter elevatam, ſemperque eandem in agente, aut potentia motrice; ne pro functione, aut actu, ſi non perenni, frequentiſſimo tamen, recurrendum ſit ſemper ad influxum extrinſecum miraculoſum, dum intra ipſam lineam ſupernaturalem conſentaneum ſit, modo magis proportionato, magiſque connaturali, adeſſe principium intrinſecum, quod elevatur, ut fatentur omnes. Et aliunde ut quid permanens virtus alia, vel qualitas congenita ſpeciebus, ut nonnulli ſentiunt; vel ipſimet Corpori Chriſti Domini ut opinati fuerunt alii: vel Sacerdoti, ut plures arbitrantur: uti nec aliquod inſtrumentum aliud extraneum, aſcititiumque, ubi adeſt virtus permanens inſtrumentaria conjuncta verbo, & pro nutu ſuo erumpens in conſimiles mirabiles tranſmutationes, ab ipſo Incarnationis momento conceſſa ad omnem ejuſmodi finem ordinata? Ubi rurſus viget inamiſſibiliter dos agilitatis ſtatus glorioſi propria, & facultas motrix expeditiſſima aliunde ex ſe in Beatis, mirum in modum confortans ad motus etiam, & volatus, naturæ vires prætervolantes? Ubi exerceri poteſt operatio illa modo vitali, termino moto, ſubindeque nobiliori, & digniori, ſi motor, & mobile ſint idem? Et tandem, ne per omnipotentiam ſolam effici dicas motum illum; nequidquam per influxum extrinſecum fieret ea motio, cum præfatus concurſus miraculoſus ſolius Dei argueret per ſe defectum virtutis intrinſecæ, non tantùm naturalis, ſed & inſtrumentalis in facultate motrice ipſius Chriſti Domini, & improportionem illius ad hoc ut elevetur, quem defectum ſuppleret ſe ſola omnipotentia: & cum aliunde reipſa inſit Chriſto Domino ſub accidentibus non una tantùm, ſed duplex facultas (juxta principia potiſſimè Doct. Subtilis) intrinſeca, valde proportionata, & ultra illas dos agilitatis eaſdem illuſtrans, & expeditiores efficiens: & rurſus virtus inſtrumentaria univerſalis, per omnes potentias diffuſa ad patrandas miraculoſas omnes operationes, quæ vel Euchariſtiam concernant, vel etiam proprium Corpus, ejuſque vitam; neque juſtè, neque verè argueretur defectus ille: & abſque utilitate privaretur ea potentia proprio complemento. Studio itaque voluntario fugeret omnipotentia ab hoc inſtrumento proprio, proportionatiſſimo, & conjuncto, ſi uteretur alio, vel non uteretur illo.

Num. 64. Eſt igitur verum, facultatem motivam omnem, ſi ſtandum ſit communiori doctrinæ, tum movendi proprium Corpus, tum impellendi alia propinqua, eſſe connaturaliter ligatam in Euchariſtia inextenſione ipſa, qua illi fit præſens Chriſtus Dominus: eſſeque incapacem eodem titulo ad recipiendum naturaliter motum; ubi tamen omnis virtus naturalis eſt pariter ligata, ſive impotens ad Corpus illud transferendum de loco in locum, niſi divinitus vincula alicujus motoris ſolvantur, neſcio cur diſſolvenda potiùs non ſint vincula potentiæ motivæ ipſius Chriſti Domini præ aliis, cum ipſe per os Davidis Pſalm. 115. grates referens Patri, dixerit: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis*. Nam per Hoſtiam, & ſacrificium intelligi Euchariſticum ſacrificium, ubique leges apud Patres, & Interpretes. In eumque ſenſum conſimilia verba Pſalm. 49. uſurpat S. Auguſtinus, & ex ipſo Sebaſtian. Barradas to. 4. lib. 3. cap. 15. ideoque paulo ante in eodem Pſalmo 115. locutus fuerat perſpicuè de Euchariſtia, dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam &c.* Quænam ſiquidem potuerunt eſſe vincula Summi Sacerdotis, ſui ipſius immolationem incruentam altariſve ſacrificium impedientia, & pro quorum diruptione ſacrificium gratiarum actionis, ſive laudis Patri ſpopondit? Non alia ſanè commodiùs, aut connaturaliùs intelliguntur, quàm ea quibus ligatur naturali impoſſibilitate ſe movendi Chriſtus Dominus in altari, commutandique præſentiam, ut opus eſt ad ſacrificium celebrandum ritè: tum etiam ad ſe movendum ab intrinſeco per actus immanentes, quibus offerat ſacrificium, quà homo eſt, & Sacerdos ſummus, & quibus ſeipſum immolet incruentè: ſiquidem his conficitur ſimpliciter ſacrificium, illis verò perficitur. Illa autem vincula naturaliter ipſum colligantia rumpit poteſtate inſtrumentali inſtructus divinitus, dum & vitaliter movetur ad motum ſpecierum, & dum utitur ſenſibus externis, & internis, actibuſque ſpiritualibus ab eis pendentibus aliquatenus; ſine quo nequiret plenè ſacrificium peragere, nec rem divinam perfectè conficere. Et quamvis potentia motiva remaneat ſemper connaturaliter nexibus conſtricta; quoniam tamen illa per abſolutam Dei poteſtatem ſoluta eſt ab omni impedimento in ordine ad motum eliciendum, meritò in ordine ad eum uſum dicuntur vincula confracta (tametſi maneat alia nexus ratione ſemper ligatus ſpeciebus) ut ſit inter vinctos liber, ſicut liber fuit inter mortuos.

Digitized by Google

SECTIO QUARTA.

Removentur difficultates, quæ impedire poſſunt præcedentis aſſerti curſum, & Chriſti Domini in altaribus motum.

§. I.

Num. 65. OPPONES: Primo D. Thomam 3. p. quæſt. 76. art. 6. ubi docet, Chriſtum Dominum eſſe in Sacramento altaris immobiliter per ſe, inſuperque adjungit: *Secundum igitur hoc eſſe* (Sacramentale) *non movetur Chriſtus per ſe ſecundum locum, ſed ſolùm per accidens, quia Chriſtus non eſt in hoc Sacramento, ſicut in loco, ſicut prædictum eſt. Quod autem non eſt in loco, non movetur per ſe in loco, ſed ſolùm ad motum ejus in quo eſt.* Reſpondeo, immobiliter adeſſe Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus, nihil importare, quod aſſertioni noſtræ contradicat; cum non aliud ſignificet, quàm Chriſtum Dominum non poſſe moveri ad nutum, nec abire inde, dum perſiſtant ſpecies ex ſuppoſitione alligationis ad ipſas, & inſtitutionis juxta præſentem providentiam facta; ac proinde quantum eſt ex ſe, adeſſe immobiliter. Immo & naturali virtute à nullo agente tranſmutari valet, conſequenterque in eo vero, & reali ſenſu etiam adeſt immobiliter. Id autem uti minimè tollit, quominus ad ſpecierum motum ipſe moveatur per accidens, ut Div. Thomas aſſeverat (cujus oppoſitum incideret in deſertum ab omnibus loquendi modum Durando attributum in 4. diſt. 10. q. 3.) ita non arguit ullo pacto, quòd non moveatur à ſe phyſicè motu regulato ad ductum Sacerdotis, Hoſtiam transferentis. Sicut igitur immobilitas, quæ aſſeritur à Divo Thoma non officit motui per accidens, ita à fortiori nihil omnino conducit ad perſuadendum, præfatam motionem non effici activè, & purè phyſicè à Chriſto Domino ipſo, quamvis ſuadeat, non fieri ab ipſo tanquam Domino illius motus ad illumque pro libito determinante. Quòd vero motum per accidens ſolùm admittat, nihil conducit ad ſubinferendum, Chriſtum Dominum quà inſtrumentum conjunctum, nequaquam producere motum ſui Corporis, & Sanguinis ad motum Hoſtiæ, & Calicis. Ratio eſt quia D. Thomas in eo loco ſolùm affirmat, convenire Chriſto Domino pœnes eſſe Sacramentale motum per accidens duntaxat, & nunquam per ſe; (ſicut eſſe putat in loco ſolùm per accidens, ſubindeque duplici titulo, per accidens, ut explicat in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 4.) à quo autem, ut inſtrumento elevato producatur motus ille, neutiquam inſinuat, vel è longinquo.

Sed non aptè dicimus, non inſinuare principium activum præfatæ motionis, quia re ipſa indicat ſatis, prædictum motum provenire ab ipſo Chriſto Domino: etenim cum oppoſuiſſet ſibi in primo argumento ex ſecundo Topicorum, quòd motis nobis moveantur omnia, quæ ſunt in nobis, ſubdens: *Quod quidem eſt verum de ſpirituali ſubſtantia animæ*; quæ movetur in nobis ad motum Corporis. Reſpondet S. Doctor, concedendo, moveri Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus per accidens, dum illæ moventur ad eum modum, quo movetur anima in Corpore noſtro, dum illud commutat locum, & quo moventur abſolutè Angeli: *Ad motum noſtri*, inquit, *moventur ea quæ in nobis ſunt. Aliter tamen ea, quæ per ſe non poſſunt eſſe in loco, ſicut formæ, & ſpirituales ſubſtantiæ: Ad quem motum poteſt reduci, quod dicimus, Chriſtum moveri per accidens ſecundum eſſe, quod habet in Sacramento, in quo non eſt ſicut in loco*. Sed in probatiſſima Philoſophorum, etiam plurium eorundem, qui in ſubjecta materia nobis reſiſtunt, ſententia, dum anima movetur per accidens ad motum Corporis, ipſamet activè producit ſuam præſentiam, movetque ſeipſam, eo quod ejus præſentia, utpotè ſpiritualis, nequeat (ut ea opinio exiſtimat) elici à potentia materiali. Ergo motus Chriſti Domini in Euchariſtia, tametſi per accidens ſolùm talis, & ad motum ductumque alterius factus, producitur activè ab ipſo Chriſto Domino, juxta Divi Thomæ doctrinam in producto teſtimonio. In ſententia verò illorum, qui cenſent, animam recipere poſſe materialem impulſum, & motum Corporis, adeoque moveri unà cum ipſo, producturam alioqui proprium motum, nullum deſumi poteſt argumentum in noſtram aſſertionem: quoniam ſupponunt etiam Adverſarii, Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus non poſſe moveri à Sacerdote eadem virtute naturali, qua circumducit ſpecies; nec motus ille naturalis recipi valet in Corpore Chriſti Domini utpotè inextenſo, ſicut recipi poteſt in anima noſtra motus Corporis, juxta hanc doctrinam. Ergo cum ab alio principio deſcendere debeat motus Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ab ipſo neceſſariò proveniet; quemadmodum proveniret ab anima, ſi motum Corporis in ſe non reciperet. Ulterius motus Angeli non dicitur ſtrictè localis, ſeu motus ad locum, juxta principia Divi Thomæ, quia ſolùm ratione operationis, aut Corporis aſſumpti eſt præſens loco; cæterum realiter producit ipſe motum ſui, præſentiamque definitivam, quamvis ſolùm reductivè venire poſſet ad prædicamentum *Ubi*. Cum igitur Chriſtus Dominus apud D. Thomam, quà Sacramentaliter exiſtens, non ſit propriè in loco, ſed tantùm moveatur ad comparandam novam præſentiam Sacramentalem inſtar Angeli definitivam de novo acquirentis, dum aliam hujuſmodi deſerit; rectiſſima illatione deducitur ex mente D. Thomæ, Chriſtum Dominum in altari ita moveri per accidens in ordine ad

lo-

locum , dum Sacerdos removet à loco in locum ſpecies , ut eliciat facultate inſtrumentaria ſibi credita motum ipſum , & præſentiam propriam Sacramentalem producat; alioqui minùs opportunè adduceretur exemplum motus Angeli , ut ad modum illius declaretur motus Chriſti Domini ſub accidentibus: cum ſolùm conveniret in eo , quòd uterque non ſit per ſe in loco , ſed per accidens ; differrent tamen in eo , quòd motus Angeli flueret ab ipſo, & non fieret ad ductum alterius ; motus vero Chriſti Domini foret reſpectu ipſius purè paſſivus , & ad ductum Sacerdotis elicitus. Qui ergo ex hoc teſtimonio obſcurare vult aſſertionem noſtram , tentat eruere tenebras è ſinu lucis.

Num. 66. Oppones ſecundò: Si Chriſtus Dominus inſtrumentali virtute moveret phyſicè ſeipſum in Euchariſtia , motis ab alio agente accidentibus, in actione ipſa ſumendi Corpus Chriſti , nullatenus reperiretur vera , & ſtricta manducatio ; cum oppoſitum ſit fide certum, decernente Concilio Tridentin. ſeſs. 13. Can. 8. *Si quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum, ſpiritualiter tantùm manducari , & non etiam ſacramentaliter , ac realiter; anathema ſit.* Aſſumptum patet, quoniam vera manducatio importat eſſentialiter activum manducantis influxum, quo cibum trajiciat vitaliter in ſtomachum; alioqui cibus, aut liquor infuſus per os defuncti in ejus ſtomachum eſſet ſtricta manducatio . Conſimiliter , ſi Angelus pomo , aut fruſto panis intimè præſens, una cum ipſo iret in ſtomachum edentis panem , aut pomum , diceretur in toto rigore proprietatis, hominem illum comediſſe Angelum; quod nugatorium foret; tametſi veriſſimum ſit, nos in Sacramento altaris manducare panem Angelorum . Vireſque in ſpeciem robuſtiores ſumit objecto ex cap. *Ego Berengarius*: de conſecrat. diſt. 2. ubi proteſtatur ipſe, & confitetur: *Panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini eſſe , & ſenſualiter non ſolo Sacramento , ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri &c.* Hæc tamen verba ſi ſtrictè accipienda forent, non tantùm ſtrictam Corporis Chriſti Domini manducationem denotarent , ut ex illa inferas motum trajicientem cibum, à manducante productum ; ſed & inſuper abſurdiſſimam fractionem veram Corporis Chriſti Domini ; quod uti aberrat prorsùs à verò , ſolùmque per denominationem valdè laxam ab ſpeciebus deſumptam affirmari valet cautè de Corpore Chriſti Domini , ita conſequenter refundere poteſt duntaxat in diſcurſum exindè illatum contra noſtram ſententiam debilitatem potiùs, quàm robur ; niſi quod reipſa fatemur libentiſſimè, & Catholicè, quòd Corpus Chriſti verè , & propriè manducatur realiter Sacramentaliter; inficiamur verò, quòd ſequatur ex ea manducatione , motum Corporis Chriſti in ſtomachum debere produci phyſicè ab ipſo manducante .

Et ſanè objectio hæc torquere poſſet alias pariter, ultra noſtram, opiniones , ſi vires, quas præſumit, obtineret: cum eodem conatu impetat aſſerentes, Corpus Chriſti Domini neutiquam moveri à Sacerdote illud ſuſcipiente,aut alio agente extrinſeco, ſed ab ſpeciebus elevatis, aut qualitate aliqua impreſſa permanenter ipſis. Quamquam enim ex illa opinione ſequatur, manducantem movere phyſicè ſpecies moventes phyſica ſua cauſalitate Corpus Chriſti Domini, quod non contingit, ſi Chriſtus Dominus activè conferat ſibi ipſi præſentiam ad motum ſpecierum; cæterum cum cauſa remota vera cauſa non ſit in eo genere , in quo eſt remota , nihil eo titulo ſolidum accreſcit ſatisfacientibus juxta principia hujus opinionis objectioni præſenti , qua parte præfatam etiam opinionem labefactat. Si verò cauſalitas illa uſurpetur in linea morali, tunc pariter verificatur in noſtra, ac in ea ſententia, manducantem eſſe cauſam moralem motus phyſici Corporis Chriſti Domini in ſtomachum ab ipſo eliciti, eum nonniſi ad ductum manducantis, & moventis, volventiſque ſpecies, producat Chriſtus Dominus præſentias ſucceſſivas ſui Corporis, attemperando motum ſuum motui manducantis, tanquam habenti dominium ſupra utrumque, ex ſuppoſitione alligationis , ut præcedenter in re pari diximus.

Eundem ſi non validiorem impetum facit in eos, qui unicè à Deo moveri Corpus Dominicum ſentiunt, ut planum eſt. Sicut & in elevantes unionem , quæ nectit Corpus , & ſpecies , ad eam motionem efficiendam . Quamobrem argumentum, hoc tametſi à pluribus magnificetur, & à P. Vaſquez diſp. 190. non ſine triumphi apparatu circumferatur , reipſa inerme eſt , & vel exiguo niſu enervandum , ut notum fecimus nuper . Tam Sacerdos enim , quàm manducans, dum movent ſpecies phyſicè, ſunt vera cauſa moralis motus phyſici corporis Chriſti Domini ab eodem phyſicè eliciti, præſuppoſita alligatione ſæpè inculcata, quæcunque illa ſit . Non propterea tamen facultas naturalis motrix, tum manducantis, tum Sacerdotis moventis, habet vim inductivam moraliter operationis ſupernaturalis ; quandoquidem illam poſſidet tantùm per accidens ex ſuppoſitione, quòd Chriſtus Dominus voluerit unire inſeparabiliter Corpus ſuum ſpeciebus illis , quandiù perſeverent : à quâ ſuppoſitione oritur neceſſitas illius motus ſupernaturalis ; & aliundè in præfatam ſuppoſitionem non influit moraliter manducans , aut Sacerdos, ſed unicè ex illa influere dicimus per accidens moraliter in motum . Dici poteſt igitur abſque inconvenienti cauſa moralis motus ſupernaturalis, non per ſe, & ſimpliciter , ſed per accidens , & ex ſuppoſitione ;

uti diceretur moraliter influens per accidens pariter, & ex præſuppoſitione conſimili, ſuperior, qui ſciens ſubditum virtute miraculorum clarere, præciperet illi per imperium pure naturale efficientiam mirabilis operationis urgente aliqua neceſſitate; hoc enim ad modum loquendi ſpectat; cujus diverſitas veſtem ſolam rerum ſæpè commutat; figuram tameu, & perſouam eandem conſervat.

Num. 67. Itaque præſuppoſita omnimoda neceſſitate ex divina Inſtitutione, pacto, aut pbyſica intimè connexione inſeparabiliter corporis cum ſpeciebus, vi cujus comitari debeat (pecies quocunque ierint, & nullo pacto ſemovendi, ni moveantur ſpecies, neceſſariò ſequitur, moventem Hoſtiam ab ore in ſtomachum eſſe cauſam moralem, quantumvis per accidens tantùm, & ex ſuppoſitione motus Corporis Cbriſti Domini, eique imputari præfatam motionem, ſive præſentiam denuò comparatam, vel ad gloriam, ſi dignè manducaverit; ad ignominiam verò, ſi accedat indignus, & trajiciat reus, numerandus cum interfectoribus. Non ſufficit attamen ad veram Eùchariſtiæ manducationem, uti nec ad obeundum munus Sacerdotis, influxus cauſæ moralis ſecundum ſe acceptus; ſed requiritur ſimul concurſus phyſicus manducantis in ipſum motum ſpecierum, Sacramentum Euchariſtiæ eſſentialiter conſtituentium, ex quo ſequitur influxus moralis explicatus in motionem Corporis Chriſti Domini. Immo & exigitur præſentia phyſica Corporis Chriſti, quod movetur, præſentiaque ipſius motus, licet ab illo productus phyſicè. Ex utroque igitur illo influxu conſurgit vera, & ſtricta manducatio, veraque adimpletio officii Sacerdotis. Sunt enim effectus aliqui, munia, & operationes, quæ ex natura ſua petunt phyſicum concurſum ad veram denominationem præſtandam; eo quod ſint eſſentialiter phyſicæ ejuſmodi denominationes, ut notiſſimum eſt, quamquam ſimul admittant cauſam moralem. Ex dictis infertur, extra rem eſſe exemplum Angeli, pomo, aut pani, inſidentis, in ordine ad manducationem, uti & in ordine ad hoc quod dicatur moveri ullo modo, ab eo, qui pomum, vel panem transferret ab uuo loco in alium; cum nulla ſupponatur unio intrinſeca, aut alligatio, ex pacto, vi cujus deberet neceſſariò comitari panem euntem, & quo immoto, nullatenus moveri poſſet ille.

Fingamus attamen conſimilem Angeli nexum, nequaquam manducari diceretur à comedente panem; verùm hoc neutiquam oriretur ex defectu motus pbyſicè producti à comedente panem, quia etiamſi illum moveret, non manducaret ipſum; ſed ex alio capite, quia nimirum manducatio materialis poſtulat ex natura ſua cibum, ſeu eſcam corpoream, cibandi, & nutriendi capacem. De reliquo autem, ſi inſeparabiliter eſſet conjunctus pani, vel phyſicè intrinſecè, vel extrinſecè ex divina voluntate, aut pacto, etiamſi motum proprium eliceret phyſicè, præſentiamque proportionatam ſibi acquireret, & ad motum panis, vel pomi, foret verè, & ſtrictè manducatus (quam præſentiam ſibi compararet etiam Chriſtus Dominus, licet ſupponeretur naturalis ejus motus, præſentiaque, & à Sacerdote producibilis). Ubi animadvertendum eſt diſcrimen inter Angelum, & animam Chriſti Domini: hæc enim licet phyſicè in ſatis communi ſententia, moveat ſeipſam ad motum Corporis, qui fit unicè ad motum ſpecierum; moraliter tamen movetur à Sacerdote, aut manducante ſpecies, & Corpus; quia anima eſt alligata per concomitantiam ſpeciebus medio corpore, æquè ac corpus ipſum eſt alligatum vi verborum, quibus fit præſens inſeparabiliter.

Supereſt adhùc ſecunda ratio, & potiſſima, differentiæ inter animam, & Angelum (prima enim deficere valet in hypotheſi aliqua); ſitaque eſt in eo, quòd anima, quamquam ſpiritualis ſit in ſe, ſicut Angelus, eſt tamen forma Corporis, cum quo conſtituit unum per ſe: cumque illud ſit per ſe formaliter aptum ad cibum, ideò totum compoſitum reſultans manducari propriè dicitur in concreto (ſecus autem foret, ſi de ipſa ſeorſim, aut ſeparata ſermo inſtitueretur). Maximè ubi manducatio, etiamſi corporalis ſit realiter, & phyſicè, ſimul attamen ſpiritualis eſt, qua nutrit animam edentis; & ubi eſca, quæ manducatur, eſſe debet viva, & permanens, etiam in actu comeſtionis ſimpliciter, ac ſubindè animata. (Et ideò vetitum erat in lege veteri animam comedere). Unde animam Chriſti Domini conſtituere cibum illum, & in concreto acceptam verè manducari, docent expreſsè Scholaſtici. Si verò exemplum Angeli producatur, non in ordine ad manducationem ob libatam differentiam, ſed in ordine ad motum alium, dum ille confingatur lapidi, v. g. ex divina ordinatione alligatus; tunc licet ipſe, cum lapis ab aliquo projiceretur, motum proprium eliceret, diceretur motus per accidens à motore lapidis, ut de Corpore Chriſti Domini ſub ſpeciebus philoſophamur. Adeſt attamen magnæ auctoritatis, & acuminis Theologus, qui fingit ulterius Angelum dormientem altè in lapide ipſo, quocum nectitur; ita Cajetanus 3. p. qu. 76. art. 6. in quo eventu non poſſet producere motum proprium. In ea tamen hypotheſi ad ingenioſitatem inventa, reſponderi poſſet primò; derivandum fore motum à motore lapidis, in eo productum, in dormientem Angelum, ſi præſentia Angelica ſit naturaliter producibilis ab agente purè naturali, ad modum, quo movetur motu navis, quod in ea vehitur. Id autem minimè argueret, quòd Angelus ipſe, dum vigilaret, proprium motum non produceret attemperatum, cum ille ſit potens ad eum motum naturaliter efficiendum. Si verò

mo-

motus lapidis recipi nequeat in Angelo, produceretur à Deo, quâ naturæ authore, ſupplente concurſum proprium; ne alioqui lapis fieret ſicut Capitolii Deus terminus. Vel tertiò: ipſe Angelus dormiens, ſeipſo inſcio, vel nullo pacto advertente, utpotè ſpirituali ſopore correpto, produceret ſibi phyſicè præſentias ſucceſſivas juxta motum lapidis; cum ad ſimilem operationem, aut quaſi emanationem, neceſſaria non ſit libertas, ſequaturque propterea ex rebus omnibus inanimatis etiam præſentia formalis, vel ex earundem actione productiva, aut conſervativa: quoniam abſolvi nequeunt ab omni loco.

Tandem hypotheſis Angeli dormientis in lapide implicat ſibi, aut in adjecto, ſi doctrinæ ipſius Cardin. Cajetani ſtandum ſit: ſiquidem Angelus eſſe nequit in lapide, nec illi inſidere, niſi per operationem in ipſum factam; cum autem inducitur in Theatrum dormiens, nulli operationi intentus foret, quàm otio ſomni, qui nec penderet à lapide, nec eſſet operatio circa ipſum: poteſt igitur fingi dormiens in ſeipſo, & tunc nullibi realiter præſens, ſi non aliter præſens alicubi eſſe poſſet, quàm ut ibidem operans.

Num. 68. Reſurgit tamen alia via difficultas, adductis reſponſionibus excitata: ergo Sacerdos movens Hoſtiam, jam non per accidens, ſed per ſe movet Chriſtum Dominum, cum non ſit cauſa moralis motionis Chriſti Domini per accidens, ſed per ſe. Conſecutio probatur facilè; nam quid aliud eſt per ſe moraliter cauſare effectum, quàm efficere aliquid, quo poſito, infallibili illatione ſequitur prædictus effectus per ſe primò intentus ab operante? Et aliunde ſemel ac Sacerdos moveat Hoſtiam, inevitabiliter conſequitur motus Corporis Chriſti Domini, quem motum per ſe potiſſimè intendit Sacerdos. Hæc objectio invadit reliquas opiniones: nam ſi dum Sacerdos non cauſat phyſicè motum in Corpore Chriſti Domini, ſed purè in accidentibus, ad quorum motum ſequitur neceſſariò motus Corporis Chriſti Domini ab ipſo elicitus, eſt cauſa per ſe moralis motus Corporis; pariter erit cauſa per ſe moralis illius, dum vel à Deo ipſo tantùm, vel ab ſpeciebus elevatis motus ille producitur. Rurſus à fortiori, dum ad motum phyſicum ſpecierum producit neceſſariò Sacerdos ipſe phyſicè motum Corporis, erit cauſa per ſe illius, & quidem phyſica: vel licet illum dicas cauſam per accidens phyſicam, erit tamen cauſa per ſe moralis hujuſmet concurſus phyſici per accidens.

Diſtinguenda eſt igitur propoſitio illa: nihil aliud eſt per ſe moraliter cauſare effectum, quàm efficere aliquid, quo poſito infallibili conſecutione ſequatur prædictus effectus; quo poſito, ſequatur neceſſariò ex vi propria illius, quod efficitur, aut ponitur, concedo; quo poſito, ſequatur non ex virtute ipſius, ſed aliunde, vel ex pacto, vel ex alligatione alterius rei per accidens illi conjunctæ, nego apertè falſam propoſitionem. Conſequitur itaque ex motu ſpecierum motus Corporis Chriſti Domini; at nequaquam ſequitur ex virtute aliqua propria, ſive phyſica, ſive juris, aut debiti moralis motus accidentium, ſed ex divina ordinatione, vel ex connexione Corporis Chriſti Domini cum ipſis aliunde proveniente. Non eſt ergo cauſa per ſe moralis Sacerdos motus Corporis Chriſti Domini, ſed unicè per accidens, & ex ſuppoſitione. Neque confert aliquid ad perſeitatem intentam primaria intentio Sacerdotis: quoniam, licet illa ſit neceſſaria ad conſecrationem; ad motum tamen ipſum nullo pacto neceſſaria eſt; nec enim carentia intentionis illum impedit, nec ejus exiſtentia illum induceret, ſi aliunde non adeſſet connexio explicata. Adeoque intendit primò, & per ſe motum Corporis Chriſti Domini, at non ut efficiendum phyſicè ab ipſo, nec moraliter per ſe, ſed efficiendum ab ipſo Chriſto Domino ex præſuppoſita aliunde connexione inſeparabili corporis cum accidentibus incorruptis. Quid autem mirandum, Sacerdotem motorem accidentium eſſe cauſam per accidens tantùm motus Corporis, & Sanguinis, & ſimul ſortiri inevitabiliter effectum illum motionis Chriſti Domini, ubi omnia accidunt modo pluſquam mirabili, inſolito, & à rerum naturis ita alieno, ut concurrens plus ſtuporis impendat, quam influxus.

Nu. 69. Objicies tertiò. Ponamus Chriſtum Dominum in eventu aliquo nolle movere hic, & nunc corpus ſuum ad motum Hoſtiæ; velle tamen ſimul perſiſtere ſub ſpeciebus, donec illæ corrumpantur, ut ex inſtitutione tenetur. Vel in ea hypotheſi, Deo poſſibili, attenta poteſtate excellentiæ, Sacerdos poſſet movere Hoſtiam: & ecce tibi motum Chriſti Domini ad motum ſpecierum, non provenientem activè ab ipſo: id autem quod contigerit in eo caſu conficto abſque ulla abſurditate; cur non de facto, & ſemper? Si ſemel namque conſtet nobis de motore in eventu aliquo, perperam pro aliis alium quærimus, aut invehimus. Vel non poſſet illam movere, præſertim ſi una Deus nollet ſeipſo, nec alio inſtrumento, motum Corporis Chriſti Domini producere; & ejuſmodi conatus irritus Sacerdotis viribus factus, neſcio, an invenire poſſit credibilitatem, adhuc apud eos, qui leviter credunt, ſæpiuſque proinde falluntur; cum ſpecies, quas tranſmutare niteretur, vel leviſſimo halitu pellantur è loco, quem occupant.

Hæc tamen parùm urgent, præterquamquod alias pariter ſententias expugnant: poſſet namque eodem modo fingi hypotheſis, in quâ noluiſſet Chriſtus Dominus moveri paſſivè à Sacerdote, etiamſi ille ſupponatur motor, ut multorum opinio defendit,

vel

vel nee ab ſpeciebus, ſi concedas illis hauc vim inſtrumeutariam: & en translatam difficultatem a noſtra aſſertione ad tuam, & aliorum. Itaque ſi recuſante Chriſto Domino in ea hypotheſi (Chimerica ex ſuppoſitione pacti, & connexionis) movere activè ſeipſum, non recuſaret moveri ab alio, tunc Deus vel ſeipſo immediatè ad exigentiam promiſſionis factæ, debitique infruſtrabilis, uti & motoris imprimentis impulſum ſpeciebus, cui debetur per ſe illarum motus, Corpus Chriſti Domini moveret medio Sacerdote, aut alio inſtrumento elevando. Quin idcirco illud exemplum dignum ſit, quod allegari valeat pro motore de facto, & nulla conficta hypotheſi (couſictam tamen ſimpliciter non eſſe oſtendam, dum Victimam quam immolat ſummus Sacerdos in ſacrificio incruento, exponam diſp. 5.) cum ibi ſupponatur poſitiva noluntas, aut reſiſtentia Chriſti Domini producendi effectivè proprium motum; quæ de facto non adeſt; ſed oppoſita potiùs voluntas, ut ſuadet noſtra aſſertio; quatenus probat, ſpectare ad ipſius potentiam effectricem motum illum, quem propterea influxum velle debet, ſuppoſita præſenti inſtitutione. Quinimmò ipſa voluntas non concurrendi pro eventu prædicto evincit contrarium. Si verò Deus abſolutè decerneret in eventu illo imaginario, nullo pacto concurrere nec ſeipſo, nec per inſtrumentum aliud ad movendum corpus; cum ex alia parte præſupponatur utrimque à nobis omnibus per nullas vires purè naturales produci poſſe præſentiam Corporis Chriſti Domini utpotè ſupernaturalem; nequaquam poſſet Sacerdos Hoſtiam movere: quoniam licet ſpecierum translatio, aut motio ſit intra ſphæram virium naturalium ejuſdem, per ſe loquendo; in hypotheſi tamen adducta redderetur per accidens ſupra vires ipſius ratione Corporis Chriſti Domini eiſdem inſeparabiliter ligati; cum nec polleat virtute naturali ad diſſolvendam eam conjunctionem ſupernaturalem Corporis cum accidentibus: nec ea perſiſtente, ad ſucceſſivas præſentias ſupernaturales (per motum corporis neceſſariò comparandas) producendas.

Quapropter minùs conſiderate dicitur, affirmationem hanc nimiæ credulitatis notandam; cum oppoſita nonniſi intra ſinum obſtinatæ mentis ſuſtiueri valeat. Continet enim affirmativa illa propoſitio doctrinam à quamplurimis ex Theologiæ primoribus adſtructam. Eruitur enim ex Doct. Subtili in 4. diſt. 10. quæſt. 6. ejuſque rationem à priori egregiè ibidem producit, & ab objectis, inſultibuſque vendicat. Et expenditur à Doct. Eximio tom. 3. in 3. part. diſp. 52. ſect. 1. . Ubi diſputans conſequenter ad ſuam de re præſenti opinionem, adſcribentem ſpeciebus virtutem inſtrumentariam movendi Corpus Chriſti Domini, inquit: *ut hoc compoſitum ex corpore, & ſpeciebus poſſit moveri, neceſſe eſt, ut in movente ſit virtus activa utriuſque præſentiæ, quam non habet agens creatum naturali virtute: ergo ſi in ipſis ſpeciebus non eſſet virtus in corpus ad trahendum illud, non poſſet extrinſecum agens movere totum hoc compoſitum ex corpore, & ſpeciebus: quare conſequenter potiùs dicendum eſſet, non poſſe movere ipſas ſpecies, quia nec poſſet diſſolvere unionem, nec eam ſpeciebus trahere Corpus Chriſti*. En doctrinam noſtram apertam, en illius radicem, & cauſam luculentiſſimam, & en ejuſdem protectionem, aut umbram eximiam.

Num. 70. Repones adhuc: virtus motiva naturalis iuterdum caret ex ſe vi inductiva motus reſpectu alicujus Corporis; quam nihilominus per accidens acquirit ratione alterius rei, in ordine ad quam gaudet ea poteſtate motrice. Ergo licet Corpus Chriſti Domini ſacramentaliter latens moveri nequeat phyſicè per ſe ab agente creato nativa ſolùm virtute; qua tamen copulatur ſpeciebus, quas naturaliter transferre valet Sacerdos, aut communicans; gaudebit per accidens vi naturali trahendi phyſicè ipſum una cum ſpeciebus, derivato per accidens motu ſpeciebus impreſſo in corpus ſpeciebus permanenter copulatum. Antecedens liquidum fit exemplo corporis, quod divinitus contraheretur in punctum indiviſum, & conſervaretur ſic; quod ſeorſim acceptum mobile non eſt ab ulla potentia naturali ex defectu extenſionis, & contactus: ob eandem planè rationem, ac Corpus Chriſti Domini in Sacramento altaris. Et nihilominus, ſi ejuſmodi punctum adeſſet intra corpus aliud ſolidum una cum cum ſarcina aliarum rerum intra concavum illius exiſtentium, moto ſolido eo corpore, moveretur procul dubio punctum ad indiviſibile reſtrictum: nec ratione impotentiæ per ſe movendi punctum ſigillatim ſumptum, redderetur incapax movendi corpus ſolidum, intra quod continetur. Ergo etſi Corpus Chriſti Domini Sacramentaliter præſens incapax ſit ex ſe, & ſeparatim motionis à virtute naturali productæ; ratione tamen ſpecierum, quibus affigitur, & in quibus continetur, poterit per accidens recipere motum, per ſe primò ad ſpecies terminatum.

Hæc tamen replica, juxta doctrinam ex qua procedimus ſupernaturalitatis entitativæ præſentiæ Sacramentalis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, alterutrum è duobus impoſſibilibus adſtruere tentat: nempè, vel quòd præſentia entitativè ſupernaturalis, facta aliqua ſuppoſitione prorsùs naturali, cujuſmodi eſt motus ſpecierum ſecundùm ſe, deſinat eſſe ſupernaturalis: vel quòd, licèt ſupernaturalis entitativè neceſſariò futura ſit, poſſit nihilominùs ex eadem ſuppoſitione connaturalis motus ſpecierum produci realitèr à facultate purè naturali, & nullo pacto elevata; quod eſt omninò chimericum, cum adhùc ex facta ſuppoſitione ſit præſentia illa ſupra vires cunctas naturæ ſim-

plici-

plicitèr. Reſpondendum itaque: eodem planè modo, quo de præſentia reali Corporis Chriſti Domini in ordine ad motum, philoſophandum eſſe nobis de motu illius conſicti puncti, ad indiviſibilem inextenſionem contracti: aut Deum videlicèt producturum divina virtute præſentiam ſupernaturalem illius puncti ad motum continentis illud, ſe ſolo, aut medio inſtrumento aliquo elevando: vel ab actione ipſa ſupernaturali productiva, ſive conſervativa illius corporis inextenſi ad punctum redacti; quæ ſicut dum illud primò conſtitueret in eo ſtatu, ejus præſentiam ſupernaturalem, ut complures de actione primò productiva rerum opinantur, produceret, ita novum per ſe exigeret, & inferret. Vel ſi Deus noluiſſet abſolutè concurrere ad motum, & præſentiam ſupernaturalem præfati puncti, corpus, aut vas continens fieret immobile à quacumque facultate naturali; ut in ſimili hypotheſi ſpecies conſecratæ redderentur immobiles; potiùſque fieret per accidens immobile corpus, alioqui ex ſe nullo negotio movendum, quàm fieret per accidens producibilis à potentia merè naturali entitas ſupernaturalis. Foretque punctum in eo eventu, ſive exigua illa machinula inſtar Echeneidos, de quo ſive fabula, ſive hiſtoria decantatur: *Ratem ſiſtere ſola poteſt*.

§. II.

Num. 71. Oppones quartò: Chriſtum Dominum non poſſe movere ſeipſum comitantèr, aut ſimul cum ſpeciebus, ſi debeat earundem motum expectare. Hæc tamen oppoſitio minùs digna viro Theologo eſt, quin & Philoſopho: ſiquidèm prioritas attemperationis non poſtulat per ſe prioritatem phyſicam temporis, ſed purè logicam, itaut verum ſit, ideò corpus moveri à Chriſto Domino, quia ſpecies moventur à Sacerdote, & non è converſo; tametſi eodem tempore exerceatur uterque motus. Motus autem ſpecierum futurus, præſenſque, prævidetur à Chriſto Domino per ſcientiam beatam, aut infuſam (contueturque illum Deus virtute principali concurrens ad motum corporis) ut eodem momento, quo transfert illas Sacerdos, aut circumducit, ille ſeipſum phyſicè transferat. Oppones quintò ſententiam illorum, qui cum Cajetano, Vaſquez, Henriquez, aliiſque ſupra laudatis, aſſerunt, nullum alium motum includi in Hoſtiæ mutatione, præter illum, qui naturali virtute imprimitur ſpeciebus à Sacerdote: paritèrque nullam aliam præſentiam formalem produci, niſi illam, qua ſpecies redduntur formalitèr præſentes loco: per quam in ſpeciebus unicè receptam, ſimul cum unione reali Corporis Chriſti Domini cum ſpeciebus, ex ſe indifferente adhùc ad alium locum, fit præſens Chriſtus Dominus loco, cui ſpecies præſentes fiunt: mutaturque eo modo, & circumgeſtari dicitur à Sacerdote abſque ullius miraculi interventu. Ex relata tamen opinione nequidquam petitur argumentum contra aſſertum noſtrum, cum illud procedat ſolùm ex communi Theologia, deſiderante motum, præſentiamque propriam Corporis Chriſti Domini diſtinctam ab ſpeciebus, præſentia, & motione; & ſanè entitativè ſupernaturalem: ergò, qui ex oppoſita peculiari ſententia inſurgit adversus noſtram, extra rem vagatur, & extra circum.

Deindè opinio illa, ſi uti miracula fugit, fugeret abſurda, foret omnibus grata, eſſetque non minùs fælix, & communis, ac facilis. Cœterùm incidit potiùs in illa, & quidèm ingentiſſima, ut noverit, qui Scholaſticos, præter paucos ſupra recenſitos, exploratos habeat. Etenim juxta prædictam opinaudi ſemitam Chriſtus Dominus non eſſet realitèr formalitèr præſens in hoc altari verè, & propriè, ſed purè denominativè, & impropriè, ab ſpeciebus præſentibus altari huic: adeòque non ratione ſui formalitèr, ſed ratione ſigni, cujus modi ſunt ſpecies. Quod namque præſens minimè eſt formaliter per præſentiam aut *Ubi* proprium, ſed per præſentiam, aut *Ubi* alterius, quod eſt ſignum ejuſdem; eſt præſens eo ipſo, purè denominativè à præſentia reali formali ſigni ſui ipſius, ſeu eſt unicè præſens quatenùs eſt præſens ſignum illius, & non alitèr. Quod re ipſa eſt eſſe impropriè, & latè præſens, ſeu eſt rem eſſe præſentem in ſigno tantùm. Hoc autem arridebit permaximè Sacramentariis, qui ſolam præſentiam Corporis Chriſti Domini in ſigno agnoſcunt; & quamvis in unione illa ſub ſpeciebus differat hæc ſententia ab illa hæreſi; modus attamen hic præſentiam explicandi periculoſus admodùm eſt, hiſce præſertim temporibus; fugiendus propterea. Paulò alitèr: vel Chriſtus Dominus per illud *Ubi* ſpecierum redditur ſtrictè, & in rigore philoſophico realitèr formalitèr præſens huic numero altari; vel ſecus? Si ſecundùm: ergò Chriſtus Dominus non eſt verè, & ſtrictè præſens altari huic, & adſtantibus, ſed impropriè, & laxè ratione ſigni, ſpecierum ſcilicèt; quod reverà eſt, eſſe duntaxàr præſentem in ſigno, aut ſubſtituto: ſicut ſolùm frangitur impropriè, dùm ſpecies franguntur. Si primùm: ergò cum illud *Ubi* ſolùm efficiat præſentem in ordine ad locum rem, quam afficit, & determinat, Chriſtus Dominus eſt verè præſens in eo altari tanquam in loco, eum præfatum *Ubi* ex ſe eſſentialitèr locale nequeat exhibere aliam denominationem. Hoc autem repugnat doctrinæ hujus opinionis adſtruentis ex quibuſdam S. Thomæ teſtimoniis, Chriſtum Dominum non eſſe verè, & propriè in Sacramento, tanquam in loco, ſed per alienam præſentiam, dimenſioneſque alienas; quod eſt idem, ac adeſſe ſolùm impropriiſſimè alicubi tanquam in loco.

Præ-

Præterea *ubi* illud ſpecierum eſt ex conceptu ſuo realiter extenſum , efficienſque extenſum in ordine ad locum ſubjectum, quod reddit formaliter præſens ; at Corpus Chriſti Domini ſacramentaliter exiſtens eſt prorsùs inextenſo modo , & indiviſo ſub ſpeciebus , incapaxque extenſionis pro eo ſtatu : Ergo ſolùm denominativè ab ſpeciebus extenſis , poteſt dici extenſus in ordine ad locum : præfata autem denominatio extrinſeca non minùs laxa impropria , & cautè accipienda eſt , ac denominatio fractionis, rotunditatis, & aliorum , quæ vel nullo modo dicuntur de Corpore Chriſti Domini, vel in ſenſu remotiſſimo, & ab omni proprietate alieno . Subinferret itaque Calviniſta : ergo Chriſtus Dominus non magis verè, & propriè eſt præſens in altari, quam fractus , ſeu diviſus, quia Hoſtia cum fragore rumpitur . Quare unio Chriſti Domini cum ſpeciebus erit chimerica , quoniam ſi adſit cnm illis verè & propriè realiter, debet realiter eſſe verè , & ſtrictè præſens, cum nequeat abſolvi ab omni loco , & non ſit in alio . Immo ſi unio illa Chriſti Domini foret abſoluta à loco omni, jam eo ipſo non foret verè præſens in loco illo determinato ; quo pacto enim erit alicubi , qui nuſquam eſſe creditur ,, aut fingitur ?

Num. 72. Iterum Corpus Chriſti Domini eſt realiter præſens huic altari modo ſacramentali , & inextenſo pænitus , ut fides docet ; at non poteſt reddi formaliter inextensè præſens per formam , quæ ſit extenſio formalis , quia hæc eſt contradictorum inextenſionis : & aliunde per formam aliquam debet fieri præſens eo modo altari ; cum ex ſe poſſit exiſtere circumſcriptivè . Ergo per formam aliam , ſive præſentiam peculiarem , & inextenſam ſibi intrinſecam ſit ibi præſens . Neque enim aptè diceretur, idemmet *ubi* ſpecierum recipi modo inextenſo in Corpore Chriſti Domini ; quia cum receptio illa nequeat fieri , niſi miraculosè contra naturalem exigentiam ipſius præſentiæ , jam adorandum neceſſariò foret miraculum in motione Corporis Chriſti Domini ad motum accidentium ; ac ſubinde congruentius erit , miraculum adhiberi ad productionem præſentiæ propriæ ſacramentalis , ut , ſuppoſita ea miraculi neceſſitate, fatentur etiam Adverſarii . Præterquamquod, ſi ea præſentia affigitur Corpori Chriſti Domini inextenſo , jam eſt entitativè ſupernaturalis , & nequit à Sacerdote virtute naturali produci ; ſi non affigatur, non poteſt reddere ipſum formaliter inextensè præſens , quia non eſt propria forma illius .

Neque rurſus juvaret reſpondere , poſita unione inſeparabili Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus , & poſita ſimul præſentia, ſeu *ubi* ſpecierum , eas ad hunc locum determinante , nullam ſnpereſſe indifferentiam in Corpore Chriſti Dnmini determinandam per aliam propriam producendam ; cum ex nota philoſophia ejuſmodi entitatulæ ſolùm emittantur ad indifferentiam aliquam tollendam . Hoc ſiquidem probat tantùm , Chriſtum Dominum eſſe radicaliter determinatum ad præſentiam formalem in eo altari habendam , adeoque omnimoda neceſſitate ex utraque illa ſuppoſitione eam producere ; neutiquam verò abſque nova illa fieri præſentem formaliter . Sic apud contrarios ipſos frequenter , ſi Corpus hominis ſit præſens huic loco , eidem neceſſariò , ex ſuppoſitione unionis cum illo ſit præſens anima ; verùm ſit præſens per aliam præſentiam diverſam partialem . Idque premit efficaciùs , in præſentia Corporis Chriſti Domini , quàm in exemplis aliis ; eo quod ipſa ſit entitativè ſupernaturalis , & inextenſa in ordine ad locum , quæ idcirco ſuppleri , aut ſubſtitui nequit per aliam entitativè naturalem , & extenſam . Quamobrem indifferentia ex qua vulgaris Philoſophia eruit neceſſitatem modi diſtincti ab extremis , neutiquam menſuranda eſt pœnes eventum aliquem peculiarem , in quo per accidens res aliqua ob circumſtantias ſupponatur determinata ; ſed deſumitur ex natura rerum univerſim , & per ſe ; quarum unaquæque exiſtere valeat in rerum natura , & non in eo loco ubi adeſt . Inde autem oritur intrinſeca ratio , aut vis neceſſariò omnibus conveniens obtinendi propriam formalem præſentiam , quæ reſultat connaturali jure ex qualibet , ubicumque ſit ; etiamſi per accidens interdum , aut concipiatur , aut ſit aliunde radicaliter determiuata ad exiſtendum in hoc loco præ alio .

Iterum , & aliter : aberraret à fide , qui diceret Corpus Chriſti Domini eſſe quidem realiter altari præſens ; verumtamen non eſſe totum , integrumque in quavis particula , aut minimo , ſed eſſe extenſum juxta ſpecierum rotunditatem , & extenſionem ; & non majorem , nec reſtrictiorem ; quoniam redditur præſens unicè per *Ubi* ſpecierum , ſeu Hoſtiæ ; quod ut hic , & nunc , & de facto tale , natum eſt eſſentialiter , exhibere hunc effectum formalem , & non alium : quandoquidem non redderet Corpus præſens ſecundum rationem præciſivam præſentiæ ut ſic , eo quod realiter præciſiva non ſit ; ſed quà talis præſentia eſt . Sanè Hæreſis hæc vires acciperet , ſi non ineluctabiles , ægrè tamen viocibiles , ex hac doctrina , & opinione ; cogeret enim ex principiis Philoſophiæ ad confitendum , vel Corpus Chriſti Domini exteudi unà cum Hoſtia , cum per ejus tantùm *Ubi* ſit ibi præſens : aut nùllo vero , & proprio modo eſſe altari præſens ; cum uterque ſit error intolerabilis . Quare , licet ejuſmodi opinio reipſa valeat emergere ex his fluctibus , ſimilibuſque tutò ; modus tamen lubricus apparet in conſpectu earum , quæ modò graſſantur hæreſes , & quamquam intrinſecè expoſitus non dicatur caſui ; occaſionem ta-

men

men præbere poteſt aliis proterviùs ſuſtinendi errores ſuos fuco ſanè Theologiæ Scholaſticæ, color gratiſſimus ſemper inimicis, dum favet, horridus verò, dum adverſatur.

Num. 73. Formalis itaque rerum præſentia eſt aliquid Intrinſecum unicuique, ſive circumſcriptiva ſit, ſive definitiva, ſive Sacramentalls, juxta conditionem ſubjecti, quod reddit præſens, quodque afficit, & cui eſſentialiter affigitur. Unde nulla res fieri valet præſens verè loco per alterlus duntaxat (niſi unà ſit eſſentialiter alligata utrique) præſentiam in abſtracto, & multo minùs per concretum alterius, ut præſentis loco illi. Eſt tamen animadvertendum, neque præſentiam merè definitivam, neque Sacramentalem, dicl adeo ſtrictè præſentiam localem in acceptione aliqua, ac dicitur *Ubi* circumſcriptivum, extenſumque. Acceptio autem eſt illa, in qua deſumitur præſentia, aut menſuratur per habitudinem ad Corpora extrinſeca, ſpatiaque ex ſe mobilia; & in hac, nec Chriſtus Dominus quà Sacramentaliter præſens dicitur eſſe propriè in loco, nec Angelus, cum careat uterque extenſione quantitativa, contactu, aliiſque dimenſionibus propriis ad id requiſitis. Et de hac locutum fuiſſe Div. Thomam oſtendunt complures Scholaſtici, dum Chriſtum Dominum in Sacramento non eſſe tanquam in loco verè, & propriè, dixit. Cæterum in acceptione alia propria, deſumpta per ordinem ad ſpatium Empyrei, ſeu immobile, aut imaginarium, cui affigatur *Ubi*, aut præſentia formalis cum tali diſtantia, propinquitate &c., convenit in toto rigore ſermonis, & proprietatis omnibus rebus, eſſe localiter præſentes, quandò ſupponitur eſſentialis repugnantia in eo, quod aliqua abſolvi poſſit, adhuc divinitùs, ab omni loco. Quemadmodum enim Sanctum eſt, Deum eſſe ubique propriè, & ſtrictè; ita omnino certum (ſuppoſita repugnantia prædicta) omnem rem creatam eſſe alicubi ſtrictè, & propriè; nequit autem eſſe alicubi propriè, ſi in nullo determinato loco eſſet cum aliqua proprietate.

Juxta ſecundam igitur hanc acceptionem Chriſtus Dominus, ſecundum quod adeſt realiter ſub ſpeciebus, eſt verè, & propriè in loco per ejuſdem peculiarem præſentiam ſupernaturalem. Quam veritatem ſatis apertè docuiſſe videtur S. Thomas ipſe in 4. diſt. 10. quæſt. 1, art. 3. ad 4. quæſtionem, dum adſcribit Chriſto Domino in Sacramento altaris præſentiam hic & nunc ſpatio tali affixam. Cum enim objeciſſet ſibi: *Quod movetur per accidens ad motum alterius, definitivè eſt in illo ... Sed Corpus Chriſti non eſt definitivè ſub ſpeciebus illis: ergo non movetur ad motum illarum*. Reſpondet: *Ad ſecundum dicendum, quòd quamvis non definiatur in hoc loco, tamen perfectè eſt ibi, & quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad virtutem, tamen per accidens &c.* Qua veritate nanque dici poſſet perfectè præſens ibi, ſeu loco illi, tametſi in ipſo non definiretur, eo quod poſſet adeſſe etiam alibi ſimul, ſi per denominationem tantùm extrinſecam à præſentia locali ſpecierum, aut ab ſpeciebus, quà præſentibus, præſens ibl foret? Sufficiant hæc ad mirabilem hunc Chriſti Domini motum, vitaliter ab ipſo velato in altari elicitum, tutandum à præcipuis captionum tendiculis. Motum, inquam, mirabilem, & nunquam ſatis demirandum: tardum equidem, & ex parte alligatum, aut compreſſum, ſi modum comparandi novam præſentiam attemperatè ad motionem alterius, & veluti pedem, quo movetur, conſideres; velociſſimum tamen, ſi amoris conatum, è quo procedit, paulò accuratius introſpicias. Porrò cum fuerit in fine curſus vitæ inſtitutus: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit*. Joann. 13. cumque foret juxta propenſionem propè infinitam Cordis, juxta Philoſophiam etiam charitatis debuit motus eſſe velocior in fine.

DISPUTATIO QUARTA.

Num Christus Dominus, *ut ſacramentalitèr præſens Altari, exerceat per ſe activè, & immediatè ex illo munia Summi Sacerdotis, & quidèm eadem proprietate, qua munus paſſivum Victimæ incruentè exercet?*

SCopus Diſputationi affixus, ſi ſemèl à nobis fælicitèr attingatur, mirum in modum clareſcere facit propè omnia, quæ hactenùs fuerunt ſtabilita, in poſterumque ſtabilienda. Quamquam enìm unaquæque Diſputatio, exacto curſu, vel jamjam terminando propè metam, lampada tradat proximè venienti; ſimul attamèn quæ inextinctam accipit tædam, illuſtrat novo fulgore ſuo præcedentem, venturiſque in poſterum facem præfert. Id quod præ cæteris exequitur præſens Diſputatio, ex qua veluti ex fæcundiſſima ſplendoris vena eruit unaquæque copiam lucis. Porrò ubi ſemèl conſtiterit, Chriſtum Dominum quà accidentibus Euchariſticis obvelatum, exequi per ſe immediatè officium principalis, & ſummi Sacerdotis in tremendo Miſſæ Sacrificio: cum aliundè functiones illas Sacerdotis Magni nonniſi per humanam naturam explere valeat, ut Orthodoxorum votis exploratum eſt: (allatrantibus nequidquam Sacramentariis) uti & nonniſi vitalitèr, quà Sacerdos offerens, & immolans, ac ſubindè quà homo. Idcircò ex hac aſſertione radicitùs fundata, vel omnes, vel pleræque aſſertiones Vitam Euchariſticam ſpirantes, & per varias Diſputationes, modò universìm, modò ſingillatìm diſperſæ, ſolidè, perſpicuè, & ferè inhæſitantèr eliciuntur. Propterèa Apoſtolus ad Hæbr. 7. extollens, & Aaronico longè fuiſſe excellentius demonſtrans, Sacerdotium Melchiſedech, ejuſque ſacrificium panis, & vini, ex Geneſ. 14. ex Pſalm. 109. eo quòd fuerit typus Sacerdotii Chriſti Domini relatè ad Sacrificium incruentum ipſius. Poſtquam ejus præ levitico dignitatem, & gloriam per egregia alia argumenta in ſublimitate ſpiritus rapido eloquio oſtendiſſet, ſubdit: *Et hìc quidèm decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit.* Ideſt, in lege veteri Sacerdotes Levitici ordinis accipiebant quidèm decimas, verùm illas ſuſcipiebant Sacerdotes morituri; non ſic autem in Sacerdotio, & Sacrificio novæ legis per oblationem panis, & vini à Sacerdote altiſſimi Melchiſedech factam, clariſſimè figurato: quandoquidèm Sacerdos per illum repræſentatus ſemper vivit, ſucceſſoribus non eget, nec illorum eſt

capax,


capax, tametſi Sacerdotes habeat quamplurimos eidem, ut Sacerdoti ſummo, ſubalternos, ejuſdemque Miniſtros viſibiles, ipſum inviſibilitèr, & potiſſimè celebrantem ſignificantes; ſin alitèr, æquè defeciſſet ille per mortem, quamquam reſurrexerit illicò, in ordine ad munus immediatè conficiendi ſacra myſteria, ac Aaron. Semper itaque ipſe ſacra facit actu, remque divinam immediatè exequitur tamquam præcipuus, magnuſque Altiſſimi Sacerdos in altari, cujus Sacrificium eſt munus per ſe primum Sacerdotis. Quæ omnia fusè expendam ipſo Diſputationis præſentis curſu, arduo ſanè, quà parùm trito; verùm tuto admodùm, & Patrum veſtigiis diſtincto. Hic eſt Sacerdos, & ſimul Victima illa Charitatis, quam, ut cum Eccleſia canam, *Amor Sacerdos immolat*: quam expreſſit muſicum illud carmen Petri Bleſenſis Bathonienſis Archidiaconi in Tractatu Rytmico de ſacra Euchariſtia, ubi inter alia cecinit cap. 7.

Sic Chriſtum Chriſtus offert, homo Victima factus .... & cap. 8.

Hic opus, hic opifex Deus eſt, ſacrat, atque ſacratur.

Non igitùr Sacerdos viſibilis eſt, qui principalitèr rem divinam efficit (quamquam ſit, qui conſecrat immediatè) & agnum immolat incruentè, ſed Chriſtus Dominus ipſe ſeipſum offert:

Pallas te hoc vulnere Pallas:
Immolat.



SECTIO PRIMA.

Præmittitur ad aſſertum noſtrum, Chriſtum Dominum actu formaliter elicito exercere ſemper munus Summi Sacerdotis in jugi ſacrificio altaris, ubicunque illud offeratur: & quidem tam effectivè, quam affectivè, ſimul cum Sacerdote viſibili; ſive munere illo ex Empyreo, ut putat communis opinio, ſive ex ipſo altari, ut credit noſtra, fungatur.

§. I.

Num. 1. UT hæc maximi momenti aſſertio nervosè radicetur, & clariùs promoveatur, ſuponendum eſt primò: Chriſtum Dominum eſſe modò etiam verum, & proprium Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, & quidem in æternum promiſſione Patris jurejurando firmata Pſal. 109. *Juravit Dominus, & non pænitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec*, & Hebr. 7. *ſempiternum habet Sacerdotium*, & rurſus: *manet Sacerdos in perpetuum*. Sive *æternum* illud, *ſempiternum*, *perpetuum* uſurpetur pro tempore durationis Mundi, ſive aliter (de quo in loco opportuniori). Perpetuitas autem, ſeù dignitas ſemper durans hujus Sacerdotii Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedec manifeſtè arguit, ejuſmodi Sacerdotium deſumendum eſſe, non per reſpectum ad ſacrificium cruentum, quippè quod ſemel tantùm oblatum eſt, ſed per ordinem ad ſacrificium incruentum, & juge, repræſentativum cruenti; reſpectus enim & ordo ad ſacrificium cruentum potiùs in Aaronico deſignabatur. Suppoſitio hæc dogmatica colligitur, & conſtat ex Geneſ. 14. ex productis locis, tum Regii vatis, tum Apoſtoli: Sacerdotium namque & ſacrificium mutuò referuntur, reciprocanturque. *Sacrificium, & Sacerdotium*, ait Synodus Tridentina ſeſ. 13. cap. 1. *Ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit*. Et ex alia parte Sacerdos altiſſimi Melchiſedec nullum aliud ſacrificium obtuliſſe legitur, niſi panis, & vini. Ad hanc ergo oblationem per ſe primò refertur ejus Sacerdotium. Hoc expreſſit ſatis Apoſtolus ad Hæbr. 13. *Per ipſum ergo offeramus Hoſtiam laudis ſemper Deo*: Quod de ſacrificio altaris per ſe primò dicitur. Ergo per ipſum offertur Deo, atque adeo ipſe illud offert per ſe immediatè. Undè Chryſ. in comment. ad cap. 13. ejuſdem Epiſtolæ, dixit: *Demus illi talem Hoſtiam, ut etiam ipſe eam offerat Patri; aliter autem non offertur, niſi per filium*.

Quamquam enim Paulus in ea Epiſtola conſultò reticuerit, ſacrificium panis & vini, ob eas cauſas ſummi ponderis, quas exponunt ibidem Patres, & Interpretes (nec enim diſpoſiti erant Hæbrei, quibus cum diſſerebat, ad profunditatem hujus arcani apertiùs propoſitam capiendam, ut præmiſerat idem Apoſtolus ibi); attamen ſatis, vel ipſo ſilentio ſacrificium, & hoſtiam declaravit, & indirectè explicuit, dum alloqueretur Hæbreos, quibus notus erat locus Geneſis, Davidiſque, ac proinde ſacrificium proprium illius Sacerdotii: Et dum æternam illius durationem, præ Levitico, figurante ſacrificium cruentum, adſtruit; nullum ſiquidem aliud Crucis ſacrificium, aut modo aliquo cruentum offerendum erat à ſummo hoc Sacerdote. Et aliunde ſacerdotium nequit verè ſempiternum dici denominativè tantùm, à cruenta immolatione ſemel facta, quantumvis fructus perſiſtat in æternum, ut infra latè oſtendemus. Conſtat ex Concilio Epheſino can. 10. ex Lateran. ſub Innoc. III. cap. *Firmiter; in quo*, ait, *idem ipſe Sacerdos, & ſacrificium* (hoc eſt hoſtia) *Jeſus Chriſtus, cujus corpus, & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continetur*: Ex Florentino in Decreto Eugenii, luculentiùs autem, & fuſiùs ex Tridentino ſeſ. 22. cap. 1. & 2. *Quia tamen per mortem*, inquit cap. 1. *Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ ſuæ Sponſæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus &c.* Conſtat ex Cypriano Epiſt. ad Cecilium lib. 2. Epiſt. 3. ajente: *Quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedec obtulerat, id eſt panem, & vinum, ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem*. Ex S. Ambroſio in præparat. ad Miſſam cap. 1. ubi egregiè diſputans de reverentia ſumma, quà juge ſacrificium celebrari debet, inquit: *Ubi adeſt præſentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos, & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter conſtitutus*. Videndus etiam ubi exponit Pſal. 38. ex S. Auguſt. Epiſt. 95. ad Innocentium: *Melchiſedec prolato Sacramento menſæ Dominicæ, novit æternum ejus Sacerdotium figurare*. Conſulatur etiam lib. 20. de Civitat. Dei, cap. 20. cujus loci verba referuntur in cap. *Sacerdos* de Conſecr. diſtinct. 2. & lib. 4. de Trinitate. Ex Chryſoſt. Homil. 83. incunctanter pronuntiante. *Qui tunc in illa Cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur*. Conſimili voce intonuit ſæpiſſimè, nam in Liturgia ait: *ipſe eſt, qui*

offert,

offert, ipſe qui offertur. Audiendus etiam Homil. 17. ad Hæbr. & 60. ad Populum, uti & Hom. 2. in Epiſt. 2. ad Timot. *Nihil habet menſa iſta, quam illa, minùs. Cur hoc? quia non homo ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacraverat*: Et Homilia de proditione Judæ, & quidem tam prima quam ſecunda, cum utrumque eſſe genuinum aurei, & fæcundiſſimi illius ingenii fætum, evincat noviter Bernardus de Montefaucon (cujus ſtudio cuſa denuò fuere, Pariſiis 1718. ejuſdem opera). Ex Doctore Maximo, ex Irænæo, & tandem ex conſenſu unanimi Patrum Eccleſiæ, quorum mentem elucidarunt Card. Bellarm. lib. 1. de Miſſa cap. 4. Doctor Eximius diſputat. 77. Vaſquez diſputat. 225. Andreas Sauſſay in Panoplia Sacerdotali part. 2. Turrianus, Lambertus, Lindanus, & Veteres Scholaſtici; quamquam Pater Vaſquez obſervet, antiquiores Theologos illam inſinuaſſe quidem, minimè tamen expreſſiſſe: adeo ſubobſcurè, & hæſitanter locuta eſt infantia Theologiæ, etiam in rebus clariſſimis interdum; donec per Magiſtrum, Div. Thomam, & S. Bonaventuram adolevit in virum perfectum.

Num. 2. Præſupponendum ſecundò, & tanquam planè inconcuſſum etiam, munia Summi Sacerdotis nonniſi per Humanitatem Sacroſanctam exerceri poſſe; quamquam enim illud neutiquam convenire valeat Humanitati ſeorſim ab unione hypoſtatica, purove homini, cum ſacrificium juge ſit infiniti valoris, & æſtimabilitatis, exigenſque propterea infinitam dignitatem in Perſona offerente, & immolaote principaliter; uti & in victima pretioſitatem ſummam, ut ex utroque fonte hauriat ſacrificium perfectionem undique ſummam, & ſublimitatem creſcendi incapacem. Cæterum operationes, ſive functiones, per quas Sacerdos Magnus peragit Sacrificium ipſum, manare debent neceſſariò ab Humanitate ipſa ſubſiſtente in verbo Divino, cum ratione illius ſit Deo inferior, eique ſubjectus, & allunde per illas colitur Deus, tanquam ſupremus omnium Dominus, vitæ, oeciſque abſolutus arbiter. Eſt igitur Chriſtus Dominus Summus Sacerdos ſecundum quod homo eſt, tametſi homo ſubſiſtens in perſonalitate Divina; reclamantibus exadverſo Sectariis, & ſacerdotium ad Divinitatem, non ſine ipſius divinitatis injuria, & luminis naturalis violentia, transferentibus; quia vel nomen ipſum ſummi Sacerdotis, aut Pontificis in homine averſantur, & horrent. Notum eſt enim illud S. Ambroſii 2. de fide cap. 5. *Idem Sacerdos, idem Hoſtia, Sacerdotium tamen, & Sacrificium humanæ conditionis officium eſt*. Et rurſus ibidem Sectariorum virus antidoto præcavens, ſubdit: *Nemo igitur, ubi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi jus divinitatis adſcribat*. S. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 3. *Secundum hominem Chriſtus & Rex, & Sacerdos effectus eſt, ut eſſet ad interpellandum pro nobis mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. In eundem ſenſum locutus fuerat S. Athanaſius lib. de Humanitate Verbi, S. Cyrillus Epiſt. ad Neſt., S. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 2. dicens: *Solus Sacerdos, Sacrificium, & Templum, & hæc omnia Deus ſecundum rationem ſervi*. S. Thomas 3. par. quæſt. 22. art. 2. corpore: *Et ideo ipſe Chriſtus in quantum homo non ſolum fuit Sacerdos, ſed etiam Hoſtia perfecta*. Neque hærendum diutiùs in re adeò firma, & rationi naturali conſentanea, quam ſtrenuè vindicant ab hæreticorum machinamentis Scholaſtici paſſim, quamvis plus arrogantiæ, quam ſucci contineant.

Supponendum tertiò, ejuſmodi dignitatem Sacerdotis principalis relatè ad ſacrificium Miſſæ, quæque eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, neutiquam eſſe modò purè ſpeculativam, & veluti ad honorem tantùm redactam, quaſi ſtaret ſolùm magni nominis umbra; ſed actu, ſive practicè exerceri verè, & propriè ſtrictèque inviſibilitèr à Chriſto Domino in omni Sacrificio, & in ſenſu proprio, tamquam à Sacerdote principali; etiam ſi reliqui ſubalterni verè etiam, & propriè Sacerdotium participent, & actu exequantur minùs principalitèr, & viſibilitèr. Doctrina hæc plenè convincitur ex nuper adductis Scripturæ Sacræ, & Patrum teſtimoniis: ex Pauli argumentis, quibus præfert Sacerdotium Chriſti Domini ſecundùm ordinem Melchiſedech Sacerdotio Levitico; ut quid enim tantoperè inſudaſſet Paulus in mero titulo ſine re, & ſine uſu prædicando, & mirificè extollendo? Neque ſatis eſt illud participari à Sacerdotibus ſubalternis, per quos practicè exercetur ſummi Sacerdotis nomine; quoniam inde argueretur, Sacerdotium hoc practicè, & ſtrictè uſurpatum non gaudere, ſupra Aaronicum, prærogativa perpetuitatis, quam iteratis vocibus, & ſemitis commendat in illo Apoſtolus; æquè ſiquidèm deficiunt Sacerdotes miniſtri hujus ordinis Sacerdotii, advenientibus loco ipſorum aliis, ac per mortem deficiebant ordinis Levitici Sacerdotes (de quo plura nos poſtmodùm). In hac ſuppoſitione generatim accepta convenire gloriantur propè omnes Theologi; dum tamen ad arenam deſcenditur, & determinandus eſt modus, quo Sacerdotale officium vera aliqua via exequatur, nonnulli reverà vacuam, & quæ ſemper otietur, dignitatem invehunt; niſi tantùm per denominationes quaſdam extrinſecas, aut moralitates ut vi tractas, & parùm ſufficientes ad verificandas ſublimes excellentias Sacerdotii Chriſti Domini ab Apoſtolo ſuſſiſſimè productas, & decantatas. Iſthæc igitur ſuppoſitio recurrit potiùs cum aſſertione noſtra, ac ſubindè probanda magis, quàm præmittenda, cum voce tenus confeſſio Sacrificii Euchariſtici ſummo Sacerdoti verè, & ſtrictè concedatur; ſiquidem in fractione panis,

nis, ut ajunt, longè aliter re ipſa indicatur.

Num. 3. Etenim dum Scholaſtici concordi ſenſu admittunt Chriſti Domini Sacerdotium, juxta ritum Melchiſedech, ejuſque perennem uſum, verum, & proprium, in Sacrificio incruento, confeſtim differunt de modo, quo præfata ſummi Sacerdotis munia immediatè, & ſtrictè ſubeat, aut ſubire valeat. Quandoquidèm plures cum Gabriele, & Corduba docent, Chriſtum Dominum denominari, & eſſe Sacerdotem principalem in quovis Miſſæ ſacrificio, eo ſolùm, quod Sacrificium illud inſtituerit, voluntate tunc phyſica, nunc autem moralitèr perſeverante, perſeveraturaque uſque in finem Mundi. Quòd Apoſtolos in cœna fecerit Sacerdotes cum poteſtate conſecrandi. Quòd illis juſſerit, ut conficerent Euchariſtiam in nomine, & perſona ipſius: modo, quo legati nomine, & vice ſuorum Principum exponunt omnia ſibi ab eiſdem commiſſa. Quòd applicuerit Sacrificio merita ſua omnia. Quòd in illius inſtitutione præviderit cuncta in ſingulari Sacrificia celebranda in Eccleſia. Quòd ſemper interpellat pro nobis, quamquam virtualitèr tantùm, quæ oratio eſt propria Sacerdotis functio, eaque actu exercita, ut conjuncta cum inſtitutione jam dicta, efficit, ut Chriſtus Dominus ſit moralitèr Sacerdos principalis, licèt per ſe, & immediatè non ſacrificet, nec actus illi phyſicè ſumpti pertineant intrinſecè ad conſtituendum Sacrificium, quia eo ipſo tota hujus Sacrificii virtus, & ſacrificantis efficacia traditur ex meritis ſummi Sacerdotis.

Et tandem eò quod moraliter influat (vel ſi phyſicè influat, actus tamen vitales, quibus imperet influxum, uti & alii, remotè ſe habeant) ita Pater Vaſquez diſputat. 225. præſertim cap. 3. Averſa, Præpoſitus, Leſſius, Fagundez, Gaſpar Hurtadus, Martinon, Lugo: & quamquam hic diſputationem eſſe de nomine (immeritò) dixerit; exigit tamen quòd actu moraliter concurrat, ut Sacerdos. Ita etiam alii Juniores, quorum aliqui afferunt pro hac ſententia Doct. Subtilem quodlib. 20. §. *Hic promittendum*; minùs verè tamen, cum ibi ſolùm habeat hæc ad rem præſentem verba: *quaadocumque enim Chriſtus ut ſummus Sacerdos offert, panis, quem dat, ideſt caro ejus, eſt mundi vita*, quibus potiùs vergit in oppoſitam ſententiam, quàm in proxime relatam. Ex adverſo ſecunda opinio (quam, nonnulli, inter quos Leander tract. 8. diſp. 1. quæſt. 28. certiſſimam appellant) docet, Chriſtum Dominum non ſolùm titulis à prima opinione agglomeratis, ſed inſuper ſeipſo phyſicè immediate concurrere actu, & vitaliter ad eſſentiam ſacrificii; atque adeo (juxta eos, qui illam ſitam credunt in conſecratione) vitaliter ad tranſubſtantiationem, ſeu converſionem mirabilem per Humanitatem, tanquam Sacerdos potiſſimus; tum ad offerendum idem ſacrificium, tum ad orationes, & id genus alia vel conſtituentia, vel integrantia ſacrificium, quæque ſunt propria Sacerdotis munia, quæ inviſibiliter exequitur, ſummus Sacerdos noſter, repræſentatus, & quaſi ſenſibilis effectus per Sacerdotes viſibiles: pertinentque illi actus intrinſecè, & immediatè ad ſacrificium, ejuſque celebrationem & munus Sacerdotis explendum (quamvis hoc ultimum non adeo dilucidè exprimatur à prælaudatis Theologis plerumque). Sic opinatur Doct. Eximius diſp. 77. Nugnus qu. 83. art. 1. par. 2. Molina, Prado, Filliucius, Dicaſtillo, Caſtro Palao, Miranda, Scortia, Carthuſianus, Rhodes, Coninchius, Trullench, Fornarius, Gonet, Salmanticenſes, & frequentiſſimè Recentes. Hæc ſententia mihi arridet ſummoperè, conſequenter ad omnia illa, cujus gratia præſentem ſcriptionem elucubravimus: ex illis namque legitimè naſcitur, & earundem parens eſt ſimul: mutuis enim officiis, ſi non mutuis cauſalitatibus, ſeſe fovent.

Num. 4. Aſſertionem hanc deduco primò ex D. Thoma 3. p. qu. 63. art. 6. corpore, ubi de Euchariſtia obiter agens, & de Sacerdotio Chriſti Domini, inquit: *continet tamen in ſe ipſo Chriſtum, in quo non eſt character, ſed tota Sacerdotii plenitudo*. Similia habet in 4. diſtinct. 4. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 5. manifeſtum namque eſt, plenius futurum Chriſti Domini Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedec, quod primò, & per ſe importat reſpectum ad ſacrificium altaris, ſi non modò phyſicè remotè, & moraliter proximè, juxta congruentias ab oppoſita ſententia nuper indicatas, ſed phyſicè per ſe immediatè, & vitaliter ad functiones Sacerdotis conficiendas, & ſacrificii conſtitutivas concurrat, ut Sacerdos principalis, quantumvis inviſibilis. Nonne major eſt indubitanter concurſus actualis phyſicus, & immediatus, ut per ſe requiſitus, & ſimul moralis, per alios, nomine, & virtute illius influentes, quàm purè moralis? Et aliunde nulla major plenitudo reperiri, nec cogitari valet, quàm ea, quæ comprehenditur *ſub tota Sacerdotii plenitudine* à Divo Thuma perſpicuè aſſerta. Illa ergo, quam opinio noſtra inducit, aſſcritur à D. Angelico. Quocirca licet permittamus, ſalvari per contrariam ſententiam ſufficienti proprietate ſermonis, Chriſtum Dominum eſſe potiſſimum in omni altaris ſacrificio Sacerdotem, quin immediatè phyſicè per ſe influat, aut myſterium conficiat; verumtamen à nemine prudenter negari valet, uberiùs, ſtrictiùſque, & pleniùs, functum iri Chriſtum Dominum Sacerdotis munere, concurrendo inſuper actu phyſicè, & per ſe directè ad primarias actiones magnum illud arcanum reſpicientes. Maximè cum earum nobiliores, mirabilioreſque, debeant ab ipſo phyſicè immediatè provenire, ut illius potentiæ inſtrumentalis effectus. Uti & nullus inficiari poteſt, futurum ſacriſi-

Digitized by Google

erificium ipſum perfectius intrinſecè, ſi conſtitui poſtulet, & peragi immediatè per actus, operationeſque ipſiuſmet ſummi Sacerdotis, cum à S. Auguſtino lib. 10. de Civitat. cap. 2. ſacrificium Miſſæ dicatur: *ſummum, ac veriſſimum ſacrificium*.

Afferam præterea teſtimonium, quod ab Adverſariis, præſertim à P. Vaſquez ſupra, in nos contorquetur, cum re vera telum ſit in contorquentes ſtrenuè retorquendum. Ejus Auctor eſt Simeon Theſſalonicenſis in libro de myſteriis Eccleſiæ cap. 45. (relatus à Turriano lib. 8. Conſtitution. Apoſtol. Clement. cap. 52.) oſtendens enim (per exceſſum aliquem) abſurdum eſſe, dicere, Chriſtum Dominum per omnes oblationes, aut præces univerſim, quæ in Miſſa proferuntur à Sacerdote viſibili, exercere ſemper officium Mediatoris, vel Sacerdotis, inquit: *exiſtimare autem, Chriſtum Dominum per preces, quæ in Miſſa fiunt, ſemper mediatorem agere, plenum eſt blaſphemia, & abſurditate: etſi enim ipſe eſt, qui ſacrificium Miſſæ operatur; non tamen omnia, quæ illic fiunt, & dicuntur, ipſi ſunt attribuenda: opus enim Miſſæ, & finis, ſantificare (inquam) munera, & ſantificare fideles, ipſe ſolus eſt, qui hoc facit; orationes verò, & obſecrationes ac ſupplicationes, quæ in his fiunt, Sacerdotis ſunt: illa Domini, hæc Miniſtri: Miniſter orat, Dominus conſumat*. Hinc inſurgit Vaſquez: plenum ergo blaſphemia exiſtimat Simeon, attribui Chriſto Domino orationem illam v. g. *ſupplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per Sanctum Angelum &c.* Subindeque denegat Chriſto Domino munus actu per ſe offerendi, uti & munus orandi per ſe formaliter, & expreſsè, conſequenter ad eam doctrinam, quam ipſe Vaſquez acriter tuetur diſp. 81. affirmans, Chriſtum Dominum in Cœlo non aliter modo orare, quàm exercitè, quatenus anteacta merita, actu divino conſpectui præſentiſſima, vulnerumque veſtigia exorant tacitè pro nobis: orat enim virtualiter, dum illa oſtendit, facundiora quinque Grecæ eloquentiæ membris, de quibus Cicero de Orat.

Num. 5. Duo admiratione digna obſervo in hoc Vaſquez argumento: primum eſt, eruditiſſimum alioqui virum ignoraſſe pœnitus, Simeonem illum Schiſmaticum fuiſſe, uti notavit Cardinal. de Lugo, & narrant Eccleſiaſticarum rerum Scriptores; proindeque non tanti habendum ejus teſtimonium, etiamſi planè convincens foret. Secundum eſt, quòd adducatur præſatum teſtimonium in robur opinionis contrariæ, cum illud apertè militet noſtræ, dum affirmat, Chriſtum Dominum ſeipſo immediatè ſacrificium peragere, aut operari, ſantificare munera, ideſt conſecrare, quatenus converſionem ſtupendam efficiat (præſupponere namque videtur, conſecrationem ipſam eſſe formalem ſacrificationem, aut immolationem, ut complures etiam Scholaſtici opinantur, noſque modò permittimus, tametſi falſum omnino credamus, & ſuo loco oſtendemus) & ex conſequenti offerre ſacrificium; cum in doctrina communi, & ejuſdem Vaſquez conſecratio ſit pariter oblatio: ac proinde inconſequenter inficiatur hic, oblationem immediatè ab inviſibili Sacerdote factam, dum conſecrationem ab ipſo fieri admittit ex Simeonis doctrina; quæ nequit accipi ſolùm de concurſu purè materiali Chriſti Domini in converſionem illam, ſed formali ſimul, & vitali, proprioque Sacerdotis; ſin minus nec exercere munus Sacerdotis, nec verè conſecrare diceretur à Simeone. Solùm itaque contendebat præfatus Theſſalonicenſis, preces quamplures, & actiones in Miſſa, quæ, vel quia expreſsè dicuntur nomine ipſius Sacerdotis viſibilis, quâ purè miniſtrantis, vel Populi; proptereaque talis interdum conditionis, ut dedeceret, Chriſtum Dominum ita modò alloqui per illas Patrem: vel efficerent ſenſum alienum à proprietate loquendi, ſi Chriſto Domino attribuerentur, & ex parte nugatorium; nequaquam fundi, aut elici à ſummo Sacerdote. Quemadmodum cum Sacerdos communicaturus dicit: *Domine non ſum dignus, ut intret ſub tectum meum*; nequaquam orat Chriſti nomine, nec illi ut principali Sacerdoti attribuenda eſt ea humilitatis vera expreſſio; ne fingamus Chriſtum Dominum loquentem ſecum ipſo, vel ad ſeipſum etiam quà hominem humili deprecatione clamantem, quod ridiculum videretur. Vel quia ad ipſum ſummum Sacerdotem immediatè diriguntur, uti in proximo adducto exemplo, & in illis verbis: *Ecce Agnus Dei &c.* vel (ut hoc etiam gratis permittamus Adverſario) per ipſum ad Patrem ordinatę, ut illa: *jube hæc perferri per Sanctum Angelum &c.*

Si per Angelum intelligatur ille magni conſilii, ut cum D. Thoma 3. part. qu. 83. art. 4. ſentiunt frequenter Theologi, ait namque D. Angelicus ibi ad nonum *vel per Angelum intelligitur ipſe Chriſtus, qui eſt magni conſilii Angelus, qui Corpus ſuum myſticum Deo Patri conjungit, & Eccleſiæ triumphanti*. In qua ſuppoſitione nequit Chriſtus Dominus ipſe eum modum orationis cum proprietate elicere. Si verò non ipſe, ſed Angelus ſacrificio aſſiſtens intelligatur, alienum quoque videtur, & ab officio ſummi Sacerdotis, & ab ejuſdem majeſtate offerre per Angelum ſacrificium, quod ex proprio officio Principalis Sacerdotis debet per ſeipſum immediatè offerre Deo. Quamobrem illegitimè arguit exinde Pater Vaſquez, Chriſtum Dominum juxta mentem Simeonis neutiquam exequi phyſicè immediatè officium præcipui Sacerdotis in ſacrificio, eo quod alioqui præfatæ orationes attribuerentur ipſi. Præterea quàm inermis ſit ea reflexio, conſtat ex eo, quod Chriſtus Dominus apud oppoſitam ſententiam exercet moraliter immediatè munus Sacer-

dotis

dotis potiſſimi: vel ergo illi imputantur dictæ preces moraliter, quia conſequuntur Sacerdotis officium, vel non? Et quodcumque extremum amplectaris, arma in noſtram ſententiam deponere debes, ipſeque pro nobis etiam ſatisfacies. Demum, oblationem ſacrificii conſtitutivam fieri immediate à Chriſto Domino tanquam Sacerdote ſupremo inviſibili, expreſsè docet idem Theſſalonicenſis, non modò in verbis productis (quod non ſine violentia negat Pater Vaſquez) verùm dum ibidem ſubjungit: *offert quidem & Dominus, ſed ſeipſum Patri offert, poſtquam fuit ipſe, ideſt poſtquam mutata ſunt in Corpus & Sanguinem ejus: quia enim ſeipſum offert, idcirco dicitur eſſe offerens, & oblatus*. Ubi quamvis oblationem indicat ſubſecutam & diſtinctam à conſecratione, attamen principaliter offerentem unà cum Sacerdote Miniſtro dicit Chriſtum Dominum; & quidem non ratione inſtitutionis præcisè; neque abſque actu formali elicito offerendi, ut contendit Vaſquez per vim apertè illatam verbis, & ſenſui. Uti & dum illum conſecrare affirmat, efficientiam actualem mirandæ converſionis adſtruit, & propterea dixit etiam: *Ipſe ſolus eſt, qui hæc facit*. Quoniam licèt Sacerdos proferat verba Conſecrationis; virtus tamen, & concurſus miraculoſus in tranſubſtantiationem, juxta Simeonem, Chriſti Domini eſt, & quidem exhibitus vitali modo ab Humanitate, ex quocumque loco influat. Ubi prætermittenda non ſunt verba perſpicua Emiſſeni ſerm. de Corp. & Sangu. Domini: referuntur que in cap. *Quia corpus* 35. de conſecrat. diſtinct. 2. *Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit*. Non ſanè duntaxat in nocte Cœnæ, cum eſſet tunc Sacerdos viſibilis: ſi autem tunc etiam quà inviſibili modo exiſtens ſub ſpeciebus obtulit, ut Sacerdos ſummus, talis à fortiori erit nunc; quamquam utrobique debuit fieri ſenſibilis, tunc per ſeipſum præſentem in propria ſpecie; nunc per miniſtrum viſibilem; ſicut quà Hoſtia redditur ſenſibilis per ſpecies panis, & vini, & per verba ſimul: quæ ſunt ſigna ex divino inſtituto: & veluti ramus officinam miraculorum credentibus deſignans.

Num. 6. Ab abſurdo autem promoveri poteſt egregiè: ex eo quod ubique apud Eccleſiæ Patres, quorum nonnulla dedimus ſupra teſtimònia, eodem rigore, quo dicitur Chriſtus Dominus Hoſtia, ſeu victima in omni Auguſto altaris ſacrificio, dicitur quoque offerens, & conficiens. Inſuper juxta principia fidei in præcedentibus jacta, & ex Sacræ Scripturæ locis indicatis in prima ſuppoſitione collecta, Chriſtus Dominus eſt verè, ſtrictèque Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, perpetuuſque, relatè ad juge ſacrificium, Chriſtianæ Religionis inſigne proprium; proindeque, quandocumque, & ubicumque illud celebratur, Chriſtus Dominus eſt reipſa in vera aliqua acceptione potiſſimus in eo Sacerdos, ut oſtendunt inibi adducta, ſi autem ſemel eſſe poteſt verè, & propriè, & principaliter offerens, & conſiciens hoc Sacrificium Chriſtus Dominus, licet nihil actu realiter per ſe operetur adhuc affectivè, quo illud conſtituatur, eo ſolum quòd mediis Sacerdotibus viſibilibus, ejus nomine, & virtute offerentibus, ab eodemque inſtitutis concurrat; poterit eadem proprietate, & rigore loquendi dici, & eſſe vera Hoſtia, verèque immolatus in ara; tametſi immedite per ſe victima non ſit ullo modo; ſed mediatè per ſignum, aut in ſigno panis, & vini, repræſentativo Sanguinis è Corpore fuſi, adeoque ab eodem in Paſſione ſeparati. Eo quod fuerit immediatè ſeipſo Hoſtia in Cruce, quam repræſentat, & recolit in altari: uti ex eo quod ſacrificium Euchariſticum inſtituerit, Sacerdoteſque ordinaverit, tanquam Vicarios, & Miniſtros, qui nomine ſuo, & verbis, ab ipſo tunc prolatis peragerent ſacrificium, diſpenſarentque fidelibus, cui, & quibus ex tunc applicuit merita ſua omnia; dicitur Sacerdos. Quinimmò & poterit in toto rigore dici præſens in Euchariſtia, per hoc quod moraliter adſit, tametſi phyſicè, & realiter nonniſi in ſigno præſens fuiſſet. Cum evidentiſſimum appareat, eandem prorſus utrobique adeſſe rationem, aut nullibi. Quod Sacramentariorum hæreſim fovet, ſatiuſque eſſet aſpidem in ſinu fovère.

Secundò: Eatenus, juxta opinionem noſtræ contradicentem, Chriſtus Dominus non concurreret immediatè realiter effectivè, affectivèque ſimul, ad ſacrificium, quatenus dedeceret præſentem ſtatus ſui glorioſi Majeſtatem, orare, offerre ſeipſum actu formali elicito, obſecrare, &c. ut ex P. Vaſquez contendunt reliqui ejuſdem doctrinæ accerrimi ſequaces. At hoc vel nihil probat, vel deſtruit pariter adverſam opinionem: ergo &c. Patet minor: Chriſtus Dominus juxta eam ſententiam, tametſi nihil phyſicè actu operetur ut Sacerdos circa ſacrificium altaris, exercet tamen verè, & propriè munus principalis Sacerdotis relatè ad omne Miſſæ ſacrificium, per hoc quod illi attribuantur moraliter illa, quæ ipſius nomine, virtuteque, & ex ejus inſtitutione agit, & peragit Sacerdos miniſter, ob titulos ſupra ex P. Vaſquez delibatos, cum Sacerdos ſubalternus fungatur legatione pro Chriſto. Quemadmodum Rex per ſuum legatum jure pollicetur, loquitur, negotiatur. Et itidem Dominus, qui jampridem famulo largitionem eleemoſynæ commendaverat, licet illam phyſicè per ſe non largiatur immediatè, nec advertat, ſed forſan dormiat, dum famulus ipſam erogat, illi in toto rigore utriuſque juris attribuitur eleemoſyna, eodem planè modo, ac ſi ipſam manu propria dediſſet Pauperi. Omnia igitur, quæ apud nos exequitur principalis Sacerdos

cerdos

cerdos phyſicè immediatè, exercet immediatè moraliter ipſe apud Adverſarios, ſeu illi moraliter attribuuntur, aut imputantur. Vel igitur dedecet illius majeſtatem pro ſtatu præſenti gloriæ, quòd illi attribuantur prædictæ preces, functiones; & ſic opinio adverſa corruit unà cum noſtra; verumtamen corruat pariter neceſſè eſt doctrina, fidei principiis conſtanter innixa, aſſerens, Chriſtum Dominum eſſe verè, & propriè ſummum Sacerdotem reſpectu cujuſvis ſacrificii incruenti, ut vidimus in prima ſuppoſitione. Si verò illum nequaquam dedeceat, eſſe moraliter, & propriè dici auctorem earundem functionem; falſò, & inconſequenter aſſeris, dedecere Chriſti Domini glorioſi dignitatem, quòd earum præcipuas per ſe phyſicè exequatur.

Porrò diverſitas inter phyſicam, & moralem operationem ſuffragari minimè poteſt in ſubjecta cauſa; (quidquid ſit in aliis) cum eo ipſo quòd earundem auctor, inſtitutor, & factor dici valeat in toto rigore, ſunt eo ipſo functiones digniſſimæ, quæque ſine dedecore, ſed potiùs ſumma cum laude, & gloria, peragi poſſint realiter immediatè, & phyſicè ab ipſo; & idcirco debeant, ut explcat practicè ſtrictiùs, & perfectiùs ſaltem, munus Sacedotis Summi, ut ſacrificium reddatur nobilius; cum eſſe oporteat undique ſummum: & quia nequaquam dedignatur Chriſtus Dominus fungi per ſe immediatè munere immolandi ſeipſum in ſacrificio, in quo tantopere honoratur Pater. Hæc mihi valde perſpicua, ſemper viſa fuere, digna ſacrificio infinitè perfecto, digna Inſtitutore, digna victima, quæ immolatur incruentè, ut manu digniori cadat, digna tandem immortali Sacerdotio ab Apoſtolo per encomia divina commendato. Hæc forſan eſt ratio, ob quam Actorum 13. de Apoſtolis legitur: *Miniſtrantibus illis Domino*; ubi ſermonem eſſe de ſacrificio Miſſæ, docet conſtans Interpretum ſententia ex Græca lectione, & ex aliis verſionibus planè deducta. In illo autem ſacrificio Apoſtoli non dicuntur ſimpliciter conficere, aut rem ſacram facere, ſed miniſtrare Domino, id eſt Sacerdoti Summo inviſibiliter, & principaliter ſacrificanti ſeipſum. Item & efficaciſſimè ex eo, quod alioqui Petrus, aliique Apoſtoli, & Sacerdotes non forent tantùm Miniſtri, aut Vicarii, ſed vere Chriſti Domini Succeſſores in Sacerdotio in ordine ad ſacrificandum, in linea ſaltem phyſica, quamvis non in morali. Hoc autem abſurdiſſimum fore conſtat ex Apoſtolo Hebr. 7. convincitque ipſe Vaſquez diſp. 221. cap. 4. adversùs Calvinum; cum eo titulo præferat Paulus Chriſti Domini Sacerdotium Aaronico. Quòd autem in linea phyſica ſacrificandi, quæ ſtrictiſſima eſt, ſucceſſiſſent Sacerdotes Chriſto Domino, oſtenditur ex eo, quòd ille in Cœna ſeipſum phyſicè obtulerit, immolaveritque; modò autem nullo pacto ſacrificaret phyſicè, ſed miniſtri ejus ſacrificationem efficerent. Ecquod autem aliud eſt ſuccedere alicui in officio? Non enim per lineam moralem evadi poteſt diſcurſus, ex linea phyſica petitus, quæ ſola ſatis ſuperque eſſe debet ad tentatum abſurdum. Alioqui poſſet pariter dici perſeverans moraliter Sacerdotium Aaronicum in primo illo Sacerdote, tametſi ſucceſſores haberet id ordine phyſico ſacrificandi; de quo proculdubio loquitur Apoſtolus, cum mactatio non inſligat vulnus imaginarium, aut in æſtimatione ſolùm prudentum; ſed reale, & Sanguinem eliciens.

Num. 7. Et hinc deſumo tertium argumentum: credendum omnino eſt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe juge hoc ſacrificium modo congruentiori, tum altitudini, infinitudinique ipſius; tum dignitati ſummi ęterni Sacerdotis; ſed multò magis congruit utrique, quod Chriſtus Dominus ipſe concurrat per ſe immediatè, & actu formaliter elicito ad illud, per ſeipſum formaliter immolando, & offerendo, ſimul cum Sacerdote viſibili, & minus principali. ergo &c. Majorem ſuppono extra dubium poſitam, ſi dignè de Chriſto Domino ejuſque Sacrificio, & Sacerdotio, ſentire, & loqui velimus: ut enim Alexander Primus Pontifex Maximus Epiſtola decretali ad omnes Orthodoxos cap. 4. (anuo Dom. 109.) dixit: *Nihil enim in ſacrificiis majus eſſe poteſt. quam Corpus, & Sanguis Chriſti. Nec ulla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit.* Eſſet autem potior, & excellentior oblatio, ſi altiori modo, excellentiorique inſtitui, & confici potuiſſet, quàm nunc foret, ſi major falleret. Et quamvis dignior non eſſet ex parte rei oblatæ, eſſet tamen nobilior ex parte offerentis immediatè, & ex conſequenti oblatio ipſa, ſeu actus offerendi longè perfectior (quantum ſuperat actus elicitus à voluntate humana Chriſti Domini actus omnes alterius Sacerdotis) per quem conſtituitur formaliter ſacrificium in ratione talis. Minor non minùs certa videtur. Siquidem ex terminis notum apparet, excellentius multò futurum ſacrificium eſſentialiter poſtulans conſtitui intrinſecè, & confici per actus internos offerendi, & immolandi, ſive imperandi immolationem (aut ſimiles) infiniti valoris, & dignitatis, cujuſmodi ſunt actus eliciti ab Humanitate unita hypoſtaticè verbo Divino; quàm quòd contentum ſit oblatione facta à quovis alio Sacerdote. Conſimiliterque notum videtur, ſtrictiùs, & veriùs exerceri munus Sacerdotii reſpectu cujuſlibet ſacrificii in particulari per actus formales internos offerendi, intentionemque actualem, ſimul cum influxu effectivo vitaliter immediatè exhibito, concurrendo active proximè ad ſui immolationem per modum principaliter ſacrificantis; quàm ſi denominativè tantùm ab actu præterito inſtitutionis, à viſibili Sacerdote, qui fungatur legatione pro ipſo, quatenus ipſius nomine conficiat. Siquidem omnium prudentum conſenſione primus

ille modus eſt excellentior, honoratior, ſublimiorque ſecundo, quantùm diſtat publica functio, aut actus ſolemnis per Regem ipſum immediatè peractus ab eodem, ab illa quæ per ejus legatum exerceretur; quantumvis etiam tunc Regi moraliter adſcribatur, ut ſcitè animadvertit Doct. Eximius diſp. 77. ſect. 1. creſceret enim honor præſtitus Regi huic, ſi non per Legatum, ſed per Regem ipſum præſentem immediatè exhiberetur.

Neque enim derivatur à Rege mittente in Legatum miſſum, per quem repręſentatur, integra illa Regia dignitatis majeſtas, qua potitur ipſe, quamquam portionem aliquam refundat. Confirmatur ex irrefragabili doctrina ſapientum omnium, unanimiter exiſtimantium, multum claritudinis, & dignitatis advenire ſacrificio, aut oblationi ex majore excellentia Perſonæ offerentis. Unde Geneſ. 4. de ſacrificio Abel dicitur: *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Non ſanè quia munera fuiſſent imparia, ſed quia impar erat dignitas, & fides offerentium. Atteſtante Apoſtolo ad Hæbr. 11. *Fide plurimam Hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo*: Conſulantur S. Cyprian. de orat. Dominica, S. Auguſt. de mirab. S. Scripturæ cap. 3. (ſi opus illud Auguſtini ſit) Nazianzenus, & paſſim alii Patres, uti & Rupertus in 4. Geneſ. Confirmatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſ. 22. cap. 2. docente idem eſſe ſacrificium, quod in altari offertur incruentè, ejuſdemque æſtimabilitatis, & valoris cum illo, quod in ara Crucis oblatum fuit, ſola offerendi ratione diverſa: ac ſubinde, & à fortiori, idem eſt, quod modò conficitur, cum illo, incruento etiam, quod peregit Chriſtus Dominus in nocte Cœnæ; ſed in utroque illo Chriſtus ipſe Dominus fuit immediatè, & per ſe phyſicè immolans, & per actus internos tunc elicitos offerens, actuque Sacerdos, ut incontroverſum eſt. ergo & per ſeipſum modò conficit phyſicè inviſibiliter incruentum ſacrificium tanquam Sacerdos principalis, ſignificatus per Sacerdotem viſibilem, ſacrificante quoque verè, tametſi minus principaliter miniſtro (ſub qua ratione ait Tridentinum ibi, Chriſtum Dominum conficere Sacerdotum miniſterio); in quo differt hoc ſacrificium à ſacrificio Crucis, & à primo incruento. Vel ſacrificium, quod modo incruentè offertur æquè æſtimabile non eſt, nec æquè dignum, ac ſacrificium cruentum, & incruentum primum; nec Sacedotium ſummum exercetur in illo celebrando ea proprietate, ac perfectione, qua in Cruce, & in Cœna. *Quatuor conſiderantur in omni ſacrificio*, ait S. Auguſt. in comment. ad cap. 9. Epiſt. ad Hæbr.: *Cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur*: En quo pacto, apud S. Auguſtinum ad dignitatem, & perfectionem ſacrificii novæ legis, non tantùm habenda ſit conſideratio rei oblatæ, ſeu victimæ, quæ immolatur, ſed & immolantis etiam, & offerentis: ut non minùs placeat Deo Perſona ſacrificans principaliter, ipſaque ſacrificatio, quàm res ſacrificata: pretium namque doni, quod offertur, creſcit, aut decreſcit plurimum juxta digniorem, vel minùs dignam manum, uti & vel amicam, vel hoſtilem: *Timeo Danaos, & dona ferentes.*

Num. 8. Ex quibus naſcitur ſpontè quartum argumentum (obiter ſupra ex parte attactum): nanque ubi fatendum eſt, eſſentiam ſacrificii conſiſtere in actione formaliter, ſimulque actionis, ſive operationis nobilitatem augeri, vel minui, juxta excellentiam, aut dignitatem Perſonæ, aut ſuppoſiti operantis; difficile admodum videtur, ſacrificium juge futurum infiniti valoris (ut ſuppono ex communi ſententia) æquè dum peragitur adæquatè phyſicè, & immediatè, à puro Sacerdote viſibili, ac dum à Chriſto Domino tanquam à principali Sacerdote (unà cum viſibili miniſtro) immediatè per ſeipſum phyſicè conficiente; quoniam in primo eventu actus duntaxat finitæ æſtimabilitatis, imperfectique (ſaltem negativè) concurrerent, conſtituerentque ſacrificium, & conſequenter valor illius, aut dignitas caderet multum ex hoc capite; eſſeque proinde non poſſet undique ſummus.

In ſecundo verò ſacrificium exigeret conſtitui per actus Humanitatis Chriſti Domini ordinis hypoſtatici, ſive per operationes Theandricas infiniti ſimpliciter valoris. Porrò licet actus Sacerdotis viſibilis terminentur ad victimam infinitæ excellentiæ, & ex hac parte Sacramentum illam realiter continens ſit infiniti pretii; actio tamen ſacrificandi, aut offerendi, per quam ſacrificium conſtituitur formaliter, ſemper eſſet inferioris ordinis in linea dignitatis moralis, quin & phyſicæ intenſionis, perfectioniſque longè inferioris comparativè ad actus Humanitatis Chriſti Domini dignificatos à Verbo Divino. Et inſuper difficile creditu eſt, quòd applicet merita ſacrificii cruenti eadem ubertate, dum ipſe non peragit immediatè ſacrificium, ac dum ſeipſo conficit (ut ſic occurratur evaſioni): neque enim ad eam infinitudinem refundendam in operationes miniſtri ſufficit concurſus moralis Chriſti Domini per illas, eo quod ipſi attribuantur; ſiquidem dignitas Perſonæ infinitæ ſolùm derivatur moraliter infinitè in operationes phyſicas ab eodem ſuppoſito elicitas, quæque propterea ſunt Dei-viriles; nequaquam verò in actus alterius ſuppoſiti, aut Perſonæ, etiam ſi aliis titulis eidem in acceptione morali imputentur; cum nequeat elevare ipſas per ejuſmodi moralitatem, & æſtimationem prudentum ad ordinem hypoſtaticum. Uti nec Regia dignitas refundi poteſt in Legati actiones eadem ubertate, qua proprias ipſius Regis nobilitat, & ad altiorem ordinem evehit. Rurſus ſemper adhuc, licet abſurda infinitudinis refuſio

per-

permitteretur, operationes phyſicæ Humanitatis Chriſti Domini vincerent reliquas claritate, intenſione, & perfectionibus aliis vitæ intentionalis.

Inſufficiens pariter eſt recurſus ad actum voluntatis Chriſti Domini inſtituentis ſacrificium hoc, qui ſemper moraliter durat, per eamque volitionem conſtituuntur in ratione ſigni ſpecies Sacramentales, eſtque moraliter intrinſeca ſpeciebus, quà ſignificantibus ex Chriſti Domini inſtitutione præſentiam Corporis, & Sanguinis; cum aliunde præfata volitio infinitè meritoria, & dignificata fuerit, dum phyſicè exiſteret, ſubindeque dum perſeverat moraliter. Inſufficiens quidem: tum quia ratio, aut conceptus formalis ſigni in Euchariſtia, quaſi per ſe primò convenit Sacramento, potiùs quàm ſacrificio. Deinde tametſi reperiatur etiam in ſacrificio, quà deſignat victimam immolatam, aut immolandam; primarius tamen conceptus ſacrificii ſitus eſt in actione immolativa, oblativaque, licet, quà debet eſſe ſenſibile, conſtituatur per ſignum ipſum. Tum quia circa reliquos actus, ſive operationes conſtituentes ſacrificium, vires ſuas integras conſervat argumentum, immolationem videlicet, oblationem, & conſimiles ad principalem Sacerdotem per ſe ſpectantes; ſive qui conſtituant eſſentiam ſacrificii, ſive qui illud integrent duntaxat; quamvis ut ejuſmodi operationes ſignificent ſenſibiliter, requiratur utrobique eadem volitio conſtitutiva ſigni. Præterquamquod his moralitatibus edoctus ſectarius, cum videat Chriſtum Dominum verè, & rigoroſè exercere officium Sacerdotis, & ſacrificare, per hoc ſolùm quod moraliter concurrat, & per volitionem ſuam præteritam moraliter perſiſtentem, & per operationes ſui Legati, aut miniſtri viſibilis, quæ in æſtimatione prudentum ipſi attribuuntur; inſiſtens eidem doctrinæ, aſſereret, Chriſtum Dominum eſſe moraliter ſolùm præſentem in Euchariſtia; quamquam verè & in toto rigore præſens affirmetur in Evangelio; quoniam ad eam præſentiam ſtrictè verificandam ſufficit, quòd moralis ſit à volitione phyſicè olim inſtituente, & nunc perſeverante. Itaque ex quacunque evaſione renaſcuntur, vel eadem, vel nova monſtra; ſubindeque dum abſurditatem à nobis objectam præcidere ſatagis, Hydram ſecas (ut ajunt).

Num. 9. Si nihilominus reponas concipi poſſe Chriſtum Dominum in inſtitutione hujus arcani prævidentem omnia in ſingulari ſacrificia, omnemque Sacerdotem actu ſacrificantem, & unà cum ſingulis, omnibuſque, intentionem conſecrandi, & offerendi, elicere, ſeu potiùs oblationem ipſam, & immolationis imperium; qui omnes actus moraliter perſeverent, per illoſque ſimul cum functionibus per miniſtrum viſibilem, legatumque, peractis, efficiant illum verè, & ſtrictè celebrantem. Relaberis in nuper indigitata abſurda omnia. Si namque ſacrificium actu realiter præſens verè dicitur, ſive fieri ipſum ſacrificii, quantumvis potiſſimi actus illud conſtituentes ſolùm moraliter exiſtant, & nullo pacto phyſicè: cur non poterit in toto rigore loquendi affirmari præſens verè Corpus Chriſti Domini (uti & ejus Sanguinem) per hoc quod fuerit realiter phyſicè præſens in nocte Cœnæ; & quidem non tantùm viſibiliter, ſed inviſibiliter etiam Sacramentaliter (ut nonnulli ſectariorum faſſi ſunt, & vidimus diſp. 1., refertque Chriſtianus Lupus, adjungentes verò ea duntaxat nocte fuiſſe Sacramentaliter præſentem phyſicè, neutiquam verò inpoſterum); ita tamen ut perſiſtat moraliter ea præſentia, per volitionem ſimilem Chriſti Domini permanens in ſigno?

Præterea inutiliter intentiones illas, & oblationes anticipatæ nimium, & moraliter perſeverantes, inducuntur; cum poſſit per ſe phyſicè illas de facto effectivè producere, ſemel ac verus & proprius concurſus ſummi Sacerdotis in ſenſu aliquo vero ſit planè neceſſarius; itaut non ſolùm deceat ſummum Sacerdotem, verùm & ſit per ſe requiſitus, ſuppoſita præſenti inſtitutione; cum hoc modo præſtantiùs, & veriùs exequatur officium proprium ſummi Sacerdotis per actus phyſicos actu formaliter elicitos, & perfectiùs, digniùſque, aut excellentiùs phyſicè concipiatur ipſum ſacrificium. Ulterius, intentionem illam præteritam jamdiù, & nonniſi moraliter permanentem, nequaquam ſufficere, ſi ſemel intentio aliqua principalis Sacerdotis prærequiſita fuerit, infra oſtendam ex Theologorum vulgata doctrina. Rurſus immatura ea intentionum numeroſitas, oblationumque, ſimultanea (vel una, quæ omnia ſimul ſacrificia complectatur) arguere poteſt apud imperitos defectum quendam virtutis ad actu nunc explendum munus æterni Sacerdotii poſt ſtatum glorioſum Corporis ſui in omni vero, & proprio ſenſu; cum præmiſerit actus illos, ventura ſacrificia intempeſtivè prævenientes; quaſi indicans, pro futuro ſtatu ſubire non poſſe munia Sacerdotis: quamvis verum ſit modò, illum fuiſſe propriè Sacerdotem in nocte Cœnæ. Unde putarent illos præmittere, non ut per ipſos moraliter conficiat poſtmodum, ſed quia nullatenus deinceps poſſet exequi munia Sacerdotis reſpectu ſacrificiorum, quæ modò peraguntur, ob eadem motiva, quæ in contraria ſententia reddunt ipſum incapacem officium illud phyſicè obeundi.

Quin ſolidum ſatis diſcrimen inter exercitium phyſicum; & morale, ſi hoc eſſe debeat ſtrictè tale, aſſignari valeat, ut ex ſupradictis abundè liquet, copioſiùſque ex dicendis. Vel ſequeretur, ſacrificium altaris, quod modo peragitur, non eſſe adæquatè phyſicè præſens, ſed ex parte, & quidem potiſſima, moraliter ſolùm. Accedit, quod ſi Chriſtus Dominus concurrere

debeat phyſicè ad operationes miraculoſas, quæ in ſacrificio interveniunt, ut docent quamplures ex Adverſariis contra P. Vaſquez; vel concurrit ut inſtrumentum inanime; quod, è Cœlo præſertim, averſantur iidem Theologi: vel ſi vitaliter influat, neceſſariò elicere debet actus internos phyſicè in omni Miſſæ ſacrificio; cur non igitur intentionem, oblationem, actumque immolandi proprium, & alios pertinentes ad ſacrificium juge, & illud conſtituentes? Si non dedecent illi, cur hi, maximum, & ſummum ipſum ſacrificium eſſentialiter peragentes, & exacti neceſſariò ab illo, quo nihil altius, nihil dignius excogitare poteſt religio, nec exequi Sacerdos ſummus? Et hoc eſſe poteſt quintum argumentum robuſtè expenſum à Doct. Eximio, & aliis Scholaſticis, cauſam ſummi Sacerdotis nobiſcum agentibus. Ex quibus inferes, quantum rei, & quidem ſacræ, & non tantùm nominis, uti inſinuarat Card. de Lugo, includat præſens diſſertatio; cum vel ipſe diſp. 4. de Sacramentis acriter de re contendat adversùs Theologos, qui ultra moralem influxum, phyſicum etiam immediatum concedunt Sacramentis; cur ergo affinem hanc controverſiam præſentem recuſat dicere realem? Verùm ille aſſertionem noſtram uſurpat, & diſcutit in ſenſu laxiori, non in ſtricto illo, quo ipſam propugnamus verè Theologico, verè ſublimi, in quo evidentiſſimum eſt, diſputationem non modò eſſe de re, ſed inſuper de ſumma rerum.

§. II.

Num. 10. ALITER & ſextò arguo: ſacrificium altaris, proùt de facto à Chriſto Domino inſtitutum, poſtulat eſſentialiter concurſum effectivum, & affectivum per ſe immediatum, & phyſicum ſummi Sacerdotis Chriſti Domini; ſed hoc ipſo nequit exiſtere ejuſmodi ſacrificium, prout juxta præſentem providentiam inſtitutum, niſi concurrat actu principalis Sacerdos Chriſtus Dominus modo ab aſſertione noſtra deſiderato. Ergo ita concurrit de facto. Minor controverſiam non admittit, adeoque probationem non exigit. Major oſtenditur: primò quia ſi juge ſacrificium non expetit ratione ſui formaliter prædictum ſummi Sacerdotis influxum, ſed contentum eſt operatione cujuslibet veri Sacerdotis viſibilis, adeoque puri hominis, non exigeret per ſe eundem numero Sacerdotem, ac ſubinde æternum, ſed admitteret, (ſi non expoſceret) neceſſariò ſucceſſionem Sacerdotum, ad modum quo ſacrificia illa antiqua, quæ Sacerdotium ordinis Levitici deſiderabant. Quod abſurdiſſimum eſſe liquet ex Apoſtolo ad Hæbr. 7. Ubi Sacerdotium Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedech præfert Levitico, eo quod in hoc: *Plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò, quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Undè & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes.* Et cum aliunde juxta omnes, ſacrificium, & Sacerdotium ſint correlativa eſſentialiter, ſi ſacrificium ſit ejuſmodi conditionis, ejuſmodi neceſſariò erit Sacerdotium novæ legis.

Neque declinatur difficultas per hoc, quod ſacrificium poſtulet Sacerdotem viſibilem, ut participantem Sacerdotium ſummum æternum; quoniam ſemel ac ſacrificium incruentum nullatenus expetat concurſum ſummi Sacerdotis Chriſti Domini; remotè omnino, & quaſi per accidens ſe habet ſummus Sacerdos reſpectu illius, proindeque exigere nequit in celebrante proximè Sacerdotium, ut participatum ab alio Sacerdote principaliori, & ſummo: eodemque prorſus modo ſe haberet, ac ſi fingatur hypotheſis, in qua Chriſtus Dominus non foret Sacerdos, ſed munus hoc commiſiſſet tantùm Sacerdotibus, quos ordinaſſet. Deinde inſufficienter occurritur per concurſum moralem ſummi Sacerdotis; nam ille, ſuppoſita ſemel inſtitutione nihil aliud importat, quàm influxum phyſicè remotum ſummi Sacerdotis, & mediatum per alios, nomine ipſius operantes, qui extrinſecus eſt ſacrificio, aut effectui: maximè cum moralitas hæc ſit quædam prudentum æſtimatio, quæ reipſa extrinſeca eſt rebus, aut actionibus in ſe, id eſt nullo pacto ab eis exacta phyſicè; tametſi aliquod fundamentum ex illis deſumatur. Verum eſt, quòd plerumque mors Victimæ, aut Hoſtiæ non provenit immediatè phyſicè ab actione immolantis, ſed ex vulneribus ab ea illatis: uti & in Holocauſto combuſtio victimæ fiebat ab igne, cui illam applicabat Sacerdos. Attamen neceſſaria fuit ſemper actio aliqua phyſica Sacerdotis, inducens cauſam immediatam phyſicam mortis (cujus propterea eſſet cauſa moralis immediata in toto rigore). Et aliunde privatio vitæ ſecundum ſe neutiquam conſtituebat ſacrificium; ſed ipſa ut involvens actionem Sacerdotis phyſicam, è qua ſequeretur. Non ſic autem involvit, apud Adverſarios actiones phyſicas Chriſti Domini Sacrificium incruentum. Unde Theologi, qui cum P. Henao, & paucis aliis dixere, ſufficientem eſſe influxum moralem, diſputant ſolùm de ipſa immediata vitæ privatione; non de omni ſimpliciter actione ad ſacrificium per ſe requiſita. Immo eo perfectior erit ſacrificatio; de quo diſp. 5. iterum.

Secundò: Sacerdotium Chriſti Domini, ſecundùm quod illius formaliter eſt, eſſentialiter ordinatur ad ſacrificium altaris, cum ſit Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedec. ergo cum ſacrificium, & Sacerdotium referantur ad invicem eſſentiali quadam, & mutua connexione, ſacrificium per ſe poſtulat influxum immediatum ſummi Sacerdotis, quà talis; alioqui non mutuò ſibi reſponderent. Et inſuper Sacerdotium relatè ad ſacrificium incruentum conciperetur tanquam cauſa per accidens illius,

cum

cum per ſe non requireretur ejus influxus propriè, & ſtrictè acceptus ab ipſo ſacrificio, juxta vulgatam Philoſophorum doctrinam. Tertiò: quia ex oppoſito colligeretur, ſacrificium, quod in altari nunc offertur, non eſſe ejuſdem perfectionis, ejuſdemque dignitatis cum illo numero ſacrificio in nocte Cœnæ à Chriſto Domino celebrato; cum operationes phyſicæ, quibus illud confectum fuit, eſſent Theandricæ, non ſic autem illæ, quibus modò peragitur; contra quod docet Tridentina Synodus, & Patres omnes in prima ſuppoſitione prælaudati; multum enim intereſt, qua manu victima cadat; namque ut ille monuit; *non quacumque manu victima cæſa litat.* Propterea S. Chryſoſtom. Homil. de proditione Judæ ſupra allegata dixit: *cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum inviſibiliter extenſam.* Quamquam Sacerdos viſibilis nunc miniſtrans inviſibili, & ſummo, ſummus non ſit, fuerit autem tunc; quoniam hoc de materiali, & per accidens ſe habet, ad claritudinem perfectionis ſacrificii, dummodo Sacerdos principalis inviſibilis, & præcipuè offerens, ſit utrobique idem. Namque etiam in ea nocte fuit principalis, quà inviſibilis, eo quod ſic eventurum erat in poſterum. Et licet contrarium admittatur, nihil officeret nobis; quoniam dici poſſet, neceſſarium eſſe concurſum immediatum ſummi Sacerdotis, ſive viſibilis, ſi ille adſit in ſpecie propria, ſive inviſibilis, ſi nullatenus præſens fuerit in propria ſpecie, ſed tantùm in aliena. Uti etiam ſenſibilitas ſacrificii requiritur ſolùm disjunctivè, ſive à ſummo Sacerdote in ſpecie propria elicita, ſive à ſubalterno, cum ab hac non hauriat ſuam potiſſimam perfectionem ſacrificium. Et quamquam actus, quibus modò concurrit non ſint ratione ſui meritorii, quemadmodum fuere tunc; ſiquidem hæc eſt circumſtantia extrinſeca ab ſtatu Sacerdotis ſummi pendens, dummodo derivetur efficacia eorundem meritorum in hoc ſacrificium. Addendum tamen, nos apertè ſentire, ejuſmodi actus Sacerdotis inviſibilis meritorios eſſe, tametſi nihil prorſus novi meriti accreſcant, de quo fusè diſput. 6. quod argumentis adeo robuſtis confirmamus ibidem, ut illis freti ſacram anchoram ſolviſſe credamus.

Num. 11. Arguo ſeptimò: Concurſus aliquis actualis, & phyſicus, immediatuſque Chriſti Domini tanquam ſummi Sacerdotis vitaliter exhibitus in ſacrificium altaris omninò neceſſarius eſt ad præfatum ſacrificium conſtituendum, proùt de facto illud inſtitutum eſt. Sed hoc ipſo, aut nullum verum exiſtit ſacrificium altaris, aut Chriſtus Dominus actu formaliter phyſicè, & non moraliter ſolùm, concurrit. Ergo &c. minor erit firma ſi firmiter ſtabiliatur major, quam probo ſequenti diſcurſu. Si ſemel Sacerdotis viſibilis nunc celebrantis intentio neceſſaria ad conficiendum Sacramentum, & exinde ſacrificium, ſit ſe ſola inſufficiens, niſi accedat pariter intentio aliqua actualis, & phyſica principalis, & ſummi Sacerdotis, legitima illatione conſequitur, ſummum Sacerdotem actu elicito concurrere etiam ad oblationem, reliquaſque functiones per ſe primò conſtitutivas ſacrificii. Sed verum prorſus eſt, intentionem Sacerdotis viſibilis deſtitutam actuali reali intentione Sacerdotis ſupremi inſufficientem eſſe ad validè conſecrandum, & ſacrificium verè conficiendum. Ergo Chriſtus Dominus concurrit per ſe immediatè phyſicè ad celebrandum ſacrificium per modum ſummi Sacerdotis inviſibiliter operantis. Major probatione non eget; tum quia ſi requiritur intentio actualis Chriſti Domini de novo formaliter actu elicita ab ipſo veluti Sacerdote præcipuo in ſingulis ſacrificiis, eiſdem titulis neceſſarius erit actus ab eo elicitus Immolationis, oblationiſque ſimul cum actibus Sacerdotis viſibilis, & miniſtrantis, ut exploratiſſimum videtur; & ſane jam haberet intentum aſſertio noſtra magna ex parte, (licet intentio ſe ſola præſuppoſitivè tantùm ſe habeat ad ſacrificium) ſi ſemel prærequiratur actualis aliqua, & phyſica operatio interna Chriſti Domini ut ſupremi Sacerdotis, à qua poſſet dici actualis virtualis oblatio ipſa præterita, quæ phyſicè extitit tempore inſtitutionis.

Deinde cum ipſe debeat etiam concurrere effective ad tranſmutationem illam ſtupendam, ſi aliunde influat in eam ex intentione actuali propria Magni Sacerdotis, manifeſtè concurrit ad ſacrificium phyſicè peragendum, ut ſupremus Sacerdos. Minor firmanda venit doctrina quadam peculiari, quam occaſione cujuſdam probabilis opinionis producit Sanctus Thomas opuſc. 59. cap. 5. ubi diſcurrens de Sacerdote viſibili, qui locis adeſſet, in quibus venditur panis, & illum conſecraret, relicta eorum ſententia, qui totum illum panem, vel acervum conſecratum iri planè docent, idemque omnino futurum, *Si cellaria, ubi vina venduntur* conſecraret; protinus ſubjungit; *Alii autem dicunt quòd in tali caſu talis Sacerdos minimè conſecraret, quia non ſolùm in Sacramentis requiritur, vel eſt neceſſaria intentio miniſtrantis, ut ſcilicet intendat facere, quod Eccleſia intendit, vel facit; ſed etiam intentio Sacramentum inſtituentis, ideſt Chriſti, qui non intendit, quòd ad talem uſum tanto, taliqne ludibrio celebretur, aut conficiatur tam nobile Sacramentum. Quæcunque autem de his opinionibus tueatur, in hoc tamen concordant, quantum ad potentiam, & reſpectum Dei, & Sacerdotis &c.* Nihil expreſſiùs, uti & nihil opportuniùs pro re noſtra. Ubi accuratè obſervandum, quòd licet idem S. Thomas 3. par. qu. 74. art. 2. (& cum ipſo Scholaſtici modò) pronuntiet, Sacerdotem viſibilem magnam illam quantitatem conſecraturum in eo eventu,

tu, id nullatenus arguere, non eſſe neceſſariam ſimultaneam intentionem Sacerdotis Magni Chriſti Domini unà cum intentione Sacerdotis viſibilis, ut probabiliter docet in laudato opuſculo; ſed arguit tantùm ad ſummum, Chriſtum Dominum ex ſuppoſitione præſentis inſtitutionis, non poſſe in eo caſu non elicere eam intentionem neceſſariam ad complendam intentionem Miniſtri, tametſi ex præſenti inſtitutione debitam. Quare licet in tertia parte, probabilius credat, fieri conſecrationem, quàm non futuram probabiliter docet in opuſculo; in ordine tamen ad neceſſitatem intentionis Sacerdotis inviſibilis unà cum viſibili nihil affert oppoſitum doctrinæ, quam in opuſculo, ut probabilem tradiderat. Quemadmodum ex ſuppoſitione quòd Sacerdos proferat verba Conſecrationis dum Hoſtiam manu premit, neceſſariò ſequitur converſio ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti Domini; quin propterea arguatur, illam non fieri ab ipſo Chriſto Domino, ut inſtrumento conjuncto. Pariterque Sacerdote movente Hoſtiam conſecratam, neceſſariò movetur Corpus Sacroſanctum; minimè tamen inde infertur, moveri Corpus Chriſti Domini à Sacerdote viſibili.

Immo idem S. Thomas eadem 3. part. qu. 64. art. 8. cum ſibi objeciſſet primo loco contra intentionem Miniſtri, quòd illa non ſit neceſſaria, quia *Miniſter in Sacramento inſtrumentaliter operatur. Sed actio non perficitur ſecundum intentionem inſtrumenti, ſed ſecundum intentionem agentis principalis*. Reſpondet. *Inſtrumentum inanimatum non habere aliquam intentionem reſpectu effectus, ſed loco intentionis eſt motus, quo movetur à principali agente. Sed inſtrumentum animatum (ſicut eſt Miniſter) non ſolum movetur, ſed etiam quodammodo movet ſeipſum, in quantum ſua voluntate movet membra ad operandum. Et ideo requiritur ejus intentio, qua ſe ſubjiciat principali agenti, ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus, & Eccleſia*. Ubi manifeſtè etiam præſupponere videtur, intentionem Sacerdotis Principis unà cum intentione Miniſtri, cum ſuppouat intentionem Sacerdotis viſibilis, ſubordinatam Principali Sacerdoti; atque adeo intentioni aliquatenus, & influxui illius, cum operari nequeat dignè, dum movet, & influit, niſi rationabiliter operetur ex intentione finis: & tandem concludit S. Doctor; *intendat facere quod Chriſtus facit*: quibus verbis dilucidè ſupponit, Chriſtum Dominum quà Sacerdotem Principem, rem ſacram facere unà cum Miniſtro viſibili. Ecquid autem Sacroſancta illa Humanitas efficere valet in Cœlo, aut in terra dignius, aut glorioſius?

Num. 12. Quòd autem intentio Chriſti Domini conſtituens, aut complens, juxta productam D. Thomæ opinionem intentionem neceſſariam ad celebrandum Miſſæ tremendum ſacrificium, eſſe nequeat duntaxat prima illa, quam elicuit in Euchariſtiæ inſtitutione nondum retractata, ac ſubinde perſeverans moraliter, probatur urgentiſſime. Quoniam illa foret intentio purè habitualis; ſed hæc ex firmo Theologorum conſenſu ſufficiens minimè eſt. Ergo requiritur intentio actualis, ſive formalis, ſive virtualis ſaltem. Major continet deſcriptam ab eiſdem Theologis naturam intentionis merè habitualis: quamvis enim nonnulli ulteriores alias intentiones habituales invehant; communiter attamen hanc iidem velut primo loco recenſent. Minor conſtanter docetur hac tempeſtate ab Scholaſticis, qui oppoſitam tanquam malè fidam repellunt. Quocirca tametſi D. Thomas 3. p. qu. 64. art. 8. ad 3. dixerit: *quod licet qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti*. Cæterum manifeſtè colligitur ex integro textu, & exemplo confeſtim adducto, quòd loquatur de intentione actuali virtuali, quæ paſſim illis temporibus conſueverat dici habitualis, ut contradiſtincta ab actuali formali. *Adverte*, inquit ibidem Cajetanus, *quod Auctor communicans (ut pato in vocabulis communi illius temporis uſui, qui intentionem quidem, ſed non actualem, habitualem vocabat) dixit hic intentionem habitualem, & ſtatim ſubjunxit ſenſum intentum.... Et hæc propterea dixerim ut ſcias, non latere Auctorem differentiam: &c.* Neque abſque ſolidis conjecturis affirmat P. Nicolai in notis ad præfatum articulum; & ex ipſo Platelius par. 5. cap. 1. nu. 99. quibus adhærent alii, irrepſiſſe per negligentiam *habitualem* loco virtualis. Dum igitur S. Thomas docet ſaltem probabiliter, vel potiùs ſupponit, ultra intentionem Sacerdotis viſibilis, neceſſariam eſſe intentionem Chriſti Domini tamquam Principalis Sacerdotis, à fortiori poſtulat, vel ſupponit neceſſariam in ipſo intentionem actualem vel formalem, vel virtualem; & ſanè in Chriſto Domino ſemel ac requiratur actualis aliqua, debet eſſe formalis, cum hæc ſit perfectior, ſemperque expetenda ad ferventius, exactiùſque conficiendum; præſertim cum Chriſto Domino nulla cogitandi actu diſtractio ſupervenire valeat.

Minimè verò ſatisfaceret præſenti argumento ex D. Thomæ verbis deſumpto, qui reſponderet, Sanctum Doctorem in præfato loco dixiſſe invalidam futuram conſecrationem, non ſanè ex defectu intentionis Chriſti Domini in eo eventu; ſed ex defectu intentionis tempore ipſo, quo inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum, & ſacrificium: eo quod noluerit tunc eam poteſtatis amplitudinem concedere Sacerdotibus. Contra enim 1. quoniam id genus reſponſionis apertè contradicit verbis D. Thomæ, revocantibus conſecrationis nullitatem in defectum intentionis Chriſti Domini non in defectum poteſtatis Sacerdotis Miniſtri, ac ſubinde non in defectum intentionis Chriſti Domini ter-

terminatę ad conceſſionem poteſtatis: (qui defectus re ipſa foret ſitus poſitivè in intentione illam negandi, aut excipiendi à poteſtate ſimpliciter collata, aut conferenda) ſed in defectum intentionis terminatæ directè ad conſecrationem; quæ quidem intentiones diſtant inter ſe, quemadmodum earundem objecta; laboratque propterea reſponſio in æquivoco, malum, quod ſæpiſſimè obrepit, dum verborum interpretatio occurrit.

Num. 13. Alia igitur eſt intentio Chriſti Domini reſpiciens immediatè conſecrationem ingentis illius quantitatis panis, aut vini; alia verò intentio reſpiciens negationem poteſtatis; & aliunde compertiſſimum apparet, verba D. Thomæ, opinionemque, quam refert, & probabiliter approbat, diſputare de intentione primò loco uſurpata, non autem de ſecunda, cum præſupponat in Sacerdote viſibili poteſtatem, ſolùmque deſideret ultra intentionem illius, intentionem univerſim ſupremi Sacerdotis; ſin minus, opus non foret recurſu ad defectum intentionis in Chriſto Domino, ſed immediatiùs, & expreſſiùs recurrendum eſſet ad defectum poteſtatis illius pro ſimili eventu. Id apparebit clariùs, ſi producamus verba, quibus ibidem S. Thomas refert ſententiam oppoſitam adſtruentem in prædicto eventu valorem conſecrationis: *eo quod ibi concurrunt quatuor neceſſaria in quolibet Sacramento, ſcilicet debitus Miniſter, debita materia, debita forma verborum, & intentio Conſecrantis.* Ubi intentio ponitur manifeſtè diſtincta à poteſtate conſecrandi, quæ includitur in prima illa: *debitus Miniſter.* Et aliunde in illo duntaxat quarto requiſito intentionis opponitur huic primæ opinioni ſecunda, quatenus ultra intentionem Sacerdotis Miniſtri, expoſcit intentionem Sacerdotis ſupremi. De intentione ergo terminata ad conſecrationem diſſerebatur in eo loco cum ſecunda ſententia à D. Thoma. Neque ea poteſtatis limitatio dicenda eſt intentionis defectus niſi impropriè admodum locutum fuiſſe D. Thomam voluntariè, & injuſtè dixeris. Sic dum affirmatur, Sacerdotem minimè poſſe conſecrare materiam abſentem, vel quæ non ſit humano modo præſens, revocari nequit ejuſmodi defectus, niſi per nugatoriam locutionem, aut inſcitiam, in carentiam intentionis Chriſti Domini, & ſi illa ſupponeretur neceſſaria unà cum intentione Miniſtri, ſed in carentiam poteſtatis; eo quod ex verbis conſecrationis, ſive eorum ſignificatione, & uſu Eccleſiæ Sanctæ conſtet abundè, neutiquam fuiſſe conceſſam ab inſtitutore poteſtatem conſecrandi niſi materiam modo humano præſentem.

Minùs ſcitè paritèr occurreres per differentiam intentionis requiſitam ex parte ſupremi Sacerdotis, & illam, quæ exigitur ex parte Miniſtri viſibilis, ut hæc eſſe debeat actualis, quantumvis ad illam habitualis ſufficiat; tametſi utraque eſſentialitèr prærequiratur. Non ſcitè ſanè! tum quia id valdè periculoſum foret, ſemel enim ac utraque ſit neceſſaria, ubi aliundè in principali Sacerdote ſufficere, dicendum eſſet, habitualem, quo jure pro ſubalterno deſideraretur omninò actualis? Maximè cum eo perfectior ſit intentio Sacerdotis viſibilis, quin & totius Eccleſiæ, quo ſe conformat magis intentioni Sacerdotis principalis, & quidèm non intentioni ſolùm, quam habuit in Sacramenti inſtitutione reſpectu illius Sacrificii; ſed quam habet in ordine ad hoc numero, ſi ſupponatur neceſſaria ad illud vera aliqua Chriſti Domini intentio (uti nec intentioni, ut præciſe terminatæ objectivè ad intentionem Sacerdotum, ut evidens eſt, cum illa non ſit intentio ſacrificandi, ſed veluti præceptum intentionis aliorum Sacerdotum). Tum quia in concurſu utriuſque intentionis, illa Sacerdotis inferioris, & viſibilis eſſet proculdubiò perfectior ex ſuo conceptu formali, utpotè actualis. Tum quia ideò habitualis rejicitur ut inſufficiens pro Sacerdote viſibili, quia illa ex natura ſua non influit in actum purè habitualiter intentum, ſed merè concomitantèr ſe habet ad ipſum, ut Scholaſtici rem hanc diſcutientes tradunt univerſali propè conſenſione. Hæc autem ratio urget pari energia in Sacerdote ſummo, dum aliundè ejus intentio præſupponitur neceſſaria.

Tum quia licèt alius intendens merè habitualitèr, ſeu in habitu ſolùm, influeret aliquatenùs in operationem, eique attribueretur etiam dormienti ob moralem præteritæ intentionis perſeverantiam; Chriſto attamen Domino ſemper vigilanti per ſcientiam beatam, & infuſam, prævidentique Sacrificium jamjam peragendum, & nolenti actualem elicere intentionem, ægrè poſſet illi attribui Sacrificium, ægrèque poſſet concipi verè intendens illud. Quoniam etſi permittatur, eam volitionem, ſive poſitivè, ſive negativè uſurpatam neutiquam æquivalere retractationi antiquæ intentionis; difficiliorem ſine dubio reddit expugnationem veterum quorumdam, qui ea tantùm habituali intentione contenti viſi ſunt. Unde nequidquam diceres, Chriſtum Dominum actualem intentionem non elicere, quia non decet, ut oppóſita ſententia contendit. Porrò argumentum præſens, ut eam opinionem expugnet, utitur teſtimonio D. Thomæ, veram intentionem ſummi Sacerdotis poſtulante ad valorem hujus numero conſecrationis: ex quo ſubinſerimus, non ſolùm decere Chriſtum Dominum, ſed prorſus neceſſariam illi ut Sacerdoti ſupremo eſſe productionem actualem intentionis pro omni ſingulari Sacrificio, aut Conſecratione; eo quod habitualis pura nequaquam ſufficeret: ſubindè præfata reſponſio peteret principium, & volveretur incaſſum. Hæc tamen dicta ſint, ut oſtendatur Chriſtum Dominum, juxta probabilem Divi Thomæ ſententiam, exequi officium actualis immediati Sacerdo-

tis

Digitized by Google

tis in Sacrificio altaris ; cum ejus intentio prærequiratur , & aliundè ſolius Sacerdotis actu ſacrificantis neceſſaria eſſe poteſt intentio . Utrum verò intentio Chriſti Domini neceſſaria ſit ad conſecrationem , vel tantùm ad ſacrificationem , quam credimus diſtinctam à conſecratione , conſtabit ex dicendis , tum ſect. ſequenti , tum potiſſimè Diſput. quinta . Non enim eadem proprietate eſt Sacerdos ſummus reſpectu Euchariſtiæ , ut eſt Sacramentum , quàm ut Sacrificium eſt ; quippe quod immediatè in Deî cultum , & honorem ardet affectu , & ſplendet fumo .

Num. 14. Octavum argumentum formatur ab Scholaſticis nobis militantibus cum Doctore Eximio ſupra ex verbis Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. : *Et hæc quidèm illa munda oblatio eſt , quæ nulla indignitate , aut malitia offerentium inquinari poteſt ; quam Dominus per Malachiam nomini ſuo , quod magnum futurum eſſet in gentibus , in omni loco mundam offerendam , prædixit* : Inquinaretur autem apertiſſimè (utinam non ſæpè) ſi Chriſtus Dominus non eſſet ſeipſo immediatè phyſicè immolans , & offerens ; dum ſcilicèt Sacerdos viſibilis indignè conſecrat , & ſumit indignè , reus læſæ Majeſtatis Divinę , & humanæ paritèr . Quamvis enim res oblata , nempe Corpus , & Sanguis Chriſti Domini ſemper mundiſſima , & nitore Divinitatis imbuta permaneat ; oblatio tamen , aut ſacrificatio ipſa , io qua conſiſtit ratio formalis hujus Sacrificii , planè deturparetur . Quemadmodùm antiqua ſacrificia eo titulo ſæpiſſimè diſplicuerunt Deo ; tametſi alioqui ab eodem inſtituta . In quo diſcrimen notum reperitur inter Sacramenta , & Sacrificium , cum Miniſter Sacramentorum poſſit dehoneſtare illorum confectionem , dum indignè conficit ; non ſic autem Sacrificium , de quo conſulendus Doctor Eximius ea Diſput. 77. ſect. 1. Verùm equidem eſt , Sacerdotem miniſtrantem Sacrificio viſibilitèr concurrere per ſuas operationes ad conſtituendam eſſentiam Sacrificii . Verum eſt etiam , operationes illas eſſe interdùm ſacrilegas ; nodum propterea fælicitèr diſſolvit , qui utramque veritatem conciliat . Id quod obtineri putamus per ſententiam noſtram fusè exponendam Diſput. 6. uti & 7. apud quam immolatio , & oblatio , in quibus ſita eſt adæquata natura , aut eſſentia Sacrificii altaris , unicè fiunt , & eliciuntur à Summo Sacerdote ; ita tamen , ut reddantur ſenſibiles per actus viſibiles Sacerdotis . Et cum Sacrificium ex conceptu ſuo formali debeat eſſe ſenſibile , verificatur quamoptimè , Miniſtrum concurrere per ſe ad eſſentiam Sacrificii ; & nihilominùs Sacrificium ipſum intrinſecè , & in ſe inquinari minimè poſſe , quamvis deturpari valeat , quà ſenſibile eſt . (Intentio namque illius , quæ prærequiritur omninò , quantumvis eſſentialitèr neceſſaria , extra eſſentiam Sacrificii eſt , merè præſuppoſitivè ſe habens , ut adversùs Cardin. de Lugo credit Theologia) . De quo in illa Diſputat. latiſſimè . Non enim ſalvari poteſt mundiſſimus ille candor Sacrificii per ſolum influxum moralem ſupremi Sacerdotis ; ſiquidèm eo ipſo quod phyſicè nullatenùs influeret , totum Sacrificium phyſicè uſurpatum temerari poſſet ab iniquo Miniſtro , quod Tridentino repugnat , & Malachiæ prędictioni .

Deindè influere moralitèr eſt conſicere per Miniſtrum , nomine illius operantem , cui idcircò tanquam principali attribuatur operatio ; & aliundè functiones ſacræ à Miniſtro indigno elicitæ attribui nequeunt Chriſto Domino ut certiſſimum eſt . Ergò nequaquam influit moralitèr in illud Sacrificium ; quòd autem attribui dicatur eidem Chriſto Domino Sacrificium præiatum ſecundùm rationem Sacrificii ut ſic , in illudque ita influere moralitèr non ſufficit ad verificandam Malachiæ prædictionem , & Tridentini doctrinam ; quoniam ſecundùm rationem genericam , aut communem Sacrificii etiam vetera illa dum ſimplicitèr diſplicuerunt , placebant proculdubiò . Hanc reflexionem obſervatu digniſſimam reperies , ſi profundo cogitatu introſpexeris id , quod latet , ſecluſa voce , in fundo , non ſatis perſpicuo , illius moralis influxus .

Num. 15. Reſpondebis inſupèr , adeſſe ſemper actionem aliquam realem Deo gratiſſimam in Sacrificio , tametſi Chriſtus Dominus quà Sacerdos magnus phyſicè non concurrat ad illud , & licèt Sacerdos inferior indignè celebrans , Sacrificium temeret , & quodammodò inficiat ; miraculoſam videlicèt converſionem , quam efficit omnipotentia elevando verba Conſecrationis à Sacerdote per horrendum flagitium , prolata ; quæ tranſubſtantiatio nulla Conſecrantis malitia dehoneſtari poteſt , cum ab ipſo immediatè phyſicè non eliciatur , ſed à Deo ex ſuppoſitione prolationis . Verùm reſponſio hæc , etiam ſi ex integro permittatur , nihil probat in ſententia illorum , qui ad conſtituendam eſſentiam Sacrificii , ultra conſecrationem , & converſionem , deſiderant vel oblationem actualem Sacerdotis viſibilis , vel ſumptionem ipſam , quia malum ex quocunque defectu : & longè minùs probat in doctrina illorum , qui arbitrantur , conſecrationem , converſionemque , eſſe extra eſſentiam Sacrificii ; quam ſententiam veram eſſe , neceſſariamque prorsùs ad ſtrictum conceptum Sacrificii ſalvandum in jugi ſacrificio oſtendam ea Diſp. 6. Deindè ſi Humanitas Chriſti Domini debeat phyſicè immediatè concurrere ad eam converſionem , à fortiori concurret vitalitèr , ut congruo ipſi modo influat : ſemel autem ac actum internum eliciat imperans concurſum , legitima illatione conſequitur , ipſum concurrere ut Sacerdotem ſupremum , ac proindè ſicuti elicit illum actum phyſicè , cur non & reliquos ad Sacrificium potiſſimè ſpe-

ſpectantes ; ut ſubintuli nuper ?

Si verò præſupponatur vera opinio affirmans in converſione illa ſitam eſſe adæquatè eſſentiam Sacrificii incruenti, tunc verificari poteſt ſufficienter puritas immaculata ſacrificii, quin per malitiam Sacerdotis inquinetur ; etiamſi ſummus Sacerdos immediatè phyſicè non concurreret ; proindeque ex præſuppoſita ea opinione argumentum ex prædictione Malachiæ, & ex verbis Tridentini hauſtum vires non haberet, (ſemper attamen prædictus Magni Sacerdotis influxus perficeret veritatem illam, & munditiem): cæterum juxta hunc philoſophandi modum relinquis omnem operationem, aut actum Sacerdotis, ſive principalis, ſive Miniſtri (præter illius ſenſibilitatem) extra eſſentiam ſacrificii completè ſumpti ; quod eſt planè falſum, & abſurdiſſimum : alioqui ſacrificium conſtitueretur intrinſecè per operationes nullius Sacerdotis proprias, cum omnipotentia miraculum illud efficiens Sacerdos minimè ſit : quia licet ejus verba eleventur ; ipſe tamen erit ſolùm cauſa remota. Quocumque autem modo, quo Miniſtri functionem aliquam dixeris conſtitutivam ſacrificii, ipſum ſacrificium deturpaſti, vireſque reſumit facta argumentatio. Si dixeris, converſionem illam patrari à virtute inſtrumentaria Humanitatis Chriſti Domini vitaliter operantis, & quà ſupremi Sacerdotis ; nobiſcum ſentis, dummodo ejus functiones Sacerdotales fiant ſenſibiles per actiones Sacerdotis viſibilis, per quam ſenſibilitatem conſtituitur etiam ſacrificium, ut poſtulat hominum natura, & docet præallegata ſeſſione Tridentinum. Quòd vero ſacrificium poſſit contrahere ſordes, quà ſenſibile fit per actiones Miniſtri indignè celebrantis, tanquam per ſignum cunctis ſenſibile ; & ſimul mundiſſimum & illibatum eſſe intrinſecè in ratione oblationis, ſacrificationiſque, manifeſtum eſt, non minùs ac eſt per ſe notum, poſſe extrinſecè ſordeſcere phyſicè ſpecies ſacramentales, quæ ſigna ſenſibilia ſunt Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, quin ſignificatum maculari poſſit.

Rurſus, quòd dum Propheta, & ex ipſo Tridentinum aſſeverat, oblationem jugem nulla Sacerdotum malitia, aut culpa, vitiari poſſe, loquatur de oblatione ipſa ; deque ſacrificatione actuali Victimæ, non autem de ejuſdem ſigno ſenſibili, tametſi ſacrificium completè ſumptum ex utroque coaleſcat, compertum eſt vel ex eo ipſo, quod affirmet, oblationem violari minimè poſſe per Miniſtri ſacrificantis indignas operationes ; ſumit ergo utrumque conſtitutivum, & ſacrificationem, & ejus ſignum ſenſibile, quod ſupponit deturpatum, proindeque de ſignato duntaxat pronuntiat, inquinari non poſſe per ſigni ſenſibiles horrores, qui neutiquam ad intima pervadunt, ſed hærent in cute.

Num. 16. Subjicies iterum ; licet Chriſtus Dominus quà ſummus Sacerdos actu non concurrat phyſicè immediatè ad ſacrificium ; ſemper tamen Sacerdos viſibilis operatur tanquam Miniſter totius Eccleſiæ ſanctæ, cujus intentio, & oblatio inquinari nequaquam poſſunt ejus privata malitia. Minùs ſolidè tamen hæc in confuſo proferuntur. Primùm : quia Sacerdos non eo rigore eſt Miniſter Eccleſiæ, ſi hæc accipiatur præciſivè à capite inviſibili, ac eſt Miniſter Chriſti Domini in opere illo ſublimiſſimo ſacrificandi, etiamſi nomine Eccleſiæ poſtulet, oretque ſæpiſſimè in ſacrificio, ut obſervat Cardin. de Lugo Diſp. 8. de Sacram. ſect. 3. num. 53. & ideo Apoſtolus 1. Corint. cap. 4. dixit : *ſic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Neque Eccleſia præciſivè uſurpata eſt ſummus Sacerdos ; immo nec Sacerdos propriè, & intrinſecè reſpectu cujuslibet ſacrificii in particulari dicendus eſt cætus, aut congregatio fidelium ; niſi quatenus includat illum numero Sacerdotem viſibilem celebrantem. Rurſus, etſi ſumatur Eccleſia cum capite viſibili Chriſti Vicario, & Sacerdote ſummo viſibili, præſcindatur tamen à Capite inviſibili Chriſto Domino, ſupremoque inviſibili Sacerdote, & accipiatur, ut contradiſtincta etiam ab ipſo Miniſtro conficiente, ſive ut non includens illum ; nullo pacto adhue in ea acceptione conſecrat verè & propriè, nec ſacrificat Vicarius Chriſti Domini ſtrictè per functiones aliquas ſacrificio illi intrinſecas, & illius eſſentialiter conſtitutivas, niſi tantùm denominativè, & quodammodo extrinſecè ; ut animadvertunt etiam Doct. Eximius diſp. 83. ſect. 3. & Vaſquez ſupra. Ubi ſedulo notandum, ſumpta Eccleſia cum capite viſibili ſub ea præciſione à capite inviſibili (ſi re ipſa fieri poteſt, cum per ſe repræſentet illud) quamoptime conformatur Miniſter viſibilis cum intentione Eccleſiæ, quippe quæ illuminata, & docta ſupponitur ab Spiritu Sancto, quin errare valeat circa doctrinam intentionis, quam debet habere Sacerdos ; non idcirco tamen intentio formalis aliqua Eccleſiæ eſt quę conſtituit intrinſecè ſacrificium, ſed intentio privati Sacerdotis regulata per doctrinam Eccleſiæ. Unde nec Eccleſia offert tanquam Sacerdos illud numero ſacrificium per ſe, nec per Miniſtrum tanquam ſuperior per inferiorem in illo actu ſacrificandi, ſicuti oſtendit Card. Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 4. immò potiùs ſe habet tanquam Populus orans, & offerens cum Miniſtro illo, & per illum, ut quodammodo inferior relatè ad præfatum ſacrificium.

Intentio igitur Eccleſiæ, ut contradiſtincta ab intentione celebrantis viſibiliter, & ab intentione ſummi Sacerdotis inviſibilis, nec eſt eſſentialiter prærequiſita, nec ſacrificium illam poſtulat, uti nec ejus actualem oblationem, aut ſacrifiationem includit, ut liquet ex eo, quòd Sacerdos intendens

dens facere, quod Chriſtus intendere nos, & facere juſſit, tametſi explicitè nollet facere quod Eccleſia intendit (per errorem putans, intentiones illas, reſque iotentas eſſe diverſas) verè conficeret, uti monent prælaudati Theologi, & expreſſiùs, ſæpiuſque Cardin. de Lugo. Cum igitur præciſive à Sacerdote illo privato celebrante, tanquam ejuſdem Corporis Eccleſiæ membro, Eccleſia non ſit offerens per modum Sacerdotis, & multo minùs per modum ſummi Sacerdotis, cum caput non ſit, ſed corpus illius (nec præciſive à capite refundere poſſet valorem infinitum in oblationem, cum non ſit ejuſdem digoitatis, ac eſt caput) tametſi in alio ſenſu offerat per Sacerdotes Miniſtros, quemadmodum & fideles etiam actu interno (non requiſito tamen) offerre poſſunt; idcircò verificari nequit nitor iodefectibilis ſacrificationis, aut oblationis conſtituentis per ſe ſacrificium per Eccleſiæ, ſanctæ ſemper, oblationem mundam. Quinimmò etiamſi id permitteretur, cum aliunde oblatio, & ſacrificatio particularis illius Miniſtri conſtitueret etiam eſſentialiter ſacrificium in ea doctrina, & non tantùm foret ſignum ſenſibile ipſius, inquiuatum adhuc dicendum foret ſimpliciter ſacrificium in eo ſenſu, in quo à Tridentino aſſeritur incapax contrahendi maculam. Si verò accipiatur quà includens intra corpus ſuum myſticum eelebrantem illum, tunc dehoneſtari poſſe ſacrificium cum indignè celebrat, planum eſt. Si tandem uſurpetur Eccleſiæ Corpus cum ſuo Capite iovifibili Chriſto Domino, tuuc ejus oblationem, & ſacrificationem libenter amplectimur, quoniam pro illa pugnamus in pręſenti controverſia, & tunc Eccleſia per intentionem capitis, ſacrificatiooemque ab eodem elicitam, celebrat.

Dices tandem: ſacrificii naturam adæquatè ſitam eſſe in oblatioue externa, & ſenſibili à ſummo Sacerdote inſtituta, quæ inquinari non poteſt impuro actu interno Sacerdotis; & aliunde nullus actus internus miniſtri conſtituit ſacrificium ſimul cum ea externa oblatione, quoniam intentio omnino exacta nullo pacto conſtituit; ſed eſt conditio eſſentlalis tantùm; alius autem internus oblationis actus minimè neceſſarius eſt, nt frequentiùs docent Scholaſtici. Hęc doctrina fallit egregiè: tum quia licet conſiſteret eſſeutia ſacrificii in illa exterua oblatione, ipſa tamen nequit conſtituere ſacrificium, uiſi ſit actus humanus, ſive humano modo factus, ac ſubiude involvit eſſentialiter actum aliquem internum, quicunque ille ſit tanquam conſtitutivum eſſentiale. Et propterea nonnulli opinautur, intentionem, quà oblatio eſt, (ſi alia interna oblatio non adſit) conſtituere eſſentialiter; tametſi quà purè intentio, ſit extra eſſentiam. Tum quia incredibile prorſus eſt, ſacrificium ſummè perfectum, quo nullum altius excogitari poteſt, ſitumque in actione, aut *fieri* ſacrificationis, ita conſtitutum eſſe, ut nullum actum ratiooalem Sacerdotis per ſe intrinſecè includat. Quare potius inde argueretur, neceſſarium fore actum iotermum ſummi Sacerdotis offerentis, cum nullus miniſtri exigatur. Ita tameu ut oblatio externa miniſtri ſit ſignum ſenſibile internæ oblationis, aut ſacrificationis ſummi Sacerdotis. Quin & tunc etiam ſignum illud, per quod redditur ſenſibilis ſacrificatio Magni Sacerdotis, debet eſſe modo humano elicita; atque adeo includens actum illius miniſtri internum; ea tamen ratione, ut integer ille actus, ut humano modo elicitus conſtituat ſolùm ſacrificium in ratione ſenſibilis; ut in ratione ſacrificii intrinſecè, maneat ſemper oblatio munda, & omnis turpitudinis expers. Veruntamen, quia ejuſmodi quæſtio diſcutienda eſt diſp. 6. profundiùs, illius exameu remittendum in eum locum.

Adjungam ſolùm, externam prolationem verborum conſecrationis (quam dicunt plerumque oblationem Theologi, per illam argumento reſpondentes) ſenſibilemque, non eſſe, apud eos Theologos, conſtitutivam ſacrificii, ſed cauſam extrinſecam inductivam actionis converſivæ, quæ eſt formalis ſacrificatio; hæc autem inviſibilis eſt; ſolùmque ſit ſenſibilis per verba ipſa prolata: verba autem ſunt conſecratio activa (quamquam reſpectu Sacramenti ſit forma couſtitutiva) quoniam ut infallibiliter elevanda ſemper iuducunt activè actionem converſivam, quæ eſt formalis conſecratio, cooſtitutiva intrinſecè ſacrificii. Ubi eſt igitur oblatio, ſive operatio externa ſenſibilis, ad quam devolvatur adæquatè eſſentia ſacrificii; niſi quatenus per illam in ratione ſigni reddatur ſenſibilis actio conſecrativa formaliter ex ſe inviſibilis, & incapax quæ per ſe immediatè ſenſibus percipiatur? Neque enim minùs remota à ſenſibus eſt converſio ipſa undique admirabilis, quàm ſit terminus, ad quem illius; uterque enim regionem fidei, & myſterium, incolit.

Num. 17. Nonum argumentum deſumendum eſt ex ratione victimæ: ſi namque minimè dedecet Chriſtum Dominum ſubire immediatè per ſe munus victimæ in ſacrificio altaris, etiam dum Corpus in ſtatu glorioſo induit ſolem, & majeſtatem; quo jure dedecere poteſt ipſum, exequi immediatè per ſe phyſicè munus Sacerdotis ſupremi in eodem ſacrificio; cum officium hoc ſit proprium dignitatis ſummi Sacerdotis, de qua ſummopere gloriatur? Tum quia ſi decet omnino Chriſtum Domioum in ſolio majeſtatis, & gloriæ dignitas ſummi Sacerdotis in actu primò, quà ratione dedecere poteſt actus ſecuodus illius ſtrictè talis, ad quem per ſe ordinatur ea dignitas, & per quem eompletur? Decimum: ex ſummo Humanitatis Chriſti Domini amore, & reverentia erga Deum, in eujus gloriam longè uberiorem reſultat, quòd ipſe ut principalis Sacerdos

cerdos

cerdos offerat, & ſacrificet actu immediatè per ſe inviſibiliter, ubi ſacrificium offertur in Divinæ Majeſtatis cultum, & honorem, & in proteſtationem ſupremi illius dominii. Cum aliunde clariſſimum ſit, digniorem multò futuram eam oblationem, ſi per Chriſti Domini actus infiniti pretii, aut æſtimabilitatis intrinſecè conſtituatur, ut ſæpe, quamvis raptim, oſtendimus: uti & quod hic immediatus concurſus cedat in majorem Eccleſiæ utilitatem, & fructum; cum oratio fuſa immediatè à Chriſto Domino nequeat non eſſe efficacior ad impetrandum, applicandaque Paſſionis merita, fæcundiorque gratiarum. Ex his autem titulis colligitur rectè, dedignari minimè poſſe Chriſtum Dominum ejuſmodi officium ob ſtatumglorioſum Corporis; cum eo ipſo, quod reſultet ex ejus phyſico immediato concurſu major Dei gloria, uberiorque fructus in Eccleſia, non poteſt dedecere ſummum Sacerdotem Chriſtum Dominum ejus exercitium.

Quod robur accipit non exiguum, ſi ſupponatur vera, ſolemnis alioqui, opinio aſſerens, Chriſtum Dominum in Cœlo modo interpellare, intercedereque pro nobis, orare formaliter actu elicito, impetrareque: ubi autem hæc, & id genus alia non dedecent ſupremum Sacerdotem, ſuntque omninò admittenda; qua conſequentia, & quo titulo denegatur habenti ſummum Sacerdotium in perpetuum jurejurando promiſſum, & tantoperè ab Apoſtolo decantatum, ejus munia ſigillatim, ejus durationem æternam deſcribente, ejus excellentiam ſupra Aaronicum eloquentiſſimè, & copioſè probante; denegatur, inquam, actuale formale exercitium, immediatumque illius dignitatis. Quo jure arcentur ab illo actus eliciti intentionis, ſacrificationis, ſive oblationis, conſimileſque ad functiones ſupremi Sacerdotis ritè obeundas, & perfectè exercendas prorſus neceſſarii? Unde leviſſimo diſcurſu invadunt aſſertionem noſtram, qui ex eodem Apoſtolo arguunt, Chriſtum Dominum unica oblatione conſummaſſe omnia, atque adeo, nec opportunam, nec dignam, nec Scripturis Sacris conformem eſſe ſententiam repræſentantem ſummum noſtrum Sacerdotem quotidie offerentem, millies actibus elicitis formaliter, effectivè, & affectivè per ſe immediatè ſacrificantem. Sanè præfata redargutio, vel improbat cum hæreticis modernis ſacrificium tremendum Miſſæ, aut ſaltem verum Chriſti Domini Sacerdotium, quod primò & per ſe dicit ordinem ad illud; vel planè nihil agit. Verùm quia de his §. ſequenti dicturus ſum, ſuperſedeo nunc ab hujus diſcurſus expugnatione.

Unum tantum adjiciam, inutile alioqui futurum Sacerdotium Magnum ſecundum ordinem Melchiſedec Unigenito filio ſuo à Patre collatum juramenti ſolemnitate inſtitutum, aut promiſſum (& quidem cum decreviſſet novæ legis ſacrificium incruentum inſtituere) ut enim cum Apoſtolo arguam, & redarguam ſimul (ad Hæbr. cap. 7.) *Si ergo conſumatio per Sacerdotium Leviticum erat (Populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum Aaron dici?* Ita igitur in materia ſubjecta philoſophandum nobis: cum Chriſtus Dominus ſacrificio cruento omnia ſemel conſummaverit, reſpectu cujus Sacerdotium Chriſti Domini potiùs Leviticum, ſive Aaronicum fuit (quamvis non ſimpliciter, ut vult communis doctrina) ſi aliunde in ſacrificium incruentum, quo merita cruenti applicantur, & cujus eſt commemorativum, nullum influxum immediatum, ſive affectivum, ſive effectivum phyſicè præſtare debet, quid adhuc neceſſe fuit, ſecundum ordinem Melchiſedec alium ſurgere Sacerdotem, vel aliud inſtitui Sacerdotium ſummum, etiamſi inſtituerentur novi Sacerdotes ejuſdem quidem ordinis Melchiſedech; at non ejuſdem dignitatis, & honoris, cum nullus foret ſummus?

Num. 18. Hinc inferes, diverſimode tribui Chriſto Domino effectus aliorum Sacramentorum, in quos phyſicè influit, juxta vulgarem doctrinam, ac attribuitur illi juge ſacrificium. Verum eſt enim illud Sancti Auguſtini Tract. 6. in Joann. propè medium: *Petrus baptizat, hic eſt qui baptizat; Paulus baptizat, hic eſt, qui baptizat*, quibus ſimilia habet Chryſoſt. Homil. 60. ad Popul. Cæterum aliorum Sacramentorum effectus neutiquam tribuuntur Chriſto Domino ut ſummo Sacerdoti propriè, & ſtrictè reſpectu illorum, ſed ejus virtuti inſtrumentariæ, & meritis ipſius, eorumque efficacitati. Item ipſi ut inſtitutori, & Principi, cujus nomine, & in cujus virtute fiant; quod efficit quidem, ut in ſenſu morali attribuantur eidem, quà Sacerdoti etiam: verùm non propriè, & in eo rigore, quo ſacrificium, ut fatentur omnes. Idcirco verba, quibus conficiuntur, non denotant Perſonam Chriſti Domini loquentis. Secus autem conſecrationis verba, quæ veluti ab ipſo Chriſto Domino prolata ſonant, ſubinde ab ipſo ut ſummo Sacerdote relatè ad illud ſacrificium; nec tantùm dicuntur ejus nomine, & juſſu, aut in Perſona ejuſdem pronuntiata, ſed quaſi ab ipſamet Perſona ſupremi Sacerdotis ſacrificantis ſeipſum dicta. Cum nec Legatus Regis, ejus Perſonam repræſentans, & gerens, ejuſque nomine agens, ſcribens, aut loquens, eo unquam orationis modo utatur, qui Perſonam ipſam Regis dicentem ſignificet. Et ex hoc fonte ſolidum aliud argumentum petunt, qui ſuffragantur nobis. Tandem, & urgenter, perſuadetur aſſertio: quoniam niſi Chriſtus Dominus ſeipſo immediatè peragat ſacrificium, modo hactenus à nobis expoſito per actus ſacrificationis, intentionis, & oblationis, ægrè inveniri poteſt, nec produci, titulus verus adſcribendi eidem ut ſu-

premo Sacerdoti ſacrificium altaris in actu ſecundo quandoquidem jus ex inſtitutione naſcens non habet per ſe connexionem cum munere ſacriſicandi, aut conſiciendi. Deus enim inſtituit vetera ſacrificia, quin ideo fieret, nec potuerit eſſe Sacerdos. Et ipſe Chriſtus Dominus, qui Inſtituit reliqua Sacramenta, non propterea verè, & propriè illa conſicere tanquam verus Sacerdos, aut Miniſter reſpectu illorum, dicendus eſt, ſed tantùm denominativè à Miniſtris conficientibus, quibus dedit eam poteſtatem, uti adſtruit in loco nuper præallegato Eximius Doctor.

Maximè cum potuerit etiam inſtituere aliud ſacrificii genus, cujus noluerit eſſe Sacerdos. Et è converſo licet ſacrificium altaris à Chriſto Domino non fuiſſet inſtitutum, ſed à Deo Patre, ad modum quo vetera ſacrificia, potuit nihilominus Chriſtus Dominus inſtitui Sacerdos ſummus reſpectu illius. Quin re ipſa Sacrificium Crucis à Patre fuit Chriſto Domino præceptum, adeoque ab eodem Æterno Patre inſtitutum; & nihilominus Chriſtus Dominus fuit unicus, & verus illius Sacerdos, uti & Victima ſimul. Conſequenterque nec inſtitutor, qui ſit capax Sacerdotii, eſt eo ipſo Sacerdos per ſe conficiens illud ſacriſicium: nec confundendum eſt munus inſtitutoris cum munere Sacerdotis, itaut eo inſtituendi titulo dicatur eo ipſo Sacerdos. Jus meriti infiniti, & ſatisfactionis neutiquam ſufficere (etiam ſimul cum jure inſtitutoris) ad munus verè, & ſtrictè ſacrificandi attribuendum Chriſto Domino, patet nupero exemplo aliorum Sacramentorum. Quòd Sacerdotium Chriſti Domini per ſe primò dicat ordinem ad ſacriſicium, convincit ſanè, illum minimè poſſe participare actu Sacerdotium illud ſtrictè, ſi per ſe immediatè phyſicè non conſiciat; nullatenus verò ſuadet eſſe poſſe Sacerdotem verè, & propriè reſpectu ſacriſicii, ſi ad illud prædicto modo non concurrat; per inanemque circuitum ageretur, qui oppoſitum ſupponeret. Jus ſubortum ex concurſu phyſico in converſionem miraculoſam Euchariſticam, etiam ut conjunctum cum poteſtate Sacerdotis (quę competit Chriſto Domino vi unionis hypoſtaticæ, & abſque ullo caractere), ſi præſcindas ab intentione, oblatione, aut actione ſacrificandi, efficere nequeunt ipſum verum illius ſacrificii Sacerdotem in actu ſecundo, cui, ut ſupra diximus, verè, & non tantum denominativè, & impropriè tribuatur: ut liquet ex eo, quod munus cauſæ efficientis, & munus Sacerdotis, ſunt planè ſeparabilia, non mutuò, non ſolùm in Deo, qui eſt incapax per ſe Sacerdotii, ſed etiam in ſubjecto Sacerdotii capaci: ut in Chriſto Domino reſpectu aliorum Sacramentorum, eorundemque effectuum conſtat.

Si autem adjungas, intentionem alioſque internos actus per ſe conſtitutivos, ſententiam noſtram foves. Pariter inſufficiens eſt jus quod reſultat ex eo quod Apoſtolos ordinaverit Sacerdotes, & Epiſcopos cum facultate initiandi alios, ut ejus nomine, & tanquam ipſius Legati, aut Miniſtri, Patri offerrent victimam Divinam in altari; tum quia etiam illos fecit Miniſtros qui legatione pro illo fungerentur in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, quæ tamen Ipſe hic & nunc verè, & proprie non conficit ut Sacerdos. Tum quia functiones legati tribuuntur Regi ut imperanti; neutiquam verò, ut exercenti. ergo ſi Chriſtus Dominus non aliter concurrat, tribuetur ipſi quidem ſacrificium ut jubenti, non verò ut ſacriſicanti, adeoque non ut Sacerdoti, cujus munus ex conceptu ſuo perſonale eſt, & activum, nec importat imperium, ſed conficiendi exercitium, jubere Superioris tantùm eſt, aut Principis; ſacrificare, Sacerdotis.

Num. 19. Doctrina hæc inſigniter promoveri poteſt verbis illis Apoſtoli ad Hębr. 8.: ubi diſſerens de Chriſto Domino ſummo Sacerdote, ait: *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos: cum eſſent qui offerrent ſecundum legem*. Innuens, non exercere verum munus Sacerdotis, dum Sacerdotes alii ſunt, qui immediatè ſacrificant, nihil immediatè operante Sacerdote ſupremo, (modo ſupra declarato): & licet ibi loquatur de Sacerdotio Levitico, certum tamen eſt, illud Sacerdotium, omniaque illius ſacriſicia, præfiguraſſe Sacerdotium Chriſti Domini, tametſi ſecundum altiorem ordinem ſtabiliendum, & ſacrificium, tum Crucis (quod potiùs ad Leviticum Sacerdotium pertinere videtur), tum altaris; adeoque participaſſe in eo ſenſu Sacerdotium Chriſti Domini, fuiſſeque inſtituta ad illud ſignificandum: & in Fide venturi Meſſiæ offerebantur ea ſacrificia. Immò Aaronem fuiſſe typum Chriſti doceot Interpretes omnes, deduciturque ex Apoſtolo ad Hæbr. 5. quin propterea attribuendum foret illi ſacrificium Agni, exempli cauſa, juge ſacrificium deſignans, dum conficeretur, Chriſto Domino converſante viſibiliter cum hominibus. Et quidquid ſit de hoc, ratio tamen libata ab Apoſtolo unicè revocatur ad hoc, quód oblatio illa, aut ſacrificatio fieret per alios Sacerdotes, non verò ad defectum poteſtatis Sacedotalis in ipſo. Et ſanè alioqui, & ſi fingeremus Chriſtum Dominum dormientem, dum peragitur altaris myſterium in toto rigore dici poſſet actu ſacrificans, ut Magnus Sacerdos: ſicut Rex dormiens agere dicitur per legatum moraliter, quidquid ille tunc nomine Regis exponit. Jus demùm acquiſitum ex primo ſacrificio in Cœna confecto, dum illud inſtituit; tametſi conducat ad verum Sacerdotium; ferè nihil tamen ad ejus perpetuitatem, ſe ſolo; ſi ad reliqua deinceps ſacrificia incruenta per ſe immediatè per aliquam actionem phyſicam non concurrat. Siquidem potuit illud primò offerre, & nolle

le

le in poſterùm exercere munus Sacerdotis, ſed illud relinquere Sacerdotibus mortalibus, tanquam privatis omnipotentiæ inſtrumentis, ut ex terminis notum videtur: & apparet inſuper ex eo, quod inſtituerit alia Sacramenta, ordinaveritque Miniſtros eorundem diſpenſatores, & nihilominus noluit propriè (ſicut relatè ad ſacrificium voluit, & ſupponitur) exercere munus Sacerdotis in ſenſu ſtricto reſpectu illorum: nec per ſe phyſicè conficit reliqua Sacramenta; licet per ſe immediatè efficiat eorundem effectus divinos.

Falleretur autem, qui diceret, per nolitionem illam concurrendi ad ulteriora ſacrificia retractaturum voluntatem, quam ſententia contraria credit perſeverantem moraliter, neceſſariamque ad hoc, ut Chriſtus Dominus dicatur verè ſacrificans per ſuos miniſtros in omni particulari ſacrificio. Vanam ſiquidem tantùm reſponſionis ſpeciem, ſive potiùs hallucinationem ingenioſam proferret: namque ſi per nolitionem concurrendi deinceps intelligas concurſum phyſicum non volitum, hanc profecto habuit de facto, juxta ſententiam contrariam, apud quam de facto per ſe non influit, quia non decuit, & conſequenter eo ipſo noluit concurrere, vel formalem nolitionem eliciens, vel æquivalenter nolens. Si hæc igitur nolitio ſufficiens dicenda eſt ad impediendum quòd de facto ſit, & dicatur verè ſacrificans; infertur neceſſariò ex oppoſita ſententia abſurdum hoc, quòd Chriſtus Dominus non ſit modò propriè, & ſtrictè Sacerdos principaliter offerens. Si intelligas ſolùm moralem, implicas tibi, quia concurſus moralis in ſacrificationem actualem hic, & nunc ſitus formaliter eſt duntaxat, juxta titulum præſentem, quem refellimus, in ipſa inſtitutione myſterii, unà cum prima ſacrificii celebratione; & aliunde Inſtitutio permanet ſemper moraliter, ſemperque verificatur, Chriſtum Dominum confeciſſe primum ſacrificium. Ergo illum & inſtituiſſe juge ſacrificium, & primum celebraſſe; & non exercere moraliter munus Sacerdotis in reliquis ſacrificiis, implicatorium eſt, juxta principia contraria. Neque enim obviare poteſt per modum impedimenti; quia ſi non impedit influxum ipſum moralem in duabus illis rebus ſitum; cum ex alia parte, nec dignitatem Sacerdotis, nec poteſtatem impediat, nequit denominationem impedire in actu ſecundò. Alius ergo effectus, ſive influxus Sacerdotis neceſſarius eſt, ad conceptum verè ſacrificantis; quem excluderet ea nolitio.

Rurſus quam voluntatem retractaret? Non inſtituentem ſacrificium; quoniam illud perſiſteret, ut conficiendum ab aliis, ac proinde volitio inſtituens ipſam eo modo. Non voluntatem conficiendi primum ſacrificium, cum non poſſit non verificari ſemper, per illam, & ex illa primum ſacrificium extitiſſe. Si repones, inde ſequi, nos falsò ſupponere, non ſacrificaturum Sacerdotem ſupremum, ſeu non futurum verè ſacrificantem in quovis particulari ſacrificio, ſi decerneret non concurrere deinceps, vel eam volitionem fore repugnantem ob nuperrimas reflexiones; repellendus eris facilè, & evidenter ex dictis; cum ad denominationem verè ſacrificantis poſtulet ſententia noſtra, ultra titulos præfatos, influxum phyſicum; quem impediret nolitio illa. Tum ex eo, quod videatur per ſe notum ut diximus in argumento, & poſſe ſummum Sacerdotem elicere præfatam nolitionem: & illa poſita non poſſe dici verè ſacrificantem reſpectu ſubſequentium ſacrificiorum, ne illa fruſtraretur: ſubindeque opinio, quæ ita conſtituat influxum verum ſummi Sacerdotis, ut eam nolitionem reddat impoſſibilem, alienam prorſus eſſe à veritate, probat diſcurſus factus. Ulterius illam admittunt poſſibilem frequenter Adverſarii, adjungentes impedituram effectum formalem actu verè ſacrificantis: vel quia retractatio eſſet; vel quia impedimentum; utrumque autem fallere oſtendimus, juxta eorumdem doctrinam; nec enim impedire poteſt effectum formalem ſacrificandi id, quod nec impedit ſacrificationem, nec capacitatem ſubjecti ad illam excipiendam.

Si inſiſtas, dicens, impedire proximam capacitatem, quæ conſtituitur per carentiam illius nolitionis; rogo, an Sacerdos, qui vellet ſacrificationem elicere actu phyſicè, & ſimul diceret nolle denominari verè ſacrificans realiter, impediret effectum formalem? Minimè quidem, ut extra dubium eſt, quia per ſecundum actum intenderet chimeram. Ergo idem omninò aſſeverandum in lineâ morali, ubi ſupponitur influxus moralis actu ab illo promanans. Aliunde eam nolitionem ſupponimus cum Adverſariis, & ex lumine rationis poſſibilem; aliud igitur objectum reſpiceret, nimirum influxum phyſicum, quem præſtare nollet, & conſequenter aliquid aliud exigitur ad hoc, ut Chriſtus Dominus dicatur ſtrictè, & verè ſacrificans in quolibet ſacrificio, tanquam principalis Sacerdos, ultra jura allegata, aut producta paſſim ab opinione adverſa. Tandem cum ſacrificium incruentum ſit propitiatorium, impetratoriumque formaliter; evidens apparet, plura longè impetraturum actum, actionemque immolantem, quæ procedat phyſicè ab ipſo Chriſto Domino, cum ſit in ſtatu impetrandi, quam ſi phyſicè procedat à Miniſtro elevato ab omnipotentia: majoremque vim placandi Deum concedendam fore actioni Chriſti Domini, ſi ab illo provenire phyſicè debeat, quàm actioni Miniſtri. Ita ergo credendum eſt, inſtitutum ſacrificium. Non propterea tamen ille actus Chriſti Domini offert ſacrificium determinatè pro hoc, aut illis, hoc autem ſpectat ad Miniſtrum applicantem actum illum ex ſe indifferentem.

Plura verò alia, quæ agglomerat P. Vaſ-

quez

Digitized by Google

quez in defenſionem jurium, aut titulorum, quos modò rejecimus, diluta fuere in præcedentibus, aut diluenda veniunt mox. Diſplicet tamen magnopere idem Vaſq. dum pronuntiat, Chriſtum Dominum eſſe nunc actu verum Sacerdotem relatè ad unumquodque ſacrificium; & nihilominus nec actu per ſe offerre, nec ſacrificare, niſi unicè remotè per Sacerdotem: *Sed ab officio hoc proximè offerendi vacare*; cum intra ſtatum ipſum beatitudinis nihil ipſo dignius, & Deo Patri gratius occupare valeat attentionem illius. Et ſanè (ut quo exordium duximus, argumenta claudamus) otium illud muneris Sacerdotii dignum minimè videtur, pro quo adſtruendo à cap. 5. uſque ad 10. Epiſtolæ ad Hæbr. incredibili energia laboraſſet Apoſtolus Gentium, cum nihil aliud reipſa obtinuiſſet ad gloriam perpetuam ſummi Sacerdotis Chriſti Domini reſpectu ſacrificii altaris, quam titulum duntaxat coloratum, & jure communi Inſtitutionis, & Sanguine Calicis.

§. III.

Num. 20. OBJICIT primò: P. Vaſquez verba Apoſtoli ad Hæbr. 9. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt*: & cap. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem Corporis Chriſti ſemel*: Et inſuper adducit verba ejuſdem Apoſtoli, quæ ſupra retulimus, uti & illa, quæ eodem cap. 10. habentur: *Ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato*. Sed quorſum hæc? Ut inferat inde, Chriſtum Dominum actu immediatè per ſe non offerre modò juge ſacrificium? Re ipſa tamen illa, vel id neutiquam ſuadent; vel cum Sectariis otioſum ſacrificium altaris arguunt. Inſuper quorſum hæc, niſi ut evincant pariter (ſi quidquam probant) Chriſtum Dominum, nec adhùc moraliter dici poſſe verum Sacerdotem relatè ad ſacrificium Euchariſticum; cum ſupervacaneum eſſet poſt cruentam oblationem omnia conſummantem, denuò ulteriorem aliquam peragere ſummum illum Sacerdotem? Quod repugnat doctrinis fidei. Senſus igitur Pauli apertiſſimus eſt; docuit enim ibi Apoſtolus, Chriſtum Dominum ſemel tantùm mori debuiſſe, ut ſatisfaceret copioſè pro omnibus; & Theſaurum infinitum, ſubindeque inexhauribilem, Eccleſiæ ſuæ teſtamento reliquiſſe, applicandum tamen hic, & nunc per Sacramenta, aliaque digna opera, potiſſimè tamen per ſacrificium altaris rememorativum cruenti; quin nullo pacto ſit modò neceſſaria, nec utilis repetitio alterius ſacrificii cruenti, ab ipſo ſummo Sacerdote denuò conficiendo, ſed noxia potiùs; quoniam per illam derogaretur infinitudini ſacrificii cruenti. Nequaquam tamen intendit, minimè eſſe neceſſarium juge ſacrificium incruentum, per quod fluenta illius in Cruce peracti, quo conſumavit omnia pleniſſimè, & ſuperabundanter, quoad ſufficientiam, aut efficaciam in actu primo, derivarentur largè in Eccleſiam, tum univerſim, tum ſigillatim in fideles adſtantes, & in alios offerentes. Sicut igitur fide divina credimus, per ſacrificium Crucis non ita omnia in omni ſenſu, & acceptione, peregiſſe, ut nullum jam ſacrificium adhuc incruentum, ſit neceſſarium, nec utile Eccleſiæ: ſic à fortiori, & ineluctabiliter infertur, non ita intelligendam eſſe eam conſumationem omnium per ſacrificium Crucis, ut etiam extinctus credatur uſus actualis Sacerdotii Chriſti Domini in ordine ad ſacrificium altaris. Sed potiùs colligitur, convenientiſſime inſtitutum novum æternum Sacerdotium pro novo ſacrificio duraturo cum Mundo ipſo, conficiendo principaliter ab immortali jam Sacerdote ſummo; non futuro alioqui vero, & proprio Sacerdote comparativè ad ipſum ſacrificium, ſi planè otiaretur per ſe immediatè, & phyſicè, nihil operando, nullatenus offerendo actu elicito, nec immolando, cum poſſet: eſſetque idcircò revera Sacerdos ad honorem, & (ſi fas ſit humano more in re tantis titulis divina fari) veluti in partibus ſolùm, aut titularis ſummus Pontifex.

Num. 21. Secundò: objicies ex Vaſquez fusè, eſtque baſis illius doctrinæ in præſenti materia. Si Chriſtus Dominus eſſet principalis offerens immediatè per ſe, cum affectus ille internus eſſet actus religionis, ſummuſque in ea linea: cum eſſet impetratorius, obtineretque nobis ab Æterno Patre remiſſionem peccatorum, gratias, donaque ſublimiſſima: cum Deum placatum nobis redderet, & propitium, nihil prorſus illi deeſſet ad meritum; ſed hoc abſurdiſſime conceditur: ergo &c.: Minorem facilè oſtendit adversùs Juniores quoſdam ſui temporis: quoniam derogaretur, fieretque injuria ſimpliciter ſummo merito, ſatisfactionis, & impetrationis infinitudini ſacrificii Crucis, ſi neceſſaria foret adhuc jugis alia, aut continuata ſeries operationum, per quas Chriſtus Dominus nobis promeruiſſet, quaſi nondum expleto, nec ſoluto redemptionis humani generis pretio, ſed in dies uſque ad Mundi conſumationem paratis quotidie obſequiis, & oblationibus, ſolvendo. Hoc autem repugnare verbis Pauli ſupra adductis exprimentibus, & clamantibus etiam, Chriſtum Dominum morte Crucis, & unica illa oblatione conſumaſſe omnia, compertum videtur, de quo multa congerit etiam 3. p. ad quæſt. 76. & q. 82. idem Vaſquez. Uti & contradicere, ait, ejuſmodi doctrinam ſenſui Eccleſiæ, Patrum, Theologorumque. Majorem autem probat, quia minimè obſtaret merito ſtatus gloriæ, ſiquidem hic, apud ipſum in 1. ſecundæ diſput. 216. tametſi impedire valeat, ne beatus pro ſeipſo mereatur; neutiquam obeſt, quominus promerere, ſaltem de congruo valeat pro aliis. Neque rurſus ex defectu

fectu promiſſionis divinæ decurſus meriti in eam oblationcm impeditur, aut exſiccatur; tum quia promiſſiouem illam minimè neceſſariam dicit Vaſquez, & probat in 1. ſecunde diſput. 214. tum quia illam adeſſe, ſi ſemel Chriſtus Dominus modo à nobis expetito concurrere debeat in ſacrificium, oſtendit. Confirmat: quoniam poſt Chriſti Domini mortem glorioſamque illius vitam, nullatenus decere putat, ipſum orare expreſſè, & formaliter preces fundere, immò & impetrare, uti aſſerendum neceſſariò foret, ſi ille immediatè per ſe affectivè, & effectivè ſimul conficeret, cum munus proprium Sacerdotis, ſit mediare inter Deum, & hominem, intercedere, exorareque Deum pro cuncto populo. Ejuſmodi autem orationes convenire nequaquam poſſe dignitati, & ſtatui immortali Chriſti Domini multis ſtabilire nititur. Ecquis autem non credat apertum indignitatis genus in Chriſto Domino quæ ſupra ex ipſo retulimus, & ipſe ex Liturgia, quæ potiùs redolent ſervitutem, quam filiationem? Potiſſque Angelorum indigum illum oſtendunt, quàm principatum in eos exercentem? Quamquam euim ſit veriſſimum pronuntiatum illud Tertulliani: ***dignitas eſt ſervum eſſe poteſtis***: eſt attamen dignitatis genus cautè nunc attribuendum Chriſto Domiuo; & cum limitatione duntaxat, quam ex Divo Thom. 3. p. q. 20. hauriunt Scholaſtici.

Reſpondeo, negando majorem, quà parte negat, Chriſtum Dominum orare modo formaliter, impetrare, & intercedere, utpote longè commuuiori ſententiæ oppoſitam, ex qua potiùs arma deſumit, & retorſiones ſententia noſtra. Quandoquidem, juxta pleroſque Theologorum Chriſtus Dominus orat nunc formaliter, & expreſsè pro nobis in Cœlo, interpellat, impetrat, & nihilominus per eos actus, apud eoſdem Scholaſticos, nullo pacto meretur. Ergo nec per ſacrificationem, iutentionem, oblationemque formaliter elicitam ad ſacrificium Miſſæ conficiendum, promerere dicendus erit. Circa illos namque actus à ſolemniori Theologia admiſſos fieri poteſt eadem interrogario. Ecquid deeſt illis actibus, ut ſint infinitè meritorii? Non gloriæ ſtatus, non promiſſio ob rationes libratas à P. Vaſquez. Quid igitur? Sanè quidquid illud ſit, quod communis Theologia deeſſe putat, pro nobis pariter ſatisfacit interrogationi. Habemus adhuc reſponſum altius, luculentius, diſp. 6. ſect. ultima producendum; interim tamen per veſtigia ſolemnioris doctrinæ gradimur, & per tritas ab Scholaſticis ſemitas ad reſponſionem ducimur.

Num. 22. Aliter & 2. exploratum eſt, Chriſtum Dominum ex Empyreo cognoſcere per ſcientiam beatam, quin & infuſam, ſacrificia omnia in ſingulari, qua à Miniſtris ſuis conficiuntur, eruntque conficienda, quandiu perſeveret Mundus. Inſuper exploratum eſt eundem Chriſtum Dominum velle, quòd Sacerdos viſibilis dignè accedens, ſublimem illum cultum Deo exhibeat in Perſona, nomine, & virtute ipſius. Deinde cum poteſtate abſoluta, antecedente ſaltem, ſibi conceſſa poſſet nolle hic & nunc, illud numero ſacrificium celebrari, ejuſque celebrationem impedire; manifeſtum videtur, ipſummet exercitium liberum nolendi impeditionem ſacrificii, adeoque volendi influxum proprium moralem in præſatum exercitium, quod velle poteſt poſitivè, & gaudere de illo, media ſacrificatione phyſica facta in Perſona, & virtute ſummi Sacerdotis, ejuſque nomine, futuram meritoriam, ſi ſemel verum eſſet, habituras infallibiliter meritum orationes, impetrationiſque actus; ſiquidem illi imputatur ſacrificium, non minùs ac attribueretur illi impetrationis effectus. Quemadmodum certum eſt, præcipientem famulo largitionem eleemoſynæ gregi pauperum, non ſolùm elicere actum meritorium, cum decrevit erogationem illam, & eam juſſit; ſed inſuper (ſi cætera adſint) dum proſpiciens famulum viritim nummos diſtribuentem, tametſi formaliter expreſsè non repetat, aut inculcare velit primum actum phyſicè priùs emiſſum, & tunc moraliter perſeverantem, gaudet, aut complacet in præſata largitione, quia eſt æquivalenter idem, ac inculcare primum actum.

Noſtrum non eſt deſignare radices, ſeu obices impedientes meritum operationum Chriſti Domini in ſtatu glorioſo. Uti nec aſſerre diſcrimen inter meritum, & impetrationem; cum utrumque onus ſtrenuè ſuſcipiat in ſe receptiſſima ea opinio, quam retuli. Cæterum abire intactum nolumus, quòd licet in ſententia Doct. Subtilis, quem Vaſquez imitatur, non ſit per ſe neceſſaria ſimpliciter promiſſio divina, aut pactum ad meritum, eſt attamen neceſſaria divina acceptatio; non eſt autem, cur Deus acceptare velit denuo in præmium operationes Chriſti Domini poſtquam immortalis jam effectus eſt, cum merita illius in ſtatu paſſibili fuerint in omni genere ſimpliciter infinita (& quidem vel applicationem ipſam meritorum ſuorum promeruit, non quidem in actu ſecundo ſemper applicanda omnibus, ſed in actu primo) & ex conſequenti acceptata fuere ad omne præmium poſſibile: quandoquidem licet omne Chriſti meritum in quavis actione ſingulari infinitum fuerit in eo ſtatu paſſibili, poterant nihilominus abſque otioſitate in linea meriti multiplicari, quia eorum complementum pendebat omnino à ſacrificio cruento (ex Divino beneplacito) quo perficerentur omnia, & quo ſimul expleto omne aliud meritum ſubſequens injuriam quandam irrogare videretur illi. Quapropter minimè eſſet utilis, ſed potiùs nocumentum afferret, diſpenſatio cum Chriſto Domino ad meritum pro ſtatu gloriæ. Applicatio autem meritorum in actu ſecun-

do cum debeat eſſe limitata, ſic exerceatur, artificioſa, miraque canalium diverſitate, tum Sacramentorum, tum bonorum operum: tum maximè, & copioſiùs per interceſſionem, & impetrationem ipſius Chriſti Domiui prȩſertim in Sacrificio, & Sacramento Euchariſtico: tum per Deiparæ preces, Sanctorumque, & cæleſtium Spirituum; ut poſſit jugiter inculcari, ſitque prorſus neceſſaria frequentiſſima illius repetitio. Bifariam ſiquidem merita Chriſti Domini nobis applicantur: & ex opere operato dignè ſuſcipientibus Sacramenta: & ex opere operantis; & hic ſecundus modus ſubdividitur in applicationem ex proprio orantis, & operantis merito particulari; & in illam, quæ fit præcipuè dum Chriſtus Dominus intercedit pro nobis, aut impetrat gratiam aliquam. Idcircò quamvis impetratio illius in ſtatu paſſibili conſumato in Cruce fuerit infinitæ ſimpliciter efficacitatis in actu primo; potuit nihilominus valdè utiliter iterari à Chriſto Domino ad applicanda in ſingulari merita ſua in actu ſecundo adſtantibus, v. g., Miſſæ ſacrificio; cum inter eonductus nobiliores aquarum ex Mari Rubro fluentium, juremerito numeretur primo loco, tum dignitate, tum efficacia. Illa tamen impetratio, cum ſit applicatio ipſa meritorum in actu ſecundo infinita intenſivè eſſe nequit, dum pro aliis impetrat, ut mox aperiam, & ſtatuam. Verùm cur pariter iterari non poterit meritum, ſive cur non erit conſimiliter meritoria in particulari interpellatio Chriſti Domini pro hoc in ſingulari, aut his numero fidelibus, ſicut iteratur ab ipſo Chriſto Domino impetratio (ſaltem tempore ſacrificii) tametſi fuerit æquè infinita ſimpliciter ejus efficacitas, ſicut fuit meritum; & cum æquè utriuſque infinitudo fuerit ſolùm in actu primo? Difficultas quidem ſatis ardua, ubique reperta, nullibi tamen ita plenè ſoluta, ut eadem ſolutio non appareat denuò novis aliis vineulis, aliaque via, obſtructa.

Num. 23. Fallitur attamen objectio, aut redargutio hæc, dum præſupponit æquè infinitam ſimplicitèr in actu primo impetrationem Chriſti Domini in ſtatu paſſibili, & in paſſione ipſa, ac rationem meriti. Impetratio namque fuit ſanè infinitæ æſtimabilitatis, & valoris infiniti ob rationem communem operationis Theandricæ; neutiquam verò ſub conceptu formali impetrationis, ſi loquamur de infinitudine intenſiva; quoniam ſi de extenſiva diſſeratur, poterit dici infinita, dum æternam gloriam alicui impetrat. E' contra verò meritum Chriſti Domini ſub conceptu formali meriti eſt undique ſummum, & ſimplicitèr intenſivè, extenſivèque infinitum in ratione, & linea merendi. Quamobrem difficultas, quam diximus arduam, devolvenda eſt ad inveniendum ſolidum inter utramque lineam diſcrimen. Illud autem petitur ex diverſitate ipſa rationum formalium utriuſque, & naturæ eorundem actuum. Porrò infinitudo meriti derivatur, aut reſultat formalitèr ex dignitate perſonæ operantis, quæ ſimplicitèr infinita eſt, quin ejus ſumma amplitudo limitari valeat ex parte aliqua: ac proinde nec effectus formalis meriti infiniti reſtringi ex ullo capite valet. Et quidem ita, ut nec ab impoſſibilitate præmii infiniti ſimplicitèr impediri poſſet, quominùs ſit in actu primo, & ex ſe, dignum infinito ſimplicitèr præmio, ſi adeſſe poſſet in actu ſecundo: unde applicatio meritorum ſuorum facta ab ipſo Chriſto Domino nunc eſſe nequit meritoria, quia derogaret merito undique ſummo illius in ſtatu paſſibili, argueretque, illud non fuiſſe undique infinitum; cum non promeruiſſet hanc ipſam applicationem in actu primo, ut faciendam in actu ſecundo ſub hac, vel illa conditione, quam juſtè poſtulat. Cœterum impetratio ſub ratione impetrandi poteſt, & debet neceſſariò limitari, quia ex natura objecti, quod reſpicit, & modò reſpiciendi ipſum, patet ejuſmodi limitationibus: eo quod, licèt perſona quæ impetrat, ſit infinitè digna, id tamen, quod impetrat, & perſona, cul illud impetrat limitata ſunt eſſentialitèr, ac ſubindè reſtringitur à fortiori actus ſub ratione impetrandi. Et quamvis ſibi ipſi etiam impetraverit, & tunc perſona, *cui*, eſſet paritèr ſimplicitèr infinitè digna; res attamen, quam ſibi poſtulare potuit ex ſuppoſitione unionis hypoſtaticæ (quam nec promeruit, nec impetravit) ſemper eſt neceſſariò finita intenſivè.

Repones tamen: etiam meritum per ſe reſpicere eſſentialitèr præmium, quod nunquam eſſe poteſt infinitum ſimplicitèr in actu ſecundo; immò nec in actu primo, ſive comparativè ad alios homines (à quibus etiam limitaretur) ſive etiam reſpectu ſui. Contra enim: quoniam eatenùs impetratio Chriſti Domiui eſt capax limitationis prædictæ; incapax verò meritum, quatenùs impetratio ex ſuo conceptu formali reſpicit actum ſecundum per ſe primò; & ideò impetrari non poteſt aliquid, ſive generatim, ſive in particulari, quod exiſtere nequeat re ipſa in actu ſecundo; ex quo rursùs infertur, quod limitatio impetrationis non eſt contra dignitatem infinitam perſonæ impetrantis; quia potiùs opponeretur ejus ſummæ dignitati, quod perſonæ minùs dignæ obtineret id, ad quod nullam haberet proportionem. At verò meritum ordinatur per ſe (univerſim loquendo) ad præmium in actu primo, quod eſt ſyncategorematicè infinitum. Deindè ejus major, aut minor efficacia pendet per ſe à dignitate perſonæ merentis, proindèque reſtringi non poteſt à limitatione præmii in actu ſecundo. Quinimmò nec à finitudine categorematicè uſurpata illius in actu primo etiam, eo quod finitudo illa efficere nequit, ne dignitas perſonæ, ex qua primò, & per ſe formalitèr reſultat denominatio meriti ſimplicitèr ſummi, ſecundùm ſe accepti, infinita undique

non

non ſit. Applicatio igitur meritorum Chriſti Domini per oblationem ejuſdem in Sacrificio Miſſæ actu exercitam, eſſe poteſt impetratoria, quia nulli infinitudini in ea linea præjudicat; ſecus verò meritoria ob radicem oppoſitam.

Ubi notandum, non omni infinitudini ſimplicitèr operationum in ſtatu paſſibili derogari per infinitudinem ſimilium operationum in ſtatu præſenti gloriæ: ſiquidèm omnes Chriſti Domini operationes modò, ſicut tunc, ſunt infinitè æſtimabiles, cum ſint Theandricæ. Illa namque dignitas operationum abſoluta eſt ab omni reſpectu ad aliud extrinſecum, convenitque illis neceſſariò, & veluti tranſcendentalitèr ratione infinitæ excellentiæ perſonæ operantis, qua menſura regulantur omnes: & ideò infinitudo præcedentium infert infinitudinem ſubſequentium, & infinitudo harum arguit infinitudinem illarum, viciſsìmque ſeſe ſovent; alioqui vel vivere non poſſet in actu ſecundo, vel exuere debuiſſet dignitatem Perſonæ Divinæ. Non derogat igitur hoc illi. Cœterùm meritum, & impetratio (ſi hæc ſupponeretur, aut fingatur infinita) ſunt reſpectiva ad aliquid obtinendum: undè ſi promerere poſſet Chriſtus Dominus pro hoc ſtatu, argueretur meritum illud non fuiſſe infinitum, quia aſſecutum non fuiſſet finem intentum. Fieret ergò illi injuria, & injuſtitia, obſcuraretur ejus fama, & pateretur quodammodò ipſum meritum paſſionis nunc, dum pati nequit merentis perſona.

Num. 24. Si tamen adhùc non ſatisfecerit diſcrimen productum inter meritum, & impetrationem, recurrendum erit ad ſententiam communem Theologorum inſinuatam, è qua, & pro qua illud adducitur; quod enim attinet ad noſtram in allegata Diſp. 6. me expediam faciliùs, ſolidiùſque à præſenti nodo. Confirmatio exarmata remanet in præcedenti §., & à contraria ſententia paſsim repellitur tanquam aliena à ſumma dignitate Sacrificii, ab amore, & providentia Chriſti Domini ergà ſuam Sponſam, & ab officio Capitis Eccleſiæ; quantumvis non propterea omnes indiſtinctè preces, aut actiones, elicere, aut fundere debeat immediatè ipſe Chriſtus Dominus, ut ibidem obſervatum fuit. Eſt inſuper ſibi ipſi repugnans: quoniam apud Adverſarios Chriſtus Dominus videt modò, merita ſua præterita, ſuaque vulnera ſplendoribus circumfuſa, movere actu Deum ad largienda hic & nunc dona hominibus: undè neceſſaria quadam conſecutione amat largitionem illam, ſeu vult, quod Deus illa ex meritis ſuis diſpenſet, ſicut gaudet de eorundem actuali diſpenſatione; ne credamus illum veluti inſenſibilem, aut actu inanimem in rebus noſtris, & bonis in nos ex illo derivatis (ſi namque illi obſiſteret, neutiquam donum illud de facto modo concederetur); atque adeò volitio illa, niſi terminis ludas, eſt re ipſa impetratio actualis formalis, cum etiam impetratio à noſtra ſententia producta obtineat effectum ob merita Chriſti Domini præterita. Denique dedecere Chriſtum Dominum ſummum Sacerdotem, ipſumque dedignari ejus uſum immediatum, quia eum dedeceat, credat quicunque velit; ego autem fatebor ingenuè, id apparere mihi planè impoſſibile, inconſequentèr dictum, & aberrans: *Unus eſt ipſe Salvator noſter*, inquit S. Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 85. *Oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos: Orat in nobis, ut Caput noſtrum: Oratur à nobis ut Deus noſter*. Ut quid Apoſtolus Hæbr. 7. de illo ut Sacerdote æterno dixiſſet: *Semper vivens, ad interpellandum pro nobis*: cum etiam ſi per impoſſibile modò non viveret, vel caderet Humanitas ab unione hypoſtatica, illa anteactæ vitæ infinita ſemper adeſſent, & moverent (eo modo, quo vult contraria opinio) Deum Patrem. Ea igitur interpellatio plus aliquid innuit, plus aliquid oſtendit, & neſcio quid vivum aliud includit.

Num. 25. Nondum quieſcit Vaſquez, & opponit tertiò: ſi Chriſtus Dominus modò offerret, deberetque offerre, actio externa ſacrificandi, ſive ipſa ſacrificatio externa penderet ab actibus internis, intentione videlicèt, & oblatione ipſius, modo quo pendet ab affectu interno Miniſtri, ſine cujus intentione ſaltem, Sacrificium nullatenus conficeretur: cum enim Sacrificium ſit actus externus Religionis ex conceptu ſuo formali debet eſſe actus humanus, adeòque præſupponit actum, & effectum internum: verum eſt enim illud S. Auguſt. lib. 5. de Civit. cap. 5.: *ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii ſignum eſt*. Ubi autem actus internus Sacerdotis viſibilis ſit eſſentialiter neceſſarius; ſi aliunde Sacerdos inviſibilis debeat immediatè per ſe actu concurrere, ex conſequenti, & potiori jure ejus intentio, affectuſque internus neceſſarius erit ad hoc, ut ſacrificium celebretur. Hoc autem eſſe falſum probat, quia actio externa immolandi, ſeu proferendi verba conſecrationis, quæ eſt actualis ſacrificatio, immolatioque Victimæ, procedunt unicè à Sacerdote ſubalterno, & viſibili; ac proinde ab ejus ſolùm intentione, aut actu interno pendet eorum veritas, & efficacia. Dicere autem Chriſtum Dominum immediatè proferre verba ſimul cum Miniſtro viſibili, nugatorium foret, nec ad illa pronuntianda opus habet Miniſter adjutore, aut ſuggerente. Se habet, inquit, Chriſtus Dominus ſicut is, qui offert Victimam Sacerdoti, rogans, ut velit ipſam immolare; hic enim non eſſet ſacrificans, niſi tantùm remotè, & per alium. Ad hunc autem modum ſe gerit ſummus Sacerdos Chriſtus Dominus, qui eſt ipſa Victima à Sacerdote Miniſtro immolanda; niſi quod in exemplo immolatio non fit in virtute, & meritis dantis Victimam Sacerdoti: ſecus autem ſacrificium Miſſæ, quod unicè conficitur à Miniſtro vir-

tute derivata in ipſum ex ſacrificio cruento Chriſti Domini ejuſque meritis.

Reſpondeo: Chriſtum Dominum non concurrere cum Miniſtro ad proferenda conſecrationis verba, cum illa naturaliter proferantur; cæterum verba non conſtituunt formaliter intrinſecè ſacrificium (quamvis ſint forma Sacramenti), ſed actio miraculoſè converſiva ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, quam producunt verba ipſa proùt elevata, & quidem tanquam inſtrumentum ſeparatum elevatum ab inſtrumento conjuncto, vel ſimul cum illo, ut vulgaris doctrina tuetur; & quidem illorum etiam plerunque, qui ad alia Sacramenta neutiquam concurrere phyſicè credunt Humanitatem Chriſti Domini; cum igitur Chriſtus Dominus influat in tranſubſtantiationem, quæ in communi ſententia eſt ſacrificatio ipſa, ſitque aliunde per ſe ſummus Sacerdos, neceſſariò concurrit per ſe phyſicè ad ſacrificium; maximè cum ſacrificium ipſum, ut ſummum undique eſſe valeat, proùt de facto inſtitutum eſt, illius concurſum exigat. Sicut igitur prærequiritur intentio in Miniſtro, quia per ſe conficit ſacrificium, ſine qua verba non forent capacia elevationis, ita à fortiori deſideratur intentio ſupremi Sacerdotis. Rurſus concurſus exhibitus à ſummo Sacerdote neceſſariò eſt vitalis, immò non tantùm humano modo elicitus, ſed modo humano perfectiori, per ſe proprio Chriſti Domini: inde autem ſit, per ſe concurrere ſupremum Sacerdotem in ſacrificium incruentum affectivè, & effectivè, ea neceſſitate, ut nullum eſſe poſſit ſacrificium (ſecundum quod in præſenti providentia inſtitutum) abſque intentione, affectu, & influxu Sacerdotis ſummi in illum actum, qui ſit formaliter ſacrificatio; quam pro nunc, ut morem geram objicientibus, permittamus ſitam in actione converſiva, ſive conſecratione formali. Quæ omnia, quia ſatis conſtant ex argumentis, quæ produximus in confirmationem aſſertionis noſtræ, non elucidantur uberius. Exemplum verò afferentis victimam ad ſacrificium, friget nimium, etiamſi adjungantur efficacitas, virtuſque derivata ex ſacrificio cruento ipſius Chriſti Domini; cum totum hoc conjunctum, ſi nec affectivè, nec effectivè concurrat per ſe ad ſacrificandum Sacerdos ipſe ſummus, nonniſi impropriè, & denominatione remota, laxaque moralitate efficere poſſint, ut ſit Sacerdos Magnus reſpectu illius ſacrificii; quod ſanè probat exemplum, aut nihil probat, in idemque tendere videtur objectio integra. Id autem pugnat aperto Campo cum Chriſti Domini vero Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech ab Apoſtolo Gentium ſtabilito. Et hic eſt ſcopus, quem tela P. Vaſquez, reipſa petunt, tametſi ex ejuſdem intentione in alium emittantur; & quamquam rapidum inſignis hujus viri ingenium non frequenter aberrare conſueverit ab ſcopo intento. Unde non eſt comparandus Chriſtus Dominus ei, qui purè afferat victimam altari, ſed ei, qui afferat, & ſimul offerat.

Num. 26. Objicies quartò: ſignum ex inſtituto, ut ſit verè, & propriè tale non indiget forma aliqua phyſicè præſenti, ſed contentum eſt præterita non retractata, ac proinde moraliter perſeverante. Ergo munus Sacerdotis ſupremi in actu ſecundo verificari ſufficienter poteſt in rigore ſermonis per actus præteritos non retractatos, moraliterque idcircò permanentes, voluntatis Chriſti Domini inſtituentis ſacrificium, ordinantis Sacerdotes, præcipientis, ut ſacrificium illud nomine ſuo conficiant, & derivantis ſuam efficacitatem in ipſum: & oblationis etiam factæ, aut ſacrificationis in primo incruento ſacrificio. Præſertim cum aliquid ejuſmodi ſigni includatur neceſſariò in ipſo, non tantùm quà Sacramentum eſt, verum & quà ſacrificium. Hæc in ſuperioribus enervata fuere ſatis; & ſanè inde probaretur, ſufficere pariter in Miniſtro viſibili intentionem habitualem, vel intentionem anni præcedentis non retractatam ad ſacrificandum hoc anno. Deinde illa, etiamſi permitterentur ex integro, obtinerent quidem, Chriſtum Dominum ſufficienti cum proprietate fungi dicendum eſſe munere Sacerdotis Magni, adeoque ſacrificantem hic, & nunc; neutiquam verò nobiliori, & ſtrictiori modo, quo poſſet; cum ſit compertiſſimum, ſtrictiùs, perfectiùſque expleturum munus præfatum, ſi immediatè phyſicè, & actu interno ſimul concurreret; & aliunde non minùs notum videtur, perfectiorem illum modum deberi perfectiſſimo Sacerdotio, & ſummo inter excogitabilia omnia ſacrificio, cujuſmodi eſſe de facto inſtitutum, credimus.

Præterea denominatio ſigni ad placitum eſt prorſus extrinſeca, & quæ nullo modo afficit ſubjectum denominatum, niſi impropriè, cum adveniat illi per accidens, & extrinſecè, idemque permaneat, ſive adſit, ſive recedat. Hoc autem impunè dici nequit de Sacerdotio Chriſti Domini, aut de ipſius concurſu in ordine ad ſingularia altaris ſacrificia (ſi namque de concurſu diceretur, recta illatione id ipſum affirmandum erit de Sacerdotio) quaſi impropriè per denominationem extrinſecam, & in ſenſu morali conceptam, munus illud exequeretur; uti de hujuſmodi denominationibus loquuntur Philoſophi cum Ariſtotele lib. de Prædicamentis par. 1. cap. 1. alioqui fatendum eſſet nobis, Apoſtolum laboraſſe fruſtra per tot capita laudatæ Epiſtolæ ad Hæbr. in adaptanda Chriſto Domino denominatione extrinſeca, vel in attribuenda illi dignitate eſſentialiter ordinata per ſe primò ad ſacrificium peragendum, ſive ad ſacrificandum; dum ejuſmodi officium non aliter exerceat, quàm per denominationem quam-

dam

dam extrinſecam, & nihil ex parte rei de pręſenti ſignificantem. Verum eſt quidem, adeſſe denominationes aliquas, quæ propriè, & ſtrictè convenire dicuntur ſubjecto, tametſi nullum actum phyſicum eliciat tempore ipſo, quo res, ex quibus reſultat denominatio, fiunt: ſic largitio eleemoſynæ facta hodie per famulum, cui fuerat à Domino heri injuncta, Domino attribuitur, licet dormiat tempore ipſo largitionis, & his ſimiles aliæ quamplures; eo quod per ſe non poſtulant concurſum perſonalem principalis agentis tempore ipſo, quo exercentur, ſed antecedentem ſolùm.

Aliæ verò ſunt, vel ex integro, vel ex parte eſſentialiter Perſonales, cujuſmodi ſunt exempli cauſa, orare, jejunare &c. Etenim licet ſuperior injungat ſubdito, pręcipiatque ſtrictè, ut ejus nomine oret, aut jejunet, nullo ſtricto jure dicitur ſuperior ipſe jejunans, aut orans, eo præciſè titulo; non alia ratione, niſi quia opera illa ſunt ex ſuo conceptu formali perſonalia, expetuntque actionem, aut paſſionem propriam actualem, & phyſicam ejus, cui attribuuntur. Hujus naturæ eſt denominatio rem divinam faciendi, (relatè ad potiſſimas ſacrificii jugis functiones, per quas primò, & per ſe conſtituitur) ut patet vel ex eo, quod alioqui Epiſcopus, aut Summus Pontifex imponens Sacerdoti privato onus celebrandi hìc & nunc in æde Lauretana, v. g. nomine ipſius, verè, & propriè diceretur ſacrum conficiens tunc in illa fælicitatis Domo, maximè, ſi ſupponatur, Miniſtrum illum ſacris initiaſſe; cum aliunde ipſe Pontifex (ut planum eſt) ſit etiam Sacerdos, & quidem in acceptione viſibili ſummus. Sic etiam ſunt nonnullæ denominationes, quæ ex natura ſua permanentes non ſunt, ſed fluxæ potiùs; denominatio verò Sacerdotis ex ſe perpetua viſa fuit ſemper, etiam inter Gentiles, ubi characterem alium imprimere non poſſet, præter veſtigium illud, quod mendacia altè imprimunt in anima: in æſtimatione tamen & mente aliorum, immotum, & veluti indelebile permanebat: *Sacerdotium ipſum*, inquit Plinius Junior lib. 4. Epiſt. 8. *cum priſcum, & religioſum, tum hoc quoque ſacrum planè, & inſigne eſt, quod non adimitur viventi: Nam cætera, quamquam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, ſic auferuntur; in hoc fortunæ hactenus licuit, ut dari poſſit.*

Num. 27. Inſurges quinto, & difficiliùs, aut operoſiùs, opponendo Triduum Mortis Chriſti Domini, in quo ſi Divus Petrus celebraſſet, extitiſſet proculdubio plenè, & perfectè ſacrificium altaris, & tamen Sacerdos ſummus Chriſtus Dominus nequaquam ad illud concurrere poſſet, ut ſummus Sacerdos eſt; cum anima ſeparata Sacerdos minimè ſit, tametſi permittatur, illam etiam tunc præſtituram phyſicum influxum, & affectivum. Verumtamen fundamentum hoc, cui nimium fidunt Adverſarii, ejuſque ſolutiones, conjecimus in ultimam ſectionem præſentis diſputationis, ubi invenies illud convulſum radicitus.

Objicies ſexto: Chriſtum Dominum futurum Sacerdotem in æternum, ſive per totam æternitatem; quin propterea poſt Mundi conſumationem oblaturus ſit Deo verum ſtrictum aliquod ſacrificium, nec incruentum, nec alterius rationis. Cæterum hoc probat, eſſe modò verum Sacerdotem, licet nec per ſe, nec per Miniſtrum offerat, quod contradicit ipſi P. Vaſquez. *To* igitur *in æternum*, ut Interpretes exponunt denotat ſolùm durationem uſque ad Mundi finem; quod ſpatium temporis non ſemel in Scripturis Sacris æternitas appellatur. Sic in terminis Sacerdotii Eccleſiaſt. 45. Sacerdotium Aaroni conceſſum dicitur æternum: *Statuit illi teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis*. Et infra ver. 19. *Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus, ſicut dies Cæli, fungi Sacerdotio*. Et nihilominus ejus Sacerdotium finem vidit, fuitque abrogatum per Sacerdotium novum, juxta ritum Melchiſedech electum, uti docemur ab Apoſtolo ad Hæbr. 7. quoniam perpetuitas illa uſque ad finem, legis antiquæ durationem ſignificabat, ſeù quouſque in ſanguine Chriſti Domini ſubmerſum fæliciter, emergere non poſſet unquam. Hęc dicta ſint, juxta tritam illius vocis ſignificationem; quid autem juxta noſtram ſentiendum, reſpondendumque, diſput. 7. latè expendam.

Oppones ſeptimo, D. Thomam 3. part. qu. 83. art. 1. ubi docet, ſacrificium juge importare Chriſti Domini immolationem, *quantum ad effectum Paſſionis Chriſti, quia ſcilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructus Dominicæ Paſſionis*. Ergo ratione ejuſdem effectus permanentis moraliter in Miniſtro, in verbis, & in eorum efficacia, poteſt dici Chriſtus Dominus Sacerdos verè reſpectu ſacrificii incruenti, licet per ſe non concurrat ad illud. Quemadmodum ſacrificium juge dicitur ibidem ad primum, aliquo modo idem cum ſacrificio Crucis ab eodem Divo Thoma ob eandem rationem. Cæterum ſi verè, & propriè immolatus nunc dicatur, & verè, & propriè ſimul immolans; quia virtus oblationis in Cruce factæ, ſeu quia effectus cruenti ſacrificii, uti & incruenti illius, quod in Cœna obtulit, perſeverat uſque ad finem ſæculi; non tantùm ſecundum ordinem Melchiſedech, verùm & ſecundum ritum Aaronicum erit Sacerdos in æternum (ſi ſecundum eum ritum potiſſimè fuiſſe cruentam illam mactationem cum pluribus aſſeratur). Id autem pugnat cum doctrina Apoſtoli ex Diametro. Deinde Noe foret Sacerdos in æternum, ut ſapienter monet Leſſius quæſt. 83. dub. 5. quoniam durat effectus ſacrificii, quod obtulit, tranſacto diluvio, & orbe exſiccato; ne ſcilicet in perpetuum aquæ elementum unà ubique exundans Mundum ite-

ratò abſorberet. Denominatio igitur illa æternitatis Sacerdotii, ab illius effectu permanente deſumpta, laxa nimium eſt, & valde impropria: ſicuti impropria eſt immolatio illa commemorativa, de qua diſputat ibi D. Thomas, eodem titulo; cum ſit purè in repræſentatione; quatenus effuſionem Sanguinis in Cruce factam deſignat: & ſicut etiam verum ſacrificium neutiquam foret, ſed latè, & impropriè, ſi eſſet pura repræſentatio ſacrificii cruenti, foret equidem vera repræſentatio ſacrificii, minimè tamen verum ſacrificium. Quemadmodum itaque in ea hypotheſi propriam rationem ſacrificii non participaret, ſed umbratilem, & in imagine; ſic nec Sacerdotium Chriſti Domini eſſet practicè vere Sacerdotium, ſi non aliter foret modò Sacerdos, niſi quatenus modò verum ſit, exercuiſſe tunc ſemel ejuſmodi officium, vel cruentum in ara Crucis, vel incruentum in nocte Cœnę. Immolatur igitur Chriſtus Dominus in altari, quantumvis mori nequeat, quatenus modo aliquo reali, veroque diſp. ſequenti aperiendo immutatur victima; eam tamen ingenioſam phyſicam mactationem peragit ſummus ipſe Sacerdos, ſimul cum Miniſtro; & longè magis propriè, quam Miniſter ipſe viſibilis: inventum fuit à Divina Sapientia novum aliud, & mirum ſacrificandi verè, & immolandi genus, quod vitam aliquam realem adimit, & victimam nihilominus non interimit, itaut mori neſciat, tametſi non vivat.

SECTIO SECUNDA.

Actuale munus ſummi Sacerdotis præcedenti ſectione ſtabilitum tremendo, jugique ſacrificio, immediatè per ſe exercetur à CHRISTO DOMINO *non à Cælo, ſed ex altari ipſo, qua Sacramentaliter præſente & ſpeciebus velato. Id quod ſuadetur ex Apoſtolo, & munitur clariſſimorum Patrum ſuffragio.*

§. I.

Num. 28. HÆc eſt aſſertio peculiaris noſtra, menti jamdiù affixa, & cordi pariter, pro qua laudare non poſſumus Scholaſticos ſub hiſce terminis illam diſcutientes, aut qui nobis apertè ſuffrageutur ſub eiſdem; quoad ſubſtantiam tamen conſentiunt plures: & quod caput eſt, perſpicuè traditur à maximis Eccleſiæ luminibus mox referendis: colligitur ex Divinis literis, ex Patribuſque, & illuſtratur lumine rationis; ut jam ex triplici hoc fonte (ni egregiè fallor) oſtendo. Incipiam à Divo Paulo ad Hæbr. 8.: *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera magnitudinis in Cælis. Sanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod finxit Deus, & non homo. Omnis autem Pontifex ad offerenda munera, & Hoſtias conſtituitur: unde neceſſè eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat.* Et cap. 5. dixerat: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Debet itaque Sacerdos, juxta Apoſtolum, habere veluti ad manum dona, munerave, quæ Deo, cui ſacrificat, offerat, & quidem per ſe immediatè, ut evincunt producta ſectione præcedenti, & ſtabilita ex ſolemniori Theologorum voto, modò arguo ſic. Chriſtus Dominus quà principalis Sacerdos per ſe immediatè conficiens ſacrificium altaris, neceſſariò habere debet materiam, ſeu victimam, circa quam exequatur munus Sacerdotis per immolationem, aut veram aliquam ſacrificationem. Sed materia ejuſmodi neceſſariò altari præſens, & miniſtro viſibili, nullo modo eſt proportionata exercitio principalis Sacerdotis, ſecundum quod hic exiſtit in Empyreo in ſpecie propria. Ergo Chriſtus Dominus nequit exercere munus actuale ſummi Sacerdotis è Cœlis, & conſequenter illud ſubit ex altari, ſeu quà Sacramentaliter altari præſens, cum nullibi exiſtat ejus Humanitas, niſi, aut in propria ſpecie, aut ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Antequam vero ſyllogiſmus factus muniatur, & elucidetur, obſervandum eſt, nos loqui de materia, & de victima generatim, quæcunque illa fuerit, ſive ſit hæc, ſive illa: putamus namque, conſecrationem, cujus materia eſt panis, & vinum, quatenus circa eorum ſubſtantiam verſatur actio converſiva, tanqum circa terminum à quo, non eſſe formaliter ſacrificationem, ſed præſupponi duntaxat ad illam: & ex conſequenti aliam eſſe materiam immediatam, victimam, aut terminum, circa quem verſatur ſacrificatio formaliter, ſive immolatio conſtitutiva formaliter intrinſecè ſacrificii incruenti, ab illa circa quam ſe exercet actio converſiva, per quam fit activè Sacramentum.

Adjungimus, Chriſtum Dominum exequi in toto rigore per ſe immediate, & phyſicè munus Sacerdotis ex altari reſpectu ſacrificii; non ſic autem eadem proprietate reſpectu Sacramenti (uti nec reſpectu aliorum Sacramentorum); cum ipſi, ut Sacramentaliter pręſenti altari eſſe nequeat præſens materia remota panis, & vini; quandoquidem dum illa adſit, nondum eſt pręſens Sacramentaliter Chriſtus Dominus; tametſi præcedere valeat effectus aliquos partialiter conſtitutivos converſionis adæquatè uſurpatæ. Dum igitur de præſentia materiæ panis, & vini arguimus, intendimus ſolùm probare, omnem materiam, aut Hoſtiam, circa quam verſetur Sacerdotium Chriſti Domini, eſſe debere humano modo pręſentem illi, quemadmodum materia panis, & vini eſſe debet ita præſens conſecranti; præſcindendo pro nunc ab eo, quod ſit hęc determinatè vel illa, victima ſacrificii. Re-

gre-

gredior jam ad Majorem Syllogiſmi, quæ continet doctrinam Apoſtoli, cum evidens ſit, munera, & Hoſtias, de quibus agit Paulus cum alluſione ad vetera ſacrificia, eſſe victimas illas immolandas, quæ ſupponebantur præſentes phyſicè; priuſquam ſacrificium perageretur, tanquam materia, circa quam verſaretur actio ſacrificativa. Idcirco Innocentiſſimus Iſaac Gen. 22., cum videret Patrem ſuum feſtinantem ad locum ſacrificii, dixit illi: *Ecce ignis, & ligna: ubi eſt victima holocauſti?* Et in eadem acceptione uſurpant Expoſitores *ta munera, Hoſtias, dona, & ſacrificia*: id eſt rem offerendam in ſacrificium. Integra igitur difficultas devolvitur ad minorem; ſi difficultas appellanda ſit ea, quæ ſaltem reſpectu Sacerdotis ut ſic involvit doctrinam ubique decantatam, tyronibus vix ignotam, & toto Sole conſpicuam.

Num. 29. Illam probat ſolidiſſimè unanimis Theologorum conſenſio circa præſentiam materiæ conſecrandæ reſpectu Sacerdotis celebrantis: quibus facem prætulit Sanctus Thomas in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. ibi: *Non tamen dico, quod poſſit conſecrare totum panem, qui eſt in Civitate ſimul, vel qui eſt in foro, quia ipſa forma pronomine demonſtrativo utens oſtendit, quod materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote: unde Sacerdos exiſtens in Domo ſua non poſſet conſecrare panem, qui eſt in altari.* Eodemque modo præſente materia, & victima, conſecravit, & ſacrificium confecit, inſtituitque in ultima Cœna ſummus Sacerdos, ut ad illius exemplar conficeretur deinceps in Eccleſia. Cum enim ſacrificium illud eſſe debet ſenſibile per actiones externas; materia tamen, aut Hoſtia, ad cujus immolationem Sacerdos accingitur, eſſe debet quoque modo humano præſens ſenſibiliter (vel per ſe, vel per aliud, à quo ſenſibilis reddatur) Sacerdoti. Conſtatque ex verbis ipſis conſecrationis, apertiſſimè demoſtrantibus rem præſentem ſenſibiliter: conſtat ex more invariato gentium, & vel ex ipſa aprehenſione terminorum: conſtatque vividiùs ex ipſa natura ſacrificii ſecundum ſe, includentis eſſentialiter actionem phyſicam in victimam, quæ operari nequit in paſſum diſtans. Hoc autem, quod de Sacerdote ſubalterno indubitanter fatendum eſt, dicendum pariter de Sacerdote principali.

Unde idem Apoſtolus in ſequentibus capitibus inculcat ſæpiſſimè, Chriſtum Dominum quà ſedentem ad dexteram Patris nihil jam offerre illi, cum ſeipſum ſemel tantùm obtulerit: & ideo cap. 9. aſſeverat, aſcendiſſe in Cœlum, *non ut ſæpè afferat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex.* Verum quid? Non habet in conſpectu ſuo è Cœlis Hoſtias ipſas, quæ offeruntur in altari Eccleſiæ militantis, quas è Cœlo intuetur? Videt ſanè Hoſtiam illam ex Empyreo per ſcientiam intuitivam; cæterum non videt illas modo ſenſibili præſentes ipſi, prout in Cœlo exiſtenti, ut poſſit eas offerre, aut immolare, tanquam verus, & principalis Sacerdos: ſubindeque prout in Cœlo non habet Hoſtiam, quam ſacrificet. Eſt igitur Sacerdos ſummus in Cœlo; ſed nequit exercere munus ſummi Sacerdotis in Cœlo, neque ex ipſo. Ratio autem neceſſitatis hujus præſentiæ ſenſibilis, etiam reſpectu Sacerdotis ſupremi, eſt eadem ac reſpectu Miniſtri, quin & ſtrictiùs urget relatè ad ſummum Sacerdotem: quandoquidem ubi ſemel præſentia illa victimæ ad Sacerdotem exigitur per ſe, & ex natura ſacrificii ad immolationem, à fortiori quò ſtrictiùs, & veriùs poſſideat Sacerdos conceptum Sacerdotis, propriùſque, & principaliùs ſacrificet (ſicut convenit proculdubio ſummo Sacerdoti Chriſto Domino per ſe primò, & per prius dignitas illa, & ex conſequenti munus ſacrificandi), eo infallibiliùs adeſſe debet propinquitas; non quidem major, ſed inſeparabilior. Secundo: quoniam ſi præſentia Chriſti Domini in Cœlo, ut facta ſenſibilis per ejus Miniſtros in altari, cui materia conſecranda, aut victima offerenda, eſt modo humano propinqua, ſufficeret ad ſalvandam veram præſentiam ſupremi Sacerdotis ad materiam, quatenus in ſigno, & per ipſum, ſacrificiique inſtitutionem perſiſtentem, diceretur moraliter præſens; non ſine fundamento robuſto è re pari accepto Sectarius clamaret, ſufficientem fore pariter moralem victimæ præſentiam in altari, aut in ſigno, quo reddatur ſenſibilis. Siquidem non minùs per ſe requiritur præſentia Sacerdotis immolantis, quàm victimæ immolandæ. Ergo ſi Sacerdos ſupremus eſſe neutiquam debet præſens realiter phyſicè per ſe, ſed per Miniſtrum duntaxat, quo ſignificatur, & exprimitur; nec victima pariter, aut res principaliter oblata, nempe Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, eſſe debent per ſe phyſicè, & immediatè præſentia, ſed in ſigno tantùm, uti ſæpe in materia coguata ſubintulimus.

Neque ſatis erit dicere, præſentiam realem immediatam victimæ principalis poſtulari ſolùm ratione Miniſtri viſibiliter ſacrificantis. Siquidem non alio titulo debet eſſe præſens Miniſtro materia, aut victima, niſi quia debet illam immolare, & aliunde ejuſmodi actio ex conceptu formali ſuo importat præſentiam victimæ relatè ad immolantem. Ut enim dixit Andreas Sauſſay in Panoplia Sacerdot. par. 2. lib. 1. *Hoſtia enim debet eſſe præſens ut immoletur, abſurdumque eſt aſſerere, ibi poſſe immolari, ubi non eſt.* Sed principaliùs, & veriùs ipſam immolat Sacerdos principalis; cum eſſe nequeat principalis Sacerdos reſpectu illius ſacrificii, niſi quatenus principaliter, ſacrificet, ſeu immolet: nec rurſus eſſe valet Sacerdos principalis ſecundum ritum Melchiſedech, niſi relative per ordinem ad munus ſacrificandi incruentè. Ergo eodem, aut ſtrictiori titulo, requiritur præſentia victimæ

reſpe-

reſpectu Sacerdotis principalis, ac reſpectu Miniſtri viſibilis. Et ſanè abſentem, & remotam à Sacerdote, ſpatio propemodum immenſo, immolare, fieri poteſt divinitus; non erit attamen ſacrificium prout in præſenti providentia inſtitutum. Unde hyperbolem poeticam, aut exceſſum continet illud Martialis.

Hac, ecce, mecum dextra litat nobis.
Abſens Sacerdos; vos putate præſentem.

tametſi reipſa ipſa hyperboles ſupponat per ſe exactam præſentiam realem Sacerdotis ad litandum. Quemadmodum invalida foret conſecratio materiæ modo humano remotæ facta à Miniſtro; non enim minùs impoſſibile eſt, juxta præſentem inſtitutionem, conſecrare panem eo modo abſentem, aut remotum, quàm panem futurum vel purè poſſibilem.

Num. 30. Neque ingrata erit reſponſio adducta, ſubindeque opinio adverſa, novis Arrianis, cum aſylum, & audaciam ſimul tribuere poſſit Monſtro ex Orco noviter aſſurgenti, impio nimirum Fauſto Socino (& ſequentibus) qui tam per Hollandiam, quam per Poloniam diſſeminavit errores æquè intolerabiles, ac inſolitos, & blaſphemos contra Sacerdotium Chriſti Domini; aſſerebat namque, Salvatorem noſtrum nequaquam fuiſſe Sacerdotem in terris, adeoque nullum in ſtatu paſſibili obtuliſſe ſacrificium, nec In Cruce, nec in Cœna; ſed extitiſſe tantùm Doctorem Mundi; reſervatumque fuiſſe, & ex meritis conceſſum, Sacerdotium illi, ut jam è mortuis ſuſcitato, & undique glorioſo, ut in Cœlis Pontifex Maximus renuntiatus è ſede illa majeſtatis, & ſolio ſummi honoris Pontificatum exerceat, offerens, ſacrificans, orans, & mundum ab infami ſervitute liberans. Abutiturque ad hunc errorem ſuadendum eiſdem Apoſtoli verbis Hæbr. 9. verſ. 25. & 24. quibus utitur opinio quæ nobis in re præſenti adverſatur, ad probandum, Chriſtum Dominum ex Empyreo exercere Sacerdotium in altari. Conſulatur Cornelius à Lapide in Coment. Epiſt. ad Hæbr. cap. 8. Sumiturque error hic ex Calvino lib. 4. inſtitut. cap. 18. §. 2. ut refert Bellarm. lib. 5. de Miſſa cap. 6. quamvis enim ſtultum, & hæreticum ſit Dogma illud ea parte negativa, quæ averſatur Sacerdotium & ſacrificium Chriſti Domini, dum eſſet in ſtatu paſſibili; penes poſitivam tamen, quod adjungit, recurrere videtur plane cum ſententia communi nobis oppoſita. Cæterum cum utrumque unà conjungat, ſicuti pars negativa eſt horroris plena, ejuſque doctrina peſtifera, ita ſecunda, & poſitiva ex contactu illius apparere valet alicui ſuſpecta.

Porro vel audebat adſtruere verum ſacrificium in Cœlo ipſo, nunc à ſummo Sacerdote peractum, ut ibidem ſubjectivè realiter exiſtens; & hoc foret abſurdiſſimum, cum Sacerdotium Chriſti Domini ſit juxta ordinem Melchiſedech (ut ille non inficiatur) ac proinde relatum per ſe primò ad ſacrificium Eucbariſticum; quod minime conficitur in Cœlo, nec fingi debet exiſtens ibi (licet poſſet à Deo adduci, vel produci) panis, uti nec vinum: nec functio ſupremi Sacerdotis, nec ſacrificium altaris celebratur modo in Empyreo, tametſi Cœleſte dicatur: ſed in terra. *Etenim Sacerdotium ipſum*, ait S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, *in terra quidem peragitur, ſed in rerum Cœleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt*. Vel circa ſacrificium, quod conficitur in terra, etiamſi Sacerdos Magnus illud conficiens, ſit in Cœlo, ut vult etiam ſententia, cum qua dimicatur nunc: & ſic manifeſtum apparet, exercitium ſupremi Sacerdotis neceſſariò eſſe debere ubi adeſt ſacrificium paſſivum; cum actio exiſtere debeat, ubi adeſt ejuſdem effectus, aut terminus eſſentialiter intentus. Hoc ægrè verificari poſſe arbitramur, niſi Sacerdos ipſe ſummus ſit etiam ibidem, eidemque altari realiter præſens ſecundum quod ſacrificans, & Sacerdos actu eſt, & ubi actio, ſive exercitium ipſum eſt. Cum enim ex Miniſtro viſibili, & Sacerdote ſummo inviſibili compleatur integrum Sacerdotium, quà illud ſenſibile eſſe debet in ordine ad ſacrificium celebrandum, utriuſque præſentia phyſica requiritur in altari, ut coaleſcat integra ratio Sacerdotis, ut ſenſibiliter exiſtentis. Ideo S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico dixit: *Sacerdotem cum Angelis ſtare, cum Archangelis Deum glorificare, ad Superum altare ſacrificia tranſmittere, & cum Chriſto ſacrificio fungi*. Si autem ſimul cum Chriſto Domino fungitur Miniſter Sacerdotis munere, & ſacrificium peragit, illudque tranſmittit ad ſublime altare neceſſariò infertur, Chriſtum Dominum fungi Sacerdotio ex altari; cum ſolùm ex eo poſſit concipi tranſmiſſum ſurſum.

Quod adeo firmum putamus, ut licet admittenda foret ſententia expugnata antecedenter de concurſu tantùm morali, & in æſtimatione prudentum, Chriſti Domini in ſacrificium; nullatenus attribui deberet ejuſmodi influxus moralis ipſi, prout in Cœlis, ſed quà præſenti realiter ſub ſpeciebus Euchariſticis. Quoniam attribuere verum exercitium conficiendi ſacrificium, aut ſacrificandi Victimam Sacerdoti phyſicè abſenti, & longo nimium ſpatio ſemoto, tanquam vero Sacerdoti reſpectu illius ſacrificii, nequit eſſe judicium prudens, aut prudentem æſtimatio, cum ſit contra naturam ſacrificii ſenſibilis. Sic Angelus qui apparuit Gedeoni Judic. 6. uti & qui comparuit Parentibus Sanſonis, fuit Typus Chriſti Domini apud Patres & Interpretes univerſim: immò ſecundum Angelum fuiſſe Chriſtum Dominum docuit S. Auguſt. qu. 52. & duobus ſequent. in lib. Judic; & tamen Angelus utrobique fuit, qui elicuit ignem è petra, & combuſſit victimam, carnem ſcilicet, & pa-

nes azimos, aut libamenta (figuram Euchariſtiæ ſacrificii expreſſam prout modo celebratur in Eccleſia) obtulitque ſacrificium; cui adſtantes miniſtrabant ſolum, victimamque comburendam fecerunt altari præſentem. Quamvis enim Sacerdotes non fuiſſeot, deſignabant attamen futuros in Eccleſia Dei Sacerdotes in operatione adducendi Victimam ad Holocauſtum. Undè licèt prudenter ioterdum imputetur alicui operatio moraliter, quam nequit per ſeipſum immediatè elicere; dum tamen functio illa ex conceptu ſuo perſonalis eſt, ut de munere Sacerdotis in ordioe ad immolaodum dictum eſt ſupra, nequit ei attribui in ea linea, quidquid ſit de alia. Reſpondere autem Sacerdotem ſummum abſentem phyſicè reddi præſentem moraliter per Miniſtrum ſenſibilem; proindeque licet ei attribui oequeat ſacrificatio phyſica, poteſt quamoptime imputari ipſi & attribui moralis; eſt impingere in abſurditatem delibatam nuper; quòd nimirum eodem jure diceret ſacramentarius, Victimam phyſicè abſentem, & Empyrei ſolum incolam, reddi moraliter præſentem altari, ſufficienti modo, ut verè, & in rigore ſermonis dicatur immolari, per ſeparationem ſenſibilem materiæ panis à vini materia, repræſentantibus diviſiooem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in Cruce cruentiſſimam in ipſo ligno vitæ, decuſſa morte ſimul, factam.

Num. 31. Qui occurrere velit per præſentiam intentionalem materiæ conſecrandæ, aut Victimæ immolandæ in ſcientia beata, aut infuſa Chriſti Domini, prout Cœlis adeſt: vel fortaſſe per ſenſibilem præſentiam in ordine ad proſpectum materialem oculorum ſummi Sacerdotis ex Empyreo, cujus Potentia viſiva ad terras uſque imperturbata, incooniventique oculorum acie deſcendat; aberraret à communi Theologia, apud quam præſentia Victimæ, & materiæ reſpectu Sacerdotis, à fortiori, & viciſſim hujus reſpectu illius, debet eſſe ſenſibilis humanitus, & humano modo propinqua; ne alioqui Sacerdos domi incluſus conſecrare poſſet panem in tota civitate repertum, ut vidimus ex D. Thoma: nec ex littore maris, ſi merum eſſet, aut fingatur, integrum vini pelagus conſecraret. Alioqui Sacerdos Miniſter per lumen divinitus communicatum videns ex Europa Hoſtiam non conſecratam in Aſia, poſſet illam confeſtim conſecrare. Multoque minus concipi valet mactans ictu proprio Victimam remotiſſimè diſſitam. Et ex alia parte argumenta noſtra contendunt, eandem in ſupremo Sacerdote prærequiri præſentiam ad ſacrificationem Victimæ, ac in Miniſtro, cum ſit ille potiſſimus ſacrificans. Quare inutilis eſſet proſpectus ille materialis Victimæ è Cœlo, etſi permittatur (illum enim plerumque averſantur etiam ii, quibuſcum decertamus): ſiquidem non eſt humano modo præſens Victima illa Sacerdoti ſummo: cum nec reſpectu Miniſtri præſens humano modo dicatur materia panis, quam à longè videt in foro, aut loco publico, teſte Divo Thoma ſupra.

Si occurras ſecundò, & ſpecioſiùs, Victimam, & Sacerdotem magnum eſſe ſibi invicem intimè præſentes in Cœlo, immo eſſe uoum, & idem; umbram ſolum reſponſionis profers: quoniam Chriſtus Dominus ſolùm eſſe poteſt Victima, ut ſacramentaliter conſtitutus in altari, neutiquam verò ſecundum quod extitit in propria ſpecie in Cœlo, ubi ſacrificari nequit; ſiquidem ibi ſacrificium juge non conficitur (& quidem nec adhuc ut purus terminus *à quo* eſſe poteſt Victima, prout in propria ſpecie florens, uti mox dicam); ſi autem Victima ſit in altari, ibi etiam adeſſe debet principalis Sacerdos, & in eo ſenſu reſponſio promovet aſſertionem noſtram; quia licet Victima, quæ eſt io altari, ſit idem cum Sacerdote ſummo, qui eſt in Empyreo; prout Victima tamen, & ſecundum quod intendi debet ejus immolatio, neutiquam eſt præſens Sacerdoti. Præſentia vero ejuſdem Victimæ ſub alio ſtatu, de materiali prorſus ſe habet, & impertioenter ad ſacrificium. Sicut enim juxta reſponſionem eſſe poteſt ut Victima in altari, quin ideo ſit quà Sacerdos; ita à fortiori poteſt eo ipſo non eſſe præſens ut Victima ſub ſpeciebus latitans ſibi ipſi, quà Sacerdoti in Empyreo patenti. Unde Victima qua formaliter actu immolaretur, vel noo foret præſens Miniſtro, ſi ſub ea ratione eſſet tantùm in Cœlo; vel oon foret præſens Sacerdoti ſummo, ſi ſub eadem foret unicè in altari. Eſſe autem utrobique per bilocationem, foret ponere ſacrificium incruentum actu elicitum utrobique, quod abſonum eſt. Rurſus, cum in aliquo loco, ex duobus illis primo eliciatur, & in alio adeſſet per concomitantiam, pullolat iterum idem inconveniens, quòd reſpectu illius loci, aut Theatri, in quo ſit primò, & per ſe immolatio, aut Victima ſit abſens à Miniſtro, aut à Sacerdote ſummo. Quamobrem dum P. Leſſius lib. 12. de perfectionibus divinis cap. 13. dixit: *Corpus Chriſti, quod nunc eſt in Cœlo vivum, eſt inſtar Hoſtiæ vivæ, & immolandæ; Corpus ut poſitum ſub ſpeciebus panis, & Sanguis ſub ſpeciebus vini, ſe habent ut Corpus, & Sanguis Agni tunc immolati*. Cujus doctrinam approbat Andreas de Sauſſais in Panop. Sacerdot. loco prælaudato; ſolùm ſignificare vult, Corpus Chriſti Domini, prout in Cœlo, eſſe Victimam remotè, neutiquam verò proximè, & reſpectu alicujus determinati ſacrificii. Alioqui Caro Chriſti Domini, quà in propria ſpecie, eſſet veluti terminus à quo ſacrificationis; terminus verò ad quem, ipſa quà ſacramentaliter altari præſens, quod abſurdiſſimè diceretur; cum conſecratio non ſit converſio, quà verſatur inter Corpus Chriſti Domini,

mini, quà in utroque loco exiſtens, in quo ſenſu eſt pura illius bilocatio, ſed quà ſubſtantiam panis convertit in Corpus, quod replicat in altari. Sacrificatio autem, quam ſententia noſtra inducit, ſupponit jam Chriſtum Dominum in Eucharistia, circa quam unicè, prout ibi latentem verſatur.

Deindè terminus à quo conſecrationis eſt ſubſtantia panis, & vini, quæ nullo pacto in Cœlo exiſtunt; ad eundem autem modum deſignandus eſt terminus à quo ſacrificationis, à conſecratione diſtinctæ; niſi quod terminus ſacrificationis, ſive à quo, ſive etiam ad quem, exiſtunt ſimul in Cœlo; neutiquam tamen ut termini illius actionis actu, & formalitèr ſub eo ſtatu. Quare Chriſtum Dominum, quà in propria ſpecie in Cœlis regnantem minimè eſſe terminum à quo, nec materiam ſacrificationis, conſenſione Theologorum certum videtur, ut probat Doctor Eximius in 3. part. Diſp. 83. ſect. 1. Rursùs terminus à quo deſtruitur, ut ab illo fiat tranſitus ad terminum ad quem; Chriſtus Dominus autem in Cœlo permanet eodem prorsùs modo, dum replicatur in Euchariſtia, dumque ibidem immolatur, ac erat præcedentèr. Si autem dicas immolari purè repræſentativè ſub ſpeciebus, quatenùs deſignat immolationem in Cruce factam: in primis Sacrificium excogitas purè in imagine, ſeu repræſentationem tantùm Sacrificii cruenti non verò Sacrificium. Prætereà nec in hac acceptione eſſe poteſt Victima tanquam terminus, à quo, prout eſt in Cœlo, tranſeat ad repræſentationem; quoniam non tranſit à non repræſentatione ad repræſentationem in ipſo Cœlo, ſed in altari; permanens ſemper in propria ſpecie deſtitutus ea repræſentatione actuali, aut proxima. Si autem vulnerum veſtigiis Paſſionem repræſentet; ab illa repræſentatione, ſive recordatione neutiquam tranſit per ſacrificationem, per quam potiùs novam aliam inducit in altari. Ubinam ergò vera ratio Victimæ in Empyreo? Ubi terminus à quo Sacrificii; niſi tantùm ille, à quo ejus natura, aut eſſentia, uti & Theologia vera, recedit?

Num. 32. Inutilis etiam foret evaſionis conatus, quæ tentaretur per incomparabilitèr majorem amplitudinem Sacerdotii Chriſti Domini, utpotè univerſalis, & ſe producentis ad omnia ſimul ſacrificia, quæ eodem temporis articulo conficiantur. Quoniam major hæc amplitudo, ſublimior dignitas, infinitudine ſua veluti obruens dignitatem omnium unà Miniſtrorum, deſervire nequit ad hoc, ut expleatur in actu ſecundo officium ſacrificandi abſque prædicatis per ſe eſſentialitèr requiſitis, aut prærequiſitis ad ſacrificationem, quorum unum eſſe oſtendimus præſentiam realem Victimæ, & Sacerdotis; ſin minus paritèr dici poſſet futurum verè ſacrificantem, verumque Sacerdotem in actu ſecundo, tametſi nihil planè ageret, nec effectivè, nec affectivè. Itaque amplitudo, & altior dignitas Sacerdotis non extrahit Sacerdotem à conceptu formali Sacerdotis in ordine ad peragendum Sacrificium, illudque perfectiſſimè celebrandum; potiùſque conceptus ille per ſe primò perfectiùs, & ſtrictiùs convenire debet ſupremo, quam inferiori Sacerdoti: ac proindè exactiùs obire debet in ſacrificando omnia illa, quæ per ſe eflagitat Sacrificium quà de facto inſtitutum, quæque per ſe requiruntur ad ipſum. Majoritas ergò illa ſortitur alios extenſionis terminos, & ſanè latiſſimè patentes: cum illa ſuprema dignitas reſideat in Chriſto Domino, cui debetur titulo unionis, & ex ea ſuppoſitione, quaſi titulo naturę, ita ut eodem tempore fuerit factus Sacerdos ſummus, ac homo factus eſt. Reliqui verò Sacerdotes per participationem duntaxat, & ex divina deſtinatione Sacerdotio ſubalterno illi gaudent. Supremus innumera pœnè Sacrificia ſimul peragit, Miniſter unum tantùm. Ille inviſibilitèr adſtat ſenſibilis factus per Miniſtrum, qui viſibilitèr adeſſe ſolum poteſt; dum ſummus Sacerdos viſibilitèr, & inviſibilitèr unà in nocte Cœnæ ſacrificaverit. In illo exiſtit plenitudo virtutis, de qua accipiunt reliqui poteſtatem. In ejus nomine, & virtute celebrant alii; ille verò non aliorum virtute, & nomine, ſed pro aliis offert modò: & id genus dotes alias eximias habet, quibus elevatur ſupra cunctos Sacerdotes initiatos.

Dices: ad hoc ut fungatur ſtrictè munere Sacerdotis, ſatis eſt, illum concurrere tantum affectivè intentione, & oblatione, quæ ſunt actus purè interni, nullam propterea exigentes præſentiam ſenſibilem reſpectu Victimæ, quam ſacrificare intendunt, & offerre, & conſequentèr è Cœlo poſſunt elici, tametſi Sacrificium in altari celebretur. Inſuper influere valet effectivè ex Empyreo in converſionem illam miraculoſam, ſive conſecrationem, quæ fit in altari ipſo; cum in probatiſſima Theologorum ſententia ex loco illo gloriæ influat paritèr phyſicè in effectus aliorum Sacramentorum. Cum igitur in Cœlo gaudeat poteſtate, & dignitate ſuprema ſummi Sacerdotis, & aliundè è Cœlo abſque alia præſentia modo humano ſenſibili concurrere poſſit affectivè, & effectivè ad Sacrificium in altari confectum abſque ulterioris propinquitatis neceſſitate, quid illi deeſſe poteſt ad exequendum ſtrictè; & verè phyſiceque, munia Sacerdotis ex Empyreo? Obiterque notandum, in reliquis Sacramentis, ſolùm influere è Cœlo in eorundem effectus; non vero phyſicè ad conficienda Sacramenta ipſa. Verùm in ſacrificio Miſſæ concurrit phyſicè ad ipſum peragendum, & intrinſecè per ſuammet actionem ſacrificativam conſtituendum: uti & ad ipſum prout eſt Sacramentum, activè efficiendum per actionem converſivam. Specialius igitur concurrit ad ſacrificium Euchariſticum, quam ad

alia,

alia ; adeoque quà Sacerdos concurrit è Cœlo, tametſi quà victima eſſe debeat in terra. Unde Doct. Eximius adducens quædam D. Thomæ verba 3. par. qu. 83. art. 1. ad 3. ait : *Addi etiam poteſt, eſſe Sacerdotem* (Chriſtum Dominum) *prout in propria ſpecie exiſtit, Hoſtiam vero, ut ſub alieno modo Sacramentali*. Ut ſic utrumque munus unà exequatur, ex diverſo tamen loco, & ſitu ; itaut quà ſummus Sacerdos retineat ſolium, & peragat ſacrificium, non ſolùm agens aſſiduo fluxu in diſtans, ſed & peragens, quantumvis ex uno loco agat in ſeipſum, quà in remotiſſimo alio loco bilocatum.

Num. 33. Hæc urgentiora ſunt, quæ pro ſententia contraria validius produci, & ſpecioſiùs depingi valent. Reſpondeo tamen, intentionem illam oblationemque in Cœlo elicitas, ſimul cum influxu effectivo exeodem loco, nullatenus eſſe poſſe conſtitutivas ſacrificii altaris, adeoque nullo pacto eſſe exercitium formale Sacerdotii, quà per ſe primò reſpicit ſacrificium Miſſæ ; ſed orationes, & impetrationes, quæ licet pertineant etiam ad officium Sacerdotis, non ſunt tamen privativè illius, nec ſub ea ratione communi ſunt potiſſimum illud exercitium, per ordinem ad quod menſuratur, & deſumitur dignitas Sacerdotis ſupremi : efficiuntque pariter Chriſtum Dominum cauſam activam propriè, & verè influentem, neutiquam verò Sacerdotem ſtrictè formaliter ſacrificantem. Et ſanè ita, ut quamquam poſſit verè affirmari, quòd per eam actionem rem ſacram activè faciat, nullatenus verò quòd ſacrificet. Ratio horum eſt eadem in ſuperioribus libata, & à Theologis cunctis ex D. Thoma ſtatuta, quòd nimirum, nec oblatio materiæ, aut victimæ abſentis poſſit deſervire ad conſtituendum intrinſecè ſacrificium, nec intentio, quæ feratur in materiam, adhuc remotam, quæ præſens humanitus non ſit, ſufficere poſſet ad conficiendum ſacrificium, quà in præſenti providentia inſtitutum ; quoniam illa eſt conditio eſſentialis, ſicut intentio Sacerdotis, vel conſtitutivum intrinſecum ex parte rei oblatæ. Quemadmodum enim impoſſibile eſt ſacrificium abſque materia offerenda, & victima ſacrificanda ; ſic impoſſibile eſt pariter abſque utriuſque humano more præſentia, ſine qua eodem pacto ſe habent, ac ſi nec materia, nec victima, nec munera forent. Id quod patet exemplo notiſſimo Sacerdotis, qui intenderet conſecrare panem humanitus ipſi minimè præſentem ; certè eum hæc intentio per ſe inſufficiens ſit, & aliunde aliqua eſſentialiter exigatur ; tametſi divinitus alia via, & miraculo diverſo, immediatè poſt eam præcedentem intentionem panis ille bilocaretur ibi, vel ſimpliciter fieret præſens ; ſi verba conſecrationis proferret, quin novam aliam intentionem conciperet, nulla foret conſecratio ex defectu intentionis. Siquidem præcedens illa, utpotè tendens in materiam extra ſphæram humanæ præſentiæ conſtitutam, eodem pacto ſe habet, ac ſi intentio non eſſet, & ex conſequenti invalida redderetur ea conſecratio.

Niſi poſſet dici nova virtualis intentio, dum actu in eo eventu verba proferret : ut contingit, dum Sacerdos intentionem formalem elicit, priuſquam ad altare accedat ; quamvis tunc intendat ſolùm conſecrare pro tempore, quo materia ſit præſens ; ſecùs verò in hypotheſi facta. Sic Sacerdos, tametſi præditus ſit facultate ligandi, & abſolvendi, nequit abſentem, per literas peccata ſua ſubjicientem clavibus, abſolvere ; nec validum Sacramentum pœnitentiæ abſolvendo conficere. Et quamvis Chriſtus Dominus ipſe valeat illius flagitia dimittere è Cœlo, ea tamen abſolutio Sacramentalis non eſſet, nec propria Sacerdotis ; etiam ſi ille diſpoſitus aliunde ſupponatur, ſed ſupremi Judicis, & Principis ; quatenus ultra poteſtatem Sacerdotis ſtrictè talis propriam, obtinet alias quamplurimas abſolutæ juriſdictionis amplas facultates. Non alia ratione, niſi quia præſentia realis pænitentis, & Sacerdotis eſt per ſe eſſentialiter requiſita ad conficiendum illud Sacramentum. Teſtimonium verò Doct. Eximii probat oppoſitum ; cum ſolùm dicat ex quibuſdam D. Thomæ verbis, quòd ſub ea ratione poſſit aliquatenus ſalvari id, quod dixerat ibidem S. Thomas : *Ita quodammodo idem eſt Sacerdos, & Hoſtia* : atque adeo, ſi quatenus exiſtens in Cœlo in propria ſpecie, ſolùm quodammodo eſſe valeat Sacerdos (cum prout in altari exiſtens ſit abſolutè, & propriè victima) manifeſtè colligitur, non futurum in eo ſenſu ſimpliciter, & ſtrictè Sacerdotem in actu ſecundo, reſpectu illius ſacrificii ; ſed Miniſtrum duntaxat altari præſentem munus illud ſimpliciter exequi ; & conſequenter, Sacerdotem, & Hoſtiam ſub ea acceptione ſolùm quodammodo, vel ſecundum quid fore idem. Revera tamen D. Thomas in eo loco non diſputat de Sacerdote ſupremo Chriſto Domino, ſed de ejus Miniſtro, qui licet ſit verè Sacerdos, victima tamen eſt unicè repræſentativè, ut expreſsè docet ibi S. Doctor ; proindeque quodammodo tantum eſt Hoſtia, & quodammodo à fortiori Sacerdos, & Hoſtia. De reliquo autem tum ipſe Doct. Angelicus in locis infra recenſendis, tum Doct. Eximius ibidem abſolutè proferunt, Chriſtum Dominum eſſe verè, & propriè Sacerdotem, & Hoſtiam ; at non eſſet propriè Sacerdos, ſed *quodammodo* ſolùm idem ac victima, ſi è Cœlo duntaxat concurreret ad ſacrificium : ergo ex altari ipſo ſacrificeat. Accedit quod licet in vero aliquo ſenſu ex Empyreo exequi officium Sacerdotis poſſet : extra dubium omne eſt, illud perfectiùs, ſtrictiùſque obiturum ex altari, ubi adeſt humano modo præſens præſentia reali, ſenſibili facta divinitus per Miniſtrum viſibilem, & ejus operationes, & illi eſt præſens realiter victima, tum quà facta viſibilis

ſibilis per ſpecies (quas ipſe intuetur oculis corporeis); tum quia videt de facto ſeipſum etiam ſub illis exiſtentem, ſive modum præſentiæ videat, ſive non. Atque adeò ita de facto munere illo fungi credendus eſt, ut ſubiuſerebam in conſimili ſupra. Quam præſentiam bumanam ita rigidè expouunt Scholaſtici plerunque, ut Hoſtia à tergo Sacerdotis poſita neutiquam couſecrari valeat, etiamſi in ſpeculo ante faciem conſtituto vividiſſimè Hoſtia exprimatur: eo quod illa quæ apparet in ſpeculo, non ſit aut non credatur ab ipſis, Hoſtia ipſa, ſed imago ipſius. Quo pacto igitur ſufficiens erit præſentia in ſpeculo intentionali mentis, aut ſcientiæ intuitivæ Chriſti Domini, in ſumma diſtantia Cœli à terra?

Ex quibus inferes, quòd etiamſi actus præſati in Cœlo eliciti ponantur per concomitantiam in Euchariſtia, minimè tamen per illos exercere poſſet Chriſtus Dominus officium ſummi Sacerdotis; cum illi ex conceptu ſuo in prima ſui productione ſint extra eſſentiam ſacrificii, ſive inſufficientes ad illud intrinſecè conſtituendum; nec ſint proprium exercitium Sacerdotis, quà formaliter in actu ſecundo, ſtrictè talis; nec mutare poſſunt naturam per bilocationem. Deinde actus, operationeſque ſacrificium conficientes, per ſe primò eliciuntur in eum finem, præſuppoſitiſque omnibus, quę prærequiruntur, & quæ ſi tardè accedant nunquam venere, Et tandem ſi ſemel eo modo exequi poteſt Chriſtus Dominus, ex altari officium ſupremi Sacerdotis, cur non per functiones ibidem primò, & per ſe elicitas, ſuppoſita inteutione, præſentia humana victimæ, quam Sacerdos inviſibilis videt oculis corporeis, juxta principia noſtra in ſuperioribus profundè radicata? Debet igitur Sacerdoti etiam ſummo eſſe præſens victima in eodem loco, ut adeſſe poſſit vera ſacrificatio, & non ita exiſtere, ut ſummus Sacerdos ſit in Empyreo, & victima in altari, ne alioquin dum victimam habet, ut in altari, gladium deſideret, & affectum, quoniam ibi Sacerdotium exercere nequit; ubi verò Sacerdos eſt, victima careat.

Num. 34. Promovetur efficaciter ex verbis illis Act. 13. *Miniſtrantibus illis Domino*: ubi de ſacrificio jugi ab Apoſtolis celebrato ſermo eſt, ut Expoſitores paſſim tradunt ex Patribus. Et aliunde Apoſtolos in illo ſolùm miniſtrare, aut inſervire in ſacrificio Chriſto Domino, tanquam Principali Sacerdoti in ejus celebratione, clariſſimè denotat. Quod contingere nequit, niſi quatenus ipſe ſit, qui ex altari (ut verba ſatis innuunt) ſacrificationem eliciat inviſibiliter, viſibilem factam à Miniſtris ſubalternis, qui parant etiam victimam per conſecrationem. Quamvis enim Doct. Eximius, & Cornelius à Lapide ex Eraſmo uſurpent ibi *miniſtrare* pro *ſacrificare*, juxta Energiam Græcæ ſignificationis, utrumque complectentis; vera tamen ibi per ſe primò miniſtrationem ſignificare videtur; cum Apoſtolos Chriſto Domino inſervire in ſacrificii altaris celebratione aſſeveret, adeoque tamquam ſummo Sacerdoti inviſibili. Et ideò alii apud Cornelium legunt: *Cum operantur Domino*; ideſt cooperantibus illis Domino ſacrificanti. Quo etiam alluſit Apoſt. 1. Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*: ut miniſtrari dicatur in Euchariſtia, qui venerat miniſtrare in ſpecie propria. Iterum firmatur aſſertio noſtra teſtimonio Apoſtoli ad Hæbr. cap. 9. *Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit exemplaria virorum: ſed in ipſum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos &c.* Et rurſus cap. ſequenti: *omnis quidem Sacerdos præſto eſt, quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens Hoſtias... Hic autem unam pro peccatis offerens Hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei*: Et infra, ſemel facta oblatione in Cruce, & ſedente ſummo Sacerdote in Cœlo; *jam non eſt oblatio pro peccato*: & deinde *initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen; ideſt carnem ſuam, & Sacerdotem Magnum ſuper Domum Dei.*

Sed ubinam eſt veritas hujus doctrinæ, ſi Chriſtus Dominus omni temporis momento è dextera ipſa Patris offert, & immolat in vero aliquo ſenſu, ſtrictoque, ſive morali, ſive phyſico etiam in Paſſionis ſuæ memoriam; & reliquas Sacerdotis functiones circa Auguſtum Miſſæ ſacrificium, quod eſt idem cum ſacrificio Crucis, exequitur? ubinam doctrina, qua exadverſo occludatur via cavillationibus ſectariorum reſpuentium juge ſacrificium, ex eiſdem Apoſtoli verbis? Qua ſemita eruditiſſimus Cardinalis Perronius obtruderet os Pleſſei Mornæi? Quibus armis debellandus foret Petrus Molinæus, ejuſque liber impudentiſſimus de Novitate Papatus controv. 11. cap. 6. ubi ſacrificium altaris cum Duce ſuo Calvino inficiatur apertè, & ridet? Quibus Melancthon in Apologia confeſſionis Auguſtanæ ſolùm gratiarum actionis ſacrificium in altari agnoſcens, neutiquam verò propitiatorium, aut expiatorium? Quibus Martinus Kemnitius 2. par. Exam. Concilii Tridentini? Quibus Calvinus ipſe lib. 4. Inſtitut. cap. 18. hoſtis infenſiſſimus jugis ſacrificii? Quibus Joannes Ludovicus Ruelius, & Joannes Ludovicus Hartemanus Lutherani in opere quatuor tomis diſtincto, cui titulus *Concilia illuſtrata* (vel offuſcata potius) ſive hiſtoria Conciliorum, quorum primus cæpit, ſecundus proſecutus eſt præſatum opus? Cum uterque ex mente Lutheri nihil aliud ſacrificii admittat in jugi noſtro præter actus internos Miniſtri, & gratiarum actiones, quod appellat ſpirituale ſacrificium, ſic tom. 1. Period. 1. Pericope 1. Periocha 1. Ecclога 2. pag. 101. (exotica vocum, & doctrinæ aſperitate differens) *Poſt bene longum tem-*

tempus autem (à tempore Apoſtolorum) *Cœnæ Domini adminiſtratio vocata eſt oblatio, non quòd crediderint, Corpus, & Sanguinem Chriſti offerendum pro peccatis, vel vivorum, vel mortuorum; ſed quia in ſumptione Cœnæ Domini offerebatur Deo ſpirituale ſacrificium laudis. Hebr. cap. 13. hoc eſt gratiarum actionis pro liberatione generis humani per Sanguinem Chriſti, & pro aliis beneficiis .... Temporibus autem Apoſtolorum Cœna Domini non eſt vocata oblatio.*

Sic turpiſſima inconſequentia Lutherani, etiam dum realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia fatentur, ſive permanenter, ſive in ſumptione ipſa ſaltem, verum nihilominus ſacrificium horrent: quod alienum eſſe ab omni ratione, & conſequentia Theologica fatentur reliqui ejuſdem ſacrificii, quamquam alia via, hoſtes, ut teſtatur Hoſpinianus Calviniſta p. 2. Hiſtoriæ Sacram.. Quo pacto Orthodoxa doctrina circa Miſſæ verum ſacrificium in conſpectu hujus Apoſtoli doctrinæ verificari poteſt, niſi aſeratur Chriſtum Dominum ex altari duntaxat exequi proxime, & immediate officium Sacerdotis? Vel quo jure ſalvatur, ſi velimus inſiſtere in opinione affirmante, illum ex Empyreo tantùm ſacrificium indeſinenti operatione conficere? Qua ſolida via occurrendum erit argumentis ſectariorum, petitis ex negatione illa omnis oblationis, aut ſacrificationis à Chriſto Domino ſummo Sacerdote in Cœlis, & ex ipſis facta, clariſſimis verbis, & inculcatiſſimis ab Apoſtolo adſtructa? Aut igitur dicendum eſt, Chriſtum Dominum ex altari, & quà in illo ſacramentaliter præſentem, exercere munia Sacerdotis, & non ex Cœlo ipſo proximè; aut ipſum nullo modo eſſe practicè Sacerdotem ex loco ullo; quod repugnat eidem Apoſtolo, Conciliis, Patribus, & Theologis, etiamſi exiſtat ſacrificium juge; vel nullum ejuſmodi ſacrificium verum eſſe in Eccleſia Dei, quod eſt Hæreticum.

Qui evaſiſſe credat difficultatem per ſacrificium cruentum, quaſi hujus tantùm repetitionem amoveat S. Paulus: utaturque ad id perſuadendum verbis illius eodem cap. 9. *alioqui oporteret, ipſum pati ab origine mundi, nunc autem ſimul in conſumatione ſeculorum*, veram ſententiam proferret; attamen prorſus inanem ad ſolvendam difficultatem: quoniam ita docet in locis productis Apoſtolus, Chriſtum Dominum ſemel tantùm ſeipſum per ſanguinis profluvium obtuliſſe, adeoque nullo pacto ingreſſum victrici pompa in Cœlum fuiſſe, ut iterum ſe offerat cruentè, tinctis Sanguine ſplendoribus glorię, dotibuſque; ut ſimul repellat apertiſſimè, & abſolutè à Chriſto Domino, quà ſedente nunc in Throno Majeſtatis, omnem indiſcriminatim oblationem. Id autem minimè ſubſiſteret, ſi, licet cruentè ſeipſum non immolaret iterum; offerret tamen verè, & ſtrictè ſacrificium, ſacrificaretque ſeipſum, quantumvis alio modo, incruento ſcilicet, in vero aliquo, & proprio ſenſu. Præterea tametſi verè diceretur, Chriſto Domino occupante ſedem ad dexteram Patris, jam non eſſe oblationem aliam cruentam pro peccato; falsò tamen pronuntiaretur abſolutè; *jam non eſt oblatio pro peccato*, cum ſit fide ſancta certum, & in Synodo Tridentina ſtatutum ſeſs. 22. cap. 2. *per juge ſacrificium crimina & peccata etiam ingentia dimittere Deum*, placatum hac oblatione; Sanguine quidem diſtincta, & nihilominus planè incruenta.

Num. 35. Inſuper & ſecundò: quoniam eodem prorſus ductu, quo Apoſtolus denegat Chriſto Domino; prout in Empyreo exiſtenti omnem oblationis, & ſacrificationis actum; adſcribendum eſſe docet eidem novum Sacerdotium, Aaronico longè, lateque excellentius, ſecundum ordinem Melchiſedech, perpetuòque duraturum. Evidens autem eſt, verum, & ſtrictum Sacerdotium nullibi reperiri poſſe, niſi cum ordine, reſpectuque eſſentiali ad verum ſacrificium, ſtrictamque oblationem, & ſacrificationem: idem enim ſignificat Sacerdos, ac ſacrificans. Sacrificium autem reſpondens Sacerdotio, juxta ritum Melchiſedech, Euchariſticum manifeſtè deſignat, ut eſt etiam fide ſanctum. Et nihilominus Paulus adſtruens, & deſcribens vividiſſimis coloribus ejuſmodi Sacerdotium ſempiternum Chriſti Domini, negat ipſi, prout ſedenti ad dexteram Patris in Cœlo, omnem ſimpliciter oblationem, & ſacrificandi actum. Ergo non modò cruentum, & iterationis incapacem, verùm & incruentum pariter removet ab ipſo, quà in ſolio majeſtatis promicante. Ex alia parte ipſum alicubi, vel ſub aliquo ſtatu verum ſacrificium peragere manifeſtè docet, cum verè, & ſtrictè Sacerdotio gaudere actu, ac proinde veram aliquam ſacrificationem, aut immolationem efficere, multis oſtendat. Ergo munere illo fungitur ex altari, ubi adeſt ſacramentaliter. Tertio & expreſſius; quia præmiſerat Sacerdotium levitici ordinis præſtò fuiſſe quotidie ad miniſtrandum: *& eaſdem ſępe offerens Hoſtias*: arcet igitur à Sacerdote novo ſecundum ordinem Melchiſedech, quà in propria ſpecie Cœlis præſente id ipſum, adeoque nec eandem ſæpe Hoſtiam, nempe ſe ipſum incruentè ex Empyreo offert, juxta Pauli argumentum, & Theologiam; & aliunde ex loco aliquo, eam ſępiſſimè offerre, compertum ex eodem eſt, eum alicubi ſit ſtricte ſacrificans, ut eſt ſtrictè Sacerdos. Quarto: quoniam adhuc loquendo de ſacrificio cruento, tametſi illud non iteretur per juge ſacrificium; eſſentialiter attamen per illud repręſentatur, & in ejuſdem memoriam offertur, quamvis ritu diverſo: applicaturque ipſius merita; & nihilominus omnem ejuſmodi oblationem, etiam commemorativam cruenti, dummodo proprium ſacrificium ſit, excludit à ſu-

premo Sacerdote, quâ nunc in loco fęlicitatis æternæ radiante.

Quintò: ſtupent viri rerum divinarum peritiſſimi, quod Apoſtolus, cum mira prædicaſſet in ea Epiſtola de Sacerdotio Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedech, altiſſimum nihilomious ſilentium per ſeptem illa capita Epiſtolæ, quibus de Sacerdotio diſputat egregiè, ſervet de ſacrificio Euchariſtico, ad quod peragendum per ſe confertur, & ordinatur novi Sacerdotii dignitas tantopere comendata. Cujus admiratio creſcit, ſi conſideretur, quantum ex magnitudine rei oblatę ſuperet hoc ſacrificium vetera omnia, in quibus Victimæ fuerunt irrationales. Cum ex alia parte Apoſtolus ibi totus ſit in recenſendis, & deſignandis fontibus, è quibus novum Sacerdotium haurit ſublimitatem, obruentem ſplendore ſuo Aaronicum. Scimus omnes, diverſas, ſatiſque opportunas hujus profundi ſilentii cauſas adduci ab Interpretibus; cum illi, ad quos D. Paulus ſcriberet, diſpoſiti minimè fuiſſent ad arcanum altiſſimum ſacrificii Eucbariſtici percipiendum, duriſſimumque illis videretur myſterium illud, uti prius Capharnaitis, & diſcipulis: idque liquet ex verbis ipſis Apoſtoli infra producendis. Deſtinabat enim eam Epiſtolam, non ſolùm ad roborandos illos, qui jam exuerant veterem legem, ejuſque ſacrificia; verùm ad convertendos eos, qui tenaciſſimè adhærebant adhuc inveteratæ legi, & animantium cruentis Victimis, ut notat Cornelius à Lapide in cap. 5. illius Epiſt. & Doct. Exlmius diſp. 74. ſect. 1. inquit: *ſcribit enim Paulus ad Hębreos, qui vel fidem Chriſti non admittunt, vel cum illa conjungere volunt legales ceremonias*. Maximè cum ob eaſdem cauſas per quinque feré prima ſęcula Eccleſiæ, ut Chriſtiani devitarent ſcandalum, ludibriumque Gentilium, conſultò ſiluiſſent de magno boc fidei myſterio; dumque neceſſe foret ſermonem texere, vel ſub nomine fermentati, vel ſub alia voce æquivalenti, vixque niſi per tropos, & figuras Euchariſtiam explicabant, ut liquet ex decreto Melchiadis, Siricii, & Innoceutii I. Epiſt. ad Decentium Eugubinum cap. 5. de quo videndus Jacobus Sirmondus tom. 4. diſquiſitione de Azimo cap. 5. Franciſcus Pagi in ſua Critica Hiſtorico Cronolog. tom. 1. ad annum 213. & Schelſtratius de diſciplina arcani cap. 7. art. 5. & 6. ut arcanum abditiſſimum, & in ſeipſo velatum infidelibus prudenti, cauto, & novo locutionis velo denuò abſcouderent.

Quapropter non difficulter conciliantur hæc duo, quòd tam multa, inſigniſſimaque loquatur de Sacerdotio Chriſti Domini & quod ſimul taceret de ſacrificio, præciſivè circa illud ſe gerens: præſertim cum ſatis illud inſinuet, dum Sacerdotium eſſe docet, juxta ritum Melchiſedecb, qui ſacrificium panis, & vini obtulit, ut noverant ex Scriptura ſacra illi, cum quibus differebat. Quòd verò ęgrè admodum conciliari valet cum Sacerdotio ad ſummum uſque commendato, tanquam perſectiſſimo, omnibuſque numeris abſoluto, perpetuo, & jurejurando firmato, eſt, Apoſtolum eodem tempore excludere poſitivè à ſummo Sacerdote regnante in Cœlo omne prorſus exercitium Sacerdotis in ſacrificium, ac ſubinde omne ſacrificium ab ipſo ex illa ſede peractum. Extollere Sacerdotium, & præſcindere à ſacrificio componi poteſt cum veritate, uti & cum prudentia; verùm commendatio illa Sacerdotii cum poſitiva excluſione omnis ſacrificii quo jure conciliatur, ſi è Cœlo ipſo conficere debuiſſet ſacrificium? Si hoc tentas, non modò rem difficilem, ſed impoſſibilem poſtulas, cum tacitam contradictionem Apoſtolo affigas.

Num. 36. Dum igitur Paulus Sacerdotale officium Chriſti Domini eloquio Divino, & indefeſſo ſtudio fundat; & ex alia parte exercitium illius muneris relegat ab Empyreo, manifeſtè arguit, & convincit, adeſſe ſimul alibi realiter ſummum ipſum Sacerdotem, in altari nimirum, ex quo fungatur præſato munere Sacerdotis juxta ritum Melcbiſedech. Quoniam verò adamuſſim explicare myſterium difficillimum Euchariſtiæ, intra quod, & victima, & Sacerdos unà eſt Chriſtus Dominus rudiſſimis illis hominibus, ritibus Aaronis pertinaci mente adhærentibus, & ob motiva delibata, res erat extra tempus, extra opportunitatem, & extra prudeotiam ſita; ita ſolerter ſe geſſit, temperavitque utrunque; ut arcanum non aperuiſſet, ne ludibrio exponeret; pręmiſerit attamen, & ſtatuerit principium, & veluti antecedens novi Sacerdotii ſecundum ritum Melcbiſedecb nullo pacto obeundi in Cœlo, neque ex ipſo: ut inde irrefragabili illatione colligerent, dum noſſent, Chriſtianos Sacerdotes ſub ſpeciebus panis, & vini adorare Chriſtum Dominum, in altarique ſacrificium peragi; illud eſſe ſacrificium (& locum) in ordine ad quod, & in quo novum Sacerdotium à Paulo prædicatum exercendum erat inviſibiliter à Chriſto Domino. Tacuit igitur quatenus expreſsè non dixit; tacitis verò argumentis, & ſuaſionibus ſacrificium, myſterium, & locum proximè exequendi Sacerdotium deſignavit. Id apparet non tantùm ex eo, quod Sacerdotium dixerit ſecundum ordinem Melcbiſedecb, in quo involvitur ſacrificium panis, & vini Hębreis notum, ſed inſuper ex ejuſdem Pauli verbis cap. 5. *Appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedecb. De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis* (vel ininterpretabilis, ut legunt plures) *ad dicendum; quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum &c.* Qui loquendi, aut tacendi modus, dum Sacerdotium Melchiſedech nominat, ſatis innuit, ſe loqui de illius proprio ſacrificio panis, & vini, typo ſacrificii altaris, ut docuit Doctor Maximus in Epiſt. ad Evagrium, eratque communis Græcorum Patrum ſenſus.

ſus. Conſulendus Cardin. Bellarm. lib. 5. de Miſſa cap. 6.: noluit tamen diſtinctiùs agere de illo ſacrificio, ob eorum, quos hortabatur, infirmam diſpoſitionem ad arcanum Maximum capiendum.

Rurſus id ipſum inſinuat, dum illos criminatur, & blandè corrigit, dicens: *Cum deberetis Magiſtri eſſe propter tempus; rurſum indigetis, ut vos doceamini ..... Et facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo, omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus.* Per ſolidum autem cibum veroſimile ſatis eſt, intellexiſſe panem illum, de quo Chriſtus Dominus Joan. 6. dixit: *Caro mea verè eſt cibus*: Capharnaitis durum; Chriſtianis vero ſolidum cibum: quemadmodum idem Apoſtol. 1. Corint. 10. ajebat: *& panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Id docuit pariter S. Ambroſius lib. 6. in Lucam cap. 9. *Eſca autem ſolidior, Corpus eſt Chriſti, potus vehementior, Sanguis eſt Domini*: Ita Magnus Doctor Gentium ſumma dexteritate, & pari cautela, arteque Divina, arcanum celabat, & ſimul umbratico ſenſu, & locutione detegebat; ne ſilentio perfectè muto fieret injuria veritati myſterii, inpoſterum argumentis illis firmandi; nec aperta explicatione, & reſerato velo, pateret irriſioni prophanorum, & imbecillium ſcandalo, illius honor. Audiendus S. Auguſtin. Pſalm. 109. *Vident* (Judæi) *periiſſe Sacerdotium ſecundum ordinem Aaron, & non agnoſcunt Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Fidelibus loquor. Siquid non intelligunt Cathecumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam. Non ergo opus eſt myſteria promere; Scripturæ vobis intimont, quid ſit Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech*; Unde Clemens Alexandr. lib. 4. Stromat. monuit, cautè prædicanda Populis altaris myſteria, ſive Orgia Divina: *Ergo Servator noſter*, inquit, *nos miſteriis initiat, convenienter iis, quæ dicit Tragedia* (Euripidis) *videns videntes ipſa donat Orgia. Quod ſi roges, cujuſmodi ſint iſta, quæ dico Orgia: rurſus audies: arcano; non bachantibus ſcire haud licet* (ideſt non afflatis Spiritus Sancti ductu, & motu) *quod ſiquis rurſus curioſè ſcrutetur, cujuſmodi ſint, rurſus audiat: te ſcire nefas, digna ſint ſcitu licet -- Qui es impius -- Sunt hæc Dei Orgia*, ſive myſteria.

§. II.

Num. 37. IN ſubſidium nunc vocamus Eccleſiæ Sanctæ clariora lumina; quorum nonnulla teſtimonia dilucidè admodum, & ferè ineluctabiliter aſſertum noſtrum exprimunt, alia verò ſatis probabiliter illud ſuadent, & illuſtrant. Facem primam deferat Magnus Parens Auguſtinus ſerm. 4. de Innocentibus, dicens: *Quid reverentius, quid honorabilius dici poteſt quàm ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur Hoſtiæ, in qua Dominus eſt Sacerdos ſicut ſcriptum eſt: tu es Sacerdos in æternum.* Ergo Chriſtus Dominus eſt Sacerdos ſummus ſecundum ordinem Melchiſedech ex altari, ſive ara, juxta mentem Auguſtini, hoc eſt exercet ex altari ipſo actuale miniſterium immolandi, & offerendi, & non in Cœlo, aut ex Cœlo immediatè, proximèque. Patet, quoniam alioqui, licet victima, aut terminus, à quo, & ad quem ſacrificationis, ipſaque ſacrificatio paſſivè accepta eſſent in altari, actio tamen ipſa ſacrificandi, ſive ſacrificatio activè ſumpta (ſi in actu interno conſiſtat) uti & actus internus offerendi, & intentio pariter ſacrificandi, quæ ſunt proprium exercitium Sacerdotis, & conſtituunt ſacrificium, eſſent in Cœlo; ſi autem ſacrificatio ſita ſit in actione aliqua externa, licet inviſibili nobis, quam Sacerdos ſummus è Cœlo producat in altari; quia agit indiſtans per actionem indiſtantem à termino, & diſtantem à principio, immolatio quidem eſſet in altari, veruntamen Sacerdos in altari non eſſet, quà Sacerdos actu ſacrificans, ſed purè quà victima in altari, & quà Sacerdos in Cœlo; adeoque nullum exiſteret verum ſacrificium. Rurſus etiam ſi actio externa effectiva, aut externa ſacrificatio, quæ redditur ſenſibilis per verba, & actionem miniſtri, ſit in ara ipſa, cum ibi efficiatur mira tranſubſtantiatio, & ſacrificatio victimæ, indeque inferatur, aut permittamus, exiſtere in altari ſacrificium ipſum; eſſet quidem in altari effectus Sacerdotis, eſſetque verum ſacrificium; cæterum non eſſet exercitium Sacerdotis altari præſentis, ſed diſtantis, & è Cœlo tantùm influentis: & ex conſequenti ſacrificium eſſet in terra, & ſummus Sacerdos principaliter ſacrificans, & quà ſacrificans, eſſet in Empyreo ad dexteram Patris, quod inficiatur clariſſimè Apoſtolus. Inde autem rurſus fieret, Chriſtum Dominum è Cœlo effectivè immolare, producereque ſacrificium, minimè tamen celebrare; aut conficere illud per modum Sacerdotis, conficientis formaliter in ſenſu ſtricto, cum deficeret præſentia realis, humanaque ejuſdem ad victimam, ſivè victimæ, qua talis ad ipſum, quà actu Sacerdotem, & ob reliqua hactenus ab Apoſtolo deducta, in decurſuque promovenda, & illuſtranda; eſſetque propterea ſtrictum ſacrificium abſque vero exercitio Sacerdotis. Quibus accedit, actum formalis ſacrificationis eſſe intrinſecum ipſi ſummo Sacerdoti, atque adeo nequit eſſe ſacrificium in altari, & ſummus Sacerdos, quà actu ſacrificans, in Empyreo, & ex Empyreo conficiens in ara.

Eadem perſpicuitate traditur aſſertio noſtra à S. Ambroſio lib. 10. Epiſt. 80. ibi: *Quanta enim Corporis caſtitate, & animi puritate illud Divinum, & Cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua in veritate ſumitur,*

mitur , ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima ſummis , terrena Divinis junguntur, ubi adeſt Sanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium, & Sacerdos mirabiliter , & ineffabiliter conſtitutus . Quæ verba clariſſime docent , Chriſtum Dominum quà Sacerdotem eſſe præſentem altari, ex illoque fungi actu officio Sacerdotis , æquè ac quà victima , aut res oblata eſt altari præſens. Non abſimilia docuit in Pſalm. 39. dicens: *Et ſi nunc Chriſtus non videatur offerre , ipſe tamen offertur in terris, cum Corpus ejus offertur, & ipſe offerre manifeſtatur in nobis , cujus ſermo ſanctificat ſacrificium , quod offertur* . Ideſt verba conſecrationis à nobis prolata ipſius nomine manifeſtant, Chriſtum Dominum adeſſe in ultimo inſtanti prolationis, ut offerat & ſacrificet (non enim ille adeſſe poteſt altari, dum primò verba proferuntur, ut adſit illi) & lib. 1. de officiis cap. 48. dixit: *Ante Agnus offerebatur, offerebatur Vitulus , nunc Chriſtus offertur , quaſi homo , quaſi recipiens Paſſionem , & offert ſeipſe quaſi Sacerdos , ut peccata noſtra dimittat* . Ubi dicitur quaſi homo , & quaſi patiens , quia ſolùm repræſentativè patitur, tametſi homo ſimpliciter ſit inſenſibiliter præſens , factus ſenſibilis per verba. Et in eodem ſenſu , ac dicitur quaſi homo, appellatur à S. Ambroſio quaſi Sacerdos, quia ſenſibiliter , nonniſi per Sacerdotem Miniſtrum , & ejuſdem actiones erga ſacrificium repræſentativè apparet ; ſimpliciter tamen Sacerdos inviſibiliter conſiciens ; quoniam ſub utraque ratione oblati , & offerentis eſt realiter ſimpliciter altari præſens; licet quà patiens in nulla acceptione uſurpari valeat ſimpliciter, ſed merè in repræſentatione , aut imagine, poteſt tamen accipere latè *to recipiens Paſſionem*, pro quavis reali immutatione victimæ, quam adeſſe ſimpliciter in Chriſto Domino quà victima eſt , & quà immolatur , evincere putamus , quæ pro ventura proxima diſputatione parantur , & ex præfato Ambroſii teſtimonio robur accipiunt , & lumen; ni ad ipſum conſultò caligare velimus, aut voluntariis tenebris illud obſcuramus.

Num. 38. S. Greg. Nazianz. orat. 1. de Reſurrect. *Arcano ſacrificii genere , quod ab hominibus cerni non poteſt , ſeipſum pro nobis Hoſtiam offert , & victimam immolat , Sacerdos ſimul exiſtens , & Agnus Dei , qui tollit peccata mundi* . Ubi licet expreſsè non dixerit, ſeipſum offerre , & immolare, ex altari ; manifeſtè tamen colligitur ex verborum ſenſu . Uti & ex notis illis verbis Chryſoſt. Homil. 60. ad Popul. & ſectione præcedenti libatis , cum diſputans de Miniſtro ſacrificante in ara , adjungit ; non ipſum Miniſtrum opus illud elicere ; *ſed Chriſti manum inviſibiliter extenſam*: debemus autem conſiderare Chriſti manum in Cœlo ad immolandum ſeipſum in altari extenſam? Non ſane, cum ejuſmodi ſenſus alienus ſit à communi ſapientum dialecto.

Alcuinus in confeſſione ſuæ fidei par. 4. num. 2. accinit, dum loquitur in hunc modum . *Unde in ipſa immolationis hora eum adſtantibus ſibi Miniſtris Cœleſtibus Chriſtus, ut propoſitu conſecret* (ideſt ſacrificet) *adeſſe credendus eſt* . Nicolaus Methonenſis Epiſc. de Corp. & Sang. Chriſti ait : *Si cenſes , hoc quod à nobis perficitur , illo* (in Cœna peracto) *minus eſſe ; neſcis , Chriſtum etiam hoc tempore operari , nuncque adeſſe : ero vobiſcum dies univerſos ad conſummationem uſque ſæculi , pollicitus eſt*. Quæ omnia denotant apertiſſimè , Chriſtum Dominum exequi munus ſummi Sacerdotis ex altari , ubi adeſt realiter . Id ipſum ſuadet , quod refert Nauclerus in ſua Chronographia volumine 2. Generat. 34. : *fertur de Henrico II. Imperatore , quod ſemper primam noctem , ingrediens Urbem , ſolitus fuerit in Eccleſia S. Mariæ Majoris manere . Contingit autem ſemel , quòd dum ſolitarius oraret , viſus ſit ſibi Chriſtus, Pontificalibus indutus, præcedere miſſam celebraturus* . Numquid ita indutus aſſidebat ad altare , ut in illo celebraret è Cœlo? Idcirco ipſe Chriſtus Dominus dixit Spouſæ ſuæ Methil. ut habetur lib. 2. Spiritual. viſion. & revelat. ejuſdem: *Sicut Diaconus ad altare miniſtrat , ſic ego omnia à Sacerdote , & cum Sacerdote operor , quæ ipſe operatur*. Niſi quod ibi Sacerdos viſibilis miniſtrat potiùs ſummo Sacerdoti.

Plura his affinia dedimus , tum nuper , tum ſectione præcedenti ; quæ omnia eludi nequeunt per præſentiam repræſentativè uſurpatam , ſive per miniſtrum ſignificantem ſummum Sacerdotem ; quandoquidem hac via non foret Sacerdos practicè ſacrificans: niſi tantùm in ſigno ; ni ſimul è Cœlo verè ſacrificet , cujus oppoſitum convincunt producta teſtimonia. Deinde eadem evaſione declinarent Sectarii præſentiam realem Chriſti Domini , ut victimæ, per præſentiam ſolam in ſigno , aut repræſentatione . Quamobrem dum Tridentinum affirmat , Chriſtum Dominum offerre modò ſeipſum per Miniſtros , aut Sacerdotes viſibiles ; nullatenus excludit influxum immediatum illius , ut Sacerdotis Principalis inviſibiliter immolantis ; ſed loquitur de virtute ejuſdem , in qua conſecrat Sacerdos , & non immediatè ipſi Chriſtus Dominus altari præſens ad conſecrandum ; cum non fiat præſens , niſi poſt conſecrationem . Et inſuper diſputat de Sacerdotio , quà viſibili . Ideoque opportunè dixit Tartaretus (apud Gavatium de ſacrificio Miſſæ diſput. 2.) *Quod Sacerdos offert miniſtraliter Chriſtum, & Chriſtus offert ſe principaliter* . Clarius adhuc S. Chryſoſt. Homil. 13. in cap. 7. Epiſt. ad Hæbr. ubi deſcribens ex Paulo Pontificatum , ſive Sacerdotium Chriſti Domini incunctantèr affirmat , neutiquam explere munus Sacerdotis ex Empyreo , aut Throno , in quo ſedet ad dexteram Patris: *Ne putes , eum ſurſum ſtare , & miniſtrum eſſe , oſtendit , quia diſpenſationis res iſta eſt; ſicut enim ſervus factus eſt, ſic & Pontifex , & Miniſter* (tabernaculi ſcili-

ſcilicet, de quo ſequenti capite Apoſtolus) *ſed ſicut ſervus factus eſt, non manſit ſervus, ſic & miniſter factus, non manſit Miniſter, non enim Miniſtri eſt ſedere, ſed ſtare.*

Verùm quid iſthæc ſignificare poſſunt? Num Chriſtus Dominus Pontifex, Sacerdoſque ſummus non eſt juxta ritum Melchiſedech principalitèr ſacrificans, quod exponitur ibi per verbum miniſtrandi tabernaculo, & Sancto Sanctorum? Ita profectò cum diſſerat de Pontificatu, & Sacerdotio in æternum duraturo: cæterùm contendebat ibi Chryſoſt., Chriſtum Dominum minimè adimplere munia hujus Sacerdotii ex Majeſtatis Sede; adeòque illud exequi per neceſſariam conſequentiam ex altari, cum ex loco aliquo fungatur verè eo munere. Et quamvis diſtinctè loquatur de Sacrificio cruento, quod iterari nequit; attamen ratio, qua utitur ex Paulo ad demonſtrandum Pontificem noſtrum, poſtquam penetravit Cœlos, & ſedet ad dexteram Patris, nequaquam exequi poſſe ex præfato ſolio officium Sacerdotis ergà illud Sacrificium, manifeſtè complectitur etiam eadem vi omne aliud ſacrificium, incruentum ſcilicèt: *Non enim Miniſtri eſt ſedere, ſed ſtare*, undè Homil. ſequenti in cap. 8. ejuſdem Epiſtolæ exponit fulgore ſolito eloquentiæ Sacerdotium, aut Pontificatum Chriſti Domini ſecundùm ordinem Melchiſedech, atque neceſſariò habere Hoſtiam, quam offerat, cum Sacerdotium practicè exercere debeat: *Pontifex autem*, inquit, *ſine Hoſtia non eſt, oportet igitur, & hunc habere Hoſtiam.* Deindè proſequitur expendens ſacrificium juge, cujus umbræ fuerant vetera quamplura ſacrificia, dicens ex Apoſtolo: *Qui exemplari, & umbræ deſerviunt Cœleſtium. Quæ hîc dicit cœleſtia? Spiritualia: tametſi enim in terra geruntur, Cœlis tamen hæ dignæ ſunt functiones.* Supponit ergò manifeſtè, Summum Pontificem Chriſtum Dominum adimplere munia Sacerdotis ſupremi ex altari in terris, tametſi functiones illæ ſacrificandi, & offerendi Deo Hoſtiam infiniti pretii in ejus honorem, ſint Cœlo dignæ: maximè cum præmiſiſſet in præcedenti Homil., eas elicere non poſſe ex ſede gloriæ.

Neque oppoſitum inſinuat, dum in hac præſenti 14. Homilia referens ex Paulo: *Si enim eſſet ſuper terram, nequaquam eſſet Pontifex, exiſtentibus Sacerdotibus, qui offerrent*; adjungit: *Si igitur eſt Pontifex, ſicuti eſt, oportet, eum alium locum quærere: ſuper terram quidèm ſi eſſet, nunquam eſſet Pontifex. Quomodò? Quoniam nec obtulit, nec Sacerdotio functus eſt. Et meritò: erant enim Sacerdotes. Oſtendit ergò, quoniam nec poſſibile eſt, ſuper terram eſſe Sacerdotem.* Sed ex loco aliquo eſt Sacerdos actu, & practicè: ergò è Cœlo. Namque his verbis excludit ſolùm à Chriſto Domino Sacerdotium Aaronicum, ut ex ipſis conſtat, & ex verbis Apoſtoli; de reliquo autem ſanctum eſt, illum fuiſſe verum, ſummumque Sacerdotem in terris, ubi obtulit & ſacrificium cruentum in Cruce, & incruentum in Cœna. Et excludit paritèr ab ipſo poſt reſurrectionem uſum Sacerdotii in propria ſpecie viſibili in terris. Immò ſolùm excludere Hoſtiam terrenam, & pecudum victimam, docet S. Thomas in c. 8. ad Hæbr. & ex ipſo Bellarm. l. 5. de Miſſa c. 6. cum igitur aliundè alicubi officium illud exequatur, apud ipſum; & ex alia parte nequeat id efficere, quà ſedens in Cœlo; quia ſacrificantis non eſt ſedere, ſed ſtare; planum videtur ex mente (aurea etiam, uti ſunt verba) Chryſoſt., Chriſtum Dominum ex altari inviſibilitèr functiones ſummi Sacerdotis elicere, & ſacrificium in terris inviſibili modo peragere. Undè vetus illud adagium: *adoraturi ſedeant*, vel denotare ſolum, rem ſacram facientes, non obitèr, & quaſi aliud agentes eſſe debere; ſed intentiſſimos, quos monebat propterea vox illa præconis: *age quod agis.* Aut potiùs accommodandum Judicibus, quibus ſeſſio illa omni jure præſcribitur, ut animi tranquillitatem, & vel corporis firmum exiſtendi modum præſeferant in proferenda ſententia: *Minos ſedet Arbiter Orci*: inquit Propertius lib. 3. & lib. 4. *Poſita Judex ſedet Æacus Urna.* Idque in ſacris literis ſatis expreſſum eſt Exodi 18. *Sedit Moyſes, ut judicaret Populum*; & ſeſſuros Apoſtolos ad judicandum Orbem audivimus ex ſupremo Judice Chriſto Domino.

Num. 39. Arripuit proculdubiò eandem opinandi viam S. Paſchaſius in libro de Corpore, & Sangu. Domini cap. 8. ubi altare æneum (Holocauſtorum) de quo Ezechiel. cap. 9. ſignificaſſe docet altare noſtrum. *Præſens altare*, inquit, *quo cibus vitæ, & ſtipendium militiæ noſtræ ſumimus, manifeſtiſſimè deſignatur, quia illud aliud inferius intra Sancta Sanctorum* (Thymiamatis) *aureum fuiſſe legimus: ex quo illud intelligibile demonſtratur altare, ubi orationes omnium, & vota offeruntur ſingulorum à ſummo Pontifice Chriſto Domino. Et ideo ad illud mundo corde pertingere, ad iſtud vero mente ſimul, & corpore abſque ulla immunditia accedere debemus; quia Sacramentorum vota in illo pro nobis offeruntur altari, quo nimirum Chriſtus concordiam videt omnium, & fidem convenit ſingulorum; illudque Deo Patri &c.* Ubi diſſertis verbis aſſeverat, in altari Eccleſiæ ſanctæ, & ex altari ſummum Pontificem, Sacerdotemque noſtrum, offerre vota fidelium, & preces; atque adeo ſeipſum pro nobis in ſacrificio, aut oblatione Euchariſtica; videreque ſummum ipſum Sacerdotem ex prædicto altari, & viritim luſtrare ſacrificio aſſiſtentes, vel ut æterno Patri eorum vota offerat, vel ut puniat indignos. Et paulò inferiùs diſputans de viro lineis induto, de quo ibidem Ezechiel, ſubjungit: *Quem profectò virum Chriſtum intelligimus veſtitum in habitu Pontificis, de quo ſcriptum eſt, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: & habebat atramentarium Scriptoris*

ris

Digitized by Google

ris ad renes ſuos, ut omnium peccata deſcribat, & ſanctorum à peccatoribus numerum ſegreget. Et ideo bene juxta illud (altare) *ſtare perhibetur, ut milites ad ſtipendia vitæ percipienda accedentes divinitus diſcernat.* Quæ omnia luculentiſſima ſunt, nec expoſitione egent. Nam ſi aliquis per locutionem figuratam verba Paſchaſii acceperit, attribuens ſummo Sacerdoti, quod ab ejus Miniſtro, in ejuſdem nomine, & virtute fit in altari, protinus redargueretur inculcatæ ſupra illationis abſurdæ, quòd nimirum pariter uſurpari valeat figuratè præſentia realis (à Patribus diſtinctè affirmata, & in ſcripturis ſatis contenta) Victimæ, aut Hoſtiæ per ſui exiſtentiam tantùm in ſigno, aut repræſentatione.

Deinde foret merè voluntaria, quin & falſa acceptio, quoniam Miniſter viſibilis non diſcernit ex altari merita, demeritaque, nec vota intima adſtantium; uti ea omnia patere docet Paſchaſius proſpectui Sacerdotis ſummi ex altari ſacrificantis, & diſtribuentis. In eodem rurſus cap. 8. expendens verba illa, quæ poſt conſecrationem demiſſiſſimè proferuntur à Miniſtro: *Jube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime altare tuum*, ait: *Putaſne, aliud eſſe altare, ubi Chriſtus Pontifex aſſiſtit, quàm corpus ſuum, per quod, & in quo Deo Patri vota fidelium, & fides credentium offertur? Quòd ſi veraciter Corpus Chriſti altare illud Cœleſte creditur, jam non aliunde carnem, & ſanguinem, quàm de ipſo Chriſti Corpore ſumere puta.* Cum enim ſit Sacerdos, quà homo, & per actus aliquatenus à Corpore pendentes, & in ſua radice in organo receptos, non incomptè, aut ineleganter omnino, corpus comparat altari, in quo ſeipſum offert ſummus Sacerdos, & adſtantium vota. Veroſimile apparet, eandem fuiſſe mentem S. Laurentii Juſtiniani in ſerm. de Chriſti Corpore, ubi de ſacrificio altaris agens, inquit: *Cum in altari Chriſtus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem.* Ubi licet adjungat, oſtendere cicatrices vulnerum Patri; hoc ipſum tamen efficit, dum ſeipſum offert. Ille autem clamor, tametſi editus credi valeat ex Empyreo, tempore ſacrificii in altari; congruentiùs tamen ſonare videtur ex ara, ubi adeſt immolatio, cum Sacerdotis ſit orare intra ſacrificium, & dum illud peragit. Quemadmodum validiſſimè clamavit è Cruce, &, ut ait Apoſtolus: *In diebus carnis ſuæ &c.* hi tamen dies, licet non permaneant, quà cruenti, & lacrymarum, ſanguiniſque tempeſtate horrentes; perſiſtunt clamoribus ſerena fronte editis in Euchariſtia uſque ad Mundi occaſum.

Num. 40. Conferunt etiam non parùm roboris, & lucis aſſerto noſtro Patres illi, qui Euchariſtiam appellant Sanctum Sanctorum, adumbratum per Sancta Sanctorum Templi Salomonis, quod ſolus ſummus Sacerdos ingrediebatur. Et aliunde ſummum antiquæ legis Sacerdotem typum fuiſſe ſupremi noſtri Sacerdotis, tametſi hujus Sacerdotium ſit alterius ordinis, compertum eſt, docentque ſæpiſſimè Interpretes, & probat Cardin. Bellarm. eodem lib. 5. de Miſſa. Inde autem eruitur, Chriſtum Dominum non ſolùm adeſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis præſentem realiter, ut victimam aut Hoſtiam offerendam, verùm etiam ut ſummum Sacerdotem. Quòd enim Euchariſtia, & ſacrificium Euchariſticum ſit Sanctum Sanctorum ſignificatum per vetus illud, docuit expreſsè S. Auguſtinus in Enarratione Pſalm. 64., cujus verba ſtatim dabimus. Acciuit Heſychius in Levit. lib. 2. cap. 8. dixit S. Bernardus ſerm. in Cœna Domini: *Verè Sanctum Sanctorum Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum.* Sumiturque hæc doctrina ex S. Dionyſio Areopag. quem imitati ſunt frequenter Sancti Patres. Quocirca Joannes Ekius, ubi tuetur, Miſſas non Germanice, ſed Latinè dicendas, inquit: *Ideo ſæpè Dionyſius ingerit, quomodo Magiſtri fidei, hoc eſt Apoſtoli, diligentiſſimè curaverunt, ne Sancta Sanctorum offerrent coram prophanis: & ideo ſumma illa, & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, & partim non ſcriptis Inſtitutionibus tradidere.* Idemque denotant verba illa Chriſti Domini Math. 7. *Nolite dare Sanctum Canibus.* Ob idque olim in Eccleſia Diaconus clamabat ante communionem: *Sancta Sanctis*, quæ conſuetudo viget adhuc in Eccleſia Græca, ſumiturque ex Liturgia S. Baſilii, eumque morem refert, & laudat S. Chryſoſt. Homil. 61. ad Populum Antiochen. & ſanè per interiora veli, & Sanctum Sanctorum intelligi propriùs, & ſtrictiùs Euchariſtiam, & ſacrificium Euchariſticum proprium Eccleſiæ militantis, quàm Eccleſiam triumphantem, aut Empyreum (quamvis illud etiam deſignarent) colligitur non obſcurè ex Apoſtolo ad Hæhr. cap. 8. *Qui exemplari, & umbræ deſerviunt cœleſtium*: & cap. 9. *neceſſè eſt ergo, exemplaria quidem cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus Hoſtiis, quàm iſtis.* Ubi per cœleſtia, quorum umbra, exemplariaque fuerunt Sanctum, & Sancta Sanctorum, & alia Veteris teſtamenti, de quibus loquebatur ibi Paulus, ſignificari ſublimiſſima arcana Euchariſtica Eccleſiæ militantis oſtendunt ex Chryſoſtomo, Theodor. Theophil. Æcumenio, Anſelmo, & D. Thoma, Cardinalis Bellarminus ſupra, & Cornelius à Lapide.

In hoc autem Sanctum Sanctorum, ſive in interiora hujus veli, certiſſimum eſt, nullum alium ingredi poſſe Sacerdotem præter ſummum noſtrum; quoniam ille ſolus conſtituitur realiter ſacramentaliter præſens ſub ſpeciebus Euchariſticis, illeque ſolus eſt res oblata, aut victima; adſtante quidem Miniſtro altari ipſi materiali, & concurrente ad ſacrificium conficiendum; non ideo tamen ad interiora uſque veli in

eo

eo ſenſu perveniente, quia ſolus Chriſtus Dominus impervium illum ſitum ſpeciebus obvelatum occupat: à fide ſola repertum, & veluti Sanctum Sanctorum, & Sanctiſſimum, adoratum. Neque refert, ſemel in anno tantùm introiſſe ſummum Sacerdotem in Sancta Sanctorum; Chriſtum autem Dominum omni temporis articulo, & per diverſas ſimul orbis plagas Sanctum hoc Sanctorum intrare, intra ipſumque permanere, dum velum perſiſtat incorruptum; quandoquidem ſacrificium Euchariſticum, Euchariſtiaque, ut eſt Sacramentum, idem numero, ſimpliciter loquendo, eſt in communi Theologorum ſenſu: ac ſubinde, ſicut comparatum ad Sancta Sanctorum, ut Cœlum ſignificat, *To* ſemel in anno, deſignabat tantùm ingreſſum ſemel faciendum in die æternitatis: ita relatè ad Sancta Sanctorum Euchariſticum denotabat ſolùm intraturum ſummum Sacerdotem ſemel uſque ad Mundi conſumationem in interiora ejuſdem numero ſimpliciter Sacramenti, & Sacrificii; etiamſi jugi aſſiduitate, ſemper ac proferuntur à legitimo Sacerdote verba conſecrationis, illud ingrediatur. Legitimè ergo, juxta ejuſmodi Sancti Sanctorum Eccleſiæ militantis acceptionem, deducitur, ſummum noſtrum Pontificem, & Sacerdotem, quà ſacramentaliter præſentem in altari, conficere ſacrificium Euchariſticum. Id expreſſit mirum in modum S. P. Auguſt. in Pſalm. 64. de Sacerdotio Chriſti Domini tractans, dum ait: *Tu Sacerdos, tu Victima, tu oblator, tu oblatio. Ipſe Sacerdos eſt, qui nunc ingreſſus interiora veli, ſolus ibi ex his, qui carnem guſtarunt, interpellat pro nobis. In cujus rei figura, in illo primo Populo, & in illo primo templo, unus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, Populus omnis foris ſtabat, & ille, qui ſolus ingrediebatur in interiora veli, offerebat ſacrificium pro Populo foris ſtante.*

Ejuſmodi autem verba uſurpari minimè poſſe videntur de oblatione, & interpellatione ſupremi Sacerdotis intra ipſum Cœlum factis, vel ex ipſo; ſed intra ſacrarium altaris Eccleſiæ militantis, itaut interiora veli denotent modum exiſtendi mirabilem ſub ſpeciebus Euchariſticis. Tum ob nuper dicta; tum inſuper ex eo, quod aſfirmet S. Auguſtinus ibi, præfatam interpellationem emitti à ſummo Sacerdote in eo ſtatu, & loco, ubi nullus alius ex eis, qui in carne floruerunt, pro nobis intercedere, aut interpellare poteſt; hoc autem verum non foret, ſi de Chriſto Domino, prout honorante Empyreum, acciperentur. Siquidem in Cœlo, & Deipara, & Beatorum triumphalis cœtus pro nobis orant, poſtulant, & aſſiduis precibus intercedunt; quamquam Mediator cum omnimoda proprietate inter Deum, & homines ille ſolus eſſe poteſt, qui Deus ſimul, & homo eſt. Fundit igitur ex mente Auguſtini Sacerdos magnus preces illas ex Trono ſacramentali, quod ſolus ingreditur ſummus hic Sacerdos, & Hoſtia, & nullus alius ex hominibus, & ſi Sacerdotes Miniſtri ſint, illudque unà celebrent. Eam ſiquidem vim ſortiuntur verba illa excluſiva: *ex illis, qui carnem guſtarunt*: Angeli namque agminatim & intimè, invisibiliterque adſtant huic Sancto Sanctorum, ut ex Patribus, præſertim Chryſoſtomo, & Gregorio Magno, norunt fideles: adſiſtuntque ſummo Sacerdoti ſacrificanti in altari, forcipibus inſtructi, ut ignitis carbonibus ex altari depromptis, & labia adſtantium purificent, & corda inflamment.

Num. 41. Neque prætereunda hic omnino doctrina Seraphici Doctoris, qui mentem S. Auguſtini, Innocentii III., & Magiſtri in 4. diſt. 13. ſcrutatus, & ſecutus in expoſitione textus, dub. 3. ait: *Dicendum, quòd (ſicut tangitur in littera) Miſſa dicitur, quia mittitur cœleſtis miſſus. Cœleſtis iſte miſſus (ſicut exponit Innocentius) eſt magni conſilii Angelus. Iſte, inquam, mittitur ad conſecrandum, quia ipſe eſt Sacerdos invisibilis, qui conſecrat, & conficit hoc Sacramentum; ubicunque conficiatur. Unde valet illa ratio in contrarium, qua objicit de Angelico miniſterio; non tantùm eſt enim hic miſſio; ſed etiam miſſio ſacrificii ad Deum per ſummum Angelum, ſcilicet Chriſtum, adſiſtentibus magnis Angelis: propter quod in fine dicitur, ite, Miſſa eſt: & propter hoc Miſſa rectè appellatur.* Chriſtum Dominum autem eſſe cœleſtem ſummum Sacerdotem à Patre miſſum ad inviſibiliter conſiciendum ſacrificium manifeſtè declarat. Unde non è Cœlo, è quo mittitur (etiamſi perſiſtat ſimul in Cœlo); ſed in altari, & ex ipſo peragere ſacrificium, & explere actu Sacerdotis ſupremi munus, docet. Neque obeſt, quòd pariter aſſerat, mitti ſummum Sacerdotem ad conſecrandum, ac ad conficiendum; cum aliunde ille non ſit præſens ad conſecrandum, eo quod ſolùm ſiat realiter præſens per conſecrationem, & immediatè poſt illam. Quoniam hoc probat tantum, conſecrationem adæquatè acceptam, juxta Doct. Seraphicum, involvere plura, quorum aliqua conſtitutiva etiam Sacramenti provehire poſſunt à ſummo Sacerdote realiter jam præſente, licet non omnia. Credunt ſiquidem complures, per primam actionem, ortam ex verbis elevatis, poni Chriſtum Dominum ſecundum ſe præſentem realiter; nondum tamen formaliter præſentem loco, donec ipſe pro poſteriori producat ſuam formalem præſentiam Sacramentalem: uti & eliciat actionem ſuſtentantem accidentia ſine ſubjecto; unionemque ſui cum ſpeciebus, juxta diverſas opiniones, à quibus modò præſcindimus, & de quibus plura in ſequentibus. Et inſuper Seraphicus ipſe Doctor actiones alias exigit ad conſtituendum ſacrificium juge, ut alibi oſtendam.

Addendum, ſæpiſſimè per conſecrationem intelligi ſacrificationem ipſam, apud

illos præſertim, qni immolationem ſacrificii conſtitutivam eſſentialiter diſtinguunt à tranſubſtantiatione. De reliquo autem evideutiſſimum eſt, Doct. Seraphicum hic poſtulare realem præſentiam in altari ſummi Sacerdotis ad conficiendum ſacrificium. Præterea cum immediatè retuliſſet doctrinam Hugonis par. 9. cap. 14. dicentis: *Ipſe Hoſtia ſacra miſſa vocari poteſt, quia tranſmiſſa eſt primum, ſcilicet à Patre, ut eſſet nobiſcum: poſtea à nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercedat. Primum à Patre nobis per Incarnationem. Secundum à nobis Patri per Paſſionem.* Subjungit ex ipſo Hugone: *Similiter in Sacramento primum à Patre nobis per Sanctificationem* (ideſt conſecrationem) *quæ à nobis eſſe incipit* (ubi innuit, quod nuper diximus circa modum quo uſurpat Sanctus Doctor conſecrationem): *poſtea à nobis Patri per oblationem, quia pro nobis intercedit.* Ubi etiam præſcindimus ab eo, quòd libati tituli, quos probabiles etiam dixit D. Thomas 3. par. qu. 83. ad eundem finem, ſint opportuni ad nomen miſſæ exponendum, cum probabiliores alios dixerint Theologi, inter quos Cardin. Bellarminus præallegato lib. 5. de Miſſa cap. 1. quoniam ſolùm intendimus hic perſuadere, Chriſtum Dominum apud ſententiam Hugonis, Magiſtri Sententiarum, Innocentii III. & Doct. Seraphici, explere formaliter munus Sacerdotis, & conficere ſacrificium incruentum ex altari ipſo, ubi adeſt ſacramentaliter præſens. Ex quo rurſus infertur manifeſtè, in functionibus ſubſecutis ad præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia conſiſtere potiſſimè eſſentiam ſacrificii. Quid enim doctius, quid ſplendidius hiſce quatuor Sacræ Theologiæ luminibus in decus, & ſubſidium aſſertionis noſtræ? Quodque ſublimius eſt, Magiſter Sententiarum ipſe ibidem, & Doct. Seraphicus, hanc fuiſſe Magni Auguſtini ſententiam, præſupponunt, ut planè certum. Quapropter idem S. Bonav. in eodem loco inquit: *Circa hæc verba Auguſtini, quare ſcilicet Miſſa ſic nominetur, & ſic in omni ſacrificio mittatur Hoſtia .... ex hoc Auguſtini verbo videtur, quòd Angelus* (Magni conſilii) *conſecret Corpus Domini, & conficiat*: adjungitque per Angelum intelligendum eſſe, ſummum Sacerdotem Chriſtum Dominum, miſſum à Patre, ut conficiat ſacrificium. Verum eſt Auguſt. in Enarrat. Pſal. 109. dixiſſe: *Quid agit Sacerdos in æternum? Quid agit? Qui eſt ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis tanquam Sacerdos intrans in interiora, vel Sancta Sanctorum, in ſecreto Cæli.* Eodemque modo locuti fuere non infrequenter alii Patres. Cæterum ſæpè non diſputant de ſacrificio, ſed unicè de oratione, interpellationeque, quam plures ex Patribus admittere videntur formaliter in Mediatore noſtro, proùt ſedem magnitudinis occupante. Et ſanè Auguſtinum in loco objecto non loqui de ſacrificio Euchariſtico, claret ſatis ex eo, quòd verbis immediatè præcedentibus, quibus de illo diſputabat, myſterium hoc celare propoſuerat; panderet autem illicò, ſi in ſubſequentibus de ſummo Sacerdote ſacrificante, aut offerente præfatum ſacrificium diſſereret, parùmque ſibi conſtaret. Interdum verò in ſenſu latiori, aut remoto uſurpant ſupremum Sacerdotis munus; cum enim idem ſummus Sacerdos, qui in ſede magnitudinis fulget in Cœlo, in altari ſacrificet, accommodatur ſacrificium ipſi in Cœlo aſſidenti, ubi eſt verus Sacerdos; quamquam non proximè actu ibi rem ſacram faciat; ſed ubi adeſt ipſemet, ut victima etiam in ara maxima, à quà ſeparabile non eſt exercitium immolandi proprium Sacerdotis, nec Sacerdos ab exercitio: ideoque aram tenentes Sacerdotes Gentium litabant, ut refert Macrobius lib. 3. Sat. cap. 2. quò alluſit Virgil. 4. Æneid.

Talibus orantem dictis, araſque tenentem &c.

uti Satyra 14. Juvenalis:

Cereris tangens aramque, pedemque

& Levit. 1. Sacerdoti præcipiebatur: *Ponetque manum ſuam ſuper caput Hoſtiæ.*

Num. 42. Nova alia luce clareſcit, & roboratur aſſertum noſtrum illuſtri ſcilicèt teſtimonio Liturgiæ, ſeu Miſſæ Gothicæ (quam Moz-Arabum dicunt): illam, vel à S. Leandro primo inſtitutam, vel ipſo antiquiorem, & jam ſæculo quinto uſitatam, ab ipſo tamen Leandro locupletiorem redditam, à Magno ejus fratre Iſidoro auctam, uti & deinceps ab Ildefonſo, ſucceſſoribuſque denuo locupletatam, tradunt paſſim Scriptores, & ut ut res ſe habeat circa illius Victoriam per ignem partam (cujus narrationis fides penes Rodericum Archiep. Toletan. eſt), illa tamen utitur in deputato Sacello Collegium ab inſigni Cardinali Ximenez erectum, & in Paræciis aliis ibidem, uti & Salmanticæ, ubi res Divina ritu Gothico peragitur, ne inglorius deſineret, etiam poſtquam triumphum egerat. Conſulantur Cardin. Aguirre tomo 3. Coll. Conc. Hiſp. Cardin. Bona rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 11. Albarus Gomezius lib. 2. de rebus geſtis à Cardin. Ximenez. Mariana de rebus Hiſp. Gabriel Colletius, Pagi to. 4. ad annum 1090. In illa igitur miſſa paulo ante conſecrationem Sacerdos Chriſtum Dominum in Cœlis exiſtentem invocat, enixèque precatur, ut velit adeſſe altari, non tantùm ut victima, verùm ut Sacerdos ſimul, his verbis. *Adeſto, adeſto, Jeſu bone, Pontifex in medio noſtri, ſicut fuiſti in medio diſcipulorum tuorum, & ſanctifica hanc oblationem, ut ſanctificata ſumamus per manus S. Angeli tui, Sancte Domine, & Redemptor æterne.* Protinuſque accingitur ad conſecrationem. Verba ſane matura reflexione digna, & ſpatio plurium ſæculorum per totam Hiſpaniam, Galliam Narbonenſem, & alias Regionis Gothico Imperio ſubjectas in Miſſa prolata, quibus Sacerdos geminatis precibus orabat Chriſtum Dominum, ut venire dignaretur ad Aram, non modò ut ſacri-

Digitized by Google

crificetur in illa, verùm ut ex ea ſacrificet ſeipſum tanquam ſummus Sacerdos; quod ſupponit neceſſariò, ſacrificium conſici per actionem diſtinctam à conſecratione, ſubſecutamque. Numquid rogatur, ut tanquam ſupremus Sacerdos deſcendat ad aram (& non purè ut Hoſtia) ad hoc ut in ara nihil agat, ſitque ſpectator tantùm ſacrificii, quà ſummus Sacerdos præſens?

Num. 43. Adhæſiſſe videtur huic ſententiæ, quamquam peregrina quadam ſemita, Algerus de Sacram. cap. 8. dum errorem Impanationis ea tempeſtate graſſantem ab abſurdo confutare ſatagit: ait enim: *Si ipſe* (Chriſtus Dominus) *creditur panis fieri* (per unionem hypoſtaticam cum ipſo, ut Impanatores docebant frequenter) *verè, quomodo eandem Redemptionem, quam ipſemmet fecit è Cruce, operari poterit etiam in altari quotidie? Namque ſemel incarnatus, paulo minus ab Angelis eſt minoratus, quia factus paſſibilis, hic toties impanatus, quoties in altari conſecratus, ipſis hominibus multò minor foret, quia factus irrationalis. Sicut enim imperſonationis jure, ut verus homo eſſet in homine, accepit animam cum ratione ſua, & carnem cum ſenſibus ſuis, ut in ea pati poſſet; ſic panem acciperet cum irrationalitate ſua, & ita quia minor fieret ſuis Redemptis, non videretur æquum, & ſufficiens pretium redemptionis ... Abſurdum eſt igitur de Dei ſapientia tam ſtultè ſentire, aliaſque ſcripturas ad hujuſmodi ſenſum inflectere*. Non curo de efficacia argumenti adversùs Impanatores illos, ſed de doctrina, quam ſupponit notam fidelibus, orthodoxamque: quòd nimirum Chriſtus Dominus tanquam ſummus Sacerdos offerat quotidie in altari ſacrificium, applicans in particulari merita; & pretium univerſalis Redemptionis in Cruce peractæ, ſive conſumatæ. Juxta Algerum ergo operatur Chriſtus Dominus quotidie in altari, & ex illo, ſacrificans ſeipſe immediatè, & offerens; non verò ex Empyreo. Conſequentia evidenter deducitur ex ejuſdem verbis; quoniam arguit ab inconvenienti ex impanatione illa; quòd nimirum non aſſequeretur in eo eventu Chriſtus Dominus in ſacrificio altaris remiſſionem flagitiorum, ſeu applicationem redemptionis in Cruce factæ ad delenda hominum peccata; eo quòd adeſſet in altari irrationali modo exiſtens, atque adeo incapax offerendi, aut eliciendi oblationem placantem Deum, illumque reddentem nobis propitium, ut hilari, & quaſi ridenti vultu reſpiciat in adſtantes ſacrificio. Quandoquidem ſi oblatio illa fieret ex Empyreo à Chriſto Domino, rationali modo, & Divino operaretur, aut offerret; quin modus exiſtendi puræ victimę, quem haberet in altari in ea abſurdiſſima hypotheſi, impediret mirabiles illos effectus: cum etiam apud opinionem communem, contra quam diſſerimus, lateat ſub illis, quin vivat vita Corporis in actu ſecundo, nec operationem aliquam eliciat, etiam ſpiritualem, per ſe requiſitam ad ſacrificium, illiuſque conſtitutivam; maximè cum ad illa debet concurrere ut homo, nullamque Sacerdotis propriam, immò nec viventis victimæ; & nihilominus prædictos omnes effectus, & peccatorum veniam obtineret, itaut ſaltem ex eo capite ſententia communis expugnari jure nequeat.

Secus autem foret, ſi ſemel ex altari tantùm debeat exercere munus Sacerdotis, & nullo modo è Cœlo; ſi aliunde verificetur, in præfata hypotheſi, nullo pacto potuiſſe Chriſtum Dominum ex altari offerre, aut ſacrificare; eo quod irrationali modo adeſſet ibi. Hæc, ut monui, adducuntur, non quia ratiocinium hoc reputetur à nobis efficax ad errorem illum deturbandum; poſſet enim ex adverſo Berengarii Sectator reponere, Chriſtum Dominum etiam ut unitum eo modo pani, uti poſſe expeditè ſenſibus, & potentiis ad actus immanentes emittendos pro libito; (quantumvis Rupertus diſp. 2. allegatus, eodem titulo Chriſtum Dominum incapacem utendi ſenſibus putaverit); itaut licet panis ille non foret in ſe panis vitæ, & intellectus, nequaquam tamen impediret operationes vitæ, & intellectus hominis, cui conjungeretur. Sed ut inde eliciam, Algerum in ea fuiſſe omnino ſententia, ut crederet, præſupponeretque voto communi fidelium indubitatum, Chriſtum Dominum ut ſupremum Sacerdotem operari, aut peragere ex altari, & quà altari præſentem, ſacrificium incruentum ſeipſo immediatè; cujus exercitium ſubſtantia panis obtrudi exiſtimabat, reſultareque ex illo panarium potiùs, quàm ſacrificium.

Num. 44. Debuiſſet produci inſigne aliud teſtimonium Chryſoſtomi unà cum reliquis ejuſdem ſupra ponderatis; quoniam tamen difficultate quadam obvolutum traditur ab ipſo, quę peculiarem elucidationem efflagitat, illud reſervare volui in ſeparatum hunc, diſtinctumque à reliquis locum, ne fortunatus aliorum curſus ex ſe tranquillus, & perſpicuè deſcendens, turbaretur: & quia objectionis ſpeciem præſefert adversùs allegata pro noſtra ſententia Patrum teſtimonia. Chryſoſtomus itaque Homilia de Proditione Judæ, de menſa Euchariſtica, & ſacrificio altaris, tractans, ait: *Adeſt Chriſtus, & nunc is, qui menſam illam apparavit, hic ipſe hanc nunc exornat. Non enim homo eſt, qui facit, ut propoſita efficiantur Corpus, & Sanguis Chriſti, ſed ipſe Chriſtus, qui pro nobis crucifixus eſt. Figuram implens ſtat Sacerdos verba illa proferens &c.* (quæ verba ſic habentur in ultima hac locupletiſſima editione Pariſienſi an. 1718, præcedentibus pauliſper immutata, in eundem tamen planè ſenſum) ubi apertè ſupponit præſentem Chriſtum Dominum in altari ad ea, quæ inmenſa illa Divina peraguntur, adeoque ad ſacrificium ex illo celebrandum. Verùm exinde inſurgit difficultas extricanda nunc: quoniam eo tantùm modo dicitur præſens altari ſummus Sacerdos,

cerdos, ut rem divinam faciens, à Chryſoſtomo, quo dicitur præſens altari ad conſecraudum: immò de præſentia ad conſecrandum, vel ſolùm, vel potiſſimè loquitur ibi; ſed ad ejuſmodi operationem non præſupponitur præſens realiter altari, cum nec in propria ſpecie ſit niſi in Cœlo, nec Sacramentaliter exiſtat, niſi poſt conſecrationem; ſed in virtute, vi cujus è Cœlo operatur in altari ineffabilem illam converſionem. Ergo nec ad ſacrificaudum eſt alio modo præſens altari prout Sacerdos, quamtumvis ſit præſens, quà Hoſtia, aut res oblata. Et ex conſequenti in ea acceptione uſurpanda ſunt reliqua Patrum teſtimonia, quorum nonnulla, ut vidimus ſupra ex Doctore Seraphico, & Magiſtro Sent. eam præſentiam exprimunt ante conſecrationem. Et ſanè, cum juxta ſolemniorem doctrinam, conſecratio, ſeu actio converſiva, ſit ipſa ſacrificatio, ſi ad illam præſens eſſe nequeat altari, à fortiori nec ad ſacrificandum.

Huic reflexioni multipliciter occurri poteſt: & in primis: quamquam Patres frequenter doceant, Chriſtum Dominum efficere converſionem illam ſtupendam, quam operatur actio conſecrativa, aut activa conſecratio; quia ejus nomine, ejus virtute, & ejuſdem influxu phyſico immediato elicitur; rarò tamen affirmant, eam fieri à Chriſto Domino altari præſeute, uti aſſerunt, ipſum ex altari conficere ſacrificium (neque ejus Sacerdotium dicit per ſe primò habitudinem ad Sacramentum conficieudum, ſed ad ſacrificium celebrandum); cum ante couſecrationem præſens nullo modo ſit realiter phyſicè altari, ſed virtute tantùm, moraliter, & per alium; ne alioqui dicatur conſimiliter præſens, quà Hoſtia, aut victima ratione ſigni, aut figurativè, tametſi phyſicè immediatè per ſe non adſit. Quantumvis ſpeciali aliquo titulo poſſet dici propriùs, vel minùs impropriè præſeus ad conſecrationem, quatenus pro poſteriori ad illam infallibiliter adeſt realiter phyſicè præſens, quod unà cum influxu phyſico illius in converſionem factam ejus nomine, poſſit aliqua vera ratione eam denominationem præſentis efficere ſtrictam præ alia victimæ; quippe quæ apud Sectarios adſtruentes ſolam figuratam præſentiam, numquam ſit realis phyſica. Secundò: nunquam ſic nudè pronuntiant, Chriſtum Dominum adeſſe altari ad conſecrandum, quin vel expreſsè, vel tacitè adjungant, eum adeſſe ad conſiciendum ſacrificium, ad quod alia ultra conſecrationem eſſentialiter concurrere debent, quæ ſupponunt conſecrationem, præſentemque idcirco ſummum Sacerdotem. In qua acceptione ſtrictiùs dicitur præſeus ad totum illud per modum unius ſumptum; quoniam ad illius partem eſſentialem concurrit ut præſens, & ad aliam virtute, & titulis aliis inſinuatis. Et quod ad alia concurrat, nempe ad ſacrificium celebrandum ut Sacerdos, juxta Chryſoſtomum, liquet abundè ex productis ſupra illius teſtimoniis, ut eodem tempore, quo conſtituitur in altari victima ſacrificanda, & non priùs, adſit etiam Sacerdos principalis inviſibilis, alterutro namque deficiente, quænam eſſe poſſet vera mactatio? Si Sacerdos magnus non conſuevit nunc offerre ſine Miniſtro, quo pacto immolaret Miniſter abſque Sacerdote ſupremo?

Num. 45. Tertiò: licet Chriſtus Dominus non ſit realiter phyſicè præſens ad conſecrationem converſivam ſubſtautiæ panis in Corpus Chriſti Domini, eſt attamen præſens altari ſub ſpecie panis ad eliciendam ſeipſo immediate activè converſionem ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti Domini ut fatendum omnibus eſt. Et aliunde utriuſque ſpeciei conſecratio eſt eſſentialiter requiſita ad ſacrificium, ut dictat Eccleſia, & docuerunt S. Ambroſ. in Pſalm. 38. Nyſſenus orat. 1. de Paſcha, Ireuæus lib. 4. cap. 31. aliique Patres luculentiſſimè, & ex ipſis D. Thom. 3. part. qu. 74. item qu. 80. art. 12.. Idque ſignificare voluit, dum qu. 78. art. 3. ad 1. dixit: *Sanguis ſeorsùm conſecrotus à corpore expreſſiùs repræſentot Paſſionem Chriſti, & ideo potiùs in conſecratione Sanguinis fit mentia Paſſionis, & fructus ejus, quàm in conſecratione Corporis*. Repreſentatio autem illa Paſſionis, qua expreſſior per ſeparationem vi verborum Sanguinis à Corpore, prorſus eſſentialis eſt ſacrificio, prout commemoratio ſacrificii cruenti; eſſe autem illius commemorativum, eſſentiale eſt ſacrificio incruento. Deinde, quòd per ſanguinem repreſentativè fuſum, quatenus ſeorſim conſecratur, vividiùs repreſentetur paſſio Chriſti Domini, quàm per corpus ſigillatim conſecratum (vi verborum); cum illud in Cruce fuerit ſubjectum paſſionis, docuerat S. Thom. ibidem ad 2. ſic; *Sanguis ſeorſim conſecratus expreſsè paſsionem Chriſti repræſentat, ideo potiùs in conſecratione Sanguinis fit mentio de effectu Paſſionis, quàm in conſecratione Corporis, quod eſt Paſſionis ſubjectum. Quod etiam deſignatur in eo, quod Dominus dicit: quod pro vobis tradetur, quaſi diceret, quod pra vobis Paſſioni ſubjicietur.* Et qu. 83. art. 2. ad 2. ait: *Sanguis ſpecialiùs eſt imogo Dominicæ Paſſionis, ut ſupra dictum eſt.*

Unde calicis conſecrationem eſſentialiter exactam eſſe ad ſacrificium tuentur ex D. Thoma, & Patribus præallegatis Sotus, Cajetanus, Joannes à S. Thoma, Arauſo, Gonet, Cornejo, Salmanticenſes, & Thomiſtæ uno quaſi agmine: item Doct. Eximius, Leſſius, Scortia, Vaſquez, Præpoſitus, Conink., Cardin. de Lugo, Rhodes, Mæratius, Bernal. Caſtropalao; & reliqui ferè Scholaſtici; niſi quod pauci aliqui, ad ſubſtautialem integritatem duntaxat pertinere innuant. Quamoptime igitur poteſt Chriſtus Dominus dici abſolutè præſens altari ad conſecrandum; & cum rurſus vel per alium

actum

actum internum, vel per ipſum imperantem converſionem ſubſtantiæ vini in Sanguinem, offerat Deo, non tantùm Sanguinem, ſed Corpus jam conſecratum; quin & ejus conſecrationem antevertenter factam (per ſe loquendo èx inſtitutione & præcepto Eccleſiæ; quoniam per accidens, & illicitè, poterit priùs conſecrari Calix, & tunc concurrit Chriſtus ut præſens ſub ſpeciebus vini ad conſecrationem panis), juremerito dici valet præſens ſimpliciter in ſenſu ſtrictiſſimo ſufficienti cum proprietate, ad utrumque determinatè; de quo expreſsè loquitur Chryſoſtomi objectum teſtimonium: de illo, quia non tantùm virtute illius, ejuſque nomine fit, ſed quia per conſecrationem redditur prçſens in ultimo inſtanti prolationis ad ipſum offerendum; de hoc, quia præſupponitur realiter præſens ad illam activè eliciendam. Ecquis ex Adverſariis majorem juſtè deſideret proprietatem præſentiæ Sacerdotis ſummi, cum nullam conſimilem eorumdem ſententiæ afferant, aut cogitent? Minori longè, utpote purè morali in ratione, & munere Sacerdotis ſummi contentus, & juxta illam accipiens Patrum locutiones veram præſentiam Sacerdotis viſibilis poſtulantes; majorem, tanquam inſufficientem ad ſalvandam locutionem quamdam particularem accuſas? Ponitur ergo per conſecrationem Hoſtiæ Corpus vi verborum, & per concomitantiam totus Chriſtus Dominus non tantùm ut Victima, aut Hoſtia, verùm etiam, ut Sacerdos, qui præcedat conſecrationem Calicis, & celebrationem ſacrificii. Ubi opportuna videntur verba S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 14.: *quid tam gratum offerri, ac ſuſcipi poteſt, quàm caro ſacrificii noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri*.

Num. 46. Quartò: conſecrationem ipſam præſuppoſitivè tantùm ſe habere ad eſſentiam ſacrificii adæquatè ſumptam, vel ſaltem partialiter tantùm illam conſtituere, acriter defendunt ex doctrina quamplurium Eccleſiæ Patrum Theologi mox recenſendi; qui pariter oſtendunt ſæpiſſimè per conſecrationem intelligi à Patribus ipſam ſacrificationem, tametſi illa poſterior ſit tranſubſtantiatione: cum vel conjunctio utriuſque ſpeciei dicatur ab Eccleſia *commixtio, & conſecratio*. Et quidem ipſe locus Chryſoſtomi, ſi accuratè introſpiciatur, ſupponit in nocte quidem Cœnæ apparatam fuiſſe menſam cçleſtem à ſummo Sacerdote viſibili, ſive conſecraſſe panem, & vinum ſeipſo, nunc autem non dicit ab ipſo, ut prçſenti inviſibiliter apparari menſam, ſed exornari jam apparatam, quaſi in illa jam præparata per conſecrationem adſiſteret, ut Sacerdos ad ſacrificandum, & quâ Victima ad ſacrificium, quo menſa illa diteſcit, & ornatur, infinitè pretioſa operatione magni Sacerdotis. Cui accedit, antiquos Patres, præſertim Græcos, & expreſsè Chryſoſtomum in Liturgia, ultra verba conſecrationis, & poſt illa, adhibuiſſe in Liturgiis precationem directam ad Spiritum ſanctum his verbis conceptam; *fac panem hunc pretioſum Corpus &c.* petuntque, ut propoſita dona immutet, & ſimiliter de Calice; non ſanè quia putaſſent, nondum eſse præſens Corpus Chriſti Domini ſemel prolatis verbis conſecrationis (ut perperam, errore pertinaci credunt modò Schiſmatici), ſed quia aliquid aliud poſtulabant (de quo latè diſputatione ſequenti), ad quod concurreret Chriſtus Dominus per Humanitatem, tanquam per organum Spiritus ſancti.

Per hoc igitur quod affirmet, adeſſe ſummum Sacerdotem, qui dona in menſa poſita immutet, & efficiat Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, in cujus nomine, & figura Miniſter profert verba conſecrationis, illegitimè probatur, Chryſoſtomum diſseruiſse ibi de prçſentia Chriſti Domini ante conſecrationem activam, quæ per verba elevata producitur. Quàm vero probabilis ſit opinio autumantium, ſacrificationem eſse, vel adæquatè, vel inadæquatè diſtinctam à prçſata actione converſiva, vel tranſubſtantiativa, liquet ex numero, & qualitate Authorum: ſic enim philoſophantur, Clitoneus lib. 2. contra Lutherum cap. 6. Ekius lib. 3. de ſacrificio Miſsç cap. 9. Ruardus Faber, Roffenſis, Franciſcus de Pitigi diſt. 13. qu. 2. art. 3. Sotus in quartam diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. & 6. (quamquam art. 1. ad ſolam integritatem ſacrificii reliqua pertinere innuat) Card. Bellarm. lib. 1. de Miſsa cap. 27. (ubi ſumptionem ſimul cum conſecratione dicit conſtitutiva eſsentialia ſacrificii, oblationem autem, & fractionem integralia) Scortia de ſacrificio Miſſæ lib. 1. cap. 5. Alphonſus de Caſtro verbo *Miſſa* Hçreſ. 2. Canus de locis lib. 12. cap. 13. Eſtius, Aretinus, Azorius lib. 10. cap. 19. Covarruvias, quibus præluxiſſe videtur Doct. Subtilis in 4. diſt. 13. qu. 2. Gabriel, & alii ex priſcis Scholaſticis, & quidem Patres communiſſimè, ſpeciatim Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſt. & Auguſt. per oblationem potiùs, quàm per conſecrationem, quas ſupponunt re ipſa diſtinctas, explicant ſacrificium incruentum, ſumiturque pariter ex Trident. ſeſs. 23. cap. 1. & can. 1. eſſe juxta mentem D. Thomç colligitur perſpicuè ex 3. p. qu. 83. art. 4. ubi ait: *offertur Euchariſtia ut ſacrificium, conſecratur, & ſumitur ut Sacramentum*. Valentia diſp. 6. pun. 1. quæſt. 1. fractionem judicat conſtitutivum eſſentiale cum laudato Cano. Præterea Herinquez, Leſſius, Toletus, Card. de Lugo, Arauſo, Averſa, Fagundez, Reginaldus, Bonacina, Prado, Villalobos, Martin. Baſſans, Viguerius, Salmanticenſes, & Juniores alii, ſumptionem à Sacerdote factam eſſe inadæquatum ſacrificii conſtitutivum eſſentiale, opinantur; ad illam enim ſeipſo concurrere poteſt ſummus Sacerdos, quatenus ſeipſum movet in ſumptione illa virtute inſtrumentaria (quam

inſti-

inſtituit ipſe ad conſtituendum ſacrificium, juxta eam ſententiam), & effectus, qui dignæ ſumptioni promittuntur, efficit. Pariterque ad omnem aliam functionem conſtitutivam ſacrificii, conſecratione præſuppoſita, concurrere valet immediatè phyſicè, tanquam ſummus Sacerdos altari realiter præſens.

Demum antiquioribus illis Theologis, qui conſecrationem, ſive actionem tranſubſtantiativam excluſere adæquatè ab eſſentia ſacrificii, itaut præſuppoſitivè tantùm præréquiratur, acceſſit deinceps Nugnus, acceſſere Joannes à Cruce, Gavatius de ſacrificio Miſſæ diſp. 1. qu. 3. num. 100. & Recentes alii, quos referunt Salmanticenſes diſp. 13. de ſacrificio Miſſæ dub. 2. §. 4. Eumdemque tanquam communem Catholicorum ſenſuum expreſſit Henricus Octavus in aſſertionibus fidei contra Lutherum, ea tempeſtate Orthodoxus, mox nec ſibi, nec religioni conſtans, infœlix nimium, cum ſecreverit à veritate Inſulares ſuos potiùs, quàm à continenti ſunt natura diviſi: *& pœnitus toto diviſos Orbe Britannos*.

Num. 47. Subnectendum, quod etiamſi Conſecratio utriuſque ſpeciei foret adæquatum Sacrificii conſtitutivum, adhùc in toto rigore adeſſet realitèr ſummus Sacerdos ad plura ejuſdem Conſecrationis conſtitutiva eſſentialia. Porrò illa reſultat ex pluribus diverſis actionibus, ordine quodam prioritatis inter ſe connexis, quantumvis in eodem inſtanti elicitis, ut probatiſſima ſententia declarat, & probat. Ultra tranſubſtantiationem ſiquidèm concurrere debet ſuſtentatio miraculoſa accidentium abſque ſubjecto, quam exerceri activè à Chriſto Domino pro poſteriori, & jam præſenti, docet præfata opinio: vel quia activè ſuſtentat accidentia; vel quia illis ſubſiſtentiam, aut quaſi modum per ſe exiſtendi conferat: vel quatenùs illis tribuat præſentiam formalem, ſive ubicationem. Rursùſque producit unionem ſui cum illis, aut alligationem quamdam, itaut arcana, & veluti magnetica virtute trahat ad ſe prædicta accidentia. Quæ omnia ſunt per ſe conſtitutiva hujus mirabilis converſionis adæquatè ſumptæ, ea quæ effici poſſunt à Chriſto Domino jam præſente pro priori naturæ illius inſtantis: ſimulque elicere jam poteſt in eodem inſtanti actum internum oblationis (quin & intentionis) per ſe requiſitum in ſupremo Sacerdote, perfectiſſimo modo ex conceptu talis operante. Prætereà in valdè probata doctrina, ipſemet Chriſtus Dominus terminans actionem adductivam, vel reproductivam ſui in altari, producit activè ſuammet præſentiam formalem ſacramentalem, cum omne corpus ea vi connaturalitèr gaudeat; quamvis enim juxta D. Thomam 1. p. q. 77. art. 6. hoc ſit diſcrimen inter accidentia propria, & communia, quòd illa, cum ſint proprietates, aut paſſiones ſubſtantiæ productæ, ab illa per ſimplicem emanationem profluant: communia verò, inter quæ numeratur *Ubi*, ab Agente extrinſeco ſubſtantiæ productivo proveniant: *& hoc dico*, inquit S. Thomas ibi, corpore, *de proprio, & per ſe accidenti. Nam reſpectu accidentis extranei ſubjectum eſt ſuſceptivum tantùm, productivum verò talis accidentis eſt agens extrinſecum*. Cæterùm complures Thomiſtæ cum Cajetano ea verba uſurpant de accidenti omninò per accidens advenienti ſubjecto; non de accidentibus per ſe illi debitis neceſſariò, licèt communibus, cujuſmodi eſt ubicatio.

Deindè quidquid ſit de aliis, præſentia tamen formalis ſacramentalis nequit fluere per ſe, juxta quamplures, ex actione adductiva, aut reproductiva Corporis Chriſti Domini, quoniam actio illa, quantum eſt ex ſe, ſolùm poteſt reſpicere ubicationem, aut præſentiam termino producto, vel adducto abſolutè debitam; non verò aliam planè miraculoſam, & indebitam, quæ propterea nequaquam eſt accidens commune corporis, cum potiùs accedat ad propriam ſpiritus. neque enim illa mirabilis ſpecies ubicationis, aut præſentiæ formalis ſubſequitur per ſe ad præfatam actionem reproductivam, cum poſſit per illam ibidem replicari Corpus, & non ſacramentalitèr, ſed circumſcriptivè, juxtà ſententiam eorum, qui arbitrantur poſſe adeſſe idem corpus circùnſcriptivè in multiplici ſimul loco; vel poſſet exiſtere divinitùs unà cum ſubſtantia panis apud alios cum Doctore Subtili: vel poni independentèr ab ſpeciebus; in quibus eventibus ubicatio Corporis, aut præſentia formalis, eſſet diverſa ab ea, quæ modò exiſtit, ut colligitur ex principiis eorumdem Theologorum. Per actionem igitur converſivam, præciſivè à reliquis ſumptam intelligitur Chriſtus Dominus ſubſtantialitèr quidèm, & in ſe præſens; nondùm tamen præſens formalitèr in ordine ad locum, aut quaſi locum, ſed radicalitèr tantùm; proindèque indiſtans negativè duntaxat, donèc concipiatur reſultans præſentia formalis Sacramentalis. In hoc autem ſtatu eſſe capacem, non ſolùm emittendi propriam formalem ſui præſentiam, & inducendi proprietates debitas, & alias operationes, ſive actus internos eliciendi, virtute ſaltem inſtrumentaria (& multò magis pro poſteriori ejuſdem inſtantis, dum jam intelligitur formalitèr ſacramentalitèr præſens) ſatis vulgata Theologia ex ipſis Philoſophiæ principiis, oſtendit. Horum attamen omnium ope nequaquam egemus: quoniam exiſtimamus, ſacrificationem, per ordinem ad quam deſumendum eſt potiſſimè Sacerdotium Chriſti Domini, & de qua diſputabat re ipſa Chryſoſtomus, eſſe actionem prorsùs adæquatè diverſam à Conſecratione conficiente Sacramentum: eamque talis eſſe naturæ in æmulationem, ſive potiùs identitatem, immolationis cruentæ (quamquam ritu diverſo) ut nonniſi ab ipſo magno Sacerdote præſente realitèr altari elici valeat,

ita

ita tamen ut fieri debeat neceſſariò ſenſibilis per actiones Miniſtri viſibilis. Quoniam tamen eam doctrinam hic effundere importunum foret, coufunderetque potiùs quàm enodaret difficultates, illam remittimus in proximè ſequentem Diſputationem, quæ ſecreta altiſſima, grandia, profundaque pandit circa veram immolationem in jugi ſacrificio latentèr exercitam, & hactenùs non ſatis perſpicuè expoſitam, aut ſuboſcura tantùm luce adumbratam.

SECTIO TERTIA.

Promovetur rationibus Aſſertio noſtra; beneficio cujus ſedari poteſt inveterata Theologorum rixa circa modum, quo nunc ſummus Sacerdos CHRISTUS DOMINUS *interpellat pro alma Eccleſia.*

§. I.

Num. 48. ARMA naturalis rationis modò, præſuppoſitis tamen Fidei Divinæ principiis, vendicant ſibi tempus, & locum. Primum argumentum delibandum eſt duntaxat, quia in præcedentibus aliquatenùs expenſum; non tamen prætereundum omninò hic. Non minùs eſt proprium Chriſti Domini munus ſupremi Sacerdotis juxtà ritum Melchiſedech, ac munus Hoſtiæ pœnes eundem ritum; ſed munus Hoſtiæ, aut Victimæ ſubire nequit è Cœlo tantùm; ſed per realem phyſicam præſentiam ſui in altari, & Catholicorum templis. Ergò nec munia Sacerdotis exequi valet ex Empyreo, ſed per realem præſentiam ſui in eodem altari. Major revocari nequit in dubium abſque injuria Apoſtoli in Epiſt. ad Hæbr. & abſque Fidei Sanctæ detrimento in his, quæ docet de vero, proprio, & ſummo Chriſti Domini Sacerdotio perpetuo. Minor eſt etiam fide divina certa adversùs ſectarios, qui realem Chriſti Domini præſentiam in altari averſantur, & figuratam ſolùm tuentur. Conſequentiæ legitimus deſcenſus ex præmiſſis ſuadetur. Primò. Quia cum Sacerdotium illud per ſe primò ordinetur ad Sacrificium Euchariſticum in altari offerendum, aut celebrandum: cumque rursùs in toto rigore, in ſenſuque proprio, Sacerdos ille ſummus debeat exequi munus ſuum conficiendi, & offerendi ſacrificium, æquè ac munus rei oblatæ, aut Hoſtiæ; ſi ſemel abſque præſentia reali ſui, ut ſupremi Sacerdotis, poſſet ſtrictè, & verè officium Sacerdotis explere per aliud in altari exiſtens, & per ſe in Cœlo; poſſet conſimilitèr eodem prorsùs modo eſſe verè & propriè res oblata, & Victima per figuram, aut ſignum altari præſens, & per ſe in Cœlo.

Quoniam Miniſtri, aut ſubalterni Sacerdotis præſentia reſpectu materiæ, & Hoſtiæ, eſt eſſentialiter requiſita ad valorem ſacrificii, prout in hac providentia inſtituti. Ergò & præſentia ſummi Sacerdotis, ut ſupra efficaciſſimè ſubinſerebamus. Tertiò: quoniam omni gentium uſu, & experimento, notiſſimum eſt, Sacerdotem, & Victimam extitiſſe ſimul, deduciturque perſpicuè ex Divo Paulo ſupra docente, omnem Sacerdotem veluti ad manum habere neceſſariò dona, aut munera, præſtòque eſſe ad illa offerenda. Et ſaltèm id eſſe congruentiùs, & ſacrificio ſummo dignius, licet abſens poſſet victimam immolare, manifeſtum videtur. Secundum argumentum, & præcedentis confirmatio, ſit. Chriſtus Dominus ſecundum quod exiſtit in propria ſpecie ad dexteram Patris non eſt actu formaliter res oblata in auguſto altaris ſacrificio, nec ut materia præcedens, nec ut terminus ſacrificationis; ſed unicè quà latitat ſacramentaliter in altari ſub aliena ſpecie. Ergo nec eſt offerens in eo ſacrificio, prout exiſtit in Cœlo in ſpecie propria, ſed quà pariter exiſtit in altari ſub ſpecie aliena. Antecedens controverti jure nequit. Primò: quia Sacerdos Miniſter conſecrans in ara, non offert ex illo loco Chriſtum Dominum ſecundum quod eſt in Empyreo; ſed quà Sacramentaliter præſentem ſub ſpecierum velo; & aliunde compertiſſimum eſt, eamdem, & ſub eadem ratione, Hoſtiam offerre ſupremum Sacerdotem, ac Miniſtrum, ne alioqui reſultarent duo ſacrificia. Secundò: quia id offerre intendit Miniſter, in quod vi, & efficacia verborum convertitur ſubſtantia panis, & vini: illa autem ſubſtantia neutiquam convertitur in Chriſtum Dominum prout in Cœlo exiſtentem quamvis convertatur in illum, qui ſpecificativè extitit in Cœlo: ſed in ipſum prout ſub ſpeciebus reproductum, vel ad eas adductum. Ergo & illum, qua ſub prædictis ſpeciebus latentem offert Miniſter, atque adeo, & ſupremus Sacerdos. Tertiò; quia actio adductiva, propriè loquendo, non adducit ipſum è Cœlo in aram; alioqui vel deſineret eſſe in Cœlo commutaretque locum, vel illo quâ in Cœlo indigeret ut termino *à quo*; id autem eſſe falſum docet paſſim Theologia, cum potuiſſet conſtitui ſacramentaliter in altari, quin alibi exiſteret in propria ſpecie. Et rurſus, qua terminus à quo tranſubſtantiationis, apud omnes, eſt ſubſtantia panis, & vini, quæ deſinit eſſe in ea converſione. Item quia in Cœlo ipſo nulla ſit converſio ſubſtantialis.

Quartò: quoniam aliter, nequidquam tanto Catholicorum ſtudio adſtrueretur ejus præſentia realis ſub ſpeciebus, ſi, quà res oblata per ſacrificium, eſt in Cœlo, & pariter quà Sacerdos offerens, aut ſacrifex: fruſtraque de re hac geſſiſſet Eccleſia Sancta cum Sectariis bellum atrociſſimum, nullos habiturum triumphos. Quintò: quoniam id expreſſit Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 1. dicens:

Sa-

Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarant, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & Sacerdotibus, ut offerrent, præcepit. Inferiùſque repetit: *Novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum*. Eſt ergo res oblata Patri ſecundum quod ſub eis ſpeciebus deliteſcit, & nequaquam prout in ſpecie propria affulget: quia materia, circa quam procedat actio ſacrificativa, debet eſſe ſenſibilis per aliud ut ſit materia propria ſacrificii viſibilis, & ſtrictè talis, ut fatentur omnes probatque Doct. Eximius diſp. 75. ſect. 1. §. *Dico ſecundo*. Et inde ſumitur ſexta ratio à primo illo ſacrificio in nocte Cœnæ, in quo res oblata nondum erat Cœlum realiter ingreſſa; & aliunde eadem eſt planè, & ſub eadem ratione, quæ modo offertur. Uberiora dabit Eximius Doct. diſp. 75. ſect. 1. ſi ubertatem majorem deſideret cauſa adeo perſpicua, ut ſplendoribus ſcateat magis quam verbis. Conſequentia verò firmatur, tum ex nuper dictis; tum inſuper, & efficaciter ex eo quod omnium votis in ſacrificio Euchariſtico idem ſimpliciter eſt Sacerdos, & Hoſtia, ita Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 5. *Idem Sacerdos idem eſt Hoſtia*. Ita Concil. Epheſin. Can. 10. Ita Auguſt. ſæpiſſimè: ait enim lib. 4. de Trin. cap. 14. *In immolatione Chriſti idem eſt Sacerdos, & Hoſtia*. Fulgent. de Fide ad Petrum cap. 2. uti & Chryſoſt. in præcedentibus adducti. Ita S. Thomas 3. par. qu. 22. art. 2. ibi: *Chriſtus in quantum homo non ſolùm fuit Sacerdos, ſed & Hoſtia perfecta*, eodem autem modo ſe habet neceſſariò nunc. Et tandem ita unanimi conſenſu Patres, & Theologi. Non forent autem idem ſimpliciter Sacerdos, & Hoſtia, ſi quà Sacerdos actu ſacrificans eſſent in Cœlo, ſive in propria ſpecie, & quà Hoſtia in altari; cum in ratione Hoſtiæ importet eſſentialiter modum exiſtendi Sacramentalem, qui differt ſimpliciter à modo exiſtendi in ſpecie propria. Unde Eximius Doctor exponens textum Divi Thomæ 3. part. quæſt. 83. art. 1. ad 3. ut ſupra diximus, affirmat; ſolùm futurum idem ſecundum quid, aut *quodammodo* Sacerdotem principalem, & Hoſtiam, ſi exequeretur munus Sacerdotis è Cœlo, & rationem Hoſtiæ ſubiret quà ſub ſpeciebus abſconditus in ara; adjungens tamen, eſſe ſimpliciter idem Hoſtiam & Sacerdotem: quod non minus firmum eſſe debet, ac eſt exploratum, Chriſtum Dominum offerre ſeipſum in ſacrificio incruento, & ſeipſum in Cruce mactaſſe, & nihilominus ſeipſum non interfeciſſe.

Num. 49. Probatur tertio; Chriſtus Dominus concurrit phyſicè ex Euchariſtia per Humanitatem tanquam per Divinitatis organum ad immutationes miraculoſas, ad omneſque effectus mirabiles, qui proveniunt ex eodem ſacrificio, & Sacramento Euchariſtico. Et quidem concurrit digno modo, ac proinde non inanimi, non ligneo, ſed vitali, & perfectiſſimo, ut copioſè in ſuperioribus oſtenſum fuit. Sed ad omnia illa concurrere debet ex Euchariſtia immediatè, ſive ut altari præſens, & non quà in ſede magnitudinis regnans, & emicans. Ergo neceſſariò concurrit etiam ex altari ad functiones ſacrificii conſtitutivas; & cum rurſus ſit Sacerdos ſummus ex ſe, neceſſariò operationes illas efficit, quà ſupremus Sacerdos eſt. Major præſupponitur ex præcedenti ſectione, cum phyſicus influxus Chriſti Domini in ſacrificium adſtruatur ab utraque parte, ſolumque diſceptetur de loco, ex quo influit. Item ex probabiliſſima Theologorum ſententia concurſum illum phyſicum univerſim ſtatuente in omnes operationes miraculoſas, effectuſque Sacramentorum, præſertim circa Euchariſtiæ Sacramentum, & Sacrificium, quem defendunt plures ex illis etiam, qui ſolùm moralem agnoſcunt comparativè ad effectus reliquorum Sacramentorum. Eamque ſententiam definitam credunt in Synodo Epheſina tertia, approbante Epiſtolam. Cyrillus Alexandrinus ad Neſtorium. Minor paſſim admittitur ab Adverſariis. Et ſanè quòd Chriſtus Dominus, ut præſens realiter ſub accidentibus Euchariſticis, vel cum ipſis uniatur, nexum aliquem producendo, vel ſimile aliquid, ſive circa eorum præſentiam, aut propriam, opinio eſt Adverſariorum communiter, de qua modò non ambigitur. Namque plures Scholaſtici cum Claudio Sainctes, Palacios, & magno Suarez tom. 3. in 3. part. diſput. 47. ſect. 3., quos ſequitur Cardin. de Lugo, uti & Araujo, ſubſcribuntque ſæpiſſimè Juniores, aſſerunt, Chriſtum Dominum quà præſentem altari ſuſtentare ex Euchariſtia ipſa accidentia per actionem ab eodem ibidem primò elicitam.

Alii, quibus adſtipulatur Martinonus, activam quamdam reſiſtentiam ſupernaturalem adſcribunt Chriſto Domino, ne ſpecies ab illo dividi poſſint. Plures ajunt, Chriſtum Dominum producere ipſum ubi formale ſpecierum. Et denique, Chriſtum Dominum ex Euchariſtia producere effectivè effectus Sacrificii, & Sacramenti Euchariſtiæ, & quidem phyſicè, tuentur plerunque Thomiſtæ ex doctrina aperta Doctoris Angelici. Præterea non ſolùm ad operationes miraculoſas conſtitutivas ſacrificii, ſed ad effectus ex Sacrificio & Sacramento derivatos concurrit effectivè, in quo conveniunt (ut nuper dicebam) plerunque Adverſarii, præſupponendumque eſt hic, cum æquè intercedere debeat miraculum, ut fiant in altari à principio planè diſtito, exiſtente nimirum in Cœlo, quàm ut fiant à principio inextenſo modo latente. Quoniam hic reperitur tantùm ſupplendus defectus extenſionis, in illo verò paſſum eſt extra ſphæram naturalis virtutis: rurſus deberet operari in diſtans, quin per medium operaretur, & alia ejuſmodi

à Phi-

à Philoſophia deſiderata. Uti & ſupponendum, quòd eos effectus producat vitaliter, & perfectè operando ex Euchariſtia. Quare igitur denegandus erit illi jam præſenti concurſus effectivus Sacerdotis proprius ex Euchariſtia in reliquas Miſſæ functiones ſubſecutas ad conſecrationem, ſive quæ ſacrificium conſtituunt eſſeutialiter, ſive quæ integraliter (ut ſic conſequentiam probemus) ſi non fuerint alio titulo improportionatæ ad hoc, ut ab ipſo eliciantur? Quinimmò ex ſuppoſitione, quòd poſt conſecrationem adeſſe debeat cum potentia inſtrumentaria expedita ad operandum immanenter, etiam per ſenſus, & dependenter ab eorumdem miniſterio; credendum omninò eſt, ſic inſtitutum fuiſſe ſacrificium, ut ejus eſſentia conſiſteret adæquatè in functionibus, quæ conſecrationem ſubſequuntur, ut peragi valeant à ſummo Sacerdote ibidem realiter præſente. Ad hæc, immolatio illa, in qua ſitam eſſe putamus ſacrificationem eſſentialem, quæque exercetur poſt utriuſque ſpeciei conſecrationem, talis indolis eſt, ut nonniſi ab ipſo ſummo Sacerdote Sacramentaliter præſente elici poſſit, ut evincet ſequens diſputatio. Quamvis enim illa non ſit operatio miraculoſa, ſed ceſſatio potiùs à miraculo; æqualis attamen, ſi non majoris, ſublimitatis eſt poteſtas ad ſuſpendenda pro libito miracula, ac ad ipſa patranda. Utrobique enim reſplendet poteſtas excellentiæ hypoſtatica, cui vel obſtinatio ipſa flectit genua.

Num. 50. Efficaciter, & quartò argui poteſt, ex neceſſitate propinquitatis Hoſtiæ, & Sacerdotis, ſive quòd illa ſit huic humano modo præſens; verùm quia argumentum hoc jam fuit ſupra abundè expenſum, dum ab auctoritate aſſertionem noſtram fulciremus, ab ulteriore illius ponderatione ſuperſedendum. Quintum deſumi valet ex confuſione, inordinataque multitudine actuum, qui eliciendi forent ſimul in Cœlo à ſummo Sacerdote, juxta multitudinem ſacrificiorum, quæ omni hora celebrantur in Eccleſia Sancta; deberet nanque ſimul innumeros propèmodum affectus, actuſque immanentes intentionis, oblationis, impetrationis, & aliorum ejuſmodi emittere in propria ſpecie, unà cum actionibus externis ad immutationes mirabiles efficiendas, quæ ut dignæ fiant debent ſupponere actus internos imperantes. Deinde perenni influxu fieri debuiſſent, quoniam ſacrificia numero diſtincta non pari omninò gradu, & tempore indiviſim omnia perficiuntur, ſed ſucceſſivè per omnia momenta. Repones: hoc argumentum improbare communem ſententiam influxus phyſici Chriſti Domini in effectus Sacramentorum, maximè cum debeat vitaliter exhiberi, & ſit etiam aſſiduus. Verùm ſi ex illo concurſu ſequeretur eadem confuſio, ſitque multitudo eam pariens, fatemur eodem ratiocinio expugnari: uti eodem titulo eam repellunt graviſſimi Theologi moralem ſolùm influxum admittentes. Attamen nullo pacto ſequitur, eadem inordinatio, niſi hæc, de qua loquimur, adjicienda ſit numeroſitati illi, & cum aliunde ſit numeroſior; poteſt unitim cum alia efficere confuſionem, quam primò ſe ſola non efficeret. Ulterius: id probat concurſum illum effectivum in effectus Euchariſtię, exerceri à Chriſto Domino ex altari; ſiquidem tunc ita operatur ex unoquoque, quaſi ex nullo alio loco operaretur, ceſſatque confuſio, cum deſit concomitantia mutua ejuſmodi operationum. Quare, licet ad plura, quæ in eodem indiviſibili inſtanti offeruntur, poſſet eadem oblatio ſe extendere; ad ea tamen, quæ ſimultanea prorſus non ſunt, nova oblatio exigitur (vel nova ejuſdem reproductio), ne alioqui oblatio hujus numero ſacrificii, aut reſpectu hujus, vel præexiſtat, adeoque offerat priùs quàm res oblata, ſive offerenda exiſtat; vel poſtquam exiſtit, & immolata eſt, tardèque propterea ad illud ſacrificium accedens.

Immò & ægreferret Theologia, quòd actus aliquis particularis oblationis plura ſacrificia complectatur, & conſtituat ſimul; cum reſpectu nullius ſeorſim eſſe poſſit adæquatus ex parte ſui; niſi oblatio hujus includat pariter oblationem alterius. Secus autem erit, ſi, juxta noſtra principia, idem numero actus oblationis ſecundum ſe reproducatur ſemper, quoniam ſic uſurpatus, ſe habet ad inſtar univerſalis, itaut totus adæquatè determinetur ad hoc numero ſacrificium, eodem modo, ac ſi nullum aliud conficeretur in Eccleſia; cum reproducatur hic, & nunc in hoc numero altari, & ad hoc numero ſacrificium duntaxat. Congruentius igitur apparet, ut actus illi, quos ſummus Sacerdos elicere debet ad peragendum unumquodque ſacrificium, producantur à ſummo Sacerdote, quà latente ſub ſpeciebus Euchariſticis; quoniam tunc ita eliciuntur, ac ſi nullum aliud celebretur ſacrificium: & cum aliunde concomitantiam ſimilium operationum excluſerim diſp. 2. ordinatè, & perſpicuè, omni confuſione remota, concipimus exercitium ſummi Sacerdotis relatè ad omnia ſigillatim ſacrificia. Quamvis enim idem ſit ubique Chriſtus Dominus, cum diviſus à ſe minimè ſit (ſemperque propterea deſiderari poſſit ab aliquo virtus Divina conſortans potentias, ut tot ſimul actus eliciat ex diverſis altaribus, in quibus replicatus adſtat); ejus tamen virtus inſtrumentaria diſtributivè operatur in actu ſecundo, & diviſim agit, juxta diviſionem phyſicam membrorum Corporis Myſtici, cujus eſt caput, & diſtinctionem ſacrificiorum. Hoc tamen argumentum, ut inſinuatum eſt, vires ſuas amittit, ſi ſtandum ſit principiis à nobis ſtatuendis diſput. ſequenti, juxta quæ idem numero actus ſacrificationis, qui extitit ab initio, reproducitur in quolibet ſacrificio, quod adæquatè etiam ex parte ſui, conſtituit; proindeque vitaretur ea confuſio,

& numeroſitas operationum ſimultanearum, etiamſi è Cœlo & in Cœlo reproduceretur, unde illo non utimur. Quoniam verò aſſidua ejus reproductio neceſſaria eſt, idcirco commodius, & connaturalius apparet, ut ejus reproductio fiat in altari, & ex illo, ut confuſio in reproductionibus declinetur, & ut diſtinctiùs unaquæque illius (aut illorum) reproductio applicetur unicuique ſigillatim ſacrificio. Hoc modo ſervatur clariſſimus, diſtinctuſque rerum, & ſacrificiorum ordo, & Sacerdotium exercetur ſecundum ordinem ordinatiſſimum Melchiſedechi.

Si dixeris, intentionem ſummi Sacerdotis non poſſe elici ex altari; cum debeat præcedere conſecrationem; & aliunde ſummus Sacerdos nonniſi poſt conſecrationem adeſt altari. Nullo negotio me expediam: quoniam, ut diximus, conſecratio conficit ſolum Sacramentum, reſpectu cujus non exercet Chriſtus Dominus munus Sacerdotis ea proprietate, quà reſpectu ſacrificii; ſufficit ergo, quòd per Miniſtrum intendat, & conſecret. Si autem debeat concurrere effectivè ad converſionem; hoc erit ex ratione communi aliis etiam Sacramentis. Unde actus vitalis requiſitus ad dignè concurrendum (quæ poſſet eſſe intentio) exigitur potiùs ex alio communi titulo. Sacrificationem verò poteſt Chriſtus Dominus ex altari intendere in eodem inſtanti, quo offert, pro priori tamen naturæ, vel per eundem actum oblationis, ita tamen ut offerat, quia intendit, & ſagittam electam emittat, quia arcum tetendit.

Num. 51. Urgerique poteſt ſexto, ex eo quòd, ſi actus oblationis ſummi Sacerdotis eliceretur in Cœlo; cum aliunde ſupponatur hic conſtitutivus eſſentialiter ſacrificii, reſultaret ex operationibus Miniſtri, & ſupremi Sacerdotis totum aliquod imperfectum, & informe, membratimque diſſitum, cujus una pars exiſteret in Cœlo, & alia in terra: ipſumque ſacrificium ſortiri poſſet tantùm moralem quamdam unitatem; cum in linea phyſica foret ſummopere diſjunctum, qui modus conſtituendi, vel ad hoc etiam ut artefactum phyſicum efficiat, valdè improprius eſt, alienuſque à dignitate ſacrificii ſummè perfecti, unitatem, aut nexum ſtrictiorem deſiderantis, ut reſultet verè unum, & non purè moraliter, laxèque, ut alia ejuſmodi, denominationem extrinſecam, & minùs propriam involventia.

Septimum argumentum haurio ex congruentia, quæ reperitur in eo, quod Sacerdos principalis offerens poſſit ſenſibus percipere circumſtantes, pro quibus per alios actus determinatè (quamquam pro aliis etiam, qui eleemoſynam largiti fuerunt) offert, ut docemur ab Eccleſia illis verbis, *Et omnium circumſtantium*; ultra illum, pro quo offertur ſacrificium à Miniſtro. Hoc enim conſentaneum magis apparet reſpectu muneris exercendi à ſummo Sacerdote, ſecundum quod homo eſt, ut orantium, & circumſpectè adſiſtentium, offerentiumque, offerat ipſe vota, preces, & oblationes ipſas ſacrificii, uti ait S. Fulgentius in Reſponſione ad Ferrandum Diaconum Reſponſ. quarta ibi: *Cum nos oſtendimus per æternum Sacerdotem Dominum Chriſtum noſtras orationes offerri, veram &c.* Et S. Ambroſ. in comentar. in Epiſt. ad Hæbr. cap. 7. exponens illa verba Pauli: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*, inquit: *Quando enim ſicuti Pontifex eſt, tunc etiam interpellat, qui eſt ex eo natura, quà Pontifex eſt, interpellat pro eis. Quit eſt, qui interpellat, niſi humanæ naturæ Divinitati illius conjunctio, quam Paterno Solio advexit?* Non quia interpellet (præſertim in ſacrificio) prout advecta ad Patris Solium; ſed quia Humanitas illa ſpecificativè ſumpta, quæ elevata fuit ad ſedem magnitudinis, interpellat pro nobis ex ara, in qua exinanitur, ut immoletur, & in qua officio ſupremi Sacerdotis fungitur. Unde S. Chryſoſt. Homil. 13. in cap. 7. ejuſdem Epiſtolæ, eadem verba declarans, inquit: *Vides humilitatem? Vides humanitatem? Non enim dixit, cum in humilitate conſtitutum duntaxat iſtud adeptum, ſed ſemper, & quandocumque opus fuerit, interpellare pro eis.* Ita etiam S. Thom. 3. p. q. 83. art. 4. ad 9. exponens illa verba Canon. *Jube hæc perferri &c.* Ut igitur perfectè, & plenè offerat preces, & orationes adſtantium, pro eiſdemque offerat, & interpellet in ſacrificio, quà Pontifex, & ſummus Sacerdos, & actu ſacrifex, convenientiſſimum eſt, ut non modò per ſcientiam infuſam, aut beatam contueatur eorum affectus internos, ſed etiam quod per eandem naturam humanam, per quam exercet vitaliter Pontificatum, percipiat ſenſibus circumſtantes, pro quibus peculiariter interpellat, & ſacrificat; (non ideo tamen formalis ſacrificio elicita à ſupremo Sacerdote offert determinatè ſacrificium pro hoc, aut his numero hominibus, cum ſit eadem numero ſemper in omnibus ſacrificiis, ſed per alios actus particulares ex altari elicitos, ſive præcedenter, ſive conſequenter) quod minimè fieri poſſe ex Empyreo diximus diſp. 2. & 3., & modò ſupponimus.

Tandem & octavo: omnia illa, quæ duabus præcedentibus diſputationibus adducta fuere ad vitam actualem ſenſitivam Chriſti Domini in Euchariſtia de facto adſtruendam, firmant eadem vi, eodemque robore (ſi momenti ſint) munus ſummi Sacerdotis actu exercitum ex altari à Chriſto Domino ſub accidentium velo: ſacrificium enim incruentum eſt potiſſimus illius vitæ miraculoſæ ſcopus, & finis, è quo reliqua munia interpellandi, aut preces fundendi, & id genus alia naſcuntur; acceſſoria quidem, propria tamen Pontificis noſtri, & Mediatoris actu viventis, & vitam humanam, ſimul & Divinam ſpirantis.

§. II.

§. II.

Num. 52. HAe verè ſolida, verèque plana via ſedari poteſt contentio illa pugnaciſſima, quæ disjunxit jamdiù Theologos ab invicem, quæque non lites duntaxat movet, ſed & rixas implacabiles in re ſummi ponderis. Quamvis enim fide Divina conſtet, Chriſtum Dominum modo aliquo vero interpellare pro nobis in ſtatu præſenti glorioſo, cum id nos doceat Apoſtolus Hæbr. 7. ***Semper vivens ad interpellandum pro nobis***: & cap. 9. etiam, uti & Roman. 8.; controvertitur tamen acerrimè circa modum: ſit, ne, tantùm modus orandi interpretativus, quatenus ejus merita anteacta, fuſæ preces in ſtatu viæ, Paſſio, mors, vulnera, utpotè Divino conſpectui præſentia, clament, etiamſi Chriſtus ipſe Dominus planè obmuteſcat. Vel formalis actualis potius, quo Patrem exoret, ad ipſum expreſsè, & altè, clamet, impetretque? Multi ſiquidem modum hunc orandi formalem credunt ſtatui præſenti Majeſtatis Chriſti Domini indecorum, ſubindeque repugnantem modò ipſi: referentes pro ſe teſtimonia non obſcura S. Chryſoſtomi Homil. 15. in Epiſt. ad Romanos, & 13. in Epiſt. ad Hæbr. Theophilatum ibidem, S. Gregor. Nazianzen. orat. 36. & orat. 2. de Filio ad nonam objectionem Eunomii, Damaſcen. lib. 3. & 4. de Fide. Bedam 1. Joann. cap. 2. Concilium Francofordienſe Col. 6. Rupertum, Simonem Theſſalonicenſem, quibus adhæſere Medina, Spencæus, Vaſquez, Becanus, Card. de Lugo, Arriaga, Rhodes, & Recentes plurimi, qui omnes verba Pauli in locis prælaudatis, & quæ leguntur Joann. 14. accipiunt de oratione ſolùm interprætativa nuper adumbrata. Et ſanè Rupertus lib. 9. de officiis apertè pronuntiavit: ***Unde ſicut reſurgens à mortuis jam non moritur, ſic illum, ad hoc ut roget Patrem, jam nemo invocat Catholicus***. Et S. Thomas in 4. diſt. 45. quæſt. 3. art. 3. docuit, nullo pacto eſſe ſic orandum nobis: ***Chriſte, ora pro nobis***, ſed, ***audi nos***, vel, ***miſerere noſtri***. Reputant enim præallegati Doctores indignum Chriſto Domino modum formalem orandi, dum jam ſedet ad Patris dexteram, ſeque devolvendi veluti ad genua Divinæ miſericordiæ, cum ſit Perſona Divina, extra præſtitum illud tempus, & ſtatum poſita, in quo pati debuit ejus Humanitas ultimos vitæ paſſibili cruciatus ad conſumandam Redemptionem Mundi. Afferuntque illud Nazianzeni, tum ſupra, tum orat. 53. & ſequenti: ***Advocatum habemus Jeſum, non ſe noſtra cauſa ad Patris pedes advolventem, ſervilique modo abjicientem, procul ſit iſta ſervilis ſanè ſuſpicio, ſpirituque indigna, nec enim Patris eſt, hoc expoſcere, aut filii pati, nec de Deo hoc cogitare, pium, atque æquum eſt &c.*** Et aliunde, ſi ſimel oratio, aut deprecatio formaliter expreſſa ipſum nunc deceret, à fortiori quoque conveniret illi reverentia exterior, internas preces indicans, & fovens. Quemadmodum, quia primum illud pro ſtatu viæ convenientiſſimum fuit, ita & ſecundum, cum procidens exoraverit Patrem: & propterea Hebr. 5. dicitur: ***Exauditus eſt pro ſua reverentia***. Idem firmat Vaſquez ex verbis ſupra relatis Theſſalonicenſis, quibus audacter protulit: ***hoc*** (quod nimirum Chriſtus Dominus formaliter nunc interpellet) ***plenum eſſe blaſphemia, & abſurditate***.

E' regione alii, & longè frequentiùs, omnino credendum eſſe clamant, Chriſtum Dominum orare, interpellareque modò, tametſi gloria, & ſplendore undique coruſcantem, formaliter actu elicito, & expreſsè, adducentes teſtimonia luculentiſſima, & ineluctabilia Scripturarum, præclara Eccleſiæ Patrum argumenta, præſertim Ambroſii exponentis Epiſt. ad Hæbr. cap. 8. Theodor. ibidem, Cyrill. lib. 11. in Joann. cap. 9. Hilarii lib. 6. de Trinitate, S. Juſtini Martyris quæſt. 105. ad Orthodoxos, S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 10., & in præfatione in Pſam. 85. & in præfatione ſecundæ Expoſitionis Pſalm. 29. & Tractatu 102. in Joann., Cypriani, Laureniii Juſtiniani, Sancti Bernardi, Div. Thomæ in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 6. quæſtiun. 2. ad 1., & qu. 45. & in Expoſitione Epiſt. ad Hæbreos cap. 7., uti & ad Rom. cap. 8. ubi expreſsè utrumque modum orationis tribuit Chriſto Domino in præſenti gloriæ ſtatu; Doctoris Seraphici tom. 1. Opuſcul. opuſc. 39. cap. 98. Abulenſis in cap. 14. Matth., & quæſt. 142. ex Scholaſticis paſſim Thomiſtæ, quos dabunt Salmanticenſes, item Leſſius q. 21. Doctor Eximius tom. 1. in 3. par. diſp. 45. ſect. 2. Cardin. Toletus in cap. 16. Joann. annotatione 35. & uno verbo reliqui propè omnes Theologi præter ſupra memoratos. Quorum nonnulli cum Card. Toleto oppoſitam ſententiam improbabilem dicunt, & prædicant, minimèque per illam ſatisfieri poſſe verbis Apoſtoli tam ad Rom. quàm ad Hæbr., contendunt: uti nec verbis Joan. Epiſt. 1. capit. 2., nec illis Chriſti Domini Joann. 14. ***Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis***: niſi pariter eludantur Evangeliſtarum verba, quæ Chriſtum Dominum in ſtatu viæ formaliter oraſſe, exprimunt: quin & illa Pſalm. 2. ***Poſtula ò me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c.*** Sicuti pauci aliqui ex verbis quibuſdam Damaſceni perperam, & per errorem intellectis, ſimulatè duntaxat deprecatum fuiſſe, arbitrati ſunt; cum Apoſtolus Chriſtum Dominum in Cruce lacrymis, & clamoribus orantem, & exauditum, nobis repræſentet; impium autem foret dicere, ficta id religione ſimulaſſe, & fletu per artem ementitam ſtudioſè comparato, fallacibuſque, & veluti peritis oculis: ***Ut flerent, oculos erudiere ſuos***.

Num. 53. Duo autem hæc extrema oppoſita, & utrinque ſyrtibus, & ſcopulis

horrentia, vix aliter meliùs, ſolidiùſque conciliari poſſunt, quam per noſtram præſentem aſſertionem, beneficio cujus utrumque veram doctrinam continet, & ſuſtinet. Si nimirum dicatur cum prima ſententia, Chriſtum Dominum ſecundum quod in ſolio Majeſtatis adeſt Cœlo, nullo pacto formaliter, & expreſsè actu elicito orare Patrem (niſi ad ſummum in raro aliquo eventu, & per actus, qui minùs dedecere videantur ſtatum illum, ſeu qui ratione circumſtantiarum nullatenus dedeceant), ſed purè interpretativè tantùm, modo excogitato ab ea opinione, contentioſèque propugnato ab ejus Ducibus, & ſequacibus, Exorare tamen formaliter per actus elicitos, interpellareque Patrem pro nobis actu, & expreſsè, ut vult ſecunda ſententia; cæterum ex altari duntaxat, in quo exequitur munia propria ſupremi Sacerdotis, juxta ea, quæ hactenus produximus. Porro cum orare pro Populo, preceſque ardentiſſimas fundere, præſertim, dum ſacrificium peragitur, ut placatus, propitiuſque nobis reddatur Deus, ſit proprium Sacerdotis officium, pertineatque ad ejuſdem ſacrificii integritatem, & perfectionem, ut docuit S. Thom. 3. p. q. 22. art. 4. ad 1. ubi munus hoc proprium etiam fuiſſe ſummi Sacerdotis, oſtendit, aitque: *& ita videtur, quod oratio, qua Chriſtus Dominus oravit, ad ejus Sacerdotium pertineat*. Si ſemel conſtet, Chriſtum Dominum non ex Empyreo immediatè, ſed ex Euchariſtia tantùm præfatum munus exequi; legitimè ſequitur, orationem, aut deprecationem, quà ad Sacerdotis officium ſpectantes, nequaquam ab ipſo ex Empyreo, ſed ex Altari elici: non exerceri ab illo ex Patria, & in ſpecie propria, ſed ex Euchariſtia ſub ſpecie aliena. Ideo S. P. Auguſtinus in præfat. in Pſalm. 83. dixit: *ut Sacerdos noſter orat pro nobis, orat in nobis ut caput noſtrum, oratur à nobis ut Deus, oramus ad illum per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiſcum*.

Congruentia hujus doctrinæ multiplex eſt, & valde conſentanea ſacrificio jugi, inſtitutioni, & ſimul Perſonæ divinæ decoro, & Majeſtati. Primò: quoniam deprecatio illa ſpeciem quamdam, aut colorem ſervitutis præſeferens dedecere poteſt illum in ſpecie propria glorioſum, & fulgoribus viſibilibus indutum; ſecus verò eumdem ſub aliena, & dejectiſſima ſpecie velatum, & veluti ſub larva accidentium humilium exinanitum. Multa namque conveniunt Principi in forma ſervi apparenti, quæ minimè competunt eidem in forma Domini, ut & plura incognito licent, quæ regia pompa incedenti, & noto prorſus, diſconveniunt: id autem ſatis perſpicuè colligitur ex titulis ipſis, quibus denegatur Chriſto Domino, quà ſedenti ad dexteram Patris id genus orationis: *ſed dicet* (inquit Rupertus lib. 9. *de officiis* cap. 3.) *rogat per humanitatem, qui dat per divinitatem; hoc plane verum eſt, quia tunc moriens paulò minùs ab Angelis imminutus eſt, nunc autem gloria, & honore coronatus, & conſtitutus ſuper omnia opera Patris, dat per divinitatem*. Sed in Sacramento Euchariſtiæ adeſt exinanitus in modo exiſtendi, & imminutus, paulò minùs etiam ab hominibus penes modum illum. ergo licet ex ſede Majeſtatis non deceat ipſum orare expreſsè, ſeque dimittere; orare tamen formaliter poterit ex altari. Minor continet familiarem Patribus locutionem, unde Dionyſius Alexand. Epiſt. ad Samoſatenum expendens illud Pauli ad Philippenſ. cap. 2. *Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, ait; *exinanitionem dicit factam ad nos ad capiendum Sacramentum vitæ per puras, & incorruptibiles, & divinas manus, ut poſſimus fideles capere ipſum, & fieri manſio Dei, accipientes eum totum*. Idcirco Chriſti Domini Humilitatem in hoc Sacramento inſtituendo commendant iidem Patres magnoperè. *Niſi humilis eſſet*, inquit Auguſt. in Pſalm. 33. *ſeque humiliaſſet Dominus, eum nec manducare, nec bibere poſſemus*. Et S. Thom. opuſc. 63. cap. 2. part. 3. *eadem humilitas incomprehenſibilem Dominum Majeſtatis cogit venire ſub ſpeciebus panis*: uti diximus diſputatione prima; unde, aut non dedecet Chriſtum Dominum orare ex Euchariſtia, aut ipſum dedecebat venire ad Euchariſtiam.

Secundo: à diverſitate locorum, & fine utrobique exiſtendi. Patria namque cœleſtis eſt ſedes honoris tantùm, & exaltationis humanitatis, ubi poſſidet in conſpectu omnium ſedem inacceſſibilem reliquis ad Patris dexteram, quo cum adoratur; altare verò eſt locus inſtitutus ab eodem ad hoc, ut ibidem immoletur æterno Patri, eique ſacrificium offerat, tum repræſentans Paſſionem, humilitatem, & abjectionem; tum in odorem ſuavitatis exhibendo cultum Deo per ſupremum religionis actum; tum in expiationem peccatorum. Quantum enim diverſitas locorum, & munerum, quæ in eis exercentur, conducat ad diverſitatem quoque, & licentiam operationum, colligitur perſpicuè ex verbis Chriſti Domini ad Magdalenam Joan. 20. *noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem*, cum utrobique jam tunc eſſet in ſtatu glorioſo. Accedit, quòd altare, utpote in terra ſtructum, eſt locus proprius viatoris (& in illo eſt nobiſcum realiter) tametſi ejuſmodi non ſit jam Chriſtus Dominus; unde ſicut in altari poteſt exiſtere ſacramentaliter, & quidem dignè, & decentiſſimè, non ſic autem in Cœlo, ubi eo modo ſacramentali exiſtere, aut extiturum unquam, reputatur plerumque abſurdum; ita poteſt non dedignari è terris, & modo exiſtendi ſub aliena ſpecie, exercitium formale orandi, quod in Cœlis dedeceret ipſum, Quemadmodum, illum etiam plura poſt reſurrectionem glorioſum, cum nondum tamen in Cœlum aſcenderet, feciſſe credimus, quæ modò non expediunt ipſi. Uti enim Populo Dei non licuit canere di-

vinum

vinum carmen in terra aliena, ſed vel organa ſalicibus alte ſuſpeuſa tacuerunt, liccbat autem in Patria. Sic è converſo Muſicum orationis hujus canticum, quod Chriſto Domino non licet in Patria, licet in terra hac aliena, ubi velut exul degit nobiſcum in Euchariſtia; canitque ſuaviſſimè, Majeſtate tantiſper depoſita, & quaſi Tholo appenſa.

Num. 54. Ulterius & tertiò: quoniam ad conciliandas ejuſmodi ſententias hac noſtra aſſertione debet illa præſupponi; ſemel autem ac ſupponatur, Chriſtum Dominum exequi per ſe immediatè, & phyſicè officium Sacerdotis ex altari, & non ex Patria, legitima conſecutione elicitur, illum orare formaliter poſſe, & interpellare ex Ara, tametſi nequeat actum deprecationis, & impetrationis elicere in Cœlo; eo quod officium Sacerdotis ex proprio munere afferat ſecum neceſſitatem emittendi ejuſmodi actus: quemadmodum orat formaliter è Cœlo apud eos plerumque, qui putant, ipſum munus Sacerdotis exequi activè phyſicè ex Empypeo. Quarto: & urgenter: quia juxta doctrinam familiarem Theologis utrinque mutuò pugnantibus, Chriſtus Dominus in Euchariſtia nullum actum immanentem miniſterio ſenſuum comparandum poteſt primò & per ſe elicere virtute naturali: quin de facto, oec adhuc divinitus eos plerumque elicit; ſolùmque per concomitantiam accipere valet ab Empyreo, quos ibidem emittat. Jam verò ſi in propria ſpecie, & ſede magnitudinis glorioſa ita exiſteret, ut nullum actum vitalem corporeum connaturaliter per ſe primò efficere poſſet, procuIdubiò exiſteret modo prorſus dedecente ejus ſtatum fortunatiſſimum, ejuſdemque dominatum. Et nihilominus oullo pacto ea connaturalis impotentia dedecet ipſum quà ſacramentaliter exiſtentem, nec illum ſtatum è quo illa ſequitur infallibiliter. Ergo & contingere poteſt ſimiliter, orationem formalem non decere ipſum quà ſedem gloriæ in propria ſpecie occupantem; quin ideo dedeceat illum nube Euchariſtica tectum. Quinto: quia prout velatus ſpeciebus eſt caput Eccleſiæ militantis quaſi immediatiùs, quàm in Cœlo, ubi eſt caput triumphantis, uti ex meute Theologorum diximus diſp. 2. & aliunde compertiſſimum videtur, poſſe convenire functiones aliquas capiti Eccleſiæ militantis quà tali, quæ minimè competunt capiti ttiumphautis reduplicativè accepto, cum hæc neutiquam indigeat mediatoris interpellatione, ſicut illa.

Sextò: corpus myſticum militans, pro cujus utilitate orat, interpellat, impetrat, eſt adhuc in ſtatu viæ, unde illius caput in terra ſimul cum illo exiſtens realiter, phyſicè, dignè concipitur orans pro membris ſuis: ad modùm quo, dum ipſe Chriſtus Dominus erat in ſtatu viæ oravit pro Reſurrectione ſui corporis phyſici. Unde S. Ambroſ. de Iſaac & anima dixit: *Ipſe ſit caput noſtrum, quia caput viri Chriſtus, ipſe oculus noſter, ut per ipſum videamus Patrem, ipſe vox noſtra, per quam loquimur ad Patrem; ipſe dextera, per quam ſacrificium offeramus.* Clariùs adhuc S. Cyprianus exponens illud Geneſ. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, inquit: *At Chriſti Sanguis clamans pacem loquitur .... Quia idem ſanguis, quoniam à nobis bibitur, clamat in corporibus noſtris verba pacifica.* Noo igitur è Cœlo, ſed ex ore noſtro dum ſumitur, & ex altari, dum immolatur, & dum permanet etiam, orat, & clamando impetrat. Ad eumdem ſenſum tradit eadem Geneſis verba Clemens Alexand. lib. 1. Pedag. cap. 6. Quocirca, quòd Apoſtolus dixerit, Pontificem noſtrum penetraſſe Cœlos, eſſeque ſemper viventem ad interpellaudum pro nobis, adeſſeque vultui Dei, ut nobis ſubveniat; vel probat ſolùm interpretativam de Cœlo orationem, ut interpretatur prima ſententia; vel loquitur de Pontifice Summo ſpecificativè accepto, itaut is, qui adeſt Cœlis interpellet, non tamen prout Cœlo præſens, ſed quà præſens altari; quod noluit Apoſtolus expreſſiùs pandere conſulens imbecillitati Hæbreorum, uti obſervatum eſt ſupra ex verbis ejuſdem Apoſtoli. Et S. Thomas opuſc. 58. cap. 1. dixit: *Res ſecreta eſt altaris Sacramentum, quaſi ſacrum ſecretum, cujus cauſa non infidelibus, ſed fidelibus eſt revelanda*: Et opuſc. 3. cap. 8. *alia verò hujus myſteria Sacramenti non ſunt hic magis diſcutienda, quia infidelibus ſecreta fidei pandi non debent.* Et Paſchaſ. de Corp. & Sangu. Domini cap. 13. *Sic debebat hoc myſterium temperari, ut arcana ſecretorum celarentur infidis, & meritum exerceret de virtute fidei.*

Neque refert, quòd Chriſtus Dominus è Cœlo influat phyſicè in effectus Sacramentorum, adeoque vitaliter per actus internos vult concurrere; quandoquidem præfatæ operationes immanentes non debent includere formaliter conceptum orationis, aut impetrationis; de reliquo autem compertum eſt, Chriſtum Dominum è Sede Majeſtatis vivere, elicereque actus immanentes omnium Potentiarum, & ſenſuum. Neque rurſus objici poteſt, quòd intentionem ad ſacrificandum neceſſariam elicere non poſſit, ex altari; cum nondum ſit illi præſens, dum conſecratio fit, ſed pro poſteriori ſolùm: & ex conſequenti illam è Cœlo, & in Cœlo emittere debet; & hæc impetratoria eſt, & demiſſionem ſacrificantis importat. Porro ſolùm exigi debet intentio Sacerdotis ad functiones illas, quas immediatè per ſe exercet, ut ſummus Sacerdos, cujuſmodi non eſt conſecratio (ut dictum eſt ſupra); etiamſi permittatur, Chriſtum Dominum concurrere per ſe effectivè ad illam titulo communi influendi in effectus omnium Sacramentorum. Neque illa ſufficere poſſet ad conſecrandum, ut in Cœlo producta, cum non eſſet Sacerdoti ſummo

ſuſ-

ſufficienter, & humano modo præſens materia (niſi fieret tunc pro tempore præſentiæ in altari). Et quamquam D. Thomas in loco ſupra relato probabiliter hoc dixerit; contrarium tamen ut probabilius docuit, ut ibidem notavimus. Sufficit igitur intentio ſupremi Sacerdotis in ordine ad functiones illas, quas ſeipſo ut Sacerdos ſummus peragit, & ad hujuſmodi intentionem præmittendam, prioritate ſaltem naturæ, præſens realiter eſt altari ut liquet copioſè ex productis hactenus. Hæc ex ſuppoſitione ſacrificii immediatè peracti à Chriſto Domino, ex Euchariſtia, ſatis congruentia videntur, ſatiſque opportuna ad litem compeſcendam, ſi cum viro docilis, mitiſque ingenii diſſerendum ſit; cum contentioſo autem, nec pretioſo umquam pignore certandum. Quòd vero Eccleſia non oret ita; Chriſte, ora pro nobis, dum orationem ſuam dirigit Eccleſia ad ipſum quà ſedentem ad dexteram Patris, probat extremum hoc noſtræ compoſitionis; & non improbat alterum: quia licet revera oret ex altari; hoc tamen notum omnibus non eſt, præſertim rudibus, præberetque occaſionem ruſticis ambigendi, eſſet, ne, ſimul Deus, cum non oretur, niſi ut Deum oret.

Num. 55. Inſurgat tamen aliquis objiciens, ejuſmodi ſacrificationem peractam phyſicè à Chriſto Domino immediatè ex altari, ac proinde compoſitionem litis inter Scholaſticos jamdiù agitatæ, continere doctrinam novam circa ſecreta Euchariſtica, nec in Scriptura Sacra repertam, nec ex traditione, Conciliis, aut Patribus deductam, nec à Theologia propugnatam; quamvis ex eis fontibus conſtet nobis, Chriſtum Dominum exercere munus Sacerdotis ſummi juxta ritum Melchiſedech, adeoque in ordine ad ſacrificium altaris. Cæterum invidus hic plerunque argumentandi ſtylus, & modus vires ſuas integras exerit quoque in oppoſitam ſenteutiam: quoniam licet ex inſinuatis monumentis colligatur irrefragabili ductu, Chriſtum Dominum exequi in vero aliquo ſenſu officia Sacerdotis ſupremi reſpectu cujuſvis ſacrificii, quod in Eccleſia peragitur; nullo pacto, nulla perſpicuitate, nullaque convincenti ratione deducitur, ipſum exercere ejuſmodi munia ex Empyreo; immò potiùs elicitur aſſertum noſtrum: quamplura enim teſtimonia Patrum congruentiùs, & connaturaliùs venire in ſenſum noſtrum, vidimus ſupra. Verùm ſint plerunque dubia, & in ancipiti conſtituta; cur licebit impunè aliis ea uſurpare de ſacrificatione ex Empyreo facta in altari, quod inſolitum, & nunquam auditum ſacrificandi modum importat; & vetitum nobis, illa accipere de immolatione ex altari facta ab eodem ſummo Sacerdote, cum ſit etiam ibi realiter præſens ante ſacrificationem (juxta plures) adſitque ſimul ibidem victima, juxta conſuetum ubique ſacrificandi modum?

Præterea quantum probabilitatis, ſolidæque rationis ſortiatur aſſertio noſtra, liquet ex communiori longè ſententia Theologorum, affirmante, Chriſtum Dominum in Cœlo orare formaliter, interpellare, impetrareque; ſi autem hæc non dedecent ipſum quà in ſolio regnantem (ut arguit contraria opinio), evidentiſſimum eſt, longè minùs poſſe decorum ejus appetere, ſi ab eo eliciantur in ſacrificio ex Euchariſtia, ubi latet exinanitus ſub ſpecie humillima, & aliena. Pariterque exploratum videtur, eſſe non poſſe contrarium ejus Majeſtati, ſacrificationis actum, & reliquos Miſſæ conſtitutivos principaliter, elicere ex Euchariſtia, ſi ex Empyreo liceat ipſi abſque Majeſtatis dedecore eaſdem functiones exequi. Secundò: vulgatiſſimum, & ferè inconcuſſum inter laudatos Scholaſticos eſt, actus illos à ſummo Sacerdote in Cœlo productos venire comitanter ad Euchariſtiam, etiamſi emittantur poſtquam jam adeſt replicatus altari: per ejuſmodi actus amat, intelligit, orat, offert, impetrat formaliter in altari, ſi talis conditionis ſint dum in Cœlo primò, & per ſe eliciuntur. Ergo ſi oblatio, exempli cauſa, fuerit conſtitutivum eſſentiale ſacrificii, ſitque poſterior ſacrificatione, ut graviſſimi Theologi, opinantur; verè in toto rigore offert ſummus Sacerdos ex altari per illum actum, & ex conſequenti ſacrificat aliquo modo, quamvis è Cœlo ſimul per eamdem numero operationem id efficiat.

Tertiò: quotquot adſunt Scholaſtici, qui nobiſcum ſentiunt, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus uti de facto per ſe primò ſenſibus, & Potentiis (quorum ſyllabum dedimus diſput. 2.) tot à fortiori reddunt valde probabilem præſentem aſſertionem: quia ſemel atque ex altari poſſet emittere actus acquiſitos miniſterio ſenſuum, ſeque exercere liberrimè per Humanitatem; poterit ex conſequenti offerre, orare formaliter, & impetrare; eum apud eoſdem Doctores plerunque erumpat in conſimiles actus è Cœlo; quin celſitudinem ſedis, quam dignè occupat, dehoneſtet, aut dejiciat. Rurſus ex Theologis ipſis, qui vero, & ſtrictò munere Sacerdotis fungi Chriſtum Dominum, docent, & comprobant, pauci ſunt, qui locum unde illud exequatur exprimunt, & dum in Cœlo ſacrificem illum practicè agnoſcunt, adeo raptim, & quaſi obiter id proferunt, ut excidiſſe illud verbum putes, magis quàm conſultò prolatum eſſe. Cum exadverſo officium Sacerdotis ſupremi ex altari determinatè exerceri à Chriſto Domino ſacramentaliter velato diſſertis verbis doceant Hugo, Magiſter Sent., Doct. Seraphicus, Innocentius III. (de jure Pontificio, & Pontificia Sede optimè meritus) ut ex eorumdem teſtimoniis, & locis præallegatis, oſtendimus ſupra. Ut verò conſtet, quàm promiſcuè Scholaſtici exercitium ſacrificandi attribuant Chriſto Domino modò quà in Empyreo florenti, modò quà in altari

tari conſtituto, opere pretium duxi unum, & ſanè undique egregium, omnibus numeris abſolutum, in nullaque propria aſſertione incomitatum, aut ſolum, quoniam, ut ducem illum ferè ſemper... *innumeræ comitantur aves*... Magnum Franciſcum Suarez, qui licet, tum alibi ſæpè, tum in ipſo loco mox recenſendo ſupponere videatur, ſummum Sacerdotem noſtrum in Cœlo offerentem ſacrificium, paulò ſuperiùs tamen, eumdem ex altari ſub ſpeciebus ſacrificantem inviſibiliter inducit tom. 3. in 3. part. diſp. 79. ſect. 2. §. *Ex his igitur*. Ubi diſſerit in hunc modum de Chriſto Domino quà ſummo Sacerdote ad ſacrificandum concurrente: *Quamvis Chriſtus nunc non ſit in ſtatu merendi, vel ſatisfaciendi, eſt tamen in ſtatu orandi, & impetrandi; & ideo quando hoc ſacrificium actu offert, intelligi poteſt impetrare eodem modo, ac cum eadem efficacia, quà id facit in Cœlo pro nobis orando*... Ubi extra dubium videtur illa verba: *quando hoc ſacrificium actu offert*, nequaquam referri ad ipſum, prout in Cœlis in propria ſpecie exiſtentem, ſed proùt in loco alio, altari ſcilicet; ſin aliter ineptè, & per comparationem nugatoriam dixiſſet oblationis, ſacrificii, & impetrationis actu non minùs efficaciter impetrare, quàm actu orationis, aut impetrationis, quem emittit è Cœlo non enim adeſſent extrema, quæ ad invicem conferret. Comparat igitur Chriſtum Dominum ſacrificantem ex altari cum ipſo orante ex Cœlo, actuſque ex utroque loco ab ipſo fluentes, comparat, inquam, illos in ratione, & efficacia impetrandi; quod adeo evidens apparet in ea collatione, ut ſolùm præ nimia rei claritate, poſſit aliquis cæcutire.

Num. 56. Ut verò radicitùs convellatur omnis ſcrupulus ab ejuſmodi odioſis reflexionibus excitatus, juvat recolere, quæ paulò ſuperiùs dicta ſunt de ſilentio Patrum Eccleſiæ multis ſæculis inviolatè obſervato circa myſteria hæc altaris, non ſolùm coram infidelibus, verum & Cathecumenis, ob motiva delibata ibidem. Unde ſolùm nobis luculenter ſcripta reliquere Patres, quæ ad ſubſtantiam arcani hujus, realem ſcilicet præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia, ad valoremque, & exiſtentiam ſacrificii incruenti neceſſaria fuere; reliqua verò ænigmatibus involuta ediderunt, & figuris tecta; quia nondum orbis ipſe primævis illis temporibus capax erat plerunque ſecretorum omnium, quæ intra arcani viſcera latebant (ne terrerentur à fide Pagani) latentque adhuc plura, & abſcondita ſemper viatoribus erunt non pauca; quamquamplurima, quæ prius latitabant, aperta fuere, clareſcente uberiùs die, ipſa Theologorum agitatione, & D. Thomæ ſingulari luce. Hujus alti ſilentii radix deſumenda eſt ex terræmotu illo, quo diſcipuli concuſſi Joan. 6. ſcandalum duriſſimum paſſi ſunt, nutantibus vel Libani Cedris: *Hoc vos ſcandalizat?*

Deinde novas hauſit rationes cautela ex ſilentio Pauli ad Hebr. 5. *de quo nobis grandis ſermo &c. Sed quoniam imbecilli eſtis ad audiendum &c.* Conſulantur Origenes Homil. 13. & Homil. 9. in Leviticum. Tertullian. lib. 2. ad Uxorem cap. 5. Theodoretus Dialog. 1. & 2. S. Athanaſius Dialogo 2. dum convincere falſitatis vult teſtes ab Adverſariis productos, arguit: *Si Cathecumeni intus erant, ergo non eſt celebrata oblatio*. Nazianz. orat. 42. S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Chryſoſt. Homilia 40. in 1. ad Corinth. *Volo quidem apertè hoc dicere, non audeo tamen propter eos, qui non ſunt initiati*. S. Auguſt. in Pſalm. 21. in 39. & in 109. Tractatu 11. in Joan. & Tractatu 96. Sozomenus lib. 8. Hiſt. Eccleſ. cap. 9. & ideo arcebantur Cathecumeni vel à ſolo Euchariſtiæ Sacræ conſpectu, ut conſtat ex concilio Carthag. 4. Canone 84. ex Dionyſ. de Eccl. Hierarch. cap. 3. Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. & S. Thom. 3. par. qu. 78. art. 3. ad 9. dixit: *Quòd Evangeliſtæ non intendebant tradere formas Sacramentorum, quos oportebat eſſe occultas, ut dicit Dionyſius in fine Eccl. Hier.* Propterea Epiphanius in Ancorato ita explicare volens Sacramentum & ſacrificium in Cœna à ſummo Sacerdote inſtitutum, ut ſimul cælaret arcanum, dixit: *Vidimus quòd accipit Salvator Noſter in manus ſuas, & ubi gratias egiſſet, dixit: Hoc meum eſt, hoc, & hoc*: loquens ſimul, & tacens. Ea de cauſa ænigmata diverſa invenere, quibus inter ſe loqui poſſent fideles, quin ab aliis perciperentur in Eccleſiæ infantia, & adoleſcentia quoque, ut refert Cardinal. de Bona lib. 1. rerum Liturgic. cap. 16. Interpretes, & Hiſtorici rerum Eccleſiaſtic. Neque mirum, cum id etiam familiare Sacerdotibus Gentilium fuerit, conſule Fabulam Mileſii, & Jamblicum in vita Pithag. cap. 32. Unde illud Virgilii 3. Æneid. *Hinc fida ſilentia ſacris*. Nota igitur ſunt proculdubio, & fide jam vulgata grandia Euchariſtiæ ſecreta, nondum tamen omnia reſerata; ipſaque cum Sectariis (quorum turba infamat ſæculum noſtrum) concertatione elucidantur ſplendidiùs jam cognita, & aperiuntur peregrina alia in ſinu præcedentium recondita, quibuſdam priùs igniculis ſcintillantia, & deinceps aperta luce conſpicua: neque enim vexatio parit duntaxat intellectum, ſed & veritatem interdum, & procedenti tempore, accedenteque ſuprema authoritate, fidem.

SECTIO QUARTA.

Argumentum, ineluctabile creditum ab Adverſariis, ex Triduo Mortis petitum, in quo Sacerdos eſſe minimè potuit CHRISTUS DOMINUS, *cum aliunde potuerit confici à D. Petro ſacrificium, apertiſſimè diluitur, quatenus poſſibilitas ſacrificii (quà de facto inſtituti) ſolidiſſimis rationum, & authoritatis momentis ab eo Triduo removetur, & exinde prætenſa ineluctabilitas nullo negotio ſuperatur.*

§. I.

Num. 57. LEVIORA jam propulſata fuerunt ſupra, majorem ſanè apparatum, quàm vim ſortita; ſupereſt modò exarmandum robuſtiſſimum illud argumentum, cui debet ſententia oppoſita ſuam tritæ, & probatiſſimæ opinionis ſubſtantiam, & quo fundamento corruente, illa, uti credimus, ægrè ſubſiſtere valet. Argumentum autem eſt hujuſmodi. In Triduo ſeparationis animæ Chriſti Domini ab exangui corpore potuit Divus Petrus conficere ſacrificium juge, conſecrando panem, & vinum eo prorsùs modo, quo conſecraverat recèns ipſe Chriſtus Dominus. Ita propè omnes Theologi cum Divo Thoma ſæpiſſimè, cum Doctore Seraphico, & primoribus aliis Theologiæ ſacræ. Præſertim cum Petrus de Soto conſecrationis poſſibilitatem in triduo fide certa tenendam pronuntiaverit ſect. 6. de Euchariſtia, ideſt ex fidei principiis deductam. Jam ſic: in eo eventu eſſet idem omninò ſacrificium incruentum, quod modò conficitur; ſed Chriſtus Dominus non poſſet exercere tunc ex altari munus principalis Sacerdotis, tametſi munus Victimæ ex illo ſubiret. Ergò ſacrificium, quod modò peragitur in altari, nequaquam conficitur immediatè phyſicè à Chriſto Domino quà in altari exiſtente. Conſequentia legitima eſt, tum à paritate, ſeu identitate; quia cum utrumque ſacrificium ſit idem, ſive ejuſdem rationis, ſi illud foret integrum, perfectiſſimumque, abſque concurſu ſummi Sacerdotis, falsò adſtruitur modò pro omni conſimili ſacrificio neceſſarius influxus ille. Tum quia, ſi ſacrificium, quod modò celebratur, poſtulat per ſe confici principalitèr à ſupremo Sacerdote, jam forent duo ſacrificia planè diverſa; cum illud in hypoteſi facta confectum neutiquam id exigeret. Si verò nec præfatum concurſum poſtulet ſacrificium, quod nunc celebratur, fallit eo ipſo ſententia noſtra neceſſitatem illius concurſus adſtruens: & voluntariè diceret, concurrere quidèm, ſed non neceſſariò; cum neceſſariò debeat concurrere ut ſummus Sacerdos modo aliquo.

Rursùs ſi ſacrificium ex ſe, & ſua inſtitutione, operationes immediatas non expoſcat, non poſſet eſſe principium per ſe illius ſacrificii Sacerdos ſupremus; cum ex Philoſophia notum ſit, cauſam per ſe poſtulari ab effectu; quòd verò concurrat ad ſacrificandum quaſi per accidens ſummus Sacerdos, nec ipſum decet, nec ſacrificium exaltat, aut nobilitat; cum eo ipſo exigeret Miniſtrum tantùm, aut disjunctivè vel Sacerdotem ſupremum ſimul cum inferiori; vel hunc tantùm; itaut æquè contentum foret alterutro ex his extremis. Major verò eſt evidens ex principiis fidei, cum unicum ſit tantùm ſacrificium incruentum à Chriſto Domino inſtitutum, & Eccleſiæ ſuæ relictum, omnem Hoſtiarum, & ſacrificiorum differentiam, diverſitatemque, unius Hoſtiæ immolatione, & oblatione ſubvertens, uti ex orthodoxa doctrina novimus, & credimus.

Minor facilè demonſtratur; cum indubitatum modò jam ſit, contra Hugonem, & Magiſtrum Sentent., nec eſſe poſſe, nec dici ſimplicitèr Sacerdotem formalitèr in ordine ad actum ſecundum ſacrificandi animam Chriſti Domini ſeparatam à corpore (nec alterius Sacerdotis), ſed radicalitèr ſolùm, & incompletè; quatenùs vel caractere inſtructa remaneat in anima alterius Sacerdotis; vel poteſtas excellentiæ titulo unionis hypoſtaticæ in anima Chriſti Domini; eo quod ſolus homo eſſe poſſit in actu exercito Sacerdos; & aliundè anima tantùm ſecundum ſe accepta, & prout à corpore ſejuncta, nullo pacto eſt completè, & ex integro homo, quippe qui poſtulat ſimul corpus, ut conſtitutivum eſſentiale. Ita adversus Hugonem de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 1. cap. 11. & adverſus Magiſtrum 3. Sent. diſt. 22. D. Thomas 3. p. quæſt. 52. art. 3. & ad Anibaldum in 3. diſt. 22. art. 1. ibi: *Et ideò communis opinio eſt, quòd Chriſtus in Triduo non fuit homo, quia hominem faciebat eum quaſi materialitèr corporis, & animæ aſſumptio; ſed formalitèr eorum invicem conjunctio, quæ ſoluta fuit in Triduo*: & ibidem in reſponſione ad tertium: *Sacerdos dicitur aliquis duplicitèr uno modo ratione characteris, qui manet in anima poſt mortem, & ſic aliquis poſt mortem poteſt dici Sacerdos. Quamvis enim fortè in anima Chriſti non ſit ratio characteris, eſt tamen ibi ſpiritualis poteſtas Sacerdotis. Alio modo quantum ad Sacrificii oblationem, quæ eſt executio Sacerdotis, & ſic nec Chriſto, nec alteri convenit Sacerdotium, animo à corpore ſeparata.* (Undè ſi alicubi oppoſitum innuat, uſurpandus in ſenſu radicali, ob ſpiritualem eam poteſtatem). Idem docet Seraphicus Doctor in 3. diſt. 22. Ergò Chriſtus Dominus non potuiſſet exequi munus Sacerdotis ſupremi in ſacrificio celebrato in triduo illo. Nec prudentèr revocari poteſt in dubium veritas ſuppoſitionis, ſive major, quòd nimirùm potuerit confici ſacrificium incruentum in eo triduo: tum quia hæc eſt veluti maxima quædam Theologiæ ex Divo Thoma, ubi nuper

hau-

hauſta, & inſuper ex 3. p. q. 76, art. 1. & 2. & qu. 81. art. 4. de qua diſſerens Eximius Doctor tom. 3. in 3. p. Diſp. 47. ſect. 2. oppoſitam doctrinam ſuggillat dicens: *Sed hæc ſententia falſa eſt, & communi doctrinæ Theologorum contraria*. Quod maximè urget ex poteſtate Apoſtolis abſolutè data in nocte Cœnæ ad celebrandum Sacrificium, abſque diſtinctione, aut limitatione temporum; quam illimitationem ex principiis fidei deſcendere contendit Sotus, ut diximus, aut præſupponit. Potuit igitur Apoſtolorum Princeps in eo Triduo rem Divinam facere, ut expiaret negationem, dum calebat adhùc, & cum ſanguine Chriſti Domini per terram fuſo, & in calicem ſacrum collato, jugique ſacrificio, miſcere fletum proprium, jugem etiam, & perennem, qui nec finem niſi in morte viderit, nec ripam exundaos noverit.

Num. 58. Confirmatur: quoniam confici nequit Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, quin eo ipſo peragatur Sacrificium Euchariſtiæ, ſive illud ſitum credatur formalitèr in ea conſecratione, ſive in oblatione ſubſequenti, ſive in alia actione. Et cum aliundè ex vi verborum nullatenus ponatur integer Chriſtus Dominus, ſed præter corpus, & ſanguinem reliqua omnia deferantur nunc per concomitantiam, quia ſunt illis conjuncta actu (in eo autem eventu, quia plura disjuncta forent, minimè illa per concomitantiam venirent) neceſſariò colligitur, ſacrificium, quod modò celebratur, peragi poſſe præciſivè omninò à reali præſentia Sacerdotis ſummi in altari, ſicuti fieret in præfato Triduo, ſin minùs fortiri debuiſſet conſecratio, verbaque, vim conſtituendi Sacerdotem ſupremum in altari, quà ſacrifex eſt, ad offerendum, aut ſacrificandum, cum ſine ipſo influente, & immolante exiſtere non poſſit ſacrificium. Et ex conſequenti jam non per concomitantiam poni deberet anima, ſed ex vi verborum etiam, & quidem eſſentialiter, non minus ac eſſentialiter requiritur præſentia Sacerdotis ſubalterni, ſine quo fingere verum ſacrificium, eſt planè idem ac ſomniare effectum realitèr fluentem abſque principio aliquo, è quo profluat. Incipiam à confirmatione, ut quantocyus expeditus à levioribus difficultatibus, animum, nervoſque intendam, collatis ex integro viribus, in ſubvertenda argumenti principalis machina.

Fallit itaque confirmatio primò: quia ad ſalvandam omnimodam neceſſitatem præſentiæ realis ſupremi Sacerdotis, quà talis, in altari, ad ſacrificandum, ſatis eſt, quòd ſupremus hic Sacerdos indefectibilitèr nunc, & eſſentialitèr debeat reddi præſens per concomitantiam, ex vi inſtitutionis ſacrificii, quà juxtà præſentem providentiam inſtitutis quin debeat eſſe ex vi verborum; quoniam hoc deſtrueret in ipſo ſacrificio incruento conceptum formalem repræſentandi cruentum per diviſionem ſanguinis à corpore, quantum eſt ex vi verborum. Ut enim præſentia magni Sacerdotis conſtituatur realiter in altari, tamquam eſſentialiter prærequiſita, ut ſacrificium conficiatur, neceſſe non eſt, quòd ponatur omni titulo, dummodò ex aliquo neceſſariò poni debeat. Quia licèt anima Chriſti Domini & reliqua præter corpus, & ſanguinem minimè ponantur ex vi verborum, & ſignificatione; ponuntur attamen ex eorumdem verborum efficacia, ut docent modò Theologi, efficaciam à vi diſtinguentes cum D. Thoma 3. p. quæſt. 81. art. 2. ad tertium, & Doct. Eximio Diſp. 51. ſect. 4. ſemel autem quòd Chriſtus Dominus ex verborum efficacia neceſſariò præſens fiat altari, jam eo titulo conſtitui poteſt ut ſummus Sacerdos reſpectu ſacrificii, per ſacrificationem ſubſecutam, conſtitui. Quòd igitur non ponatur ex vi, & ſignificatione verborum, neutiquam arguit, quod non ſit ſummus Sacerdos, & ſacrifex per ſe requiſitus in altari, ut ex eo fungatur officio illo.

Id autem adeò firmum eſt, ut vel ipſi Scholaſtici, qui poſſibiltatem Sacrificii in Triduo admittunt, & ex alia parte phyſicum concurſum ſummi Sacerdotis, & immediatum deſiderant, ut omninò neceſſarium, reputant animam Chriſti Domini in eo eventu adſuturam altari, quamquam non ut informaret corpus, ſed ut efficeret ejus præſentiam realem ſub accidentibus, ut ex illo phyſicè influeret ſeipſa immediatè, offerretque, uti ex commendata Theologia colligere videtur Eximius Doctor Diſputat. 48. ſect. 2. Id quod deduci putant nonnulli ex quadam doctrina generali Divi Thomæ 3. p. quæſt. 52. art. 3. ex Sancto Auguſtino lib. 3. de Symbolo capit. 7. eſſetque tunc, licèt non Sacerdos formaliter, aut Sacerdotiſſa anima, æquivalenter tamen, quatenùs ſuppleret munus formalis Sacerdotis ſupremi; & nihilominùs illa non poneretur tunc, nec vi verborum, nec ex eorumdem efficacia per concomitantiam, quia oon foret copulata corpori, nec ullo modo conjuncta ſanguini: tanta exiſtimatur neceſſitas præſentiæ ſummi Sacerdotis in altari.

Ex quibus infertur, ſacrificium juge expetere per ſe concurſum ſummi Sacerdotis inviſibiliter altari præſentis, & ſacrificantis, quin unquam confici valeat ſupremo Sacerdote immediatè phyſicè non ſacrificante. Miniſtrum autem viſibilem poſtulari ita, ut quolibet vero Sacerdote contentum ſit, ſive adſit viſibiliter ipſe ſupremus Sacerdos, ut in nocte Cœnæ, ſive Miniſter alius inferior, aut ſubalternus, ut nunc fit in altaribus; ut ſic idem prorſus ſit ſemper ſacrificium formaliter. Quapropter dum Apoſtolus docet 8. Hebr.. *Si ergo eſſet ſuper terram non eſſet Sacerdos, cum eſſent, qui offerrent ſecundum legem munera*, loquitur ſolùm de Sacerdotio legali, & Victima pariter legali, viſibilique; non de Sacerdotio, quod ipſe exequitur ſecundum ordinem alium:

quod exercet inviſibilitet, ut potiſſimus Sacerdos, exercuitque etiam in nocte Cœnę, tametſi ſimul viſibiliter officio Sacerdotis functus fuerit. Tertiò: quoniam probat nimium hæc confirmatio, & propterea nihil: ſiquidem aut eſt prorſus inermis, aut probat ſummum Sacerdotem nullo pacto prærequiri neceſſariò ad ſacrificium; quia vi verborum non ponitur ut ſummus Sacerdos in Euchariſtia; ut verò in Cœlo ſedens minimè per ſe ſupponitur ad conſecrandum, nec à conſecratione ipſa, ut paſſim docent Theologi. Quartò: quia ex vi verborum ſolùm debuit poni in altari; & ſignificari id, quod eſſentialiter requiritur ad conſtituendum Sacramentum; conſequenterque nullatenus omne illud, quod per ſe requiritur ad ſacrificium: dum hoc non couſtituatur per ipſam conſecrationem utriuſque ſpeciei, ſed per functiones alias, aut actus ſubſecutos ad conſecrationem, ut nobiles Scholaſtici docent, & nos putamus omnino verum. Et ex radice hac præſupponendi conſecrationem veram ſacrificationem, ſubindeque ex ignoratione conſtitutivorum utriuſque, oritur confuſio, omnia etiam divina ſuſque deque verſans, & nebulis ita involvens, ut ægerrimè ſuam propriam ſententiam videat ejuſdem Auctor.

Num. 59. Regredimur jam ad vires principalis argumenti enervandas, & ſanè illud eodem impetu quatit pariter oppoſitas ſententias: ſupponimus enim hic, Chriſtum Dominum obire actu immediatè nunc munia Sacerdotis relatè ad ſacrificium incruentum: ſolùmque examinatur, ſubeat ne munus illud è ſede Cœleſtis Magnitudinis, an potiùs ex ara ipſa altaris? Inſuper covenimus omnes in eo, quòd nequeat actu exequi officium Sacerdotis, niſi actu formaliter ſit homo, conſtitutus per nexum ſubſtantialem animæ rationalis eum corpore: ſubindeque Animam Chriſti Domini ſeparatam à Corpote in Triduo, tametſi copulatam Perſonalitati Verbi Divini, nequaquam eſſe actu fotmaliter Sacerdotem, ſaltem ita proximè, ut fungi valeat officio ſupremi Sacerdotis; ut ex D. Thoma, & conſenſu Theologorum contendit, & convincit objectio ipſa. Ergo vel in Triduo non poſſet confici juge ſacrificium; vel dicendum, illud in præfato eventu peragendum, futurum diverſum à ſacrificio, quod modo celebratur in Eccleſia, quod abſurdè prorſus aſſeveraretur. Vel affirmandum, Chriſtum Dominum non exercere actu officium ſupremi Sacerdotis per ſe immediatè neceſſariò; (& quidem nec adhuc moraliter ſtricte); quod repugnat ſuppoſitioni, ex qua procedimus utrinque; vel concurrere ſolùm per accidens; quod eſt alienum à dignitate ſummi Sacerdotis, per ſe primò ordinati ad hoc ſacrificium conſiciendum. Vel tandem, ut omnes haſce illationes fugere preſumas, ſentiendum, concurſuram in facta hypotheſi Animam Chriſti Domini, tum per ſe, tum etiam elevando Corpus (quamvis illud non informaret), ſuppleturamque æquivalenter munia Sacerdotis completè ſumpti, ut florentiſſima Adverſariorum manus tuetur: & ſic, vel pro nobis etiam ſatisfacis objectioni, vel inſufficienter pro teipſo reſpondes; quod ultimum eſt planè verum, cum exigatur formale Sacerdotium ad ſacrificium formale. Sin minus omnis dignitas æquivalens dignitati Sacerdotis ſacrificare ſtrictè poſſet; quod eſt alienum à ſacra Theologia, & à præſente providentia.

Eodem pacto pro nobis ſimul occurreret, qui fingeret, in caſu illo informaturam animam corpus, divina virtute ſanguinem ipſi infundendo ad breve illud tempus, non ut reſurgeretglorioſum, ſed ut quaſi ad inſtans ſolum obiret officium Sacerdotis magni, quouſque adveniret præſtitutum intra triduum tempus reſurrectionis glorioſæ; quod non probo. Nihil igitur opponit decantatus ille eventus, & diſcurſus, qui nobis objicitur, non ſolvendum pariter ab objicientibus, pro ſe, & pro nobis ſimul: quod inerme ſemper, & noxium, miſerumque ſæpiſſimè arguendi genus eſt. Non diffitebor attamen ſed libentiſſimè fateor potiùs, me jamdiù valde propendere in ſententiam negantem poſſibilitatem in Triduo illo jugis ſacrificii, (ut ut, res ſe habeat circa poſſibilitatem conſecrationis, ponentis Corpus, Sanguinemque, non tamen ſacrificantem; ſi hoc aliunde non repugnet) ſecundum quod de facto, in præſentique providentia, iuſtitutum eſt; (niſi quatenus admittas divinitus poſſibilem, etiam juxta providentiam hanc, introductionem Animæ Chriſti Domini ad informandum Corpus ante reſurrectionem ſimpliciter, & gloriam Corporis, in ordine ſolùm ad eam ſacrificationem, ut libatum fuit nuper; id quod mihi neutiquam placet): in alia namque ſacrificii inſtitutione, & indole, id fieri potuiſſe, manifeſtum eſt, ita tamen, ut reſpectu illius neutiquam eſſet verè, & propriè Sacerdos principalis, & ſupremus Chriſtus Dominus. Vergere, inquam, pœnitus in eam ſententiam, cujus oppoſitam ſupponit objectio facta inconcuſſam, religionemque exiſtimat, aſſeruiſſe noſtram; quod ſcilicet juxta præſentem ineffabilis ſacrificii inſtitutionem confici nequaquam potuiſſet juge ſacrificium à D. Petro, aliove Apoſtolo, in Triduo mortis Chriſti Domini: quandoquidem opinio hæc, nec deſtituta invenitur auctoritate extrinſeca, magnaque ex eo capite probabilitate, ut apparebit ſtatim, nec ſolida ratione, qua moveor, vehementerque excitor ad illam apertè propugnandam; nec enim expediebat, ut Corpus Domini cruentatum adhuc, duranteque Victima, quà cruente ſacrificata, fieret ſimul Victima incruenta in altari.

Num. 60. Tenuere ſententiam hanc viri doctiſſimi, & inter Proceres rerum Theologi-

logicarum juremeritò computandi, & quidem ultra facilè Principem Div. Thomam, mox recenſendum, qui vel ſolus ſatis ſuperque foret ad ſummam illi auctoritatem conciliandam; videlicet, Hugo Victorinus lib. 3. de offic. Eccleſ. cap. 20. & uberiùs, luculentiùſque lib. 5. & ſecundo Codice, Miſcellan. cap. 43.: (qui liber paſſim Hugoni attribuitur, tametſi refragentur nonnulli) Rupertus lib. 6. de Divinis offic. cap. 3. Durandus in Ration. Divin. lib. 6. cap. 77.: Gloſſa in cap. *Timorem* de Conſecr. diſt. 2. Franciſcus de Rovere ad ſummum Pontificatum poſtea digniſſimè evectus ſub glorioſo nomine Sixti IV. in manuſcripto *de Sanguine Chriſti* aſſervato in Bibliotheca noſtri Collegii Romani, quem refert, & ſequitur Cardin. de Lugo diſput. 19. ſect. 6. pro cadem opinione adducens Patrem Ægydium Conink. ajentem: *Chriſtum nunquam voluiſſe, hoc ſacrificium celebrari, quin ſub utraque ſpecie totus poneretur*; quod nullatenus contingeret, ſi fieret conſecratio in Triduo. Ledeſma quæſt. 17. artic. 1. dub. 5. exiſtimans, verba conſecrationis eſſentialiter poſtulare, ut Chriſtus Dominus conſtituatur vivus in Euchariſtia, proptereaque poni minimè potuiſſe ſub ſpeciebus in Triduo; vel quia in Euchariſtia eſt vivificans, ad quod munus exercendum ritè, debet eſſe vivus; vel quia Chriſtus Dominus non conceſſit Diſcipulis eam poteſtatem, niſi ut exercendam poſt reſurrectionem. Ita refert ex ipſo Doctor Eximius diſput. 47. ſect. 2.: P. Gregorius Rhodes diſput. 2. de ſacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 2. *ad ſecundum*, ibi: *Si Chriſtus nullibi exiſteret, & poneretur ſub ſpeciebus, nullo modo ſacrificaretur, quod puto evinci clariſſimè argumento illo, quod attuli, quia nihil occiditur, niſi priùs fuerit vivens. Chriſtus ergo, ſi nullibi exiſteret, & poneretur hic mortuus, certè non diceretur mactari, mactatio enim immutatio quædam eſt ad ſignificandum tranſitum ab uno ſtatu ad alium. Alioqui ſi offerretur Deo Agnus mortuus, diceretur ſacrificari. Non ſufficit ergo, ut victima mortua ſit, ſed debet mori, & immutari ab eo, quod priùs erat.*

Quod fusè proſequitur, ſubjungens tamen contra P. Vaſquez, neceſſarium non eſſe, quòd præſupponatur vivens in Euchariſtia, in qua immolatur, dummodo alibi vivens exiſtat (quod contingere non potuit in Triduo) & concludit: *ideoque fateor, quòd ſi non exiſteret alibi Chriſtus, & per conſecrationem hic poneretur, non eſſet ſacrificium, quia nihil mactatur, quod prius non vivat*. Eandem amplectuntur Quartus in Appendice de Sacrificio Miſſæ quæſt. 1. punct. 7. Garzia in Summa Morali de Excellent. Sacer. tract. 3. difficult. 1. dub. 4. punct. 1., Peña, Henao tom. 1. de Sacrificio Miſſæ diſp. 3. ſect. 4. Dicaſtillo, Victoria in Relect. de Poteſtate Eccleſ. quæſt. 4. In Triduo igitur, aut biduo, in quo ſupponitur mortuus realiter Chriſtus Dominus, nullibique vivens, quà formaliter homo, impoſſibilis eſt ejuſdem ſacrificatio, juxta mentem hujus Theologi, commendatiſſimi procul dubio, etiamſi permittatur poſſibilis conſecratio quà purum Sacramentum Euchariſtiæ conficiens. Idemque dicendum juxta mentem P. Vaſquez (ut ab eodem allegatam) & quidem ſtrictiùs adhuc, cum deſideret vitam actualem Hoſtiæ in eodemmet altari, in quo immolari debet. Favent non pauci ex illis Scholaſticis, qui cum D. Thoma, Alcuino, Rabano, Amalario Fortunato, Theodoro Balſamone, & Durando in Rationali, eas congruentias adducunt ad firmandam conſuetudinem Eccleſiæ Sanctæ non celebrandi in die Paraſceves, ut ex illis valde probabiliter deducatur, nequaquam peragi potuiſſe Miſſæ Sacrificium, prout de facto inſtitutum, in Triduo illo, in quo ſummi Sacerdotis Corpus vulneratum jacuit ab anima deſertum, Divinitati tamen ſemper conjunctum, itaut mors & Divinitas convenirent ſimul intra hoſpitium illud, prodigium omni ſtupore dignum, & à nulla imaginationis, & intellectus audacia excogitatum.

Accedamus igitur ad audiendos Doctores illos, qui ad rem noſtram locuti fuere: & primus loquatur Div. Thomas 3. par. q. 83. art. 2. ad 2.: *Dicendum, quòd veniente veritate, ceſſat figura. Hoc autem Sacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicæ Paſſionis, ut dictum eſt, & ideo in die, in qua ipſa Paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio hujus Sacramenti*. Hæc autem congruentiæ ratio vel nihil probaret circa materiam, de qua diſſerebat S. Doctor; vel ſuadet pariter materiam ſubjectam. Namque, ſi Eccleſia non debet celebrare ſacrificium incruentum in Paraſceve, quia veniente veritate ceſſat umbra, & ſacrificium incruentum eſt exemplum, & imago cruenti, quod in die Paraſceves directè exprimitur; à fortiori in Triduo illo, in quo Paſſionis ſubjectum, ut vita privatum, morſque ipſa perſiſtebant realiter, ceſſare debuit ejus repræſentatio, figura, imago, aut exemplum, juxta illationem Div. Thomæ. Silere debet repræſentatio ſacrificii cruenti in altari, quæ fieret per juge incruentum ſacrificium, veniente ſolùm alia repræſentatione ſacrificii cruenti immediatè, & directè ad illud in ſeipſo terminata, ut contingit modo in Paraſceve; & credendum eſt loqui potuiſſe apertè, immo loqui cæpiſſe, non jam veniente alia repræſentatione, ſed ipſamet veritate realiter exiſtente, & morte, quæ per alias repræſentatur, phyſicè durante?

Num. 61. Quamvis enim ſi conſecraretur validè in Triduo, utrobique foret Corpus realiter mortuum, & Sanguis realiter à Corpore ſeparatus: & ideo utrobique eſſet veritas, reſque ipſa repræſentata, & non repræſentatio tantùm ex parte ſacrificii incruenti; cæterum jam in uno extre-

mo , nempe in ſacrificio incruento repræſentante , conjungerentur veritas, & repræſentatio ; & hoc eſt , quod S. Thomas ſupponit inconveniens ; quoniam adeſſent ſimul Corpus , & umbra illius ; immo ex eo ipſo, quòd veritas inveniretur ibi replicata , adeſſet , juxta ratiocinium Divi Thomæ , replicatum etiam excluſivum repræſentationis , creſceretque propterea magis , quàm deſineret cauſa repugnantiæ . Revera tamen ex vi verborum non poneretur Corpus determinatè, ut mortuum, nec ut vivum, ſed præſcindens à vivo , & mortuo : adeoque repræſentatio illa ſecundum ſe formaliter præſcinderet à veritate mortis, ut actu exercitæ tunc ; verumtamen illa exiſteret , cum qua idcirco conjungi reipſa non debet repræſentatio , nec jure poteſt coeſiſtere umbra luci . Inſuper licet mors repræſentata eſſet utrobique vera ; ſacrificium attamen non foret cruentum utrobique , ſed cruentum in re repræſentata , & incruentum in repræſentatione ; quod repugnare ſuppouit D. Thomas. Etenim licet non perſeveraret tunc ſacrificium cruentum formaliter in actione, perſiſteret tamen Hoſtia immolata, ut immolationis terminus , & ſubjectum : cum qua ſimul conjungeretur ſacrificum incruentè repræſentativum , & ex conſequenti veritas cum repræſentatione , aut umbra .

Verum equidem eſt , ejuſmodi illationem Div. Thomæ formaliter uſurpatam non convincere invaliditatem conſecrationis, quæ fieret in Triduo , ſed illam tantum non expedientem , & exinde ad ſummum illicitam ; ſicut contingeret modò , ſi in die Paraſceves Miſsa ex integro conficeretur ; eo quod poteſtate Sacerdotibus ſemel conceſsa, exercitaque per totum orbem , non debuit valor uſus illius limitari, ne verteretur pro reliquis etiam eventibus in dubium ; ſed præcepto ſolùm cohiberi , cujus transgreſſio refundatur ſolùm in malitiam celebrantis. At verò in prima illius inſtitutione , dum Apoſtolos inſtituebat Sacerdotes non debuit poteſtas celebrandi conferri eiſdem , niſi ut exercenda poſt reſurrectionem ; ne alioqui inordinatio conjungendi figuram cum re figurata, & alia incommoda mox producenda , tribuerentur inſtitutori . Id etiam præſupponere videtur S. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 21. differens de ſacrificio juge : *Hujus ſacrificii Caro* , inquit, *& Sanguis ante Chriſti adventum per victimarum ſimilitudinem promittebatur ; in Paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur ; poſt Aſcenſionem Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur*. Quaſi nonniſi poſt Aſcenſionem celebrandum ab Apoſtolis inſtituerit ſummus Sacerdos ſacrificium incruentum : eo quod tempore Paſſionis , & in Triduo mortis, per ipſam veritatem exiſtebat mors præſens; quæ idcirco repræſentari tunc per Sacramentum memoriæ non debuit , cum hæc ſit præteritorum , nullatenuſque præſentium . Firmatque congruentiam , quam inſinuat Sanctus Thomas , quòd nimirum umbram fugat veritas.

Num. 62. Expreſſiùs adhuc ſententiam noſtram protulit Gloſſa in allegato cap. *Timorem* 25. de Conſecr. diſt. 2. verbo *Corpus*, ubi dubium excitans de validitate conſecrationis in eo Triduo , illud reſolvit in hunc modum : *Reſpondeo : nemo potuit ante reſurrectionem conficere verum Corpus Chriſti , niſi Chriſtus . Sic ergo data eſt forma , ut poſt reſurrectionem hoc fieret per illud. Hoc facite in meam commemorationem . Ideo enim non cantatur Miſſa in illo Triduo*. Quòd autem prædicta Chriſti Domini verba : *Hoc facite in meam commemorationem* , innuant , non fuiſſe datam Apoſtolis poteſtatem conficiendi tunc pro tunc , ſive pro Triduo mortis , ſed tunc pro tempore ſubſequenti reſurrectionem , congruentiſſimè infertur ex eo , quod mortis præſentis non detur commemoratio , ſed ſtupor , horror , & erga morientem pro liberatione Mundi amor . Et rurſus , quia nonniſi in Perſona Chriſti Domini , & nomine ipſius ſummi Sacerdotis juxta ritum Melchiſedec peragi poteſt conſecratio à Miniſtris : *Forma hujus Sacramenti* , ait Div. Thomas 3. part. quæſt. 78. artic. 1. Corp. *profertur quaſi ex Perſona Chriſti loquentis* . Et aliunde tempore illo , quo anima fuit à Corpore ſeparata , minimè erat formaliter , & ex integro Sacerdos Chriſtus Dominus , ut Div. Thomas ipſe docuit ſupra ; nequit autem confici nomine ipſius ut Sacerdotis principalis actu , & vero aliquo modo celebrantis illud ſacrificium, dum ille Sacerdos non eſt , nec ullo pacto celebrare poteſt , niſi ponatur vi verborum integer ille in altari pro poſteriori ad verba , & pro priori ad ſacrificium ; quoniam alibi totus exiſtens nec eſſet tunc, nec ſupponeretur , etſi adeſſet : nec ſufficeret ad ſacrificandum illa abſens exiſtentia , licet adeſſet , aut ſupponeretur . Si verò non ejuſdem nomine tanquam Sacerdotis principaliter per Miniſtrum celebrantis , conficeret miniſter ſacrificium Euchariſticum ; jam Sacerdos ille , qui tunc conſecraret, & conficeret ſacrificium , operaretur , ut ſucceſſor Chriſti Domini , & non Vicarius , aut Miniſter : ſiquidem Chriſtus Dominus non foret actu , & formaliter Sacerdos in eo Triduo , ut fuit in nocte Cœnæ . Secus autem D. Petrus, qui propterea ei ſucceſſiſſet in conficiendo tunc jugi ſacrificio .

Loquatur etiam S. Avitus in ſermone *de Natali Calicis*, ubi docens , teſtamentum novum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ , & ſacrificium Euchariſticum , adjungit : *Iſtud teſtamentum novum , veteri ſuppleto , ordine ſuo agitur , & totius firmitatis myſteriis celebratur. Verùm quando teſtamentum hoc , mortuo Teſtatore, aperiendum erat , ſine cujus apertione , nec hæreditas adiri , nec ejus poſſeſſio capi poterat ? Quod ipſe ineffabilis Redemptor Noſter , adhibitis valde idoneis teſtibus , diſci-*

pulis

pulis ſuis conſcripſit traditus ; ſignavit paſſus, aperuit ſuſcitatus . Non igitur niſi poſt Reſurrectionem aperiri debuit, atque adeo myſterium celebrari minimè potuit in Triduo, nondum aperto teſtamento . Loquatur Alcuinus de Divinis Officiis diſputans de officio Paraſceves , ubi ex Innocentio Primo (qui cæpit ſedere in Cathedra Petri anno Domini 402.) ait : *Cur autem hodie Miſſa non cantatur , neque in Sabbato Sancto, donec ad vigilias noctis?* (ut eo tempore conſuetum erat) *S. Innocentius Papa in decretalibus dicit : iſto biduo Sacramenta pœnitùs non celebrari , quia percuſſus eſt Paſtor , & oves ejus gregis diſſipatæ ſunt : ſeu quod Apoſtolos, quos imitari debemus , iſto biduo in triſtitia, & mœrore fuiſſe , & jejunos uſque ad Reſurrectionem permanſiſſe , credimus . In die Paraſceves ideo non cantatur , quia ipſa die Jeſus Chriſtus ſeipſum obtulit Deo Patri pro nobis , & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentium .* Ubi notandum , non omnia verba producta inveniri in cap. *Sabbato* (ex eodem Innoc. Epiſt. 1. ad Decentium cap. 4.) de Conſecr. diſt. 3. referuntur attamen penè omnia ex Innocentio ab Amalario Fortunato lib. 1. de Eccleſ. Offic. cap. 13. tametſi in alia ejuſdem editione ſimul cum aliis Divinorum Officiorum tractatibus in unum collectis per Melchiorem Hittorpium , verba , quæ Amalarius adjungit tamquam Innocentii I. quæque non referuntur in cap. *Sabbato* , non reperiantur , quia ſecutus eſt manuſcriptum aliquod , in quo non extabant : vel quia maluit adducere verba Innocentii , proùt à Gratiano relata , quàm proùt ab Amalario Epiſcopo Niverenſi recenſita . Cum tamen omnia illa ab Alcuino ſimul adducantur, vix dubitari poteſt , ita ea tempeſtate circumferri paſſim . Gratianus autem in eo cap. *Sabbato* 13. ſeligere potuit ex Epiſt. Innocen. id quod ad finem hortandi ad jejunium rigoroſum illius bidui faciebat , reliquis prætermiſſis (quamvis , vel ea , quæ refert nobis ſufficerent) : quemadmodum apicula legit ex floribus , quæ ad mellificandum conducere poſſunt , interruptis morſibus , aut libaminibus .

Num. 63. Præfata itaque verba , uti convincunt , expedientiſſimum eſſe , non conſecrare modò in officio , & die Paraſceves , adeoque licitam minimè eſſe conſecrationem ; ita à fortiori probant , non licuiſſe in Triduo illo Mortis . Exinde autem rurſus prudentiſſimè colligitur , ejus naturæ fuiſſe hujus arcani maximi inſtitutionem , ut nonniſi poſt Reſurrectionem potuiſſent valide Apoſtoli myſteria hæc Divina conficere : & ex conſequenti quamquam fuerint in Cœna conſtituti Sacerdotes ; non tamen cum facultate expedita illicò exercendi munus Sacerdotale ; ſed poſt Gloriam Corporis, capitis ſui Reſurrectione comparandam. Ratio eſt , quia poteſtas expedita pro immediatis illis diebus , in quibus illius uſus conveniens minimè erat , noxia foret potiùs, quàm utilis, cum eſſet facultas proxima , conceſſa rudibus adhuc diſcipulis , ſive nondum ſatis illuminatis : quapropter illa abuti poſſet aliquis eorum , eam ad praxim reducens ; imputareturque abuſus ille in eis circumſtantiis Inſtitutori . Vel debuiſſet ſaltem prohiberi ipſis ; quod nec conſtat , nec hujuſcemodi prohibitionis veſtigium apparet in Evangelio , aut in traditione . Quamobrem , quòd Paſtor percuſſus fuerit tunc , & oves errabundæ , diſperſæque : quòd perſiſteret victima , aut Hoſtia cruenta , ut cruentè oblata , & id genus conjecturæ à Patribus , & Theologis adductæ , quæ probant illicitum uſum conſecrationis in die Paraſceves ; ſuadent eadem efficacitate conſecratiois invaliditatem in Triduo ipſo Mortis Chriſti Domini , Scio eumdem Amalarium in eodem libro cap. 15. ex quibuſdam verbis Ordinis Romani , cujus proculdubio nactum fuerat exemplar corruptum (ut ſuſpicatur , & refert Andreas Sauſſay in Panoplia Sacerd. lib. 1. §. 2.) propendere tantiſper in ſententiam dicentem , confici verùm ſacrificium in officio Paraſceves ; quatenus putabat ſententia illa , ſeu potiùs error apertiſſimus , vinum in eo officio conſecrari verè , & propriè per mixtionem Hoſtiæ reſervatæ à præcedenti die , cum illo aliunde non conſecrato . Revera tamen ibi Hiſtoricum purè agit ; niſi de conſecratione , loquatur , in ſenſu lato , deſignante ſolùm ſanctificationem quamdam vini per quaſi contactum , mixtionemque Corporis Chriſti Domini cum ipſo . Sic enim dicitur in ordine Romano : *Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem* . Et ad hunc modum explicat eam ſanctificationem Durandus in Ration. Divin. Officior. cap. 75. num. 5.

Scio inſuper eumdem Amalarium lib. 4. cap. 20. apud Cardin. de Lugo ſupra ſect. 3. aſſeruiſſe in Officio Paraſceves includi , & reperiri alio titulo veram Miſſam , ſicut illa peragebatur in primitiva Eccleſia ; quo ſubvertere videtur doctrinam , quam ex ipſo ſtabilire conamur , ſumpto argumento à conſuetudine (& illius ratione) Eccleſiæ non celebrandi tunc ſacrificium , ad invaliditatem, ſive impoſſibilitatem illius (in præſenti providentia) ſubinferendum pro Triduo illo, in quo Corpus Domini jacebat in Sepulchro , unguentis quidem delibutum , longè tamen pretioſius divinitate ſibi ibidem copulata. Cæterum compertum videtur , Amalarium in objecto loco non agere de Miſſa pœnes prædicata eſſentialia , & diſtinctiva ſacrificii incruenti ; cum evidens ſit tempore Apoſtolorum , cum quorum Miſſa quotidiana comparat Officium Paraſceves noſtrum , celebratam fuiſſe in Miſſa conſecrationem utriuſque ſpeciei ; dum neutra profertur in die Paraſceves ; ſed de Miſſa pœnes ritus alios extrinſecos , cæremoniaſque , & orationes , quas Eccleſia Spiritu Sancto illuſtrata addidit in Miſſa Quotidiana : cum

na-

naſcentis Eccleſiæ temporibus brevior multò foret Miſſa; & ad inſtar illius docuit eſſe, aut apparere, Officium celebratum in feria ſexta majoris hebdomadæ, quàm Miſſam appellat latè, quantumvis juge ſacrificium verè, & ſtrictè minimè ſit. Vel potuit cum quibuſdam ſentire, ſacrificium juge ſitum eſſe, vel adæquatè, vel potiſſimè ſaltem in oblatione ſubſecuta ad conſecrationem (quamquam hæc ſupponitur etiam elicita die præcedenti, in quo aſſervatur Hoſtia, & nequit bis fieri oblatio ejuſdem; quæ ſit novum ſacrificium): vel potiùs in fractione, vel ſumptione à Sacerdote facta, juxta quam opinionem admittendum foret in illa die ſacrificium, ſive adæquatè, ſive inadæquatè confectum, etiamſi nulla fiat tunc conſecratio, quia præſupponitur facta; licet hoc etiam ſit difficile, quia debet præcedere in eodem actu conſecratio, quaſi per modum unius, more humano. Non propterea tamen in hac acceptione adhuc fieret ſacrificium in Triduo vero Mortis Chriſti Domini, tametſi panis aſſervata fuiſſet particula aliqua; eo quod non adeſſet ſummus Sacerdos inviſibiliter, nec viſibilis offerens, ſine quo ſacrificium, prout modo inſtitutum confici nequit. Verumtamen quęſtio præſens diſputat de Miſſa prout importat eſſentialiter in vero aliquo ſenſu poteſtatem conſecrandi ad uſum in eodem actu redactam, juxta communem jugis ſacrificii acceptionem.

Et ſanè de re hac diſſeruerat Amalarius ipſe in eodem tractatu lib. 1. cap. 12. oppoſitam communem doctrinam inſinuans his verbis: *In Paraſceve non conficitur Corpus Domini. Neceſſe eſt, ut iis, quibus eſt voluntas communicandi, habeant ſacrificium ex præcedenti die*. Ubi licet uſurpet ſacrificium pro re oblata, aut ſacrificata; negat tamen, in illo officio ſacrificium ſimpliciter, quatenus ſupponere videtur, neutiquam adeſſe ſacrificium, ubi non adeſt tunc res, quæ actu ſacrificata in illomet officio ſit. Vel tandem confert officium illud cum præſanctificatorum, quod in uſu erat temporibus primævæ Eccleſiæ (& modo etiam in Eccleſia Orientali viget illius uſus), quæque Miſſa erat ejuſdem rationis cum illa latè ſumpta, quæ celebratur die Paraſceves, ut obſervat Card. Bona lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 15. utraque tamen dicitur Miſſa æquivocè duntaxat. Neque aliud dignum occurrere poteſt dubium de ejuſmodi præſanctificatorum Miſſa, quàm circa illius inſtitutionem; deſcendat, ne, ex Apoſtolorum tempore, traditione, & uſu; an ſit poſterior. Exploratum tamen eſt, illam & Chryſoſtomo, & Baſilio antiquiorem, quin & Synodo Nicęna. Adeatur Leo Allatius in eruditiſſima diſſertatione illius originem inveſtigante, uſumque, & naturam exponente, in lucem edita ad finem egregii operis ejuſdem de Conſenſione Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis. Cum hac igitur contulit Amalarius Miſſam, aut officium Paraſceves; ac proinde argumentum ex illius auctoritate, & fonte hauſtum pro repugnantia ſacrificii incruenti in Triduo Mortis Chriſti Domini vires ſuas integras retinet, tametſi robuſtiores alias experiatur in ſui defenſionem aſſertio noſtra, non impar auctoritate, & ratione compluribus in arena literaria probatiſſimis.

Num. 64. Loquatur Rupertus præallegato lib. cap. 3. dicens: *Hodie non ſacrificamus, dum nobis Hoſtia tollitur de manibus. Non ſacrificant amici, dum trucidant inimici. Dominus, inquit Moyſes, pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Quæ verba expreſſa quoque inveniuntur ab Hugone de S. Vict. laudato lib. 5. cap. 43. ex Ruperto ſine dubio tranſcripta. In illis autem delibatur duplex ratio, ob quam peragi non debeat ſacrificium in die Paraſceves: & quia rapitur Hoſtia immolanda de manibus Sacerdotum: & quia dum furor impiorum hominum immolat Chriſtum Dominum, non debet illum ſacrificare Sacerdotum amor (quamquam in idem recidat utraque). Conſimilia habet eodem libro cap. 22. *Itaque quomodo hac die, quæ eſt feria ſexta, qua Chriſtus, Hoſtia ſalutaris, à ſuis trucidatur inimicis, rectè à nobis quaſi ſepultum eſt ſacrificii decus, & cæleſte illud Manna, quia hodie non invenitur*. Et paulò ſuperiùs in eodem capite dixerat: *Hac verò die ſexta quodammodo non invenitur, quia non conficitur, ſed pridie (ideſt feria quinta) illatum, & reconditum eſt, quod hodie ſumimus*.

Loquatur Honor. in Gem. lib. 3. cap. 45. & ex ipſo Gavantus par. 4. tit. 9. de feria ſexta in Paraſceve nu. 3. *Non dicitur, Dominus vobiſcum, hodie, quia, moriente ſummo Sacerdote, ceſſant officia Sacerdotis*. Loqueretur Innocentius relatus in cap. *Sabbato*, niſi jam locutus fuiſſet ſupra per Alcuinum. Loquatur Thed. Balſam. in can. 52. Trullanum, ubi rationem aſſignans, ob quam Eccleſia in feria illa ſexta non celebret, inquit, *Deo autem ſacrificium peragere, eſt panegyricum agere; cum ergo nemo poſſit mærore, & gaudio ſimul affici &c.* Loquatur Concilium Toletanum 16. can. 8. ſtatuens: *Feria ſexta in Paraſceve nullum omnino Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare*. Quod præceptum imponi minimè potuiſſet abſque motivis inſinuatis, congruentiſſimiſque rationibus. E' quibus legitimè infertur, ut obſervatum jam fuit, poteſtatem conceſſam Apoſtolis in nocte Cœnæ nullo pacto fuiſſe expeditam, niſi poſt Reſurrectionem, vel ut alii arbitrantur, uſque ad ſolemnitatem Pentecoſtes, in qua primam Miſſam celebraſſe Apoſtolorum Principem, conjecturis, aut inditiis, potiùs quàm teſtimoniis, ſtatuere conatur Palmelius in Liturg. Eccleſiæ Latinæ. Democharis tom. 2. de ſacrificio Miſſæ cap. 4. Waldenſis, Gavantus, & Interpretes non infrequenter. Loquatur Durandus in rationali lib. 6. cap. 77. plures adducens hujus conſuetudinis congruentias, dum ſupra me-

mo-

moratas libat, & alias adjungit, quas tandem, uti & reliquas ab aliis agglomeratas, deſinere in favorem aſſerti noſtri, planum erit ea conſulenti.

Id autem percipies clariùs, ſi audire velis Doctorem Seraphicum loquentem ſic in 3. Sententiar. diſt. 22. artic. 1. quæſt. 1. ubi convincens adversùs Magiſtrum Sententiarum, & Hugonem, Chriſtum Dominum in Triduo ſeparationis realis animæ à corpore non fuiſſe actu, & formaliter hominem, ſatiſacienſque ſexto argumento, ait: *Ad illud, quod abjicitur, quòd Chriſtus in ſempiternum fuit Sacerdos, dicendum, quod Sacerdotium Chriſti dicitur, fuiſſe ſempiternum, non quia ſemper fuerit Sacerdos in actu, ſed quia illi Sacerdotio nullum ſucceſſit*. Ergo in eo triduo non fuit actu Sacerdos. Sed nequit peragi validè ſacrificium altaris abſque actuali concurſu in illud Sacerdotis principalis, ut ex ſupradictis liquet, & docent nobiſcum Adverſarii, ſive concurſus ille præſtari debeat ex Empyreo, ſive ex altari. In Triduo igitur mortis Chriſti Domini non potuit confici ab Apoſtolis verum, validumque ſacrificium incruentum. De quo fuſior ſermo mox, uberiorque diſcuſſio, dum rationibus cauſam noſtram tueamur, & quidèm ſtrenuis, validiſſimiſque; cum adversùs numeroſiſſimum Scholaſticorum exercitum pugnandum illis ſit.

Num. 65. Tacere omninò non debet hic S. Ambroſius, qui plura complectitur, etiam dum pauca loquitur. Porrò in lib. de initiandis cap. 9. prope finem, ait: *In illo Sacramento Chriſtus eſt; quia corpus eſt Chriſti.* Verùm undè, & quorſum illatio hæc? Nonne exiſtere non potuit inanime in altari, ſicut in ſepulchro, ſi conſecraretur in Triduo? Ita eſſet, ſi conſecraretur eo tempore; cæterùm id fieri minimè potuiſſe intendit, & inſinuat Ambroſius, ſupponens confici non poſſe ſacrificium Euchariſticum, niſi adſit ſupremus Sacerdos, & ex conſequenti poteſtatem conceſſam Apoſtolis ea lege datam fuiſſe, ut nonniſi poſt reſurrectionem habere poſſet uſum validum; ne alioqui in Triduo mortis exiſteret novæ legis ſacrificium, deficiente magno Sacerdote ſecundùm ordinem Melchiſedech. Verum eſt, quod ſi aſſervata fuiſſet particula aliqua panis in nocte conſecrati, adeſſet in Triduo Corpus Chriſti Domini, quin adeſſet Chriſtus Dominus, cum neceſſariò, juxta communiorem ſenſum, ſeparata fuiſſet anima à corpore in Euchariſtia, eodem momento, ac à corpore in propria ſpecie. Cæterùm hæc foret neceſſitas conſequens conſecrationem, & ſacrificium, ad quod debet ille concurrere ut Sacerdos principalis; non debet autem officium illud exercere eodem rigore, dum perſiſtit in Euchariſtia diù, quamvis per ſe loquendo munia alia exerceat acceſſoria.

Conſecutio tamen, aut ſubillatio Ambroſii tenet indefectibilitèr in ordine ad ſacrificium, reſpectu cujus eſt Sacerdos. Vel ſi tenere ſimplicitèr dixeris, cauſam agis eorum, qui cum Alexandro de Ales opinati ſunt; eſſe potuiſſe (de factoque fuiſſe) vivum in Euchariſtia intra pectus virgineum, & mortuum in Cruce, & ſepulchro. Neque inadvertentèr dictum fuit ab Apoſtolo Hebr. 7. *Si ergò conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat.... quid adhùc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem*. Ubi per verbum *ſurgere* reſurrectionem ex ſe denotantem, ſignificare voluit perpetuitatem Sacerdotii Chriſti Domini à reſurrectione illius numerandam. Tametſi enim ante reſurrectionem ſacrificaverit ſeipſum in Cœna, & in Cruce; perpetuitas attamen Sacerdotii relatè ad ſacrificium altaris, ut exercendi viſibilitèr per Miniſtros, & inviſibilitèr, principalitèrque, per ſeipſum, nonniſi poſt reſurrectionem locum habere poterat. Sane cum Sacerdotium, & Sacrificium ſint eſſentialitèr correlativa, & Sacrificium altaris ſit privativè illius, tamquam Sacerdotis principalis; pro tempore illo, pro quo ſupponitur Sacerdos non exiſtens, ut Sacerdos eſt, poſſibile non eſt ſacrificium; & à contrario ſenſu, dum reſurgit Sacerdos, quà Sacerdos principalis eſt, in æternum idcircò duraturo Sacerdotio, quà reſurgit ad vitam immortalem, reſurgit eo ipſo poſſibilitas ſacrificii: duo enim hæc ita ad invicem nexu inſeparabili conjunguntur, ut faciliùs fuerit animam intimè copulatam Corpori Chriſti Domini ab illo disjungere, quàm exiſtentiam ſacrificii jugis ab exiſtentia ſummi Sacerdotis: & ideò in Triduo unà cum corpore ſummi Sacerdotis, quaſi ſepultum dixit, ubi nuper, Rupertus ſacrificium, aut ſacrificii decus; quòd in oblatione facta à ſummo Sacerdote ipſo credebat ſitum. Vividiùs adhùc explicat Apoſtolus eamdem doctrinam ibidem, docens, Sacerdotium Chriſti Domini fuiſſe *inſtitutum ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis*. Ergò minimè potuit exercere munia Sacerdotii, & ex conſequenti, nec potuit confici ſacrificium, cujus ipſe eſt Sacerdos principalis eſſentialitèr prærequiſitus, & ad ipſum per ſe primò peragendum à Deo inſtitutus, dum ipſe Chriſtus Dominus erat à vita ſolutus, nexu animæ cum corpore violenta manu diſſoluto.

§. II.

Num. 66. MULTA congerit ſapientiſſimè Card. de Lugo ut congruentiis quaquaversùm quæſitis promoveat hanc noſtram opinionem, quibus practicè reddit illam non modò ab omni cenſura liberam, verùm & omnibus numeris probabilem, probatiſſimamque. Primùm à ratione argumentum eſt nuper attactum, quòd nimirum Apoſtoli nullatenus acceperint poteſtatem conſecrandi, & offerendi, niſi mandatariam, inſtrumentalemque ipſorum reſpectu Chriſti Domini ut principalis Sacer-

cerdotis, cui miniſtrarent, itaut nunquam potuerint ſe ſolis, & abſque concurſu actuali ſummi Sacerdotis inviſibilis conficere ſacrificium juge: cum ille fuerit conſtitutus Sacerdos perpetuus juxta ritum Melchiſedech, ſubindeque abſque illius influxu non magis exiſtere potuit ſacrificium, quam ſine Sacerdote ſimpliciter. Vel exiſtere non potuit, quin Sacerdos illud conficiens eſſet Chriſti Domini ſucceſſor in Sacerdotio, potiùs quam ejus Miniſter, aut Vicarius. Siquidem non alia ratione Sacerdotium Aaronicum Succeſſorem admittebat, juxta Paulum ad Hebr. 7. niſi quia *morte prohiberentur permanere*. Id ipſum autem contingeret (ſaltem reſpectu illius ſacrificii, aut ſacrificiorum) ſi in Triduo illo mortis, in quo Chriſtus Dominus neutiquam permanebat ut Sacerdos, eo quod homo tunc formaliter non eſſet; alius nihilominus, quantumvis ab ipſo initiatus, ejuſdemque Sacerdotii particeps, conficere poſſet verum ſacrificium illius ordinis; quandoquidem comparative ad illud minime foret actu Sacerdos formaliter Chriſtus Dominus (immo quamvis Sacerdotium permaneret tunc radicaliter in anima, cui debebatur reſurrectio Corporis, & Sacerdotium formale, ejuſque actuale exercitium; reſpectu tamen illius ſacrificii non deberetur actualis formalis concurſus Sacerdotis, qua talis) aliunde conſecrans, & conficiens illud altaris ſacrificium, eſſet verus Sacerdos. Ergo in illo ſacrificio, & in ordine ad illud, non foret Miniſter ſummi Sacerdotis, ſed verus ſucceſſor; maximè cum foret unicus, & adæquatus illius ſacrificationis Sacerdos, & conſequenter principalitas, quam haberet ſummus Sacerdos, ſi adeſſet quà talis, traſferretur quodammodo in ordine ad illud determinatum ſacrificium in unicum illum Sacerdotem. Aut igitur inſtitutio hujus ſacrificii talis naturæ non extitit, ut Chriſtus Dominus debeat eſſe principalis in eo Sacerdos; aut illud confici non potuit in Triduo, in quo anima à Corpore realiter ſejuncta retinere non potuit Sacerdotium formale, ut actu pro tunc exercendum, ſed in radice tantùm, & poteſtate reaſſumendi eam dignitatem unà cum Corpore, & in ordine ad ea tantùm ſacrificia, quæ, ipſo complete vivente, & conſequenter ipſo exiſtente formali Sacerdote ſummo, celebranda ſunt.

Probat ſecundò ex verbis conſecrationis non enim dicit Sacerdos: hoc eſt Corpus Chriſti, ſed hoc eſt Corpus meum, quod manifeſtè ſignificat Chriſtum Dominum medio Sacerdote actu loquentem; id quod verum eſſe nequiret, ſi in præfato Triduo ea verba proferrentur à D. Petro, cum pro eo ſtatu ſeparationis animæ, nec loqui poſſet humanitùs Chriſtus Dominus (& ſanè non tantùm, quia pro priori ad conſecrationem minimè adeſſet, quà homo; verùm quia nec per illam poneretur Corpus animatum, anima rationali veniente per concomitantiam); unde nec illi moraliter attribui poſſet, ſive in æſtimatione prudentum ea locutio.

Tertiò: ex conſuetudine vetuſtiſſima, & conſtante, non celebrandi hoc ſacrificium feria ſexta in Paraſceve, quæ non in alium præcipuè finem introducta apparet, quàm ut per eam ſignificetur, ſummo Sacerdote mortuo peragi non debuiſſe, aut debere, nec poſſe, ſacrificium altaris; donec illius anima victrix, reſumpto corpore dotes omnes illius proprias, & dignitatem Sacerdotii ſupremi, quà formaliter expeditam, & ipſi quà homini debitam, repeteret, recuperaretque poſtliminio glorioſo reverſam.

Num. 67. Præſenſerat egregias vires potiſſimi hujus argumenti ex Sacerdotio Chriſti Domini Durandus in Ration. laudato cap. 77. cum illo utatur ad aliam ſententiam noſtræ affinem, firmiſſimè ſtabiliendam: etenim numer. 37. rationem quaſi à priori reddens conſuetudinis Eccleſiæ non celebrandi in Sancta Paraſceves, inquit: *receſſit, & ſublatus eſt ſummus Sacerdos*. Ecce brevem, ſed efficaciſſimam rationem, quaſi ad centrum quamplurium linearum redactam, ſi autem dum recedit ſolùm in repræſentatione, non debet confici ſacrificium; dum receſſerat phyſicè ſummus Sacerdos, confici eo titulo non potuit. Viribus autem iſtis robur addit S. Chryſoſtomus Homil. 17. in Epiſt. ad Hæbreos circa finem dicens: *Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit illius, quod factum eſt: hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium, ſicut Pontifex*, ideſt, ſicut Pontifex non eſt alius (ut bene advertit P. Vaſquez diſp. 222. cap. 7.) *ſed ipſum ſemper facimus*. Si autem nequit eſſe, niſi unum ſacrificium, quia non eſt niſi unus Pontifex ſummus, ubi, & quando nullus adſit ſummus Pontifex, nullum eo ipſo exiſtere poterit ſacrificium. Propterea inculcat in eadem homilia, in hoc ſacrificio, eundem neceſſariò eſſe Sacerdotem ſupremum, & Hoſtiam; quaſi arguitivè id colligens ex eo, quod ille ſit unicus Sacerdos magnus; *ipſe ergo, & ſacrificium, & Sacerdos, & Hoſtia*: & quidem ſic in altari, ſicut in Cruce.

Porro ſi ſemel præſupponatur planè neceſſarius concurſus ſupremi Sacerdotis, quà ſupremus Sacerdos eſt, ut colligitur ex dictis, per totamque diſputationem ſparſim micantibus teſtimoniis; & ſicuti ſolemnis Theologorum doctrina firmat; cum aliunde in Triduo illo Chriſtus Dominus nullatenus extiterit Sacerdos formaliter, & proximè; eo quod non permanſerit eo tempore formaliter homo, diſſoluto, ruptoque unionis animæ cum Corpore nexu, inelectabili conſecutione elicitur, in eo Triduo confici minimè potuiſſe incruentum ſacrificium. Cogitari nanque verum ſacrificium abſque vero Sacerdote ad illud principaliter conficien-

ciendum per ſe deputato, eſſentialiterque prærequiſito (maximè cum muuus ſummi Sacerdotii ſuppleri nequeat per creaturam) foret inſignem Chimeram effingere; & rurſus expugnaret doctrinam Apoſtoli unicum tantùm Sacerdotem ſupremum juxta ritum Melchiſedech prædicantis, cujus reliqui ſacris iuitiati, ſint Miniſtri duntaxat, per quos redditur ſenſibilis magni Sacerdotis iufluxus, ſacrificatio, aut functio: *nos Miniſtrorum locum tenemus*, ait Chryſoſt. Homil. 83. in Math. differens de Miſſæ ſacrificio; *qui verò ſanctificat, & immutat ipſe eſt*. Ergo ejus Sacerdotio ad tempus aliquod formaliter deficiente, ſuſpenſoque pœuitùs ab exercitio, nullus eſt Sacerdos ſufficiens ad ſacrificium celebrandum, cum deſit Sacerdos principalis, cujus officium per alium ſupplebile non eſt: adeoque nec Miniſter in eo Triduo conſecrare poſſet, cum ad conſecrationem utriuſque ſpeciei ſequatur per ſe ſacrificium & cum illa proferatur nomine ſupremi Sacerdotis, qua formaliter talis, ut extituri in altari ad ſacrificandum (quinimmo, & ſi permittatur, quòd poſſet conſecrare Miniſter, non idcirco poſſet coouſicere ſacrificium; quia ſummum Sacerdotium per ſe primò requiritur ad ſacrificium; non ſic autem ad Sacramentum); quapropter fruſtra, irritoque conatu, aut inermi ictu Miniſter in eo Triduo verborum gladio (tametſi Delphico) mactare contendiſſet Hoſtiam *in ore gladii*, aut gladio oris, cum deficeret brachium, ſeu robuſta illa manus Sacerdotis magni, quam extenſam ad ſacrificandum unà cum viſibili Miniſtri manu contemplatur S. Chryſoſt. quamvis enim ex ſacra poteſtate illi conceſſa, & caractere ſigillata, verba ſonantia immolationem proferret, meritò eidem ex vetuſto proverbio diceretur: plumbeum gladium è vagina eburnea educis: ac proinde, ut mactare poſſet Hoſtiam Miniſter, viva ſummi Sacerdotis arma, & brachii motum compellat: *notumque efflagitat enſem*.

Num. 68. Urgeo idem aſſumptum: Chriſtus Dominus in Triduo ſacrificium Miſſæ celebrare per ſe tanquam ſummus Sacerdos minimè potuit; ſed hoc ipſo nec Apoſtoli illud validè conficere potuerunt. ergo &c.: Major, & admittitur, & adſtruitur ab omnibus, cum anima ſeparata à Corpore, neutiquam ſit Sacerdos formaliter, nec jura Sacerdotii, quæ radicaliter in anima ſeparata perſiſtebant ad ipſum iteratò, & ex integro reaſſumendum, Corpore reſurgente, efficere valebant, ut pro ſpatio brevi temporis fungi poſſet officio Sacerdotis, ut vidimus ex Div. Thoma, 3. par. quæſt. 52. art. 3. ad 3. Minor probatur: quia ex Apoſtoli doctrina in ſuperioribus abundè expenſa, & ex ſana Theologia, ſacrificium jugè dicit ordinem eſſeotialem in ſtricto aliquo ſenſu ad ſummum Sacerdotem ſacrificantem: quemadmodum ſummum ipſum Sacerdotium dicit eſſentialem per ſe primò reſpectum ad illud ſacrificium, eo quod ſit Sacerdotium ſecundum ordiuem Melchiſedech. Alioqui cum ſacrificium incrucntum confici nullo modo valeat abſque vero aliquo Sacerdote, ſi Chriſtus Dominus non concurrat tanquam ſupremus Sacerdos ad aliquod ſacrificium altaris, alius Sacerdos eſſet verè, & propriè ſucceſſor Chriſti Domini comparativè ad illud, vel illa ſacrificia, ex doctrina Pauli Hebr. 7. circa ſucceſſionem Sacerdotum in ordine Aaronico, & excluſiquem illius in ordine Melchiſedech; quod repuguat fidei principiis. Quamobrem, etſi auima Chriſti Domini ſeparata à proprio Corpore in eo Triduo, Corpus aliud, aut ipſummet exangue, & proprium, aſſumeret, quin illud informaret, proferretque per ejuſdem os verba conſecratiouis, poſſet quidem Divina virtute, cujus eſt anima inſtrumentum conjunctum, ponere ſub ſpeciebus Corpus, & Sanguinem: uti poteſt Deus ſeipſo etiam miraculum hoc grande patrare: poſſetque dici Sacramentum, ſpeciebus (& verbis prædictis) tanquam ſignis ſenſibilibus ſignificatum; veruntamen ſacrificium Euchariſticum, quà modo inſtitutum, propriè tale nequaquam conficeret: nec illud pariter perageret Deus ſeipſo tantùm, conſtituendo ſub utraque ſpecie Corpus, & Sanguinem Dominicnm. Immo nullum verum ſacrificium eo modo confici valet, licet offerret Deo Chriſtus Dominus rem gratiſſimam, placeretque ſummè ipſa operatio; cum omne ejuſmodi ſacrificium poſtulet eſſentialiter Miniſtrum verè formaliter Sacerdotem. Quouiam abſque prædicato eſſentiali, nec Divina virtus efficere poteſt, aut inducere effectum aliquem; & aliunde huic ſacrificio incruento, prout in hac providentia inſtituto, eſſentialis eſt concurſus ſummi Sacerdotis actu ipſum celebrantis. Si nanque ubi deficit intentio in vero Sacerdote habeote poteſtatem proximè expeditam, nou conficitur Sacramentum, nec ſacrificium; quanto magis deficiente Sacerdote eſſentialiter prærequiſito etiam, & cujus operatio conſtituit intrinſecè ſacriſicium, dum intentio ſolùm requiritur inſtar conditionis, exiſtere non poterit ſacrificium, tametſi admittatur, extiturum Sacramentum; quia ejus exiſtentia induci poteſt divinitùs ab Agente nou prædito dignitate Sacerdotali, (dummodo adeſſent verba, per quæ redderetur ſenſibile); quia nulla Sacerdotis immediata operatio eſt intrinſecè couſtitutiva Sacramenti, præter verba, quæ poſſent provenire ab anima per Corpus aſſumptum? (Si autem illa à Sacerdote formali pronuntianda dicas, ut ſit Sacramentum de facto inſtitutum, vel hoc ipſum roborat doctrinam præſentem).

Ex quibus infertur clariſſimè, nequaquam ſufficere ad verum ſacrificium celebrandum, quòd anima Chriſti Domini in Triduo mortis concurrens phyſicè offerendo, & ſacrificando, eſſet eo ipſo Sacerdos æqui-

valenter; quoniam ſacrificium formaliter poſtulat operationes Sacerdotis formaliter actualis ; ſin minus efficere poteſt opus quidem placens Deo , & in odorem ſuavitatis aſcendens ; non tamen ſacrificium . Ex oppoſito enim ſequeretur, poſſe aliquem impunè dicere, Deiparam per excelſam dignitatem Maternitatis æquivalentem Sacerdotali Miniſterio , inſtar Sacerdotiſſæ, & conficere potuiſſe ſacrificium , & conſecrare , & impertiri pœnitenti abſolutionem Sacramentalem , quod abſurdiſſimè proferretur: peperit quidem , & incruentè , verum Sacerdotem ſummum , non potuit attamen peperiſſe verum incruentum ſacrificium.

Num. 69. Urgetur aliter factus diſcurſus: ſi conſecratio facta à D. Petro in Triduo foret valida, conficeretque verum ſacrificium, vel reſpectu illius ſacrificii foret verè , & propriè Sacerdos Chriſtus Dominus, vel ſecus ? Primum adverſatur apertiſſimè Apoſtolo Hebr. 7. docenti : ideo Sacerdotium Aaronicum poſtulare neceſſariò ſucceſſores, quia *morte prohiberentur permanere : hic autem* (Chriſtus Dominus) *eo quod maneat in æternum , ſempiternum habet Sacerdotium* , Falleret autem illa ratio, & hæc cauſalis, ſi Chriſtus Dominus foret verus Sacerdos actu etiam reſpectu illius ſacrificii , quod conficeretur illo mortuo , & nondum ſuſcitato: quoniam eo ipſo , nec certum eſſet, Sacerdotes Aaronicos, aut Aaronem ipſum morte fuiſſe prohibitum , ne fungeretur Sacerdotio: nec opus eſſet Chriſti Domini permanentia in æternum, ut habere poſſet Sacerdotium ſempiternum ; cum vel mortuus ſacrificare verè , & ſtrictè poſſet . Neque moraliter eidem mortuo attribueretur ſacrificium, quod in Triduo celebraretur: cum moralitas illa ſit prudentum æſtimatio quædam, aut opinio : & aliunde nullus prudenter æſtimare valet, aliquem verè ſacrificare pro eo tempore, pro quo eſt incapax ſacrificandi , & pro quo eſt etiam , incapax Sacerdotii formaliter . Deinde pro eo ſtatu à nullo prudenti dici poteſt Sacerdos formaliter. Ergo à fortiori æſtimari prudenter nequit, ut actu ſacrificans . Quemadmodum quia fœmina incapax dignitatis Sacerdotalis eſt , neceſſariò ex conſequenti incapax eſt ſuſcipiendi eam denominationem moraliter, aut in æſtimatione prudentum, ſacrificantis actu . Perperam autem diceres, illum concipi, ut ſummum Sacerdotem moraliter perſeverantem eo Triduo ; quandoquidem eo ipſo argueretur , illum eſſe poſſe Sacerdotem ſempiternum , etiamſi non reſurrexiſſet, aut permanſiſſet, contra quod aſſeverat Paulus Hebr. 7.

Inſuper cum in eo Triduo non concipiatur prudenter permanens, ut homo formaliter ; ita nec ut ſummus Sacerdos . Præterea non ſufficit titulus inſtitutionis ſacrificii, & Sacramenti ; alioqui, etiamſi non reſurgeret, foret Sacerdos, quod contradicit verbis, & rationi D. Pauli ; nec volitio inſtituens ſacrificium intendere potuit , ut pro eo ſtatu , pro quo homo futurus non erat, diceretur verus Sacerdos , nec verè ſacrificans ; quamquam poſſet denominari verus inſtitutor, quia moraliter permanet illa inſtitutio, & non poſtulat phyſicam actualem exiſtentiam ſubjecti, nec actualem illius operationem præſentem , ſed merè præteritam. Uti nec ſufficit, quòd pro exiguo duntaxat tempore , & uno , aut altero duntaxat ſacrificio foret attributio illa; quoniam ſi ſemel poteſt eſſe verus Sacerdos, actu ſacrificans pro tempore aliquo , & reſpectu alicujus ſacrificii, tametſi actu non permaneat , aut vivat , fallit pœnitus ratio Divi Pauli, arguens ex eo , quod vivat , ſive maneat in æternum , ipſum habiturum Sacerdotium ſempiternum. Nanque ſi poteſt habere Sacerdotium verum pro aliquo tempore , & reſpectu quorundam ſacrificiorum , quin pro eo tempore maneat , aut vivat, poterit à fortiori æternum Sacerdotium obtinere, licet uſque ad diem Judicii non reſurgeret: maxime cum verum ſit vetus illud Philoſophorum dictum ; ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis . Si ſecundum; ergo reſpectu illius ſacrificii D. Petrus non foret Sacerdos inferior, nec purè Miniſter, aut Vicarius, ſed verus ſucceſſor in Sacerdotio comparativè ad præfatum ſacrificium, ut ſubinferebam nuper; cum idemmet ſacrificium, quod obtulerat ſummus Sacerdos nocte præcedente , per mortem illius obtuliſſet Divus Petrus.

Ulterius in eo ſacrificio fuiſſet D. Petrus abſdubio Sacerdos principalis , utpote unicus ; cum nullus alius adeſſet, adeoque ſucceſſor verus pro illo ſacrificio principalis Sacerdotis ; quod pugnat cum dogmate fidei. Rurſus, vel ſacrificium illud foret ejuſdem perfectionis formaliter cum eo, quod in Cœna obtulit Chriſtus Dominus, vel minoris ? Primum eſt impoſſibile , cum operationes Chriſti Domini fuerint Theandricæ, infinitique valoris; non ſic autem D. Petri: & aliunde per operationes Sacerdotis conſtituitur intrinſecè ſacrificium . Si reponas, ſacrificium ex ſe expetere operationes veri Sacerdotis, præſcindendo ab hoc, vel illo, ſubindeque futurum paris æſtimabilitatis formaliter, quantumvis materialiter fuerit perfectius primum illud: conſtituis eo ipſo ſacrificium juge non omnibus numeris, & nominibus abſolutum, & ſummum, cum perfectius foret proculdubio, ſi formaliter exigeret operationem ſummi Sacerdotis immediatè ; quia perfectio, ratione cujus materialiter ſublimius foret illud Cœnæ, eſſet formalis , eſſentialiſque omni ſacrificio . Deinde hic ſupponitur neceſſariò requiſitus concurſus ſummi Sacerdotis in ſacrificium, ſive è Cœlo influat , & ſacrificet, ſive ex altari. Et ſane alioqui nec Chriſtus Dominus foret per ſe ſacrifex, ſed veluti per accidens, quia non exigeretur ejus influxus

im-

immediatus à ſacrificio. Si minoris perfectionis formaliter eſſet ſacrificium in Triduo confectum à D. Petro; foret eo ipſo alterius rationis formalis, proindeque duo ſacrificia incruenta diverſa, quod diſſonum eſt. In Triduo igitur Mortis Chriſti Domini, confici nullo jure potuit ſacrificium juge, ut à Chriſto Domino inſtitutum; quia in illo exequi non poterat actu munia Sacerdotis reſpectu illius, uti nec munia propria hominis, ſiquidem non minùs Sacerdotii fragmenta, quàm hominis conſtitutiva, fuere pœnitùs diſperſa.

Num. 70. Quoniam autem commune effugium Adverſariorum deſumitur per viam moralem attribuendi Chriſto Domino illud ſacrificium; tametſi phyſicè nec exiſtat ut homo, & Sacerdos, nec influat; operæ pretium eſt, eam reſponſionem eludere per ſemitam purè phyſicam. Porrò in linea phyſica ſolus D. Petrus in Triduo ſacrificaret, quin principalis Sacerdos phyſicè tunc influeret, nec poſſet ut formaliter Sacerdos; & quamvis ipſamet phyſica operatio D. Petri attribueretur Chriſto Domino, imputaretur tamen illi purè moraliter, nunquam tamen phyſicè, quia phyſicè ab illo ut Sacerdote provenire non potuiſſet. Ergo in linea phyſica eſſet ſucceſſor Chriſti Domini, quà in eadem linea præcedenter in nocte Cœnæ ſacrificantis, & ſacrificaturi, etiam phyſicè poſt Reſurrectionem, ut præſupponitur hic ex Adverſariis plerunque. Eſſet itaque principalis Sacerdos: argueretur, ſacrificium non eſſe ſummè perfectum, cum non expeteret concurſum phyſicum immediatum Chriſti Domini: ſequerenturque id genus alia abſurda in præcedentibus illata. Quæ eo vividiùs premunt, quà ſine dubio ſtrictiùs & veriùs fungitur munere Sacerdotis, qui phyſicè ſacrificat, & actu offert, quàm ille, cui moraliter attribuitur; in quo differt ab aliis operationibus, eo quod officium Sacerdotis ex conceptu ſuo ſit perſonale, ut notavimus ſupra. Unde quantùm diſtat immolatio in prudentum æſtimatione talis, mactatioque purè imaginaria, aut moralis, à phyſica jugulatione victimæ; tantùm diſtat phyſica ſacrificatio à morali in ordine ad explendum officium Sacerdotis; quantumvis in alia ratione meriti, aut obſequii eſſe valeat par hæc, aut major. Imaginatio ſiquidem efficere poteſt caſum in ipſo, qui imaginatur ſibi aliquid eveniſſe; neutiquam verò in re alia, aut Hoſtia, quam non ferit vis imaginativa alterius. Accedit, quòd in præſenti materia non ſolùm deficit concurſus phyſicus ſummi Sacerdotis, verùm & ipſe ſummus Sacerdos, quà Sacerdos principaliter; adeoque & concipi debet Sacerdos permanens realiter, cum non exiſtat phyſicè, & ſacrificatio phyſica, cum non adſit; hoc autem genus moralitatis laxiſſimum eſt; cum illud, quod ſententia probabilis modò adſtruit in ſummo Sacerdote in ordine ad ſacrificia altaris, ſupponat illum phyſicè, & realiter exiſtentem, quà formaliter Sacerdotem: unde ſolùm ſingit, aut concipit operationem exiſtentem, aut exeuntem ab illo moraliter, cum phyſicè non exeat.

Si dixeris potuiſſe conſimiliter in eo Triduo exiſtere phyſicè operationem conſecrandi phyſicam ab anima Chriſti elicitam; tametſi Sacerdos non exiſteret formaliter phyſicè, ſed phyſicè æquivalenter, ut ſupra retulimus ex Doctore Eximio, & aliis. Hæc tamen doctrina, etiamſi declinaret ex parte diſcurſum factum; incideret tamen in alia incomoda, in ſuperioribus delibata. Ulteriùs, & potiſſimè eliceretur inde perſpicuè, animam Chriſti Domini potuiſſe è Cœlo ipſo concurrere pariter ad ſacrificia, ſubireque eo modò munia Sacerdotis ſempiterni, quamvis non permaneret homo, quia non reſurgeret uſque ad diem Judicii, quod directè ſubverteret argumentum Divi Pauli Hebr. 7. ut nuper in ſimili vidimus. Quod argumentum renovat Tridentinum ſeſs. 22. cap. 1. dicens: *Quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium &c.* Non extingueretur autem per mortem, etiamſi non reſurgeret uſque ad diem Judicii, ſi ſemel non ſupponitur extinctum in illo Triduo unà cum vita corporis in ordine ad ſacrificia tunc peragenda.

Inſuper: vel opinio adverſa credit neceſſarium influxum Chriſti Domini in ſacrificium pro Triduo illo, vel non? Si ſecundum hoc, jam ſacrificium juge per ſe non expeteret ſummi Sacerdotis concurſum, nec formaliter, nec æquivalenter talem; cum abſque illo confici poſſet verum ſacrificium; ex quo à fortiori colligerentur abſurditates inſinuatæ ſupra; aut ſacrificium illud eſſet diverſum, quod pariter abſurdum fore, probatum eſt. Si Primum, argumenta, quæ evincunt neceſſitatem influxus, demonſtrant pariter neceſſitatem illius, quà provenientis à ſummo Sacerdote formaliter, & non merè æquivalenter; ne inferatur perpetuitas Sacerdotii Chriſti Domini quantumvis non maneret, nec ſurrexiſſet. Ubi eſſet enim neceſſitas omnimoda vitæ corporeæ in Sacerdote ad ſacrificandum, ſi ejus anima poſſet ſacrificationem elicere, & exinde veram Sacerdotis denominationem obtinere? Præſertim quia ſemel ac unum ſacrificium verè, & ſtrictè tale conficiatur eo modo, jam eo ipſo omne aliud poſitum eſt extra ſacrificii jugis eſſentiam, integritatem, & perfectionem, ut & extra Sacerdotii veri exigentiam, niſi ad ſummum ad melius eſſe, aut connaturalius. Corrueret ergo efficacitas argumenti D. Pauli; quod magis repugnat, quamquod Cœlum ipſum, æternum duraturum, corruat: *Cœlum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Math. 24.*

Num. 71. Delibandum præterea familiare Theologis quibuſdam argumentum, colligens ex eo, quod Eccleſia non celebret ſacrificium verum feria ſexta in Paraſceves, neutiquam poſſe confici illud, niſi Chriſto Domino vivente completè, ut homine, & ut ſummo Sacerdote. Ajunt enim, eatenus non celebrari Miſſam in prædicta feria, quia per verba conſecrationis invehitur Chriſtus Dominus, ut loquens per Miniſtrum; quod alienum putant à die, in qua repræſentatur ipſe mortuus in ara Crucis, ut colligit Doct. Eximius diſp. 75. ſect. 4. & quamvis id minimè convincat, præſupponi debere actu viventem Chriſtum Dominum ante conſecrationem, quia non debet præſupponi alibi exiſtens; evincit tamen conſtituendum eſſe pro poſteriori ejuſdem inſtantis vivum in altari, ut ſacrificium conficere valeat, quà ſummus Sacerdos: Sic enim faciliùs concipi poteſt loquens pro priori per Miniſtrum, quatenus loquatur nomine ſummi Sacerdotis, jamjàm adventantis, & in eudem inſtanti præſentis ad conficiendum ſacrificium ſuiipſius, ultra Sacramenti Inſtitutionem, & conceſſam eiſdem efficaciam, aut virtutem.

Nec prætereunda brevis alia reflexio; quod nimirum ſi in Triduo conſecraret Divus Petrus, conſtitueretur Corpus Chriſti Domini exangue ſub ſpeciebus panis, & ſanguis à corpore realiter ſeparatus ſub ſpeciebus vini, Eſſet ergo bis mortuus realiter, cum in loco, in quo replicaretur jaceret pariter corpus ſine anima; æque ac in ſepulchro. Hoc autem arguere efficaciter poſſet inſufficientiæ mortem cruentam, cruentumque ſacrificium, ni adeſſet eadem mors incruenta ſimul, aliudque incruentum ſacrificium. Quamvis enim ſacrificium altaris, quod modò conficitur non deroget ſacrificio Crucis, quia eſt tantùm applicatio meriti illius; cæterum in hoc invenitur pura mortis repræſentatio, non mors ipſa realiter, aut ſeparatio animæ, & Sanguinis à Corpore. Ibi autem adeſſet mors utrobique, & propterea adeſſet corpus ſimul ubique emortuum. Et licet non introduceretur mors realis per actionem illam incruentam; replicarentur tamen per illam extrema, ut realiter invenirentur ſeparata, adeoque proüt eſſent de facto realiter emortua, quamvis id per ſe non poſtulet prædicta actio, niſi repreſentativè tantùm; unde in hoc ſenſu, & de facto replicaretur mors. Eſſet itaque noxia ea ſacrificario, adeoque dies illi eſſe debuerunt alirurgici, ut Græci appellant, dies, in quibus celebrari non debet.

Non abſimilem diſcurſum formare poſſumus ex neceſſitate vitæ in Hoſtia immolanda, ac proinde in Chriſto Domino quà victima; quoniam tamen materia hæc graviſſima eſt, unaque ex potiſſimis cauſis adſtruendi de facto vitam actualem humanam in Chriſto Domino ſub ſpeciebus, peculiarem de illa inſtituam diſputationem (proxime venturam). Ubi & efficaciſſimum aliud producitur argumentum excludens poſſibilitatem hujus ſacrificii peracti in Triduo, depromptum ex actione ſacrificativa, quæ ex conceptu formali ſuo debet eſſe operatio propria Chriſti Domini ibi realiter præſentis, & formaliter ſacrificantis. Similiter negligendus non eſt diſcurſus alius deſumptus ex Malachia, cujus mentem expreſſit Tridentinum ſeſſion. 22. cap. 1. his verbis: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam &c.* De facto ſi Chriſtus Dominus in ſacrificio nihil prorſus efficeret, ſed unicè ex functionibus Divi Petri conſtitueretur ſacrificium juge in Triduo, licet inquinari non poſſet ex parte rei oblatæ, infici poſſet ex parte offerentis, & oblationis ab ipſo elicitæ. Idque luculentiùs concipies in hypotheſi, quòd D. Petrus conficeret, priuſquam ipſe ſuas negationes amaro fletu terſiſſet, & lacrymarum imbribus inundaſſet. Idcirco autem clavibus ſibi conceſſis uſus fuit duntaxat eo tempore, ut oculorum fontes aperiret ſemel; clauderet nunquam.

Num. 72. Ultimò urgeri valet probabiliter diſcurſu ſequenti: victima prout realiter immolata per ſacrificationem realem nequit terminare ſub eadem ratione aliam ſacrificationem, aut mactationem, non ſolùm ejuſdem ritus, verùm nec diverſi (per ſe loquendo). Sed in Triduo illo Corpus, & Sanguis Chriſti Domini realiter ab invicem diviſa, perſiſtebant, ut extrema cruentè immolata. ergo in eo ſeparationis realis ſtatu eſſe nequibant victima, aut Hoſtia ſacrificationis incruentæ. Minor extra dubium eſt, cum in Triduo uſque ad Reſurrectionis momentum permanſerint ſeparata à corpore anima, & ſanguis, prout terminaverant immolationem incruentam. Et quamquam verba conſecrationis ex ſe non poſtulent eam realem ſeparationem, nec illam præſupponant, uti nec præſupponunt extrema illa inter ſe copulata, quia præſcindunt à præcedenti victimæ exiſtentia; habent attamen vim conſtituendi in altari corpus, & ſanguinem, & inſuper unionem cum reliquis ponunt efficacia ſua, vel ſecus, prout reipſa inveniuntur, vel copulata, vel deunita (juxta communia Adverſariorum principia). Unde cum eo tempore deunita, emortuaque reperirentur actu, adeoque ſecundum quod fuerant terminus ad quem ſacrificationis cruentæ, ita illa conſtituerent in altari. Major probatur, primò ex eo quod victima immolanda in veteribus ſacrificiis, quæ repræſentabat Hoſtiam hanc infiniti pretii, eſſe minimè poterat imperfecta, cœca, non integra, ut habetur expreſſè Levit. 22. quin & cap. 1. etiam, & Deuteron. 15. Corpus autem Chriſti Domini ſeparatum à ſanguine, & anima, & ſanguis, quà pariter ſeparatus, imperfecta ſunt, non integra, & per typum, quem antiquæ

vi-

victimæ gerebant hujus, prorſus excluſa à conceptu, & ratione Hoſtiæ veri ſacrificii.

Secundò: quoniam terminus ad quem unius ſacrificationis, ſive victima ut immolata, eſt jam ex integro Deo oblata, pro eo ſtatu ſanctificataque: *Quia ſanctificata ſunt Domino*, ut habetur Num. 18., & ideo nonniſi in loco Sancto comedi poterant à Sacerdotibus Deuteron. 12. & 15. Levit. 6. & 7. Res autem ſub eo ſtatu, ſub quo eſt ſimpliciter Deo ex integro dicata, nequit per novam oblationem veri ſacrificii conſtitutivam denuò offerri, & immolari, nec per ſacrificationem ejuſdem planè rationis cum præcedenti, nec per aliam; cum omnia ſacrificia conveniant in conceptu formali oblationis, & immolationis. Ideoque licet ſacrificium incruentum repræſentet cruentum, mortemque Salvatoris, neutiquam poteſt extrema illa realiter vita privata per ſacrificium incruentum conſtituere in altari cum ea vitæ privatione.

Neque obeſt, quod in quibuſdam ſacrificiis, poſt occiſionem pecudis, vel pars, vel ex integro comburebatur; quod eſſe videtur novum ſacrificium. Non ſanè retardat vim hujus diſcurſus; quoniam combuſtio illa neutiquam efficiebat novum ſacrificium, ſed primum factum conſtituebat in ratione holocauſti, aut in alia ſpecie particularis ſacrificii utrumque exigentis, ut eſſet holocauſtum v. g. cui non ſufficiebat mactatio ſine combuſtione, & ex utraque deſtructione rei coaleſcebat. Præterquamquod ſacrificium cruentum, & incruentum ſunt ejuſdem rationis in ſe, *ſola offerendi ratione diverſa*, ut loquitur Tridentinum ſeſſ.22. cap.2. Ritus autem illi diverſi neutiquam efficiunt differentiam eſſentialem, juxta probatam frequentiſſimè Theologorum doctrinam, ſed accidentalem duntaxat, ut cum Soto opinantur multi; atteſtante Divo Thoma 3. par. qu. 22. art. 3. *ad 2. ſacrificium autem, quod quotidie in Eccleſia offertur, non eſt aliud à ſacrificio, quod ipſe Chriſtus obtulit: ſed ejus commemoratio* & quæſt. 83. art. 1. ad 1. ait: *dicendum, quod ſicut Ambroſius ibidem dicit* (in cap. 10. ad Hæbr. quæ verba reperiuntur etiam expreſſa apud Chryſoſt. Homil. 17. ad Hæbr.) *una eſt Hoſtia, quam ſcilicet Chriſtus Dominus obtulit, & nos offerimus, & non multæ; quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius. Sicut enim quod ubique offertur, unum eſt corpus, & non multa corpora, ita & unum ſacrificium.* Et Catechiſmus Rom. S. Pii V. de Euchar. *Unum itaque & idem ſacrificium eſſe fatemur, & haberi debet, quod in Miſſa peragitur, & quod in Cruce oblatum eſt.* Et propterea Ambroſ. in loco citato, ut habetur etiam in cap. *In Chriſto ſemel* 53. de conſecr. diſtin. 2. apertè docuit: utrumque ſacrificium eſſe *id ipſum, & ſemper id ipſum. Proindeque unum eſt hoc ſacrificium.* Eſtque pariter doctrina Auguſtini, Proſperi, Cyrilli, & omnium Patrum, ſacrificii, & Sacerdotii ſupremi gloriam, & perfectionem conatibus, & affectibus reducentium ad unitatem.

Num. 73. Quòd verò res ſemel Deo ſacrificata nequeat ſub eodem ſtatu, & circumſtantiis (per ſe loquendo) iterum immolari, & offerri, quamquam poſſit optimo jure iteratò millies offerri ſub aliis, liquet, vel ex eo quod Hoſtia conſecrata nequeat iterum conſecrari, nec ex illa ſacrificium aliud diſtinctum à primo confici; & quidem etiamſi ſacrificatio ſita formaliter non ſit in conſecratione; ſed vel in oblatione ſubſecuta, vel, juxta opinionem noſtram, in privatione vitæ actualis, quam recuperat in mixtione Corporis, & Sanguinis; quin propterea valeat iterum, illa recuperata, immolari ſub eiſdem Symbolis, aut ſignis ſenſibilibus. Quoniam ut ſemel tantùm immolandus quà victima, & immolans ut Sacerdos, conſtituitur per conſecrationem ſub eis numero ſignis ſenſibilibus: eo quod ſacrificium hoc, Hoſtia, & Sacerdotium exerceantur ibi repræſentando ſacrificium cruentum, quod unica oblatione, Hoſtia, & unica ſacrificatione conſumavit omnia. Differt tamen ab illo ſacrificium incruentum, quia iteratur quotidie, ſub diverſis tamen numero Symbolis, quæ uti ſemel tantùm conſecrantur, ita & ſemel duntaxat verè, & propriè ſacrificium ſub illis offerre poteſt ſummus Sacerdos. Siquidem verba conſecrationis, & conſecratio ſemper prærequiruntur eſſentialiter ad ſacrificium, etiamſi diceretur, illud partialiter non conſtituere, determinanteque unicum ſacrificium. Unde licet Hoſtia recuperet vitam in ſententia noſtra, quæ, utpote nova, & nondum oblata, poſſet ſacrificari: ad modum, quo victima in lege veteri ſemel mactata, ſi Divina virtute ſuſtentaretur, poſſet iterum ad novum ſacrificium adduci; nihilominus vita actualis reaſſumpta à Chriſto Domino in Euchariſtia nullatenus poteſt ſub eiſdem numero ſpeciebus iterum immolari: quia non adeſſet (neque poſſet) nova conſecratio, quam poſtulat eſſentialiter novum ſacrificium: & quia repræſentaret, ſub eiſdem ſignis ſenſibilibus binum ſacrificium cruentum, duceretque in errorem. Si verò ſigna ſenſibilia, verbaque ſecundum ſacrificium non ſignificarent, ſed primum tantùm; jam eo ipſo ſecundum non foret ſacrificium verum, quia non foret ſenſibile. Non ſic autem ovis mactata priùs, & iterum miraculosè reviviſcens; quandoquidem illa ut victima nullis ſignis ſenſibilibus ab ipſa diſtinctis, aut verbis, redditur ſenſibilis, ſed per ſeipſam immediatè; atque adeo per nihil determinatur ad unicum ſacrificium, niſi a ſingularitate vitæ immolandæ; hanc autem ſupplere poteſt Divina omnipotentia, ipſam reproducendo: & aliunde, nec illa ſecunda vita foret adhuc oblata Deo, nec ſecunda mactatio præſupponeret per ſe primam,

mam, ſed omnino per accidens ſe haberet; cum in re noſtra ſecunda oblatio ſupponeret a fortiori rem conſecratam, & in conſequenti immolatam.

Hinc autem ſit, quòd etiamſi per impoſſibile Chriſtus Dominus in Euchariſtia jam immolatus incruentè, poſset etiam dum permanet immolatus, & latens adhuc ſub ſpeciebus eiſdem, iteratò mori in propria ſpecie; poſset proculdubio immnlari ſimpliciter ſub propria illa ſpecie (moreretur attamen in Euchariſtia ſimul), quamquam, ut immolatus in propria ſpecie, nequeat immolari ſub ſpecie aliena accidentium. Diſcrimen eſt apertum: quia Corpus, & Sanguis, quà immolata ſimpliciter in Cruce, ponerentur in Euchariſtia, quia poneretur Corpus exangue; illa verò ut immolata in Euchariſtia, non adſunt in prnpria ſpecie, in qua gaudet vita actuali: ex hoc ergo capite non repugnaret ea ſacrificatio cruenta victimæ incruentè immolatæ, etiamſi è converſo repugnet. Deinde Corpus, & Sanguis quæ ponerentur realiter ſeparata in ſacrificio incruento celebrato in Triduo, ſupponerent ſacrificium cruentum, cujus ſunt terminus ad quem, ac proinde ſupponerent oblationem ſui integram in eo ſacrificio cruento factam, qua ratione non poſſent iterum offerri incruentè. Cæterum nulla pars phyſica Chriſti Domini in propria ſpecie exiſtentis præſupponit immolationem ſui factam in Euchariſtia, ſubindeque nec ſui oblationem (& hic eſt eventus, in quo per accidens poſſet res ſacrificata iterum ſacrificari: quoniam poſt immolationem realem ſub ſpeciebus alienis, remanet integra planè, & pœnitus immutata in ſpecie propria; nec ulla ratione ſecunda hæc immolatio ſupponeret aliam incruentam, quæ per accidens ſe haberet). Si verò ſacrificium cruentum confingeretur poſſibile ſub ſpeciebus, incruento jam facto, nunquam poſſet fingi cum fundamento verum ſacrificium; cum nullo modo foret ſenſibile, quà ſacrificium realiter cruentum eſt, etiamſi ſenſibile ſit, quà cruentum repræſentat, & quà eſt incruentum.

Accedit tertia cauſa repugnantiæ: quoniam Sacramentum, & ſacrificium Euchariſticum non tantùm ſunt eſſentialiter repræſentativa, & repræſentatio ipſa ſacrificationis cruentæ, ſumptæ pro actione, ſive fieri, ſed (quà Sacramentum eſt maximè) illius etiam in facto eſſe; cum ſeparatio ex vi verborum Sanguinis à Corpore ſignificat Corpus ipſum vita, & Sanguine privatum, Sanguinemque ſuſum. Et aliunde ſi Corpus, & Sanguis realiter ſeparata, ut eſſent in illo Triduo, conſtituerentur in Euchariſtia, eſſe non poſſcnt realis ſuimet repræſentatio, quæ diſtinguitur realiter à re ipſa repræſentata, quoniam eſſent formaliter res ipſæ, quæ repræſentantur, & quidem ſub eadem ratione mutuæ privationis, ſeparationiſque, ſub qua repræſentantur. Quamquam enim ſpecies ſenſibiles conſtituant repræſentationem, & diſtinguantur à re repræſentata; cæterum ſpecies non repræſentant paſſionem immediatè, niſi quà includentes realem præſentiam Corporis, & Sanguinis Domini, quam immediatè ſignificant, & vi verborum tantùm ſeparatam, & ſub eiſdem ſpeciebus Sacramentaliter exiſtentem; Corpus verò, & Sanguis, ut ſenſibilia facta per ſpecies ſignificant, & repræſentant realem ſeparationem ſui factam in ſacrificio cruento. Hanc autem non repræſentarent, ſed conſtituerent, ſi ponerentur in Euchariſtia in Triduo, in quo erant actu per cruentam ſacrificationem ſeparata. Quamquam verba aliqua, quæ extra conſecrationis eſſentiam poſita creduntur, paſſionem ipſam immediatè exprimant. Hæc excogitaſſe liceat, excurriſſeque parumper per veroſimiles Philoſophandi ſemitas, ita ſæpè fortunatas, ut credas pertigiſſe potiùs diſcurſum, ſive phantaſiam, quàm pererraſſe.

§. III.

Num. 74. **O**BJICIES: Fide novimus, Apoſtolos fuiſſe inſtitutos in noviſſima Cœna Sacerdotes, uti deſinitur in Synodo Trident. ſeſs. 22. cap. 1. *Apoſtolis quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat &c.* Et Canone 2. *Siquis dixerit: illis verbis; hoc facite in meam commemorationem; Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut illi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum, anathema ſit.* Collata fuit igitur ipſis à Chriſto Domino poteſtas ordinis: cum enim tunc inſtitueretur novæ legis ſacrificium, conſentaneum valde erat, Sacerdotes illud viſibiliter conficientes illico inſtituere. Hæc autem poteſtas, ut Theologi unanimi conſenſu docent, talis indolis eſt, ut ſemel conceſſa, irrevocabilis ſit, quemadmodum caracter indelebilis eſt, nequeatque propterea in irritum operari, nec ita prohiberi ab uſu, aut praxi, ut reddatur ejus exercitium invalidum, tametſi illicitum interdum ſit. Alioqui nec Sacerdos excomunicatus, exempli cauſa, nec qui à fide orthodoxa deſciret, valide conſecraret. Ergo poteſtas conſecrandi, & conficiendi ſacrificium incruentum Apoſtolis data in Cœna noviſſima non potuit ita conferri, ut valor uſus illius ſuſpenderetur uſque ad reſurrectionem. Maximè cum per reſurrectionem nihil intrinſecum acceperint, conſtituens, aut expediens eam poteſtatem; ſin aliter antecedenter ad illud non forent ſimpliciter Sacerdotes, quòd pugnat cum definitione Tridentini.

In hoc enim differt apud omnes poteſtas ordinis à poteſtate juriſdictionis in Sacerdote, quòd illa, ſemel recepto caractere, nullo alio opus habet ad valorem actus, quem exequitur, conſequenterque validitas operationis infirmari nequit ex ullo capite. Secus autem poteſtas juriſdictionis, quippe

quæ

quæ ultra caracterem poſtulat facultates alias ad uſum validum, determinationemque ovium, erga quas exercere valet præfatam juriſdictionem. Sic, licet Chriſtus Dominus ordinaverit Apoſtolos Sacerdotes cum poteſtate conſecrandi, dum inſtituebat ter Auguſtum ſacrificium Euchariſtiæ; poteſtatem tamen abſolvendi à peccatis plenè poſt reſurrectionem pręcipuè illis conceſſit Joan. 20. *accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Uti definit etiam Synodus Tridentina ſeſs. 14. cap. 1. ſicut igitur alienum eſſet à ſana Doctrina, fingere, poteſtatem illam juriſdictionis fuiſſe ſuſpenſam uſque ad adventum Spiritus Sancti, ita ut nec licita, nec valida diceretur abſolutio, quam D. Petrus impertiret alicui ex Diſcipulis ritè diſpoſito, ſeque apud Principem Apoſtolorum incuſanti, quod fuerit v. g. dubius de fide reſurrectionis poſt reſurrectionem. Sic à fortiori, & ab eadem doctrina Orthodoxa alienum, & planè voluntarium erit, fingere ſuſpenſionem poteſtatis ordinis, quoad ejus validum uſum, uſque ad reſurrectionem; quamvis conſultum fuerit neutra uti quo uſque induerentur Apoſtoli virtute ex alto per ſenſibilem Spiritus Sancti adventum: *vos autem*: dixit illis Chriſtus Dominus Lucæ 24. *ſedete in Civitate quoad uſque induamini virtute ex alto*. Nondum enim in rebus fidei poteſtatiſque, erant ſatis inſtructi, nec edocti ſatis, cum adhuc eſſent tenebrę in eorum mentibus, uti & erant noctis adhuc reliquiæ, dum Magdalena ad monumentum iret: Joan. 20. *Cum adhuc tenebræ eſſent*. Et nihilominus Marco atteſtante cap. 16. quamquam *valde mane foret*, erat attamen *orto jam ſole*. Quodque mirabile dictu, credituque eſt, ignorabant ea ipſa, quæ ſcire videbantur. Unde non fruſtra dixit illis Chriſtus Dominus Joan. 14. *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis*. Verùm cur opus erat novo Spiritus Sancti afflatu, influxuque ad illa addiſcenda, quæ Chriſtus Dominus creditus ab ipſis jam verus Deus, & Homo, eiſdem dixerat expreſsè, aut dicturus erat per os lucis? Niſi quia ea ipſa, quæ didicerant, ignorabant: nec enim ſufficit ſimplex rerum notitia, reflexionum luminibus deſtituta, & in intellectu, abſque ullis artium liberalium, & ſcientiarum principiis ſolitaria.

Num. 75. Hæc objectio, ſicuti ex ſuppoſitione inſtitutionis factę convincit uſum poteſtatis ordinis, utpote radicatæ in caractere indelebili, prohiberi quidem poſſe ab Eccleſia, ne licitè exerceri valeat; irritum attamen, aut invalidum ob eadem fieri nequaquam poſſe; alioqui nunquam adeſſe poſset ſecuritas in Sacramentorum receptione, ſed ubique foret timor prudens, ubique pavor, eſſetne excommunicatus, aut Hęreticus Miniſter; ita nihil omnino probat contra inſtitutionem primam illius, ea lege factam à Chriſto Domino, ut ejus uſus inciperet poſt reſurrectionem, quin validus foret brevi illo tempore fluente inter mortem, & vitam ſuſcitatam, ſive quouſque ſupremus Sacerdos ſacrificaturus principaliter, & in cujus nomine loquitur conſecrans, mortem exueret, & Sacerdotium formale recuperaret. Sic, licet Epiſcopus Hęreticus valide confirmet, ex ſuppoſitione inſtitutionis pręſentis eam poteſtatem ipſi non limitantis; potuiſſet tamen ita inſtitui, ut pro ea hęreſis hypotheſi, aut alia, uſus laudatæ poteſtatis irritus foret, ut docent Scholaſtici. *Potuiſſe quidem Chriſtum Dominum*, ait Doct. Eximius tom. 3. in 3. p. diſp. 36. ſect. 3. fine, *inſtituere Miniſtrum hujus Sacramenti eo modo, quo ibi fingitur* (in argumento); *ex uſu tamen, & traditione Eccleſię conſtat, non ita inſtituiſſe*. Jam verò inſtitutionem in re ſubjecta ita factam eſſe, prout ſententia noſtra opinatur, ſatis prudenter, ſatiſque efficaciter perſuadent conjecturæ ſupra deductæ ex Patribus, & ex rationis congruentiis.

Neque traditio Eccleſiæ aliquid in oppoſitum inſinuare poteſt, cum ſuſpenſio illa, de qua, & in qua diſceptatur, fuerit adeo brevis vitæ, ut Triduum non expleverit. Neque rurſus in prædicto Triduo contingit factum aliquod, è quo alterutrum determinatè potuiſſet eruere ſancta Eccleſia, aut de quo poſſet originem ducere traditio. Circa jus autem nihil definitum reperitur expreſsè; inveniuntur attamen quamplura noſtræ potiùs aſſertionis veſtigia, fonteſque, è quibus hauritur hæc doctrina longè probabiliùs, convenientiùſque, quàm oppoſita. In illam verò propendere magis videtur Eccleſiæ in Paraſceves uſus, & Patrum ipſius Eccleſiæ ſenſus, ut vidimus hactenus. Ex alio autem capite caracter, poteſtaſque in illo fundata, nullam eſſentialem connexionem importat cum valore actus ſimpliciter, itaut abſolutè ſit impoſſibile, caracterem exiſtere, & confeſtim non habere exercitium validum, ut conſtat in anima Sacerdotis ſeparata. Rursùs compertum eſt voto communi Theologorum, potuiſse ſic inſtitui, aut concedi eam poteſtatem, caractere impreſſo, ut nonniſi poſt determinatum aliquod temporis ſpatium validè exercerent datam poteſtatem, quam oportebat dari à ſummo Sacerdote ſenſibiliter pręſente, quantumvis uſus differendus eſſet tantiſper ob inſinuata prudentiæ, & religionis motiva; cum ægrè noſsent Apoſtoli in Triduo illo, aut ſaltem imperfectiſſimè, quid eſset, quid ſignificaret, quemve uſum prudentem ea poteſtas haberet. Ac proinde dum non probetur abſque ulla ejuſmodi ſuſpenſione inſtituta, aut conceſsa poteſtas illa, nihil pro brevi eo tempore obtineri poteſt in auxilium validitatis uſus illius pro tunc: ex conceſſione namque indifferenti ad utrumque ex ſe qui veroſimiliorem reddat ſuam cauſam,

ſen-

ſententiam, aut illationem, ille magis conformatur Eccleſiæ ſanctę, & ſanę doctrinæ; attingitque primus metam gloriæ.

Num. 76. Neque propterea aliquid de novo adveniens expectandum fuit ad uſum validum poſt reſurrectionem: quoniam eo ipſo, quod Chriſtus Dominus victrix ſurrexerit, deſinit ea ſuſpenſio uſus poteſtatis conceſſæ, cæpitque abſolutè vigere, ſi ad praxim reduceretur. Secundò: etiam ſi quidquid objectio machinatur, & intendit, permitteretur gratis objicienti, nihil obtineret: quoniam ad conficiendum ſacrificium non ſufficit concurſus ſolius Miniſtri, ſed requiritur, juxta communiorem ſententiam concurſus phyſicus Summi Pontificis noſtri, oblatioque actualis ab eodem elicita, defectu cujus potuit eſſe invalida, & inutilis ſacrificatio, quin & conſecratio, ad quam etiam concurrit effectivè, juxtà eamdem opinionem; licèt ipſius poteſtas, quà parte ad Miniſtrum ſpectat, illique concedi valet, integra, & nec per momentum poſt Inſtitutionem ſuſpenſa fuerit. Sic probabile putat D. Thomas Opuſc. 59. cap. 1. dum refert opinionem eorum, qui rati fuerunt, Sacerdotem audactèr conſecrantem panem omnem per forum diſperſum, nequaquam obtinere finem ob defectum intentionis ſupremi Pontificis Chriſti Domini, ſine qua completa non eſt intentio Miniſtri ſolius ad conſecrandum, ut diximus ſect. 1. præſentis Diſputationis. Sic nec anima Chriſti Domini in illo triduo attenta potentia ordinaria, vel ordinaria providentia, etiam intra ordinem ſupernaturalem, inſtitutionis, validè conſecrare poſſet, etſi per corpus aſſumptum verba proferret; quoniam licèt haberet poteſtatem excellentiæ, deficiebat tamen aliud conſtitutivum eſſentiale Sacerdotis, nempè corpus informatum eadem anima: proindèque erat ſuſpenſus uſus illius ſupremæ poteſtatis ad uſque reſurrectionem. Poteſtate tamen abſoluta, & ut ſupra regulas ipſius Inſtitutionis operari valens, poſſet convertere anima Chriſti Domini virtute inſtrumentaria ſubſtantiam panis, & vini in Corpus, & Sanguinem proprium, & tunc largitèr fuſum. Quemadmodùm poterat Deus ſe ſolo. Neutiquam tamen id efficeret tanquam formalis Sacerdos, & propterea quamvis ea facultate inſtrumentaria poſſet Sacramentum Euchariſtiæ conficere; ſacrificium tamen incruentum peragere non potuiſſet, eo quod, ut ſacrificium verè, & propriè ſit, poſtulat eſſentialitèr functiones Sacerdotis formalitèr talis, uti animadvertimus jam.

Non urget autem adversùs hanc doctrinam attactum in objectione inconveniens, quòd nunquam eſſemus ſecuri de validitate Sacramentorum inpoſterùm, æquè ſi id proveniat, quia ſummus Sacerdos non poteſt, aut non vult concurrere, ac ſi oriatur ex eo, quod Miniſter limitatam modo dicto ſortitus fuiſſet poteſtatem. Non ſanè, cum Sacerdotium ſupremum Chriſti Domini poſt reſurrectionem ſit æternum, & indefectibile ſimplicitèr, quemadmodum fide ſanctum eſt, ipſum non eſſe moriturum iterùm. Rursùs, præſuppoſitis requiſitis omnibus ex parte Miniſtri, non poſſet Sacerdos principalis non concurrere, quia licèt poteſtate antecedente poſſet ſupra ordinem ipſum Inſtitutionis, & contra, operari, poteſtate conſequenti ex promiſſione facta, nequit non influere. Quamvis igitur in eo Triduo, quia Sacerdos ſummus formalitèr non erat pro tunc, cujus concurſus eſt per ſe requiſitus ad ſacrificium, nullo pacto concurreret ad ſacrificandum, nec ad converſionem miraculoſam per verba conſecrationis efficiendam; nullum exindè periculum invaliditatis adeſt, quod prudentèr formidare modò debeamus; uti adeſſet, ſi poſt reſurrectionem Chriſti Domini initiaque naſcentis Eccleſiæ Sacerdos validè non conficeret Sacramenta ob pravam diſpoſitionem, vel ob noluntatem concurrendi ſummi Sacerdotis. Accedit, quod ſi Miniſter conferat Sacramenta abſque intentione, in irritum operatur, ut notiſſimum eſt, & quidèm ſemper ac id contingat uſque ad Mundi finem. In caſu autem noſtro nonniſi per breviſſimam illam periodum vitæ potuit non adeſſe ſummus Sacerdos, cujus influxum dicimus ſimplicitèr neceſſarium ad verum ſacrificium incruentum; de reliquo autem in æternum deſinere nequit. Ecquid igitùr? pericula apertiſſima in defectu intentionis neceſſariò ſubire debemus, & imperterriti ſubimus, & diſcrimina, quæ nuſquam jam evenire poſſunt, trepidamus?

Num. 77. Addendum, Sacerdotes poſt diem judicii nullo pacto conſecrare poſſe, etiamſi adeſſet materia panis, & vini, & licèt permaneat indelebilitèr caracter, quod eſt inſtrumentum, & ſignum etiam poteſtatis, ut docent Theologi, colligiturque ex 1. Corint. 11. *Donec veniat*. Quinimmò tametſi D. Petrus, aut Sacerdos alius, ultra Sacerdotem ſummum, eſſet modò cum corpore jam glorioſo in Cœlo, non poſſet conficere, juxtà plurium ſententiam, quos imitatur Cardin. de Lugo de Sacramentis Diſp. 8. ſect. 1. quamvis oppoſitum ſentiant alii cum Doctore Eximio Diſp. 13. Sicut igitur poteſtas conceſſa Sacerdotibus potuit, & debuit limitari quoad uſum validum pro tempore viæ tantùm, etiamſi caracter futurus ſit æternus; ita à fortiori potuit limitari validitas ejuſdem uſus pro exiguo ſpatio, quo Chriſtus Dominus per ſeparationem animę à corpore extiturus non erat formalitèr Sacerdos. Omnia hæc mirificè confirmantur ex D. Thoma ſupra jam laudato in 3. Sentent. ad Anib. diſt. 22. qu. unica artic. 1. ad tertium: *Sacerdos dicitur aliquis duplicitèr. Uno modo ratione caracteris, qui manet in anima poſt mortem, & ſic aliquis poſt mortem poteſt dici Sacerdos. Quamvis enim fortè in anima Chriſti non ſit ratio Caracteris,*

eſt

eſt tamen ibi ſpiritualis poteſtas Sacerdotii. Alio modo quantùm ad ſacrificii oblationem, quæ eſt executio Sacerdotii, & ſic nec Chriſto, nec alteri convenit Sacerdotium, animâ à corpore ſeparatâ. Quo teſtimonio perſpicuè firmatur ſeparabilitas in eventu aliquo poteſtatis ab uſu, aut exercitio valido. Firmatur inſuper aſſertio noſtra, quà contendit, Chriſtum Dominum non potuiſse fungi officio Sacerdotis ſupremi pro illo Triduo; ex quo rectè deducitur, nequaquam confici potuiſſe ſacrificium pro eodem Triduo ab alio Sacerdote Miniſtro; cum ſine concurſu principalis Sacerdotis repugnet ſacrificium Euchariſticum; etiamſi permitteretur, non repugnaturum, quà Sacramentum eſt.

Adjiciam hìc caſum præcedentis ſæculi, quo elucidatur ſubjecta doctrina. Androgenus, in quo prævalebat ſexus virilis, obtenta diſpenſatione inauguratus in Sacerdotem fuit, dum autem Sacerdotii munia ritè obiret, & accuratè, morbo, caſu, aut recondito naturæ ſecreto, ſubitaque mutatione prævaluit in eo ſexus fœmineus, caractere in anima jampridem indelebilitet ſuſcepto. Conſultus Cardinalis de Lugo reſpondit, non poſſe jam deinceps valide conſectare; tametſi retineret indubitanter caracterem: quam ſententiam generatim tradidit poſtea in Conſ. Moral. lib. 1. dub. 3. illumque imitati ſunt Govat. Tract. 7. caſu 2. num. 32., Diana, & Juniores alii. Abſtineo modò ab examine, aut diſcuſſione hujus reſolutionis; illa verò præſuppoſita fulciuntur omnia hactenus dicta. Si namque anima Sacerdotis inſtructa caractere, ſubindeque poteſtate conſecrandi, & informans actu corpus humanum, invalidè nihilominus conſecrat, & ſacrificat, ob ſolam mutationem accidentalem, & quidem non ſimpliciter, cum veſtigia aliqua ſexus virilis ſecundum quid permanſiſſent: quid mirandum, quod Apoſtoli acceperint in Cœna poteſtatem ordinis, quin idcirco potuerint valide conficere, quouſque ſummus Sacerdos à mortuis ſurrexiſſet? Quid mitandum, animam ſupremi Sacerdotis à corpote in Triduo ſeparatam, licet retinuerit poteſtatem, non potuiſſe validè conficere, ſive conſecrare, attenta providentia, ac poteſtate ordinaria? Quid mirandum, quòd denominatio Sacerdotis formalitet & completè uſurpata, importet eſſentialiter corpus animâ caractere præditâ informatum, cum videamus non ſufficere ſuppoſitum humanum, aut humanum corpus informatum anima rationali caractere, & poteſtate ordinis inſignita, quæque intra corpus illud ſæpiſſimè, & validè conſecraverit? non ſufficere, inquam, ad uſum validum, dum ob accidentariam mutationem extrinſecam, vi cujus converſum eſt in fœmineum, corpus antea virile? Fœminam ſiquidem eſſe de jure Divino incapacem Sacerdotii ex ipſamet Chriſti Domini Inſtitutione excluſam docet conſtanter Theologia cum D. Thoma in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. & cum D. Seraph. eadem diſt. 25. quantumvis Marcitæ, Montaniſtæ, Pepuziani, Collyridiani, & id genus monſtra Sacerdotii capaciſſimas dixerint, ut fœminas; adverſùs quem errorem diſputavit egregiè S. Epiphan. Hæreſ. 79. S. Aug. in libro de Hæreſ. cap. 27. Firmilianus in Epiſt. ad Cyprianum, & alii Patres, fœminas à Sacerdotio procul removentes: cum enim probatum ſit vetuſtate illud notum conſilium, fœminis nullum eſſe committendum arcanum, quà prudentia, quo jure committeretur ſecretum maximum?

Num. 78. Oppones ſecundò: D. Thom. 3. par. qu. 76. art. 1. Corpore ajentem. *Et ideò ſi in illo Triduo Mortis fuiſſet hoc Sacramentum celebratum, non fuiſſet ibi anima Chriſti, nec ex vi Sacramenti, nec ex reali concomitantia.* Supponit ergo poſſibilem celebrationem Sacramenti, & ſacrificii Euchariſtici in Triduo Mortis. Revera tamen hæc objectio nec rationis ſuccum aliquem, nec adhùc veroſimilitudinis habet. Loquitur enim ſolùm quaſi facta hypoteſi, ut notavit Cardin. de Lugo, conſequenterque diſputat purè ſub conditione, quod id poſſet contingere; non jam ſub conditione tantùm, quòd in eo Triduo fieret conſecratio, ſed inſuper ſub conditione, quòd fieri poſſet juxta præſentem Inſtitutionem; præſcindendo tamen omnino ab eo, quòd ita ſit de præſenti inſtitutum ſacrificium juge, ut noſtra ſententia credit; vel aliter; itaut non ſit per ſe neceſſarius concurſus ſummi Sacerdotis, immò nec ſummi Sacerdotis exiſtentia. Ea autem Hypotheſis utilis valdè eſt, ad explorandum quid conſtituatur ſub ſpeciebus per concomitantiam; quid ex vi verborum, aut ex vi Sacramenti. Uti ob conſimiles fines exquirunt Theologi mutationes, quæ contingerent in Euchariſtia, moriente Chriſto Domino in Cruce, ſi particula panis conſecrati aſſervata fuiſſet. Dum verò Divus Thomas accedit propriùs, & abſolutè ad diſſerendum de validitate, aut poſſibilitate conſecrationis, & ſacrificationis in præfato Triduo, ſatis ſenſibiliter vergit in noſtram aſſertionem, & in Sacrificii impoſſibilitatem, quam in oppoſitum: cum ratio ab illo ſupra breviter libata ad inſtar expreſſionis lucis oſtendat perſpicuè, exiſtente realiter veritate, ſuperfluam, irritamque futuram repræſentationem, aut umbram; & eiſdem titulis impoſſibilem, juxta præſentem Inſtitutionem, & providentiam. Eodemque pacto occurrendum eſt verbis Concilii Tridentini, in quibus contineri virtualiter communem ſententiam, falsò præſupponit Henriquez. Quòd namque poni definiat animam concomitanter, eo quod Chriſtus Dominus reſurgens à mortuis, jam non moriatur ultra; importat ſolùm modum, quo de facto conſtituitur præſens anima, præſcindendo omninò ab eventu illo conſecrationis in Triduo. Deindè, permittamus includere poſſi-

bilitatem præfati eventus ; profectò illam ſimpliciter non inficiamur ; ſed juxta præſentem duntaxat inſtitutionem, & providentiam . Demum , licet juxta illam etiam poſſibilem præſupponat conſecrationem ; nihil attamen circa ſacrificii poſſibilitatem , quam præcipuè Inficiamur, attenta præſente Inſtitutione , decernit.

Oppones tertio : potuiſſe aſſervari connaturaliter ab allquo Apoſtolo bucellam aliquam panis, quem Chriſtus Dominus conſecraverat; in illa autem hypotheſi poſſibili infringuntur pœnitùs argumenta noſtra . Injuſtè tamen , & ineptè id nobis objiceretur: ſiquidem permanentia corporis, & ſanguinis ſub ſpeciebus , ſi ſemel aſſervarentur non indiget Sacerdote conſervante , ſicut indiget ſacrificium , ut conficiatur , foretque conſecutio neceſſaria ad conſecrationem factam ; quòd vero Apoſtoli in eo Triduo poſſent validè rem ſacram facere , non modò neceſſarium non foret , verùm & foret inutile , noxiumque , tametſi concederetur poſſibile ; nec ullo pacto ex poteſtate illis univerſim data infertur , ut ſuadent argumenta noſtra : quæ proindè illæſa remanent . Quinimmo licet permitteretur poſſibilis conſecratio validè facta ab Apoſtolis tunc , ac proinde exiſtentia Sacramenti Euchariſtiæ ; idque aſſeruiſſe Divum Thomam Trident. & Patres ; non idcircò , ut nuper dicebam , verum ſacrificium conficerent ; quia ponerentur Corpus Chriſti Domini , & Sanguis realiter ſeparata, & ex conſequenti non poneretur quà homo , & Sacerdos ſummus, qui prærequiritur exiſtens in altari ad ſacrificandum ; licet non debeat præexiſtere ad conſecrandum ; & propterea illi non attribuitur ea proprietate conſecratio , quà ſacrificatio ipſa : ut enim ſæpè monitum fuit, ubi ſacrificium eſt ſummè perfectum , exigitur ſummus Sacerdos per ſe concurrens ad illud celebrandum , non minori exigentia , quàm requiratur eſſentialiter verum Sacerdotium ſimpliciter ad omne verum ſacrificium peragendum ; alioqui potuiſſet concipi infinitè pretioſum ſacrificium cruentum , quantumvis ſupremus Sacerdos , non per ſe, & ex corpore ſuo phyſicè, & immediatè, ſanguinem fudiſſet, ſed ex Miniſtri corpore (myſtico), qui loco ipſius, ejuſdemque Servatoris nomine ultimos humanæ naturæ cruciatus toleraſſet libenter , eujus invicta patientia, & immolatio duriſſima , ſummo Sacerdoti attribueretur moraliter.

Num. 79. Cenſura verò , quæ ex Doct. Eximio , & quibuſdam aliis objicitur , tanti momenti viſa non fuit, ut terruerit Doctiſſimum Cardinalem de Lugo , Ægydium Conink. Rhodes , & alios Recentiores Ledeſmam , pluresque veterum Theologorum , ſecutos, ab ea opinione tamquam valde probabili acriter tuenda . Non quia auctoritas inſignis illius viri , non ſit ſummi momenti; ſed quia materia illa nondum erat ex profeſſo diſcuſſa, ſed magis veluti præſuppoſita , & plerumque ægrè ſalutata . Rurſus ipſemet opinionum conceptus , æſtimatioque mutantur ſæpiſſimè temporis , rationis , & auctoritatis acceſſionibus , præſtantiſſimi , exempli cauſa, alicujus Theologi (cujuſmodi fuit proculdubio Cardin. de Lugo) ſuffragio ; pluriumque Sectatorum voto : & quæ priùs non ſine offenſionis timore pedetentim vulgabatur trepida manu ; pennas deinceps acquirit, volitatque plauſu communi , ut dicere poſſis de illa : *parva metu primo , mox ſeſe attollit in auras*. Quamobrem ſi cenſura Franciſci Suarez poſterior eſſet , proferreturque luſtratis, libratiſque fundamentis, quæ Cardin. de Lugo jecit , aliorumque Recentum momentis , vim meritò , & horrorem incutere debuiſſet ; cum verò nunc è regione contigerit , quòd nimirum cenſura , vix ullum pro illa ſententia viderit Theologum, niſi veteres nonnullos ſuboſcurè , & obiter loquentes , & unum Ledeſmam probabiliter duntaxat diſputantem ; Cardinalis verò, & reliqui prælaudati obſervaverint diligenter præfatam Doct. Eximii notam , & nihilominus in opinionem ea cenſura notatam iverint animosè , imperterritique , manifeſtè apparet , tanti ponderis viſas fuiſſe poſterioribus illis Scholaſticis reflexiones , congruentias , & auctoritates , quæ prædictam ſententiam promovent , & illuſtrant , ut non ſolùm longè , latèque ſuperare putent contrariam , ſed & diſſipent cenſuram illi obiter adjectam . Ita non ſemel opiniones , quæ tempeſtate aliqua , ævoque floruere ; nova poſtmodum ratione , aut abſurdo detecto , novoque ingeniorum diſſidentium ſtudio , & examine prolixo , marceſcunt , obſolætaque pœnitus fiunt . Ut ſic aptiſſimè accomodare valeas opinationibus peritiſſimorum hominum , juxta temporum , & nationum diverſitatem faciem variantibus , Horatianum illud.

Multa renaſcuntur , quæ jam cecidere , cadentque .
Quæ nunc ſunt in honore vocabula .

DI-

Digitized by Google

DISPUTATIO QUINTA.

Utrùm Vita actualis Corporea Christi Domini *in Euchariſtia, hactenùs à nobis ſtatuta, & ſupremi Sacerdotis munere aternùm firmata, ſit planè neceſſaria ad hoc, ut in Miſſa reperiatur ſtrictè verus conceptus formalis Sacrificii; itaut abſque illa, repræſentaret quidèm cruentam Sacrificii Crucis Hiſtoriam; nullam attamen ſacrificaret Victimam?*

Ecce tibi novum aliud inclytumque ſcopi noſtri potiſſimi fundamentum, & ſimul ejuſdem fructum jam apprimè maturatum. Cum enim ſanctè fatendum ſit, in Miſſa non tantùm inveniri Sacrificii cruenti repræſentationem, & memoriam jugiter renovatam, ſed inſuper propriam, & ſtrictam in ſe ſimplicitèr Sacrificii rationem, latrantibus ex adverſo Hæreticis, & veritati Fidei obſtrepentibus, dum in panem vivum velut in lapidem durum ſæviunt; operę pretium eſt, & neceſſarium, ſolicitè inveſtigare, quo jure, in qua Victima, & (ex conſequenti) in qua Miſſæ functione reperiatur formaliter conceptus immolationis, aut immutationis realis, quæ eſſentialiter requiritur ad verum Sacrificium conſtituendum, quod non ſit merè repræſentativum alterius ſacrificii, cruenti ſcilicet, ſed unà ſtrictè, & propriè ſacrificium, ajente D. Thoma 2. 2. qu. 85. art. 3. ad 3. *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit: ſicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur ..... & hoc ipſum nomen ſonat. Nam ſacrificium dicitur ex hoc, quòd homo facit aliquid ſacrum: oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamſi nihil circa ipſum fiat. Undè omne ſacrificium eſt oblatio; ſed non convertuntur. Primitiæ autem oblationes ſunt, quia Deo offerebantur, ut legitur Deuteron. 26.; non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circà eas fiebat.* Idem repetit q. ſequenti art. 1. corpore. Patetque rursùs ex vulgata, & ubiquè ferè accepta ſacrificii propriè talis definitione, his, aut æquivalentibus, verbis concepta. *Eſt oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei ſenſibilis in ſignum ſupremi illius in res omnes dominii vitæ, neciſque, ex legitima inſtitutione.* Id creditur implicitè contentum in verbis illis Pauli ad Hæbr. 5. quibus docet, Pontificem conſtitui à Deo, & ex hominibus aſſumi, *ut offerat dona, & ſacrificia*, & cap. 8. *ad offerenda munera, & Hoſtias*, diſtinguens in-

ter puram doni oblationem, & ſacrificium ſtrictum, ut declarat Chryſoſt. homil. 18. ex cap. 1. ad Hæbr. exponens illud Pſalm. 38. *Sacrificium, & oblationem noluiſti*, adjungens, *oblatio autem erat quidquid extra ſacrificium erat*: & expreſſiùs adhùc Theophilact. in cap. 8. ad Hæbreos. Si autem Scholaſticorum ſententias circà materiam hanc difficillimam conſulas, tametſi teſtimoniis Patrum ornatas potiùs, quam ſtabilitas, nullam profectò reperies, in qua altè quieſcas, vel in qua realem aliquam immutationem rei oblatæ, aut Victimæ percipias; ſed myſticam duntaxàt, quam nec Hetherodoxi inficiantur. Illam tamen inſufficientem planè credunt ad conſtituendum verum, & rigoroſum ſacrificium, niſi in imagine tantùm, aut repræſentatione facta in altari, veluti in conſpicuo ſpectaculi loco. Quamobrem Scholaſtici, qui per eam ſolam repræſentationem ſalvare conantur veram ſacrificii incruenti rationem, reipſa tela miniſtrant Hæreticis, præſertìm illi Lutheranorum factioni, quæ præſentiam realem permanentem Chriſti Domini admittit, & confitetur; ſacrificium tamen vehementèr averſatur, & reſpuit: ſolùmque inter ipſos erit quæſtio de puro nomine, num, videlicèt, ea repræſentatio ſimul cum identitate rei, aut Hoſtiæ, quæ repræſentatur, dicenda ſit vera, & ſtricta ſacrificatio, propriumque ſacrificium, quod ex illa reſultat, & conſtituitur, vel mera repræſentatio ſacrificii?

Noverant quamoptimè hoc ipſum Lutherus ipſe, & Calvinus, qui propterea univerſum Orbem Chriſtianum à primis ſæculis uſque ad ſua infæliciſſima tempora, imbutum fuiſſe dolent doctrina, & fide credente, Miſſam eſſe verum, ſtrictiſſimumque ſacrificium. Diſputans nanque impietate ſumma, & pari audacia Lutherus contra rationem illam veri ſacrificii in Miſſa in libr. de Captiv. Babil. cap. 1. fatetur, ita credi à nobis proprium ſacrificium; *ut accedant bis dicta Sanctorum Patrum, tot exempla, tantuſque uſus per Orbem conſtantèr obſervatus .... Totus Orbis contrarium, & ſenſum, & uſum babet*. Et ibidem: *Meliùs eſt omnia negare, quam Miſſam ſacrificium eſſe concedere*. Similia pronuntiat in libro de abroganda Miſſa, præſertìm in Epiſt. dedicatoria. Eadem impudentia differuit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 18. *Peſtilentiſſimo errore Sathan totum Orbem obcæcavit, ut crederet, Miſſam ſacrificium eſſe, & oblationem ad remiſſionem peccatorum*. Et eodem cap. §. 18. ſubjungit: *Sententia, quòd Miſſa ſit ſacrificium inebriavit omnes Reges terræ, & Populos à ſummo uſque ad noviſſimum*. Et nihilominùs dilucidè, & ſæpiſſimè fatentur, in Euchariſtiæ myſterio inveniri repræſentationem ſacrificii cruenti, quin & id paſsìm proteſtantur, traditque ex omnibus hujus farinæ Kemnitius in 2. part. Examinis pag. 788., adversùs quem copioſè, & eruditè Cardin. Bellarm. lib. 5. de Miſſa cap. 15.

Exiſtimabant ergò tanquàm planè indubitatum, Eccleſiæ univerſalis ſenſum eſſe, aliquid aliud ſacrificii ſtricti proprium, & immolationis reperiri in Miſſa, ultrà repræſentationem ſacrificii cruenti. De reliquo autem, quatenùs ſimplicitèr verum in ſenſu aliquo proprio ſacrificium inveniri in Miſſa Catholicorum negant, non modò deſertores inveniuntur ipſi Orthodoxæ Fidei, è caſtris veteris, & novi Teſtamenti profugi, clamantibus ubiquè Prophetarum tubis canora ſimul, & articulata voce Malach. 1. Iſajæ 19. 24. 66. Dan. 11. Pſalm. 109. Uti & novo teſtamento, cujus teſtimonia dabit Bellarm. de Miſſa cap. 6. Verùm & naturalis rationis: quippè quæ lumine fulgentiſſimo dictat omnibus, exiſtere non potuiſſe Deum, Divi-

namque

namque providentiam in mentibus hominum, quin coli debeat vero aliquo religionis immolantis cultu: nec viguiſſe unquam Religionem aliquam abſque Sacerdotibus: nec Sacerdotes abſque ſenſibili ſacrificio: nec ſacrificium abſque propria immolationis, aut immutationis ſpecie in Hoſtia. Et ex alia parte nullum aliud deſignabile eſt externum ſacrificium ſtrictè tale in Eccleſia Dei, niſi Miſſæ ſacrificium; adeo ut, aut nullum ſit, aut hoc, atteſtantibus etiam Eccleſiæ, & ſacrificii Hoſtibus infenſiſſimis. Audiatur S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum: *In nullum nomen Religionis, ſive verum, ſive falſum coadunari homines poſſe, niſi aliquo Sacrificiorum, & Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*. Et lib. 1. de Civit. cap. 4. *Nulla gens fuit tam barbara, quæ non ſacrificaverit iis, quos putavit, aut finxit eſſe Deos*. Et D. Maximus contra Lucifer. *Non eſt Eccleſia, quæ non habet Sacerdotem*. Et S. Thomas 2. 2. qu. 85. art. 1. corp. *Naturalis ratio dictat homini, quòd alicui ſuperiori ſubdatur ..... Hoc autem pertinet ad rationem ſacrificii: & ideo oblatio ſacrificii pertinet ad jus naturale*. Conſimilia habet artic. 4. Quamvis enim multi clariſſimi Viri, & Philoſophi inter Gentiles ridere viſi fuerint ſacrificia, ſolùmque ut morem gererent Populis, aderant, ſicuti & innuit Ariſtot. 12. Metaphyſ. fatetur de ſeipſo Seneca, expreſſit Averroës, Apollonius Tyanæus, & alii, ut refert Euſeb. de præparat. Evang. lib. 4. (utque ſibi objicit Cajetanus 2. 2. q. 85. art. 1.) Cæterum dictamen hoc ex alio capite originem duxit, ex ſuperſtitionibus nimirum ſacrificantium, Haruſpicum vaticiniis, extorum, calentium adhuc, obſervationibus, quas victimas conſultatorias dixere, apud Macrob. lib. 3. cap. 5. & Virgil. 4. Æneid.

Spirantia conſulit exta.

uti ex commentitia Divinitate illorum, quibus Victimæ immolabantur, cum Deorum turbam, vulguſque ferè interminatum Divorum induci viderent à plebe, ab adulatione, & ab ignorantia: frugalitatem etiam in Deitatum numero, in quorum laudem Aræ fumarent, & ſanguine maderent, deſiderantes. Unde priſca ſæcula laudabat Juvenal. Satyr. 13.

nec turba Deorum
Talis ut eſt hodie, contentaque ſydera paucis
Numinibus ......

Vel quia, ut Apoſtolus ait, cum cognoviſſent Deum, illum tamen glorificare auſi non ſunt, etiamſi ſacrificia confictis Numinibus dicata irriderent. Vel tandem, quia obcæcati, veri Numinis Providentiam circa res humanas (ſi non Deum ipſum) negarunt, proinde inutilem omnem litationem putaverunt. *Sunt enim Philoſophi*, inquit Cic. lib. 1. de Natur. Deor., *qui omnino nullam habere cenſerent humanam rerum procurationem Deos*. Protinuſque adversùs illos immenſa orationis copia inſtructus inſurgit: *Quorum ſi vera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? &c.* Sicut verò plures ex antiquis contempſerunt ſacrificia Diis innumerabilibus viritim dicata, ita non pauci risère eorumdem Deorum convivia, ut ibid. notat Juvenal.

Nulla ſuper nubes convivia cœlicolarum.
Prandebat ſibi quiſque Deus ....

Divina tamen pietas, & ſapientia invenere viam, & modum, quo cum Deo ipſo prandere valeant homines quotidiè, immò, & viam, qua in prandio illo comederet, ipſum Deum, ipſumque immolaret, aut ſacrificaret homo.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Semitæ diverſæ, per quas paſsim Scholaſtici incedunt, ad inveniendum ſtrictum conceptum Sacrificii in Miſſa, veramque rei oblatæ immutationem, in illo altè incluſam, aberrant procul.

§. I.

Num. 1. QUAMPLURIMÆ ſunt ejuſmodi viæ, ſuaque ipſa numeroſitate ab invicem oppoſita labyrintum inextricabilem, exitumque neſcientem, efformant potiùs, quàm iter. Potiſſimas tantùm occludam, inviaſque plane facere conabimur, non abſque ſpe obtinendi finem, Deo veram ſemitam monſtrante.

Fallimur, oſtendat, ni Deus ipſe viam.

ut loquitur Alciatus lib. 8. Embl. & Ovid. 5. Faſt.

Ut ſtat, & incertus, quà ſit ſibi, neſcit, eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter.

Non differimus tamen immediatè, & directè de functionibus, ſacrave actione, in qua ſita eſſe debeat eſſentia jugis ſacrificii; niſi quatenus id per ſe, & neceſſariò ſubſequatur noſtram doctrinam. Inveſtigamus igitur quo pacto verus, & ſtrictus conceptus ſacrificii reperiri valet in Myſterio Euchariſtico, ut fide orthodoxa docemur; cum verum ſacrificium poſtulet eſſentialiter mactationem, vel immutationem aliquam realem Hoſtiæ, aut rei oblatæ; ſine qua non minùs repugnat verum, & proprium ſacrificium ſenſibile, & prout à ſimplici oblatione diſtinctum, quàm hominem adſtruere abſque prædicato ratìonabilitatis? Id namque firmum prorſus videtur Scripturæ Sacræ perenni, jugique conſenſione, ferè ſemper ac de ſacrificiis conficiendis ſermonem inſtituit, & facienda præcipit: cum illico immolatio victimæ, Sanguinis effuſio, ſi fuerit animal, genuſque aliud realis immutationis producatur, ſive id fieret per combuſtionem, decoctionem, ſive per libationes, diverſaſque alias ruinæ, aut deſtructionis ex parte ſaltem; profuſioois, aut immutationis, ſi fuerit res inanimis. Cum enim ſacrificatio fiat in proteſtationem Dominii Supremi Dei in vitam, & mortem omnium creaturarum viventium; qua proportione ad id ſignificandum, ita offerretur Deo ovis, ut nihil circa ejus vitam ageret ſacrificatio, ut ſcitè arguit Cardin. de Lugo? Quòd in omni ſacrificiorum genere, inter Geotiles etiam, ita invaluit, ut ejuſmodi immolationis uſus meritò credatur ex naturę jure proveniens. Unde Apoſtolus de ſacrificiis antiquæ legis tractans, generatim aſſeruit ad Hæbr. 9. *Et omnia pæne in Sanguine ſecundum legem mundantur; & ſine Sanguinis effuſione non fit remiſſio.* *To.* autem *pæne* denotat alia ſacrficiorum genera, in quibus Hoſtia, Sanguinis incapax, aliter immutabatur, ut dictum eſt, cuoı mori nequeat id, quod vitam neſcit; poteſt attamen deſtrui. Si autem interdum innuitur io ſacris literis, aut præſupponitur ſacrificium aliquod, in quo nulla rei oblatæ immutatio appareat, aut dicendum eſt illud latè duntaxat appellari ſacrificium, eſſeque purè ſimplicem oblationem, aut adeſſe neceſſariò incluſam aliquam realem immutationem: uti circa panes propoſitionis, & circa ſacrificium Melchiſedech probant Theologi, & Interpretes Levit. 2. item 23. & 25. & evincit P. Vaſqu. circa omnia ſacrificia diſp. 220. cap. 3. Conſulantur Bellarmin. de Miſſa, Malderus, Alanus, Enriquez, Doctor Eximius, Azor. lib. 10. cap. 17. Cardinal. de Lugo diſp. 19. & Theologi propè omnes cum Divo Thoma 2. 2. quæſt. 85. art. 3.

Quocirca minùs conſideratè P. Arriaga inducit ſacrificium Zelotipiæ, verè, & propriè tale, in quo, ut ille ſupponit, res oblata nullam patiebatur immutationem realem; cum apertè doceant contrarium verba illa Num 5. verſ. 26. *pugillum ſacrificii tollat de eo, quod offertur, & incendat ſuper altare.* Num ſtragem non patitur res, quę comburitur? adolebat enim Mincha Sacerdos eodem tempore, quo Mulier per aquas amaras Zelotypiæ honorem ſuum purificabat, ſi foret innoceus ab imputato adulterio, ſeque purgare debebat per ignem, & aquam, vel à ſuſpicione adulterii, aut putrefieri, morique; ubi clariùs, & veriùs reperiri valet realis immutatio, quin & deſtructio? Conſulantur Cornelius à Lapide, tum in locum præallegatum Numer., tum in cap. 2. Levit.

Similiter minùs rectè Andreas Sauſſay in ſua Panoplia Sacerdot. part. 2. libr. 1. de munere offereudi pag. 456. adducit duo exempla veri ſacrificii abſque ulla reali immutatione Hoſtiæ. Primum ex cap. 14. Levit. ubi pro emundatione Leproſi ſacrificari jubentur duo paſſeres, quorum unus occidebatur, alius verò Sanguine prioris aſperſus dimittebatur, ut libertatem ſimul, & regionem propriam aucuparetur. Non ſcitè quidem, quoniam illud non fuit propriè ſacrificium, ut notat Cornelius à Lapide, ibi: *Neque enim*, inquit; *Erat hoc propriè ſacrificium, quod Deo offerebatur, cum fieret extra caſtra longè ab altari. Sed tantùm hæc occiſio paſſeris fiebat ad excipiendum ejus Sanguinem, ut eo tingeretur Leproſus expiandus.*

Unde

Digitized by Google

Vnde non à Sacerdote, ſed Sacerdotis juſſu fiebat hæc occiſio, ut patet ex verbo, jubebit: Præterea quamvis permittatur, veram fuiſſe ſacrificationem illam, profectò qua parte jugulabat paſſerculum vera mactatio intercedebat, veraque proinde ſacrificii ratio aderat. Alter verò, qui tinctus Sanguine avolabat, lepram fugientem deſignabat, ſolùmque figurativè ſacrificationis conceptum participaſſe tradunt; & allegoricè Divinitatem in morte Chriſti Domini illæſam, liberamque paſſione Humanitatis, licet in concreto totum illud ſuppoſitum denominaretur ab illa patiente, ſubindeque, & Deus per communicationem Idiomatum. Quapropter ita binarium illud myſticum ſpectabat ad ſacrificium, ſicuti integer Chriſtus Dominus ad ſacrificium Crucis, in quo ſola humana natura mortem ſuſtinuit, & dira in ſeipſa pertulit, animoſitate quidem Divina, patientia tamen humana.

Num. 2. Appoſitè namque per paſſerem volare permiſſum, & non ſolùm per immolatum, Intelligitur etiam Chriſtus Dominus juxta illud Iſajæ 49. *vocans ab oriente avem virum voluntatis ſuæ*; maximè cum avis illa, apud eumdem Iſajam cap. 46. fuerit *vir obediens*. Idem itaque eſt ſignificativè paſſer cruentè immolatus cum paſſerculo vita, & libertate donato, cum hic immolandus eſſet incruentè ſub alia ſpecie (quatenus erat figura Chriſti Domini), ut primus ille in ſpecie propria, & cruentè; non tantùm quia ſanguine tinctus volitaret, qua ratione etiam ſacrificium incruentum effuſionem Sanguinis ſacrificii cruenti repræſentat; verùm quatenus ſub ſpecie alieni coloris velatus, latenſque figurabat immolationem incruentam. Quocirca Imperfectus exponens verba Iſajæ producta, inquit: *Avis iſta revera in Eucharistia ſumitur; & ideo ſanguis ejus magnam audaciam ſtrennè ſuam prædam capiendi confert*. Quod non valdè obſcurè ſignificatur in laudato cap. 14. Levit. dum aſſeritur, paſſerem volaturum in agrum: *cum dimiſerit paſſerem avolare in agrum liberè*. E quo agro frumentum electorum metit Eccleſia. Neque ſolidius eſt ſecundum exemplum ex alio binario pariter deſumptum Levit. 16. ex ſacrificio nimirum duplicis hirci, quorum unus mactabatur, & alter imprecationibus, veluti ſarcina peccatorum onuſtus emittebatur in ſolitudinem per hominem paratum. Quandoquidem licet uterque Hircus deberet adduci ad oſtium Tabernaculi, ut ſignificatio myſtica ex utroque coaleſceret; ſacrificatio tamen realis, & phyſica circa unum tantùm exercebatur, non verò circa alium, quem liberum remittebant. Ille igitur nequaquam erat Victima, ſed cæremonia, rituſque integrans perfectam illius ſacrificii ſignificationem. Præſertim cum apud Patres frequentiſſimè, quos refert, & imitatur à Lapide, per ſecundum Hircum, pariter ac per paſſerculum ſecundum, de quo in primo exemplo objecto, deſignaretur divinitas, quæ libera immuniſque evaſit in illa cruenta Humanitatis ruina. Vel ſignificabatur Anima Chriſti, de qua ſcriptum erat; *inter mortuos liber*: idque liquet evidenter ex eodem textu, ubi ſuper utrumque Hircum ſortem mittere jubetur Sacerdos: *unum Domino, & alterum capro emiſſario; cujus exierit ſors Domino offeret illum pro peccato, cujus autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem*. Hanc doctrinam tradidere conſtanter Eccleſiæ Patres, quos agmine denſo laudant Scholaſtici, & ſequuntur. Eandem hauriunt Interpretes ex nomine ſacrificii, apud Hæbreos, *Zabach*, quod latinè eſt mactatio, uti & ex Græcarum vocum energia, quibus pura oblatio, & ſacrificium diſcernuntur, & explicantur, ut ex S. Iſidoro, Theophilacto, Euſebio, & Patribus communiter obſervant Theologi.

Et ſanè ſi oppoſitum catholicè ſubſiſteri poſſet, nequidquam laborarent Interpretes, & quidem tantopere, in reperienda deſtructione, aut immutatione aliqua materiæ oblatæ in ſacrificio, quod obtulit Melchiſedech. Solùmque inter Scholaſticos unus aut alter preſſus mole difficultatis reperiendi immutationem realem, veramque in jugi ſacrificio; cùm aliunde veram rationem ſacrificii denegari illi nequiret impunè, removere conatus eſt à conceptu eſſentiali ſtricti, & proprii ſacrificii conceptum mactationis, aut alterius realis immutationis. Reliqui verò non tantùm eam agnoſcunt, ſed & carpunt contrarium ſentiendi modum. Quare ſapientiſſimus Leſſius ad qu. 83. tertię partis artic. 1. dub. 6. judicium ferens de hac cujuſdam ſui temporis propoſitione: *ad eſſentialem rationem ſacrificii, prout eſt de jure naturæ non requiritur mactatio; quæ tamen requiritur ad hoc, ut oblatio ſacrificii rationem habeat, prout ſacrificii vox in ſcriptura ſumitur, & ratio Ethymologiæ requirit*: abſolutè, & incunctanter pronunciat: *neminem Doctorum veterum, nec recentiorum, quod ſciam, tradidiſſe ſacrificii rationem, prout eſt legis naturæ, non requirere mactationem. Vnde hæc propoſitio videtur etiam nonnihil novitatis, & temeritatis continere*. Subjungitque ulterius, eam propoſitionem parùm ſibi conſtare, cum ſecunda illius pars, non ſolùm infirmet primam, verùm aperto Marte cum ipſa congredi videatur; ac proinde non opus eſt ad illius ſtragem hoſte alio externo, cujus ſit Victima.

Num. 3. Hanc igitur ſententiam tanquam indeſinenti uſu in omni Religione ab ipſo mundi exordio firmatam, ab Scripturis ſacris, Patribuſque expreſſam, & à Theologia ferè unanimi ſtabilitam, quæque oppoſitam, ut abſurdiſſimam, & temerariam plerumque averſatur, ſupponimus in præſenti cum propè omnibus, ipſiſque Adverſariis, ut contra hos diſſeram fusè de eorumdem opinionibus, eo tendentibus, ut

veram

veram aliquam realem immutationem deſignent in jugi ſacrificio, ut per illam, veram, & ſtrictam ſacrificii naturam ſalvent (quod autem tanta opinionum diverſitate id minimè aſſequantur; noſtraque duntaxat illam apertè, & indubitanter inveniat, & adſtruat, conſtabit ex producendis). Adjungam nihilominùs, quòd etſi de aliquo alio ſacrificiorum genere tolerari poſſet, & admitti vera ſacrificatio abſque ulla reali immutatione; in Holocauſto tamen, quod erat omnium ſacrificiorum perfectiſſimum, nullus unquam dubitavit, intervenire eſſentialem deſtructionem, & quidem ex integro, rei oblatæ. Et aliunde notiſſimum eſt, ſacrificium altaris ſuiſse per illud figuratum luculentiùs, accedereque magnopore ad naturam Holocauſti, quod idcirco conveniens Legi gratiæ ſacrificium dicebatur, ut oſtendit S. Gregor. Magn. Homil. 20. in Ezechiel. S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 9. Bellarmin. lib. 5. de Miſsa cap. 22. & Expoſitores communiſſimè.

Quamobrem non diſceptatur de ſtricta illa immolatione victimæ, quæ ſignificat cruorem ex inflicto illi vulnere manantem, quæ eſt acceptio immolationis notior, ſtrictior, frequentior, & elcgantior; in qua nonniſi repræſentativè immolatur Chriſtus Dominus in Euchariſtia, ſubindeque non verè, & propriè; vel nonniſi ratione effectus cruentæ mactationis perſeverantis in æternum (qui applicatur ſingulari jure per ſacrificium incruentum) invenitur, ut docuit D. Thomas 3. par. qu. 85. art. 1. & ibi Scholaſtici, habeturque in Trident. ſeſs. 22. & deſumitur ex Magno Gregorio lib. 4. Dial. cap. 36. ex Cypriano, ſive Auctore Sem. de Cœna Domini, & ſæpiſſimè ex aliis Patribus; ſed de immolatione latiùs uſurpata, quà ſignificat omne genus realis immutationis, prout animadvertunt iidem Theologi, qui veram, & ſtrictiſſimam immutationem realem exigunt eſsentialiter in victima, & Hoſtia, ad conceptum formalem ſacrificii in genere; ad aliquam verò ſpeciem determinatam ſacrificii immolationem cruentam, vel vitam auferentem deſiderant; nomen autem immolationis propriè uſurpatum hanc ſolam ſpeciem ſacrificii ſignificare putant. Quamvis revera adeo frequens auditur ex ore Patrum verbum mactandi, immolandique accomodatum ſacrificio altaris, ut perſuaſum habeam, eos non qualemcumque immutationis realis ſpeciem ſignificaſse, ſed talis naturæ, ut licet ſanguinem phyſicè non effundat, vitam nihilominus aliquatenus realiter attingat, & cum immolatione cruenta affinitatem habeat quammaximam (cujuſmodi à nobis adſtruenda, & firmanda erit infra); ne in re Euchariſtica propoſitiones Patrum, qui continent verum, & proprium aliquem ſenſum (exemplo nequaquam à periculo immuni) uſurpentur in ſenſu merè figurato.

In ea autem acceptione ſignificante realem immutationem vitæ, aut vitam attingente in victima, ſtrictè uſurpatur immolatio, tametſi cruenta non ſit; non ſolùm quia cruenta reſtringitur ad Hoſtiam vivam, quæ ſola eſt capax hujus immolationis, ſed quia non ideo dum cruentè exercetur, eſt propriè immolatio, quia ſanguinem ſundit, ſed quia vitam adimit, ut patet ex eo, quod vulnus inflictum pecudi, è quo largus cruor emanaret, pecudem tamen neutiquam interimeret, ſacrificium minimè foret, conſentientibus paſſim Expoſitoribus; præſertim ſi vulnus ex natura ſua læthale non foret, capaxque diluendi vitam unà cum ſanguine; qui propterea ſignificatur per immolationem quaſi per ſe primò; quia eſt medium plerunque requiſitum ad occiſionem victimæ, cujus privatio vitæ eſt per ſe ultimò, ſive finis ultimus per immolationem ſignificatus, & intentus, qui obtineri valet abſque effuſo ſanguine, ſicca morte.

Num. 4. Accingimur jam ad Theologorum opiniones recenſendas, & examinandas, deprehendeſque varias immutationum ſpecies ingeniose productas; victimam tamen altaris, aut Hoſtiam nulla ratione, aut via realiter immutatam, ſed immutabilem ſemitis illis, & immotam. Accedat primo loco (illico receſſura) celebris illa ſententia, quæ diſtinguens inter ſacrificium abſolutum, & reſpectivum, ſive commemorativum alterius, cujuſmodi eſt Euchariſticum, aſſerit; immutationem realem Hoſtiæ, aut victimæ, eſse quidem de conceptu formali ſacrificii; cæterum accomodatam naturæ ſacrificii, ut ſit immutatio realis abſoluta ſubjectivè exercita in Hoſtia, dum ſacrificium eſt ſimpliciter abſolutum; relativa verò ſolum, & in eo, ad quod refertur, exiſtens duntaxat, dum ſacrificium eſsentialiter reſpectivum eſt, aut ex Inſtitutione ſuerit, uti de facto eſt ſacrificium incruentum per ſe commemorativum cruenti, aut repræſentativum: & ex conſequenti nullam in ſe, & ſubjectivè immutatioucm realem Hoſtiæ importans, aut inducens; ſed unicè in ſacrificio, quod repræſentat, & ad quod dicit habitudinem eſsentialem. Hujus differentiæ rationem deſumere contendit præfata opinio ex radice ipſa, ob quam requiritur neceſsariò immutatio phyſica victimæ in ſacrificio: ad proteſtandum ſcilicet ſupremum Dei Dominium continens eſsentialiter jus vitæ, & mortis. Hoc autem in ſacrificio abſoluto non aliter ſatis expreſsè fieri valet, niſi quatenus res oblata ſubjectivè immutetur realiter per actionem ſacrificativam. Sacrificium verò ex ſe relativum, cum illam mactationem præſupponat realiter factam in eadem Hoſtia, quam reſpicit, alia ſubjectiva non indiget, ut verum, & ſtrictum ſacrificium ſit. Ita Alanus reipſa lib. 2. de Euchar. cap. 19. quatenus eam ſolam immutationem ſufficientem dicit, quæ ſit purè myſtica, quæque ex vi verborum conſtituentium corpus præciſivè à

ſan-

ſanguine, & ſanguinem præciſivè à corpore, quæ realis ſeparatio non eſt, ſed purè repræſentativa illius, quæ in ſacrificio Crucis, & phyſica undique, & undique cruenta fuit. Eam ditavit novis maximi ingenii luminibus P. Vaſquez 3. par. diſp. 222. ſect. 7. & 8., quam ſecuti fuere Card. Perronius in eruditiſſimo illo opere adversùs Pleſſeum Mornæum, lib. 2. Auctore 54. (qui eſt Petrus Lombardus) Mæratius, Arriaga, Merguer, & Juniores pauci. Hæc opinio frequenter deteritur, & non infrequenter carpitur, ut notavimus ſupra: & quidem ſummo jure; quoniam illa viam planam ſternit Hæreticis, omne verum, & proprium ſacrificium ab altari arcentibus, tametſi agnoſcant, & prædicent veram commemorationem ſacrificii cruenti, ibidem ad vivum jugiter repræſentati, ſive per myſticas benedictiones panis, & vini diviſim factas, & verborum energiam, mortis Chriſti Domini ſignificativam, juxta illos, qui præſentiam realem Chriſti Domini ſub ſpeciebus impia contentione averſantur; ſive per veram conſecrationem, ponentem Chriſtum Dominum realiter ſub utraque ſpecie, juxta Lutheranos, ut ex terminis planum eſt, & in præfatiuncula ad præſentem diſputationem animadvertimus. Ex quo rurſus fieret, eos in ſubjecta materia nequaquam habendos fore tanquam à fide deſciſcentes: ſiquidem à Fide Sancta nullo pacto deficit, qui pronuntiet, & tueatur, reperiri non poſſe verum, & ſtrictum ſacrificium, ubi nulla interceſſerit rei oblatæ phyſica immutatio, & in eo ſenſu realis aliqua immolatio; cum ejuſmodi doctrina ſit Patribus valde familiaris, ſapientibus in omni religione notiſſima ſemper, Theologis probatiſſima, & ſi paucos excipias, incontroverſa; perennique ſacrificiorum antiquæ Legis inductione numeroſiſſima, & planè inconcuſſa. Alioqui mera repræſentatio, aut narratio oblationis cruentæ prolata ab ipſo Chriſto Domino foret ſacrificatio vera, æquè, ac immolatio purè myſtica, quæ ſit, juxta opinionem hanc, in ara; cum eſſet illius cruenti ſacrificii repræſentativa, ad illud per ſe relata, & adeo viva, ut vel mors inducta reſpiraret in illa, quin propterea caderet à proprietate repræſentationis pretioſiſſima illa Tragædia.

Num. 5. Exploditur ſecundò, & urgenter: ſi ſemel vera immutatio realis ſubjectiva ſit prædicatum eſſentiale, & intrinſecum omni univerſim ſacrificio, prout à ſimplici oblatione diſtincto, eo tantùm modo participare valet actio ſacrificativa rationem ſacrificii, quo participet rationem immutandi realiter victimam, aut hoſtiam; itaut ſi laxam tantùm, & improriam immutationem inducat, latè duntaxat, & impropriè eſſentiam veri ſacrificii participet. Sed actio ſacrificativa, quæ intervenit in ſacrificio altaris, nullo pacto, juxta ſententiam hanc, invehit realiter ſubjectivè in victima, aut cauſat in illa, realem immutationem, ſed unicè extrinſecè, objectivè in ipſa, quæ repræſentatur, nullatenus in repræſentatione; adeoque in termino ſolùm relationis, aut objecto repræſentationis; licet eſſentialiter imbibat reſpectum ad illam, ut repræſentationis, vel imaginis, ad rem repræſentatam, ſive ad terminum relationis. Ergo nullo pacto eſt in ſe ſubjectivè, & intrinſecè ſacrificium, ſed purè terminativè, extrinſecè, & in alia actione realiter diſtincta, vel diverſa, quam reſpicit eſſentialiter, & cujus eſt commemoratio: adeſtque idcirco in illa immutatio phyſica merè repræſentata, non tamen realiter ſubjectivè in ea exiſtens, conſequenterque ſacrificium, merè repræſentatum, aut in repræſentatione, & imagine, non autem in re. Quemadmodum repræſentat, juxta principia fidei illud ſacrificium, quà cruentum; & nihilominus, juxta eadem principia ſacrificium cruentum minimè eſt. Conſequentia eſt legitima: minor ipſa formaliter ſententia, aut doctrina, quam expungimus.

Major procedit ſub hypotheſi quòd immutatio realis victimæ, per ſacrificationem actualem inducta, ſit conſtitutivum eſſentiale conceptus formalis ſacrificii: ex qua ſuppoſitione reſiduum majoris videtur per ſe notum. Sic imago, pictura, aut repræſentatio hominis in ea ſolum acceptione dici poteſt homo, in qua participat ejus naturam; & quia non aliter illam participat intrinſecè, quàm in pura repræſentatione, umbra, & quaſi adulatione, ſolùm eſt homo umbratilis, & apparens, in ſe, & intrinſecè; quantumvis terminativè ſit verus homo, quem reſpicit, & depingit. Quapropter fallax prorſus eſt ratio diſcriminis, qua P. Vaſquez motus eſt ad eam opinionem ſuſtinendam, præſuppoſita neceſſitate alicujus realis immutationis victimæ in omni ſacrificio, ut per illam proteſtemur ſupremum divinitatis jus in vitam, mortemque omnium: quòd ſcilicet hoc non ſit eo ſine neceſſarium in ſacrificio relativo; quoniam eo ipſo, quòd referatur ad aliud abſolutum, refertur ad immolationem, ſive immutationem realem, quæ proteſtata eſt ſupremam illam poteſtatem, ac proinde opus non eſt alia immolatione intrinſeca, & ſubjectiva ad eam proteſtationem. Fallax profectò: quandoquidem eadem licentia poſſes dicere, ſacrificium relativum non eſſe formaliter, & intrinſecè in ſe actum Religionis, ſed terminativè ſolùm, quatenus ad illum per ſe refertur, involvitque repræſentationem puram illius. Sic actio productiva termini abſoluti, abſoluta non eſt ſubjectivè, & in ſe, ſed modalis entitas; ſolùmque terminativè eſt ens abſolutum. Sic filia Jephte, ſi reſurgeret divinitùs, licet ſuam immolationem in tragædia repræſentaret, unà cum Patre repræſentativè illam iteratò immolante, non propterea illa foret vera ſacrificatio, ut arguit Cardinalis de Lugo. Sic, ut nuper dicebam, repræſenta-

Tt tio

tio ſacrificii cruenti, quæ celebratur in altari, cruenta non eſt; ſed potiùs incruenta; ſuntque pœnè infinita hujus generis exempla, tum Philoſophica, tum Theologica: nec res adeò perſpicua comprobanda eſt, ſed intra gremium evidentiſſimarum conſtituenda.

Num. 6. Qui autem permotus reflexione facta velit reſpondere, prælaudatam opinionem reipſa dicere, immutationem realem, eſſe quidem eſſentialem ſacrificio abſoluto; neutiquam verò relativo; hic profectò ſuccumberet potiùs, quàm reſponderet; cum non aliter valeat ſuam tutari ſententiam, quàm communem omni jure ſtatutam circa conceptum formalem ſacrificii univerſim, & ut ſic uſurpati, deſerendo; quod Novatoribus perjucundum fore, & doctrinæ orthodoxæ præjudicium afferre, liquet ex dictis. Inde nanque faciliùs, & urgentius colligitur, oblationem relativam ad aliud ſacrificium, illiuſque commemorativam, nullatenus eſſe formaliter in ſe verum ſacrificium; potiùs quàm colligatur, non eſſe de ratione propria, & eſſentiali omnis ſacrificii, importare realem aliquam victimæ immutationem. Secundò: eatenus diſcrimen intentum inter ſacrificium abſolutum, & reſpectivum, ſubſiſteret, quatenus oblatio reſpectiva, eo ipſo quod referatur ad ſacrificium abſolutum imbibens immutationem realem victimæ in proteſtationem ſupremi dominii, non eget in ſe, & ſubjectivè ulteriore rei oblatæ immutatione ad divinum illud dominium proteſtandum in vitam, necemque, uti & in deſtructionem, & exiſtentiam rerum; ſed hoc Adverſariorum diſcrimen eſt prorſus inutile, falſum, & per inanem circuitum quæſitum. Ergo &c.

Minor patet: tum quia eodem jure reſpondebit alius, proteſtationem præfati dominii, aut juris, non eſſe eſſentialem ſacrificio relativo, ſed abſoluto tantùm, ut de immolatione immutante realiter Hoſtiam, contendit reſponſio: quoniam reipſa non includere in ſe proteſtationem ſubjectivè, & formaliter, ſed duntaxat in alio termino, aut objecto, ad quod refertur; eſt formaliter idem, ac nullam includere veram rationem proteſtationis (ut in ſimili de immutatione fatetur reſponſio); quod non ſolum reppellitur à Theologis, ſed & malè audit. Tum quia, cum ratio formalis proteſtationis divini principatus in res omnes, ſita eſſentialiter dicatur in ipſa reali Immutatione Hoſtiæ, in fieri ſumpta, prout exercita à legitimo Miniſtro circa victimam, aut materiam deſtinatam ab Inſtitutore; neceſsè eſt, ut non aliter participare valeat ſacrificatio conceptum proteſtationis, quàm eo modo quo participat activæ immolationis, & immutationis Hoſtiæ conceptum. Ergo ſi in ſacrificio reſpectivo non adeſt vera immutatio realis, nec eſſe poterit vera proteſtatio, quia neutra verè talis eſt, dum nonniſi à termino, aut objecto repræſentato ejuſmodi denominationem haurit. Hoc autem alienum eſſe à ſana Theològia proteſtantur omnes. Eamdemque efficaciam ſortiretur diſcurſus factus, etiamſi conceptus illi, aut formalitates immutandi, & proteſtandi ſint diverſi, cum eadem vi, eodem titulo, & eadem ratione urgeat uterque, tametſi adæquatè, vel inadæquatè differant ab invicem.

Tertio: Theologi nonnulli contrariæ opinioni adhærentes, eiſdem viribus, quibus firmare conantur, ſacrificium relativum eſſe verè, & propriè tale, quantumvis repræſentet ſolum abſolutum; plerumque contendunt pariter, invenire veram, & propriam immutationem realem in ſacrificio reſpectivo, etiamſi tantùm repręſentet mactationem ſacrificii cruenti, & nihil aliud agat; eandemque putant eſſe aliorum illius ſententiæ mentem. Unde, qui ejuſmodi immutationem impropriam, & latam fore, evincat, convincit eadem ratione, ſacrificium futurum improprium, & in acceptione lata uſurpatum; quod aberrat à fide. Ergo qui ſuccumbens difficultati reſpondet, non adeſse veram realem immutationem in ſacrificio commemorativo, & contradicit Scholaſticis, etiam illis, qui cum ipſo ſententiam nobis contrariam propugnant; & cogendus erit eodem filo, juxta ipſos, ad denegandam veram rationem ſacrificii commemorativo purè, ſeu reſpectivo; & tunc removendus foret cum Novatoribus à doctrina ſanæ Theologiæ, à communione, ſive ſuſceptione Sacræ Euchariſtiæ, & à communione Eccleſiæ.

Nu. 7. Refellitur tertiò principalis aſſertio: quoniam aliud eſt, ſacrificium dici ex ſe relativum ad alterum ſacrificium, præteritum, vel futurum; eo quod immutatio victimę pręſentis ordinetur per ſe ad aliam immutationem, aut mactationem ſignificandam; aliud verò, & toto Cœlo diverſum, reſpectivum hoc dici tantummodo Sacrificium, quia præcisè refertur ad alterum, illudque repræſentat; quantumvis nullam in Hoſtia præſenti immutationem inducat, nihilque reale circa ipſam agat. Primum nanque conſtituit verum ſacrificium, licet reſpectivum ſimul ad aliud, utpotè ipſius repræſentativum. Secundum autem non dicit ſacrificium relativum, ſed meram relationem ad ſacrificium abſolutum; cum ſit compertiſſimum, plures adeſſe actiones, per ſe reſpicientes ſacrificium aliquod, quæ ſacrificium minimè ſunt, nec conſtituunt, nec ejus naturam ſapiunt aliter, quam purè extrinſecè, in termino ſcilicet relationis, ſive in re per illas actiones, ſive actus, figurata. Oblatio igitur, ſive functio, quæ ſolum reſpicit repræſentativè ſacrificium præteritum, quin circa ſuam materiam, aut rem oblatam vim aliquam immutativam ipſius realiter exerat, eſt pura repræſentatio immolationis, & ſacrificii præteriti, ut manifeſtum eſt.

Quartò: quoniam omnia vetera ſacrificia repræſentabant, aut figurabant ſacri-

ficium

ficium Crucis, ut colligunt Patres, & Expoſitores ex Epiſtola Pauli ad Hæbreos cap. 8. *Qui exemplari, & umbræ deſerviunt: ſicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſumaret tabernaculum. Vide, inquit, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte*. Et cap. 9. *Neceſſè eſt exemplaria cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus Hoſtiis, quàm iſtis*. Conſule Ruardum Tapperium, Cardin. de Lugo, Azorium, & Interpretes, inter quos eſt hæc firmiſſima doctrina. Et de ſacrificio Melchiſedech couſtat liquidò ex Pſalm. 109. ex Epiſtola ad Hæbreos fuſiſſimè. Videnduſque omnino Sanctus Auguſtin. lib. 20. contra Fauſtum Manichæum cap. 18. & 21. Et nihilominus ea ſacrificia relata eſſentialiter ad ſacrificium Crucis importabant in ſuo formali conceptu victimarum mactationem, vel aliam materiæ oblatæ ſive deſtructionem, ſive immutationem realem .veram; quin aliter eſſe poſſent vera ſacrificia: immo & quin aliter poſſent ſufficienti, & perfecta expreſſione repręſentare vividè cruentum ſacrificium in ara Crucis peractum. Maximè cum res, quæ aſſumitur ad ſignificandum ſortiri debeat proportionem aliquam, ut prudenter aſſumatur ad eum finem ab Inſtitutore, ut Div. Thoma ſæpiſſimè docuit. Quamvis enim ratio ſigni conveniat illi ad placitum Inſtituentis; ratio tamen proportionis, ut aſſumatur in ſignum, debet ipſi naturaliter convenire, ut communis Theologia tradit. Idque clariùs, & fortiùs premit in ſacrificio Melchiſedech; omnes enim tam Patres, quam Theologi, & Expoſitores probant adversùs Novatores, Regém illum Salem, & Sacerdotem Altiſſimi, aliquam partem panis, & vini oblati immutaſſe, & effudiſſe, & modum inveſtigant, quo ejus partis deſtructionem ſive immutationem realem feciſſet. Qui labor inutilis foret, ſi ad verum ſacrificium reſpectivum opus minimè eſſet immutatione aliqua, aut deſtructione rei oblatæ; ſed repræſentatione tantùm immolationis, aut immutationis in altero ſacrificio exercendę, vel jam exercitæ: cum fide ſancta certum ſit, ſacrificium Melchiſedech, ejuſque Sacerdotium, Chriſti Domini Sacerdotium, jugeque altaris ſacrificium præfiguraſſe, illudque per ſe reſpexiſſe: exindeque vera aliqua genealogia, & Sacerdotii, & ſacrificii texitur, dum uterque Sacerdos Altiſſimi abſque genealogia, in ſenſu aliquo ænigmatico introducitur.

Num. 8. Deinde & Quintò. Quia ſi ſacrificium Melchiſedech foret purè reſpectivum ad ſacrificium altaris, itaut utrunque nullam immolationem, aut immutationem realem exerceret; ſed purè repræſentativam duntaxat; ſequeretur, ſacrificium Melchiſedech fuiſſe meram repræſentationem repræſentationis; quod nugatorium eſſet, & alienum à veroſimilitudine, quin & à poſſibilitate. Reddereturque inerme argumentum, quo appetimus Sacramentarios, ſolam figuratam præſentiam Chriſti Domini agnoſcentes in Euchariſtia: & quo demonſtratur, oblationem Melchiſedech, aliaſque veteris teſtamenti figuraſſe, apud ipſos etiam, myſterium Euchariſticum; & aliunde eſſe neutiquam potuiſſe figuram figuræ, & umbram umbræ ſub eadem ratione, ut diſp. 1. arguebam. Quamobrem nec ſolidè, nec opportunè P. Vaſquez hiſce difficultatibus preſſus, antiquæ legis ſacrificia, non ideo fuiſſe vera ſacrificia, quia repræſentabant novæ legis, ſive cruentum ſacrificium, ſive incruentum, ſed quia in ſe, & abſolutè erant ejuſmodi: *Nam commemorativum ſacrificium*, inquit ille diſp. 220. cap. 3. *illud ſolum dici debet, quod ea duntaxat ratione ſacrificium eſt, quòd ſit alterius ſacrificii commemoratio*. Sanè quod ea ſacrificia non fuerint tantùm ſacrificia eo titulo repræſentandi, evincit, quod nos intendimus; nempe, ſacrificium reſpectivum participare minimè poſſe veram, & propriam ſacrificii rationem, niſi ultra illam mactationem, quam deſignat in alio, importet in ſeipſo vim immutandi exercitè rem oblatam. Atque adeo dùm ſupponit Vaſquez ſacrificium ea duntaxat ratione verum ſacrificium, quod ſit alterius pura commemoratio, aut repręſentatio, repetit per ſe principium, cum hoc impoſſibile dicat, & oſtendat ſententia oppoſita, contra quam diſputat.

Rurſus quod illa fuerint aliunde, ſive alio titulo vera ſacrificia, cum forent eſſentialiter ex Divina inſtitutione ordinata per ſe ad figurandum ſacrificium novæ legis, probat, quod ſi ſacrificium incruentum non alia ratione foret ſacrificium, niſi quatenus repræſentaret cruentum, nunquam foret verum ſacrificium. Deinde ſemper verificaretur, ſacrificium Melchiſedech fuiſſe repræſentationem puræ repræſentationis, ſive ſacrificii, quod ſitum unicè foret in repræſentatione alterius; etiamſi ſacrificium Melchiſedech ultra illum reſpectum haberet aliam rationem abſolutam. Inculcandumque etiam hic, quòd eodem jure ſacrificium juge poſſet dici verè cruentum, quia verè repræſentat ſacrificium Crucis.

Sextò: revera hæc opinio comprehenſa videtur in damnatione illa à Synodo Trident. facta ſeſs. 22. Can. 3. *Siquis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, &c. anathema ſit*: (quoniam hoc, ſeclusis ambagibus, eſt tantùm in imagine ſacrificari Chriſtum Dominum in altari, tametſi realiter præſentem). Concilium igitur proſcribit dicentes, ſacrificium altaris eſſe *nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti*. Sed opinio Vaſquez, & ſequacium, contendit, juge ſacrificium eſſe nudam commemorationem ſacrificii cruenti; tametſi eo ipſo ſit verum ſacrificium, per hoc ſolum, quòd ſit purè, nudèque commemorativum ſacrificii Crucis, licet nihil aliud exerceat circa Hoſtiam prę-

ſentem. Ergo proſcripta videtur re ipſa in Tridentino.

Septimò: Ut actio repræſentativa alterius ſit formalis ſacrificatio ſeipſa, debet res oblata, materia aut Hoſtia, circa quam operatur, reddi verè & formaliter ſacrificata per ipſam; cum hæ denominationes ſolùm penes activam, & paſſivam differant; ac proinde ubi adeſt vera ſacrificatio activa, adeſſe debet eſſentialiter res ſacrificata paſſivè; & aliunde exploratum videtur nullam rem dici poſſe, nec eſſe verè, & propriè nunc ſacrificatam, per hoc ſolùm, quòd aliqua actio, aut exercitium repræſentet ipſam olim ſub alio ritu ſacrificatam; quodque per puram commemorationem præteritæ immolationis referatur eſſentialiter ad ipſam, & reſpiciat in faciem Chriſti Domini Exanguis. Erit ergo figuratè ſolùm ſacrificata, figuratumque proinde ſacrificium. Itaut myſteria altaris omnia contingerent in mera figura; non jam ſicut olim, juxta Apoſtolum, antiqua ſacrificia, cum hæc ſimul cum repræſentatione realem mactationem victime inducerent; ſed in figura purè figuratè ſacrificante, & purè objectivum Sanguinem fundente.

Num. 9. Congerit eruditiſſimus Vaſquez quamplura Patrum teſtimonia ea diſp. 220. cap. 7. præſertim ex Cypriano, Chryſoſtomo, Ambroſ., Auguſtin., D. Thoma, & ex Petro Cluniacenſi; ſed quæ nihil aliud docent, quàm Euchariſtiæ ſacrificium repræſentare adamuſſim cruentum: & ad ſummum per illam repræſentationem explicant naturam jugis ſacrificii. Hoc autem neutiquam ſuadet, eos in ſola repræſentatione, nullam exercitè immutationem Hoſtiæ inferente realiter, conſtituiſſe ſacrificium altaris; cum potiùs illam poſtulet, ut ſit cum poprietate & proportione digna repræſentatio; ſed in repræſentatione inducente immolationem aliquam veram, per quam deſignetur modo incruento cruenta immolatio: ac ſubinde in ſacrificatione accepta in fieri, quæ importat immutationem rei oblatæ, ut ex integro repræſentetur cruenta victimæ ſacrificatio in Cruce. Quo circa verba illa Chryſoſtomi Homil. 17. in Epiſt. ad Hæbr. *Magis autem recordationem ſacrificii operamur*, in quibus vim facere videtur Vaſquez, ſunt contra producentem; cum potius ſupponant, Sacerdotem conficientem, aliquid operari in re oblata, per quam fiat recordatio ſacrificii Crucis: nec enim aliter recordationem verè repræſentatam efficere valet, ut ſupra oſtendimus; ne reſpondeas, illum operari ſolùm ipſam nudam repræſentationem. Inſuper ſacrificium cruentum non conficimus, ſed cruenti recordationem incruentam, in quo ſenſu magis reminiſcimur, quàm operemur; quia nihil cruentam peragimus; immolamus attamen, ſive immutamus realiter Hoſtiam, ut ea commemoratio ſit propria. Algeri autem verba, quæ ibidem refert, contradicunt planè intentioni Vaſquez, cum dixerit: *Chriſtus immolari dicitur in ſeipſo, ideſt in humana forma, & in Sacramento, ideſt in panis, & vini forma, non quia tam verè hic immoletur in ſeipſo quantùm ad ſubſtantiam, ſicut ibi, ſed ut notet, hic, & ibi, diverſam ejus ſubſtantiæ formam*. Ubi adſtruit manifeſtè veram immutationem realem Hoſtiæ utrobique, & in ea acceptione uſurpat immolationem; niſi quod in ſacrificio cruento ſtrictiùs accipit immolationem pro mactatione fundente Sanguinem.

Demirandum tamen vehementiùs, quòd S. Thomam referat pro ea ſententia q. 83. art. 1. cum ibi diſputet ſolùm de immolatione accepta in eo communi, & rigoroſo ſenſu, qui invaluit jampridem inter gentes, quà nimirum ſignificat cruentam mactationem; in qua acceptione compertum eſt neutiquam reperiri immolationem exercitè, & ſubjectivè in ſacrificio jugi, ſed purè repræſentativè. De reliquo autem, quàm dilucida verborum expreſſione veram aliquam realem immutationem in ſacrificio altaris agnoverit, & docuerit S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. vidimus in præfatione. Dices ex eodem Vaſquez, doctrinam traditam eſſe certiſſimam, ſi ſermo ſit de actione nudè repræſentante alterum ſacrificium, in quo res oblata ſit diverſa, aut diſtincta ab ea, quæ offertur per repræſentationem, aut ſacrificium reſpectivum; ſecus autem ubi eſt eademmet utrobique, ut contingit in re noſtra. Verùm quid ſentiendum de Novatoribus illis, qui realem præſentiam Chriſti Domini, atque adeo rei oblatæ in ſacrificio Crucis, agnoſcunt in Euchariſtia; & nihilominus propriam rationem ſacrificii audacter inficiantur, ex defectu potiſſimum realis immutationis in Victima? Præterea, quòd res oblata in ſacrificio reſpectivo ſit eadem, vel diverſa, prorſus de materiali ſe habet ad præſentem quæſtionem: efficiet quidem, ut eadem res bis ſacrificetur, dum fuerit eadem, vel juxta eumdem, vel juxta diverſum ritum: minimè tamen, quòd utrobique non exigatur vera, & propria ſacrificatio, adeoque vera, & propria rei oblatæ immutatio, ſi utrobique debeat eſſe ſtrictè, & propriè ſacrificium: itaut ſit bis propriè immolata, aut immutata, ut eſt bis ſtrictè ſacrificata.

Inſuper conceptus formalis ſacrificii importat in recto actionem ſacrificativam; hæc autem juxta Adverſarios ipſos, ut & apud reliquos Theologos, eſt diverſa, etiamſi verſetur circa eamdem Victimam, à ſacrificatione repræſentatam. Ergo ut ſit vera, & ſtricta ſacrificatio importat eſſentialiter diverſam, aut diſtinctam immolationem activam, aut immutationem, cui reſpondet paſſiva exercitè; etiamſi materia ſit eadem: cum potiùs diverſitas ſacrificationis debeat inducere immutationem realem, quàm ipſam impedire identitas materiæ; quippe quæ ſolùm efficere poteſt magis unum utrum-

que

que ſacrificium, cum conveniant in re oblata: (juxta noſtram verò ſententiam circa ideutitatem utriuſque actionis ſacrificativæ reflexio hæc vires expeditas non habet, de quo in ſequentibus latè). Accedit, quod etiamſi tàm ſacrificatio, quàm Victima ſacrificata ſit utrobique eadem numero ſimpliciter, & ſolùm diverſa ſacrificia ſecundum quid; repetitio tamen ſacrificii importare debet eſſentialiter actualem exercitam repetitam immutationem Hoſtiæ, aut neutiquam erit verum denuò ſacrificium, ſed commemoratio prioris, aut hiſtoria incruenta illius ut cruore reſperſi, aut quaſi repræſentatio, in qua eadem ſacrificii cruenti conſtitutiva una cum Miniſtro ad inſtar Perſonarum narrarent facinus illud partim vocibus, partim Symbolis, aut ſignis ſenſibilibus; ſpectatoribus modò in fletum, modò in laudem fuſis, modò præ nimia admiratione attonitis.

§. II.

Num. 10. **O**PINANTUR alii 2. deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini per actiones converſivas illarum in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ideſt per conſecrationem utriuſque ſpeciei, eſſe realem immutationem, per quam ſacrificium altaris conſtituatur in ratione formali veri ſacrificii; quatenus deſtruit conſecratio utranque illam ſubſtantiam materiæ remotæ, ſive ex qua, in Dei cultum, & ſupremi illius juris proteſtationem, ut loco illarum ponat Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, qui eſt terminus ad quem deſideratiſſimus, & ea deſtructione principaliter intentus. Hæc ſententia non unum, aut duos, ſed exercitum recenſet Theologorum, cum veteribus illis, quos refert Alanus lib. 2. de Euchar. cap. 19.. Ita Eximius Doctor, Leſſius, Beccanus, & ferè Recentes; quamquam plerique eorum ſimul cum deſtructione termini à quo, productionem ipſam, vel adductionem termini ad quem, dicant conſtitutivam partialiter immutationis realis, ex quo reſultat ſacrificium; contra quam ſecundam, & diverſam hujus opinionis partem §. ſequenti acturi ſumus; quoniam ejus expugnatio petenda eſt ex aliis principiis longè diſtitis ab eis, quibus prima pars repellenda eſt.

Quæ relellitur primò à Modeſto Gavatio de ſacrif. Miſſæ dip. 1. quæſt. 3. cap. 1. num. 100. quia certum eſt, poſſe omnipotentiam divinitus producere accidentia aliqua panis, & vini, quin inhæreant alicui ſubſtantiæ, illa miraculosè ſubſtentando. Uti etiam poteſt extra ſacrificium, & abſque verbis conſecrationis, ſubſtantiam panis, & vini parati ad conſecrandum, deſtruere perſiſtentibus actione divina ſpeciebus. Deinde evidens eſt, Sacerdotem ejuſmodi miraculi inviſibilis prorſus ignarum poſſe de facto verba conſecrationis proferre ſuper ea Hoſtia, & Calice; in qua hypotheſi poſſibili, extra dubium videtur huic Theologo, ponenda fore Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini ſub præiatis accidentibus, præcedenter jam ſubſtantia panis, & vini ſpoliatis, ſeu deſtitutis: cum eo modo proculdubio valeant primò ibi produci ſacramentaliter, quo conſervantur permanenter, & aliunde tam Corpus, quam Sanguis perſeverant ſub ſpeciebus tantùm, & cum illis. Immo perſiſtere nequeunt una cum ſubſtantia panis, & vini, quam excludunt. Sic forma phyſica, quæ introducitur removendo aliam præcedentem, poſſet faciliùs, vel ſaltem eodem planè modo, introduci ab agente, tametſi prima ſupponeretur miraculosè deſtructa, & ſubiectum omni forma poſitiva privatum. Tum quia alioqui non adeſſet omnimoda ſecuritas præſentiæ realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus poſt verba conſecrationis à legitimo Miniſtro prolata. Deſitio igitur ſubſtantiæ panis, & vini, ut facta per actionem tranſubſtantiativam, aut converſivam illius in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini non eſt eſſentialiter requiſita ad conficiendum Miſſæ ſacrificium, & Euchariſtiæ Sacramentum, tametſi connaturaliter ſemper adſit; cum poſſet contingere eventus, in quo divinitus reperiantur accidentia deſtituta ſubſtantia ante conſecrationem, quin ideo verba conſecrationis privarentur ſine potiſſimo conſtituendi Corpus, & Sanguinem Domini ſub eis accidentibus. Ex quo minimè deducere tur, verba conſecrationis ex ſe non habere vim tranſubſtantiativam; ſemper namque illâ pollent eſſentialiter in actu primo, illamque exequuntur in actu ſecundo de facto ſemper: in hypotheſi tamen facta gauderent illâ in actu primo non exercerent tamen ipſam in actu ſecundo per accidens; quia aliunde divinitus deferat ſubſtantia panis, & vini, remanerantque accidentia ſine ſubjecto eadem divina virtute: unde verba actum agere non poſſent. Cæterum ex præfato eventu colligitur evidenter, immutationem illam intentam ab hac opinione non eſſe eſſentialiter conſtitutivam ſacrificii, nec eſſentialiter neceſſariam, cum abſque illa reperiri valent verum, & proprium ſacrificium Miſſæ.

Non enim dici poteſt, non extiturum in eo caſu Sacramentum, quia non adeſſet materia remota, aut ſaltem non extiturum ſacrificium. Tum quia hac via removeretur omnimoda ſecuritas, ut diximus, de præſentia reali Chriſti Domini prolatis verbis conſecrationis, exiſtente materia, quæ ſenſibiliter eſſet panis, & vinum, quorum ſubſtantias ſignificarent ſpecies ante conſecrationem, licet illis privatæ forent, & licet poſt verba conſecrationis ſignificent ſolùm Corpus, & Sanguinem Domini. Tum quia id voluntariè prorſus, & duriuſculè ſimul proferre dicunt, qui præfato diſcurſu utuntur, cum materia remota tantùm præ-

requi-

requiratur ut deſtruenda , & ibi ſupponeretur per accidens deſtructa . Rurſus quamvis illa non foret tranſubſtantiatio actualis in actu exercito ; adeſſet tamen actio ex ſe & in actu primo tranſubſtantiativa , ut ſalvetur etiam pro hypotheſi naturaliter impoſſibili tranſubſtantiatio ſtatuta in Tridentino ; quod loquitur de converſione ſecundum quod de facto contingit . Præſupponitur itaque in dicta hypotheſi facta aliunde deſtructio ſubſtantiæ ; verùm licet non eſſet tunc inducta per conſecrationem , inducenda foret tamen per ſe infallibiliter , ſi aliunde per accidens non reperiretur facta . Neque rurſus impunè diceretur , ajunt , adeſſe conſecratiouem ſub utraque ſpecie factam à legitimo Miniſtro , & nihilominus non adeſſe ſacrificium ; cum hæc ſit Lutheri doctrina univerſim , quam promoveret eventus ille particularis , ſemel admiſsus ; namque ſi ova non excluderet , foveret tamen . Cæterum re ipſa ſolutio exarmat vim argumenti , cum materia remota ſit eſsentialiter prærequiſita , debeatque eſse panis triticeus ; cujuſmodi non foret ille , quippe qui abeunte ſubſtantia , non magis panis verus dici poteſt , quàm verus homo abſque ſubſtantia hominis , eo ſolùm quòd propria illius accidentia perſiſterent , & umbra quædam vitæ , quæ ab homine depicto parùm diſtaret .

Nu. 11. Expugnatur igitur ſolidiori via ſecundò: immolatio, aut immutatio realis , quę non verſatur circà rem oblatam , ſeu offerendam , & ſacrificandam immediatè , ſed unicè circà materiam remotam , eſt prorsùs inutilis ad verificandum conceptum proprium ſacrificationis ; ſed tranſmutatio , quam aſſignat præſens opinio , neutiquam verſatur circà materiam offerendam proximè , aut ſacrificandam . Ergò immutatio realis illa eſt planè inſufficiens ad ſacrificium , ſubindèque fieri debet oon in ſubſtantia panis , & vini , ſed in corpore , & ſanguine Domini , quæ ſunt res proximè oblatæ , & immediatè . Major inconcuſſa mihi videtur ; alioqui jam materia deſineret eſſe remota , eſſetque proxima ; cum immediatè , & proximè circà illam operaretur actio ſacrificativa , tanquàm circà rem oblatam ; cum actio illa , & ſacrifex ipſe illud ipſum offert Deo , quod ſacrificat in laudem ipſius , & proteſtationem ſupremæ poteſtatis . Ex quo fieret , quod à re non offerenda immediatè , tranſiret immediatè in rem oblatam . Minor non minùs aperta , cunctiſque nota apparet : quandoquidèm in ſacrificio jugi non offertur Deo , nec ſacrificatur ſubſtantia panis , nec vini ſubſtantia , ſolùmque reſpicitur utraque , ut terminus à quo convertendus , deſtruenduſque , vel ſicut materia , ex qua , & per cujus deſitionem , exiſtat materia proximè offerenda , ſeu victima , nempè corpus . & ſanguis Domini , quod eſt terminus ad quem , & Hoſtia , quæ offertur Deo , & ſacrificatur . Sin alitèr panis , v. g. eſſet verè , & propriè ſacrificatus , ſaltèm principalitĕr ; non verò Chriſtus ipſe Dominus : exindèque fieret rursùs , accidentia Euchariſtica , non quà continent , & ſignificant corpus , & ſanguinem Salvatoris , ſed quà privantur ſubſtantia panis , & vini , fore ſubjectum proximum oblationis : ad modùm quo ovis occiſæ corpus jugulatum , quà vita , & ſanguine privatum , erat id , quod in ſacrificio offerebatur , & terminus ad quem ſacrificationis . Fieret inſuper , rem oblatam in ſacrificio cruento , victimamque , aut hoſtiam , futuram ſimplicitèr diverſam ab Hoſtia , aut re oblata iu ſacrificio Miſſæ contra defiuitionem Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. *Una enim eademque eſt Hoſtia* ; cum manifeſtum ſit , panis , & vini ſubſtantiam deſtruendam , eſſe diverſiſſimam à ſubſtantia Corporis , & Sanguinis Chriſti Domini , ejuſque vita in Cruce immolata . Quamvis enim præfatam diverſitatem , diſcordiamque ex illa natam cum verbis Tridentini nonnulli Scholaſtici emollire conentur , quatenus idem utrobiquè dicant ſacrificium , niſi pœnes ritus diverſitatem . Parùm fœlicitèr tamen cedunt eorum conatus : tum quia ægrè poteſt eſſe idem quoad ſubſtantiam ſacrificium , ubi materia oblata principalitèr ſacrificata eſt ſimplicitèr diverſa : tum quia quidquid ſit de ſacrificio , aut ſacrificatione ; boſtiam tamen eſſe utrobiquè unam , & eamdem docuìt Tridentinum , juxtà banc verò ſententiam eſſet ſummè diverſa , & quidèm manifeſtè .

Ubi ergò concordia illius cum Tridentini mente , & defioitione ? Et notandum , ſubſtantiam panis , & vini , eſſe quidèm terminum à quo io converſione , aut tranſubſtantiatione ; non tamen eſſe terminum à quo illius completè ſumptæ ; ſiquidèm eſt ejus conſtitutivum , aut principium intrinſecum , ut loquuntur Philoſophi , & non eſt terminus à quo ſui ; ſed eſt terminus ſubjecti , aut quaſi ſubjecti communis , accidentium nempè , tranſeuntium ab illa ad terminum ad quem , corpus videlicèt , & ſanguinem Chriſti Domini ſub ſe continendum : & in eo ſenſu eſt terminus à quo relatè ad terminum ad quem . Cum igitur terminus ad quem hujus tranſubſtantiationis ſit materia , aut res oblata , vel adæquatè , juxtà communiorem ſententiam , vel principalitèr ſaltèm ; & minùs principalitèr ſpecies , quia eſt corpus , & ſanguis Chriſti Domini (illa enim eſt pretioſiſſima materia , in cujus comparatione vilis eſt nimiùm , & veluti pudore ſuffuſa diſcedit panis , & vini ſubſtantia) ; ideò ſubſtantia panis , & vini eſt purus terminus à quo comparativè ad rem oblatam , neutiquam verò res oblata : ac proindè , ex legitima conſecutione , nullo pacto res ſacrificata . Non ſic autem mactatio Victimæ , in qua vita interimenda , licèt eſſet terminus à quo ſubjecti tranſeuntis ab illa ad formam cadaveris , non ideò erat purus terminus à quo rei oblatæ ; quoniam ipſe terminus à quo erat formalitèr , & potiſſimè

res

res oblata, utpotè pretioſius illud, quod Deo offerebatur, dum in proteſtationem illius dominii cadebat ad aram ictu Sacerdotis, & gemitu morientis. Quis enim credat, rem adeò ignobilem, & inanem, cujuſmodi eſt ſubſtantia illa vulgaris panis, & vini, eſſe rem potiſſimè oblatam, immolatamque, in ſacrificio omnium nobiliſſimo, in quo Chriſtus Dominus omnium confeſſione eſt victima, & Hoſtia? Sanè ex hac parte vinceretur juge ſacrificium nobilitate, & gloria à quamplurimis ſacrificiorum turba, in quibus res oblata erat Hoſtia viva.

Num. 12. Hinc colligitur ſubſtantias præfatas panis, & vini in tranſubſtantiatione hac prodigioſa abeuntes, perſiſtentibus ſpeciebus, veluti earumdem fugientium exuviis, nec partialitèr eſſe rem oblatam; immò nec accidentia ipſa, quæ ſuperſunt ex ruina ſubſtantiæ, quæque reddunt ſenſibilem Hoſtiam, quæ offertur, & quæ immolatur, conſtituere partialitèr adhùc de obliquo rem oblatam, opinantur quamplurimi Scholaſtici, ut Vaſquez, Ægydius Conink, Mæratius, Præpoſitus, Rhodes, Gavatius &c. refragantibus aliis, Bellarmino, Doctore Eximio, Beccano, Scortia, Averſa, Cardin. de Lugo &c. quatenùs putant eo titulo efficiendi ſenſibilem materiam oblatam, pertinere aliquatenùs, & ſecundariò, aut de obliquo ſpecies ad rem oblatam. Quam doctrinam ægrè conciliant cum omnimoda identitate Hoſtiæ in ſacrificio cruento, & incruento, quam adſtruit, & præſupponit Tridentinum. Neque opinio, quam repellimus, ſubſidium mutuari valet à ſacrificio Melchiſedech, in quo res oblata fuit panis, & vinum; cum jugè ſacrificium peragatur juxtà ordinem illum Melchiſedech. Quandoquidèm ad illum ordinem verificandum ſatis ſuperque eſt, rem oblatam in ſacrificio altaris offerri neceſſariò ſub ſpeciebus tantùm panis, & vini ſenſibilitèr, ut manifeſtum eſt: præſertim cum ſit compertiſſimum, altiùs infinitè, diverſumque ſpecie eſſe ſacrificium juge noſtrum à ſacrificio Melchiſedechiacho ſubjectivè accepto; quantumvis illud fuerit typus, & veluti umbra hujus. Sufficit igitur ad eum ordinem, ſive ritum ſervandum, quòd Chriſtus Dominus nullo modo poſſit offerri, niſi prout conſtitutus ſub accidentibus panis, & vini, quin propterea accidentia, ſub quibus continetur, offerantur. Quemadmodùm modus aliquis præſentiæ victimæ, quæ ſacrificabatur olìm, erat ſimpliciter neceſſarius, ut mactaretur; non ideò tamen modalitas illa erat partim res oblata.

Deindè licèt inde colligere velis, ſpecies ſecundariò, & de obliquo conſtituere rem oblatam, quatenùs illam conſtituunt in ratione ſenſibilis, nihil obtinet ſententia circà ſubſtantias panis, & vini deſtructas; cum non conſtituant ſecundariò, & de obliquo rem oblatam accidentia, quatenus dicunt privationem ſubſtantiæ panis, & vini formaliter; ſed quà ſignificant, & efficiunt ſenſibile corpus, & ſanguinem Chriſti Domini; cæterum indulgeamus liberaliùs ſententiæ oppoſitæ, ſinamuſque, præfatam ſubſtantiarum deſitionem conſtituere de obliquo, aut ſecundariò rem oblatam; nihil adhùc ea permiſſione, aut indulgentia aſſequitur opinio hæc. Siquidem jam apud ipſam (uti & apud omnem Theologiam, indubitatum eſt) Corpus, & Sanguis Chriſti Domini erunt ſaltem potiſſima materia, aut Hoſtia, quæ offertur; & aliunde manifeſtum videtur, ſemel ac præſupponatur eſſentialiter requiſita immutatio realis Hoſtiæ ad verum ſacrificium conſtituendum, materiam illam eſſe debere præcipuè immutatam, ſive immolatam per actionem ſacrificativam, quæ eſt primariò, & potiſſimè oblata Deo in proteſtationem alti ſui dominii; Corpus autem, & Sanguis Chriſti Domini nequeunt dici propriè realiter immutata, aut deſtructa per hoc ſolùm, quòd utraque ſubſtantia panis, & vini deſinat eſſe per converſionem, ut eſt per ſe notum, maximè cum ſint terminus ad quem permanens, oppoſituſque termino à quo deſinenti.

Ulterius, res, quæ vel unicè, vel præcipuè deſtruitur, aut alio modo realiter immutatur, eſt illa, per quam potiſſimè Deum colimus in ſacrificio, ut ſupremum rerum omnium principem; ſed illa, per quam ita colimus Deum ſacrificando, eſt ipſa, quam Deo conſecramus, aut offerimus, loquendo de re oblata, & oblatione illius, propria ſacrificii, prout ſpecie diſtinguitur à ſimplici oblatione. Ergo illa, quæ vel unicè, vel principaliter deſtruitur, ſive immutatur realiter, eſt ipſamet, quæ vel unicè, vel principaliter conſecratur Deo, & offertur illi: ſunt enim locutiones unum formaliter prædicatum deſignantes pœnes diverſos ejuſdem reſpectus, ut plerunque advertunt Scholaſtici, diſputantes de oblatione conſtituente ſacrificium, diverſæque ſpeciei ab alia purè tali, quæ ſacrificationem non importat, tametſi omnis ſacrificatio importet oblationem. Cum igitur ſubſtantia panis, & vini ſit, quæ principaliter, vel potiùs unicè, immutatur, quia ſola deſtruitur; & aliunde ultra hanc immutationem, nullam etiam aſſignet hæc opinio; ſubſtantia panis, & vini, ut deſtruenda, vel quà actu deſinit, erit non ſolùm de obliquo, & ſecundariò, res oblata; ſed potiſſimè, vel unicè; quod alienum eſt ab hac ſententia, & à ſententia orthodoxa: in utroque enim ſacrificio, juxta fidei maximam Chriſtus ipſe Dominus eſt res ſimpliciter oblata, in Cruce oblatus, quia voluit; in altari, quia inſtituit.

Num. 13. Demum difficultate ſumma non vacat, ita conſtituere Hoſtiam oblatam ex duplici illa, ut utraque quidem ſit oblata, & ſacrificii conſtitutiva; verùm una purè offeratur, quin realiter immutetur; altera verò, & realiter immutetur, & offeratur: eſſet enim reipſa inducere illam ſo-

lam

lam Deo oblatam, quæ fuerit immolata, aut realiter immutata, & ea ratione ſacrificata, vel utramque oblatam; ſacrificii verò conſtitutivam unam duntaxat, illa nimirum, quæ patiatur realem mactationem, aut immutationem; cum illa duntaxat valeat conſtituere ſacrificium, ſecundum quod hoc differt ſpecificè à pura oblatione. Quemadmodum ſacrificium ab Abrahamo intentum ex Iſaaco, quem obtulit Deo, & ex Ariete, qui Vepribus hærebat, & quem loco filii immolavit, non fuit ex utraque illa Hoſtia, materia, aut victima, conſtitutum; ſed ex ariete duntaxat, eo quod Iſaac mactatus non fuerit, nec ullo pacto immolatus, niſi intentione; ſed pure oblatus; aries autem, tamquam Hoſtia ſuccedanea (aut ſuccidanea, apud Gellium lib. 4. cap. 6.): tunc enim reſpectu illius Hoſtiæ partialis, quæ nullam immutationem phyſicam ſubit, urget evidenter doctrina ſupra laudata S. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 3. *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur.... oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamſi nihil circa ipſam fiat.* Quod æquè probat, & urget circa Hoſtiam partialem diverſam, ac circa integram.

Ubi namque fatendum eſt, materiam aliquam, aut Hoſtiam, quantumvis inadæquatè (maximè dum longè principalior eſt) eſſe poſſe conſtitutivam veri ſacrificii, ſeu terminare veram ſacrificationem, quamvis nihil circa illam actio operetur, ipſam realiter immutando; legitimè deducitur, nullo jure futuram eſſentialiter exactam deſtructionem alterius Hoſtiæ partialis: quoniam inde convinceretur, non eſſe eſſentialem omni vero ſacrificio immutationem aliquam phyſicam Hoſtiæ, aut victimæ. Sed obſtare videtur exemplum veteris ſacrificii rerum inanimatarum, in quibus aliqua tantum pars, vel comburebatur, vel contrita, vel quaſi ad pulverem redacta, vel decocta, valde immutabatur, uti & vina, liquoreſque alii per effuſionem, libationeſque. Et nihilominus integra materia, etiam quæ reſervabatur, erat Deo oblata, & ſacrificationis terminativa, Sacerdotibuſque idcirco conſecrabatur. Reſpondent aliqui tamen, hoc ſubſiſtere poſſe, ubi Hoſtia, aut materia oblata ex integro accepta eſt ejuſdem rationis; quoniam tunc ſufficit, aliquid illius deſtrui, ut totum, quod per modum unius offertur in illo ſacrificio ſit verè, & propriè ſacrificatum; quia æquè ſit proteſtatio ſupremi Dominii circa totum illud oblatum per unius partis deſtructionem, quàm per omnium ſtragem, eo quod ſint homogæneæ. Cæterum ubi concurrunt res oblatæ diverſæ rationis ſpeciei, & ordinis conſtituentes Hoſtiam completam ad unum ſacrificium determinatum, quælibet Hoſtiæ pars diverſa immutari debet ex parte aliqua ſui, tametſi non ex integro, ſicut in holocauſto. ſic licet panis oblatus à Melchiſedech non debuerit ex toto immutari; debuit nihilominus panis ex parte deſtrui, & vinum, quod ſimul obtulit, ex parte aliqua effundi, & per libationes immutari; quin ſufficeret deſtructio alicujus bucellæ panis pro pane & vino ſimul oblato, nec pars aliqua vini, pro vino ſimul & pane.

Immò nec adhuc in verè perfecta immolatione victimæ, ſive Hoſtiæ animatæ, totum ex integro deſtruebatur, ſed vita ſolùm, ſuperſtite corpore exangui, & emortuo; quod nihilominus erat hoſtia verè ſacrificata; & aliunde Corpus, & Sanguis Chriſti Domini ſunt planè diverſæ rationis, ordinis, & ſublimitatis à ſubſtantia panis, & vini, etiamſi cum illa conſtituere permittatur adæquatam materiam, ſive Hoſtiam ſacrificationis terminativam. Hæc ſolutio probabilis eſt; non declinat tamen pœnitus argumenta nuper delibata à nobis contra ſententiam, quam modo expugnamus; quæ convincere videntur, materiam, quæ realiter non immutatur per actionem ſacrificativam, eſſe poſſe quidem rem oblatam; nunquam verò rem propriè, & ſtrictè ſacrificatam; ad quod impertinenter ſe habere videtur; quòd ſit ejuſdem, vel diverſæ rationis ab illa, quæ immutatur; alioqui, quia proteſtatio, quæ ſit per deſtructionem partis ejuſdem ſpeciei, provenire creditur à reliquis; conſimiliter, quæ proveniret à parte ejuſdem rationis cum immutata in ratione Hoſtiæ, aut materiæ illius numero ſacrificii, & inſuper conveniret cum illa in ratione conſtituendi tranſubſtantiationem, quæ convenientia non reperitur inter partes illas ejuſdem ſpeciei, æquivaletque unitati ſpecificæ illarum ab invicem; denominaret aliam verè concurrentem per modum Hoſtiæ ad eam proteſtationem. Nec exemplum immolationis Hoſtiæ animatæ verum eſt, ſiquidem dum ovis occiditur, omnia, etiam corpus ſuperſtes, & exangue immutantur realiter: nam per mactationem illam, vita pecudis interimitur, anima moritur (& ſi victima fuerit rationalis, ut Chriſtus Dominus in Cruce, realiter ſeparatur) ſanguis funditur, corpus autem eſt ſubjectum, quod mactationem patitur.

Num. 14. Reſpondent alii objectæ reflexioni, aut exemplo veterum ſacrificiorum, ſuccumbendo illi abſolutè, per diſcrimen ſcilicet inter ſacrificationem rerum inanimatarum, & animalium; quaſi illæ partim ſolum immutari debuiſſent; ut integra earum oblatio verè ſacrificata diceretur; ne alioqui omnia ſacrificia eſſent Holocauſta, in quibus omnia conflagrabant, & ex integro conſumebantur. Cæterum dum pecudes immolarentur, cum immolatio appeteret eorum vitam, omnes illius partes immutabantur realiter neceſſariò; quoniam ob perfectam unionem, & harmoniam illarum inter ſe, patitur unaquæque, aliqua inte-

reun-

reunte. Unde non ſolùm, dum vita illi adimeretur; verùm & per partis alicujus reciſionem, tametſi vita ſimpliciter non auferretur, reliqua omnia membra patiuntur à fortiori, & immutantur; ac proinde immutatio Hoſtiæ animatæ debet eſſe adæquata, & circa ipſam immediatè, non ſic autem rei inanimatæ. Et aliundè licet fiat realiter præſens in Euchariſtia ſub ſpeciebus rerum inanimatarum, eſt attamen totus integer & vivus ſub minimo etiam earumdem. Et quamvis rurſus vi verborum non conſtituatur ſub ſpeciebus, ut poſitivè vivens; per concomitantiam tamen debet neceſſariò ita conſtitui, ut fide noſcimus; & ex Inſtitutione ipſa nunquam aliter fieri poteſt valida conſecratio, ut diſp. præcedenti ſect. ultima ſatis oſtendiſſe putamus. Non ergo potuit eſſe Hoſtia verè ſacrificata in Euchariſtia Chriſtus Dominus, niſi per ſacrificationem immutetur realiter in aliquo vitæ ipſius concernenti. Hæc reſponſio coincidit partim cum præcedente, eiſdemque propterea ictibus cadit. Deinde ſemel atque reperiatur verum, & ſtrictum ſacrificium abſque reali immutatione Hoſtiæ, veraque ejus immolatione, ægrè convinci poteſt neceſſitas illius tanquam prædicati eſſentialis ſacrificio Hoſtiæ vivæ; cum hæc deſumatur ex conceptu ſacrificii ut ſic. Maximè cum Hoſtia Euchariſtica ſacrificetur ſub ſpeciebus inanimatis.

Reſpondent tertiò, eidem reflexioni quamplures Scholaſtici, per ſumptionem panis, & vini, quod ſupererat ex ſacrificio Melchiſedech, v. g. à Sacerdotibus factam, & ab aliis participantibus (uti fuerunt in ſacrificio Melchiſedech milites, aut vernaculi Abrahami); per quam, utpotè veram immutationem, conſtitui exiſtimant ſacrificium, quà partes illas reſpicit. Et hinc depromit ſua argumenta celebris ea opinio, quæ ſumptionem dicit partem intrinſecè, & eſſentialiter conſtitutivam ſacrificii altaris. Quemadmodum juxta D. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 8. ad ſacrificium pacificum minimè ſufficiebat immolatio cruenta victimæ (quamquam ad ſacrificium in genere ſufficiens erat): verùm inſuper pars victimæ incendebatur, pars cedebat in uſum Sacerdotum, & alia in uſum offerentium; quarum partium eſus conſtituebat peculiarem illam ſpeciem ſacrificii. Si autem in alio ſacrificio ſimilis combuſtio partis fieret; aut non erat ſpecie diverſum, aut aliud quidpiam ex parte modi, vel Hoſtiæ adjungebatur, per quod different. Qua doctrina verificatur adæquata realis immutatio totius victimæ, etiam inanimatæ, ut conſtituentis ſacrificium. Hæc reſponſio ſatisfaceret omninò, ſi ſubſiſteret laudata opinio, ſumptionem Euchariſtiæ credens ſacrificationem veram conſtitutivam, adæquatè, vel inadæquatè, ſacrificii Euchariſtici. Illa tamen multis nominibus diſplicet nobis, diſpliceque debet cunctis, ut ex infra copiosè dicendis planum fiet. Immò & ſi comeſtio partis in ſacrificio pacifico, quæ cedebat Sacerdotibus, ut ab ipſiſmet facta, eſſet ſtricta ſacrificatio (ſolus namque legitimus Sacerdos verum actionem ſacrificandi elicere poteſt); quia hec eſſet peculiaris differentia eſſentialis præfati ſacrificii ab aliis; non ideo ſumptio eſſe poſſet, aut deberet conſtitutiva aliorum omnium antiquæ legis ſacrificiorum; quamvis foret illorum complementum, uti monent Interpretes frequenter. Præſertim, cum non tantùm Sacerdotes, verùm, & domeſtici, aliique, participarent ex victimis, ut vernaculi Abrahami ex pane & vino ſacrificato à Melchiſedech.

Vera igitur mihi reſponſio eſt, in eo ſacrificio rerum inanimatarum, ſolùm eſſe verè, & ſtrictè ſacrificatam partem illam Hoſtiæ, quæ deſtruebatur, reſiduam verò portionem eſſe quidem oblatam: eſſe, & dici poſſe ſtrictè conſecratam, quoniam latiùs patet conſecratio ſacrificatione, ſiquidem Chriſma, Calices, Aqua &c. verè conſecrantur; nullo pacto tamen veram ſacrificationem, aut immolationem patiuntur, uti & eſſe propriè benedictam, cum benedictio latiùs adhuc conſecratione pateat; integrare quidem ſacrificium ex alia parte combuſta, aut aliter immutata, confectum; nequaquam verò actionem verè, & propriè ſacrificativam terminare. Quamquam enim ex eo quod pars ſacrificetur cenſeatur totum ſacrificatum, ut colligitur ex Levit. cap. 2. illaque dicebatur *memoriale*, aut in memoriam, quòd reliquæ partes erant Deo ſacræ, ut notat ibi à Lapide; non ideo reſiduum erat, nec dicitur verè ſacrificatum formaliter in ſe, ſed integrans ſacrificium conſtitutum eſſentialiter per partem combuſtam: & ſpeciali jure conſecratum Deo. Id conſtat ex ſupra dictis circa binos paſſerculos, & hircos in ſacrificium adductos, ad eumdem enim modum philoſophandum eſt de rebus inanimatis. Conſtat ex doctrina laudata D. Thomæ 1. 2. q. 102. art. 3. ad 8. circa ſacrificium pacificum, quod ultra mactationem victimæ poſtulabat eſſentialiter tripartitam illam diſtributionem carnis victimæ: *una pars*, inquit, *incendebatur in honorem Dei, alia pars cedebat in uſum Sacerdotum, tertia verò pars in uſum offerentium*. Ubi ſolam partem incenſam, deſtructamque ceſſiſſe in Dei cultum, & honorem aſſeverat; ſecus verò reliquas. Et quamvis omnes illæ partes eſſent immolatæ ſtrictè per jugulationem victimæ, & juxta hanc conſiderationem verè ſacrificatæ; cum tamen ſacrificium pacificum ex ſua peculiari differentia exigeret ulteriorem rei ſacrificationem, per quam conſtitueretur in ratione ſacrificii ſpecie diverſi à reliquis; ſi aliundè ea ſolùm pars, quæ denuò immolabatur per combuſtionem, terminabat ſacrificationem illam ſpecificam; clariſſimum videtur ex mente D. Thomæ, quòd etiam abſolutè, & univerſim loquendo, eam ſolum partem Hoſtiæ

verè ſacrificari, quæ verè in ſe realiter mutatur per ſacrificationum. Ideo 2. 2. qu. 85. art. 3. ad 3. dixit: *Primitiæ ablationes ſunt, quia Deo offerebantur, ut legitur Deuteron. 26., non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa eas fiebat*; ſed circa reliquas partes, quæ nude offeruntur unà cum alia combuſta, conceduntúrque Sacerdotibus, & offerentibus, nihil ſacrum fiebat. ergo illæ neutiquam conſtituebant eſſentialiter ſacrificium, ſeu minimè terminabant actionem ſacrificativam. Conſtat ex argumentis hactenus factis: conſtat denique ex definitione ſtricti ſacrificii à cunctis ſapientibus omnis ætatis, & religionis admiſſa, poſtulante, & exprimente immutationem realem victimæ, ſive hoſtiæ, quæ ſacrificatur; oppoſitum autem non immutaret victimam ſacrificii realiter, & immutaret formaliter ipſius ſacrificii naturam, indolem, & metaphyſicam definitionem.

Num. 15. Vanum pariter foret exemplum accidentium Euchariſtiæ, quæ conſtituunt formaliter in ratione ſenſibilis materiam, ſive Hoſtiam offerendam, & ſacriſicandam; ſuntque eo titulo res oblata ſimul cum Corpore, & Sanguine, & nihilominus realiter non immutantur per ſacrificationem Hoſtiæ, aut materiæ proximæ; niſi velimus ea dicere immutata, quatenus privantur inhæſione, aut ſubſtantia, cui inhærebant: quod foret acquieſcere opinioni ipſi, quam repellimus, adeoque perperam illam impugnamus. Conſtituunt ergo ſacrificium eſſentialiter, quin terminent actionem aliquam ſacrificativam, per quam tranſmutentur. Diſparet nanque confeſtim ejuſmodi exemplum: quandoquidem accidentia, & verba, quibus redditur ſenſibile myſterium Euchariſticum, conſtituunt quidem eſſentialiter ſub ea ratione, tum Sacramentum, tum ſacrificium altaris; eo quod utrumque debeat eſſe nobis ſenſibile, & veluti aliquo modo viſibile, ut natura hominum poſtulat, juxta Concilium Tridentinum ſeſs. 22. cap. 1. agens de ſacrificio incruento; uti & Euchariſtia quà Sacramentum eſt, eſſe debet ſignum ſenſibile, ut eſt per ſe notum cunctis: immo & ſunt materia proxima Sacramenti, relatè ad formam, ſeu verba conſecrationis. Non tamen ſunt materia proxima oblata in ſacrificio, ſaltem principaliter juxta omnes; nec adhuc minùs principaliter, juxta pleroſque, niſi quatenus ſenſibilem reddunt ipſam victimam, quæ offertur, & ſacrificatur. Non igitur conſtituunt ſacrificium, quia ſint illius materia proxima, aut victima oblata, immolataque: nec inſuper, quia conſtituant aliquatenus ipſam ſacrificationem, ſintque partialis actio ſacrificativa; ſed quia ad conſtituendum ſacrificium viſibile, aut ſenſibile nobis, ultra materiam oblatam, & per realem tranſmutationem ſui ſacrficatam, & ultra ipſam actionem ſacrificativam, requiritur eſſentialiter ſenſibilitas horum omnium; ratio autem ſenſibilitatis conſtituit alio titulo diverſo ab eis, quibus res ſignificatæ, factæque ſenſibiles conſtituunt, ut eſt evidentiſſimum. Ergo non eſt cur ſpecies Euchariſticæ debeant tranſmutari, aut ſacrificari realiter ad conſtituendum ſacrificium; tametſi materia oblata, quæ ſacrificium ſimpliciter, ſub ea ratione conſtituit, debeat ſacrificari; ſin aliter extra ſacrificium eſſentialiter erit. Siquidem nudè offerri non eſt proprium diſtinctivum ſacrificii, juxta Theologos omnes cum Div. Thoma ſupra, ſed offerri per realem immolationem, quod complectitur genus oblationis, & differentiam propriam ſacrificii. Accidentia itaque neutiquam conſtituunt ſecundariò rem oblatam in ſacrificio Euchariſtico, in quo ſolum offeruntur Corpus, & Sanguis Domini, ut exiſtentia ſub ſpeciebus; non verò ſpecies, ſub quibus latitant. Ita adversùs Scholaſticos ſupra laudatos P. Vaſquez, Coninkius, Mæratius, Rodes, Caſtropalao, Præpoſitus, & innumeri alii, quibus apertè favet Tridentinum, quà identitatem Hoſtiæ cruentè, & incruentè immolatæ ſupponit, & aſſerit, & quà ſeſs. 22. cap. 1. adjungit: *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerent præcepit.* offerri autem, ut contentum ſub alio, non eſt offerri ſimul cum illo, ut planum videtur.

Deinde ſint aliquatenus ſecundariò Hoſtia partialiter oblata; non propterea tamen conſtituunt ſacrificium, ut ſacrificium, ſub ea ratione, ſed unicè quà reddunt ſenſibile ipſum, & materiam ſacrificatam. Ratio eſt eadem toties inculcata: quia licet ſint Hoſtia partialiter oblata, nequaquam ſunt Hoſtia partialiter ſacrificata, aut tranſmutata per ſacrificationem; & aliunde ſub hac tantùm ratione Hoſtia oblata conſtituit intrinſecè ſacrificium, quà tale, ſive pœnes prædicatum differentiale, (licet conceptus genericus ſacrificii conſtituatur per oblationem ut ſic). Quòd autem nullo pacto terminent ſacrificationem accidentia, nec dicantur verè ſacrificata manifeſtum multis videtur, cum vel ipſi, qui ſecundariò oblata illa dixere, nunquam realiter tranſmutata per actionem ſacrificativam dicunt; quinimmo, ſi hoc etiam contendat aliquis, jam exemplum hoc importunum eſt ad rem præſentem, & ad finem, ad quem obtinendum objicitur. Similiterque illa nullatenus ſunt conſtitutiva actionis ſacrificativæ: & rurſus ſi illam conſtitueret, ſacrificium conſtituerent eo etiam titulo (qui minimè convenit deſtructioni ſubſtantiæ panis, & vini); quemadmodum nec verba conſecrationis ſunt actio ſacrificativa, nec adhuc conſecrativa, ſed ejus principium, conſtituuntque ſub alia ratione, formæ ſcilicet, Sacramentum; ſacrificium verò, quà ſimul cum accidentibus reddunt illud ſenſibile.

Ni-

Nihilominùs accidentia ipſa tranſmutari per ſacrificationem ſub eadem ratione ſenſibilitatis, ſub qua ſacrificium conſtituunt, facilè ſuaderi poteſt ex eo, quod vi verborum exuunt accidentia ſignificationem ſubſtantiæ panis, & vini, quam naturaliter poſſidebant, & comparant ex inſtituto ſignificationem Corporis, & Sanguinis Domini; in quo ſenſu verè quidem tranſmutatur ſignificatio; cæterum in illo, aut penes illum ſenſum arguere poſſunt aliquatenus, ſubſtantias panis, & vini deſinentes, eſſe pariter conſtitutivas ſacrificii; quamquam revera tranſitus accidentium ab una ſignificatione ad aliam eſt diverſus, diverſoque reſpectus importans, à tranſitu proprio tranſubſtantiationis, quæ verſatur inter ſubſtantias panis, & vini, & ſubſtantias Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini. Deinde tranſeunt ab inhærentia ad modum per ſe exiſtendi divinitus. Et inſuper quatenus eorum ſignificatio ſenſibilis ita ſeparatur realiter per verba, & actiones Sacerdotis conſecrantis ſeorſim Calicem ab Hoſtia, ut ſignificent diſtinctiſſimè Hoſtiam inviſibilem ſacrificatam, ejuſque ſacrificationem, in Cruce cruentam, & in altari incruentam; cum potuerint abſolutè eam ſignificationem non habere. Licet enim panis, & vini accidentia ſint ex ſe realiter diſtincta, & non potuerint aſſumi ad ſignificandum ſufficienti expreſſione rem ſacrificatam, niſi ſimul; potuerunt attamen ſimpliciter non aſſumi ad eam ſignificationem. Unde hanc debent verbis illam conſtituentibus, & ex hac parte dividentibus proportionatè ſignificationem accidentium, ut una cum ſacrificatione propria Hoſtiæ oblatæ conſtituant ſacrificium. Hæc tamen ſignificationis tranſmutatio impropria eſt, ita ſanè cum ſit potiùs ſignum ſacrificationis, quàm ſacrificatio, juxta tritum illud Auguſt. lib. 5. de Civit. cap. 5. *Sacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii ſignum eſt*; non eſt tamen capax alterius mutationis ſignificatio ut talis. Quapropter ſe ſola eſt prorſus inſufficiens ad conſtituendum verum ſacrificium, niſi unà cum vera actione ſacrificationis victimæ, quam illa ſignificat, ut de præſenti factam, & ſub illa contentam; alioqui Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, quà purè ſignificant, & repræſentant ſacrificium Crucis, abſque alia exercita tranſmutatione intra Euchariſtiam, forent verum ſacrificium, & non mera illius repræſentatio, contra quod adverſus P. Vaſquez oſtendimus ſupra. Probat tamen immutationem victimæ eſſe ſimpliciter neceſſariam eo modo, quo victima eſt. Diſcurſus hic ex abundantia potiùs, quàm ex ulla neceſſitate producitur; præſertim cum integer oriatur ex indulgentia oppoſitæ ſententiæ data, potiùs quàm ex ejuſdem meritis propriis, officina, aut induſtria.

Num. 16. Tertia opinio vulgaris adeo facta eſt, ut vix evolvatur tractatus aliquis de ineffabili ſacrificio altaris, abſque illius philoſophandi modo; tametſi complures diverſimodè ipſam expendant, neque ſine adjectis quibuſdam doceant. Tenuere ſimpliciter illam Salmeron tractatu 26. in Evangel. tomo 9. Alanus ubi ſupra, Leſſius, non in locis ſæpè allegatis, in quibus adjungit alias; ſed lib. 12. de perfectionibus Divinis, Gaſpar Hurtadus, Gonet, & alii quamplures, juxta eam ſententiam explicantes illud Apocal. 5. *Agnum ſtantem tamquam occiſum*. Hæc, inquam, opinio docet, eam ſolam immolationem, ſive immutationem, quæ ex vi verborum ſignificatur, quatenus conſtituit in altari Corpus ſeparatum (quantum ex eorumdem vi) à Sanguine, in Hoſtia, pariterque Sanguinem à Corpore in Calice, ſufficere ad rationem veri ſacrificii. Quandoquidem verba in definitione, ut arguit Gonet, non dicunt actum, ſed aptitudinem: quin neceſsè foret, quòd victima vulnerata in altari moreretur reipſa, dummodo ex natura, & gravitate vulneris mori poſſet, aut per ſe debuiſset. Verba autem conſecrationis ita ad inſtar gladii Corpus, & Sanguinem mutuò dividunt, & ſeparata conſtituunt, ut vi hujus ſeparationis minimè vivere poſſint, & vi verborum ſeparatio illa per ſe ſequeretur; tametſi ejuſmodi effectum minimè ſortiatur. Unde S. Greg. Nazian. Epiſt. 240. ad Amphilochium dixit: *O Dei cultor ſanctiſſime, ne cuncteris orare, & intercedere pro nobis, quando dicto allicis verbum Dei; quando incruenta ſectione Corpus, & Sanguinem Domini ſecas, vocem adhibens pro gladio*. Licet autem hæc opinio recurrere videatur cum prima, quatenus utraque eamdem omnino tranſmutationem agnoſcat; attamen prima illam credit ſufficientem, quà myſtica repræſentatio eſt ſacrificii Crucis. Secunda verò præciſivè ab ea myſtica immolatione ſufficientem credit victimæ mactationem illam, quæ ex ſe potens eſt ad eam realiter interficiendam, etiamſi finem actu non conſequatur; quia aliunde impeditur; futuram alioqui inſufficientem, quamvis mortem repræſentaret, & victimam in imagine occideret.

Non minùs egregiè tamen quàm ſpecioſè fallitur etiam opinio hæc, primò: quoniam juxta definitionem ab omnibus admiſſam ſacrificii, & juxta fundamenta in ſuperioribus jacta, non aliter actio immolativa participat conceptum ſacrificii, quàm juxta menſuram, & modum, quo participat rationem immolationis realis. Ergo ubi immolatio realis ſit tantùm aptitudinalis, actio ſacrificativa conſtituet tantùm ſacrificium aptitudinaliter, non verò actualiter. Non quia ſignificetur per difinitionem exiſtentia actualis ſacrificii, in quo ſenſu dicunt ſolùm aptitudinem ejus verba; ſed quia denotat exiſtere non poſſe actu abſque actuali reali immolatione. Secundò: circa ſacrificium Crucis omnium votis compertum habemus, nunquam per illud fore redimen-

dum genus humanum, ni mors reipſa conſequeretur vulnera altè impreſſa. Et quamquam hoc dicatur minimè eventurum ex natura ſacrificii præcisè, ſed ex Divino decreto, alligante Muodi liberatiooem morti, & non ſolis vulneribus; ex hoc tamen reſultat argumentum robuſtum ab inductione. Quandoquidem ex ipſo omnia antiqua ſacrificia, tam legis naturæ, quam ſcriptæ, debuerunt poſtulare eſſentialiter mortem victimæ percuſſæ, ut ſolemuior opinio contendit; quamvis refragentur nonnulli cum Cardinali de Lugo, recenſendi infra; & verum aliquod genus deſtructionis, vel realis tranſmutationis in rebus inanimatis; cum omnia illa per ſe reſpicerent, & adumbrarent, hoc, vel illo ritu, Crucis ſacrificium, etiam illa quę incruentum ſimul figurabant. Si autem ſemel ita in omnibus invenitur, quamoptimum argumentum indè ſumitur ad convincendam omnimodam neceſſitatem realis actualis immutationis in ſacrificio altaris: ad demoſtrandumque perpetua, & pereuni inductione, illam per ſe eſſentialiter conſtituere veram rationem ſacrificii; cum abſque illa nunquam reperiatur. Quemadmodum enim, qui vulnus inflixit alteri ſuapte natura læthale, ſi nihilominus triſtis effectus minimè ſequatur, pœnas omnes homicidæ non incurrit; ita ſacrificium non perficeret, nec abſolutè conficeret Sacerdos, qui victimam morituram reliquiſſet, ſi caſu vitam reſumeret, aut medica manu hominis in ea artę peritiſſimi. Hoc autem intelligendum de ſacrificio viventium; quoniam res inanimatæ etiam verè, & propriè ſacrificabantur per immutationem aliquam realem, quæ non perfectè deſtrueret ſemper rem ſacrificatam, ſed attereret, frangeret, effunderetque, & ea ratione verè immutaret, ut docet in locis ſupra laudatis S. Thomas: idcirco conceptus ſacrificii ut ſic ſolùm poſtulat realem immutationem Hoſtiæ, aut materiæ oblatæ; quamvis loquendo de ſpecie ſubalterna ſacrificii viventium, ex ipſa inductiooe non incongruè deducitur, immolationem verſari neceſſariò, & actu circa vitam; cum per illam tantùm fieret proteſtatio juris Divini in vitam, & necem cunctorum viventium, ſuaviſſimique Dominii illius, qui proteſtatur, neque Hoſtium ſuorum necem velle, ſed magis ut convertantur, & vivant.

Num. 17. Colligeretur rurſus & 3. ex opinione hac, Chriſtum Dominum in Circumciſione fuiſſe verè ſacrificatum; ſiquidem vulnus tenerrimo illius corpuſculo impactum talis erat conſtitutionis, ut Parvuli quamplures ex illo nconatam vitam, vixque obtentam, effunderent; & alii vitæ diſcrimen, incurrerent, ut notant paſſim Interpretes. Quamvis igitur non eſſet per ſe proximè inductivum necis, erat attamen capax illam inducendi. Ergo haberet aptitudinaliter totum id, quod exigit opinio, contra quam diſputamus, ad conceptum realem ſacrificii, maximè ſi vulnus infligeretur à Sacerdote. Neque ſatisfacit, qui dicat, vitam humanam non eſſe materiam propriam ſacrificii; nam ut ut res ſe habeat circa alios homines, Chriſtus Dominus debuit immolari pro Mundo. Immo etſi non fuiſſet Sacerdos, qui circumcideret, ipſe tamen erat jam tunc, ut modò ſummus Sacerdos, qui voluntariè patebat vulneri inflicto, quà via ſeipſum immolavit in Cruce. Immo ex divino decreto Iſaac erat victima verè immolanda, ſi manum non tenuiſſet, qui jura naturæ Paternæ ſolverat.

Neque præterea retorquere, aut ferire poteſt noſtram ſententiam vulnus hoc, quatenus realem immutationem induxerit, quam dicimus ſufficientem ad ſacrificium. Siquidem nequit eſſe ſacrificium verum Hoſtiæ viventis, niſi actu, & practicè ejus vitam in aliquo vero ſenſu auferat; quin ſufficeret ad illam ſpeciem ſacrificii tranſmutatio alia quæcumque, ut valde probabiliter colligitur ex dictis; de quo nos latè ſect. ſeq. Si ſubjicias, futurum ſaltem verum ſacrificium ut ſic, quà præſcindit ab Hoſtia viventi, & inanimata; cum nequeat non eſſe in ea ratione quaſi generica ſtrictum ſacrificium, ſi conceptum formalem illius includat. Occurram extemplo: immutationem illam abſtractam, per quam definitur ſacrificium ut ſic uſurpatum, aut in genere, neutiquam exiſtere à parte rei ſub ea abſtractione, ſed neceſſario determinatam ad aliquam ſpeciem, vel ad mactationem ſimpliciter, ſi fuerit Hoſtia viva, vel aliam rationem deſtruendi, aut realiter tranſmutandi, ſi fuerit Hoſtia inanimis. Unde ſacrificatio, quæ ſolam importat immutationem aliquam in Hoſtia vivente; quin ejus vitam ſub aliqua ratione auferat, non conficit ſacrificium ex defectu materiæ, aut Hoſtiæ, quam petit illa ſpecies ſacrificationis purè immutantis, ut conſtituat verum ſacrificium. Quare dum determinatur ad Hoſtiam vivam, nullum conficit ſtrictum ſacrificium ſive rei inanimis, ſive viventis, vel ex defectu immolationis reſpectivè ſufficientis; vel ex defectu Hoſtiæ proportionatæ præfatæ immutationi, quam expoſcit eſſentialiter illa actio tranſmutativa, ut ſe ſola poſſit conſtituere ſacrificium.

Quartò: falsò præſuppouit ſententia hæc in veteribus pecudum ſacrificiis oon ſubſequi debuiſſe neceſſariò mortem animalis ſacrificati: quandoquidem jugulari cæſim debuerunt ex præcepto legis pecudes; aves autem retorto ad collum capite, & cum ſanguinis copia *ex rupto vulneris loco*; ut habetur Levit. 1. (*Sacrum jugulis demitte cruorem*) eo rigore, ut, ſi divinitus mors impediretur, ſacrificium minimè foret. Quamquam ſufficienter proteſtetur Sacerdos jus diſpoticum divini dominii in vitam & mortem viventium; etiamſi privatio vitę non cauſetur phyſicè immediatè actione Sacerdotis, ſed à vulnere inflicto à Sacerdote ipſo, cujus propria actio

phy-

Digitized by Google

phyſica eſſentialiter concurrit ; dummodo ſequatur re ipſa mors , Quemadmodum in Holocauſto Victima conſumebatur immediatè ab igne ſolùm , applicabat tamen illam Sacerdos. Si autem cogitetur ſacrificium aliquod animalis abſque effuſione ſanguinis, ut tum inter Gentiles, tum in lege veteri contigiſſe interdum , contendit cum pluribus Card. de Lugo ; ſemper attamen mori debuiſſet, ut ſacrificium verum , & ſtrictum fieret.

Quintò: immutatio , quam allegati Scholaſtici invehunt , realis profectò non eſt , ſed imaginaria, tam actu, quàm aptitudine , ſive in actu primo . Ratio eſt: quia licet , vi verborum non ponatur, niſi Corpus ſolum in Hoſtia, & Sanguis in Calice; non ideo vi verborum excluduntur poſitivè reliqua ; & aliunde, ut verba pollerent vi ſeparandi , in actu primo ſaltem , neceſsè foret, ut vi, & efficacia verborum ita conſtitueretur Corpus v. g. ſub ſpeciebus panis, ut Sanguinem, Animam , & alia repelleret ab unione cum corpore ſub eo exiſtendi modo , quamtumvis in actu ſecundo impediretur divina virtute ea ſaparatio . Virtus enim ſeparandi duo realiter conjuncta actu, vel quæ ex natura ſua conjungi debent, ſita eſt formaliter in eo , quod utriuſque nexum diſſolvat actu exiſtentem ; vel impediat ſaltem alicubi, neceſſariò alioqui extiturum ; itaut dum ea diviſio efficienda eſt in ordine ad determinatum exiſtendi modum , unum afferat , & aliud prohibeat . Si verò ita adducat unum, ut licet alterum poſitivè non trahat , præſcindat tamen ab eo, quod aliunde trahatur, vel ſecus ; non erit quidem poſitivè deferens , quamquam permittat ; cæterum nec erit poſitivè removens, ac ſubinde nec ſeparans unum ab alio in præfato exiſtendi modo . Immo potiùs reliqua etiam omnia , licet non ponantur ex vi verborum, aut ex vi Sacramenti, ponuntur proculdubio ex verborum efficacia, ut tradit vulgata omnium doctrina ; cum verborum vis , & intentio feratur in Corpus præciſivè à vivo, & mortuo, ut iidem Theologi docent ; & ideo ſi Corpus foret aliunde actu ſeparatum (& fieri poſſet tunc conſecratio) , virtus verborum eſſet potiùs negativè impotens adducendi reliqua extrema, quàm facultas illa dividendi: ſicut igitur, dum reliqua veniunt per concomitantiam , minimè venire dicuntur ex vi verborum (quamvis deferantur ex eorumdem efficacia) ; ita dum non traherentur ſub hypotheſi, quòd forent ſeparata , non dicerentur , ideo non venire , quia prohibentur à verbis ; ſed quia præexiſtebant diviſim: non enim fuerant ex vi verborum ſeparata, aut diviſa ab illo gladio, qui nulla unquam extrema disjungit, niſi quæ invenerit aliunde disjuncta.

Num. 18. Accedit , vim illam aptitudinalem, captu difficillimam eſſe in ſubjecta materia: quoniam, vel illa ſupponit extrema dividenda, alicubi copulata, vel alicubi disjuncta , vel nullibi disjuncta, aut copulata? Primum fallit ; quoniam non præſupponit Chriſtum Dominum latentem ſub ſpeciebus, priuſquam verba dividentia proferantur ; quoniam ſubſequitur ad illa , tanquam ad cauſam ſuæ ſacramentalis exiſtentiæ. Nec ſupponit illum ſub aliis ſpeciebus abſconditum ; quoniam præſentia realis ſacramentalis in uno altari omnino per accidens ſe habet ad aliam . Non in propria ſpecie ; ſiquidem juxta frequentem Theologorum doctrinam exiſtentia ſacramentalis nullo jure pendet ab exiſtentia in propria ſpecie. Inſuper quia alioqui Chriſtus Dominus, prout in Cœlo exiſtens, foret terminus à quo ſacrificii , aut immolationis ſui factæ in altari , quòd planè improbatur ; ut oſtendimus diſp. præcedenti. Secundum autem extremum ſoliditate deſtitutum apparet, gravioribuſque patet vulneribus, quàm Victima comparativè ad gladium, quem acuit. Primò: ex dictis nuper ; quia nullibi ſupponit Corpus Chriſti Domini exiſtens , nec unitum, nec ſeparatum ab anima. Secundò: ex dictis numero præcedenti ; quia virtus dividendi ſolùm ea , quæ ſupponuntur realiter ſeparata, nequaquam eſt virtus poſitivè ſeparandi, ſed purè negativè non reuniendi illa in loco, quo ponit alterutrum: maximè cum efficacia ſua conſtitueret in novo modo exiſtendi utrumque, ſi alibi adeſſent realiter conjuncta.

Tertiò: quia immolatio , quæ ſupponit rem perfectè immolatam eſt phantaſtica , nugatoria , & riſu digna ; & aliunde ubi ſupponeretur Anima Chriſti Domini ſeparata à Corpore, ſupponitur eo ipſo undique perfecta per cruentam immolationem , & ſumma, realis ſeparatio. ergo vis ſeparandi pro eo tantùm eventu quo præexiſtant realiter disjuncta eſt facultas nugatioria, futilis, & quæ prębet anſam figuratæ acceptioni pręſentiæ Chriſti Domini , & veritatis ſacrificii ; cum figuratam duntaxat ſacrificationem admittat (ex quo formari poſſet novum argumentum). Tertium extremum militat nobis: namque virtus , quæ producit , aut conſtituit alicubi extremum aliquod , per ſe poſtulans non exiſtere ſine alio, cum quo connectitur ; quòdque neceſſariò ponitur unà cum ipſo , & quidem ex efficacia ejuſdem virtutis , ſi aliunde non præſupponatur jam alicubi actu ſepatatum , tametſi nec poſitivè copulatum præſupponat ; potiùs eſt virtus , aut vis adductiva practicè utriuſque ad illum eſſendi modum , ad quem adducit unum, quàm vis , aut virtus ſeparandi extrema illa. Sicut facultas generativa hominis non habet virtutem tractivam animæ rationalis, ſed formandi ſolùm Corpus organicum ; quoniam tamen hoc illam expoſcit, ad illiuſque exigentiam creatur, dicimus verè in concreto , *ſol & homo generat hominem*. Hæc prolixa nimis ſunt pro expugnanda umbratili ſolum immolatione , & veluti minitabundo ſemper cervici gladio de-

depicta. Verum eſt, quod juxta communem doctrinam conſecratio reſpicit Corpus Chriſti Domini præciſivè ab eo quod ſit vivum, aut mortuum; ſub qua acceptione non exigit poſitivè vitam determinatè. Cæterum licet ex vi verborum, & veluti ſpeculativè ita feratur in Corpus; practicè tamen fertur in illud efficacia ſua, prout eſt re ipſa, & de facto. Et cum ex alia parte, juxta ſententiam noſtram, ex inſtitutione ipſa, fieri nequeat conſecratio, niſi Corpore ipſo animato, ideo practicè fertur in illud exigens comitantiam aliorum. Undè etſi nullibi exiſteret in propria ſpecie, & fieret conſecratio, poneretur practicè ex efficacia verborum integer Chriſtus Dominus, quamvis non ex vi Sacramenti; quia poneretur de facto ſecundum quod connaturaliter petit exiſtere, dum poſitivè mortuum non exiſtat; cum re ipſa & à parte rei non valeat exiſtere præciſivè à vita, & morte; quamvis enim preſcindentium non ſit mendatium; in ſenſu tamen realis exiſtentiæ eſt Chimericum.

§. III.

Num. 19. NON minùs celebris, quantumvis nova, atque vulgaris, eſt quarta Sententia, quæ ultrà deſitionem panis, & vini, ipſam productionem termini ad quem, Corpus ſcilicèt, & Sanguinem Domini, judicat veram ejuſdem Corporis, & Sanguinis tranſmutationem realem conſtitutivam ſacrificii, & quidèm altiori modo. Ubi enim, inquiunt, terminus à quo eſt illud pretioſiùs, quod in Victima reperitur, ille eſt, qui primò, & per ſe offertur, ſeu eſt Hoſtia, vel unicè, vel præcipuè oblata; itaut licèt cadaver cæſæ Victimæ offeratur, ſitque ſubjectum ſacrificationis, oblationiſque; nullatenùs verò ſecundùm ſe uſurpatum eſt id, quod potiſſimè attenditur, ſed illud quà privatum vita, qui eſt terminus à quo ſacrificationis, eſtque longè nobilior. Undè etſi utrumque ſit conſtitutivum, unum tamen eſt veluti ſubjectum, & aliud quaſi forma rei oblatæ. Ceterùm ubi terminus ad quem poſitivus ſit termino à quo ſublimior, digniorque: dum potiùs intenditur productio, aut præſentatio Corporis Chriſti Domini in ara, quàm deſtructio ſubſtantiæ panis: dum cedit longè altiùs in Dei honorem: dumque ille producitur, aut reproducitur ex termino à quo ignobiliori in ipſum converſo; tunc, non ille, qui deſtruitur; ſed dignior, qui ponitur loco illius eſt, qui offertur. Neque, ut ejus oblatio ſit vera ſacrificatio, eget alia ſui immutatione, prȩter ipſammet realem ſui productionem ex termino à quo in illum tranſubſtantiato. Cum igitur extra dubium ſit Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, quæ ponuntur vi verborum in Euchariſtia longo intervallo dignitatis ſuperare ſubſtantias panis, & vini deſinentes, ideò illa, quà per reproductionem novam ſub ſpeciebus conſtituta; quamvis non præſupponantur ut materia ad ſacrificium, ſunt attamen præcipua res oblata in illo, & immutata, ejuſdemque conſtitutiva. Sic Doctor Eximius Diſput. 75. & Leſſius ad quæſtionem 83. ar. 1. dub. 6. à nu. 31. & lib. 2. de Juſtit. cap. 36. Coninchius ar. 1. dubio 5. Averſa quæſt. 11. Becanus, Azor. Granados, Mezguer, & Juniorum numerus ingens.

Diſplicuit tamen jamdiù hic diſcurrendi modus clariſſimis Scholaſticis. Primò: quia reverà tranſmutat, potiùs quàm Hoſtiam, ſacrificii naturam, & eſſentiam, à primæva Mundi, & Sacrificii conditione inſtitutam. Secundò, & præcipuè: ſacrificium incruentum, etiamſi pœnes ritum diſcriminetur à cruento; res tamen oblata utrobique eſt prorsus eadem, ut diximus ſupra ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2., non eſſet autem eadem, ſed planè diverſa in ratione formali rei oblatæ, ſi vera eſſet hæc opinio; ſiquidèm in Cruce vita ipſa ſubſtantialis Chriſti Domini ut deſtructa, ſive corpus vita privatum, fuit res oblata, & ratio formalis ex parte Hoſtiæ, ob quam offertur, & ſacrificatur. In altari ratio formalis ex parte Victimæ offerendi Chriſtum Dominum, & immutandi, foret ejus in ipſo altari productio, aut reproductio, ſive primum eſſe illius ſub eis accidentibus. Illic Hoſtia formalitèr oblata fuit mors cruenta Victimæ; hic foret ejuſdem quaſi nativitas ſecunda; quæ proculdubiò ſunt rationes formalitèr diverſæ; quin & realitèr: quoniam ſubjectum, ut vita deſtitutum importat realem vitæ privationem; ipſum verò, ut reproductum denuò includit formalitèr eſſe poſitivum novo titulo, & nova actione poſſeſſum, excludens comitantèr privationem illam. Illud fuit amittere eſſe in vera aliqua acceptione, hoc eſt accipere eſſe, ſi non ſimplicitèr, ſaltèm quà novo modo exigit exiſtere ſub illis ſpeciebus.

Tertiò: immolatio Victimæ, ipſaque formalis ratio ſacrificii reſpicit Deum quà ſupremum vitæ, mortiſque Dominum, ut ſatetur uno ore Mundus Sapientum; per productionem autem, vel nudam rei creationem, coli poteſt duntaxat, ut Author vitæ, neutiquam verò necis. Non ſic autem dum immolatur Victima, per quam utrunque extremum Divini Principatus exprimitur, quia utrunque comprehenditur. Non enim mori poſſet animal in ara, ſi non præexiſteret vivens, ſubindèque præſupponitur vita à Deo producta, & actu conſervata, qui ſit terminus à quo mactationis; ſicut mors, aut corpus vita privatum terminus ad quem. Dum verò quaſi naſcitur in Euchariſtia, non præſupponitur mortuus alibi, nec abſolutè exiſtens: inſidiatur mors præpropera vitæ hominum, etiam nondùm natæ, at non occidendo, ſed præoccupando.

Num. 20. Removetur quartò: quia cum Chriſtus Dominus fuerit Sacerdos ſummus à pri-

primo inſtanti Incarnationis ratione nexus hypoſtatici, non foret, cur Nativitatem ſuam miraculoſo per Orientalem Portam egreſsu, & conſequentèr miraculo à virtute inſtrumentaria Humanitatis ejus (à primo etiam momento conceſsa) patrato, non ordinaſset ad colendum Deum in proteſtationem ſui dominatus in vitam, & mortem; itaut nativitas eſset verum abſolutè ſacrificium; cum ejuſmodi religionis actus perfectiſſimus non excludat ſines alios, potiùſque illos ſoveat, & perficiat. Præſertìm cum naſceretur paſſibilis, moriturуſque, & cruentè ſacrificandus: immò eo potiſſimum ſine naſceretur, ut vitam funderet in Dei honorem, & mundi utilitatem. Si dixeris, illam non fuiſse materiam à Deo inſtitutam in ſacrificium, potuiſse tamen inſtitui; verùm pronuntias quoad primam partem; falſum verò quoad ſecundam: quandoquidèm nulla foret cauſa, aut ratio, ob quam non inſtitueretur, ſi materia illa ſit ex ſe idonea ad verum ſacrificium (ut ſupponit hæc opinio) & productio illius ſit vera ſacrificatio, quia realitèr immutat materiam; cum odor ſuavitatis ex ſacrificio propriè uſurpato, & ex cultu interno etiam latriæ aſcendens, ſit Deo ſuaviſſimus; creſcatque, aut intendatur uſque ad ſummum ea ſuavitas, dum a Perſona infinitè digna offertur, & Victima immolatur per actum infinitè meritorium. Quamvis enim ſacrificia Aaronica in templo ſolùm peragi debuiſsent; non ſic ſacrificia novi Sacerdotii, quippe quod in monte oblatum fuerit: ipſeque prætereà eſt verum templum, uti verus Sacerdos, ut liquet ex illis verbis Joan. 2. *Solvite templum hoc*. Arguimus itaque illam materiam, & ſacrificationem minimè eſse capacem conſtituendi proprium ſacrificium, juxtà communem alioqui ſacrificii conceptum, ex eo, quod neutiquam fuerit actu à Deo inſtituta ad ſacrificandum. Quamobrem aptior longè videri poſset circumciſio, cum fieret in tenerrima Victima cruenta mutatio aliqua: & nihilominùs ejuſmodi non fuit, nec eo titulo oblatus dolor, quia ex natura rerum vivens non alitèr verè ſacrificabatur in lege antiqua, quàm per illius vitæ immolationem, effectu ſecuto. Paritèr Jacob, dum Geneſ. 3. poſuit verſicolores virgas in conſpectu gregis, *Ut Oves in conſpectu earum conciperent*, potuiſſet conceptionem illam in pulchrum ſacrificium offerre Deo; ſicut dum aliquas deinceps mactaret in ejuſdem cultum; quod inauditum, & abſurdum eſt.

Quintò: juxta viam hanc opinandi Reſurrectio Chriſti Domini fuiſſet verum ſacrificium, cum ejus corpus iterum nexu immortali excepiſſet animam, derivantem in ipſum inacceſſibilem lucis copiam; ſi anima, & corpus ſimul concurrerent ad reunionem producendam modo ſufficienti, ut poſſet dici Sacerdos Chriſtus Dominus; & quia ex hac parte Sacerdotii formalis non præcedentis cadere poſſet à ſacrificio reunio illa; reſurrectio tamen Lazari, per actionem miraculoſam ab Humanitate Chriſti Domini, ut inſtrumento conjuncto factam, fuiſſet vera ſacrificatio: non minùs ac foret, ſi Lazarum vivum in Dei cultum, & ut illum profiteretur vitæ, & mortis Authorem, immolaret, modo quo Jephte Filiam: cum actio illa reproductiva Lazari ſortiretur terminum ad quem nobilem æquè, ac foret ipſa vita, ut terminus à quo mactationis. Hoc autem omninò ſine fundamento diceretur, & pluſquam voluntariè, ut oſtendit Vaſquez diſp. 222. cap. 6. Qui rurſus arguit futurum inde, ut converſio quælibet, ligni v. g. in ovem, aut in calicem aureum eadem actione conſecrandum (aut alibi jam conſecratum, & per replicationem, actionemque converſivam hic poſitum) in honorem Dei miraculosè facta, eſſet verum ſacrificium; cum terminus ad quem producendus eſſet multò nobilior termino à quo. Aliaque conſimilia ibidem congerit in odium hujus ſententiæ excogitata, quem ſecuti fuere Cardin. de Lugo, Gavatius, Salmanticenſes, Rhodes, & Moderni in illam irruentes, tanquam incedentem per ſemitam aberrantem à communi ſenſu hominum, circa naturam ſacrificii, è naturæ inſtinctu, aut lumine derivato; cum per omnium gentium, & Religionum victimas, & Sacerdotes percrebuerit: priuſque ſacrificia cuncta à Gentilium Sacerdotibus pœnitus auferres, aut balatum ovis in ara obmuteſceres, quàm ejus vitam ſervares, vel ſanguinis rivos in ejuſmodi ſacrificiis occluderes.

Num. 21. Ultimò: vel hæc opinio credit neceſſariam aliquam immutationem realem, ſacrificii propriam, factam in victima, aut Hoſtia oblata, ſive offerenda; vel nullam? Si ſecundum hoc, rejicienda eſt omnibus illis, quibus oppoſitum ſupra ſolidiſſimè ſtabilitum fuit, à cunctiſque Interpretibus, & frequentiſſimè ab Scholaſticis pariter ſtatutum. Primum ægerrimè invenitur in actione reproductiva, vel adductiva corporis, & ſanguinis Domini. Quoniam actio illa, cum ex ſe non præſuppouat corpus, exempli cauſa, alibi exiſtens, quantum eſt ex ſe transſert illud de non eſſe adeſſe ſacramentale; hoc autem mutationis genus eſt proprium incarnandi magis, quam ſacrificationem faciendi; cum immutatio, quæ ſit immolatio vera ex ſuo conceptu formali ſupponat aliquatenus victimam exiſtentem, ut liquet evidenter ex occiſione animalis, combuſtione, aut alio quovis modo in ſacrificiis uſitato deſtruendi rem, aut libandi &c. Unde mutatio, quæ reperitur in rei productione, ſi ſumatur in ordine ad immutationem propriam ſacrificii, eſt planè metaphyſica, & fuco immolationis tincta.

Nec momenti eſt exemplum à nonnullis Doctoribus, tum hujus, tum primæ ſententiæ, productum ſacrificii Thymiamatis; cujus ſuffitus ſacrificium proprie erat; quin tamen deſtrueretur, ſed potiùs perſiſteret

ſua

ſuaviolentia, etiam peracto ſacrificio; veſtigia illius ubique relinquens, donec evaneſceret. Quandoquidem ſacrificium, vel oblatio Thymiamatis (ſi ſacrificium ſtrictè ſupponatur, tametſi à Miniſtris etiam Sacerdotum adoleretur, ut liquet ex cap. 30. Exodi), ſitum minimè erat in ſuffitu illo (niſi ad ſummum tanquam in ſubjecto privato unione explicanda), qui potius erat effectus ſuaviſſimus thuris verè cremati: hic enim eo ipſo realiter deſtruebatur, quatenus unio aromatum, & rerum, mixtum illud componens, diſſolvebatur, parte aliqua ſubſtantiæ combuſta, licet ſubſtantia odorifera majori ex parte in fumum verſa permaneret, & aliquantulum (in qua acceptione poteſt eſſe ſubjectum oblatum, & immolatum) immutatur; quatenus privatum unione præfata aſcendit; aut ſacrificium non foret, quouſque evaneſceret. Idcirco thuriferas aras appellabant illas, in quibus thus adoleretur, ut conſtat ex Virgil. 4. Æneid., pretioſo illo ſuffimento ſignificante, quàm grata ſit Deo oblatio ex incenſo thure facta: cum ex natura rerum ſit honoris ſignum, in omniumque propterea gentium ſacrificiis, & templis in uſu fuiſſe, notiſſimum eſt, quos ideo dixere vates: *Thuris Divinos honores*. Redolet nanque divinitatem quamdam præſentem nebula ea fragrantiſſima.

Similiter eſt minùs opportunum exemplum ex panibus propoſitionis depromptum, de quibus cap. 23. & 24. Levitici, & id genus alia exempla cognata. Quandoquidem interveniſſe realem aliquam transmutationem probat circa panes propoſitionis Vaſquez diſputat. 220. cap. 3. & diſp. 222. cap. 6. frequenterque alii. Cornelius à Lapide tamen in cap. 24. Levitici, cui adſtipulantur plures, exiſtimat illorum oblationem ſacrificium propriè non fuiſſe ob defectum ſufficientis mutationis realis: credit enim inſufficientem eorum cocturam in clibano: & rurſus hæc fiebat extra altare, quæ erat ſtata ſacrificiorum ſedes, locuſque deſtinatus.

Neque ulterius dignè opponitur, Deum non minùs coli, ut vitæ Authorem, dum vivens producitur in illius honorem, quàm dum perimitur ejus vita. Siquidem id probaret, non minùs aptè inſtitui potuiſſe generationem viventium, rerumque productionem, in ſacrificium, quàm inſtituta fuerit eorumdem viventium occiſio; quod abhorret à prudentia, & à communi doctrina, ut dictum eſt ſupra. Præterea, vita, quæ producitur, confertur producto ab Authore vitæ, adeoque non eſt per ſe idonea, nec proportionata actio, ut in eodem momento per illam fiat Deo ſacrificium, quia res, quæ ſacrificatur, Deo ipſi confertur. Et regione verò, quæ mactatur, ut in Dei cultum cedat, & in proteſtationem ſui dominii alti, Deo offertur, conſecratur, & redditur, potius quàm per illam met actionem è Deo recipiatur. Per rerum productionem à Divina Omnipotentia factam purè accipimus; per ſacrificationem retribuimus: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam &c. Pſalm.* 115. Quamquam id ipſum, quod illi ſolvimus, aut retribuimus, eidem reflexè debeamus.

Num. 22. Docti Juniores, ut realem aliquam mutationem rei oblatæ in jugi ſacrificio inveniant, in omne latus ſe vertunt, & tandem fixiſſe pedem ſtabilem putant in modo exiſtendi, aut præſentia ipſa ſacramentali, quam comparat Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus per conſecrationem. Quoniam licet realiter ſubſtantialiter per illum modum exiſtendi non deſtruatur; conſtituitur attamen ſub tali ſtatu, & exiſtendi forma, ut deſtruatur humano modo, & quaſi civili mactatione cadat. Quatenus redditur inutilis ad uſus, & functiones humanas; aptaque ſolùm ad uſus planè diverſos, & inanimes; cum corpus fiat verè cibus, & ſanguis verè potus. Tanta itaque mutatio rerum, & veluti fortunarum intercedit. Hanc autem mutationem ſcænarum, & uſuum ſufficientem dicunt abſolutè, quia in lege veteri interdum ſacrificabantur, inquiunt, animalia, non per jugulationem, aperiendo gladio latum morti introitum, aut modo illico perimente vitam; ſed præcipites in mare projiciendo, vel ſi in flumine ſubmergerentur, ut narrat Guilielmus Stuchius de ſacris, & prophanis ſacrificiis. Quin & ſacrificium perfici non cum victima vulneribus confoſſa moreretur; ſed dum ita percutitur, ut, deſperata vitæ ratione, moritura tandem ex vulneribus ſit, licet tardiùs; eo quod in ipſa actione ita vulnerante, ut mortem ſubitura ſit pecus, conſiſtere arbitrantur ſacrificationem formalem, ut contendit Vaſquez diſp. 223. hæc eſt opinio Cardinalis de Lugo diſp. 19. ſect. 5., quem æmulantur quoad ſubſtantiam, tametſi accidentariis quibuſdam differentiis conditam, Bernal, Platilius, Martinon, Rhodes, & diverſi Recentes. Duo tamen ultimi ita exponunt eam deſtructionem humanitus acceptam, ut contendant, Chriſtum Dominum per modum exiſtendi ſub ſpeciebus reddi incapacem eliciendi functiones vitales, & in eo ſenſu realem aliquam immutationem reperiri in ſtatu, quem per conſecrationem comparat.

Quorum doctrina, niſi aliter elucidetur, nihil aſſequitur, ut jam oſtendam; ſi verò juxta principia noſtra intelligatur, continet, vel indigitat unicum hujus graviſſimæ, & ſummè arduæ difficultatis exitum, apertiſſimum fælicem, & veram realem immutationem Hoſtiæ in ſacrificio Euchariſtico attingentem. Præcipua autem via, per quam graditur opinio Cardin. de Lugo aberrat primò: quia præſupponit, Corpus Chriſti Domini per realem præſentiam in Euchariſtia reddi ineptum ad omnes operationes, & uſus humanos; hoc autem ſimpliciter prolatum, & ſecundum id, quod de facto

con-

contingit, verum minimè eſt, ſed alienum planè à fine Inſtitutionis arcani hujus, & à decentia, & dignitate Chriſti Domini ipſius; eum ex prolixè traditis diſp. 2. 3. & quarta abundè conſtet, Chriſtum Dominum ſub Symbolis ſenſibilibus in Euchariſtia latentem elicere operationes vitales corporeas de facto, muneraque Sacerdotis explere actu; quamquam id fiat novo, & aſſiduo miraculo. Neque ſufficit, exercitium illud vitale eſſe naturaliter impoſſibile; ſemel enim ac de facto ſuppleatur perenniter, divina virtute defectus ille naturalis expeditæ virtutis ſub eo ſtatu, jam adeſſe nequit de præſenti immutatio realis illâ viâ, ſed foret tantùm; immutatio autem, quæ purè eſſet; ſed non eſt actu, nequit conſtituere ſacrificium ſtrictum, quod actu conficitur; cum actualis tranſmutatio ſit de illius conceptu formali, ut ſupponendum eſt hic ex eiſdem prælaudatis Scholaſticis, ex definitione ſacrificii, & ex ſupra dictis. Quòd verò ſecundum quod ſit ſenſibilis per ſpecies, Chriſtus Dominus appareat ineptus ad functiones vitæ humanæ, ſolùmque ad cibandum aptus, poteſt inducere apparentem & fallacem mutationem, non tamen veram, & realem; cum intrinſecè, & reipſa pro eo ſtatu, & ſub eodem velo, humanas, & mirabiles vitæ operationes exerceat, muniaque ſupremi Sacerdotis exequatur, ſeipſum autem immolando, & offerendo. Tribunalque ibidem figat, è quo judicat accedentes, itaut ſpecierum nube tectus, & ſplendeat, & fulminet.

Num. 23. Fallit ſecundò: quoniam nullam phyſicæ mactationis, aut mutationis ſpeciem affert explicatio tradita, ſed nudè moralem, civilem, aut myſticam, quam aliundè ipſemet Cardin. de Lugo inſufficientem judicat, dum contra Vaſquez diſſerit. Aut igitur ſufficit myſtica illa à P. Vaſquez, vel repræſentativa, producta; aut nec ſufficit à Cardinali aſſignata. Tertiò: voluntariè, & falsò aſſeritur, opus non eſſe mactatione Victimæ, aut rei inanimatæ deſtructione ex parte aliqua, nec expectandum eſſe effectum ſubſecutæ mortis, vel deſtructionis ad conſtitutionem veri Sacrificii; cum oppoſitum firmaverit commune votum Sapientum, praxiſque indeficiens ſæculorum, & Gentium, ut vidimus ſupra. Sanè in lege veteri non ſolùm præcipiebatur occiſio Victimæ, ſed & modus per jugulationem ſcilicèt, ut dolor morientis brevior eſſet, ajente D.Th. 1.2. q. 102. ar. 3. ad 6. *Specialis modus occidendi animalia immolata determinabatur in lege ad excludendum alios modos. quibus Idolatræ animalia Idòlis immolabant. Vel etiam, ut Rabbi Moyſes docet, Lex elegit genus occiſionis, quo animalia minùs affligebantur occiſa; per quod etiam excludebatur immiſericordia offerentium, & deterioratio animalium occiſorum.* Et quidquid ſit de aliis, compertiſſimum eſt, ſacrificium Crucis ejus fuiſſe conditionis, ut ejus natura, & efficacia, alligata fuerit non vulneribus tantùm, ſanguiniſque alicujus effuſioni; ſed morti reali, ſive dictæ effuſioni, quà inducenti ſeparationem realem animæ (per ſanguinem ſignificatæ) à Corpore. Quamobrem ſacrificium altaris, utpotè ad normam ſacrificii Crucis inſtitutum, ejuſdemque eſſentialiter commemorativum, neceſſariò debet includere realem eam immutationem, quæ vitam Hoſtiȩ in vero aliquo ſenſu auferat; tametſi ſeparare animam à Corpore nequeat, quia immortale ſit, ultra repræſentationem cruenti ſacrificii, ejuſque memoriam.

Quartò: modus exiſtendi Sacramentalis nihil reale auſert, aut ſeparat, adhuc negativum, à Corpore Chriſti Domini (idemque eſt de Sanguine) in Euchariſtia ipſa, nec alibi. Non in Euchariſtia: quoniam ibi ex vi verborum nihil aliud ponitur, aut exiſtit, niſi Corpus, & hoc ſub tali modo exiſtendi, ut nunquam ſub illo potuerit eſſe naturaliter expeditè potens ad functiones humanas: atque adeo nullam potentiam proximam, quam ibi expeditam connaturaliter habuerit, ſeparat ab ipſo, & ex conſequenti nullum impedimentum operandi inducit, quo antecedenter ibi careret. Ergo nulla vera ratione illud in Euchariſtia tranſmutat realiter, aut mactat. Si verò dixeris, immutari per hoc, quòd eo modo, & ſub eo ſtatu conſtituatur, ſub quo non poſſit non adeſſe impeditum proximè ad operandum, etiamſi nunquam præcedere valeat intra ipſam Euchariſtiam potentia naturalis expedita, quam auferat. Contra eſt, quia ponere victimam ſub eo ſtatu, ſub quo nunquam poteſt exiſtere niſi privata naturaliter facultate proxima operandi, non eſt privare illam ea proxima connaturali facultate pro illo ſtatu; & aliunde alium ſtatum victimæ, in qua gaudeat prædicta virtute, neutiquam præſupponit, nec exigit actio, eam ſub modo prȩfato exiſtendi conſtituens; nec etiam, ſi ſupponeret alium, eſſe poſſet ſub eo victima immolanda verè ſub hoc, ut ſtatim dicemus. Sic victima, quæ exiſtere nunquam poſſet in loco aliquo, & ſtatu exiſtendi, niſi mortua; nullatenus ſacrificaretur verè per actionem conſtituentem illam ad præfatum locum, & ſtatum; foret enim producere, aut adducere cadaver ad eum locum, ut vita privaretur; quæ proculdubio eſſet ridicula ſacrificatio, foretque potius inſultare mortuo, aut mortuum rurſus occidere, quàm ſacrificare. Rurſus, ſi accipiatur Corpus ſecundum ſe, ita reſpicitur à conſecratione, ut præſcindat à vivo, & à cadavere, & conſequenter à poteſtate proxima vitaliter operandi. Nullum ergo præexiſtit veſtigium, aut umbra poteſtatis, quam ſacrificare valeat.

Neque declinatur vis argumenti per hoc, quod actio reproductiva, licet non feratur in Corpus Chriſti Domini ſupponendo illius exiſtentiam in propria ſpecie, reſpiciat attamen illud ſecundum ſe, ſub quo reſpectu poſtulat exiſtere connaturali modo, & cum potentia proxima vitaliter operandi. Etenim juxta Adverſarios actio illa produ-

ctiva, ſive conſecratio, quantùm eſt ex vi verborum, fertur ſpeculativè in Corpus, præſcindens à vivo, & mortuo, etiamſi, juxta Cardin. de Lugo, nequeat aliunde, & ex inſtitutione extrinſeca, fieri conſeeratio de facto, niſi dum Corpus ſit actu informatum anima; uti & juxta noſtra principia ferri nequit, niſi in actu, aut de facto vivum. Ergo non tendit in Corpus poſitivè exigens potentiam proximam, qua illud privet: nec habet efficaciam conſecratio ad illam poteſtatem adducendam, cum potiùs illam naturaliter impediat. Si autem ſubjungas, ferri practicè efficaciter in ipſum vivum, ut diximus àdversùs aliam opinionem ſupra; reponam, adeſſe diſcrimen manifeſtum: quoniam reliqua prædicata, quæ comitantur Corpus, ponuntur practicè efficacia verborum, atque adeo attingitur practicè per efficaciam verborum Corpus illa poſtulans; potentia verò expedita naturaliter ad functiones vitales nequaquam de facto, & practicè ponitur; nec modus Sacramentalis eſt capax naturaliter illius; & aliunde non ſupponitur alibi præexiſtens cum ipſa.

Ulterius non attingitur practicè, ut illam ſaltem exigens ſecundum ſe uſurpatum, quoniam exigentia ad illam obtinendam naturaliter in Eucharistia foret exigentia ad terminum impoſſibllem ſimpliciter (poteſt enim illam obtinere divinitus; nequit autem Divina virtute fieri, ut illam poſſideat connaturaliter ſub eo ſtatu inextenſionis); exigenria verò ad illam habendam, ubi in propria ſpecie exiſtat, non aufertur per modum exiſtendi Sacramentalem. Quo igitur termino exacto privatur per conſecrationem, ſive ſpeculativè, ſive practicè acceptam? Non prout alibi, ſive in Cœlo exiſtens: tum quia nec prout adeſt in propria ſpecie ſacrificatur, nec eſt terminus à quo ſacrificationis in altari elicitæ, quà ſedet ad dexteram Patris. Tum quia in Empyreo remanet ex integro poſt cooſecrationem immutatus, ut antea, & in altari nihil amiſit ex eis, quæ ſecum adduxit, aut adducere potuit; quæ autem deferre nunquam valuit, nunquam in altari amiſit, quamquam in Cœlo habuerit: quia conſecratio non ſupponit Corpus alibi præexiſtens: adeo liber, & ſui juris in ara, ut nec à ſeipſo pendeat, ut exiſtente in propria ſpecie, ne locus altaris indigus ſit alterius gloriæ, qua illuſtretur; cum in loco exilii Patria ipſa dulciſſimè gaudeat.

Num. 24. Diſplicet pariter ſententia laudata prout à Martinono, & Rhodes expoſita: quoniam eiſdem argumentis, & reflexionibus patet eorum expoſitio, ac præcedens, cum in idem recidant. Sanè immutatio realis victimæ importat ſeparationem alicujus rei intrinſecæ, inductam per ſacrificationem; & aliunde in Euchariſtia nunquam habuit, nec habere potuit potentiam naturaliter expeditam ad functiones vitæ Corporis, atque adeo nihil illi intrinſecum, ejuſque proprium ſub eo ſtatu amittit, nihilque ſeparatur ab illa per ſacrificationem. In Empyreo autem, ubi illam poſſidet, nequaquam ſeparatur per actionem altaris. Deinde conjunctim accepto utroque loco, & ſtatu, nec ex utroque poteſt reſultare mutatio victimæ; quia prædicatum, quo gaudet in uno, habere nequit connaturaliter in alio; ſed per miraculum duntaxat: in ſtatu autem, in quo illud poſſidet non amittit; in illo autem, in quo illo caret, nunquam poſſibile fuit ipſi, naturaliter illud poſſidere. Ubi eſt ergo immutatio realis propria ſacrificii?

Dices: ipſe modus exiſtendi ſacramentalis, inextenſuſque, eſt impedimentum poſitivum exercendi functiones corporeas. ergo conſecratio inducens eum exiſtendi modum aufert re ipſa potentiam proximam. Ergo ſacrificat, qui conſecrat. Reſpondeo ex dictis jam; impedimentum illud eſſe ipſum novum ſtatum exiſtentiæ ſacramentalis; ille autem novus ſtatus nequit ſacrificare Hoſtiam, niſi præcedenter ſupponat in illa aliquid, quod auferat, & per cujus oblationem ſacrificet ipſam, ut propè omnium ſæculorum conſenſus docuit; non ſupponit autem eam poteſtatem proximam ſub eodem ſtatu novo; quoniam illud eſt impedimentum connaturale expeditionis prętatæ poteſtatis, ut fatetur objiciens, aut argumento noſtro occurrens. Pariter nec illam præſupponit in corpore florente in Empyreo; quia non expetit, nec ſupponit per ſe, eam priorem exiſtentiam. Non ſupponit eam in Corpore ſecundum ſe accepto, ut dictum eſt. Nihil igitur immutare poteſt realiter in Hoſtia, adeoque nec illam ſacrificare. Inſiſtes: ſaltem hoc eſt certum, Hoſtiam illam priùs eſſe capacem eliciendi naturaliter operationes ſenſitivas; & per exiſtentiam ſub ſpeciebus reddi incapacem, impoſſibileque fieri ipſi exercitium illarum. Dum ergo conſecratio conſtituit Chriſtum ſub ſpeciebus, ſacrificat illum per ablationem illius capacitatis, aut poſſibilitatis proximæ. Contra iterum. Et rogamus, quam capacitatem, aut poſſibilitatem auferat? Quam ſupponit pro eodem ſtatu? Non ſanè; quia pro illo nunquam illi fuit poſſibile exercitium connaturaliter earum operationum. Quam præſupponit in Chriſto Domino exiſtente in propria ſpecie? Minimè quidem; eum ulteriorem exiſtentiam neutiquam præſupponat, ut dictum eſt, & ex ipſis Adverſariis frequenter. Quam reſpicit in corpore ſecundum ſe, in quod tendit conſecratio? Profecto non; cum illud reſpiciatur à conſecratione, quà præſcindit à vivo, & mortuo; ac proinde ut præſcindit à capacitate, & incapacitate, ſive impoſſibilitate vivendi; præciſio autem à capacitate, vel incapacitate, determinata pro poſteriori per incapacitatem aliam poſitivam, aut impoſſibilitatem, nullo pacto eſt terminus à quo

poſi-

poſitivus, & ex conſequenti, nec terminus à quo ſacrificatus verè. Quamquam enim ad tranſitum aliquem concipiendum ſufficere valeat præciſio; ad ſacrificium attamen proprium conſtituendum, inſufficiens eſt votis omnium, qui mutationem realem deſiderant ad illud; quoniam petunt eſſentialiter poſitivam immolationem; itaut, licet excogitari valeat terminus à quo negativus, debet attamen eſſe poſitivè Intellectus; ne alioqui ſit ſacrificatio lata, & metaphyſica potiùs, quàm realis.

Hæc tamen neceſſaria minimè ſunt ad hujus opinionis expugnationem, & ſanè etiam ſi oppoſitum permittatur; cum ſemper reſurgat efficaciſſimus diſcurſus, primo loco productus: quòd nimirum Chriſtus Dominus in Euchariſtia virtute inſtrumentaria eliciat functiones illas corporeas actu de facto, & aſſiduè: ſubindeque non privatur vita corporea actuali, cujus privatio eſt effectus, quem induceret incapacitas illa naturalis. Quamtumvis enim ſemper permaneat prædicta naturalis incapacitas ad proximè operandum; illa tamen, ſemel ac Humanitas per potentiam inſtrumentalem eliciat actus humanos vitales, nihil poſitivum aufert à Chriſto Domino, ſed tantùm carentiam impedimenti ad naturaliter operandum (ſi permittamus per hypotheſim illam præintelligi poſitivè aliquatenus); hæc autem excluditur per ipſum modum exiſtendi ſacramentalem, & inextenſum; quod eſt impedimentum ad connaturaliter eliciendam vitam actualem corpoream. Excluſio autem illius carentiæ facta per novum ſtatum eatenus eſſe poteſt veræ ſacrificationis terminus, quatenus auferat reipſa actum ſecundum, ad quem ordinatur illa potentia proxima; illum verò minimè aufert de facto, ſi divinitus de facto ſuppletur illa naturalis incapacitas, eliciunturque perenni fluxu functiones vitales: ſolumque propterea reſtat aerea quædam immutatio conſiſtens in ipſomet modo eſſendi, aut ſtatu ſacramentali.

Ex quo fit ulterius, quòd in eodem genere novus ille ſtatus plus afferat poteſtatis proximę ad prædictas operationes, quàm auferat; quis erit autem, qui ſibi perſuadere velit, Hoſtiam verè mactari, ſi plus vitæ reciperet per mactationem, quàm perderet? Eſſet enim permutatio rerum, potiùs quàm Hoſtiæ rigoroſa immolatio. Tandem modus ille exiſtendi revera non eſt impedimentum poteſtatis proximę, quæ præextiterit ſub eodem ſtatu, nec ſub alio, ut inculcatum eſt. Sit itaque firmum, nullam propriam ſacrificationem reperiri poſſe in ara Euchariſtica, nec in alia tam ſacra, quàm prophana, ſi non præcidat à Victima, aut Hoſtia, prædicatum aliquod reale, quod ſupponat in illa præexiſtens antecedenter, nec intendat auferre vitam, quam omni ratione præſupponere debet in Victima anhelantem.

SECTIO SECUNDA.

Duplex alia ſemita, (prima novitèr aperta, vetus ſecunda) occluditur, ſitque invia.

§. I.

Num. 25. VIR in primis doctus, magnique nominis Romæ P. Ulloa diſp. 2. quæ eſt de ſacrificio Duliæ cap. 1. nodum diſſolviſſe credit, realemque deſtructionem rei oblatæ inveniſſe per hoc, quod vi conſecrationis conſtituatur Corpus Chriſti Domini (ſimul cum reliquis per concomitantiam) in unico puncto loci, ſeu per hoc, quod in pluribus loci punctis ita ponantur Corpus integrum, Sanguis, vita, & omnia, quæ Corpus humanum ornant, ut ſub hypotheſi, quod naturali virtute ita conſtitueretur, naturaliter durare ibidem minimè poſſent: uti nec perſiſtere valent connaturaliter, tametſi divina virtute ſolùm ſub ſpeciebus primo ponantur, egent ne novo, & perenni miraculo omni momento, in quo perſeverat, *quia ex natura ipſa rei comminueretur*, inquit, *frangeretur. & quaſi in minutiſſimum pulverem redigeretur humanum, & quidem virile, corpus, ſi ad tam breve ſpatium redigeretur totum*. Ad immutationem autem ſacrificii rigoroſè accepti, neceſſarium minimè eſt, quòd mors ſequatur indefectibiliter, ſed ſatis eſt, quòd per actionem Sacerdotis Victima vulnere lęthali percuſſa fuerit; tametſi poſtmodum ſecreta virtute naturali (ſi hæc credatur poſſibilis) vel divinitus ſaltem, vitam retineat. Et quamvis totum Corpus reducere ad tam exiguum ſpatium, ſit naturaliter impoſſibile; non poſſet attamen aliquis conari, aut operam ſuam præſtare ad id obtinendum, quin totum Corpus comminueret. Rurſus, licet per impoſſibile illud aſſequeretur; nequiret tamen ibi perſeverare, & multò minus vivere, abſque ingenti miraculo. In quo differret eventus hic à penetratione miraculoſa Corporis Chriſti Domini cum Lapide Sepulchri, ad quam etiamſi miraculum ſit planè neceſſarium; in ſenſu tamen compoſito illius poſſet abſque novo miraculo perſiſtere ita in Corpus. Non ſic autem in hypotheſi, in qua fuiſſet reſtrictum ad ſpatium puncti, quod occupat divinitus modo in Euchariſtia; cum non poſſet perſeverare vivum abſque novo omnipotentiæ influxu miraculoſo. Ponitur ergo per conſecrationem in ſtatu declivi adeo, ut naturaliter vivere non valeat, nec durare: ac ſubinde conſecratio eſt vera actio ſacrificativa, deſtructivaque, quantùm ex ſe Hoſtiæ, circa quam verſatur; & ex conſequenti conficit per illam verum, & ſtrictum ſacrificium Sacerdos. Quidquid ſit, quod ratione dotum gloriæ ſit immortale. Siquidem hoc eſt per accidens reſpe-

ctu illius actionis; cum mortale fuerit, dum primò ſacrificium inſtituit, dumque ſeipſum immolavit ritu illo incruento, & undique miraculoſo, antevertens cruenta illa vulnerum inſtrumenta, & ſanguineum magis ſævientium hoſtium furorem, nondum ſatiatum.

Num. 26. Irritum verò eſſe conatum hujus explicationis ad ſcopum præfixum attingendum, ſuadent multa. Primum ſit: quoniam illa procedit, aut circuit per hypotheſim impoſſibilem exiſtentiæ naturalis Corporis, & Saguinis Chriſti Domini in puncto, aut minimo per præſentiam Sacramentalem, & ſanè in eo ſenſu ſimpliciter impoſſibilem: poteſt enim Deus conſtituere Corpus Chriſti Domini, & in quovis momento conſtituit de facto, in puncto, aut minimo; nequit tamen efficere divinitus, quòd ille exiſtendi modus ſit naturalis. Ex hypotheſi autem illa abſolutè impoſſibili, nihil erui, aut colligi valet pro modo ſupernaturali exiſtendi, quem de facto habet in Euchariſtia. Siquidem quòd hic ſtatus, ſi naturaliter induceretur, eſſet mortalis victimæ ſub illo exiſtenti (immo & multò antequam perficeretur), probat ad ſummum, victimam in eo ſtatu naturali, virtute Sacerdotis poſitam, futuram verè ſacrificatam, ex capite immutationis. Neutiquam verò perſuadet, eamdem victimam, quà poſitam ſupernaturali virtute ſub eodem ſtatu, & præſentia indiviſa, mortali prorſus modo adeſſe ibi, perſeverareque non poſſe vivam ſubſtantialiter, ſive animatam eadem actione ſupernaturali, & miraculoſa, per quam ibidem fuit primò conſtituta: quia mutatio, quæ tunc contingeret, modò contingere non poteſt; ſiquidem ponitur ibi, & conſervatur divina virtute. Inſuper in ea hypotheſi non foret ſacrificatio eo præcisè, quòd poneretur in eo ſtatu declivi; ſed quia præſupponeretur pro priori in ſtatu connaturali, perfectoque, ex quo adduceretur ad ſtatum mortalem; actio verò ſupernaturalis, per quam nunc conſtituitur in Euchariſtia, non ſupponit Corpus Chriſti Domini alibi præcedenter perfectè exiſtens; & multò minus illud inde avellit, ut conſtituat in hoc. Verum equidem eſt, Corpus illud, licet ſupernaturali virtute in Euchariſtia conſtitutum, & conſervatum, & ratione dotum immortale undique, adeoque nullatenus poſitum in ſtatu mortis, comminutionis, & deſtructionis, attenta illa virtute Divina; naturali tamen virtute conſiderata, & præciſivè à reliquis, etiam modò adeſſe in ſtatu ruinæ phyſicæ ſub ſpeciebus. Cæterum cum actio, quæ illud conſtituit in eo ſtatu, ipſum divinitus conſervare debeat illibatum, tametſi dotibus non clareſceret (uti contigit in prima Inſtitutione); ægerrimè concipi valet ſacrificans vitam Hoſtiæ in eo ſtatu actio illa ſupernaturalis, quæ, juxta fidem, illam tueri debet, donec in prædicto ſtatu accidentia corrumpantur: quamvis naturaliter illa conſervari non poſſet ibi.

Secundò: hypotheſis conficta, ut proporrionetur præſenti rerum conſtitutioni, non debet repræſentari transferens corpus ab ſtatu vitali per ſe ad ſtatum mortalem; quoniam tunc ſit tranſitus cum vero, & reali termino à quo vitæ ad terminum ad quem carentiæ illicò venturæ illius; quomodo non conſtituitur in Euchariſtia; cum nec tranſeat è Cœlo in Euchariſtiam, nec illius exiſtentiam in propria ſpecie præſupponat eſſentialiter conſecratio. Sed deberet concipi ita, ut per naturalem productionem, ſive reproductionem, aut replicationem naturalem (ex hypotheſi) conſtitueretur naturaliter in puncto illo integrum corpus; & ſanè in hypotheſi ſic concepta, vita illa diſcedens illico, aut deſtruenda in ſtatu ſequenti extrinſecè (intrinſecè namque moreretur in inſtanti ipſo, in quo primo ponitur), non poſſet dici verè ſacrificata juxta communem doctrinam; cum nullus præceſiſſet ſtatus illius ab ea reproductione exactus, aut ſuppoſitus; è quo victima perfectè valens traduceretur ad miſerum ſtatum necis ſtrictiſſimæ; nec ſub illo ſtatu potuiſſet naturaliter perſiſtere, ſeu vitam conſervare pro alio inſtanti. Ergo illam amittere non eſſet ſacrificium, ſed ſtatus illius naturalis malum neceſſarium, in quo corpus ſortitum fuiſſet vitam, aut exiſtentiam æquè brevem, ac punctum, ad quod reductum fingitur. Si autem velis, ſufficere vitam illius inſtantis (etiamſi nulla alia ſupponatur præcedens), ut in inſtanti ſequenti, dum primò exiſtit ejus carentia, dicatur propriè ſacrificata; annuam libenter; cæterum jam eo ipſo adſtruis in eo ſtatu vitam realem, quam adimat ſacrificatio. Quod neutiquam verificatur in vita ſubſtantiali Euchariſtica, quippe quæ ſemper perſeverat eadem, quæ primo ſub ſpeciebus conſtituitur. Ecquid igitur ſacrificatur? quid à victima aufertur, cujus nec umbra percutitur?

Num. 27. Præterea tertiò: incohærenter cogitatur hypotheſis, in qua poſſet naturaliter exiſtere modo ſacramentali, & indiviſibili; & ſimul in qua naturaliter perſeverare non poſſet. Quandoquidem licet ſimpliciter, & in omnibus firmum non ſit, rem poſſe conſervari naturaliter in eo ſtatu, in quo primò perfectè producitur; per ſe tamen, agens potens ad primum, viget pariter virtute ad ſecundum. Quartò: nulla actio purè phyſica per ſe producit rem eo fine, ut deſtruatur, ſed ut perſiſtat, ſi fieri poteſt: ac proinde actio ponens corpus illud ſub prædicto ſtatu, ex natura rerum, & propria productionis, aut reproductionis, nequit eſſe illius ſacrificatio; quamquam illam conſtituat in ſtatu, in quo diu perſiſtere nequeat. Ergo ſi fingatur hypotheſis facta cum proportione ad modum, quo conſtituitur Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia, poſitio illius ſub accidentibus nulla ratione in eo eventu ſacrificaret ipſum.

Si autem comminiſci velis corpus illud na-

naturaliter ſub eo ſtatu perſeverans; attamen vivum perſeverare non poſſe, ſubjungas; petam, an, tua hæc hypotheſis conſtituat primò illud vivum, an, mortuum? ſi primum; non eſt cur hypotheſis non concipiat illud in eadem vita conſervatum, ut philoſophicè, & conſequenter dicatur introducta. Quoniam tamen naturaliter contingere poſſet, quòd ſtatus aliquis ſit ſufficiens ad vitam per exiguum aliquod tempus permittendam; non tamen ad illam diutiùs conſervandam; admitto lubens hypotheſim juxta hanc acceptionem, & ſacrificium in ea repertum; quoniam tunc præcederet vita ſub illomet ſtatu, quam deinde amitteret. Et quidem longè ſtrictius, quàm ſi in primò inſtanti intrinſeco periret; (de quo nuper diximus). Id quod non contingit in re noſtra; cum vitam eamdem ſubſtantialem, quam Chriſtus Dominus ejuſque corpus animatum concomitanter habet in primo inſtanti, quo ponitur, conſervat, dum ſub accidentibus durat. Et quidem juxta plures Scholaſticos connaturali jure venit per concomitantiam anima ex ſuppoſitione replicationis corporis. Si autem conſideretur ibi juxta ea ſolùm, quæ naturaliter ſunt, corpus illud nec primò produci poſſet ſub eo ſtatu; adeoque eſt contra ipſius naturalem exigentiam modus ille; nec conſervari. Si verò ſemel poſſet primò eſſe, ex communi rerum natura, poſſet & conſervari eodem modo; cum poſtulet per concomitantiam animam ad illum ſtatum. Unde ſi fuiſſet animatum in primo inſtanti, poſſet eodem pacto animatum permanere. Si autem illam non poſſet naturaliter in ſequentibus inſtantibus retinere, licet ipſam peteret; tunc eſſe poſſet ſacrificium aliquatenus, ſi non perſiſteret ibi utrunque per actionem ſupernaturalem conſervantem corpus, & vitam; adeoque reddens illam ſeparationem ſimpliciter impoſſibilem; quamvis natura rerum attenta ex ſuppoſitione ſtatus, poſſibilis foret: & ex conſequenti efficiens pariter impoſſibilem ſub eo ſtatu prædictum ſacrificationis modum.

Si ſecundum: nihil ſacrificaret, ſive nihil illius corporis immutaret per actionem conſtitutivam ejuſdem ſub eo ſtatu: quoniam actio, quæ non præſupponit vivum ullo modo corpus, nequit ſacrificare ipſius vitam; cum ſacrificare animal, ſit vitam ſeparare à corpore; vita autem, quæ nondum eſt, non ſeparatur, nec ejus ſacrificatio intendi poteſt, niſi ſtultè, per operationem aliquam. Sed ad ſummum eo tendere poſſet, ut impediret eam, alioqui venturam, quatenus ponit ſubjectum in exiſtendi modo, in quo vitam habere non poſſit, licet ex ſe ſit illius capax, & illam appetens: quod uti ad verum, & ſtrictum homicidium non ſufficit in procurante abortum, nondum animato fœtu, ut habetur in cap. *Sicut ex Literarum* 20. de Homicidio, & in cap. *Quod vero* 8. cauſa 32. qu. 2. Quamquam Tertullianus in Apol. cap. 3. dixerit ob affinitatem, aut ſimilitudinem utriuſque delicti: *Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: natam quis eripiet animam, aut diſturbet naſcentem; homo eſt, qui futurus eſt.* Sic, nec verè, & ſtrictè mactat, aut aufert in toto rigore vitam, qui illam in ſubjecto non ſupponit actu præexiſtentem. Immo per illam actionem conferret potiùs illi corpori modum aliquem exiſtendi, qui tametſi caducus nimium, & celerrimè deſinens, eſt tamen longè æſtimabilior carentia omnis ſimpliciter exiſtentiæ, cum nullam per ſe ſupponeret productio illius. Quis enim dicat, Ephemeron accipere à natura injuriam, per hoc quod ab ipſa obtinuerit vitam Euro fugienti ocyorem, aut conſimilem? (de quo Ariſtotel. lib. 5. Animal.) Ecquis in rigore philoſophico naturam immolare dicat fœtum naſcentem, licet cum gemitu victimæ editum in lucem protinus obſcurandam?

§. II.

Nu. 28. ULTIMA opinio modo florens (aliis minoris notæ prætermiſſis, & revera jam expugnatis, quia in præcedentium viſceribus incluſis) ultima etiam veluti appellatione, recurrit ad ſumptionem Euchariſtiæ, per quam deſtruitur præſentia realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus: aptiſſimamque proinde illam cenſet, & neceſſariam ſimul ad ſacrificium conſtituendum quatenus importat realem tranſmutationem victimæ per conſecrationem poſitæ ſub accidentibus, oblatæque; nondum tamen mactatæ, donec à Sacerdote per ſumptionem utriuſque ſpeciei conſumetur. Quoniam deſinet tunc, conſumptis ſpeciebus, præſentia Sacramentalis (quinimo Tamburinus ſolam alligationem Corporis Chriſti Domini ad ſpecies, ex ſe corruptibiles, & quibus pereuntibus, deſinat eſſe ibi, reputat ſufficiens ad verum ſacrificium, etiam ante illarum deſtructionem). Diſſident tamen ejus Patroni, quà parte nonnulli contendunt, illam eſſe adæquatum conſtitutivum ſacrificii, ſacrificatione ſe habente præſuppoſitivè duntaxat, ut præparante materiam, aut victimam ſacrificio; quorum aliqui opinantur, conſecrationem eſſe pariter conſtitutivum eſſentiale intrinſecum, & non merè prærequiſitam eſſentialiter ad inſtar intentionis Miniſtri: adjungentes nihilominus, ſumptionem eſſe potiſſimum prædicatum, & veluti in recto conſtitutivum in ratione formali propria ſacrificii. Alii verò, & frequentiùs, utramque dicunt eſſentiale conſtitutivum ſacrificii; ita tamen ut conſecratio ſit præcipuum, vel ſaltem ex æquo cum ſumptione conſtituat. Primum, ſive ex integro, ſive quoad potiores partes tuentur Gabriel lect. 26. in Can. Ledeſma 1. p. Quarti quæſt. 23. art. 4. Sotus diſt. 13. qu. 1. art. 6. & 8. Bellarm. lib. 5. qui eſt primus de Miſſa cap. ultimo, Nugnus qu. 83. art. 1. Difficult. 10. Joannes de Cruce in

Di-

Directorio de ſacrificio Miſſæ, Ekius lib. 3. de ſacrificio Miſſæ, & Juniores alii, quos referunt Salmanticenſes Tract. 13. diſp. 13. dub. 2. §. 4. Adducentes Divum Thomam quæſt. 80. artic. 12. ad 3. & 2. 2. quæſt. 85. art. 3, ad 3. . Secundum verò detentores numerat quamplurimos, & egregios, Alexandrum quæſt. 11. memb. 2. art. 4. Cano lib. 12. cap. 13. Scortiam lib. 1. cap. 5. Clictovæum lib. 2. contra Lutherum, Ruardum Taper, Henriquez, Toletum, Prado, Arauxo, Azor, Reginaldum, Leſſium, qui eam tenet tamquam valde probabilem quæſt. 83. art. 1. dub. 6. num. 33.: Turrianum lib. de conſt. Apoſt. cap. 14. Tiletanum in Apolog. cap. 15. Averſam, Gobat, Fagundez, Villalobos Martinon. Gavatium, Salmanticenſes, & Recentes alios. Sunt aliqui, qui cum Cardin. de Lugo, & Henao cenſent, ſumptionem eſſe quidem partem ſubſtantialem ſacrificii; cæterum non eſſentialem, ſed nudè integralem, ita ille diſput. 19. ſect. 5. quod reipſa ſenſere plerunque allegati pro ſecunda opinione; quin & Alexander de Ales ubi ſupra nihil aliud præter purum complementum ſacrificii agnoſcit in ſumptione. Recenſenda ulterius venit tertia ſententia quorumdam, ajentium, ſumptionem eſſe partem eſſentialem jugis ſacrificii, ſecundum quod eſt holocauſtum, non verò ſecundum quod ſimpliciter ſacrificium, quorum mentem promovet P. Ulloa laudata diſp. 8. num. 18. Sumptionem verò abſolutè; & omni modo excludunt à conſtitutione ſacrificii cum Div. Thoma mox recenſendo; & Doctore Seraphico in 4. diſtinct. 1[illegible] art. 1. quæſt. 4. reliqui Theologi prope omnes Alanus. Doctor Eximius, Vaſquez. Catherinus, Mçratius, Serra, Gonet, Bernal, Bolanus. Caſtropalao, Granados, Gaſpar Hurtadus, Tannerus, Rhodes, Coninch. Filliucius, Platelius, Caſpenſis, Ochogavia, Decaſtillo, Palacios, Henao, Leander &c.. Qui, præſertim Vaſquez diſput. 222. cap. 5. ea Patrum Eccleſiæ monumenta producunt, eaque dilucida terminorum proprietate expreſſa, ut duriſſimum appareat ab eorum mente recedere; uti violentum, ea in alium ſenſum detorquere: & non tutum eadem negligere. Ne tamen improbo labore illa tranſcribamus, Lectorem remittimus ad præallegatum P. Vaſquez, alioſque ex laudatis, libaturi duntaxat opportuniora, vel minùs frequenter ponderata, vel incautè prætermiſſa.

Num. 29. Et ſanè verba Concilii Toletani 12. quæ habentur in cap. *Relatum* 11. de Conſecrat. diſt. 2. adeò apertè diſtinguunt conceptum ſacrificii altaris à conceptu ſumptionis, ut ægerrimè poſſis uſurpare ibi ſacrificium inadæquatè, aut incompletè, quà de illo, ut à ſumptione diſtincto loquitur: ſupponit namque pleno jure ſacrificaſſe eos, quos reprehendit: *Quòd non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumpſerint, quot ſacrificia in uno die videntur offerre .... quaſi non ſit totiès illi vero, & ſingulari ſacrificio participandum, quotiès Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti immolatio facta conſtiterit*. Cujus decreti vires ſolidè, ineluctabilitèrque, & ſtrenuè librat Doctor Eximius Diſput. 75. ſect. 5. & P. Ulloa ſupra, futileſque evaſiones, aut redargutionis vias præcludens. Jam verò D. Thomas pluribus in locis clariſſimè docuit hanc ſententiam, nam 3. p. qu. 82. art. 4. ad ſecundum ait: *Undè nec in hoc Sacramento Sacerdos conſecrat ſeipſum, ſed panem, & vinum, in qua conſecratione perficitur Sacramentum: uſus autem Sacramenti eſt conſequentèr ſe habens ad hoc Sacramentum*. Quamvis enim ſolùm exprimant verba hæc *Sacramentum*, manifeſtè diſputant ſimul re ipſa de Sacrificio, ut liquet ex eis, quæ ibidem dixerat in corpore articuli. Et cum, juxtà modum loquendi frequentiſſimum apud ipſum, conficere Sacramentum Euchariſtiæ, ſit ſacrificium Deo offerre, ut ex eadem quæſt. ar. 10. conſtat, ubi ad primum inquit: *Hoc Sacramentum perficitur in conſecratione Euchariſtiæ, in qua ſacrificium Deo offertur*. Et in corpore ejuſdem ar. 10. dixerat: *Opportunitas autem ſacrificium offerendi, non ſolùm attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari; ſed principalitèr per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti ſacrificium offertur*. Ex mente igitur D. Thomæ hic, ſicut conſecratione perficitur Sacramentum, ita conſecratione perficitur Sacrificium. Sed ad conficiendum Sacramentum nullo modo concurrit ſumptio illius; cum juxta D. Thomam, & Theologiam univerſam, ſumptio ſit uſus Sacramenti ex integro peracti. Ergo nec quà ſacrificium conſtituitur eſſentialiter per ſumptionem.

Prætereà ſcopus D. Thomæ in præfato ar. 10. erat, oſtendere Sacerdotem teneri ad ſacrificandum aliquotiès in anno, tametſi curam animarum injunctam non habeat. Objectio autem prima, cui ſatisfacit, contendebat, Sacerdotem non teneri ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ, niſi quatenùs ex officio debeat diſtribuere Fidelibus: ſubindèque illum, qui non ſit obligatus ex officio ad illud diſtribuendum, non obligari ad celebrandum. Cui difficultati occurrit S. Thomas verbis productis; quibus docet, obligationem Sacerdotis non dimetiendam eſſe tantùm per comparationem ad fideles, curamque injunctam eorumdem; ſed etiam per comparationem ad Deum, qui ſacrificio jugi tamquam perfectiſſimo, & ſupremo actu religionis colitur: & ex hoc capite urget obligatio Sacerdotem, radicata in caractere Sacerdotali. Hæc autem ratio claudicaret nimis, ſi ſacrificium, juxtà Divi Thomæ ſententiam conſtitueretur eſſentialitèr ex ſumptione, tanquam ex conſtitutivo, vel adæquato, vel partiali; quoniam uſus ille Sacramenti non reſpicit per ſe primò, & ex natura ſua Dei cultum, ſed Sacerdotis ſumen-

mentis utilitatem; ad quam percipiendam; licèt teneretur aliundè, non idcircò tamen debuiſſet per ſe celebrare, ſed ab alio Sacerdote celebrante Euchariſtiam recipere. Quin ſufficiat reſpondere, conſecrationem eſſe partiale conſtitutivum; quia dummodò non ſit completa eſſentialitèr ſacrificatio, nondùm adeſt ſacrificium illud, quo Deus ſummè colitur: ſicut animalitate ſola, quæ fingeretur præexiſtens tempore, nondùm adeſſet homo, quouſque adveniret rationalitas. Deindè D. Thom. in ea q. 42. ar. 4. contendebat, eum, qui celebrat, teneri ad ſumendum corpus, & ſanguinem Domini: ad hunc autem finem demonſtrandum neceſſariò ſupponit Divus Thomas peractum eſſentialitèr, & perfectè ſacrificium ante ſumptionem, eodem modo, ac Sacramentum.

Ratio eſt perſpicua: quoniam Sanctus Doctor in prædicto loco eam obligationem evincit ex Concilio Toletano II. ex verbis Apoſt. 1. Corint. 10. ex Auguſt. lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. ex S. Dionyſ. de Eccleſ. Hier. arguitque ſic: *Euchariſtia non ſolùm eſt Sacramentum, ſed Sacrificium. Quicunque autem Sacrificium offert, debet Sacrificii fieri particeps &c.* Si autem apud D. Thomam Sacrificium includeret eſſentialitèr uſum, ſive participationem rei oblatæ, efficeret reverà hunc ſenſum ejus argumentatio: quicunque conſecrat, & fit particeps Sacrificii, debet fieri particeps Sacrificii; quo nihil ineptiùs, & à Theologorum Principe magis alienum. Similitèrque præcipere uſum veri Sacrificii, quod S. Thomas ibidem oſtendit, eſſe præceptum, foret idem, ac præcipere ei, qui ſupponitur jam actu communicans, ut communicaret. Si autem dixeris: tam à Divo Thoma, quàm à Concilio uſurpari ibi ſacrificium pro conſecratione, tametſi inadæquatè ſolùm illud conſtituat, quia eſt primum, tempore ſaltèm, conſtitutivum; loquendi improprietatem D. Thomæ imponis, & voluntariè id fingis; præſertim dum Scholaſtico more rem ſubjectam diſcutit. Inſupèr falſificas argumentum, aut rationem ipſius, tum Conclii Toletani (quæ ex Apoſtolo deſumitur); quandoquidem ideo affirmant, teneri Sacerdotem celebrantem ad communicandum, quia ſacrificavit, & propterea debet eſſe particeps ſacrificii; ſi autem ſacrificium includat eſſentialiter, ut conſtitutivum communionem Sacerdotis, ultra conſecrationem, nequit obligari ad uſum illius, quia ſacrificavit, ſed ut ſacrificet, vel ad ſummum, quia ſacrificare cæpit, & tenetur ad perficiendum opus Divinum: non quia particeps eſſe debet ſacrificii, qui ſacrificat, ſed quia veluti ex decoro rei ſacræ ſemel inchoatæ ultimam manum Sacerdotis ex præcepto expoſcit. Qui titulus eſt planè diverſus ab eo, quæ ex Apoſtolo, & Patribus invehit S. Thomas, ut ex illo ſubinſerat obligationem participandi de re oblata, ſacrificataque. Hæc revera pondus habent, & rationis, & auctoritatis, & lucis.

Num. 30. Hinc autem deſumo argumentum efficax ab abſurdo: quoniam ubi ſemel admittendum foret, nullatenus reperiri ſacrificium altaris ante uſum, niſi inchoatè ſolùm, & partialiter, panderetur lata janua, & via Kemnitio, & aliis Lutheranis quamplurimis firmandi errorem illum turpiſſimum, quo inficiantur præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini præcedenter ad illius uſum; adeoque permanentem minimè eſſe, audaciſſimè pronuntiant. Ubi namque audierint, Theologos Romanos dicentes, ſacrificium incruentum nullatenus perfici, niſi in ipſa communione, uſuque; protinus inſurgent, anſam inde arripientes ad ſuam hæreſim tenaciùs retinendam. Quamvis namque manifeſtum ſit, actionem ſacrificandi ex natura ſua eſſe tranſeuntem, proindeque ſacrificium ex ſe non eſſe permanens, ut eſt Sacramentum apud doctrinam fidei; quoniam Corpus, & Sanguis Domini, utpote conſiſtentis naturæ permanere poſſunt; cæterum ſi ſemel ſacrificatio illa non perficiatur, nec verè immolet, aut immutet Hoſtiam, niſi dum actu per ſumptionem, Corpus ipſum Domini & Sanguis immutentur realiter modo intento ab Authoribus hujus opinionis: cum aliunde Sacramentum conficiatur, juxta placitum commune per ſacrificationem, ſeu actionem ſacrificativam, colligent exinde, ſpecioſa ſatis, & non prorſus inermi illatione, neutiquam exiſtere actu Sacramentum Euchariſtiæ niſi in actione ipſa communicandi; etiamſi Corpus Chriſti Domini ex ſe (uti & Sanguis) capax ſit permanendi. Siquidem poſt uſum illius ſpecierumque deſtructionem exiſtere nequit Sacramentaliter ſub ipſis.

Urgebunt: terminus ſacrificationis eſt formaliter res in Dei honorem ſacrificata, quæque ipſi offertur: ſed res ſacrificata, oblataque, eſt Corpus, & Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus; & aliunde in his conſiſtit formaliter Sacramentum Euchariſtiæ. Ergo, ſi fatendum ſit ſacrificationem illam nullatenus reperiri eſſentialiter conſtitutam, actuque exiſtentem, niſi dum accidentia manducantur: à fortiori dicendum erit, non reperiri ſacramentum Euchariſtię, nec præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Domini niſi in ipſa actuale ſumptione; cum apud Theologos paſſim, conſecratio ſit ſacrificatio ipſa. Hæc dicta ſint ab abſurdo occaſione authoritatis D. Thomæ prælaudata quæſt. 82., uti & qu. 83. art. 4. in qua Sacras Miſſæ cæremonias raptim exponens, Corpore, & loquens de Sacerdote, ait: *Quartò petit hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum, cum dicit: ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris.* Hæc autem dicuntur poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei. Ergo per illam, vel multò ante ſumptionem ſupponit D. Thomas,

& præ-

& præſupponit Eccleſia Sancta, peractum ſacrificium, adeoque plenè conſtitutum. Violenter enim diceres cum Salmanticenſibus, per ſacrificium intelligere ibi D. Thomam rem oblatam, Corpus ſcilicet, & Sanguinem Chriſti Domini jam realiter præſentia; vel ſi intelligat ſacrificium, ſermonem inſtituere de illo non ut jam peracto, ſed nunc pro tunc, quando per ſumptionem fuerit planè confectum. Quamquam enim interdum accipiatur ſacrificium pro re oblata, in verbis tamen productis nequit habere locum acceptio hæc: tum quia immediatè addit S. Thomas: *Quia petit hujus ſacrificii, & Sacramenti effectum*. Ubi diſtinguit utrunque, & utrumque peractum ſupponit; non tamen ſupponit effectum utriuſque (qui non ſit ex opere operato ſacrificii jam peracti); quia non ſupponit illum ex integro, qui ex opere operantis acquiritur, nec eum qui per communionem dignam habetur. Tum quia ita acceptum eſſe petit tunc juge ſacrificium, ſicut fuit illud Abrahæ, & Melchiſedech: *Sanctum ſacrificium, immaculatam Hoſtiam*. Utrunque diſtinctè comprehendens: & quamquam munera Abel recenſeat quoque, & in exemplum adducat; alludit tamen ad verba Geneſis 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*, adeoque adeſt ſolidum fundamentum tum ad ſentiendum, Eccleſiam uſurpare ibi munera Abel prout oblata per juſtum offerentem, & ex conſequenti ſacrificantem, itaut munera accipiantur reduplicativè, quia oblata per ſacrificium, aut quà ſacrificata.

Secunda verò Interpretatio, violentiſſima undique, confutatione non indiget, ſeipſa enim cadit, uti & corruit verbis immediatè ſequentibus D. Thomæ nuper relatis, utrunque diſtinguentibus. Fallit præterea dum ſenſim innuit, non tantùm confuſa, ſed & rudi Minerva locutum D. Thomam, cum ſacrificium peragendum poſtea in ſumptione explicat per hæc verba: *Petit hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum*, per verbum de præterito, & de præſenti exponens ſacrificium futurum. Tandem pronomen *hoc* cum verbo de præſenti, aut recens præterito, ſacrificio additum, expreſsè ſignificat ſacrificium nuper confectum, ejuſque præſentem acceptionem expoſcit, ſubindeque non ſacrificium peragendum deinceps: atteſtante ipſo Divo Thoma 3. part. qu. 78. art. 6. dum inquit: in ſimili: *Ad veritatem hujus locutionis: hoc eſt corpus meum, præſens verbum præſentis temporis requiritur, quod res ſignificata ſimul tempore ſit cum ipſa ſignificatione locutionis: alioqui, ſi in futurum expectaretur res ſignificata, apponeretur verbum futuri temporis: non autem præſentis*. Et idem prorſus eſt à fortiori de verbo temporis præteriti, quamquam præteriti recentiſſimè. Neque hærendum nobis diutius in reflexionibus hujus naturæ amovendis, nec minuta, & cuique obvia detinere debent currentem, effuſumque.

Num. 31. Moveor ſecundò: quoniam in ſumptione reperiuntur activum, & paſſivum, actio videlicet, qua Sacerdos applicat ſibi ipſi materiam conſecratam: & ipſa paſſiva ſuſceptio illius. At nec utraque, nec alterutra ſpectat adæquatè, vel inadæquate ad ſacrificium. Ergo &c. Minor ſtabilitur univerſim primò, deinde ſigillatim. Porro Chriſtus Dominus inſtituens ſacrificium incruentum in Cœna noviſſima, uti inſtituit hoc Sacramentum, debuit neceſſariò Sponſę ſuę Eccleſiæ relinquere determinata ſufficienter eſſentialia conſtitutiva ſacrificii, quemadmodum reliquit materiam determinatam, & verba proferenda eſſentialiter requiſita ad Sacramentum conficiendum; quæque ab Evangeliſtis deſcriberentur, ſicuti deſcripta, & narrata ſunt, quæ ad Euchariſtiam, quà Sacramentum eſt pertinent, ſin aliter omiſſio illa occaſionem aberrandi ab ejus voluntate inſtituente ſacrificium dediſſet apertiſſimam: arguereturque defectus Providentiæ erga ſuam Eccleſiam, & ſanè in ordine ad primum & nobilius ipſius diſtinctivum, aut inſigne, quo Deum per ſacrificium ſummè perfectum colit. Anſa hæreticis daretur repellendi verum ſacrificium à lege gratiæ. Non enim conſtitutiva illa reliquit determinationi ejuſdem Eccleſiæ, cum ipſe ſacrificaverit, volueritque, Eccleſiam, juxta illius normam, & exemplar conficere in futurum juge ſacrificium. Et aliunde nullo pacto nobis conſtat ex Evangeliſtis, traditione, aut definitione ulla, Chriſtum Dominum ſumpſiſſe Corpus, & Sanguinem ſuum in nocte, & nihilominus celebravit verum ſacrificium incruentum, ut credimus fide Divina. Ergo quia ſumptio non eſt prædicatum eſſentiale jugis ſacrificii. Neque ſufficit doctrina communiter probata à Theologis, tametſi illam eruere conentur ex quibuſdam Evangeliſtarum verbis, ſuadens ſumptionem illam; quandoquidem S. Thomas 3. part. qu. 81. art. 1. refert Doctores aliquos dicentes: *Quod Chriſtus in Cœna Corpus, & Sanguinem ſuum Diſcipulis tradidit, non tamen ipſe ſumpſit*. Et licet oppoſitam tueatur ibidem S. Thomas, ut probabiliorem; neutiquam tamen ut certam. Unde Eximius Suarez in Commentario illius articuli adjungit; *non eſt enim hæc aſſertio certa, cum neque in Scriptura, nec certa traditione, aut definitione habeatur, & ideò meritò D. Thomas ſolùm ut probabilem eam proponit*.

Præterea, quamvis ea modò ſit prorſus tenenda, dummodo tamen non fuerit nobis relicta in Evangelio, nec ex Apoſtolica traditione habita (licet ex traditione Apoſtolica conſtet, reliquos Sacerdotes ſeipſos communicare, ut docet Trident. ſeſs. 13. cap. 8.), urget ſemper, & pungit redargutio inſinuata, quod nimirum parùm credibile appareat, Chriſtum Dominum non deſignaſſe, determinatèque docuiſſe conſtitutiva eſſentialia unici, ſummi, & ineffabilis

fabilis

ſabilis ſacrificii, quod eidem Eccleſiæ ad Deum religioſiſſimè colendum, ſuique ſacrificii cruenti commemorationem relinquebat. Neque infirmatur diſcurſus hic per hoc, quòd nec expreſsè referatur in Evangelio, Chriſtum Dominum in ea nocte ſacrificaſſe, licet conſtet, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe; adeoque conſtare neutiquam poſſe de conſtitutivis ſacrificii. Siquidem per hoc, quòd corpus, & ſanguinem ſuum per verba conſecrationis ſub ſpeciebus panis, & vini conſtituerit, tamquam Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, manifeſtè colligebatur, cum id feciſſe in honorem Patris, cultumque perpetuum Dei per Sacerdotes, quos conſtituebat, eorumque ſucceſſores jugiter iterandum: & conſequenter manifeſtè deducebatur, quin & in proſpectu erat, illum ſacrificare. Cum autem id feciſſe conſtet ex Evangelio; non conſtet autem, illum ſumpſiſſe ſuum corpus, & ſanguinem (etiamſi aliunde id verum ſit); idcirco arguimus eſſentiam completam ſacrificii adeſse omninò ante ſumptionem, ſive conſiſtat in conſecratione ipſa, ſive in alia actione ex eis, quas, Chriſtum Dominum elicuiſſe tunc, referunt Evangeliſtæ. Potuit enim multa levioris momenti relinquere Chriſtus Dominus diſpoſitioni Eccleſiæ Sanctæ, ſuiſque in terris Vicariis; cæterum præcipua illa, quæ per ſe conſtituunt auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & ſacrificium; dum ab ipſo non tantùm inſtituebatur utrumque; ſed ab eodem ut ſummo Sacerdote peragebatur, dumque præcipiebat Apoſtolis, ut in poſterum conficerent, ſicuti viderant ipſum celebrantem; neceſſitate omnimoda tenendum eſt, ab ipſo fuiſſe deſignata, uti proculdubio fuere exercita. Hinc fit, quòd licet compertum nobis ſit, teneri Sacerdotem ad communicandum; non ſatis tamen conſtat inter Scholaſticos, ſit, ne, juris Divini, an potiùs humani, illud præceptum: ſcimus vincula innexa Sacerdotibus; ignoramus, qua manu. Profectò conſtituere ſacrificium Chriſtianæ Religionis actu exercito peractum à ſummo Sacerdote noſtro in exemplar, juxta quod celebrari in Eccleſia præcipiebat; & illud eſſe conſtitutum eſſentialiter per functionem aliquam, quam nec ſcripto, nec traditione conſtet elicuiſſe ſupremum Sacerdotem inſtituentem, & celebrantem; de qua altum ſilentium apud Evangeliſtas omnes, æque profundum apud Apoſtolum Gentium, dum ſublimia arcana hæc ſibi revelata teſtatur, & profitetur, & in qua demum traditio pariter obmutuerit, eſſe poteſt à compluribus probatum; mihi autem non videtur ſatis tutum, nec providentia Inſtitutoris primò conficientis dignum.

Num. 32. Aliter, & generatim etiam probatur: quoniam Neomyſtæ, dum ad ſacrum Presbyteratus ordinem ſublimantur, verè celebrant unà cum Epiſcopo, à quo initiantur, ut liquet, vel ex ipſo Pontificali Romano Clement. VIII. *Presbyteri ante communionem non dicunt confeſſionem, nec datur eis abſolutio, quia concelebrant Pontifici*; concelebrare autem eſt formaliter celebrare ſimul cum illo. Quamobrem P. Vaſquez, diſp. 221. cap. 6. dixit: *Cum plures Sacerdotes conſecrant hoc Sacramentum, ad quemlibet illorum perinde pertinet applicatio illius, ac ſi ſolus eſſet; ea quod unuſquiſque eorum verè conſecrat, non ut partialis, ut ajunt, cauſa, ſed ut totalis*. Eamdem doctrinam tradiderat Innoc. III. lib. 4. Myſteriorum Miſſæ cap. 25. Doct. Eximius diſp. 79. quibus ſubſcripſere Mæratius, Gaſpar Hurtadus, Wigers, Granados, Martinon. Henao, & alii ſæpiſſimè: poſſetque unuſquiſque accipere ſtipendium, ſi foret certus de conſecratione ab ipſo facta, ſive de prolatione verborum eodem planè inſtanti, quo conſecrat Epiſcopus, vel priùſquam ab alio fuerint ex integro prolata. Cum enim conſecratio, intentio, & reliquæ functiones uniuſcujuſque ſint numero diſtinctæ ab aliis, neceſſariò ſacrificium cujuslibet eſt, veluti numero ſecundum quid diſtinctum; etiamſi Hoſtia ſit eadem numero (eo quòd Corpus, & Sanguis, quæ ſunt hoſtia potiſſima in omni ſacrificio incruento ſint prorſus eadem; accidentia verò ita conſtituunt, ut de materiali pœnitus ſe habeat, quòd ſint eadem numero vel diſtincta, uti & ſubſtantiæ deſinentes).

Nec refert quidquam, quòd in pervetuſto Pontificali Romano, ut refert Sotus, monebantur Neomyſtæ: *Dicant omnia, quæ ſunt in Miſſali, ſicut ſi celebrarent*; ſiquidem hoc potiùs firmat communem ſenſum; cum eſſet idem, ac monere, ut ſe gerant perinde ac ſi ſeorſim ab aliis celebrarent. Præterquamquod illa verba expuncta fuerint à Pontificali Innocentii VIII., & à poſteriori Clementis VIII. Et nihilominus Neomyſtæ non communicant ſub utraque ſpecie, ſed ſub ſpeciebus panis duntaxat; cum aliunde exploratum ſit inter oppoſitæ ſententiæ, quam expugnamus, Theologos, ſumptionem utriuſque ſpeciei poſtulari eſſentialiter ad conſtituendum ſacrificium, ajente Divo Thoma qu. 82. art. 4. *Neceſſe eſt, quòd Sacerdos, quotieſcunque conſecrat, ſumat integrè hoc Sacramentum*. Quam neceſſitatem illi (quamquam falsò) ſignificare credunt conſtitutivum eſſentiale. Reſtarent igitur inchoata, imperfectaque eſſentialiter totidem ſacrificia, quot ſunt Neomyſtæ; & quidem ex Eccleſiæ Sanctæ diſpoſitione (ſi contingat, ut poſſibile eſt, omnes eodem tempore, proindeque verè conſecraſſe), quòd abſurdiſſimè concederetur. Ergo ſumptio Euchariſtiæ eſt planè extra prædicata omnia ſacrificio eſſentialia, & intrinſeca.

Confirmatur ex Innocent. I. cap. 25. dicente: *Conſueverint Presbyteri Cardinales Romanum circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare*. (Qui uſus in deſuetudinem abiit): & in Eccleſia Orientali viget adhùc mos hic; eandemque Miſſam celebrant ſæpè

unà plures Sacerdotes, præſertim Epiſcopo celebrante, ut in feſtis ſolemnioribus: uti notant Cardin. de Lugo, & Bona, Henao, & Joannes Morinus libr. de Sacr. Ordin. par. 3. exercit. 8. idque ipſum ſervatum fuiſſe olim in Eccleſia Latina, conſtat ex Conſtit. Apoſtolic. lib. 8. ex Concilio I. Toletano, ex Chalcedon. ex Arvernenſi, ex Sancto Athanaſio Apolog. 2. pro fuga, ex Innoc. III. ex Evagrio, Nicephoro, & aliis. Et tamen non omnes concelebrantes communicabant, ut animadvertit Cardin. de Lugo diſp. 11. ſect. 8. Ergo aut ſumptio non eſt prædicatum eſſentiale ſacrificii; aut illi imperfectum eſſentialiter relinquebant ipſum, omni debito, & jure perficiendum: & ſanè conſentiente, & cum ipſis celebrante Chriſti Domini Vicario; quod nefas eſſet imaginari, & temerarium aſſeruiſſe.

Confirmatur ſecundò: quoniam ſumptionem à celebrante factam non eſſe jure Divino præceptam, ſed Eccleſiaſtico docent Eximius Doctor diſp. 75. ſect. 5. Cardin. de Lugo ea diſp. 11. Henriquez lib. 9. de Sacrif. Fagundez, Henao diſp. 15. ſect. 1. num. 17. (quamquam nos ab ejus veritate præſcindamus, ſolùmque ex illa, ut à Theologis paſſim tradita arguimus). Et re vera illam non obſcurè innuere videtur D. Thomas 3. par. qu. 82. art. 4. ad 3. ubi docet, quòd ſi peracta conſecratione appareat miraculosè Corpus Chriſti Domini, & Sanguis viſibiliter in ſpeciebus v. g. *non eſſe ſumendum*. Idque probat authoritate S. Hieron., adjungitque: *Conſulendum tamen eſſet Sacerdoti, quòd iteratò Corpus, & Sanguinem Domini conſecraret, & ſumeret*. Si autem id jure divino præceptum foret, non jam ſolùm conſulendum eſſet, ſed omninò ipſi intimandum. Et licet ex præfato conſilio ſequatur, Sacerdotem bis ſacrificaturum, juxta principia tunc opinioni contradicentia. Cum tamen præceptum ſemel tantum in die ſacrificandi ſit Eccleſiaſticum; participare verò de ſacrificio, vel ſit juris divini, juxtà Adverſarios, vel præceptum poſitivum primò illo validius, & univerſalius, ideo cedit primum ſecundo tanquam nobiliori. Quin & in legis antiquæ præcipuo ſacrificio, Holocauſto ſcilicet, nihil ipſius in Sacerdotis uſum cedebat, ſed totum comburebatur, ut notum eſt, & explicat Sanctus Thomas 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 10. *Et nihil ex eo comedebatur*. Ex quo deducitur, nullatenus eſſe de conceptu formali ſacrificii, etiam perfectiſſimi, ſumptionem partis victimæ à Sacerdotibus exercendam; vel ſi adſit præceptum Divinum, non ideo urget Sacerdotem, quia aliter ſacrificium non compleret eſſentialiter; ſed quia debet aliunde fieri particeps ſacrificii, ſive rei oblatæ; quia non ſolùm eſt ſacrificium, verum & Sacramentum participandum. Quod infert ex verbis Apoſtoli 1. Corint. 10. Eximius Doctor.

Neque verba illa Concilii Toletani XII. *nale erit ſacrificium, cujus neque ipſe Sacerdos particeps eſſe dignoſcitur?* Ut habetur in cap. *Relatum* de conſecr. diſt. 2; quidpiam aliud evincunt, quàm adeſſe præceptum Eccleſiaſticum ſumptionis: maximè cum apertè ibi ſupponat, ſacrificia verè confecta, tametſi ſumptio defuerit. Neque Tridentinum ea ſeſs. 13. contrarium docuit, dum affirmat, morem hunc Sacerdotum communicandi, dum celebrant, ex Apoſtolica traditione manaſſe; cum id denotet ſolùm præceptum Eccleſiæ, ut reſpondent, qui præceptum Divinum inſiciantur; alioqui & elevatio, fractio, orationis Dominicæ prolatio, & id genus functiones aliæ, ſupponerent jus divinum præcipiens indiſpenſabiliter, cum ex traditione pariter deſcendant ad nos. Vel docet tantùm, id honeſtiſſimè fieri, non tamen ex Divina juſſione exerceri (etiamſi debeat ex præcepto Eccleſiæ). Legatur Doctor Eximius ea ſect. 5. Prohibet tamen jus divinum, ne ſacrificium remaneat imperfectum: & quia ſacrificium eſſentialiter importat conſecrationem ſub utraque ſpecie, vetat Lex divina conſecrationem ſub alterutra tantum, ut ex Divo Thoma probat Theologia inconcuſſa; ita ut ex limpidiſſimo fonte manans ſit illicita, etiamſi valide proferatur à Sacerdote, qui abutitur poteſtate, & caractere, ſitque inſtrumentum Diaboli in illo ipſo, in quo eſt Miniſter Chriſti Domini.

Num. 33. Sigillatim verò probatur: & primò ſumptionem activè ſumptam ab ipſomet Sacerdote factam non conſtituere ſacrificium, patet clariſſimè ex nuper relatis. Nanque Epiſcopo, qui conſecratur, porrigit Corpus Domini conſecrans. Idque fecitſe Pontificem Romanum, dum Cardinales Presbyteri unâ cum ipſo celebrabant, teſtis eſt locupletiſſimus Innoc. III. ubi ſupra, dum adjungit: *Cumque conſummatum eſt ſacrificium, de manu ejus communionem accipiunt*. (Cardinales concelebrantes): unde nullam aliam activitatem habebant præter illam Laicis communem, dum illis viritim diſtribuuntur deglutiendæ ſpecies ori admotæ à Sacerdote. Et tamen Epiſcopus, qui conſecratur, uti & Presbyteri Cardinales, qui tunc concelebrabant, verè, & ſtrictè ſacrificabant; ita ut unuſquiſque ſuum numero diſtinctum ſacrificium, in ratione talis, conficeret, ut oſtenſum eſt; quamvis hoſtia ſit eadem numero, etiam pœnes ſpecies. Uti foret ſi eadem numero Hoſtia nondum conſecrata bilocaretur in duplici altari, & in utroque à duplici Sacerdote eodem temporis momento conſecraretur; in quo eventu nihilominus adeſſent duo ſacrificia numericè ob ſacrificationes numero diſtinctas, juxta communem Theologorum ſenſum (in quo loquimur). Ulterius ſi Sacerdos celebrans, poſt conſecrationem ſtupore aliquo ſubitaneo, aut morbo alio corripiatur, quin movere poſſit manum, debet nihilominus à Sacerdote ejus defectum ſupplente (phyſicè diſtincto, tametſi ejus nomine perficiente

ſacrum) recipere, ſi poſſit, Corpus & Sanguinem Chriſti Domini: & ſanè contingere poteſt, ut ita ſit diſpoſitus, ut ſanguis quidem potius ipſi inſtilletur, quam ab eodem per concurſum aliquem activum hauriatur. In quibus eventibus invenitur verum, & proprium ſacrificium abſque eo, quod Sacerdos activè miniſtret ſibi ipſi Euchariſtiam. Sumptio igitur activè ſumpta non eſt eſſentiale conſtitutivum jugis ſacrificii.

Pariter eſſe nequit conſtitutiva eſſentialiter ſacrificii ſumptio paſſivè accepta: tum quia in ea ratione convenit univocè cum laicali in ſumptione Hoſtiæ, & conſimiliter in hauſtu Calicis, dum ſub utraque ſpecie communicarent Laici: vel perinde ſe habet Sacerdos ita ſumens Euchariſtiam, ac dum non celebrat, & panem cœleſtem recipit; atque adeo nequit ſub ea conſideratione ſumptio conſtituere ſacrificium. Maximè quia alioqui, cum conſtet, Apoſtolos in ſacrificii prima inſtitutione ſumpſiſſe Corpus, & Sanguinem Domini, dum non conſtat, Sacerdotem ſupremum ſumpſiſſe; Novatores illi, qui Miſſas privatas reſpuunt, confirmari poſſent in errore ſuo hac ſententia: dicerent enim ſumptionem eſſe eſſentialiter conſtitutivam ſacrificii, & ex alia parte conſtare ex Evangeliſtis de communione Apoſtolorum adſtantium in Cœnaculo; nullatenus vero conſtare, quod ſummus Sacerdos guſtaverit ſeipſum. Ex quo inſerrent, repugnare Miſſam privatam, & in qua alii ultra Sacerdotem non ſumant Euchariſtiam. Contra quos agit Trident. ſeſs. 22. Can. 8. Tum etiam quia ſumptio illa quamvis fiat à Sacerdote nomine Eccleſiæ, neutiquam fit nomine ſummi Sacerdotis Chriſti Domini, qui non dicitur per Miniſtrum manducans ſeipſum. Manifeſtum autem videtur eſſe non poſſe ſupremum Sacerdotem actu exercito reſpectu illius ſacrificii, ſi nec per ſe phyſice concurrat ad functiones conſtituentes intrinſecè ſacrificium, quæ exerceri valent à Sacerdote inviſibili, nec illi poſſent attribui moraliter; tametſi concurrat ad unum ex conſtitutivis, aut ei attribuatur moraliter ſtrictè: & licet aliud, nempe ſumptionem inſtitueret, nequit tamen illi attribui moraliter, quod ſumat ſeipſum formali manducatione per ora aliorum. Eſſet enim Sacerdotium illius imperfectum, diminutumque aut mutilum eſſentialiter cum dimentiendum ſit præcipuè per ordinem ad ſacrificium, quod inchoatè duntaxat agere poſſet & partialiter. Multiplici alia via poſſet utraque pars ſeorſim oſtendi; cæterum abſtinendum duximus, quia pervia ſunt nimium, & quia reipſa ſumptio adumbrat potius ſepulturam mactatæ victimæ, quam ejus ſacrificationem. Quapropter S. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum ridens Manichæos, eo quod ſtultiſſimè in omni fructu, & eſca latere Chriſtum ſomniarent, & intra poma ipſa natum crederent, inquit: *ore aperto expectatis, qui inferat Chriſtum tamquam optimæ ſepulturę, faucibus veſtris.*

Num. 34. Repellitur tertio eadem ſententia, & penes utrumque extremum conjunctim: quoniam non alia ratione opinio hæc ita philoſophatur, niſi quatenus putat, extra ſumptionem hanc Hoſtiæ, nullam aliam ejus immolationem realem, ſive immutationem inveniri poſſe in ſacrificio incruento; quam tranſmutationem realem merito credunt ſimpliciter neceſſariam ad propriam ſacrificii rationem. At invenitur alia verè realis, vere includens conceptum mactationis in ſenſu aliquo proprio, & à nemine eo titulo reprobanda, ſi ſemel aſpiret vita Euchariſtica, integro hoc tractatu quæſita, & (ut ſperare juvat) reperta. Ergo &c. Major eſt Adverſariorum doctrina, & fundamentum. Minor ex dicendis ſectione ſequenti plana fiet. Confirmatur ex S. Gregor. Nyſſeno Homil. 1. de Reſurrectione Chriſti ajente: *Cum Corpus ſuum Diſcipulis congregatis edendum prębuit, tunc apertè declaravit Agni ſacrificium jam eſſe perfectum; quia victimę Corpus non eſt idoneum, ſi animatum ſit, ſicut nec Sanguis effectus erat potabilis, niſi per conſecrationem, ſeu poſitionem ſub ſpeciebus vini. Quare cum Corpus edendum, & Sanguinem bibendum dedit, jam victima arcano, & inviſibili modo erat immolata.* Verba profecto, quæ omnem removent ambiguitatem, cum præſupponant integram undique, ſive perfectam victimæ tranſmutationem factam, prius quam ſumatur à celebrante; & aliunde difficultas inveniendi veram realem immutationem Hoſtiæ erat adæquata, vel potiſſima cauſa recurrendi ad ſumptionem. Cadit igitur hæc opinio, deſinente, aut fallente principio, juxta doctrinam apertiſſimam Nyſſeni. Ex qua evidenter inſert Nyſſenus, peractum eſſe ſacrificium ante ſumptionem; cum fuerit ex integro Hoſtia immolata, ac ſubinde ſacrificata. Ex quo rurſus conſequitur, non minus eſſe immolatam realiter particulam, quæ aſſervatur, quam fuerit Hoſtia à Sacerdote ſumpta; cum vera immolatio realis neutiquam fiat per eſum, ſed præcedenter ad illum.

Dices: Nyſſenum loqui de immolatione myſtica, ut liquet, vel ex eo, quod victimam anima privatam ſupponat poſt immolationem, quod ſolum repræſentative, aut myſticè eſſe poteſt verum. Contra, quoniam hoc probaret, Nyſſenum non aliam agnoviſſe mutationem victimæ, quam myſticam, quam adſtruit perfectam antecedenter ad eſum, atque adeo ſumptionem excludere ab immutatione conſtitutiva ſacrificii. Et propterea præſupponit peractum ſacrificium ante ſumptionem. Illam ergo excludit à ſacrificio, & ab immolatione ipſum conſtituente. Agnoſcit tamen Nyſſenus veram realem tranſmutationem arcano, & inviſibili modo exercitam, quam comparat cum mactatione Agni in veteri jugi ſacrificio figurante noſtrum: inſtitutaque ele-

gantiſſimè, & facta comparatione, aut ſimilitudine, docet, quod ſicut in ſacrificio jugi antiquo Agnus non erat idoneus eſui, donec foret per occiſionem deſtitutus vita, animaque: ita in ſacrificio altaris, cujus ille erat typus, victima agnuſque immaculatus non eſt aptus ad eſum, donec ſacrificetur realiter, privatus ſcilicet vita in actu ſecundo juxta noſtra principia. Non enim debet ſimilitudo, aut comparatio conferre neceſſario extrema perfecte æqualia in ratione comparata; dummodo utrumque participet veram rationem, penes quam conferuntur, aut aſſimilantur. Quoniam tamen de re hac; Nyſſenique teſtimonio redire debet opportunior ſermo ſect. 2. & 3. ſuſpendimus hic ulteriorem ejus diſcuſſionem.

Neque rurſus aptè diceres cum Modeſto Gavatio diſp. 1. de ſacrificio Miſsæ qu. 3. num. 157. Nyſsenum intelligere rem oblatam, ſive Sacramentum nomine ſacrificii. Quandoquidem ea acceptione gratis permiſsa, aſseverat, Hoſtiam ſuppoui præcedenter ad ſumptionem perfectè immolatam, immutatamve; ſed nequit victima eſse perfectè immutata, aut mactata, niſi per immolationem, aut immutationem perfectam; & aliunde victimam eſse perfecte immolatam eſt formaliter idem, ac eſse perfectè ſacrificatam; uti & adeſse perfectam immolationem eſt adeſse perfectam victimæ ſacrificationem, etiam apud ipſum, & reliquos hujus opinionis Authores; cum ad eam perfectam mactationem inveniendam, & in illa perfectam ſacrificationem, recurrant ad eſum. Ergo &c.

Arcetur quarto prædicta opinio: quoniam alioqui ſacrificium inquinari poſset, contra quod Malachias prædixit, & Tridentinum declaravit; cum interdum Sacerdotes indignè celebrent, & in ſumptione judicium ſibi manducent, & bibant. Quocirca ſi ejuſmodi ſumptio ſit intrinſeca, & eſsentialis ſacrificio, illâ proculdubio inficitur intrinſece. Ubi notanda differentia inter ſumptionem, & verba ſacrilego ore prolata: hæc enim non conſtituunt intrinſece ſacrificium, ſed cauſant ſacrificationem conſtituentem, quæ eſt actio miraculoſa Divina virtute elicita, & conſequenter impotens contrahendi inhoneſtatem, ſolumque conſtituere poſſunt ſacrificium, quatenus illud reddunt ſenſibile nobis: ad hoc autem ſufficit, quod verba ſeipſis ſint planè ſacra, & veram ſignificationem à Deo habentia, licet eorum prolatio, aut productio (quæ non conſtituit) turpis ſit in eis circunſtantiis. Multa ſiquidem convenire poſſunt ſigno ſenſibili ſacrificii, quæ neutiquam conveniant ipſi ſacrificio, nec illud deceant; tametſi in ratione ſenſibilis conſtituatur per ſignum. Cæterum ſumptio, juxta ſententiam hanc, non conſtituit tantum in ratione ſigni efficientis ſenſibile ſacrificium intrinſecè peractum, ſed inſuper ipſummet ſacrificium intrinſecè, & ſacrificationem, cum ſit mactatio victimæ.

Deinde actio ipſa ſumendi eſt prorſus naturalis, ab eodem ſumente elicita, & ex nullo capite operatio intrinſecè Divina. Ergo ſi illa hic & nunc ſit ſacrilega, & aliunde ſit eſſentialiter conſtitutiva hujus nùmero ſacrificii, illud à fortiori inquinabit. Neque enim alio modo dehoneſtari poterant vetera ſacrificia; cum de reliquo actiones, & victimæ, cæremoniæque, forent proculdubio à Deo inſtitutæ. Perperam autem diceretur, ſumptionem conſtituentem ſacrificium præſcindere ex ſe ab eo, quod eſſet per accidens deturpata ex indignitate ſumentis. Quoniam eo ipſo præſcinderet ab eo quod foret, vel non, per accidens inquinata; & deturpans ſacrificium (quantumvis præciperet ejus honeſtatem); ac proinde ſacrificium non excluderet poſitivè ſordes; quod diſſonum foret; etiamſi illas poſitivè non contraheret (ſi eas poſſit non contrahere poſitivè, dum poſitivè non removet ipſas ab actu, per quem hic & nunc conſtituitur hæc numero ſacrificatio). Ex quo fieret, ſacrificium altiſſimum Euchariſticum hactenus admirationibus commendatum, per quod redditur nobis Deus propitius placatuſque; extolli poſſe ad ſummum ex eo, quod careat poſitiva turpitudine, numquam verò, quod polleat honeſtate poſitiva: potiuſque, juxta vulgatum illud Taciti, ſine vitiis, quam cum virtutibus.

Num. 35. Impugnatur 5. communi argumento, deprompto ex defectu realis immutationis in ſumptione ipſa; in qua ſanè nihil amittunt Corpus, & Sanguis Chriſti Domini eorum, quæ ante illam poſſidebant. Namque modus præſentiæ ſacramentalis non perit, donec ſpecies in ſtomachum deſcendentes vi caloris nativi tranſmutentur, eſſeque deſinant. Non ergo dum ſumitur Chriſtus Dominus completur eſſentialiter ſacrificium, ſed dum calore ſtomachi deſinit eſſe ſub ſpeciebus; quia ſpecies experiuntur ultimam ſui deſtructionem; quod juremerito averſatur hæc opinio. Jam verò ſumptionem ipſam eſſe viam ad eam accidentium ruinam, exindeque ad jacturam modi exiſtendi ſacramentalis Chriſti Domini, minimè facit ſacrificium conſtitui, donec perveniatur ad illius terminum, ut ſupra dictum eſt. Ulterius hoc, ſecluſis ambagibus, eſset conſtituere mactationem realem per ſolam amiſſionem præſentiæ ſacramentalis (ſpecies nanque deſinentes non ſacrificantur) qua parte ſacrificium conſtituitur per ſumptionem; qua parte verò conſecrationem involvit, eſſentialiter importat productionem ejuſdem præſentiæ (ſive aliquid aliud ſimul producat, aut reproducat, ſive non). Conſtituitur itaque ſacrificium ex modo præſentiæ, quà producto, vel ex ejuſdem productione: & una ex deſtructione illius, quod neſcio, an dicendum foret arcanum maximum, an potius monſtrum non omnium minimum.

Prę-

Præterea quid offerret, ſacraretque ſummus Sacerdos æterno Patri ſacrificio illo tremendo Deum iratum mirabiliter placante? Quid, niſi liberationem à modo exiſtendi, quo aderat exinanitus, ut loquuntur Patres, ſive ſeipſum ut ſolutum eo modo, ſub quo erat exinanitus? Id autem potiùs ſpeciem præſeferret acceptæ à Deo libertatis, quàm exhibitæ immolationis, in ipſius honorem peractæ; cum per illius modi jacturam, nihil intrinſecum, & quo meliùs ſe habeat, adhuc extrinſecum, amittat. Adeò prætioſum putas modulum, ex ſe, & præciſivè ab extremis ægrè à carentia diſcernendum?

Sed dices: Potuit eſſe ſub ſpeciebus, & non alibi: tunc autem periret (legatur inſignis P. Segneri in ſuo Chriſt. inſtr. par. 3. Rat. 7. numer. 12.); & aliunde ita eſt ſub his numero ſpeciebus, ut nequaquam præſupponat ſui exiſtentiam in alio loco, aut ſtatu. Reſp. Chriſtum Dominum ita eſſe ibi, ut licet non ſupponat per ſe, ad hoc ut ſit ibi, quòd ſimul ſit alibi; inſit attamen ibi, ut immortalis, beatuſque, & ex conſequenti impotens mori, & ſimpliciter deſinere. Unde corruptis ſpeciebus eſſet tunc alibi, ſeu in propria ſpecie. In nocte verò Cœnæ, licet paſſibilis, cum nondum paſſus fuiſſet, & ſacrificium altaris poſtulet eſſentialiter ſacrificium Crucis, non poterat ſimpliciter deſinere per deſtructionem ſpecierum. Nec poſt mortem fieri poterat ſacrificium, donec reſurgeret. Deinde anima ex ſe eſt immortalis, & materia prima Corporis eſt incorruptibilis, atque adeo perſiſteret Chriſtus Dominus ſpeciebus deſtructis. Et eadem ratione, nec poſſet ibi ſimpliciter mori. Sextò: ſumptio nihil habet affinitatis, aut cognationis cum ſacrificio cruento, cujus naturam, licet modo incruento, redolere debet juge ſacrificium, cum ſit ejus repræſentatio, & memoria.

Septimò: Particulæ, quæ conſecrantur unà, & cuſtodiuntur, & vel à nullo ſumuntur umquam, vel Laicis miniſtrantur, & quidem apud Græcos Sanguine Chriſti Domini perfuſæ, ut refert Arcudius, & ex ipſo Cardinalis de Bona, vel dum ſub utraque ſpecie Fideles communicarent, nullo pacto erunt ſacrificatæ; cum immutatæ realiter nunquam fuerint per ſumptionem illarum à Sacerdote factam (niſi velis, Laicos ſumentes conficere partìm ſacrificium). Conſecratio ergo utriuſque ſpeciei, realatè ad illas non erat ſacrificium; maximè, cum nec aliarum partium ſumptionem, aut conſecrationem præſuppoṇant; nec etſi ſupponerent, forent verè ſacrificatæ, per ſacrificationem aliarum, per accidens ad illas ſe habentium, ut diximus ſupra circa ſacrificium Hoſtiæ pacificæ. Hoc autem diſſonum videtur, alioqui poſſet Sacerdos conſecrare ſimpliciter ſub utraque ſpecie; & nihilominus non ſacrificare, ut contendunt Hæretici. Et quamvis per neceſſitatem ſacrificationis alicujus partis evadere tentes difficultatem; ſemper attamen urget valde probabiliter exemplum reliquarum, quæ ſunt verè conſecratæ in utraque ſpecie, quin fuerint ſacrificatæ, & quin per ſe præſupponant aut exigant aliarum ſacrificationem. Immò, & quin Sacerdos teneatur, juxta plures, ex divino præcepto ad aliquas ſumendas, & ex conſequenti ſacrificandas. Plura alia adducuntur efficaciſſima, tam à ratione, quàm ab authoritate Sanctorum Patrum, quæ ubique nullo ferè negotio reperies, ſi Scholaſticos evolvas, quæ nobis prætereunda eo titulo veniunt, producto ſolùm teſtimonio S. Cyrilli Hieroſolym. Catecheſi 5. Myſtag. ajentis: *deinde verò poſtquam confeſtum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis ara obſecramus Deum pro communi Eccleſiæ pace*: quæ præcationes, cum antecedant ſumptionem, apertiſſimè evincunt, illum agnoviſſe completam eſſentiam ſacrificii præcedenter ad ſumptionem.

Quapropter nihil ſolidum producitur in contrarium, dum objicit nobis ſententia oppoſita illud Auguſtini lib. 17. de Civitate cap. 5. fine: *manducare panem, quod eſt in novo teſtamento ſacrificium Chriſtianorum*. Siquidem id abſolutè prolatum ſonat, non ſolùm conſtitui adequatè ſacrificium per ſumptionem, quod diſplicet plerumque Adverſariis, ſed & communionem etiam Laicorum conſtituere ſacrificium Chriſtianorum; maximè cum ſolam manducationem panis cœleſtis exprimat, & nullatenus potum. Dicendum itaque, ſacrificium ſæpè uſurpari pro re oblata, ſive materia ſacrificata, ut liquet ex ſacra Scriptura, præcipiente Sacerdotibus, ut comederent de ſacrificio, ideſt de Victima ſacrificata (id quod colligitur ex circumſtantiis, nec pro libito aſſerendum eſt, ut ſupra animadvertimus), & ideo hanc venire nomine ſacrificii, ut monet S. Thomas, colligiturque ex ejus doctrina generali in 3. diſt. 9. qu. 1. art. 1. quæſtiuncula prima, & in eodem ſenſu dixit 3. p. q. 22. art. 6. ad ſecundum. *Unde etiam in nova verum Chriſti ſacrificium communicatur fidelibus ſub ſpecie panis*. Sacrificium enim formaliter ſumptum, & activè pro actione ſacrificativa non eſt ſub ſpeciebus panis, & vini, ſub quibus tantum exiſtit res ſacrificata, nempe Corpus, & Sanguis Domini: neque communicaretur Fidelibus verum ſacrificium formaliter uſurpatum, ſi illud conſtitueretur per communicationem illam, ſive ſumptionem, ſed communicaretur ſacrificium inchoatum, per ipſammet communicationem completum eſſentialiter, & conſtitutum in ratione ſacrificii. Inſuperque conſtitueretur ſacrificium per communionem fidelium indiſtinctim, quod abſonum foret. Neque tandem Fideles manducant ipſam ſacrificationem, quippe quæ eſt actio ex ſe tranſiens, & cibandi formaliter incapax; ſed rem quæ ſacrificatur, & offertur, aut

ſacri-

ſacrificium in facto eſſe paſſive acceptum. Quòd verò S. Aug. in eo ſenſu locutus fuerit evidenter apparet ex eo, quòd loquatur de manducatione panis cœleſtis, quà ſignificantis ſacrificium; proindeque non conſtituentis, ait nanque ibidem, paulò ſuperiùs: *quòd ergo addidit manducare panem, etiam ipſum ſacrificii genus eleganter expreſſit; de quo dicit Sacerdos ipſe, panis, quem ego dedero, caro mea eſt pro mundi vita.*

Num. 36. Dices: ſi Sacrificium non conſtitueretur partialitèr per ſumptionem, foret peractum undique, facta conſecratione: ex quo fieret, nequaquam poſſe applicari ſacrificium à Sacerdote poſt conſecrationem; cum fructus ex opere operato nequeat pendulus eſſe donec applicetur, ſemel peracto ſacrificio. Id autem eſſe falſum colligitur ex D. Thoma 3. p. qu. 83. art. 4., & ex doctrina plurium Theologorum. Fallit autem objectio hæc; quoniam applicationem fieri debere ante conſecrationem, vel in ipſamet, ſolemnior, ſolidiorque ſententia docet cum Doctore Eximio Diſput. 75. Conink., Rhodes, Layman, Gonet, & omnibus propè illis, qui ſumptionem excludunt à conſtitutione ſacrificii; illudque adæquatè ſitum credunt in utriuſque ſpeciei conſecratione; qui propterea ex oppoſita doctrina conficiunt argumentum adversùs ſubjectam opinionem. Utrique tamen circumagunt, quia deciſio præſentis aſſertionis connectitur per ſe cum reſolutione aſſertionis principalis. Nequidquam igitur alterutra, vel utraque per hanc, aut per contrariam probatur. Et ſanè inde probaretur, vel oblationem, quæ fit verbis poſt conſecrationem conſtituere ſacrificium, ut ſentiunt nonnulli, etſi nullo modo ſumptio conſtituat. Inſuper, licet Sacerdos non applicans ſacrificium ante conſecrationem, nullum jus acquirat ad fructum ſacrificii; qui tamen applicuit alicui, qui erat incapax, vèl pro quo Deus non vult acceptare (ut poteſt non velle) habet jus quæſitum, & poteſt vel pro aliis applicare, vel precari Deum, ut illud acceptet pro eadem anima, uti opinati ſunt nonnulli apud Eximium Doctorem Diſp. 79. ſect. 9. Neque S. Thomas ibi innuit, quod objectio intendit; cum potiùs ſupponat ſacrificium peractum ex integro conſecratione: ac proindè non loquitur de fructu ſacrificii ex opere operato, applicabili poſt conſecrationem, niſi quatenùs Sacerdos precatur Deum, ut confectum ſacrificium acceptum habeat pro determinata anima, aut animabus, in eodem ſenſu, in quo ſacrificium Deum acceptum eſſe poſtulat, etiam in ſententia eorum, qui ſupponunt illud peractum. *Quartò petit*, ait ibi S. Thomas, *hoc ſacrificium peractum eſſe Deo acceptum, cum dicit: ſupra quæ propitia &c.* ideſt ut iterùm per impetrationem, aut deprecationem illam acceptet, ut reſpondet Eximius Doctor ea ſectione. Vel diſputat de fructu ex opere operantis, oratione, impetrationeque ſubſecutis, quibus reſpondet ſatisfactio aliqua applicanda. Id quod expreſſit Cyrillus Hieroſ. ubi ſuprà (ſicuti advertit Doct. Eximius) cum addit verbis relatis: *Cum hoc ſacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt.* Sicut enim poſt conſecrationem, oblationemque formalem (quæ in communi ſententia fit per ipſam conſecrationem), fit nihilominùs, majoris cultus gratia, oblatio alia verbalis: ita poſt applicationem effectus ex opere operato, fit optimo jure commemoratio Defunctorum, tum eorumdem, pro quibus ſpeciatim applicatum erat ſacrificium præcedentèr: tum de aliis, & universìm de omnibus, quibus non fuerat deſignatus effectus, aut pars aliqua fructus ex opere operato: *Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus &c.* Et hæc eſt alia ratio congruentiæ illius commemorationis, tametſi peractum completiſſimè præſupponatur ſacrificium. Tum etiam ut noverint omnes, Miſſæ ſacrificium prodeſſe defunctis (vel invitis Novatoribus) fitque ea commemoratio poſt conſecrationem, ut in præſentia reali Chriſti Domini fructuoſiùs, & ferventiùs applicentur merita ſacrificii cruenti. Illegitima itaque eſt hæc argumentatio: orat Sacerdos pro defunctis poſt conſecrationem: ergò tunc applicat illis ſacrificium. Maximè, cum licèt nihil ipſis denuò immediatè obtineret remiſſionis; impetrare tamen poſſet Sacerdos auxilia, quibus alii excitarentur ad ſatisfaciendum pro eis: & ut circumſtantes ejus commemorationis recordatione, & exemplo, moveantur ad ſanctum, piumque opus pro defunctis exorandi, & pro eiſdem ſatisfaciendi (quin etiam poſt ſumptionem dicitur interdùm oratio pro Defunctis.)

Quod itèm opponunt ex antiquæ legis ſacrificiis, quæ conſtituebantur eſu partis victimæ, quæ ſervabatur in uſum Sacerdotum; nec ſolidum eſt, nec undequaque verum; cum potiùs verba eſum illum præcipientia ſupponant perfectum ſacrificium pleniſſimè, è cujus victima jam ſacrificata jubentur edere Sacerdotes. Et cum perfectius, nobiliuſque ſacrificium, quod erat Holocauſtum, nihil rei conſecratæ permitteret Sacerdotibus, quia totum comburebatur, illaque totalis conflagratio conſtituebat ipſum, non in ratione ſacrificii præcisè, quod obtinuerat jam per mactationem Victimæ; ſed indeterminata illa ſpecie, aut ratione ſacrificii, ut ſupra diximus. Neque momenti eſt quòd feria ſexta in Paraſceves appelletur ſacrificium, & ſi non fiat tunc conſecratio; quippè quæ præſupponitur ex die præcedenti; quandoquidèm hoc nimium probaret, adæquatam videlicèt eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe in ſumptione, & quidèm ſub una tantùm ſpecie. Uſurpatur ergò ibi ſacrificium pro re conſecrata, & ſacrificata præcedentèr; aut latè pro functione ſacra, ut habes apud Doctorem Eximium eadem Diſputat.

Digitized by Google

ſputat. 75. ſect. 4. uti & D. Thom. aſſerit, officium illud fieri, ne Eccleſia privetur illa die omninò fructu jugis ſacrificii, quamtumvis ſacrificium propriè non eſſe, doceat apertè. Semper enim percipitur fructus uberrimus ex præſentia reali Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus per ritum ſacris cæremoniis, orationibuſque inſtitutum, hoſtiâ circumactâ, populo oſtensâ, & à Sacerdote, omnium perſonam repræſentante ſuſceptâ. Imò potiùs indè ſumi poteſt argumentum validiſſimum adversùs hanc opinionem; quoniam in illa die relinqueretur ſacrificium imperfectum formalitèr, quod jure divino vetitum eſt. Patet: quia Sacerdos ſumeret Hoſtiam conſecratam, quæ eſt unum conſtitutivum ſacrificii, quin conſecraret illam, nec Calicem conſecraret, & biberet, quæ ſunt reliqua ſacrificii conſtitutiva. Non conſecratur autem in Paraſceves, quia verba Conſecrationis proferuntur nomine Chriſti Domini loquentis; in illa autem die deflet Eccleſia Sancta mortem acerbiſſimam Chriſti Domini in Cruce; inducere autem loquentem Perſonam, (ut alibi dictum à nobis eſt) quam mortuam repræſentat, vel in Tragædia foret nugatorium, eſſetque potiùs Mimicum agere, quam Tragædum.

SECTIO TERTIA.

Utrum immolatio realis Vitæ Euchariſticæ in actu ſecundo hactenùs à nobis per varias, Regias attamen, vias aſſertæ, & nervosè ſtatutæ, ſit vera tranſmutatio phyſica Victimæ, deſiderata ad conſtituendam eſſentiam, ſalvandamque propriam, & ſtrictam rationem Sacrificii altaris? Ita tamen, ut poſt breve aliquod temporis ſpatium reſtituatur eidem vita actualis, aliqua, veluti reſurrectionis ſpecie, vel potiùs revivifcentia, iteratò comparata, aut poſtliminio gloriæ reverſa?

§. I.

Num. 37. HACTENÙS ſolicitis Theologorum excurſionibus effuſiſſimè, anhelantèrque, quæſita fuit vera aliqua realis tranſmutationis ſpecies, per quam incruenta jugis oblatio conſtitueretur in ratione ſacrificii; nondùm tamen inventam eſſe, ac proindè nequidquam inſudatum fuiſſe, vidimus. Servata eſt ejuſmodi gloria ipſi vitæ Euchariſticæ Humanitatis Chriſti Domini, quæ ſimul eſt unica via ad terminum ſuſpiratum, metamque pertingendam. Porrò unaquæque ex laudatis opinionibus, aut purè myſticam, aut figuratam ſolum mactationem invehit, & ex conſequenti umbratilem duntaxàt conceptum Sacrificii, aut imaginarium, aut in actu primo ſolùm, aut extra rem oblatam poſitum: vel præſupponit ſtatum talis naturæ, ut nullam ſub illo mutationem realem pati poſſit Hoſtia ſacrificanda: vel fingit victimam aliam, quam feriat, ſiſtitque Sacerdotem prope aram abſque gladio, aliove inſtrumento ſeparante realiter conjuncta, vulnerante, aut realiter dividente; in quo ſumma difficultatis perquam arduæ, ſumma veri, & proprii ſacrificii, & ſumma rerum ſubjectarum eſt.

Credimus autem ſcopum attigiſſe per vitam actualem ſenſitivam, aut à ſenſibus pendentem, Chriſti Domini ſub ſpeciebus, quam tanto ſtudio promovere conati ſumus hac ſcriptione; non ſanè per illam exiſtentem, & perſeverantem, ut planum eſt, ſed per ipſam, quà ablatam, aut impeditam poſtquam extitit actu, ſubindeque realiter ſacrificatam. Hanc igitur vitam in actu ſecundo, miraculosè de facto exercitam, ſummus Sacerdos ipſe conſecratione eſſentialiter quidem prærequiſita, præſuppoſitivè tamen ſe habente, & poſt ipſam à Miniſtro factam ſub utraque ſpecie; uti & poſtquam aliquos vitæ corporis actus elicuit ſub ſpeciebus, ſive dum illos actu elicit, (non enim ſufficit, quod per actiones poſſibiles, & futuras alioqui, immolet: tum quia ad eas immolandas requiritur actus vitalis poſitivus humanus, propriuſque Sacerdotis, qui actus etiam immolatur: tum quia ſicut mors debet ſupponere vitam, quam auferat, & quantùm eſt ex ſe aufert ſimul in perpetuum futuros alioqui actus vitales omnes; ſic in re noſtra immolatio vitæ in actu ſecundò). Hanc inquam, vitam Chriſtus ipſe Dominus, ut ſupremus Sacerdos immolat ſolus, & ſimul offert, quatenus actus vitales miraculosè productos imperio ſuæ voluntatis humanæ ſuſpendat, ſive removeat, decernatque non elicere ulteriorem ullum, ſive non uti potentia inſtrumentaria productiva illorum pro libito ipſius, donec per quaſi reſurrectionem, & commemorationem reſurrectionis ſimpliciter, in mixtione Corporis, & Sanguinis ad vivum repræſentatam, & imitatione quadam exercitam, reſumat vitam actualem, uſumque liberum virtutis inſtrumentariæ.

Hoc autem modo, & Imperio auferente vitam ſenſitivam omnem in actu ſecundò: qua gaudebat (& quidem etiam actus per concomitantiam delatos, ſi adeſſent aliqui, & ne ulteriores adſint, impediendo illorum adventum) offert Deo, tanquam ſupremo Domino vitæ, & mortis, privationem illam vitæ, ſive negationem, vel potiùs corpus ipſum ea vita ſpoliatum ſimpliciter, & voluntariè, uti & privatum uſu libero poteſtatis inſtrumentariæ. Et rurſus totum hoc fieri debet ſenſibile per actiones, verbaque Sacerdotis, & ſub ea ratione conſtituit eſſentialiter intrinſecè ſacrificium; cum illud eſſe debeat ſenſibile; & ſub eadem Miniſter eſt Sacerdos verè ſacrificans; licet ad intrinſecam

illam

Digitized by Google

illam ſacrificationem non concurrat; niſi quatenus efficit illam extrinſecè ſenſibilem. Imperium itaque illud voluntatis humanæ ſummi Noſtri Sacerdotis, quo aufert vitam actualem ſenſitivam ſuæ humanitatis ſacramentaliter exiſtentis, inducenſque propterea illius vitæ præexiſtentis carentiam, & ulterius ejus impoſſibilitatem uſque ad tempus quaſi reſurrectionis, divina iterum virtute faciendæ; & hæc omnia inſuper in proteſtationem Dominii ſupremi; eſt ſacrificatio formalis, mactatioque incruenta conſtitutiva eſſentialiter ſacrificii jugis.

Quemadmodum (ut ex infra dicendis latiùs patebit) Chriſtus Dominus fuit verus ſummuſque Sacerdos in ſacrificio cruento, non præcisè ratione vulnerum, quibus illum furor appetivit; cum nec interfectores ſacrificaſſent, nec Chriſtus Dominus per vulnerum ſuſceptionem exercuit munus Sacerdotis ſummi. Sed quatenus miraculosè vitam retinuit aliquantulum, deficiente jam naturali diſpoſitione, unioneque animæ cum Corpore defectura jamjam, ſi divinitus illa non conſervaretur: quouſque ſuſpenſo voluntariè miraculo ab ipſo Chriſto Domino per ſubtractionem concurſus in illud, dedit locum vulnerum, & mortis, naturali actioni, ſive activitati, occubuitque victima ſpontanea charitatis, & obedientiæ: *oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Quamobrem actio utraque conſecrativa, moduſque inextenſionis per illam productus, nec partialiter conſtituit ſacrificationem, ſed præſuppoſitivè ſe habet, tametſi eſſentialiter prærequiratur, & licet reddat vitam actualem naturaliter impoſſibilem: tum quia non præſupponit vitam actualem ſub ſpeciebus, quam auferat (immo nec alibi ſupponit illam exiſtentem): tum quia impedire nequit, quominus per potentiam inſtrumentariam divinitus eliciatur: tum quia de facto obtinet ſuum effectum; & nihilominus non ſacrificat; quoniam actus vitalis naturaliter eliciendi privationem inducit ſemper, etiam dum alii miraculosè producuntur, cum hi penes modum ſupernaturalitatis ſemper ſint diverſi ab illis; quin propterea illa ſit ſacrificatio ſimpliciter vitæ actualis, quia adeſt alia ejuſdem rationis loco ipſius; vel ipſa quoad ſubſtantiam. Et licet actus illi immanentes importent qualitatem abſolutam utrobique eamdem: ſemper tamen inducit privationem illorum actuum, prout naturali virtute, & actione productorum, ratione cujus etiamſi qualitas non ſit diverſa, eſt attamen plerunque numero diſtincta. Sola igitur ſuſpenſio vitæ miraculosè productæ eſt ſacrificatio; ita tamen ut eſſentialiter præſupponat eam proximam impotentiam ad actus naturaliter emittendos; quæ eſt propria illius ſtatus ſacramentalis, quem ſupponit eſſentialiter Chriſtus Dominus dum ex illo ſacrificat. En tibi realem tranſmutationem, ſive mactationis realis veram ſpeciem; nullus enim jure inficiari valet, illud eſſe plenè reale verè immolandi victimam genus, ſummoque ſacrificio dignum, tranſire à vita actuali corporis ſimpliciter ad privationem omnis ſimpliciter vitæ actualis corporeæ; quin & ad negationem capacitatis illam habendi, donec ipſa reſurgat naturaliter; quia ſtatus exiſtentiæ ſacramentalis eſt per ſe illius vitæ incapax; divinitùs verò ad nutum ipſius; quia per explicatam ſacrificationem, & removet actus vitales exiſtentes, ſuſpendendo concurſum præſtitum, & renuntiat juri utendi pro libito inſtrumentaria potentia. Nemo, inquam, inficias ibit ſoliditati hujus realis immutationis, præſertim ubi ſeparatio vitæ ſubſtantialis, ſive animæ à corpore impoſſibilis eſt ſtatui glorioſo, quem habet victima; quin nodus ille, aut nexus animæ cum corpore, utpotè immortalis, poſſit arte diſſolvi, nec gladio abrumpi.

Num. 38. Hinc fit primò, neceſſariò adeſſe ſemper in inſtanti oblationis, & ſacrificationis prædictæ vitam aliquam actualem corpoream, ſive actum illius ſub ſpeciebus, quam offerat, & immolet Chriſtus Dominus, ut ſupremus Sacerdos, vi cujus tranſeat voluntaria actione immolante à corpore in actu ſecundo vivente ad corpus non vivens in actu ſecundo, nec vivere potens pro brevi ſpatio, quo divinitùs vitam reſumat, ſeu potentiam expeditam ad illam emittendam: vel quandiu illa quaſi mors duret, juxta ſtata tempora, & functiones ſacras, quæ in ſacrificio peraguntur, uſque ad mixtionem particulæ ex fracta Hoſtia cum Sanguine. Quòd autem ſemper habeat vitam actualem in actu ſecundo ſub accidentibus, dum illam actu ſacrificat, evidens apparet; ex eo, quod polleat potentia inſtrumentaria expedita ad aſſidue utendum ſenſibus externis, & internis, aliiſque actibus inde renaſcentibus; & aliunde à conſecratione Hoſtiæ uſque ad Calicis conſecrationem, quibuſdamque inſuper momentis (ut conſtabit mox) quo tempore ſacrificat, non potuit non elicere diverſos actus vitales ex recenſitis. Tum ex eo quod ipſemet affectus internus ſacrificans activè, quatenus abdicat à ſe vitam illam actualem, & vim expeditam divinitùs ad quoſcunque alios, eſt actus in ſui origine pendens à corpore; cum ſit ſacrificatio propria Sacerdotis ſummi, quod munus exercet ſecundum quòd homo eſt, & per actus proprios humanitatis; & aliunde ille in inſtanti ſequenti ad ſui productionem neceſſariò deſinit unà cum reliquis, obvolviturque neceſſariò in aliorum ruina. Tum quia ſaltem nulla adeſſe poteſt congruentia, vel utilitas in eo, quod pro ſpatio illo temporis, ſuppoſita expeditiſſima divinitùs facultate, privetur viſione ſui glorioſi Corporis, ut de reliquis Beatis relatè ad ipſum Salvatoris noſtri corpus Sacramentum docuit Toſtatus, Salmeron, Medina, Gerſon, Doctor Eximius, Drexelius, Tannerus, Bonacina,

Arria-

Arriaga, & plures alii apud Patrem Henao de Empyr. Cœl. Exercit. 28. ſect. 10.: Tum quia ut ſummus Sacerdos luſtrare debet Miniſtrum, & circumſtantes, maximè cum ex ſuppoſitione parati concurſus nequeant oculi in primo etiam inſtanti, quo ponitur in Euchariſtia, non videre cuncta propinqua, & audire (cum lumina illa cœleſtia claudi nequeant, tametſi palpebræ demiſſæ forent), donec per actum voluntatis ſuſpendat concurſum inſtrumentarium in ſacrificatione.

Fit ſecundò: Sacrificium non perfici omninò in eodem momento intrinſeco, in quo oblationem illam, nolitionemque vitæ actualis, & ulterioris uſus facultatis inſtrumentariæ emittit; cum in illo vivat actu, ſed in inſtanti immediatè ſequenti, in quo caret jam actu omni vita corporea actuali; quin & facultate proxima illam pro nutu habendi; quia ſi carentia illa, aut privatio non ſequeretur, non perageretur ſacrificium, nec prædicta actio fuiſſet ſtricta ſacrificatio, uti in communi ſententia, ſi mors Chriſti Domini impediretur divinitus, ſacrificium cruentum nunquam fuiſſet propriè tale, nec mundus fuiſſet liberatus à gemitu ſervitutis; nec actio illa in præcedenti inſtanti elicita, ad quam debuiſſet ſubſequi ex natura rerum mors in inſtanti immediato, foret genuina ſacrificatio. Fit tertiò: nullatenus eſſe contra ſtrictam rationem ſacrificii, quòd victima immolata poſt exiguam moram reſumptura ſit vitam aliunde, priſtinumque vigorem; dum tamen ſacrificatio ex natura ſua vitam auferat in perpetuum; cum potiùs deficiente hac circunſtantia reſurrectionis, abeſſet ab hoc ſacrificio perfecta ſimilitudo, & imitatio ſacrificii Crucis, de quo ipſe ſummus utriuſque Sacerdos dixerat: Joan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam*. Et nihilominus ſacrificium illud cruentum fuit in ſummo rigore ſtrictum ſacrificium.

Fit quartò: ſacrificium juge importare eſſentialiter functiones externas, & alia viſibilia, quibus redditur ſenſibile, juxta vulgatam definitionem ſacrificii, quantumvis includat principaliter ſacrificationem internam, & occultam explicatam. Sicut etiam actio conſecrativa, in qua ſententia communis collocat ſacrificationem, in ſe occulta prorſus nobis, incapaxque, quæ percipiatur ſenſibus; ſit tamen ſenſibilis per verba, ſpecies, & actiones alias; eo planè modo, juxta fidei principia, ſacrificatio occulta, ſive in hoc, ſive in illo conſiſtat, redditur ſenſibilis. Deinde vita corporis, qua privatur Chriſtus Dominus in Euchariſtia, eſtque terminus à quo ſacrificationis, etiamſi occulta nobis ſit, externa tamen in ſe eſt, poſſetque à nobis percipi, ſi corpus illud eſſet in propria ſpecie, aut ſub aliena accidentium videri poſſet naturaliter, vel ſaltem divinitùs: ſicut etiam videri poſſet ex ſe privatio illius vitæ, ſeu terminus ad quem, cum ſit, quantum eſt ex ſe, perceptibilis. Quocirca æmulatur perfectiùs, vividiùſque, vel in hoc, ſacrificium Crucis, in quo ultra actiones externas inductivas mortis, ſeu privationis vitæ, neceſſariò interceſſit nolitio ſimilis Chriſti Domini arcens à ſe uſum poteſtatis inſtrumentariæ ad vitam per miracula conſervandam. Neque enim impediri poteſt ea vita actualis præexiſtens ſimul cum expeditiſſima poteſtate ad uſum abſque actu aliquo poſitivo nolente, aut relegante præfatum uſum, juxta præſentem ſacrificii conſtitutionem, & providentiam; quoniam illa eſt actio poſitiva inſtituta de facto ad ſacrificandum. Sicut in lege veteri inſtituta erat pecudis jugulatio, quamquam potuerit aliter occidi Hoſtia. Tum quia in hac ſpecie ſacrificii neceſſariò debet intercedere actus internus apud omnes, intentionis quidem, ut ſit ſimpliciter valida conſecratio, exiſtatque ſacrificium; & oblatio ut ſit ſimpliciter perfectum, cujuſmodi eſſe debet, quà à ſummo Sacerdote peractum. Tum quia licet poſſet per meram ſuſpenſionem actuum præcedentium ceſſare ab operatione, & aliam purè negativè non elicere; ſolùm inde ſequitur, non futurum in eo eventu ſacrificium; quia deficeret vera mactatio victimæ, ad quam non ſufficit merè negativè ſe habere, ſuſpendereque uſum activum operationum, ſi aliundè prohibito uti valeat poteſtate illa; alioqui quævis ſenſuum mortificatio eſſet ſacrificium; ſed requiritur actio poſitiva eo modo auferens vitam in actu ſecundo, ut nequeat ulteriores actus elicere; hoc eſt poſtulat, ut illa poſitivè interimatur; non verò quòd purè per voluntariam ſuſpenſionem ad nutum auferibilem mortificetur.

Num. 19. Fit quintò: non eſſe neceſſariam actionem aliquam poſitivam externam (tametſi occultam Chriſti Domini), ut ſummi Sacerdotis ad inducendam poſitivè eam vitæ actualis privationem: quia cum hæc conſiſtat unicè in carentia nuda, quin forma aliqua poſitiva contraria introducatur, ſicut introducitur, dum materia privatur forma ſubſtantiali; ad quam pellendam requiritur introductio alterius formæ, ad hanc verò producendam non ſufficit pura volitio, vel Imperium); propterea non exigitur alia actio externa poſitiva ad ſacrificationem ex parte ſummi Sacerdotis (quamvis requiratur ex parte Miniſtri ſenſibilis) præter illum actum internum poſitivum imperii, aut nolitionis concurſus miraculoſi, cujus terminus eſt privatio vitæ. Rurſus cum privatio illa ſit operationum intrinſecè immanentium, eſt interna etiam, & ideò actio inductiva illius eſſe debet interna ſolùm, ut manifeſtum eſt.

Fit ſextò: actionem conſecrativam non conſtituere, ut diximus, ſacrificationem unà cum imperio voluntatis Chriſti Domini impediente concurſum miraculoſum in actus vitales, licet neceſſariò vi actionis conſecrativæ, aut modi exiſtendi per illam producti, ſequatur naturalis privatio vitæ actua-

lis, quia non ſupponit ex ſe illam actu præexiſtentem ſub ſpeciebus, ſed potiùs contrarium: ac ſubinde ratione novi ſtatus immutat, ſed non ſacrificat, ut dictum eſt. Sic vulnera in Cruce, poſito imperio Chriſti Domini ſuſpendente miraculum, vitam ſubſtantialem conſervans, invenerunt viam apertam aſſequendi effectum ſuum naturalem, occidendi ſcilicet Chriſtum Dominum; verùm licet illum occiderint, & per ipſa deicidæ Chriſtum Dominum interfecerint, illum tamen formaliter non ſacrificarunt.

Fit ſeptimò. Eadem ferè proprietate, qua privatio vitæ ſubſtantialis inducta per actionem ſeparantem animam à Corpore in Dei honorem, & proteſtationem dominii ſupremi, eſt ſacrificium verum, eſſe pariter ſacrificium ſtrictum privationem vitæ actualis, ſeu vitæ corporis in actu ſecundo, introductam per actum, vel actionem nuper explicatam in Dei cultum, & in proteſtationem alti dominii, ſive Corpus ipſum, ut ea vita actuali ſpoliatum; etiamſi vita ſubſtantialis per actionem cruentam adimatur, utpotè ſeparans animam vulnerando lethaliter corpus; actualis verò ſola per actionem incruentam, utpotè terminatam ſolum ad removendas operationes vitales, quæ nec ſanguinem includunt, nec vulneribus confoſſo corpore deſinunt. Ratio autem ejuſdem fermè proprietatis repertę in mactatione hac incruenta, ac in illa, eſt: quoniam vita apud complures Philoſophos primò, & per ſe concipi debet per ordinem ad operationes vitales, non minùs quàm per ordinem ad actum primum ſubſtantialem; eo quod ipſæ, juxta hanc philoſophandi viam, non ſint puri effectus, ſed inſuper finis præcipuus, aut unicus, ſaltem reſpectu primæ cauſæ, apud pleroſque, infundendi animam rationalem: vel ad ſummum finis erit ipſa vita ſubſtantialis, & in actu primo, ut completa operatione vitali in actu ſecundo.

Id ſatis expreſſit Ariſtoteles dum lib. 1. Politic. c. 3. dixit: *Vita certè eſt actio, & non factio*: & dum lib. 10. Ethic. cap. 4. declarans univerſim, aut in genere, quid ſit vita, ait: *Vita quædam eſt operatio*, ideſt operatio quædam. Quin & comparans in habente rationem, ſive in homine, vitam ſubſtantialem, quæ eſt vita in actu primo cum vita in actu ſecundo lib. 10. Ethicor. cap. 7. inquit: *Sed cum hæc*, vita, *bifariam dicatur, exponenda eſt, quæ eſt actio, hæc autem magis propriè dicitur vita*. Unde ſapienter notavit S. Thomas 1. 2. quæſt. 3. art. 2. ad 1. in eo ſenſu dixiſſe Joannem cap. 17. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum*. Idcircò ibidem.: corpore: hanc veritatem à priori demonſtrans, dixit: *Unumquodque autem in tantùm perfectum eſt, in quantùm eſt actu, nam potentia ſine actu imperfecta eſt: oportet ergo beatitudinem in ultimo actu hominis conſiſtere*: Et paulò inferiùs: *Res unaquæque dicitur eſſe propter operationem. ut dicitur ſecundo de Cælo. Neceſſe eſt ergo, beatitudinem hominis eſſe operationem*. Propterea etiam Philoſophi cum Ariſt. 2. de anima dixere, animam; *actum primum ſubſtantialem corporis phyſici organici, potentia vitam habentis*. Ubi per vitam, ad quam compoſitum eſt in potentia, intelligi ſimpliciter operationes, & non ipſam animam ſubſtantialiter, & in actu primo ſolum, manifeſtum videtur; præſertim cum juxta probatiſſimam opinionem, quam ſequitur Doctor Eximius de Anima diſput. 1. cap. 2. Corpus in ea definitione non uſurpepetur nudè pro materia organizata in ordine ad functiones vitales, ſed unà cum anima, quæ per definitionem illam deſcribitur, & ſine qua potentia corporis ad eas functiones vitæ eliciendas remotiſſima eſt, & per animam ſolùm gaudere illa poteſt: ut ſic nequeat corpus ibi uſurpari in potentia ad vitam in actu primo, aut ſubſtantialem; ſiquidem illa vita actu informatum ſupponitur. Immò, & ſi ſeorſim ab anima uſurpetur, inde pariter reſurgit argumentum; cum non exponatur corpus organicum per ordinem ad vitam radicalem, ſive in actu primo, potiſſimè, & ultimo; ſed per ordinem præcipuè ad finem ultimum operandi, ſeu vitæ in actu ſecundo, quod eſt complementum vitæ in actu primo, ad quod obtinendum poſtulat animam rationalem. Et tandem vel illi, qui operationes recuſant dicere finem, quia ſunt accidentariæ; rati, illas potiſſimum effectum ſolùm; per ordinem tamen ad illas ſemper declarant verum conceptum animæ, & vitæ in actu primo. Immolatio igitur ejuſmodi vitæ eſt vera in toto rigore victimæ mactatio; maximè ubi victima ſub ſtatu immortali conſtituta vitę ſubſtantialis jacturam facere nequit; perindè ac dum hoſtia vivens, & mori potens, cerviecem flectit, & per ſeparationem cruentam animæ à corpore mactata ſuccumbit, ut victima religionis ſimul, & manſuetudinis.

Num. 40. Verum equidem eſt, per mortem ſimpliciter viventis Hoſtiæ utranque vitam mactari, & utraque privari Corpus, quod eſt ſubjectum ſacrificationis; per ſacrificationem verò, quam invehimus ſola vita actualis mactatur, & dividitur, vita ſpirituali, ſeu anima unitim cum corpore permanente. Cæterum eatenus potiſſimè ſeparatio animæ à Corpore eſt vera ſimpliciter immolatio importans realem viventis Victimæ mortem, quatenus eo ipſo neceſſariò privat vita actuali, ad quam per ſe primò ordinatur vita ſubſtantialis, & propter quam eſt. Quamobrem ſi per impoſſibile anima ſenſitiva informaret Corpus, intra quod nullas planè vitales operationes elicere poſſet, illius animalis immolatio inter ſacrificia potiùs rerum inanimatarum computanda foret, quàm viventium; vel mixtim aliquid ex utraque participaret: ſatiùſque eſſet truncum avellere, aut ramum ex arbore, ſacrificareque illum in Dei honorem; cum ille vegetabilis vitæ functiones

obi-

obiret; dum his etiam privata ſupponitur in facta hypotheſi pecus. Eadem ratione creditur naturaliter repugnans à philoſophia ejuſmodi animal non vivens actu, nec potens ex ſe in operationem vitalem ſeu vegetabilis, ſeu ſenſitivæ, ſeu etiam rationalis animæ; cum in Euchariſtia impoſſibilitas naturalis operandi præſupponat miraculoſam actionem reproductivam. Et adhuc in eo ſtatu afferre ſecum neceſſariò per concomitantiam actus vitales, docet communis doctrina. Quinimmo non poſſe animal pro inſtanti aliquo ceſſare connaturaliter ab omni operatione, ſeparareque ſimpliciter omnem actum ſecundum ab actu primo, docuere plures adverſus Cajetanum, exponentem doctrinam Ariſtotelis lib 7. de anima cap. 1; cum nec Creatura rationalis, liberaque, poſſit, in complurium ſententia, purè omittere, tametſi errare valeat per objecta diverſa varietate miranda, vagaque in infinitum extenſione.

Permittimus attamen, quin & admittimus libenter, plus vitæ formalis deferri ad aram, ad ſacrificiumque, per ſeparationem utriuſque vitæ efficiendam, quàm ſi ſolam vitam actualem immolandam deferat; non propterea tamen deſinit eſſe vera, ſtricta, & realis immolatio, aut tranſmutatio rei viventis corporeæ, quæ ab illa auferet actione ſacrificativa vitam omnem Corporis in actu ſecundo; ubi neceſſariò habet aliquas exiſtentes, & præexiſtentes operationes vitales, ut dictum eſt. Maximè ubi præfatum vivens immortale ſimpliciter eſt; quamquam enim fuerit mortale dum inſtitutum fuit ſacrificium; debuit attamen illud ita conficere, ut celebrandum erat jugiter in Eccleſia. Rurſus non debuit tunc ſimpliciter mori, & quia interficeret ſeipſum. Et quia non remaneret ſenſibiliter vivens, uti & oportebat omnino; cum nequeat eſſe, apud quamplures, vivum ſimul, & mortuum ſimpliciter; & quia mori ſemel debuit; & aliunde mortem in Cruce ſubire tenebatur ex ordinatione divina. Et rurſus ubi non minùs grata futura eſt Deo ſacrificatio ſolius vitæ actualis, eum ſit infiniti ſimpliciter valoris, quàm utriuſque vitæ ſimul mactatio; quamquam extrinſecè ex divina Inſtitutione fructus ſacrificii Crucis fuerit annexus jacturæ utriuſque, ut in mari Sanguinis mergeretur nigerrimus ſcelerum, & Ægyptiorum, equitatus. Quare Victimæ ſacrificiorum veterum, à quibus utraque vita auferebatur, quamoptimè poterant Victimam ſacrificii Crucis, & incruenti altaris præfigurare.

Inſubſiſtens autem foret redargutio dicentis, ſacrificationem Victimæ viventis ſemper in lege antiqua ex ordinatione divina ſudiſſe vitam ſubſtantialem, & actualem unà cum ſanguine, quin alia viventis tranſmutatio realis foret ſufficiens. Ergo in Euchariſtia non reperitur ea via ſtrictum ſacrificium, cum Victima ſit vivens ſubſtantialiter, & in actu primo; & ſola immolctur vita actualis. Verùm in primis, nonnulli viri doctiſſimi ſupra laudati, quibus adhæſit Card. de Lugo, oppoſitum ſentiunt, ſufficereque immutationem veram realem, tametſi mors ſimpliciter non conſequatur ad illam. Deinde, eâ doctrinâ ex ibidem dictis ſeclusâ, compertum tamen apud omnes eſt, in rebus inanimatis ſufficere quodcumque aliud realis mutationis genus, auferens, immutans, aut ſeparans aliquid realiter à Victima. Jam verò Victima ſacrificii altaris licet ſit Chriſtus ipſe Dominus vivens ſub ſpeciebus, & ſubſtantialiter, & in actu ſecundo, non eſt tamen Hoſtia formaliter, niſi ſub accidentibus rei inanimatæ, panis ſcilicet, & vini, & ſub ratione proximè inanimi cibandi, ut notat Leſſius qu. 83. art. 1. dub. 5. numer. 24. ibi: *Chriſtus autem in Euchariſtia verè non occiditur, ſed ſolùm myſticè, & repræſentatione. Hinc tamen non ſequitur, quin verè offeratur, licet alia ratione, nempe ſub ſpecie rei inanimæ: & hoc etiam vult D. Thomas art.* 1.. Participat ergo Victima utriuſque conceptum in ratione formali Hoſtiæ, & rei viventis, & ſimul rei inanimis: quà rei inanimis non debuit, nec potuit ſacrificatio illam ſimpliciter occidere, nec ejus ſanguinem fundere; cum nec vita, nec ſanguine prędita ſupponatur, quà inanimis, ſed alio modo realiter immutari, & ſic contigit in altari. Quà vivens debuit actio verſari realiter circa ejus vitam, & ita pariter facit ſacrificatio jugis. Participat ergo conceptum utriuſque formaliter, & includit omnem Hoſtiarum excellentiam, & omnium ſacrificiorum gloriam, & perfectionem ſummam, duabus illis Victimarum conditionibus, veluti duabus columnis ultimò terminatum.

Tandem inſubſiſtenter etiam diceretur, non ſufficere imperium ſuſpendens operationes miraculoſas; quoniam ſi elicere poſſet naturales, non adeſſet privatio vitæ actualis. Ut inde inferas, etiam conſecrationem, introducentem ratione modi exiſtendi impotentiam naturalem ad vitaliter operandum, eſſe partialem ſacrificationem. Quandoquidem Imperium illud elicitur ex ſuppoſitione conſecrationis, & modi exiſtendi ſacramentalis eam impotentiam inducentis; ex ea autem ſuppoſitione imperium privat adęquatè vita actuali. Neque actio ex ſe privans, ſaltem in actu primo vita actuali, ut naturaliter elicienda, eſſe poteſt conſtitutiva intrinſecè; quia non privat vita in actu ſecundo illam præexiſtentem ſub illo ſtatu ſupponens, ſubindeque eſt incapax conſtituendi veram illius immolationem. Quinimmo imperium illud eſt per ſe potens vita illa privare etiam Corpus ſimul cum vita miraculosè elicita. Conſequenterque nolitio illa eſt adæquata actio ſacrificativa, & quaſi gladius unicus, quo vita ſcinditur.

Num. 41. Fit 8. prius perfici Sacramentum, & quidem ſub utraque ſpecie, quàm

peragatur ſacrificium ; eſſeque propterea ſacrificium ordine executionis poſterius Sacramento ; quamquam ordine intentionis ſit illo priùs, de quo infra latiùs: interim conſulendus magnus Suarez diſput. 76. ſect. 3., Fit 9. latum eſſe diſcrimen, & accuratè obſervandum pro quæſtione præſenti, inter ſacrificium ſitum adæquatè in actione Sacerdotis, ſive in quo Sacerdos purè agit, & illud quod ſimul cum actione Sacerdotis involvit ejuſdem paſſionem, ſive in quo Sacerdos ſimul patitur: hoc eſt, inter ſacrificium, in quo Victima diſtinguitur à Sacerdote, & illud in quo ipſe Sacerdos eſt etiam formaliter Victima. Porro ad primum non requiritur eſſentialiter intrinſecè ex conceptu peculiari ſacrificii affectus internus ſacrificantis ultra intentionem præſuppoſitam, quidquid ſit, quòd illum poſtulet, quà actus humanus, aut virtutis (Præſcindendo tamen à ſacrificio, quà ſummè perfectè conficiendo, & diſputando tantùm de ſacrificio ſimpliciter); cum purè activa ſacrificatio, utpotè agens in paſſum diverſum, eſſe debeat externa. Similes autem operationes ſunt ex natura ſua capaces ſuſcipiendi per extrinſecam denominationem à voluntate alterius, vel phyſicè exiſtente, vel moraliter perſeverante, veram ſignificationem, veramque rationem ſpectantem vel ad charitatem, vel ad religionis virtutem &c., Uti elargitio eleemoſynæ per manum famuli non poſtulat affectum peculiarem famuli ipſius in ea eroganda, ſed Domini jubentis. Et uti in ſacrificio altaris non exigitur eſſentialiter in viſibili Miniſtro, ultra intentionem præcedentem, affectus alius internus, ad hoc ut conficiat verum ſacrificium.

Ad ſecundum verò requiritur, ut qui patitur ſit etiam Sacerdos, & Sacerdos quà patitur, reſpectu ejuſdem ſacrificii ; alioqui actio alterius in ipſum conſtituet ſacrificium purè in actione, ſive in agendo conſiſtens, ſi alius ſit Sacerdos, & materia illa propria ſit ; ad modum quo actio Sacerdotis victimam irrationalem percutiens conficit ſacrificium. Ut verò ſacrificium in paſſione ſitum conficiatur, ſecundum quod differ à primo conſiſtente in actione (quoniam licet in illo etiam victima patiatur neceſſariò, & ſub ea ratione ſit terminus ſacrificii, illa tamen nec ſacrificat, nec eſt Sacerdos, ſed purè ſacrificatur), ſimul cum actione externa præſuppoſita interfectoris, uti contingit in ſacrificio Crucis, vel etiam active conſecrantis, ut contingit in ſacrificio altaris, deſideratur neceſſariò, & eſſentialiter affectus internus Sacerdotis patientis, ut offerentis ſeipſum, & non impedientis illatam mortem, aut ſubſecutam, cum poſſit (quod per ſe non convenit martyribus) ex ſe, & virtute ſibi debita, ſibique veluti innata, quantumvis inſtrumentali ; quin defectus ille affectus interni ſuppleri valeat per extrinſecam voluntatem inſtitutoris, aut alterius. Et propterea in ſacrificii genere paſſivo potiſſimum conſtitutivum eſt actio interna ſacrificans ; non verò illud per quod ſit ſenſibilis nobis, quamquam hæc ſenſibilitas ſit prædicatum eſſentiale. Id docuit Div. Thomas 2. 2. quæſt. 85. artic. 4. ibi: ***Duplex eſt ſacrificium, ſicut dictum eſt, quorum primum & principale eſt ſacrificium interius***. Eſtque doctrina S. Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 5.: & hæc eſt vera ſacrificatio in ſpiritu, & veritate, ideſt per actum internum ſpiritualem facta propriæ vitæ, de qua diſſerebat Chriſtus Dominus cum Samaritana Joannes 4. ubi per adorationem intelligunt Expoſitores, & Patres veram ſacrificationem (de quo nos copioſiùs diſp. 7. ſect. 1.) quo teſtimonio mirificè probatur aſſertio præſens. Non quia abſolutè in omnis ſacrificio actus internus ſit potiſſimum conſtitutivum ; ſed quatenus in ſacrificio paſſivo determinatè, actus internus ſit actio realiter immolans vitam Hoſtiæ, eodem pacto ac ſacrificatio externa pecudis. Sicut martyrium in adultis poſtulat eſſentialiter acceptationis actum, ſive conſenſum (in Innocentibus autem ex Divina liberalitate, & privilegio, illa non fuit exacta) ; & ſicut ad meritum requiritur actus internus pariter. Cum autem voluntaria illa immolationis ſui acceptatio, ut ſacrificium ſtrictum conſtituat, eſſe debeat ſimul cum potentia impediendi prædictam immolationem, & cum actu nolente illam impedire. Cumque utrumque fiat congruentiſſimè, & perfectè per eundem actum ; ideo Sacerdos in ſacrificio, quod in paſſione conſiſtit, ita eſt patiens, ut ſimul in vero aliquo ſenſu ſit agens, prout eſſentialiter requiritur ad ſacrificandum, & ad ſacrificium ut ſic.

Neque repugnat, idem ſuppoſitum eſſe Sacerdotem, & victimam ; cum manifeſtum ſit, idem poſſe agere in ſeipſum, & conſequenter agere, & pati, ſecundum diverſos reſpectus ejuſdem actionis. Quantumvis paſſio realis exerceatur in Corpore, ut in Cruce ; affectus verò internus ſacrificans, quà agit, & quà pati vult, ſit animæ, & Corporis: & in altari terminetur ad vitam actualem, prout complectitur omnes operationes vitales à Corpore pendentes, inter quas ipſemet affectus internus ſacrificatur, & ex ea parte identificetur inadæquatè victima cum ſacrificatione, quia ipſamet ſacrificatio reflexè ſacrificatur. Quin ad hoc referat quidquam, quòd ſolus patiens ſit Sacerdos, ut Chriſtus Dominus in ſacrificio cruento, in quo Carnifices non ſacrificarunt ; ſive quod etiam alius ſit ſacrificans, ut in Euchariſtia, in qua Miniſter viſibilis ſacrificat etiam, Siquidem licet Chriſtus Dominus in ſacrificio incruentò non ſit unicus Sacerdos, uti fuit in Cruce, eſt attamen principalis, & ſummus ; cujus alii ſubalterni ſunt tantùm & Miniſtri. Eo ſolùm diſcrimine, quòd ubi adeſt alius Sacer-

Sacerdos ſacrificans, requiritur ex parte illius, quà ſacrificantis actio externa ſenſibilis ſecundum eam rationem, in qua fuerit Sacerdos; cum reſpectu illius ſacrificium in agere conſiſtat, quia agit in victimam diſtinctam; Sacerdos verò principalis patiens, debet concurrere per actum internum (quamquam enim modus exiſtendi inextenſus per eam actionem productus inhæreat intrinſecè potentiis vitaliter operantibus, & ex ea parte oriatur etiam privatio vitæ connaturaliter ab impedimento intrinſeco; provenit tamen impedimentum illud ab agente extrinſeco). Utrobique igitur eodem titulo exigitur eſſentialiter affectus internus, ut ſit ſacrificium paſſionis, ſeu in paſſione conſtitutum, prout contradiſtingultur per ſe, & ex eo conceptu formali ab illo, quod conſiſtit in pura actione. Tametſi etiam hoc ut elicitum, aut eliciendum à ſummo Sacerdote, & quà eo titulo ſummè perfectum, poſtulet eſſentialiter affectum internum illius ex hoc ulteriori, & ſpeciali, titulo, ut tam victima, & Sacerdos, quàm modus concurrendi, & mactandi, ſint undique perfectiſſimi, & in quibus nihil jure deſideretur; qui enim in ſummo, & ſimpliciter infinito aliquid deſiderat, ignorat; quoniam eo ipſo neſcit, illud eſſe ſummum, & complectens omne deſideratum.

Num. 42. Nuperam utriuſque ſacrificii differentiam debeo acutiſſimo Cardin. Cajetano 3. par. quæſt. 48. art. 3. ubi de ſacrificio Crucis diſſerens, & mentem Sancti Thomæ declarans, inquit: *Attende, quòd juxta diverſam ſacrificii naturam diverſimodè invenitur facere ſacrum. In ſacrificiis enim conſiſtentibus in agere invenitur facere ſacrum ad extra, ut patet in ſacrificiis animalium, & altaris. Sed in ſacrificiis, quæ conſiſtunt in pati, invenitur facere ſacrum ſecundum actionem interiorem, qua ſponte offert Deo ſuum pati. Sic Chriſtus fecit ſacrum actione interiori: occiſores autem ejus fecerunt actione exteriori, non ſacrum, ſed ſacrilegium maximum.* Ubi licet ſacrificium altaris numeret inter ſactificia, quæ conſiſtunt in *agere*, quia ſupponit Chriſtum Dominum non eſſe Sacerdotem ſacrificantem ſeipſum in altari immediatè, & phyſicè; ſed unicè ſacrificari in ſenſu phyſico à Sacerdotibus Miniſtris, quod contradicit ſententiæ noſtræ; cæterum generalem hanc doctrinam, & ſubtilem differentiam haurimus ab ipſo, ut eadem utatur opinio noſtra adverſùs alios, & adverſùs eundem etiam, in ſui confirmationem, elucidationemque. Non quia illud *pati* uſurpetur in Euchariſtiæ ſacrificio, ſicut in ſacrificio Crucis, prout ſignificat paſſionem doloroſam; cum ſit jam in ſtatu impaſſibili Chriſtus Dominus, ſed quà importat immutationem realem paſſivæ carentiæ vitæ actualis, qua fruebatur.

Neque rurſùs vult Cajetanus, ſacrificium Crucis nulla ratione poſtulaſſe actionem violentam in occidentium livore natam; ſinaliter mortem ipſe Chriſtus Dominus ſibi ipſi ſolus activè adſciſceret; ſed vult duntaxat, ipſam actionem violentam, ſive occiſionem, ut eſſentialitèr præſuppoſitam, & voluntariè non impeditam, voluntarièque oblatam, ut deindè per actum internum, conſtituatur adæquatè ſacrificatio. Juvat tamen adducere verba D. Thomæ in allegato loco ad tertium, è quibus Cajetanus eam differentiam ſumpſit: *Dicendum quòd paſſio Chriſti, ex parte occidentium ipſum, fuit maleficium; ſed ex parte ipſius, ex charitate patientis, fuit ſacrificium. Undè hoc ſacrificium ipſe Chriſtus obtuliſſe dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt.* Quamvis autem actio inimicorum non fuerit, nec potuerit eſſe ſacrificativa formalitèr, ut ab eis proveniens, nec Carnifices eſſent Sacerdotes ad ſacrificandum jure deputati, nec intenderent cultum Deo exhibere (tametſi Sacerdotes, & Scribæ, ſe obſequium præſtare Deo, per turpiſſimum errorem, putaſſent); ſed invidiæ, & crudelitatis ſitim inexplebilem imbribus cruoris extinguere; illa tamen ut non impedita liberè à Chriſto Domino, ſeu quà liberè permiſſa (per affectum internum poſitivum, inducentem privationem vitæ quà miraculosè retentæ) pertinebat eſſentialitèr ad ſacrificium, quamvis illa ſecundùm ſe præſuppoſitivè ſe habuerit. Paritèrque actio conſecrativa, quà conſtituens Chriſtum Dominum ſub accidentibus Euchariſticis, & modo exiſtendi incapaci naturalitèr exercendi operationes vitales corporis, præſupponi debet eſſentialitèr ad actum internum ſacrificantem, juxtà dicta, imperantemque ſuſpenſionem vitæ actualis miraculosè ibidem elicitæ per virtutem inſtrumentariam, hujuſque expeditionem ad ulteriorem uſum, (conſtituentemque propterea ſacrificium incruentum). At hæc vita, qua privatur Chriſtus Dominus in Euchariſtia eſt intrinſeca potentiis, cum ſint actus immanentes intra ipſas. Ergò privatio illius non petit aliam actionem externam Chriſti Domini, ut ſupremi Sacerdotis, ſed actum internum poſitivè imperantem eorum ſuſpenſionem, & carentiam omnis vitalis exercitii. In quo differt à ſacrificio Crucis; quia in eo ſacrificabatur etiam vita ſubſtantialis, quæ debet terminare actionem externam poſitivam deſtructivam unionis. Ad eundem ferè modum, locutum fuiſſe S. Ambroſium lib. 1. de Officiis cap. 48. liquet ex verbis alibi productis, iterandis attamen, quia velut nata videntur ad rem præſentem: *Ante*, inquit, *Agnus offerebatur, offerebatur, & Vitulus; nunc Chriſtus offertur, quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſeipſe quaſi Sacerdos.* Hæc ſunt peregrina illa, quæ ſummus Sacerdos operatur in hoc verè inenarrabili ſacrificio, & arcanorum abyſſo, quamplurimaque alia abſcondita nobis efficit, & recondita cælat, quæ ſi paterent oculis, faltèm mentis, confeſtim parerent æternum admi-

admirationis o! o! *O altitudo divitiarum ſcientiæ &c.*

Num. 43. Fit 10. Imperium illud, ſive actum internum ſuſpenſivum vitæ actualis, efficaciſſimè inducere eo ipſo privationem, aut negationem omnis operationis vitalis à corpore pendentis, non ſolum in ea potentia, cujus eſt actus; verùm & in reliquis omnibus, utpotè eidem imperio, & dominatui ſubordinatis. Quapropter licèt privatio operationum aliarum potentiarum emanet immediatè ab ipſis, quà ſuſpendentibus concurſum in illas; ubi tamen operatio, aut ſuſpenſio fit ex imperio voluntatis, ſive rationis, exercitium potentiæ ſubjectæ, ſeu quà poſitivè elicientis actum ex imperio, ſive quà negativè ſe habentis per ſuſpenſionem operationis, introducentiſque negationem illius, completur per actum imperantem, fitque ex utroque una completa actio, per quam potentia imperans, ipſumque imperium eſt cauſa vera immediata, ſive effectus poſitivi, ſive privationis imperatæ, vel potiùs eſt unum cum ipſo actu imperato (quem cauſat). Ita expreſsè Div. Thomas 1. 2. quæſt. 17. artic. 4. ubi ex Ariſtotel. 2. Topicor. cap. 2. & 3. Phyſic. textu 20. *Sed contra*, ait: *ubi eſt unum propter alterum, ibi eſt unum tantum; ſed actus imperatus non eſt: niſi propter imperium: ergo ſunt unum*; & in corpore: *ut homo ex anima, & corpore, qui eſt unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium. Unde patet quòd imperium, & actus imperatus ſunt unus actus humanus, ſicut quoddam totum eſt unum.* Doct. Eximius de fine hominis tract. 2. diſp. 10. ſect. 3. Cajetanus, & tam Philoſophi, quam Theologi. Immo apud complures cauſa phyſica; & ſaltem phyſica ſine dubio cauſa eſt potentia imperans, reſpectu privationis actum potentiarum concurrentium ad imperandum. Uti & cauſa phyſica pariter indubitata eſt imperium privationis influxus miraculoſi in eas operationes, atque adeo privationis illarum, ut miraculosè elicitarum, & aliunde à qualibet potentia phyſicè inducente eam privationem denominatur ipſe Chriſtus Dominus cauſans eam privationem vitæ actualis. Quin & reſpectu modi operandi, utpotè miraculoſi, privatio, aut negatio illius unicè provenit ab illo imperio, præſuppoſitivè ſe habente modo Sacramentali impediente uſum operationum ſimpliciter naturalium, uti animadvertimus jam. Hæc tamen ſuſpenſio verſatur ſolùm circa functiones vitales corporis (quod eſt ſubjectum immolationis), non verò circa actus purè ſpirituales, & ab organicis planè independentes; cum ejuſmodi operationes eliciat anima etiam ſeparata. Proindeque viſio beata inſeparabiliter manet, & quæ ex illa per ſe deſcendunt, ad eamque neceſſariò conſequuntur.

Fit 11., prælatam mactationem, vitæque actualis remotionem, non fieri tantùm à Chriſto Domino ſub una ſpecie, ſed ſub utraque eodem tempore indiviſibili, cum ex immolatione ſub utraque ſpecie debeat conſurgere ſacrificium, ut docent omnes. Et cum ſub utraque ſit ſupremus Sacerdos actu, atque adeo actu ſacrificans; ubi ſacrificium debet fieri (uti fit) ex utraque ſpecie ſimul; ita tamen ut ex utraque conſtituatur unicum ſacrificium. Quamvis enim Sanguis, qui ponitur in Calice ex vi verborum nequeat eſſe aptus ad vivendum ut eſt corpus, quod conſtituitur vi verborum ſub ſpeciebus panis; cum tamen per concomitantiam debeat neceſſariò poni etiam ſub ſpeciebus vini integer Chriſtus Dominus, idcirco utrobique fungitur munere Sacerdotis ſupremi; quia utrobique fit, & adeſt ſacrificium, ſaltem inadæquatè in quolibet ſeorſim, de quo infra.

Fit 12. conſequenter ad dicta, ſacrificium nullatenus confici a Chriſto Domino, nec, quà ab ipſo peragendum, inchoari, donec utraque conſecratione facta, & donec elicitis vitaliter ſub utraque ſpecie operationibus (ſive actibus) omnes illas ſuſpendere decernat, & immolari unà cum proxima facultate utendi virtute inſtrumentaria propria. Verum quo temporis momento poſt conſecrationem Calicis emittit illum actum (debet enim adeſſe fixum tempus, deſtinatumque ipſa inſtitutione, ne errare valeat ſacrificium modò per hanc, modò per illam Miſſæ functionem), & peragit tandem ſacrificium? Crediderim, illum emitti, ſacrificiumque confici, dum finiuntur verba omnia in conſecratione Calicis prolata, etiam illa, quæ ſunt juxta communem ſententiam extra conſecrationis eſſentiam poſita; *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Ut in mora illa temporis ab inſtanti, in quo ex integro proferuntur verba eſſentialia conſecrationis Calicis, & quorum vi, efficaciaque conſtituitur extemplo Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus vini, uſque ad inſtans, in quo finiuntur verba nuper relata, poſſit ſub eis vini ſpeciebus erumpere in diverſos actus vitales Corporis, in utilitatem omnium, fructumque ſacrificii applicare, ut habeat actu vitam actualem corporis, quam immolet (ſi autem cum Doctore Angelico, ut creditur, putares, omnia illa ſpectare ad eſſentiam conſecrationis; nonniſi morula aliqua interpoſita inter eorundem prolationem integram, & ſacrificationem). Ratio congruentiæ, & ſanè non contemnenda, eſt: quoniam conſecrationis verba eſſentialia potiùs ſignificant, redduntque ſenſibile Sacramentum permanens Corporis, & Sanguinis Domini, quàm ſacrificium incruentum in fieri ſitum; & aliunde ſacrificium, utpotè Eccleſiæ viſibile relictum, eſſe debet ſenſibile ſufficienter, ſignificarique verbis proportionatis (actionibuſque Miniſtri viſibilis, qui ſub ea ratione verè concurrit ad ſacrificandum, conſtituitque intrinſecè, & eſſentialiter ſacri-

crificium) cujuſmodi ſunt illa, quæ ſubſequuntur ad eſſentialia verba conſecrationis Calicis.

Doctrinam hanc tradit perſpicuè S. Thomas 3. par. qu. 88. art. 2. corpore: diſputans de forma conſecrationis panis, ait enim: *Converſio autem poteſt conſiderari dupliciter, uno modo ut in fieri: alio modo ut in facto eſſe; non autem debuit ſignificari converſio in hac forma, ut in fieri, ſed ut in facto eſſe.* Idque probat ſolidiſſimè, præſertim exemplo formę artificialis, ſubditque: *Unde in hac forma* (conſecrationis) *debet exprimi converſio ut in facto eſſe, ad quod fertur intentio: & quia ipſa converſio exprimitur in hac forma, ut in facto eſſe, neceſſe eſt, quòd extrema converſionis ſignificentur, ut ſe habent in facto eſſe converſionis.* Et in reſponſione ad primum inculcat: *quòd fieri non eſt ultimus effectus hujus conſecrationis, ſed factum eſſe, ut dictum eſt; & ideo hoc potiùs exprimi debet in forma.* Et quamvis loquatur de fieri ſolius converſionis, hoc ipſum tamen comprobat intentum: tum quia nec ſecundariò fieri aliud ſignificat, in quo conſiſtat ſacrificium: tum quia cum fieri conſtituens completè ſacrificium, ſit primò, & per ſe intentum à Sacerdote, dum celebrat, Sacramentum ſimul conficiens, & ſacrificium peragens, & offerens Deo, ut conſtanter docent Scholaſtici, ſupponitque tanquam inconcuſſum Doctor Eximius; à fortiori debent adſtrui, aut deſignari verba alia, ſacrificium per ſe primò, & ultimatè ſignificantia, tanquam principaliter intentum. Qua nanque prudenti ratione ſuaderi valet, ſacrificium maximum, & totius Eccleſiæ nomine conficiendum ſenſibiliter, ita peragi à Miniſtro, ut nec per ſe illud primariò intendat, nec ſignis ſenſibilibus ipſum directè ſignificantibus exprimat? Hæc autem eſſe opinamur verba illa, quæ poſt conſecrationem Calicis (quà frequentiùs adſtructam) proferuntur in Perſona Chriſti Domini. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, per quæ ipſa actualis effuſio ſanguinis, & ex conſequenti ipſa actualis ſeparatio animæ (per ſanguinem, ut notum eſt, ſignificatæ) declaratur; ſubindeque Crucis ſimul, & altaris ſacrificium, ſeu fieri illud, in quo conſiſtit eſſentia utriuſque ſacrificii, licet ſub diverſo ritu. Et cum ipſamet vita formalis ſignificetur per ſanguinem clariſſimè, ut teſtatur ſæpiſſimè Scriptura Sacra, & docet Philoſophia; ideo effuſio illius eſt effuſio vitæ, quæ facta à Sacerdote, eſt formaliter ſacrificatio.

Num. 44. Hanc etiam partem poſitivam docuit S. Thomas in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 11. non ſolùm quatenus affirmat, quòd Sanguis Chriſti *directè repræſentat paſſionem*, per quam eſt effuſus; verùm & dum exponit ibidem verba illa in conſecratione Calicis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* aſſerens, illa dici, quia *Valet in remiſſionem peccatorum ſumentibus per modum Sacramenti.... valet etiam per modum ſacrificii non ſumentibus, pro quibus offertur: quod ſignificatur, cum dicitur, & pro multis.* Apertiùs tamen mentem ſuam declarat 3. par. qu. 78. art. 3. ubi diſputans, an omnia illa verba, quæ in conſecratione Calicis proferuntur, ſint neceſſaria, aut de ſubſtantia illius, affirmativamque ſententiam veram in ſenſu aliquo pronuntians, inquit in corpore articuli: *Dicendum eſt ergo, quòd omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ, ſed per prima verba, cum dicitur: hic eſt Calix Sanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem eo modo, quo dictum eſt de forma converſionis panis: per verba autem ſequentia deſignatur virtus ſanguinis effuſi in Paſſione.* Semel autem ac prima illa verba præciſivè à ſubſequentibus ſignificent converſionem vini in ſanguinem; eodem prorsùs modo, quo converſionem panis in Corpus Chriſti Domini ſignificant, & efficiunt verba in conſecratione panis, neceſſariò efficiunt exiſtentiam ſanguinis adæquatè, ſuntque conſecrativa ſeipſis completè. Namque ut ipſe Sanctus Doctor præmiſerat artic. 2. ejuſdem quæſt. *Hæc conſecratio conſiſtit in converſione ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti: oportet autem formam Sacramenti ſignificare id, quod in Sacramento efficitur. Unde & forma conſecrationis panis debet ſignificare ipſam converſionem panis in Corpus Chriſti.* Pariter ergo efficiunt adæquatè converſionem vini in ſanguinem verba illa prima ſeorſim à ſubſequentibus. Non obſcuriùs locutus fuerat in 4. diſt. 8. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 2. ibi: *Quamvis illa* verba, *quæ ſequuntur, ſint ut proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem, in quantum eſt per paſſionem effuſus. Et ideo illa, quæ ſequuntur, ſunt eſſentialia ſanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur, & ideo oportet, quòd ſint de ſubſtantia formæ.*

Præterea Eximius Doctor tom. 3. in 3. par. diſp. 60. ſect. 1. referens D. Thomæ ſententiam circa conſtitutionem eſſentialem conſecrationis Calicis per omnia illa verba, arguenſque ex illius mente in favorem illius, ait: *Confirmatur ſecundò: quia per illam determinationem: qui pro vobis effundetur, ſignificatur eſſe ſacrificium, quod in conſecratione Sanguinis perficitur. Eſt ergo illa determinatio eſſentialis. Et hæc opinio eſt valde probabilis, & magnæ authoritatis, cui Scotus diſt. 8. qu. 2. art. 2. contradicere non eſt auſus, ſed rem dubiam reliquit.* Neque minoris efficaciæ ſunt verba alia D. Thomæ eadem qu. 78. art. 1. in quibus diſputat pariter de verbis eſſentialiter conſtituentibus conſecrationem, tam panis, quàm vini, inquiritque, num ſufficiant illa pro conſecratione Hoſtiæ: *Hoc eſt Corpus meum &c.* & hæc pro Calice: *Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.* Dum ſic loquitur in reſponſione ad quartum. *Unde dicendum eſt, quòd ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferat cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quaſi ex Perſona Chriſti prolata.* Et aliunde totus

eſt

eſt Angelicus Doctor in perſuadenda neceſſitate ſubſequentium verborum, tanquam eſſentaliter intrinſecè ſpectantium ad conſecrationis ſubſtantiam, ſive eſſentiam. Ergo quia illa ſunt eſſentialiter requiſita, non ad converſionem vini in ſanguinem, Sacramentumque conficiendum; ſed illa præſuppoſita, ad ſacrificium primariò (ejuſque effectum ſecundariò) ſignificandum, ſenſibileque efficiendum. Ita ſanè, ut ſignificent ſacrificium cruentum, & ſimul incruentum repræſentans illud, quia ad illius exemplar peragitur ſub alio ritu.

Neque vim ingerit reſponſio quorumdam uſurpantium cum Dominico Soto, & Ledeſma verba Divi Thomæ de ſubſtantia formæ, & integritate conſecrationis, non verò de eſſentia. Quandoquidem pro eodem accipere Div. Thomam ſubſtantiam ibi, ac eſſentiam, oſtendunt Capreolus, Paludanus, Peſantius, & veteres plerumque Thomiſtæ, convincuntque verba ejuſdem D. Thomæ 3. p. q. 60. art. 8. ubi diſſerens de mutatione formæ Sacramentorum in genere, inquit: *manifeſtum eſt autem, quòd, ſi diminuatur aliquid illorum, quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur ſenſus verborum. & ideo non perficitur Sacramentum*. Hoc autem eſt illud, quod ſignificatur, & intenditur, cum dicuntur eſſentialia, ut fatentur reſpondentes. Ergo idem eſt, apud D. Thomam ibi, eſſe dè ſubſtantia, ac eſſe de eſſentia. Inſubſiſtens pariter eſt Salmanticenſium evaſio per verba præcedentia Canonis, quaſi abſque his duntaxat, confici Sacramentum aſſeruerit D. Thomas, non verò abſque ſubſequentibus: cum manifeſtè conſtet ex verbis argumenti, cui ſatisfacit D. Thomas, illud contendere: *Hoc Sacramentum perfici his ſolis verbis prolatis, & omnibus aliis prætermiſſis, quæ in Miſſa dicuntur*. Subindeque prætermiſſis, tam quæ ante, quàm quæ poſt illa proferuntur, ut contingeret, ſi Sacerdos aliquis nihil aliud Miſſæ pronuntiaret, quàm ſola verba prædicta. Quinimmo D. Thomas ipſe in ejus reſponſione addit: *quidam dixerunt, hoc Sacramentum perfici non poſſe prædictis verbis prolatis, & aliis prætermiſſis, præcipuè, quæ ſunt in Canone: ſed hoc patet eſſe falſum &c.*. In Canone autem ſunt tam quæ ſequuntur, quàm quæ præcedunt; quin & præcipue illa, & quodammodo diviniora concipiuntur, cum proferantur veluti in ipſo ferè momento, quo ſacrificium formaliter conficitur: dum conſecratio ſub utraque ſpecie clauditur: dum ſecretum Regis, ſecretum magni Regis tractatur, cujus ratione Canon, *ſecretum* jampridem appellatum eſt, ut liquet ex Concilio Eboracenſi, ſedente Celeſtino III. & ex S. Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. cum in ejus adytis negotii ſumma, & ſumma negotiorum agatur.

§. II.

Num. 45. HAc via conciliari poſſunt optimo jure diſſidentes mutuò Scholaſticorum opiniones circà verba eſſentialitèr requiſita ad conſecrationem Calicis: docente Divo Thoma, & egregiè firmante (cui facem prætulit Albertus Magnus in 4. diſtinct. 8. artic. 7. tametſi alitèr ſentire videatur in libro de Sacrificio Miſſæ cap. ultimo) omnia illa, quæ proferuntur à Miniſtro, pertinere ad ſubſtantiam formæ, vel conſecrationis, ita ut aliquo deficiente, minimè ſubſiſtat conſecratio. Divi Thomæ veſtigia premunt graviſſimi Theologi, Paludanus, Hervæus, Capreolus, Ricardus, Argentinas, Ægydius, Henricus, Gerſon, Hiſpalenſis, Divus Antoninus, Sylveſter Gamachæus, Wiguers, Armilla, Tabiena, Petrus Soto, Arauxo, Gonet, Amicus, Thomas Hurtadus, Lorca, Cornejo (quamvis non ex integro) Paſqualig., Salmanticenſes &c. Eamque firmat authoritas Catechiſmi juſſu S. Pii V. editi, ubi eſſe integram formam, docet *certò credendum*, & rursùs, *de hac forma nemo dubitare poteſt*. Colligiturque ex Concilio Florentino, & ex Colonienſi. Accedit, quod explodere ſimul juſſerit S. Pius V. Commentarium Cajetani in tres articulos illius quæſtionis 78. quia oppoſitum mordicùs tuebatur. Accedit inſupèr, Græcorum Liturgias nobiliores, tametſi non meminerint verborum, *Æterni, & Myſterium Fidei*, reliqua tamen conſtantèr appoſuiſſe, ut conſtat ex Liturgia S. Baſilii, & S. Chryſoſt. & notat. Card. Bona lib. 1. Rerum liturgic. cap. 13. & priùs notaverat, fuſiùſque, Gabriel de Henao Diſput. 12. de Euch. ſect. 2. uti & habentur in Liturgia Sancti Jacobi in Miſſa Moz-arabum, in Liturgia Sancti Marci, ſicut obſervat P. Vaſquez diſputat. 198. cap. 3. & in aliis paſſim, ſi unam, aut alteram, non tam probatæ authoritatis, excipias. Quod non leve argumentum, aut indicium veritatis hujus opinionis eſt; tametſi ſubjacere videatur inſtantiis petitis ex aliis verbis, quæ proferuntur à Græcis in conſecratione panis, quin propterea illa pertinère ad eſſentiam illius conſecrationis, probabile ſit. Cæterum cum ejuſmodi verba minimè apponantur ab Eccleſia Latina ſimul cum reliquis conſecrationis panis, nec in hoc conveniat utraque Eccleſia, ſicut conſentit utraque in eis, quæ proferuntur in conſecratione Calicis, cadere videtur ab efficacitate prædicta inſtantia.

Exadversò autem prima ſolùm verba pertinere ad eſſentiam, aut ſubſtantiam conſecrationis Calicis, docet reſiduum Theologorum, etiam Thomiſtarum, agmen (ſimul cum teſtimoniis perſpicuis Eccleſiæ Patrum) ductum potiſſimè à Doctore Seraphico, qui in 4. diſtinct. 8. par. 2. art. 1. quæſt. 2. propoſito breviter dubio, ait: *quòd autem iſta* (ex primis tantùm verbis) *ſit*

forma

forma recta patet per hoc, quòd ipſam tenet Romana Eccleſia, quæ fuit ab Apoſtolorum Principibus edocta. Quin & in concluſione, tituloque ei affixo, inquit: *Forma conſecrationis, Calicis, videlicet: hic eſt calix Sanguinis mei, eſt recta, & certa, & tota congrua: quod autem additur, eſt de benè eſſe*. Et Subtilis Doctor quamquam dubius fuerit circa utramque opinionem, in neutram apertè inclinans; nihilominus, non ſolùm diruit oppoſitæ ſententiæ fundamenta, ſed & adjungit §. *de iſto ſecundo*, quòd ſive ita fuerit reipſa inſtituta forma, ſive non: *periculoſum eſt hoc* (ſententiam Divi Thomæ) *aſſerere, de quo ſufficiens authoritas non habeatur, non eſt autem periculoſum ignorare*. Idemque repetit in reportatis eadem diſt. 8. quæſt. 2.: pro hac ſententia militant ſtrenuè cum Magiſtro Sent. Alexander de Ales, Albertus Magnus, Gabriel, Aureolus, Marſilius, Carthuſian. Alanus, Major, Armacanus, (præcipua ex parte) Durandus, Cajetanus, Victoria, Baſſolis, Dominicus Sotus, Ledeſma, Serra, Joannes à Sancto Thoma, Aretinus, Rada, Salmeron, Doctor Eximius, Vaſquez, Valentia, Bellarm. Toletus, Henriquez, Granados, Gravina, Averſa, Cardinalis de Lugo, Bonacina, Dicaſtillo, Rhodes, Martinon. Mæratius, Henao, Leander, Conink. Trullench. Wigers, Layman, Redigin, Platelius, Gobat, Contempſon. Gavatius, Mezguer, Gormaz, & conſtantiſſimè Juniores. Vides pugnaciſſimam hanc litem nunquam dirimendam privatis ingeniorum, quamvis primæ claſſis, argumentis, aut armis; itaut acies aliqua victrix glorietur verè de triumpho. Cęterum, quæ dirimi nequit utrinque certando, conciliari valet utrinque vincendo; & quæ nec inducias adhuc, aut armiſtitium, tolerat; mutua concordia Iridem læta omnium capita irradiantem aſpiciat.

Num. 46. Arbitramur itaque ex diametro pugnantem ad invicem opinionem eſſe veram, reddique in toto rigore ſermonis conciliatam per noſtram aſſertionem. Itaut verba ſequentia ſint quidem eſſentialia conſecrationi Calicis, non ſanè prout efficit converſionem vini in Sanguinem Chriſti Domini, invebitque Sacramentum; ſed prout ſignificat ſacrificium, tum Crucis, quod exprimi debet ſufficienter in ſacrificio altaris; tum incruentum ipſum, quod ibi actu peragitur, & jamjam tunc perficitur. Cum enim fide edocti fateamur, ſacrificium juge ſecundum propriam rationem, qua diſtinguitur à Sacramento, fieri debere ſenſibile, ſignificarique per verba aliqua (uti & per actiones Sacerdotis, aliaque ſigna); cumque aliunde compertum ſit ex Theologis, & expreſſiſſimè ex Div. Thoma ſupra, quòd per verba illa prima ſolùm ſignificetur converſio, & potiſſimè quà ſumitur in facto eſſe Sanguinis permanenter ſub ſpeciebus vini, quemadmodum per illa ſignificatur mors Chriſti Domini in facto eſſe quoque; non autem primò, & per ſe in fieri, in quo, omnium conſenſione, ſitum eſt ſacrificium: ideo eſſentialiter poſtulantur reliqua verba, præſertim illa, *qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* ad ſacrificium propriè, & ſtrictè ſignificandum, illudque in ratione ſenſibilis conſtituendum; quatenus per illa exprimitur exercitè, & ſignatè in vera aliqua acceptione, effuſio ipſa actualis Sanguinis in Cruce; atque adeo ſeparatio vitæ, tum ſubſtantialis, tum actualis ſignificatæ per Sanguinem perenni Scripturarum, & Sapientum uſu: & exinde ſignificatur neceſſariò actualis repræſentatio illius, quà actu occultè exercetur in ſacrificio incruento; non quæ purè repræſentet, alioqui non foret ſacrificium, ſed quæ repræſentet immolando realiter, licet incruentè, vitam ipſam actualem. Immò quaſi per prius ſignificant ſacrificium hoc incruentum occultum, & ſimul cum illo, ut facto ſenſibili, ſacrificium Crucis. Tametſi enim ſacrificium non declaretur per ſe, & veluti primo loco, per ſignum ſenſibile, uti Sacramentum; verumtamen omnino certum eſt, illud involvere eſſentialiter rationem ſigni ſenſibilis, dicente Synodo Trident. ſeſs. 22. cap. 1. *Ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium*.

Hinc fit, totam illam formulam (quæ ab Scholaſticis non infrequenter æquè appellatur forma ſacrificii, ac Sacramenti; eo quod illud conſtituat in ratione ſenſibilis, quæ eſt eidem eſſentialis) eſſe ſignificativam ſacrificii. Ita tamen, ut conſtituat realiter ſanguinem ſub ſpeciebus vini per prima verba, conſtituatque Sacramentum per modum formæ. Significativa verò ſacrificii, & conſtitutiva illius in ratione ſenſibilis, ad inſtar formæ, per reſidua verba, eo titulo eſſentialiter requiſita; non autem duntaxat plenioris expreſſionis gratia. Neque enim ex ullo capite repugnat, quòd forma illa verborum pœnes aliqua efficiat, & ſignificet expreſsè Sacramentum (unà cum ſpeciebus); & penes alia purè ſignificet ſacrificium; per cujus ſignificationem expreſſiorem dicta verba ſubſequentia conſtituunt ſacrificium in ratione ſenſibilis. Hujus concordiæ doctrinam luculentiſſimam facit Apoſtolus ferè toto cap. 9. ad Hæbr. ubi altè docuit, ſacrificium à ſummo Sacerdote peractum nec compleri, nec conſummari potuiſſe abſque Sanguinis effuſione. Per verba autem ultima in conſecratione Calicis prolata, ſanguinem effundendum exprimentia (vel effuſum) ſignificatur modò effuſio actualis ſanguinis, ſubindeque vitæ ſimpliciter (per ſanguinem deſignatæ) in Cruce exercitæ, & ſimul incruenta ſeparatio vitæ actualis, quæ in altari de præſenti peragitur: unde per illa à fortiori conſtituitur, & fit ſenſibile, & externum, ſacrificium incruentum: eo modo quo verba præcedentia conſtituunt ſub eadem ra-

tione, & per modum formæ, Sacramentum. Quamquam enim altare non rubeſcat Sanguine effuſo, claret tamen vitæ actualis (per Sanguinem etiam deſignatæ) immolatione reali in abſcondito exiſtente, & ſenſibiliter repræſentatæ.

Num. 47. Hanc doctrinam tenuit doctiſſimus P. Amicus de univerſa Theologia benemeritus diſp. 24. ſect. 1. quatenus nervosè probat, uullatenus ſignificari ſufficienter naturam incruenti ſacrificii, niſi per verba ultima exprimentia Sanguinis effuſionem ſacrificii cruenti, quæ repræſentatio eſt eſſentialis ſacrificio incruento: & aliunde ad eſſentiam conſecrationis pertinere debent ea omnia verba, quibus completè ſignificetur arcani Euchariſtiæ natura, quæ includit eſſentialiter utranque rationem, ſacrificii, & Sacramenti; quod, niſi per verba poſtrema in conſecratione Calicis, unà cum præcedentibus, neutiquam obtinetur. Voluntariè enim occurrunt, qui dicunt, effuſionem illam, fierique ipſum ſacrificii, ſufficienter ſignificari exercitè per verba, quæ antecedunt unitim cum verbis conſecrationis panis. Quandoquidem, teſte Divo Thoma ſupra, verba illa ſolùm in facto eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini tam in Cruce, quam in altari ſignificant propriè; atque adeo nequaquam ſignificant ſufficienti modo *fieri* ipſum exercitè. Rurſus ſacrificium hoc eſt perſectiſſimum, perfectiſſimèque inſtitutum, conſequenterque debet eſſe perſectè ſignificatum; aliter nou erit ſufficienter ſenſibile, nec erit ſummum undique, prout de facto inſtitutum eſt. Accedit, ſacrificium eſſe prius in intentione Sacramento, ut animadvertimus ſupra; unde non debet indirectè ſolùm, ſecundariò, & ſuboſcurè ſignificari; ſed per ſe primò, dilucida aliqua expreſſione, ne foret potiùs internum, & ſimpliciter non ſenſibile nobis (in quo eaderet à ratione veri, & ſtricti ſacrificii); & ne tantæ dignitatis ſacrificium neglectum parùmper, quaſi in foro externo, videretur.

Nihil autem refert, quòd inde ſequatur, Sacerdotem, non proferentem niſi prima verba, peracturum Sacramentum, quin conficeret ſacrificium; hoc enim fatendum in ſimili omnibus eſt, ſi Sacerdos conſecrato pane, vinum non conſecraret. Fatendum eſt illis, qui vel fractionem, vel ſumptionem, aut etiam oblationem ad conſecrationem ſubſecutam credunt conſtitutivas eſſentialiter ſacrificii. Inutilis quoque eſt retorſio quorundam, opponentium verba affinia, quæ Chriſtus Dominus protulit in conſecratione panis Lucæ 22. *quod pro vobis tradetur*, & habentur etiam 1. ad Corint. 11., quæ non minùs deſignant fieri paſſionis, quàm effuſio Sanguinis; & nihilominus non ſunt eſſentialia ſacrificio, uti nec Sacramento. Siquidem permiſſa ea pari ſignificatione non debet inculcari, ſeu duplicari con[illegible]o illius prædicati, itaut utrobique, adeoque bis conſtituat eadem ſignificatio, ut vitetur redundantia. Si autem ſemel tantùm conſtituere debeant verba quà ſignificantia *fieri* ſacrificii, potiùs ſeligi debuerunt, quæ proferuntur in conſecratione Calicis, quàm quæ pronuntiantur in panis conſecratione: quoniam Sanguis aptior eſt ad eam effuſionem actualem vitæ ſignificandam (quæ materiæ idoneitas neceſſaria eſt, ut aſſumatur prudenter ab Inſtitutore ſicuti docent unanimi conſenſione Theologi); ita expreſſè Div. Thom. ea quæſt. 78. artic. 3. ad 7. ibi: *Sanguis ſeorſim conſecratus à corpore expreſſiùs repræſentat paſſionem Chriſti, & fructum ejus. Et ideo potiùs in conſecratione Calicis ſit mentio de paſſione, & fructu, quàm in conſecratione Corporis.* Idemque dixerat ibidem ad 2. Præterea verum non eſt, verba illa eſſe æquivalentia illis, quæ dicuntur in conſecratione Calicis: quoniam corpus tradendum ſignificat potiùs ſubjectum paſſionis, in facto eſſe, quàm fieri ejuſdem paſſionis; cum ſit res per ſe permanens, colligiturque ex ſuperiori doctrina S. Thomæ. E' regione verò effuſio ſanguinis expreſſa in ſecundis verbis, *fieri* ipſum deſignat, ac proinde ſacrificium.

Tertiò: ſacrificium confici nequit, niſi ſinita utraque conſecratione, ſine qua nondum eſt ſufficienter proportionata materia Corporis, & Sanguinis, ut per illam adjunctis verbis exprimatur ipſum fieri mortis. Verùm equidem eſt prius in executione eſſe fieri mortis morte ipſa in facto eſſe; nihilominus tamen juxta Eccleſiæ Sanctæ doctrinam, prius intelligitur ſub utraque ſpecie completum, ut intelligatur inde reſultans ſacrificium; cum tamen juxta D. Thomam ſupra, & Theologos cum ipſo, Sacramentum ſignificet corpus, & ſanguinem potiùs in facto eſſe. Aliter itaque ſe habet paſſio in repræſentatione Euchariſtica, quo ad ordinem, & modum illum, ac fuit realiter in ſeipſa; cuius ratio deſumenda eſt ex permanentia Sacramenti Euchariſtiæ, quod propterea debet ſignificare corpus in facto eſſe, & ſanguinem in facto eſſe ſeparatum; & ex alia parte nequit concipi, nec exiſtere realiter fieri ſacrificii, tum cruenti, ut repræſentati, tum incruenti repræſentantis, quin præſupponantur extrema ibi aliqua ratione præexiſtentia; & ideo præcedit, ut Sacramentum in executione; cæterum verba, quæ ſubſequuntur, ſignificant *fieri* ſacrificii incruenti præcedens ratione *factum eſſe* illius. Uti ſiquis in Tragædia exprimeret, & doleret mortem violentam alicujus jamdudum factam; & deinde modum occiſionis, ipſamque occiſionem dolenter, & ſimul atrociter repræſentaret. In reipſa impoſſibilis eſt inverſio ordinis, in repræſentatione inverti poteſt opportunè, & eloquentiſſimè ſæpè. Quin potiùs inde deſumi poteſt argumentum pro concordia noſtra; quia eadem verba conſecrationis nequeunt ſigni-

ficare

ſicare convenienter per prius factum eſſe, quàm fieri; cæterum ſi verba, exprimentia fieri, ſint diverſa, poſſunt ob motiva inſinuata proferri prius illa, quàm hæc.

Addenda ſecunda ratio: quoniam repræſentatio ſacrificii cruenti ita debet fieri per incruentum præcipuè, ut ſimul hoc ſit verè ſacrificium in ſe, veramque mactationem aliquam includat; hanc autem importare nequit, niſi ſupponat exiſtentiam ſacramentalem Chriſti Domini in Euchariſtia, quem immolet, atque adeo, quin ſupponat mortem Chriſti Domini, & Paſſionem in facto eſſe repræſentatam. Præterquamquod etiam verba conſecrationis ſignificant ipſum fieri, quaquam implicitè, & ſecundariò, minùſque principaliter. Tandem id ipſum liquet ex doctrina eorum, qui vel oblationem ſubſecutam, vel fractionem, ſumptionemve, conſtituere ſacrificium, opinantur. Immo ex doctrina Eccleſiæ, apud quam exiſtentia corporis in facto eſſe præcedit ſacrificium, complendum deinceps per *fieri* conſecrationis Calicis; itaut inter utrumque *fieri* partiale mediet *factum eſſe* corporis.

Si ſubjiciat alius, Divum Paulum in nupero loco nullam feciſſe mentionem ſequentium verborum in conſecratione Calicis: reſpondebimus; non omnia verba tradita fuiſſe ab omnibus Evangeliſtis, & multo minùs ab omnibus Canonicis Scriptoribus tradi debuerunt, aut à Divo Paulo, cum ſupponeret illa ab Evangeliſtis narrata. Tum quia ibi agebat ſolùm de Sacramento. Adjungendum rursùs, Apoſtolum noluiſſe conſultò agere expreſsè de ſacrificio altaris ob eaſdem rationes, ob quas, dum ſcriberet ad Hæbreos, tametſi Sacerdotium Chriſti Domini ſecundum ritum Melchiſedech extolleret ſupra Aaronicum; nihil tamen de ſacrificio Euchariſtico loqui diſſertè voluit, ne apud ignaros, vel adhuc parùm verſatos in arcanis Euchariſtiæ, & Chriſtianæ Religionis, immo in quibuſdam non benè ſentientes, ut innuit ibi Apoſtolus illis verbis: *Nam oportet & hæreſes eſſe &c.* Sacrificium Crucis reputari poſſet inſufficiens ad liberationem Mundi, indigeuſque alio jugiter conficiendo. Loquitur enim ad ipſos de Euchariſtia, quà Sacramento; quia ſupponit illos inſtructos, quantumvis aberrantes etiam in hoc ex parte, in ſumptione Sanctæ Synaxis, ægrèque diſcernentes inter panem communem, & cœleſtem: & propterea addit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbeciller, & dormiunt multi*. Et aliunde ob ſimilem imbecillitatem Hæbr. 5. noluit Hæbreis diſtinctè exponere Sacrificium Miſſæ. Idcircò fortaſſe denotat, plura ſe docturum Corinthiis de ſacrificio, cum in fine ejuſdem cap. 11. claudit: *Cætera autem, cum venero, diſponam*, ut vivæ vocis oraculo explicaret multa quæ in ſcripto, & mortua ſæpè apparent, & unà cum litera interdum occidunt.

Num. 48. Jacienda modo veuiunt ſolidè fundameuta aſſertiouis noſtræ, ut præcedentibus illationibus, aut obſervationibus declarata. Et ſanè primum ab expugnatione aliarum ſententiarum depromptum vires omnes ſortitur, quas habent argumenta ſect. præterita adversùs præfatas opiniones librata. Ubi nanque confitendum eſt, de ratione propria ſtricti ſacrificii eſſe, ut in ipſo includatur eſſentialiter realis aliqua mutatio victimæ, quæ per ſe primò offertur: ubi rurſus illa neutiquam reperiatur verè, & propriè in pura repræſentatione ſacrificii cruenti: nec in converſione ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini; quia ſubſtantiæ illæ panis, & vini nequaquam ſunt victima propria Euchariſtiæ, aut materia per ſe primò oblata: nec in ſumptione: nec in ſeparatione imaginaria eorum, quæ ponuntur ſub ſpeciebus ex vi verborum præciſivè ab aliis: nec tandem in reliquis philoſophandi modis, quos potiſſimè Scholaſtici amplectuntur, aut quærunt, in omne latus ſe incaſſum vertentes. Et ubi ex alia parte indubitatum eſt, mutationem à noſtra aſſertione ſtatutam eſſe ſimpliciter realem propriam ipſius victimæ, ejuſque vitam in vero ſenſu reali pertingentem, ſuppoſita vita actuali corporea Chriſti Domini in Euchariſtia divinitùs elicita, ex graviſſimorum Theologorum doctrina, & in præcedentibus ſtatuta, & hic præſupponenda. Inevitabili conſecutione infertur, ſacrificium conſtituendum prorſus eſſe per ejuſmodi immolationem.

Explicatur, & urgetur: fingamus hypotheſim, in qua Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus ſimpliciter mori poſſet divinitus per realem mactationem, vim, ſeu violentiam illi, quà ſacramentaliter exiſtenti, primò & per ſe factam, tametſi incruenta omnino ſeparatione animæ à corpore, nobis in ſeipſa inviſibili; quodque id non repugnaret ſtatui, uti re vera non repugnaret eo titulo in nocte Cœnæ, cum eſſet in ſtatu paſſibili. Sanè in ea hypotheſi nullus dubitaret, illam futuram veram realem immolationem ſacrificii propriè talis conſtitutivam, nec per alias invias aſperaſque ſemitas quæreret immutationem realem ſacrificii Euchariſtici. Et aliunde mactatio à nobis adducta, quamvis tanta non ſit, non eſt minùs realis ſimpliciter. Illa hypotheſis complecteretur utranque vitam ſubſtantialem, & actualem, hæc actualem ſolùm; cæterum, facta collatione utriuſque vitæ, hæc eſt finis potiſſimus per illam intentus, ad quem illa primò per ſe ordinatur. Hujus ergo mactatio, per quam Corpus Chriſti Domini, tametſi animatum ſub ſpeciebus, ita privatur omni actu vitali, functioneque vitæ, etiam per concomitantiam habendæ, ut reddatur incapax vivendi in actu ſecundo non aliter, ac ſi foret anima ſubſtantialiter deſtitutum, eſt apertiſſimè illa, quæ conſtituit ſacrificium juge in ratione veri, & ſtricti ſacrificii. Quamobrem li-

cet corpus eo modo exiſtens privatum omui, vel exigua, vitali functione, non dicatur ſimpliciter mortuum; quoniam hæc denominatio ex natura ſua ſignificat privationem vitæ ſubſtantialis; dicitur attamen ad inſtar emortui ſimpliciter exiſtens. Et propterea Agnus in Euchariſtia Apocal. 5. (de illa nanque uſurpant frequenter ea verba Interpretes ex Patribus) viſus fuit Joanui *tanquam occiſus*, eo quod ejus vita actualis in ara ſacrificatur, ut remaneat quidem animatus, & idcirco non ſimpliciter occiſus, ſed veluti occiſus, quia immotus. Per illam immolationem non moritur Corpus Chriſti Domini, in vero tamen aliquo ſenſu deſinit vivere. Quoniam verò nullus invenitur in natura rerum modus auferendi ſimpliciter naturaliter vitam actualem à Corpore, niſi auferendo ſimul ſubſtantialem; idcirco non vivere actu ſimpliciter, perinde ſonat, ac ipſum mori. Verùm cum ingenium divinum adinvenerit peregrinam hanc viam mortalibus ignotam, auferendi vitam actualem; quin auferat ſubſtantialem, quia ſtatus victimæ extra jactum mortis eſt; poteſt quamoptimè illud *non vivere*, ideſt illa carentia vitæ, mortem ſimpliciter nou ſignificare, licet ille inſtar mortui ſe habeat.

Neque foret neceſſaria privatio vitæ ſubſtantialis pecudum ad veram immolationem, ſi actualis auferri poſſet naturaliter in perpetuum (quautum eſt ex vi immolationis) ſubſtantiali relicta; niſi quia etiam in ea hypotheſi deberet ſignificari cruentum ſacrificium, & ideo auferri vita quoque ſubſtantialis: & quidem dum juge ſacrificium figurabatur, quia etiam tunc præfigurabatur cruentum ſimul, & quia incruentum debet pariter cruentum repræſeutare. Et niſi quia interdum ſaltem deberet utraque immolari, ut exprimeretur clariùs jus divinum in vitam etiam ſubſtantialem, & oecem ſimpliciter. Quid enim juvat poſſidere arborem, è qua nullos percipere fructus, nullas videre poteſt frondes poſſeſſor? Quid præſtaret homini habere animam emortuam ſimul cum corpore? Ita enim Nemeſius Epiſcopus Emiſſenus diſputans libro de natura hominis cap. 2. adversùs Platonem, Cronium, Theodorum Platonicum, & alios, qui ſomniarunt, Bruta eſſe prædita anima rationali; quantumvis nulla veræ rationis ſigna edere poſſent, benè arguit: *Supervacaneam fore animam rationis participem, quæ nullam illi rationis vis utilitatem allatura eſſet*. Et ſanè ſi cum ſtatu beatitudinis, & immortalitatis in Patria componi poſſet vera immolatio, nulla alia eſſet, nec eſſe poſſet.

Num. 49. Promovetur ſecundò: ſolemne eſt apud Eccleſiæ Patres, Coucilia Sacra, & uotas Liturgias, appellare ſacrificium altaris veram Chriſti Domini immolationem; at hoc ſubſiſtere nequit, niſi Chriſtus Dominus ſuſtiueat (in ſenſu, in quo pati convenire poteſt Beato) jacturam vitæ actualis corporis pro eo ſtatu; & aliunde pro illo oullam aliam ſtrictè talem ſuſtinere valet, quàm à oobis aſſertam. Vera igitur eſt aſſertio noſtra. Major ægrè, niſi productis teſtimoniis, ſaltem quibuſdam primæ notæ, demonſtrari valet: propterea referam primò loco verba D. Jacobi in celebri ipſius Liturgia, & reliquarum ſonte, quam genuinum Sanctiſſimi illius Apoſtoli fœtum agnoſcit conſtantiſſimè vetus Eccleſiæ Græcæ traditio. Quam allegat Synodus Trullana cap. 32. ejuſque auctoritatem vindicant à Sectariorum Sophiſmatibus, & firmant ſimul irrefragabilibus teſtimoniis veterum Scriptorum, Leo Allatius, & Cardin. de Bona lib. Rer. Liturgic. cap. 8. In ea igitur Liturgia, urgente jamjam conſecrationis tempore, dicit Sacerdos: *Taceant mortales, & ſtent cum metu, & tremore, nihil terrenum cogitantes, Rex enim Regum, Dominus dominantium, Chriſtus Deus Noſter exiſtit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus*. Ubi duo ſedulo obſervanda; unum eſt, S. Jacobum ſimpliciter protuliſſe, docuiſſeque fideles, Chriſtum Dominum in Euchariſtia mactari. Alterum eſt, Jacobum priùs ſupponere Chriſtum Dominum extiturum realiter præſentem altaribus, quàm mactari; hoc enim ſignificat *to exiſtit* in confinia coofecrationis dictum, ut per ſe notum videtur (ideſt aderit poſt conſecrationem, ut mactetur); quod nullo pacto intelligi poteſt, niſi per immolationem realem vitæ actualis, à nobis aſſertam: maximè ubi diſſertis verbis mactationem à ſumptione diſtinguit.

Non enim mactatur, quà præſupponitur exiſtens in Cœlo, ut extra dubium eſt; & cum aliunde nequeat auferri vita, quæ non ſupponitur exiſtens, & longè minùs illa, quæ exiſtere non poſſit, optima ratione deducitur, immolari realiter Chriſtum Dominum jam actu exiſtentem, & vita actuali ibidem primò divinitus elicita gaudentem, quatenus illa privatur, modo hactenus fusè expenſo. Eaque vita præexiſtens in altari legitimè infertur ex duabus hiſce obſervationibus, juxta mentem Jacobi; eum concipi nequeat victima rei ex ſe ſubſtautialiter viventis verè capax mactationis realis, quin ſupponatur actu vivens in actu ſecundò; quia per ſe loquendo Hoſtia vivens non aliter mactationem ſubire poteſt verè, & realiter, niſi quatenus termiuare valeat actionem immutautem realiter ejus vitam; & cum aliunde vita ſubſtantialis præfatæ victimæ auferibilis miuimè ſit, quia immortalis eſt, & eſſe debet ſemper, oeceſſariò ſequitur, eatenus mactari poſſe, quatenus vitam corporis in actu ſecundo amittere valet per ſacrificationem. Idque firmatur urgentiùs adhùc ex verbis ejuſdem Liturgiæ poſt conſecrationem à Sacerdote dicendis, quibus ſignificatur, Chriſtum Dominum, in altari ipſo ante ſumptionem aliquatenus revixiſſe, de quo infra uberius; manifeſtum autem eſt, quòd ibi vixerat, ubi revixit. Annectendum hic egregium teſtimonium Heſychii, quia præclariſſimum, ut refert, & extollit Bo-

nn-

nuccius Ephemerid. Euchar. ad diem 28. Martii: *Niſi enim Chriſtus rogatus ore Sacerdotum ipſo venerit, & Cœnam ſanctificaverit, & initiaverit, ea quæ aguntur, nullatenus ſacrificium Dominicum fiunt*. Ubi ſupponit præſentiam realem Chriſti Domini in altari, & nihilominus nondum peractum ſacrificium, donec ipſe ſeipſo illud peragat; quo teſtimonio uti nihil ſplendidius, ita nihil profundius.

Num. 50. Magnus Athanaſius Oratione in Paraſceve inquit: *Occiſa eſt hæc hoſtia pro te; & tu deſeris illam, ipſam immolatam aſpiciens. Ubi & cadaver, inquit, ibi & Aquilæ: ſed ut canes accedimus, tanta noſtra eſt impudentia*. Quibus verbis non modò affirmat, Chriſtum Dominum in altari immolatum, ſed ita ut in acceptione deſignante privationem aliquam vitæ, actualis videlicet, cum ſubſtantialis perire nequeat, occiſum illum, ideſt non viventem dicat. Non enim id in ſenſu duntaxàt myſtico, aut figurato protulit, alioqui figuratum paritèr ſacrificium agnoſceret tantùm. Nec incuſaret tantoperè deſerentes illum immolatum in altari, & quidèm eo titulo, quòd ipſum immolatum in ſacrificio aſpiciant, tametſi eoſdem jure meritò reprehendiſſet, qui realitèr ibi præſentem deſerunt. S. Hieronym. epiſt. 146. ad Damaſum: *Vitulus ſaginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem, ipſe Salvator eſt, cujus quotidiè carne paſcimur, cruore potamur*. S. Ambroſ. tum in Pſalm. 38. tum lib. 1. in Lucam cap. 1. ait: *Cum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur*. Opportunèque utar pro ſacrificio incruento, ut in hac aſſertione expoſito, verbis ejuſdem S. Ambroſii de Iſaac, & anima cap. 8. *Oblatus unicus ad immolandum, qui & Patri non periret, & impleret ſacrificium*. Sic enim contingit in mactatione, quam introducit ſententia noſtra; cum vitam ſubſtantialem, qua ſublata, perit ſimplicitèr homo, non auferat, & per veram nihilominus immolationem ſacrificium impleat.

S. Hypolitus Martyr in Orat. de conſumat. Mundi inducit Chriſtum Dominum ſic alloquentem Sacerdotes dignos: *Venite qui quotidiè meum Corpus, & Sanguinem immolaſtis*. Concilium Toletanum XII. cap. 5. expreſsè dixit: *Totiès illi vero, & ſingulari ſacrificio participandum, quotiès corporis, & ſanguinis immolatio facta conſtiterit*. Ut habetur in cap. *Relatum* de conſecr. diſt. 2. Idem reperitur in Canone 13. Concilii Niceni primi definientis: *Situm in ſacra illa menſa agnum illum Dei, tollentem peccata Mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum*. In Synodo Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. *Seipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc Mundo ad Patrem; quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit*. Similiaque habet in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione. Rurſùs S. Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium Coepiſcopum: *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus, & tamen in Sacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die Populis immolatur; neque utique mentitur, qui interrogatus; eum, reſponderet, immolari*. Et quamvis ſit quidèm repræſentatio immolationis cruentæ; nihilominùs addit ibidem, eſſe non poſſe verum Sacramentum, aut Sacrificium, ſi non haberet veram aliquam rationem ſimilitudinis cum illo, *Si enim Sacramenta quamdam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omninò Sacramenta non eſſent*: ac proindè ſicut immolatio in Cruce facta fuit ſimplicitèr talis, tam vitæ ſubſtantialis, quàm actualis; in ſacrificio altaris eſſè debet immolatio vitæ actualis, ſive accidentalis.

Subtiliùs aſſertionem noſtram confirmant verba ejuſdem Sancti Doctoris lib. 10. de Civit. cap. 20., quæ ita ſe habent: *per hoc eſt Sacerdos, & ipſe offerens, ipſe & oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium: quæ, cum ipſius corporis caput ſit, ſeipſam per ipſum dicit offerre*. Ubi docet, Chriſtum Dominum voluiſſe, diſpoſuiſſeque, ut Sacramentum Euchariſtiæ ſit juge ſacrificium; non certè, quia non differant mutuò, cum ſint rationes formales diverſæ, & cum realitèr ſeparari valeant, tametſi non mutuò; cum reperiri valeat Sacramentum abſque ſacrificio; ſed quia Sacramentum ipſum, ideſt ſeipſum in Sacramento latentem jam, & præexiſtentem ibi, ſacrificat, immolatque, ut aſſertio noſtra propugnat, eumque ſenſum ſatis accomodatum eſſe verbis illis perſpicuum videtur: non enim dicit, Sacramentum eſſe per ſe illud ſacrificium; alioqui non indigeret nova diſpoſitione, ad hoc, ut fieret ſacrificium, quia foret jam ex ſe, & in ſe tale; cum S. Auguſtin. doceat, Chriſtum Dominum voluiſſe, ut Sacramentum illud eſſet etiam, aut fieret Eccleſiæ ſacrificium quotidianum. Quapropter licèt Leonardus Coquæus velit uſurpare verba relata, tanquam ſignificantia *Sacramentum ſacrificii*; reverà potiùs, & connaturaliùs denotant *Sacrificium Sacramenti*: ſumpto Sacramento per Hypallagen tanquam continente pro re contenta, ut & calix pro ſanguine, & in ſatis obviis aliis exemplis. Pſalm. 44. & 106. vel etiam dum ſæpè ex ſigno res oſtenditur, ut lancea pro bello, ſceptrum pro regno. Pſ. 2. Iſai. 2. adeatur P. Franciſcus Pavonius p. 2. diſt. 10. à Canone 86. ad 89. Vir eruditiſſimus, qui ſumma brevitate, propè infinita complectitur, ut omnem doctrinam ſacram veluti definitiva ſcriptione comprehendat.

Num. 51. Audiendus S. Cyprianus lib. 2. Epiſtol. epiſt. 63. *Et quia paſſionis ejus mentionem in ſacrificiis omnibus facimus (paſſio eſt enim Domini ſacrificium, quod offerimus), nihil aliud, quam, quod ipſe fecit, facere debemus*. Non ſanè quia juge ſacrificium ſit paſſio ipſa cruenta, niſi purè repræſentativè, cum ſit formalitèr incruentum ſacrificium; ſed quia in illo reperitur immolatio aliqua realis victimæ ſacrificii, & in eo ſenſu involvit

vit paſſionem exercitam, & realem (ablatis eis patiendi proprietatibus, quæ ab ſtatu glorioſo alienæ ſunt prorsùs). Undè minus ſolidè P. Vaſq. Diſp. 222. cap. 5. dixit, appellari à Cypriano paſſionem purè repræſentativè; ſiquidèm jam præmiſerat S. Cyprian. Ibi; nos in ſacrificio altaris facere mentionem ſacrificii Crucis, quæ mentio non ſolùm ſit verbis, ſed factis, ſeu actionibus ipſum repræſentantibus; otiose igitur ſubjungeret, ſacrificium altaris, eſſe paſſionem purè repræſentativam paſſionis cruentæ.

S. Greg. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 58. *Hæc namque ſingulariter Victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat, qui licèt ſurgens à mortuis jam non moritur, & mors illi ultrà non dominatur; tamen in ſemetipſo immortaliter, & incorruptibiliter vivens. pro nobis iterùm in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur .... Hinc ergò penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem Unigeniti Filii ſemper imitatur .... Quis fidelium habere dubium poteſt, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cælos aperiri &c.* Ex quibus liquet, in ſacrificio altaris inveniri veram rationem immolationis apud magnum hunc Eccleſiæ Doctorem, & non repræſentativè ſolum; cum aſſeveret, ſacrificium hoc altaris omninò imitari ſacrificium Crucis, & ex conſequenti, hanc immolationem ſtrictam illam æmulari; mactatio autem merè figurata, aut repræſentativa non æmulatur veram, ſed illam duntaxat ſignificat, & veluti narrat. Quare dum hæc Gregorii verba referuntur in cap. *Quid ſit ſanguis* 73. de conſecr. diſt. 2. loco illorum: *pro nobis iterùm in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur.* Ponuntur hæc: *pro nobis iterùm in hoc myſterio moritur*: & paulò inferiùs: *Ejus caro in populi ſalutem patitur*; quamquam nonnulli legendum putent *partitur*.

S. Chriſoſt. Homil. de ſacra, & divin. menſa, ait: *O' miraculum! Menſa tam magnificè inſtructa, in qua Agnus Dei pro te mactatur, ad quam aſſident Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis præditi alis vultum demittunt.* Rurſus Homil. 45. in Joan. diſſerens de arcano Euchariſtico, inquit: *quo certè non ſolùm Incarnationem ipſam extendit, ſed etiam ſuam mortem, ſic dixerim, æternizavit, ut ultra nemo quidquam deſideret*: ſed quo pacto æternam, ideſt uſque ad mundi finem, mortem Crucis fecit? In imagine tantùm, & purè repræſentativè? Profectò hoc titulo, & modo non ſolùm poſt paſſionem ſuam in ſacrificio altaris mortem repræſentat, aut adumbrat, ſed in lege veteri mors eadem repræſentabatur ad vivum in Victimarum ſacrificiis, in qua acceptione Agnus dicitur *ab origine mundi* occiſus. Hoc autem contradicere videtur Paulo ad Hæbr. 9. dicenti: *alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi, nunc autem ſemel in conſumatione ſæculorum.* Et quamquam hic loquatur Paulus de morte reali; ibi autem ſenſum figuratum habeant verba libata; attamen ex hoc ipſo deducimus argumentum; quoniam ſi verba Chryſoſtomi ſolum uſurpentur de repræſentatione mortis in fieri, non magis verè, & propriè poſt paſſionem, quàm ante ipſam, mortem ſuam feciſſet æternam, nec conveniret hoc ſingulari modo ſacrificio altaris, præ veteribus ſacrificiis. Vult igitur Chryſoſt., Chriſtum Dominum ſuam mortem, vel potius *mori ſuum* æternum feciſſe in ſacrificio Euchariſtiæ, quatenus vitam actualem ibidem immolat Deo omni inſtanti, juxta ſenſum noſtrum; cum licet hoc non ſit mori, ſit tamen non vivere actu.

In eamdem proculdubio ſententiam collimare viſus eſt S. Paſchaſ. de Corpor., & Sang. Chriſti cap. 22. dum ex S. Methodio Euchariſtiam dicens vitę ſemen, è quo germinantur Virgines, & quo ſancta Eccleſia fæcundatur ad eximias virtutes ferendas, nutriendaſque, ſubjungit: *non enim poteſt aliter Eccleſia concipere credentes, & regenerare per lavacrum, niſi Chriſtus propter nos ſe exinaniens, ut capi poſſit ſecundum commemorationem paſſionis iterum moriatur è Cælo deſcendens.* Ubi per to *moriatur* intelligere nequaquam potuit mortem ſtrictè uſurpatam; cum reſurgens ex mortuis Chriſtus Dominus jam non ultra moriatur, ſed privationem vitæ actualis ſub ſpeciebus, in qua acceptione ſemen Euchariſticum eſt granum illud frumenti cadens in terram Joann. 12. quod niſi mortuum in ſenſu aliquo fuerit in ſacrificio, nullum fructum affert; quia non offeret ſacrificium; mortuum, inquam, etſi latè acceptum in ratione mortis poſitivę, ſtrictè tamen in ratione non viventis.

Num. 52. Huc reſpexiſſe videtur Apoſt. 1. ad Corint. 5. dicens: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur &c.* quod teſtimonium de ſacrificio incruento accipiunt frequentiſſimè Patres, Cyprian. Ambr. Hieron. Chryſoſt. & alii, quos dabit à Lapide in eum locum. Id etiam teſtatus eſt Sanctus Andreas Apoſtolus illis notis verbis: *ego quotidie Agnum immaculatum immolo, cujus carnes, cum omnis Populus comederet, Agnus tamen, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus*, cum permaneat vita ſubſtantialis, actuali immolata. S. Greg. Nyſſenus Homil. 1. de Reſurr.: *Dominus præoccupans impetum Judæorum, ſeipſum pro nobis Hoſtiam offert, & Victimam immolat, Sacerdos ſimul exiſtens, & Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quando id præſtitit? Cum ſuum Corpus ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum familiaribus dedit.* Et ne putaret aliquis, eam immolationem eſſe umbratilem, & purè commemorativam cruenti, adjungit, immolationem illam, ſacrificiumque, eſſe peractum, priuſquam Victimam diſtribueret inter familiares, rationem aſſignans: quia caro, aut Corpus *non eſt idoneum* (ad eſum)

ſi ani-

ſi animatum ſit. Quare cum Corpus edendum, & Sanguinem bibendum dedit, jam Victima arcana, & inviſibili modo erat immolata. Non quia Nyſſenus exiſtimaſset, (ut credendum eſt) per ſacrificationem Euchariſticam auferre animam, ſeu vitam ſubſtantialem à Corpore. Et ſanè cum modo ſit immortale, affirmare, Corpus Chriſti Domini realiter ab anima ſeparari ſub ſpeciebus, pugnaret cum principiis fidei (quamquam Nyſſenus diſputat ibi de nocte Cœnę noviſſimę.) Sed quatenus per animam ſignificatur ſępiſſimè vita etiam actualis, cum per ordinem ad operationes vitales definiatur ipſa anima ut ſic, ut vidimus in ſuperioribus: & quatenus ea ratione verè dicitur adeſſe in altari inſtar occiſi, ſive ad inſtar inanimis: *ut intelligamus*, inquit Card. Bellar. lib. 1. de Miſſa (qui eſt quintus illius tomi) cap. 12. *præſentiam Corporis, & Sanguinis in Cœna eſſe ad modum occiſi, & mortui Corporis.* Sub eademque ſignificatione accipi poſsunt alia ejuſdem Nyſſeni verba oratione Catechetica magna capit. 37. *Corpus à Deo morte affectum, cum fuerit intra noſtrum, totum in ſe tranſmutat, & tranſfert:* Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. *in anguſtia paſſionis agonizans, prius propriis manibus Deo Patri ſeipſum immolavit.* Ut autem immolationem hanc, oblationemque factam ab ipſo Chriſto Domino, poſtquam ſupponitur exiſtens ſub ſpeciebus, perſpicias clariùs, audi Simeonem Theſſaloniceoſem lib. de myſteriis Eccleſiæ cap. 45. apud P. Vaſq. diſp. 225. cap. 3. ex Turriano: *offert quidem & Dominus, ſed ſeipſam Patri offert, poſtquam fuit ipſe, ideſt poſtquam mutata ſunt in Corpus, & Sanguinem ejus, quia enim ſeipſum offert idcirco dicitur, eſſe idem offerens, & oblatum.* Oblatio itaque juxta hunc Authorem (cujuſcumque ſit authoritatis) fit à ſummo Sacerdote Chriſto Domino poſt conſecrationem prolatam, & præſentiam ipſius realem ſub ſpeciebus. Sine oblatione autem non datur ſacrificium (præſertim quia ibi per oblationem intelligit apertè ſacrificationem, aut immolationem); nec oblatio propria ſacrificii eſſe poteſt abſque Victimæ immolatione, tranſmutationeve reali.

Id pręduxerat etiam Spiritus S. Proverb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi Domum.... Immolavit Victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam .... Venite: comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis:* immolavit plures numero Victimas, quia complures ſunt functiones vitæ corporis, quas ſacrificat; itaut priùs vinum miſcuerit, poſtea immolaverit in executione; quantumvis in intentione priùs immolet, & deinde miſceat. Quæ verba de ſacrificio Euchariſtico intellexere Patres, ſic Athanaſius diſput. habita in Concilio Nicæno adversùs Arrium: ſic Auguſt. lib. 17. de Civit. cap. 20. S. Hieron. in cap. 55. Iſaiæ. Cyprian. in Epiſt. ad Cæcilium: *per Salomonem*, ait, *Spiritus Sanctus typum Dominici ſacrificii ante præmonſtrarot immolatæ Hoſtiæ ... Sapientia*, *inquit*, *ædificavit ſibi Domum, mactavit ſuas Hoſtias &c.* S. Iſidorus de vocatione gentium cap. 26. *Sapientia*, inquit, *conſtituit ſibi Domum, ſanctam Eccleſiam, in qua mactavit ſui Corporis Hoſtias, in qua miſcuit vinum ſui Sanguinis.* Ita conſtanter Interpretes, & Scholaſtici: & in eadem acceptione Eccleſia in officio ineffabilis Euchariſtiæ utitur præfatis verbis.

Quocirca dum S. Thomas 3. p. q. 83. artic. 1. adſtruit in ſacrificio Miſſæ immolationem ſitam in repræſentatione ſola immolationis cruentæ, & in effectu illius, qui participatur, applicaturque, per hoc ſacrificium; diſſerit ſolùm de immolatione ſtrictiſſima, cruenta, & mortis ſimpliciter inductiva; nullatenus verò excludit aliam immolationis, aut tranſmutationis ſpeciem realis; cum juxta ipſum vera aliqua ſit ſimpliciter neceſſaria ad verum ſacrificium. Quod ſanè expreſſit 2. 2. q. 85. ar. 3. ad 3. (ut alibi diximus) *ſacrificia*, ait, *propriè dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, ſicut quando animalia occidebantur &c., & hoc ipſum nomen ſonat. Nam ſacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid ſacrum. Oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur; etiamſi nihil circa ipſum fiat.... Unde omne ſacrificium eſt oblatio; ſed non convertitur.* Illud autem ſacrum, quod fieri debet circa rem oblatam, ut ſacrificetur verè; manifeſtè importat immolationem aliquam veram, ſive immutationem rei oblatæ, ut liquet exemplis ibidem productis à D. Thoma, & ex omnium Sapientum acceptione; & ideo inter veteres invaluit proverbialis illa ſummi alicujus periculi, aut diſcriminis explicatio: *inter ſaxum, & ſacrum*, ſignificantis Victimam ſacrificio jam jam vicinam inter gladium, & aram.

Num. 53. Minor autem facti diſcurſus ſolidiſſimè fundatur. Et ſanè quoad utramque ejus partem longa ſuaſione non eget, cum ex everſione aliarum opinionum ſatis perſpicuè illa comprobetur. Inſuper, quoniam producta ſacræ paginæ, & SS. Patrum teſtimonia pro firmanda majore, verificari nequeunt pęr ſolam immolationem in imagine, aut figuratam, ut exploratum ex dictis eſt. Notiſſimumque ex terminis videtur, & ex omni ſacrificiorum genere (ut ſupra copioſè oſtendimus) eo tantùm modo futurum, vel proprium, vel improprium, aut latè duntaxat acceptum, ſacrificium, prout fuerit propria, & ſtricta, vel lata ſolùm, aut metaphorica, & impropria mactatio, ſive realis tranſmutatio Hoſtiæ, quæ in illo offertur, & ſacrificatur. In oppoſitumque conari eloquentiæ viribus, exemplis, & lenociniis, eſt veluti cauſam victam, & ſimul manus, dare Novatoribus, omnem veram ſacrificii rationem ex defectu veræ, & ſtrictæ immolationis, auferentibus à myſterio Euchariſtico; ſolamque ſimilitudinariam, metaphoricam, & commemorativam ſacrificii Crucis agnoſcen-

ſcentibus. Uti nec applicatio, aut participatio ſacrificii cruenti, quæ eſt jugis ſacrificii effectus, ſufficiens eſſe poteſt ad conſtituendam veram immolationem, verumque ſacrificium: quoniam applicatio fructus ſacrificii cruenti invenitur in reliquis Sacramentis, quin propterea illa includant rationem ſacrificii. Ut ergo ſacrificium altaris ſit verè, & propriè ſacrificium, aliquid aliud in ſe, & ſubjectivè, veræ immolationis involvere debet: non enim opponuntur repræſentatio alterius immolationis, & vera ſubjectiva alia immolatio repræſentans; immò eo vividiùs illam exprimit, quo magis, veriùſque participet conceptum immolationis: ſicut imago phyſica alterius imaginis, ut notat Doct. Eximius, verè, & ſubjectiva in ſe imago etiam eſt (quamquam pura imago imaginis, & repræſentatio repræſentationis ſub eadem ratione in ordine myſtico ex alio capite ſit aliena à figuris veteris teſtamenti repræſentantis myſteria novi). Tentare autem recurſum per alias immutationis ſpecies, ſect. 1. rejectas, eſt deſperatum auxilium expectare, ut ex earum confutatione conſtat, & nuper animadvertimus.

Rurſus: etſi permittamus, earum aliquas ſuſtineri poſſe, ſufficienteſque eſſe ex ſe, quia immutationem aliquam invehant, aut deſignent; ad ſalvandas tamen locutiones PP., immolationem vitæ in ſenſu aliquo præſeferentium, & uniformitatem poſſibilem incruenti ſacrificii cum ſacrificio cruento, inſufficientes planè ſunt. Deinde immolatio rei, aut Hoſtiæ viventis ex natura ſua, propriaque ſignificatione, denotat vel ruinam vitæ ſimpliciter, vel jacturam aliquam illius, ſeu vitæ diſpendium, ut per eam proteſtemur jus Divinum in vitam, & necem. Item in Cruce vitam ipſam Chriſti Domini reſpexit immolatio, aut mactatio, atque adeo circa ipſam verſari debet, quà in altari exercetur, licet ritu diverſo. Tandem, etſi aliæ forent ex ſe reales in vero ſenſu mactationes victimæ, ſive immutationes; manifeſtum attamen eſt, ſtrictiorem longè, velioremque, & proportionatam magis, aut conformem ſacrificio Crucis (quod æmulatur juge) eſſe hanc, quam deſignat aſſertio noſtra; propriùſque participare conceptum immolationis deſideratum à Patribus, & expreſſum in Conciliis. Ergo per illam potiſſimè conſtitui deberet, adhuc ea permiſſione facta, ſacrificium altaris. Maximè cum illa fiat præcipuè à ſummo Sacerdote, qui eſſe debet actu phyſicè (ex ipſa Euchariſtia) principalis immolans, & ſacrificans; reliquæ autem immolandi actiones, vel nullo modo ab ipſo phyſicè profluunt, vel nequeunt provenire ab ipſo quà ſummo Sacerdote, & ſub ſpeciebus jam exiſtente; ſed ab ipſo tanquam omnipotentiæ inſtrumento, & divinitatis organo ſecundum rationem communem aliis Sacramentis, & effectibus, quos Sacroſancta illa Humanitas operatur copioſiſſimè, & inſtar pluviæ voluntariæ emittit indeſinenter.

§. III.

Num. 54. **A**RGUO tertiò alia via, quamquam non longè diſſita à nupera. In auguſto Miſſæ ſacrificio non ſolum fit commemoratio Reſurrectionis Chriſti Domini; verum & reperitur in illo vera aliqua ejus participatio, reviviſcentiaque ipſius Corporis Chriſti Domini ad inſtar emortui exiſtentis per ſacrificationem, dum Hoſtia frangitur, & pars aliqua Illius miſcetur Sanguini; cum illico Chriſtum Dominum alloquatur Sacerdos per illa verba; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; miſerere nobis*, licet à conſecratione uſque ad functionem illam ſolum Patrem, aut Deum alloqueretur. Unde Sergius Papa in cap. *Triforme* 22. de conſecr. diſt. 2. dixit. *Pars oblatæ in Calicem Miſſæ, Corpus Chriſti, quod jam reſurrexit, monſtrat*. Et Micrologus ait: *unam in Calice, faciendo Crucem, mittere debet, cum dicit: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ad deſignandum Corporis & animæ conjunctionem in reſurrectione Chriſti*. Et ſanè quòd reſurrexit in ſignificato, objectivè dum à mortuis ſimpliciter ſurrexit; & quòd aliquatenus de præſenti reſurgit, quà reviviſcit, ut ſic evidentiùs monſtret illam reſurrectionem, & modo proprio, proportionatoque, illam ſignificet. Et Doctor Eximius tomo 3. in 3. part. diſput. 83. ſect. 2. expendens verba illa, quæ in Miſſæ proferuntur, *hæc commixtio, & conſecratio &c.* ſumi, ait, *pro nova quadam ſignificatione, quam ſpecies Sacramentales per illam commixtionem accipiunt; priùs enim paſſionem tantùm Domini ſignificabant; cum verò commixtæ, ejus glorioſam reſurrectionem indicare incipiant*. At hoc contingere nequit, niſi conſtituatur ſacrificium modo, quo nos meditamur. Ergo &c. Minor clareſcit ſufficienter ex ſola terminorum penetratione: nam qui reſurgit aliquatenus ad vitam in ſtatu aliquo, ſupponitur in eo, aut ſub eo, privatus ea vita, quam recuperat: alioqui nihil deperditum recuperaret, ſed novi aliquid acquireret, quæ non foret reſurrectionis, aut reviviſcentiæ ſpecies, ſed accretionis. Rurſus ſi ſemel comparaturus eſt iteratò vitam actualem intra ipſum ſacrificium ſub ſpeciebus, congruentiſſimè illi adſcribitur ante ſacrificationem etiam, ut per illam vitam immolatam exiſtat verum, & ſummo Sacerdote dignum ſacrficium; quamvis iterum reaſſumendam: tum ut imitetur reſurrectionem ſimpliciter tertia die factam: tum ob rationes urgentiſſimas, ob quas decet Chriſtum Dominum ſub ſtatu Sacramentali pollere, & fungi vita actuali corporea pro omni tempore, quo, ad ſacrificium conficiendum, neceſſaria non credatur ejus privatio. In qua acceptione non congruenter ſolùm, ſed omnimoda neceſſitate vita illa præexiſtere debet, ut ma-

ctari

ctari valeat : cum nullus amittat ſub ſtatu aliquo id , quod nec ibidem habüit umquam, nec habere naturaliter potuit.

Major autem probatur , non jam quoad ejus primam partem , cum hæc citra omnem dubitationem perpetuo Eccleſię Sanctæ uſu definita ſit ; ex Evangelio deducta, & à Patribus mirè commendata : quin & in ſua Liturgia S. Jacobus Apoſtolus , Chriſtum Dominum præcepiſſe ſupponit , ut fieret commemoratio ſuæ reſurrectionis in jugi ſacrificio , ſicut & paſſionis , mortiſque (quamquam id non expreſſerint Evangeliſtæ). Namque ut proferat verba conſecrationis , refert , quòd Chriſtus Dominus *gratias agens , ſanctificans , frangens , dedit nobis Diſcipulis ſuis , & Apoſtolis dicens* . Immediatèque prolatis verbis conſecrationis , ſubjungit nomine etiam Chriſti Domini pręcipientis : *Hoc facite in meam commemorationem : quotieſcunque enim manducaveritis panem hunc, & hunc Calicem biberitis , mortem filii hominis annuntiabitis , & reſurrectionem ejus, donec veniat* . Quæ commemoratio adeo expreſſa invenitur per omnes Liturgias , ſive Latinas, ſive Græcas, earumque expoſitiones ; ut non minus clareant omnes dotibus reſurrectionis commemoratis , ac rubeſcant paſſionis cruoribus potiſſimè intentis.

Num. 55. Multiplicitèr jam probatur pręcipua Majoris pars. Et primò fulcitur , tum Liturgiarum , tum Patrum Eccleſiæ ſuffragio . Jacobus enim in prælaudatà Liturgia, quæ aduſque Baſilii tempora viguit ſemper, eâque cuncta Græcorum Eccleſia uſa fuit , & ex qua re ipſa omnes aliæ Orientalis Eccleſiæ Liturgiæ methodum , decorem , & ſanctitatem ebiberunt ; illamque refert ſexta Synodus Generalis cap. 32. ut habes in cap. *Jacobus frater Domini* 47. de conſecrat. diſtin. 2. de qua videndus etiam S. Thomas 3. part. qu. 83. art. 4. in Jacobi , inquam, Liturgia Sacerdos , dum frangit hoſtiam conſecratam ; particulamque mergit intra Calicem , profert ſequentia verba: *Unio Sanctiſſimi Corporis , & pretioſi Sanguinis Domini , & Dei , & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti* . Deinde adjungit immediatè : *Unitum eſt , & ſanctificatum , & conſummatum , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , nunc , & ſemper* . Denique paucis interjectis loquitur jam directè cum ipſo Chriſto Domino (cum prius ejus oratio ad Patrem dirigeretur, vel ad auguſtam Trinitatem) dicens : *Domine Deus Noſter , panis cæleſtis vita univerſi &c.* Per ſanguinem autem , utpotè animæ ſedem , ſignificari animam , pariterque vitam ipſam notiſſimum eſt , habeturque Levit. 17. *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt* . Ideoque Sanctus Ambroſius in 1. ad Corint. cap. 12. docet , *quòd in altari offertur caro Salvatoris pro ſalute corporis; ſanguis verò pro anima noſtra; ſicut prius præfiguratum fuerat à Moyſe , ſic enim ait : caro pro corpore veſtro offertur, ſanguis verò pro anima* . Et Algerus lib. 2. de Sacram. cap. 8. inquit : *In tali commixtione Corpus per Corpus ; anima autem Chriſti ſignificandi eſſet per aliquam viſibilem ſpeciem ; nihil inventum eſt in creaturis , per quod viciniùs , & aptiùs repræſentaretur , quàm per ſanguinem , qui eſt ſedes animæ* . Et Sanctus Thomas 3. part. quæſt. 75. art. 2. ad 1. *Corpus exhibetur pro ſalute corporis , & ſanguis pro ſalute animæ* .

Deinde per animam ſignificari vitam actualem , compertiſſimum eſt, cum anima ipſa, quà vita ſubſtantialis corporis, nonniſi per ordinem ad ejus functiones- vitales exponitur , & ſaltem per illam denotari ſimpliciter vitam , conſtat ex illis verbis Chriſti Domini Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* . Ubi animam pro vita poni certum eſt . Quatenus igitur actio illa eſt commemoratio reſurrectionis ſimpliciter , factæ poſt mortem acerbiſſimam , & cruentam , ſignificat realem unionem animæ , ſeu vitæ ſubſtantialis cum corpore ; quà verò reſurrectionem illam imitatur per ſecundam , & jugem in altari , deſignat , & continet aliam quaſi reſurrectionem , ſeu potiùs reviviſcentiam functionum vitalium corporis , quæ ſunt vita actualis ejuſdem , proindeque reunionem vitæ in actu ſecundo , cum corpore animato , auferentemque impedimentum facultatis inſtrumentariæ ad eas vitales operationes emittendas perenniter , & expeditiſſimè : itaùt reſurgere dicatur ad vitam , in eo tantùm ſenſu , in quo vitam ſacrificaſſe dicitur , nempe merè actualem , quam recuperat , ſublato obice impeditivo expeditionis : poſſetque dicere Miniſtro ſacrificanti, & fidelibus adſtantibus : *Exurrexi : & adhuc ſum tecum* . *Pſal.* 138.

Num. 56. Quòd autem verba producta ex Liturgia S. Jacobi non tantùm ſignificent primam Reſurrectionem , & ſimpliciter talem copulantem animam ſeparatam cum corpore ; ſed etiam explicatam actualis vitæ , quæ de facto exerceatur intra ipſum ſacrificium incruentum ; quamque dicimus vivificationem in actu ſecundo , aut reviviſcentiam , probatur ex eo ; quòd ſi ſemel omnia illa verba , actioneſque Sacerdotis importarent duntaxat meram repræſentationem primæ Reſurrectionis ; quin aliquid ejuſmodi operarentur exercitè in altari , aut fieri actu ſignificarent , novum argumentum tribueretur Hæreticis ; tum ad removendum verum ſacrificium ab altaribus ; tum ad ſolam figuratam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia adſtruendam, ut ſæpiùs ſubintulimus . Neque inſtari rationabiliter poteſt diſcurſus hic in mirabili Aſcenſione , cujus memoriam quoque facimus in ſacrificio ; quandoquidem non dicimus, omnia illa myſteria , quorum memores nos eſſe oportet in ſacrificio Miſſæ , debere aliquatenus fieri per veram aliquam imitationem realiter exercitam ; ſed Paſſionis , & Reſurrectionis tantum (ea tamen differentia , quòd actio imitativa ſacrificii

cruenti; quatenus veram aliquam mactationis ſpeciem exercet, conſtituit eſſentiam ſacriſicii incruenti; illa verò quæ Reſurrectionem ſimpliciter æmulatur, & practice aliquo modo ſequitur, integrat ſolùm, & complet.)

Ratio eſt multiplex, & perſpicua: quia non debent aliquatenus exerceri actu ea, quarum ſolum ſit memoria in ſacrificio, quin per illud verbis, & factis repræſententur; alioqui deberet pariter fieri aliquid, quod imitaretur Sanctos, quorum memoriam facimus. Illa igitur tantùm fieri debent in ſenſu aliquo myſterium ſignificatum redolente, quæ per ſe primò repræſentantur; Aſcenſionis verò nulla adeſt repræſentatio, ſed pura memoria. *Unde & memores &c.* & forſan ideo ab Eccleſia dicitur admirabilis unicè, quia imitabilis non eſt. Inſuper non omnia adhùc, quæ repræſentantur, fieri debent per quamdam imitationem (cujus ſit capax ſacrificium): aliter omnia etiam minima myſteria paſſionis fieri debuiſſent. Uti nec debent eodem prorſus rigore efficere, quod factum eſt in objecto repræſentato: ſicut in paſſione ſignificata comparatum eſt pretium noſtræ Redemptionis; in ſacriſicio incruento, non acquiritur, ſed applicatur, & actu ſolvitur. Sed præcipua duntaxat, cujuſmodi ſunt Paſſio, & Reſurrectio, ut per illius imitationem repræſentativam conſtituatur eſſentialiter ſacrificium, & per repræſentationem hujus, factivam ſimul cujuſdam reviviſcentiæ, integretur. Ratio autem, ob quam Reſurrectio debeat exprimi, & modo aliquo per æmulationem fieri, quantumvis illa minimè fuerit conſtitutiva ſacrificii Crucis, nec conſtituat incruentum, eſt: quoniam ita decuit, Chriſtum Dominum mori pro libertate Mundi, ut neutiquam deceret ipſum videre corruptionem; atque adeo debuit illico exurgere; ut ſic ignominia Crucis temperaretur gloria Reſurrectionis, ut Patres ad unum omnes notarunt. Et propterea dùm Chriſtus Dominus de morte ſua cum Diſcipulis loqueretur, illico Reſurrectionem adjungebat protinus futuram ſui corporis.

Cum igitur ſacriſicium altaris ſit repræſentatio vivida ſacrificii Crucis, neutiquam debuit ita exprimere paſſionem, mortem, & ſacrificium Crucis, quin unà repræſentaret triumphum Reſurrectionis; quia vel in repræſentatione dedeceret, Chriſtum mactare, & corpus altè ſepultum relinquere. Inde autem ſit, quòd non potuerit ſic repræſentari reſurrectio illa in ſacriſicio altaris, ut ipſa aliquo pacto non fieret; ſanè ob parem omnino rationem, ob quam decuit ipſum realiter occiſum poſt breve tempus reſurgere: quandoquidem indecens pariter eſſet, Chriſtum Dominum exiſtere ſub ſpeciebus modo planè emortuo, & inanimi, ut præcedentibus diſputationibus ſatis oſtendimus; niſi quantum neceſſarium fuerit ad verum ſacrificium per vitæ immolationem realem conſtituendum. Præterea Euchariſtia ſpeciali quadam ratione tribuit nobis jùs ad reſurrectionem corporum; proptereaque debuit illa ſtrictiùs includi in ſacrificio Euchariſtico, ut mox oſtendam. De reliquo autem etiamſi plura alia paſſionis v.g., vel cujuslibet alterius myſterii repræſententur, ſi tamen illa non pertineant per ſe ad ſacriſicium repræſentatum, ejuſve decus, nequaquam debent fieri modo aliquo in ſacrificio repræſentante; quod eſt Heliotropium illius ſe circumagens cum ipſo, non prius in ortum, & deinde in occaſum ſecum eo flectens; ſed è converſo potiùs.

Num. 57. Præterea verba illa S. Jacobi: *Unio Sanctiſſimi Corporis &c.* ſimul cum actione miſcente particulam Hoſtiæ, ſub qua vi verborum poſitum fuit ſolum corpus, & cum ſanguine, pariter ex vi verborum producto ſub ſpeciebus vini, ſignificant apertiſſimè, aliquid ejuſmodi fieri actu in altari ſpectans ad reſurrectionis myſterium. Ut nanque obſervat S. Thomas 3. par. qu. 83. art. 5. corpore: *In Sacramentis dupliciter aliquid ſignificatur, ſcilicet, & verbis, & factis, ad hoc, ut ſit perfecta ſacrificatio.* Quod etiam docuerat qu. 6. art. 5. & 6. Idipſumque ſignificant verba, & actiones, quæ in Eccleſia Latina fiunt in ea mixtione: *Hæc commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti fiat accipientibus nobis in vitam æternam*; quod ſimul cum tractione tanti momenti viſum eſt Doctiſſimis Scholaſticis, cum Magiſtro Cano, ut crediderint, illud eſſe conſtitutivum eſſentiale, quin & potiſſimum, jugis ſacriſicii. Addendum quòd verba illa ante correctionem Miſſalis Romani cum immutatione aliqua dicerentur, ut teſtatur Gabriel lect. 54. in Canon. & Eximius Doctor diſp. 58. nempe: *Fiat commixtia, & conſecratia &c.* quæ aliquid fieri tunc occultè, manifeſtè ſignificabant; immutataque fuere, ne putaret aliquis, tunc ſolùm fieri conſecrationem. Idcirco tres illas Cruces, quæ ante prolationem ejuſmodi verborum fiunt in Calice, ſignificare reſurrectionem ſimpliciter, docet idem Sanctus Thomas cap. 83. art. 5. ad 3. *Repræſentatur reſurrectio tertio die facta per tres Cruces, quæ fiunt ad illa verba. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.*

Sic autem omni ex parte redditur perfectum ſacrificium, abſolutiſſimumque, fructum ſacrificii incruenti applicando per incruentum, & ſpem reſurrectionis vividiùs ingerendo. Propterea dum frangit Hoſtiam Sacerdos, ait: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Quæ ſunt verba Chriſti Domini poſt reſurrectionem intrantis ad Diſcipulos Joan. 20. *Dixit ergo eis: Pax vobis.* Per ſacrificationem immolatur vita; per reſurrectionem verò mors ipſa immolatur (tametſi propriè non ſacrificetur). Unde S. Auguſt. lib. 1. de Civit. cap 6. dixit: *Holocauſtum Chriſtus fuit in reſurrectione, quando abſorpta eſt mors in Victoria*: in ſuo nanque triumpho ſepulta cecidit, dum ovaret. Sicut enim Chriſtus

Do-

Digitized by Google

Dominus debuit exaltari, poſt mortem reſurgendo: *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltavit illum &c.* ad Philip. 2. ita poſt privationem hanc vitæ actualis in ſacrificio incruento ex altari, ſive ſuſcitari debuit eiſdem titulis, cum voluntariè offeratur in altari; quatenus voluntariè hoc ſacrificium inſtituit, & gaudet etiam potentia inſtrumentaria, qua poſſet, potentia antecedente, carentiam illius vitæ pro eo etiam tempore impedire, ſicut ibi oblatus fuit, quia voluit ipſe. Quapropter S. Thomas 3. par. qu. 49. art. 6. corpore, dixit opportunè: *Cum aliquis ſibi ex juſta voluntate ſubtrahit, quod debebat habere, meretur, ut ſibi amplius ſupperaddatur quaſi merces juſtæ voluntatis, ſicut dicitur Luca 14. qui ſe humiliat, exaltabitur.* Et ferè omnia, quæ ibidem ſapientiſſimè congerit Sanctus Doctor pro Triduana Reſurrectione, evincunt hanc eadem vi. Quin ad hoc deſideretur meritum, tametſi illud in paſſione proculdubio interceſſerit; quoniam ſufficeret debitum in unione hypoſthatica radicatum, ex dignitate, & excellentia ſubortum: & in præſenti ſtatu gloriæ conſummatum, cum ſit ſtatus formaliter vitæ æternæ.

Num. 58. Reviviſcentiam hanc probat egregiè teſtimonium S. Ambroſii lib. 5. de Sacram. cap. 4. circa finem, ubi exponens de Euchariſtia illud Dominicæ orationis: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, inquit, *quotidie, ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt. Si tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit. Quomodo, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie ergo eſt quando Chriſtus reſurgit. Heri, & hodie ipſe eſt, Paulus Apoſtolus ait, ſed alibi ait: nox præceſſit, dies autem appropinquavit &c.* Chriſtus Dominus ergo apud Ambroſ. quotidie reſurgit in ſacrificio altaris, ſenſu aliquo vero; utpotè tantoperè ab ipſo inculcato. Id autem intelligi commodè nequit de reſurrectione nudè commemorativa ipſius; aliter eodem jure quotidie aſcenderet Chriſtus Dominus in Cœlum, quin & quotidiè deſcenderet ad Inferos (revera tamen ejus anima deſcendit ad cor Juſti). Uti nec de ſigurata ſolùm ob conſimiles rationes. Idque comprobat etiam exemplum æternæ generationis, quo utitur Ambroſius ad eam quotidianam vitæ reſtitutionem in altari declarandam: cum generatio illa ex æternitate ambiente omnem infinitudinem ſucceſſivam inſtantium, luculentiùs, propriùſque declaretur, teſte D. Thoma, per tempus præſens, quàm per præteritum. Conſonat planè S. Fulbertus Ep. 2. ad Finardum, dum ait: *Iſtud Sacramentum* (Euchariſtiæ) *quotidie nobis moritur, & quotidie nobis reſurgit, apparet, & comeditur.* Ubi & immolationem veram, auferentem vitam in aliquo ſenſu, & reviviſcentiam, luculentiſſimè exprimit.

Faciunt aliquo modo ad rem præſentem verba illa Lucæ 24. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt illum.* Panem autem illum fuiſſe à Domino conſecratum ex Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Theophilacto, & Beda, docent paſſim Interpretes Maldonatus, Cornelius &c. Agnoverunt igitur Chriſti Domini reſurrectionem, de qua ambigebant, & fluctibus oppoſitis hinc inde impellebantur, in Myſterio Euchariſtiæ, quaſi per illud nobis reſurrectio innoteſcat: conſentaneum autem valde erat, ut arcanum illud, quod nobis confert jus novum reſurgendi in vitam, ipſo Chriſto Domino atteſtante Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, experiatur in Agno quaſi occiſo (quem continet) Euchariſticum hujus vivificationis factum, dum conficitur ſacrificium: ut ſit reviviſcentia hæc ſpecimen illius reſurrectionis, quam confert. Præſertim cum illam ſibi ſub accidentibus (ablato impedimento) tribuere valeat eadem virtute, qua nobis eam largiturus eſt Joan. 5. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic filius, quem vult, vivificat.* Neque ſolùm voluit eſſe auctor reſurrectionis, ſed & reſurrectio ipſa: *Ego ſum reſurrectio, & vita:* Joan. 11. unde S. Irenæus lib. 4. contra Hæreſ. cap. 34. dixit: *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Ideo etiam appellatur à Synodo Nicæna Euchariſtia: *Symbolum reſurrectionis.* Et S. Cyril. in Joan. lib. 4. cap. 2. ait: *Fieri prorſus nequit, ut qui ſecundum naturam vita eſt, corruptionem non ſuperet, & vincat mortem ... quia Chriſtus per ſuam ipſius carnem in nobis eſt, omnino reſurgimus .... Incredibile enim eſt, immo verò impoſſibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet.* Ac proinde à fortiori ſeipſum in eodem altari, à vita actuali in ejuſdem altaris ſacrificio ſuſpenſum, aut privatum. Et ſanè, quòd Euchariſtia glorietur toties Joan. 6. quòd ſit vitæ panis, panis vivus, conferens vitam omnibus; & quòd nihilominus Chriſtum Dominum in ipſa latentem, & vita actualis corporis orbatum, quia illam in ſacrificium obtulerit, immolaveritque, nullo pacto vivificet, peracto jam eſſentialiter ſacrificio, incredibile juremerito dicendum eſt. Arcet mortem, aut carentiam vitę ab omnibus, eos vivificans copioſè, & ſeipſum vita corporis in actu ſecundo deſtitutum, invivificatum relinquet? S. Cyrillus Alexandr. de Adorat. in ſpiritu, & veritate lib. 3. exponens illa verba 2. Reg. 24. *Et dedit Dominus mortem in Iſrael à mane uſque ad horam prandii*, inquit; *A primis hujus ſæculi temporibus mors depaſta eſt eos uſque ad horam prandii, hoc eſt uſque ad menſæ tempus: Ubi enim advenit nobis ſanctæ menſæ tempus, nimirum illius in Chriſto, ac myſticæ, in qua pane veſcimur illo cœlitùs dato, atque vitali, quæ prius Leo horribilis erat, cuique difficile obſiſti poterat, mors ceſſavit.* Et ſolùm vires aliquas retinebit adhùc adversùs triumphatorem ipſius? Adverſus eum, & ſub eo ſta-

ſtatu, ſub quo vitam omnibus confert abundantiorem? & hoc, hora prandii, dum in fine ſacrificii, ipſe, & prandium aliis lautiſſimum parat, & ſeipſum paſcit; cum in ſubſtantiam cibi convertatur, qui cibo illo nutritur?

Num. 59. Ea autem reſurrectio activè ſumpta adeo propria Euchariſtia eſt, ut inter Scholaſticos diſputetur non parùm de modo, quo hunc effectum dignè ſuſcipientibus Euchariſtiam communicet Chriſtus Dominus, & in illo ſemen reſurrectionis paſſivæ noſtræ; quod ægrè percipitur, quin ipſe in altari poſtquam vitam ſuam actualem ſacrificaverit, effectum eundem paſſivè experiatur. Immo ex eo, quòd ipſum experiri debeat; dum tanto ſtudio reſurrectionem corporum prædicat ut Euchariſtiæ germen ſpeciale, ſubinſerri valet, Chriſtum Dominum vitam ſui corporis in actu ſecundo & accidentariam immolare, cum aliquatenus illam reſumere videatur ſub ſpeciebus. Hinc deprehendes proprietatem verborum, quæ proferuntur à Sacerdote non multo ante mixtionem: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hac omnia Domine ſemper bona creas, vivificat, benedicit, & præſtas nobis*: nam quo alio pacto, aut jure Deus Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus latentia Humanitatemque ipſam ſub eis abſconditam, quæ ſunt bona, de quibus loquitur Sacerdos, vivificare poteſt in ſenſu proprio, niſi per vitæ alicujus reſtitutionem, ſeu vivificationem actualem corporis, ab omni vita ſuſpenſi per ſui immolationem? Cum ad hoc, ut vivificationem activam in nos ex illo derivatam, ſignificaret, dici debuiſſet potiùs vivificator ipſe, non autem vivificatus, ut ibi exprimitur. Vivificatur ergo Corpus Chriſti Domini in Euchariſtico ſacrificio, quia per immolationem vitam omnem actualem à Corpore quoquomodo pendentem præciderat, ſubindeque ſacrificarat.

Juxta hanc doctrinam accipi commodè poſſunt verba illa Ven. Odonis Epiſc. Camerac. in expoſitione Sacri Canonis, diſt. 4. dum explicans præfatam vivificationem in Canone expreſſam, ait: *Quotidie vivificat, Corpori prius inanimato dans vitam*. Non enim prudenter credibile apparet, ipſum putaſſe, Corpus Chriſti Domini ita immolari per ſacrificationem, ut anima deſtituatur, ut protinus ſubſtantialiter vivificetur; ſed quatenus ad inſtar inanimati, abſque ulla ſcilicet vitali operatione remaneat, dum immolatur; proindeque vivificatione opus ſit, quæ vitam illi actualem reſtituat. Immo quamquam aberraſſe præſupponatur in ſuppoſitione illa; vivificationem verò per illa Canonis verba ſignificatam (ut illico in mixtione efficiendam) nobiſcum adſtruit manifeſtè. Quoniam tamen dedecebat illum ſub vitæ inactione perſiſtere diutiùs, & veluti jacere ad inſtar emortui: uti permanere non debuit in ſepulchro; excitatur à ſomno, in quo animatum corpus profundè dormiebat, itaut ſola anima in ſuprema mentis arce excubias ageret; concurrente per virtutem Divinam ipſamet Humanitate ad eliciendos actus vitales ſub accidentibus, dum adveniat tempus illud deſtinatum à Deo, & influente etiam Spiritu Sancto vivificatore in eam vivificationem, aut reviviſcentiam. *Quis eſt alius qui reſuſcitet?* Inquit Ambroſ. de Benedictione Patriarch. *niſi ipſe ſua, Patriſque reſuſcitet poteſtate? Video natum authoritate propria, video mortuum propria voluntate: video dormientem* (forſan metaphoricè in altari) *poteſtate propria. Qui omnia à ſua facit arbitrio, cujus alterius, ut reſurgat, egebit arbitrio? Ipſe igitur reparationis ſuæ author eſt, qui mortis eſt arbiter, qui expectatur à Gentibus*. Hanc fuiſſe mentem Magni Gregorii, deducitur ex ejus verbis relatis in cap. *Multi* 84. cauſa 1. quæſt. 1. ubi dum reprehendit falsò exiſtimantes, malum Sacerdotem non conſecrare, ſeu Hoſtiam eſſe minùs Sanctificatam: docet, Spiritum Sanctum inviſibiliter ibi operari per omnia ſacrificia, adjungitque: *Spiritus Sanctus myſticè illud vivificat, qui quondam Apoſtolico tempore viſibilibus apparebat operibus*. Diſcurſus factus, quamquam abrumpendus ſit hìc; ſectione tamen ſequenti, diverſa alia, parùmque trita ſemita, unà cum materia ſuſcitandus eſt.

SECTIO QUARTA.

Inſignis alia ratiocinatio, aut conjectura, qua denuò fulcitur, & elucidatur ſententia noſtra, deſumpta ex vetuſtiſſima Græcorum Liturgia, eorumdemque in tremendo ſacrificio conſuetudine inviolabiliter, exemplo Sancti Jacobi, Magni Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque Græciæ luminum, obſervata. Quæ, cum ex alia parte videatur pugnare aperto Marte cum Eccleſia Latina, & doctrina Catholica, ægerrimè conciliari valet cum utraque, ni beneficio aſſertionis noſtræ veniant in amica fœdera.

§. I.

Num. 60. AD efformandum præſens, & quartum ratiocinium, proponenda eſt gravis admodum difficultas, quæ arduitate ſolida, juxta, ac implexa, nulli Theologicarum cedit. E' cujus enodatione vires accipiat argumentatio, ex ejuſque ſtrage aſſurgat, ſive conſtruatur ejus machina; natura, potiùs quàm arte, munitiſſima, expugnaturaque magis obſidentes, quàm expugnabilis ipſa. Difficultas itaque oritur ex deprecatione illa,

Græ-

Græcorum Liturgiis notiſſima, ſive invocatione, qua Eccleſia Orientalis conſtanter, poſt verba conſecrationis, tam panis, quam Calicis, prolata, utitur ad implorandum Spiritus Sancti adventum, aut illius opem pro converſione ſtupenda, & miraculis imbuta, panis, & vini præſentis in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Qua manifeſtè ſupponere videntur, non poni confeſtim Corpus, & Sanguinem Domini ſub ſpeciebus per verba conſecrationis, donec adveniant preces illæ myſticæ invocantes Spiritum Sanctum ad tantum opus perficiendum, tranſubſtantiationemque conſummandam. Hoc autem quàm abſurdum, erroneumque ſit, norunt omnes, qui vel Theologiam ſalutariut, qui Concilium Florentinum legerint in decreto Eugenii, & Trident. ſeſs. 13. cap. 1., qui reflectere velint ſupra ſenſum primitivæ Eccleſiæ (cum illum præſupponat inconcuſſum S. Dionyſ. cap. 3. de Eccl. Hier.), & uſum Eccleſiæ Latinæ. Quòd verò ſic de facto opinata fuerit, vel potiùs crediderit Eccleſia Orientalis; quòd modò etiam plerunque credat, patet ex Liturgiis, quibus uſi fuere à primis ſæculis, utunturque adhuc. Et ſanè in Liturgia Sancti Jacobi celeberrima, & quæ floruit uſque ad tempora Sancti Baſilii in Græcia, poſt conſecrationis verba prolata, orat Sacerdos Deum, ut mittat Spiritum Sanctum, *in nos*, inquit, *& in hæc dona Sancta propoſita, ut ſuperveniens Sancta, & bona, & glorioſa ſua præſentia, ſanctificet, & efficiat hunc panem Corpus Sanctum Chriſti tui, & Calicem hunc pretioſum Sanguinem Chriſti tui*. Et cum Populus in utraque conſecratione reſpondet, *Amen*, ſubjungit Sacerdos: *ut ſit omnibus ex his ſumentibus in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam*. Similiter in Liturgia Sancti Marci, in qua poſt verba conſecrationis orat Sacerdos in hunc modum: *Emitte ſuper nos, & ſuper panes, & Calices iſtos Spiritum Sanctum tuum, ut eos ſanctificet, & conſecret, tanquam Deus omnipotens, & faciat panem quidem Corpus, Calicem autem Sanguinem novi teſtamenti ipſius Domini, Dei, & Servatoris, & ſummi Regis noſtri Jeſu Chriſti. Ut fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in fidem, in ſobrietatem, in medelam &c.*

Haud aliter in Liturgia S. Chryſoſtomi, quæ modo viget præ aliis in Eccleſia Græca: nam pronuntiatis verbis conſecrationis, orat Sacerdos ſic; *Fac quidem panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui. quod autem in Calice eſt iſta pretioſum Sanguinem Chriſti tui. Permutans Spiritu Sancto tuo*. Quamquam interrumpantur aliquantulum præfata verba, vel Diacono petente à Sacerdote præcedenter ad illa, & ſigillatim: *Benedic Domine Sanctum panem*, & rurſus: *Benedic Domine Sanctum Calicem*. Ex quo etiam loquendi modo arguitur, nondum æſtimari panem illum conſecratum, claudentemque theſaurum vitæ, pignora gloriæ noſtræ, & præſentiam realem ſilentis majeſtatis excelſæ.

Eodem fere modo in Liturgia Sancti Baſilii, multò poſt conſecrationis verba prolata, clamat ad Deum Sacerdos. *Te obſecramus, & te poſtulamus Sancte Sanctorum, beneplacita tua benignitate, ut veniat Spiritus Sanctus tuus ſuper nos, & ſuper propoſita dona, & benedicat, & ſanctificet, atque faciat* (*oſtendat* vertunt peritiores frequentiùs) *hunc panem Corpus pretioſum Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, & Calicem hunc ſanguinem pretioſum &c.* Quodque rurſus omnem evadendi viam claudit, ibidem immediatè ante deprecationis hujus verba, ait Sacerdos in laudata Magni Baſilii Liturgia: *Confidentes appropinquamus ſancto altari tuo, & proponentes antitypa Corporis, & Sanguinis tui, te obſecramus &c.* Antitypa verò eſſe figuram, aut ſignum Corporis, & Sanguinis, non verò Corpus ipſum, & Sanguinem ſub ſpeciebus illis, extra controverſiam videtur ex propria vocis natura, & ex ſeptima Synodo Generali, mox producenda; priuſque ab antiqua Græcia removere poſſes eloquentiæ gloriam, quàm ab hac voce ſignificationem præfatam.

Num. 61. Quin ſuffragari valeat evaſio contendens, appellari poſſe Corpus ipſum, & Sanguinem ſub ſpeciebus antytypum ſuimet prout in paſſione, ſive in Cruce viſibiliter, & in propria ſpecie patientis; itaut ſub una conſideratione, & ſtatu, ſit ſignum, & ſub alio ſignatum, ut ex Auguſt. Proſpero, Damaſceno, Cyrillo, Gregorio Nazianz., & Ambroſio, reſpondent Petrus Arcudius lib. 3. de concordia Eccl. Occident. & Orient. Beſſarion., Claudius Sainctes, Elias Cretenſis, Turrianus, Billius, Roffenſis, Cardin. de Lugo, Verriceli &c. Quandoquidem ſi foret hic ſenſus Liturgiarum SS. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, non eſſet cur à ſeptima Synodo, & ab Epiphanio, Damaſceno, & à reliquis Patribus repelleretur locutio illa, tanquam hæretica, quà Corpus, & Sanguis Chriſti Domini etiam poſt conſecrationem dicerentur in eo ſenſu Antitypa: quoniam in ea acceptione catholicè venire poteſt eo nomine, & titulo, uti congruenter ſub ea ſignificatione poſt conſecrationem dici poſſunt in Eccleſia Latina ſignum ſuimet in Cruce patientis; aut etiam in ſtatu beatitudinis.

Præterea S. Chryſoſtom. in verbis relatis ſupponit evidenter, nondum panem, & vinum tranſmutata eſſe ante invocationem, licet verba conſecrationis fuerint jam prolata, in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, donec accedat invocatio illa Spiritus Sancti, per quam tandem fiat converſio, aut tranſubſtantiatio miranda; ad quam ſive adæquatè, ſive inadæquatè ſaltem unà cum verbis conſecrationis (longo intervallo, præſertim in Liturgia Baſilii, diſſitis præcedenter) concurrit eſſentialiter, juxta diverſas de re hac eorumdem Græcorum ſententias;

tias; aberrantes proculdubio, modo prædicto, circa imploratum hunc Spiritus Sancti adventum; ad finem illum nequidquam deſideratum (quoniam actum ageret): quemadmodum circa ejus proceſſionem ab Æterno contentiosè aberrant jamdiù, non ſine planctu Occidentis, & ipſius etiam Orientis partim. Percrebuit adeo inter Græcorum Sapientes præfatus verborum S. Baſilii ſenſus, ut S. Joann. Damaſcenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. expendens illud Liturgiæ Baſilii: *antitypa corporis &c.* dixerit: *quod ſi nonnulli panem, & vinum Corporis, & Sanguinis Domini figuram dixerunt, ſicut Deo plenus Baſilius dixit, non poſt conſecrationem, ſed priùſquam conſecraretur ipſa oblatio, hoc vocabulum uſurparunt.* Aliunde manifeſtum eſt, ea verba, illudque vocabulum proferri in Liturgia Baſilii multo poſt verba Chriſti Domini, quæ nos dicimus verba conſecrationis utriuſque ſpeciei. Ergo juxta mentem S. Baſilii, prout intellectam à S. Damaſceno, & ſimul juxta ejuſdem Damaſceni ſententiam, conſecratio ſeu converſio ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, non fit ſimpliciter per nota verba Servatoris, quibus conſecrare ſimpliciter credit Eccleſia Latina; ſed vel completur per verba deprecatoria, vel adęquatè exercetur in virtute illorum, Spiritu Sancto cooperante, juxta Grecorum votum.

Robuſtiùs adhuc firmatur hoc ipſum ex ſeptima Synodo Gener. actione ſexta ajente: *nullibi, nec Dominus, nec Apoſtoli, vel Patres imaginem dixerunt incruentum ſacrificium per Sacerdotem oblatum. Attamen ante ſanctificationis conſecrationem, quibuſdam Patribus piè ſanè viſum eſt Antitypa nominare; è quorum numero Baſilius, ut omnes Sacerdotes in precatione divinæ oblationis norunt, ad hunc ferè modum ait: confidentes, tuo ſacro altari appropinquamus, & proponentes Antitypa Sancti Corporis, & Sanguinis Chriſti, te precamur, & invocamus: & quod deinceps ſequitur, mentem Patris manifeſtiorem reddit; quòd antequam ſanctificarentur, antitypa vocata ſunt; poſt conſecrationem autem Corpus propriè, & Sanguis Chriſti dicuntur.* Sed illa verba proferebantur multo tempore poſt verba Chriſti Domini, ſive conſecrationis, in Liturgia illa, juxta cujus ritum Patres Concilio præſentes cèlebrabant, ut oſtendunt ipſa verba Concilii. Præſupponebant igitur, per verba Chriſti Domini, quibus Eccleſia Latina conſecrat, & tranſubſtantiationem fieri docet, nondum conſtitui Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini realiter ſub ſpeciebus; donec clamoribus invocatus Spiritus Sanctus deſcenderet, & egregium illud converſionis opus faceret, aut perficeret, naturæ leges, & ſtatuta terręmotu ſui adventus concutiens, juraque, & leges diſſolvens.

Num. 61. Eundem uſum, tanquam totius Eccleſiæ Orientalis proprium refert S. Cyrillus Hieroſol. Cathecheſi prima Myſtagog. dicens: *Panis, & vinum Euchariſtiæ ante ſacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat, & vinum merum; peracta verò invocatione, panis fit Corpus Chriſti, vinum autem Sanguinis Chriſti;* & Catech. 3. ait: *panem poſt invocationem Spiritus Sancti, non eſſe panem communem, ſed Corpus Chriſti.* Sed ante invocationem illam prolata ſemper erant verba Chriſti Domini, quæ apud nos ſunt formaliter verba conſecrationis: ergo, pronuntiatis jam verbis conſecrationis, panis ſubſtantia non dum erat converſa in Corpus Chriſti Domini, ſed erat panis communis in Eccleſiæ Orientalis ſententia, & fide. Et Catech. 5. *Deum benigniſſimè oramus, ut ſuper illa propoſita Sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Chriſti. Omnino enim quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc ſanctificatur, & tranſmutatur. Deinde verò poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus &c.*

Ejuſdemque mentis in ſubjecta materia fuiſſe S. Epiphanium, Cyril. Alex. Nyſſenum, Nazianz. Irę neum, Euſtachium, Theophilactum, & reliquos, Græcæ præſertim Eccleſiæ Patres, conſtat evidenter ex eorundem ſcriptis, & Liturgiis, quibus utebantur. Immo & in Latina Eccleſia, eum uſum viguiſſe, liquet ex Conſtitut. Apoſtol., ex Liturgia S. Clementis, ut apparebit ex infra producendo ipſius Clementis teſtimonio. Et ſanè eodem pacto loqui videntur S. Ambroſius lib. 4. de fide ad Gratianum. S. Hieronym. Epiſt. 85. Sanctus Aug. lib. 3. de Trinitat. cap. 4. Proclus Epiſcopus in traditione Miſſæ. Juſtinus Martyr Apolog. 2. ſub finem: & in deteſtatione ſui erroris ita loquitur ſub Gregorio Septimò Berengarius: *ego Berengarius corde credo, & ore profiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis, & verba Redemptoris ſubſtantialiter converti.* Ubi & invocationem nomine orationis intelligit, eamque ſupponit neceſſariam unà cum verbis Chriſti Domini ad converſionem. Et plures alii, quos refert P. Vaſqu. diſp. 197. cap. 4.

Ita etiam in Miſſa Moz-arabica, in qua ſemper adeſt depræcatio, diverſa tamen pro diverſitate feſtivitatum, ut notat Cardin. de Bona lib. 2. Rerum Liturgic. cap. 13.. Ita Æthiopum Liturgia, ubi poſt conſecrationem Sacerdos precatur eodem ferè modo. Similiter in Liturgia Armenorum, in qua, facta conſecratione per verba Chriſti Domini, ſic orat Deum Sacerdos: *mitte in nos, & in propoſita munera conſempiternum tuum, & coeſſentialem Sanctum Spiritum. Per quem panem hunc benedicens, Corpus vere facias Domini noſtri, & Redemptoris Jeſu Chriſti.* Hunc autem morem ex Apoſtolica traditione hauſiſſe Græcos, non ſolùm patet ex Liturgia S. Jacobi, S. Marcique; verùm ex ipſis poſteriorum Liturgicarum Authoribus. Et rurſus ex Baſilio,

qui

Digitized by Google

qui lib. de Spiritu Sancto c. 27. affirmat: *invocationis verba* (ea nimirum, quibus imploratur adventus Spiritus Sancti in ſacrificio, prolatis verbis Chriſti Domini: *& poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis ſcripto reliquit?* Ideſt traditione conſtat, non ſcripto. Verùm numquid S. Jacobus illam non reliquerat in Liturgia ſcriptam? Numquid Marcus non pariter, & alii ex præclaris prioris ævi luminibus? Ita ſanè, notiſſimumque erat Baſilio; ea tamen diverſitate verborum, ut nihil fixum remanſerit circa primam ejuſmodi invocationis originem; fueritne, Chriſtus Dominus ipſe, cum de hoc nihil conſtet ex Evangelio, vel ex illius præcepto inſtituta, quod etiam colligi ex Evangeliſtis nequit: etiamſi verum ſit illud Innocent. III. productum in cap. *cum Marthæ* de celebr. Miſſ. *Multa tam de verbis, quàm de factis Dominicis inveniuntur ab Evangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli, vel ſuppleviſſe verbo, vel facto expreſſe legitur.* vel ex Spiritus Sancti immediato inſtinctu: vel ab inflammata pietate voluntariè genita, & deinceps conſuetudine firmata, quæ non ſolùm vim legis vult ſibi arrogare in Eccleſia Græca, ſed vim etiam Religionis in ipſa.

Num. 63. Quamvis autem hactenùs relata convincere videantur, per preces illas, aut invocationem aliquid ſacrum fieri circa Hoſtiam, & Calicem, adhùc poſt verba Conſecrationis nomine Chriſti Domini prolata à Sacerdote: quo fundamento ducti Hieremias Patriarcha Conſtantinopolit. Marcus Epheſinus, & Græci paſsìm, aſſeruere, ſola verba Chriſti Domini minimè ſufficere ad converſionem, ſed eſſentialitèr exigi invocationem, vel tanquam partialem, vel tanquam adæquatam conſecrationem; quod & Catherinum ſenſiſſe refert magnus Suarez (renuente Patre Vaſquez); niſi quòd Catherinus, ſufficere credat ejuſmodi precationem, factam antecedentèr ad verba Chriſti Domini, uti fit aliquatenùs in Eccleſia Latina; adjungens ſimul, non futuram converſionem, donec illa precatio fieret, ſi poſtponeretur, ut in Græcorum Liturgiis fit. Quamvis, inquam, hæc ita ſint, nihilominùs fieri perfectè converſionem, protinus ac verba Chriſti Domini proferuntur, ſenſere proculdubiò iidem Patres Græci, quos in oppoſitum gloriabundi laudant Schiſmatici omnes. Nanque S. Chryſoſt. homil. 83. in Matth. loquens de verbis Chriſti Domini, ſive conſecrationis, ait: *Credamus Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur, quod dicit*. Et infrà: *Nam verbis ejus defraudare non poſſumus; ſenſus verò noſter deceptui facillimus eſt. Quoniam ergò ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculo intellectus id perſpiciamus.* Et hom. 2. in epiſt. ad Timoth. ut demonſtret, oblationem à Sacerdote factam in altari eſſe prorsùs eamdem cum illa, quam Chriſtus Dominus inſtituit, & fecit in Cœna, inquit: *Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacraverat. Quemadmodùm verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem*. Quod teſtimonium tanti ponderis eſt, ut Græci paſsim fateantur, Chryſoſtomum ſibi contrarium extitiſſe: & Hieremias Patriarcha teſtimonium hoc Chryſoſtomi producens adversùs caput octavum Confeſſionis Auguſtanæ, omiſerit conſultò illud: *quemadmodùm verba &c.* Ut refert Arcudius, & ex ipſo Cardin. de Lugo; eo quòd prævideret jugulari ſimul eiſdem verbis hunc Græcorum errorem, tenaciſſimum circà conſecrationem, cui ipſe Hieremias mordicùs adhærebat. Similia habet Chryſoſt. hom. de Proditione Judæ: *Sacerdotis ore*, inquit, *verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Hoc eſt, ait, Corpus meum, hoc verbo propoſita conſecrantur.*

Succedat modò S. Cyrill. Hieroſ. (quem ſupponunt Græci vehementiorem ſui erroris Patronum, & Advocatum): Catecheſi enim quarta ſic loquitur: *Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, hoc eſt corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Atque eodem confirmante, & dicente, Hic eſt ſanguis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat, non eſſe ejus ſanguinem?* Quis? omnes illi, qui credant eſſentialitèr neceſſariam invocationem Spiritus Sancti, ſpatio aliquo poſt ſacra illa verba peculiari deprecatione faciendam, & ſine qua nihil egiſſent verba illa conſecrationis, remanerentque panis, & vinum abſque ulla converſione, æquè poſt verborum Chriſti Domini prolationem, ac ante, ſi Sacerdos ab invocatione abſtineret. Nullo igitur pacto Cyrillus, qui verba nupera ſcripſit, credere potuit, tranſmutationem non fieri verbis Domini, niſi complerentur per invocationem, aut nequaquam per illa, ſed unicè per hanc. Comitetur Cyrillum Inclytus alius ejuſdem ſententiæ defenſor (ſi Græcis fides in re hac habenda ſit) Damaſcenus lib. 4. de fide c. 14. *Dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, & omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur.*

Expreſſiùs adhùc loquitur antiquæ Græciæ florentiſſima Theologia per os Nazianzeni orat. 2. de Paſchate: *Inter ſermones de carne*, ait, *præcipui ſunt illi Chriſti, hoc eſt corpus meum, illiſque prolatis à Sacerdote, qui non credit, eſſe corpus Chriſti, fidem negat.* Eadem perſpicuitate loquitur S. Greg. Nyſſen. ſerm. Catechet. cap. 37. uti & Irenæus, de mente verò Magni Baſilii, infra nobis ſermo opportunior, quo illa clareſcat, & noſtram illuſtret. Obſervandus etiam Æthiopum ritus, in quorum Liturgia (ab Apoſtolis, Græcorum confeſſione, concinnata) ubi, prolatis verbis conſecrationis panis, confeſtim Populus clamat: *Amen, amen, amen, credimus, confidimus, & laudamus te, o Domine Deus noſter, hoc verè corpus tuum eſſe.*

eſſe. Et paritèr poſt verba conſecrationis Calicis: evidentèr ergò ante invocationem, quæ deinceps ſequebatur, credebant, & profiteri docebantur, præſentiam realem Córporis Domini, & ſanguinis ſub ſpeciebus.

Accedit eorundem Græcorum conſuetudo inveterata, quæ id ipſum demonſtrat: nam prolatis verbis Chriſti Domini illicò Diaconus Hoſtiam (& deindè Calicem) oſtendebat Populo, priùs multò quàm fieret invocatio, ut utrumque adoraret, ut teſtatur Card. Beſſarion de verbis conſecrationis, & Gentianus Hervetus in admonitione ad librum Cabaſilæ de Liturgiæ expoſitione. Hoc autem fieri minimè poſſet, ſi præcedentèr ad deprecationem illam non præſupponerent per ſola verba Chriſti Domini conſecrationem plenè factam, & converſionem perfectam; alioqui expoſuiſſent adorandum nudum panem, & vinum, per ſpeciem Idolatriæ. Quapropter ex ea conſuetudine inſurgunt adversùs neceſſitatem Invocationis à Græcis intentam Doctor Eximius, Vaſquez, Verriceli, & plerunque Juniores. Verumtamen Cardin. de Bona lib. Rer. Liturgic. cap. 13. aſſeverat, nonniſi paulò ante communionem, & poſt deprecationem dudùm factam, oſtendi, aut elevari, tum Hoſtiam, tum Calicem, ut prona adoratione Populus veneraretur Chriſtum Dominum præſentem ſub accidentibus; ni velis bis illam fieri, priùs à Diacono, deindè à Sacerdote. Re ipſa tamen in præcipuis Grȩcorum Liturgiis invenire non potui primam illam à Diacono factam, nec illius umbram; & aliundè, ſi factum non eſt inconcuſſum, argumentatio, quæ illi innititur, nutat, dum ſtat, & ſtare diù nequit.

Num. 64. Difficultatem ſubjectam non ſine ſtudio quammàximo, ſudoreque ingenii, pietatis, & eruditionis verſant Salmeron, Arcudius, Turrianus, Gentianus, Hervetus, Billius, Leo Allatius, Claudius Saincles, Cardin. Bellarm., Vaſquez, Card. de Lugo, Angelus Maria Verriceli, & dilucidè, quamquam breviùs, Doctor Eximius, & Controverſiarum Scriptores. Reſpondentque primò nonnulli ex Card. Beſſarione in Opuſculo de Sacram. Euchariſtiæ (ubi obitèr hanc ſolutionem attigit) Invocationem illam importare ſolùm verba gratulatoria de re facta; potius quàm deprecatoria: ad modum quo gratulamur Deo de ſumma ſuæ divinitatis perfectione. Fruſtra tamen, ut notat, & evincit Cardin. de Lugo diſp. 11. ſect. 1. (Eximius verò Doctor illam referens, nec approbat, nec improbat, quoniam intendebat, vias tantùm emergendi planiores jampridem apertas deſignare): ſiquidem licet diſſertè, & ſumma cum rerum, & orationis proprietate congratulemur Deo de perfectionibus ejuſdem, in eiſque congaudeamus; ſtultiſſimè tamen invocaremus Deum, ut efficeret ſeipſum ſummè bonum, ſapientem, & undique divinum, ut exploratum eſt: & aliunde hæc eſt formula Græcæ invocationis in re noſtra; alioqui, ut arguit Lugo, ſicut modò laudamus verbum Divinum, quòd carnem aſſumpſerit, poſſemus precari ipſum, ut incarnaret; quod vir ſanæ mentis nunquam poſtulat.

Mitto ſomnia quorumdam, qui auſi ſunt dicere, Deum aliter cum Eccleſia Græca ſe geſſiſſe, ac cum Latina in præſenti materia, quaſi diverſimodè inſtituta fuerit à Chriſto Domino conſecratio penes verba, & modum cum Græcis, ac nobiſcum; quorum reſponſionem temerariam, cavendamque dicit Salmeron tom. 9. in Evang. Tract. 13. & ex ipſo Cardin. de Lugo. Mitto pariter turpiſſimum errorem quorumdam Græcorum, apud Cozzam in ſua Hiſtoria Polemica de Græcorum Schiſmate par. 6. cap. 15. qui putant, Corpus Chriſti Domini generari ſenſim, & veluti membratim confici in altari, incipiendo à verbis conſecrationis, donec tandem integretur, & perficiatur completiſſimè per invocationem. Ex quo rudi admodum, nimiumque craſſo cogitandi modo deprehendes, longè plus ſylveſcere modò inter Grȩcos obſtinatiſſimos ignorationem rerum, quàm olim floruerit omnium artium, & ſcieutiarum ſtudium; tametſi fuerit tunc totius orbis Muſæum literatiſſimum.

Evaſiſſe putarunt aliqui difficultatem, dicentes, Invocationem illam, aut orationem deprecatoriam fieri olim antequam proferrentur verba conſecrationis, ut de nomine Antitypa in Baſilii Liturgia dici poſſe, credit Bellarminus. *Fortaſſis*, inquit, *quod impoſſibile non eſt, diceret quiſpiam, verba illa Baſilii, quibus hæc munera præfigurativa nominavit, tempore Damaſceni locum ante verba Domini in Miſſa Baſilii habuiſſe; ideoque &c. verè eo modo expoſuiſſe Damaſcenum. Nunc verò, neſcio quomodo, ea verba fuiſſe tranſpoſita.* Quam reſponſionem inter alias refert Platelius, & per eam probabiliter occurrit difficultati. Evaſio tamen hæc, ut omni deſtituta ſoliditate, pœnituſque voluntaria, deſeritur à cunctis: tum quia in vetuſtiſſimis Liturgiis reperitur eodem pacto poſtpoſita invocatio: tum quia id expreſsè docet S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. in Theoria rerum Eccleſiaſtic., qui floruit temporibus S. Damaſceni, in quibus ſeptima Synodus celebrata fuit: tum denique, quia hanc methodum ſervaſſe conſtanter Græcorum Eccleſiam, faſſus eſt Cardin. Beſſarion. & reliqui Græci Patres in Concilio Florentino.

Cadit pariter alia expoſitio affinis prȩcedenti, quæ verba aliqua, & nomina ex prolatis in ea invocatione ſubdolè, falsòque Baſilio, inquit aſtuta. Voluntariè namque fingitur dolus; & refragatur Patribus ipſis Græcis, præſertim Germano, Synchrono Damaſceni. Fugam alii tentant cum Herveto ſupra, per gaudii, aut complacentiæ manifeſtationem in beneficio jam facto,

de

de exiſtentia videlicet Corporis & Sanguinis Domini ſub ſpeciebus: ad modum, quo Chriſtus Dominus Marci 5. dum liberaret à ſanguinis profluvio mulierem, dixit illi: *Fides tua te ſalvam fecit; vade in pace, & eſto ſana à plaga tua*; tametſi jam fuiſſet ſanata; cum priùs referat Marcus, Muliere tangente fimbriam veſtimenti Salvatoris, agnoviſſe Chriſtum Dominum, exiviſſe ex ſe virtutem. Cæterum nullus inficiatur, poſſe benefactorem ipſum, collato jam beneficio, complacere de ipſo, & in ipſo, eamque complacentiam in ſignum majoris adhuc benevolentiæ verbis exprimere; uti & qui beneficium accipit, in ſignum voluptatis, & ejus, qua tenetur, gratitudinis. Quod autem contendimus, eſt, id ineptiſſimè fieri per verba deprecatoria, quibus inſtantèr poſtulemus, ut actum agatur; ut fiat converſio, quam præſupponimus factam; & rurſus, quòd id poſtulemus per verba ſupponentia eam nondum factam, ſed nudum panem, dum in ipſa ut jam confecta complacemus.

Inſuper, & urgenter (quod eodem impetu infringit reliquas evaſiones): quia modus ille deprecandi, cum ex propria ſignificatione connaturali tendat in rei poſtulatæ efficientiam: & cum apertè ſupponat, non eſſe factum adhuc, quà dicit Hoſtiam præſentem merum panem: *fac panem hunc Corpus Chriſti Domini &c.* exhiberet apertiſſimam errandi occaſionem fidelibus; credendi ſcilicet, aut vehementi ſuſpicione, motivoque juſto opinandi, conſecrationem nondum eſſe peractam, poſtquam verba Chriſti Domini fuerint prolata, (uti re ipſa eo titulo arbitratur modò Græcorum turba): quo pacto igitur Spiritus Sanctus eſſet author Liturgiarum Eccleſiæ Orientalis? Et quo jure in S. Baſilii vita diceretur, compoſuiſse ſuam Liturgiam inſtinctu Spiritus Sancti, quin & ex expreſsa illius revelatione, ab eodemque S. Spiritu approbatam: nam qua ratione palam improbaſset, quod ipſe clam ſuggeſſiſset?

Num. 65. Incidunt in eamdem rupem, qui rentur, poſtulari solùm ea deprecatione permanentiam myſterii jam facti, confirmationemque ſimul, & perſeverantiam ipſius, Corporis ſcilicet, & Sanguinis Domini. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*; etiamſi non eſſet prudenter formidandum de non permanentia, durantibus ſpeciebus; quoniam per eam petitionem exprimitur affectus ingens erga ſummum illud beneficium. Quemadmodum in Eccleſia Latina expoſcimus ante verborum prolationem, ut Hoſtia appoſita in altari, & vinum, fiant Corpus, & Sanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti; licet divina promiſſione certi ſimus, conſtituenda fore ſub ſpeciebus utriuſque, ſtatim ac pronuntientur verba. Quandoquidem conſimilis affectus vim habet potiùs approbationis, quàm ſollicitudinis: energiamque gratæ ſecuritatis, magis quàm invocationis. Adjungi poteſt, D. Thom. 3. p. q. 83. art. 4. ad ſeptimum docuiſse, non eſse inconveniens, quòd aliquando poſtulemus id, quod neceſſario contingere debet: ſicut Chriſtus Dominus Joann. 17. *Petiit ſuam clarificationem*. Ad hunc modum philoſophati ſunt Cardinalis Bellarmin. Salmeron, Hervetus, Sixtus Senenſis, à quibus non videtur diſſentire poſitivè Doct. Eximius, ſubſcribuntque Platelius, & Moderni alii. Incidit, inquam, in rupem duriſſimam ſæpe indicatam. Secundo: eſt etiam plane voluntaria; & abſque ſolido fundamento excogitata ad declinandum impetum difficultatis. Tertio: eſt violenta ſenſui naturali, & facti, & verborum invocationis; quamvis enim certum ſit, interdum nos hortari ſapienter aliquem ad efficiendum id ipſum, quod facere videmus, aut ſupponimus, ut diſertè expreſſit Ovidius, cum dixit.

Qui monet, ut facias, quod jam facis, ipſe monendo.
Laudat, & hortatu comprobat ipſe ſuo.

Cæterum exploratum eſt pariter, ejuſmodi incitamenta movere per ſe ad perſiſtendum in opere cæpto, ubi ejus permanentia non eſt planè neceſſaria; in quo eventu, & confirmant benè operantem, & alliciunt ad facti proſecutionem. Vel ſi agatur de beneficio accepto, firmant illud, pollicenturque ejus durationem, uti fecerunt verba Chriſti Domini, dum exuberantem ſanguinem compreſſerunt: maximè, cum ibi forſitan invexere ulteriorem effectum, excutiendi nimirum à fœmina illa tremorem, ut refert in eo loco Marcus: *Mulier verò timens, & tremens*, eo quod veluti furtivè, invito, vel inſcio Chriſto Domino, ut illa per ignorantiam putarat, rapuiſſet ſanitatem.

D. Thomas verò diſſerit de eventu illo, in quo res aliqua, uti clarificatio Corporis Chriſti Domini, tametſi omnino debita uno titulo, unionis videlicet; poteſt nihilominus novo titulo comparari, ut Chriſtus Dominus jure meriti denuo obtinuit eandem clarificationem. Præterquamquod oratio illa fieri potuit in exemplum noſtrum. Et demum tametſi interdum id fieri valeat, non tamen inſtantiâ illâ ſummâ, quæ per ſe ſupponere videatur rem infectam. In Eccleſia autem Latina præmittitur ea oratio, ut Deus removeat impedimenta ex parte Sacerdotis; defectum ſcilicet intentionis ſufficientis, aut omiſſionem alicujus verbi eſſentialis, cum nondùm ſit facta conſecratio. Ubi autem proſecutio eſt neceſſaria, &. indefectibilis, ut contingit in re noſtra ex ſuppoſitione divinæ promiſſionis, ſtultè, & nugatoriè deprecaremur ejuſmodi permanentiam, ut ſcitè arguit P. Vaſquez: & ex eodem Lugo. Solùmque nugatorium eſſe deſineret, dum ob modum loquendi, aut ratione circumſtantiarum ſonarent potiùs ea verba congratulationem, complacentiam, gratiarum actionem, aut approbationem rei jam factæ, ut haberet ſola-

tium, aut pelleret curam (quod habere non poteſt locum comparativè ad Deum, quem invocans alloquitur); aut alium ejuſmodi affectum nondum exiſtentem, & figurata locutione illa expreſſum.

Ecquis autem fidelium ſibi perſuadere poſſet, verba hæc: rogamus te, ut mittas Spiritum Sanctum ſuper hæc dona, & facias panem hunc Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & vinum hoc Sanguinem Jeſu Chriſti Domini Noſtri, (aut ſimilia) reddere hunc ſenſum; gratulamur tibi, aut gratias agimus tibi, quia per verba Sacerdotis tranſmutaveris panem in corpus hoc Chriſti Domini, & vinum in Sanguinem hunc Salvatoris? Quin & ſi permitteretur ſenſus præfatus; quis tamen, comparando illum cum ſenſu naturali, & proprio verborum, quem Græci ſequuntur, prudenter amplecteretur illum, & hunc Græcorum repudiaret? Et ſaltem quis eos à vera fide aberrantes auderet pronuntiare, quia exoticam illam verborum acceptionem repellerent; ut nativum, genuinumque verborum uſum foverent? Quod vividiùs comprehendet, qui fingat Sacerdotem poſtulantem modò inſtanter à Chriſto Domino, ut inſtituat Sacramentum, & ſacrificium Euchariſtiæ, prout de facto exiſtit, & inſtitutum eſt in noviſſima Cœna. Profecto illico ſuſpicaremur, aut Sacerdotem illum ſanæ mentis non eſſe, cum fatuam orationem emitteret, aut illum minimè credere, Euchariſtiam fuiſſe hactenus inſtitutam, ſed expectandam adhuc. Et aliunde non minùs Fide Sanctum eſt, Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini permanſura ſub ſpeciebus conſecratis, donec illæ corrumpantur; quàm certum ſit, ibi primò conſtitui, & exiſtere, facta conſecratione.

Num. 66. Plauſibilior reſponſio, aut interpretatio, deſumpta ex Beſſarione, & reliquis Patribus Græcis in Florentino, credit, nihil aliud ibi ſignificari, quàm ut Spiritus Sanctus deſcendens ſuper dona propoſita efficiat illa nobis proficua: unde ſubintelligendum eſſe dicunt, *nobis*, itaut conſtruatur: *Fac panem hunc nobis Corpus Chriſti tui*. Cui adhærent plerumque Scholaſtici, Doct. Eximius, Bellarm., Vaſquez, Lugo, Platelius, Verricelli &c. licet enim Eximius Doctor paulò aliter eam explicare videatur ex Bellarmino aliiſque, ita nimirum, ut efficiat panem illum corpus myſticum, cum per verba conſecrationis factum fuerit corpus naturale, & phyſicum ipſius Chriſti Domini. Verumtamen nihil aliud intelligit ibi per efficientiam illam corporis myſtici, quàm quòd corpus reale Chriſti Domini fiat accipientibus in nutrimentum ſpirituale, & ſalutem animæ; quatenus per ejus dignam ſumptionem copulentur ardentiùs, & intimiùs capiti. Quo circa minus rectè Card. de Lugo hanc Doct. Eximii expoſitionem rejicit, tanquam à plauſibili diverſam. Addit ipſe Lugo, uti & Card. de Bona, uſurpandum eſſe appoſitivè *to Corpus*, & *Sanguinem*, itaut eorum conſtructio ſit: *Fac panem hunc, qui eſt Corpus Chriſti, nobis proficere ad vitam*. Per has ſemitas præruptas, aſperrimaſque abire coguntur viri doctiſſimi, ut inde colligas difficultatis horrorem, & obſcuritatem. Audiendi ſunt modo Patres Græci, ſic loquentes circa ſubjectam difficultatem in Concilio Florentino: *Fateri nos, diximus, per hæc verba: Hoc eſt corpus meum: tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri Corpus Chriſti: ſed poſtea, quemadmodum vos dicitis: Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime altare tuum; ita nos quoque oramus, dicentes, ut Spiritus deſcendat ſuper nos, efficiat nobis panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui; tranſmutetque ipſa dona Spiritu Sancto ſuo, ut fiat communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium, aut condemnationem noſtram*. Verba autem illa, quæ tranſmutationem, ſive converſionem tunc fieri denotant, uti & quæ figuram Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſignificant, intelligenda eſſe ajunt, de præterito, eo quod participium Aoriſti, cujuſmodi ſunt *imponentes*, & *permutans*, vim habeant in lingua Græca ſignificandi potius præteritum, quam præſens, meliuſque idcirco vertitur latinè per præteritum.

Non propterea tamen hujus reſponſionis Patroni plerunque arbitrantur, integram eam invocationem, vel ejus ſenſum retrotrahi poſſe ad præteritum conſecrationis tempus (ſicut de participiis dictum eſt); quaſi extra ſe raptus Sacerdos, impotenſque ad tam profunda myſteria ſimul advertere, maximè dum totus eſt in illis perficiendis, iterum de pane ſecundum ſe uſurpato, & præciſivè à converſione facta, oret Deum; ut cum Beſſarione loquuntur nonnulli, quorum reſponſioni favere videtur Gabriel lection. 54.; Illam tamen captu difficilem dixit P. Suarez, Card. de Lugo duriſſimam, & naturalis ratio illam credit parùm credibilem. Quocunque enim modo explicetur, & veluti condiatur violentiſſima eſt, ut tandem fatetur candidè ejuſdem defenſor Verricelli de Apoſt. Miſſion. qu. 137. ſect. 3. ſolùmque excuſat vim, quam ſenſus hic infert verbis, per hoc quod conſtet aliunde, conſecrationem eſſe jam factam. Verùm hoc convincit ſanè, per eam invocationem fieri nequaquam poſſe conſecrationem, utpotè quæ facta ſupponitur; minimè tamen mitigat violentiam hujus interpretationis; immo nec illam ſufficienter excuſat; cum potiùs arguatur inde, debuiſſe Græcos Patres, & Liturgiarum Authores non introducere prolationem dictæ invocationis, ut violenter neceſſariò intelligendæ, ne alioqui in errorem nondum factæ per verba Chriſti Domini conſecrationis duceret fideles: proindeque & ſi illa foret eo titulo excuſabilis; forent attamen inexcuſabiles, qui excuſandam introduxere invocationem.

Num. 67.

Num. 67. Et hæc eſt radix præſentis, arduæque nimium difficultatis: neceſſitas ſcilicet ſalvandi exiſtentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub accidentibus, productam per ſola verba conſecrationis, & in eodem inſtanti, in quo verba ultimò proferuntur; & ſimul vindicare egregios illos, Sanctiſſimoſque Eccleſiæ Orientalis Patres, maximè S. Jacobum Apoſtolum Eccleſiæ Hieroſolimitanæ primum Antiſtitem, Marcum, & deinde Baſilium, Chryſoſt. Nazianzenum, Epiphanium, Nyſſenum, utrumque Cyrillum, Damaſcenum, & Germanum, à nota inſtituendi, aut approbandi intra anaphoram, ſeu Canonem Liturgiæ Sacræ, verba deprecatoria, quæ nequeunt liberari à ſenſu erroneo, niſi per violentum alium, proindeque non ſiue violentia; quæ occaſionem præbent per ſe, & ex propria ſignificatione, aberrandi à veritate, & efficacia verborum Chriſti Domini; & quæ ut ſanè intelligantur, opus habent quaſi novo alio Sacramento Invocationis, unum præſeferentis, & alium ſenſum toto Cœlo diverſum à nativa ſignificatione occultantis. In quibus propterea Hæterodoxi, & Schiſmatici ſinceritatem deſiderarent, & utilitatem neſcirent: neque enim inter facundiæ Græcæ lenocinia, aut tropos, figurata locutio reperitur, quæ ænigmatico ſtilo nihil dignum proferat, nec in ipſa myſterium aliquod lateat.

Præſata itaque reſponſio, aut explicatio, in fructum eorum, qui accedunt ad Euchariſtiam Sacram eam invocationem detorquens, deficit multipliciter. Primo: quoniam ſi verbis illis: *Fac panem hunc Corpus Chriſti*, deberet addi tò *nobis*, aut ſubintelligi, ut ſignificaretur invocatio facta eo fine duntaxat, ut nobis proficeret, nequidquam invocatione peracta, adjungeretur: *ut fiat omnibus nobis in remiſſionem peccatorum &c.* prout in Liturgiis plerunque adjicitur; ſiquidem hic foret ſcopus intentus, & in quem collimaret jam oratio deprecatoria, eratque jam illius verbis incluſum hoc: & rurſus verba inſinuata in fine Invocationis poſita, apertè denotant finem ulteriorem diſtinctum ab eo, qui intenditur per Invocationem ipſam, quantumvis ex ipſo ſubſecutum.

Secundo, huic expoſitioni prout uſurpatæ à Cardin. de Lugo obſtat quammaximè interpoſitio verborum, & cæremoniarum, quæ mediant inter prima verba, & reliqua, quibus poſtulatur, ut fiat accipientibus in remiſſionem peccatorum. Exempli cauſa in Liturgia S. Chryſoſtomi poſtquam Sacerdos orat, dicens: *Fac quidem panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui*, & reſpondetur, *Amen*, confeſtim Sacerdos proſequitur: *quod autem in Calice eſt iſto pretioſum Sanguinem Chriſti tui*: deinde adjungit: *tranſmutans Spiritu tuo Sancto*; Et tandem: *ut fiat nobis aſſumentibus in lotionem animarum*. Ubi vides manifeſtè, quòd ſi prima verba: *Fac panem hunc Corpus Chriſti*, conſtruenda ſint appoſitivè hoc modo: Fac panem hunc, quod eſt Corpus Chriſti tui; oratio, ſeu deprecatio illa remaneret imperfecta diù, truncea, informis, nihil ſignificans, & planè ridicula. Uude non ſuſpenderetur per Apoſiopeſim, aut reticentiam, qui conſuevit eſſe affectus indignantis, potiùs quàm demiſsè petentis, & in qua elegantius exprimitur, quod obticetur; ſed interrupta, aut intercepta, mutilo, & imperfecto modo oratio, quæ nihil loquitur; donec iterum poſt alias rerum, & verborum ambages reſumat filum locutionis, ut ſenſum accipere valeat, quamquam tardum, qui reipſa tamen ægrè illi accommodari jam poteſt; niſi ſubintelligatur denuò aliquid perfectè ſignificans tam circa panem, quàm circa Calicem, quibus deinde ſenſus alius adjungatur.

Tertio: Quoniam illud, *Amen*, utrobique, ſive à Diacono, ſive à Populo, ſive etiam ab ipſo Sacerdote diceretur, eſt vox approbantis, vel factum aliquod, vel petitionem, votumque illius. Et aliunde, dum ſupponitur Sacerdos dicens tantùm, fac panem hunc, quod eſt pretioſum Corpus Chriſti, ibique ſiſtit, nihil adhuc rogaſſe conſtat, aut effeciſſe; nihilque idcirco, quod Diaconus, aut Populus approbare, aut ſecundare valeat oratione ſua. Neque ſatisfacit Card. de Lugo dicens, eam particulam innuere ſolùm affectum Populi credentis, panem eſſe Corpus Chriſti Domini; quandoquidem jam Populus, dum Sacerdos protuliſſet verba Chriſti Domini ſive conſecrationis, dixerat, *Amen*, quo confeſſus eſt, ſe credere eam veritatem, & converſionem, dum illa actu exercetur, ut patet ex Liturgia Jacobi, Baſilii, & reliquis prope omnibus. Dum ergo iteratò Populus, aut Diaconus pronuntiat, *Amen*, tempore Invocationis, aliquid aliud ex naturali ſignificandi, & rationabiliter procedendi modo, confitetur, approbat, credit, aut orat. 4.: quoniam in Liturgia Æthiopum, quam pro ſua explicatione laudat Cardin. de Lugo, poſt illa verba, *fac panem hunc &c.* additur: *tribue ſimul omnibus ſumentibus, ut fiat eis ad ſanctificationem, & plenitudinem Spiritus Sancti*. Illud autem *ſimul* apertiſſimè ſupponit petitionem aliam factam per prima verba, aliumque effectum, ad cujus exiſtentiam imploravit opem Spiritus Sancti. Quo infringitur reſponſio hæc pœnes omnes illius explicationes; ni aſſertione noſtra juvetur, & priuſquam ex integro corruat, fulciatur.

Adjungit Beſſarion in eodem opuſculo, invocationem illam Spiritus Sancti fieri, non ut conſecretur panis, utpotè jam conſecratus; ſed ut oſtendatur, *communia eſſe in creatura opera Trinitatis*. Verùm id incongruenter fieret, tempore, prece, & modo denotante, nondum eſſe factam conſecrationem. Secundo: Invocatio illa San-

cti Spiritus potiùs inducere poſſet rudem Populum ad cogitandum, ſolum Spiritum Sanctum opus illud diviniſſimum efficere, cum illum tantùm invocent ſupradictæ preces. Unde cum inter alias quæſtiones propoſuiſſet Monimus S. Fulgentio hanc: *Cur à Patre mittendus ad conſecrandum ſacrificium Corporis, & Sanguinis Domini Spiritus Sanctus poſtuletur?* Reſpondit Fulgentius: *quaſi verò, ut ita dicam, ipſe Pater Deus, à quo Spiritus Sanctus procedit, ſacrificium ſibi oblatum ſanctificare non poſſit; aut ipſe Filius ſanctificare nequeat ſacrificium corporis ſui, quod offerimus nos, cum corpus ſuum ipſe ſacrificaverit, quod obtulit, ut nos redimeret; aut ita Spiritus Sanctus ad conſecrandum Eccleſiæ ſacrificium mittendus ſit, tanquam Pater, & Filius ſacrificantibus deſint*. Ex quo apparet, eam invocationem potiùs dubium oppoſitum excitaſſe. Tertiò: ſi hoc ſupponeretur neceſſarium, fieri oportuiſſet Trinitatis memoria præcedenter ad conſecrationem. Et revera ita fit in Liturgia Sancti Jacobi, & in præfatione Liturgiæ S. Baſilii. Quocirca non ſolùm dici nequit præſens hæc probabilis reſponſio, verùm nec decens fuga, ſed fertilis quædam eludendi copia.

§. II.

Num. 68. SENTIENDUM itaque, Græcorum lumina præluxiſſe ſententiæ noſtræ, & ſuboſcuris verbis, ænigmatumque involucris (quia nondum ſatis opportunum tempus erat reſerandi vela omnia maximi arcani, ut ſæpe notatum eſt) reviviſcentiam illam Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & vini, jam ſacrificati in altari, inſinuaſſe; eamque Spiritus Sancti invocationem eo fine inſtituiſſe, ut Spiritus Sanctus vivificet corpus illud privatum per ſacrificationem vita actuali, tam ſub accidentibus panis, ſub quibus ponitur vi verborum, quàm ſub ſpeciebus vini, ſub quibus conſtituitur concomitanter (quin obſtet, quòd appelletur adhuc panis. *Fac panem hunc*, cum eam denominationem retineat, eo quod fuerit, & eo quod perſiſtant ejus accidentia, uti & in Eccleſia Latina poſt conſecrationem nominatur, tum panis Sanctus, tum panis Cœleſtis); cum vivificatio approprietur Spiritui Sancto, juxta illud Joannis 6. *Spiritus eſt qui vivificat*. Quod egregie oſtendit Sanctus Thomas 4. contra Gent. cap. 2. ibi: *vita maximè in motu manifeſtatur, moventia enim ſeipſa, vivere dicimus: & univerſaliter quæcunque à ſeipſis aguntur ad operandum. Si igitur ratione amoris Spiritui Sancto impulſio, & motio competit, convenienter etiam ſibi attribuitur vita. Dicitur enim Joann. 6. Spiritus eſt qui vivificat. Et Ezech. 37. dabo enim vobis ſpiritum, & vivetis; & in Symbolo fidei nos in Spiritum Sanctum vivificantem credere profitemur: quod etiam & nomini Spiritus conſonat, nam etiam corporalis vita animalium eſt per ſpiritum vitalem à principio vitæ in cætera membra diffuſum*. Et ſanè ad ejuſmodi vivificationem congruentiſſimè deſideratur Spiritus Sanctus peculiari aliquo titulo, quo non exigitur ad vitam actualem eliciendam Divina virtute, prius quàm conficiatur ſacrificium præſenti jam Chriſto Domino: quoniam licet utrobique ſit miraculoſa omnis operatio vitalis corporea, elicita ſub ſpeciebus à Chriſto Domino; veruntamen ante ſacrificationem nondum abdicarat à ſe jus liberum utendi facultate inſtrumentaria Humanitati debita, & conceſſa, miraculorum factiva. Quamobrem pro nutu ſuo poterat illa uti, concurrente ſimul omnipotentia, ut cauſa principali, illi applicata. Cæterum poſt ſacrificationem, vi cujus ſe ſpoliavit libero uſu illius, neceſſariò, aut convenientiſſimè exoratur à Sacerdote Spiritus Sanctus, ut efficiat vivum in actu ſecundo Corpus illud, animatum quidem, ſed neutiquam actu vivens, nec potens vivere emittendo pro libito operationes vitales corporeas; quia renuntiavit juri ſuo in ordine ad uſum. Ideoque imploratur Spiritus Sanctus ut efficiat, quod omnipotentia concurrat: quæ non tenetur (ſuppoſita abdicatione), & quod ipſemet Chriſtus videns per ſcientiam beatam, & infuſam deſiderium Spiritus Sancti, ſive volitionem Divinam, ejuſque intimationem, conetur unà cum ipſo (cui ſpecialitèr attribuantur primæ) in elicientiam earumdem operationum.

Unde 1. Petri cap. 3. dicitur de Chriſto Domino: *Mortificatus quidem carne, ſed vivificatus ſpiritu*. Et Roman. 8. *quod ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra*. Et quidem licet triduana reſurrectio facta fuerit ipſius Chriſti Domini voluntate, ut liquet ex Scriptura Sacra, & teſtimonio Sancti Ambroſii de Benedict. Patriarch. ſupra adducto. *Cujus alterius, ut reſurgat, egebit arbitrio?* Et quamvis ad illam concurrerit ejus anima, quin & corpus etiam, ſemper attamen illa vivificatio tribuitur Spiritu Sancto, cujus volitio, utpotè nota animæ Chriſti Domini fuit origo voluntatis humanæ ipſius, & poteſtatis reſumendi Corpus, ad cujus reunionem cum anima, factam virtute inſtrumentaria Humanitatis, exhibuit principalem concurſum tota Trinitas, ſubindeque Spiritus Sanctus ipſe, tanquam ad opus illi ſpecialiter attributum. Ex hac autem Corporis Chriſti Domini vivificatione ſub accidentibus Euchariſticis ſequitur reſurrectio corporum dignè ſuſcipientium Euchariſtiam, ſuo tempore facienda; quia invocatur Spiritus Sanctus ad illam efficiendam in Corpore Chriſti Domini, & nobis communicandam per ipſum (quod propterea eſt ſemen, & pignus reſurrectionis noſtræ) reſurrectio autem ſingulariter convenit Spiritui Sancto, ut Theologia docet, æquè ac remiſſio peccatorum, ſanctificatio, & renovatio, hominis vetuſtate de-

pulſa

Digitized by Google

pulſa per juventutem, ſolam prudentiæ canitiem agnoſcentem. Et ideo Joann. 20. dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Et de renovatione per ipſum Spiritum Sanctum dicitur Pſalm. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Uti & Iſajæ 4. & Apoſt. ad Epheſ. 4. ait: *renovamini Spiritu mentis veſtræ*. Sunt enim hi effectus Spiritus Sancti, qui in nos derivantur ex illo per ſacrificium incruentum, & dignam participationem Corporis Chriſti Domini; verùm producuntur poſtmodum per communionem; vel ſi fuerit aliquis effectus ex opere operato tribuendus per ſacrificium, præſupponitur jam præſtitus in ipſo inſtanti, in quo peracta fuit eſſentialiter ſacrificatio; multòque minus reſurrectio noſtra efficienda eſt tunc. Invocatur ergo Spiritus Sanctus, poſtulaturque ejus adventus, ut efficiat vivens Corpus Chriſti Domini in actu ſecundo. Ac proinde deprecatio in Liturgiis reperta non eo tendit, ut Spiritus Sanctus efficiat panem, & vinum Corpus, & Sanguinem, cum ſupponat eſſentialiter converſionem mirabilem undique perfectam. Neque inſuper eo fine primario, ut tunc vivificet accedentes ad menſam Cœleſtem (niſi quatenus reddit vivificatum illico Corpus Chriſti Domini, ut ſit etiam vivificans dignè communicantes); nec tandem ut nihil efficiat pro tunc; eſſet enim vana imploratio, captionibus, & æquivocis ſenſibus expoſita, & abſque juſta cauſa introducta. Sed ut quaſi ſuſcitet illud, aut vivificet (quatenus & facit ipſum elicere vitæ functiones, & ad illas concurrit, modo dicto), ut vitam ipſam ad vitam revocet, efficiatque, ut perennis vitæ fluxus imperio, & ſacrificatione altè repreſſus, iteratò accipiat curſum ſuum.

Num. 69. Hac doctrina verificatur ſtrictiùs, veriùſque ſignificatio reſurrectionis triduanæ per commixtionem Corporis, & Sanguinis Domini. Eâdem dici poteſt in vera aliqua acceptione poſt conſecrationem Corpus Chriſti Domini typus, aut antitypon ſui ipſius, ut glorioſè viſibiliter reſurgentis, apparentiſque diſcipulis; quamvis non poſſit eſſe imago, aut figura ipſius corporis ſecundum ſe; quia ſub ea ratione eſt realiter præſens, eſtque ipſa res figurata. Quinimmo, & antequam invocaretur Spiritus Sanctus, poſt factam conſecrationem, jure poſſet appellari Corpus illud, quà vita actuali deſtitutum, antitypon ſuimet, ut inſtructi vita actuali Corporis; quia ſecundum aliquam rationem diverſam non exiſtentem poſitivè tunc, nullum eſt inconveniens, ut ex Divo Thoma ſæpe diximus, & aliis Patribus, quod eadem res ſignificari valeat à ſeipſa ſub aliqua ſpecie, modo, aut ratione exiſtente. Hæc autem exprimi non debuerunt primis illis temporibus (quemadmodum multa alia ejuſmodi myſterii arcana aperire noluit Apoſtolus 5. ad Hæbr.); in quibus, ob rationes ſæpius delibatas, ſufficiens erat notitia præſentiæ realis Corporis, & Sanguinis Domini, quoad ſubſtantiam ejus, uti & ſacrificii incruenti; præſcindendo tamen ab eo, quod de facto ſub accidentibus Euchariſticis eliciat operationes vitales corporeas, eaſque ſuſpendat, & veluti mactet ad ſacrificium peragendum ſtrictè; vel ſecus. Atque adeo à fortiori tacere debuit earumdem reviviſcentiam: ſicuti loquendum non foret de reſurrectione, ubi mors ſilentio involvenda eſſet. Cum autem, licet Chriſto Domino ſit debita vita actualis in Euchariſtia titulis productis fuſiſſimè diſp. 2. 3. & 4. (niſi pro tempore illo, quo in proteſtationem Divini Dominii debet illam ſacrificare); ſubindeque debeatur illi reviviſcentia ſuppoſita ſacrificatione illius; nequaquam ex Evangelio, aut aliquo Scripturæ Sacræ loco, nec ex traditione, aut Patrum conſenſu apertè conſtet, promiſſam eſſe à Deo eam reviviſcentiam ſub ſpeciebus citiùs, an tardiùs determinato tempore, ut per ſe alligatam alicui functioni ſacræ omnibus notæ, aut verbis (quantumvis ſententia noſtra ex congruentiis, ratiociniis, & Patrum teſtimoniis, conetur illud deſignare valde probabiliter); ea de cauſa Græci illam expetunt, & poſtulant precibus, gemitibus, & clamoribus, utpotè ſummopere decentem Chriſtum Dominum, nobis utilem; quatenus reſumpto ſpiritu vitæ in actu ſecundo iterum pro nobis orat, diſtribuit diſcumbentibus, judicat, conſolatur, completque reliqua munia Sacerdotis, integrat, & ornat ſacrificium, quod peregerat immolando ſuam vitam actualem.

Idcirco in Eccleſia quoque Latina aliquatenus poſtulari videtur idem effectus (ut Græci reponebant) per illa verba: *Jube hæc perferri &c.* clariùs tamen per ea, quæ proferuntur poſt conſecrationem in oblatione verbali: ubi poſtquam fit memoria reſurrectionis, inter alia myſteria, adjungit: *offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis, ac datis Hoſtiam puram, Hoſtiam Sanctam, Hoſtiam Immaculatam, panem Sanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis æternæ. Supra quæ propitio, ac ſereno vultu reſpicere digneris &c.* Et deinde poſtulat earum benignam acceptationem. En verba depræcatoria, aliquid poſtulantia à Deo Corpori & Sanguini Chriſti Domini, quæ offert Sacerdos in ſacrificium. Uti & per alia mox recenſenda; licet illa potiùs ſupponant fixam, quàm poſtulent eam reviviſcentiam; concurrit tamen aliquatenus miniſter ter benedicens dona illa vivificanda.

Accedit, quòd etſi conſtaret Patribus Græcis de promiſſione reviviſcentiæ faciendæ ſub aliqua determinata functione, potuerunt attamen credere, Deum velle preces conſimiles, hoc, vel illo modo, & tempore fuſas, ad illam vivificationem utiliori nobis modo cauſandam; vel ut per il-

lam

lam animadverterent omnes, aliqu'd aliud fieri tum circa Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, quæ ſupponebantur jam actu præſentia, & ſacrificata; exindeque tandem devenireut in hujus quaſi reſurrectionis notitiam, & per illam, aut ex illa arguerent ejuſdem vitæ mactatiouem, (uti modò nos facimus); vel ut oſtenderent amorem erga Chriſtum Dominum; quia cum noſlent illum vita privatum per ſacrificationem validiſſimis, & iteratis precibus clamarent ad Deum, & Spiritum vivificantem, ut illum quantocyus ſuſcitaret. Quemadmodum qui videt amicum animo deficientem, ſive deliquium paſſum, excipit ulnis, fovet aromatibus, rigat lachrymis, & excitat clamoribus.

Num. 70. Moveor 1. quoniam verba illa quæ in Miſſa Latina proferuntur multò poſt conſecrationem: *per quem* (Chriſtum Dominum) *hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis*. Eumdem ferè ſenſum efficiunt, quoad ſubſtantiam, ac Invocationis verba in Eccleſia Orientali; quamvis differant in modo: quandoquidem hæc deprecatorio modo pronunciantur; illa verò aſſertivo potiùs: per Græcam vivificatio petitur; per Latinam extitura affirmatur (quamvis etiam enixè poſtuletur; ut nuper obſervatum fuit,) utrobique tamen creditur infallibiliter eventura. Et aliunde per verba Eccleſiæ Latinæ manifeſtè inducitur effectus vivificationis Hoſtiæ, & Calicis proveniens à Deo, ac proinde peculiari ratione ab Spiritu Sancto, cui vivificatio ſpeciatim attribuitur.

Ut autem reflexio hæc, doctrina, & utriuſque Eccleſiæ uniformitas eluceſcat ampliùs, producam teſtimonium S. Petri Damiani Cardinalis & Epiſcopi Oſtienſis in libro, qui inſcribitur, *Gratiſſimus*, habeturque in Epiſt. 15. ad Henricum Sedis Ravennatis Antiſtitem cap. 8. ubi verba ſubjecta, & materiam verſans, inquit: *quia Corpus Domini, quod in ſacris altaribus per ſancti Sacerdotis dedicatur officio, concepta Sancti Spiritus virtute vivificatur, & ſanctificatur, ut nos vivificare valeat, & ſanctificare, ſicut in ipſis venerandis Miſſarum ſacrificiis dicitur: per quem hæc omnia Domine bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis. Neque enim aliter vivificari poſſe creditur, niſi per Spiritum Sanctum; cum, teſtante veritate, ſit, qui vivificat* (*Joan. 6.*) *quæro ergo, cum ſanctus Sacerdos cæleſte illud munus, quod virtute Spiritus Sancti vivificatum eſt, & ſanctificatum, atque ut confidentiùs loquar, ejuſdem Divini Spiritus gratia veraciter plenum, ſcelerato cuilibet porrigat; numquid propterea Spiritus Sanctus Dominicum Corpus deſerit?* Ubi diſſertis verbis affirmat, non quidem panem, *ſed Corpus Domini* virtute Spiritus Sancti vivificari: *Sancti Spiritus virtute vivificatur, & ſanctificatur*, ut ſic *nos vivificare valeat, & ſanctificare*; ne putaret aliquis, vivificationem Corporis Chriſti Domini ab Spiritu Sancto factam ſub ſpeciebus, de qua primò loquitur Damianus, eſſe purè activam; & quidem impetrando nobis ſanctificationem, & vivificatiouem ab Spiritu Sancto efficiendam (quamquam media ſuſceptione Corporis ejuſdem Chriſti Domini) *neque enim aliter vivificare poſſe creditur, niſi per Spiritum Sanctum*. Si verba Damiani premas diligenter, & ſenſum diligentius, invenies aſſertionem noſtram luculenter ab eo expreſſam, & ex verbis Latinæ Eccleſiæ in Canone Miſſæ apertè deductam; itaut deſiderari jure nequeat expreſſius aliquid, & opportunius; non enim pleno Sole clareſcere debet nobis ſemper mens Patrum in arcanis ſecretioribus; ſin aliter jam deſinerent eſſe ſub lite, & ſub obſcuritate, cum omnes dubitationum tenebræ circumdarentur luce. Immo eodem teſtimonio vita Euchariſtica à nobis ſtabilita diſp. 2. & tertia illuſtratur egregiè, & promovetur.

Exponere autem verba allegata Eccleſiæ Latinæ per vivificationem factam de præterito in inſtanti conſecrationis, eo quod tunc creari Corpus Chriſti Domini dicatur à Patribus frequenter; & aliunde verba producta æquè affirmant creationem, ac vivificationem; foret in primis ex diametro pugnare cum verbis, & intentione Damiani, quippe qui diſtinctè aſſeverat, Corpus Chriſti Domini vivificari; dum illa Eccleſiæ Sanctæ verba proferuntur poſt conſecrationem. Quin urgeat exemplum creationis; tum quia illa ex conceptu formali ſuo deſignat primum exiſtere rei creatæ, ubicumque exiſtat; non ſic autem vivificatio, ubi Corpus exiſtit per ſe in ſtatu naturaliter incapace vivendi actu, vel ubi ſupponi valet vita deſtitutum, capaxque illam recuperandi. Ergo quamvis verba ſignificantia creationem Corporis Chriſti Domini debuiſſent intelligi de præterito; quia creatio per ſe ſignificat primam rei productionèm, aut conſtitutionem ſub eo ſtatu; non propterea verba ſignificantia vivificatiouem de præſenti, debent, nec poterunt, retrotrahi ad præteritum, abſque manifeſta violentia, cum vivificatio eſſe poſſit de præſenti: & ſanè attento modo, quo ibi proferuntur, non magis poteſt earum ſignificatio retrocedere, quàm poſſit vita ipſa.

Num. 71. Tum quia Sacerdos pronuntians verba prædicta ter ſignat tantum ſuper Hoſtiam, & Calicem, nimirum, dum profert verbum *ſanctificas*, & deinde, *vivificas*, & tandem, *benedicis, & præſtas nobis*, nunquam verò dum primo loco ait: *per quem hæc omnia Domine, ſemper bona creas*; quo innuitur, nihil fieri de præſenti circa donorum creationem, aut reproductionem; ſecus verò circa vivificationem (& in eo ſenſu circa ſanctificationem, & benedictionem; cum operationes Chriſti Domini vitales ſanctificent actu Corpus ipſum, & novo titulo benedicant). Tum quia creatio tribuitur Patri. vivificatio autem Spiritui Sancto; & aliunde tunc invocatur Spiritus Sanctus;

ctus;

ctus; & licet in quibuſdam Liturgiis Trinitas tota ſimul invocetur, præcipuè tamen Spiritus Sanctus ſemper: unde de creatione eſſe valet ſola commemoratio, & gratiarum actio de re facta; circa vivificationem aliquid actu fit. Tum quia creatio in prima etiam poſitione Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia ſumitur latè, vel pro adductione pura, vel pro reproductione, aut conſervatione, juxta diverſitatem opinantium; in ea autem acceptione, quin & minùs impropria, accipi valet de ipſa vita in actu ſecundo quæ denuo creatur, aut producitur; quæ, ut vivificatio eſt, tribui debet Spiritui Sancto, & quà ſub acceptione aliqua eſt ſpecies quædam creationis, attribuatur Patri ſimul cum prima jam præſuppoſita.

Tum denique, quia olim novæ fruges, fructus, aut res aliæ humanis uſibus aptandæ apponebantur altaribus in ea Canonis parte benedicendæ, ut oſtendit Lucas Dacherius in ſpecilegio tom. 4. in præfatione ad Lectorem; & ex illo Cardin. de Bona lib. 2. rer. Liturg. cap. 14. unde *to crens* referri quamoptimè poteſt ad fruges illas. vel de facto appoſitas, vel ex uſu perennitèr apponendas, juxta rerum, & temporum anni novas productiones (ut notat laudatus Dacherius): maximè cum proferatur ſeparatim ab aliis verbis. Non ſic autem vivificatio, & ſanctificatio, & peculiaris illa benedictio, quippe quæ determinantur ad ſignificandum Corpus, & Sanguinem Domini per ſigna Crucis, quæ ſuper illa fiunt eodem momento, & harmonica actione, quo verba pronuntiantur; alioqui concentus deficeret, diſcordarentque omnia non ſine deceptionis ſpecie; cum verba poſt fruges abirent; ſigna autem Corpus, & Sanguinem deſignarent. Dicuntur tamen omnia creari, & vivificari per Chriſtum Dominum, etiamſi ipſe ſit, qui vivificetur; quia meruit eam vivificationem ſuam, uti & noſtram, & in eo ſenſu eſt verum principium illius, ſicut quà verbum eſt etiam Spiritus Sancti vivificantis principium: *principium, qui & loquor vobis*. *Joan.* 8. ſic Sanctus Gregorius Magnus, ut habetur in cap. *multi* 84. cauſa prima q. 1. (ſupralaudato) preces illas myſticas agnovit in ſacrificio fundendas, dum ait: *ſacrificium autem quaſi ſacrum factum* (dicitur) *quia prece myſtica conſecratur pro nobis*, infraque addit: *quia Spiritus Sanctus myſticè illud vivificat*. Quia & ſignificatur per eam vivificationem reſurrectio facta, & ſit reviviſcentia actualis vitæ per ſacrificationem omnium actuum vitalium, & cogitationum à Corpore aliquatenus pendentium, unà pereuntium quaſi more Templariorum, quamquam ſine vulnere, & Sanguine.

Num. 72. Moveor ſecundò ex loco ipſo Divi Baſilii nobis, vel potiùs Univerſæ Eccleſiæ, objecto: ibi enim in hunc modum orat Sacerdos: *Veniat Spiritus Sanctus tuus ſuper hæc, quæ propoſuimus dona, & ſanctificet iſta*. (Elevataque Sacerdos voce exclamat) *Domine exaudi me* (& Populus dicit *Kyrie eleiſon*); *& efficiat panem iſtum corpus glorioſum Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, corpus cæleſte, corpus vitæ efficiens, corpus pretioſum in expiationem culparum, & remiſſionem peccatorum, vitamque æternam iis, qui accipiunt*. Populus, *Amen*: *& calicem hunc ſanguinem pretioſum Domini Dei noſtri regnantis ſuper omnia Jeſu Chriſti, ſanguinem redimentem, ſanguinem vitæ efficientem, ſanguinem expiantem, qui effuſus eſt pro Redemptione Mundi &c.* Ubi notandum accuratè, juxtà verſionem longè magis probatam, neutiquam petere Baſilium, & Sacerdotem juxtà ejus Liturgiam celebrantem, ut Spiritus Sanctus efficiat tantùm, nec orare ſic: *effice*; ſed potiùs *oſtende*; ideſt, petit, *ut oſtendat panem iſtum corpus glorioſum &c.* ut conſtat ex Sancto Germano: monent Doctor Eximius, Vaſquez, Lugo, Verricelli, & propè omnes, notatque in margine Andreas Maſſius, qui Liturgiam illam traduxit in linguam latinam. Præſertìm cum verbum Græcum reſpondens verſioni utrunque ſignificet, naturaliùs tamen, aut propriùs, *oſtendere*, vel *exhibere*, quàm efficere, (vel æquè utrumque).

Idque confirmatur inſigniter ex Liturgia S. Clementis, cujus ipſe meminit lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. cap. 17. In illa enim Sacerdos Patrem orans, ut mittat Spiritum Sanctum ſuper ſacrificium, adjungit finem, *ut oſtendat hunc panem corpus Chriſti tui, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui*. Non igitur poſtulat Sacerdos, ut efficiat panem illum Corpus Chriſti Domini; ſed ut oſtendat, illum eſſe jam factum, ſeu converſum in Corpus Chriſti Domini. Illa tamen oſtenſio poſtulari nequit, ni unà poſtuletur efficientia alterius rei in ipſo, per quam oſtendatur præexiſtentia illa corporis, & ſanguinis; ſin alitèr, quomodò, aut quænam eſſet intra Euchariſtiam ſacrificii tempore oſtenſio poſtulata? Clamat itaque, ut oſtendat corpus, efficiendo illud glorioſum, & vitale in actu ſecundo. In quo ſenſu utrunque ſignificare quamoptimè poteſt verbum illud. Immò etiamſi *efficere* potiùs, quàm *oſtendere* legendum credas. Jam verò ipſum glorioſum efficere nequit actu, abſque ipſius corporis vita actuali, ſiu minùs beatum minime foret actu, quamvis ſplendoribus veſtitum, ſed in potentia ſolùm; cum nec ſeipſum videret oculis corporeis, quæ eſt potiſſima corporis beatitudo.

Deinde petit ut efficiat illud corpus *vitæ effectivum*, quod neutiquam digno modo facere valet Corpus Chriſti Domini niſi formaliter ipſum actu vivat, ne indecente, & mortuo influxu concurrat in aliorum vitam, tanquam inſtrumentum inanime. Preterquamquod corpus vitæ efficiens per prius indicat effectionem vitæ in ſeipſo, quàm in aliis; cum vivens, & efficiat in ſeipſo,

& re-

& recipiat ſuas operationes immanentes. Id quod urget ſtrictiùs, ubi non præcipuè ut efficiat, ſed ut oſtendat corpus illud glorioſum vitæ effectivum, legendum ſit; cum non aliter poſſit oſtendi, aut manifeſtari vivens in ſeipſo, & alios vivere faciens, niſi per operationes vitales in actu ſecundo elicitas, & quidem etiamſi viſibiliter in propria ſpecie videretur; cum ſolùm per functiones illas corporeas (vel ut viſas, ſi elicerentur viſibiliter, vel ut nobis cognitas aliunde) diſtinguere valeamus corpus vivens ab inanimi, aut non viventi. Rurſus, quia compertum eſt, Corpus, & Sanguinem non fieri, dum oſtenduntur facta: ergo vehemens illa deprecatio aliquid aliud poſtulat efficiendum in corpore illo, ſanguineque, ne incaſſum fundat preces: at illa petit expreſsè beatitudinem, ſive gloriam corporis (in viſione actuali ſui potiſſimè conſiſtentem), potentiamque expeditam ad efficiendam vitam (& ex conſequenti præſupponit eam facultatem impeditam antecedenter): expoſcit igitur vitam in actu ſecundo; ſeu virtutis inſtrumentariæ expeditionem ad illam emittendam, adeoque vivificationem.

Neque diſcurſus iſte colligitur ſolùm ex verbis productis, quamquam ex eis ſufficienter, connaturalique tramite deducatur; ſed ex verbis etiam, quæ invocationem illam immediatè præcedunt, à pauciſque obſervantur, & à Diacono proferuntur, ſuntque ejuſmodi: *Quam veneranda eſt hora iſta, & hoc tempus, dilectiſſimi, cum ſpiritus vivus, & ſanctus è ſupremis ſedibus deſcendit, atque incubat, manetque ſuper hanc Euchariſtiam propoſitam, eamque conſecrat. Tacete igitur, & reverenter orate.* Ubi in primis ante invocationem, in ipſoque ejus veſtibulo, appellat Hoſtiam, & quod in Calice continetur, Euchariſtiam, quæ per ſe ſonat, & ſignificat Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, ut cum D. Thoma 3. par. quæſt. 73. art. 4. docent Scholaſtici: eſtque formaliter idem, ac gratiarum actio propria Sacramenti Corporis, & Sanguinis Domini. Præſupponit ergo S. Baſilius præſentiam realem utriuſque ſub ſpeciebus, priuſquam imploretur Spiritus Sancti adventus: & ex conſequenti nullo pacto, ut eam converſionem miraculis imbutam efficiat. Ad qnid igitur aliud efficiendum invocatur Spiritus Sanctus? Ad fovendum vitaliter in nidulo Euchariſtico, nimis anguſto, tam Corpus, quam Sanguiuem per ſacrificationem actnali vita propria deſtituta; quam vitam, dum incubat, excludit, veluti columba fætum viventem: *Mitis Deus incubat Aræ*. Quo fortè alluſit Regius vates Pſalm. 83. cum dixit: *Etenim paſſer invenit ſibi Domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos ſuos. Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus*. Nam, ut inquit in enarratione illius Pſalmi Auguſtinus: *Quem nidum? Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, qui regis me, qui creaſti me*. Cum per turturem cujus gemitus columbam æmulatur, ſignificetur Spiritus Sanctus, per pullos autem Corpus, & Sanguis Chriſti Domini; immo & ipſemet exintegro Servator, qui licet ſit unicus, in multiplici tamen altari nidum conſtituit, & unà cum corpore myſtico pullorum turbam numerat ingentem.

Num. 73. Metaphora ſiquidem, qua utitur S. Baſilius, clariſſimè denotat per verbum *incubat*, & manere Spiritum Sanctum ſuper Euchariſtiam ad inſtar avis incubantis ovis, ut calore ſuo fætum latentem vegetet, & foveat, & ejuſdem vitam tandem excludat. Sicut *Spiritus Dei*. Gen. 1. *ferebatur ſuper aquas* inſtar alitis fæcundantis illas, ut ex Hieronym. in quæſt. Hæbr. Ambroſio, Auguſtino, ipſo Baſilio, & Patribus communiter explicant Interpretes. Unde S. Baſil. Homil. 2. ex quodam Syro, docto, & ſanctiſſimo viro, ſcribit: *Sententiam hujus dicti eam eſſe; verbum hoc, ferebatur, pro confovebat, vitalem fœcunditatem aquarum naturę præbebat, ſumunt, atque interpretantur ad ſimilitudinem avicalæ incubantis, vimque vitalem imprimentis in ova, quæ ab ipſa foventur*. Quod & Marius Victor. expreſſit carmine: *Et ſaler extenſis impendens ſpiritus undis. Altrices animavit aquas, dans ſemina rerum*. Videndus Eximius Doctor de opere ſex dierum lib. 1. cap. 7. ſupponit itaque præfata invocatio corpus, & ſanguinem Domini, jam vi verborum præexiſtentia phyſice in Euchariſtia; & poſtulat, ut Spiritus divinus deſcendat, incubet, atque adeo vivificet corpus illud. Aliunde compertiſſimum eſt, eam vivificationem corporis futuram otioſam, ſi præſupponrretur actu vivens in actu ſecundo. Ergo præſupponit illud vita actuali privatum. At nequit eſſe illa deſtitutum niſi per ſacrificationem, ut planum videtur; quia ſi de facto pro poſteriori Chriſtus Dominus elicere debet eas vitales operationes, fovente Spiritu Sancto, nnn eſt cur ſimiles pro priori ad ſacrificationem non emittat; ut ſic habeat reale aliquid ad vitam verè pertinens, quod immolet; ut ex hac ſuppoſitione nemo inficias ibit, ni ex contentione haurire velit, aut extorquere ratiocinia. ergo &c.

Nullum autem adeſt ſolidum fundamentum ad id, quod Verricelli ſuſpicatur, quòd nimirum ea verha à Diacono dicenda, forent ab Schiſmatico, aut ſciolo aliquo, Baſilio adjecta. Quandoquidem, quod Patres Græci Florentino præſentes talium verborum non meminerint; probat ſolùm, ea minimè fuiſſe reputata ab eiſdem neceſſaria ad defenſionem cauſæ ſuæ, cum potiùs obeſſeut, juxta viam illam valde acclivem, quam arripuere ad eam conſuetudinem vendicandam ab omni errore (cum noſtra, & planiſſima eis non occurriſſet): & inſuper quia prædicta verha præcedunt invocationem, de qua diſceptabatur, ſubindeque ne-

ceſsè

ceſsè non erat, illa in medium producere, ſicut nec affinia alia, quæ præmittuntur in eadem Liturgia, mediantque inter conſecrationis verba, & invocationis. Tum præterea, quia non à Sacerdote, ſed à Diacono proferuntur. Præſata nanque verba reperiuntur expreſſa in editione Pariſienſi apud Michaelem Sonnium anno 1575. Fuerunt tamen prætermiſſa in poſteriori editione Pariſienſi anno 1624. Id tamen contigit, quia arbitrati ſunt editionem illam parantes, præſata verba anſam firmam præbere errori Græcorum (ut præbent reipſa, & invocatio ſubſecuta, niſi juxta ſententiam noſtram accipiantur). Inde autem perperam arguitur, illa non extitiſſe, nec exiſtere modò in Græcorum Liturgiis; ſed omiſſa tantùm fuiſſe in ea editione, quia noxia fuere viſa.

Accedit, hanc ipſam Spiritus Sancti incubationem æquivalenter explicuiſſe, & affirmaſſe Damaſcenum lib. 4. cap. 14. ubi probat, Corpus Chriſti Domini poni ſub ſpeciebus virtute verborum, ponendumque ſemper in Eccleſia, *donec ipſe veniat*. Adjungitque: *ac pluvia huic novæ ſegeti per conſecrationem exiſtit Spiritus Sancti vis inumbrans*. Et in Miſſa Mozarab. Domin. tertia poſt Pentecoſtem, invocatio Spiritus Sancti eſt hujuſmodi: *His ſacrificiis propitiatus illabere*, ut refert Cardin. de Bona ubi ſupra. Et in antiqua Syrorum Liturgia (ut conſtat ex Epiſtola Jacobi Edeſſeni) *ſed & precatur* (Sacerdos) *illapſum Spiritus Sancti*, ut invenies in primo tomo Bibliotecæ Orientalis pag. 482, nuper editæ juſſu, & munificentia maximi Pontificis Clementis XI., cujus inexhauſtus Religionis, & Gloriæ Divinæ vigor ab Oriente in Occidentem ſyderis radiantis, fulgurantiſque gyro, vel intra cineres, favillaſque, aſpirat adhuc, & refractarios percellit: *Cinis ipſe ſepulti in genus hoc pugnat*: dum illi clamant: *Tumulo quoque ſenſimus Hoſtem*.

Num. 74. Specioſiùs diceres, ipſummet Andream Maſſium traductorem Liturgiæ ex Codice vetuſtiſſimo, Syriaca lingua, & charactere conſcripto, advertere in margine, ea, quæ includuntur ſignis, aut lineolis quibuſdam intra Liturgiam ſuam (ut ſunt illa) non inveniri in exemplari Syriaco. Ita ſanè; cæterum animadvertit ſimul, ea omnia omitti in exemplari, *quia notiſſima*, & ab omnibus memoriter proferri ſolita. Sic etiam ibidem initium duntaxat orationis Dominicæ ponitur, & nihilominus integra dicebatur, ut notat idem Interpres; principium autem verborum, de quibus diſſeritur, etiam habetur ibi ante eas lineolas; & initium profecto, quod imperfectam, & truncatam orationem relinqueret, ni alia ſubſequerentur, cum dicat: *Quam veneranda eſt hora*; & deinde ſequatur incluſio aliorum verborum intra notulas, ſine quibus mutilus, aut nullus eſt ſenſus, &, ſi conſtrui velit cum exiſtentibus poſt dictas lineolas, diſparatus. Sic etiam omittebantur ritus alii in Liturgiis, quæ conſtanter exercebantur, & quia omnibus manifeſtiſſimi, inſerti non erant expreſſe in corpore Liturgiarum, ut obſervat idem Maſſius. Præterea verba illa proferebantur à Diacono, potueruntque idcirco haberi in rituali ſeparato, & Diaconatus proprio.

Tertio: quia allegatus Interpres affirmat, ſe conſuluiſſe peritum illius Liturgiæ virum, & adjungit: *Sic addenda eſſe, reſcripſit mihi meus Doctor Syrus Moſes Mardinius*. Præſertim cum intra eaſdem lineolas ponat quamplura alia, quæ ad Liturgiam Baſilii pertinere indubitatum eſt; ne ſi ſola præfata verba interjecta forent, ſuſpicaremur, aut Mardinium, aut Maſium Schiſmaticis voce, & mente, accinere voluiſſe. Addendum omnibus, ex mente Baſilii hactenus productis, ipſum in lib. de Spiritu Sancto (ſupra laudato) cap. 27. ubi de Invocatione Spiritus Sancti, quæ fit in Liturgia diſſerit, docere, illam ſpectare ſolùm ad integritatem, & robur Sacrificii, & Sacramenti (prout de vivificatione opinatur etiam aſſertio noſtra); non verò ad ſubſtantiam, aut eſſentiam. Poſtquam enim dixerat, Invocationis verba non reperiri ſcripta, neque ab Apoſtolis, aut Evangeliſtis determinata, ſubdit: *Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, aut Evangelium mentionem facit, ſed & ante, & poſt alia dicimus, velut magnum robur ad myſterium habentia, quæ ex doctrina ſcripto non prodita nos accepimus*. Nihil autem eorum, quæ ante, & poſt verba conſecrationis (& hæc ſunt illa, quæ ſcripto relicta ſunt Eccleſiæ) pertinere, docet ad eſſentiam hujus arcani, ſed unicè ad ornatum, integritatem, robur, & decorum ipſius. Ergo nec Invocatio, & reliqua alia, quæ ſubſequuntur ad conſecrationem, ſacrificationemque. Idcirco utraque dicit ibidem S. Baſilius *Prolegomena*, & Epilogomena profundi hujus myſterii, ut obſervat Card. de Lugo. Potiùs igitur eſt peroratio illa, qua invocatur Spiritus Sanctus reſumens vim orationis conſtituentis ſubſtantiam ſacrificii, quàm oratio ejuſdem conſtitutiva. Valdè tamen utilis (& ex aliis capitibus neceſſaria, quatenus ex illis, aut per illa, obtinetur reviviſcentia Corporis Chriſti Domini); cum virtute Spiritus Sancti enixè invocati viviſicetur in actu ſecundo Humanitas Sacroſancta; proindeque eſt velut fimbria veſtimenti ſupremi Sacerdotis, ut ſacrificantis, oraque potiùs ſacrificii, quam corpus, aut ſubſtantia illius.

Verum ſi reviviſcere debeat, antequam ſumatur in communione; quomodo eſſe poteſt verum illud Nyſſeni ſupra, quod victima non ſit idonea *ad eſum, ſi animata ſit*? præſertim cum nos ibidem per animam victimæ intellexerimus vitam in actu ſecundo. Reſpondeo: victimam in ſacrificio ſemper immolari, vitamque aliquatenus amittere, ſi hoſtia vivens ſit, (etiam dum pro-

priori ſit Sacerdos ſeipſum immolans, quia ſunt inſtantia diverſa) in Dei cultum primò, & per ſe; ſecundò ut poſſit manducari à Sacerdotibus, dum purè victima eſt. Dum tamen ipſa victima eſt Sacerdos etiam manducans; licet quà victima deberet eſſe abſque vita actuali; quà Sacerdos tamen debet illa gaudere, cum participare debuiſſent Sacerdotes de victima; niſi quod in reliquis ſacrificiis Sacerdos participaret de victima ipſa ſacrificata; ſummus autem Sacerdos noſter convertit in ſubſtantiam victimæ, ideſt ſuam, Sacerdotes ipſos comedentes de carne victimæ & alios. Victima ergo, qua ſacrificatur Deo, debet facere jacturam vitæ; dum comeditur verò, ſi ipſa potiùs eodem tempore, & actu, comedat activè, quàm comedatur, debet vivere actu; quamvis de ratione puræ victimæ (de qua loquitur ibi Nyſſenus, ut probet verè ſacrificari vitam Chriſti Domini in Euchariſtia) ſit, inanimatam eſſe, ut edi poſſit, Sicut enim in Problemate Judic. 14. *de comedente exivit cibus*; ita hic è regione, de cibo exivit comedens,

§. III.

Num. 75. MOVEOR 3. quoniam uſus idem invocationis invenitur in Liturgia Æthiopum; & tamen manifeſtè præſupponit, ut ſupra vidimus, præſentiam Corporis, & Sanguinis Domini vi verborum adductam. Quin & dum invocat, ait: *ut mittas Spiritum Sanctum ſuper hunc panem, & Calicem, videlicet Corpus, & Sanguinem Domini, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti in ſecula ſeculorum Amen*. Ut quid ergo invocat Spiritum Sanctum, illiuſque adventum inſtanter expetit? Aliquid enim efficiendum ſupereſt, etiam poſtquam Chriſtus Dominus realiter adeſt, & celebrat, quà ſummus Sacerdos, ut planum videtur ex inſtantia, modo, & conſuetudine adeo inveterata, & univerſali. Et aliunde nihil aliud, quod eſſe poſſit connaturale, utile, & adventu peculiariter Spiritus Sancti dignum, niſi reviviſcentiam ipſius Corporis, de cujus reſurrectione immediatè ante invocationem memoriam facit Liturgia illa. Proindeque non ſolùm ſanctificationem noſtram expoſcit; cum verba producta ſortiantur ſenſum undique abſolutum, quo perfecto, poſtulat Sacerdos eam nobis ſanctificationem: non ergo hunc duntaxat effectum exigit ab Spiritu Divino, ſed alium per prius circa Corpus ipſum phyſicum Chriſti Domini. Et propterea adjungit poſt invocationem illam *Tribue ſimul omnibus ex eo ſumentibus, ut fiat eis ad ſanctificationem*. Per illud autem *ſimul* manifeſtat diſertè alium effectum, ultra hunc, peti ab ipſo primo loco, nullum autem intelligi poſſe commodiùs, niſi hanc quaſi reſurrectionem, perſuadet congruentia libata memoriæ reſurrectionis, cujus meminerat priùs, & iteratò memorat poſt invocationem. Perſuadent ipſæ reſponſiones ſupra rejectæ, cum nulla invehat effectum aliquem igneo Spiritus Sancti influxu, motuque ſpecialiter peragendum; nec per immenſam hujus ſacrificii profunditatem invenies, ſi noſtrum reſpuas, & à ſenſu Schiſmatico fugias.

Obiter notandum hic, ſæpe apud Latinæ Eccleſiæ Patres dici pariter Corpus, & Sanguinem Domini (aut panem, & vinum) prece myſtica conſecrari, ſeu conſtitui in altari. Verùm per myſticas preces intelligunt verba ipſa conſecrationis, quæ licet ex promiſſione divina, & virtute Spiritus Sancti operatoria ſint ex ſe; ſemper attamen in his, & ſimilibus, ob reverentiam Deo debitam ſupponitur intrinſecè annexa, & latens deprecatio, ut ex communi obſervant Doctor Eximius, & Vaſquez, ut cum ſumma poteſtate Humanitatis coeat ſumma in Deum reverentia.

Num. 76. Quartò moveor verbis ipſis S. Chryſoſtomi objectis, in fineque invocationis prolatis: *permutans Spiritu Sancto tuo, ſive tranſmutans*: quibus manifeſtè ſupponit, Spiritum Sanctum invocari ad aliquid realiter efficiendum, ipſi peculiariter attributum, in corpore phyſico Chriſti Domini, & ſanguine, jam præexiſtentibus realiter per conſecrationem. Alioqui ſimilia omnino Patrum Eccleſiæ verba tranſmutandi, aut permutandi, dum loquuntur de verbis Chriſti Domini, ſive conſecrationis, non evincerent realem converſionem, quod nemo proferre, aut aſſeverare auderet. Ecquam autem realem rerum immutationem inducere poſſe in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini putaret Chryſoſtomus; cum aliunde evidenter, & ſtrenuiſſimè affirmet ubique, per verba Chriſti Domini illico conſtitui ejus corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus? Profecto non aliam, nec genuinum alium ſenſum ejus verba permittunt (ut liquet ex confutatis §. 1. ſolutionibus,) quàm a nobis intentum. Maximè cum Chryſoſtomus veſtigiis Liturgiæ Magni Baſilii inſtiterit ad ſuam breviorem efformandam: ac proinde invocatur ibi Spiritus Sanctus, ut efficiat corpus (per ſacrificationem vitæ actualis immolatum) formaliter vitale in actu ſecundo, & ex ea etiam parte beatum actu, ſive glorioſum, & efficiens immanenter vitales operationes; quod ſine dubio realem permutationem, aut tranſmutationem importat, tranſitumque phyſicum à non vivente actualiter, ad actu miraculosè, virtute Spiritus Sancti vivens. Qui ſemel namque ejuſmodi reviviſcentiam admittat, ſponte ſua Liturgias Græcorum per illam declarabit, tanquam per doctrinam apertiſſimè ſalvantem fidei veritatem, & vendicantem ſimul ſine violentia Eccleſiæ Græcæ lumina ab omni erroris injuria, ejuſque vel levi ſuſpicione.

Quocircà non eſt, cur recurras cum Vaſquez, Lugo, & aliis ad participia Aoriſti,

riſti, quæ apud Græcos præteritum connaturaliùs ſignificant, quàm præſens; porrò licèt hoc ſit verum, iuutile remedium eſt pro diſcrimine præſenti; ſiquidèm in ea acceptione conſtructio, juxtà Cardin. de Lugo, ita facienda eſset: *Fac quidèm panem hunc, quod eſt Corpus Chriſti: & quod in Calice eſt, ſanguinem Chriſti ſcilicèt, permutata jam Spiritu Sancto tuo*. Verùm quid efficiendum poſtulat ab Spiritu Sancto? quod ſubſequitur: *ut fiat accipientibus in ſobrietatem animæ*. Ne tamen hæc conſtructio naturalis eſſe valeat, immo nec creditu facilis, obſtat, quod poſt illa verba: *tranſmutans Spiritu Sancto tuo*, [ideſt *tranſmutata*] Diaconus dicit, *amen, amen, amen*, quod non modo eſt approbare, verùm, & credere; alioqui fruſtra ab eis reſponderetur, *amen*, qui non credunt *adeſſe Corpus, & Sanguinem* Domini, inquit S. Leo ſerm. 6. de Jejunio ſeptimi menſis, ab eodem Cardinali laudatus. Illa autem interpoſitio fruſtranea, & immatura prorſus foret, ſi oratione illa nondum perfecta, ſed abrupta, & nihil adhuc ſignificante clamaret Diaconus, *amen*; & quidem ter, cum non eſſet adhuc factum, nec cæptum illud, quod ab Spiritu Sancto fieri efflagitatur. Neque *to amen* retrocedit cum participio ad tempus præteritum, quandoquidèm illud directè reſpicit effectum aliquem præſentem ex natura ſua, quem preces Sacerdotis ab Spiritu Sancto expoſcunt, ut exploratum videtur, niſi vim facias apertam vocibus, rebus, & auditoribus (neque rursùs dirigi poteſt ad effectum utilitatis noſtræ, cum nondùm illum popoſciſſet Sacerdos). Neque inſuper interruptio illa orationis, dùm adhuc imperfecta, & abſque ſenſu eſt, etiamſi to *Amen* reſpiciat præſentiam Corporis, & Sanguinis tempore præterito factam, opportuna eſſe poſſet, (ut ſupra diximus), niſi ad ſilum, & ſanè aureum, abrumpendum, ſuſpeoſo Invocationis curſu, & ſenſu; cum poſſet, & deberet potiùs ipſum *Amen* ſuſpendi, quouſque ſenſus foret ex integro perfectus.

Num. 77. Moveor quintò ex Invocatione, quam habet Liturgia Moz-arab. Dominicæ ſecundæ poſt octavam Epiphaniæ, teſte Cardin. de Bona ſupra (Invocationes namque pro diverſitate ſolemnitatum vocum diverſitatem admittebant) *Quæſumus, ut oblationem hanc permixtione ſpiritus tui ſanctifices, & Corpus, ac Sanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti plena transformatione conformes*. Ex quibus luculenter apparet, invocationem illam Spiritus Sancti (in qua Liturgiam hanc convenire cum Græcis, perſpicuum eſt ex ipſis, obſervatque ipſe Doctiſſimus Cardinalis) præſupponere evidenter exiſtentiam ſacramentalem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, ſubindeque petere, non Corporis, & Sanguinis præſentiam realem, ſed transformationem Corporis, beatitudine propria ejuſdem in actu ſecundo privati per ſacrificationem, in Corpus beatum, & vivens in actu ſecundo, ſeu in Corpus plenè vivens, tàm in actu primo, quam in ſecundo, ut ſit plenè beatum per jucundiſſimas ſenſuum operationes. In conſimili enim acceptione Apoſtolus 2. Corinth. cap. 3. dixit: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu*. Cum autem illius Liturgiæ author fuerit Sanctus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus, qui dum Conſtantinopolim petiit, Græcorum ritum adamuſſim addiſcere potuit, invocationem Spiritus Sancti invexit primus ſine dubio in Liturgiam Hiſpanicam: cum Sanctus Iſidorus ejuſdem Leandri frater, de Scriptor. Eccleſ. referens ſcripta Leandri, multa generatim circa divinum Officium, & ſacrificium altaris compoſuiſſe, dicat. Idemque teſtatur Mariana lib. 6. de rebus Hiſpan. cap. 5. Cardin. Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 11. Hinc ſponte ſua naſcitur ratio, ob quam ante invocationem Spiritus Sancti (licet conſecratione jam completa) Antitypon, typus, figuraque non nunquam dicebatur Corpus Chriſti Domini (ut ſupra tetigimus); quia nimirum, dum exiſtit ibi ſacrificatum, nondumque aſſlatu Spiritus Sancti vivum in actu ſecundo abſque abſurdo appellatur, & eſt typus ſui, quà actualiter vivificati, ſeu vivificandi, mox per illam quaſi reſurrectionem: & pariter ſuimet, prout in Cœlo glorioſi viſibiliter, & viventis actualiter. *Carne, & Sanguine*, (inquit S. Proſper, vel S. Auguſtinus in Proſpero) *inviſibili, & ſpirituali, ſignificatur Corpus Chriſti viſibile, & palpabile, plenum gratiæ, & majeſtatis*.

Ita etiam expreſsè Damaſcenus lib. 4. de ſide cap. 4. Ita Sanctus Dionyſius de Eccleſ. Hierar. cap. 3. ubi (ſicuti notat ibidem S. Maximus) appellat *Sancta munera Symbolum eorum, quæ ſurſum ſunt*. Ita loquitur etiam Sanctus Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 48. & Sanctus Thomas 3. par. qu. 83. art. 5. ad 9. exponens ſignificationem ſacræ illus particulæ, quæ poſt fractionem mittitur in Calicem, ait: *Poteſt ſignificari fruitio beata, quæ etiam in hoc Sacramento præfiguratur. Et ideo illi quorum corpora ſunt in plena beatitudine ſignificantur per partem in Calicem miſſam*: (ſi autem aliorum, à fortiori & ſui): & abſolutè Corpus Chriſti Domini reale eſſe poſſe figuram ſui penes aliam conſiderationem, vix ullus inficiatur; oſtenditque inclytus Martyr Cardinalis Roffenſis lib. 2. de veritate Corp. Chriſti adversùs Œcolampadium, & in proœmio ejuſdem libri, Claudius Sainctes de Euchariſt. Repetit. 3. cap. 4. Joann. Heſſel, Billius, & ex eiſdem Theologi paſſim. Inde autem legitimè conſequitur, Corpus Chriſti Domini ante mixtionem particulę Hoſtiæ cum Sanguine connaturaliter dici typum ſuęmet reviviſcentiæ, aut quaſi reſurrectionis, mox extituræ ſub eiſdem ſpeciebus: in qua ac-

ceptione nequit eſſe figura, aut antitypon ſui poſt invocationem, ſeu reviviſcentiam.

Et hic eſſe videtur ſenſus, in quo Sanctus Epiphanius, Damaſcenus, quin & ſeptima Synodus, docuere, non poſſe appellari antitypa poſt Invocationem: quoniam ſub eadem ratione, ſub qua præintelligitur realiter exiſtens ſub ſpeciebus, nequit eſſe figura ſui, prout talis, cum ſit veritas ipſa. Quod nervosè oſtendit P. Vaſquez ea diſp. 197; poteſt tamen quamoptimè, etiam poſt ſui reviviſcentiam, figurare reſurrectionem Triduanam (& alia), idque ſignificari per verba illa poſt fractionem cum ſignis prolata: *Pax vobis*, quibus Chriſtus Dominus ipſe poſt reſurrectionem ſalutavit Diſcipulos, ut obſervant Theologi: *Repræſentatur*, inquit S. Thomas 3. par. qu. 83. art. 5. ad 3. *Reſurrectio tertia die facta per tres Cruces, quæ fiunt ad illa verba Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Sic etiam Micrologus de Eccleſ. obſerv. cap. 17., & notant omnes, qui Liturgiarum myſteria, rituumque ſignificationem exponunt, perardua nimium, & ſublimia reptantes, potius quàm incedentes.

Num. 78. Quantumvis autem hactenus producta non incongruè perſuadere videantur, primò, hac via ritè & catholicè explicari invocationem Spiritus Sancti, quin officiat veritati, & exiſtentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini per ſola verba conſecrationis. Secundò: hanc fuiſſe eorumdem Patrum Græcorum plerumque mentem, licet ſuboſcurè, & involucris tectam. Nolumus tamen inficiari, ea occaſione deceptos, quamplures è Græcæ Eccleſiæ vulgo aberraſſe omnino, ratos, nonniſi per adventum Spiritus Sancti fieri converſionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem, vel adæquatè, vel unà cum verbis, quorum efficaciam ſuſpendunt, donec adſit invocatus Spiritus Sanctus; cum faciliùs ſit ſuſpendere, aut ſiſtere præcipitem ex alto molem lapideam, quàm verborum Chriſti Domini efficaciam. Nequaquam verò peritiſſimi, ſanctiſſimique viri, cum ex eorum teſtimoniis evidenter appareat, illos vim integram conſecrationis tribuiſſe verbis Chriſti Domini. Cæterum licet permitteremus oppoſitum in nonnullis ante declarationem factam eorumdem in Concilio Florentino: *Mirandum non eſſet*, inquit Cardin. Beſſarion, *quomodo dixerit hoc Damaſcenus: ſed meminiſſe oportet, humanum eum fuiſſe, quamvis mira Sanctitate præditum, & fieri aliquando potuiſſe, ut pro imbecillitate humani ingenii, non rectè aliquid ſenſerit*. Tametſi ex ſuppoſitione communis inter Doctiores Græcos ſententiæ, quòd converſio perageretur verbis Chriſti Domini, invocatio Spiritus Sancti nequaquam per ſe ducebat hominum mentes in errorem, quem tunc ante definitionem Concilii pauci aliqui, modò autem Schiſmatici ſolùm pertinaciter tuentur, qui gloriam Syderum Orientalis Eccleſiæ dehoneſtant, & ſplendorem primitivæ Religionis in Græcia obſcurant, ut ſui erroris tenebras nobilitent origine, cum nequeant ratione.

Moveor Sextò, ex alio quorumdam Græcorum errore (niſi in ſenſum noſtrum trahantur): etenim nonnulli ex verbis illis Sancti Gregorii Nyſſeni Homilia 1. de reſurrectione, quæ dedimus alibi, ubi dum loquitur de Chriſto Domino diſtribuente Diſcipulis in Cœna Corpus ſuum, ait. *Tunc apertè declaravit, Agni ſacrificium jam eſſe perfectum, quia victimæ corpus non eſt idoneum ad edendum, ſi animatum ſit: uti nec ſanguis erat potabilis. Quare cum Corpus edendum, & Sanguinem bibendum dedit, jam victima arcano, & inviſibili modo erat immolata*: Ex his, inquam, verbis intulerunt, Corpus Chriſti Domini adeſſe (vel adfuiſſe ſaltem in hujus arcani inſtitutione) ſub ſpeciebus panis anima deſtitutum, ſive exanime. Deinde Sanctus Iſaac Magnus, cujus opera nonnulla, aut operum fragmenta ex manuſcriptis Codicibus Vaticanis lucem nuper videre in Biblioteca Orientali pag. 220. in ſermone quodam, de Euchariſtia loquens, ait: *Vidi lagenam ejus mixtam, & pro vino Sanguine plenam, & pro pane poſitum corpus in medio menſæ, & obſtupui. Innuit illa* (fides ſancta) *comede, inquiens, & ſile. Bibe, non ſcrutare. Quare oſtendit mihi corpus interfectum, ex quo in labiis meis ponens, placidè dixit: vide, quid comedis. Porrexit mihi calamum Spiritus, & ut me ſubſcriberem, exegit. Accepi, ſcripſi, & confeſſus ſum: Hoc eſt Dei corpus: Item Calicem ſumens, bibi in ejus convivio, & ex Calice odor corporis illius, quod comederam, me perculit. Et de qua corpore dixeram, ipſum nimirum Dei corpus eſſe, illud etiam de Calice dixi, nempe hunc eſſe Redemptoris noſtri Sanguinem*. De quo Iſaaci ſermone conſulendus etiam Gennadius cap. 66.

In eodem errore fuiſſe Simeonem Theſſalonicenſem, & Nicolaum Cabaſilas, mihi compertum videtur; cum eatenus Miſſam dicant verum ſacrificium, quatenus per converſionem ex pane non mactato ſit mutatio in Corpus Chriſti Domini mactatum, quod inculcant expreſſione nimia; ſin aliter non futurum ſacrificium: lege Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 32. & vide Turrianum in lib. 8. de conſtitut. Apoſtol. cap. 50. Vaſqu. diſp. 222. cap. 5. & 6. verba Theſſalonicenſis referentem, Cardinalem de Lugo, & ipſum Simeonem de Myſteriis Eccleſiæ cap. 23. ajentem: *Hinc enim ſit mutatio ex pane non mactata in Corpus Chriſti, quod verè fuit mactatum. Sicut ſacrificium ovis tunc ſit, cum in ove ſit mutatio ex non mactata in mactatam*. Ubi victima poni debet, apud ipſum, eodem prorſus modo, ac fuit in Cruce mactata, ut conſtituat ſacrificium incruentum. Et ut mirere vehementiùs; Amadæus, alibi jam à nobis

lau-

laudatus, in fine raptus 6. narrat, ſe audiſſe plurium Angelorum concentum, Euchariſtiæ ſuaviſſimum carmen, incipiente Michaele, eanentium, extollentiumque miraculorum ſummam, quam vidiſſe in nocte Cœnæ teſtati ſunt: *Sanguinem ſeorſim videmus* (canebant), *& corpus mortuum ſub accidentibus inſpeximus*. Præfata autem teſtimonia, ſi, ut ſonant, uſurpentur, & ad literam, erronea undique forent: quod de Nyſſeno, Iſaaco, & Amadæo credere nefas eſſet. Cum per ſolam mortis repræſentationem ægrè explicari valeant, quin naturalem ſenſum verborum malè torqueas unà cum corpore crucifixo. Quamvis enim interdum Prophetarum mentes, & voces in raptu avolent ab uno eventu, quem prędicunt, ad alium longe diſſitum; adeoque ab Euchariſtia potuerint Angeli pennata agitatione volitare ad Crucem; nunquam tamen ita, ut quæ repugnant fidei unius Myſterii, de illo dicantur, ut hic contingit, ſed tranſeunt ad alium unà volatus, & ſenſus.

Num. 79. Neceſſariò igitur tenendum, illos per animam, & Sanguinem intelligere vitam actualem Corporis, ut plerumque fit in Scriptura Sacra, & advertimus ſupra. Unde videre Corpus ſeparatum à Sanguine, & anima, eſt idem formaliter in vera, & ſtricta locutione, ac videre illud ſeparatum à vita actuali; ad quam (ſacrificatione mactatam) reſtaurandam imploratur Spiritus Sanctus, tanquam vivificator. Quapropter in eodem raptu Amadęi canentes Angeli ſonuere iterum modulantes, & reviviſcentiam Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia mirè exprimentes: *Sanguinem iterum copulari, & glorioſo Corpori vidimus uniri, Corpus anima iterum ornatum, & omni gloria, & honore decoratum, hæc ſunt admiranda*. Appellant autem glorioſum Corpus, non quia tum foret beatum, ſed in acceptione lata; quatenus in actu ſecundo completum, perfectumque per ſuas operationes, & functiones vitales; nam cum illud foret paſſibile nocte illa, dum illud ſuſcitat ante triduanam, & ſimpliciter talem reſurrectionem, neceſſariò reſtituit ipſum ad ſtatum paſſibilem, adhuc ſub ſpeciebus, quem tunc ex ſe habebat. Vel dicit illum glorioſum in actu primo, quatenus ex ſe beatum foret, derivata ex animæ beatitudine gloria in Corpus, ni divinitus ſuſpenderetur torrens inundans paſſibilitatem. Vel cum modò in Euchariſtia ſit actu glorioſum, gradum fecere Angeli à reviviſcentia illa ad hanc, quam habiturum erat ſemper intra eamdem Euchariſtiam; qui tranſitus cum ſit intra idem numero Euchariſtiæ myſterium, minùs diſtat à proprietate ſermonis, & raptus.

Ex his autem arguo ſic: certiſſimum eſt, primos Græcæ Eccleſiæ Patres Liturgiarum Inſtitutores firmiter crediſſe, per verba Chriſti Domini conſtitui illicò ſub ſpeciebus panis, & vini, Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, ut ex eorumdem irrefragabilibus teſtimoniis notum fecimus. Exploratum pariter eſt, illos ſenſiſſe, ſimul cum Corpore, & Sanguine venire ad Euchariſtiam per concomitantiam omnia prædicata permanentia Chriſti Domini titulo connexionis realis, qua mutuò copulantur: cum hæc ſit veritas fidei indubitata ſemper in Eccleſia Dei: cum illa reperiatur diſſertè firmata ab eiſdem Græciæ luminibus (quorum prolixam allegationem prætermittimus, quia cunctis notam). Quod dilucidè ſignificavit ubi ſupra S. Iſaac, cum bibens Sanguinem Domini in deſcriptione illa dixit: *& ex Calice odor Corporis, quod comederam, me perculit*, docens apertè adeſſe Corpus concomitanter unà cum Sanguine in Calice. Et cum ſit notiſſimum, non potuiſſe Chriſtum Dominum eſſe ſimpliciter mortuum in Euchariſtia, & vivum ſimul viſibiliter in nocte Cœnę noviſſimæ, & nunc in Cœlo. Per mactationem ergo realem Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia intellexere duntaxat ſeparationem vitæ in actu ſecundo, accidentariæque, à Corpore, ut noſtra ſententia contendit (tametſi per accidens nonnulli aberraſſent putantes, illud mactari ſimpliciter per ſacrificationem Euchariſticam, ſeparando vitam ſubſtantialem, ſive animam à Corpore, Sanguinemque); & ex conſequenti per invocationem Spiritus vivificantis, poſtulabant ejuſdem vivificationem; tum quia ipſius decoro convenientiſſimam; tum quia nobis utilem, ut vivificationem noſtram operetur, & ſit vitale caput Corporis myſtici: tum ut reliqua munia Sacerdotis ſummi, ſacrificationi annexa, exercere valeat. Et qui per errorem ſupponebant ipſum vita ſubſtantiali deſtitutum, reſurrectionem ſimpliciter ſub eiſdem ſpeciebus efficiendum expoſcebant. Ut ſic, & ex reviviſcentia arguatur mactatio vitæ actualis: & viciſſim ex hac inferatur illa. Præſertim ubi fatendum omnibus eſt, mixtionem Corporis, & Sanguinis Domini, in ſacrificio altaris factam, ſignificare reſurrectionem triduanam, eam repræſentando ad vivum; quemadmodum ſacrificatio repræſentat paſſionem, & mortem: cum per fractionem panis venerint Diſcipuli peregrini in fidem reſurrectionis: cum Chriſtus Dominus ſpeclatim ex Euchariſtia ſit reſurrectio noſtra. Et tandem, quoniam Spiritus vivificator, gemitibus invocatus, neutiquam imploratur ad immolandam Hoſtiam, quam Græci ſupponebant ſacrificatione immolatam, ſed ad vivificandam in ea ratione, in qua eredebant eam quaſi occiſam.

Num. 80. Moveor 7. ex eo quod Spiritus Sanctus eis precibus tractus, gemitibus invocantium Sacerdotum, & Populorum nonnunquam viſibiliter eo invocationis tempore apparebat in ſacrificiis, aut ſigna illius adventus. Unde etiam in Eccleſia Latina, Epiſcopo celebrante Romæ coram ſummo Pontifice Agapito: *cum ſanctæ oblationis*

tionis orationem non concluderet, eo quod juxta conſuetudinem Sancti Spiritus deſcenſum non videret, rogavit Fontificem, ut juberet ab altare recedere Diaconum, qui flabellum tenebat; quo amoto vidit continuò Epiſcopus Spiritus Sancti adventum. Uti ex Joanne Moſco in Prato ſpirituali refert Cardin. de Bona lib. 1. Rer. Liturgicar. cap. 25. Item Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmeninnem Donatiſtam loquens de altari, in quo ſacrificium offertur, deque ſacrificio ipſo altaris, ait: *quid tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, removere? In quibus vota Populi portata ſunt: quo Deus omnipoteus invocatus adeſt: quo poſtulatus Spiritus Sanctus deſcendit. Unde à multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis acceptata eſt?*

Proclus Conſtant. in traditione divinę Liturgiæ, agens de precibus, ſeu invocatione hac Græcorum, inquit: *per eas preces Spiritus Sancti adventum expectabant*. Quod firmare videtur S. Gregor. Magnus à nobis productus ſect. præcedente fine. Colligiturque id ipſum ex revelatione facta S. Brigittæ lib. 6. cap. 86. uti ex eo quod juxta communem Theologorum ſententiam, ex Patribus crutam, præſertim Cypriano, Cyrillo, Heſychio in cap. 9. Levit. Euſebio, S. Paſchaſio &c. quin ex Actib. Apoſt. cap. 2. in Adventu Spiritus Sancti celebratum fuit primum ſacrum à D. Petro. Idque innuit S. Thomas Opuſc. 57. videatur eruditiſſimus Theophilus Raynaudus in aureo illo tractatu de prima Miſſa: Cardinalis Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 5.. Ut quid autem adventus ille Spiritus Sancti, & interdum viſibilis, peracta jam conſecratione, ac ſubinde realiter præſente Chriſto Domino ſub utraque ſpecie, ut Græci Catholici profitentur? Non enim ut nihil efficiat ut planum eſt. Non ut actum agat, ut pariter eſt notum; quoniam licet, quod factum eſt, fieri iteratò valeat ſub alia ratione, aut titulo; nunquam tamen ſub eodem, dicente D. Angelico in 4. diſt. 10. art. 2. q. 2. ad ſecundam. *Illud quod jam eſt, non fit eo modo, quo eſt, ſed alia modo poteſt fieri; quia quod eſt potentia fit actu: & ideo Sanguis Chriſti, qui eſt ſub Hoſtia conſecrato, fit ibi per conſecrationem vini ex vi Sacramenti exiſtens*. Non ut adſtantes, ritèque communicaturos vivificet, ſanctificetque; cum nondum ſit tempus diſtribuendi Corpus Dominicum, deberetque fieri ad eum finem in ipſa actione ſumendi, aut miniſtrandi, fructus verò ſacrificii ex opere operato conferendus, in ipſo primo peracti ſacrificii momento conſertur. Non ut qualitatem aliquam imprimat Corpori, & Sanguini Chriſti Domini, media qua vivificet dignè ſumentes, & probè adſtantes; quoniam id voluntariè diceretur: & quia ſanctificatio noſtra, & effectus obtinendus per ſuſceptionem dignam Euchariſtiæ ſit ab Spiritu Sancto media virtute inſtrumentaria Chriſti Domini, quam habet inamiſſibiliter titulo unionis. Ut quid igitur deſcenſus ille clamoribus expetitus, & toto corde deſideratus? Profecto non ad alium finem, quam ad inſtaurandam vitam actualem Chriſti Domini immolatione ſacrificatam; cum Spiritus Sanctus ſit proprius vivificator; & cum aliunde Chriſtus ipſe Dominus, ſemel facta abdicatione juris ſui ad utendum potentia miraculorum effectrice ad emittendas operationes immanenter vitales, opus habeat adventu Spiritus Sancti, ut eam vitam actualem recuperaret; ut, illa obtenta, vivificare nos poſſit; tanquam caput Corporis myſtici, nutriretque alimonia cœleſti; ut unà cum vita actuali Corporis beatitudinem illius reſumat ſibi debitam, & ſine qua dedecebat ipſum perſiſtere diutiùs ſub ſtatu illo (cum ſola ratio ſacrificandi ſeipſum in proteſtationem dominii ſupremi, & in utilitatem mundi, illum exiſtendi modum vita actuali privatum cohoneſtaret): maximè cum Spiritus Sanctus dicatur frequenter *Spiritus decentię*; tranſitque Corpus ea reviviſcentia veluti è tenebris privationis vitæ actualis, & viſionis ſuiipſius, ad vitæ claritudinem, eum illa quaſi nocte fugata, ejus oculi revehant ſua luce diem.

SECTIO QUINTA.

Roboratur inſuper ſententia noſtra exemplo Sacrificii cruenti, & ratiocinio indè eruto. Vendicaturque nullo negotio ab omni difficultate, & abſurdo objecto.

§. I.

Num. 81. SACRIFICIUM Crucis exemplar eſſe incruenti ſacrificii cujus normam, ductum, & modum hoc ſequatur, & imitetur, quantùm ritus incruentus componi poteſt cum ritu cruento, veritas eſt clariſſima ex fidei principiis certa; quia & in ejuſdem fidei ſinu nata, repertaque. Deducitur enim ex præcepto Chriſti Domini per Evangeliſtas, quaſi per tubas aureas, Sacerdotibus intimato: ex doctrina Apoſtoli 1. Corint. 11. ex uſu indeſinenti Eccleſiæ: ex Conciliis, præſertim Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & egregiè ab Eccleſiæ Doctoribus expenditur. Inter quos Magnus Gregorius l. 4. Dialog. cap. 58. *Hinc ergò penſemus*, inquit, *quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro obſolutione noſtra paſſionem Unigeniti Filii ſui ſemper imitatur*. Ambroſ. in cap. 10. Epiſt. ad Hæbr. *Hoc autem Sacrificium exemplum eſt illius*. S. Aug. relatus in cap. *Semel* de Conſecr. diſt. 2. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. alibique frequentiſſimè. S. Cyprianus lib. 2. Epiſt. 3. (quæ in alia editione eſt 63.) S. Iſidorus l. 6. Etymolog. cap. 19. Chryſoſtom. homil. 17. in

in Epiſt. ad Hæbreos: & in ſumma omnes. Conſule D. Thomam 3. p. qu. 80. art. 12. ad quintum, & qu. 83. art. 1. Bellarminum lib. 4. de Euchar. cap. 22. Id quod ſignificabatur illis verbis Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Sed cruentum Sacrificium fuit a Chriſto Domino quà Summo Sacerdote peractum ad eum prorsùs modum, juxta quem conficiendum eſſe diximus incruentum: ita videlicèt, ut Chriſtus Dominus mortem jamjàm venientem ſuſpenderet, miraculosè conſervando vitam immediatè, unionemque animæ cum corpore facultate inſtrumentaria (ſæpiſſimè explicata, & præcipuè conceſſa in ordine ad tuendam propriam vitam ſui corporis phyſici, & deindè in utilitatem, & vitam corporis myſtici, ut docuit S. Thomas 3. p. qu. 44. art. 1.); illamque operationem miraculoſam voluntariè reflexè ſuſpendendo per imperium, aut nolitionem ulterioris uſus illius, & ulterioris conſervationis miraculoſæ vitæ (& non permiſſivè tantùm; alioqui nec fuiſſet verus Sacerdos reſpectu illius Sacrificii, nec illud eſſet ſtrictè ſacrificium); itaut ille actus internus ſit vera actio poſitiva, propria ſacrificii in paſſione, ſeu in pati conſtituti potiſſimè, juxta modum ex Cajetano ſupra explicatum. Ergò ſacrificium incruentum conſtituendum eſt juxta principia ſententiæ noſtræ. (Et hoc eſt quintum illius fundamentum).

Ut minor, ad quam ſolùm devoluta eſſe poteſt difficultas, quæque eſt aſſertio ipſa noſtra, ſtabiliatur, animadvertendum eſt, extitiſſe Scholaſticos nonnullos, qui exiſtimaverint, Chriſtum Dominum, antequam vi, & efficacia vulnerum naturalitèr eſſet moriturus, ſponte ſua acceleraſſe mortem, ſive illam inſolito clamore provocaſſe, itaut mors illius nequaquam fuerit naturalis, ſed miraculoſa, præproperèque, & præter naturales diſpoſitiones exercita; quantumvis futura eſſet naturalis, ſi præventa non fuiſſet. Ut ſic oſtenderet Chriſtus Dominus, ſe voluntariè poſuiſſe animam ſuam, & nullo pacto fuiſſe ab inimicis raptim pro nutu ablatam. Ita Recentes nonnulli cum Gabriele lect. 82. in Can. referentes pro ſe D. Thomam 3. p. qu. 47. art. 1. ad ſecundum, uti & teſtimonia quædam Origen. Hieron. Chryſoſt. & Euſebii; quæ profectò potiùs ſuadent noſtram ſententiam, vel eadem facilitate, qua opponuntur, explicantur; cum nihil aliud denotent, quàm mortem fuiſſe planè liberam ipſi: & licèt Miracula interpoſita enuntient, verum non quæ mortem prævenirent; ſed quę potiùs retardarent. Nec Pilatus, ut hi opinantur, miratus fuit celeritatem mortis, quia putaſſet, tormenta non fuiſſe ex ſe capacia ad illum eo concitato curſu interficiendum; ſed quia credebat, aut ſuſpicabatur, patraturum miraculum aliquod, ut mortem arceret, aut quo ſaltem diutiùs vitam retinuiſset: cum apprimè noſset, quòd recentèr quatriduanum defunctum è tumulo excitaſset; tametſi videret, nimium languente Sole, morientem ante tempus diem. Propterea hanc ſententiam abſurdiſſimam eſse demonſtrant paſſim Scholaſtici: tum quia alioqui Chriſtus Dominus ſeipſum occidiſset, cum mors illa, prout anticipata, & præmatura, & in eo inſtanti, in quo corpus deſeruit anima ſanctiſſima, cauſam aliquam habuerit (Deus enim tradidit illum morti præcipiendo ipſi, & permittendo furorem hoſtium; non tamen ſeipſo immediatè illum occidendo, ut contingeret in eventu, in quo concurreret omnipotentia, ad nutum ipſius Humanitatis miraculosè, ut hæc opinio malè ſentit); at non vulnera adhùc, nec dolor aut naturalis diſpoſitio; cum hæc omnia ſupponantur nondùm ſufficientia ad necem eo tempore inferendam. Ergò &c. ex quo ſequeretur Chriſtum Dominum, non fuiſse reipſa interfectum ab inimicis; quamquam vulnera lęthalia fuiſsent, & quæ inferrent mortem indefectibilitèr; cum non jam ex vulnerum efficacia mortem ſubiret, ſed ex cauſa alia miraculosè abripiente prædam de manibus deicidarum, & vulnerum.

Num. 82. Tum præterea, quia juxtà hunc cogitandi modum Chriſti Domini mors non fuiſset naturalis, ſeu ex naturali vulnerum cauſa procedens, ſed miraculoſa (ut ii Authores fatentur), & poſitivè inducta à cauſa factiva miraculi; cum ejus ordinis dicatur mors, cujus eſt cauſa illam introducens; in ea autem ſententia, virtus, per quam invehitur eſset inſtrumentaria, miraculorum effectrix, in Chriſto Domino permanentèr exiſtens. Hoc autem perabſurdè affirmari docet Eximius Doctor tom. 2. in 3. p. Diſput. 38. ſect. 2. ex Divo Thoma in 3. diſt. 16. quem imitantur Theologi. Falſificaretur enim illud Chriſti Domini Matth. 17. *Et occident eum*, eum ipſe ſeipſùm occidiſſet; quin inflictio vulnerum lęthalium præſuppoſita impediret, quominus mors illa anticipata imputaretur cauſæ illam anticipanti. Unde quod ex S. Cypriano lib. de Vanitat. Idolor. opponitur, quòd carnificum officium præveniret; extra rem eſt, quoniam ſolùm intendit ibi, mortem objiſſe, antequam frangerentur ejus crura, ut jampridem fuerat prædictum: *os ejus non confringetis*.

Nequaquam tamen dicimus, mortem ejus non fuiſſe violentam; eo quod aſſeramus, fuiſſe naturalem; quoniam uſurpamus naturalitatem, ſecundum quod opponitur miraculoſo, non verò ſecundum quod contradiſtinguitur à violento. Uti nec accipimus violentum ſecundum quod contraponitur voluntario, ant dicit coactionem, neceſſitatemve; cum mors fuerit Chriſto Domino planè voluntaria, & ab omni coactione libera; ſed quatenus contrariatur ex ſe naturali appetitui. Rurſus, quia inferre ſibi necem præoccupando inimicorum impetum, aut ejus effectum, dedeceret Chri-

ſtum Dominum; quin & virum omnem ſapientem; quidquid antiquæ Romæ ignara Sapientia facundo errore oſtenderit; non enim animi generoſitatem arguit, ſed ignaviam potiùs, & animi imbecillitatem, ut docuit Ariſtotel. lib. 3. Ethic.: *Mortem ſibi conſciſcere .... fortis animi, magnique non eſt, ſed anguſti potiùs, & timidi*. Similiter inſignis Juriſconſultus Martianus in leg. *Qui rei poſtulati* tertia §. 6. ff. *de bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt &c.* dixit: *qui enim ſibi non pepercit, multò minùs aliis parcet*. Ubi Papinianus in præfata lege relatus, *ſceleritatem* appellat illam, qua quis manus ſibi ipſi intulit. Similia habentur ex reſcripto Adriani Imperat. in lege *Omne delictum 6. §. qui ſe vulneravit 7. ff. de re militari*. Idemque notavit invictiſſimus Julius Cæſar de bello Gallico: *animi eſt mollities non virtus*. Et quamvis in Chriſto Domino nec ignavia, nec fuga à doloribus locum habuit; res tamen ipſa ex ſe parùm conſentanea foret illius decoro, etiamſi præſupponatur titulo Divinitatis Humanitati copulatæ arbiter vitæ propriæ, necisque, ſi uſu illius poteſtatis opus fore in hypotheſi aliqua excogitetur: ſemper enim ſpeciem timidi, & impatientis viri præſeferret illud: *ne moriare, mori*: Tum ulterius quia non eſt cur præcedenter credatur, animam Chriſti Domini tam exiguo amore proſequi puriſſimum illud templum, in quo habitabat plenitudo Divinitatis, Sacroſanctum ſcilicet Corpus ſuum, ut antequam naturales diſpoſitiones cogerent, habitaculum illud nobiliſſimum deſeruiſſet, quo ſacra jura hoſpitii aliquatenus violaſſe appareret. Validus autem ille clamor morientis, fuit ſanè miraculoſus, ſupplente miraculo defectum ſpirituum vitalium, qui effuſi erant unà cum Sanguine; non tamen idcirco mortem alta voce compellavit, & properare fecit; cum nihil virium naturalium ex reliquiis, quæ reſtabant adhuc ſubtraxerit, quo citiùs periret; uti nec auxit, quo tardiùs ſpiraret, ſeu diutiùs perſiſteret: oſtendit attamen, ſe Dominum vitæ, & mortis eſſe, potuiſſeque pro libito vitam protrahere, quemadmodum potuit clamorem illum edere, moribundo, & exangui impoſſibilem; quaſi voce illa teſtaretur Mundo, potentem vivere, voluiſſe mori:

Num. 83. Opinatione igitur illa excluſa tanquam exotica, & frequenter improbata, duplex tantùm reſtat via; una, quæ eſt ſecunda opinio, & ſatis trita nullum miraculum agnoſcit à Chriſto Domino patratum in ordine ad mortem vel accelerandam, vel differendam, ſed accidiſſe juxta regularem curſum vulnerum, & cauſarum ſecundarum; ſolùmque miraculoſum dicit clamorem in illis circumſtantiis animosè editum (quo excitatus Centurio acclamavit ſic exclamantem verum Dei ſilium); attamen prædictus clamor nihil prorſus commune habuit cum morte, nec cum ejus feſtinatione, aut mora. Credunt enim authores hujus opinionis ſufficienter voluntariam fuiſſe Chriſti Domini mortem, etiam ad conſtituendum per illam verum Crucis ſacrificium, ut ab ipſo Chriſto Domino quà ſummo Sacerdote peractum, per hoc quod potuiſſet necem impedire, & noluerit.

Altera vero ſententia ex adverſo opinatur; putat enim inſufficentem eſſe eum concurſum purè non impeditivum, aut nudè permiſſivum; atque adeo ultra illum, neceſſariò deſiderari alium, interveniſſeque propterea de facto, aſſerit, actionem ſcilicet miraculoſam, qua vitam jamjam terminandam, & in ultimam reſpirationem frangendam, in inſtanti *A* v. g. retinuerit poteſtate ſua inſtrumentali ad nutum conceſſa, per ulteriorem aliquam temporis moram: ita tamen, ut cum eidem placuit, ſuſpenſa voluntaria actione illa miraculosè conſervativa unionis animæ cum corpore, locum dederit, apertiſſimumque campum reliquerit morti, ſeu naturali diſpoſitioni cauſarum ſecundarum, & nocumento illato, quibus properabant omnia in ultimam vitæ ſtragem. Quoniam verò miraculum illud fieri poterat, vel conſervando intra corpus animam informantem, ſive unionem utriuſque, deficientibus diſpoſitionibus prorſus requiſitis ad eam informationem; vel efficiendo potiùs, ut ejuſmodi diſpoſitiones, vi vulnerum alioqui infallibiliter diſceſſuræ (quia natura vulneribus concuſſa, fractaque reſiſtere non poſſet earumdem receſſui, urgentibus ad fugam diſpoſitionibus contrariis) divinitus perſeverarent; hunc ſecundum philoſophandi modum præferunt multi, ne præternaturali modo informans corpus inducatur anima Chriſti Domini pro ſpatio aliquo habitatura Domum illam, magis velut conductam, quam ut propriam; adeoque commoraretur ibi potiùs, quàm habitaret: credique poſſit intelligentia aſſiſtens; non verò anima informans. Licet enim unio, quæ Divina virtute conſervaretur, foret in ſe naturalis, utpotè illamet, quæ naturaliter præexiſtebat, antequam pateretur; cum tamen modus illam conſervandi eſſet ſupernaturalis, & aliunde anima ut informans corpus involvat eſſentialiter unionis exiſtentiam: ſi modus exiſtendi illius foret miraculoſus, ſemper denominatio animæ quà immediatè informantis corpus includeret miraculoſum, & ſupernaturale aliquid: Quod non contingit formaliter, dum exiſtunt diſpoſitiones connaturales ad perſiſtentiam illius nexus, etiamſi prædictæ diſpoſitiones miraculosè conſerventur; quoniam hoc ſe habet præſuppoſitivè, & mediatè ſolùm ad formalem immediatam denominationem animæ, ut informantis. Quapropter tametſi id etiam fieri poſſet Divina virtute; congruentiùs attamen, & connaturalius intra lineam ipſam ſupernaturalem, & ſupra, quin & contra leges

natu-

naturæ ambulantem, eſſe, quod miraculum efficiatur hoc ſecundo modo, arbitrantur Theologi mox recenſendi, itaut mors violenta vitam naturalem perimeret, non miraculoſam, in cujus conſpectu potiùs obſtupeſceret, quàm teriret.

Num. 84. Hunc probabilem dixit Eximius Doctor: complures eum ſupponunt magis, quàm probent. Cajetanus apertiſſimè illum tuetur 3. par. qu. 47. art. 1. ubi approbat præfatam opinandi viam, potiùs quàm aliam, quia juxta illam duobus miraculis opus foret; cum, ſi retineantur miraculosè diſpoſitiones, ſufficeret unum (illud nimirum, quo diſpoſitiones conſervarentur): *bis Chriſtus clamavit*, inquit, *ac per hoc duobus miraculis opus fuit; ſecundus autem modus, quem ſequitur Doctor in litera, unico contentus eſt miraculo*. Quamvis reipſa potuerunt diſpoſitiones conſervari divinitùs; quin ideo deſineret eſſe miraculoſus uterque clamor; cum non ſufficerent ad clamorem edendum vires, quæ ſufficere poſſunt præcisè ad vitam conſervandam. Præſertim cum copia ſpirituum vitalium, & virium ad vocem ingenti clamore elevandam effuſa cum ſanguine eſſet. Non enim produxit miraculosè novas alias, cum juxta hanc opinionem ſolùm retinuerit antiquas; & quia voluntariè fingeres has denuo productas. Inſuper Doct. Angelicus. Quodlib. 1. art. 3. corpore ait: *Erat autem ſubjectum voluntati Chriſti, quando natura reſiſteret nocumento illato, & quando cederet. Unde eo volente natura reſtitit nocivo illato*. (*reſiſtis* per incuriam typographi legitur in editione Romana) *uſque ad finem pluſquam in aliis hominibus poſſit; ita quod in finem poſt multam ſanguinis effuſionem, quaſi integer viribus, clamavit voce magna, & ſtatim eo volente natura ceſſit, & tradidit ſpiritum, ut ſe Dominum naturæ, & vitæ, & mortis oſtenderet. Unde hoc admirans Centurio dixit: Verè hic homo filius Dei erat.* Ubi ſupponit manifeſtè, diſpoſitiones naturales, ſeu vires divinitùs perſeverantes.

Nunc verò preme ſequentia ejuſdem D. Thomæ ibidem verba, quæ principalem etiam aſſertionem noſtram apertiſſimè continent, ejuſque rationem veluti à priori. *Sic ergo, & Judæi Chriſtum occiderunt nocumento mortifero, & tamen ipſe animam ſuam poſuit, & tradidit ſpiritum, quia quando voluit, natura nocumento illato ceſſit*. Chriſtus Dominus igitur, juxta D. Thomam miraculosè conſervavit per tempus aliquod vitam ſuam, conſervando ſimul, & ſpiritus aliquos (habitationem alioqui deſerturos); & cum ceſſit, ceſſit nocumento illato, & non immediatè ſuſpenſioni actionis miraculoſæ: quia ab illo occiſus fuit, ab hoc non occiſus, ſed ſacrificatus. Fuerunt ſiquidem adeo inhumani, omneque crudelitatis genus ſuperantes, cruciatus; adeo ſumma intenſio doloris, & mæſtitia, ultimam vitæ metam pertingens, ut non modò corpus delicatum, & harmonia perfectiſſima eleganter conſtructum; verùm & robuſtiſſimus quiſque gigantum ceſſiſſet jampridem. Simul tamen ea ſe geſſit auctoritate, cautela, & ſapientia, ut, cum voluit, ſuſpenſa per imperium voluntatis actione miraculoſa, qua vigorem conſervabat, nocumentum à vulneribus plagiſque relictum vi ſua naturali confeſtim pelleret animam ſanctiſſimam è Templo corporis. Ecce tibi victimam iniquiſſima tortorum voluntate, & manu occiſam, & ſimul voluntariè, liberè, & poſitivo concurſu à ſeipſa immolatam; itaut ſit Sacerdos immolans hoſtiam, & quaſi trucidans humanam illam victimam, quin ſit homicida illius.

Volumus attamen eamdem doctrinam firmare ulterius ex eodem Doct. Angelico. 3. par. qu. 47. art. 1. corpore, ubi docet, mortem Chriſti Domini fuiſſe naturalem, & connaturaliter ſubſecutam ex nocumento eidem à tortoribus illato: *Et hoc modo perſecutores Chriſti eum occiderunt, quia ſufficientem cauſam mortis ei intulerant cum intentione occidendi ipſum, & effectu ſubſequente, quia ſcilicet ex illa cauſa eſt mors ſubſecuta*. Rurſus ibidem in reſponſione ad ſecundum. *Sicut enim ejus voluntate natura corporalis conſervata eſt in ſuo vigore uſque ad extremum: ſic etiam quando voluit, ſubitò ceſſit nocumento illato*. Conſervavit itaque Chriſtus Dominus ex mente D. Thomæ ſuam vitam in Cruce miraculosè, conſervando divinitùs vires, diſpoſitioneſque; & ſimul ſeipſum voluntariè immolavit, quatenus Imperio ſuæ humanæ voluntatis ſuſpendit miraculoſum illum influxum in diſpoſitiones; mortuuſque tunc fuit ex naturali cauſa, relicta ex vulnerum atrocitate, & ex rabie hoſtium duriſſima.

Hanc ſemitam libenter arripuit, quin & ampliavit, Abulenſis Paradox. 3. cap. 51. ſcribens ſic; *Tunc mortuus eſt Chriſtus cum voluit. Ideo non erat ejus debilitata natura, ut in cæteris morientibus fieri cernitur; quin potiùs ita fortaſſe valebat, ſicut antea valebat. Ob hoc cum eſſet in limine mortis, clamavit*: quo inexpectato clamore expiravit miraculum ſimul cum vita.

Num. 85. Si autem quæras ab hac ſententia, quo pacto Chriſtus Dominus hac via ſe poſitivè ſacrificaverit, cum juxta illam unicè fuerit introducta mors immediatè ex vi læſivi à tyrannide illati; Chriſto Domino eam ſolùm permittente, ſeu non propulſante, cum poſſet, ad quam impediendam nullo jure tenebatur; ſed potiùs ad non impediendam. Et rurſus cum licet actu interno illam poſitive acceptaverit; nullum tamen influxum exhibuerit in ipſam immediatè; ſed mediatum duntaxat, quatenus liberè ceſſaverit à conſervatione miraculoſa diſpoſitionum; per illam autem ceſſationem ſolùm inferre potuit immediatè illarum privationem, aut carentiam, ex qua mediatè tantùm ſequitur mors deinceps. Cum aliunde ſacrificium Crucis fuerit immediatè alligatum morti, ſeu priva-

tioni vitæ, quæ ſola erat victima immediatè immolanda ? Reſpondet extemplo ejuſdem D. Thomæ verbis ex ea qu. 47. art. 1. corpore productis : *Quod aliquid poteſt eſſe cauſa alicujus effectus dupliciter. Uno modo directè ad illud agendo ... Alio modo dicitur aliquis cauſa alicujus indirectè, ſcilicet, quia non impedit, cum impedire poſſit, ſicut ſi dicatur aliquis alium perfundere, quia non clauſit feneſtram, per quam imber ingreditur. Et hoc modo ipſe Chriſtus fuit cauſa ſuæ paſſionis & mortis : poterat enim ſuam paſſionem, & mortem impedire ... Quia ergo anima Chriſti non repulit à proprio corpore nocumentum illatum; ſed voluit, quòd natura corporis illi nocumento ſuccumberet, dicitur ſuam animam poſuiſſe, vel voluntariè mortuum eſſe.*

Cæterum modus hic reipſa, & in ordine ad ſalvandum influxum Chriſti Domini in ſuam mortem, ſufficientem ad hoc, ut vitam ſuam ſacrificaſſe verè, & propriè dicatur, non differt à ſententia contraria ſecundo loco relata, cum utrobique intercedat ſolùm cauſalitas purè indirecta Chriſti Domini undique negativa, & permittens, vi cujus, nulla ratione fuit illi imputabilis mors ſua ; cum nulla ratione teneretur ad tuendam miraculo ſuam vitam, quippe qui ligatus erat præcepto acceptandi, & ſuſtinendi mortem. Sicut etiam Deus potuit impedire peccatum illud horridum Deicidii, quin fuerit propterea illius cauſa, quia non impedivit, & quia phyſicè concurrebat cum tortoribus ipſis ; eo quod jure cauſæ univerſalis teneatur potiùs ad relinquendum hominem in manu conſilii ſui. Neque vita ceſſit illi ſuſpenſioni, ſed nocumento aliunde jam inducto. Præſertim cum adhuc exiſtente ſuſpenſione omnis miraculi conſervantis vires, potuerit efficere aliud, conſervans unionem animæ & Corporis abſque viribus, aut diſpoſitionibus : ſuſpenſo tamen omni miraculo conſervante unionem illam præſuppoſita jam ſtrage cunctarum virium, non potuit non cadere vita. Solùm ergo fuiſſet hoc modo cauſa indirecta, & nudè permiſſiva ſuæ mortis, quia (ut utar ſimilitudine Doctoris Angelicis) noluit claudere feneſtras vulnerum latè patentes, per quas imber ſanguinis, non jam ingrederetur, ſed egrediebatur, perfundens corpus ſanguine, mundum ſalute, & rore. Hoc autem cauſalitatis genus inſufficiens eſſe prorſus ad verum ſacrificium conſtituendum, ut à Sacerdote ea ſolùm actione immolante peractum, patebit infra.

Qui autem reſpondere conantur per cauſalitatem directè ſuſpendentem actionem miraculosè conſervativam vigoris, aut diſpoſitionum (quæ ſunt principia hujuſmet ſententiæ) ; vitare adhuc non poſſunt difficultatem repertam in eo, quod ſacrificatio eſſe valeat tantùm indirecta, & ex ſe nudè permiſſiva mactationis victimæ, ut fatentur Adverſarii ex D. Thoma. Et quamvis illam vitarent ; incidunt in nuper delibatum inconveniens remotæ ſolum mactationis ; & aliundè neſcio an ſit dicenda minus ſufficiens ad ſacrificationem in ſubjecta materia immolatio purè remota ; quàm purè indirecta ; immò nec adhùc cauſa remota ; ſed remotio impedimenti.

Si reponas futuram cauſam mortis immediatam moraliter, idque ſufficere unà cum actione phyſica illam inducente mediatè per ſuſpenſionem : quemadmodum mortale vulnus alicui infligens, illum occidit ; tametſi mors ſequatur mediatè ſolùm ex actione phyſica alterius, immediatè verò ex vulnere ipſo. Subjiciam, non eſse adhùc veram cauſam mediatam ; adeòque non moralem immediatam. Secundò ſtrictiùs, & veriùs ſeipſum immolaret, ſi foret cauſa phyſica immediata mortis juxta primum modum ſtatim exponendum, fuiſſetque ſacrificans vitam ſuam perfectiori modo, præſtantiſſimoque ; qui denegandus minimè eſt ſummè perfecto Sacerdotio, & Sacerdoti. Deinde (ut dictum eſt) juxta principia Adverſariis familiaria, adhuc remanet cauſa indirecta mortis, quam licet intenderet ſuſpenſione præfata, intenderet attamen eam ſolùm ut inducendam per vulnera. Cauſa autem indirecta phyſicè alicujus effectus, nullo pacto eſt vera cauſa moralis immediata illius, cum ipſi per ſe non imputetur. Tandem, quoniam etſi cauſa moralis immediata ſit, aut credatur ; erit attamen minùs propria, lataque : quia cum vita tunc cederet diſpoſitionibus contrariis, quæ nequaquam inducuntur per actionem ſuſpenſivam miraculi (quippe quę pręſupponuntur aliunde immiſſæ) non foret eo ipſo cauſa cauſæ, adeoque nec moralis cauſati ; nec illi attribuitur, ut docet S. Thom. 1. ſecundæ qu. 79. art. 1. ad 3. Ecquis autem tuto proferat, altius, ſtrictius, & nobilius ſacrificium, inter omnia excogitabilia, peractum fuiſſe à Sacerdote Divino minùs proprio, laxoque modo ; quaſi jamjàm moriturus, erratica manu ægre ſacrificium attingeret, vel palpaſſet potius, quàm confeciſſet? Jam verò Sacerdos pecudem ſacrificans ; infligit actione ſua immediata vulnus, ex quo per ſe mors ſequatur ; quia mortem immediata actione ſua attingere nequit (per ſe loquendo).

Num. 86. Arridet propterea nobis longè magis primus modus exponendi hanc communem ſententiam per immediatam conſervationem ipſius unionis animæ informantis corpus, miraculosè factam ; quin vires ullas, aut diſpoſitiones divina virtute conſervaverit ; ſed viribus cunctis univerſim deperditis (quæ ſufficerent ad conſervandam vitam) diſpoſitionibuſque depulſis per contrarias potentiores, virtute inſtrumentaria ſuſtinuerit immediatè unionem præfatam ; itaut imperium ſuſpendens actionem ſupernaturalem conſervantem divinitus nexum illum, induxerit eo ipſo immediatè privationem unionis, ſubinde privationem vitæ ; cum carentia unionis animæ cum corpore, importet eſſentialiter ſeparationem animæ à corpore, adeoque ſeparationem vitæ. In

quo

quo ſenſu uſurpari valènt verba nomine Chriſti Domini prolata Pſal. 137. *Multiplicaſti in anima mea virtutem*: non ſanè quia novas vires ingereret divinitus loco deperditarum; quoniam hoc eſſet ſupplere, non multiplicare. Non quia miraculosè conſervaverit antiquas in conſpectu nocumenti potentioris; quoniam hoc non foret multiplicare, ſed retinere. Sed quia per virtutem inſtrumentariam fecit, quod efficere non potuerunt diſpoſitiones, & vigor naturalis, retinendo unionem illam: & ſic auxit virtutem. Porro cum prædicta actio miraculoſa præſupponat corpus deſtitutum viribus naturæ ſufficientibus ad conſervandum nexum illum, quarum defectum ipſa ſupplebat, neceſſariò actus internus decernens ejus ſuſpenſionem ex præfata ſuppoſitione, intendit per ſe directè, & ſimul cauſat, privationem vitæ, ſive diſſolutionem illius vinculi inter animam, & corpus, unice per ipſam conſervati. Tranſitque à vita poſitiva, ſive unione, quæ eſt vita poſitiva ut quo corporis ſubſtantialis (quia per illam anima vivificat corpus ſubſtantialiter) ad privationem vitæ ſubſtantialis; habetque propterea terminum à quo poſitivum.

Neque inde ſequitur, Chriſtum Dominum fuiſſe homicidam ſui, quantumvis fuerit cauſa directa privationis vitæ ſui corporis. Tum quia fuit ex ſuppoſitione mortis naturalis adæquatè introductæ in actu primo; adeoque ex ſuppoſitione ultimæ diſpoſitionis ad formam cadavericam introducendam, excluſioniſque diſpoſitionis neceſſariæ ad retinendam vitam; quam introductionem impedire non tenebatur. Unde licet illi imputetur ad meritum ille concurſus, quia voluntariè paſſus eſt, cum poſſet vitam conſervare; nequit tamen imputari ipſi, quà homicidium eſt. Tum quia non ſibi ipſi manus intulit poſitivè, ſed potiùs poſitiva actione miraculoſa illam diutius retinuit, dum naturaliter perſiſtere non poſſet. Tum ob alia multi ponderis infra producenda. Quòd autem nihilominus fuerit vera cauſa directa privationis vitæ ſuæ, potiùs quàm juxta ſecundum modum, perſpicuè colligitur ex eo, quòd juxta illum, vigor naturalis, divinitus conſervabat immediatè naturaliter unionem; conſequenterque per ſuſpenſionem actionis miraculoſæ nequaquam ceſſabat immediate actio naturalis conſervativa unionis, ſed mediatè ſolùm, & non per ſe, ſed omninò per accidens ex alio capite, nec tranſibat immediatè à vita poſitiva ad privationem vitæ, ac proinde imperium ſuſpenſivum illius actionis non erat vera & propria cauſa mortis, ſed remota. Secus autem juxta modum noſtrum, ut ſupra oſtendimus.

Id ut explicetur clariùs; rogamus, an foret verus phyſicus, aut immediatus author mortis, ſi teneretur ex præcepto ad conſervandam facultate inſtrumentaria, & miraculoſa unionem illam? Proculdubio talis eſſet in ea ficta hypotheſi, foretque tranſgreſſor præcepti, & homicida: ergo quia immediatè verè vitam ſibi adimeret ſuſpenſione illa. At eodem modo ſuſpendit actionem conſervativam, licet non teneatur ad illam retinendam, conſervandamque. Eodem igitur modo eſt vera cauſa privationis vitæ; quantumvis homicida ſui minimè ſit, quia nullo tenebatur jure ad unionem conſervandam, ſed potiùs ad mortem ſuſtinendam; ſicuti foret in ea hypotheſi, quia teneretur. Et quamquàm pariter imputaretur illi mors in facta hypotheſi, ſi actionem miraculosè conſervantem diſpoſitiones ſuſpenderet; foret attamen ſolùm moraliter author per accidens actus; phyſicè verò remotus; ſubindeque non ſacrificaſſet illam perfectiori modo. Prætcrea plus aliquid exigitur ad verè ſacrificandum, quàm ad hoc, ut imputetur alicui mors; cum ad id ſufficiat, purè non impedire, dum tenetur; quod neutiquam ſufficit ad ſacrificandum, ſi ſtandum ſit definitioni ſtricti ſacrificii. Et quamquam hoc aſſertioni etiam noſtræ officere videatur; reipſa tamen illibatam ipſam relinquit; cum intercedat actio phyſica terminata immediatè ad mortem. Præterquamquod hypotheſis hæc explicationis gratia ſolùm proponitur.

Neque rurſus vita illa deſinebat eſſe intrinſecè naturalis; quandoquidem unio in ſe, & ſubſtantialiter naturalis erat, quantumvis actio illam conſervans foret miraculoſa; effectus autem formalis animæ informantis media unione non conſtituitur per actionem conſervativam illius, cum ſe habeat merè præſuppoſitivè, ſed per unionem ipſam ſubſtantialem. Pariterque mors fuit naturalis, cum ſuſpenſio miraculi inducens privationem, miraculum non fit. Nec rurſus foret hoſpes, peregrinuſve, magis quàm habitator; cum potius argueretur, adeo immobiliter Domum illam retinuiſſe ſibi, ut etiam deficientibus cunctis diſpoſitionibus, aut ſuppellectilibus, eam non deſeruiſſet, vacuaque ſe jactaret in aula. Hęc eſt mirabilis illa Divinæ Sapientiæ inventio, ita temperans concurſum Chriſti Domini in ultimam humanæ vitæ ſuæ ruinam, ut concurreret actu, & verè, quantùm fas erat ad ipſam, tanquam Sacerdos verè & propriè ſacrificans, ceu victimam inextimabilem, immolandam: quin ideo ſui ipſius homicida foret: arcanum verè ineffabile, miro modo, & inaudito præciſivum, à ſolo Divino artifice excogitatum.

Num. 87. Arriſerat, inquam, hæc via nobis præ altera, ſed obſtabat oppoſita Divi Thomæ mens, quæ terrebat noſtram; donec acuratiùs explorans illam, reperi, ipſum alibi ſępiſſime vergere magis in hunc opinandi modum, quàm in oppoſitum. Etenim in cap. 10. Joann. lect. 4. expendens illa verba: *Ego pono animam meam ... nemo tollit eam à me &c.* docet neminem, niſi volente illo, potuiſſe ab eo auferre vitam, atque adeo nec inferre illi violentiam, ad-

 jungit-

jungitque illam poſuiſſe voluntariè, & propria virtute, adducens opportunè illud Iſajæ 49.: *Numquid tolletur à forti præda &c.* confeſtimque rogat: *Sed numquid Judæi non intulerunt Chriſto violentiam? Intulerunt quidem quantum in eis fuit; ſed in Chriſto non fuit illa violentia, quia quando voluit illam ſponte poſuit.* Et in c. 27. Matt. ad illa verba: *Jeſus iterum exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, ait: *notandum, quòd omnes moriuntur ex neceſſitate, Chriſtus autem ex propria voluntate: unde non dicit eſt mortuus, ſed emiſit; quia ex voluntate, & hoc ſignat poteſtatem, ſicut alibi dicitur Joann. 10. poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi. Et voluit mori cum magna voce, ad ſignificandum, quòd ex poteſtate, & non ex neceſſitate moriebatur. Unde animam ſuam poſuit, cum voluit, & accepit, cum voluit, unde faciliùs fuit Chriſto ponere animam, & recipere, quàm alicui dormire, & excitari. Sed quare imputatum eſt eis? Quia fecerunt quod in eis fuit.* Protectò ſi ex nocumento à perſecutoribus illato proveniret unicè, immediatè, & directè mors (ut contingeret ſi miraculum verſaretur præcisè circa diſpoſitiones, quo ſuſpenſo, cederent illæ immediatè nocumento, & exinde cederet illi, & earum defectui vita adæquatè) non eſſet cur ſapienter in utroque loco excitaret eam difficultatem per interrogationem: *quare imputatum eſt eis?* Scilicet inimicis; cum evidens foret cauſa imputabilitatis, nempe mors ipſa ex eorundem vulneribus unicè, & immediatè ſubſecuta: quidquid ſit, quòd fuerit eorum violentia in medio furoris curſu tantiſper interrupta per miraculum. Neque eſſet opportuna ſatis reſponſio data: *quia fecerunt, quod in eis fuit.* Siquidem non ſolùm id feciſſent ex parte ſua, ſed & de facto ex parte effectus, qui Chriſtum Dominum reipſa occidiſſent. Et aliunde dum inquiritur, cur imputatur illis mors, qui reſpondet, imputari, quia quantùm eſt ex ſe, nihil intactum reliquere, ut illum interficerent, ſupponere videtur, factum ſecutum minimè fuiſſe ex violentia vulnerum immediatè, ſed ex voluntate potiùs ſuſpendentis miraculum poſitivum, quo vitam conſervabat, objiſſe. (Idemque, non ſupponere, ſed in dubium revocare videtur interrogatio): & propterea prudenter dubitatur, & quæritur, quo pacto fuerint deicidæ?

Idque confirmat Sanctus Doctor; quia non tam dicendum, ait, Chriſtum Dominum mortuum, quod ſignificat paſſivum aliquid duntaxat illatum ab aliis; quàm emiſiſſe ſpiritum, quod apertè deſignat activitatem veram, adeoque immediatam, & directam illius in ſuam mortem, ex ſuppoſitione vulnerum, per ſe inferentium illam. Tum quia docet, ita Chriſtum Dominum mortem opetiiſſe, ut oſtenderet, ſe mori, non ex neceſſitate, ſed ex poteſtate, & voluntate propria; id quod, licet verificaretur aliquatenus per miraculoſam etiam conſervationem vigoris, aut diſpoſitionum pro libito, per quam mediatè arcetur mors; neutiquam tamen verificaretur ea proprietate, quam verba per ſe ſignificant, cum apertè denotent, aut præſupponant dominium immediatum, & directum, aut facultatem liberam immediatam in mortem ipſam, cum dicat, ipſum emiſiſſe ſpiritum ex ſe, id eſt ſeparaſſe à corpore ſuo, quod eſt immediatè cauſare privationem vitæ. Præterea quodlib. 1. art. 3. inculcat eamdem doctrinam, additque: quòd licet ipſe ex ſe tradiderit animam, & emiſerit ſpiritum: *non tamen culpandus, quaſi ſui homicida, eſt enim corpus propter animam, & non è converſo.* Si autem mors illata ſimpliciter à Judæis ſecuta fuiſſet immediatè ſolùm ex eorumdem mortifero nocumento illato, nequidquam Div. Thomas excuſaret Chriſtum Dominum à ſuimet occiſione per hoc, quod corpus ſit propter animam, & non è converſo. Hoc ſiquidem eſt apertè conſentire in ſenſu aliquo proprio, & ex ſuppoſitione nocumenti mortalis inflicti, in concurſu vero Chriſti Domini immediatoque in ſui mortem; ſin aliter otioſa foret excuſatio, nec petita, nec ullo titulo neceſſaria; occurreretque dicens, Judæos fuiſſe tantùm homicidas, quia non tantùm ſufficientem, & ſuperabundantem cauſam morti dederunt, ſed quia reipſa ex illa ſolùm ſecutus fuit mortis effectus; quamquam potuerit non ſequi, quia potuit Chriſtus Dominus illum impedire, & noluit: ecquis autem ex illa crudeli diraque Judæorum voluntate, & infami Carnificum manu, fructum, aut effectum honoris ſalutis, & gloriæ totius mundi ſperaret, niſi Deus ipſe diceret?

Num. 88. Reflexio hęc vires accipit quammaximas ex verbis immediatè ferè ſubſequentibus ejuſdem Doct. Angelici infra latiùs recenſendis, & ponderandis, quibus rationem aſſignat, ob quam non fuerit culpandus ille, qui in conſimilibus circumſtantiis ſibi vitam in ſenſu aliquo eriperet. *Si anima in ſua poteſtate haberet, recedere à corpore, quando vellet, & iterum advenire &c.* Apertiſſimè docens, ibi culpandos perſecutores, quia violenter ei mortem inferre curabant, illo invito, ut credebant; neutiquam verò culpandum ipſum, quia poteſtate illa ſuprema præditum, Domum potiùs ad horam deſerebat; quod manifeſtè ſupponit, illum poſitivè vitam ſuam poſuiſſe, & à ſe animam efflaſſe. Quamobrem inſufficienter diceres Div. Thomam objicere ſibi paſſim illam reflexionem; non quia ſentiret, Chriſtum Dominum immediatam cauſam ſuæ mortis extitiſſe, adhuc ex ſuppoſitionibus factis; ſed quia per hoc ſolùm, quòd eam permiſiſſet, potens illam impedire, contingere poſſit, ut ignarus myſteriorum putaret ipſum reum mortis ſuæ: præſertim ſemel conſervato divinitus vigore naturali;

& ite-

& iterum voluntariè ſuſpenſa ejus conſervatione. Contra enim: quoniam ſi hęc fuiſſet Divi Thomæ intentio, parum aptè reſponderet excuſando influxum illius in mortem propriam; ſed debuiſſet illum inficiari: tum ex eo, quod nudè permittens, dum aliunde non tenetur impedire, non eſt cauſa directa, & immediata, atque adeo nec ſimpliciter in vero ſenſu aliquo concurrens ad mortem: uti fecit laudata qu. 45. art. 1. vel ex eo, quod mors unice fuerit inducta à læſivo inflicto, non à ſuſpenſione indebita concurſus miraculosè ſuſtinentis vires, & robur corporis. Minùs congruè pariter, & iteratò diceres, ſuſpenſionem concurſus conſervativi vigoris, aut diſpoſitionum tametſi cauſa phyſica immediata non ſit privationis vitæ, eſſe tamen cauſam immediatam moralem. Quandoquidem ſi ſemel eſſe valeat vera, & propria cauſa moralis mortis ſuæ ex ſuppoſitione, quin ideo ſit homicida ſui; etiamſi phyſicè immediatè illam cauſet ex eiſdem ſuppoſitionibus, homicida ſuimet non erit; & ex alia parte longè perfectiùs immolat ſeipſum, dum phyſicè ſe immolat, ac dum tantùm moraliter, ut ſupra diximus. Præterea quamvis ad cauſandum verè, & propriè effectum aliquem ſit ſufficientiſſimus influxus moralis immediatus; ad exercendum tamen munus ſummi Sacerdotis per ſacrificationem neutiquam ſufficit ſacrificatio moralis victimæ, etiam unà cum morte aliunde proveniente phyſicè, ut latè oſtendimus diſp. præcedenti: & quidem etiamſi interveniat actio phyſica mediata, dummodo hæc indirectè ſolùm reſpiciat ex ſe effectum (quidquid ſit de intentione extrinſeca ſuſpendentis influxum): & nullatenus fuerit cauſa cauſæ immediatę ut nuper obſervatum fuit.

Tandem non parùm difficultatis continet ea cauſalitas moralis reſpectu mortis, dum ſolùm ſuſpendit conſervationem miraculoſam virium, quas nullo jure tenebatur conſervare; etiamſi per ſuſpenſionem illam actu interno imperatam fuerit cauſa phyſica privationis virium (eo modo, quo privatio phyſice inducitur); quia jam illi imputari nequit mors tanquam cauſæ illius; licet imputetur illi ad meritum, ad quem finem minimè exigitur, quòd fuerit cauſa moralis mortis; quia ſufficit ad hoc potuiſſe illam removere à ſe per miraculum, & noluiſſe; & cum aliunde ſolùm ſit cauſa phyſicè removens, adeoque, quaſi per accidens, & remota ſeparationis animæ à Corpore, fieret inde non futurum ſimpliciter in ullo genere cauſam mortis; ac proinde, nec vitam ſuam verè ſacrificaſſe, ſed in acceptione laxa. Cum in eodem omnino ſenſu proprio, aut lato, in quo fuerit cauſa phyſica privationis vitæ propriæ in Dei honorem, & univerſi ſalutem (aut cauſa phyſica cauſę phyſicę immediatę) immolat. Et eadem ratione, ſive laxa, ſive ſtricta, qua Sacerdos immolat Victimam, conſtituit ſacrificium; ſacrificare enim ſtrictè, & immolare Hoſtiam impropriè, privilegium eſt à natura rerum alienum, & ſummo Sacerdoti neutiquam collatum, quia Chimericum.

Num. 89. Suſpicamur itaque, D. Thomam in locis objectis per conſervationem miraculoſam vigoris naturæ, fortitudiniſque nequaquam intellexiſſe diſpoſitiones naturales Corporis, & in Corpore præexiſtentes, divinitus retentas in conſpectu contrariarum, ſed virtutem ipſam inſtrumentariam Chriſti Domini conſervantem unionem animæ cum Corpore, adeoque ſupplentem eamdem fortitudinem, vires, aut vigorem, quem natura habebat priuſquam recepiſſet crudelia vulnera. Virtus autem illa inſtrumentalis appellari juremerito poteſt vigor naturalis: tum quia menſuratus fuit (in ordine ad ſuſtinendum, aliaque ibidem effecta) per vires præcedenter poſſeſſas: tum quia eadem faciebat, & eodem modo, quo efficeret, & pateretur ille, ſi perſiſteret ex integro. tum quia S. Thomas ſatis apertè docuit, pręfatum vigorem ſitum fuiſſe in facultate inſtrumentaria factiva miraculorum; & quidem eadem q. 47. nobis objecta, ibi: *Spiritus ejus babebat poteſtatem conſervandi naturam carnis ſuæ, ne à quocumque læſivo inflicto opprimeretur*: hæc ergo virtus, fuit vigor conſervans vitam Chriſti Domini abſque diſpoſitionibus ullis ſufficientibus, quatenus ſine illis, ſed potiùs cum oppoſitis, exigentibus introductionem formæ cadavericæ, conſervavit vinculum nectens animam cum Corpore. Et aliunde illa facultas inſtrumentaria eſt eidem Chriſto Domino ſive ejus Humanitati connaturaliter debita titulo unionis hypoſtaticæ, illique ex ea ſuppoſitione naturalis, ſicut vigor, vireſque naturæ connaturales ei erant ſimpliciter. *Quod quidem* (proſequitur S. Doctor) *habuit anima Chriſti, quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate Perſonæ, ut Auguſt. dicit in 4. de Trinit.*

Tum quia in allegato quodlib. 1. eam vim miraculoſam declarans, ait: *ita quod in finem poſt multam Sanguinis effuſionem, quaſi integer viribus clamavit voce magna*. Ex prodiga autem illius Sanguinis effuſione manifeſtè arguitur, vires illas integras divinitus conſervatas, eſſe minimè potuiſſe eaſdem naturales præcedentes; ſed facultatem illam ſupplentem integritatem virium, & ideo dixit: *quaſi integer viribus*; cum inter illas principem locum occupet Sanguis; uti & langueſcunt, deficientibus Spiritibus; ubertim pariter in paſſione effuſis: cum ideo per Sanguinem vita ſignificetur. Accedit quod ad vigorem illum conſervandum non minora miracula exigerentur, quam in noſtra ſententia; quia ſive diſpoſitiones contrarias removeat; ſive ſimul cum illis proprias conſervet; ſemper ad conſpectum cujuſcumque contrarii venientis, aut quod veniret, ſi non impediretur, novo miraculo opus foret. Præterquamquod ea miracula, quæ per ſe ſunt neceſſaria ad hoc, quod

Chri-

Chriſtus Dominus verè ſeipſum ſacrificet, fugienda minimè ſunt.

Tum præterea, quia nihil frequentiùs apud Interpretes, & Patres, quam exaltare ut valde miraculoſum clamorem illum, quo emiſit Spiritum, clamante etiam ipſo D. Thoma ea q. 47. art. 1. ad ſecundum. *Ut etiam in extremis poſitus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis ejus computatur. Unde dicitur Marci 15. videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: vere hic homo filius Dei erat*. Si autem Chriſtus Dominus miraculosè vigorem omnem ætatis, & naturæ conſervaſſet, clamor ille foret omnino naturaliter editus, (vel ſaltem eſſe potuit, ſi copia ſufficiens Spiritum reſtaret); ſolùmque remotè, & latè in actione conſervativa virium diceretur miraculoſus: eo prorſus modo, ac paſſio integra dici valet miraculoſa in radice, quatenus nonniſi divinitus repreſſa impaſſibilitatis dote, capax fuit Chriſtus Dominus doloris, & vulneris; quod ægrè ſibi perſuadebit, qui luculentiſſima Patrum teſtimonia, miraculum illud extollentia, legerit; obſtabitque Centurio ipſe armatus, & eo miraculo palam divinitatem Chriſti Domini profeſſus, ne credatur, ipſum deluſum extitiſſe, ejuſque converſionem nixam fuiſſe non miraculo, ſed deceptioni; cum clamor ille fuiſſet in ſe, & intrinſecè naturalis, juxta nuper dicta, licet remotè miraculum aliud præſupponeret.

Tum inſuper, quia ſi noſſent adſtantes, naturalem illius vigorem, vireſque omnes divinitus perſeverare, licet illum ut à Deo mirabili virtute protectum ſuſpicerent, diminueretur tamen apud illos meritum paſſionis; quatenus inde quaſi connaturali quadam illatione pariter arguerent, aut conjectarent, ipſum minimè pati, quantumvis cruciatus in ſe forent acerbiſſimi; qui per miraculum ingentiſſimum poſt ſanguinis prope totius, & Spirituum vitalium effuſionem, pati neſciret virium deliquium, cur patietur horridum, ſenſibiliſſimumque tormentorum effectum? Qua prudentia credendus eſt vir dolorem, qui diù exanguis, cruciatibus, & vulneribus rabiosè appetitus manet integer virium? cum naturæ viribus poſſet introduci ſpecies quædam inſenſibilitatis ad non patiendum; nullis tamen naturæ, aut artis fomentis Corpus Sanguine, & Spiritibus privatum, & atrocibus diù vulneribus, & ictibus contuſum retinere poſſit juveniles animos ad ſtrenuè, & robuſtè operandum. Non ſic autem ſi abſque viribus naturalibus vitam ſuſtineat; quoniam jam ſupponitur naturam paſſam fuiſſe ruinam, & dolores, in ipſa virium defectione.

Num. 90. Tum & 5. quoniam Sanguinis profluvio langueſcens continuo, magis defectum virium, defectionemque vigoris oſtendebat apertè, idque apparebat in facie, in oculorum obſcurata, & imminuta luce: *non eſt aſpectus ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus. Iſaiæ* 53. (& ſolum per miraculum interdum non apparuit in voce), ut notant Patres, Aſcetici, & Interpretes. Deficiebant ergo ſenſim vires, & diſpoſitiones, ingraveſcente læſivo. Opuſque alioqui foret novo miraculo ad quamlibet diſpoſitionem retinendam omni momento: atque adeo non uno miraculo omnes, ut Cajetanus ſupra dixit, ſed quamplurimis, & diverſis, conſervarentur vires. Tum 6. (quod magni ponderis mihi viſum eſt): quoniam Regius Propheta Pſalm. 37. ubi clariſſimè invehit Chriſtum Dominum de paſſione ſua loquentem, & veluti illam minutim explicantem, ait: verſ. 11.: *dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*: cujus ſenſus literalis ægrè poſſet intelligi de Chriſto Domino, patiente in Cruce, ſi omnis illius vigor, vires, aut virtus naturalis fuiſſet divinitus conſervata uſque ad extremum ipſum. Voces autem hujus Pſalmi nomine Chriſti Domini è Cruce loquentis audiendas eſſe, docuit in ejus enarratione S. Auguſtinus, tamquam planè certum. Accedit, quòd ubi vires omnes nativæ in florida ætate, roburque ex integro conſervantur, reperiri nequit in eo ſtatu homo, cui propriè accommodentur verba illa Job. 19. *Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia mea circa dentes meos*; uti appropriantur Chriſto Domino in paſſione à Patribus frequenter, ejus maciem, aſpectus mutationem, & debilitatem ita deſcribentes, ut vix corpus adhuc vivum à cadavere crucifixo diſtingui poſſit. Eodem reſpiciunt verba illa Pſalmi 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea*, quæ de Chriſto Domino in paſſione proculdubio uſurpantur, eſſetque mirum, aruiſſe virtutem naturalem, ubi nativus ejuſdem vigor florebat, vegetaque propterea omnia eſſe debuiſſent, nec fuiſſet immutatus color optimus, ſpecieſque.

Dum verò D. Thomas allegata quæſt. 47. dixit: Chriſtum Dominum indirectam ſolùm cauſam ſuæ mortis extitiſſe, loquitur de morte ſimpliciter, & nulla facta ſuppoſitione; & quà inflicta ab hoſtium implacabili odio, furoreque: non enim potuit honeſtè velle ſævitiam perſecutorum, vulneraque, prout ab eiſdem illata; hoc enim permiſit tantùm, cum impedire poſſet. Ex ſuppoſitione tamen nocumenti inflicti; fuit directè, & immediatè cauſa privationis vitæ ſuæ, ac proinde mortis. Et quod in ea acceptione loquatur ibi S. Thomas, patet vel ex eo, quod alioqui confunderet ſuam ſententiam cum ſecunda ſupra expugnata, quam deſerit. Nec rursùs difficultatem ingerit, quòd adjunxerit, naturam Chriſti Domini dum ipſe voluit, ceſſiſſe nocumento illato, cui nequaquam cederet, ſi cauſa directa mortis, & immediata ex ſuppoſitionibus dictis foret; quia ceſſiſſet vita ſuſ-

ſpen-

ſpenſioni actionis divinitùs conſervantis, abſque diſpoſitione naturali, nexum animæ, & corporis. Quandoquidem utrique revera ceſſit: nocumento in ordine naturali: ſuſpenſioni in ordine miraculoſo. Si autem curiosè inveſtigare velis, cui præcipuè ceſſerit, dicam incunctanter; quòd ſi loquamur ex ſuppoſitione; ceſſit per ſe primò ſuſpenſioni (quin & adæquatè) miraculi. Tum quia miraculum ejuſque ſuſpeuſio præſupponebat eſſentialiter excluſas jam à nocumento illato diſpoſitiones naturales, & carentiam actionis natùraliter conſervativæ unionis (cum illa ſuſpendi debeat ab Agente uaturali, dum adeſt ultima diſpoſtio ad formam contrariam); ſubintraratque propterea in ejus locum conſervatio miraculoſa. Adeoque ex ſuppoſitione ceſſit vita ſuſpenſioni hujus miraculi immediatè, & non læſivo mortali.

Tum quia, ſi teneretur ad illam actionem conſervandam, & per illam ad conſervationem uniouis, foret ſui homicida, ſi deſiſteret, ut ſupra diximus. Undè in hoc ſenſu quamoptimè dici poſset ceſſiſse unicè immediatè ſuſpenſioni, & non tantùm principalitèr. Et in eodem ſine dubio dixit Sanctus Thomas in cap. 10. Joann. *Intulerunt quantùm in eis fuit*: quaſi non intuliſsent effectu ab eis ſubſecuto. Et in ea acceptione, & ordine fuit adæquatè ſacrificans ſeipſum. Si verò conſideretur ſimplicitèr, eadem mors & in ordine naturali fuit à Judæis illata, ceſſitque ſub ea ratione vita ſimplicitèr nocumento illato; tametſi illi non ſacrificium, ſed ſacrilegium fecerint. Quod manifeſtè convincitur ex eo, quod licèt deficeret, vel nunquam extitiſset, actio miraculoſa, ſi tamen perſiſteret naturalis, vel rediret, quia redirent ſimul diſpoſitiones ſufficientes, nequaquam diſſolveretur nodus ille connectens animam cum corpore; ſed perſiſteret naturalitèr: uti & è converſo deſiciente actione naturali conſervativa illius ad exigentiam nocumenti læthalis, non protereà unio, aut vita defecit, quia ſuſtineri valuit per actionem miraculoſam. Utrique igitur reipſa ceſſit ſub diverſa conſideratione, & ordine, & cuilibet ex eis cauſis ceſſiſse propriè dicitur. Utrumque ſenſum complecti videtur S. Thomas opuſc. 60. ubi poſtquam docuerat, habuiſse Chriſtum Dominum liberam poteſtatem in vitam, necemque ſui corporis, firmaratque ex D. Bernardo, ſubdit: *Non tamen dicendum, quòd Judæi non occiderunt Chriſtum. Ille enim dicitur aliquem occidere, qui cauſam mortis inducit, non enim mors ſequitur, niſi cauſa mortis naturam vincat, quæ vitam conſervat. Erat autem in poteſtate Chriſti, ut natura eidem corruptioni cederet, vel reſiſteret, quantum ipſe vellet, ideò ipſe Chriſtus voluntariè mortuus eſt, & tamen Judæi ipſum occiderunt &c.* Ceſſit igitur utrique eo ſolùm diſcrimine, quòd nocumento à Judęis illato præſuppoſito, ſive ſuppoſitioni ipſi ceſſit ſimplicitèr; ſuſpenſioni miraculi, ex ſuppoſitione tantùm. Et ideò ex ea ſuppoſitione fuit verè, & propriè ſacrificans; quin per illam impediretur, quia vitam phyſicè abſtulit Victimæ; non fuit attamen verus homicida ſui, quia per eamdem ſuppoſitionem impediebatur hæc denominatio. Judæi nodum illum vitæ vi, ferroque tantùm ruperunt: Chriſtus Domiuus autem artificio & amore diſſolvit.

§. II.

Num. 91. QUA'M expreſsè, quàm facundè, quamque ingenioſè Eccleſiæ Patres aſſertionem noſtram præcipuam juxta primum modum exponendi ipſam, docuerint, liquidum fiet nonnullis eorumdem teſtimoniis in medium productis, uti & ſacræ paginæ. Namque illud Iſajæ 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*. Et illa verba Joann. 10. *Ego pono animam meam, ut iterùm ſumam. Nemo tollit eam à me, ſed ego ponam à meipſo: & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtotem habeo iterùm ſumendi. Hoc mandatum accepi à Patre*: Et Joan. 17. *Ego pro eis ſanctifico meipſum*; ideſt ſacrifico, ut vertunt frequentèr Patres ex energia, uſuque proprio vocis. Et Jeremiæ 12. *Dedi dilectam animam meam* (vitam) *in manibus inimicorum meorum*. Et ſanè, ſi ita vitam poſuiſſet, ſicut illàm reſumpſit, cum aliundè notum ſit in doctrina D. Thomæ, illius animam, vel ſimul cum corpore, vel ſe ſola efficientèr inſtrumentalitèr concurriſſe ad reunionem, à fortiori ſequeretur, aut argueretur exindè, Chriſtum Dominum fuiſſe ex præfatis ſuppoſitionibus cauſam directam ſuæ mortis. Ea ſolùm differentia, quòd ad reſurgendum ſimplicitèr deſideretur concurſus illius poſitivus externus; cum unio producenda poſitiva, & effectus externus ſit; ad mortem verò, licèt requiratur actus poſitivus internus imperaus ſuſpenſionem concurſus conſervativi unionis; ad extra tamen ſufficit ſuſpenſio ipſius concurſus poſitivi in illam, eo quòd effectus producendus privativus ſit.

Deindè quamvis in illo; *Nemo tollit eam à me*, accipere valeant hunc ſenſum verba: *à me invito*; quia illa ex ſe important duntaxàt actionem alterius agentis, & paſſionem ex parte Chriſti Domini: cæterùm illa: *Ego pono animam meam, & ego ponam à meipſo*, cum indicent actionem ponentis animam, cauſalitatemque activam illius, ægerrimè exponuntur per ſolam voluntariam permiſſionem, qua ſinat, eam tolli à perſecutoribus, Chriſto Domino permittente; alioqui re ipſa perindè foret, ac dicere, idem ſignificare, & eſſe, pati, & agere. Et aliundè juxtà reliquas ſententias expugnatas, nihil efficit, aut ponit activè, cauſativum mortis ſuæ, ſolùmque dicitur cauſa indirecta, quatenùs permittit non impediens, aut removens, cum poſſet (uti per miracula, apud ſententiam nuper rejectam

im-

impedivit aliquandiù deſtructionem ultimam diſpoſitionum). Juxtà noſtram verò phyſicè ex imperio voluntatis ſuſpendit concurſum poſitivum, conſervantem effectivè ſe ſolo unionem ſubſtantialem, tranſitque à termino poſitivo, à quo, ad privativum; adeòque eſt vera cauſa privationis vitæ in eis circumſtantiis, & ex ſuppoſitione ultimæ diſpoſitionis contrariæ jam introductæ, nocumentique jamdiù exigentis deſtructionem unionis, & conſequentèr ex ſuppoſitione præcedentis defectus actionis naturalis, quæ neceſſariò naturalitèr ceſſat ad exigentiam ultimæ diſpoſitionis contrariæ; cum in ejus locum ſubintraſſet actio ipſa miraculoſa, quæ ſuſpenditur, dum fit ſacrificium; & quidèm cauſa phyſica removens terminum, à quo poſitivum, & inducens terminum ad quem privativum vitæ. Quemadmodum Deus conſervans animam rationalem, exempli cauſa, effectivè per actionem creativam; per ſolam ſuſpenſionem poſitivè imperatam conſervationis, carentiam illius induceret, ut vera cauſa anihilationis, ut docet Sanctus Thomas 1. p. q. 104. art. 1. Cum enim domus jamjàm alto à culmine corruens natutalitèr [ablata actione naturali conſervativa unionis ad exigentiam nocumenti] miraculo innixa tantùm ſuſtentaretur, illo ſublato labitur ſtatim, lapſu immediatè cauſato in eis circumſtantiis, ex ſuppoſitioneque, ab eo, qui miraculum abſtulit. Eodem prorsùs modo, ac ab illo ut cauſa directa vita conſervabatur miraculosè; cum ſine illo, ex ea ſuppoſitione, exiſtere non poſſet: *Alio modo*, ait D. Thomas ibi corpore: *dicitur aliquid rem aliquam conſervare per ſe directè, quando ſcilicèt illud, quod conſervatur dependet à conſervante, ut ſine eo eſſe non poſſit*. Dum igitur actio miraculoſa perſiſtit, principium actionis, eſt vera cauſa, & unica ex ſuppoſitione vitæ: ergò dum ex imperio voluntatis illa ſuſpenditur, & carentia vitæ illicò inducitur, principium ſuſpendens actionem verè removet vitam, & eſt vera cauſa carentiæ vitæ. Et quemadmodùm Sacerdos in lege vetere, qui poſitiva actione ſua inſtrumentaria divinitùs ſuſtentaret pro libito vitam animalis cujuſpiam; illud verè, & propriè ſacrificaret, per ſolam ſuſpenſionem actionis conſervativæ (ſi aliundè ſupponatur, quodcunque mortis genus eſſe ſufficiens ad aliquam ſpeciem ſacrificii ſtricti); non minùs quàm per actionem poſitivam, qua victimam aliam occideret. Allideret enim victimam in rupem ſaxo duriorem, dum per ſuſpenſionem conſervationis in carentiam vitæ corpus allideretur.

Num. 92. Inſuper nudam permiſſionem non efficere auctorem effectus permiſſi permittentem ipſum, etſi poſſit effectum impedire poſitivè, dum aliunde non teneatur, conſtat ex Trident. ſeſs. 6. Can. 6.: *Siquis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera, itaut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe .... Anathema ſit*: Quòd vero in re noſtra Chriſtus Dominus afficiatur impenſiſſimè erga mortem; ſecus autem Deus erga impietatem, quam execratur; nullo pacto efficit, quòd, dum permiſsivè tantùm ſe habet erga mortem, illam non removens, licet poſset, ſit cauſa directa, & immediata mortis, ut probat Div. Thom. ea quæſt. 47. art 1.. Hic eſſe poteſt ſenſus, in quo S. Athanaſius (vel quiſquis ſub ejus nomine inducitur ſcribens ad Antiochum qu. 76.) dixit: *impletis, quæ pati debuit, ſola mors reſtabat adhuc, atque hæc quidem ſibi metuens approquinquare non audebat, ideo Chriſtus inclinato capite vocavit ipſam: antequam enim inclinaret caput, propriùs accedere verebatur*. Profecto dum deſcribit pavidam mortem, quam omnes pavent, ſupponit, illam expertam fuiſse repulſam, inveniſſeque Divina virtute inſuperabilem ingreſſum, & aſſultum inexpugnabilemque arcem illam munitiſsimam; alioqui non eſſet cur depingeretur (adhuc per exagerationem quamaltiſsimam) territa, cunctabunda, tremulaque. Licet enim id ipſum per metaphoram, aut figuratam locutionem ſcitè diceretur, juxta ſententiam agnoſcentem miraculoſam conſervationem, non jam immediatè ſolius unionis, ſed diſpoſitionum naturalium, ingenitique ætati, & corpori vigoris; attamen per illam non verificaretur, Chriſtum Dominum fuiſse vero aliquo modo cauſam directam, & immediatam ſuæ mortis adhuc ex ſuppoſitione. Et Athanaſius inducit mortem accitam à Chriſto Domino inclinatione capitis. Cæteri ſuſpenſi, aut ex alto pendentes, priùs moriuntur, & deinde caput vita jam deſtitutum inclinant nativo pondere, quod deorſum fertur. Chriſtus Dominus verò (ut notarunt S. Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. 76. Theophil. & alii) prius caput inclinare voluit, & mox animam exhalare, ut tanquam necis Dominus à ſeipſo expiraret.

Non abſimiliter S. Cyprianus lib. de Idolnr. vanit. dixit: *Crucifixus prævento carnificum officio, ſpiritum ſponte dimiſit*: quæ verba licèt præventionem tantùm fractionis crurium reſpiciant; ea tamen occaſione, illum activè ex ſe Spiritum emiſiſſe confirmant. Non quia miraculoſa actione mortem ſibi intulerit, antequam vulnera mortem naturalem perficerent, omnemque naturæ munitionem demolirentur, ut voluere Patroni ſententiæ primo loco memoratæ; ſed quia minimè potuere Carnifices mortem introducere, donec Chriſtus Dominus ipſe miraculosè priùs nexum animæ cum corpore conſervans, ſponte ſua actionem illam miraculoſam ſuſpenderet, ut ſic unio illa, atque adeo vita, cederet tandem ſuſpenſioni præfatæ, & ex conſequenti modo ſupradicto, naturaliterque nocumento illato, & carentiæ actionis naturaliter conſervativæ, cui priùs non ceſſerat, quia per actionem

Digitized by Google

nem miraculoſam ſuppletus fuit ejus defectus. In eumdem ſcopum collimaſſe putamus S. Anſelmum 1. Corint. 11. ajentem: *Et fregit panem, ut oſtenderet corporis ſui fractionem, ideſt paſſionem, non abſque ſua ſponte, & procuratione venturam, ſed ſe facturum eam*. Efficere autem, & procurare mortem ſuam uon aliter intelligi commodè, & decenter poteſt, quàm juxta ſententiam noſtram; cum nec efficientia, & procuratio habeantur per nudam permiſſionem, ut prima opinio vult; nec directe, & immediate per meram ſuſpenſionem miraculoſæ conſervationis diſpoſitionum tertiæ opinionis; cum, juxta illam, præfata ſuſpenſio neutiquam efficiat Chriſtum Dominum cauſam per ſe, & directam privationis vitæ. Poſſet ſanè ipſum efficere martyrem inclytum, & omnibus præſtantiorem, non tamen verè, & ſtrictè ſeipſum ſacrificantem.

Num. 93. Clariùs adhùc, & vividiùs expreſſit hoc ipſum Euſebius lib. 4. demonſtr. Evangelic. dicens: *Cum altiùs vocem emiſiſſet, ſolutus à corpore obiit, neutiquam expectans, dum mors ad ipſum accederet, ſed illam cunctantem, & veluti ceſſantem, ac potiùs conjicientem ſe in pedes, & fugitantem, ipſe à tergo ſequitur*. Si nanque mors non ſupponeret prius immiſſas ultimas diſpoſitiones ad ſui introductionem, quibus ultimum fatalem inſultum tentaret ad corpus occupandum, paſſaque fuiſſet repulſam divina virtute factam, falsò, & impropriè, etiam per metaphoram Poeticam depingeretur perſonata illius fuga, cum nondum victa foret, nec fractas vires ſuas ſenſiſſet: ultima namque diſpoſitio ad mortem eſt ultimum illius telum, ultimaque invaſio, alibi ſemper ſuocta, & victrix. Nec enim rectè diceretur, conſervatas fuiſſe diſpoſitiones vitæ miraculosè unà cum ultima diſpoſitione ad mortem; tum quia ultima diſpoſitio conſtituitur etiam ex carentia contrariæ diſpoſitionis: tum quia ultra miraculum conſervandi illas in ſenſu compoſito harum, ſemper opus eſſet novo miraculo ad hoc ut Chriſtus Dominus operaretur; cum vigor ille divinitus conſervatus impediretur naturaliter in operatione à contrariis diſpoſitionibus: tum quia hoc eſt contra mentem plurium præfatæ opioionis Theologorum, quæ judicat, vigorem conſervari divinitùs impediendo introductionem ultimarum diſpoſitionum ad mortem; quippe quæ nequeunt introduci naturaliter, niſi prævaleant. Non foretque minùs miraculum, conſervare ultimas diſpoſitiones ad mortem, cum ultimis diſpoſitionibus ad formam vitalem, quàm vitam ſine illis.

Si inde inferas, conſervationem illam vigoris non fieri juxta hanc ſententiam per actionem miraculoſam conſervantem illum: ſed removentem introductionem contrariarum: quoniam fruſtra deſideratur actio miraculoſa conſervans diſpoſitiones ad vitam, ubi oon iutroducitur diſpoſitio oppoſita illam deſtruens. Acquieſcam facilè; cæterum majori adhùc impetu irruam, cum inde ſequatur, non aliter concurriſſe ad vitam conſervandam medio vigore, quàm removendo prohibens, quod genus cauſæ eſt improprium, & veluti per accidens. Ergo à fortiori dum ſuſpendit illud miraculum, non eſt vera cauſa mortis ſuæ, ob parem rationem. Si verò vigor ille fuiſſet conſervatus in conſpectu diſpoſitionum adverſarum; tunc opus fuiſſet actione conſervativa miraculosè ipſius vigoris, quia ceſſit naturalis ad exigentiam diſpoſitionum introductarum. Fugiebat itaque mors in locutione metaphorica Euſebii; quoniam irrita viderat omnia tela ſua, & incaſſum emiſſa; & quidem uon more Parthorum: *Mittentes poſt terga ſagittas*: cum jam ultimas diſpoſitiones emiſiſſet, vi quarum ſuſpenſa fuit actio naturalis conſervativa unionis, jamque exarmata erat in ordine ad vitam illam, & pugnam (nihil enim ulterius efficere valet, cum jam tunc indefectibiliter obtineat effectum, ni divina virtute conſervetur unio); ſed veram capeſſentem fugam, quia, & eminus ſagitta, & cominus gladio experta fuerat illam inviocibilem: unde ſingit, clamore illam à fuga revocante opus fuiſſe, quem audivit, tametſi ſurda nobis alioqui deſcribatur, ne venire deſinat.

Deinde ſi ipſe non concurreret in mortem directè (ex pręfatis ſuppoſitionibus tantùm), minùs verè, & importunè repræſentaretur inſequens fugientem, uti concinit etiam ſedulius: lib. 5. dum necem ipſam ſic alloquitur: *Non tu pervenis ad Chriſtum; ſed Chriſtus pervenit ad te cui licuit ſine morte mori*. Sine morte quidem invadente, & ovante, ſed invita potiùs, & devicta. Id ipſum proculdubio ſupponere videntur teſtimonia S. Hyerom. Ambroſ. Crhyſoſt. Auguſtini, & aliorum Patrum, ab Scholaſticis paſſim adducta, & illud S. Petri Chryſologi ſerm. 37. de Jonæ Prophetæ ſigno: *Mors in interemtis arbitrio collocatur, quia & moriturum retardare poteſt ad mortem voluntas, & periclitantis mora periculum prævenire. Sic hic ubi totum Domini geritur in figuram, expectatur morientis auctoritas, ut mori, non ſit neceſſitas, ſed poteſtas. Audi Dominum dicentem, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, nemo tollit eam à me. Quomodo? Quia Chriſtus etſi emiſit ſpiritum, non amiſit, quia, qui omnium in ſua manu recipit, & tenet animas, ipſe animam ſuam quemadmodum poſſit perdere non videtur*: Vitam ergo (quæ per animam ibi intelligitur) non tam vehementia, & acerbitate dolorum, quaſi arreptam à cruciatibus, amiſit, aut perdidit, quàm ex imperio proprio demiſſam à ſemetipſo abſtulit, dum libuit, quin ideo reus fuerit ſuæ mortis.

Num. 94. Ratione fulcitur aſſertio, quoniam mactatio victimæ, aut viventis hoſtię, verè facta à Sacerdote, eſt prædicatum eſ-

ſentiale ſacrificio, ut Adverſarii nobiſcum propugnant, in præſentiarumque omnes præſupponunt. Sed mactatio victimæ in Cruce, juxta ſententias alias, nullatenus eſſet verè, & propriè facta, ſive cauſata ab ipſo Chriſto Domino, ſed tantum indirectè, remotè, immo, & indirectè ſolùm volita, quatenus liberè non impedita (quin & ſi directè volita, ut certum videtur; non tamen directè cauſata). Ergo ſacrificium Crucis fuiſſet tantùm indirectè, & impropriè confectum à ſummo Sacerdote (adeoque non fuiſſet verum ſacrificium, quia nullus alius fuit in illo Sacerdos). Conſequentia patet: quoniam mactatio victimæ eſt ipſa formalis actio ſacrificativa, aut ſacrificatio ipſa: eo igitur modo ſacrificat, quo induceit mactationem, vel mactat; ſubindeque ſi mactat ſolùm indirectè, remotè, & latè, latè, ſolùm, remotè, & indirectè ſacrificat, adeoque non fuiſſet verum Sacerdotium); pariter ſolùm indirectè, impropriè, & veluti per accidens exercuiſſet in Cruce munus Sacerdotis.

Nunquam autem mihi perſuaſum fieri ſatis potuit, ſacrificium perfectiſſimum, ſummumque Crucis multitudine ſacrificiorum propriè, & ſtrictè talium, præfiguratum, quod erat ſumma rerum, ad quas perficiendas venerat; in ſublimiorem Dei cultum, Humanique generis liberationem inſtitutum, peragendum fore à ſummo Sacerdote Chriſto Domino (ut ſupra arguebam) per concurſum purè indirectum, removens ſolum, & quaſi accidentarium. Quòd verò cauſa indirectè ſolùm, & modo dicto influens, ſit tantum cauſa per accidens, & quidem non ſolum in acceptione phyſica, ſed in morali etiam, ubi non tenetur ad effectum, quem permittit, impediendum, ſed potius ad oppoſitum (ſicuti in re noſtra, ut ſapienter notat Doctor Eximius 3. part. qu. 46. art. 1. in commentario articuli); docuit S. Thomas ea qu. 104. art. 1. corpore: de cauſa conſervativa differens: *Aliquid conſervatur ab alio dupliciter. Uno modo indirectè, & per accidens, ſicut ille dicitur conſervare, qui removet corrumpens: puta ſi aliquis puerum cuſtodiat, ne cadat in ignem, dicitur eum conſervare*. Neque ſatis eſt adſtruere in ipſo directam voluntatem mortis obeundæ: ſiquidem in primis volitio illa, vel fuiſſet pura complacentia in morte à perſecutoribus illata, & à ſe non impedita, ut contendit Subtilis Doctor in 3. diſt. 16. qu. 2., & adhuc ea volitione permiſſa, cum nulla ex ipſa cauſalitas reſultaret, directè reſpiciens mortem, illamque in vero aliquo ſenſu realiter inducens; efficeret quidem Chriſtum Dominum volentem affectivè cædem ſuam, volentemque ardentiſſimè ſui cruentum ſacrificium; neutiquam verò volentem ſacrificare. Et ſane nec phyſicè, quia non cauſaret ſuæ vitæ privationem, niſi ad ſummum indirectè, ut loquitur D. Thom.; nec moraliter, cum nudè permittens, & non impediens, licet poſſet, dum non teneretur impedire, nulla vera ratione ſit cauſa moralis, cui imputetur effectus, quantumvis per eam non impeditionem liberam promereri valeat, ut ſupra oſtendimus.

Præterea munus ſacrificandi eſſe per ſe phyſicum, ut verùm ſacrificium conſtituat, liquet ex veterum ſacrificiis, quæ omnia phyſicè manu Sacerdotis fieri debuiſſe, notant Interpretes in cap. 1. Levit. figurabantque ſacrificium Crucis à ſummo Sacerdote peragendum. Et quamquam Sacerdotes immolantes victimas alias non efficiant immediate phyſicè mortem ipſam; cauſant tamen phyſicè illius cauſam immediatam, vulnera ſcilicet, ex mortis intentione: vel applicant eo fine, ut dum in Holocauſto Sacerdos ignem applicaret, comburentem Hoſtiam ea applicatione. (Et in eo ſenſu dixere nonnulli ſufficere cauſalitatem moralem ad ſacrificandum). Quinimmò licet permittatur, fieri potuiſſe ſacrificium aliena phyſicè manu; ſemper attamen interveniret juſſio Sacerdotis: Chriſtus autem Dominus jubere non potuit Judæis, ut ipſum occiderent, ſed permiſit nude: ſubindeque nec ſtricta cauſa moralis eſſe potuiſſet. Vel foret ſolùm volitio terminata ad non impediendam mortem; & ſic fuiſſet tantùm mors indirectè volita, & indirectè ſolùm per ſuſpenſionem conſervationis virium cauſata; quod eſt formaliter idem, ac nullum verum influxum habere in victimæ mortem, ſed improprium; proindeque latè ſolùm ſacrificium ſui confeciſſe, & Sacerdotis ſummi munere functum eſſe in Cruce; eum reipſa vitam ſuam immolaſſet brachio prodigiosè robuſtiſſimo, tametſi moribundo.

Num. 95. Confirmatur: quoniam per ſe notum apparet (ut non ſemel advertimus), perfectius longè futurum ſacrificium, ſi Chriſtus Dominus eſſet per ſe directè ſacrificans (cum hoc aliunde conciliari valeat cum eo, quod ſui homicida nequaquam ſit, ut oſtendimus in ſuperioribus), quàm ſi tantùm indirectè ſe habeat ad illud. Siquidem tanto ſtrictiùs, veriùſque exerceret munus ſummi Sacerdotis in eo ſacrificiorum omnium maximo, quanto proprius, & immediatius fuerit cauſa ſacrificii: exinde autem rurſus ſequitur, eo perfectiorem futuram ſacrificationem, altiuſque, & excellentius ſacrificium ipſum. Neque improbandum eſt, quòd pro ſacrificio perfectiſſimo omnium excogitabilium, cujuſmodi fuit Crucis ſacrificium, excogitetur concurſus in illum perfectior omnibus, & Sacerdos concurrens omnium maximus, ſummuſque. Hanc doctrinam haurio ex Divo Thoma ad Annibaldum in quartum diſt. 8. qu. unica art. 4. ad ſeptimum: ubi arguenti, non debere adjungi in conſecratione Calicis verba ulla. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, tamquam eſſentialia formæ. Quemadmodum non adduntur in conſecratione Hoſtiæ, ut conſtitutiva formæ corporis illa. *Quod pro vobis tradetur*. Reſpon-

ſpondetur. *Dicendum, quòd non eſt ſimile, quia effuſio ſanguinis dicet cauſam immediatam mortis. Non ſic autem corporis traditio.* En inſigne teſtimonium, unà firmans ſactum ratiocinium; & evincens Doct. Angelicum præluxiſſe aſſerto noſtro. Confirmatur ſecundo: ex eo quod SS. Patres ubique extollaut (ex ſacra pagina id deducentes) voluntariam, liberrimamque poteſtatem Chriſti Domini in Sacrificio Crucis perficiendo, vitaque effundenda; quod ideo fuiſſe dicunt, ſacrificium ſimpliciter voluntarium, & ſimpliciter à ſummo Sacerdote confectum. Conſule Doctorem Maximum in illud Iſajæ 53. *oblatus eſt, quia ipſe voluit*: Chryſoſt. hom. 28. in Epiſt. ad Hæbr. Auguſt. tractat. 110. in Joan. & lib. 4. de Trinit. cap. 13. S. Cypr. ſerm. de Paſſione, Theophilactum in cap. 14. Joannis, Euthym. in cap. 10. Joan., Anſelmum ubi ſupra, & in opuſc. de Meditat. Redemp. generis Humani, cap. 3. & 4. & libro *Cur Deus Homo* cap. 10.

Inſuper & tertiò: ſacrificare, eſt rem ſacram facere, vel ſenſibiliter per ſe ipſam, vel factam ſenſibilem per aliam (ſit autem ſenſibilis illa ſacrificatio interna per miracula, quæ ex Cruce patravit, quibus oſteudit, ſe potuiſſe arcere à ſe mortem, & noluiſſe, ſeque illam aliquandiù miraculosè conſervaſſe, & dein voluntariè ſuſpendiſſe concurſum. Uti ſentiendum omnibus eſt quocunque modo explicetur actus ille). Ecquam autem rem ſacram efficeret in ara Crucis, ſi verè non efficeret, aut cauſaret directè, & proprié (in acceptione aliqua vera) ſuam mortem, ſacrificatione facta ſenſibili, tum per nuper dicta, tum præcedenter per paſſionem, & tandem per mortem ipſam extrinſecè viſibilem? Pati namque ab aliis, non eſt rem ſacram formaliter agere, ſed pati actionem ſacrilegam; in quo differt hoc ſacrificium ab incruento, quia in illo actio ſola Miniſtri, utpotè Sancta, & Religioſa conſtituit eſſentialiter ſacrificium in ratione ſenſibilis, eum peragatur occultè ſub ſpeciebus alienis. Et licet ſacrificium Crucis ſitum ſit in pati; cæterum id neutiquam ſignificat, illud peragi potuiſſe abſque actione, ſeu concurſu activo ſacrificante; cum hoc ſit prædicatum eſſentiale omni veræ ſacrificationi (ut ſic præcaveatur objectio alia, aut ſolutio), ſed denotat ſacrificium, in quo victima eſt Sacerdos ipſe, importare eſſentialiter actum internum patientis, permittentem libere actionem externam aliorum: & inſuper à ſeipſo ex ſuppoſitione nocumenti læthalis ab hoſtibus illati, vitam vero aliquo modo eripientem, quam in ſua poteſtate habebat; itaut vi illius actus imperantis tranſeat à vita poſitiva ad privationem vitæ, quamque divina virtute ſibi conceſſa prolibito conſervabat; alioqui jam ceſſuram vulneribus inflictis: eum ſacrificium ſitum purè in agere non petat actum internum, quo conſtituatur intrinſecè; etiamſi poſtulet præſuppoſitive actum intentionis.

Unde qui reſpondere velit per diſtinctionem ſacrificii conſiſtentis in purè *pati*, à ſacrificio ſito in nudè *agere*; petit ex parte principium, quia tam repugnat ſacrificium verum, in quo Sacerdos nihil agat in victimam, quàm verus homo, quin animal rationale ſit. Quare cum patiens nequeat agere extrinſecè in ſeipſum, inferendo ſibi manus; actus ille internus debet eſſe talis naturæ, & virtutis, ut extrinſecam vitæ privationem in vero aliquo ſenſu cauſet. Et qui non habuerit ejuſmodi poteſtatem, uſuſque fuerit illa, eſſe poteſt martyr, numquam tamen ſtrictè ſacrificans ſeipſum. Quarto: juxta communem ſententiam, Divi Thomæ attributam, ultra permiſſionem liberam non impeditivam, cum licuiſſet Chriſto Domino illam amovere, requiritur aliquid ulterius ad hoc ut ſeipſum verè immolarit in Cruce; vel quòd vigorem divinitùs conſervaret, conſervatis diſpoſitionibus vitæ; vel quòd illis deperditis, conſervaſſet miraculosè ſolam unionem animæ cum corpore. At primum illud videtur parùm credibile; cum vigorem ipſum liquidatum unà cum ſanguine, & aliis humoribus, fluitantemque vidiſſent oculi circumſtantes, & noverimus oculis fidei omnes, & cum illius jacturam teſtaretur extenuatio corporis, miſerandaque rerum ſacies, quam lacrymabili voce Prophetæ annuntiarunt. Rurſus ſuſpenſa actione conſervante vigorem, vel removente introductionem diſpoſitionum ad mortem, ceſſiſſet illico vigor, ſubintrarentque diſpoſitiones contrariæ, quibus cederet vita, & non ſuſpenſioni miraculi conſervantis vigorem; quia reſpectu privationis vitæ ſuſpenſio illa miraculi foret tantùm removens prohibens; etiamſi reſpectu privationis vigoris eſſet cauſa vera (ſi illum poſitivè miraculosè conſervaret, & non purè removeret oppoſitas diſpoſitiones). Sentiendum ergo, miraculum per ſe directè reſpexiſſe vinculum unionis inter animam, & corpus; ut ſic per ſuſpenſionem miraculi cedat vita immediate ſuſpenſioni illi, præſuppoſita jam ſuſpenſione actionis vinculum illud naturaliter conſervantis, quæ obtinere non potuit privationem vitæ; præſertim ubi liberè Chriſtus Dominus & ex intentione per ſe primò ſacrificandi vitam, prędictam actionem ſuſpenderit. Amabat enim impenſiſſimè mortem ſuam, non jam quà illatam à perſecutoribus, ſed ex illa ſuppoſitione (quam vitare noluit), tanquam ſpouſam dilectiſſimam, vita propria chariorem, illam dicebat horam ſuam, & æternitatem noſtram.

Num. *96*. Adeo autem neceſſarium credimus hunc concurſum activum (ex ſuppoſitionibus explicatis) in mortem ſuam, ut ſi vita, ſive unio animæ eum corpore ceſſura non foret ſuſpenſioni miraculoſæ actionis conſervantis illam, ſed nocumento illato, non foretque proinde vera cauſa illius in ſenſu declarato Chriſtus Dominus (quod

falſiſſimum eſſe conſtat ſatis ſuperque ex dictis) dicendum potiùs eſſet, per nocumentum illatum, ultimamque diſpoſitionem naturalem ad mortem, non ſolùm ceſſiſſe illis actionem naturalem conſervativam unionis, ſubintraſſeque miraculoſam aliam; ſed ceſſiſſe pariter unionem illam undique naturalem, & ejus loco per actionem miraculoſam productam fuiſſe in eodem inſtanti aliam unionem ſupernaturalem quo ad modum; itaut quo ad ſubſtantiam ſemper foret vita naturalis: ut illa, dum ſuſpenderetur actio illius conſervativa, cederet indubitanter Imperio ſuſpendenti præfatam actionem, non verò nocumento mortifero; quippe quod nullas habebat vires ſufficientes ad eam unionem ſupernaturalem quo ad modum pellendam, ut planum eſt. Immo nec jam nocumentum illud haberet aliud aliquid quod efficeret, cum diſſolviſſet nexum connaturalem animæ cum corpore; niſi ad ſummum exigere introductionem formæ cadavericæ ab agente alio immittendam; cujus introductio minime requiritur ad privationem vitæ (ſi in poſitivo aliquo illa conſiſtat): quia etſi divinitus exiſteret corpus ſine forma cadaverica poſt animæ ſeparationem, eſſet ſimpliciter mortuum, prout ſonat idem, ac vita deſtitutum; quamvis prout cadaver eſt, illam includeret, juxta vulgatem uſurpationem hujus vocis.

Sed dices: actio illa miraculoſa conſervativa unionis eſt materialis externa. ergo illius ſuſpenſio, aut privatio, ex qua oritur privatio unionis, erit pariter externa, conſequenterque illa erit actio negativa ſacrificans, & nullatenus actus internus offerens, & imperans ſuſpenſionem, uti hactenus diximus. Reſpondeo: actionem illam, dum exiſtit, eſſe veram cauſalitatem activam exiſtentiæ unionis; dum verò ſuſpenditur, ejus privatio nequit eſſe vera cauſalitas privationis unionis; non ſolùm ex communi ratione, & philoſophia; quòd carentia nihil verè cauſare, aut efficere valet (tametſi inferatur una ex alia): verùm, quia licet illa ſupponeret jam defectum actionis naturalis, & ex hac parte inferre potuiſſet privationem unionis ejus ſuſpenſio ex illa ſuppoſitione; cæterum potuit Chriſtus Dominus ſuſpendere illam actionem, & loco illius aliam itidem miraculoſam elicere, qua conſervaretur eadem unio. Privatio ergo, aut ſuſpenſio illius actionis externæ nequit eſſe cauſalitas vera privationis unionis; ſed nolitio Chriſti Domini illam ſuſpendens, nolenſque diutiùs unionem, aut vitam conſervare nec per illam, nec per aliam actionem miraculoſam; atque adeo in genere cauſæ efficientis nolitio illa ſive imperium excludit unionem, & introducit ejus, vitæque, privationem (licet in genere cauſæ formalis, aut quaſi formalis poſſet excludi à forma cadaveris): & quamvis reſpiciat ſuſpenſionem actionis conſervativæ, cum tamen illa eſſet tantùm via ad terminum; eam ſolùm reſpicit ut quo, & privationem unionis, ſeu vitæ ut quod; non ut quo agit, cum non ſit cauſalitas exercitè, ſed ut quo reſpectus, & ſignatè. Rurſus, ſuſpenſio pura, ſi volita poſitivè, (ex hypotheſi), & ex intentione non fuiſſet, non efficeret Chriſtum Dominum veram, perfectamque cauſam privationis vitæ ſuæ, eſſetque potiùs ceſſare à conſervatione, & à cauſando, quàm directè cauſare.

Dices ſecundò: erit igitur verus ſui homicida, cum ſit vera cauſa mortis ſuæ. Verùm ex ſupradictis illatio fallit, ſi nomen homicidæ uſurpetur ſecundum vulgarem acceptionem, quam denotat, & quæ horrorem incutit. Quoniam homicidium ſtrictè acceptum importat eſſentialiter ablationem violentam vitæ, ut naturali actione conſervatæ, & connaturaliter debitæ, eam exigentibus naturali jure diſpoſitionibus præexiſtentibus. Siquidem dum illa tunc aufertur, fit injuria, injuſtitia, & violentia per ſe illi, à quo ipſa abripitur: & quamvis ille potuiſſet non eſſe invitus actu elicito, ſemper tamen foret contra appetitum innatum. Cæterum dum aufertur vita, miraculoſa tantùm actione in illis circumſtantiis, & indebitè conſervata, nullis jam exiſtentibus diſpoſitionibus, eam poſtulantibus, rapiturque ab eodem, qui illam non debitam pro nutu conſervat, nullam ipſi injuriam facit; quia nihil ipſi ullo jure debitum præripit (ab alio autem quam ab ipſo divinitùs conſervante rapi nequit, cum nequeat miraculoſam ejus conſervationem impedire); ſi autem id vellet, licet effectivè non poſſet obtinere finem, poſſet dici homicida affectivè; quia tametſi vivens illud nullum jus habeat reſpectu vitam liberè conſervantis, nec abſolutum, nec ex ſuppoſitione; reſpectu tamen alterius habet jus quæſitum ex ſuppoſitione conſervationis miraculoſæ. Ubi notandum, plus vitæ amiſiſſe Chriſtum Dominum, quàm morientes reliqui amittunt, cum & naturali adæquata, & ſupernaturali pariter adæquata actione conſervante (quamquam non ſimul) jacturam vitæ fecerit, verificaturque (ut ille dixit) excepiſſe vulnera, quæ *multa morte recepit*.

Num. 97. Opportunè adducendum hic teſtimonium Divi Thomæ ſupra delibatum quodlib. 1. art. 3. ubi ait: *Si anima in ſui poteſtate haberet, recedere à corpore, quando vellet, & iterum advenire, non majoris eſſet culpæ, ſi corpus deſereret, quam quod habitator deſeret Domum; culpa tamen eſt, quod inde expellatur invitus*. Quibus verbis differentiam à nobis inſinuatam nuper inter ipſum, qui poteſtatem habet conſervandi vitam ſuam (vel alienam) miraculosè pro nutu, iterumque illam reſumendi, & reliquos; qui ſimili poteſtate prædıti non ſunt, apertiſſimè oſtendit. Ex quibus deducitur, quàm ſtulta fuerit Cajanorum hæreſis, inter

ter alios errores affirmans : *Judam Iſcariotem eſſe laudandum , ac etiam colendum , eo quod Chriſtum prodiderit* . Quaſi eo tenderet proditione ſua, ut conſuleret ſaluti mundi, quæ ex interitu Chriſti Domini ortum ſuum habitura foret ; ipſe verò protinus reſumpturus eſſet vitam : (& quamquam hujus ſecundæ partis mentionem non fecerint Patres hæreſim illam profligantes ; poſſet attamen aliquis ex prima illa hanc inferre , veluti connexam per ſe cum prima in notitia , quam præſupponebant præfati hæretici in Juda de negotio Redemptionis Humanæ à Chriſto Domino conſumando) . De qua hæreſi conſulendus Epiphanius hæreſi 38. Tertullianus , Irenæus , Auguſtinus , Theodoretus , S. Hieron. reipſaque illa primas radices egit in Cerintho , ut notat Philiaſtrus in lib. de hæreſibus , & ex ipſo Eminent. Laurentius Cozza in lib. S. Auguſt. de hæreſ. par. 1. cap. 18.. Cum proditio Judę avaritiam , & infamiam ut Parentes proprios agnoverit ; non verò mundi ſalutem, de qua nec cogitavit , cum ille Matth. 27. confeſſus fuerit : *peccavi tradens ſanguinem Juſti* . Nec Chriſti Domini Reſurrectionem credidit , nec in vitam ejus naturalem jus ullum habere potuit ; (& multo minus in ipſam , qua miraculosè aliquandiù ſuſtinendam) .

Unde S. Aug. Tract. 7. in cap. 4. Epiſt. 1. Joannis ait : *Si Pater tradidit filium , & tradidit ſeipſum Filius , Judas quid fecit? Facta eſt traditio à Patre , facta eſt traditio à filio , facta eſt traditio à Juda , una res facta eſt . Sed quæ res diſcernit Patrem tradentem Filium , ſeipſum filium tradentem , & Judam Diſcipulum tradentem Magiſtrum ſuum? Quia hoc fecit Pater , & Filius in charitate ; facit autem hoc Judas in proditione .... Quantùm enim præſtitum eſt generi humano de tradito Chriſto Domino? Numquid hoc cogitavit Judas , ut traderet? Deus cogitavit ſalutem noſtram , qua redempti ſumus : Judas cogitavit pretium , quo vendidit Dominum* . Similiaque habet in Enarrat. Pſalm. 65. & Epiphan. hæreſi 38. §. 6. inquit : *Falſum eſt igitur quod iſti jactant , Judam ob eam , quam habebat ſcientiam Salvatorem prodidiſſe ... non enim ut ſalutem nobis afferret , Judas illum tradidit , ſed partim ignorantia , partim invidia , & avaritia ductus , quam cum Dei abnegatione conjunxerat* . Adjungendum , quòd cum Cajani negaverint futuram reſurrectionem carnis , non ſatis nobis conſtat , num & Chriſti Domini reſurrectionem inficiati pariter ſint , ex qua ſuppoſitione abſolvere non potuerunt Judam eo titulo à culpa , & credidiſſe illum digniſſimum immortali fama . Infælix homo , avaritiæ ludibrium , & vel inferorum ſcandalum . Neque ex doctrina hac ſequitur , mortem Chriſti non fuiſſe naturalem , eo quod vita ultimò , & Immediatè , & ex ſuppoſitione non cedebat nocumento illato . Quandoquidem illa ceſſit ſimpliciter vulneribus , & nocumento ex eiſdem nato , veriſſimumque ſit , amiſiſſe vitam naturalem etiam . Deinde ex ſuppoſitione nullatenus ceſſit miraculo , uti ceſſiſſet juxta primam opinionem , ſi actione miraculoſa præpropere occideretur ; ſed potiùs dedit manus carentiæ miraculi , quia miraculosè quo ad modum ſuſtinebatur. Cum vel apud contrariam ſententiam ceſſiſſe aliquatenus dicatur etiam ſuſpenſioni miraculi conſervantis vigorem : adeſt enim latiſſima via , & multiplex verificandi ejuſmodi locutiònes , earumdemque proprium ſignificatum , cum geminata fuerit etiam Chriſto Domino via ſemel moriendi .

Neque rurſus eſſe poteſt inconveniens , quòd virtute inſtrumentaria conſervet unionem ſuimet Corporis cum anima ; licet illam primò producere nequeat . Siquidem vel naturaliter quotidie producit homo per nutritionem novam unionem animæ ſuæ cum nova materia acquiſita ; quia præſupponitur ſufficienter præexiſtens ; tametſi noſic præſupponatur ad primam unionis productionem . Deinde intercedit ſufficiens diſtinctio realis inter cauſam etiam quà inſtrumentariam , & effectum ; quia fieri poteſt ea conſervatio à ſola anima , cum illa non ſit ſacrificatio ipſa , uti eſt imperium illam deinceps ſuſpendens . Tum præterea , quia licet fiat ſimul à Corpore , utrumque diſtinguitur realiter ab unione , quæ ad cauſandum oon præſupponitur , tanquam virtus. Multiplicique alia via , trita ſatis in Philoſophia eludi poſſit reflexio hæc , ſi opus foret. Ad modum , quo reunio in reſurrectione producta fuit , non tantùm ab anima , ſed unà à Corpore , juxta complures , (quamquam illam non producat ut homo , quia non ſupponitur præexiſtens qua talis) : ut ſic vel mortis confinia cum reſurrectione comparemus , ubi mors ipſa erat reſurgendi confinium .

Num. 98. Aſſurgat Philoſophus aliquis recuſans admittere defectum actionis naturalis conſervativæ unionis , adhuc ad præſentiam ultimæ diſpoſitionis ad mortem jam introducta , dum illa nequit introducere formam cadavericam : quia oatura per ſe primò non intendit privationem vitæ , aut formæ , ſed introductionem alterius , ex qua privatio formæ præexiſtentis ſequatur , tanquam effectus ſecundarius. Et aliunde formam illam introducere non poteſt , dum Chriſtus Dominus impedit illius ingreſſum miraculosè . Tum quia introductio formæ eſſe debet prior in genere cauſæ formalis expulſione præcedentis ; ut inde inferat , miraculum reſpicere neutiquam poſſe unionem immediatè ; cum illa ſuffulta ſit actione naturali conſervativa , donec adveniat forma cadaverica ; ſed in hac arcenda quatenus ultimam diſpoſitionem ad illam miraculosè impediat , conſervando divinitus oppoſitam. Poſſetque in hunc modum confirmare aſſumptum : cauſa per ſe privationis vitæ eſt veluti per ſe primò cauſa introductionis for-

mæ

mæ cadavericæ; cum non aliter privationem intendere valeat, niſi quatenus introductionem formæ oppoſitæ reſpiciat. Sed nuda ſuſpenſio actionis miraculoſæ, conſervantis unionem, non producit, nec per ſe intendit introductionem formæ cadavericæ; cum non ſit poſitivè producens, ſed à productione deſiſtens: ergo ſuſpenſio illa non eſt vera cauſa privationis vitæ. Ex quo ſit, formam cadavericam producendam fore ab ultima diſpoſitione ad mortem, vel ad ejus exigentiam à cauſa aliqua univerſali. Ergo illi diſpoſitioni attribuenda eſt introductio formæ cadaveris, etiam ex ſuppoſitionibus factis; ſed cui illa attribuitur tribuenda eſt eo ipſo privatio vitæ. Ergo hæc adhuc ex prædictis ſuppoſitionibus attribuenda eſt nocumento illato.

Nihil tamen conſideratione profunda dignum afferret ejuſmodi Philoſophia objecta, quà rem noſtram attingit: tum quia Scotiſtæ generatim inficiantur formam illam cadaveris poſitivam, à forma ſubſtantiali corporeitatis diſtinctam, meram inducentes privationem animæ, unà cum præexiſtente forma corporeitatis, perſiſtenteque, & ſuperſtite ex vitæ ruinis. Juxta quam probatiſſimam ſententiam corruunt ab imis fundamentis cunctæ reflexiones oblectę. In idem fermè recidunt, qui cum P. Leſſio Conink. Dandino, Martinono, Achillino, Aretio, Amico, Tannero, Præpoſito, Wigers, Paſqualigo, & Cabero, opinantur, inveniri in Corpore ſimul cum anima formas partiales ſubſtantiales, Oſſium, Nervorum, Cartilaginum, Carnis, Sanguinis &c. quæ abeunte anima, cum ſola unionis privatione, vel animæ ut informantis, conſtituunt cadaver. Tum quia circa Chriſtum Dominum, quamplures Scholaſtici, ne fateantur formam Cadaveris poſitivam aſſumi hypoſtaticè à Verbo Divino in triduo; vel deunitam ſubſtantialiter verbo, informare Corpus, cui eſt copulatum hypoſtaticè, quod abſurdum reputant; aſſerunt, Corpus illud divina virtute conſervatum fuiſſe in eo Triduo abſque ulla forma ſubſtantiali; tametſi naturali jure debuiſſet ſubjacere formę cadavericæ; quam dicunt corruptionem ipſam in actu primo, & quam etiam non viſurum prædixere Prophetæ Pſalm. 15. *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, cujus illa eſt forma radix, & cauſa. *Neque ſanctificatum Corpus*, inquit ibi Sanctus Auguſtinus *per quod & alii ſanctificandi ſunt, corrumpi patieris*; jam enim corruptionem ipſam ſubſtantialem horridumque accidentariæ fontem vidiſſet.

Num. 99. Ulterius ea forma admiſſa ex eadem philoſophia notum eſt, quamplures Philoſophos cum D. Thoma priorem dicere expulſionem formæ præexiſtentis introductione formæ venientis, ſive prioritate rationis, ſive naturæ: adeoque privatio unionis animæ cum Corpore debuiſſet præcedere introductionem formæ Cadaveris: & ex conſequenti expulſio illius, ſeu deſitio actionis naturalis conſervantis unionem non potuit ſuſpendi ex eo, quod divinitus pro poſteriori ad privationem unionis, aut vitæ (quæ debuiſſet conſequi naturaliter ad ſuſpenſionem actionis conſervantis) impedienda eſſet divinitus, vel non, introductio formæ poſitivæ cadaveris. Permittamus rurſus, introductionem novæ formæ eſſe priurem in genere cauſæ formalis expulſione antiquę; profecto hoc locum habere debet, ubi omnia procedunt juxta regularem curſum naturæ rerum; cæterum ubi ille impeditur, ultima diſpoſitio, aut agens, quodcunque illud ſit exigens, & excluſionem formæ antiquæ, & introductionem novæ, ſi ab hujus introductione impediatur, cum aliunde utrumque poſtulet, & illi naturaliter debeatur, etſi privetur uno termino exacto, non debet privari etiam altero; ſubindeque dum non poteſt introducere formam novam, vel obtinere, ut producatur, petit ſuſpenſionem actionis naturalis conſervantis vitam. Nam qui opinantur, materiam poſſe divinitus privari omni forma poſitiva, admittunt eo ipſo expulſionem præcedentis abſque introductione alterius; etiamſi præſupponantur introductæ diſpoſitiones, quæ ejus adventum prænuntiant: uti ſi Deus anihilaret animam, quin formam aliam produceret, eſſet vera cauſa privationis, vel corporis ut privati. Unde ne illa cederet nocumento illato immediatè, quin & unicè, debuit per actionem novam miraculoſam conſervari unio. Et hac via impeditur ſimul introductio formæ cadavericæ.

Notandum tamen hic, agentia, naturalia appetitu innato, ne malum negationis intendant, per ſe primò reſpicere introductionem formæ (quidquid ſit de prioritate executionis): cæterum Chriſtus Dominus actu elicito nequaquam per ſuſpenſionem miraculi intendebat per ſe primò introductionem formæ cadavericæ; nec illa erat per ſe res oblata (nec vetera ſacriſicia intendebant formam cadavericam pecudis), ſed intendebat privationem vitæ, ſive illa fieri poſſet abſque novæ formæ poſitivæ introductione, ſive ſecus; quia intendebat bonum redemptionis per privationem vitæ obtinendum, etiamſi nulla forma poſitiva cadaverica introduceretur. Quocirca ſolùm indirectè fuit cauſa illius in facto eſſe (ſi neceſſariò produci debuit); forma autem illa producitur à cauſa aliqua univerſali ad exigentiam nocumenti illati; quin ſit abſurdum, aut inconveniens, quòd productio formæ cadavericæ debeatur immediatè, & directè nocumento, & privatio vitæ ſuſpenſioni; cum ab illo effectu aſſequendo impeditum fuerit per miraculum conſervans vitam, dum perſiſtit (per illud enim unicè, ex ſuppoſitione facta, ſtetit), & auferens illam activè, dum ex poſitivo Imperio ceſſavit. Præterquamquod ſi opus foret, poſſet eodem pacto dici, formam cadavericam,

ſal-

ſaltem in fieri, per ſe directè cauſari etiam ab imperio illo, æquè ac à diſpoſitione ultima ad mortem, & quidem adæquatè ex ſuppoſitione: Siquidem hæc in communi ſententia ſolum exactivè introducit illam, ab alia cauſa univerſali producendam: hoc autem modo etiam imperium illud Chriſti Domini potuit eam exigere eliciè, & quidem vehementiùs, imperareque in inſtanti præcedenti ejus productionem pro ſequenti, & tunc poſset vel intelligi pro priori, vel ſimul, vel pro poſteriori ejus introductio. Et in hac acceptione eſſe potuit cauſa directa illius etiam in facto eſſe. De qua cauſalitatum differentia, videndus eſt D. Thom. 1. p. qu. 10. 4. artic. 1. & ibi Cajetanus. Quin & fieri potuit ab anima in inſtanti ſequenti ex imperio præcedenti: itàut dum anima exiret, formam illam induceret, & Corpus ſuum cadaver efficeret.

Ex dictis habes, ſacrificium Crucis fuiſſe peractum à Chriſto Domino ad eumdem modum, quo dicimus confici ab ipſo incruentum; quod proinde illuſtratur eximiè, & promovetur exemplari hoc, ad cujus normam, quamvis ſub ritu diverſo, debet concipi intrinſecè conſtitutum juge ſacrificium. Utrobique enim ſacrificatio ſita formaliter eſt in actione ſuſpenſiva miraculi conſervantis vitam; in ſacrificio cruento ſubſtantialem, & accidentariam actus ſecundi, in jugi verò ſolam actualem; actio autem illa utrobique eſt imperium voluntatis humanæ Chriſti Domini decernens ſuſpenſionem actionis miraculoſæ conſervantis immediatè vitam ipſam ſacrificandam. Quoniam verò diſſertatio circa conſtitutionem formalem ſacrificii cruenti, quantumvis concernat abſolutè præſentem diſputationem, & materiam; diverſitatem attamen ritus, modi, & circumſtantiarum importat, nolumus prolixiorem diſcurſum de illa texere; quoniam in ejuſmodi cognatis difficultatibus, temperandum eſt magis ingenio, quàm indulgendum: maximè cum hactenus dicta, tametſi materiæ dignitatem æquare non valeant, ſufficiunt attamen ad muniendam non parùm firmiter aſſertionem noſtram, ad harmonicamque utriuſque ſacrificii melodiam, vel magis pauſam, auribus fidei percipiendam: ibi fidibus ex integro ruptis, hic ex integro laxatis.

§. III.

Num. 100. **D**ILUENDA ſunt modò argumenta, quæ præcipuam aſſertionem noſtram, hac diſpoſitione firmatam, expugnare contendunt; quorum pleraque ipſo diſputationis curſu jacuere protrita, reſidua verò modò ſunt exarmanda. Prætermittam verò illud, quod dum poſtulat materiam permanentem ad hoc, ut verè eſſe poſſit hoſtia, arcere velit actus immanentes vitales, tanquam non diù perſiſtentes. Siquidèm & quamplures diutiùs per ſe durare poſſunt, & rursùs auſertur univerſim vita corporis accidentaria & in actu ſecundo, quæ ſemper actu permaneret, ſive his, ſive illis actibus ornanda, permanente quodam fluxu. Primum ſit, colligi ex illa, poſſe hoſtiam, & ſanguinem conſecratos, iteratò, & milliès ſacrificari, ſi ſubſiſteret aſſertum hoc: ſiquidèm recuperata deinceps, ut aſſerimus, vita actuali per reviviſcentiam, aut quaſi reſurrectionem, poterit ſine dubio Chriſtus Dominus illam denuò ſuſpendere in proteſtationem ſupremi dominii affectu interno, ſive actu imperante explicato, cum in actione ſuſpendente vitam miraculoſam conſtituamus adæquatè ſacrificationem. Hoc autem perabſurdum eſſe manifeſtum eſt; cum neque hoſtia ſemel conſecrata iterùm conſecrari valeat, incaſſumque proferrentur verba: nec abſque nova conſecratione exiſtere poſſit novum altaris ſacrificium. Verùm hæc non multùm urgent, quinimmò amicè objecta videntur, cum ſuggerant nobis principia, quibus repellantur. Quoniam ad hoc ut ſummus Sacerdos ſeipſum immolet in altari, prærequiritur eſſentialitèr conſecratio, ejus nomine facta à Miniſtro: eodemque modo exigitur eſſentialitèr ejuſdem intentio, quantumvis non conſtituat intrinſecè Sacrificium, nec Sacramentum.

Rursus licèt verba conſecrationis non conſtituant intrinſecè ſacrificationem occultam, intrinſecamque, nec actio ipſa conſecrativa; conſtituunt attamen ipſam in ratione ſenſibilis, & quamvis ex ea ratione conſtituant præcipuè Sacrificium ultima verba conſecrationis Calicis; omnia tamen per ſe conſtituunt eam ſenſibilitèr, quantumvis aliqua minùs principalitèr ſacrificium, & principalius Sacramentum. Cum igitur aliundè ſupponatur præſens realitèr ſub ſpeciebus corpus, & idem eſt de ſanguine, propterea repugnat iterata ſacrificatio ejuſdem materiæ jam immolatæ ſub eiſdem numero ſpeciebus, nec ſummus Sacerdos imperium circà illam emittere valet. Prætereà illa non eſt materia remota conſecrationis, quia abeſt ſubſtantia panis, ut perſpicuum fecimus ſupra ſect. 1. materia autem remota à Chriſto Domino inſtituta eſt per ſe ſimplicitèr neceſſaria; quamvis materiam ſuperet longè opus.

Ad hæc; reſtauratio vitæ actualis ſub ſpeciebus æmulatur Triduanam reſurrectionem, cujus memoriam excitat; undè ſicut illa fecit Chriſtum Dominum immortalem pœnes utramque vitam in propria ſpecie: *quia reſurgens ex mortuis, jam non moritur:* ſic ſub eiſdem numero ſpeciebus iteratò immolari nequit, nec privationem actualis vitæ corporis ſub illis experiri. Abſorbetur enim etiam hìc illa quaſi mors in victoria ſub determinatis ſpeciebus illis, quin poſſit allevare caput. Neque indè inferas, Chriſtum Dominum immortalem in ſenſu ali-

aliquo dici non poſse, cum ſub accidentibus ſacrificet vitam corporis actualem, quę verè, & ſtrictè vita eſt, uti diximus. Quoniam hoc genus non vivendi actu, & in eo ſenſu genus mortalitatis (licet mortalitas proprie nullo modo ſit, quamvis ſit verum aliquod genus privationis vitæ, actualis ſcilicet) omnes Theologi agnoſcunt in Euchariſtia, cum naturaliter, aut vivere nequeat, aut de facto non vivat apud illos, & miraculosè apud pleroſque neutiquam de facto vivat. Immortalitas ergo propria reſurrectionis importat realem inſeparationem vitæ ſubſtantialis à corpore, actualis verò ſolum in ſpecie propria. Replicabis: eadem Hoſtia, idemque vinum conſecrari valet à pluribus Sacerdotibus unà celebrantibus, tametſi conſecratio uniuſcujuſque ſit adæquata. Ergo capax eſt eadem materia multiplicis ſacrificationis; non quidem à Miniſtris, cum nihil jam efficere denuo valeant conſecrando ſucceſſivè, ſed à ſummo Sacerdote, poſtquam revixerit.

Urgetur: ſi ponatur eadem numero materia bilocata in duplici altari, antequam conſecraretur, poſſet utrobique à duplici Sacerdote Miniſtro eodem temporis momento, & ordine conſecrari; vel ergo utrobique verè conſecraretur, & ſic eadem materia eſt capax duplicis conſecrationis, & duplicis ſacrificii. Vel nullibi; & hoc foret abſurdum; cum verba conſecrationis prolata à legitimo Sacerdote cum intentione conſecrandi ſuper materia debita, nequeant non ſortiri effectum ſide ſancta nobis creditum, & à Deo indefectibiliter promiſſum. Vel alicubi tantùm; & ſic nulla foret peculiaris ratio, cur potius hic, quàm illic fieret conſecratio, & conficeretur ſacrificium; niſi voluntarie prorſus recurras ad determinationem Dei; quin & tunc reſtat ſuperandum inconveniens, quod alius Sacerdos ritè proferens verba ſuper materia apta, neutiquam conſecret, nec conficiat; abeſſet enim ſecuritas illa firma, immotaque, etiam dum ſtellæ cadant, adorandi præſentem Chriſtum Dominum, dum ea verba à Sacerdote cum intentione proferuntur; ſin aliter quo ſe verſat mens humana, ut eſſe poſſit de rebus divinis ſecura?

Num. 101. Hæc tamen levia ſunt, & ab omnibus pariter diſſolvenda: quippe quæ nihil aliud afferant, quam ad ſummum unicam ejuſdem materiæ conſecrationem, uti & unicam ejuſdem victimæ ſub eiſdem numero ſpeciebus ſacrificationem, tam in replica, quàm in ejus confirmatione. Quod namque plures Sacerdotes ſimul poſsint eamdem Hoſtiam conſecrare, vel duo ſeparatim, & ſecundum ſe, per accidens tamen, & ex ſuppoſitione bilocationis; uti nequaquam probat, poſſe illos ſucceſſivè eamdem numero Hoſtiam conſecrare: ſic nec arguit poſſibilem ſucceſſivè iterato ipſius immolationem; potiuſque inde depromitur argumentum contra ipſos objicientes nullum enim affertur (nec afferri valet) exemplum, quo vel à longe oſtendatur valida conſecratio ex ſuppoſitione jam prius factæ conſecrationis, proindeque nec iterata ſacrificatio ex prima præſuppoſita. Immo ſi ejuſmodi exemplum appareret, probaret æque adverſus omnes (ſi non magis), ac contra nos, cum repetitam illam conſecrationem multis titulis horreat Eccleſia Sancta, & ratio naturalis ipſa; illa autem admiſſa, & bino titulo realis præſentia Chriſti Domini repellenda non foret iterata ſacrificatio. In utroque exemplo igitur, vel attemperantur plurium conſecrationes, ut unam phyſice tantum conſecrationem adæquatam, ſive actionem eliciant, vel per actiones totales divinitus concurrant ad camdem numero præſentiam Chriſti Domini realem ſub ſpeciebus ponendam, ipſumque adducendum, vel reproducendum; ut deinceps Chriſtus Dominus quà ſummus Sacerdos ſeipſum immolat; cum in ſententia noſtra conſecrationes illæ non ſint ſacrificationes victimæ; ſolumque ab illis per modum unius reddatur ſenſibile ſacrificium illud à ſummo Sacerdote occultè peractum; ſive adæquatè à qualibet. Quin potius hinc arguitur, conſecrationem ipſam non eſse ſeipſa ſacrificationem: eo quod illud dicatur paſſim unum ſacrificium; & aliunde forent diverſa ſacrificia, ſi ſacrificationes diverſæ forent (quamvis nec hoc eſſet magnum inconveniens): ſi verò unus prior reliquis verba conſecrationis ex integro proferat, ille ſolus conſecrat; & idcircò debent, quantum fieri valeat una pronuntiari accordi ſono verba: idemque fieret in hypotheſi replicationis ejuſdem Hoſtiæ non conſecratæ.

Repones: juxta communes ſententias, in Hoſtia ſemel immolata nihil reſtat actu ſacrificandum, nec in ſpe ut habendum; juxta noſtram verò opinionem, id ipſum, quod immolatur, intra ipſum ſacrificium reſtituitur, & iterato poſſidetur, ac ſubinde comparata iterum vita actuali, per ſacrificationem quaſi deperdita, adeſt victima ſub eadem ratione ad novam immolationem apta. Contra tamen; quoniam opinio noſtra ita dicit ſacrificationem vitæ in actu ſecundo, factam à ſummo Sacerdote, adæquatam, ut prærequirat eſſentialiter conſecrationem Miniſtri, ſine qua nullatenus ſacrificat Chriſtus Dominus. Unde pro novo ſacrificio neceſſaria foret nova conſecratio, quæ impoſſibilis eſt reſpectu Hoſtiæ ſemel conſecratæ; ut omnes præſupponimus. Rurſus, ita dicimus immolationem illam vitæ actualis adæquatam ſacrificationem, terminatam ad victimam ipſam immediate, ut ſimul poſtulemus eſſentialiter verba conſecrationis præcedentis, ut eſſentiale conſtitutivum ſenſibile talis ſacrificii, quod conſtituitur per illam in ea linea. Et aliunde unica conſecratio utriuſ-

que

que ſpeciei unicum pariter ſacrificium duntaxat reddit nobis ſenſibile. Contra ſecundo quia nova immolatio ſub ejuſdem ſpeciebus repugnat eſſentialiter ſacrificio Crucis, repræſentato per ſacrificium altaris, repugnatque repræſentationi illius ſub eis numero ſpeciebus, quoniam fide ſanctum eſt illud Apoſtoli: *ſemel tantum immolatus eſt Chriſtus*. Deinde repugnat myſterio reſurrectionis repræſentato per eam reviviſcentiam ſub eis numero accidentibus, ut ſupra diximus: illa enim quaſi reſurrectio fugat non minus aliam ſub prędictis accidentibus immolationem, quam reſurrectio ſimpliciter ſubſecutam, iteratamque mortem ſimpliciter, quam præcipitavit in æternum, & cum illa poſſibilitatem regreſſus, & auſus.

Num. 102. Oppones ſeccundo: omnia illa fundamenta, quibus adſtruere conati ſumus vitam actualem Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, tam ex authoritate deprompta, quam ex decentia, & ſtatu gloriæ, utilitateque noſtra aut nihil probant: & ſic nulla adeſt vita actualis, etiam per miraculum in Euchariſtia, quam ſacrificet, fallitque aſſertio præſens noſtra; aut urgent eodem prorſus vigore contra vitæ illius liberam ſuſpenſionem ſactam à Chriſto Domino in altari, ut ſe immolaret: foret enim contraria dignitati Chriſti Domini, ejus decoro, & ſtatui, & noſtræ utilitati. Et ex conſequenti illa immolari nequit, fallitque pariter hac via aſsertum præſens. Quibus adjungitur, movendum fore Chriſtum Dominum tempore ſuſpenſionis ad motum Hoſtiæ, non jam à ſe; ſed vel à Sacerdote, vel à Deo, juxta varietatem opinionum; quodque pugnare videtur ex diametro cum motu à nobis diſp. 3. ſtatuto. Reſpondeo eadem planè motiva, quæ ſuadent eam vitam, tum præcedenter ad immolationem, tum ſubſequenter ad reviviſcentiam (immò quæ perſuadent etiam neceſſariam eſſe reviviſcentiam præfatam) probant eadem efficacia, eodemque ductu, ſuſpenſionem illius vitæ ad ſacrificationem conſtituendam. Si namque voluntaria illa vitæ immolatio non adeſſet, exiſtere minime poſſet verum ſacrificium altaris, cum deficeret vera ratio immolationis, uti oſtendunt copioſè dicta in pręſenti diſputatione. Neque etiamſi fingatur, aut excogitetur exiſtens per aliam rationem vero immolatio, eſſe poteſt ejuſdem perfectionis cum vita Chriſti Domini immolata; cum aliunde ſacrificium juge debeat eſſe ſumme perfectum.

Pręterea cum Chriſtus Dominus ſit ſummus Sacerdos à Patre conſtitutus, non ſolum decet, illum offerre immediate ſeipſo ſacrificium; ſed debet omnino munus illud exercere (& ſanè ex Euchariſtia, cum ibi adeſſe debeat victima) in ſacrificii crucis imitationem, repræſentationemque, quod eſt exemplar; atque adeo debet vitam ſuam ex Euchariſtia aliquatenus immolare in proteſtationem divinæ poteſtatis in vitam, & mortem. Debuit non privare Deum cultu ſublimiori religionis, qui per ſacrificium exercetur, debuit relinquere ſponſæ ſuę Eccleſiæ ſacrificium aliquod perfectiſſimum, cum nulla hactenus religio, etiam vana, miſera adeo fuit, ut omni ſacrificio deſtitueretur. Debuit applicare membris ſuis fidelibus fructum ſacrificii Crucis, quod ſi nobilius, & uberius, per ſacrificium altaris. Debuitque reliquas pretioſiſſimas utilitates, quæ ex ſacrificio altaris in nos derivantur, procurare. Cum igitur omnia hæc haberi nequaquam poſſint (ſaltem in ſummo illo gradu perfectionis, quæ expetit dignitas Sacerdotis ſummi, & ſacrificii) niſi per immolationem vitæ actualis, ut probant ſatis, quæ in præſenti diſputatione adduximus, ideo argumenta decentiæ, dignitatis, beatitudinis, & noſtræ utilitatis, quæ evincunt vitam actualem Chriſti Domini (extra tempus illud præciſum iotra ſacrificium) & dum permanet aſſervatus ad ſolatium noſtrum, non tantum non improbant præfatam vitæ immolationem; verum illam firmant, & promovent. Et dummodo, quæ dicta fuere circa Sacerdotis munus, à Chriſto Domino ex altari immediatè exercitum, & circa veram realemque immolationem neceſſariam ad ſacrificationem, non expugnentur, nequidquam opponitur nobis præſens objectio. Quo vero tempore ſacrificatus exiſtit, non movetur à ſeipſo quidem, ob eaſdem rationes, quia privatus adeſt omni vita actuali corporis; ſed à Deo ad motum Sacerdotis: cum aſſertio illa noſtra differat de tempore, quo vita actuali Corporis divinitus potitur, & in quo ſeipſum movet per ſemitas mirabiles, & inceſſum nobis inviſibilem. Quamobrem, tametſi dum nobiſcum converſaretur viſibiliter, dicere potuiſſet cum ſuo Regio Pſalm. 130. *Neque ambulavi in Magnis, nec in mirabilibus ſuper me*: abſconditus vero intra ſpecies in mirabilibus ambulat, ad motum moventis Hoſtiam incedens; non propterea tamen ambulat in mirabilibus ſuper ſe, ſed veluti infra Sacerdotem, cui ad nutum paret; vel ut moveatur, vel ut ſiſtat.

Hinc ſit (ut præcaveatur nova ejuſdem argumenti confirmatio) non eſſe infælicem Chriſtum Dominum pro tempore illo, tametſi corpus ipſius vita actuali, & privatione viſionis ſuimet deſtituatur. Tum quia ex eo quod ex neceſſitate præſtandi obſequium debitum Deo, & conſtituendi ſacrificium Eccleſiæ Sanctæ utiliſſimum, privetur vita actuali exiguo tempore, nequaquam ſequitur inſœlicitas illa, quæ ſequeretur ex carentia illius vitæ continuata ſemper ſub ſpeciebus, abſque præfata, aut conſimili neceſſitate. Tum quia privatio illa compenſatur, interim, dum exiſtit ſacrificatum corpus, per fruitionem animæ, gaudiumque novum de obſequio ſupremo Deo exhibito, & de fructu, profectuque

noſtro : & dum poſtmodum corpus reviviſcit, derivatur in illud nova quædam delectatio ex eodem fonte , aut per actum denuo elicitum, à corpore ipſo pendentem, quia & præcedenter, per actum illum, quo ſe immolat . Hæc autem ſenſibilis compenſatio obtinere nequit à corpore ſub ſpeciebus per alias ſententias vitam Corporis de facto à Chriſto Domino in Euchariſtia removentes, aut medium quoddam, & exoticum exiſtendi genus inter vitam , & mortem excogitantes.

Num. 103. Objicies 3. Ergo Chriſtus Dominus efficit tam in Cruce, quam in altari, id, quod ſacrificat, adeoque victimam, quatenus utrobique elicit miraculoſam vitæ ſuæ conſervationem , quam immolet, per ejuſdem conſervationis ſuſpenſionem imperatam. Igitur Sacerdos ipſe & ſacrificium conficit , & victimam efficit , quod videtur abſurdum , nullo exemplo temperandum. Reſpondeo, verum eſſe Chriſtum Dominum minimè ſacrificaturum proprie, ſi non patraſſet utrobique illud miraculum; cæterum vita , aut unio ablata in Cruce fuit ipſa, quam à Deo accepit, & ex ſinu intemerato Deiparæ hauſit, tametſi ut conſervata pro tunc per ſolam actionem miraculoſam. Quandoquidem imperium non inducit ſolam carentiam actionis conſervativæ, ſed privationem ipſius unionis animæ, & corporis , vitæque , uti & ſacrificat vitam actualem , quam eliceret , ſi vixiſſet. Deinde inconveniens non eſt , Sacerdotem efficere prius victimam, quam immolet deinceps , quandoquidem Abrahamus genuit filium, quem poſtmodum verè ſacrificabat, ſi Deus manum ſuam non extendiſſet. Idemque fuiſſet etiamſi illum progenuiſſet eo fine, ut illum poſtmodum Deo ſacrificaret, præſertim dum etiam præſcindendo ab eo fine adeſſet, & exiſteret aliis titulis victima : & dummodo præexiſtat vivens in ara (quæ minime reperiuntur in victima alia per ſingularem opinionem inventa, & à nobis ſect. 1., affini titulo ; reverà tamen diverſo, expugnata). Illa namque eſt materia remota ſacrificii, quæ ſive ab ipſo Sacerdote, ſive ab alio exiſtat çque ſtrictè immolatura ab ipſo , ſicut ab alio . Quinimmo licet divinitus ipſe Abrahamus conſervaſſet vitam filii, etiam tunc actu ; illam nihilominus verè , & propriè ſacrificaſſet. Uti poteſt quis ſeipſo ædificare Domum, quam Deo ſacram faciat.

Quarta objectio verſatur circa actus vitales corporeos quos habet Chriſtus Dominus in Euchariſtia per concomitantiam; non enim apparet , qua ratione illos ſacrificare valeat per ſuſpenſionem imperatam, cum illos minime producat active. Reſpondeo negando ſuppoſitum , cum eam comitantiam inficietur ſententia noſtra, ut fusè probant, quæ diximus diſputat. 2. & 3. Ulterius ea admiſſa, neceſſarium prorſus eſt, Chriſtum Dominum eos actus conſervare, immo & eorumdem modum exiſtendi intentionem producere ; adeoque, uti ſuſpendit per imperium reliquos à ſe productos, ita & hos à ſe conſervatos in Euchariſtia; ſi fuerint ex eis , qui comitentur ipſum, dum primo ponitur ſub ſpeciebus, vel ante ſacrificationem ; illi vero qui venirent deinceps, deberent à fortiori ab illo adduci , aut reproduci , conſervarique , & eorumdem modum Sacramentalem exiſtendi produceret ; & ejuſmodi actus , ſeu poteſtatis inſtrumentalis uſum ad eos eliciendos, abdicat à ſe, immolatque ipſos unà cum reliquis.

Objicies quintò eſſe non poſſe veram ſacrificationem illam Chriſti Domini, ſi libera , voluntariaque ipſi non ſit , & aliundè liber modò non eſt jam ad non ſacrificandum in altari, ex ſuppoſitione conſecrationis factæ à Miniſtro. Non enim ſalvari poteſt per virtutem inſtrumentariam. Miraculorum factivam , [de qua nos tom. 2. Ænigm. Theolog. Diſp. 14. ſect. ult.] cum potiùs ſacrificet per ſuſpenſionem liberam actionis miraculoſæ . Immò hinc expugnatur etiam aſſertio noſtra circa concurſum Chriſti Domini in ſuam mortem , cum ille ſitus fuerit in ſuſpenſione miraculi etiam, ac proindè capax erat præcepti ſuſpenſio illa. Ergò aut utraque aſsertio in hac ſectione ſtabilita fallit ; aut ſententia illa concilians libertatem cum præcepto moriendi per poteſtatem factivam miraculorum , quæ præcepto ligari nequit, corruit omninò . Verùm hæc in æquivoco laborant : etenim qua parte reſpicit objectio mortem Chriſto Domino præceptam, ſicut obligari non potuit poteſtas inſtrumentaria , ne patraret miraculum , quo mortem fugeret , atque adeò, quo vitam ſemper conſervaret ; ita nec ligari præcepto in ordine ad ſuſpendendam conſervationem ſui miraculoſam, quia cum eſſet liber ad oppoſitum , poſſet non ſuſpendere, ſed conſervare miraculum, quod foret tranſgredi præceptum, & aliundè miraculum , cum ſit opus per ſe primò Deo, ut ſpeciali authori attributum , nequit eſſe peccatum . Proindèque doctrina illa utramque partem ex æquo complectitur , eadem enim ratione , qua facultas illa incapax eſt præcepti prohibentis efficientiam miraculi, incapax eſt conſimilitèr præcepti jubentis miraculi ſuſpenſionem . Quod verò attinet ad ſacrificium altaris, ubi non adeſt, nec adeſſe poteſt præceptum urgens, ſolùm adeſt neceſſitas orta ex Inſtitutione , & ex promiſſione divina. Utraque autem ita uſurpari debent , ut expeditam relinquant poteſtatem illam, quæ licèt inſtrumentaria, eſt tamen poteſtas excellentiæ reſpectu Humanitatis : & conſequentèr ſalvari poteſt libertas ad eum ferè modum , quo ſalvatur ſimul cum præcepto . Præſciebat Deus , Chriſtum Dominum numquam impediturum ſacrificium, uti & præſciebat Humanitas Chriſti Domini per utramque ſcientiam ; ideò ille abſolutè promiſit, & hic inſtituit , itaut ſecuri

ſimus

ſimus de eventu, eodem modò, ac ſi omnimoda fieret neceſſitate. Quemadmodùm Patres veteris teſtamenti ſecuriſſimi eſſe potuerunt de morte Chriſti Domini in Cruce futura, tametſi liberè ipſam foret acceptaturus. Secundò: ad moriendum exigebatur libertas actualis, quia mors debuit eſse meritoria, alioquin Mundum non liberatura. Sacrificatio verò in altari meritoria de novo non eſt, atque adeò ſufficit libertas antecedens, quamquam adſit neceſſitas conſequens.

Ut id perſpicuè concipias, rogo, num prolatis verbis conſecrationis conſtituatur Chriſtus Dominus præſens altari, exequaturque munus Sacerdotis ſummi [ſive è Cœlo, ſive ex altari] neceſsariò, neceſſitate conſequente inſtitutionem, promiſſionemque; vel liberè etiam conſequentèr? Si primùm, ut docent Scholaſtici, eadem ratione immolabit ſeipſum. Si ſecundùm effingas, eadem via, qua libertatem ſartam tectamque ſerves unà cum ſumma ſecuritate noſtra de ejus præſentia, & cum veritate fidei, tuebimur libertatem ad ſacrificandum [ultra modum nuper dictum] ut ſic à difficultatibus peculiari jure non reſpicientibus ſententiam noſtram liberiùs, faciliùſque expediamur: communes enim conſultò enodare, foret immenſum opus, de quo ambigeretur meritò, eſsetne prolixum magis, an otioſum.

Num. 104. Oppones ſextò: ſuſpenſio vitæ actualis voluntariè facta inſufficiens videtur ad hoc, ut per illam exequatur verè munus ſummi Sacerdotis, cum non ſit actus poſitivus [ſed illius ſuſpenſio potius] uti erat jugulatio pecudum in veteribus ſacrificiis. Purè ſiquidèm negativè operatur in ea ſuſpenſione; cauſa merè negativè operans, non eſt verè, & ſtrictè cauſa, aut verè cauſans, & ſtrictè; tametſi affectivè, intrinſecèque intendat directè eam ſuſpenſionem, effectumque privativum inducere. Cæterum doctrina hujus objectionis univerſìm uſurpata abſurda eſt, cum certum omnium conſenſione ſit, Deum, ſi anihilare vellet Angelum, vel animam rationalem, idque decerneret poſitivè efficacitèr, futurum veram cauſam anihilationis ipſius animæ, tametſi loco illius, nullum alium effectum poſitivum induceret in corpus anima privatum per illius anihilationem. Et in primis illa eſt vera cauſa per ſe, & directa, ſecundùm quod to *directa, & per ſe* opponitur cauſæ per accidens, & indirectæ, ut manifeſtum eſt, cum illum effectum privativum primò, & per ſe intendat, & illum primò, & per ſe infallibilitèr inducat, ut ex D. Thoma 1. part. q. 104. art. 1. & ex Cajetano oſtendimus ſupra.

Deindè eſt vera cauſa etiam phyſicè effectiva, ut liquet ex eo, quod nemo dubitaret, cauſam phyſicè ad extra operantem verè cauſare phyſicè, ſi producere poſset actionem poſitivam, licet terminus ad quem eſſet tantùm privatio, & terminus à quo poſitivus, cum jam producat phyſicè aliquid, nempè cauſalitatem, ultrà poſitivum terminum à quo, quem removet. Et aliundè, quamquam ea externa cauſalitas plerunque reputetur impoſſibilis [licèt ſint non pauci, qui eam poſſibilem, quin & interdùm exiſtentem credant exemplo operationum immanentium] ubi tamen cauſalitas inducens privationem, ut terminum ad quem, & arcens terminum à quo poſitivum, eſt actus immanens, vitalis, internuſque, imperium ſcilicèt, quod habet jam ſuum terminum intrinſecum [ſive qualitatem diſtinctam elicere debeat, ſive non] qui tendit directè ad removendum terminum à quo poſitivum, & inducendam illius privationem, vera cauſa eſt proculdubiò. Eſt itaque ſummus Sacerdos cauſa phyſicè effectiva ſacrificii, quia actio ſacrificativa poſitiva eſt, & fluit phyſicè ab ipſo ſummo Sacerdote; reſpectu tamen termini ad quem privationis vitæ [ne de voce diſputemus] tam cauſa, quam cauſalitas ſunt cauſa phyſica, quia efficiunt etiam phyſica actione, quantùm illa ſactibilis phyſicè eſt (adeòque ſacrificant vitam, quantùm ſacrificabilis phyſicè eſt); cum tamen ens poſitivum non ſit, non admittit influxum phyſicè effectivum, licet admittat cauſam phyſicè, & dirèctè cauſativam ſui. Uti & remotio termini à quo poſitivè petit actionem phyſicam, tametſi non influentem eſse phyſicum, ſed removentem potiùs. Hactenùs dicta urgent vividiùs, dum uterque terminus eſt etiam intrinſecus, ut in re noſtra, cum imperium illud feratur in excluſionem vitæ actualis, ſive operationum immanentium Corporis, ut introducat ejus vitæ privationem (ex qua parte ſuperat actionem immolantem ſacrificii cruenti, cujus terminus magis extrinſecus eſt reſpectu imperii unio, ſcilicet animæ, & Corporis, ſeu vita ſubſtantialis: & rurſus quia in illo actio, qua ſuſpenditur, diſtinguitur à termino, aut vita: in hoc vero, juxta quamplures, ipſa actio immanens eſt etiam terminus, & ſaltem vita).

Quamtumvis enim actio converſiva naturalis nequeat intendere innatè excluſionem termini à quo poſitivi, quin per ſe intendat terminum ad quem poſitivum, quem producat; cauſa tamen elicitè appetens, & intendens, cauſanſque per actionem vitalem immanentem, & in ordine ſupernaturali, divinoque, cujuſmodi eſt ſacrificatio, non debet per ſe reſpicere terminum ad quem poſitivum in ſacrificatione. Uti fit evidens exemplo ipſo in objectione producto: quoniam actio jugulativa pecudis per ſe directè reſpiciebat ſolum vitæ illius oblationem, adeoque privationem vitæ ut terminum ad quem, itaut de materiali omnino ſe haberet ad eam ſacrificationem, quod corpus vita privatum ea actione, debeat aliunde ex rerum naturalium exigentia obtinere formam poſitivam, vel ſecus (quæ neceſſitas non reperitur in

remotione actuum vitalium, cum cauſa libera poſſit ſuſpendere exiſtentes, quin alios eliciat, vel naturaliter, ſi pure omittere valeat, vel divinitus ſaltem) quia in ſacrificiis illud per ſe primo intenditur, immolatur, & offertur, quod pretioſius eſt in Victima, cujuſmodi eſt vita, ſive terminus à quo, adeòque terminus ad quem privativus.

Præterquamquod hic terminus non eſt privatio ipſa in abſtracto, ſed corpus in concreto, ut vita privatum. Cum igitur in re noſtra exiſtat vera cauſalitas phyſice producta à voluntate Chriſti Domini, per illamque vere removeat vitam, efficiatque corpus realiter vita privatum. Cumque rurſus conſtitutivum formale ſacrificii, utpote ſitum in fieri ipſo, ſit ipſa cauſalitas, quæ eſt formaliter ſacrificatio, & illa poſitiva ſit, manifeſta illatione conſequitur, Chriſtum Dominum vere, & ſtricte ſacrificare vitam ſuam actualem per immolationem poſitivam, inducentem præfatæ vitę privationem; quin neceſſe ſit, quod formam aliam poſitivam producat, tum quia conceptus ſacrificii Hoſtiæ viventis id per ſe non poſtulat ex propria ſacrificii indigentia, & natura. Tum quia licet expoſceret generatim, reſpectu tamen ſacrificationis terminatæ ad removendam vitam actualem, neceſſaria minimè foret, cum poſſit libere actum immanentem ſuſpendere, & alium non inducere. Quæ omnia vim ineluctabilem accipiunt ex conceptu ſacrificii per ſe conſiſtentis *in pati*; non quia ſacrificatio activa eſſe non debeat, ſed quia ſimul importat, & ſuperaddit actum internum patientis, & offerentis vitam ſui Corporis, quam immolat, & nullo modo formam aliam poſitivam in Corpore introducentis, loco formæ vitalis. Hac via Chriſtus Dominus eſt vera cauſa privationis vitæ actualis corporeæ, longe ſtrictius, quam juxta Philoſophos, & Theologos complures voluntas liberè, & pure omittens eſt cauſa otii ſui, cum ibi nulla intercedat cauſalitas phyſica poſitiva; ſecus in re noſtra, cui aptè accommodares illud Exodi 5. *Vacatis otio, & idcirco dicitis: eamus ad ſacrificandum*. Vacare autem otio, eſt otium ipſum agere, ſeu exercere, activeque illud inducere; induciturque in Euchariſtia per ipſam ſacrificationem operationum, itaut non ſacrificet, quia otiatur, ſed otiatur, quia ſacriſicavit, & ſacrificat, ut otietur. Eſtque propterea otium illud divinum, & veluti per Ectaſim inductum, de quo vere diceretur: *Deus nobis hæc otia fecit*.

Num. 105. Objicies 7. ergo nolitio illa uſus potentiæ inſtrumentariæ elicientis vitam actualem, omniumque actuum immanentium privationem cauſans, eſt nolitio ſuiipſius, cum illa, utpote ſacrificatio, eſſe debeat actus Chriſti Domini, qua homo eſt, adeoque pendens à Corpore, & una cum aliis operationibus ſacrificanda, & interdum forſan aderit actu ſola. Reſpondeo, nolitionem illam, ſive imperium ferri in ſuſpenſionem omnis operationis vitalis à corpore aliquatenus prudentis, tam illarum, quæ præexiſtunt, quam futurarum: inter reliquas autem removenda erit ipſa, non pro inſtanti, in quo elicitur (cum id repugnet) ſed pro immediate ſequenti, in quo ceſſare debent omnes. Neque eſt inconveniens, actum aliquem nolle ſui durationem reflexe elicitè, tametſi innate illam appetat: uti nec quod ſupra ſeipſum reflectat, ſicuti mille exemplis obvium eſt in Philoſophia. Neque rurſus adeſſe poteſt abſque ſocia operatione, cum viſio materialis terminata ad proprium Corpus ſupponenda ſemper ſit actu exiſtens: uti & plures aliæ operationes inde ſubortæ, compluresque ad objecta præſentia terminatæ. Eſtque propterea in hac acceptione vera cauſalitas præſens privationis ſui pro inſtanti ſequenti, & ſimul privationis aliorum actuum, tam exiſtentium, quam futurorum, quin & poſſibilium (quantum eſt ex vi illius renuntiationis, quam facit, juris utendi facultate inſtrumentaria ſub ſpeciebus). Neque mirum, nam qui occidit ſeipſum eſt vera cauſa privationis vitæ ſuæ, facitque tranſire Corpus à vita ad ejus privationem.

Si replices, actionem phyſicam eſſe non poſſe ſine termino ſuo in eodem inſtanti producto; & aliunde privatio vitæ nequit exiſtere in eodem inſtanti, quo exiſtit imperium, juxta principia noſtra. Reſp. id eſſe verum de actione merè phyſica, & emortua, non vero dum eſt actio intentionalis etiam, & vitalis, ſicut eſt imperium; tunc enim poteſt adeſſe hic & nunc actus inducens effectum pro inſtanti ſequenti duntaxat. Quemadmodum ſi pura omiſſio libera ſit poſſibilis, poteſt quiſque ſibi imperare in inſtanti *A* ſuſpenſionem omnis actus (etiam ejuſdem imperii) pro inſtanti *B*: unde licet exiſtat ſacrificatio in inſtanti, ejus terminus attamen, privatio ſcilicet vitæ non exiſtit niſi in *B*, adeoque nec ſacrificium completum eſſentialiter. Sicut ad ſacrificium Crucis neceſſaria fuit apud omnes oblatio ipſa interna Chriſti Domini; ſacriſicium tamen completum minime fuit, niſi in inſtanti ſequenti, & ex intrinſeco, morte jam ſubſecuta. Conſimili doctrina præcavetur alia replica, contendens, imperium eſſe non poſſe cauſalitatem inducentem privationem vitæ, cum non exiſtat in inſtanti ſequenti, in quo illa incipit exiſtere. Siquidem ea præexiſtentia eſt plane neceſſaria, dum effectus eſt poſitivus, ſive terminus ad quem; dum vero negativus, cum non exigat concurſum poſitivum, ſufficit ad ejus exiſtentiam, quod poſita præcedenter cauſalitate indefectibiliter reſultare valeat, etiamſi nequeant coexiſtere. Præſertim ubi cauſalitas eſt actio libera, intentionaliſque: cum nec actio voluntaria, & interna, qua Chriſtus Dominus (hac vel illa via) ſacriſicavit vitam ſuam in Cruce, coexiſteret privationi vitę.

Nu. 106.

Num. 106. Objicies 8. ſacriſicium incruentum importare actiones ſupra naturæ leges, & vires longe, lateque conſtitutas, nullam autem ejuſmodi formaliter includeret ſacriſicatio ut à nobis defenſatæ, cum potius dicat ceſsationem ab omni miraculoſa, & ſupernaturali actione. Verum objectio hæc appetit conſimiliter eos, qui vel per oblationem verbalem conſecrationem poſteriorem, vel fractionem, aut ſumptionem conſtituunt eſsentialiter ſacriſicium. Rurſus eum operationes illas prodigioſas tam ad conficiendum Sacramentum, quam ſacrificium concurrentes demiramur, non idcirco credimus illico, eas conſtituere utrumque, ſed eas concurrere ad utriuſque celebrationem, ſive præſuppoſitive ſe habeant, ſive formaliter intrinſece conſtituant. Pariter enim extollimus dignitatem Sacerdotum, & miranda, quæ operantur, & nihilominus Miniſter ſecundum ſe, juxta communem ſatis doctrinam, non eſt inſtrumentum elevatum ad converſionem illam ſtupendam ſed ejus verba tantum, ait enim D. Thomas 3. p. q. 76. art. 1. Corp. *In hoc Sacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa converſione ſubſtantiæ, quæ à ſolo Deo perfici poteſt. Unde Miniſter in hoc Sacramento non habet alium actum, niſi prolationem verborum.* Et infra: *forma hujus Sacramenti profertur quaſi ex Perſona ipſius Chriſti loquentis, ut detur intelligi, quod Miniſter in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, niſi quod profert verba conſecrationis.*

Demum ſacrificatio incruenta conſtituenda eſt uniformiter ad cruentam, quantum fieri poteſt, & proportione rituum diverſorum ſervata; illa autem connaturalis eſt formaliter in ſe, tam juxta communem, quam juxta noſtram ſententiam, itaut miracula præſuppoſitive ſe habeant. Quamvis tamen Miniſter nec miracula illa præſuppoſita efficiat inſtrumentaliter, nec actione ſua conſtituat ſacrificationem ipſam; conſtituit attamen per verba, tamquam per formam, Sacramentum; & deinde per verba, & actiones conſtituit in ratione ſenſibilis ſacrificium eſsentialiter, & ſacrificationem, uti ſæpiſſime animadvertimus, ne Miniſtrum credas extra omnem rationem, & eſsentiam ſacrificii operantem. Ipſam vero ſacriſicationem in ſe intrinſece conſtituere non debet, & propterea in actibus Apoſtolorum Sacerdotes celebrantes miniſtrare dicuntur, quia ſummo Sacerdoti, ad quem ſpectat unice actio intrinſeca immolandi, inſerviunt, efficiendo perceptibilem nobis ſenſibiliter ejus activam ſacrificationem, paſſivamque. Qua via ſacrificium intrinſece ſemotum eſt ab omni periculo inquinamenti à quo immune prorſus futurum prædixerat Malachias, & docet Synodus Tridentina. Unde licet Sacerdos abuti valeat poteſtate ſibi conceſsa, ea tamen arte conſtructum eſt ſacrifieium, ut violare ipſum nequeat, vel aſtutiſſima infinitudo malitiæ, *Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.*

Num. 107. Nona objectio petitur ex geminato ſacrificio, neceſſario reſultaturo ex conſecratione utriuſque ſpeciei ſemper: quandoquidem utrobique exiſtit ex integro Chriſtus Dominus, adeoque ſummus Sacerdos: ergo utrobique immolat ſeipſum per nolitionem illam ſuſpendentem omnem functionem vitalem corporis in actu ſecundo, alioqui non foret ſacrificium incruentum, cum hoc eſſentialiter poſtulet utramque ſpeciem ſeparatim ad repræſentandum Crucis ſacriſicium, adeoque petit immolationem ſub utraque, cum nequeat conſtituere ſacrificium ſub aliqua ſpecie, quin ſub ea immoletur. Inde autem conſequitur ineluctabiliter, futurum actu duplex ſacriſicium adæquatum in unaquaque miſſa, cum ſub quavis ſpecie imperet ſuſpenſionem vitæ, ſive immolet actu vitam actualem adæquatè. Vel ſi in alterutra non offerat, aut non immolet, infringuntur in illa aſſertiones, & omnia argumenta noſtra, quia ſub illa non foret Sacerdos; aut eſſet, & non ſacrificaret, aut ſacriſicaret, quin vitam in actu ſecundo à ſeipſo auferret. Deinde ſi ſub una immolet utramque, nulla apparet ratio ſolida cur potius ex una, quam ex altera exequatur munus Sacerdotis. Si ex utraque ſimul concurrere dicas, vel ex qualibet adæquatè, & ſic erunt duo ſacrificia completa; ſi partialiter parum dignè ſacrificat ex unaquaque, cum ex nulla perficere valeat ſacrificium: & inſuper quia dum ſacrificat ex utraque debet immolare ex quavis vitam actualem ſuam ſub eis ſpeciebus; ſi autem illam ſacrificat erit eo ipſo adæquatum ſub unaquaque, cum nihil illi deſit ad integrum ſacrificium; ſi autem ipſam non immolet, nec inadæquate ſacrificat. Confirmatur quia eſſe poſſunt operationes non tantum numero, ſed ſpecie diverſæ actu exiſtentes ſub ſpeciebus panis v. g. quæ non ſint actu ſub ſpeciebus vini, ſed aliæ ſpecie diverſæ; utrobique igitur erit victima diverſa, cum immoletur ipſa vita actualis, quæ actu præexiſtit. Hoc autem abſurdum eſt, cum ſit inconcuſſum apud Patres, & Theologos, victimam in jugi ſacrificio quotidie oblatam eſſe ſemper eamdem.

Verum argumentum hoc premit etiam omnes illos, qui aſſerunt, Chriſtum Dominum exercere munus Sacerdotis proprie, & phyſicè in altari, licet ex Empyreo, contra quam ſententiam communem fieri poſſunt ſimiles calculationes, exerceat, ne, munus adæquate ſub qualibet, vel partialiter &c. Reſpondemus itaque, Chriſtum Dominus ſub utraque ſpecie exequi neceſſariò munus Sacerdotis, quia juxta præſentem ſacrificii inſtitutionem utraque neceſſario requiritur ad conficiendum ſacrificium repræſentativum ſacrificii cruenti [quantumvis potuerit aliter inſtitui in alia providentia]. Quapropter non ita poteſt adæquate exercere munia Sacerdotis ex quavis, ut præciſi-

Digitized by Google

ciſive ab exercitio ſub alia peragat ex integro ſacrificium; quia hoc foret contra eſſentiam ejuſdem ſacrificii [tametſi ſit perfecte ſacramentum ſub qualibet] quamquam enim ut elicita ſub qualibet, feratur objective in privationem vitæ ſub utraque; debet attamen exerceri active, ſive elici ſubjective ea ſacrificatio ex utroque loco. Verum, ita concurrit ſub unaquaque, ut adæquata ſacrificatio, ſive actio ſacrificativa, & adæquata victima reperiatur ſub quacumque illarum: quoniam opinamur, eamdem nolitionem, ſive idem numero imperium elici adæquate utrobique, uti in ſimili diximus diſp. 2. & alibi ſæpe. Non ſane itaut producatur ſub una ſpecie, & adſit in alia per concomitantiam, cum eam concomitantiam operationum actualium volubilium expugnaverim late ibidem. Et cum ad perfecte ſubeundum munus Sacerdotis ſub qualibet ſpecie, debeat ſub qualibet efficere active ſacrificationem. Sacrificatio igitur illa reperitur eademmet adæquate utrobique: niſi quod ex natura ſacrificii, debeat eadem, ut plene ſacrificet, & ſacrificium conſtituat, elici, & adeſſe utrobique.

Rurſus victima eſt eadem formaliter utrobique (ut ſic enervetur confirmatio) quoniam ſacrificatio illa, ſeu imperium aufert omnem ſimpliciter actum vitalem à corpore pendentem, cujuſcunque ſpeciei, aut rationis ſit, tam præexiſtentem, quam futurum, & poſſibilem proximè; ad quod de materiali omnino ſe habet, quod ſint hi, vel illi numero, aut ſpecie diverſi actus, qui præexiſtunt, quod ſint ſenſationes externæ, vel internæ &c. Atque adeo victima formaliter ſemper eſt eadem ſub utraque ſpecie (cum in plurium ſententia, qui ſpecies ipſas offerri dicunt ſecundariò una cum corpore, & ſanguine, adſint diſtinctæ ſpecies numero pro diſtinctione ſacrificiorum). Hoc autem modo, & ſalvatur neceſſitas immolationis ſub utraque ſpecie, & ſimul adæquatio ſacrificationis ex quolibet loco, ut ſervetur majeſtas, & dignitas operandi ſummi Sacerdotis ex quavis parte. Debetque fieri ſacrificatio illa ſimul, & eodem momento temporis utrobique, cum ſit tempus ex Inſtitutione ipſa determinatum; ne ſub una prius ſpecie vitam amittat; & dein, ſub alia quaſi incipiens mori (ſeu non vivere actu) in ea ſacrificatione, ut Filius Reguli Joan. 4. & ſicut Actor. 23. Lyſias ſcribens Felici ſe eripuiſſe, ait, è manibus Judæorum Paulum *incipientem mori*.

Num. 108. Oppones decimo: ponendum foret neceſſariò, qua Sacerdotem ſub ſpeciebus vi verborum, cum ipſe ſit Sacerdos actu ſacrificaturus, & cum Sacerdotis præſentia ſit per ſe eſſentialiter requiſita ad ſacrificandum. Ulterius, cum non ſit victima, niſi qua actu vivens, ut ejus vita immolari valeat, conſtituendum erit vi verborum non ſolum Corpus, & Sanguis, ſed anima, & reliqua, quæ per concomitantiam ponuntur, ut poſſit eos actus elicere. Sin aliter non aderit victima ſacrificanda, quatenus eſt ex vi Sacramenti; quod alienum videtur à doctrina Patrum, & ſenſu communi fidelium. Reſpondeo, neceſſariò ponendum Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus, qua ſummum etiam Sacerdotem, & qua victimam; non tamen ponendum neceſſariò ex vi verborum, ſed ex efficacia verborum, ut Scholaſtici paſſim in ſimili loquuntur. Sicut neceſſario conſtituendus eſt integer Chriſtus Dominus ſub qualibet ſpecie, & ejus particula; non tamen ex vi verborum, ſed ex eorumdem efficacia. Rurſus ex efficacia illa non debet conſtitui ut Sacerdos in actu ſecundo: nec ut victima in actu ſecundo, cum utrumque munus habeat tempus determinatum, in quo ſit exercendum, dum nimirum actu offertur, & immolatur; ſed in actu primo, cum facultate inſtrumentaria eidem debita, ejuſdemque propria ad eliciendos actus vitales, quibus actu ſubeat munia Sacerdotis, & quos actu ſacrificet, quoſque neceſſario ex vi Inſtitutionis, & elicere debet, & immolare. Sicut eadem neceſſitate tenetur ad conferendam gratiam ex opere operato, dignè ſacrificanti, & ritè ſumenti; & tamen vi verborum non conſtituitur ibi ut in actu ſecundo conferens, aut producens effectus illos. Ejuſmodi autem doctrinam non eſſe alienam à Patribus, ſed potius juxta eorumdem mentem, ſatis perſpicuum eſt ex teſtimoniis, quæ decerpſimus ex eiſdem, præſertim cum ſit extra dubium, latere in ſacrificio altaris abdita quamplurima, ſecretaque profunda, nondum ſatis reſerata, ut innuere videtur Synodus Tridentina ſeſs. 22. cap. 5. *Aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur*. Unde arbitramur, præfatam doctrinam, ſententiamque adeo planam, tutamque eſſe, ut nullum offendiculum ſubmittat, vel properanti, aut currenti clauſis oculis per fidei ſemitas, etiam difficiliores.

Si undecimò: Objicias, inferri ex hac opinione, Miniſtrum celebrantem debere quantocyus expedire ſacrum, ſemel facta conſecratione, ut quamprimum Chriſtus Dominus recuperet vitam actualem immolatam, nec prudenter, amanterque facturum, qui diutius perſiſteret in Defunctorum commemoratione. Reponam, inconſideratè objicienda fore hæc ab illis; qui non reputant indecorum, nec à dignitate Chriſti Domini alienum, quod exiſtat inanimis toto tempore, quo ſpecies durant; etiamſi illa non abſolutè, ſed veluti ad hominem ex principiis noſtris opponant. Siquidem principia noſtra ita credunt, & ſuadent indignum Majeſtate Chriſti Domini exiſtere

ſem-

ſemper ſub ſpeciebus emortuo modo; ut ſimul ſuadeant, & credant ſummè decens eamdem, ut vitam illam tanquam ſummus Sacerdos immolet Patri. Ut hoc modo ſacrificium peragat ſtrictè, & propriè; alia via uon confecturus, permaneatque ſacrificans deſtinato illo tempore; recuperaturus poſtmodum ſub eiſdem ſpeciebus compenſationem in delectatione Corporis, & Angelorum præſentium laudis, quæ poſſit eſſe uberior, juxta moram minorem, aut majorem victimæ, qua ſacrificatæ: & interim in anima percipiens accidentarium aliud, & ineffabile gaudium, de honore, quem Deo præſtat ea immolatione, & de mundi utilitate, quæ longè major percipitur à fidelibus eo tempore, quo ſacrificatus exiſtit, tam defunctis, quam vivis. Quinimmo, licet nulla ejuſmodi compenſatio fieret, cauſa tamen, ob quam illa privaretur, adeo digna eſt, adeo ſupremæ majeſtati debita, & grata; ut nullum exinde argumentum fieret pro reſiduo tempore: & ut, dum cunctatur miniſter, decenter, digneque exiſtat, cum agat utilitatem noſtram, & Dei ipſius cauſa. Quapropter; quod tardius, vel celerius miniſter celebret, nullam Chriſto Domino injuriam irrogat, nullum decentiæ ipſius, aut fælicitati præjudicium facit. Præterea licet reviviſcentia illius ſignificetur per mixtionem corporis cum ſanguine, ut ſectione præcedenti ſtatuere conati ſumus. Cum tamen per illam mixtionem externam non fiat effectivè ea reviviſcentia, ſed repræſentetur: cumque nobis infallibiliter non conſtet, ſtatutum eſſe illud numero inſtans ad illam efficiendam; quamquàm ſit conſtitutum ad illam ſenſibiliter ſignificandam; contingere poſſet, ut citius ab Spiritu Sancto fieret, quem in eum finem Græcos precibus, & gemitibus invocare, diximus, & quorum efficacia permoveri poſſet divinitus ſpiritus ad eam præmaturè inducendam; tametſi per ſe ſit determinatum tempus illud, quo per mixtionem reunitur ſanguis, ſeù vita corpori. Hæ ſunt prodigioſæ illæ tranſmutationes Euchariſticæ (quarum ſæpè meminimus in hoc tractatu) ſuperantes etiam fabuloſas. Vix enim conſtituitur, & veluti, ut ita loquar, naſcitur in altari; cum illico apparet ſtatus illius incapax naturaliter eliciendi ſunctionem aliquam vitæ corporis. Vix in eo ſtatu conſideratur; cum protinus virtute divina concipitur erumpens in diverſitatem operationum immanentium, ex omui parte mirabilium. Vix rurſus exiſtit ea vita præditus, dum confeſtim Cygneum neſcio quid mente canens, jacet inſtar emortui. Vixque tandem languet eo modo, cum iterato reviviſcit, floret, & fulget, motu, viſu, operationum vitalium calore vegetus, quamquam ſemper immortalis. Quo potuit jure reſpicere S. Dionyſius de Divin. Nominib. cum dixit: *Acutus amor formas multiplicēs effingit, & oſtendit*: Hic autem effingit, & abſcondit.

DI-

DISPUTATIO SEXTA.

Quo jure componi valeat unitas Sacerdotii aterni, ac ſubindè Sacrificii unitas ab Apoſtolo Gentium ineluctabilibus, grandibus, inculcatiſque argumentis, & irrefragabili authoritate ſtatuta, cum diverſitate ſpecifica ritus cruenti, & incruenti, & numerica ſpecierum, verborumque, & actionum in jugi ſacrificio? Ubi quid de merito ſupremi Sacerdotis in illo peragendo?

REm nimis arduam, & veluti in cacumine Theologiæ ſitam, aggredimur explanandam: illius aſperitatem acclivem planam reddere tentarunt jampridem Interpretes, & Scholaſtici; num verò obtinuerint, examinandum eſt graviſſima hac Diſputatione. Opinamur ſiquidèm, ægrè admodùm, durè, nec niſi anhelo nimiùm pectore, & violenta ratione, deveniri poſſe ad ſummitatem, ni incedatur per ſemitas peculiares, hactenùs à nobis in præcedentibus tritas, & priùs interdùm apertas. Dum enìm diverſitatem ſpecificam, aut ſaltèm numericam ſacrificiorum (quæ ſunt propria Sacerdotii Chriſti Domini) invexeris, vel comparando incruentum cum ſacrificio Crucis, vel quod nunc offerimus cum peracto in Cœna à ſummo Sacerdote viſibilitèr: vel ab invicem ſacrificia à nobis diverſis numero ſpeciebus, & verbis celebrata; ſemper urget efficaciſſimè, quin & premit, doctrina ſæpiſſimè à D. Paulo ardentèr, & inſtàr turbinis præcipitantèr effuſa, multiplici tuba clamante, Sacerdotium eſſe unicum & ſecundùm ritum Melchiſedech, & ex conſequenti eſſe paritèr unum tantùm ſacrificium, tametſi perennaturum unà cum Mundo.

Notum eſt enim illud Magni Leonis ſerm. 7. de Paſſione: *Omnem differentiam Hoſtiarum unius Corporis, & Sanguinis complet oblatio*. In qua veritate promovenda multus eſt S. Aug. lib. 1. contra Adverſ. leg. & Proph. cap. 20. & de Civit. l. 17. cap. 10. alibìque. Chryſoſt. in Pſal. 95., & alii Patres. Semel nanque fuiſſe oblatum Chriſtum Dominum oſtendit Apoſtolus, contraponitque unitatem ſacrificii ſupremi noſtri Sacerdotis multiplicitati ſacrificiorum antiquæ legis, in qua fuere plurima, uti & plurimi Sacerdotes, & Victimarum diverſæ rationis jugis immolatio; creberque fluxus: eo quod infirma eſſet lex illa vetus, ac proindè multiplicatione Sacrificio-

rum,

rum, & Hoſtiarum opus erat, Sacerdotumque ſibi ſuccedentium numeroſitate. Quo pacto namque gloriari poteſt Eccleſia Sancta de unitate omnimoda ſacrificii in Sacerdotio ſui Capitis, præ Synagoga, & verificari Pauli doctrina, ſi ultrà cruentum ſacrificium, adorandum eſt & conficiendum ritu incruento aliud diverſum ab ipſo ſupremo Pontifice celebratum, priùs quam exundaret cruentum, & ſucceſſivo curſu verborum, accidentiumque, & operationum diſtinctarum, à fortiori numericè quotidiè diſtinctum? Quamquam enìm probatiſſimi Theologi, & ſanè quamplures varias excogitaverint evaſiones, & emergendi ſemitas; numquam tamen ſatis figit in eis pedem diſcurſus, nec quieſcit intellectus; etiam illius, qui ſit optima, & pacata indole rationis conſtitutus: neque illæ obſtare potuerunt, quominùs irrequietum Hæreticorum vulgus omne aliud ſacrificium præter cruentum deturbare nitatur à lege Evangelica, altaris idcircò ſacrificium incredibili protervia removens, ea Pauli doctrina & argumentatione armatum, & fretum; quamquam re ipſa ab arrogantia, & impietate motum, odioque in Eccleſiam Romanam agitatum. Volunt enim Hæretici actum fidei oculatum, cum debuiſſent expetere cæcum; noluntque proprium obſtinatum judicium immolare in eadem illa ara, in qua Chriſtus Dominus immolat ſeipſum.

Nodum hunc difficillimum, & implicatiſſimum non alitèr verè, & expeditè, & congruentèr diſſolvendum fore putamus, quam ſuccumbendo ex integro, & veluti ad literam, verbis Pauli. Utrumque enim ſacrificium, Crucis, & Altaris, eſt verum, ſtrictiſſimumque ſacrificium; utrumque tamen ſimplicitèr eſt unum numero, & tantùm ſecundùm quid diverſum pœnès ritum, & modum: conſimilitèrque omnia altaris ſacrificia celebrata, celebrandaque quandiù ſteterit Mundus, ſunt unum numero ſimplicitèr ab invicem (& cum ſacrificio Crucis) & ſecundùm quid duntaxàt, minuſque propriè, diſtincta numericè. Ex quo fit neceſſariò, ſacrificationem formalem eſſe eamdem numero in omnibus jugitèr reproductam. Et exindè rursùs infertur, Sacerdotem ſummum eam ſacrificationem elicientem ſemper (juxtà Diſputationis antecedentis principia) eſſe unicum ſimplicitèr, ſub ſpeciebus actu viventem, quin alium ſacrificantem principalitèr permittat, nec ſimul, nec ſuccedentem, quantumvis agnoſcat, & inſtituat plurimos alios ſubalternos, verè quidèm Sacerdotes, miniſtrantes tamen ipſi, & inſervientes in ſacrificio unico, jugitèr peracto, peragendoque. Ecce tibi expeditiſſimam ſententiam, quæ, & adamuſsìm verificat Pauli doctrinam, ſalvat jugis ſacrificii proprietatem omnimodam, exarmat Hæreticorum cauſam, & perfidiam, & viam arripit majeſtate Sacerdotii Chriſti Domini & ſacrificii illius, digniſſimam. Hanc inſinuaſſe videtur idem Apoſtolus Hæbr. 5. dum ait: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego bodie genui te. Quemadmodùm & in alio loco dicit: tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Verùm quid commune habet generatio æterna cum Sacerdotio Chriſti Domini? Pater ab æterno generat: Sacerdos ſummus in tempore immolat: vita generatione communicatur; ſacrificatione auffertur. Profectò nihil aliud æquè propriè, quam illud *bodie* perpetuum generationis, & eadem ipſa ſemper generatio, ut inde inferri valeat eadem ſemper, & jugi *bodie* ſacrificatio (& non ſolùm hoſtia) ſacrificiumque illius

Sacerdotii æterni ſecundùm ritum Melchiſedech: ſicut enim Chriſtus Dominus heri, & hodie idem eſt, ut Apoſtolus etiam dixit, ita & ejus ſacrificium. Num verò ſolidiſſimis fundamentis, reflexionibus, & doctrinis nitatur aſſertum hoc noſtrum (animosè potiùs quam audactèr prolatum) apparebit ex eis; quæ præſens Diſputatio producet ſensìm in medium. Si tamen adyta ſummè recondita, multaque caligine circumfuſa, adire pœnitùs non licuerit, ſiſtendumque mihi ſit extra limen etiam, dicam patientèr cum Lyrico: *Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur ultrà.*

SECTIO PRIMA.

Adumbratur ſumma ingentis difficultatis, & exploduntur quæ paſſim adhibentur, illius ſolutiones, continentes potius fugam, quam rationem ſolidam & energiam.

§. I.

Num. 1. PONDUS graviſſimum præſentis difficultatis molem ſuam ferè ex integro accipit ex Epiſtola D. Pauli ad Hæbr. à cap. 5. ad decimum uſque, incluſivè: molem ſanè ægerrime dejiciendam ab humano ingenio, etiam cultiſſimo, & in ſcientia rerum divinarum admodum verſato; ni ab ipſo Apoſtolo, à quo argumentum deſumit vim, hauriat reſponſionem. Divus Paulus namque, ut doceat unicum ſurrexiſſe Sacerdotem, qui ſucceſſorem prorſus neſciat unquam, tametſi ſubalternos, miniſtroſque admittat, & faciat, inquit; cap. 7.: *Et alii plures facti ſunt Sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Et infra: *Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes*, & ideo permanendi incapaces, & ex conſequenti pluralitatem ſucceſſivam Sacerdotum exigens: *Sermo autem juris jurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.* Eademque ratione appellat ipſum Sacerdotem Magnum cap. 10. *& Sacerdotem Magnum ſuper Domum Dei*, quia in eo ſupremo gradu unicus eſt, quemadmodum unicus erat in Lege ſummus Sacerdos: quoniam tamen ille æternus non erat, vero ſucceſſori locum dabat. Non ſic autem ſummus Sacerdos noſter, qui à Deo conſtitutus eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Qui*, ait cap. 7. *nec initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.* Poſtquam itaque eam ſupremi Sacerdotis ſingularem unitatem ſtabilierat, firmat pariter unitatem ſacrificii ab eodem Sacerdote ſummo peracti: ut ex duplici illo fonte unitatis, Sacerdotii videlicet, & ſacrificii, extolleret Sacerdotium Chriſti Domini infinite ſupra Sacerdotium Aaronicum.

Hanc igitur ſacrificii quoque ſingularitatem probat multis: ex eiſque omnibus, ut contra poſitis multiplicitati ſacrificiorum, & Hoſtiarum, eorumdemque repetitione indeſinente, depromit ſimul argumenta irrefragabilia, quibus Chriſti Domini ſacerdotium excellentius, ſublimius, & efficacius oſtendat antiquæ legis Sacerdotio. Nam cap. 7. ait: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtia offerre, deinde pro Populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo:* & cap. 9. *Introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa.* Et verſu 25. *Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioqui oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſumatione ſæculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem judicium. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10. comparans antiqua ſacrificia, eorumdemque multiplicitatem cum ſacrificio Sacerdotii Chriſti Domini ait: *per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt inceſſanter, numquam poteſt accedentes perfectos facere... & omnes quidem Sacerdos præſtò eſt quotidiè miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei. De cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Una enim oblatione conſumavit in æternum ſanctificatos... ubi autem horum* (peccatorum) *remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato:* Et ibidem verſ. 26. *jam non relinquitur hoſtia pro peccato.* Quibus omnibus manifeſtè aſſeruiſſe videtur Apoſtolus, Sacerdotium Chriſti Domini æternum, & ſecundum ordinem Melchiſedech inſtitutum, ipſique debitum, unico tantum ſacrificio contentum eſſe, immò & incapax eſſe alteriùs, derogandumque fore dignitati, tum ſacrificantis, tum ſacrificii, ſi ulteriori immolatione indigeret ad omnia Mundi ſcelera penitus delenda, & ad placandum Deum, tametſi valde iratum, jamjamque alioqui orbem ipſum fulminaturum.

Ex his autem aſſurgit difficultas ſupra delibata, & implexiſſima, quæque non tam facilè diſparet, ut credidere nonnulli. Sapienter namque monet Eximius Doctor diſp. 74. ſect. 1. proponens æterodoxorum argumentum potiſſimum, quo ſacrificium Miſſæ, veluti machina quadam irreſiſtibili invadunt: *Hoc autem fundamentum, quamvis ſpecie videatur infirmum, magnum tamen robur ſumit ex Epiſtola Pauli ad Hæbr., in qua ſimili argumento uti videtur, ut concludat, vetera ſacrificia fuiſſe infirma: quandoquidem poſt illa omnia neceſſarium fuit Sacrificium Crucis. Hæc autem argumentandi ratio, ſi efficax eſt, eodem modo concludit de quocumque poſteriore ſacrificio: unde apertè Paulus ex illius ſacrificii perfectione concludit, illud unicum ad conſumandam noſtram ſalutem ſuffeciſſe.* Summam itaque difficultatem apprehendit, qui rem profundè meditatur; quam nec ex alto videt, nec credit, qui leviter, & properanter tranſit.

Num. 2. Porro diſcurſus Egregius Apoſtoli eo tendit, ut demonſtret, vetera ſacrificia, utpotè debilia, & imperfecta, in-

ſufficientia planè fuiſſe, cum debuiſſet ſuppleri eorum infirmitas, aut detectus cujuslibet, pluralitate. Uti & ex eodem titulo convincit imperfectionem Sacerdotii, cum nullus Sacerdos eſſe poſſet æternus, ſucceſſioneque propterea Sacerdotum opus fuit. E regione vero Sacerdotium Chriſti Domini, arguit Paulus, conſtituit illum Sacerdotem æternum, removentem ſucceſſoris neceſſitatem, exiſtentiam, & poſſibilitatem. Pariterque illius Sacerdotii proprium ſacrificium ob ſuam perfectionis infinitudinem, ſummam dignitatem, efficaciam, & amplitudinem, ejus naturæ eſſe, docet, ut neceſſitatem, exiſtentiam, utilitatemque alterius prorſus excludat; quia quodlibet aliud injuriam ejus majeſtati faceret, quia derogaret ejuſdem perfectioni, quaſi aliquid ipſi defuiſſet, quod per novum ſacrificium ſupplendum foret. Et ex conſequenti non ſolum removet omne aliud, quod credi poſſit neceſſarium, ſed & quod cenſeri valeat utile, conducens, aut quocunque alio titulo exiſtens. Aut igitur diſcurſus Apoſtoli inefficax eſt ad convincendam debilitatem veterum ſacrificiorum, vetuſti Sacerdotii, excellentiamque ſacrificii Chriſti Domini ſupra omnia antiqua ſacrificia (quod vel ſomniari nefas eſſet); aut demonſtrat pariter, nullam eſſe poſſe pluralitatem ſacrificiorum intra Chriſti Domini Sacerdotium, ſicut evincit eadem ratione apud omnes, nullum habere poſſe in Sacerdotio ſupremo Succeſſorem.

Ubi obſervandum, pluralitatem etiam reſponſionum quæ à multis, ſive Interpretibus, ſive Scholaſticis afferuntur, potuiſſe quidem tolerari, qua probare ab intrinſeco, & metaphyſice, ſatagunt, minimè derogari Sacrificio Crucis per aliud ſacrificium, tametſi ſpecie diverſum ab illo, nec per multiplicitatem aliorum, quæ numero purè diſtinguautur; ſi non elicerentur in conſpectu argumenti Doctoris Gentium. Omnino tamen reprobandæ ſunt, qua derogant efficaciæ argumenti Pauli, & in ejus conſpectu efformantur. Poſſet equidem fieri, ut ratio probans non repugnantiam pluralitatis ſacrificiorum Sacerdotii Chriſti Domini eſſet ſpeculativè probabilis, quia nulla appareret repugnantia intrinſeca in ea concilianda cum infinitudine Sacrificii Crucis, quin ipſi deroget; fieri tamen nequit, ut illa pluralitas adſtruatur, vel exiſtens, vel non repugnans, quin per illam debilitetur Apoſtoli argumentum, quippe quod fundatur in excluſione ejuſmodi pluralitatis, etiam ſi tantum qualitas ſit, & in nota multiplicitate Sacrificiorum Legis Moſaycæ, ad inferendum, & ſacrificium noſtrum eſſe infinito intervallo nobilius, & Sacerdotium Chriſti Domini incomparabiliter præſtantius. Si autem excluſio illa, in qua fundatur, arceret tantum neceſſitatem aliorum ſacrificiorum, itaut ſtabiliri poſſet illorum utilitas, aut congruentia; argumentum ſacrum neutiquam convinceret intentum ſimpliciter; etiamſi demonſtraſſet, nullam eſſe eorumdem neceſſitatem, & ex hac parte ſuperarent vetera, quæ aliorum ope indigebant. Quandoquidem poſſet exiſtere ut utilis, vel congruens, ea pluralitas; & ſic argumentum illam de facto removens titulo neceſſitatis, illius multitudinis exiſtentiam de facto non improbaret; nec illam excluderet, ut contendit ibidem D. Paulus.

Incautè igitur plures laborant unicè in componenda prædicta multiplicitate cum ſacrificio cruento, quantumvis ſimpliciter ſummo; immemores conciliandi ipſam cum argumento Pauli. Licet revera ſemel ac cum ea Apoſtoli argumentatione concordari nequeat ſacrificiorum pluralitas; omnis opinio, quæ non repugnantiam illius concordiæ ex principiis intrinſecis comprobare ſatagit, fallitur omnino, & cadit ſimpliciter à vero, cum non idcirco illa repugnet, quia Paulus dixit, & veluti extrinſecè; ſed potius Paulus dixerit, quia ex ſe illa repugnat, cum Theologicè arguat, ut eam ſtabiliat: eſt enim Pauli doctrina rerum divinarum ſcientia puriſſima, fonſque, è quo manat, modo fluctibus, modo fulgoribus vera Theologia. Verum ſanè eſt, Theologiam communem ſolicitam eſſe de concordia hac, conciliareque juge ſacrificium conatur cum ſacrificio Crucis, & ſimul utriuſque ſummam perfectionem. Cæterum ſi concordia hæc fiat per ſacrificiorum pluralitatem; nequit illa non diſcordare à doctrina Pauli. Fide namque certum habemus, exiſtentiam utriuſque illius ſacrificii; illam tamen componere cum Apoſtoli argumento, eſt vertex ille ſummus difficultatis præſentis, è quo cadunt præcipites hæretici, & ad quem explanandum, ægrè, aut numquam aſcendunt communes ſolutiones.

Num. 2. Urgetur: quoniam Apoſtolus eodem prorſus modo loquitur de ſacrificii unitate, ac de unitate ſingulari hoſtiæ, ut manifeſtant loca producta, & alia, quæ exprimuntur ſæpiſſimè in eadem Epiſtola. Sed Chriſti Domini Sacerdotium nullam aliam reſpicit hoſtiam, niſi ſeipſum, Corpus ſcilicet, & ſanguinem proprium, ut definitum habes in Tridentino ſeſſ. 22. Ergo & ſacrificium eſt unicum. Si namque circa eamdem victimam verſari poſſent plura ſacrificia, perperam compararet unitatem ſacrificii cum unitate victimæ. Urgetur ſecundo, quoniam licet hoſtia ſit eadem tam in ſacrificio Crucis, quam in ſacrificio altaris; ſi tamen actiones ſacrificandi, aut ſacrificationes ſint diverſæ, vel diſtinctæ, ſacrificia eo ipſo erunt, vel numero, vel ſpecie diverſa, quia ſacrificationes conſtituunt formaliter ſacrificium juxta illarum diverſitatem, & naturam, ſive terminentur ad eamdem materiam, aut Hoſtiam, ſive diverſam; cum poſſent haurire diverſitatem ex aliis capitibus, modoque, & ritu. Quin & circa eamdem materialiter victimam, ejuſ-

ejuſdemque ſpeciei, poteſt hæc mactatio reſpicere vitam ſimpliciter, quam auferat, ut contigit in ſacrificio Crucis; & illa non vitam ſimpliciter aufferre; ſed aliter eam immutare, ut contingit in ſacrificio incruento, apud Theologos ſedulo quærentes aliquid reale in ea victima, quod immolare valeat ſacrificatio Euchariſtica. Jam ſic: ubi ſacrificia ſunt diverſa, etiamſi res oblata, ſacrificataque, ſit materialiter eadem numero, reperitur pluralitas realis ſacrificiorum; ſed omnis ejuſmodi pluralitas pugnat ex diametro cum argumento Apoſtoli, efficereque inerme ejus ratiocinium ſollicitat, cum ex pluralitate veterum ſacrificiorum arguat eorumdem imbecillitatem; & ex unitate hujus colligat ejus vires inexhauribiles, & pretium infinitum, ſuperabundanſque ad genus humanum redimendum. Ergo etiam pluralitas ea ſacrificiorum, quæ terminatur ad eamdem numero Hoſtiam, contradicit Apoſtolo. Neque rurſus idem Apoſtolus arguebat debilitatem ſacrificiorum veterum ex pluralitate ſolum eorumdem circa diverſas ſpecie victimas, verum & circa victimas ſolo numero diſtinctas: & ex conſequenti (juxta horum Theologorum doctinam) ex pluralitate ipſorum circa eaſdem ſpecie Hoſtias, ut liquet ex verbis illis cap. 10. *Et eaſdem ſæpè offerens Hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata.*

Ex his autem remanet enervata penitus prima reſponſio, per unitatem Hoſtiæ tentans conciliare argumenta Pauli, eorumque efficaciam cum jugi ſacrificio, tametſi ſpecie diverſo à ſacrificio cruento, eo quod utrobique ſit eadem numero Hoſtia, aut victima, quæ aram Crucis Sanguine rigat; dum aram in altaribus nullo cruore fuſo humectat.

Neque fælicior eſt ſecunda; nec adeſt jam minus exarmata, quæ per ſolam diverſitatem purè numericam utriuſque ſacrificii ſimul cum unitate Hoſtiæ eredit ſe à difficultate expeditam, quam tenuit Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1. & alii, quos ſuppreſſo nomine referunt Eximius Doct. diſp. 76. art. 1. & P. Vaſq. diſp. 224. cap. 2. rati accidentariam eſſe illam rituum diverſitatem, quæque ad eſſentiam uſque ſacrificii neutiquam penetret. Quandoquidem Apoſtolus vim ex integro facit in pluralitate ſacrificiorum, ſive ſit pluralitas ſpecifice diverſorum, ſive quæ ſolo numero diſtinguantur: cum ad demonſtrandam inſufficientiam uniuſcujuſque ſufficiat neceſſitas aliorum numero diſtinctorum tantum, æque ac diverſæ ſpeciei: quoniam eo ipſo quod aliis egeat, licet numero diſtinctis, ſe ſolo non ſufficiat ad obtinendum finem, in quem dirigitur. Immo quodammodo clarius apparet inſufficientia, dum eget pluralitate aliorum ejuſdem ſpeciei, quam ſi adeſſet neceſſitas pluralitatis ſacrificiorum ſpeciei diverſæ: ſiquidem hæc reſpicere poſſet fines diverſos, tametſi unumquodque finem integrum ſuum obtineret; ſecus vero illa, cum debeant per ſe intendere eumdem finem, ad cujus aſſecutionem, quodlibet eorumdem ſeorſim detegeret inſufficentiam ſuarum virium.

Præterea inſufficientia virium unius hominis ad portandum ſe ſolo pondus aliquod non minus evidenter oſtenditur per hoc quod egeat adjutorio, aut ope alterius hominis, vel Angeli, vel etiam concurſu ſpeciali omnipotentiæ. Quin ſufficiat reſpondere, ejuſmodi auxilium quamvis præſtetur ab Agentibus ſpecie diverſis; eſſe tamen ejuſdem rationis formaliter, de materiali ſeſe habente in ſpecifica diverſitate. Nam cum ſacrificium per ſe intendat placare Deum, & mundare homines à peccatis; ſi ad finem hunc altiſſimum indigeat unumquodque adjutorio aliorum ſacrificiorum, de materiali pariter ſe habere poteſt eorumdem ſpecifica diverſitas, cum auxilium, quod ab illis emendicat, ſit ejuſdem rationis. Quin licet fines intermedii ipſorum forent diverſæ conditionis, ultimus tamen, & potiſſimus, in quem veluti in ſcopum collimabant, ſemper eſſe poterat idem, in ordine ad quem defectum virtutis experiebantur, & una cum moriente victima, deliquium virium perpeſſa, jacebant in ara.

Num. 4.. Ut enim egregiè argumentatur, & obſervat Vaſqu. in nupero loco, Apoſtolus parum, aut nihil curavit de diverſitate ſpecifica, aut pluralitate ſolum numerica, utpotè quæ impertinenter ſe haberent ad efformandum ratiocinium, concludens in forma, neceſſario fuiſſe plurima vetera ſacrificia, cum non intriuſeco valore ſuo, ſed numero, ſeu multiplicate fiderent; cum Chriſti Domini ſacrificium ſigularitate obtinuerit cuncta. Inſuper verba Apoſtoli, paulò ſuperius repetita, ex pluralitate earumdem numero Hoſtiarum per ſimilem omnino jugulationem, aut actionem ſacrificativam immolatarum, inferunt præfatæ ſacrificationis, & Levitici Sacerdotii imbecillitatem, & ægram virtutem. Unde ſi Chriſtus Dominus iteratò poſt reſurrectionem mori vellet Cruci denuò affixus, ſecundum ſacrificium cruentum peracturus, derogaſſet proculdubio infinitudini ſacrificii cruenti jam conſummati: cum otioſum ſecundum illud præſupponi non poſſet; ſed vel neceſſarium, vel utile, aut ſaltem congruum; ſubinde utilitas illius deſideraretur in primo: habereque non poſſet in eo eventu vim Pauli ratiocinium. Et nihilominus ſecundum Crucis ſacrificium eodem prorſus modo confectum, ac primum, foret ſolo numero diſtinctum, cum actiones, & eſſent ejuſdem numero Sacerdotis, & ſortiretur eumdem formaliter terminum, verſarentur eodem ritu circa eamdem numero victimam, & eumdem Sanguinem fudiſſent. Inſuper ſi loquendum ſit de ſacrificio ipſo, qua ſenſibili nobis extrinſecè (tametſi humano modo elicito, adeoque interve-

nieu-

niente Intentione, oblatione, ſacrificatione que) evidenter apparet, actiones illas eſſe ſpecie diverſas, quantum diſtat ritus incruentus à cruento, ut ſupponunt P. Suarez, & Vaſquez ſupra, & frequenter alii. Poſſunt equidem actus interni offerentis, & imperantis ſacrificium externum moveri ex eadem ratione formali, in linea virtutis, & religionis, reſpicereque eumdem plane finem, in qua acceptione ſub eadem ſpecie in linea moris comprehendi valeant; cæterum actiones externæ, quas imperat, & quæ vi illorum peraguntur, ſunt ſpecie prorſus diverſæ, ut per ſe notum eſt, notiuſque fiet infra, expugnando aliorum reſponſionem, tritam magis, quam veram.

Tertia, & ſatis frequens, ſacrificia Crucis, & altaris dicit ejuſdem ſpeciei, quatenus actus interni, quibus conficiuntur, intra eamdem ſpeciem religionis exiſtunt, ſub eiſdem motivis eliciuntur, eoſdem fines reſpiciunt, eumdem cultum Dei promovent, & ſupremum dominium proteſtantur. Cui ſententiæ præluxiſſe videtur Sotus ubi ſupra. Adjungique Theologus, quem refert Vaſquez, improbabilem eſſe ſententiam eorum, qui ſacrificium Crucis ſpecie diverſum conſtituunt ab Euchariſtico, quia pugnat aperto campo cum Apoſtolo in ea Epiſt. ad Hæbreos, ejuſque argumento.

Verum ſententia hæc nova expugnatione non eget, ut corruat pœnitus, cum ex dictis adverſus ſecundam reſponſionem cadat neceſſario cum ipſa, utpotè nihil adjungens, niſi expoſitionem modi, aut tituli, vi cujus ea ſacrificia ſint tantum numero diſtincta, & ad eamdem ſpeciem pertinentia. Quia non minus repugnat efficaciæ verborum Pauli multiplicitas numerica ſacrificiorum, quam ſpecifica: ac proinde licet ſit vera hujus reſponſionis doctrina, ad ſubjectam attamen difficultatem evadendam eſt importuna. Rurſus ex illa fieret, omnia ſacrificia vetera futura ejuſdem ſpeciei cum ſacrificio Crucis, & altaris, cum ex eiſdem motivis fuerint, ex ipſorum exigentia, & per ſe, celebrata. Uti & ſacrificia legis naturæ, quæ ea ratione Deo placuerunt, eoque titulo parem ſuavitatis odorem ſpirabant, ex eiſdemque virtutum regionibus, & aromatibus, ſumum adolebant. Quin & actus aliarum virtutum ſpecie diverſarum ex ſe, efficient pariter unam ejuſdem formaliter rationis ſpeciem, dum ex eiſdem motivis, fineque ultimo divini honoris, gloriæ, & cultus eliciuntur, in unamque gregem ſpecificam, tamquam in Caulam Cœleſtem congregabuntur omnes. Quod etiamſi, partim, & veluti extrinſecè verum ſit, dum virtutum omnium actus imperantur à charitate, ut omnium Regina; motiva tamen virtutum ſunt diverſa, uti & fines rationeſque formales, vi quorum ſunt intrinſecè ſpecie diverſæ. Quinimmò intra eamdem virtutem exiſtunt actus aliqui ſpecie infima diverſi (proindeque intra ſpeciem virtutis religionis) quia licet omnes eleventur per ſe ex motivo proprio illius virtutis; adjungunt aliqui actus formalitatem, aut differentiam inter illud motivum, aut modum tendendi peculiarem, è quo hauriunt diverſitatem ſpecificam. Quemadmodum irrationalia, tametſi conveniant in eo prædicato differentiali, per quod ſecernuntur ſpecie ab homine; per differentiam nihilominus ulteriorem contrahentem ſpeciem illam ſubalternam, diſcriminantur abinvicem.

Sic etiam, juxta plures, actus doloris, aut deteſtationis peccati commiſſi, ſpecie differt à propoſito firmo de cætero non peccandi; & nihilominus uterque ſpectat ad eamdem pœnitentiæ virtutem. Pariter igitur ſacrificia, etiamſi conveniant in motivo religionis, & cultus Dei, proteſtationiſque juris ſupremi ipſius in vitam, & mortem, dum verſantur circa Hoſtiam viventem, differunt per ipſummet motivum, qua determinatum, aut contractum diverſimodè per actiones ſpecie differentes ex modo, ex terminoque, ut formaliter intento, quas imperat, & è quibus redundat in ipſa motiva diverſitas ſpecifica, quatenus movent ad actiones diverſæ rationis, illaſque reſpiciunt. Longè namque diverſum eſt, mactare ovem, quam immolare ſeipſum, cum hoc ſit tanto difficilius tantaque ratione diſſitum à ſacrificatione victimæ irrationalis: & cum hoc ſacrificii genus involvat inſuper ex ſuo conceptu formali paſſionem ipſius Sacerdotis liberè volitam ſimul cum actione ejuſdem; dum alia important ſolam actionem Sacerdotis, & paſſionem ovis. Verum nolumus huic doctrinæ inſiſtere, permittimuſque eam ſpecificam unitatem infimam in ratione virtutis; reſtat attamen diverſitas ſpecifica in ratione ſacrificii, qua ſenſibilis, quæ ſola valida foret ad ſubvertendum Apoſtoli argumentum: & quamvis nec adhuc illa ſupereſſet, ut inducens ſpecificam diverſitatem, ſufficeret ſola numerica, quæ ſemper emergit denuò ex inundatione reſponſionum, ut fatentur reſpondentes ipſi, ſemperque ſua pluralitate obruit unitatem ſacrificii ſummi Sacerdotis tantopere à Paulo exaltatam, qua ſacrificium cruentum, velut Phœnix inter ſacrificia alia, non minus gloriatur de ſingularitate ſua, quam de duratione æterna.

Num. 5. Occurres 4. ex quorumdam Theologorum doctrina, quam & refert, & reprobat P. Vaſquez eo cap. 2. ſacrificium Crucis, & altaris eſſe idem numero formaliter in ratione ſacrificii; tametſi materialiter ſint numero diſtincta; per quam unitatem numericam formalem ſalvari apprime efficacitatem argumenti Apoſtoli exiſtimant. Aſſumptum probant ex identitate motivi utriuſque ſacrificii (nuper rejecta). Deinde exemplo loci, qui eſt idem numero formaliter, etiamſi ſuperficies diverſæ varientur, dummodo omnes in eadem diſtan-

diſtantia perſiſtant. Ergo licet actiones ſacrificantes, ſive ſacrificationes ſint vel numero, vel ſpecie quoque, diſtinctæ, dummodo perſiſtat formaliter idem motivum ratio formalis ſacrificandi ſemper erit eadem numero; non obſtante materiali diſtinctione, aut diverſitate ſacrificationum; materiali, inquam, diverſitate, & diſtinctione, in ordine ad ſacrificium conſtituendum. Probant rurſus, excludendo partim eam materialem diſtinctionem actionis: quoniam privatio vitæ, quæ introducitur in utroque ſacrificio (in ſacrificio cruento realiter, in jugi repræſentativè tantum; niſi velint nobiſcum ſentire) quantumvis ritu diverſo, eſt eadem formaliter, & materialiter, ſicut eadem eſt vita Chriſti Domini quæ utrobique immolatur, qua privat ejus carentia; privatio autem vitæ non ſolum eſt terminus ſacrificationis, ſed ſimul actio excluſiva vitæ, atque adeo ſacrificatio, aut conſecratio, quæ conſtituit intrinſece ſacrificium. Aglomerant etiam Patrum teſtimonia, non ſane remota, & per ambages quæſita, ſed directa, robuſta, & perſpicua, niſi quod dum unitatem numericam cruenti, & incruenti ſacrificii oſtendunt, vel ſupponunt; non illam convincunt, quam intendit hæc opinio, quippe quæ imaginaria tantum eſt, & impropria; ſed veram, realem, ſolidamque, quam ipſi amplectimur, ut planum faciam deinceps.

Hæc igitur reſponſio vidit à longè metam, viam tamen ad ipſam pertingendam invenire non potuit, vel quia tectam, aut occultam, vel quia nondum ſatis apertam. Et in primis, quod attinet ad unitatem formalem numericam ex identitate motivi proprii virtutis religionis deſumptam, nihil ſupereſt adjiciendum illis, quæ ſupra diximus, ut oſtendatur ejus inſufficientia, ad removendam pluralitatem formalem numericam ſacrificiorum. Cuncta namque ibidem dicta aptanda ſunt præſenti reſponſioni, ut evaneſcat, aut inepta ex integro appareat. Et ſane quod ab unitate motivi unius virtutis omnes actus ejuſdem ſucceſſivè, & intervallo temporis eliciti, ſint unus numero in vero aliquo ſenſu, ſi non ſit inauditum, exoticum eſt prorſus. Laborat enim in æquivoco doctrina ejuſmodi, quoniam unitas ex unitate motivi religionis in actus proprios derivata, eſt unitas ſpecifica, non autem numerica: quandoquidem objectum movens, ſive motivum alliciens, non efficit unitatem in actu, niſi quatenus cauſat actus internos religionis (in actu primo autem quatenus continet virtualiter pluralitatem illam actuum numero diſtinctorum) hi autem ſunt per ſe formaliter numero diſtincti pro diſtinctione Perſonarum, temporum, immolationum, & circumſtantiarum, & qua formaliter diſtincti numero, ſunt formaliter actus religionis; aliter integra ſpecies cujuslibet virtutis reduceretur neceſſario ad unicum formale individuum, ſicut de qualibet ſpecie Angelica opinantur plerumque Thomiſtæ. Ergo unitas illa in ratione formaliter ſacrificii eſt unitas tantum ſpecifica, & nullo pacto pure numerica formalis in ea ratione. Ac ſubinde illa conjuncta cum diſtinctione (quin & diverſitate ſimul) materiali, ut ipſi loquuntur actionum externarum, reddentium ſenſibile ſacrificium, conſtituunt ſacrificia numero formaliter diſtincta; quam præfati Scholaſtici horrent tanquam injurioſam agumentationi D. Pauli, illiuſque energiæ, & veritatis deſtructivam.

Exploditur item ſolutio hæc iiſdem reflexionibus, ac præcedentes: quoniam ex illa ſequeretur, omnia vetera ſacrificia, & inter ſe ſe, & cum ſacrificio Crucis, & altaris, eſſe unum numero formaliter ſacrificium; quod abſonum eſt, cum illa dixerit Apoſtolus infirma, & inſufficientia: hoc autem undique ſummæ perfectionis, quod eſſe non poſſet ſi eſſet unum numero formaliter cum imperfectione aliorum. Non enim obſtaret res oblata, aut Victima planè diverſa, non diverſitas Sacerdotii, nec actionum diverſitas, cum omnia hæc, ubi adeſt identitas motivi religionis, conducere nequeant ad unitatem formalem numericam impediendam, ſive ad diſtinctionem formalem numericam cauſandam. Fieretque rurſus, actus elicitos religionis, aut charitatis per totam Eccleſiam à fidelibus, eſſe eumdem numero formalem actum, & quidem apertè rei univerſalem, quantumvis unitas illius numerica ſit, & ſingularis. Quocirca unitas illa reipſa non eſt alia; quam unitas rationis, ſive univerſalis, prædicabilis de pluribus numero realiter adæquatè diſtinctis; & ſi quidpiam aliud intenditur, erit unitas rationis fingentis, aut collectionem aliquam tumultuariam per accidens adunantis, quod eſt formaliter inducere unitatem multitudinis. Scimus unitatem numericam dici materialem comparativè ad ſpecificam: verumtamen illa includit neceſſario in quodlibet realem aliquam unitatem, per quam conſtituatur formaliter hoc numero individuum realiter diſtinctum à reliquis ejuſdem ſpeciei, cum eſſe debeat, juxta Philoſophia realiter divi͡um à quolibet alio, & in ſe unum, & indiviſum, ſi lumen Philoſophiæ conſulas, & naturale non extinguas.

Num. 6. Quæ vero illa in ſui favorem libat inſubſiſtentia ſunt, & fallaciſſima: nam forma illius extrinſecæ denominationis loci, eſt diſtantia ipſa: nequaquam vero ſubjectum, aut res, quæ ab illa denominantur: unde dummodo forma permaneat, etiamſi ſuperficies mutentur, denominatio durat. Uti & in conſimili denominatione extrinſeca dextri vel ſiniſtri, ſive columna, quæ ſubeſt huic denominationi, ſit ærea, ſive loco illius ſuccedat marmorea, ut notat Vaſquez ſupra. Forma vero ſacrificii ſtrictè uſurpati, eſt actio immolans, quæ eſt

eſt ſacrificatio apud omnes: conſequenter, ſi ſacrificationes ſint numero diſtinctæ, vel ſpecie diverſæ, erunt à fortiori diverſa vel numero formaliter diſtincta ſacrificia. Si loquamur de ſacrificio latè, ſecundum quod dicit actum internum religionis, tot erunt actus numero diſtincti, quot actus illius virtutis eximiæ realiter producantur. Privatio autem vitæ, cujus unitate armatur ſolutio hæc, fallit multum, quoniam illa neutiquam eſt actio, aut operatio active repellens vitam, ſed ejus formale contradictorium: ſubindeque non expellit vitam in genere cauſæ effectivæ, ſed in genere cauſæ formalis, titulo oppoſitionis, & incompoſſibilitatis utriuſque in eodem ſubjecto. Neque poteſt eſſe oblatio, cum ſit potius res oblata, ut terminus ad quem: offertur enim Corpus in concreto, ut privatum vita, eſtque propterea terminus, circa quem verſatur ſacrificatio ipſa, aut immolatio; non vero actio immolativa.

Inſtaurare poſſet aliquis dirutam hanc opinionem, & unitatem numericam ex unitate motivi religionis ſubortam, per conſimilem aliam, exigentem disjunctive has, vel illas actiones numero diſtinctas, (pariterque actus internos) itaut æquè contentum ſit ſacrificium hac numero, ac illa ſacrificatione: hac vel illa numero oblatione, aut affectu interno. In qua acceptione diſtinctio eſſet pure materialis, vel de materiali ſe habens, utpote non exacta formaliter ab hoc numero ſacrificio, nec ab illo, cum non potius has numero, quam illas poſtulet, licet aliquas petat, ut multis exemplis, tam in phyſicis, quam in rebus Theologicis, quæ conſulto omittimus, clareſcit. Et ſaltèm futurum in eo eventu unum numero ſacrificium moralitèr, quamvis phyſicè materialitèr plura, liquet exemplo humani individui, quod eſt ſemper idem numero, etamſi per nutritionem continuò amittat partes aliquas, & novas comparet. Cæterum licet hoc ita ſit in hoc numero homine, ut tamen permanenter dicatur idem numero, partim pyhſicè, & quidem potiſſimè, partim moraliter, neceſsè eſt, quod præfatum individuum habeat fixum aliquod conſtitutivum & eſſentiale perſiſtens immobiliter, à quo denominetur idem numero phyſice, & ratione cujus aliç partes, quas vagè, aut disjunctivè expoſcit efficiant unum cum ipſo: retinet enim ſemper eamdem numero animam, & in corpore materiam primigeniam.

Sin aliter unum numero permanenter phyſicè dici non poſſet; ſed fluminis inſtar, laxa quadam ratione unum ab eodem alveo, ripis, & reliquis circumſtantiis. Vel omnia concurrentia conſtituunt unum numero purè materialiter, ac proinde nullum erit formaliter determinatum conſtitutivum hujus unitatis numericæ, ſed materialia omnia, & per accidens confluentia ad conſtitutionem hujus, potius quam alterius, ex quibus unum unitate accidentaria reſultaret, & una numero confuſio, aut collectio, non vero una numero propria individuatio: quia deficeret vel illa etiam numerica formalis unitas, quam invehit hæc opinio, cum nullum foret prædicatum unum formalitèr numericè, quod exigeret disjunctivè reliqua: proindèque integra illa unitas eſſet accidentaria collectio, erratica, vagaque. Sacrificium igitur adæquatè conſtitutum ex actionibus, actibuſque, tam internis, quam externis purè, vagè, aut disjunctivè acceptis, nullam haberet unitatem numericam formalem conjunctam cum illa materiali diſtinctione. Etenim unitas motivi non eſt intrinſeca ſacrificio, cum motivum ipſum ſit cauſa realis illius ſacrificii, & conſequenter extrinſeca illi; ni producat aliquid intrinſecum ſacrificio, quod ſit formaliter unum numero determinatum in omnibus ſacrificiis. Ecquod autem eſt illud? Profecto nullum, juxta ſententiam hanc, niſi motivum ipſum, quod non conſtituit unitatem aliquam numericam ſacrificii, ſed inducit phyſicè, aut cauſat. Si dixeris, omnia illa expetere eſſentialiter illud motivum, è quo eliciuntur, convenireque in hac unitate. Non ſatisfacis: quoniam præfatum motivum expetunt omnes immolationes præteritæ, exiſtentes, & futuræ, quæ inter ſe ſunt numero diſtinctæ realiter. Unitas autem in qua conveniunt eſſentialiter plura numero diſtincta, eſt unitas vera ſpecifica, nequaquam autem numerica (niſi abſtrahere velis veram rationem individui) Deinde cum omnes poſſibiles etiam expoſcant idem motivum, ut hic, & nunc fiat hoc numero ſacrificium; ubi eſt prædicatum exigens vagè has, vèl illas, cum omnia, adeoque vel illud quod deſignes, disjunctivè ſolum exigantur, ſi vage cuncta ſe mutuò deſiderent? En vagam rerum collectionem abſque unitate numerica formali, ſed ſpecifica tantum, & ecce tibi errans per altaria individuum vagum.

Num. 7. Rurſus, & urgentius, quia ſi ſacrificium petit ſolum disjunctivè has, vel illas actiones, contentum erit non minus hac, quam illa Hoſtiæ immolatione, cruenta ſcilicet, vel incruenta, cum utraque immolatio conſtituat idem numero formaliter ſacrificium: Ergo ſacrificium Crucis non erit formaliter cruentum, ſed purè materialiter, vel non erit ſacrificium Crucis formaliter numericè, ſed materialiter ſolum, quia illud per ſe formaliter non potius determinate exigit actiones illas, à quibus dicitur cruentum, quam alias, nullo cruore tingendas (& pariter dum in altari immolatur, erit per accidens, nudeque materialiter incruentum). Per accidens ergo genus humanum redemptum fuit per illud numero ſacrificium Crucis, cum per accidens fuerit illud cruentum; & aliunde merè incruentum non redimit, ſed applicat fructum illius redimentis.

Si dixeris, eam unitatem fixam formalem deſumi ab unitate victimæ, jam eo ipſo deſeris hujus opinionis caſtra, cum ad ſolam unitatem aliquatenus motivi illam revocent. Deinde circa eamdem victimam verſantur actiones diverſæ, & diſtinctæ numero quamplures, quoniam verſantur immolatio cruenta, & incruenta, & hæc ultima ſubdividitur in totidem actiones numero diſtinctas, quot ſunt ſacrificia altaris. Ergo quòd hoc determinatum ſacrificium ſit Crucis, ſive cruentum, omnino per accidens, & de materiali ſe habet in illo, cum victima non poſtulet potiùs unam, quàm aliam immolationem determinatè, ſed vagè alterutram; quia utriuſque eſt capax, nec in ſacrificio incruento poſtulat determinatè has præ illis actiones, cum ſit contenta quibuſvis. Erit ergo ſacrificium unum determinatè unitate victimæ, quæ ſolum diſcernere poteſt ſacrificium ab aliis exigentibus victimas, aut Hoſtias diverſas; attamen ſacrificium ſummi Sacerdotis per accidens, & purè materialiter fuerit cruentum, per accidenſque, & materialiter erit modò incruentum, & materialiter rurſus hoc numero comparativè ad alia pariter incruenta. Præterquamquod unitatem victimæ inſufficientem eſſe ad ſalvandam unitatem veram ſacrificii hujus, ſatis conſtat ex ſupra adductis.

Ulterius: vel ex omnibus ſucceſſivè ſacrificiis reſultat unum numero formaliter completum, vel quodlibet eſt per ſe completiſſimum? Primum illud repugnat, non ſolùm quia fieret individuum immenſum, fluxumque, quod haberet plus fluminis præterlabentis ſemper, quam individui phyſicè in unico fieri actuali conſiſtentis; ſed potiſſimè, quia nullum ſacrificium ſe ſolo foret completè unum numero formale ſacrificium, nec illud quod oblatum fuit in Cruce, nec quod præcedenter in Cœna fuit inſtitutum. Secundum ſcatet non minoribus abſurdis: quia ſi unumquodque eſt completum, nequit eſſe idem numero formaliter cum alio pariter completo, quin utrumque conſtituatur ex eodem numero formali prædicato realiter, ſaltem aliquo, & quidem præcipuo in ordine ad fieri ſacrificii; & aliunde nihil prorſus eſt commune realiter per identitatem utrique, niſi victima, aut terminus (comparando incruenta ad invicem; quia ſi comparentur cum ſacrificio Crucis, adhuc illa erit formaliter diverſa, juxta principia communia).

Ad hæc, nec præſens ſolutio petit ulteriorem unitatem; nec illa quam deſignat, eſſe poteſt ſufficiens ad aliam unitatem numericam, quàm ad impropriam & ſecundum quid; cum rectum ſacrificii ſit ipſa actio immolativa, aut ſacrificatio. Motivum autem extrinſecum eſt omnibus numero ſacrificiis. Mirabilis autem identitas numerica eſt illa, ubi omnia intrinſeca individuo ſunt realiter diſtincta ab alio; quod non minùs impoſſibile eſt, quàm introducere realem diſtinctionem in creatis, ubi nullum ſit prædicatum in uno, quod non ſit realiter in alio, ſecundum omnem modum. Tandem ſi ab hac unitatis latè ſuſæ ſpecie deſumi poteſt vera aliqua unitas formalis numerica, vi cujus omnia, infinitaque individua ſint unum; poſſet conſimili licentia invehi realis formalis unitas numerica (ut ſupra advertimus) inter omnes virtutes diverſæ ſpeciei; cum ultra motiva peculiaria ſpecifica, adſit motivum honeſtatis omnibus commune (uti & alia plura) à quo poſſunt dici unum numero formaliter individuum omnes virtutum actus, ſe habente nudè materialiter diſtinctione tum ſpecifica, tum numerica propria illorum; maximè cum non exigantur determinatè hi actus præ aliis diverſis ſpecie, vel numero, ſed disjunctivè tantùm: quòd eſſet virtutes confundere, earumdemque regulatiſſimam ſeriem, & naturam invertere, cum facilius ſit naturæ ordinem immutare.

Num. 8. Priuſquam verò plauſibilem magis, planioremque viam evadendi difficultatem occludamus, notandum, apud Eccleſiæ Patres ſæpiſſimè reperiri quæſitam, & diſcuſſam cauſam, ob quam Apoſtolus in ea facundiſſima, & energiæ plena Epiſt. ad Hæbreos, cum Sacerdotium Chriſti Domini tantopere commendaret, & extolleret, ut non modò ſuperet Aaronicum, aut Leviticum, ſed pœnitus obruat; nullam fecit mentionem ſacrificii incruenti (ſed cruenti duntaxat), cum illud ſit altiſſimum, infiniti valoris, juge, puriſſimumque, ſive ſubſtantiam rei oblatæ, ſive modum offerendi, & immolandi conſideres. Et cum ex alia parte Sacerdotium, quod præfertur Aaronico, quodque Sacerdotio Chriſti Domini competere aſſeverat ibidem Apoſtolus, ſit ſecundum ritum Melchiſedech; cujus Sacerdotii proprium, & unicum ſacrificium eſt ſolum incruentum? Cui difficultati reſpondent Hieron. Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. Theophilact. & ex illis, aliiſque Bellarminus, Eximius Doctor, à Lapide, Becanus, Vaſquez, quin & prope omnes (ut Novatorum inſultus eludant); ideo Paulum ibi nullam facere voluiſſe mentionem ſacrificii incruenti, quia ad ſcopum, in quem ea Epiſtola dirigebatur, nec utilis, nec opportuna erat illius ſacrificii notitia expreſſa, aut explicatio; quamquam tacitè illud ſufficienter inſinuet; aut tacere dicat, ob eorum quibus cum loquebatur imbecillitatem, itaut in ipſo tacendi rhetorico myſterio, animadverterent, ſi velint, quod ſilebat. Quapropter primitivæ Eccleſiæ Græcæ Patres arcanum aliquod profundiſſimum conſultò prætermiſſum fuiſſe in ea Epiſtola ab Apoſtolo exiſtimaſſe, refet Doct. Maximus Epiſt. 126. ad Evagrium, quod vulgare tunc non expediret, *ne*, inquit ibi S. Hieronymus, *daretur Sanctum canibus*. Siqui-

dem ſcopus, quem Apoſtolus ſibi præſtituit in ea Epiſtola, fuit oſtendere Hæbreis excellentiam, præſtantiamque Sacerdotii Chriſti Domini ſupra Leviticum, & ſacrificii Crucis ſupra vetera cuncta. Nec ſolùm Aaronicis Sacerdotibus nobiliorem longè demonſtrat Chriſtum Dominum, ſed Angelis ſublimiorem capit. 1. *Tanto melior Angelis effectus*, & glorioſiorem Moyſe cap. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte, præ Moyſe dignus eſt habitus*. Pariter ſacrificium Crucis præfert omnibus antiquę legis, tamquam ſacrificium omnipotentiſſimum ſuperans omnia infirmas, fractaſque vires habentia. Ad hunc autem finem obtinendum, inquiunt, nullatenus conducebat mentio, aut declaratio ſacrificii incruenti, quippe quod à Melchiſedech præfiguratum, & in materia panis, & vini conficiendum, quæ ex ſe vulgaris eſt, parùm æſtimabilis, nec vivens, deſervire ex genere ſuo minimè poſſet ad eam ſuperioritatem, & excellentiam commendandam; cum inter antiqua ſacrificia quamplura exigerent Hoſtiam vivam ex natura ſua longè excellentiorem non vivente. Conſule Becanum in Manuali cap. 10. de ſacrificio Miſſæ.

Ubi accuratè, licet obiter, nota, quàm utilis ſit vita Euchariſtica Chriſti Domini ad ſacrificium altaris nobilitandum; cum Paulus, eo quod Hæbrei minimè capaces erant tunc eam vitam percipiendi ſub ſpeciebus panis, & vini immolatam, meminiſſe noluit expreſsè ſacrificii altaris; ſuſpicarique licet mihi, profundiſſima illa myſteria, quæ apud S. Hieron. reticuiſſe ibi Apoſtolum, credidit Eccleſia Græca, fuiſſe eam vitam prodigioſam actualem Chriſti Domini ſub ſpeciebus; Sacerdotis munus ſub eiſdem exercitum; immolationem ejuſdem vitæ ab ipſo ibidem peractam; unitatemque ſimpliciter numericam, verè mirandam ſacrificii Crucis, & altaris; omniumque, quæ in altari jugiter peraguntur ex unitate ejuſdem jugiter reproductę ſacrificationis deſumptam; quæ ſunt arcana altiſſimæ profunditatis, quæque non ſegnius ex ſilentio ipſo, quam ex eloquio Apoſtoli inferuntur. Nec enim æquum foret de conjectura hac nobiſcum expoſtulare, eo quod trahatur ad aſſerta noſtra; ſiquidem ea aſſeruimus, quia ex vena hac, & aliis puriſſimis etiam, illam hauſimus.

Num. 9. Cæterum reſponſio hæc Sanctorum Patrum, & Theologorum, quantumvis in ſe vera ſit, attamen à Sanctis Patribus prælaudatis non producitur ad quæſtionem, quæ in præſenti diſputatione diſcutitur, litemque dirimendam: quo jure ſcilicet componatur veritas, & proprietas ſacrificii jugis incruenti cum doctrina Pauli clamantis, ſacrificium Chriſti Domini fuiſſe unum, ſemel oblatum, uti & unicus eſt ſummus Sacerdos, quia immortalis, & ſucceſſoris incapax. Ad hunc autem finem inutilis eſt doctrina hæc, aut ſolutio, quæ potiùs cauſam ſilentii de myſterio altaris cohoneſtat, quàm præſentem nodum diſſolvat, nec attingat. Sive namque Apoſtolus ſacrificium incruentum prudenter omiſerit; ſive illud ſagaciter innuerit tantùm; ſemper ſide divina certum eſt, exiſtere, & peragi jugiter in Eccleſia Dei ſacrificium hoc, ut ſtrictè, & in toto rigore ſacrificium. Si ergo diſtinguatur ſpecie, vel ſaltem numero, à ſacrificio cruento, & incruenta ipſa inter ſe realiter numero diſtinguantur, neceſſariò adeſt reipſa multiplicitas ſacrificiorum ſub Chriſti Domini ſupremo Sacerdotio, aut per illud exequenda. Ergo ſemper adeſt radix illa difficultatis, quæ Apoſtoli ratiocinium in illa Epiſtola formatum exarmat, & enervat, ita, ut ſecum ipſo pugnare faciat. Maximè cum ſacrificium Crucis, quod extollit, non ſit peractum ſecundum ritum Melchiſedech ſimpliciter, ut fatentur omnes, cum non fuerit in ſpecie panis, & vini, & cum extiterit cruentiſſimum. Sacerdotium verò, quod commendat, eſt duntaxat ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo cum nequeat eſſe verus Sacerdos ſecundum aliquem ordinem, ſecundum quem non habeat ſacrificium proprium, quod conficiat; neceſſariò ſupponit aliud ſacrificium illius ordinis, & ritus, diverſum à ſacrificio Crucis, & celebrandum ab eodem ſummo Sacerdote. Ubi ergo unitas ſacrificii, quam ſtatuit? Et ubi unitas Sacerdotii ſecundum unicum ritum? Conſimiliter ex ſilentio ipſo Pauli circa ſacrificium incruentum, novum, miſſileque telum contorquet propoſita difficultas, vel pro Hæreticis adversùs juge ſacrificium; vel pro Hæbreis adversùs Doctorem Gentium, quaſi ideo Apoſtolus tacuerit de jugi ſacrificio, quia vidiſſet ejus mentione, & notitia, debilitari ejus argumentum, ſibi ipſi contradicere, & nec vel ſummam rumpere cutem Sacerdotii Levitici, veterumque ſacrificiorum. Vel ad intima uſque ſacrificii Euchariſtici penetraret; & tunc etiam implicaret ſibimet Paulus, quia ſtabiliret verum Sacerdotium, juxta ritum aliquem, ſecundum quem nullum jam proprium verumque poſſet conficere ſacrificium; quod eſt planè repugnans. Spinoſas haſce difficultates amputat ſolùm falce ſua opinio noſtra ſectione ſequenti exponenda, media qua plana, tuta, & nullis impedimentis præpedita apparet via, claretque Pauli doctrina, & ejus argumenti ſtrenuitas, efficacia, & victoria. Simulque litatur ſtrictè, & omnimoda cum proprietate in Euchariſtia.

§. II.

Num. 10. CELEBRIS, probataque magis tam ab Interpretibus, quàm ab Scholaſticis reſponſio, & opinio, eſt, Apoſtolum inſtituiſſe in ea Epiſtola ſermonem de ſacrificio univerſali, ſatisfactorio,

ctorio, expiatorioque, redimente deperditum genus humanum, ſolventeque lytrum, aut pretium debitum pro totius mundi peccatis, tam commiſſis, quàm inpoſterum committendis; cujusmodi fuit ſolum Crucis ſacrificium. Nequaquam verò de ſacrificio merè applicante in particulari pretium illud univerſale ideſt applicante Crucis ſacrificium. Conductus autem, media, aut canales, per quos veluti per aquæductus rerum cæleſtium, pretium illud univerſale, pro omnibuſque ſolutum, deſcendat, & applicetur, minimè inficiantur Novatores, ſed admittunt, adſtruunt, & tanquam ſide ſancta ſtatutos amplectuntur. Alioqui nec Baptiſmi Sacramento opus foret, nec ſide ipſa, nec ſancta aliqua operatione, ſed inſideles omnes, Paganique turpiſſimo Deorum cultui incumbentes, ultimumque ſpiritum in illo efflantes, aſsequerentur gloriam æternam. Neque ſacrificium Crucis eſset duntaxat ſolutivum pretii in actu primo, & quoad ſufficientiam; ſed in actu ſecundo etiam, & quoad efficaciam pro omnibus ab illo momento temporis, in quo ſummus noſter Sacerdos, exhauſtis venis tradidit in Cruce Spiritum. Id quod averſantur magnopere vel ipſi noſtri temporis Hæretici, quin & omnis ævi.

Inter reliqua autem media, quibus pretium illud univerſale applicatur in particulari, principem locum obtinet ſacrificium altaris, per quod nullum planè novum pretium comparatur, quoniam hoc derogaret dignitati, & infinitudini ſacrificii cruenti; ſed unicè applicatur nobis in actu ſecundo lytrum ſacrificio illo acquiſitum, repoſitumque in theſauro, è quo extrahere valeant fideles abundanter quidquid ad debita propria extinguenda ſit neceſſarium. Quòd verò medium hoc ſit omnium præſtantiſſimum, apparet ex eo, quod per illud honoratur Deus ſupremo cultu Religionis, proteſtaturque ejus ſupremum Dominium in res omnes: immolatur in illo Hoſtia infiniti valoris, & infinitè placens Deo, qui percepto hujus ſacrificii odore placatur. Quòd rurſus præfatum ſacrificium ſit applicans tantùm, & quaſi extrahens in actu ſecundo lytrum cruenti, & nequaquam aliud denuò adquirens; patet ex ipſa Pauli Epiſtola apertiſſimè docente unicum, & ſingulariſſimum eſſe ſacrificium redemptorium, & ſemel tantùm peractum fuiſſe. Conſtat inſuper ex ipſis Hæreticorum argumentis, ſive quæ ex Luthero, ſive ex Calvino, Beza, Kemnitio, Illirico, Petro Martyre, ex Pleſeo Mornæo, adversùs quem eruditè, eleganter, ſolidèque egit Cardin. Peronius, uti adversùs Molinæum fusè Andreas Sauſſay in Panoplia Sacerdotali; cum eo titulo arguant otioſitatis juge ſacrificium (efficiunt enim, vel feciſſe vellent, Religionem Chriſtianam carentem omnia actuali ſacrificio, & Sacerdotio æterno Chriſti Domini; concedunt unicè æternitatem trium horarum in Cruce, & nullum actum ulteriorem litandi Deo per veram ſacrificationem): conſtat denique ex Tridentina Synodo, ſeſs. 22. cap. 1. definiente, Chriſtum Dominum reliquiſſe ſponſæ ſuæ Eccleſiæ incruentum ſacrificium, quo cruentum ſemel peractum repræſentaretur: *atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*: & capit. 2. *cujus quidem oblationis, cruentę inquam, per hanc incruentam uberrimè percipiuntur; tantùm abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur*. Et eadem ſeſſ. can. 24. eadem veritatem ſirmat iterato.

Ex hac autem doctrina catholicè inconcuſſa occurrit difficultati memorata celebris opinio dicens, comparationem ab Apoſtolo inſtitui inter ſacrificium includens meritum univerſale, pretiumque redemptionis mundi quo ad ſufficientiam, & vetera ſacrificia, quibus Levitici Sacerdotes expiare peccata Populi, ſatisfacere, ſolvereque juſtum pretium pro ſceleribus patratis, ſatagebant fruſtra; quoniam nec pro unico peccato, præſertim gravi, juſtum pretium ſolvere poſſent, nec aliquid ex opere operato obtinerent ex ſe; quamquam ex merito, & actione ſacrificantis (ſi reliqua neceſſaria conſpiraſſent) potuiſſet, & promereri de condigno, & aliquid impetrare; omnia tamen ex merito Chriſti Domini præviſo, & ex fide promiſſionis adventus ejuſdem. Solùmque ex ſe afferebant legalem ſanctitatem, ſordeſque legales contractas mundabant. Et contraponens illis ex adverſo ſacrificium Crucis, ſolviſſe dicit condignum pretium, ſatisfactionem pro flagitiis omnibus ab incunabulis mundi commiſſis, uſque ad ejus extremam durationem perpetrandis, eo quod ſit infinitè ſimpliciter, & univerſaliter, meriti, pretii, & ſatisfactionis. Cui idcirco injuria quammaxima fieret, ſi crederetur neceſſarium, aut utile aliud, novum pretium, aut ſatisfactionem, pro redimendis hominibus adducens; cum nullum ſit poſſibile, aut excogitabile in ordine ad eum finem univerſalem, quod non contineatur in illo, utpote undique ſummo. Uti foret injurioſus Deo, & ſimul ſtultiſſimus, qui contenderet novam aliquam perfectionem excogitare, quam vellet divinitati adjungere, ut amplius diteſcat; cum omnes poſſibiles, & cogitabiles perfectionum divitias avidiſſimè exhauriat.

Num. 11. Ad efficaciam autem hujuſmodi argumenti, & comparationis, inquiunt, ſicut nullo pacto conducebat expreſſio ſacrificii cruenti, applicantis ſolùm meritum illud univerſale, ſatisfactionemque infinitam; ſic nec ejus exiſtentia, nec pluralitas ſacrificiorum ex illa reſultans derogat quidpiam illi, nec ex parte aliqua minuit ejus efficaciam. Quemadmodùm nec illam imminuunt, aut enervant Sacramentum Baptiſmi, ipſiuſque neceſſitas, & media alia, per quæ decurrunt ſatisfactio illa,

 me-

meritum, & pretium. Sacrificium igitur, quod non conficitur ad comparandum pretium denuò, ſed ad ſemel jam acquiſitum in particulari jugitèr applicandum, quodque propterea iterari valet, & debet, cum nullum applicet, aut obtineat fructum ſimplicitèr infinitum in actu ſecundo, nec univerſalem ab omnibus participandum (ſive numero tantùm, ſive etiam ſpecie à cruento differat) non plus detrahit ratiocinio Pauli, quàm ſacrificio Crucis, illius pretii univerſalis, & ſatisfactionis, cauſæ, & fonti. Ex quo à fortiori, & perſpicua deductione colligitur Sacerdotii Chriſti Domini excellentia, ſublimitas, & perfectio, quibus ſuperat Sacerdotium Aaroicum; quod multitudine ſacrificiorum, & rubro mari ex pecudibus fuſo, numquam potuit vel nummulum, vel gemmulam obtinere. Ex imbecillitate autem, aut perfectione ſacrificii, arguitur perfectio, aut debilitas Sacerdotii, & ex hoc majeſtas, aut ignobilitas legis: ſunt enim tria inter ſeſe intimè connexa, dignitaſque cujuslibet dimetienda eſt per aliarum dignitatem. Admodùm quo de Trinitate Perſonarum catholicè ſentiendum nobis eſt; & ſicuti vel in fabulis tres charites ejuſdem planè pulchritudinis, & ætatis. Undè non incongruè accomodari poteſt tribus his, legi, Sacerdotio, & Sacrificio, lepidum illud Epigramma, quod Lilius Gerald. ſyntagm. 8. extare adhùc Romæ in columna quadam refert, & inter alia Gratiarum, ait:

Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum,
Par tribus eſt ætas, par quoque forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ converſa ſorori &c.

Floret modò non parùm ſolutio hæc inter Scholaſticos, viguitque apud peritiſſimos alios antiquioris ævi; fatebor autem ingenuè, illam mihi numquam ſatis probari potuiſſe. Ut autem quæ me permovent ad diſſentiendum proferam, ſupponendum eſt Sacerdotium Leviticum figuraſſe Sacerdotium Chriſti Domini, ut docet S. Thomas 3. part. qu. 22. art. 4. licèt hujus repræſentatio poſitiva expreſſa, & conſpicua fuerit Sacerdotium Melchiſedech, ut ipſe D. Thom. ibidem art. 6. dixit: *Ipſa autem excellentia Sacerdotii Chriſti ad Sacerdotium Leviticum fuit figurata in Sacerdotio Melchiſedech, qui ab Abraham decimas ſumpſit, in cujus lumbis decimatus eſt quodammodò Sacerdos legalis*. Paritèrque ſupponendum, ſacrificia antiqua præfiguraſſe Crucis ſacrificium, quantumvis aliqua expreſſiùs ſacrificium incruentum deſignarent. Hæc veritas habetur in ſacris literis apertè 1. Corint. 10. *Hæc autem omnia in figura illis contingebant*: Ad Hæbreos 8. *qui exemplari, & umbræ deſerviunt Cæleſtium, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret tabernaculum: vides, inquit, omnia facito ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte*: Apocal. 13. *Qui occiſus eſt ab origine Mundi*: in figura ſcilicèt, aut repræſentatiune. Quare S. Thomas 3. part. qu. 83. art. 1. corpore, cum dixiſſet: *Celebratio autem hujus Sacramenti, ſicut ſupra dictum eſt, imago quædam eſt repræſentativa paſſionis Chriſti, quæ eſt vera ejus immolatio*. Cumque inſuper docuiſſet, hunc eſſe primum modum, quo ſacrificium Euchariſtiæ poteſt appellari immolatio; alioque ſecundo modo recenſito, ſubjungit: *Quantùm igitùr ad primum modum, poterat dici Chriſtus immolari etiam in figuris veteris Teſtamenti. Undè Apocal.* 13. *dicitur &c.* producitque verba nuper relata. Expreſſius adhùc id declarat 3. part. qu. 73. art. 6. corpore: *Quantùm igitùr ad id, quod eſt Sacramentum, potiſſima figura fuit hujus Sacramenti oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum, quantùm autem ad ipſum Chriſtum paſſum, qui continetur in hoc Sacramento, figura ejus fuerunt omnia Sacrificia veteris Teſtamenti, præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolemniſſimum*. Et prima ſecundæ qu. 100. art. 2. inculcat id ipſum, & fuſiùs, multiplicique reflexione art. 3. *Cæremoniæ veteris Legis*, ait in corpore, *duplicem cauſam habebant, unam ſcilicèt literalem, ſecundùm quod ordinabantur in cultum Dei, aliam verò figuralem, & myſticam, ſecundùm quod ordinabantur ad figurandum Chriſtum*. Et infra: *propter hoc omnia alia ſacrificia offerebantur in Lege veteri, ut hoc unum ſingulare, & præcipuum ſacrificium* (Crucis) *figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta. Undè Apoſtolus dicit ad Hæbreos* 10. *quod Sacerdos veteris Legis eaſdem ſæpè offerebat Hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata; Chriſtus autem pro peccatis obtulit unam in ſempiternum. Et quia ex figurata ſumitur ratio figuræ: ideò rationes ſacrificiorum veteris Legis ſunt ſumendæ ex vero ſacrificio Chriſti*. Similia repetit in reſponſ. ad primum, ad ſecundum, quiotum, octavum, & decimumtertium.

Obſervandum tertiò: quod ſicut Lex vetus fuit data per miniſterium Angelorum ab ipſo Deo, ita & Sacerdotium ejuſdem Legis fuit ab eodem inſtitutum, cum notum ſit illud Pauli ad Hæbr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum*. Comparans in hoc Leviticum Sacerdotium cum Sacerdotio Chriſti Domini: & Exodi 28. ſic alloquitur Moyſen Deus: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis in medio filiorum Iſrael, ut Sacerdotio fungatur mihi*. Quamobrem licet illud perfectum minimè fuerit, uti nec lex antiqua, quia perfectionis plenitudo futura erat inſigne proprium Sacerdotii Chriſti Domini, & legis gratiæ; erat nihilominùs ordinatiſſimum, regulatumque à Deo minutim, in Sacrificiis peragendis, veſtibus, cæremoniis, victimis, & rebus omnibus ſacrificia concernentibus, & Sacerdotes: ut patet ex Exodo, & aliis ſacræ Scripturæ libris: explicatque illuminatione verè divina S. Thomas 1. ſecundæ à quæſt. 98. uſque ad 105. cum enim fluxerit è mente Divina, neceſſariò removen-

movenda eſt ab ipſo omnis macula, errorque omnis, qui infamaret auctorem, ſi deturpaſſet Sacerdotium, prout ab ipſo inſtitutum; quantumvis illo abuti poſſet Sacerdos.

Num. 12. Ex his autem conſicio primum argumentum adversùs communem hanc ſolutionem. Sacrificia vetera, nec fuerunt inſtituta, nec vires habebant, ad ſolvendum pretium condignum pro peccatis Mundi, nec universìm, nec determinatè pro peccatis Populi Iſraelitici, aut gentis Judaicæ, atque adeò nec ad ſatisfaciendum pro eiſdem ſceleribus: & quidèm nec quoad efficaciam, nec quoad ſufficientiam, ſolùmque applicabant ad particulares effectus obtinendos meritum futurum paſſionis Chriſti Domini, quatenùs ex fide illius hauriebant juſtificationem, aliaque dona. Sed hoc ipſo, vel ratiocinium Apoſtoli nihil concludere poteſt ex pluralitate, aut multitudine Sacrificiorum contra perfectionem & præſtantiam Sacerdotii Levitici, ejuſque Sacrificii; vel concludit paritèr contra perfectionem ſummam Sacrificii cruenti (Sacerdotiique ex conſequenti) ſi exiſteret ſacrificium incruentum (aut contra hujus exiſtentiam) quantumvis nudè applicans ſacrificium Crucis. Ergò producta ſolutio etiamſi veram doctrinam contineat; propoſitam tamen difficultatem neutiquam declinat, aut evacuat.

Major eſt Catholicè admittenda, cum ſit Apoſtoli in laudata Epiſt. ad Hæbr. ſpeciatim vero cap. 7. & 10. *Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*: tum & ex reliquis locis ſupra adductis, tum Rom. 3. *Ex operibus legis non juſtificari omnem creaturam*. Quin ad Galatas 4. vocat antiqua Sacramenta: *Egena, & vacua elementa*. Etenim cum illa eſſent umbra ſolùm, figuraque ſacrificii offerendi à ſummo noviter inſtituendo Sacerdote in ara Crucis, redemptionem totius humani generis univerſim amplitudine, & infinitate ſua continentis, derogarent ea legalia ſacrificia infinitudini ſacrificii adumbrati, ſi præcedenter ad ejus exiſtentiam forent deſtructiva peccati. Alioqui ut arguit Apoſtolus ad Galatas 2. *Si ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt*. Sicut Miſſæ Sacrificium injurioſum foret Cruci, ſi debuiſſet iterum offerre pretium, & non merè applicare univerſale jam ſolutum. Unde figurare ſacrificium ſoluturum pretium ſimpliciter infinitum univerſim pro omnibus, itaut omnem ſatisfactionem, & pretium complectatur, exhauriatque, & ſimul comparare ratione ſui, & quà figura eſt, pretium aliquod verum, & non applicationem nudam, implicatorium eſt.

His adjungendum, nihil planè gratiarum, fructus, aut utilitatis collatum fuiſſe per ea ſacrificia, ſicuti nec per ejuſdem legis Sacramenta, circumciſionem v. g. niſi ex meritis paſſionis Chriſti Domini prævisis, & in divina intentione exiſtentibus, quantumvis nondum in executione poſitis, vel ex fide illorum, ut exploratum eſt ex nota Theologia. Peperere quidem fructus, & effectus non exigui momenti (tametſi non comparandi, niſi è longinquo valdè, cum Sacrificio, & Sacramento novæ legis): cum circumciſio v. g. deleret peccatum originale: cum impetraſſent oratione ſua Sancti illi Patres quamplurima, & ingentia dona: cum obtinuiſſent gratiam ſanctificantem, & meruiſſent de condigno per bona opera; omnia tamen ex meritis Chriſti objectivè, ut in divina intentione moventibus Deum ipſum ad illa conferenda, ut plures Scholaſtici loquuntur, quia præceſſere intentione. Non quia derivata fuerit virtus aliqua ex paſſione Chriſti Domini in illa Sacramenta, & Sacrificia; & ideo illam in ſe non continebant, cum nondum phyſicè exiſteret, ut poſſet influere phyſicè in illa; proindeque nihil quod poſtulat præexiſtentiam phyſicam ab illis proceſſit ſub ea ratione, ſed ſub alia tantùm inſinuata; & ſanè immediatè, hoc ſenſu, in virtute paſſionis præviſæ, & determinatæ in divino decreto. Vel ſaltem fuere conditiones, ſi cauſæ ſtrictæ dici nequeunt. De quo Cardin. de Lugo de Sacramentis. Vel mediatè ex fide in Chriſtum Dominum. *Poterat autem mens fidelium*, inquit Divus Thomas 1. ſecundæ qu. 103. art. 1. corpore: *Tempore legis per fidem conjungi Chriſto Incarnato, & paſſo, & ita ex fide Chriſti juſtificabantur, cujus fidei quædam proteſtatio erat hujuſmodi cærimoniarum obſervatio, in quantum erat figura Chriſti: & ideo pro peccatis offerebant ſacrificia quædam in veteri lege; & non quia ipſa ſacrificia à peccato emundarent, ſed quia erant quædam proteſtationes, quæ à peccato mundabant. Et hoc etiam ipſa lex innuit ex modo loquendi. Dicitur enim Levit. 4. & 5. quod in oblatione hoſtiarum pro peccato, orabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei, quaſi peccatum dimittatur, non ex vi ſacrificiorum, ſed ex fide, & devotione offerentium*. Itaut ſacrificia per fidem, tamquam per fiſtulam pretioſam haurirent ex ſanguine nondum fuſo meritum intentionaliter rubeſcens.

Num. 13. Inde autem ſequitur perſpicuè ſacrificia illa vetera, uti & Sacramenta, fuiſſe quodammodo in vero ſenſu aliquo applicatoria meriti Chriſti Domini ut conſummati per paſſionem; ſub eadem ſcilicet ratione ſub qua, ex meritis Chriſti Domini præviſis, & ex fide in ipſum Chriſtum Dominum, obtinebant juſtificationem; quamquam non ex virtute intrinſeca propria, in ipſa phyſicè derivata ex paſſione Chriſti Domini, ut dictum eſt, utpotè nondum exiſtente, & cujus propterea non fuere organa, aut inſtrumenta virtutis illius. Quandoquidem merita Chriſti Domini paſſione conſummata, ut præcedentia in mente divina non minùs reipſa, licet diverſo modo, induxere per ſacrificia illa, & Sacramenta, effectus eiſdem proportionatos, ac in-

Digitized by Google

ac invehunt nunc uberiores alios per ſacrificium, & Sacramenta novæ legis, tamquam per inſtrumenta nobiliora, & perfectiùs longè operativa. Applicabant ergo Sacrificia, & Sacramenta antiqua, paſſionem Chriſti Domini venturi, hoc, vel illo applicationis modo minùs perfecto, meritum paſſionis Chriſti Domini, & ejus pretium, ſicut ſacrificium altaris; quamvis hoc altiori, diviniorique via, energia intrinſeca, & efficacia. Ut namque dixit S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. *Inſtituta ſunt alia Sacramenta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Ad quem modum loquitur etiam lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 19.

Sed audiendus iterum D. Thomas 3. par. quæſt. 62. art. 6. corp. *Non poteſt dici, quòd Sacramenta veteris legis conferrent gratiam juſtificantem per ſeipſa, ideſt, propria virtute: quia ſic non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti. Secundum illud Galat 2. ſi ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Sed nec poteſt dici, quòd ex paſſione Chriſti virtutem haberent conferendi gratiam juſtificantem. Sicut enim ex prædictis patet, virtus paſſionis Chriſti copulatur nobis per fidem, & Sacramenta, differenter tamen. Nam continuatio, quæ eſt per fidem fit per actum animæ. Continuatio autem, quæ eſt per Sacramenta, fit per uſum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet; id quod eſt poſterius tempore, antequam ſit, movere, ſecundum quod præcedit in actu animæ, ſicut finis, qui eſt poſterior tempore, movet agentem ſecundum quod eſt apprehenſus, & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non movet ſecundum uſum exteriorum rerum. Unde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe ordine durationis, ſicut cauſa finalis. Sic ergo manifeſtum eſt, quod à paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ juſtificationis convenienter derivatur virtus juſtificationis ad Sacramenta novæ legis; non autem ad Sacramenta veteris legis, & tamen per fidem paſſionis Chriſti juſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam illius fidei proteſtationes, in quantum ſignificabant paſſionem Chriſti, & effectus ejus.* Ita etiam in reſponſion. ad ſecundum, & qu. 70. art. 4: Et Cajetanus in qu. 62. utrobique igitur fuit Chriſtus Dominus, & eſt cauſa derivans meritum ſuæ paſſionis in ſacrificia, & Sacramenta; quamquam diverſimodè; quoniam reſpectu veterum fuit cauſa tantùm finalis, reſpectu vero ſacrificii, & Sacramentorum novæ legis, eſt finalis, & efficiens ſimul. Atque adeo vetera Sacrificia, & Sacramenta applicabant meritum ſacrificii cruenti in ordine ad effectus proprios illorum; vel per illa applicabantur, tamquam per conductus proprios, quamvis non aureos, ampioſque, ut modò; ſed plumbeos, & anguſtos; admodum quo nunc applicatur per ſacrificium incruentum, & Sacramenta, præſertim Euchariſtiæ; per quod crebrius, pleniuſque decurrunt ſluenta, patentiſſimoſque aditus habent. Accedit, vetera ſacrificia fuiſſe propitiatoria, ut ex D. Paulo, & aliis Scripturæ ſacræ locis colligunt Interpretes, & tamquam manifeſtum ſupponit P. Vaſquez 3. par. diſp. 224. Id autem minimè habere potuerunt proculdubio, niſi ex merito Chriſti Domini expirantis, & inclinata blandè cervice veluti annuentis.

Num. 14. Probanda modò ſupereſt minor, quæ mihi videtur clariſſima, & neutiquam ambiguæ lucis. Juxta ſententiam Authorum præſentis reſponſionis non minus ſunt plura numericè ſacrificia altaris inter ſe, (& juxta pleroſque ſpecie diverſa à Sacrificio Crucis; quin & apud nonnullos eorumdem diverſæ etiam ſpeciei illa, quæ modò celebrantur ab eo, quod peregit viſibiliter Chriſtus Dominus in Cœna Noviſſima) quàm vetera inter ſe ſe; quorum multa ejus ordinis numero tantùm differebant, alia verò ſpecie. Deinde non minùs hec applicabant aliquatenus meritum paſſionis, quàm illa (non minùs, inquam, quoad ſubſtantiam ſimpliciter applicandi, non quoad modum, & perfectionem): nec magis intendebant per ſe redimere mundum, cum eſſent incapacia ad eum finem, & ex alia parte à Deo inſtituta, ſubindeque ad fines alios proportionatos, & poſſibiles ipſis. Et cum eſſentialiter dicerent reſpectum ad ſacrificium Chriſti Domini in Cruce, ſicuti altaris ſacrificium. Et cum etiam ipſa Sacramenta novæ legis applicent inæqualiter, ſi inter ſe conferantur, ut colligitur ex Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2. & 3. & can. 4. ex D. Thom. 3. par. qu. 65. art. 1. Suarez, Leſſio, Prado, Granados &c. Sed Apoſtolus nihilominus ex veterum pluralitate (inter alias radices) arguit cujuſvis in particulari, & omnium ſimul imperfectionem (& exinde pariter inſufficientiam Sacerdotii). Ergo aut argumentum ipſius dicendum eſt inefficax ad convincendam veterum infirmitatem; aut probat eadem efficacia, ſacrificia Miſſæ jugiter celebrata, tametſi nullum pretium de novo comparent, ſed cruentum nudè applicent, eſſe imperfecta, arguereque defectum aliquem in ſacrificio cruento, utpotè pluralitatem realem alterius ſacrificii, aut plurium numero diſtinctorum admittente; quin & deſiderante, indigenteque, ut applicetur, & actu profit hominibus.

Explicatur, & urgetur: Divus Paulus, comparando ſacrificium Crucis cum veteribus, deprimit vetera, & elevat ſupra Cœlos omnes ſacrificium Crucis: deprimit illa, quia numquam potuerunt delere ſeipſis peccata, nec exhibere pretium condignum, & univerſale, & idcirco pluralitate illorum opus omnino erat; ſicut è regione elevat hoc, quoniam ſe ſolo ſolvit pretium ſuperabundans pro cunctis mundi flagitiis; etiamſi infinita numero forent. Et aliunde ſacrificium altaris nullatenus exhibet ex ſe pre-

pretium ab eodem acquiſitum, ſed nudè applicat in particulari, & determinatè pretium cruenti ſacrificii: & propterea etiam repetitione eget, & multiplicatione numerica, ut mediâ illâ proſit ſigillatim cunctis, quibus pretium illud commune applicet. Applicare autem pretium univerſale ſacrificii Crucis, competebat quoque veteribus ſacrificiis, ut ſupra oſtendimus, & eſſe debet indubitatum: Chriſtus Dominus namque mortuus fuit pro omnibus, adeoque redemptio fuit juſtis veteris teſtamenti applicata de facto in ordine ad eorum juſtificationem, & ſatisfactionem pro peccatis; cum juſtificati fuerint actu, & ſatisfecerint pro peccatis; non autem niſi ex meritis Chriſti Domini, & fide ipſius, modo dicto. Unde Apoſtolus 9. Hæbr. dixit. *Chriſtus mortuus eſt in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento*. Et Roman. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter redemptionem præcedentium delictorum*. Similia profert Rom. 8. uti eadem habentur 1. Joann. cap. 2.

Rurſus dicere habitudinem eſſentialem ad ſacrificium Crucis, illudque repræſentare conveniebat veteribus ſacrificiis, ſicut ſacrificio altaris. Item, quia ſacrificia incruenta purè applicant, non ſunt imperfecta, quamvis ſint plurima numero; quoniam applicatio ſit determinatè, & eſt finitus effectus ejus. Sed vetera applicabant etiam merè, & determinatè: ergo eorum pluralitas non arguebat imperfectionem. Qua igitur conſequentia Paulus arguere poteſt ex illorum pluralitate eorumdem infirmitatem, & imperfectionem; & admittere conſimilem ſacrificiorum pluralitatem, ſaltem numericam, in Sacerdotio Chriſti Domini, quin ex ea inferatur par imbecillitas, & imperfectio?

Et rurſus qua veritate præſens ſolutio per conceptum puræ applicationis incruenti ſacrificii repetitionem liberat ab omni umbra imperfectionis, præ veteribus; cum hæc pariter nudè applicarent (quamquam longè minus copioſè); & numquam ex inſtituto, aut ex ſe intendere potuerunt ſolvere pretium univerſale? Inſuper, qua legitima illatione, ex eo quod juge noſtrum ſacrificium pretium non ſolvat, nec comparare poſſit, ſed unicè applicare valeat, vendicari poteſt ſacrificium altaris ab omni umbra imperfectionis; cum Paulus ex eo quod antiqua numquam potuerint ſolvere pretium, nec ex ſe illud acquirere, imperfecta illa, & debilia prædicaverit? (non enim quia id intenderent, & non poſſent, arguit, ſed ex eo quod non poſſent unquam id intendere, nec ſufficerent, cum nullum foret Perſonæ infinitæ). Ex eodem fonte, è quo Apoſtolus hauſit veterum naturam imbecillem, & infirmitatem, vis eruere jugis ſacrificii vires, robur, & decus?

Num. 15. Qui dixerit, ſacrificia incruenta, licet numero diſtincta, eſſe tamen infiniti valoris, quia victima, & Sacerdos illius ſacrificii eſt Chriſtus Dominus. Subinde, non quæcumque pluralitas, etiam ſpecifica, ut differre credunt plures ſacrificium Crucis ab incruento, ſufficit ad imperfectionem, ſed ea quæ ſit rerum, aut ſacrificiorum, quæ ex ſe limitati valoris, & perfectionis ſunt. Ille, inquam, qui ſic velit occurrere, contradicit apertè argumento Pauli; quandoquidem Apoſtolus non ſolùm arguit à priori quaſi pluralitatem ex imperfectione cujuslibet, ſed arguit etiam ex pluralitate ipſa imperfectionem; quemadmodum ex pluralitate Deorum arguitur eorum imperfectio quamoptimè, evidenterque. Si autem adeſſet pluralitas aliqua ſacrificiorum inter lineam alicujus Sacerdotii, quæ imperfectionem, aut defectum cujuslibet non argueretur, numquam ex pluralitate ſecundum ſe inferri poſſet limitatio illa, aut defectus; ſed ex pluralitate quà tali, nimirum quà pluralitas plurium ex ſe imperfectorum, aut limitati valoris. Ex hac autem pluralitate non arguitur imperfectio, quia continetur formaliter in extremo, è quo deducitur: eſſet enim ſtultum, & ſenſum identicum faciens, arguere imperfectionem ex pluralitate imperfecta, aut imperfectorum. Non arguit itaque Paulus ex multitudine ſacrificiorum imperfectorum, defectum perfectionis in ſacrificiis; ſed ex pluralitate ſecundum ſe, & præciſivè; quoniam eo ipſo quod permittat multiplicitatem realem, nullum eſt ſummè perfectum. Ut namque ex Apoſtolo in loco præallegato arguit S. Chryſoſtomus Homil. 17. in caput 7. Epiſt. ad Hæbr. *Una eſt, inquit* (Apoſtolus) *iſta Hoſtia, illæ autem multæ ſunt; propterea enim nec fortes erant, quia multæ. Quid autem opus erat multis, dic mihi, una ſufficiente?* Unde reſponſio hæc practicè repetit principium, cum illius oppoſitum & intendant, & perſuadeant argumenta noſtra, ex illo D. Pauli decerpta.

Dices: Vetera illa fuere imbecillia, quia præfigurabant ſacrificium ſolvens pretium, ut conficiendum ab alio Sacerdotio, Sacerdoteque, & in alia lege: ac ſubinde non applicabant pretium ſacrificii per Sacerdotium Aaronicum celebrandi. Erantque idcirco imperfecta. Contra: ergo ſi Crucis ſacrificium redemptorium peragendum foret per Sacerdotium Aaronicum; (quia Deus illud acceptare decreviſſet in redemptionem mundi, tametſi à Perſona finitæ dignitatis oblatum; ut fieri abſolutè potuiſſe contendunt graves Theologi) pluralitas ſpecifica ſacrificiorum præcedeotium imperfecta minimè eſſet. Argumentum igitur Apoſtoli, ex pluralitate deſumptum eſt planè imbecille, & infirmum, ut ſacrificia ipſa antiqua, cum eorum infirmitas neutiquam proveniat ex pluralitate, ſed ex alio capite; ex eo ſcilicet, quòd applicent ſacrificium ſub alia lege, & ab alio Sacerdotio conficien-

ciendum. Ex quo rurſus colligitur, nequaquam repugnare pluralitatem, adhuc ſpecificam ſacrificiorum in lege gratiæ; cum omnia applicarent pretium ſacrificii cruenti ſub propria lege, & à proprio Sacerdotio celebrati. Quod contradicit Apoſtolo.

Si ulterius dixeris, quodlibet ſacrificium altaris ſelpſo ſoluturum pretium univerſale, cum ſit valoris, & æſtimabilitatis infinitæ, ſi non præſupponeret ejuſmodi pretium per ſacrificium Crucis unicè ſolvendum, modòque jamdiu actu ſolutum; ac ſubinde unumquodque eſſe neceſſariò ſummè perfectum, æquè ac ſacrificium Crucis quamquam proximè potens non ſit ad pretium illud acquirendum. Occurram primò, oſtendens, petere principium ita reſpondentem; quoniam & contendimus, & probamus, eſſe non poſſe infinitæ æſtimabilitatis, valoris, aut perfectionis intenſivæ ſacrificium alicujus Sacerdotii proprium, ſi admittat pluralitatem, adhuc numericam ſacrificiorum; cum pluralitas, juxta argumentum Apoſtoli, inſerat, aut præſupponat indefectibiliter imperfectionem, & defectum. Ex quo fit, non futurum verum (ſi hæc doctrina ſubſiſteret), quòd ſacrificium Crucis extiterit infinitè perfectum & ſolvens pretium univerſale ſuperabundans; cum ad hoc expoſcat infinitudinem perfectionis in linea ſacrificii. Et ex conſequenti, verum minimè fore, quodlibet Miſſæ ſacrificium eſſe capax ex ſe, & remotè, ſolvendi pretium illud; cum nullum eſſe valeat ſummè perfectum, ſubindeque extinguere potens omne debitum, ſi pluralitatem aliorum expectet, aut permittat. Falſum præterea eſt, Sacrificium Miſſæ, eſſe poſſe, quantum eſt ex ſe, redemptorium, cum illud per ſe eſſentialiter importet reſpectum ad ſacrificium cruentum, mundum redimens; adeoque eſt ex ſe formaliter incapax exhibendi ex ſe pretium illud. Si autem in alia providentia decreviſſet Deus Mundum liberare, non per ſacrificium Crucis, ſed unicè per incruentum; tunc non reſpiceret, ut modò reſpicit, aliud ſacrificium, eſſetque idcircò diverſæ rationis à ſacrificio incruento præſenti; & tunc nullatenùs permitteret pluralitatem, adhùc numericam; non futurum alioqui ſimpliciter perfectum, nec liberans universim ex merito proprio gènus humanum. Demùm ejuſmodi reſponſio directè militat adversùs Pauli argumentum; cum multiplicationem numericam, pœnè in infinitum, ſacrificiorum ſummè perfectam eſſe contendat; quod eſt quatere immediatè Apoſtoli ratiocinium, & concutere velle ipſum fidei murum inexpugnabilem, & adamantinum, quod nec Hæreticorum auſibus licuit hactenùs.

Num. 16. Si reſpondeas adhùc, futuram eam pluralitatem radicem imperfectionis indubitatam, ſi applicationes cunctæ in particulari, & determinatè efficiendæ, & tanquam à cauſa particulari provenientes, juxtà diſpoſitionem adſtantiùm, vel accedentium (ut poſtulat conceptus juſtitiæ, & ratio meriti) poſſent unà fieri per idem numero ſacrificium, & fierent per plura numero diſtincta. Uti & foret ſuperfluum ſacrificium applicans, ſi ipſum ſolvens applicare poſſet in particulari. Cum autem neutrum fieri valeat; non ſanè ex defectu virtutis ſacrificii, ſed impoſſibilitate, aut repugnantia ſimultaneæ exiſtentiæ applicationum; ideò ſacrificia eſſe poſſunt ſummè perfecta, tametſi multiplicia ſint. Contra tamen: ergò ſi munia illa cuncta obtineri poſſint per idem numero ſacrificium abſque multiplicatione numerica aliorum, fieri debent per unicum, juxti ſolutionem hanc, alioqui non exiturum perfectiſſimum. At obtineri valent per unicum numero, ut apparebit ſectione ſequenti ex ſententia noſtra; etiamſi reproduci jugitèr debeat: ergò multiplicatio numerica, & pluralitas ſpecifica ſacrificiorum, argueret imperfectionem in ipſis.

Contra ſecundò: quia ſtando ejuſdem ſolutionis principiis, minùs verè arguerentur in ſtitiæ vetera ſacrificia, eo quòd multiplicia forent: ſiquidèm illa nudè applicabant meritum paſſionis eo modo, quo tunc poſſibile fuit: ergò cum ea applicatio ſimultanea eſſe non poſſet ex natura propria ipſius, culpanda non foret ab Apoſtolo multiplicitas, tamquam phyſicè imperfecta. Contra tertiò: quoniam reſurgit iterùm obſervatio facta in præcedentibus, quod videlicet reflexio hæc arguat debilitatis, quin & falſitatis, diſcurſum Apoſtoli ex ſacrificiorum multiplicitate ſecundum ſe petitum; cum adeſſet pluralitas, & quidem perennis ſacrificiorum ſummè perfecta, & ſummè neceſſaria, eorum nempe, quæ applicant pretium, aut meritum alterius ſacrificii.

Replicas: meritum Chriſti Domini ab inſtanti Incarnationis fuiſſe ſimpliciter infinitum, per primam illius operationem; & nihilominùs per reliquas omnes emiſſas, dum vixit inter homines paſſibilis, meruit denuò, non aliquid novum, ſed ipſum ſemper novo titulo. Poterit igitur eodem colore exiſtere multiplicitas ſacrificiorum, quin infinitati primi derogetur. Verùm ejuſmodi replica offendit in eumdem ſcopulum expugnandi argumentationem Pauli, ut ex ſupra ponderatis liquet; cum illum declinare debuiſſet, debeamuſque Catholicè omnes. Rurſus ideo merita multiplicari debuerunt, quia omnia conſummari morte neceſſe foret (ex decreto Divino), ut finem aſſequerentur; ſubindeque, dum vitæ paſſibilis exiſteret, cum adeſſet ſtatus viæ, & reliqua ad promerendum conſtitutiva, debuit ſemper nova merita cummulare, quin ſubſequentia derogarent primo, quod non erat actu ſimpliciter conſummatum in acceptatione Divina (quamvis entitativè eſſet ſemper ſummè perfectum) donec in Cruce complementum

acci-

acciperent omnia: majoritas enim meriti non deſumitur ſolùm ex actione, ſed etiam ex promiſſione, aut pacto, vel acceptatione, juxta varias opiniones: eſtque propterea partim extrinſeca phyſicè actui meritorio. Poſt mortem verò dum ſurrexit non potuit denuò mereri; quoniam tunc jam derogaſſet meriti præcedentis infinitudini.

Accedit, quòd meritum pro ſtatu viæ Chriſti Domini erat veluti prædicatum tranſcendens omnem operationem illius, ſicut dignitas, æſtimabilitaſque infinita operationum derivata ex Perſonalitate Divina pro omni ejus ſtatu tranſcendit cunctas ejuſdem operationes, eſtque per ſe primò perfectio operantis, etiamſi finem alium non obtineat. Immò quantum eſt intrinſecè ex parte actus (cui extrinſecus eſt ſtatus viæ) acceptatio, & ſimilia pro omni ſtatu, radicaliter, & in debito, quamvis non formaliter in ſe. Prædicata autem quaſi tranſcendentia ex conceptu ſuo non derogant ſibi mutuò ob multiplicationem, etiam ſpecificam operationum, quibus conveniunt (alioqui vivere non poſſet actu); quia non arguitur ex multiplicitate defectus in qualibet, ſed infertur ſolùm, omnes prodire ab eadem Perſona Divina (de quo plura nos ſectione 3. & 4.): ſacrificium verò per ſe primò tendit ad finem alium extrinſecum aſſequendum; unde dum multiplicatur, arguitur, primum fuiſſe inſufficiens ad eum finem obtinendum.

Tandem dices, ſacrificium peragi in honorem, & cultum Dei potiſſimè, & quà ſupremus religionis actus. Ergo etſi multiplicetur, non arguit defectum virtutis in primo, ſed replicationem tantùm, jugemque repetitionem numericam ejuſdem cultus. Cæterum, ut ſæpè diximus, hæc appetunt argumentationem Pauli, arguuntque illum falſitatis. Secundò: quia cultus ille jugis, perennisque ſalvari poteſt pleniſſimè per unicum numero ſimpliciter ſacrificium, adeoque & otioſè, & imperfectè adderetur pluralitas realis diverſorum, diſtinctorumque. Non enim vertimus in dubium neceſſitatem ſacrificii in Dei cultum, & proteſtationem: & ut Chriſtiana religio ſacrificio gaudeat. Sicuti nec dubitamus, illud eſſe debere perfectiſſimum, dignumque ſumma dignitate Sacerdotii Chriſti Domini. Verumtamen, quemadmodum prorſus neceſſarium eſt Sacerdotium in Eccleſia Sancta, & nihilominus juxta fidei regulam, tantæ dignitatis, perfectioniſque eſſe debet illud, & de facto eſt, ut ſucceſſorem non permittat, & ideo eſt æternum, neque ſocium, quantumvis admittat ſubalternos, & Miniſtros; ſi autem haberet ſucceſſorem, & in illo multiplicitatem numericam ſibi ſuccedentium, perfectiſſimum eo ipſo non foret, repeteretque principium, qui pluralitatem ſummè perfectorum induceret. Ita ſacrificium proprium ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ talis perfectionis eſſe debet, & naturæ, ut exiſtat quidem ſemper; ſemper attamen ſit unicum, etiam numero. Vel ergo ſacimus irritum Apoſtoli argumentum: vel removemus ab Eccleſia omne actuale ſacrificium: vel cum ſententia deinceps firmanda opinandum, ut extorqueamus è manibus Hæreticorum validum hoc Divi Pauli telum, quod in ipſos ſtrenuè contortum eorumdem armis reportet triumphum glorioſiſſimum.

§. III.

Num. 17. **U**RGETUR iterum: quoniam in Cœnæ clariſſima nocte ſacrificium Euchariſticum non ſignificabat (uti nec Sacramentum) paſſionem Chriſti Domini, ejuſque ſacrificium jam peractum, ſive præteritum, ſed futurum; atque adeo licet illud primum incruentum fuerit infinitè meritorium & dignum, effectivèque produxerit ſuos effectus in Apoſtolis aſſiſtentibus, & de illo participantibus; quia tamen omne meritum particulare Chriſti Domini cunctaque ſimul accepta, antequam paſſione ipſa, & morte conſummarentur, inducere minimè poterant effectum redemptionis (eo quod redemptio, ejuſque pretium alligatum erat Cruci, cui affixum erat chirographum, juxta Apoſtolum continens debitum totius mundi, obligationemque); ſolum applicare potuit tunc pretium mortis Chriſti Domini, ut protinus eventuræ: & quidem non itaut derivaretur phyſicè ex paſſione virtus aliqua, cum nondum illa extitiſſet, prout requiritur ad hoc ut in eo genere cauſæ efficeret virtutem illam, in Sacrificium, & Sacramentum, derivandam, ſed ad eum modum, quo vetera Sacramenta, & Sacrificia hauriebant aquas ex Sanguine in Cruce manaturo; quantumvis multò perfectiùs, nobiliùſque, cum Sacerdos viſibilis foret ipſe Chriſtus Dominus (in cujus præſentia erat jam paſſio) in Cruce poſtmodum oblaturus ſeipſum, & cum ſacrificatio illa foret ſummè meritoria. Ergo Sacrificia, & Sacramenta veterum, quamquam præceſſerint mortem Chriſti Domini, atque adeo Crucis ſacrificium; verè in proprio aliquo ſenſu applicare valuerunt meritum paſſionis.

Comparatio igitur inſtituta à D. Paulo ſacrificii Crucis cum veteribus ſacrificiis eodem jure, & ratione fit tacitè cum ſacrificio altaris, præſertim primo illo; cum eodem pacto illa nudè applicarent (mediatè vel immediatè) pretium in ſacrificio Crucis in actu primo ſolvendum, ac primum illud ſacrificium, tametſi hoc largiùs, & ſublimiùs, illa verò parciùs, debiliùs, & imperfectiùs. Conſequenterque aut ea comparatione, ſive argumento excluditur pariter ſacrificium juge primò celebratum, aut nec vetera eo titulo debuerunt excludi. Et aliunde, ſi illud excluderetur; cum fuerit hujus ſacrificii inſtitutio, excluderetur à ratione ſacrificii præſens altaris ſacrificium.

 Vel

Vel tam illud primo confectum, quàm iſtud, quod modò peragitur, erunt imperfecta. Ex quo colligitur apertè nullum eſſe diſcrimen à nonnullis quæſitum ex eo, quod juge Sacrificium, & Sacramenta novæ legis præſupponant merita conſummata per mortem; vetera autem, ut conſummanda. Cum ſacrificium primum in Cœna peractum, eam conſummationem non ſupponebat præexiſtentem, ſed extituram ſignificabat. Tum quia præfatum diſcrimen ſolùm deſervire poteſt, ut copioſiùs per ſacrificium juge, quàm per vetera fluant gratiæ; quod nihil conducit ad temperandam difficultatem, in qua verſamur: maximè cum inter noſtra etiam Sacramenta, ut ſupra notatum fuit, majori copia (& non tantùm præſtantiori modo, digniorique) influant aliqua, ut Theologi ibidem laudati oſtendunt, quos imitantur Rhodes, Salmanticenſes, & Juniores alii: uti deſervit pariter ad hoc, ut vetera illa conferre minime poſſent effectus ſuos tanquam inſtrumenta, noſtri ſummi Sacerdotis manu, aut impulſu mota, virtuteque efficienter ab ipſo emanante agitata. Neque inſuper ad rem facit, quòd vetera ſignificaſſent per ſe primò gratiam efficiendam per Sacramenta novæ legis, ut ait Cardin. de Lugo: quandoquidem illa, quidquid ſit de eorum ſignificato principali, obtinebant ex fide ſacrificantis, aut Sacramentum recipientis, effectus proportionatos ex merito ſacrificii Crucis, quocunque modo explicetur. Circumciſio v. g. fugam peccati originalis, & gratiæ infuſionem, quantumvis ſecundariò tantùm prædictos effectus deſignarent.

Non abſimiliter repellitur differentia alia deprompta ex eo quod vetera peragerentur ex Sacerdotio Aaronico imperfecto, cum ſacrificium juge conficiatur à ſummo Sacerdote ſecundum ritum Melchiſedech Chriſto Domino. Siquidem hoc demonſtrat quidem ſacrificia illa eſſe non potuiſſe adeo perfecta, nec applicare largiter paſſionis merita; neutiquam verò probat, per illa applicatum non fuiſſe aliquatenus pretium in Cruce ſolvendum: quemadmodum per ſacrificium incruentum in Cœna noviſſima à Chriſto Domino celebratum, & primò inſtitutum, applicatum fuit, etiamſi non fuiſſet ſolutum actu in Cruce, ſed comparandum, ſeu ſolvendum; conſequenterque non infirmat vim argumenti inde à nobis efformati. Addendum, effectum applicationis, de quo loquimur, non provenire per ſe primò à dignitate, & merito Sacerdotis, ſed à merito paſſionis, alioqui jam non foret applicatio alterius meriti, ſed refuſio proprii; paſſio autem eſt mare illud, è quo redundabat Sanguis miro modo in omnia Sacrificia, & Sacramenta, ſicut in juge noſtrum: niſi quod in nova fluit ex paſſione ipſa Sanguis, quaſi naturali jam curſu; in vetera refluebat, & inſtar Jordauis convertebatur retrorſum.

Num. 18. Arguo ſecundò, unàque confirmo præcedens argumentum. Sicut Chriſtus Dominus inſtituit ſacrificium incruentum in noviſſima Cœna, jamjam diſceſſurus ex hoc mundo, ita potuit illud inſtituere initio ſuæ prædicationis, exempli cauſa, illudque peragere frequentiſſimè, ut nemo inficiatur, cum fuerit ſummus Sacerdos à primo inſtanti Incarnationis. In ea autem hypotheſi, indubitanter poſſibili, neceſſariò præceſſiſſent ſacrificium Crucis quamplura ſacrificia incruenta numero diſtincta (ſi ſtandum ſit principiis Adverſariorum): vel ergo illa pluralitas incuſanda foret infirmitatis, comprehendendaque reipſa ſub argumento Pauli; vel non? Si primum, eodem jure comprehendi debet ſub illo argumento pluralitas numerica ſacrificiorum altaris, pœnè innumerabilium: cum non alia ratione præcedens illa redargui poſſet, æquè ac veterum pluralitas; niſi & quatenus omnis ſacrificiorum multiplicitas inopiam arguat virtutis in quolibet: & quatenus nullum ex ea multitudine ſufficiens eſſet ad exhibendum redemptionis pretium in ligno ab eodem ſummo Sacerdote præſtituto tempore exhibendum. Si ſecundum: injuſtè veterum ſacrificiorum pluralitas removetur, tanquam debilitatis indicium ex ipſamet pluralitate ſubortum: & ex defectu virium in quolibet, & in omnibus ad redimendum genus humanum, expiationemque peccatorum; cum utrumque conveniret ſacrificiis illis à Chriſto Domino in hypotheſi peractis, & ſacrificium Crucis præcedentibus; quin propterea illa ex vi ratiocinii, aut doctrina Pauli, redargui poſſent imperfectionis.

Si dixeris ſacrificia illa antiqua Sacerdotiumque eſſe abolendum per novum Chriſti Domini Sacerdotium alterius ordinis; & propterea pluralitatem illam rejiciendam fuiſſe ab Apoſtolo; ſecus autem pluralitatem numericam, quæ per novum Sacerdotium duraturum ex ſe in æternum, conficienda erat, ſive præcederet etiam (ut fieri potuit), ſive ſubſequeretur, ut de facto contingit. Deſeris vim rationis Apoſtoli; nolens re ipſa illam ſuſtinere, ſed potiùs fugere ut inefficacem. Namque Paulus non arguit debilitatis, & imperfectionis ſacrificia, & vetus Sacerdotium, quia abolendum erat, ſed vice verſa, docet, illud unà cum lege extinguendum, quia infirmum, & nihil ducens ad ſtatum perfectum, ut loquitur ibidem Apoſtolus. Hæbrei itaque, quibuſcum Epiſtola illa diſputat (vel plerique eorum) nequaquam præſupponebant, Sacerdotium Leviticum abolitum per Sacerdotium Chriſti Domini, nec abolendum; quia putabant, illud nobiliſſimum eſſe, & præſtantius omnibus, à Deo tanta verborum, & rerum copia inſtitutum, veſtium ornatu, & cæremoniarum uſu, probatumque miraculis, ſæculorum tractu; ut duraturum crederent unà cum univerſo, & ſimul cum

Me-

Meſia venturo (niſi nonnulli peritiores inter ipſos, qui ex ſcripturis ſacris oppoſitum ſatis luculenter expreſſum reſcirent): proindeque illi, quos convincere ſatagebat Paulus, manifeſtè ſentiebant, Sacerdotium Chriſti Domini nullo pacto cum Aaronico nobilitate, & merito comparandum: tantùm aberant à vera fide, dictante vetus illud fuiſſe per novum, & æternum Sacerdotium planè abolitum, & ab imis radicibus convulſum. Hæc nuda conjectura non eſt, ſed perſpicua illatio, ex ipſa energia, qua Apoſtolus graphycè deſcribit impotentiam, debilitatemque illius Sacerdotii, & è regione majeſtatem, durationem, virtutemque novi Sacerdotii. Quod igitur vetus abolendum eſſet per novum, veritas erat deducenda ex ipſa virium ejuſdem, & ſacrificiorum tenuitate, ac ſubinde ex argumentis, & Scripturæ Sacræ locis, à Paulo in ea Epiſtola conglobatis; non verò aliquid præſuppoſitum, aut medium ad argumentum efformandum. Cui nec arma facundiæ deſunt, nec Scholaſtica ingenioſitas in illo deſideratur; & dum ea occaſione Paulus delibat rapidiſſimè, vel obſcuriora myſteria, micant fulgura, quibus clareſcunt omnia.

Num. 19. Adhuc, & 3. arguo, medio alio mihi validiſſimo: Apoſtolus noluit expreſſam facere mentionem ſacrificii incruenti in eo argumento; quia opportunum minimè erat ad finem, quem intendebat, ut ajunt laudati Theologi, contra quos agimus; ſed potiùs, inquiunt, deprimeret aliquantulum Sacerdotium, quod ſublimabat, comparando ſacrificium rei ex ſe, & viſibiliter inanimis, cujuſmodi eſt Hoſtia Euchariſtica, cum ſacrificiis, aut immolationibus Victimarum viventium, quibus aræ calebant. Nunc autem ſic: Sacerdotium Chriſti Domini, quod tantopere extollit Paulus Apoſtolus, ut Aaronico infinitè præſtantius, eſt Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech: ſacrificium verò huic ſummo Sacerdoti reſpondens, cujus unicè meminiſſe voluit Apoſtolus ibi, eſt tantùm ſacrificium Crucis; quin incruenti, jugiſque memoriam apertè fecerit. Inde autem conſtanter, legitimèque infertur, quòd ſi Crucis ſacrificium ſit numero, aut etiam ſpecie diverſum à ſacrificio altaris, ut præſupponunt tamquam extra dubium præfati Scholaſtici, argumentum exaltans Sacerdotium ſecundum ritum Melchiſedech ſupra vetus Sacerdotium, erit inefficax, Sacerdotiumque ipſum omnino imperfectum. Quoniam Sacerdotium ſecundum ritum Melchiſedech, quà tale, reſpicit per ſe primo eſſentialiter ſacrificium incruentum, (ſi ſupponatur diverſum ab incruento) quod licet repræſentet ſignatè cruentum, illius tamen ritum exercitè excludit à ſe, non minùs quàm cruentum reſpuit incruentum. Ergo ſacrificium cruentum quà diverſum, ab incruento, non eſt proprium Sacerdotis ſecundum ordinem Melchiſedech, nec ſecundum illius ritum, moremque ſacrificandi. Ergo quòd ſacrificium cruentum ſe ſolo ſoluerit pretium redemptionis ſuperabundanter: quòd conſumaverit omnia ſemel oblatum; dum vetera perenni Hoſtiarum immolationi incumberent fruſtra, eo quod nullum per ſe ſacrificium (nec infinita illorum ſimul) per ſe ſufficeret, nequaquam arguit, quòd Sacerdotium Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedech, quantumvis æternùm duraturum, eſſet nobilius, perfectiuſque Sacerdotio legali; cum ſacrificium illud, ex cujus magnitudine, & excellentia Sacerdotium hoc commendatur ab Apoſtolo, non ſit per illud Sacerdotium conficiendum; & aliunde ineptè ſublimatur cauſa activa ex effectu, in quem non influit, nèc reſpicit, ut producendum per ipſam. Elucidatur amplius: à ſacrificio, quod non eſt per ſe ſpectans ad hoc Sacerdotium, importunè, & fallaciter deſumitur major, vel minor dignitas hujus Sacerdotii. Sed ſacrificium cruentum à Chriſto Domino in Cruce peractum, ſi ſemel diverſum ſpecie, aut diſtinctum numero, ab incruento adſtruatur, ſub nulla conſideratione ſit à Sacerdotio ſecundum ritum Melchiſedech: tametſi ritus hujus illius ritum ſignatè repræſentet, exprimatque. Ergo à pretio infinito, valore undique ſummo, & omnium excogitabilium ſacrificiorum præſtantiſſimo, ſacrificii Crucis, perperam, & nequaquam colligeret Apoſtolus excellentiam Sacerdotii, ſecundum ordinem Melchiſedech, ejuſque ſummam dignitatem, longe, lateque ſuperantem Sacerdotium Leviticum. Et ſanè commendare Sacerdotium à ſacrificio, quod nullo modo peragit, eſt laudare Parentes à filio, quem non genuere, eſſetque potiùs nugare, quam encomiaſtem agere.

Num. 20. Præterea Apoſtolus in laudata Epiſtola nullum aliud ſacrificium aſſignat Sacerdotio Chriſti Domini, niſi Crucis ſacrificium; affirmans, ſemel tantùm obtuliſſe, & ſacrificaſſe; & ideo fuiſſe perfectiſſimum ejus Sacerdotium, & ſummum ejus ſacrificium, quia unicum eſt; quin ratione ſuæ infinitudinis permittat ſacrificium aliud, nec ut neceſsarium, nec ut utile. Ex adverſo autem Sacerdotium, & ſacrificia vetera multiplicia erant ob oppoſitam rationem. At ſacrificium Crucis nullatenus eſt proprium Sacerdotii ſecundum ritum Melchiſedechiacum. apud relatos Theologos, ſed vel juxta ordinem Aaronicum, cum omnia illius ſacrificia præfigurarent ſacrificium Crucis; vel potiùs præter ordinem aliquem exiſtentem, & juxta ordinem ſuperiorem, aut ſupremum, ex divina particulari diſpoſitione; cum nulla Hoſtia rationalis eſse poſset Victima Sacerdotii Levitici, veriùſque dici poſset ſecundum ordinem Abrahami, dum præcepit illi Deus, ut filium ſuum immolaret, tametſi ſuſpenſa divinitus manu, & ictu, hæſerit Abrahamus, præpeditus non minùs, ac hæſit vepribus aries

loco filii immolatus. Ergo Sacerdotium magnum ſecundum ordinem Merchiſedech tanto ſtudio exaltatum ab Apoſtolo, remanet juxta argumentum illius abſque ullo proprio illius ſacrificio, gloriareturque ſolùm de magni illius tituli inani umbra. Ex quo fit, D. Paulum Sacerdotium illud dejicere potiùs, quàm exaltare: nullum ſiquidem eſse valet perfectum Sacerdotium, ſi fuerit deſtitutum virtute proxima ad ſacrificandum; cum ex dictis ſupra conſtiterit, ſitque notiſſimum cunctis, Sacerdotium dicere per ſe primò ordinem ad ſacrificium, eoque nobilius, aut perfectius eſse, quo fuerit perfectius ſacrificium: ſicut igitur Sacerdotium, cujus proprium ſacrificium ſit imperfectum, eſſe nequit perfectum; ita à fortiori Sacerdotium, nullum per ſe reſpiciens ſacrificium, eſt imperfectiſſimum: & quidem potiùs quàm ſacrificium aliquod reſpiciens, quantumvis imperfectum.

Immo eſſe nequit verum, & completum Sacerdotium, cum careat prædicato eſſentiali Sacerdotii dicendi ordinem ad ſacrificium celebrandum. Cum igitur hoc ſit impoſſibile, & doctrinæ Pauli extollenti Sacerdotium ſecundum ritum Melchiſedech contradicens. Cumque rurſus importare nequeat habitudinem ad ſacrificium aliud ſpecie, aut numero diſtinctum, quia pluralitas ſacrificiorum repugnat argumento Pauli; neceſſariò ſentiendum videtur, ſacrificium Crucis, & incruentum eſſe unum numero ſimpliciter ſacrificium, ut noſtra ſententia contendit.

Urgetur alitèr. Sacrificium Crucis in ſententia adverſa, & Theologos frequentèr, peractum non fuit per ſe primò ſecundùm ordinem Melchiſedech; Sacrificium verò altaris conficitur juxtà ordinem illum. Modò ſic: Sacrificium Crucis non fuit celebratum à Sacerdotio juxtà ritum Melchiſedech; aliundè repugnat, Sacrificium verum, quod non fiat à legitimo aliquo Sacerdotio. Ergò fuit confectum à Sacerdotio ſecundùm alium ritum diverſum; ſed Sacerdotium ſecundùm aliquem ritum differt ſpecie à Sacerdotio ſecundùm alium ritum ſacrificante, cum ordinentur per ſe ad ſacrificia diverſa, & diverſimodè perficienda; & cum Sacerdotium Aaronicum figuraret Sacerdotium Chriſti Domini ſecundùm ritum cruentum; Sacerdotium autem Melchiſedech fuit diverſum à Levitico multis titulis. Fuit igitur in Chriſto Domino duplex Sacerdotium diverſum, & ſeparabile ab invicem, quorum unum æternum eſt, & jugitèr fungitur munere ſuo; aliud verò, licèt duret in effectu, in re tamen effætum remanſit, incapaxque ulterioris ſacrificationis faciendæ. Hoc autem non minùs repugnare videtur doctrinæ Apoſtoli, quàm pluralitas ſacrificiorum, & ſucceſſorum in Sacerdotio: quandoquidèm eatenùs ea pluralitas repugnat Sacerdotio Chriſti Domini, quatenùs argueret imperfectionem in Sacrificiis, & Sacerdotibus, Sacerdotioque, utpotè non æterno. Et eatenùs illam argueret, quatenùs deduceretur indè evidentèr, nullum ſacrificium eſſe ſufficiens, nec ullum Sacerdotem (atque adeò nec Sacerdotium illi conveniens, quia ſi fuiſſet perfectiſſimum, foret etiam ſufficiens ejus ſacrificium): & aliundè, ſi Sacerdotium Chriſti Domini ſit duplex, formalitèr unumquodque ipſorum arguit mutuò defectum plenitudinis in alio; transferturque imperfectio ſucceſſionis in Sacerdotio antiquo ad dualitatem Sacerdotii ſummi in novo ſummo Sacerdote, quæ eſt major alia, cum in lege veteri eſſet tantùm unum ſummum Sacerdotium.

Si dixeris: idem Sacerdotium complecti poſſe, & reſpicere ſacrificia ſpecie diverſa, ut in Levitico Sacerdotio apparet. Fatebor libentèr, poſse idem Sacerdotium juxtà plures ritus diverſos plura ſacrificia peragere, ad inſtar cauſæ æquivocæ; re ipſa tamen Sacerdotium tunc eſt formalitèr, & virtualitèr multiplex, & unumquodque virtualitèr imperfectum; cum nec illud, nec ſacrificium illi reſpondens exhauriant omnem Sacerdotii, & Sacrificii perfectionem; quod nobis ſufficeret ad argumentum, ſubindèque realitèr ſunt ſeparabilia.

Præterea Sacerdotium Chriſti Domini ſecundùm ordinem Melchiſedech, in ipſo Melchiſedech præfigurante fuit realitèr ſeparatum ab omni alio, non ſolùm in poſterùm extituro, ut Levitico, ſed & in lege naturæ exiſtente, cum in pane tantùm, & vino ſacrificaſse conſtet. Ergò & in Chriſto Domino figurato extitit illud ſeparatum; adeòque ſi peregit aliud ſacrificium habuit duplex Sacerdotium. Ex quibus apparet ſatis quàm difficile ſit conciliare vulgatas Theologorum opiniones cum argumento Pauli; & quod lateat profundè in viſceribus illius argumenti modus alius conciliandi ſacrificium incruentum cùm ſacrificio Crucis abſque pluralitate ulla, etiam numerica: & Sacerdotium reſpiciens utrumque illud, abſque diverſitate: & ex conſequenti concordandi Theologiam Scholaſticam cum Epiſtola Pauli, quæ alitèr re ipſa diſcordat, licèt mille coloribus diſcordiam ipſam multiplex ſolutio tegat.

Num. 21. Confirmatur: quoniam licèt Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech mirum in modum commendetur à Paulo aliis titulis, uti quod ſit æternum, quemadmodùm Rex ille ſalem nec initium, nec finem dierum habuit (in ſacra Scriptura deſcriptum); potiſſimus tamen titulus extollendi Sacerdotium eſt ſacrificium, quod per ſe primò reſpicit; & ſine quo Sacerdotii dignitas, aut excellentia comparativè ad aliud Sacerdotium remanet improbata; adeòque fallacitèr aſſerta: cum enim actus primus, cujuſmodi eſt Sacerdotium reſpectu ſacrificii, hauriat ſpeciem ſuam, & nobilitatem ab actu ſecundo, ſive operatione, ad quam per ſe ordinatur, & per ordinem ad quam definitur; impropriè, & ineptè affirmatur ſum-

ſumma dignitas, & perfectio Sacerdotii, præ aliis omnibus, dum reticetur ejus ſacrificium (quandoquidèm ſacrificium, de quo loquitur Apoſtolus, nempè Crucis ſacrificium, non eſt proprium Sacerdotis ſecundùm ordinem Melchiſedech): majeſtas igitur Sacerdotii Chriſti Domini ſecundùm ordinem Melchiſedech fuiſſet quidèm adſtructa ab Apoſtolo cum Hæbreis diſputante, illudque præferente Sacerdotio Levitico; eſſet tamen voluntariè in argumento aſſerta, remaneretque prorsùs improbata, vel per fallaciam collecta ex perfectione ſacrificii ad illud Sacerdotium non ſpectantis.

Ulteriùs præfati Theologi docent, Paulum conſultò reticuiſſe, aut præteriiſſe juge ſacrificium; quia cum victima illius ſub accidentibus panis, & vini appareat inanimis, ſubindèque imperfectior hoſtia viventе veterum ſacrificiorum, deprimeret potiùs in mente Hæbreorum ſacrificium, quàm extolleret. Ne autem in hunc ſcopulum impingeret, impegiſſet in alium infenſiorem; cum ſilentium ipſum de ſacrificio redundet à fortiori in depreſſionem evidentiſſimam Sacerdotii, quatenùs non habere ſacrificium proprium credatur. Vel efficit ut ſuſpendatur judicium circà dignitatem, & æſtimabilitatem Sacerdotii, donec reſciatur nobilitas, aut ignobilitas ſacrificii: ubi enim præſcinditur à natura ſacrificii, & à ſacrificio ipſo (quia ſiletur) præſcinditur eo ipſo à perfectione Sacerdotii, cujus illud eſt menſura. Præterea deceptorium futurum argumentum Pauli, dum, ut extolleret miris encomiis Sacerdotium Chriſti Domini ſecundùm ritum Melchiſedech, ut præſtare faceret illud Sacerdotio Levitico, ſuppoſuiſſet illi ſacrificium cruentum, infinitæ proculdubiò perfectionis ad genus humanum redimendum; ſed qui non fuiſset partus illius Sacerdotii, ut nuper inſinuatum eſt: potuiſſetque poſtmodùm idem Apoſtolus dicere Hæbreis (ſi jam convincti eſſent) illud, quod protulit 2. Corint. 12. *Sed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Sunt & alia plura argumenta, quibus ſolutio hæc communis labefactatur; uti & ſunt dilucida Patrum teſtimonia, quæ eodem recta collimant; quoniam tamen ea opportuniùs adducuntur ſectione ſequenti, dum poſitivam aſſertionem noſtram promovemus, prætereunda fuerunt hic. Maximè cum allata viſa nobis fuerint admodùm robuſta; & quæ pro illa tuenda afferuntur admodùm infirma, eoque titulo unà cum veterum ſacrificiis abroganda.

SECTIO SECUNDA.

Unitas ſimplicitèr numerica Sacrificii Crucis, & altaris, & hujus ſecum, tametſi repetitione aſſidua, loco, & tempore diſſita, exponitur, profundè radicatur, & ſtabilitur: illâque mens Apoſtoli elucidatur.

§. I.

Num. 22. MIRABERIS illico forſan, & ſimul detrectabis titulum ſectioni appoſitum, vix unico aſpectu obiter ſalutatum, tamquam exoticum, novitatis reum, monſtroſamque opinionem pariturum (cum jam illam titulus deſignet), ut illi, de quibus Alciatus (Emblem. 69.). *Qui veterum abjecta methodo, nova dogmata quærunt, nihilque, ſuas præter tradere phantaſias.* Niſi dum tituli, & aſſertionis facies, incredibile, & peregrinum aliquid portendens, deſinat, ut interdum evenit, in paradoxum. Patienter attamen ſuſtineant, qui legerint, donec finem viderint; putamus namque futurum, ut vel ii, qui ſententiam improbent, doctrinam minimè criminentur; præſertim cum etiamſi aberraret procul à vero ſententia noſtra, peccaret ſolùm contra Philoſophiam, aut metaphyſicam in modo conſtituendi unitatem numericam; nequaquam verò in fidem, ſanam doctinam, aut Theologiam offenderet.

Ut verò clareſcat luculentiùs intentionis noſtræ ſcopus, & aſſertionis tuendæ genuinus conceptus, præſuppouendum eſt id, quod ex mente Divi Thomæ 3. p. q. 48. art. 3. & Cajetani ſententia notavimus Diſputat. præcedenti circa differentiam ſacrificii unicè ſitum in actione, ſeu in *agere*, & ſacrificium, quod conſiſtit in *pati*; quod videlicèt illud involvit eſſentialitèr, ut primarium conſtitutivum ſacrificationis (vel adæquatum) actionem externam tranſeuntem; utpotè quæ fertur in victimam ſenſibilem extrinſecam ſacrificanti; nullatenuſque includere principaliter actum internum, ut eſſentiale conſtitutivum ſacrificationis ex conceptu peculiari ſacrificii: quamvis poſtulet intentionem eſſentialiter præſuppoſitam: & quamvis vel ex conceptu actus humani, vel etiam ex conceptu formali actus virtutis eſſe debeat intrinſecè voluntarius. De quo videndus S. Thomas 1. ſecundæ quæſt. 17. & ibi Theologi frequenter. Secundum autem petit eſſentialiter, ut conſtitutivum intrinſecum actum internum, qui ſit formalis ſacrificatio, & quidem adæquatè intrinſecè; tametſi poſtulet actionem externam alterius, agentem in ipſum: vel præſuppoſitivè, ut neceſſaria fuit ad Crucis Sacrificium actio violenta carnificum: vel ut conſtitutivam ſacrificii in ratione ſenſibilis, quatenus ſacrifi-

crificationem illam internam reddat aliquatenus viſibilem, ut conſecratio, actioneſque Sacerdotis in ſacrificio incruento. Si namque actus ille voluntarius patientis non intercedat, poſſet quidem ex divina inſtitutione eſſe ſacrificium reſpectu agentis externi, licet victima eſſet rationalis, ut fuiſſet illud Abrahami, ſi filium reipſa interfeciſſet; numquam tamen foret ſacrificium in *pati* conſtitutum. Sic martyrium in adulto eſſentialiter poſtulat actum internum, tolerantis mortem, ut intrinſecè conſtitutivum martyrii; ſive eſſe debeat actus charitatis imperantis, & fortitudinis ut elicientis, ut D. Thomas docuit; ſive voluntaria acceptatio, dummodo fiat per actum ſupernaturalem, ut opinantur plures ex aliis D. Thomæ locis. Porro S. Thom. 2. ſecundæ qu. 124. art. 2. ad ſecundum ait: *Martyrium, eſt actus charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis*. Et ibi Cardin. Cajetanus martyrium definit, aut deſcribit, dicens: *quòd ſit voluntaria toleratio mortis propter virtutem fidei Chriſtianæ, in favorem, ſive honorem Dei tamquam finis ultimi*. Idem repetit S. Thom. 3. par. qu. 66. art. 12. ad ſecundum. *Baptiſmus ſanguinis includit, baptiſmum flaminis, & non è converſo.*

Ita etiam Doct. Seraphicus in 4. diſt. 4. part. 2. art. 1. qu. 2. & in expoſitione textus, dubio 1. dixerat: *Ad martyrium completum duo concurrunt, juſta voluntas, & juſta cauſa. Primum defecit in Innocentibus, ſecundum in Latrone, & ita de ſe neutrum fuit completum*. Conſulatur Soto in quartum diſtin. 15. qu. 1. art. 1. Doct. Eximius tom. 3. in 3. part. diſput. 29. ſect. 2. & 3. Leſſius, Henriquez, & Granados: ſubſcribuntque prope omnes, ſi paucos excipias cum Argentina, ajente, fidelem dormientem, ſi occideretur ab infidele in odium fidei, verum martyrium ſubiturum; refragantibus cæteris, niſi præcedat actus voluntariè mortem acceptans, ſi illi inferatur, qui moraliter perſeveret. Martyrium verò parvulorum fuit quidem verè tale, ſed alterius, & diverſæ rationis ſupplente Deo illorum conſenſum. Sicut igitur ad martyrium requiritur voluntaria illa acceptatio conſtituens eſſentialiter verum martyrium; ita ad ſacrificium ſitum in *pati* exigitur intrinſecè actus internus; eo tamen diſcrimine, quòd ad martyrium ſufficiat voluntaria acceptatio ex charitate imperata; ad ſacrificium verò neceſſarium inſuper eſt, quòd actus ille internus acceptans ſit inſuper, ſimulque, agens aliquo modo in ſeipſum; alioqui ille erit martyr reſpectu illius paſſionis, non tamen Sacerdos: atque adeo illud eſſe minimè poteſt ſacrificium ab illo confectum, cum ex ſuo conceptu formali expetat activam immolationem victimæ à Sacerdote factam; ſed nude martyrium: hìc enim potiori jure, & altiori Philoſophia, quàm alibi umquam, agens divinum agendo, repatitur.

Num. 23. Et hæc eſt ſecunda ſuppoſitio, quòd nimirum actus internus debet eſſe actio ſacrificativa in ſacrificio altaris; quia conſiſtit *in pati*, cum ſit victima immolanda ipſe Sacerdos, ſubindeque, & debet immolare activè, quia ſacrificat; & terminare paſſivè immolationem, quia eſt victima ſacrificata. Id autem aliter fieri non poſſe diximus diſp. 5. fuſiſſimè, quàm per imperium voluntatis humanæ Chriſti Domini ſuſpendentis omnem vitam actualem corpoream, vel à corpore pendentem; qui actus ſimul eſt oblatio, & ſacrificatio, cum ſit actio phyſicè elicita a Chriſto Domino, per quam aufert vitam actualem prædictam in proteſtationem divinæ poteſtatis in vitam, & mortem, ejus privationem inducens, modo allegata diſputatione dicto. Imperium enim eſt vera cauſa actus imperati, ſimulque cum illo conſtituit actionem productivam effectus, ut ex D. Thoma 1. ſecundæ qu. 17. art. 4. & Theologis ibidem notum fecimus: & ideo Philoſophus 1. Politic. cap. 3. dixit, appetitum obedire voluntati principatu politico (quamquam ſit deſpoticum ejus imperium in facultates aliquas); de quo legendus Exim. Doct. de fine hominis tract. 7. diſp. 10. ſect. 3. quò reſpexiſſe videtur S. Aug. lib. 8. Confeſ. cap. 9. cum dixit: *Imperat ſibi animus, ut velit, qui non imperaret, niſi vellet*. Et quamvis ex imperio, & actu imperato reſultet actio adæquata cauſativa effectus, juxta D. Thomam 1. ſecundæ qu. 13. art. 1. & Cajetano ibidem, uti & qu. 17. præallegata: animadvertit tamen S. Thomas, imperium utpote ſuperius in ſe, & potentiæ ſuperioris, ſe habere in ea compoſitione ad inſtar formæ, imperatum verò tamquam materia in ordine ad conſtituendum unam actionem, aut actum completum. Hoc autem intelligendum eſt, dum imperium præcipit efficientiam alicujus actus; cum autem ſuſpendit actum aliquem potentiæ ſubditæ, & intra ipſum imperantem exiſtentis (aut omnes); tunc profecto potentia imperans eſt cauſa effectiva adæquata medio imperio, veluti cauſalitate phyſica, privationis illius actus, vel actionis immanentis, (quæ juxta plures, eſt ipſe effectus, ſive actus); cum res imperata poſitiva non ſit, nec actio aliqua, ſed nuda privatio, per illam actionem phyſicam, poſitivamque realiter inducta, ut fusè conſtat, ex ibidem dictis. Imperium igitur, quo Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus jam latens, & præſens realiter, ſuſpendit omnem actum vitalem, quoquo modo corporis, quem miraculosè eliciebat, quoſque eliceret deinceps, ſi non impediretur, & quaſi ligaretur eo imperio potentia inſtrumentalis miraculorum effectrix, eſt adæquata immolatio, aut ſacrificatio intrinſeca poſitiva, quæ conſtituit ſacrificium Miſſæ, concurrente quidem miniſtro, tum conſecrationis verbis, tum actionibus, non jam ad ſacrificium illud intrinſecum conſtituendum, ſed

ad

ad ipſum efficiendum ſenſibile, quod etiam pertinet ad eſſentiam ſacrificii; quantumvis non æquè principaliter ac ſignum ſenſibile requiritur ad conſtituendum Sacramentum, ut monet Doctor Eximius, & Scholaſtici communiſſimè.

His ſuppoſitionibus adjungenda integra diſputatio præcedens, ſententiaque noſtra ibidem latè expoſita, & ſolidiſſimè munita, ſine qua face prælucente, non obſcura tantùm evaderet mox producenda aſſertio, ſed improbata, & trunca: quia ſi ſacrificatio reproducenda (quæ eſt baſis firma jamjàm venientis aſſerti) ſtabilita non foret, nutaret fabrica, vel corrueret confeſtim tota, fundamentis non ſolidatis, quin opus eſſet aliis argumentis aut reflexionibus ipſam vehementer impellentibus: quia nequidquam impellitur ab alio, quod cadit ſeipſo.

Num. 24. Sit igitur aſſertio noſtra: ſacrificium Crucis, & altaris ſacrificium, quà hoc ſecundum complectitur omnia ſacrificia, quæ per totum orbem ab ejus Inſtitutione uſque ad mundi finem peracta fuere, peragendaque, ſunt unum numero ſimpliciter, & phyſicè ſacrificium completum; & nullatenus plura, niſi merè ſecundum quid, adhùc materialiter. Ita namque dicimus unum numero ſimpliciter phyſicèque omnia illa, ut forma hujus unitatis numericæ abſolutè talis reperiatur phyſicè eadem numero in toto rigore ſermonis, & in ſenſu reali in celebratione cujuslibet ſacrificii, cum materiali aliqua ejuſdem ſacrificii diſtinctione ſecundum quid, quæ neutiquam tollit, in omnium ſententia, veram unitatem numericam ſimpliciter; maximè cum illa ſe habeat ex parte ſacrificii quà viſibilis extrinſecè, aut ſenſibiliter facti; non verò quà dicit ſacrificationem ſignificatam per ſigna, ſignificatumque ſacrificium; quippe quod nec adhuc ſecundum quid eſt multiplex numero, ſed idem numero ſemper, & pro ſemper realiter formaliter; cum ſacrificatio ſit eadem phyſicè, & victima etiam, uti & terminus à quo, & ad quem. Formam autem realem phyſicam prædictæ unitatis numericæ eſſe dicimus actum illum internum ſacrificantem vitam, ſive imperantem ſuſpenſionem vitæ, ut miraculosè à Chriſto Domino conſervatæ tam in Cruce, quàm in altari: ita tamen ut actus prædictus ſit eſſentialiter actio inductiva ſemel tantùm privationis vitę ſubſtantialis, & actualis ſimul, ritu cruento; & jugiter inductiva privationis vitæ actualis duntaxat ritu incruento per repetitionem ejuſdem ſacrificationis, propriam Sacerdotii, ut æterni. Utramque autem illam formalitatem, & ritum (uti & ſymbola, aut ſigna ſenſibilia utriuſque diverſa,) poſtulat eſſentialiter actus ille ſacrificans, imperanſque, ſive imperium conſtituendum ſit in voluntate, ſive in actu practico intellectus, ſive in uſu, ſive in omnibus ſimul (quod Philoſophis diſcutiendum relinquimus); quia cum illud eſſe debeat voluntarium, liberumque antecedentèr, ſive ſit actus intrinſecè liber, proindeque involvens intrinſecè cognitionem repræſentantem formalitates illas, eaſque eſſentialiter expetentem; ſive tantùm præſuppoſitivè ſe habeat cognitio reſpectu actus voluntatis; in ordine tamen ad ſacrificationem illam conſtituendam, ſacrificiumque, cognitio illa eſt intrinſeca, & eſſentialis ſacrificationi uterque ille modus tendendi in victimam.

Quin & actus ipſe voluntatis ſortiri debet virtualitates illi cognitioni reſpondentes. Quoniam verò ſacrificatio proficiſci debet à ſummo Sacerdote, conſequenterque à Chriſto Domino quà homo eſt, ultra actus prædictos (& ultra oblationem, ſi ipſam vellet aliquis diſtinguere ab immolatione formali) includit neceſſariò actum aliquem phantaſiæ, aliumve materialem, ratione cujus illud complexum, conſtituens adæquatam ſacrificationem, pendeat aliquatenus à corpore, ſive proximè, ſive ſaltem remotè. Illud itaque aggregatum (cujuſmodi eſt etiam apud Adverſarios, juxta quos Sacramentum habet unitatem ad inſtar artefacti; ſacrificatio verò fieri ipſius artefacti, ſubindeque plures actiones unitim cum principali includens, ad reproducendum corpus, ſuſtentandaſque ſpecies ſine ſubjecto: producendam unionem aliquam cum ipſis: ad deferenda reliqua prædicata concomitanter &c. ſimiliaque in conſecratione Calicis; cum ex utraque reſultet ſacrificium) expoſcit formaliter immolare eamdem victimam ſemel cruentè, & incruentè ſæpiſſimè, continuòque, quandiu mundus floreat, quouſque exareat, ea utriuſque rationis formalis inſeparabilitate, ut reipſa ſit eademmet ratio formalis utrumque modum immolationis indiviſibiliter reſpiciens, ita ut dum immolaret incruentè in Cęna reſpiceret eſſentialiter immolationem cruentè peragendam ſeipſa in Cruce: & dum in Cruce ſacrificaret, peteret eſſentialiter immolationem incruentam perenni repetitione ſuiipſius ſub ſpeciebus efficiendam. Quandoquidem illemet numero actus, ſeu complexum ex actibus neceſſariò requiſitis coaleſcens, reproducitur jugiter; primò in Cœna noviſſima fuit productum, in Cruce productum denuò, ſive reproductum, & indeſinenter reproducendum uſque ad mundi ultimum exterminium. Quemadmodum in ſententia communi Theologorum reproducitur per conſecrationem idem numero ſemper Corpus Chriſti Domini, & idem numero ſanguis. Ecquis enim juſtus Judex illam reproductionem reſpuat ut impoſſibilem, cum hanc admittat de facto, omni momento, & per loca inter ſe diſſita, uti & innumerabilia exiſtentem? Num forte eſt minùs neceſſaria illa ad ſalvandam veram unitatem ſacrificii, quàm hæc ad verificandam in Sacramento realem præſentiam Chriſti Domini? Numquid unitas vera ſacrificii (ſub ritu quamquam diverſo)

& Sa-

& Sacerdotii, non adſtruitur expreſsè ab Apoſtolo, in Concilio Tridentino, & Patrum Eccleſiæ facundiſſimo eloquio, ſicut præſentia realis Corporis, & Sanguinis habetur perſpicuè ex fidei oraculo?

Num. 25. Ex hac doctrina ſequitur, tam Sacrificium Crucis, quàm quodlibet ſacrificium incruentum hìc & nunc celebratum, celebrandumque, eſſe ſimpliciter idem numero, & ab eodem Sacerdote; cum conſtituarur realiter intrinſecè per eamdem realem formam unitatis repetitam ſemper, aut reproductam, per eamdemque victimam realeam, ejuſque terminos formales à *quo* & ad *quem*; ſolùmque differt unum ab alio ſecundum quid materialiter, quatenus hoc habet has numero ſpecies, & verba, illud verò alia numero diſtincta. Quantumvis enim Sacrificium Crucis importet eſſentialiter ritum cruentum, ſubindeque immolationem, tam vitæ ſubſtantialis, quàm actualis; ſacrificium verò incruentum importet alium ritum, & immolationem duntaxat vitæ actualis; unumquodque tamen poſtulat eſſentialiter utrumque ritum, quamvis non ut ſimul exercendum; cum utrumque includat eſſentialiter eamdem numero ſacrificationem, duplicem illum ritum eſſentialiter poſcentem. Ita tamen ut ſacrificatio illa, qua fertur ad immolandum ſemel vitam ſubſtantialem, & actualem accidentariam, exercitè reſpiciat modum cruentum, ſignatè verò eſſentialiter ritum incruentum, ut exercendum in poſterum ~~per ſuimet~~ reproductionem, aut repetitionem ſub illo ritu, & per immolationem tantùm vitæ actualis. E converſò dum actu immolat Hoſtiam in ſacrificio jugi, fertur exercitè in ipſam ſub ritu incruento pœnes vitam ſolùm actualem; ſignatè verò, & eſſentialiter in eamdem, ut immolatam ritu cruento, & pœnes utramque vitam. Et cum aliunde actio ſacrificativa ſit formaliter, & realiter eadem numero, manifeſta conſecutione infertur, utrumque eſſe ſimpliciter unum numero, tametſi ritus ſit diverſus, quia diverſitatem illam petit, tam ſacrificium cruentum, quàm incruentum ſeorſim.

Sequitur ſecundò, unumquodque illorum eſſe unum numero ſacrificium, aut individuum completiſſimum in ratione unius, & ſingularis, licet expetat eſſentialiter alterius, vel potiùs ſuiipſius, repetitionem jugiter reproductam: quoniam neutrum exigit ad ſui exiſtentiam aliud ſimpliciter, ſed expoſcit ſolùm ſuimet iterationem, reproductionemque. Cum enim ſacrificium ſitum ſit formaliter in fieri, quod ex conceptu ſuo permanens non eſt, poteſt ſui reproductionem poſtulare, cum perſiſtentiam continuatam nequear habere. Individuum autem caducum ex ſe, quod modo actu exiſtat, licer appeteret ſuimet reproductionem, non ideo deſineret eſſe completum, ut eſt manifeſtum; quemadmodum nec deſinit eſſe integrum hìc, & completiſſimum, etiamſi præſupponeretur appetens ſui replicationem in quamplurimis locis, dum in omnibus, & ſingulis totum exiſteret, & integrum, ut in Eucharlſtia, & in Empyreo adeſt integer Chriſtus Dominus.

Sequitur tertiò, diſtinctionem illam materialem (adhuc intra lineam ipſam individualem) ſecundum quid nullo pacto officere unitati numericæ ſimpliciter, ut liquet ex dictis: exemplo hominis quotidie amittentis, & comparautis novas materiæ partes, quin propterea mutet unitatem numericam phyſicam ſimpliciter. Multò autem minùs in ſacrificio, in quo potiſſima conſtitutiva intrinſeca nunquam mutantur, ſolùmque permutantur extrinſeca illa, per quæ redditur ſenſibile (licet illa ſenſibilitas ſit intrinſeca ſacrificio, ut ſenſibili, aut percepribili nobis). Ad hæc: ipſa etiam verba diſtincta, actioneſque, quibus fit ſenſibile, habeut præcipuum ſuum conſtitutivum in ratione ſigni ſenſibilis ſacrificii verè unum numericè in omnibus; formam nimirum, ſeu volitionem Chriſti Domini, per quam conſtituuntur in ratione ſigni ad placitum inſtituti, tanquam per formam omnium: & quidem illarum rerum, aut verborum, Chriſti Domini per quæ ſacrificatio interna, & voluntaria illius fieret ſenſibilis. Quæ volitio reproduci poſſet phyſicè, & non tantùm concipi moraliter perſeverans, ſi opus foret ad ſtrictam magis unitatem numericam ſacrificiorum; revera tamen abſque illa invenirur unitas realis numérica ſimpliciter in toto rigore.

Sequitur tandem hac via, & ſententia, verificatio argumenti Apoſtoli removentis omnem realem pluralitatem ſacrificiorum à Sacerdotio Chriſti Domini, ut clareſcer ampliùs, ſplendidiùſque, ipſo diſputandi motu: uti & apparer luculenter, Sacerdotium eſse pariter unicum, cum ſit unicum numero ſacrificium, quod utrumque ritum complectitur. Ex quibus planè deducitur, nec Eccleſiam Sanctam inſtituere poſse novum aliud ſacrificium; cum non ſit illi conceſsa ea poteſtas, ut colligunt ex Canone 3. Apoſt. & ex Tridentino, Theologi plerumque, Salmeron, Leſſius, Doct. Eximius, Vaſquez, Meratius, Henao &c. Neque etiamſi illud inſtitueret, foret proprium ſummi Sacerdotis noſtri formaliter; ſed imperativè tantùm, ut capitis. Hæc omnia fiunt perſpicua ex propoſita aſsertione, ſufficerentque ad ejus commendationem; cum ex illis diſtinctè innoreſcat ejus utilitas, immo & ſumma neceſſitas, Sacerdotii majeſtas, ſacrificii ſumma unitas, & argumenti Apoſtoli ſtrenua efficacitas.

Num. 26. Summatim expoſita aſſertio duplicem continet difficultatem, aut partem: prima, & univerſim accepta, eſt, ſacrificia omnia à ſummo noſtro Sacerdote confecta, conficiendaque, ſive cruentum ſemel oblatum, ſive incruenta perennitèr offerenda, eſſe ſimplicitàr unum numero duntaxàt

taxàt

taxat verè, propriè, & realiter ſacrificium cum diſtinctione aliqua materiali purè ſecundum quid. Secunda eſt: id quamoptimè ſalvari via, & forma à nobis producta; utraque raptim conſiderata, apparebit forſan nonnullis inter Idæas Platonicas recenſenda; ſi verò introſpicias utramque, non Platonis idæam, ſed Divinam Chriſti Domini Philpſophiam reperies.

Prima igitur pars ſatis urgenter probatur ex adductis præcedenti ſectione, quæ efficaciſſimè oſtendunt, omnem pluralitatem ſacrificiorum, tam ſpecificam, quàm numericam repugnare verbis, & argumento Divi Pauli in Epiſt. ad Hæbreos, & Sacerdotio æterno Chriſti Domini. Promovetur attamen Sanctorum Patrum teſtimoniis, quibus planè aſſeveratur unitas ſimpliciter ſacrificii cruenti, & incruenti; & unitas ſimpliciter etiam hujus quantumvis per innumeras Eccleſiarum aras jugitèr, & ſucceſſivè oblati. Namque S. Ambroſ. in cap. 10. Epiſt. ad Hæbreos (vel quiſquis illius glorioſo nomine perſonatus apparuit) prout refertur in cap. in *Chriſto ſemel* 53. de conſecrat. diſt. 2. (quæ verba pœne ad verbum reperiuntur apud Chryſoſtomum Homil. 17. in cap. 9. ad Hæbr.) ait: *Offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis illius: & una eſt Hoſtia, non multæ. Quomodo una, & non multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: id ipſum, & ſemper id ipſum, proinde unum eſt hoc ſacrificium. Alioqui quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed unus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens, & illius plenus. Sicut enim quod ubique offertur unum eſt corpus, & non multa corpora, ita & unum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui Hoſtiam obtulit nos mundantem.* Ubi notanda valde ſolicitudo Ambroſii (& Chryſoſtomi) in ſtabilienda unitate ſacrificii altaris, & Crucis, & illorum inter ſe, quæ offeruntur in diverſis altaribus, & quidem numerica, cum ab unitate Hoſtiæ, inter alios fontes, illam hauriat: cum ita dicat unum ſacrificium, ſicut eſt unum Chriſti Domini Corpus in omni Hoſtia conſecrata: & cum eſſe doceat unum quemadmodum unus eſt Summus Pontifex. Ultra Hoſtiam verò eamdem, corpus idem, eumdem Pontificem, nihil aliud eſſentialiter importat ſacrificium, niſi ipſam actionem immolantem; hanc ergo dicit unam, & eamdem in omnibus: & propterea inculcat, ſacrificium eſſe *ubique id ipſum, & ſemper id ipſum*. Deinde rogat, *quomodo una Hoſtia, & non multæ?* Et reſpondet: *quia ſemel oblatus eſt Chriſtus*, ideſt quia ſacrificatio, ſive oblatio conſtituens ſacrificium utrobique, eſt una, tam in Cruce, quàm in altari; & conſequenter Hoſtia debet eſſe una. Et cum aliunde Hoſtia ſit eadem numero, ut illam inferat ex unitate ſacrificii, neceſſariò debuit ſupponere illud unum numero.

Auguſt. lib. 1. contra Adverſ. Legis, & Proph. cap. 18. docens unicum noſtrum ſacrificium', multiplici varietate veterum ſacrificiorum figuratum fuiſſe, inquit: *Sicut enim res una multis locutionibus, & linguis multis ſignificari poteſt, ſic unum verum & ſingulare ſacrificium multis eſt antea ſacrificiorum ſignificatum figuris*. Et lib. 10. de Civit. cap. 20. *Hujus veri ſacrificii multiplicia, variaque ſigna erant ſacrificia priſca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur.* Non ſolùm autem ſacrificium cruentum, ſed incruentum etiam præfigurabatur priſcis illis ſacrificiis, tam Legis naturæ, quàm ſcriptæ, ut fide certum eſt. Ergo per unum, & ſingulare ſacrificium utrumque intellexit S. Auguſt.; ſin aliter non unum ſingulare, ſed multiplex verè, & realiter ſacrificium per vetera illa ſignificaretur; *unum* ſiquidem, & *ſingulare*, importat formaliter unitatem ſingularem, proindeque numericam.

Quapropter non rectè P. Vaſquez ſupra dixit abſolutè, Patres ſolicitos nequaquam fuiſſe de diverſitate ſpecifica, aut numerica diſtinctione utriuſque ſacrificii. Siquidem licet quæſtionem illam expreſsè in examen non adduxerint, excludunt tamen formaliter tam omnem diverſitatem ſpecificam, quàm omnem diſtinctionem numericam, ut conſtat ex verbis Auguſtini; qui profectò Metaphyſicam, & Dialecticam ſubtilius Philoſophis omnibus callebat; cum ejus Logicam nondum Chriſtianam fugerent ſtudioſè Fideles, ne ejus captionibus præpedirentur.

Idem docuit lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. & cap. 21. & lib. 1. contra Creſcon cap. 25. & lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. ultimo. Lib. de Spiritu, & litera cap. 11. & in Enarratione in Pſalm. 49. quem ſenſum accipit ab Auguſt. Concilium Tolet. 12. ubi Chriſti Domini ſacrificium dicit eſſe *verum & ſingulare*, & ex utroque Trident. ſeſs. 22. in proæmio dicens: *Hoc eſſe unum verum, & ſingulare ſacrificium*. Et quamvis loquatur ibi de ſacrificio altaris (quod ſufficeret, ut omnia quę per totam Eccleſiam conficiuntur eſſent unum ſingulare numero ſacrificium); cæterum unà ſacrificium Crucis includere, liquet ex proximo cap. 1. illius ſeſſionis, ubi diſputat ſic: *Quoniam ſub priori teſtamento, teſte Paulo Apoſtolo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem, conſummatio non erat; oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi ſunt, conſummare, & ad perfectum ducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat; in Cæna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut*

dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur &c. Nunc ſic: Sacerdotium Chriſti Domini quo peracturus erat, tum ſacrificium Crucis, tum inſtituturus, & celebraturus ſacrificium altaris, fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, & quidem comparativè ad utrumque ſacrificium, ut apertè docere videtur Concilium in productis verbis; hoc autem nequaquam verum eſſe ulla ratione poſſet, ſi ſacrificium Crucis foret diverſum à ſacrificio altaris (uti ſanè foret, ſi ſemel eſſet realiter diſtinctum, ob manifeſtam rituum utriuſque diverſitatem); quoniam ſacrificium cruentum ſecundùm ſe præciſivè à jugi ſacrificio, potiùs fuiſſe ſecundum ritum Aaronicum, profitentur Adverſarii; cum per vetera ſacrificia ſecundum illum ordinem peracta fuerit ſignificatum, præfiguratumque. Ergo per illud *unum & ſingulare* ſacrificium intellexit Synodus Sancta utrumque ſacrificium, ut ſic eſſe valeat reſpectu utriuſque unum & idem Sacerdotium: adeoque utrumque ſacrificium eſt ſimpliciter unum numero, in ſingulari, repellens omnem realem pluralitatem, tam ſingularitate ſacrificationis, quàm victimæ, uti & Sacerdotis ſacrificantis, ut ſit omnibus modis ſingulare, omnibus titulis peregrinum, & ad æmulationem Deitatis, cui offertur, unicum.

Num. 27. Item, Sacerdotium, per quod conficiendum erat à Chriſto Domino ſacrificium Crucis, talis erat naturæ, & ordinis, juxta Concilium, ut morte extinguendum non foret: *quia tamen per mortem Sacerdotium ejus non erat extinguendum &c.*; extingueretur autem ſecundum ordinem, aut ritum, ſecundum quem confeciſſet cruentum, ſi foret diverſum illud ſacrificium, ejuſdemque ſacrificatio realiter diverſæ rationis à jugi ſacrificio, ejuſque celebratione ſecundum ritum Melchiſedech: quandoquidem nullum aliud cruentum peragendum erat in Eccleſia. Quamvis enim unum Sacerdotium ambire poſſit varias ſacrificationis ſpecies, ut de Levitico Sacerdotio novimus, & in eo ſenſu non extingueretur ſimpliciter, & univerſim; cum tamen ejuſmodi Sacerdotium eſſet tunc reipſa, & formaliter multiplex, & quidem in virtute realitèr ab invicem ſeparari poſſet unum ab alio, ſemper extingueretur in ordine ad ſacrificium (ad quod dicit habitudinem) ſecundum illum ordinem peragendum, ſolumque duraſſet in effectu ſacrificii. Et aliunde Concilium manifeſtè loquitur de Sacerdotio reſpiciente ſacrificium Crucis peragendum, cum aſſerit, extinguendum nullo pacto fore ejuſdem Sacerdotis ſummi morte. Tum quia non ſupponit in Chriſto Domino aliud Sacerdotium, niſi purè ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo ſupponit à fortiori Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech reſpicere eſſentialiter ſacrificium Crucis etiam; at hoc planè repugnat, niſi utrumque ſit realiter unum, cum ex alia parte ritus ex ſe ſint toto Cœlo diverſi: & eum Sacerdotium ſummè perfectum ſummum ſacrificium peragere debeat, & ex conſequenti unicum realiter, ut ex argumento Pauli conſtitit ſupra. Ergo &c. Tum quia ob imbecillitatem priſci Sacerdotii docet Concilium, viſum fuiſſe Deo neceſſarium, novum aliud inſtituere virium undique infinitarum, quod debilitatem, aut defectum veteris Sacerdotii, ejuſque ſacrificiorum, quæ numquam ſolvere valuerunt pretium redemptionis, ſuppleret. Hoc autem convenire nullo jure poteſt ſacrificio incruento; cum illud ſolùm applicet in particulari commune pretium per cruentum comparatum. Ergo neceſſariò Concilium per *ea unum, & ſingulare* comprehendit Crucis ſacrificium ſimul cum ſacrificio altaris, itaut hoc ſit repetitio illius; ſecundum quam rationem ſit applicatio pretii, quod ipſum in Cruce perſolvit, vel acquiſivit; ne alioqui reſpectu ſacrificationis cruentæ, & illius ordinis extinguendum foret Sacerdotium: & ne aut Sacerdotium ſit multiplex, & ea ratione imperfectum unumquodque ſeorſim, aut cum ſit unicum, non ſortiatur ſummè perfectum ſacrificium, & idcirco unum ſingulare. Unde S. Chryſoſt. Homil. 17. cap. 9. Epiſt. ad Hæbreos unitatem ſacrificii explicat per unitatem Sacerdotii Chriſti Domini *non aliud ſacrificium*, inquit, *ſicut Pontifex*, ideſt, ſicut nec Pontifex alius, ut exponit P. Vaſquez, & communis acceptio. Sicut igitur Pontificatus, aut Sacerdotium, utpotè morte non extinguendum, fuit unum, & idem ante mortem, & poſt illam; ſic & ſacrificium fuit unicum ante, & poſt mortem, & in morte ipſa.

Eamdem unitatem ſingularis ſacrificii reperies apud S. Cyprianum, ſive Authorem ſerm. de Cœna Domini. Eamdem apud verum Cyprianum lib. 1. Epiſtolarum Epiſt. 3. (quæ in recenti editione eſt 63.) ubi docet perſpicuè, ſacrificium altaris eſſe ipſummet ſacrificium paſſionis, aut mortis, quantumvis ſimul, quà incruentè immolatur, ſit paſſionis mentio, aut recordatio: *Et quia paſſionis ejus, ait, mentionem in ſacrificiis omnibus facimus (paſſio eſt enim Domini ſacrificium; quod offerimus) nihil aliud, quam quod illa fecit, facere debemus*: eſt enim ipſa numero ſacrificatio in altari, quę fuit in paſſione, quamvis ſit etiam paſſionis memoria: appellatque illa ſacrificia, juxta communem acceptionem; & quia ſecundum quid pluralitatem aliquam admittunt. Expreſſiùs adhuc S. Ambroſ. ſupra laudatus, dum ſacrificium dicit utrobique unum, ſicut utrobique eſt idem corpus: Corpus autem Chriſti Domini eſt unum numero perfectè. Ergo & ſacrificium unum numero, quod ejus Sacerdotio peragitur, & peractum fuit. Immo etſi de

ſolo

ſolo incruento loquatur Ambroſius, habemus tamen ex ipſo, omnia eſſe unum numero. Et ſanè ſi ſemel artificium Divinum efficere potuit, ut ſacrificia temporibus, ſæculis, locis, accidentibus, & Sacerdotibus omnino realiter diſtinctis ſint unum realiter ſingulariter ſacrificium per ſacrificationem eamdem numero reproductam ſemper, & replicatam, non ſine ſtupore id attentè conſiderantis, & cum incredibili gaudio credentis; mirum eſſe non debet, eamdem numero etiam fuiſſe ſacrificationem, quæ in Cruce vitam immolavit, & vitam mundo peperit.

Num. 28. Hanc numericam ſingularitatem ab Eccleſia Sancta probatam oſtendunt verba illa, quæ dicuntur in quadam Miſſæ oratione Dominica ſexta poſt Pentecoſtem ubi obſecrat ſic: *Deus qui legalium differentiam hoſtiorum unius ſacrificii perfectione ſanxiſti &c.* Planum ſiquidem videtur, non loqui tantùm de Sacrificio Miſſæ, quod ſupponit tunc proximè oblatum, ſed & ſimul de cruento; cum legalium Hoſtiarum diverſitatem non abrogaverit per Sacrificium Miſſæ duntaxat, ſed & per Sacrificium Crucis, in qua finem ſuæ durationis, & dignitatis vidit Sacerdotium vetus (atque adeo ejuſdem ſacrificia) extinctumque ibi, ubi novum Sacerdotium vires in aperto oſtendebat inextinguibiles. Præſupponit igitur Eccleſia, utrumque eſſe unum, & ſingulare ſacrificium; & ſanè unitate ſingularitatis, aut numerica: quoniam plurima ex veteribus ſolo numero fuerunt diſtincta, juxta illud Pauli Hæbr. 10. *Eaſdem ſæpe offerens Hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata:* utramque enim unitatem ſignificat per illam noſtri ſacrificii, quam contraponit differentiæ hoſtiarum, quia differentia illa utrumque genus diſtinctionis includit.

Si autem dicas, appellari ibi unum ſacrificium ab Hoſtiæ utrobique immolatæ unitate etiam numerica; non ſolidè occurris; quia licet interdum in eo ſenſu uſurpetur unitas ſacrificii abſolutè loquendo; attamen dum confertur pluralitas veterum cum unitate ſacrificii noſtri, ineptè acciperetur unitas hujus pro ſola unitate Hoſtiæ, ſi ſacrificia eſſent formaliter diverſa ſpecie, ut cruentum, & incruentum inter ſe, & diſtincta numero ab invicem incruenta mutuò collata; cum æquè forent plura ſimpliciter, ac erant vetera. Immo potiùs per differentiam illam Hoſtiarum neceſſariò intelligenda venit diverſitas ſacrificiorum, & diſtinctio realis ex ea, etiam dum purè numerica eſt, reſultans; quia niſi ex una parte conferatur pluralitas realis ſacrificiorum, & ex alia realis unitas, minimè obtinetur excellentia ſignificata per illam comparationem eorumdem ad invicem; vel niſi ex illa differentia Hoſtiarum illinc, & unitate hoſtiæ hinc colligas diverſitatem, aut multitudinem ſacrificiorum in veteri Sacerdotio, & unitatem ſingularem in novo. Quamobrem, ſi circa eamdem numero victimam ſeu Hoſtiam, inducas diverſas, aut numero diſtinctas actiones ſacrificativas, non minùs apertè invehis pluralitatem, ex qua arguatur irreſiſtibiliter infirmitas ſacrificiorum ex pluralitate reali immolationum, in quibus ſacrificii eſſentia pro recto conſiſtit, quàm ſi circa differentes hoſtias verſarentur; ut ſectione præcedenti oſtenſum eſt, & ex dicendis patebit.

Clariùs, uberiùſque fulcitur etiam verbis Magni Leonis in ſerm. de Paſſione Dom. *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis, & ſanguinis complet oblatio, & ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita unum nunc de omni gente ſit regnum.* Negligendus non eſt alius Sanct. Chryſoſtom. locus inſignis pro unitate hac à nobis deſiderata promovenda homil. 13. in cap. 7. ad Hæbr. *Non eſt aliud ſacrificium, unum nos purgavit, poſt illud ignis, & Gehenna. Etenim propterea ſurſum, atque deorſum ſe volvit, dicens: unum Sacerdotem, unum ſacrificium, nequis putans multa eſſe, ſine timore delinquat.* Vide energiam, qua deſcribit Apoſtolum Gentium ſolicitum, & veluti ad omnem partem ſe vertentem, ut unitatem planè ſingularem ſtatuat, tam in ſacrificio Chriſti Domini, quàm in ejus Sacerdotio. Exiſtimavit igitur Chryſoſt., D. Paulum nonniſi unicum ſacrificium abſolutè agnoviſſe à Chriſti Domini Sacerdotio peragendum, peractumque.

Neque effugies difficultatem per ultima illa verba Chryſoſt. quibus rationem illius unitatis delibat, ne ſcilicet homines, rati, adeſſe plura ſacrificia, faciliùs delinquant, quaſi habituri protinus remedium in celebratione alterius ſacrificii exhibentis pretium, & ſatisfactionem; inde colligens, S. Chryſoſtomum ex Apoſtolo inficiari duntaxat novum aliud ſacrificium cruentum; nullatenus verò ſacrificium altaris nudè applicans pretium illius univerſalis (ita Catharinus, Eximius Doctor, & alii, ut ſupra diximus reſpondent Apoſtoli verbis). Occludunt attamen effugium hoc nonnulla: primum eſt: quòd verba Chryſoſtomi ſic adſtruunt unicum ſacrificium, ut excludant, ſimpliciter aliud quodcumque: *Non eſt aliud ſacrificium.* Quamobrem egregiè Vaſquez diſput. 221. num. 40. inſurgit adversùs hanc reſponſionem: *Ex eo, quod non ſupereſſet illis alia cruenta oblotio, ſupereſſet tamen incruenta oblatio in remedium peccatorum.... non deterreret eos à propoſito peccandi*: quia eumdem omnino effectum ſortiri poteſt ſacrificium altaris applicans pretium infinitum cruenti, ac novum aliud cruentum, cum illud ſolum in univerſali, & in actu primo ſolveret pretium deinceps applicandum: & aliunde novum pretium, ubi adeſt jam infinitum, nihil plus efficeret. Si verò ſacrificium Crucis ſolvens, & altaris applicans ſupponantur, & ſint, unum, tunc efſica-

ficaciſſimè deterret à propoſito peccandi eos, qui in fiducia alterius ſacrificii venturi delinquebant; cum aliud ſit impoſſibile, ſive numquam ſit extiturum. Secundò: ita excludit alterum ſacrificium tuba illa Græciæ, ut Apoſtolum ſurſum deorſumque luſtrantem omnia deſcribens, nullum aliud diſtinctum inveniſſe, doceat; quod falſum eſſet abſolutè prolatum, ſi quamquam alterum non reperiſſet ſolutivum pretii, vidiſſet tamen alia, & alia ſtricta, & vera ſacrificia, & pænè infinita à cruento diverſa, & inter ſeſe realiter diſtincta, diſſitaque. Sic qui negaret abſolutè extitiſſe verum aliquod ſacrificium in lege veteri, falleret omnino, aberraretque multum; quantumvis ſit veriſſimum dicere, nullum præextitiſſe, quod ſolveret redemptionis pretium; finaliter Hæreticorum audax turba, quæ nullum ſacrificium in Eccleſia permittit, præter cruentum, caneret triumphum, cum modò lugere debeat irritum ſuarum reflexionum conatum.

Num. 29. Namque ſacrificium Euchariſticum non minùs ſatisfacere valet, pro peccatis illius, qui de novo peccat, ſi pro eo ritè diſpoſito offeratur, applicando ſatisfactionem ſacrificii cruenti tamquam cauſæ univerſalis; quàm ſi afferret ex ſeipſo, & non ex alio, ſatisfactionem illam in particulari applicatam, ut nuper obſervabat P. Vaſquez. Ergo ratio, quam breviter attigit Chryſoſtomus, non minùs excludit aliud, quod ſit applicans pretium ~~cruenti~~, quàm quod ~~ſit ex~~ ſe ſolutivum illius pretii, ſatisfacienſque. Aliunde fide divina credimus, adeſſe, verum, & ſtrictum ſacrificium altaris, jugiter in Eccleſia celebratum, conficiendumque ſemper, dum mundus exiſtat. Ergo ſolùm excludit alietatem, diſtinctionemque illius à Sacrificio Crucis, & ſacrificiorum altaris ab invicem, vi cujus dici poſſet aliud, & aliud ſacrificium.

Tertiò: quia protinus adjungit Chryſoſt. *Quotquot igitur digni facti ſumus ſignaculo, quotquot ſacrificio potiti ſumus, quotquot immortalis menſæ participes ſumus.* Quibus verbis clariſſimè ſupponit, ſe per ſacrificium unicum intellexiſſe non ſolùm Sacrificium Crucis, ſed etiam altaris; conſequenterque, utrumque, apud ipſum, eſſe prorſus unum. Libata ſiquidem cauſa excludendi pluralitatem, aut multitudinem realem ſacrificiorum, neutiquam impetit ejuſdem numero ſacrificii repetitionem incruentam. Cum enim præcavere voluiſſet Apoſtolus, & ex eo Chryſoſtomus, errorem illorum, qui putarent, ultra Sacrificium Crucis, venturum novum aliud, non jam purè redemptorium (ut relati Theologi exponunt), ſed extiturum adhùc ſacrificium tam ſolvens pretium univerſim, quàm applicans ſigillatim; ſive per novum alium Redemptorem, aut Meſſiam, & legem aliam; ſive per novam ejuſdem Chriſti Domini ſacrificationem peragendum; quamvis nec cruentum, quod jam peractum fuerat, ſibi applicarent per incruentum (uti nec per alia media, & Sacramenta), peccareque ideo poſſe tutò in confidentia novæ Redemptionis venturæ, & novæ ejuſdem applicationis, & canalium. Idcirco ea occaſione clamat altè Paulus, non eſſe niſi unicum Sacerdotem æternum redimentem, ac proinde non futurum alterum, nec illum celebraſſe, aut celebraturum eſſe aliud ſacrificium præter unum, & ſingulare (licet hoc ſemel cruentè, & perenniter modo incruento peragatur); & ex conſequenti, qui hoc non utuntur, irreparabiliter pereunt; quia nullum aliud ſupereſt remedium.

Nullo igitur pacto rejicit perennem uſum incruentum illius ſingularis ſacrificii, per hoc quod ejus ſingularitatem tantoperè prædicet; quoniam potius damnat non uſum illius, ob ſpem vanam alterius. Ut autem hanc ſpem uno velut ictu præcidat, inclamat, non eſſe, nec futurum umquam aliud redimens, aut applicans pretium Redemptionis, niſi unum, unicum, ſingulare, quod ſemel cruentè fuit confectum, & jugiter repetitum; (alioqui jam forent plura), quia repetitio ejuſdem applicans in particulari per idem numero ſacrificium pretium redemptionis, non impedit unitatem, nec minuit vim, & terrorem, quem incutit iis, qui vel alium Redemptorem, vel redemptionem aliam, ac ſubinde aliud ſacrificium (ſolvens, & applicans), quo deleantur ſcelera, expectabant. Eam propterea unitatem ſacrificii (& Sacerdotii) inculcat Chryſoſtomus ex Paulo vehementer, urget acriter, & prædicat tenendam firmiter: nam præcedenter ad verba, quæ produximus paulo antè, per interrogationem orans eloquenter, dixerat: *Cur pro nobis offerret multa ſacrificia?* & nihilominus non multo poſt, hoc eſſe ſacrificium jugiter in altari celebratum aſſerit, utrumque ſacrificium in unum, & idem cogens, ipſumque per diverſos ritus eleganter circumagens.

Num. 30. Non minùs apertè loquitur Magnus Gregorius lib. 4. Dialog. c. 58. (juxta ultimam editionem Pariſienſ. an. 1705.) ubi apertiſſimè docet, ſacrificium altaris eſſe ipſum Paſſionis ſacrificium ſub diverſo ritu, ut vidimus diſp. 5. Quoniam tamen teſtimonium illud diverſimodè legitur, ut ibidem notavimus, & cum illa met ferè verba repetat homil. 37. in Evangel. ubi genuina Gregorii verba ex vetuſtis manuſcriptis codicibus exprimuntur, operę pretium duximus illa huc adducere: *Singulariter namque ad abſolutionem noſtram, oblata cum lacrymis, & benignitate mentis ſacri altaris hoſtia ſuffragatur: quia is, qui in ſe reſurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in ſuo myſterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis, ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.* Ubi verbum illud *patitur*, quod à loco dialogorum removere conati ſunt plu-

Digitized by Google

plures, ſubſtituentes verbum *immolatur*, vel quibuſdam aliis mutatis (ut diſtributionem ſignificet) *partitur*; habetur perſpicuè ex mente, & ſcripto Gregorit, & aliundè nequit in vero aliquo ſenſu iterum pati in ſacrificio Euchariſtico, cum ſit impaſſibilis jam, & immortalis, niſi quatenus terminet in ea immolatione eamdem actionem ſacrificativam, quam terminavit in Cruce, terminatam hic ad vitam ſolùm actualem auferendam; quamvis illic utramque abſtulerit; ab unitateque numerica ejuſdem ſacrificationis, & oblationis, ut & hoſtiæ, dicitur ſacrificium paſſionis, ipſum ſacrificium altaris.

Neque enim ob ſolam repræſentationem illius affirmare jure potuit S. Gregorius, Chriſtum Dominum iterum pati in ſacrificio jugi, ut manifeſtum apparet ex textu ipſo, ejuſdemque connaturali ſenſu. Tum quia ad eam repreſentationem neceſſe minimè erat animadvertere, quòd licet jam ſit immortalis, nihilominus iterato in ſenſu aliquo pati per ſui immolationem valeat (modo quo illud *pati* uſurpari debet, & poteſt de immortali, ut diſp. 5. notatum fuit). Tum quia non debuiſſet dicere *iterum patitur*, quoniam in Cruce non fuit nuda repræſentatio, ſed realis paſſio. Ergo repræſentatio pura non iteraretur, ſed primò inciperet in ſactificio incruento. Cum igitur illa iteretur, neceſſariò ipſamet ſacrificatio, quæ extitit, iteratur, aut repetitur. Eodem reſpexiſſe potuit Maximus Doctor, dum in præfatione præpoſita operi Paſchali Theophili Epiſcopi Alexandrini, ait: *vaſa ſacrificii* (Miſſæ) *ſpectare ad Dominicam Paſſionem, eſſeque ejuſdem Paſſionis cultum*; quod ægrè verum realem ſenſum admittit, niſi quatenus idem numero ſit utrumque ſacrificium; ſi namque ad ſolam illius, & meram repræſentationem pertinerent, ſive ad ſacrificium diverſum repræſentans paſſionis ſacrificium, remotè duntaxat, & latè ad ſacrificium Paſſionis ſpectarent; cum notum ſit, conſueviſſe Hieronymum in rebus divinis ſcopum directè, & immediatè ferire, tametſi doctus admodum in aliis per Tullianam facundiam incedere.

§. II.

Num. 31. PROBATUR 2. eadem prima pars noſtræ aſſertionis, aut prima aſſertio, ex Apoſtolo ad Hæbr. propellente ſtrenuiſſimè, & indubitanter omnem ſacrificiorum pluralitatem à Chriſti Domini Sacerdotio, tanquam injurioſam ſummæ dignitati ſacrificii in totius mundi pretium, & ſalutem oblati: tanquam infirmam, & tanquam abſonam; quod pari efficacia urgere pluralitatem numericam, ac ſpecificam, oſtendunt, quæ ſect. immediatè præterita diximus, ibi videnda, & accuratè obſervanda; ſunt enim urgentiſſima. Probatur 3. ratione deprompta ex verbis ejuſdem Apoſtoli ad Hæbr. 5. *Appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et cap. 7. *ſi ergo conſumatio per Sacerdotium Leviticum erat (Populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici*: ſæpiſſimèque per totam illam Epiſtolam inculcat Paulus Sacerdotium Chriſti Domini, medio quo, per ſui immolationem, propriumque Sanguinem largiter fuſum, conſumavit omnia, & adduxit ad perfectam generis humani liberationem, fuiſſe tantùm ſecundum ordinem Melchiſedech. Ergo ſacrificium Crucis fuit peractum à ſummo noſtro Sacerdote, prout eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc illatio evidenter colligitur ex verbis Pauli; alioqui conſumatio facta fuiſſet vel juxta ordinem Aaronicum, vel juxta alium ab ordine Melchiſedech diverſum, quod repugnat verbis, ſenſui, & ſcopo Apoſtoli.

Modo autem ſic; at ordinis Melchiſedech eſſe minimè poteſt, ſi ſacrificium Crucis differat, vel diſtinguatur à ſacrificio altaris, vel ſi non ſint idem numero ſimplicitet ſacrificium: conſurgit ergo neceſſariò ex utroque unum numero ſimpliciter ſacrificium, & ex conſequenti ex omnibus etiam incruentis: ſi namque ſemel ſacrificium cruentum, & incruentum ſint unum ſingulare ſacrificium in individuo, à fortiori, multoque faciliùs ſacrificia altaris erunt unum inter ſe, uti ſunt unum cum ſacrificio cruento. Supſumpta probatur ex ſupra dictis; deinde quia Theologi, fere ad unum omnes, qui ſacrificia Crucis, & altaris ſupponunt diverſa, aut numero diſtincta ſimpliciter, & ſecundum quid tantùm diverſa, præſupponunt pariter tanquam incontroverſum, ſacrificium Crucis neutiquam fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech; in quo, tametſi ex diametro opponantur ultimis Apoſtoli verbis nuper relatis, apertè docentibus, Sacerdotium Chriſti Domini quo confecit ſacrificium conſumans redemptionem, reparans, & perficiens omnia, dici neutiquam poſſe ſecundum ordinem Aaron, conſequenter attamen procedunt ex ſuppoſitione facta ab eiſdem, quam reputamus abſurdam, diverſitatis illius ſacrificii à ſacrificio altaris. Quia ſemel adſtructa diverſitate cruenti ab incruento; cum ex alia parte ſit compertiſſimum, ritum Aaronicum differre à Melchiſedechiaco, quantum differt cruentum ab incruento, manifeſtum quoque apparet, ſacrificium cruentum, poſita ea diverſitate, aut diſtinctione, neutiquam eſſe poſſe ſecundum ordinem, ſeu ritum Melchiſedech: ſubindeque, vel ſecundum ritum Aaronicum cum quo habet apparenti quadam Sanguinis neceſſitudine cognationem, vel ſecundum alium ſublimiorem; tametſi extinguendum etiam ea ſacrificatione, ut daret locum ordini Melchiſedechiaco, immolaturo ſemper, & numquam immolando.

Num. 32. Non ſic autem, ſi eadem numero utrobique ſacrificatio realis ſit, exindeque idem numero ſacrificium ſimpliciter, quamvis ritus, & modus ſacrificandi ſit diverſus; quoniam tunc jam conſtitutiva eſſentialia utriuſque ſunt numero realiter eadem; & inſuper actio ſacrificativa in unoquoque ſeorſim immolans ſecundum unum ritum, poſtulat ſimul immolare etiam ſub alio, modo ſupra fusè declarato; cum ſit actio phyſica vitalis, & intentionalis, ita ut dum exercitè, indeſinenterque ſacrificat incruentè, expetat cruentam immolationem ſemel factam, & illam ſignatè repræſentet; & vice verſa, dum in Cruce exercitè vitam ſubſtantialem vorticibus Sanguinis emiſſam abſtulit, expoſcebat, & ſignatè repræſentabat incruentam immolationem à ſeipſa jugiter exercendam; ideſt exigebat eſſentialiter ſui repetitionem, reproductionemque jugiter efficiendam ſub ritu incruento. Ex quo ritè infertur, ſacrificium illud, quod in Cruce peractum eſt, fuiſſe etiam ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſolùm quia eſt idem numero ſacrificium, quod conficitur etiam ſub alio ritu ordinis Melchiſedechi proprio, ſed quia adhuc prout ſacrificatio illa cruentè ſe exercebat, poſtulabat perennem ſuimet numericam repetitionem ſecundum ritum Melchiſedech; quod Aaronico, ſacrificioque illius, convenire numquam potuit.

Et quamquam etiam dum ſacrificat incruentè ſignificet, & exigat ſacrificationem cruentam à ſeipſa factam ſemel, ſub qua ratione Aaronicum ritum ſapere videtur, præſertim dum ſub ritu illo actu ſacrificaret; nihilominus tamen, nec tunc, nec modò poteſt verè & propriè appellari ſecundum ordinem Aaronicum, ſi ſemel ſacrificium ſit prorſus unum numero realiter. Hujus ratio ex præfata ſuppoſitione, eſt: quoniam Sacerdotium ita convenit Christo Domino titulo unionis ut vi illius eſſe debeat Sacerdos in æternum, æternumque eſſe debet ejus Sacerdotium: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: & cum aliunde ſacrificatio ipſa (prout à nobis expoſita), etiam dum cruentè immolaret, expoſcebat perennem ſui immolationem ſub ritu incruento, & ordinis Melchiſedech proprio, proveniebat à Chriſto Domino non tantùm quà Sacerdote ſummo, ſed qua Sacerdote æterno; quod eſt inſigne proprium ordinis Melchiſedech, repugnabatque Sacerdotio Aaronico, utpote extinguendo: cum futurum eſſet Victima novi Sacerdotis, & Sacerdotii illius ordinis, utpote ſucceſſorem admittentis. Ex ſuppoſitione igitur unitatis numericæ, & verè ſingularis utriuſque, nequit umquam ſacrificium unicum noſtrum dici verè in rigore ſermonis ſecundum ordinem Aaronicum, nec ſecundum alium, niſi ſecundum ordinem æternum Melchiſedech; cujus Sacerdotium evaſurum eſt communem Univerſi ruinam, & fumante terrarum orbe, ſplendeſcet, vigebitque illud. Ut diſp. 7. conſtabit.

Ea de cauſa multus eſt D. Paulus ibidem in ea Sacerdotis æternitate ſtabilienda tum authoritate Scripturæ Sacræ, tum ratione; quoniam ubi Sacerdotium eſt ſummè perfectum, & eſſentialiter æternum, ejus ſacrificium, & eſſe debet eſſentialiter perfectiſſimum, proindeque unum ſingulare, alioqui non exhauriret omnem ſacrificii, potentis provenire ex illo Sacerdotio, perfectionem, & formalitatem poſſibilem, & ſimul ſui repetitionem, & perennitatem exigens: ſin minùs æternum eſſe non poſſet; & ex conſequenti, nec undique perfectum; quia cum ſacrificium conſiſtat formaliter in ipſo fieri, permanens eſſe nequit ex ſe, nec aliter æternitatem participans, quàm per crebram, iteratamque indeſinenter ſui reproductionem. Et inſuper quia illud, ut infinitè perfectum, poſtulat eſſentialiter proficiſci à Sacerdotio ſummè perfecto, adeoque æterno: inde autem rectè colligitur, ſacrificium haurire à ſuo principio, cui per ſe alligatur, eam æternitatis perfectionem, eo modo, quo illius capax eſt *fieri* ipſum, in quo ſitum eſt ſacrificium. Cum autem privilegium hoc æternitatis conveniat tantùm Sacerdoti ſecundum ordinem Melchiſedech, & nullo pacto ſecundum Aaronicum; propterea ſacrificatio Victimæ in Cruce dici non potuit ſtrictè ſecundum ordinem Aaronicum, quippe quæ poſtulabat eſſentialiter ſui perennem iterationem (licet ſub alio ritu); quia fluebat à Sacerdotio quà æterno, ut dictum eſt, & fuſiùs infra dicendum; quoniam hæc doctrina ut omnino conducens ad veritatem præſentis aſſertionis tuendam, elucidandamque, iteranda eſt una cum ſacrificatione.

Num. 33. Undè Sacerdotium Leviticum, tametſi præfiguraſſet Sacerdotium Chriſti Domini neutiquam figurabat ejus æternitatem, nec ſacrificia ejus perennitatem noſtri ſacrificii, cum illud eſſet in ſe caducum, & poſtulans tractum ſucceſſivum, diſtinctionemque Sacerdotum, & idcircò non undiquè proportionatum ad Sacerdotii, & Sacerdotis æternam durationem figurandam; ex quo illius Sacerdotii infirmitatem colligit Apoſtolus: *Plures facti ſunt Sacerdotes, eo quod morte prohiberentur* (quare imperfectè quoque ſignificabant Sacerdotium Chriſti Domini); è regione verò loquitur de novo, & ſummo Sacerdotio, & Sacerdote: *Hic autem, quia in æternum permanet, ſempiternum habet Sacerdotium* (& quamvis nonnulla vetera ſacrificia utrumque ſacrificium cruentum, & incruentum ſignificaſſent, ut Agni juge ſacrificium; numquam tamen æternitatem Sacerdotis exprimebant ſufficientèr, ſoluſque Melchiſedech id obtinuit. Immò nec juge noſtrum, ut in perpetuum duraturum, & ab eodem Sacerdote conficiendum ſemper, figurabant. Cum igitùr hæc pluralitas ſuc-

ceſſiva

Digitized by Google

ceſſiva veterum Sacerdotum, uti & pluralitas ſacrificiorum, ſit potiſſimùm fundamentum, quo D. Paulus vetus illud Sacerdotium, ejuſque ſacrificia abolenda eſſe dixit, & infirma eſſe prædicat. Et cum ex alia parte Sacerdotium Melchiſedech dicatur æternum, fueritque proprium Sacerdotis, neque initium, neque finem dierum habentis in Scriptura expreſſum, adeòque aptiſſimi ad præfigurandum Sacerdotium æternum Cbriſti Domini, & ex conſequenti perpetuam ſacrificii illi reſpondentis durationem; legitimis, rectiſque tramitibus deducitur, Leviticum Sacerdotium, ejuſque ſacrifieia nullatenùs ſignificaſſe propriè æternitatem Sacerdotii, & Sacrificii novæ legis; ſubindèque, licèt Sacerdotium hoc, & Sacrificium præfiguraſſent, debiliùs tamen, & imperfectiùs illud ſignificaſſe; etiamſi ritus illius Sacerdotii, & Sacrificiorum, eſset cruentus paſsim; nobiliùſque idcircò, & ſtrictiùs præfiguratum fuiſſe per Sacerdotium, & Sacrificium unicum Melchiſedech; quantumvis enim ritus ejus foret tantùm incruentus, & hoſtia ex ſe inanimis, figurabat tamen animatam ſub ea ſpecie inanimi, ad quod ſufficit proportio Victimæ, quà ſenſibilis ſub ſpeciebus panis, & vini.

Minimè poſset autem figura illa ſignificare propriè ſacrificium Crucis, ſi hoc eſſet diverſum ab incruento; eo quod in ea hypotheſi ſacrificium Crucis nec foret æternum in ſe, utpotè numquam idem numero repetendum ſub alio ritu: nec ipſum numero conficeretur umquam ſub ſpeciebus panis, & vini. Ex quo ſieret, quod nec Sacerdotium Cbriſti Domini prout activum ſacrificii cruenti præfigurari per Sacerdotium Melchiſedech potuiſset ob eaſdem cauſas. Debetque propterea ſacrificium ſiguratum per ſacrificium Melchiſedech eſse unicum, itaut perennitèr iteretur, ambireque utrumque ritum, cruentum ut ſemel duntaxàt, incruentum verò, ut indeſinentèr ad uſum revocandum, ut ſic utrumque ſit proprium ſummi Sacerdotii Chriſti Domini quà præfigurati per Sacerdotium Melchiſedech, æternitatem adumbrans, & per ſe ſignificans. Non ideò tamen dum cruentè immolat, denominatur incruentum ſacrificium illud, uti nec dum conficitur incruentè, denominari valet cruentum; quia utraque denominatio excluditur per actualem determinationem ad hunc ritum præ alio, & unaquæque poſtulat eſsentialitèr exercitè proprium ritum.

Quo circà licèt Aaronicum exercitè pœnès ritum cruentum expreſſiùs deſignaret ſacrificium Crucis, quà paritèr cruentum; id tamen ſolùm ſecundùm quid, & impropriè; quoniam ſacrificium Crucis non eſset ſummè perfectum, & proprium ſummi Sacerdotis æterni, ſi non exigeret ſui iterationem ſub alio ritu; ut æternum autem minimè repræſentari valeat per Aaronicum Sacerdotium, & ſacrificium, ſed per Sacerdotium æterni Sacerdotis Melchiſedech. Nec rurſus novum eſt, Sacerdotium, & ſacrificium ritus incruenti præſigurare cruentum, & è converſo: quandoquidem vetus ſacrificium Agni, quod juge appellatum eſt, ſub ritu cruento immolationis Agni exercebatur, & nihilominus præfigurabat expreſsè ſacrificium incruentum altaris. Ulterius ſacrificium altaris repræſentat per ſe formaliter Crucis ſacriſicium, ac proinde ſacrificium Melchiſedech figurans immediatè illud, mediatè ſaltem hoc deſignabat, & ejus ritum; & cum ratione perpetuitatis uti & perfectionis utriuſque, debeant eſse unum numero, & idem, dum ſignificat hoc numero ſingulare ſacrificium, à fortiori ſignificat immediatè Sacrificium Crucis, quà intrinſecè tale. Immo & immediatè quoque ritum cruentum ſignatè, & objectivè, quatenus utrumque ritum complectitur eſſentialiter ſacrificatio illa, quomodocumque exerceatur.

Ulterius: quia alioqui ſacriſicium ordinis Melchiſedech numquam foret perfectum, cum numquam poſſet ſub ritu aliquo ſolvere pretium neceſſarium ad redimendum genus humanum: ergo nec Sacerdotium ſecundum illum ordinem tantùm eſſe poſſet ſummè perfectum; contra quod Apoſtolus teſtatur. Item Melchiſedech idem ſonat, ac Rex juſtitiæ, ut notant Expoſitores; & aliunde Sacrifieium Crucis eſt proprium ſacriſicium juſtitiæ, & oblationis, ſolvens pretium, & ſatisfaciens de rigore juſtitiæ: Et tandem Melchiſedech, dum obtulit ſacriſicium panis, & vini, & vinum ex parte fudit, immutavitque, & portionem aliquam panis deſtruxit per combuſtionem, ut obſervant Interpretes in c. 14. Gen. alioqui non futurum verum ſacriſicium. Deſtructio autem victimæ, licet in ſpecie non deſignet cruentam vitæ immolationem, illam tamen generatim complectitur, quia eſt genus conveniens, tam hoſtiæ viventi, cujus vita per ſacrificationem cruore reſperſam deſtruitur, quàm victimæ inanimi, quà parte crematur: eſtque immediatè prædicabile de utraque Hoſtia; utraque enim eſt ſtrages, utrobique res perit in proteſtationem ſupremi dominii, & utrobique patitur genus quodam æque acerbum mortis.

Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

Num. 14. Ob has, & affines alias reflexiones S. Auguſt. in Enar. Pſalm. 79. concione 1. diſputans de Sacerdotio Chriſti Domini in ordine ad ſacriſicium promiſcuè, tam cruentum, quàm incruentum, docet, utrumque eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, ait enim: *De quo alio dicit: Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; niſi de illo, cujus noſtis ſacrificium? Sublatum eſt enim ſacrificium Aaron, & cœpit eſſe ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et infra adjungens. *Quæres modò Chriſtum apud Judæos, & non invenis, unde dimiſit, & abiit? Quia mutavit vultum ſuum. Hærentes enim illi ſacrificio ſecundum ordinem Aaron,*

non

non tenuerunt ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, & amiſerunt Chriſtum, & cæperunt eum habere Gentes. Ubi apertè loquitur de Sacrificio Crucis, uti primis verbis de ſacrificio altaris, & tam primis verbis ſeorſim de utroque ſimul, quàm ſecundis. Et ibidem concione ſecunda, exponens illud Reg. cap. 21. *Mutavit vultum ſuum* inquit, *coram regno ergo Patris ſui mutavit vultum ſuum, & dimiſit eum, & abiit: quia erat ibi ſacrificium ſecundum ordinem Aaron, & poſtea ipſe de corpore, & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Mutavit ergo vultum ſuum in Sacerdotio: & dimiſit gentem Judæorum, & venit ad Gentes.* Hæc autem mutatio Sacerdotii, & ſacrificii, tranſlati à Judæis ad Gentes, apertiſſimè comprehendit utrumque ſacrificium, immo & potiſſimè cruentum; cum de illo expreſsè, aut per ordinem ad illud aſſereret Paulus tranſlationem factam Sacerdotii (& ex conſequenti legis) ad cujus doctrinam alludit hic Auguſtinus.

Utrumque ergo ſacrificium credit S. Parens peractum à Sacerdote, & Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech: ac proinde utrumque eſſe unum, & idem numero, quamvis ritu diverſo conficiatur; non futurum alioqui Sacrificium Crucis à Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſediachum, ut paulo ſuperiùs ſubinferebam, ſatis urgenter, quantum opinor; ſimul exiſtimans, Scholaſticos docentes, Sacrificium Crucis eſſe potiùs ſecundum ordinem Aaron (quia præſupponunt illud diverſum à jugi noſtro ſacrificio) etiamſi conſequenter ad eam ſuppoſitionem procedant; minùs tamen cautè procedere relatè ad doctrinam Pauli; cum ille opinandi modus apertiſſimè repugnet ſenſui Apoſtoli in divina illa Epiſtola ad Hebræos, ubi diſertis verbis removet à Chriſto Domino omne aliud Sacerdotium, & ſacrificium, niſi tantùm ſecundum ordinem Melchiſedech. Quod robur accipit ſatis firmum ex cap. 7. illius Epiſtolę, ubi dixit: *Tranſlato enim Sacerdote, neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat*; cum immediatè antea dixerit: *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat ... quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?* Supponens evidenter, tranſlationem Sacerdotii factam unicè fuiſſe à Sacerdotio Levitico in Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech duntaxat. Si autem Sacerdotium, quà conficit ſacrificium redimens, & elevans humanum genus profundè ſubmerſum, non fuiſſet illud, in quod tranſlatum fuit Leviticum; ſed eſſet potiùs ſecundum ipſum comparative ad eam cruentam ſacrificationem, cum illud ſit potiſſimum, & univerſale ſacrificium, è quo omnia Sacramenta, & incruentum ſacrificium hauriunt vim ſuam, & ſine quo pretium redemptionis applicare non poſſent, quia illud ex ſe non habent, nec ſcelera mundi diluerent; neutiquam fuiſſet relate ad illud ſacrificium univerſale facta tranſlatio Sacerdotii Levitici; cum ad ordinem illius Sacerdotii pertineret. Ergo nequaquam fuiſset tranſlatio legis ſeneſcentis nimium in novam florentiſſimamque, ſed ab illa vetuſta potiùs ſumeret vires lex gratię; quippe quæ omnes, quibus potitur, deſumit à ſacrificio cruento, à Sacerdotio ſecundum ordinem Aaronicum, juxta Adverſam doctrinam celebrato; ille enim eſt fons *irrigans univerſam ſuperficiem terræ*; niſi quod fons in Paradiſo voluptatis aſcendebat è terra, hic autem deſcendebat è ligno vitæ, ſive Cruce, in terram.

Num. 35. Hinc elicitur quartum ratiocinium, promovens aſſertum noſtrum: Sacerdotium Chriſti Domini, quà illius proprium, eſt formaliter Sacerdotium ęternum: ergo ſacrificium cruentum quà peractum ab hoc æterno Sacerdotio, debet eſſe pariter æternum. Patet: quia alioqui, cum ſemel tantùm ſub omni acceptione confectum fuerit ſub ritu cruento, ſi deinceps ſub nullo alio iterandum foret, Sacerdotium Chriſti Domini, prout comparatum ad illud ſacrificium, minimè foret æternum in ſe, & ſubjectivè (licet in effectu duraret), ſed extinguendum potiùs ſimul cum morte ipſius Chriſti Domini, & quaſi abolendum penes illam ſacrificandi virtutem, ad inſtar Aaronici, ſecundum quem ritum perageretur; quod contradicit verbis Tridentini ſeſs. 22. cap. 1. *quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat &c.* At nequit eſſe æternum illud ſacrificium ſecundum quod importat ritum cruentum; quia juxta fidem ſemel tantùm mortuus eſt Chriſtus Dominus, ſurrexitque, amplius non moriturus: ergo ſolùm quà eadem numero ſacrificatio, idemque proptera ſacrificium intrinſecum ſub alio ritu, & incruento iterandum indeſinenter eſt, itaut ſacrificatio illa ambiat formaliter utrumque ritum, illum ut ſemel exercendum, hunc verò ut ſemper.

Arguo quinto: Sacerdotium Chriſti Domini eſt infinitæ ſimpliciter dignitatis, itaut nobilius, aut præſtantius illo (immo nec æquè pretioſum, niſi Spiritus Sanctus carnem humanam aſſumeret, in qua pateretur) nec exiſtere, nec excogitari valeat. Ergo & ſacrificium illi Sacerdotio primò & per ſe reſpondens perfectiſſimum eſſe debet, ſummumque, & undique infinitum; itaut perfectius aliud, fructuoſius, aut dignius (nec illi par) exiſtere nequeat inter homines, nec cogitari; conſequentia nota ex terminis eſt; cum Sacerdotium, & ſacrificium ſint adeo inter ſeſe connexa eſſentialiter, & commenſurata, ut unum per aliud ſit dimentiendum, ut uno ore fatentur omnes. Sed manifeſtum pariter eſt, ſublimius, & perfectius fore reipſa, & concipi ſacrificium illius Sacerdotii, ſi non tantum pretium infinitum ſolvat, aut comparet in actu primo, ut fecit per cruentam immolationem,

ſed

ſed inſuper ſeipſo formaliter illud applicet in actu ſecundo, per ſui iterationem ſub ritu incruento; efficienſque propterea ſeipſo totum, quod pluralitate ſpecifica, aut numerica ſacrificiorum obtineretur, tum ratione unitatis tanto majoris, numericæ ſcilicet, quæ ex ſe perfectionis eſt: tum ratione extenſionis longè majoris: tum ratione perennitatis, cujus *fieri* ipſum capax eſt, repetitionis videlicet frequentiſſimæ, & indeſinentis: tum ob omnia ea, quæ permoverunt Apoſtolum ad pluralitatem ſacrificiorum caſtigandam, tamquam infirmam, imperfectamque, & arguentem debilitatem Sacerdotii; quoniam ex illa irrefragabiliter ſubinfertur, Sacerdotium illius eſſe non poſſe ſummum, & infiniti valoris. Ergo &c.

Accedit, quòd ut ſacrificium cruentum ſit undique ſimpliciter infinitum in linea ſacrificii, debet exhaurire omnem ſacrificii proprii illius Sacerdotii formalitatem; aliter ſimpliciter infinitè perfectum eſſe non poſſet. Unde debet neceſſariò ad eam infinitudinem verificandam, nullum aliud permittere ſacrificium illius Sacerdotii, nec exiſtens, nec poſſibile. Sed & poſſibile, & actu exiſtens eſt indeficienti curſu ſacrificium incruentum, applicans pretium cruenti; & ab eodem Sacerdotio, & Sacerdote celebratum. ergo aut ſacrificium cruentum ſimpliciter infinitè perfectum non eſt, aut ipſummet ſeipſo applicat ſub ritu incruento pretium comparatum ſub cruento, itaut ipſum reproducatur quotidie ſub ritu diverſo: eo quod applicatio eſſe debeat finita, etiam quà ex opere operato applicet, cum ſit in particulari; & proportionata diſpoſitioni aſſiſtentium, quà ex opere operantis confert effectum. Mare ſiquidem illud inexhauribile eſt; qui tamen ex illo dulciſſima fluenta bibunt, limitatos vortices haurire tantùm poſſunt, etiam dum ſitibundi infinita propè aviditate proni accedant, & licet ſitis anhela numquam expleatur (quoniam vas, & meritum limitatum eſt); idcirco dicere numquam verè poteſt: *Sat prata biberunt*.

Num. 36. Elucidatur ampliùs: ſacrificium, quod exhibeat ex ſe pretium ſimpliciter infinitum univerſale quoad ſubſtantiam, & ſimul illud applicet ſeipſo quoad efficaciam (modo finito, divinæque juſtitiæ, providentiæ, & hominum naturæ, & libertati proportionato), quin opus habeat alio ſacrificio numero diſtincto applicante, nec illud permittat, eſt per ſe altius, & concipitur perfectius ſacrificio, quod licet ex ſe pretium infinitum comparet (ſi hoc contingere valeat; quin ſimul illud applicet per ſui iterationem), indiget tamen ejuſdem Sacerdotii ſacrificio ipſum applicante. Sed primo modo ſe habet ſacrificium Crucis, prout à noſtra ſententia explicatum; & ſecundo, prout à communi expoſitum. ergo nobilius, & verius à nobis inducitur ſacrificium illud; minùſque dignè ab Adverſariis. Major videtur nota ex terminis, & liquet ex ſupradictis. Et ſanè cum ſacrificium applicans ſit etiam infiniti valoris; aut virtus illa applicandi in actu ſecundo, continetur in ſacrificio cruento, & ſic otioſum eſt ſecundum, quin & impoſſibile; vel non continetur; & ſic primum illud cruentum undique illimitatum, & ſummè perfectum minimè eſt; dummodo non probetur impoſſibilis ejuſdem numero ſacrificationis iteratio, & reproductio; quod ex nullo capite repugnare, & omnibus titulis eſſe opportunam, neceſſariamque, patebit ex dicendis in ſecunda aſſertionis parte.

Obſervanda autem hic differentia inter ſacrificium, & Sacramenta: hæc enim, cum ordinentur in utilitatem noſtram, debent proportionari, & generationi ſpirituali, & augmentationi, nutritionique &c. Et idcirco eſſe debent plura. Deinde non immediatè ab ipſo Chriſto Domino conficiuntur, licet in ejus virtute operentur. Cæterum ſacrificium per ſe primò ordinatur in cultum, & obſequium Dei, & à Sacerdote ipſo ſummo infinitæ dignitatis peragitur, tam in Cruce, quàm in altari; unde actio ſacrificans eſſe debet infinitæ æſtimabilitatis, & valoris ſimpliciter infiniti; proptereaque ex nullo capite limitari valet. Conſulatur Doctor Eximius diſp. 74. ſect. 4.. Rurſus materia, & forma Sacramentorum eſt diverſæ rationis ex natura propria ipſorum, & ex divina Inſtitutione; victima autem ſacrificii ſemper eſt eadem; & cum aliunde ſacrificatio profluere debeat immediatè phyſicè ab ipſo Chriſto Domino, neceſsariò eſt infinitè perfecta, ac ſubinde unica, & per ſui reproductionem denuo indeſinenter renaſcens, & ſacrificans. Demum quodlibet Sacramentum (ſi Euchariſtiam excipias, quæ ſimul eſt ſacrificium, de quo diſſerimus) continet virtutem determinatam ad lineam aliquam; virtus autem limitata debet multiplicari, juxta diverſitatem linearum, & effectuum. Neque ipſa Euchariſtia, quà Sacramentum, eſse debet omnia Sacramenta, licet ſit omnium perfectio, & conſumatio, ut docuit S. Dionyſius. Tum ob nuper inſinuata. Tum quia ad hoc neceſse jam foret, Chriſtum Dominum eſse realiter præſentem ſub aqua baptiſmi v. g., & ſic de reliquis Sacramentis, uti eſt ſub ſpeciebus panis, & vini: non pertinet autem ad ſummam perfectionem exiſtendi realiter ſub his accidentibus, quòd ſit pariter ſub aliis ſpecie diverſis: ut ſpectat per ſe ad perfectionem illius, quà Sacramentum Euchariſtiæ eſt, & quà nutrit, ut non indigeat alio ad eumdem effectum, nec illud permittat poſſibile. Idemque de illo dicendum eſse oſtendimus, quà ſacrificium eſt. Tum quia licet in omni Sacramento adeſset realiter, fieri illorum, ſive actiones ex conceptu formali ſuo, eſsentialiter alligantur terminis diverſis, ſuntque idcirco ſpecie diverſæ; quia

ab illis, & à diverſitate effectuum, quos formaliter reſpiciunt, coaleſcere nequeunt in unam numero, nec adhuc ſpecie, actionem. Cæterum victima utriuſque ſacrificii eſt eadem, quin & terminus formalis à *quo*, & ad quem. Quemadmodum actio productiva gratiæ, quam Chriſtus Dominus elicit ex Euchariſtia, eſt diverſa ab illa, qua ſacrificat ſeipſum ob libatas cauſas; quin propterea hæc deſinat eſſe ſimpliciter infinita. Ad hæc: actiones productivæ effectuum ex Sacramentis ſunt extrinſecæ, & formaliter emortuæ; ideoque limitantur infallibiliter à diverſitate terminorum, & à diverſo modo attingendi objectum. Actio verò, quã Chriſtus Dominus ſacrificavit in Crucẽ, & ſacrificat in altari, eſt actus vitalis, & formaliter ex ſe intentionalis, potenſquẽ ea ratione attingere, & repræſentare utrumque ritum ſimul, & ſub utroque immolare, reproducique in Euchariſtia jugiter (uti reproducitur juxta celebrem hac tempeſtatẽ opinionem, ipſum Corpus, & Sanguis Chriſti Domini); ut cum exiſtere nequeat permanenter, utpotè ſita in fieri momentaneo, repullulet indefeſſis viribus omni momento.

Num. 37. Probatur ſeptimo: diverſitate exemplorum, quæ rem noſtram oculis ſubjiciunt, roborantque ſimul, & nobilitant. Porrò Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis v. g. eſſe unum, & idem numero ſimpliciter per totum orbem, & per omne tempus, & ſolùm ſecundum quid diſtinctum, docet probatiſſima, ſolemniſque Theologorum opinio, de qua infra. Secundò: exemplo novi teſtamenti, quod eſt unicum, ſive in Cruce, ſive in Cœna noviſſima fuerit conditum, & ultimam Chriſti Domini voluntatem includens, de quo §. ſequenti: ubi aperitur ſolemniùs divinum illud teſtamentum ſanguine ſubſcriptum, & morte ſigillatum. Item exemplo corporis myſtici Chriſti Domini; quod tametſi compactum ex membris phyſicè diſtinctis numero; in ratione tamen corporis myſtici verè unum ſingulare eſt, juxta illud Pauli 1. Corint. 10. *Unus panis, unum corpus multi ſumus*. Tum ab unitate ſingulari capitis: tum inſuper ab unitate numerica etiãm quaſi formæ illius, ut myſticum corpus eſt, de qua latiſſimè diſputatione octava. Eſt enim materia digna integro tractatu, & quæ agitari debeat ingenti ſolicitudinis ſtudio. Uti & Eccleſia Sancta eſt una eiſdem ferme titulis.

Neque exiſtimandum eſt, noſtram hanc opinionem extitiſſe adeo extra Theologorum mentes, ut Patrono careat omnino, cunctorumque ſuffragio, & patrocinio, deſtituta erubeſcat lucem publicam, pudeatque illam deſcendere in arenam. Porro ſacrificium Crucis, & incruenta omnia eſſẽ unum numero ſacrificium in ſenſu formali, opinati fuere docti Juniores, quos ſuppreſſo nomine refert P. Vaſquez diſp. 224. cap. 2. dicens: *Theologi nonnulli pro viribus contendunt, ſacrificium Miſſæ, & Crucis eſſe idem numero formaliter in genere ſacrificii, licet ſit diverſum numero materialiter*. Cæterum via, qua ad eum finem aſſequendum incedunt, fallax eſt, & lubrica valde, ut ſect. 1. vidimus, alienaque à veroſimilitudine, & per phantaſiam potiùs ducens, quàm per realem aliquam ſemitam; fingit enim unitatem quamdam genericam, quæ vel facit unum vetera quoque ſacrificia cum noſtro, confundens leges, & ſacrificia; aut cruentum, & incruentum nulla vera ratione cogit in unum, uti nec ad invicem incruenta. Huic affinis eſt ſententia, quam docuit Sotus in 4. diſt. 13. qu. 2. art. 1. aſſerens, ſacrificium altaris eſſe prorſus idem cũm Sacrificio Crucis. Et Alanus lib. 1. de Miſſa cap. 11. affirmat, adeſſe omnimodam inter utrumque ſacrificium unitatem; omnimoda autem unitas includit manifeſtè numericam.

Horum veſtigia premens Recentior quidam, inclinare videtur in unitatem numericam, ob Epiſtolam laudatam ſæpiſſimè Apoſtoli ad Hæbreos, & inſuper notat improbabilitatis ſententiam agnoſcentem diverſitatem ſpecificam inter ſacrificium cruentum, & altaris, ut teſtis eſt idem Vaſquez ibidem, inquiens: *quidam recens author noviſſimè contendit probare, improbabilem eſſe ſententiam eorum, qui dicunt ſacrificium Crucis, & altaris differre ſpecie, non ſolùm in generẽ moris, ſed etiam ſicut differebant ſacrificia legis in genere ſigni, & rei. Id autem probat ex Paulo à cap. 7. uſque ad 10. Epiſt. ad Hæbreos, ubi ſemper vocat ſacrificium Chriſti unicum, & ſemel tantùm oblatum, ac proindẽ non repetitum, quod de unitate ſaltem ſpecifica (inquit ille) univerſi Doctores explicant*. Cujus opinatio, quantumvis à Vaſquez expugnata, & cum noſtra non pœnitus conſpirans, & ſemita incedens diverſa; comprobat attamen, aſſertum noſtrum in genere, nequaquam eſſe ſuffragatoribus planè deſtitutum. Hac enim, vel illa via ſunt plures Theologi, qui pluralitatem ſacrificiorum prorſus averſantur, convicti argumento Apoſtoli, à quo nunquam ſatis ſe expedire valent, quantumcumque viribus omnium pœne ingeniorum primæ notæ enitantur; quoniam eiſdem ſolutionibus denuò ſeſe implicant, & vel illi, qui fugiunt, vincula ſecum trahunt.

Num. 38. Pro eadem ſententia laudari meritò poſſunt à ſimili, aut re pari, quotquot (uti nuper inſinuatum fuit) arbitrantur, Sacramentum Euchariſtiæ itã eſſe unum numero, ut omnes ſpecies panis v. g. hactenus conſecratæ, conſecrandæque uſque ad finem mundi conſtituant duntaxat unum numero Sacramentum ſimpliciter; quamquam multiplex ſecundũm quid, ratione unius, & ejuſdem Corporis, & omnium, Chriſti Domini in recto ſignificati, vel ſimul cum ſpeciebus, vel ſeorſim ab illis. Sic philoſophantur Eximius

Do-

Doctor diſputat. 39. Conink. Arauxo, Cardinalis de Lugo, Arriaga ex ſuppoſitione, quòd importetur in recto, partialiter ſaltem, Corpus Chriſti Domini, quos æmulantur Juniores frequentiſſimè, omnibuſque præluxiſſe videtur D. Thom. 3. p. q. 73. art. 2. & favere Catechiſmus Romanus, dùm loquens de Euchariſtia ait: *non plura, ſed unum tantùm Sacramentum Eccleſiæ authoritate edocti fatemur*. Tametſi hoc accipi valeat de unitate ſolùm in ſpecie athoma, revera tamen ſonare videtur numericam etiam, eum potiſſimum diſſidium ſit circa ipſam. Quinimmo illi, qui pluralitatem numericam introducunt, ita illam exponunt, ut ſemper quamplures Hoſtiæ conſecratæ, vel ratione unius ſumptionis, vel ratione ejuſdem numero conſecrationis terminatæ ad omnes illas, conſtituant illud Sacramentum unum numero ſimpliciter.

Non igitur exotica adeo apparere debet unitas numerica à nobis deſiderata; cum illius non ſolùm veſtigium, ſed expreſſio, aut valde affinis ratio in Euchariſtiæ Sacramento, ſive in ſacrificio, prout importat Sacramentum (vide quàm proxima ſplendeſcat ſacrificio unitas numerica) reperiatur: maximè eum ratio illius urgeat pariter in hoc; cum ideo ſit unum numero ſimpliciter, quà Sacramentum, quia reproducitur ſemper idem numero Corpus ſub ſpeciebus panis, & idem numero Sanguinis ſub ſpeciebus vini: & aliunde ſacrificium conſiſtit in actione, quæ poteſt eadem numero reproduci, & congruentiſſimum, quin & neceſſarium eſt, ut ita fiat: ad quam veritatem firmandam jamjam accingimur. Quid novum autem, vel extraneum, videri poteſt ſapientibus, quod reproducatur idem numero ſacrificium ſemper, ubi apud ipſos reproducitur idem ſemper numero Sacerdos, & Victima quoque?

Animadvertendum tamen iterum hic, nequaquam nos dicere ſigna viſibilia ſacrificii cujuslibet eſſe conſtitutiva alterius etiam ſacrificii unà cum eis, quæ tunc actu exercentur: nec enim ex omnibus illis conſtituimus unum aggregatum immenſum; ſed contendimus, unumquodque ſeorſim eſſe individuum completiſſimum, idem tamen numero ſimpliciter eum alio, & eum omnibus; quia habet eadem numero conſtitutiva intrinſeca, ſacrificationem videlicet, Victimam, & terminos; differre tamen ab alio quolibet ſecundum quid tantùm, & materialiter pœnes diſtinctionem illam materialem actionum, aut verborum; quæ neutiquam impedit unitatem numericam ſimpliciter, per quam verificatur ex integro argumentum Apoſtoli; quia actio illa, una in omnibus, eſt quæ infinitum valorem continet in ſe, & quæ pretium applicat: externa verò illa ſunt tantùm illius ſignum ſenſibile, quod nec eſt infinitè perfectum, nec eſſe poteſt, niſi quatenus includat, ut formam ſignificationis eamdem numero voluntatem Inſtitutoris; quamquam ſigna illa viſibilia ſiut eſſentialiter conſtitutiva ſacrificii, & inter ſe numero diſtincta, uti ſunt etiam ſpecies, & verba conſtitutiva Sacramenti. Præſertim eum dici poſſit, quod ſacrificium ſignificatum per illa non potiùs exigat hæc numero, quàm illa ſigna viſibilia, ſed aliqua vagè, aut disjunctivè, ut quorundam ſententiam promoventes diximus ſupra, eam vagam exigentiam in alio ſenſu repellentes. Solùmque petit determinatè ſacrificium utrumque ritum, ut notatum eſt ſæpè, & oſtenſum.

Neque ſacrificium Crucis, & altaris, pœnes id quod differunt ſecundum quid, appellari debent ſecundum quid ſpecie diverſa, aut pluſquam numero ſecundum quid; quoniam actio illa, quæ potiſſimum conſtitutivum utriuſque, ſecundum quod reſpicit eſſentialiter utrumque ritum, conſtituit unumquodque ſeorſim, & conſequenter ab utroque ſacrificio exigitur formaliter uterque ritus, & immolatio utriuſque vitæ, ita ut actu exerceatur unus, & ſignatè referatur ad alium vel præcedenter exiſtentem, vel extiturum: & pariter circa immolationem vitæ vel ſubſtantialis, & actualis ſimul, vel actualis tantùm, ut in ſuperioribus copioſè declaratum eſt. Et aliunde nequeunt duo aliqua differre ſpecie per prædicata, quæ ab utroque eſſentialiter poſtulantur, & quoad rationem diverſam illorum, & quoad modum. Solùmque proinde erunt ſecundum quid purè materialiter diſtincta, quatenus reipſa, quæ exercentur ſenſibiliter in hoc ſunt realiter diſtincta ab eis, quæ concurrunt practicè, & exercitè in illo. Num verò plus materialiter differant inter ſe ſecundum quid, quàm duo ſacrificia incruenta inter ſe collata; quæſtio eſt ferè de nomine; ubi ſupponendum eſt ex dictis, diverſitatem ſpecificam rituum non inducere ullam diverſitatem ſpecificam ſacrificii; & quidem licet ultra ſigna illa, quibus redditur ſenſibile ſacrificium internum (quippe quod apud nonnullos per ſolum externum ritum non ſignificatur, cum poſſit homo pati, & non habere voluntariam acceptationem, nec actum ſacrificandi ſeipſum) importet ritum ipſum diverſum; quoniam exigitur eſſentialiter à ſacrificio incruento etiam (& ideo non efficit diverſitatem ſpecificam ſecundum quid), etſi ſubjectivè non reperiatur in illo; & idcirco plus numero materialiter aliquatenus in ea linea ſecundum quid diſtinctum concipi valeat cruentum ab incruento, quàm unum incruentum ab alio. Idemque dicendum, ſi ſentias cum ſatis probata apud Interpretes doctrina, ipſum duntaxat ritum cruentum, effuſionemque Sanguinis, ut prædictum à Prophetis ſæpiſſime in Scripturis, aſſumptum fuiſſe à Deo in ſignum ad placitum ſignificans ſacrificationem illam internam, & voluntariam, cum naturaliter ſolùm illius mortem ſignificaret. Tunc enim

nim vix plus aliquid materialiter diſtinguitur ab incruentis, quàm unum incruentum ab alio; cum diverſitas ſpecifica nihil ad hoc conducat, aut parùm; adeoque ſtrictiùs loquendo, ſolùm numero ſecundum quid, & materialiter diſtincta erunt. Ejuſmodi autem majoritas, aut minoritas conſideratione dignæ nequaquam ſunt, cum ſita ſint tantùm in eo, quod ritus unus importat plura materialiter, quàm alius; & cum inter ipſa ſacrificia incruenta contingere valeat, ut accidentia, quibus redditur ſenſibile, tum ut Sacramentum, tum ut ſacrificium ſint qualitates intenſiores, uti & quantitas ponderis majoris in uno, generoſioriſque, quàm in alio; quia panis, & vinum quibus inhęrebant pręcedenter, nobilioris conditionis erant. Unde plus materialiter differt ab alio, in quo ſpecies ſint inferioris conditionis, quàm ab alio, in quo ſint ejuſdem vigoris; ſemper enim accidentia illa, etiam poſtquam divinitus avulſa à ſubſtantia, conſervant naturam, indolem, & veluti memoriam Patriæ, & ſubjecti, in quo habuerunt primam ſui exiſtentiam. Clariùs adhuc, dum plures Sacerdotes conficiunt idem numero ſacrificium, ubi adſunt plura verba, actioneſque, ac proinde plura Symbola conſtituentia viſibilitatem ipſius ſacrificii eſſeque poſſet exercitus Sacerdotum, & ſignorum.

§. III.

Num. 39. COMPROBANDA eſt modò ſecunda aſſertio in arcano hoc profundè latens, & interdum ex ipſo, quamquam ſubobſcurè, micans, & ſeſe prodens. Cenſemus namque, per eamdem numero actionem vitalem, qua Chriſtus Dominus immolavit in Cruce, obtuliſſe ſeipſum etiam ut immolandum perpetuò in altari (& idem fuiſſe dum prius ſe immolaſſet in Cœna): è quo deducimus, realem illam unitatem numericam ſimpliciter aptiſſimè & perſpicuè ſalvari per reproductionem in altari ejuſdem numero actionis, ſive actus interni (vel agregati ex diverſis actibus ſupra declaratis), quæ fuit immolatio cruenta vitæ Chriſti Domini in Cruce poſtulans eſſentialiter ſui reproductionem perenniter, quam petit, quà ſacrificium Sacerdotii ęterni, & ratione ſuæ infinitudinis in linea ſacrificii; adeoque ſingularitatem exhaurientem omnem Sacerdotii Chriſti Domini vim immolativam illius. Eſtque propterea formaliter expoſcens utrumque ritum, illumque repræſentans, utpotè actus intentionalis: itaut in Cruce fuerit oblatio ſuiipſius, ut tunc cruentè actu immolati, & ut in poſterum jugiter incruentè immolandi uſque ad finem mundi. Et cum eadem numero reproducatur, efficit pariter in altari, ut ſit oblatio Chriſti Domini ut tunc incruentè immolantis vitam actualem; & ſimul iterata oblatio vitæ ſubſtantialis, & actualis cruentè ſacrificatæ in Cruce: & in Cœna noviſſima oblatio ſui ut immolantis incruentè vitam actualem tunc, & paulo poſt in Cruce vitam ſubſtantialem ritu cruento. Atque adeo reproducta unitate numerica, tum ſacrificationis, tum victimæ, reproducitur idem numero ſimpliciter ſacrificium, cum ſola diſtinctione ſecundum quid ex parte actionum, verborum, & Miniſtri, quibus redditur ſenſibile ſacrificium; quæ licet illud eſſentialiter conſtituant, quatenus efficiunt viſibile; potiſſimum tamen conſtitutivum eſt ſacrificatio ipſa interna, quia externa illa ſunt ſignum ſacrificationis, non autem ſacrificatio; ſive immolatio in repræſentatione, non autem in re, eſtque ſenſibilitas illa prædicatum conveniens etiam Sacramentis, & quidem illis præcipuè, ut animadvertimus ſupra. Actio enim interna immolans reſpicit immediatè Deum, in cujus Dominii proteſtationem ſacrificat, & offert ſacrificium; ſignum externum immediatè ſignificat tantùm actum internum, & mediatè per ipſum reſpicit jus Divinum, in quod fertur immediatè actus internus. Neque ſolùm reſultat ex hac reproductione, & doctrina unitas numerica utriuſque ſacrificii, omniumque altaris, ſed inſuper fit inde unumquodque illorum eſſe unum numero completum ſacrificium, ut in præcedentibus dictum eſt, expedienſque viſum fuit ſummatim hic hæc repetere, ut innoteſcat ampliùs aſſertio, quæ modò comprobanda venit.

Et primò colligenda eſt actio illa immolans in Cruce, offerenſque Hoſtiam, ut cruentè ſacrificandam tunc, & in poſterum uſque ad finem Mundi jugiter immolandam [ex quo rurſus ſequitur, utrumque, omneque ſacrificium, fieri per eamdem numero ſacrificationem] ex verbis illis Pſalm. 20. *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Ubi Regius Propheta inducit Chriſtum Dominum è Cruce orantem, & alloquentem interna locutione, & partim externa etiam, æternum Patrem; de Paſſione namque in perſona Chriſti Domini ibi locutum, adeo compertum eſt, ut oppoſitum ſit erroneum, ut adversùs Theodorum Moneſtinum, qui ad literam de ipſo Davide intelligendum vulgabat, docuit Synodus Toletana, ut refert Div. Thomas in expoſitione hujus Pſalmi. *Specialiter iſte Pſalmus agit de Paſſione, & ideo hic eſt ejus ſenſus literalis .... Et ideo licet figuraliter hic Pſalmus dicatur de David, tamen ſpecialiter ad literam refertur ad Chriſtum. Et in Synodo Toletana quidam Theodorus Moneſtinus, qui hunc ad literam de David exponebat, fuit damnatus &c.* Et S. Auguſtinus in Præfatione ad ſecundam expoſitionem ejuſdem Pſalmi, tam evidenter ait, in illo referri Paſſionem Chriſti Domini, ut in eo *quaſi Evangelium recitetur;* immo illum à Chriſto Domino in Cruce cum clamore cæptum, & interiori animi voce finiſſe, ſuppoſuit Sanctus Thomas

mas ibidem. Et Vener. Pater Ludovicus à Ponte 4. par. Meditat. ex integro illum mente recoluiſſe, affirmat, & eſt communis ſententia, liquetque ex ejuſdem Pſalmi tenerrimo ſenſu, omnia in illo contenta nomine Chriſti Domini orantis è Cruce dicta, adeoque ab ipſo mente prolata [quantumvis unico actu, aut intellectione omnia illa exprimere diſtinctè potuit ſublimis ejus ſcientia, & loqui uno verbo mentis]; ſin aliter jam non intelligeretur de Chriſto Domino literaliter: videatur à Lapide in cap. 27. Matth. in illa autem dixiſſe Chriſtum Dominum, narrat Propheta, aut dicturum prædicit: *In medio Eccleſiæ laudabo te ... Apud te laus mea in Eccleſia Magna, vota mea Domino reddam in conſpectu timentium eum. Edent Pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum .... Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ.* Quæ omnia tam de ſacrificio Euchariſtico, quàm de Euchariſtiæ Sacramento accipienda eſſe, exploratum ſapientibus eſt.

Unde S. Auguſtinus in expoſitione ſecunda ejuſdem Pſalmi inquit: *Quæ ſunt vota ſua? Sacrificium, quod obtulit Deo. Noſtis quale ſacrificium? Norunt fideles vota, quæ reddit in conſpectu timentium eum, nam ſequitur, edent Pauperes &c.* & infra: *ſacrificium pacis, ſacrificium charitatis, ſacrificium corporis ſui, norunt fideles.* Adhuc enim illis temporibus ob Catechumenorum concurſum, vel etiam infidelium, cautiſſimè loquebantur Patres de myſterio, & ſacrificio Euchariſtico coram ipſis; & ideo ait, fideles noſſe tantùm ſacrificium, de quo loquatur. Ad eumdem modum loquitur S. Thomas ibidem: *Vota, ideſt ſacrificia in ara Crucis, & in ſacrificium fidelium.* In Cruce igitur Chriſtus Dominus non tantùm obtulit ſeipſum cruentè ſacrificandum ſemel tunc, ſed inſuper ut incruento ritu immolandum deinceps in Eccleſia jugi ſacrificatione. Neque perennem illam ſacrificationem ſui promiſiſſe tantùm, aut deſideraſſe, ſed & voviſſe, affirmat, ut explicant Interpretes quamplures, & probat Sebaſtianus Barradas tomo 4. lib. 3. cap. 15., quin & S. Thomas ubi nuper id præſupponere videtur, cum dixit: *Votum Chriſti fuit, ut ſe daret pro ſalute Fidelium, ipſe enim illud vovit in quantum homo. Hæc vota ſolvit Chriſtus dando ſe ad Paſſionem, & iterum quando dedit corpus ſuum in cibum fidelium.* Et ſanè quia Pater juraverat, ſe effecturum illum Sacerdotem æternum Pſal. 109. *Juravit Dominus, & non pænitebit eum tu es Sacerdos in æternum &c.* Voluit reſpondere veluti ad æmulationem amoris, vovendo, ſe in æternum in Patris honorem ſacrificaturum vitam ſuam, ſemel in Cruce utramque, & in altari ſemper unam.

Num. 40. Utrumque ergo ſacrificium in Cruce eadem oratione, eiſdemque actibus internis (qui ſunt vera actio ſacrificativa in ſacrificio, quod ſitum eſt in pati, ad differentiam illius, quod purè dicit *agere*) complexus fuit ſimul; cruentum, ut peragendum tunc actu, & ſemel duntaxat; incruentum ut celebrandum indeſinente immolatione in Eccleſia, & præterita nocte inſtitutum, ejuſdemque actibus confectum. Voluntariè namque prorſus diſtingues affectus internos in Cruce, juxta diverſitatem rituum, & temporum utriuſque ſacrificii; quia ſicut conjungitur votum utriuſque in illamet ara Crucis, & eodem tempore, potuit conjungi intra eumdem, vel eoſdem numero actus; eo quod actus ille foret proculdubio perfectior, unà conjungens utramque oblationem, ſeu conjunctim acceptus, potiùs quàm diviſim uſurpatus: & cum tam Parens Auguſt. quam Div. Thom. utrumque conjungant, & cum fruſtra fiant per plura, quæ per pauciora fieri poſſunt, & tandem quia ſacrificia ita mutuo connectuntur, ut incruentum eſſentialiter repræſentet cruentum, & hoc ex conceptu ſuo habeat comparare pretium redemptionis in actu primo, applicandum in actu ſecundo per ſacrificium incruentum præcipuè; actus autem primus per ſe dicit ordinem ad actum ſecundum; non ſanè quia ille actus ſacrificans in Cruce cruentè, & intentionaliter repræſentans, poſtulanſque, ſacrificium incruentum, applicans pretium illud, eſſet pro tunc applicans in actu ſecundo, cum ſit actus primus applicationis; ſed quia offert, & intendit applicationem in poſterum faciendam. Et cum aliunde ad perfectionem ſacrificii, & Sacerdotii exigatur perfecta, & ſingularis unitas, poſcit eam applicationem, ut efficiendam per ſuimet reproductionem, ut ſubinferam poſtmodum. Quamquam enim dixerat *vota mea*, quia utrumque diverſum ſacrificandi modum reſpicit ille actus (aut actuum complexum) eſt attamen idem phyſicè votum, & actus utrumque reſpiciens, utrumque ſolvens, ut innuit Sanctus Thomas illis verbis: *Votum Chriſti fuit.* Quòd & Paulus expreſſit non obſcurè, dum ſemel tantùm ſeipſum obtuliſſe inculcat, & *una oblatione conſummaſſe omnia*: quod licet de cruenta intelligatur, cum tamen Paulus non meminerit alterius diverſi ſacrificii, aut diſtincti; ex illa ipſa ſingularitate oblationis colligitur, illam fuiſſe ſimul factam intra eumdem, vel eoſdem actus immolantes in Cruce, eſſeque deinceps reproducendos, iterandoſque ſub ritu incruento eoſdem numero actus, qui conſtituunt ſacrificationem formalem in *agere* ſimul & *pati* ſitam. Maximè cum oblatio, ſacrificatioque, adhuc quà cruenta eſt, ſit proprium formaliter exercitium Sacerdotis æterni, & quà æterni; (cum hæc perfectio ſit eſſentialis Sacerdotio ſecundum quod convenit, & debetur Chriſto Domino); atque adeo ipſamet poſtulat ſui repetitionem continuam, tametſi ſub alio ritu. Et ex conſequenti illa debuit utrumque ſacrificium eſſentialiter reſpicere ſimul, ut peragendum tamen non ſimul, ſed per ſui reproductionem.

Quam-

Quamobrem ſicut Impii apud Jeremiam cap. 11. cogitarunt interficere Chriſtum Dominum dicentes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*: ubi per panem intelligendum eſſe Corpus Domini per hypallagen, cenſent cum Tertulliano lib. 3. contra Marcionem cap. 19. & Lactantio lib. 4. Inſtitut. cap. 18. quamplurimi Interpretum (quin & Chriſtum Dominum affixum Cruci fuiſſe, quia inſtituiſſe pollicitus fuerat Euchariſtiam, putarunt nonnulli veterum Patrum); ſic è regione ipſe Chriſtus Dominus voluit mittere panem in lignum, myſterium ſcilicèt Euchariſtiæ, ejuſque ſacrificium recolens, & offerens tunc ut immolandum, & offerendum actu, & perennitèr in Eccleſia ſua, dum penderet in ligno. Verùm non ſolùm dum impii clamabant, mittamus lignum in panem; ille ex adverſo cogitabat mittere panem in lignum, ſed & inſuper clamabat aliquatenùs cum ipſis, vel juxtà ipſorum cogitatum; quatenùs in Cœna dum ſacrificaret ſeipſum ſub ſpeciebus panis, miſit etiam lignum in panem ſuum; quia eadem actio, qua ſacrificabat incruentè ſeipſum, expetebat immolationem cruentè poſtmodum efficiendam in ligno Crucis, & quidèm peragendam per ſeipſam in Cruce reproductam.

Num. 41. Hanc autem mutuam quaſi inclusionem unius ſacrificii in viſceribus alterius, & expreſsè ſacrificii altaris in ſacrificio Crucis, ſive immiſſionis non ſolùm ligni in panem, ſed panis in lignum, docuit S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 33. Concione 1. *Ut jam de Cruce commendaretur nobis caro, & ſanguis Domini, novum ſacrificium, quia mutavit vultum coram Abimelech*. Mutare autem vultum, fuit mutare Sacerdotium, transferendo illud ab Aaronico in Melchiſediachum, ut paulò inferiùs explicat idem Sanctus Auguſtinus. In ara igitur Crucis mutavit palàm Sacerdotium; quamquam jam cæpiſſet illum commutare ſecretò in Cœnaculo, immolavitque Victimam infiniti pretii, nempè ſeipſum cruentiſſimè, offerendo ſimul & ſemel, eademque actione interna immolante ſeipſum, ut incruentè deinceps perpetuò fluxu mactandum in altaribus; non futurum alioqui ſacrificium Crucis ſecundùm ordinem Melchiſedech; cum alius actus internus, ſive actio immolativa, quæ futura non eſſet ſub aliis circumſtantiis ſacrificativa incruentè ejuſdem Victimæ, aut Hoſtiæ, nullo pacto eſſe poſſet ſecundùm ritum Melchiſedech; & quidèm licèt ſimul cum illo actu purè ſacrificativo cruentè eliceret alium diverſum commemorativum ſacrificii incruenti jam peracti, & in poſterum jugi motu peragendi; cum tota eſſentia ſacrificii cruenti ſita foret in actu illo diverſæ ſpeciei, qui redoleret potius ritum Moſaycæ legis, & Aaronicum. Neque mutaſſet in Cruce vultum ſuum, ſed ad ſummum quaſi polliceretur, voviſſet, aut cogitaſſet, ſe mutaturum deinceps ſimplicitèr, publicèque Sacerdotium, ſcilicèt poſt reſurrectionem. Si autem ſemel actus ille eſſentialitèr feratur in victimam immolandam ſub utroque ritu ſeorsim, ſub cruento ut ſemel mactandam vitam ſimplicitèr, ſubſtantialemque, ex cujus ablatione ſequitur infallibilitèr privatio vitæ actualis ſimul; ſub incruento verò, auferente vitam actualem corporis ſolùm, ut indeficiente curſu ſacrificandam; congruentiſsimè, ſolidè, & reipſa veluti incunctantèr ſequitur neceſsitas reproductionis ejuſdem numero actionis, ſive actus interni (aut conjunctionis actuum internorum).

Eſt enim ille reproducibilis, uti quilibet alius effectus, & uti corpus, & ſanguis reproducuntur in altari, præciſivè ab eo quod alibi exiſtant, vel ſecùs: quoniam actus ille, ſemper ac reproducatur, manabit ex eodem principio immanentèr, reſpiciet eamdem prorsùs victimam, eademque planè objecta, quæ reſpiciebat in Cruce ſigillatìm, aut in Cœna; exequeturque, aut inducet phyſicè eumdem effectum; quia privationem vitæ ſubſtantialis ſemel tantùm inducere expetit, dum per ritum cruentum determinatur; privationem vitæ actualis ſemper invehit, reſpiciens ſimul ablationem præteritam ſubſtantialis, & actualis (quamvis in Cœna illam ut proximè futuram). Immò etſi actus ille vitalis intentionalis ſit qualitas abſoluta (per quod minimè cadit à conceptu actionis inducentis privationem, cum non exuat conceptum imperii: & quia alitèr de actione ſita in actu interno vitali, ac de purè phyſica, & materiali ſentiendum eſt cum probata Philoſophia) actio phyſica productiva qualitatis, reproducibilis eodem jure eſt, cum ſortiatur eumdem numero terminum, cui eſſentialitèr alligatur. Ex ſuppoſitione autem illius, reproducibilitatis, & cum aliundè per illam ſalvetur unitas numerica ſimplicitèr ſacrificii (alia via impoſſibilis) ecquis prudentèr illam recuſabit (ubi ſimul adſtruit victimæ reproductionem phyſicam) & actuum internorum, qui comitantèr reproducuntur, & conſimilium actionum mirabilium, uti & miraculorum abyſſum? Cum hac via impetum ſuum ex integro obtineat argumentum Pauli circà ſingularitatem ſacrificii, & immortalitatem novi Sacerdotii, ejuſdemque ſummam perfectionem, & excellentiam ſupra Aaronicum; quis juſtè illam poteſt deſerere ut præruptam, vel fugere ut inviam? Qui ſacrificium cruentum credit ſimplicitèr infinitum, ut & Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, qua ratione, & conſequentia, cum poſſet efficere per reproductionem illam idem numero ſacrificium, pretium comparans ſub uno ritu, & applicans ſub alio, invehit ipſum multiplicatum, & diverſum, ſive aliis diverſis ſacrificiis indigens ad applicationis effectum? Et quomodò fieri valet novum Sacerdotium ſummæ perfectionis ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſi Sacerdotium ſecundùm illum ordinem nullum

ſa-

Digitized by Google

ſacrificium ſolutivum pretii conficere valet? Rursùs ubi æternitas Sacerdotii Chriſti Domini; cum penès ordinem ad Sacrificium cruentum (utpotè ſemèl eliciendum) extinctum practicè foret; qua proprietate ſacrificium Crucis erit exercitium proprium Sacerdotii æterni, ſi ſacrificium ipſum ſuimet perennem reproductionem (cum permanentèr exiſtere nequeat fieri illud) non poſtulet, ſed expiret in Cruce paritèr tam ſacrificium, quàm Sacerdotium, quà factivum illius ſacrificii, unà cum Sacerdote, quin reſurgere debeant unà cum illo? Cui hæc momenti non appareat; nec argumentum Pauli, è quo hæc mutuamur, momentoſum erit.

Num. 42. Probatur ſecundo idem aſſumptum ex verbis prolatis in conſecratione Calicis: *qui pro vobis effundetur &c.* Uti ex verbis, quæ refert Paulus in conſecratione: *quod pro vobis tradetur*, quæ apertiſſimè includunt connexionem eſſentialem ſacrificii incruenti cum cruento: conſtatque inſuper illa ex verbis Chriſti Domini: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, & ex doctrina fidei, docente ſacrificium Euchariſticum eſſe eſſentialiter commemorativum, repræſentativumque cruenti, ex quo haurit pretium, quod applicat, & illius Theſauri opes diffundit. Ex parte verò cruenti reſpondet viciſſim ſimilis formalitas includens reſpectum eſſentialem ad incruentum, ut colligitur ex nuper dictis, Auguſtini, & Divi Thomæ authoritate firmatis. Colligitur ex infinitudine ſacrificii Crucis, quod neceſſariò complecti debet formaliter quidquid perfectionis continet linea ſacrificii, propria ſummi Sacerdotii, & Sacerdotis noſtri; atque adeo comprehendere debet applicationem ipſam actualem, quæ fit ſigillatim per ſacrificia incruenta; quæ ſunt etiam ſummè perfecta. Neque ſolùm debet exhaurire omnem perfectionem intenſivam, ſed extenſivam etiam, ſi fieri valet; & aliunde hoc quamoptimè, nulloque negotio fieri poteſt per reproductionem ejuſdem actus interni ſacrificantis. Colligitur ex eo quod licet ſacrificium Euchariſticum inſtitutum fuerit in Cœna (uti & Sacramentum) nihilominus quia omnia vigorem ſuum habitura eſſent à Cruce (ob alligationem ſæpè dictam) è latere Chriſti Domini in Cruce fluxiſſe dicitur ſacrificium Euchariſtiæ, uti & Sacramenta omnia; niſi quod hæc nequeunt confici modò immediatè phyſicè ab ipſo ſumno Sacerdote, habentque vim limitatam (ſi excipias Sacramentum Euchariſtiæ, continens realiter ipſum fontem); ſacrificium verò incruentum, & confici debet phyſicè immediatè ab ipſo Chriſto Domino, & infiniri valoris, eſt idcirco. Unde debet in unum numero convenire cum ſacrificio Crucis ſimpliciter infinito.

Id quod fieri valet quamoptimè, eo quod utrumque ſacrificium talis naturæ ſit, ut Sacerdos ſummus immolans debeat agere in ſeipſum, ſubindeque agere, & ſimul pati: & ex conſequenti actio ſacrificans ipſum eſſe debet neceſſariò ejuſdem actus vitalis intentionaliſque affectus, quamvis inducat privationem vitæ, ex ſe perceptibilem extrinſecè (niſi exiſteret modo nobis inviſibili ſub accidentibus); quandoquidem non debuit, nec fas erat occidere ſeipſum in Cruce, ſed ex ſuppoſitione tantùm nocumenti ab Hoſtibus illati ſuſpendere miraculum conſervativum vitæ ſubſtantialis: neque in Altari poteſt per actionem externam auferre à ſe vitam actualem, ut ſummus Sacerdos immolans; cum non ſit realitèr præſens Altari, donec conſtituatur ibi per verba Conſecrationis, ſeu per actionem verborum; & aliundè hæc ponit ipſum privatum naturaliter ea vita: ut ergo illam ſacrificare valeat, neceſſariò ipſam miraculosè elicere debet (quod illi competit omni jure, ut dictum eſt Diſputatione ſecunda, & tertia); & deinceps ſuſpendere, ut illam immolet. Ea autem ſuſpenſio, cum voluntaria ſit, ſit neceſſariò peractum internum imperantem (aut actus): actus autem vitalis intentionalis Chriſti Domini, cum reſpicere valeat utramque immolationem, eruentam ut ſemel tantùm exequendam; incruentam, ut perpetuò ad uſum revocandam; utpotè actio nobilior, ampliorque, & utrumque modum ambire potens, poteſt abſque ulla repugnantia ſeipſo utramque ſacrificationem exequi ſucceſſivè, ſi reproducatur idem numero; quin definat reſpicere idem formaliter objectum, eumdem terminum, & utrumque ritum ſimul; etiam dum ſolùm pœnes unum immolat actu. Ubi autem eadem actio numero exercere valet utramque immolationem, aut ſacrificationem: ubi inſuper illa reproduci poteſt: ubi rurſus, ſi reproducatur, reſultat unum numero ſacrificium repetitum: & ubi tandem elamat Apoſtolus Paulus unum eſſe ſummi noſtri Sacerdotis, ejuſque Sacerdotii magni ſacrificium; qua doctrinæ ſanitate, quo rationis colore, & qua ſolida Theologia neganda erit ejus reproductio? Natura (etiamſi poſſibilis credatur connaturaliter ejuſdem effectus jam extincti reproductio) varietate pulchreſcit, noviſque propterea ſemper effectibus delectatur, quia nullo ſatiatur, ubi omnes ſunt limitati; Sacerdotium verò ſummum eadem ſemper Hoſtia, eodemque numero ſacrificio, quia infinitè ſimpliciter perfecto, gaudet, viluiſſetque diverſitate illorum, uti viluerunt eâdem causâ vetus Sacerdotium, & ejus ſacrificia.

Num. 43. Fulcitur tertio, ex delibata ſupra ratione teſtamenti: porro Chriſtum Dominum condidiſſe teſtamentum ſuum in Cœna noviſſima, potiùs, & veluti proprius, quàm in Cruce eſt frequentior Theologorum opinio, quam multis fundat Eximius Doctor tom. 2. in 3. par. diſp. 3. Leſſius, qu.83. Janſenius in concordia, Maldonatus, Cornelius à Lapide, Barradas, Bellarm. lib.

lib. 1. Euch. cap. 11. & Expoſitores alii, quos imitatur P. Antonius Maria Bonucci tom. 1. Ephem. Euchar. die 18. Januarii à pagina 74. & ſanè Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. id clariſſimè docuit his verbis: *Cum voluntariam mortem noſtra cauſa ſuſcepturus eſſet ea nocte, qua ſeipſum tradebat teſtamentum novum ſanctis ſuis Diſcipulis, & Apoſtolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, inſtituit*: Et Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 40. ait: *In calicis mentione teſtamentum conſtituit, ſanguine ſuo obſignatum.* Conſentiunt Chryſoſt. Theophil. Eutym. Anſelmus, & expreſſiſſimè S. Avitus ſerm. de Natali Calicis, ibi: *ſubſtantiamque nobis cœleſtem ante diem ſuæ mortis aſſignans, teſtamentum fecit*. Colligiturque ex illo Eccleſ. 43. *In carne ejus ſtare fecit teſtamentum.* Conſulendi de re hac Bellarm. lib. 1. de Miſſa cap. 8. Barradas tom. 4. lib. 3. cap. 5. Cornelius à Lapide in Evang. & Expoſitores. Ex quorum doctrina ſequitur, teſtamenta Chriſti Domini fore tot numero diſtincta realiter, quot ſunt incruenta ſacrificia, ſi hæc fuerint inter ſeſe realiter ſimpliciter diſtincta, quantumvis hæreditas ſit eadem.

Si reponas, teſtamentum importare eſſentialiter ultimam teſtatoris voluntatem ante mortem ſuam ſolemni quodam jure manifeſtatam; voluntas autem, qua de præſenti conficit ſacrificium incruentum ut ſummus Sacerdos, eſt hominis jam immortalis, incapaciſque propterea condendi teſtamentum, quippe quod morte confirmatur. Acquieſcam ex animo huic doctrinæ, utpotè ex ſcrinio juris, & rationis deprompta. Ex illa tamen arguo ſic: ſacrificium Euchariſticum immolans Hoſtiam ſacramentaliter exiſtentem eſt formaliter teſtamentum Chriſti Domini apud Doctores nuper prælaudatos; ſed nequit eſſe verum teſtamentum juxta doctrinam hujus reſponſionis niſi includat ultimam voluntatem teſtatoris per quam in cœna noviſſima, dum mortalis erat, ſeipſum Patri obtulit in ſacrificium, & ſeipſum etiam tradidit nobis, quos hæredes inſtituit æternæ hæreditatis, & loco pignoris Corpus, & Sanguinem proprium reliquit hæredibus. ergo ultima illa voluntas eſt ipſamet, quæ modò reproducitur, dum ſacrificium altaris ab ipſo conficitur: quæque ſemper eſt eadem, idemque formaliter Sacramentum, ſive his, ſive illis ſignis numero, aut ſpecie diverſis pandatur [uti idem dicitur, ſive lingua, ſive manu, & inſuper ſive charta, ſive membrana ſcribatur, ut habetur in leg. *Quoniam* 1. *& jubemus* 29. cod. de teſtamentis]: quia ſolùm disjunctivè exigit hæc, vel illa ſigna manifeſtantia. Urgeo aliter idipſum: compertum eſt ſapientibus, floruiſſe jamdiù, vigereque modò viros doctiſſimos, exiſtimantes, Chriſtum Domiminum condidiſſe verè, & propriè ſuum teſtamentum in Cruce; non ſolum quia effuſione Sanguinis obſignari, & confirmari debuit novum teſtamentum, morteque teſtatoris; ſed quia in ipſa Cruce, & ex ipſa, dum jamjam moriturus eſſet, opportuníus his Theologis tempus viſum eſt ad hoc, ut formaliter conderetur.

Id quod ex Epiſt. Pauli ad Hæbr. cap. 9. colligunt ſatis expreſsè, uti & ex verbis S. Ambroſii lib. 10. in Lucam, ubi ait: *Teſtabatur de Cruce Chriſtus, & teſtamentum ejus ſignabat Joannes, dignus tanta teſtatore teſtis*. Et Epiſt. 82. eadem fere verba ſcribit: & ſanè licet in Cœna teſtamentum condiderit; cum tamen certum ſit illud Pauli loco allegato: *teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; aliaqui nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt*, neceſſariò accepiſſet ſuam validitatem à morte, præcedenter ad quam, & in ipſa, potuiſſet revocari: ac ſubinde ſemper ultra voluntatem, qua in Cœna nos hæredes inſtituit, omnino requirebatur carentia libera revocationis illius; & ex conſequenti prima voluntas, ſeu volitio, nonniſi quà formaliter non revocata; ſed poſitivè liberè perſeverans in morte (quia non revocatio in Chriſto Domino haberi debuit modo perfectiſſimo) conſtituere poſſet formaliter completè teſtamentum. Nanque voluntas teſtatoris, quæ exigitur ad hoc, ut teſtamentum ſit ratum, debet eſſe ultima, ideoque ipſam appellat ſupremam voluntatem Ulpianus in leg. *Tabularum* 2. §. 2. ff. *teſtamenta quemadmodum aperiantur*: ſic enim dicitur omni jure, & ratione; & aliunde ultima non fuit illa condens in Cœna teſtamentum, niſi quatenus poſitivè confirmata in Cruce. Vel igitur eadem volitio, quæ præceſſit in Cœna reproducta fuit in Cruce; vel eſſent duo teſtamenta nova ſpecie diverſa ex parte volitionis teſtatoris; & quidem ſignata ritu, & ſolemnitate ſpecie diverſa, quantumvis hæreditas relicta ſit ſemper eadem, quod ſuſtineri nequit impunè: ſiquidem teſtamenti natura ſita formaliter potiſſime, & pro recto non eſt in ipſo ſcripto, nuncupatione, aut inſtrumento ſolemni, ut convincit P. Vaſquez diſp. 199. cap. 4. cum inſtrumentum illud ſit potiùs ſignum ultimæ voluntatis teſtatoris, adeoque ſignum teſtamenti, quàm teſtamentum; tametſi de obliquo illud eſſentialiter conſtituat. Quemadmodum de fædere inito in lege antiqua inter Deum, & Populum, teſtamentoque veteri, dicitur Geneſ. 17.: *& circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit mihi in ſignum fæderis, inter me & vos*. Juxta quam acceptionem fœderis, aut pacti Dei nobiſcum, ſumitur interdum ipſum etiam teſtamentum novum, teſte Paulo ad Hæbr. 9. *& ideo novi teſtamenti mediator eſt &c.* Uti nec ſitum eſſe poteſt præcipuè in hæreditate ipſa relicta; cum evidens ſit, illam nudè ſumptam nullam rationem ultimæ voluntatis præſeferre, eſſeque rem teſtamento relictam, non teſtamentum: alioqui teſtator

ipſe

ipſe in teſtamento, de quo diſſerimus, eſſet teſtamentum, cum ſit hæreditas inæſtimabilis nobis relicta pro nunc in pignus æternæ, quæ conſiſtit etiam in ipſo clarè viſo, & poſſeſſo.

Nu. 44. Solùm eſt igitur formaliter ſitum in voluntate ultima teſtatoris, quà expreſſa ſigno, aut inſtrumento authentico, quodcumque illud ſit; in quo ſenſu dicitur de teſtamento militis in lege *militibus* prima ff. de teſtamento militis: *ſufficiatque ad bonorum ſuorum diviſionem nuda voluntas teſtatoris*. Et D. Hieron. in comen. Malachiæ 2. inquit: *notandum, in pleriſque ſcripturæ locis teſtamentum non voluntatem teſtatorum ſonare, ſed pactum*. Ubi apertè ſatis præſupponit, teſtamentum, dum uſitrpatur in ſenſu ſtricto, ut in præſenti, ſignificare per ſe primò voluntatem ultimam defuncti. Et Doctor Eximius ea diſp. 37. ſect. 4. hanc eſſe communem acceptionem docuit, dum ait: *Eſt igitur in primis ſupponendum, teſtamentum propriè ſignificare ultimam hominis voluntatem, quæ de ſua hæreditate diſponit, ut conſtat ex communi uſu vocis. Quia verò hominis voluntas non ſit nota hominibus niſi per ſignum, aut inſtrumentum, ideo ipſum etiam inſtrumentum, quo voluntas teſtatoris continetur, & panditur, teſtamentum ſolet appellari*. Adeoque teſtamentum dicendum eſt *mentis teſtatio* cum Juſtiniano, ut ſit mens teſtatioue expreſſa. Cum autem utraque ſententia validiſſimis Patrum teſtimoniis ſulcita reperiatur: cumque rurſus duo teſtamenta eſſe nequeant, nec in Cruce eſſe poſſet codicillus teſtamenti in Cœna facti; quia eſt imperfecta voluntatis explicatio, per quam nec hæredis inſtitutio fieri poteſt, ut eſt in jure notum. Non aliter conciliari valet diſcordia hæc ſententiarum, quàm per aſſertionem noſtram: quatenus nimirum eadem voluntas, ſeu voluntatis actus, quo Chriſtus Dominus teſtamentum condidit in Cœna, ſecreta divina continens, reproducatur, ſitque propterea idem numero teſtamentum; quandoquidem volitio illa (vel actus, qui per ſe concurrunt ad ſacrificium) eſſentialiter poſtulat utrumque ritum; quo diviſim obſignetur teſtamentum. Cum perfectio illius actus, & noviſſimæ voluntatis, neceſſariò debuiſſet (uti & reliqua Chriſti Domini merita) conſummari in Cruce, cui erat alligata, & veluti affixa redemptio eiſdem clavis, quibus Corpus Domini. Ad modum quo de ſacrificio diximus, & ſic verificatur, teſtamentum eſſe factum in Cœna, & pariter eſſe factum in Cruce. Exindeque confirmatur aſſertum noſtrum; cum, juxta Expoſitores primæ opinioni adhærentes, ipſa ſacrificii jugis prima inſtitutio (quæ fuit verum, & primum ſacrificium) fuerit pariter teſtamenti factio. Si autem adjicias, inſtitutionem quoque Euchariſtiæ, ſecundum quod Sacramentum eſt, conſtituiſſe pariter teſtamentum, & quaſi permanenter, cum ſemper actu perſiſtat in Eccleſia, ſitque hæreditas pretioſiſſima illius teſtamenti, & voluntas illa permaneat moraliter. Conſentiam ex animo, itaut ex utraque voluntate conſurgat integra teſtandi voluntas: quia cum in poſterum Chriſtus Dominus ſeipſo immediatè, & phyſicè conſecraturus non eſſet, quantumvis nomine ipſius miniſter conficiat media conſecratione Sacramentum, non debuit jugiter reproduci ea voluntas inſtituens, & conficiens Sacramentum, uti debet reproduci volitio ſacrificans; quia ſeipſo immediatè, jugiterque ſeipſum immolat, præſupponendo peractum jam à Miniſtro Sacramentum: proindeque utraque illa voluutas diverſæ rationis coire non potuit in unam.

Cæterum in primis nos hic arguimus ex ſuppoſitione illius opinionis, quæ potiſſimam teſtameuti rationem ponit in ſacrificio, quia per ipſum applicatur copioſiùs pretium redemptionis, & comparantur bona ſpiritualia teſtamento relicta; tametſi Sacramentum Euchariſtiæ appelletur frequentiſſimè teſtamentum, quia continet realiter; & phyſicè quaſi poſſidet ſummum bonum noſtrum, & hæreditatem, Sacerdotem ſummum, & victimam ſacrificii, per quod nobis bona ab ipſo profluentia conferuntur largiùs: & quia eſt ſignum, & velut inſtrumeutum voluntatis teſtatoris. Et tandem quia teſtamenti factio conſiſtit in actione, ideoque potius ſacrificationi competat, licet dicatur teſtamentum permanens ſignum ipſum; hic autem agitur de ipſo actu condendi teſtamentum. Species autem, & verba ſunt ſignum Sacramenti, ſed etiam ſacrificii, quamvis non æquè priucipaliter, uti nec teſtamenti.

Secundò: quamvis volitio inſtituens Sacramentum, ex qua in nocte illa fluxit conſecratio externa, reproducenda non eſſet in poſterum, utpotè non neceſſaria ad conſecrandum (niſi contendat aliquis, reproducendam eſſe phyſicè ut formam ſignificationis ad placitum, ut perfectiori modo ſignificent accidentia, & verba illico, ac fit conſecratio, & priuſquam peragatur ſacrificium, donec per illud ſuſpendatur, & iterum deinceps revlviſcat cum ipſo; quamvis numquam potuerit reproduci eodem tempore, cum præcedat illa ſub ratione Sacramenti, & ſigni, ſacriſicium) debuit tamen reproduci in Cruce: & quia ex illo accepit robur, & confirmationem inſtitutio Euchariſtiæ: & quia fluxerunt Sacramenta omnia è latere Chriſti, maximè cum manaret ex vulnere illo ſanguis, & aqua: & quia teſtamentum paulò ante factum, ibidem ſolemniùs obſignabatur, & ſanguine rubricandum erat; ac ſubinde omnes illi actus, qui per ſe concurrebant ad teſtamenti factionem, reproduceudi fuerunt in Cruce (quod nobis ſufficeret, ut inde colligeremus, ſacriſicationem poſſe pariter reproduci jugiter).

Si dixeris, inſerri ex hac doctrina, Chriſtum

ſtum Dominum quotidie repetere teſtamenti factiouem eamdem ; facillimè oceurram, eamdem reflexionem objici poſſe conſtituentibus teſtamentum in Euchariſtia, prout Sacramentum eſt ; & quidem urgentius ; cum ſit quotidie aliud numero diſtinctum, apud plures illius ſententiæ Scholaſticos, & ab ipſo Chriſto Domino è Cœlo eliciatur voluntariè actio conſecrativa, & ſacrificativa. Credimus tamen, denominationem condendi teſtamentum poſtulare eſſentialiter aliquid extrinſecum, nempe mortalitatem teſtatoris, & conſequenter, jugiter unà cum ſacrificatione reproduci teſtamenti factionem; non tamen jugiter fieri teſtamentum, quia producitur nunc teſtamenti factio, non verò teſtamenti factio nunc : ſicut reproducitur modò actio ſacrificativa cruenta, neutiquam verò cruentè ſacrificativa modò. Et dum per ſacrificium largitur uobis bona, quæ teſtamento reliquit ipſe teſtator, morte ſubſecuta, eſt ſui teſtamenti, & voluntatis, Executor.

Num. 45. Deſumi poteſt (ut ſupra fecimus pro prima aſſertione) quartum argumentum à pari ex doctrina, qua D. Thomas 3. par. qu. 73. art. 2. ſtatuit unitatem ſimpliciter in Sacramento Euchariſtię, quantumvis ſecundum quid dicatur multiplex materialiter, & quidem etiam quà conficitur ſub ſpeciebus panis, & vini, ad invicem collatis. [exemplum iterato produceudum hic, quin & inculcandum, quia plane ſimile, & quia per reproductionem conſtitutivi in recto obtinetur ea unitas numerica]. Namque ibi corpore concludit: *Ergo hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed unum formaliter, & perfectivè*; quia ſcilicet ex cibo, & potu conſurgit una numero refectio perfectivè ; quemadmodum refectio corporalis ex utraque coaleſcit, & iu reſpouſione ad primum. *Hoc Sacramentum quodammodo eſt multa : ſimpliciter autem unum*. & ad ſecundum *panis, & vinum materialiter quidem ſunt plura ſigna, formaliter verò, & perfectivè unum*. Quod intelligi nequit de unitate ſolùm ſpecifica : quoniam ſi ſermo ſit de paue, & vino ſecundum ſe uſurpatis, manifeſtum eſt, illa eſſe ſpecie phyſica diverſa ; ex utraque tamen, tamquam ex duplici conſtitutivo reſultat una numero ſpiritualis completa refectio : *Sicut homo*, inquit in corpore, *integratur ex omnibus membris neceſſariis ad operationem animæ, & Domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandum, & ſic hoc Sacramentum dicitur unum*. Multò igitur ſtrictiùs erit unum numero ſimpliciter ſacrificium juxta noſtra priucipia, ſi adſit in omnibus eadem numero actio ſacrificans eamdem numero Hoſtiam. Aliunde illa adeſſe valet per reproductionem, ſicuti adſunt per reproductionem conſimilem corpus, & ſanguis Salvatoris, à quibus dicitur à D. Thoma idem numero ſimpliciter Sacramentum. Ergo &c.

Verum eſt, quod D. Thom. contendere videatur, ex Sacramento ſub utraque ſpecie reſultare unam numero ſimpliciter refectionem, & ex conſequenti unum numero perfectè integratum Sacramentum : ex quo rurſus deducitur, non ſalvari completiſſimam undique rationem Sacramenti, ut perfectè integrati, in alterutro, quamvis abſolutè Sacramentum ſit ; cum apud noſtram ſententiam ſalvetur integra ratio unius numero ſacrificii completè in quolibet.

Cæterum ideo illud primum verum eſſe poteſt, quia actio conſecrativa cujuslibet eſt numero diverſa ab alia ; & ex alia parte utraque requiritur eſſentialiter ad veram refectionem plenè integrandam, quæ per ſe exigit cibum, & potum ſimul, ut uno, & eodem moraliter actu ſumenda eſt. In noſtra verò ſententia, & doctrina, actio ſacrificativa cruentè eſt eadem numero, quæ incruentè ſacrificat, ſubinde in quovis ſacrificio eſt repetitio ejuſdem ſacrificationis : & rurſus, quamvis in quolibet ſacrificio expetat eſſentialiter utrumque ritum, itaut cum exerceatur juxta unum, poſtulet ſignatè alium ut exercitum, vel exercendum ; numquam tamen poſcit utrumque, ut uno moraliter actu exercendum ; ſed exercendum abſolutè locis, temporibus, & circumſtantiis longè inter ſeſe diſſitis : & idcirco quodlibet eſt completè unum numero ſacrificium ſigillatim ab alio acceptum.

Et in conſimili etiam ſenſu uſurpatur à quamplurimis Scholaſticis D. Tho. in prælaudatis teſtimoniis, itaut in eis loquatur de Sacramento Euchariſtiæ ut ſic; & deinde agnoſcat in ſingulari unum numero individuum completum in quolibet, & integrum ; dummodo ſemper complectatur utramque ſpeciem, ut ſit refectio, aut convivium ; ſine quo ſub qualibet ſpecie integratum plenè non eſt Sacramentum, etiamſi ſimpliciter ſit Sacramentum ; quod iteratur, aut repetitur, dum ſit nova conſecratio. Quanto ergo faciliùs, quanto veriùs, ſtrictiùſque erit unum numero ſimpliciter ſacrificium, quod peragitur, peractumque fuit à ſummo noſtro Sacerdote, ſi exiſtat in omnibus per ſui reproductionem eadem numero actio ſacrificativa ſub utroque ritu diviſim immolare poſtulans, & cur illa reproducenda non erit ad unitatem ſacrificii, uti reproducitur corpus ad unitatem Sacramenti ? Cum apud omnes ſacrificatio ſit conſtitutivum potiſſimum, & in recto ſacrificii, victima eadem, & uterque terminus ; quantumvis ſymbola exterua, quibus redditur ſenſibile, ſint ad iuvicem diſtincta, & ritus diverſi, dum omne ſacrificium utrumque ritum expoſcat, licet non ut ſimul exercendum ? Et cum ſigna, aut ſymbola, etiamſi conſtituant eſſentialiter ſacrificium qua viſibile, aut ſenſibile nobis ; minùs attamen principaliter, quàm ſacrificatio, & minùs etiam quam conſtituant Sacramentum ; quia non ſunt vera realis ſacrificatio, ſed ſacrificationis ſignum ;

gnum ;

gnum; quamquam ſecundum quid, & purè materialiter, diſtinguantur. Quod clareſcit ampliùs obvio, & ſæpè producto exemplo humani Individui, quod erit idem numero ſimpliciter reproducta unione per reſurrectionem quæ modo eſt. Quin & nunc eſt idem numero abſolutè in provecta ætate, ac in juventute, & flore, ab unitate numerica principalium conſtitutivorum immobiliter perſiſtentium; tametſi tractu temporis, quamplures ſenſim corporis partes de novo comparet, plurimarum jacturam faciat, donec unà omnium ſtragem miſerè experiatur. His enim mutationibus ſucceſſivè agitata, eiſdem tamen conſtitutivis potiſſimis, velut ripis incluſa, præterlabitur vita.

Num. 46. Reproductio verò ejuſdem numero actionis conſecrativæ, ſemper ac peragitur juge ſacrificium, quæ eſt præſentis aſſertionis ſcopus, prolixa ulteriori argumentorum ſerie non indiget; cum ſemel ac verificetur, quòd per eam reproductionem ſalvetur apertè, diſtinctè, & indubitanter unitas numerica ſimpliciter ſacrificii; debet omni jure, & quaſi à fortiori admitti, ut hac via Apoſtoli doctrina in Epiſt. ad Hæbr. vires habeat. Ut unitas ſacrificii novi Sacerdotii collata cum pluralitate ſacrificiorum veteris Sacerdotii evincat hujus imperfectionem, & ſummam perfectionem illius. Ut infinitudo ſimpliciter ſacrificii cruenti reſplendeat, quatenus omnem formalitatem, & prærogativam ſacrificii proprii novi Sacerdotii exhauriat, omnemque ejus lineam abſorbeat, tam in ordine ſolvendi univerſim pretium in actu primo, quàm in linea applicandi in actu ſecundo, & in particulari ipſum. Ut non ſit minor unitas ſacrificii decantata in argumento Apoſtoli ad Hæbr. quàm Sacramenti Euchariſtiæ, quod apud præſtantiſſimam Theologorum factionem eſt unum numero ſimpliciter. Et tandem ut vitentur omnia illa abſurda, quæ in ſuperioribus, librantes argumentum D. Pauli, collegimus ex pluralitate.

Firmatur rurſus, nihilominus, & mihi ineluctabiliter ex reproductione planè identica, Adverſariis pluſquam familiari, actuum internorum ſcilicet, qui per concomitantiam veniunt è Cœlo in Euchariſtiam: in qua, juxta florentem modò opinionem, reproducitur Corpus Chriſti Domini per conſecrationem, uti & ſanguis, & cum ipſis reproducuntur, non ſolùm reliqua omnia prædicata permanentia (productionis capacia), ſed & operationes vitales immanentes, quæ inveniuntur actu in Chriſto Domino exiſtente in propria ſpecie, dum ſit conſecratio. Ubi autem hoc fatendum eſt, quin & mordicùs tutandum, quid novitatis, aut peregrinæ opinationis præſeferre poteſt reproductio ejuſdem actus interni offerentis, & immolantis, cum objectum tam formale, quàm materiale ſit idem, eadem victima, & uterque terminus prorſus idem? Quod deſierit eſſe; cum actus comitanter reproducti exiſtant in Cœlo? Profectò notum eſt Philoſophis, rem deſtructam, vel naturaliter, vel divina virtute fieri poſſe, non minus quàm rem productam, & exiſtentem, in hoc loco reproduci, & ſimul replicari poſſe in alio; immo ſecundum hoc difficiliùs longè viſum eſt; cum nullus aſſeruerit, rem hic productam, & conſervatam, poſſe ſimul alibi reproduci per aliam actionem adæquatam naturali virtute; reproductionem verò individui deſtructi fieri poſſe naturaliter, dixere plures. Quin & adhuc illi qui putant corpus, & ſanguinem nequaquam conſtitui in Euchariſtia per productionem realem, ſed per meram adductionem; aliter neceſſariò ſentire debent de actibus Immanentibus, qui per concomitantiam veniunt: quandoquidem illi ita replicantur in altari, ut ibi conſerventur ab eadem potentia, aut facultate replicata in Euchariſtia per eamdem actionem; tam actio igitur, quam actus ipſe (ſi qualitas diſtincta ſit) continuatè producuntur in altari, uti in Cœlo; quod eſt idem reipſa, ac iteratò produci eamdem actionem, & eumdem terminum; non aliter enim reproducuntur juxta primam ſententiam, quia cum actio actionis non detur, reproduci nequit actio immanens per aliam actionem, ſed reproducitur, quatenus ſeipſa fluit à potentia, etiam quà denuo alibi conſtituta, vi cujus exiſteret adæquatè, etiamſi potentia illa non foret alibi ſimul.

Urgetur inſuper: quoniam ubi ex ſacrificii natura, & inſtitutione idem numero Sacerdos reproduci debet ſub ſpeciebus, ut ſub eis rem ſacram faciat, & eamdem numero victimam reproductam immolet, connaturaliùs videtur, ſacrificationem ipſam pariter reproduci ab ipſo ſummo Sacerdote, ut ſic unum numero ſit perenniter ſacrificium, ſicut eſt unum ſimpliciter Sacerdotium, & unum corpus reproductum, ſanguiſque idem. Quemadmodum arguit Sanct. Ambroſ. relatus in cap. in *Chriſto ſemel*, unum Corpus, unus Pontifex, una Hoſtia, & ideo ſacrificium, *id ipſum, & ſemper id ipſum*. Si autem ſacrificatio, ſive actio ſacrificativa non reproduceretur eadem numero, non foret ſemper idipſum ſacrificium, ſed numero ſemper diſtinctum, & ſacrificium Crucis foret ſpecie diverſum, cum à ſacrificatione denominetur potiſſimè ſacrificium. Quòd autem Ambroſius diſputet ibi de identitate, ſeu unitate numerica, manifeſtum apparet ex eo, quod aſſerat, ſacrificium eſſe unum, ſicut eſt una in omnibus hoſtia, idem Sacerdos, & idem corpus, quæ unum numero ſimpliciter ſunt; & ſicut eſt idem numero Chriſtus Dominus in omnibus, & non multi: nec enim minoris cæcitatis, & erroris argumentum foret, Chriſtos multiplicare, quam unum non admittere.

Num. 47. Urgetur aliter paritate ejuſdem

dem numero unionis animæ, & Corporis Chriſti Domini, quæ reproducta fuit in reſurrectione, quin & in cunctis hominibus reproducendam fore eamdem numero unionem, quæ præextiterat, docent Nobiles Scholaſtici, Valentia diſp. 11. qu. 3. pun. 1. Granados controv. 13. de Noviſſimis diſp. 2. ſect. 4. quin & Doctor Eximius diſp. 44. ſect. 2. Salas: & omnes ferè illi, qui unionem dicunt eſſentiale conſtitutivum, & non meram cauſalitatem, aut conditionem, affirmant, id ſaltem veroſimiliùs, & connaturalius eſſe. Si autem eadem numero unio reproducenda ſit, quia illa poſſibilis eſt, & aliunde verificat ſtrictiùs identitatem hominis reſurgentis cum mortuo; cur pariter idem actus internus, ſeu actio immolativa reproducenda non erit, ut verificet propriè unitatem ſacrificii, tanto ſtudio ab Apoſtolo Gentium commendatam?

Item. Si Chriſtus Dominus meruit, non modò ſui corporis reſurrectionem, ſed & reproductionem ejuſdem numero unionis; qua ratione excludenda eſt ab ejus merito undique infinito reproductio ejuſdem numero ſacrificationis in omni ſacrificio; cum promeruerit omne præmium poſſibile? Et cum ſit extra dubium, meruiſſe in actu primo omnem applicationem illius pretii efficiendam in actu ſecundo; ſubindeque faciendam præcipuè per ſacrificium altaris, cujus illud dicitur exemplar, non quia propterea ſint diverſa, aut diſtincta, ſed quia ritus ſunt diverſi, uti tempus, loca, & ſtatus; itaut ſub uno eſſe valeat exemplar ~~ejuſdem ſacrificii, quà~~ peragitur ſub alio. ad quod ſufficit diſtinctio ſecundum quid? Sacrificium itaque altaris eſt applicans ſacrificium Crucis, quod idcirco dicitur, & eſt, applicatum per illud; utrumque tamen eſt idem ſimpliciter; aliter neutrum futurum undique ſummum in linea ſacrificii. Quamobrem dum Hæbr. 10. Apoſtolus dixit: *Uno oblatione conſummovit in ſempiternum ſacrificatos*, nequit accipi de unica oblatione, aut ſacrificatione, conſummante quoad ſufficientiam tantùm; quia non foret undique infinita, cum daret locum ſacrificationibus pœnè infinitis applicantibus, ſed de unica ſemel redimente, & jugiter applicante. Et cum ſacrificium Crucis undique ſimpliciter infinitum repræſentetur per ſacrificium altaris, maximè per conſecrationis verba ſub utraque ſpecie ſeorſim. Cumque Sacerdos viſibilis deſignet ſummum Sacerdotem principaliter offerentem; uti & inſuper victima infinitè perfecta eſt eadem utrobique. Et cum rurſus ſacrificium ſimpliciter infinitum, & à Sacerdote infinitè ſummo peragendum, neceſſariò ſit unicum numero, ut probant hactenus producta argumenta; colligitur legitimè inde, etiam unitatem numericam ſimpliciter utriuſque ſacrificii reddi ſenſibilem in altari. Reproducuntur ergo actus illi interni imperantes ſuſpenſionem miraculi conſervantis vitam, quibus immolavit in Cruce vitam ipſam, tam ſubſtantialem, quàm actualem, ut per eamdem numero ſacrificationem immolet eamdem vitam actualem, quamvis non ſubſtantialem (quam ſemel duntaxat immolaſſe poſtulat) in altari: hæc autem ſacrificatio incruenta involvit formaliter illas *cogitationes antiquas fideles*, de quibus Iſajas cap. 25. inducentes *mirabilia*, inter quæ refert ibidem Propheta mirabile hoc myſterium Eucbariſticum, memoriam continens omnium mirabilium, cum adjungit: *& faciet Dominus exercituum omnibus Populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitavit in monte iſto faciem Vituli colligati .... præcipitavit mortem in ſempiternum*. Quod de Sacramento, & ſacrificio altaris intelligunt ſatis frequenter Patres, Cyprianus, Euſeb. lib. 1. demonſtr. Evang. Procopius, Div. Thom. & Expoſitores communiter, cogitationes autem illæ, ſive actus interni, etiamſi novi teſtamenti ſint, & novi Sacerdotii ſecundum ordinem Melchiſedech, uti exponunt etiam nonnulli Interpretes, ſunt tamen antiquæ; non ſanè eo præcisè, quod fuerint ab æterno prævisæ, (in quo ſenſu, etiam noviſſimis adaptari poſſet vetuſtas ſumma), ſed quatenus eædem numero, quæ præextiterunt in Cœna, & in Cruce, quotidie nunc reproducuntur, & uſque ad univerſi excidium reproducentur; reſpectu autem ejuſmodi ſuccedentium ſacrificiorum ſunt antiquæ, omnique puncto temporis renovantur. Hac unitate argumentum Apoſtoli vires irreſiſtibiles accipit. Hæbreorum, quibus cum diſſerebat, pertinacia flectitur. Hæreticorum nobiſcum diſputantium, error cadit: majeſtas ſumma, aut perfectio ſacrificii ſubſiſtit: & fides arcani obſcuriſſimi clareſcit. Unde de ſacrificio novi Sacerdotii opportuniùs, & ſtrictiùs, quàm de re alia uſurpari valet illud Eccleſiaſtes 1. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt? Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec volet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerunt ante nos*. Sapienter propterea Ambroſ. & Chryſoſt. de ſacrificio noſtro dixere. *Id ipſum, & ſemper id ipſum*.

SECTIO TERTIA.

Diluit objecta quamplurima, nonnulla in ſpeciem perquam ardua; reipſa tamen umbratili ſolùm difficultate apparentia.

§. I.

Num. 48. SIT primum: compertum ex fide ſancta habemus, ſacrificium incruentum eſſe repræſentationem cruenti, & veluti ejus imaginem. Id liquet ex verbis Chriſti Domini:

Hæc

Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis: liquet ex Conciliorum definitionibus: & Patribus ad unum omnibus, Theologiſque. Et aliunde manifeſtum videtur, imaginem, aut repræſentationem diſtingui realiter, quin & diverſam ſpecie eſſe, ab objecto repræſentato. Hinc ortum duxit multorum Patrum Eccleſiæ locutio de utraque, oblatione, aut ſacrificio, Crucis videlicet, & Altaris, diſputans, tamquam de oblationibus planè diverſis: in cujus veritatis teſtimonium poſſent tranſcribi innumera ferè eorumdem Patrum teſtimonia; quoniam tamen trita valde ſunt, & cunctis obvia, producere ſat erit locum Chryſoſtomi [præſertim, cum lumen hoc Græcorum nobis præluxiſſe jactemus]: namque Homil. 14. in cap. 9. Epiſt. ad Hæbr. expreſsè affirmare videtur, ſacrificium incruentum eſſe non jam idem cum ſacrificio Crucis, ſed recordationem duntaxat illius. *Offerimus quidem*, inquit, *ſed ad recordationem facientes mortis illius*. Et infra: *ipſum ſemper facimus, magis autem recordationem ſacrificii operamur*, Colligiturque ex illis verbis 1. Corint. 11. *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Quapropter dum Patres identificare videntur utrumque ſacrificium, accipiunt oblationem pro re oblata, & ſacrificationem pro victima ſacrificata, ut in ſimili frequenter contingit. Confirmatur: ritus cruentus, & incruentus, utpotè ad invicem oppoſiti nequeunt non efficere, aut arguere ſacrificia diverſa; ſed ejuſmodi ſunt ritus ſacrificii Crucis, & ſacrificii altaris: ergo &c. Major patet, vel ex eo, quod ex ſola diverſitate ritus Sacra Scriptura colligit diverſitatem Sacerdotii Melchiſedech ab Aaronico. Tum inſuper quia ritus contradictorè oppoſiti mutuò ſe excludunt ab eodem numero ſacrificio, uti & ab omni compoſito contradictoria quæque; cum idcirco nequeat idem numero individuum eſſe ſimul vivum, & mortuum. Tum demum, quia alioqui poſſet ſacrificium juge appellari in toto rigore cruentum, & è converſo denominari poſſet incruentum ſacrificium Crucis; cum eadem ſit forma, aut rectum formale utriuſque. Et aliunde hæreticum eſt dicere, ſacrificium altaris eſſe cruentum, ut arguit P. Vaſquez.

Hæc apparentiæ quamplurimum, difficultatis attamen, & ſubſtantiæ parùm continent; manifeſtum ſiquidem eſt ex ſupradictis, ſufficere diſtinctionem realem ſecundum quid ad hoc ut immolatio Chriſti Domini ſub uno ritu poſſit eſſe repræſentatio ſuimet ſub alio ritu ſacrificantis, oppoſitumque redolet Hæreticorum doctrinam. Quapropter Inclytus Martyr & Cardinalis Roffenſis de veritate Corporis Chriſti adversùs Œcolampadium dixit: *Euchariſtiæ Sacramentum antitypum dicitur, nempe per comparationem ad Corpus Chriſti in Paſſione, quod erat viſibile, & paſſibile. Hoc autem reſpectu non abſurdè dici poteſt Corpus Chriſti in Sacramento antitypum, ſeu Symbolum eſſe Corporis Chriſti, quod pependit in Cruce, tametſi revera idem ſit*. Uti & ſub eodem Sacramento eſſe poteſt Symbolum ſui, quà glorioſè exiſtentis, ut cum Divo Thoma docent Theologi omnes. Idem docuit Claudius Sainctes de Euchariſt. Repet. 3. cap. 4. *Corpus Chriſti quatenus eſt in Sacramento ſeipſum ſignificare, ut erat in Cruce, ſuique Sacramentum, ac figuram Paſſionis ſuæ, atque cruentæ oblationis*. Locutiones autem Patrum in eodem ſenſu uſurpandæ ſunt, quippe quæ nihil aliud indicant niſi diſtinctionem numericam ſecundum quid, & impoſſibilitatem conjungendi in actu exercito utrumque ritum; ſicut autem apud Adverſarios teſtimonia eorumdem Patrum, quæ unitatem numericam utriuſque ſacrificii, & omnium, adſtruere videntur, exponenda ſunt per identitatem, aut unitatem ſecundum quid, ejuſdem ſcilicet Hoſtiæ, aut rei oblatæ; ita ex oppoſito dicimus, quòd diſtinctio ſecundum quid, & incompoſſibilitas utriuſque ordinis, aut ritus, ſalvat per quamoptimè propietatem ſufficientem earum locutionum. Ex quo fit, poſſe quidem propriè, & verè ſacrificium ſub uno ritu exercitum repræſentare ſeipſum ſub alio ritu exercendum: quemadmodum & ſub eodem ritu incruento ſacrificium in Cœna inſtitutum, & exercitè primò celebratum (uti & Sacramentum eſt exemplar illius quod modò celebratur ſub eodem ritu) tametſi ab eodem principaliter celebretur phyſicè, ut multi opinantur ex objicientibus; quia ſub alio ſtatu, & in propria ſpecie, ſub aliiſque circumſtantiis à ſummo Sacerdote peractum, viſibiliter etiam.

Neutiquam verò Patres unitatem oblationis uſurpaſſe pro re oblata ſemper, etiamſi interdum ita accipiatur, patet ex ſupra ponderatis teſtimoniis, eorumdemque ſcopo; colligique non incongruè valet ex illis verbis Pauli 5. ad Epheſ. *Tradidit ſemet ipſum pro nobis oblationem, & Hoſtiam in odorem ſuavitatis*, ubi rem oblatam apertè diſtinguit ab ipſa oblatione, & ſacrificatione, quod ignotum minimè erat Patribus. Quare eadem facilitate, & rationis colore, quo aſſeritur, ſæpè accepiſſe Patres oblationem pro re oblata, dum illam adſtruant unam numero in omnibus ſacrificiis, pronuntiari valet intellexiſſe nomine rei oblatæ oblationem ſimul, dum rem oblatam dicunt realiter eamdem numero in cunctis; eſt enim hoc arguendi genus inerme, vel parùm efficax, dum ex circumſtantiis neutrum colligi poteſt nervosè; potiuſque novit ejus doctrina ſolvere, quàm ligare; quia difficultatem, aut argumentationem ex oppoſito formatam facilè paſſivè exarmaret; viribus tamen activis deſtituta eſt.

Num. 49. Jam verò confirmatio hæret in æquivoco; quia non contendimus, hoc ſacrificium, quod hic & nunc peragitur, eſſe

ſe ſimul cruentum, & incruentum, quod plane repugnat; ſed dicimus ſacrificium incruentum, quod hic & nunc conficitur, nonniſi ſecundum quid diſtingui numero ab alio incruento, & à cruento ipſo, jamdiù peracto; denominationes enim ab invicem ſe excludunt à ſimultanea coexiſtentia; quia ritus diverſi, è quibus deſumuntur, & ratione quorum ſacrificia diſtinguuntur ſecundum quid, coexiſtere nequeunt ſimul. Nihil aliud ergo probat ea incompoſſibilitas, quàm meram diſtinctionem ſecundum quid. Sequitur tamen inde, perperam objici nobis, ſacrificium altaris dici poſſe cruentum, licet actio ſacrificativa ſit eadem, & Victima quoque. Sic apud Adverſarios, utrumque ſacrificium dicitur verè unum ſæpiſſimè à Patribus ab unitate Hoſtiæ; quin idcirco incruentum appellari poſſit cruentum: eſt quidem unum cum cruento; cruentum attamen non eſt, quia non conficitur ſub ritu cruorem effundente, & ſacrificium cruentum denominante.

Neque verum eſt abſolutè diverſitatem rituum efficere diverſitatem Sacerdotii, ſive arguere (quamvis illam argueret diverſitas Sacrificiorum) cum certum ſit, ipſum Sacerdotium Aaronicum comprehendiſſe ritus diverſos ſacrificandi, ſacrificabat ſiquidem res etiam inanimes, quarum immolatio cruenta eſſe non poterat. A fortiorique omnes ambiret Sacerdotium Chriſti Domini utpotè ſumme perfectum. Si aliunde opus foret, & componi poſſet cum infinitudine ſacrificii: & reipſa ~~utrumque ritum~~ ambit; ~~quod nonniſi~~ juxta noſtra principia verum eſſe poteſt, ut ſupra arguebam, eo quod fuerit inſtitutum duntaxat ſecundum ordinem Melchiſedech. Sacerdotium igitur Chriſti Domini eſt planè diverſum ab Aaronico; quia illud erat imperfectum, hoc perfectiſſimum; illud ſucceſſores admittebat, poſtulabatque, hoc eſt æternum; & Sacerdos, quem afficit, eſt immortalis, Sacrificia fuere multiplicia, quia auferre numquam potuere hominum peccata; ſacrificium hujus eſt unicum, & omnia mundi flagitia delere poteſt. Unde eſt Sacerdotium alterius ordinis à Sacerdotio Aaronico, non præciſè diverſitate ritus, aut ordinis cadente ſupra ritum ſacrificandi; cum etiam in Sacerdotio Aaronico eſſent ſacrificia præfigurantia ſacrificium altaris; ſed ſupra Sacerdotium ipſum, & Sacerdotem; cum Melchiſedech adumbraſſet æternitatem Sacerdotii Chriſti Domini, quà initio dierum, ſineque caruiſſe dicitur; quamvis inde oriatur ſublimitas etiam ſacrificii, per quam menſuratur dignitas Sacerdotii, potiùs quàm per ritum, ſub quo peragitur, à quo nullam ſingularem excellentiam haurire poteſt: cum ſivè cruentus ſit, ſive incruentus, eſt planè communis veteribus ſacrificiis, quis enim commendabit nobilitatem prçclaram à titulo Plebis etiam proprio?

Num. 50. Objicies 2. ſi foret in ſenſu proprio vera opinio noſtra, fieret inde, actus internos eſſe ſtrictè ſacrificium, ut Novatores contendunt, cum ſenſibilitas externa ſit minus principale conſtitutivum ſacrificii. Fallit tamen objectio hæc, quia Novatores omnem actum internum virtutis appellant ſacrificium, etiamſi nullam Victimam, aut Hoſtiam immolet, nec ad materiam aliquam terminetur, quam realiter immutet. Non ſic autem aſſertio noſtra, quæ ita inducit actum internum immolantem, ut practicè rem ſacram faciat, vitam ſcilicet realiter ſacrificet, ſive ſubſtantialem, & accidentariam, ſive hanc tantùm; eſſetque ſeipſa perceptibilis privatio hæc vitæ Corporis, ſi exiſteret in propria ſpecie illâ privatus Chriſtus Dominus: eſtque propterea effectus extrinſecus, tametſi vita actualis ſita ſit in actibus intrinſecè immanentibus, quorum tamen privatio, dum abſoluta eſt univerſim omnem vitam corpoream actualem præcidens, aut ſuſpendens, perciperetur ſenſibiliter, ſi exiſteret ſub alio ſtatu. Sacrificat igitur Victimam æquè ſtrictè, ac ſi Victimam aliam diverſam immolaret: totumque deinde redditur viſibile per verba, actiones, Sacerdotes, & ſpecies. Quòd verò actio ſic immolans ſit actus internus, aut gladius, de materiali ſe habet, & impertinenter ad conceptum ſacrificii, quod ſolum expoſcit veram actionem ſacrificativam quæcumque illa ſit, Et ex alia parte, dum ſacrificium includit eſſentialiter *pati* ipſius Sacerdotis (quia Hoſtia etiam ſit) neceſſariò ~~im~~molatio eſſe debet actus internus; quia alioqui non foret patiens verus Sacerdos, activè ſeipſum immolans, cum actione externa non deceat, ſeipſum abſolutè ſacrificare, quia eſſet formaliter ſeipſum abſolute interficere.)

Tertia objectio, & impetit aſſertum noſtrum, & retorquet in illud potiſſimum ejuſdem argumentum. Eadem rationis efficacia, eodem impulſu, quo Apoſtolus eliminat, & obſcurat turbam veterum ſacrificiorum tamquam infirmam, & ipſa ſuæ multiplicitatis neceſſitate ignavam, ut fundet unicum novum, perfectiſſimumque ſacrificium, è novo Sacerdote, ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgente, promanans, excludit ejuſdemmet ſacrificii repetitionem, ut arguitivam pariter, eiſdem titulis, debilitatis virium ſacrificii, in actu ſecundo ſaltem; cum nulla ipſius celebratio foret ſe ſola ſufficiens ad applicandum omnem illius valorem, eo quod unaquæque ſit partialiter, & limitato modo applicans; & idcirco perenni ſacrificiorum curſu opus eſt, ut in lege veteri. Ergo aut hæc repetitio enervat argumentum Pauli: aut eſt otioſa, ut contendunt Hæretici: aut nec diverſitas utriuſque ſacrificii, Crucis, & altaris, nec hujus multiplicitas numerica, prope in infinitum, derogat ſacrificio Crucis, nec minuit vires argumenti Apoſtoli. Antecedens exprimitur pleniſſimè ab eodem Apoſtolo cap. 7. illius Epiſtolæ ad Hæbr. : *Qui non habet*

Digitized by Google

habet neceſſitatem , inquit , *quotidie* , *quemadmodum Sacerdotes* , *priùs pro ſuis delictis Hoſtias offerre* , *deinde pro Populi* : *hoc fecit ſemel, ſeipſum offerendo*. Et cap. 9. ait : *neque ut ſæpè offerat ſemetipſum* , *quemadmodum Pontifex intrat in Sancta Sanctorum per ſingulos annos* . Et infra : *quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori* , *poſt hoc judicium* , *ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt*. Et cap. 10. *Omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens Hoſtias* ; *hic autem unam pro peccatis offerens Hoſtiam* , *in ſempiternum ſedet in dextera Dei* : *una enim oblatione conſumavit in ſempiternum ſanctificatos* . Quod argumentum urget Subtilis Doctor Quodl. 20. ut inde inſerat , Chriſtum Dominum non eſſe jam immediatè offerentem , & immolantem ſeipſum in Euchariſtia . Revera tamen , eum eodem pacto aſſeveret in ea Epiſtola Paulus , non eſſe niſi unicum ſacrificium , pluralitatem aliorum redarguens infirmitatis ; aut argumentum ex productis teſtimoniis nequaquam improbat repetitionem ſacrificii immediatè peractam à Chriſto Domino , aut pariter removet omne aliud ſacrificium , præter cruentum , à quocumque Sacerdote conficiendum , cum ſacrificium proprium novi Sacerdutii debeat eſſe infinitum ſimpliciter , exhaurienſque omnem ſacrificii ad illud Sacerdotium ſpectantis formalitatem : unde nec ab illo Saeerdote , nec ab ejus Sacerdotio , ut à ſubalternis participato , provenire poteſt aliud diſtinctum ; alioqui iu rupem infenſam pluralitatis , multiplicitatiſque offenderet Sacerdotium Chriſti Domini , perinde ac Aaronicum , quamquam ſummus ipſe Sacerdos ſemel tantùm ſacrificaſſet ; præſertim cum nomine , & virtute ipſius reliqua peragerentur etiam , illique ſint moraliter attribuenda . Nam ſi Aaron ipſe ſemel tantùm phyſicè arrepto gladio pecudem immolaſſet , mortuuſque illico foret , num propterea ejus Sacerdotium , & ſacrificia ab aliis Sacerdotibus numeroſè confecta ſanarentur ab infirmitate ſua , vel debilitatem exuerent , qua juxta Apoſtolum laborabant ?

Nu. 51. Retorſio igitur hæc , & ſimul objectio , peccat in eo quod à minori arguit (& redarguit) ad longè majus , eum à repetitione ejuſdem numero ſacrificii abſque abſurditate ulla , ſed potiùs ingenti eum utilitate facta , arguat , expertem pariter omnis inconvenientis , aut diſſonantiæ , multiplicitatem realem ſacrificiorum , numero ſaltem diſtinctorum ; quod eſt tanto difficiliùs illo , quanto veriùs eſt ex argumento Apoſtoli , multiplicitatem ſacrificiorum arguere imbecillitatem uniuſcujuſque ; repetitionem verò ejuſdem infiniti , & undique ſummi , oſtendere tantùm limitationem capacitatis in eis , quibus per repetitionem applicatur pretium redemptionis . Sic qui opinantur , repugnare plura numero ſimpliciter Sacramenta Euchariſtiæ ; non ideo ejuſdem iterationem expugnant , ſed catholicè adſtruunt , ut utiliſſimam . Præterea ſacrificium illud , quà ſumme perfectum , removere debet omnem alterius diſtincti poſſibilitatem , quia abſorbet lineam ; quà verò Sacerdotis , & Sacerdotii æterni petit ſui perpetuam iterationem . Adeſt igitur ratio diſcriminis ſolidiſſima , manifeſtaque : etenim neceſſitas plurium ſacrificiorum , tametſi uumero tantùm adæquatè diſtinguantur , (& urgentiùs ſi aliqua fuerint ad invicem ſpecie diverſa) præſupponit eſſentialiter , & arguit debilitatem in quolibet eorumdem ſeorſim : tum quia nullum eſſet ſimpliciter ſummum , nec adhuc ſacrificium cruentum , cum permitteret aliud , quin & poſtularet , intra idem Sacerdotium ad conſumandos effectus omnes , illius quoad ſufficientiam proprios . Tum quia , licet potiſſimum illud Crucis eſſet adhuc infiniti pretii in actu primo , ſive quo ad ſufficientiam , & quidem meritorium ipſius applicationis , ſeu etiam applicatorium in actu primo ; ſi tamen ad applicationem illam in actu ſecundo efficiendam per ſacrificium , neceſſaria forent ſacrificia alia ſpecie , aut ſaltem numero ab illo diſtincta adæquatè , argueretur legitimè , defeciſſe iu illo Crucis perfectionem , aut virtutem aliquam ſpectantem formaliter ad lineam ſacrificii : proindeque illud nequaquam eſſe perfectiſſimum omnium excogitabilium . Ex quo rurſus per conſequentiam remotam deduceretur , nec illud eſſe poſſe infinitum ſimpliciter adhuc in actu prlmo & quoad ſufficientiam ; cum infinitudo ſimpliciter in linea aliqua , aut vere talis eſſe nequeat , aut omnem præfatæ lineæ perfectionem poſſibilem exhaurit .

Neque enim locum habere poteſt fuga per impoſſibilitatem omnimodam conjunctioois ſacrificii redemptorii cum ſacrificio ejus pretium applicante ; quaudoquidem reproductionem ejuſdem numero ſacrificationis terminatæ ad eamdem numero Victimam eſſe poſſibilem , òſtendunt ſufficienter argumenta , quibus firmata eſt opinio noſtra . Eo igitur modo poſſibili conſtituendum eſt ſacrificium , ut ſit undique infinitum ; & neutiquam per aliam actionem , aut modum incompoſſibilem cum ſacrificio applicante , ſive qui non poſſet non efficere unumquodque adæquatè numero diſtinctum , aut diverſum etiam ab alio . Neque inde deduci valet , ſacrificium illud debuiſſe pariter exhaurire omnem vim applicativam pretii ſui , per Sacramenta , & bona opera : quouiam canales illi non pertinent formaliter ad lineam ſacrificii , nec infinitudine , aut ſummitate gaudent , ut ſectione præcedentl obſervatum fuit . Nihil autem ſimile arguitur ex repetitioue ejuſdem numero ſacrificii : quoniam hæc exercetur , non jam ex defectu aliquo ſacrificii , ſupplendo per ſui reproductionem , ſed ex neceſſitate eorum , quibus applicatur , &

co-

eorumdem limitatione. Cum enim nullus hominum capax ſit effectus, aut fructus ſimpliciter infiniti, & univerſalis: eumque rurſus, & juſtitiæ premiique ratio poſtulet meritum, & diſpoſitionem ex parte recipientis fructum illum: cumque tandem non omnes digni reddantur illum ſuſcipiendi; idcircò & applicatio illa fieri debet à ſacrificio applicante, ut à cauſa determinata in particulari; ac ſubinde iterari frequenter juxta exigentiam, & indigentiam ritè diſpoſitam hominum veluti in ſingulari ſucceſſivè venientium; quin & eorumdem, qui in nova peccata labuntur, denuoque remedium expetunt. A' neceſſitate igitur, & indigentia ſubjecti recipientis: à limitatione fructus, quem recipit unuſquiſque, quia capax ulterioris effectus non eſt. Et à fluxu ſucceſſivo exiſtentiæ hominum, quibus ſimul & ſemel nequit fieri applicatio, oritur neceſſitas iterandi ſacrificium; ultra neceſſitatem ſarificii alicujus actu peragendi, ut ſupremo illo actu religionis colatur Deus. Neceſſitas autem repetitionis ex eis principiis orta non derogat infinitudini ſacrificii Crucis; uti derogaret neceſſitas pluralitatis, quippe quæ evidenter arguit defectum aliquem in ſacrificio illo, ut dictum eſt.

Neque ſubinferas inde, potuiſſe etiam iterari ſacrificium Crucis ſub ritu cruento; eſſet enim otioſum, cum ſub eo ritu comparaverit pretium quoad ſufficientiam univerſim pro omnibus, ea infinitudine undique ſumma, ut ex nullo capite limitari potuiſſet, cum ſit in actu primo, & independenter à diſpoſitione, & capacitate hominum, applicationiſque in actu ſecundo: unde ejus iterata celebratio argueret defectum in illo ut primò elicito in ordine ad redemptionem univerſalem, quoad ſufficientiam; cum repetitio ſub ritu incruento arguat ſolùm limitationem ex parte recipientium. Quamobrem ſi omnes homines præteriti, præſentes, & futuri adeſſent ſimul in mundo, omneſque forent æquè diſpoſiti, vel ad effectum infinitum ſuſcipiendum, vel ad illum uſque gradum, ſupra quem nihil ulterius, aut altius excipere poſſent; ſacrificium illud, nec ſub ritu incruento (niſi iterum peccare poſſent) iterandum foret eo titulo, quia ſeipſo foret cauſa univerſalis applicans in actu ſecundo in eo eventu, ac fuit cauſa univerſalis redimens, & ſolvens pretium in actu primo: quemadmodum non tantùm quoad ſufficientiam, ſed etiam quoad efficaciam applicavit Latroni è Cruce pretium ipſum. Utrum verò in ea hypotheſi, à præſenti providentia, & à præſenti rerum conſtitutione aliena, iterandum foret ſub ritu incruento, ſive hoc, ſive alio (ſemper tamen uno, ſi Sacerdos foret Chriſtus Dominus) ut adeſſet cultus perfectiſſimus religionis in Dei honorem; præſentis muneris, aut inſtituti non eſt: tunc enim pariter de ſtatu illo propè beato hominum philoſophandum eſſet, ac de ſtatu beatitudinis poſt reſurrectionem corporum (de quo diſp. 7.); eſſet quidem ſtatus viæ reſpectu corporis adhuc mortalis, conterminus tamen Patriæ, aut gloriæ; in quo tametſi adeſſe poſſet luctus, & dolor, uti & mors graſſaretur, abeſſet tamen peccatum, ſine quo ludere nouit fœlicitas cum malis phyſicis.

Num. 52. Replicabis; meritum cujuſlibet actionis Chriſti Domini dum fuit in ſtatu viæ erat ſimpliciter infinitum; & nihilominus multiplicatum fuit numero per omnes ejus operationes uſque ad extremam reſpirationem; quin meritum ſubſequens derogaret infinitudini præcedentis. Ergo nec multiplicitas numerica, immo nec adbuc ſpecifica ſacrificiorum injurioſa eſſe valet infinitudini ſacrificii cruenti, potiùs quam ejuſdem numero ſacrificii iteratio. Huic replicæ ſatisfactum eſt ſupra abundè: & ſanè illa contendit revera, ut vim argumenti Apoſtoli arceutis multiplicitatem ſacrificiorum veteris legis reddat inermem, aut fallacem. Deinde actus meritorii Chriſti Domini ultimam perfectionem in ratione meriti extorquentis præmium habere minimè potuerunt, donec conſummarentur merita omnia in Cruce; nec adhuc meritum ſacrificii incruenti in Cœna peracti; & cum ex alia parte debuiſſet diverſas ſpecie, & numero actiones, per diverſas animæ, & corporis facultates elicere (qua coire nequeunt in unam) ſpectetque ad dignitatem Perſonæ in ſtatu viæ meritorias ſemper emittere actiones; cum pro eo ſtatu ſit ex ſe formaliter perfectio actus ratio meriti, ideo debuit ſemper meritum extendere, cum creſcere in intenſione non poſſet: atque adeo meritum ſubſequens non derogabat præcedenti, quia reſpiciebat dignitatem Perſonæ, non verò neceſſitatem denuo comparandi præmium aliquod. At verò ſacrificium in ratione formali ſacrificii, & præciſivè à ratione meritorii, cum debeat eſſe infinitum ſimpliciter, & aliunde non ſpectet ad dignitatem Sacerdotis, quòd omnis ejus actus ſit ſacrificium; ſi pluralitatem admitteret, argueret defectum virium in ſacrificio redemptorio. Quare licet ſacrificatio in Cœna peracta redemptoria non fuerit exercitè, prout ibi elicita, erat attamen redemptoria eſſentialiter ſignatè, & tunc non pro tunc, ſed pro vicino tempore ſub alio ritu.

Secundo (& in idem fere recidit) meritum erat veluti prædicatum tranſcendens omnes univerſim actus Chriſti Domini intenſivè, & quantum eſt ex ſe, taleſque ſunt modò, licèt meritorii non ſint in actu ſecundo ex defectu alicujus extrinſecè, nempè ſtatus viæ à Divina Providentia determinati: prædicatum autem tranſcendens omnes operationes, etiamſi infinitum ſit in cunctis, nullius infinitudini derogat per hoc, quod claudatur etiam in viſceribus alterius. Non ſic autem conceptus ſacrificii. Tertiò, non rectè præſupponitur ut inconcuſſum me-

merita illa Chriſti Domini fuiſſe numero, & ſpecie diverſa, ſi loquamur de merito quà infinito; quamvis actus meritorii eſſent ſpecie diverſi. Siquidem illud deſumptum fuit à divinitate ſanctificante infinite operationes illas Theandricas Humanitatis copulatæ hypoſtaticè verbo; dignitas autem hæc, eadem numero fuit ſemper refundens in eas operationes per modum quaſi formæ eam meriti infiniti dignificationem.

Replicas inſuper: Juxta Apoſtolum, peracto ſemel cruento ſacrificio, jam non ſupereſſe *Hoſtiam pro peccato*. Ergo aut repetitionem ejus ſacrificationis circa eamdem Hoſtiam removet; aut nec pluralitatem ſacrificiorum. Verum Apoſtolus ibi convincere ſatagebat Hæbreos, vel ægrè admittentes, vel abſolutè negantes redemptionem conſummatam per Sacrificium Crucis; adeoque illius applicationem per media ulla. Hos alloquitur Apoſtolus, monetque extra illud ſperandum non eſſe alium Meſſiam alio ſacrificio mundantem peccata: Hoc autem quid commune habet cum iteratione ejuſdem ſacrificii cruenti ex ſuppoſitione, quòd mundum quoad ſufficientiam redimeret, & ſummum quaquaverſum fuerit?

Replicabis adhuc: cur iterari non poterit ſacrificium ſub ritu cruento, ſemel ac ſub incruento iterandum ſit; cum per repetitionem illam novo titulo acquireret, & promeruiſſet eamdemmet redemptionem: quemadmodum reſurrectionem corporis titulo unionis ipſi debitam novo meriti titulo comparavit? Differentia inter utrumque obvia ſatis eſt, & ſupra tacta; quoniam dum foret in ſtatu viæ, per omneſque operationes, utpotè dignificatas à divinitate promeruiſſe deberet, & quidem omne præmium poſſibile; neceſſariò meruit reſurrectionem ſui corporis eo novo titulo; cum dignius ſit habere aliquid ex merito (uti ex D. Thoma retulimus diſp. 2.) quam ſine merito, ubi cadere valeat ſub meritum effectus ille. Cæterum non propterea debuit iterum ad ſtatum paſſibilem redire, ut novo jure, & titulo mundum redimeret, argueretur que potius, illum non fuiſſe ad ſufficientiam liberatum. Quantumvis ſi ex alio capite, ex divinoque decreto debuiſſet iterum ad ſtatum viæ redire, per actiones ſuas meruiſſet novo titulo eamdem redemptionem; quamquam illa multis titulis jam ſuperabundans ſit: cum enim vel gutta cruoris ſubmergeret multitudinem infinitam ſcelerum; è rivis ſanguinis ubertim ex corpore manantibus, quodnam flagitium enatare poteſt, quoad ſufficientiam non ſubmerſum?

Num. 53. Oppones quartò. Actus ille immanens, quem dicimus, actionem ſacrificativam, reſpicit eſſentialiter victimam, ut cruente ab ipſa immolandam, & etiam ut incruentè (licet non ſimul, & ſemel) ſub ſpeciebus panis, & vini: hujuſmodi autem reſpectus important neceſſario formalitates, aut virtualitates ſpecie diverſas, quantumvis intra eumdem numero actum occurrentes; cum terminentur ad ritus ſpecie diverſos, à quibus à fortiori ſumere debent diverſitatem ſpecificam. Ergo dum actio illa immolat incruentè v. g. operatur pœnes formalitatem diverſam ab illa, per quam mactaverat profuſione Sanguinis eamdem Hoſtiam: ergo conſtituit ſacrificium incruentum formaliter ſpecie diverſum à cruento, quamvis materialiter idem. In hac autem diverſitate formali ſpecifica inſtantur omnia, quæ hactenus adducta à nobis fuere contra pluralitatem realem ſacrificiorum. Hæc objectio non obſcurat aſſertionem, quam appetit, ſed explicationem illius, & uberiorem lucem expoſcit. Negamus itaque, adeſſe in eo actu duas formalitates ſimpliciter diverſas, ſed unicam duntaxat cum duplici illo reſpectu; vel ad ſummum diſtinctas ſolum pœnes implicitum, & explicitum. Cujus ratio ſæpe aſſignata jam fuit: cum enim formalitas reſpiciens Hoſtiam quà cruente ſacrificandam, ſit ſacrificatio propria Sacerdotii ut æterni, eſt eo ipſo ſacrificatio poſtulans perennitatem ſacrificii; & cum aliunde illud iterari nequeat ſub illo ritu cruento; quia omnis repetitio injurioſa foret illius infinitudini quoad ſufficientiam; neceſſariò expetit illud, ut iterandum ſub ritu incruento applicante pretium cruenti. Eadem ergo formalitas reſpicit victimam quà ſub utroque ritu immolandam.

Novum ſiquidem non eſt, eamdem formalitatem ſortiri reſpectus diverſos, vel ad diverſa terminatos; quoniam actus contritionis per eamdem formalitatem, per quam accedit affectivè ad Deum, recedit a peccato: & immolatio victimæ eodem formaliter conceptu, quo reſpicit terminum à quo, fertur etiam in terminum ad quem: & eadem formalis proteſtatio in ſacrificio fertur indiviſim in Deum, ut auctorem vitæ neciſque. Prçterea, licet eſſent duæ formalitates diverſæ, neceſſario, titulis inſinuatis, eſſent adeo inter ſe connexæ, ut neutra ſine alia ſacrificium, ſive cruentum, ſive incruentum conſtitueret; quia quodlibet eorum petit eſſentialiter aliud, vel ut peractum, vel ut peragendum; alioqui nullum ipſorum foret undique in ſe infinitè perfectum, nec proprium Sacerdotii æterni formaliter. Ita namque ſub uno ritu, cruento v. g. ſacrificat exercitè, ut ſimul expetat eſſentialiter ſignatè ſacrificationem peragendam ſub alio per ſuimet repetitionem, reproductionemque. Quoniam licet formalitas illa diverſa non concurreret exercitè ad immolationem ſub ritu cruento abſolutè, concurrere debet ad ipſam, qua perfectiſſimo modo immolantem, & qua immolatio æterni Sacerdotis eſt; quia non poſſet alia formaliter perfectè ſacrificare ſub eo ritu, niſi ut ſimul poſtulans immolationem deinceps ſub alio: atque adeo ſacrificat exercitè ſub ritu cruento, ut poſtulans ſacrifi-

care etiam ſub alio; etiamſi quà ſub alio ſacrificans non exerceatur tunc; & conſequenter ſacrificat illa formaliter, ut includens ſub præfata ratione aliam. Idemque foret tametſi (quod averſamur) forent actiones diverſæ realiter; utraque enim concurreret, quamvis ſecunda concurreret ſolum ad immolationem ut ſic, & ad modum infinitè perfectum immolandi. Revera tamen omnia hæc probant, utramque formalitatem convenire in unam, tam in actu intellectus dirigentis, quam voluntatis imperantis; quæ ita concurrit, ut expoſcat eſſentialiter ſui reproductionem ſub alio ritu; quoniam eadem realiter, & formaliter eſt, quæ. ſacrificat ſemper eamdem victimam, ſicut idem numero gladius jugulabat pecudes, & victimas alias in veteri Sacerdotio; niſi quod ad inſtar gladii verſatilis utroque modo vulnerat, ſemel ita, ut ſanguinem eliciat; jugiter verè, ut incruente feriat.

Num. 54. Objicies quintò, ex principiis, quæ in præcedentibus diſputationibus jecimus: actus ille ſacrificandi ſolum divina virtute reproduci valet: ergo illius exiſtentia erit miraculoſa; conſequenterque ſacrificatio, tam cruenta, quam incruenta eſſe nequit (ut latè probare conati ſumus diſp.5.) ceſſatio miraculi conſervantis vitam; nec privatio vitæ per illam inducta naturalis cenſenda eſt, ſed miraculoſè cauſata; vel erit ceſſatio unius miraculi per efficientiam alterius oppoſiti; itaut miraculum miraculo trudatur; contra quod ibidem fusè ſtatuimus. Accedit, quod, nec ſacrificatio illa cruenta exigere poſſet ſui reproductionem, cum nulla operatio appetat connaturali jure miraculoſam aliam ſui exiſtentiam; cum eo ipſo, quod miraculoſa futura ſit, eſſe debeat neceſſario ſupra connaturalem exigentiam. Reſpondeo primò, ſuppoſitionem illam neceſſitatis miraculi ad reproducendum effectum aliquem, certam minime eſſe, ſed dubiam admodum in Philoſophia; cum oppoſitam ſententiam amplectantur quamplures non infimæ notæ. Illâ tamen admiſsâ, nihil adhuc obtinet objectio; ſiquidem miraculum præfatum nullo pacto conſiſtit in eo, quod actus ille imperans reproductus ſuſpendat imperio ſuo actionem miraculoſam conſervativam vitæ Chriſti Domini, vel elicitivam vitæ actualis illius; cum hoc ipſum efficeret, etiamſi foret imperium omnino naturaliter emiſſum; ſed unicè ſe habet ſubjectivè ex parte productionis ejuſdem numero effectus; ſeu reproductionis, quæ de materiali ſe habet ad efficaciam ſuſpendendi miraculoſam illam actionem, qua vita ſubſiſtebat, atque adeo immolandi vitam; ſub qua ratione ſortitur effectum omnino naturalem auferendi vitam actualem in altari, inducendique privationem omnis operationis vitalis, etiam ſui ipſius, pro ſtatu ſequenti: potiuſque ſub præfata ratione, & relatè ad effectum, quem cauſat eſt ceſſatio ab omni miraculo conſervante vitam, quam miraculum; ſive aliis titulis ſit miraculoſa, aut ſupernaturalis, ſive purè naturalis actio. Sic interdum actus internus ſupernaturalis imperat actionem externam, vel aliquem alium effectum merè naturalem, ut notiſſimum eſt. Verum attamen ſimpliciter non eſt, quod adjungitur, actionem ſcilicet illam cruente immolantem appetere non poſſe ullo pacto miraculum, quod creditur neceſſarium ad ſui reproductionem. Quoniam trita valde eſt Theologia docens, animam ſeparatam exigere reunionem ſui cum corpore; etiam ſi ſit pariter compertum, reunionem prædictam exerceri neutiquam poſſe abſque ingenti miraculo. Quandoquidem anima non poſtulat determinatè miraculum appetitu ſuo innato; ſed cum ſit forma ex ſe incompleta, apta, nataque conſtituere naturaliter compoſitum una cum corpore; & cum exigentia hæc, ſit illi intrinſeca, eſſentialiſque, numquam poteſt illam exuere, nec poteſt non expetere completionem, præciſive ab eo, quod hæc obtinere jam nequeat ſine miraculo, vel quod ſit prorſus naturalis, ut fuit priùs. Sic etiam actio miraculoſa petit naturaliter, ut res quælibet, ſui conſervationem, tametſi hanc aſſequi nullo modo valeat abſque continuatione miraculi; quoniam ex ſuppoſitione, quod ejus exiſtentia ſupernaturalis, & miraculoſa ſit, à fortiori exigit miraculi perſiſtentiam; cum lateat in viſceribus omnium rerum appetitus innatus ſuæ conſervationis.

Rurſus: licet nulla res purè naturalis poſſet innatè appetere aliquid ſupra naturæ exigentiam, & vires conſtituium; poteſt tamen creatura rationalis id expetere elicitè, ut evidens eſt; & aliunde actio illa ſacrificativa, utpote vitalis, intentionaliter etiam poteſt repræſentare neceſſitatem ſuæ reproductionis indeſinenter, quà ſummi, & æterni Sacerdotii actio eſt: ad modum quo viſio beata repræſentat æternam ſui durationem. Ad hæc: actus ille non expoſcit eam reproductionem, quà nudè eſt immolatio; ſed quà eſt immolatio conſtituens ſacrificium undique infinitum, abſorbenſque proinde ex integro lineam omnem ſacrificationis propriam illius Sacerdotii: & qua eſt actio Sacerdotii æterni poſtulantis ſacrificium jugiter ab ipſo peragendum. A dignitate autem illa Sacerdotis æterni reſpicientis ſacrificium planè, & undique infinitum, ſubindeque unicum, & ſingulare, tamquam à forma, ſortitur exigentiam illam; quin & ipſa deſinente, peracto ſacrificio, remanet ſemper præfata dignitas æterni Sacerdotii magni, illius reproductionem expetens; quia cum ſit dignitas ordinis hypoſtatici, & ratione illius debita Chriſto Domino poteſt, quin in philoſophiam peccet, Chriſtus Dominus miracula exigere, uti & patrare, maxime in conficiendo ſacrificio Euchariſtico, ſcaturientium miraculorum fonte, & rerum mirabilium Epitome.

Nu.55.

Num. 55. Objicies ſextò: actio alligata alicui termino nequit, etiam divinitùs, exiſtere ſimpliciter abſque illo: ſed ejuſmodi eſt actio illa interna, qua Chriſtus Dominus ſe immolavit cruentè in Cruce: ergo niſi reproducatur etiam eadem numero effuſio cruoris, & eadem vitæ ſubſtantialis privatio, nequit actus internus reproduci (& tunc jam non ſacrificaret incruentè). Majorem ut extra dubium omnem conſtitutam amplectuntur Theologi, & Philoſophi. Minor demonſtrari poſſe videtur: quoniam illa poſtulabat eſſentialiter, & efficiebat, privationem vitæ ſubſtantialis per ſanguinis effuſionem, exercitè, actuque manantis è venis, ut compertum eſt. ergo illi eſſentialiter affigitur, & privationi vitæ ſubſtantialis; itaut, nec de potentia abſoluta Dei reproduci valeat abſque illa. Diſtinguo minorem: actio purè phyſica, & emortua, concedo minorem: actio ſimul vitalis, & intentionalis, ſubdiſtinguo minorem, ſi repræſentet, & poſtulet ſacrificium cruentum, ut ſemel tantùm exercitè conficiendum, & ſimul incruenta, ut ſucceſſivè exercitè peragenda indeſinenter per ipſam, nego minorem: ſi cruentum ſolùm efficere ſeipſam poſtulet, tranſeat minor. Quamquam etiam in eo eventu immolare poſſet Hoſtiam, & nihilominus perſiſtere repræſentans, & exigens præteritam illam immolationem, cum ſit actus intentionalis, qui dum conſervat eamdemmet repræſentationem, conſervari poteſt, licet nihil efficiat, & actu aliquid effecerit imperio ſuo.

Actio itaque emortua, nudèque phyſica, eſt formaliter ex conceptu ſuo limitata, adeoque reſtricta, ut affigatur termino alicui eſſentialiter; & ſi interdum duos aliquos reſpiciat, eorumdem phyſicam coexiſtentiam efflagitat; quia cum utrique alligetur eſſentialiter, nequit exiſtere, alterutro deſinente. Actus verò, ſive actio vitalis intentionalis, cum ſit amplioris longè ſphæræ, & capacitatis, & reſpicere valet plures terminos ſimul intentionaliter, & eorum ſucceſſivam exiſtentiam, & efficere imperio ſuo phyſicè unum poſt aliud, ſi actus ille ſit cauſativus alicujus effectus ad extra (vel ad intra etiam): eo quod ſit actus imperans, ut in re noſtra: quoniam vis effectiva illius participat etiam amplitudinem illam majorem propriam actus intentionalis, & ita alligatur termino, quem efficit, ut illum ſemper repræſentet, & elicère ſemel expoſcat, non tamen ut illo abeunte deſinat, cum exigat alios ſucceſſivè cauſandos. Longèque faciliùs, ſi ille deſinere debeat, quolibet effectu deſinente; iteratoque debeat produci, ſemper ut novum effectum inducat; ut in re noſtra contingit. Siquidem actio purè phyſica reptat; quæ ſimul autem vitalis intentionalis eſt, cum ſit potentiæ ſublimioris exercitium, volitat, ſe habet inſtar actionis univerſalis reſpectu illorum effectuum.

Id clariſſimè cernitur in actu imperii, quo ſibi efficaciter quiſpiam intimet, vel potentiæ loco motivæ imperet motum ex hoc loco in illum, ſucceſſionem realem plurium motuum eſſentialiter includentem, omnes attamen ab eodem imperio phyſicè interdum permanente cauſandos. Vel ſtrictiùs, ſi imperet eidem voluntati, cujus imperium ſit actus, aut ſupponatur, ut eliciat ſucceſſivos plures actus, amoris Dei, perſiſtatque imperium ipſum phyſicè (ut proculdubio fieri valet): tunc enim actio phyſica productiva impulſus; in quo, tamquam in qualitate, præſupponatur conſiſtens formaliter ratio amoris; non eſt ſe ſola actio imperata, ſed ſimul imperium ipſum concurrit, ut complens actionem, ut ſupra diximus ex Divo Thoma, & vulgata Philoſophorum doctrina; & nihilominus deſinente illo actu imperato perſeverat actus imperans ad ſucceſſivum alium amoris conatum pariter eliciendum. Cujus ratio eſt illa, quam nuper delibavimus; quòd nimirum, ſicut amplitudo illius in repræſentando univerſalior multò eſt, vaſtiſſimamque ſphæram ob nobiliorem gradum vitæ, & naturam ſublimiorem, quam participat, obtineat; ſic amplior eſt etiam in efficiendo, dum ſimul eſt actio inductiva alicujus effectus. Quandoquidem ideo cauſat effectus illos, quia repræſentat (aut præſupponit repræſentationem, ſi fuerit actus voluntatis) concurſum proprium in ipſo, ac proinde amplitudo repræſentandi communicatur efficientiæ ejuſdem, minùſque phyſicè alligatur cuilibet ſeorſim, quia affigitur pluribus ſucceſſivè.

Immò repugnat eſſentiali affixioni, quam habet, & modo quo illam poſſidet, quòd deſinat, uno actu, aut effectu deficiente, ſi fuerit actus Chriſti Domini, omninò verus intrinſecè, & efficaciſſimus; cum repræſentaret concurſum effectivum ſui in actus illos ſucceſſivos; & uno deficiente deſineret ipſe (niſi iterum ad alium efficiendum reproducatur). Numquam tamen exuere poteſt utriuſque ſacrificii repræſentationem, nec virtualitates utrumque ritum poſtulantes: atque adeo affigitur eſſentialiter privationi vitæ ſubſtantialis, ut ſemel immolandæ tantùm; privationi autem vitæ actualis, ut ſæpiſſimè, & indeſinenter; nec reproduci valet denuo niſi cum eiſdem formalitatibus affixis immobiliter prædicto modo, aræ crucis, & altarium aris. Et ſanè ſi actus imperans eſſe poteſt actio principalis phyſicè productiva diverſorum effectuum ſucceſſivè, qui poſitivi ſint, quin deſinat quovis deſinente; faciliùs poterit in re noſtra munus actionis exercere, & exiſtere, quin exercitè cauſet privationem vitæ ſubſtantialis, ſed actualis duntaxat; cum uterque effectus privativus ſeu negativus purè ſit. Effuſio namque ſanguinis, quæ poſitiva eſt, neutiquam fit per eam actionem; ſed præſupponitur facta hoſtili manu, truci vultu, & immani ferro.

§. II.

Num. 56. SEPTIMA objectio vires deſumit ex probatiſſima Scholaſticorum doctrina, aſſeverante, præcipuum in ſacrificio ſtrictè tale eſſe ſignum, aut ſymbola externa, quibus redditur ſenſibile, aut viſibile nobis; cum definiatur per actum externum, aut ſignum ſenſibile, quemadmodum Sacramentum, ut ex communi ſententia tradit Doctor Exlmius diſp. 73. ſect. 6. & diſp. 76. ſect. 1; ſive quà ſignum ſenſibile ſortitur ſiguiſicationem moralem, cultum internum, vel internam oblationem inviſibilem deſignantem; ſive etiam quà myſticam ſimul ſignificationem accipit repręſentans Crucis ſacrificium. Ideoque Concilium Trident. ſeſs. 22. cap. 2. docet, ſacrificium incruentum eſſe neceſſariò viſibile, prout hominum natura exigit. Sed ſigna ſenſibilia ſacrificii cruenti (quæcumque illa fuerint) proculdubio fuere diverſæ ſpeciei à Symbolis ſacrificii incruenti: & ſigna unius incruenti ſunt manifeſtè numero ſimpliciter diſtincta à ſigno ſenſibili alterius pariter incruenti. Ergo licet permittatur identitas numerica ſacrificationis, ſive actus interni Chriſti Domini in ſacrificio Crucis, & omnium altaris per jugem illius reproductionem, nullo pacto identitas verificatur ſimpliciter numerica ſacrificiorum novi Sacerdotii cum ſola diſtinctione materiali ſecundum quid; ſed potiùs è converſo diſtinctio ſimpliciter numerica inter omnia incruenta cum ſola identitate, aut unitate ſecundum quid: & diverſitas ſimpliciter ſpecifica incruentorum à cruento, cum ſimili identitate ſecundum quid. Siquidem potiſſimum conſtitutivum ſacrificii, è quo per ſe primò deſumit ſpeciem, & unitatem, aut diſtinctionem, eſt diverſum in utroque, & diſtinctum realiter ſimpliciter in omnibus; ſacrificatio verò, & victima, quæ ſunt idem in cunctis, minus principaliter conſtituant ſacrificium, ne alioqui ſalvetur præcipua ratio ſacrificii (ut ſupra objectum fuit) in actu interno.

Nonnulla miſcentur in hac objectione, quæ vel ſunt de nomine, vel ad confuſam denominationum ſylvam (præſertim in compoſitis artefacto ſimillimis, & myſticam moralemque rationem includentibus) ſenſim ducunt; à quibus omninò abſtinendum duximus, per notaſque idcircò clariſſimas, & nulli æquivocationi obnoxias doctrinas, aut ſemitas, obviam ibimus objectioni. Et ſanè cum præſupponendum ſit, ut compertiſſimum, tam actionem immolantem victimam, quàm utriuſque ſenſibilitatem conſtituere eſſentialiter ſacrificium; ſupereſſe tantùm poteſt dubium, quodnam ex eis ſit potiſſimum conſtitutivum ſacrificii, actio ſacrificativa, an potiùs illius ſenſibilitas, ſive ſignificatio ſenſibilis? In quo dubio, ſicut certum eſt ſacrificium, quà viſibile, aut ſenſibile nobis, importare ſenſibiliter ſignificationem moralem (quin & myſticam juxta plures) tamquam formam, ita compertiſſimum eſt penes aliam conſiderationem, & ſecundum veritatem rei, dicere formaliter pro recto ſacrificationem, ſive actionem immolantem, tamquam formam. Id quod firmat Div. Thom. 2. 2. quæſt. 85. art. 3. ad 3. *ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit ..... & hoc ipſum nomen ſonat. Nam ſacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid ſacrum.* Et ideo apud Sapientes idem eſt ſacrificium, ac actio factiva ſacri, & colligitur ex S. Iſidoro lib. 6. Etymolog. cap. de officiis, ex Euſebio lib. 1. de Præparat. Evangel. cap. 6. & ex Magno Gregorio producto in cap. *multi* 84. cauſa 1. quæſt. 1. ibi: *Myſterium* (Sacramentum Euchariſtiæ) *itaque fratres, ob hoc dicitur, quod ſecretam, & reconditam habeat diſpenſationem: ſacrificium autem quaſi ſacrum factum.* Quod innuere ſatis videtur Theophilactus ad Hæbr. 8. cum dixit: *ſacrificium eſt quod fit per ſanguinem, aut ignem.* Colligitur ex Apoſtolo Hæbr. 5. & ex Chryſoſtomo Homil. 28. traditque Doctor Eximius diſp. 73. art. 5. ex illo autem Etymologiæ nominis fonte deducitur, ſacrificium ſumma cum proprietate uſurpari potiſſimè pro actione immolante Hoſtiam, ut nupero loco aſſeverat Div. Thomas. Et Eximius Doctor allegato §. *Dico ſecundo*, ait: in ſacrificio *duo poſſe conſiderari præter ſignificationem; unum eſt res, quæ offertur: aliud eſt actio, per quam offertur ..... actio autem, per quam offertur, eſt veluti forma ſacrificii; quia per illam completur, & quaſi conſtituitur.* Et ibidem infra: *Nam & res oblata, & actio per quam offertur, ſolent ſacrificium appellari, propriiſſimè tamen dicitur de actione, ut ex ipſa etiam voce patet.* Hanc etiam conſiderationum diverſitatem paulò aliter expoſuit idem Doctor Eximius ibidem ſect. 6. §. *ex qua colligi poteſt*, dum ait: *interdum cultus internus appellari ſolet ſacrificium maximè verum, aut etiam veritas ſacrificii, veritate ſcilicet rei, & perfectione virtutis; quia ſcilicet ipſe cultus interior eſt id, quod præcipuum eſt in ſacrificio, & veluti anima, & forma ejus, à qua habet, ut ſit actus virtutis, quamvis in ratione ſigni proprietas, & veritas, ſacrificii maximè ſit in ipſo actu exteriori.* Et diſput. 76. ſect. 1. §. *diſtinctione igitur utendum*: ut probet diverſitatem aliquam eſſentialem inter ſacrificium cruentum, & incruentum, quamvis res oblata utrobique ſit eadem, inquit: *Neque enim ſatis eſt, quòd res oblata ſit eadem, quia ſacrificium non conſiſtit eſſentialiter in re ipſa permanente, ſed in actione circa illam: unde ſi actiones ſint omnino diverſæ rationis, quamvis circa eamdem rem materialiter verſentur, erunt ſacrificia diverſa.* Similiter Pater Vaſquez diſp. 220. cap. 3. docuit, ſacrificium definiri poſſe, *vel ex parte formæ, hoc eſt ex parte ſignificationis* per notam, aut ſignum ſenſibile &c. vel ex parte materiæ, aut rei, quæ illi ſignificationi ſubſternitur; & in hoc ſenſu, prout importat fieri ſa-

cri-

Digitized by Google

crificii, definiendum credit per hoc, quod ſit *mutatio rei, quæ Deo offertur*. Et in eadem acceptione Gentes ubique uſurparunt ſacrificium pro immolatione Hoſtiæ formaliter, & per ſe primò, ſenſibile quidem; cæterum ſenſibilitate ſe habente [ſub ea conſideratione præcipua] ut indumento, aut veſte purpurea, quantumvis ſimpliciter neceſſaria; quam Sacerdotum propriam voluit eſſe Deus Exodi 39. ut & cruorem victimæ repræſentaret, & majeſtatem Sacerdotii exprimeret.

Num. 57. Verum quidem eſt apud laudatos Theologos, uti & propè omnes, ita actionem ſacrificativam eſſe formam ſacrificii, ſi comparetur cum victima ſacrificanda, aut re oblata, ut tam actio ipſa immolans, quàm victima immolata ſint veluti materia, aut ſubjectum reſpectu ſignificationis, quæ eſt forma prædicti ſubjecti: ex quo colligi videtur, tamquam perſpicuum, ſacrificium completè, & ſimpliciter ſumptum, importare ſignificationem ipſam, ut rectum, aut formam potiſſimam totius ſacrificii. Cæterum pariter verum eſt nihilominus apud eoſdem plerumque, Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis eſſe unum numero ſimpliciter, licet ſigna ſint realiter diſtincta; quia rectum, aut potiſſimum prædicatum conſtituens illud eſt Corpus Chriſti Domini, idem numero realiter ſimpliciter in omnibus; & tamen corpus ipſum utpotè ſub ſpeciebus deliteſcens, per ſe ſenſibile non eſt, ſed redditur ſenſibile per ſymbola, aut ſigna extrinſeca, itaut forma ſit ipſa ſignificatio: ut enim ait Tridentin. ſeſs. 13. cap. 3. *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem*. Cum tamen potiori aliquo titulo Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, quàm ſacrificium (licet illud etiam involvat eſſentialiter): ergo quamvis ſignificatio ſit forma ſacrificii ſtrictè talis, cum eo ipſo ſit viſibile, ut hominum natura exigit; poterit nihilominus eſſe ſimpliciter unum numero unitate numerica ſacrificationis (ultra numericam unitatem victimæ, ſive rei oblatæ) quæ per ſe poſtulat eumdem numero in omnibus ſacrificiis principalem Sacerdotem.

Unde Eximius Doct. laudata ſect. 6. unitatem numericam ſacrificii ſub adducta ſupra ab ipſo conſideratione comprobat numerica unitate hac Sacramenti: *ſicut in ſuperioribus dicebamus in Sacramento Euchariſtiæ Corpus Chriſti eſſe præcipuum Sacramentum in genere, ſeu perfectione, & veritate rei, quamvis in ratione ſigni ſpecies ſenſibiles proprius ſint Sacramentum: quia veriùs, & propriùs ſunt ſignum ſenſibile*. Cum igitur diſſeritur de unitate numerica ſacrificii, diſputatur præcipuè de illo, quod actu conficitur à Sacerdote verè ſacrificante, Sacerdos autem, etiam principalis (qui eſt ipſe Chriſtus Dominus) dum peragit ſacrificium altaris, non efficit actu, vel non debet neceſſariò efficere ex neceſſitate ſacrificii, ſignificationem, emittendo phyſicè actum inſtituentem ſignum ad placitum, quæ ſit forma ſignificationis, cum ſufficiat ille primus moraliter perſeverans, ut omnes fatentur (quamquam poſſet etiam reproducere actum illum, ſi velit, ut diximus ſupra). Immo nec efficit, aut producit ſpecies ipſas ſenſibiles, quæ ſunt ſignum ſenſibile ſacrificii, licet efficiat illas aptas ad inducendam ſignificationem ad placitum, deſtruendo earum ſubſtantiam conſecratione; tum ſeparatim conſecrando utramque ſpeciem: tum per verba, quæ profert ſignificativa. Potiſſimum ergo, quod Sacerdos efficit, dum ſacrificat, eſt immolare Hoſtiam actione ſacrificativa; & quidèm etiam ſi comparetur una forma cum alia, proindeque, ſi hæc ſit eadem realiter in omnibus ſacrificiis, & circa eamdem Victimam, ſacrificium ſecundum quod eſt proprium exercitium ſummi Sacerdotis, erit ſimpliciter unum numero. Tandem cum forma ſignificationis ſit volitio Chriſti Domini ea ſenſibilia aſſumens ad deſignandum ſacrificium incruentum (uti & alia ad cruentum, eodem actu aſſumpta) ſignificandum, quæ moraliter perſeverans eſt forma ſignificationis omnium ſenſibilium, quamvis numero inter ſe diſtinctorum, ut docent omnes, ne multiplicent incaſſum actus pro omni ſingulari ſacrificio; manifeſtè concluditur, etiam ſub conſideratione ſigni ſenſibilis, unà cum identitate numerica Immolationis, reſultare ſacrificium ſimpliciter unum numero, & ſolùm multiplex numero ſecundum quid; vel quin obſtet ea multiplicitas materialis rerum, quæ inſtitutæ fuerunt ad ſignificandum, ſuntque ſacrificii ſigna, ipſum in ratione viſibilis conſtituentia: illuſtriora ſanè ſigno *Thau* de quo Ezech. 9. tametſi illud, & Chriſtum Dominum præfiguraſſet, & Crucem; cum viciniorem illum ſigna hæc denotent.

Num. 58. Planior adhuc eſt ſecunda reſponſio, quæ licet catholicè præſupponat, & fateatur, nullum eſse poſse verum ſacrificium, ni viſibile, aut ſenſibile ſit; aſſerit tamen, ſenſibilitatem illam in ſacrificio, ſive Crucis, ſive altaris, nullatenus eſse potiſſimum conſtitutivum veri, & ſtricti ſacrificii, ſed minùs principale; potiſſimum autem, & veluti rectum eſse actionem immolantem Hoſtiam, oblationemque, & rem oblatam; etiam dum illa per ſeipſam ſenſibilis non ſit, ſed fieri debeat viſibilis per ſignum aliud. Proindeque aliter conſtituere ſignum eſsentiam ſacrificii, ac Sacramenti, ſi Sacramentum conſtituat, tanquam potiſſima illius pars. Et quidem principale conſtitutivum ſacrificii eſse ſacrificationem illam ſeu oblationem (quæ ſunt formaliter idem) activam, ſimulque paſſivam ex parte Victimæ, ut immolatæ, & oblatæ; & ſanè non ſolùm potiſſimam ineſse rei, ſed etiam ineſse veri ſacrificii, diſſer-

tis

tis verbis docuit Waldenſis tom. 2. de Sacram. cap. 21. ubi diſputans adversùs Wiclephum, & alios ejus temporis Hæreticos, qui in ſacrificio altaris, & in Euchariſtiæ Sacramento nimium deferebant Symbolis illis externis, ſignificantibus Crucis ſacrificium, ait: *eſt igitur hoc venerabile ſacrificium, quamvis Wicleph deteſtetur hoc verum, verum Chriſti Corpus in recto ſub forma panis quam connotat in obliquo*. Ubi ponit Corpus Chriſti in recto, tamquam rem oblatam in ſacrificio, immolatamque, quæ includit eſsentialiter oblationem; forma igitur, ideſt ſpecies panis, & vini, Symbolaque, non ſunt, apud doctiſſimum Waldenſem, conſtitutiva in recto, & principaliter ſacrificii altaris, ſed minùs principale. Unde connotatum illud, aut obliquum, non ita accipit aſsertio noſtra, ut à nonnullis uſurpatur, tamquam aliquid extra eſsentiam formaliter; ſed intra eſsentiam, illamque partialiter conſtituens; ſed minùs principaliter. Et quidem agit de ſacrificio, quà ſacrificium eſt, ut verba ipſa oſtendunt.

Eamdem ſententiam egregiè firmat Eximius Doct. diſputat. 75. ſect. 1. §. *ſed contra* ubi in ſacrificio principaliter attendi docet, rem, quæ offertur, & immolatur (adeoque ejuſdem oblationem, & mactationem), non accidentia extrinſeca, quibus redditur ſenſibile; & cum ibi oppoſuiſſet, ſacrificium dicere principaliter ſpecies, tamquam ſignum ſenſibile; ut ita ſignificatio ſenſibilis eſſe debeat principale conſtitutivum ſacrificii, uti eſt Sacramenti, reſpondet: *Ad ſecundum negatur etiam ſequela, quia Chriſtus eſt, qui principaliter conſecratur in Dei honorem: ſpecies verò comparantur ad ipſum, ut accidentia ad ſubſtantiam; ſicut in ſacrificio Agni Paſchalis, v. g. Agnus ſecundum ſubſtantiam principaliter offerebatur; quamvis neceſſarium omnino eſſet, illum eſſe ſuis accidentibus affectum, ut eſſet res apta ad humanum ſacrificium; quapropter non eſt eadem ratio de Sacramento ut ſic, & de ſacrificio, quoad rem oblatam: nam Sacramentum dicit formaliter rationem ſigni, at verò in ſacrificio ſignificatio potiſſimum eſt in ratione ſacrificandi. Hoſtia verò, ſeu res oblata, principaliùs eſt res ipſa, quæ offertur, in qua magis conſideranda eſt dignitas, & valor, quam accidentia ſenſibilia.* Ubi expreſsè docet, Sacramentum per ſe primò, & veluti ex propria formali ſignificatione importare rationem ſigni; ſacrificium verò ſignificare per ſe primò, includereque formaliter rationem immolandi, aut conceptum ſacrificationis. Eamdem doctrinam amplectuntur, tamquam Waldenſis propriam, Salmanticenſes tract. 23. de Euchar. diſp. 2. dubio 2. §. 1. num. 21.: *Sacramentum pro formali importat ſignificationem; in ſacrificio autem principaliter attenditur res oblata .... ſed quia res oblata non conſiſtit principaliter in ſpeciebus, ſed in Chriſto ſub eis contento; propterea, & non immeritò affirmat Waldenſis, hoc venerabile ſacrificium eſſe verum Chriſti Corpus in recto ſub forma panis, quam connotat in obliquo*. Et re ipſa eſt doctrina Concilii Trident. ſeſſion. 22. cap. 1. ajentis: *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earum rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcipit*, apertè docens rem oblatam, Victimamque eſſe Corpus Chriſti Domini contentum ſub ſignis ſenſibilibus, non verò ſigna ipſa ſenſibilia, niſi minùs principaliter, & quaſi de obliquo, quà continet, & ſignificat ſenſibiliter rem oblatam; atque adeo à fortiori ejus oblationem, ſacrificationemque, non earum ſignum.

Promovet hoc ipſum Cardin. de Lugo diſp. 5. de Euchar. ſect. 3. & quidem agens de Sacramento Euchariſtiæ, in quo apud omnes ratio ſigni ſenſibilis, potiùs quam in ſacrificio, attenditur; & nihilominus docet, ſpecies, ſeu Symbola ſenſibilia conſtituere de obliquo (quamquam intrinſecè eſſentialiterque), ſeu minùs principaliter Sacramentum. A' fortiori igitur ita conſtituit ſacrificium: refertque pro eadem ſententia, Echium, Claudium Sainctes, Alanum, & Sylvium: ejuſdemque proculdubio fuit Satyrus lib. 1. de Sacramentis cap. 1. q. 10. art. 6. ad ſeptimum; & ſaltem quod utrumque pro recto conſtituat Sacramentum, docet communis opinio Theologorum, indignum reputans Majeſtate Chriſti Domini, eſſe obliquum illius divini artefacti, in cujus viſceribus phyſicè reconditur ipſe, qui eſt ejus opifex; maximè cum Sacramentum illud fuerit per ſe primò inſtitutum ad cibandos fideles, & caro ejus ſit verè cibus.

Num. 59. Profecto, quantùm attinet ad ſacrificium, duriſſimum videtur, planèque incredibile, immolationem, oblationemque Chriſti Domini, qui eſt res oblata, & ſacrificata, ita conſtituere ſacrificium incruentum, ut ſigna ſenſibilia illius immolationis (ſive illa conſiſtat in actione conſervativa miraculoſa, ſive in actione interna elicita à Chriſto Domino), & Chriſti Domini immolati, conſtituant principaliùs ipſum ſacrificium; cum prædicta Symbola ſint unicè ſacrificatio in repræſentatione, & Victima in imagine: ubi autem concurrunt ad ſacrificium conſtituendum vera ſacrificatio realis, & repræſentatio ſimul ejuſdem, aut ſignificatio ſenſibilis; quænam ex illis debet potiſſimè, & veluti in recto conſtituere eſſentiam ſacrificii, realem Victimæ immolationem eſſentialiter, omnium Gentium votis, poſtulantis? Certè ſi realis foret per ſe ſenſibilis; repræſentatio nullo pacto conſtitueret, nec cum reali contenderet. Id quod non tantùm probat, de principalitate in eſſe rei, ſed formaliter in eſſe quoque ſacrificii. Quandoquidem formalitas immolandi, aut immutandi realiter Hoſtiam, eſt propria, peculiariſque differentia ſacri-

ficii

ficii à pura oblatione, (per quam tanquam per genus proximum debet definiri, potiùs quàm per rationem ſigni; quippe quod eſt genus remotum, ut ſapienter monet Vaſquez ſupra): proindeque eſt eo ipſo potiſſimum conſtitutivum illius in ratione ſacrificii. Et quamvis in ratione ſigni ad placitum conſtituatur per actum voluntatis Chriſti Domini moraliter perſeverantem, & imponentem rebus illis eam ſignificationem, non efficit tamen actus ille, ut ſignum ſenſibile ſacrificationis, & Victimæ ſacrificatæ (dum illæ per ſe ipſas ſenſibiles non ſunt) reddantur verè, & propriè ſacrificantes, ſed in ſigno tantùm, & repræſentativè; atque adeo nequaquam facit, quod potiſſimum conſtitutivum ſacrificii ſtrictè talis non ſit actio realiter immolans, & offerens Victimam, ut terminum ſacrificationis. Ubi notandum diſcrimen inter ſacrificium incruentum, & Sacramenta; quæ licet ſignificent gratiam, ſintque formaliter gratia in ſigno poſſunt optimo jure ſymbola conſtituere adæquatè, aut principaliter, Sacramentum: quoniam gratia ipſa ſignificata, & verè talis, non conſtituit Sacramentum, ſed eſt effectus illius. Verùm ſacrificatio realis Victimæ ſignificata conſtituit eſſentialiter ſacrificium per ſe primò inſtitutum ad proteſtandum reali immolatione Hoſtiæ Dominium Dei, ſubindeque principaliùs ſigno ipſo immolationis conſtituere debet ſacrificiùm.

Neque in contrarium urget, exemplum Sacramenti Eucbariſtiæ ſignificantis Corpus Chriſti Domini, quamvis hoc conſtituat etiam Sacramentum; & tamen ſignum conſtituit illud principalitèr. Siquidèm ideo quamplures opinantur, Corpus Chriſti Domini eſſe potiſſimum in ea Sacramenti conſtitutione. Alii verò ideò ſpecies cum ipſo conſtituere pro recto admittunt, quoniam ultra ſignificationem corporis ſignificant etiam gratiam, non conſtituentem Sacramentum per ſe, ſed in ſiguo ſuo. Deindè Sacramentum per ſe primò ſumitur per ordinem ad nos; Sacrificium verò per ordinem ad Deum. Si tandèm ſubjicias, ſignum illud non conſtituere ſacrificium, quatenus metaphorica immolatio eſt in ſeipſo, ſed quatenùs immolationem realem veram facit nobis viſibilem ſua ſignificatione, ſine qua verum ſacrificium minimè foret. Reponam, ſacrificium verè, & propriè acceptum importare quidèm eſtentialitèr ſenſibilem illam ſignificationem, per quam fit nobis viſibilis vera immolatio; vel in actione conſecrativa, nobis occulta, ſita; vel in actu interno Chriſti Domini; hoc omninò fatemur, tamquam ſide certum; quoniam verò ſacrificium primò, & per ſe acceptum non ſignificat utilitatem noſtram, nec deſumitur primariò per ordinem ad nos, ſed per ordinem ad Dei honorem, cujus ſupremum Dominium reali victimæ immolatione proteſtatur; ſecundariò autem ſanctificationem noſtram, & in Cruce redemptionem; idcirco ex utroque illo conſtitutivo eſſentiali dicimus præcipuum illud, quod ſacrificat victimam Deo, non autem ſignum, per quod nobis redditur viſibile.

Præterea, quà ſignum eſt repræſentatio nuda illius ſacrificationis, nequit in conſpectu realis ſacrificationis æquè primò conſtituere ſacrificium, quà ex primario ſuo conceptu proteſtatur principatum Divinum, aut jus in vitam, & mortem, ut oſtendam mox. Ergo nullo jure, aut titulo eſſe valet potiſſimum conſtitutivum ſacrificii, quantumvis Sacramenta conſtituat potiſſimè, ſive adæquate reliqua, ſive, inadæquatè ſaltem, Sacramentum. Euchariſtiæ; quia illorum conceptus formalis primarius revocatur ad rationem puram ſigni ſacri ſignificantis, & cauſantis gratiam, tamquam ipſius effectum proprium; in nudo autem rei ſigno, quis aliud potiſſimè quærit, niſi rei imaginem, ad vivum quidem ſculptam, cæterum vita reſpirante ſolùm metaphoram? Deſideras adbuc lucem uberiorem? Hauri evidentiam ex ſacrificio Crucis, quod, apud Theologos paſſim, ſenſibile factum eſt per ipſas interfectorum ſacrilegas actiones. Viſne, efficere rectum aut principale ejus conſtitutivum, ſacrilegium omnium maximum? Vis deturpare in præcipua ejus parte oblationem illam, quæ mundavit genus humanum?

Num. *60*. Ex dictis colliges diſcrimen inter ſacrificia vetera, in quibus realis ipſa immolatio victimæ erat per ſe formaliter ſenſibilis; quia ſita erant purè in *agere*, immolando activè Hoſtiam ſenſibilem per ſe; & noſtrum, quod eſſentialiter involvit *pati* etiam; & ex conſequenti actum internum immolantem realiter diſtinctum à ſigno externo, per quod ſit ſenſibilis, tam in Cruce, quàm in altari (tametſi terminus ſacrificatus in Cruce fuerit in ſpecie propria, in altari verò ſub aliena). Illa namque cum includant actionem, aut ſacrificationem externam ſeipſa viſibilem, ſeu viſibiliter immolantem; & cum aliunde actio immolandi realiter Hoſtiam ſit prædicatum differentiale diſtinguens ſacrificium à pura oblatione, offerente quidem, ſed non immutante realiter rem oblatam; neceſſariò dicunt in recto in ſenſu reali actionem externam ſenſibilem, & in hac acceptione non infrequenter dicitur ſenſibilitas illa in concreto, ideſt actus ille externus potiſſimum conſtitutivum ſacrificii. Quoniam importat per ſe in recto actionem immolandi; & aliunde hæc in eis ſacrificiis, eſt per ſe externa, & ſenſibilis. Quamquam reipſa ratio formalis à priori, illius recti adhuc, eſt conceptus immolationis, quæ in illo determinato genere ſacrificii eſt externa, & ſenſibilis ex ſe: conſequenterque in ſenſu formali, & tribuendo ſingula ſingulis formalitatibus, formalitas actionis, quà uuiverſim immolantis, conſtituit pro recto, aut principaliter. Sacrificia verò, quæ includunt eſſentialiter *pati* ipſius Sacerdotis

ſacri-

ſacrificantis ſelpſum; cum ex alia parte nequeat actione externa agere in ſe, ſeque interficere licitè (nec deceret ipſum Chriſtum Dominum) à fortiori actio ſacrificativa debet eſſe internus actus, qui ex aliqua ſuppoſitione, per quam reddatur juxta, ſanctaque, immolet. Exinde autem, ſequitur, præfatam actionem diſtingui realiter à forma, per quam fit viſibilis, ac proinde ſignificatio ſenſibilis non eſt tunc realiter conſtitutivum in recto, ſed minus principale, eo quod ſenſibilitas ſignificationis ordinetur per ſe ad nos, noſtramque utilitatem, ſacrificatio verò ordlnetur per ſe primò ad proteſtationem ſupremi dominii in res omnes, & ratione illius eſt ſacrificium ſimplieiter, ut certum eſt.

Accedit 3. alia ratio: quoniam ſignificatio ſenſibilis, dum actio ſacrificativa eſt actus internus ab illa diſtinctus, non ſignificat immediatè excellentiam Divini principatus, ſed medlatè ſolum, quatenus ſignat actionem internam immolantem in proteſtationem illius divinę excellentię, quam ſignificat immediatè, quia immolat victimam in argumentum poteſtatis ſupremę, & proprię ſubjectionis. Hinc colliges, ſignum illud externum non conſtituere ſacrificium, quatenus ſignificat cultum internum abſolutè, quicumque ille ſit; quoniam cultu internus ut ſic, & univerſim, eſt ſacrificium impropriè acceptum, & nullatenus per ſe conſtituens partialiter ſtrictum ſacrificium: immò, & interdum nullus adeſt actus internus, pręter actum intenſionis præcedentem, & virtualiter ſolùm perſeverantem, quæ extra ſacrificii eſſentiam eſt. Sed unicè dum ſignificat actum internum, cultumque activè immolantem victimam.

Quarto: quia ſacrificium propriè conſiſtit eſſentialiter in fieri, ut profitemur omnes; fieri autem dicit in recto actionem ipſam ſacrum facientem; & cum aliunde factio ſacri, & ſacrum ipſum per ſe primò tendat in Deum, neceſſariò conſtituit principaliùs quàm ſignum, per quod *fieri* illud redditur ſenſibile nobis; cum ea ſenſibilitas feratur per ſe primò in nos, & ea tantum ratione conſtituat ſacrificium, ut ſcilicet viſibili quodam ſacrificio uniatur viſibiliter, & nobilitetur Populus Chriſtianus (licet ſenſibilitas Victimæ cedat in honorem Dei, quia illa etiam ſacrificatur, dum per ſe fit ſenſibilis). Quapropter etſi in compoſitis artificialibus partes omnes conſtituant in recto, ut tradit Doct. Eximius diſp. 42. ſect. 4. *fieri* tamen illius apud omnes importat in recto ſolam potius actionem. Quintò: quamvis ſignificatio ſenſibilis eſſet forma in recto conſtituens, in re tamen noſtra non reperitur ſenſibilitas ſignificans per ſeipſam, ſed ſola ſenſibilitas realiter diſtinctæ ſignificationis. Ratio eſt: quia actus ille internus immolans ſignificat ſeipſo formaliter excellentiam Dominii Dei in vitam, & mortem, & hoc eſt apud omnes primaria ſacrificii ſignificatio; non ergo conſtituitur actus immolans per ſignum externum in ratione ſignificationis, ſed conſtituit ejus ſignificationem in ratione ſenſibilis tantùm; niſi medlatè ſolùm, quatenus facit viſibilem ſignificationem illius Dominii, vel actionem ut ſignificantem. Deficit ergo in ea forma viſibilitatis ratio ſignificationis, quæ eſt præcipuum conſtitutivum illius in ratione formæ. Solùmque pollet utraque, quà ſignificat immediatè ipſam actionem, dominium ſeipſa ſignificantem.

Sextò: quamquam concretum ſubſtantiale importet in recto formam, ſecus verò concretum, aut compoſitum accidentale, cujuſmodi eſt ſacrificium, ut docet paſſim Philoſophia, in illo enim ſubjectum primas fert in ea compoſitione. Ergo licet ſignum externum ſit forma ſignificandl ſenſibiliter, per quam actio ſacrificativa, & Hoſtia ſacrificata ſignificant ſenſibiliter divinam excellentiam; cum ſint eo ipſo ſubjectum ſignificationis, erunt à fortiori rectum ſacrificii. Sive idipſum dicendum ſit de Corpore Chriſti D. in ordine ad Sacramentum Euchariſtię, ſive non, quia alio titulo impediatur. Septimo: quia alioqui ſacrificium incruentum quà tale, & ſub ratione formali ſacrificii, eſſet etiam Sacramentum, quod eſt diſſonum; patet attamen, quoniam nonnulli cum Gabriele, Corduba, Card. Toleto, Marchino, Machado, Leandro, & utroque Soto (quibus ea opinio paſſim attribuitur) exiſtimant ſacrificium cauſare gratiæ augumentum ex opere operato in eo, cui ſpecialiter applicatur: reliqui verò docent, habere vim illam impetrandi. Ergo ſi aliunde ſignum ſenſibile ſacrificii ſit illius conſtitutivum in recto, nihil illi deeſt ad eſſentiam Sacramenti formaliter participandam ſub ratione ipſa ſacrificii: ſecus autem ſi rectum ſacrificii ſit ſacrificatio ipſa, & terminus ſacrificationis.

Ultima tandem ſolutio, & omnes difficultatum tenebras fugans, permittit doctrinam argumenti; illâ tamen permiſsâ, adjungit, formam illius ſignificationis ſenſibilis eſſe volitionem Chriſti, aſſumentem ea ſymbola ad ſignificandam ſacrificationem, oblatlnuemque internam, & rem oblatam; & aliunde ea volitio, non ſolùm eſt eadem numero pro omni ſacrificio incruento; verùm pro cruento, & incruento ſimul, quantumvis ſigna externa utriuſque ſint longe diverſa, ut & ritus; quemadmodum ſupra fusè declaravimus, eumdem actum immolationis complere eſſentialiter urrumqne ritum. Proindeque etſi permittatur, ſignum ſenſibile conſtituere in recto ſimul cum immolatione, & in re oblata ſacrificium; cum ejus forma ſit eadem realiter in omnibus, & rurſus eadem numero immolatio, & Hoſtia immolata, evidenter ſequitur, ſacrificium omne eſſe idem numero ſimpliciter, & ſolùm diſtinctum ſecundum quid; præſertim cum non exigat determinatè unumquodque hęc numero ſymbola, potiùs quàm alia (quantumvis quodlibet exigat ſigna cruenti ut ſemel actu ſignificantia, & jugiter alia incruenti vagè ſum-

ſumpta). Remanet igitur ſarta tectaque unitas numerica ſacrificii ad modum unitatis ſummi Sacerdotii: qua ſacrificii unitate replicata, florenteque per orbem, omnia tandem in unum, unitatemque religionis, & veritatis convenient:

Unus erit toto naturæ vultus in orbe.

Num. 65. Objicies octavò, ſequi ex noſtra ſententia, nec ſacrificium cruentum ſeorſim ab incruento, nec incruentum aliquod diviſim à cruento uſurpa um, eſſe unum numero in ſingulari ſacrificium completum, & individuum integratum. Illatio perſuadetur efficaciter: quoniam actio illa ſacrificativa conſtituens in recto ſacrificium, non ſolùm reſpicit eſſentialiter victimam, ut incruentè immolandam, ſed etiam ut cruentè ab ipſamet ſacrificandam, aut ſacrificatam; ſubindeque non tantùm reſpicit vitam actualem ipſius Chriſti Domini, ut auferendam ictu ſuo, verùm & vitam ſubſtantialem quoque: non reſpicit duntaxat offerendam, & immolandam ſub ſpeciebus panis, & vini, ſed inſuper in ſpecie propria, adeoque reſpicit ſymbola ſpecie diverſa. Ergo dum actu in Cœna noviſſima actio illa, ſive actus internus ſummi Sacerdotis inſtituebat, & conſtituebat intrinſecè ſacrificium incruentum, nondum efficiebat ſacrificium omninò in ſingulari individuo completum; quia nondum erat facta oblatio cruenta, quam poſtulat quoque eſſentialiter; ut exercendam per ipſam; quæque importat ritum, & ſymbola diverſa, quibus conſtituitur. Pariterque dum cruentum ſacrificium peragebat in Cruce, incompletum adhuc ſacrificium in individuo conficiebat, quia expetebat eſſentialiter exercitium immolationis incruentæ ſub diverſis ſymbolis, non modò ut jam factæ, ſed ut in perpetuum iterandæ ſub diſtinctis numero ſignis. Ex omnibus igitur ſacrificiis, tam cruento, quàm incruentis æternùm celebrandis reſultabit unum numero ex integro completum ſacrificium; quamquam partibus ſucceſſivis, tempore, & loco remotiſſimis, coaleſcens in immenſum, donec adveniat ultimum in extremo mundi tempore, quod præcedentibus reddatur undique integratum, ultra quod nullum ſit jam in divino decreto, aut mente. Quæ omnia aliena ſunt à fide, cum juxta illam, ſacrificium Crucis fuerit perfectiſſimum.

Hæc objecto, fracta jam ſupra, vires reſumit, dum pariter reſponſio noſtra integras ſuas exerit. Reſpondemus itaque, ſacrificationem illam exigere quidem diverſitatem tum rituum, tum ſignorum diſtinctionem pœne in infinitum, ſub quibus ipſa reproducta immolet indeſinenti motu eamdem hoſtiam; neutiquam tamen expetere illam, ut exercendam ſimul ſimultate propria temporis, altaris, loci, Miniſtri &c. Sed ſucceſſivè, aut non ſimultanea ſimpliciter immolatione: adeoque nequaquam poſtulare præfatam rituum diverſitatem, & diſtinctionem ſignorum (à quibus putamus reddi ſacrificium ſecundum quid tantùm diſtinctum), ut complentem hic & nunc omne numero ſacrificium; ſed unicè ut complentem materialiter hoc idem ſacrificium, dum in illa materia actu practico exerceatur, illudque diſtinguentem numero ſecundum quid à reliquis. Petit ergo formaliter repetitionem ſæpiſſimè iteratam ſuimet ſub diverſis ſymbolis, & ſub utroque ritu, itaut ſub uno ſemel tantùm poſtulet immolare Hoſtiam; ſub alio autem ſemper; conſequenterque, licet actio, dum cruentè immolaret actu in Cruce Hoſtiam pœnes utramque vitam, expoſceret immolare jugiter eamdem victimam pœnes vitam ſolùm actualem, nullatenus expetebat repetitam immolationem hujus, ut compleretur in Cruce per ſymbola, ſub quibus eam vitam incruentè immolaverat in Cœna, & immolatura eſſet in poſterum; uti nec è converſo, dum ſacrificabat ſolam vitam actualem in Cœna, & eſſentialiter poſtulabat immolationem utriuſque vitæ in Cruce, eam poſtulabat, ut completuram ſacrificationem incruentam in nocte præcedenti factam, & efficiendas; ſed illas exigebat formaliter, ut actio ſacrificans eſſe poſſet eadem numero ſemper, & ut idem numero ſacrificium iteraretur jugiter cum ſola diſtinctione materiali ſecundum quid intra lineam numericæ: cum tam hic numero ritus, quàm hæc numero ſigna ſufficiant ſe ſolis ad unum numero completum ſacrificium conſtituendum; quin ea ſolutione repetamus principium, ut exemplis, & ratione perſpicuum fiet. Quòd namque hic numero homo poſtulet phyſicè connaturaliter aſſiduam partium jacturam per nutritionem, & aliarum jugiter advenientium acquiſitionem, efficere, aut arguere valet, quòd ille numero homo conſtituatur hic, & nunc per partes illas amiſſas, & per alias in poſterum venturas? Arguit quidem eſſe ſecundum quid phyſicè diſtinctum in ſenectute à ſeipſo juvene, & viro; neutiquam verò, quòd modò ſit incompletum numericè individuum, ſed completiſſimum ex integro; mutabile tantùm ſecundum quid phyſicè, idem tamen, adhuc ſecundum quid moraliter. Uti nec arguit illud hic, & nunc compleri modo aliquo per partes adventuras, & alias, quæ jam fuerant amiſſæ, quaſi individuum partim ſucceſſivum, in unum aliquatenus coaleſcere faciens juventam, pueritiam, virilem ætatem, & ſenectutem. Id autem quod contingit in hoc numero homine permanente, contingeret pariter, licet ille deſineret eſſe frequenter, & frequenter etiam reproduceretur; ſemper enim eſſet unum numero individuum humanum completiſſimum, quamvis foret ſecundum quid diſtinctum, ſi reproduceretur cum novis illis partibus, quas comparaſſet per nutritionem, ſi permanſiſſet. Et ſanè id verum indubitanter foret, & ſi fingamus, illum exigere peren-

nem ſui reproductionem, ex ſuppoſitione quòd pereat; (ejuſmodi enim hypotheſes nullo titulo repugnantes, præſentium rerum veritatem ſuamet fictione demonſtrant).

Num. 62. Sic graves illi Scholaſtici, qui ab unitate corporis Domini deſumunt unitatem numericam ſimpliciter omnium Sacramentorum Euchariſtiæ ſub ſpecie panis, cum ſola diſtinctione ſecundum quid, neutiquam opinantur, ex omnibus exiſtentibus actu, præteritis, extituriſque ſpeciebus, aut ſignis, conſtitui unum numero Sacramentum, partim exiſtens, partim præteritum, & futurum partim. Neque rurſus unumquodque actu eſſe incompletum in ratione Sacramenti ſub ſpeciebus panis; ſed per has numero ſpecies, & verba, vel cum illis, conſtitui unum completè numero Sacramentum independenter omnino ab alio, vel potiùs à ſeipſo, quà ſub aliis numero ſignis extitit, & quà exiſtente, & extituro. Idemque foret tametſi Sacramentum exigeret eſſentialiter ſui perennem reproductionem, & replicationem, quemadmodum ſacrificium, ut patet ex dictis. Quin, & reipſa Chriſto Domino titulo unionis, ex ſuppoſitione Inſtitutionis Euchariſtiæ præſertim, debetur ea replicata exiſtentia Sacramentalis in quamplurimis locis, ut ex Doct. Seraphico, & aliis diximus diſp. 2. Immo ipſa volitio inſtituens Sacramentum, & ſymbola ea aſſumens ad ſignificandum, fertur eſſentialiter in eam replicationem, reproductionemque Corporis, & Sanguinis, eſtque eadem in omnibus, & conſtituit per modum formæ ſignificationem, & ex conſequenti Sacramentum. Sic etiam ſi per hypotheſim aliam non repugnantem, divinitus, deſtructis ſpeciebus ſacramentalibus, iterum reproducerentur unà cum ſubſtantia panis deſtructa, reproducerentur ipſa verba prolata, dum priùs illa hoſtia conſecraretur, eademque actio conſecrativa; ut iterum conſecraretur (non enim ſpecies illæ ſemel deſtructæ renaſcerentur conſecratæ, quibus deberetur præſentia realis Corporis Chriſti Domini, niſi denuo Hoſtia conſecraretur; quia conſecratio deſinit ſimul cum ipſis; & quia inhærerent iterum eidem ſubſtantiæ reproductæ ſimul) eſſet idem numero undique Sacramentum completiſſimé, ſive quod præceſſiſſet, ſive quod ſubſequeretur, quin conſtitueretur primum per ſui iterationem, nec ſecundum per ſui præexiſtentiam; licet confingamus, reproductionem omnium illarum rerum exigi ab eiſdem. Sic natura divina, etiam ſecundum quod cum Paternitate conſtituit Patrem, exigit conſtituere ſimul Filium, & Spiritum Sanctum, & Paternitas refertur per ſe ad filium, quin propterea Pater deſinat eſſe Perſona completiſſima. Niſi quod in exemplo Perſona eſt abſolutè diſtincta in ratione Perſonæ; quia Paternitas conſtituit in recto Perſonam; in re verò noſtra, cum actio ſacrificativa ſit rectum, & ſit eadem numero in omnibus ſacrificiis, ſolùm poteſt differre unum ſacrificium ab alio numero ſecundum quid. Sic natura Platonica (ut per rem fictam explicemus veram), ſi exiſteret realiter, quà exiſtens per identitatem cum ſingularitate Petri, conſtitueret individuum humanum completum, & undique integratum, etiamſi natura exigeret eſſentialiter non ſolum pluralitatem aliarum ecceitatum, ſed multitudinem, tum exiſtentem, tum ſucceſſivè extituram; quantumvis differret exemplum in eo, quod ſingularitas in illo foret conſtitutivum pro recto individui; verùm in ordine ad illationem noſtram evincendam idem prorſus eſt.

Neque refert, quòd in ſacrificio cruento terminus *à quo* ſit utraque vita; in jugi verò actualis ſolùm: quandoquidem immolatio ipſa, utpotè actus phyſicè, & intentionaliter vivens, amplitudiniſque idcirco longè fuſioris, utrumque terminum poſtulat ex omni ſacrificio, licet non utrumque, ut exercendum ſemper unà, ſed ſucceſſivè; ità tamen, ut ſub uno ritu utramque ſemel tantùm ſacrificet, ſub alio verò indeſinenter unam. Verùm, & dum utramque ſemel immolabat, exigebat eſſentialiter immolare deinceps, & jugiter, unam: & dum hanc tantùm immolat incruentè, petit eſſentialiter immolaſſe ſub ritu cruento utramque. Semper ergo retinet eaſdem formalitates, eoſdemque formaliter reſpectus, & eodem modo; conſequenterque ſemper eſt formaliter eadem. Neque commigrat de ſacrificio in ſacrificium, ſed renaſcitur in unoquoque, exigua cum rerum mutatione avis illa unica, & peregrina, cujus nidus altare eſt, & inter odores incenſi, aromatumque reviviſcit, & fabulam exuit.

Num. 63. Replicas: exigentia illius actus non expletur, aut ſatiatur ſacrificio celebrato ſub uno tantùm ritu, & immolante unam tantummodo vitam: ergo remanet incompleta, dum ſub uno immolat, donec immolet ſub alio; ſed actio illa eſt rectum ſacrificii: ergo ſacrificium ſub uno ritu duntaxat eſt incompletum. Immo & ſi actio, quà actus intentionaliter repræſentativus, omnia futura ſacrificia incruenta repræſentet in ſingulari, erit incompletum omne ſacrificium, ſolùmque ultimum erit completiſſimum. Fallax redargutio, & æquivoca; quoniam licet exigentia illius actionis, ſive immolationis non ſatietur abſolutè, quà ſacrificans ſub uno ritu vitam ſolùm actualem (in Cœna v. g.); ſatiatur tamen, & expletur in ordine ad illud ſacrificium, quod actu peragit, ſecundum quid diſtinctum; quia non exigit celebrationem alterius, ut complentis hoc numero, pœnes illud, quod erit in illo ſecundum quid diſtinctum ab hoc; quin oppoſitum deduci valeat ex ea exigentia, niſi velis repetere principium. Quemadmodum quòd natura divina prout in Patre exigat filiationem, ut cum illa conſtituat Filium, quin ſatietur

Pa-

Paternitate ejus exigentia abſolutè ſumpta, nequaquam arguit, nec ex præfata exigentia colligi rectè valet, exigere filiationem, ut conſtituentem ſimul cum Paternitate primam Perſonam, ſive ut complentem illam. Pariterque hoc ipſum declarat exemplum naturæ Platonicæ: cum ille actus ſe habeat etiam ad inſtar cujuſdam univerſalis actionis reſpectu ſacrificiorum. Poſtulat itaque ſui repetitionem ſub alio ritu, ut ſacrificium Sacerdotii æterni; ex conſequenti repetitionem ejuſdem numero ſacrificii, ut jam completi per aliquid diverſum, à quo redditur ſecundum quid diſtinctum ab eodem ſub alio ritu ad utramque vitam terminato, vel ſub aliis ſymbolis numero diſtinctis. Et, ſi opus foret, hoc ipſum poſſet exprimere idem actus, repræſentativus utriuſque ſacrificii, & omnium.

Ut verò præcaveantur alia objecta, animadvertendum, quòd ſi loquamur de ſacrificio redemptorio, ſive Crucis reduplicativè, & pariter de ſacrificio ut incruento, tunc eo ipſo per reduplicationem illam ponitur in recto prædicatum illud, aut prædicata, quæ conſtituunt ſolùm de obliquo, aut minùs principaliter ſacrificium, & ratione, quorum differunt ſacrificia numero ſecundum quid; adeoque ſub ea reduplicatione non ſolum numero ſimpliciter diſtincta concipiuntur, ſed & ſpecie diverſa, cum rectum quod reduplicatur, non poſtulet utrumque ritum, & aliunde in ſe ſit diverſæ ſpeciei. Cæterum ſacrificium ſecundum ſe, & ſpecificativè uſurpatum minimè dicit in recto, & ut potiſſimum conſtitutivum, ritum illum ſed actionem ſub illo immolantem, & offerentem; & inſuper conceptus redemptorii eſt aliquatenus illi extrinſecus; eo quod fuerit ex divina inſtitutione alligata redemptio Cruci, per quam merita omnia Chriſti Domini conſumanda erant: potuit quidem alligari ſacrificio incruento Cœnæ; decrevit attamen Deus, ut per violentam mortem exolveret, quæ non rapuiſſet, ut per violentiam illam regnum Cœlorum raperet, quod nobis concederet.

Num. 64. Objicies 9. actus ille in Cœna reſpiciebat paſſionem futuram, futurumque cruentum ſacrificium; cum verba illa, quæ ipſum fecere ſenſibile, loquerentur de tempore futuro. In Cruce autem reſpiciebat ſacrificium cruentum, ut præſens; nunc autem in altari ut præteritum. Et aliunde modus reſpiciendi objectum in actu intentionali immutabilis prorſus eſt, ut nnrunt omnes, cum ſit illi intrinſecus eſſentialiter, quamvis permittatur, actum aliquem intellectus tranſire poſſe de vero in falſum per ſolam mutationem extrinſecam objecti. Reſpondeo, actum illum nullatenus repręſentare ut præteritum ſacrificium ſub ritu cruento, nec ut futurum ſub incruento: uti nec è converſo, ſed exigere eſſentialiter immolationem cruentam Victimæ, ut ſemel exercendam, & incruentam ſemper ac Miniſter legitimus circa materiam panis, & vini proferat verba conſecrationis cum intentione debita, quia ut eſt actus, & actio Sacerdotii æterni, quà talis, poſtulat aſſiduam ſacrificii celebrationem per ſui reproductionem realem. Eſtque propterea actus, & exigens prætium redemptionis ſub uno ritu acquirendum, & ſub alio applicandum; quod fieri poteſt, licet præcedat applicatio, ut contigit in prima illius celebratione, dum inſtitutum fuit à Chriſto Domino pridie quàm pateretur. Licet ex alia Chriſti Domini intentione, & per alios actus ita fuerit ſtatutum, ſufficitque illos ſemel extitiſſe ad hoc, ut illum ordinem inducant. Sic Philoſophantur de ſignis ſignificantibus ſacrificium Theologi plerumque, & inter alios Eximius Doct. diſp. 76. ſect. 1. ait: *hujuſmodi ſigna non ſignificant rem præteriiſſe, vel futuram eſſe, ſed ſimpliciter repræſentant rem, ut imago crucifixi ſimpliciter repræſentat Chriſtum; nunc quidem Crucifixum præterito tempore: quia revera ita factum eſt: ſi autem fuiſſet ante tempus paſſionis depicta, ſignificaſſet Chriſtum Crucifigendum ex parte rei repræſentatæ, non autem ex parte imaginis.* Utrobique igitur denominatio illa eſt extrinſeca, variaturque ſolùm, quia immutatur ſtatus rei repræſentatæ; non quia varietur actus repræſentans, aut Symbolum externum. Neque erit improbabile multis, ordinem illum repręſentari aliquatenus poſſe intentionaliter per actum (aut complexum) illum utpote ſpiritualem, & ſummæ amplitudinis, quamvis ſit eadem ratio formalis immolans ſub diſtinctis illis temporibus.

Quidquid tamen de hoc ſit, longè majorem proculdubio difficultatem præſeferunt verba illa in conſecratione Calicis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, cum ſint per ſe determinata ad ſignificandam effuſionem Sanguinis futuram; & cum modo illa proferimus, Sanguis effuſus eſt de præterito, ut nunquam in futurum ſit iterum effundendus; quamtumvis illa non dicantur ſolùm hiſtoricè, ſed aſſertivè, & ſignificativè etiam, ut fatentur omnes, illi ſaltem qui cum D. Thom. illa dicunt eſſentialia conſecrationi Calicis. Et nihilominus, vel illa retrotrahunt ad noctem Cœnæ, vel ampliant ad ſignificandum illius effectum, vel mille aliis interpretationibus exponunt. Si verò effuſionem Sanguinis non jam in Cruce factam ſignificent per ſe primò, ſed in ſacrificio incruento, itaut *to effundetur* ſit idem, ut Janſenius explicat, ac pro vobis offeretur, ſeu libabitur. Idque ipſum egregiè probat, quin & oſtendit Cornelius à Lapide in cap. 26. Matth. ut & ex Ambr. in Pſalm. 37. lib. 4. de Sacram. habeturque in cap. *quotieſcumque* de conſecrat. diſt. 2. ex Theophilacto, Euthymio, aliiſque Patribus, quin ex ſeptima Synodo act. 6. colligunt Interpretes quamplures, & Theologi non pauci (quamquam obſiſtat acriter P. Vaſquez).

quez). Juxta banc, inquam, expoſitionem, deuuo firmaretur aſſertio noſtra circa ſacrificationem factam à ſummo Sacerdote, peracta conſecratione Calicis, & prolatione illorum verborum: *qui pro vobis & pro multis effundetur*: quia cum ſemper ſit poſterior ſacrificatio verborum prolatione, ſemper de futuro ſignificant, & quidem etiam in ultimo ſacrificio, quod in mundi excidio celebrandum eſt, ſemper eorum ſignificatio vera literaliter eſt; & per illam ſacrificationem incruentam repræſentatur effuſio præterita, & in Cœna ut proximè futura, abſque ſimili difficultate, cum non ſit eadem, ſed multo diverſa, ſignorum repræſentatio, cum ſignificatione propria verborum, ut docuit in loco nupero Doct. Eximius. Et ſanè cum ſacrificatio incruenta repræſentet cruentam effuſionem, & cum aliunde incruenta repræſentatio ſemper ſit poſterior prolatione eorumdem verborum (licet proximè futura, & ideo ſignificatur apud Lucam traditio corporis, ſeu oblatio, & à Græcis ipſa ſanguinis effuſio de præſenti) ſemper effuſio cruenta, ut repræſentata, eſt reipſa de futuro, licet valde proximo; quia adeſt ſummus Sacerdos, nondum quidem ſtricto gladio, protinus tamen in ſeipſum ſtringendo.

Num. 65. Decima objectio opponit nobis actum illum, per quem Chriſtus Dominus ſe in Cruce ſacrificavit, qui neceſſariò fuit aliquatenus doloroſus in ſeipſo, vel præſuppoſitivè, & in radice præcedentium actuum mæſtitiæ. At ille actus numero reproduci modò nequit, cum ſit Chriſtus Dominus in ſtatu glorioſo, incapaci luctus, & triſtitiæ; nec rurſus ille numero actus, etiamſi præſupponatur in ſeipſo expers doloris, reproduci valet, quin pariter reproducantur præcedentes illi, è quibus ortum trahebat: ergo actio, qua ſe mactavit in Cruce, eſt à fortiori realiter diſtincta ab ea, qua ſe offert, & immolat in altari. Reſpondeo: prædictam actionem vitalem nihil triſtitiæ, aut doloris continere, ſed ſpirare tantùm cultum ſupremum erga Deum, & deſiderium reparationis mundi ſecundariò, utrumque autem objectum erat Chriſto Domino gratiſſimum. Quapropter nec phantaſia per converſionem ad quam, vel cujus etiam concurſu, ſupponimus elicitam cognitionem dirigentem (ut ſit actio propria Sacerdotis, quæ debet eſſe hominis formaliter) mæroris aliquid includebat ob ſimiles cauſas. Quamquam etiam plurimi alii profundioris triſtitiæ actus præceſſerint in Paſſione, qui vitam ipſam guttatim liquidarent, ita ut cuncta ferè adyta ſanctiſſima illius animæ, ſenſuumque internorum inſolito quodam horrore nigreſcerent; nullum tamen verum influxum ſortiri debuerunt in actum ipſum immolationis (quin & concurſus ille phantaſmatis in cognitionem ita exponitur à pluribus, ut cognitio non pendeat eſſentialiter ab hoc numero, ſed ab hoc, vel ab alio, cum ſit concurſus activus. Adeoque poſſet per alium actum phantaſiæ ſuppleri modò defectus illius; dummodo actio ſacrificativa non conſtituatur intrinſecè per illud phantaſma, quà dicit complexum quorumdam actuum; ſed merè præſuppoſitivè ſe habeat). Præſertim, cum juxta aſſertionem noſtram actus ille fuerit idem numero, qui priùs in Cœna immolaverat incruentè; cum nondum ſæviſſimus ille mæror arcem ex integro occupaſſet; & aliunde eiſdem tantùm principiis per ſe requiſitis iteratò producitur, ac primò productus fuit.

Inſuper cum ex ſumma perfectione æterni Sacerdotii, & ſacrificii, dignitateque ſuprema Sacerdotis, deberet unicum, & ſingulare ſacrificium peragi; (ut probant noſtra argumenta ex Apoſtolo præcipuè) talis actio ſacrificativa ſeligi conſultò debuit, eiſque principiis & compartibus aſſociata, ut potuerit reproduci continuò ſub omni ſtatu. Sic & actus ferventiſſimus charitatis, qui aderat animæ juſti morientis, tranſmigrare valet, ut Theologi docent paſſim ad ſtatum gloriæ, quod eſt propriè migrare ad regionem amoris, ſubindeque Patriam repetere potiuſquam in peregrinam abire. Idcirco opportuniſſimè Chriſtus Dominus Marc. 14. confeſtim, ac ſacrificium Eucbariſticum celebravit, inſtituitque, dixit: *jam non bibam de boc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei*: & Matth. 16.: *cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*: per quæ verba intelligi viſionem beatam, gloriamque inſtar torrentis præcipitem, & ſimul æternum durantem, tradunt Patres ſæpiſſimè: maximè Origenes in cap. 26. Math. & Nazianz. ſerm. de Paſch.. Sicut igitur viſio beata permanet eadem numero ſemper, ita & actus internus qui eſt formaliter actio realiter ſacrificans, & offerens Chriſtum Dominum, tum in Cruce, tum indeſinenti motu in altari, ubi res oblata, & diſtributa fidelibus, eſt pignus ineſtimabile ejuſdem Beatitudinis. Quamvis enim actus ille internus ſacrificans æmulari nequeat viſionem beatam in perennitate numquam interrupta durationis; imitatur tamen ipſam ubicumque exercetur in identitate numerica, quia ſemper eadem refloreſcit, & ſub diverſis ritibus, formiſque aut ſignis, & altaribus ſummè inter ſe diſtantibus ſingularitatem ſuam numericam numquam exuit,

nec formas ſervat eaſdem
Sed tamen ipſa eadem eſt. Ovid. 15. Metam.

SECTIO QUARTA.

Undecima objectio, difficiliorque, aut durior præcedentibus, ex merito deſumpta; diluitur prorſus, dum perſuadetur, rationem meriti omni jure, & veluti conſequenter, debitam eſſe ſacrificio jugi, prout à nobis expoſito, & à ſummo noſtro Sacerdote immediatè phyſicè peracto; & nihilominus, nec id pugnare cum ſolemni Theologorum voto; nec cum ſtatu beatitudinis completo.

§. I.

Num. 66. PROFLIGANDUM ſupereſt robuſtius argumentum, horridiùſque libratum, non tantùm ad aſſertionem noſtram funditus ſubvertendam, verùm ad illam ſimul infamandam. Argues namque: ſi vera forent quæ ſtabilire contendimus præcedenti aſſerto, inevitabili conſecutione deduceretur, Chriſtum Dominum promereri denuò quotidie, quovíſque momento in altaribus; non jam merito ſolùm denominativè uſurpato ex eo quod promeruerit in Cruce, & priùs in Cœna, hanc ſacrificii incruenti numericam repetitionem, reproductionemque; ſed ſtrictè, & ſubjectivè per ipſammet actualem reproductionem illius actionis in Dei cultum, ſupremique ejus Dominii vectigal pretioſiſſimum, & perpetuum. Sed hoc ſive Scripturam Sacram, ſive Theologiam adire velimus, eſt omnino improbabile, quin & abſonum. Ergo removenda prorſus eſt aſſertin hujuſce abſurditatis origo.

Major oſtenditur primò: quoniam actus ille, qui iteratur, ut primò elicitus, & in Cruce reproductus, fuit ſimpliciter infinitè meritorius, & ſanè merito conſummato in ipſa Cruce per mortem: à fortiori ergò ſemel ac reproducendus ſit, pariter reproducitur ejus meritum. Patet conſequentia, tum quia ille ſupponit eſſentialiter ſuum meritum in prima productione, cum ſit actus juxta communem ſententiam, eſſentialiter liber, & cum prodiret à ſuppoſito meriti capaci tunc; & aliunde nequit non aſſerre ſuum prædicatum ibi intrinſecum, dum reproducitur, aut non reproduceretur idem numero, etiamſi modò reproducatur à Chriſto Domino extra viæ, ſeu viatoris ſtatum; cum enim ejuſmodi actus in prima ſui productione fuerit emiſſus à viatore, & in via natus, ſemper retinet odorem primævæ originis. Ex ſuppoſitione autem quòd Chriſtus ſit capax pro ſtatu præſenti beatitudinis eliciendi actum verè, & ſtrictè meritorium, neceſſariò eſt capax ſuſcipiendi denominationem actu merentis per ipſum; alioqui nequidquam illum produceret, vel reproduceret. Tum quia actum illum involvere intrinſecè rationem formalem meriti ſtricti pro illo ſtatu ſuæ primæ productionis in nocte Cœnæ, & reproductionis in Cruce, & non deferre ſecum eamdem ad omnem ſtatum; eſſet cadere à perfectione ſumma; conſtitueretque ſacrificium minùs Deo gratum, quàm olim fuiſſet, quantùm actus infinitè ſimpliciter meritorius excedit actum nulla meriti qualitate præditum, nec illius dignitatis capacem ratione ſtatus; cum aliunde tunc habuerit reliqua omnia, quæ modò poſſidet, dum reproducitur. Tum quia eatenus abſque ulla imperfectionis ſpecie actus, qui fuit meritorius, perſiſtere poſſet, quin perſeveret ejus meritum; quatenus aſſecutus fuerit terminum, ſive præmium, quod ſudore ſuo promeruerat, quia ultra metam non curritur: uti de actu charitatis elicito in via, & eunte ſimul cum anima in Patriam dici conſuevit; & aliunde hoc nequaquam verificatur in materia præſenti; quandoquidem juge ſacrificium, quod nunc conficitur ex conceptu formali ſuo habet, applicare efficaciter, ſive in actu ſecundo iis, pro quibus offertur, pretium ſacrificii incruenti: hæc autem applicatio minimè præſupponitur facta in actu ſecundo, ſed unicè in actu primo, & quoad ſufficientiam. Tum præterea, quoniam non alia de cauſa poſset non eſse meritorius actus ille, tametſi in origine talis fuiſset, niſi quia Chriſtus Dominus modò eſt in pleno ſtatu beatitudinis, incapaci meriti, cum ſit meta laborum, extra curſum, & agonem poſita; & aliunde hæc ratio, licet convincat, non poſſe Chriſtum Dominum aliquid ſibi promereri, nequaquam probat, non poſſe aliis in via adhuc errantibus mereri. Quemadmodum de Beatis pro nobis ardentiſſimè orantibus, & oratione demerentibus, tuentur plures Scholaſtici, quorum ſententiam promovet P. Vaſquez tom. 1. in 3. par. diſp. 82., & 1. 2. diſp. 21. ut ſic removeat à Chriſto Domino completè jam glorioſo orationem formalem, & impetrationem ſtrictam. Quod multò efficaciùs viget reſpectu actus reproducti, qui ſupponitur in ſuo primo ortu ſimpliciter infinitè meritorius. Unde licet nequeat modò eſſe meritorius reſurrectionis Corporis Chriſti Domini, ejuſque gloriæ, quia illam poſſidet actu, & de illa gaudet: ad modum quo appetitus deſiderii ita ineſt materiæ circa formam nondum poſſeſſam, ut tranſeat in appetitum gaudii, forma præſente; verùm reſpectu applicationis pretii in Cruce ſoluti, quæ nondum exiſtit in actu ſecundo, ſed fieri debet hic, & nunc per hoc ſacrificium, nulla eſt ratio juſta impediens curſum meriti pro illa in ſacrificatione reproducta, Exceſſiſſe igitur ſtatum viæ obeſſe nequit ſimpliciter merito actuali reproductæ actionis immolantis. Uti nec impediri valet per defectum, aut non exiſtentiam Divinæ promiſſionis: tum quia juxta plauſibilem opinionem illa minimè

nimè exigitur ad meritum, ſed ſola dignitas Perſonæ, & proportio actionis ad præmium, ut fusè, & acriter probat idem Vaſquez 1. 2. diſp. 214. & 3. diſp. 225. & diſp. 230. Tum quia promiſſio illa in ordine ad illum effectum, qui per ſacrificium confertur ex opere operato, ſemper præſupponitur; cum id colligant Theologi ex Tridentino, ſitque doctrina fidei, ea bona indefectibiliter obtineri, obice non poſito, difficiliùſque eſt, effuſionem illam divinæ largitatis exiccare, quàm tumentis maris fluctus cohibere. Et quamquam argumentum hoc, uti & mox producenda pariter urgeant, etſi actio ſacrificativa elicita à Chriſto Domino foret numero diſtincta in omni ſacrificio, aut diverſa; ideoque opponi potuit etiam diſp. 4. opportuniùs tamen reſervata fuit in hunc locum, quia premit validiùs, ubi reproducitur eadem numero actio, quæ fuit meritoria ab incunabulis, & quia per illam tantùm ſtabiliri poteſt aſſertio ſtatuenda in præſentiarum. Cujus beneficio conciliatur meritum ſacrificationis cum ſtatu beatitudinis, itaut ſimul in portu exiſtat, & vela meritis pandat, dum immolat.

Num. 67. Minor autem multis demonſtratur; quamquam nonnulla probationi majoris partim opponantur. Namque ultra ſtatum viæ ex Divina diſpoſitione, nullum eſſe locum merito, præſertim de condigno, denuo eliciendo, etiam pro aliis, & univerſim, docent paſſim Interpretes, & Scholaſtici ex ſacra ~~pagina Eccleſ~~iaſtici 14. *ante obitum operare juſtitiam* Eccleſiaſtes 9. *Quodcumque poteſt agere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia eſt apud inferos, quo tu properas.* Quod de operatione meritoria intelligunt Patres, & Expoſitores. Clarius tamen (& ſeipſum apertè comprehendens) Chriſtus Dominus ipſe Joann. 9.: *me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* Ubi dilucidè affirmat, neminem, nec adhuc ipſummet, efficere poſſe opera meritoria, ſatisfactoriaque poſt mortem (alias enim operationes elicere poteſt anima ſeparata, ut eſt notum) & Apoſtolus 2. Corint. 5. *omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et ad Galatas 6. *dum tempus habemus operemur bonum.* Quare S. Thom. 3. par. quæſt. 26. art. 3. ad 1. diſſerens de Chriſto Domino inquit: *Nam ipſe fuit ſimul viator, & comprehenſor, ut ſupra dictum eſt. Et ideo quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi.* Et quæſt. 50. art. 6. inculcat eamdem doctrinam, cum aſſerit, mortem Chriſti Domini in fieri acceptam, fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ ſalutis; uſurpatam in facto eſſe, ſecundum quod jam facta erat ſeparatio corporis, & animæ, aliter ſentiendum: *Hoc autem modo,* inquit, *mors Chriſti non poteſt eſſe cauſa ſalutis noſtræ per modum meriti, ſed ſolùm per modum efficientiæ.* Idemque dixit de reſurrectione, & aſcenſione qu. 56. & 57. quia ſcilicet tunc deſierat jam eſſe viator. Ita etiam in 3. diſt. 18. & in 4. diſt. 15. ubi etiam Doctor Seraphicus, & Subtilis, Theologique ad unum omnes ferè, adducentes Auguſtinum, Hieronym. Chryſoſt. Origen. Theophilact. Magn. Gregr. & Primates alios Eccleſiæ, eaque certitudine tenendam eſſe hanc doctrinam credit Eximius Doctor tom. 1. in 3. par. diſp. 40. ſect. 3. ut §. *dico tertio*, dixerit. *Hæc concluſio eſt communis Theologorum, & ita certa, ut ſine temeritate in dubium revocari non poſſit.*

Quocirca, quod Patres frequentiſſimè protulerunt, è latere Chriſti Domini, lancea poſt mortem durè aperto, manaſſe Sacramenta, ut Ambr. lib. 10 in Lucam. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 26. tum contra Fauſtum lib. 12. cap. 2. tum tract. 15. in Joann. Chryſoſtomus, Cyrillus, & alii, intelligendum exiſtimant Theologi de vulnere illo, ut præviſo antecedenter ab ipſo Chriſto Domino, & voluntariè acceptato, vel ex illius liberæ acceptationis merito dicatur in toto rigore veritatis, fluxiſſe ex illo vitam noſtram per aquam, & ſanguinem, defuncto jam corpore, exeuntes (in quo ſenſu emanavit pariter ſacrificium incruentum, morte conſummante meritum præcedentis inſtitutionis). Vel per ſanguinem, & aquam decurrentes intelligunt Sacramenta promanantia ſignificativè duntaxat, non autem meritoriè; alioqui non jam ſolùm anima ſeparata, ſed & cadaver ipſum foret capax meriti, quod ſtultum eſt. Quinimmo reſpectu Chriſti Domini adeſt profundior hujus impoſſibilitatis radix, ipſa ſcilicet infinitudo ſimpliciter meriti morte conſummata, & ex omni parte completa; cui proculdubio derogaret omnis novi meriti exiſtentia, & facultas expedita ad illud producendum. Sic apud omnes fieret injuria ſacrificio Crucis, ſi ulteriori ſacrificio cruento opus foret ad mundi ſalutem: quin etſi unicè ex ſuperabundantia, & neutiquam ex neceſſitate perageretur; non tantùm quia improbus eſſet labor ille, ſudoreque largus ſanguinis; verùm, & quia ſumma undique amplitudo, majeſtaſque ſacrificii Crucis decreſceret in æſtimatione gentium, & in ſe etiam abſolutè; cum jam primum illud neutiquam foret per ſe neceſſarium, quia ſufficeret ſecundum, uti nec ſecundum ob ſimilem cauſam: nec utrumque ſimul, geminata morte rubeſcens, cum ſemel ac duo ſint poſſibilia pariter confici poſſent complura alia.

Quibus adde, nullum futurum undique infinitum, cum non exhauriret omnes formalitates extenſivè ſaltem ſacrificii cruenti. Propterea Apoſtolus in Epiſtola ad Hæbr., quam in præcedentibus expendimus, prolixè commendat magnitudinem ſacrificii cruenti à ſingularitate, inculcans, unica oblatione con-

conſummaſſe omnia: & pluralitatem ſacrificiorum à ſuprema dignitate, & excellentia Sacerdotii Chriſti Domini facundiſſimè repellens; & licet æquè æternum efficere videatur ſacrificium, ac Sacerdotium, utrumque tamen gemma ſingularitatis diſtinguit ab antiquis, tametſi quatuor gemmarum ordinibus in rationali Sacerdotis, dum conficeret, ſplendore nimio micantibus.

Num. *68.* Neque langueſcunt vires hujus diſcurſus exemplo repetitionis meriti Chriſti Domini per omnes ſuas operationes, dum viator eſſet, & quidem ab inſtanti primo Incarnationis uſque ad ultimum vitæ gemitum in Cruce; etiamſi vel unica illius operatio meritoria ſufficeret ad excutiendum ſervitutis duriſſimum jugum cervicibus humani generis impoſitum. Quandoquidem omnis illius operatio, licet infinitè meritoria, debuit conſummari ex Divina diſpenſatione, in Cruce, cui alligata fuerit libertas mundi. Et rurſus ob cuncta illa, quæ ſupra diximus, & otioſè in præſenti inculcaremus, cum non ſemel objectum hoc fuerit enervatum cum reliquis unitatem ſacrificii impetentibus.

Ad hæc, ſi ſacrificium incruentum, ſecundum quod modò conficitur immediatè à Chriſto Domino foret meritorium, neceſſariò eſſet, non tantùm meritorium ſimpliciter infinitè, ſed inſuper redemptorium etiam; tum quia meritum hoc non debet ulteriori ſacrificio Crucis conſummari. Tum quia ſupponit eſſentialiter, & repræſentat ſacrificium illud cruentum, ut conſummans quidem merita præcedentia, non tamen merita futura ipſiuſmet; cum potiùs illa concipi poſſent, & deberent conſummantia, aut complentia ipſum, utpotè poſteriora, & perpetuò ſibi ſuccedentia uſque ad obitum mundi. Ergo cum nullo alio cruento conſummari debeat, & ſit aliunde undique infinitum, à fortiori præditum erit vi redemptoria, quà hic & nunc in ara altaris incruentè ſacrificans, licet ſit eadem numero ſacrificatio, quæ extitit in Cruce, cum denuò ſit nunc meritoria. Hoc autem impune aſſeverari minimè poſſe, conſtat ex Tridentino expreſsè docente, per ſacrificium incruentum applicari ſolummodo pretium ſacrificii Crucis meritique cruenti.

Conſtat ſecundò: quòd alioqui non ſemel tantùm Mundus liberatus fuiſſet, ſed in omni ferè inſtanti id denuò fieret; contra quod Apoſtolus docuit Mundum ipſum. Conſtat tertiò ex eo, quòd Eccleſia ſæpiſſimè in orationibus, precibuſque, dum generis humani redemptionem attingit, loquitur ſemper de præterito: *quos pretioſo ſanguine redemiſti*; numquam verò de præſenti *redimis*. Ut notavit Eximius Doctor Diſp. 39. ſect. 3. ſin alitèr, etiam qui primam redemptionem deſpicerent, illaque nullatenus uti vellent; redimi nihilominùs ex integro poſſent, vindicarique à miſera tyrannide per novam redemptionem, quæ perenni copia flueret, pretium denuò ſolvens, aut comparans, & ſimul partim applicans. Quin opportunè occurreretur huic abſurdo per alligationem reparationis Mundi ad ſacrificium cruentum; quoniam indè concluditur ſolùm, omnia Chriſti Domini merita præcedentia ſortiri nequaquam potuiſſe effectum redemptionis, quantumvis ex ſe aliundè infinita ſimplicitèr, niſi prout conſumata in Cruce. Neutiquam verò probat, merita ſubſequentia per nullum cruentum conſummanda, & ex alia parte infinitudine ſimplicitèr ſumma prædita, non continere virtutem redemptoriam, quia eo ipſo eorum conſummatio à nullo cruento pendet. Repugnat ergò, ex ſuppoſitione, quod illa ſubſequentia verè, & ſtrictè meritoria ſint; quòd redemptio ſit alligata Cruci; (aut eſt jam conſummata de præterito in Cruce). Vel ex adverſo, ſi ſemel ſimplicitèr alligata eſſe debet redemptio Cruci, & non ſacrificio incruento futuro, implicat, hoc eſſe poſſe infinitè meritorium, ſubindèque nec eſſe meritum, cum operatio Chriſti Domini aut meritum continere non debeat, aut undique ſummum.

Ulterius, ſi ſacrificatio incruenta nunc ſit eadem numero, quæ fuit in Cruce immolans cruentè, neceſſariò reproducitur actus conſummans omnia merita, conſummatuſque, & ſolvens pretium redemptionis: ergo, licet reproducatur ſub alio ritu, producitur tamen ipſum meritum redimens, & à nulla ulteriore conſummatione pendens, aut meritum ipſum, cui alligata fuit redemptio: ergo poteſt denuo redimere ſub ritu incruento, ſicut poteſt denuò ſub eodem ritu ſacrificare: quemadmodum enim repetere incruentè eam cruentam (olim) ſacrificationem, eſt verè conficere ſacrificium, ita repetere ſacrificationem redimentem, erit actu iteratò propriè redimere. Ubi ergo veritas doctrinæ Apoſtoli? Synodi Tridentinæ? Et Eccleſiæ Sanctæ?

Num. *69.* Cedendum eſt viribus hujus argumenti, tum quà univerſim complectitur tempus hominibus ad merendum deſtinatum; tum quà etiam comprehendit Chriſtum Dominum; cæterùm ea tantùm parte, qua excludit meritum omne novum, aut ſuperadditum meritis ipſius in ſtatu paſſibili factis: quoniam in ea acceptione argumentum, tam authoritate, quàm ratione irreſiſtibile eſt. Id autem nequaquam obeſt aſſertioni noſtræ, quam modò paramus, ſed vaſtiſſimo potiùs maris ſpatio ab ea rupe diſtare, patebit ex ipſa, ex illiuſque ſolidiſſimis fundamentis. Opinamur itaque cum vera, & indubitata Theologorum ſententia, repugnare quidèm novum ſimplicitèr Chriſti meritum poſt emenſum ſtatum viæ; ſimul attamen aſſerimus, nullo pacto repugnare, ſed de facto jugitèr exiſtere reproductionem ejuſdem numero meriti, quod elicuit Chriſtus Dominus, dum ſeipſum obtulit incruentè in Cœna noviſſi-

ma,

ma, & cruentè in Cruce; atque adeò ſacrificium incruentum, quod nunc à Chriſto Domino, ut ſummo Sacerdote conficitur in altaribus per reproductionem ejuſdem numero ſacrificationis, quà immolavit ſeipſum in ſtatu viæ, eſſe actu de præſenti meritorium de condigno, quantùm eſt ex ſe, & in actu primo omnis præmii poſſibilis; in actu verò ſecundo, & quoad efficaciam illius effectus, quem reipſa applicat. Verùm ita meritorium actu, & practicè eſſe dicimus, ut nullum denuò præmium nec jus aliquod ſimplicitèr novum, aut titulum comparet; quoniam novitas hæc (quæcumque illa ſit) meriti offenderet in ſcopulum indigitatum ſupra, & ſanæ Theologiæ infenſum; ſed quemadmodùm eſt idem numero ſimplicitèr meritum, ſine addito meritorio, ita reſpondeat ipſi idem numero præmium, idemque numero jus, & titulus acquirendi illud. Quamvis enim ſacrificium Crucis promeruerit in actu primo ſolùm applicationem efficiendam modò per hoc ſacrificium incruentum; cæterum actus ille primus ſic eſt uſurpandus, ut veluti conditionatè ſit etiam meritum applicationis in actu ſecundo; quatenùs abſolutè meruit, ut interventu illius applicationis factæ per Sacerdotem ſubalternum in altari, conferatur illi, cui applicatur, fructus ex opere operato, tamquam planè debitus. Non proptereà tamen meritum hoc, ut reproductum eſt formalitèr redemptorium, tametſi reproducatur idem numero actus meritorius, qui operatus eſt redemptionem in Cruce: quandoquidem redemptio non erat affixa tantùm merito illi, ſive actui infinitè meritorio, ſed illi ut cruente immolanti, ex divino decreto: unde cum ritus ille cruentus neutiquam reproducatur, elicit quidem Chriſtus Dominus in altari meritum ipſum redemptionis, quia meritum conſiſtit ſubjectivè in actu ipſo interno; minimè tamen actum hic & nunc redimentem, ſed mere applicantem; quia illa denominatio, ultra productionem actus poſtulat ipſius ritus cruenti exiſtentiam de præſenti.

Hac doctrina excluduntur à ratione meriti reliqui actus eliciti à Chriſto Domino ex Euchariſtia, qui non conſtituunt formaliter actionem ſacrificativam; cum illi nequaquam eſſe debeant reproducti, adeoque numquam fuerunt per ſe meritorii, nec in ſtatu viæ eliciti: & cum aliunde requiratur per ſe ſtatus viæ ad merendum, & ille nullatenùs reproducatur, nec adeſt cauſa diſpenſandi, vel acceptandi, quæ reperitur in actu olim meritorio, & nunc reproducto; idcirco deſinunt eſſe meritorii, quin cadant ab hoc honore, quo numquam gaviſi fuere. At verò actus internus ſacrificans, cum ſit idem numero, qui fuit productus in ſtatu merendi, fuitque ſimpliciter meritorius, à qua altitudine cadere non debet, ac ſubinde debet cum ipſo reproduci ejus meritum. Maximè cum ſit potiſſimus actus eſſentialiter requiſitus ad munus ſummi, & æterni Sacerdotis obeundum: & cum meritum aliorum actuum, qui nunc primò eliciuntur, derogaret infinitudini meriti ſtatus viæ; ſecus autem reproductio ejuſdem numero meriti, dum expedit hanc fieri, ut in ſacrificio. Debetur itaque ex congruentia præfata actui reproducto diſpenſatio in lege requirente ſtatum viæ ad meritum, quæ non debetur reliquis actibus primò productis nunc. Et tandem ob alias diſcriminis rationes maximi ponderis infra deſignandas. Aſſertum hoc ipſa ejus probatione elucidandum eſt, ut eodem gradu muniatur, & declaretur, appareat, & clareſcat. Et ſanè ex hypotheſi hic præſupponenda, reproductionis in altari modò ejuſdem numero ſacrificationis, qua Chriſtus Dominus ſeipſum immolavit, tum in Cœna, tum in Sanguinea Crucis ara; ſubindeque ex ſuppoſitione, quod ſit ſimpliciter idem numero ſacrificium modò, ac tunc; immeritò denegaretur illi prærogativa, ſpoliareturque honore, quo non ſemel decoratum extitit, congruentiſſimèque concipitur vel hoc ipſum promeruiſſe, cum fuerit jus ſimpliciter infinitum ad omne præmium (etiam divinitùs ſolùm poſſibile), quod ipſum deceat, quodque ipſius meriti præcedentis infinitudinem non quatiat; uti fieret ſi reflexione ſua nimia promeruiſſet, quod per actus poſt reſurrectionem primò elicitos iterum mereretur.

Num. 70. Mutuamur primum fundamentum à doctrina inter Adverſarios frequentiſſima, agnoſcente infinitum ſimpliciter valorem in ſacrificio incruento, quam cum Magiſtro Cano, Soto, Cajetano, Sylveſtro, Doctore Eximio, & P. Vaſquez amplectuntur Moderni; & quidem tam intenſivè, quàm extenſivè, quantùm eſt ex ſe. Nequit autem eſſe valor ſimpliciter infinitus, ac proinde undique ſummus, ſi careat dignitate meriti, & vi ſatiſfactoria ex ſe, aut ratione ſui, quantumvis poſſideat vim impetrandi ſincathegorematicè infinitam. Siquidem valor actus eſt dignitas moralis ipſius, ſub ea autem linea, aut ratione formali comprehenditur meritum, & ſatiſfactio, æquè ac impetratio: immo quaſi per ſe primò duo illa. Ergo non poteſt dici valor ſimpliciter infinitus, cum proprietate ſermonis, ſi ultra vim impetrandi non gaudeat dignitate, & virtute promerendi, & ſatisfaciendi ratione ſui formaliter, & non tantùm ratione meriti in Cruce conſummati, quod applicat; ſiquidem hoc eſſet ſatisfacere ratione alterius præcisè; ſine quibus erit ad ſummum ſecundum quid tantùm infinitus valor, pœnes ſolam ſcilicet impetrationem. Et rurſus hujus impetrationis infinitudo ægrè explicabitur, cum impetratio propria ſacrificii ſit quoad efficaciam duntaxat; efficacia autem ſemper obtinet effectum limitatum.

Reſpondebis ex Doct. Eximio diſp. 79. ſect. 11. valorem eſſe infinitum ſimpliciter, quo-

quoniam ſacrificium eſſet infinitè ſatisfactorium, & meritorium, ſi reliqua neceſſaria concurrerent; deficit autem requiſitum extrinſecum ſacrificio (quamquam intrinſecum meritò); nempe ſtatus viæ. Sed contra, quia ſtatus viæ vel non eſt neceſſarius abſolutè ad merendum pro aliis, ut plurimi exiſtimant, vel adeſt ſufficienter pro eo actu ſacrificationis; vel ipſe, quà ſimpliciter infinitè meritorius ex ſe, & in Cruce conſummatus, meruit etiam diſpenſationem in ea lege pro ſeipſo (de quo plura infra).

Secundum fundamentum accipio ab argumento ipſo, quo communis Theologorum doctrina oſtendit, repugnare novum Chriſti Domini meritum poſt mortem: illud enim non præcipuè deſumitur ex carentia ſtatus viæ, cum Scholaſtici paſſim, inter quos acerrimè P. Vaſquez, contendant, Chriſtum Dominum meritoriè de condigno operaturum modò, ſive in Cœlo, ſive etiam in Euchariſtia, ſi ibidem oraret formaliter, aut offerret actu elicito ſacrificium, impetraretque; eo quod ſtatus viæ non reputetur ab eis Scholaſticis ſimpliciter neceſſarius ad merendum pro aliis; tametſi requiratur omnino ad demerendum pro ſeipſo. Inſuper, quia licet adhuc reſpectu aliorum exigeretur per ſe, adeoque ad omne meritum abſolutè, præſertim de condigno; Chriſtus Dominus tamen ſolutus foret ab ea lege, aut ordinatione generali, cum ipſe, etiam dum eſſet viator, eſſet ſimul comprehenſor; & nihilominus meruit ſibi, & nobis de condigno. Ergo dum comprehenſor eſt tantùm, poteſt nobis viatoribus mereri, licet non jam ſibi, utpotè completiſſimè in termino exiſtenti. Quamquam enim deſideretur ad meritum ordinatio aliqua divina, juxta D. Thomam 1. ſecundæ qu. 114. art. 1. corpore: *Et ideo meritum hominis apud Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præſuppoſitionem divinæ ordinationis*; hæc tamen debetur huic ſacrificationi ob congruentias prædictas, etiamſi reliquis actibus modò elicitis, & qui numquam præextitere, nullatenus debeatur; quia illorum novum meritum argueret defectum virium in merito conſummato in Cruce.

Præterea, licet requiratur diſpenſatio aliqua in lege communi præſcribente meritis ſtatum viæ; hæc ipſa debetur pariter huic actui. Neque rurſus potiſſimè depromitur ex defectu promiſſionis divinæ, quantumvis præſupponatur neceſſaria (quod inficiantur ſtrenuè iidem Theologi): ſiquidem exploratum eſt, ſideique doctrina notum, promiſiſſe Deum ſacrificii Euchariſtici celebrationi effectus quammaximos ex opere operato conferendos: ac proinde ſacrificans principalis potuit quamoptimè (quantum eſt ex hoc capite) illos promereri de condigno, ea promiſſione, aut pacto Dei præſuppoſito; immo etſi eorumdem meritum præſupponat, poſſet attamen novo titulo illos meruiſſe,

Accedit, eam promiſſionem eſſe debitam dignitati Perſonæ Chriſti Domini ſeipſa immediatè celebrantis, ſi aliunde eſt in ſtatu merendi, quamvis ſit extra ſtatum viæ. Uti & compertum apparet, illum meruiſſe in Cruce eam promiſſionem pro ſacrificiis in poſterum eliciendis; cum meritum illud fuerit undique ſimpliciter ſummum comparativè ad omne præmium poſſibile, ſitque adeo illimitatum quaqua verſum, ut licet exhaurire nequeat Theſauros omnipotentiæ, ex illis tamen expendere poſſet ſine menſura, & ſine termino; ubi enim duo ſimpliciter infinita decertant, utrumque vincit, quia nullum cedit.

Num. 71. Sumit igitur argumentum illud Theologorum robur ſuum validiſſimum ex repugnantia ſupperaddendi quidpiam novi meriti merito jam ſimpliciter infinito, & plenè conſummato per mortem; defectu cujus præcedentia Chriſti Domini in ſtatu viæ opera, tametſi infinita; in ordine tamen ad præmium reipſa obtinendum erant veluti incboata, donec morte perficerentur. Et rurſus ex præjudicio inde reſultante merito in Paſſione conſummato, & ſacrificio ipſi Crucis: quemadmodum enim aliud Crucis ſacrificium derogaret ſacrificio jam peracto ſemel, ſic & meritum novum irrogaret pariter injuriam magnitudini undique ſummæ meriti in Paſſione conſummati. Hæc autem ratio potiſſima nullas vires exercere poteſt adversùs aſſertionem noſtram, cum illa nihil novi meriti ſuperaddat, nihilque, cui aliquid debeatur ultra id ipſum, quod debetur merito Crucis: neque inſuper cui illud ipſum novo jure; & nihilominus eſt verè formaliter meritoria ſacrificatio, quia illi debetur illud ipſum, & eodem formaliter jure, quod debetur eidem quà primò productæ intra ſtatum viæ: ſubindeque reproducitur idem formaliter meritum, idemque planè jus, ut actu exigens idem præmium, & obtinens actu effectus illos, qui conferuntur ex vi ſacrificii. Sicut igitur repetitio ejuſdem numero ſacrificii nullum præjudicium affert ſecum ſibi ipſi, ut confecto præcedenter in Cruce ſub alio ritu, quantumvis illud afferret proculdubio novum aliud ſimpliciter, ſive ſpecie diverſum, ſive etiam numero ſimpliciter diſtinctum, ut ſatis probant ea omnia, quæ in præcedentibus dicta ſunt; ita nec iteratio aut reproductio ejuſdem numero meriti de condigno officere poteſt amplitudini in infinitum protenſæ meriti Chriſti Domini, ut conſummati per mortem, ideſt ſibi ipſi, ut in Cruce elicito, & completo. Neque infringitur ulla ex parte diſcurſus per repetitionem ipſam actionis meritoriæ ſacrificantis, quaſi neceſſariò ſequatur novum meritum ex ea ejuſdem meriti reproductione, diuturniorique ſubinde illius exiſtentia; ut perſpicuum fiet ex infra dicendis. Licet ſequeretur revera in quovis alio homine, qui actum amoris Dei ſemel productum, & de-

ſinentem, poſſet ad nutum eumdem numero reproducere; haberet ſiquidem æquale meritum, ac ſi parem alium actum amoris numero diſtinctum eliceret, ſi reliqua eſſent paria: eo quod actus ille amoris creſcere valet in infinitum in ratione meriti, novaque præmia comparare in ſtatu viæ; quod minimè reperitur in actu meritorio Chriſti Domini, de quo agimus.

Immunis ergo remanet aſſertio noſtra à memorata Theologorum cenſura, ab eorumdem præcipua argumentatione, & extra fulminis etiam jactum conſtituta. Quod probationis genus, & ſi negativum, attamen in materia ſubjecta vires accipit poſitivas, & ſanè egregias, removenteſque ingens illud meriti ſummi Sacerdotis in ſacrificando impedimentum. Dummodo namque oſtendatur, aſſertum noſtrum nullatenus impeti argumentis, quibus ſana Theologia repellit novam meriti rationem à Chriſto Domino, ut glorioſè pleniſſimè exiſtente modò, in tuto poſitum eo ipſo eſt, & extra notam omnem Scholaſticam conſtitutum; & oppoſitis dumtaxat ingeniorum ratiociniis, ſive argumentorum telis expoſitum, quibus patet etiam omnis opinio, & interdum quoque ipſa veritas, aut ſaltem ejus ratio.

Num. 72. Succedit alia non deſpicienda congruentia, ſecundaque probatio, quam haurio ex conceptu corporis myſtici, cujus eſt caput Chriſtus Dominus, & quidem corporis myſtici adhuc in via militantis; quin & convenientiſſimè conſideratur caput Eccleſiæ militantis, prout eſt in Euchariſtia, ſicuti diſp. præcedenti diximus: Ut enim inquit S. Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 20. *Quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium, cum ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus*. Sequiturque ex ſuppoſitione præcedentium aſſertionum propè omnium, quæ hactenus in hoc tractatu ſtatuimus, ex qua diſſerimus hic. Corpus autem illud, utpotè in via exiſtens, eſt omninò in ſtatu merendi. Ergo licet ejus caput ſit in ſtatu beatitudinis, verè tamen, & cum proprietate affirmari valet de conjuncto illo, aut ſuppoſito, coaleſcente ex corpore myſtico viatore, & ex capite glorioſo, illud, & eſſe ſimul in via, & in termino, in Patria, & in Peregrinatione. Sicut ergo Chriſtus Dominus comparatus cum corpore ſuo phyſico, dum eſſet in mundo, erat ſimul comprehenſor, & viator; & nihilominus potuit, & debuit promereri de condigno corpori ſuo reſurrectionem, dotes, triumphum, & nomen ſupra omnia exaltatum, licet attenta ſolùm ſuperiori parte animæ, tunc etiam beatæ, non poſſet mereri. Poterit conſimiliter, parique jure, quà caput eſt corporis ſui myſtici, & unum totum myſticum verè cum illo componens, mereri eidem corpori myſtico in agone, aut lucta ſe exercenti, & inſudanti, effectus omnes illi proportionatos, tametſi nec corpori ſuo phyſico, nec abſolutè ſibi jam mereri valeat. Non enim ad hoc verificandum ſufficit, quòd corpus ipſum myſticum eliciat operationes meritorias ex merito capitis in Cruce conſummato, præteritoque, niſi caput ipſum, quà caput eſt actu illius corporis, actu, & de præſenti, ſe exerceat etiam meritoriè, merito reſpiciente præmium unicè ut conferendum præfato corpori; quandoquidem id ſuadet ſatis congruenter inſinuata paritas; maximè cum in capite reſideat prima radix merendi, ſedeſque propria meriti, ex illoque deſcendat in membra. Id autem nullibi commodiùs verificari poteſt quàm in ſacrificio, quod peragit ipſe tanquam Summus Pontifex, & Eccleſiæ Sanctæ caput, offerens illud in perennem fælicitatem, & profectum ejuſdem Eccleſiæ, ſive corporis myſtici, immo, & offerens etiam ipſum corpus myſticum (ibidem apud omnes ſignificatum quoque) unà cum corpore, & ſanguine phyſico, & proprio.

Neque prorſus negligenda circumſtantia loci, in quo munus illud ſummi Sacerdotis exercet, nempe locus ipſe viæ, in quo laborat adhuc corpus myſticum, ſervetque veluti in ſtadio meritum. Conducit enim locus ad potentiam, vel impotentiam merendi, ut indicare videtur Apoſtolus ad Hæbr. 10. ubi, ut demonſtret, Chriſtum Dominum nullum aliud ſacrificium celebraturum jam, inquit: *Unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei*: ſupponens ex Chriſti Domini ſeſſione in Cœlis colligi, non ampliùs ex illo loco cruentè ſacrificaturum, quia non eſt locus ſacrificationi aptus, aut merito; ſed præmio tantùm. Adjungitque confeſtim: *de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus*. Unde ſacrificio illi, quod ex altari offert, tamquam ex loco certaminibus opportuno, promiſſam ſupponit depreſſionem inimicorum, mundumque totum Chriſto Domino ſubjicere, & in unum ovile cogere mundi oves cunctas, ut mundum ipſum Patri ſubjiciat, reſurrectionemque corporis myſtici, quam ipſe in Euchariſtia pollicetur, mereatur de præſenti per eumdem numero actum meritorium, per quem illam promeruerat in Cœna, & in Cruce; elicitum quidem, non ex gloriæ ſede, & ex templo ipſo concordiæ, ſed ex ipſo pugnaci Theatro, aut loco, in quo veluti in arena (ſatis ipſi nota) vincat, quin jam decertet.

Id quod obſcurè adumbratur verbis illis Pſalm. 49.: *ſacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*, per quæ verba ſacrificium Euchariſticum, utpotè laudis, & gratiarum actionis intelligunt multi cum S. Aug. lib. 1. contra Adverſ. leg. & Proph. cap. 18. *Quod eſt* inquit, *ſacrificium laudis, niſi gratiarum actio? Aut unde Deo majores gratiæ ſunt agendæ, quàm per Chriſtum Dominum noſtrum? Quod faciunt* *fide-*

Digitized by Google

fideles Euchariſtiæ ſacrificio. In illo autem reperitur, & oſtenditur via, aut iter ad gloriam, quod eſt ſalutare Dei: atque adeo ſacrificans potiſſimè, ſummuſque Sacerdos celebrans ut caput Eccleſiæ militantis ſacrificium illud per altaria, eſt quodammodo in via ſub ea ratione. *Nemo vos ſeducat*, clamat Apoſtolus ad Coloſ. 2. *non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augumentum Dei*: Et 4. ad Epheſ. ſimilia pronuntiat: Chriſtus autem Dominus in ſuo corpore phyſico, quod offertur in altari, eſt caput corporis myſtici, tendentis adhuc in termiuum, conſequenterque promereri poteſt ipſi bona illa eximia, quibus pertingat ad terminum. Et ſanè cum actus ſacrificandi ſtrictè per immolationem hujus victimę in terris ſit ex natura ſua, & ſemper ubique, actus proprius viæ, & idcirco ex ſe meritorius; etiamſi Perſona ipſum eliciens ſit actu extra viatoris ſtatum; quà tamen Sacerdos actu conficiens ſacrificium media illa actione, ſive actu elicito, exequitur munus viatoris. Unde incongruum profecto, & duriſſimum videtur, Inducere Chriſtum Dominum exercentem propria ſtatus viæ muula, & nequaquam obtinere ejuſdem viæ ſtatus, & muneris privilegia. Rurſus quà victima etiam eſt formaliter in ſtatu viæ, cum nonniſi in eo ſtatu terminare valeat actionem ſacrificantem in terris ipſum; qua rerum ergo proportione concipis illum ſuſtinentem immolationis ictum; & negas victimæ rationali huic paſſivæ ſacrificationis meritum? Præſertim cum non adſtruatur meritum novum, nec jus aliud denuo comparatum; eo quod nec ſtatus viæ explicatus, ſimpliciter, & undique talis ſit: ſed veluti dimidiatus, ex capite beato, & ex còrpore adhuc miſero conſtitutus

Num. 73. Tertia probatio ex dignitate jugis ſacrificii vigorem ſuum accipit: etenim ſacrificium proprium novæ legis importat præ cunctis aliis religionis actibus cultum Dei ſublimiorem, gratioremque ipſi, quo placatur, propitius reddatur, altiorique modo honoratur. *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Nihil enim hoc ſacrificio excelſius, aut melius, nihil pulchrius, nitidiuſque in conceptu Dei: &, ut loquitur Alexander Papa relatus in cap. *nihil* 108. de conſecr. diſt. 2. *Nihil in ſacrificiis majus eſſe poteſt, quàm Corpus, & Sanguis Chriſti, nec ulla oblatio hac potior eſt: ſed hæc omnes præcellit .... & ſicut potior eſt cæteris, ita potiùs excoli, & venerari debet*. Inſuper, quàm grata ſit Deo præſata oblatio, convincitur apertiſſimè ex horrore, & gravitate malitiæ idolatriæ ſupra reliqua peccata, quæ ſecundum ſe accepta, dum immolat falſo, & umbratili Deo, maximum omnium flagitiorum perpetrat, ut demonſtrat S. Thom. 2. 2. quæſt. 94. art. 3. convincitur præterea ex ardentiſſimo deſiderio, quo flagrant Dæmones, & quo alliciunt homines, ut ſacrificium ſibi offerant: *Dæmon*, ait S. Auguſt. eo libro 2. contra Adverſ. leg. & Proph. cap. 18. *ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret: falſus enim Deus ſic ſe vult honorari ab eis, quos decipit, quomodo verus Deus honoratur ab eis, quos conſulit, & maxime ſacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo &c.* Convincitur rurſus ex merito ſacrificiorum, quæ in omni lege vero Deo oblata fuere, ex quibus odorem ſuavitatis præſtantiorem aliis quibuſcumque obſequiis percepiſſe, teſtatur Scriptura Sacra in Abele, Noæmo, Abrahamo, Melchiſedechio, & Aaronicis. Proindeque omnia, per ſe loquendo, fuiſſe meritoria, & quidem copioſius aliis oblationibus, manifeſtè colligitur exinde; eſtque ex eadem Scriptura, & Patribus notiſſimum. Uti & liquet ex donis, quæ in præmium illorum contulit Deus ſæpiſſimè ſacrificantibus, notanturque paſſim ab Interpretibus: nam Geneſ. 22. poſtquam Abrahamus jamjam immolaturus filium unicum, cohibitus à Deo, gladium aliò vertit, & in ariete perfecit ſacrificium, audivit illico Deum ſic loquentem: *Quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo Unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in litore maris ... & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Apparet autem difficillimum, & à ratione alienum, ſacrificium adeo gratum Deo, ut ſuperet reliqua omnia obſequia eidem ſacta, quin & poſſibilia; cum nihil majus poſſibile ſit ex parte rei oblatæ, nec actio nobilior ex parte offerentis, & immolantis, eſſe numquam poſſe jam meritorium, quà peractum à Sacerdote principali; cum reliqui omnes actus religionis, & virtutum ſint ex ſe meritorii (ſi cætera adſint.)

Apparet ulterius duriſſimum, quod ſacrificia ordinis inferioris, cujuſmodi fuerunt vetera extiterint per ſe meritoria, quà confecta à principali Sacerdote; & quòd ſacrificium novæ legis, in quo victima eſt Unigenitus Patris in carne aſſumpta, & cujus Sacerdos potiſſimus eſt ipſa victima Chriſtus Dominus, meritorium nullo pacto eſſe valeat, ut ab ipſo oblatum, & confectum; cum ſacrificium hoc infinito intervallo ſuperet illa antiqua, ut corpus umbram, & veritas figuram (& ſanè non figurabant ipſum ut primò duntaxat meritoriè inſtitutum, ſed & ut jugiter in Eccleſia celebrandum), quodque ſolùm eſſe poſſet applicatio meriti alterius ſacrificii. Præſertim cum Eccleſia in ſacrificio altaris exoret Deum, ut benignè acceptare dignetur ſacrificium illud, ſicut acceptare dignatus eſt munera juſti Abel, ſacrificium Abrahami, & quod obtulit ſummus Sacerdos Melchiſedech. Idque firmant verba Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. *hæc denique* (Hoſtia) *illa eſt, quæ per varias ſacrificiorum naturæ, & legis ſimilitudines*

Digitized by Google

figurabatur, utpotè quæ bana omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio, & perfectia camplectitur. Et aliunde extra dubium omne eſt, conceptum meriti addere ſupra dignitatem propriam actus, tametſi aliis etiam titulis infinité æſtimabilem, & decoratam, æſtimabilitatem aliam ſummi pretii, & ſine qua caret perfectione aliqua eximia (ſi ex ſe capax ſit illius). Nam ſicuti certum eſt in vero aliquo ſeuſu illud Divi Thomæ 3. part. quæſt. 19. art. 3. *nobilius habetur id, quod habetur per meritum, quàm id quod habetur ſine merito*: ita compertum eſt, loquendo de operatione ipſa, nobilius eſſe illi, continere in ſe rationem formalem meriti proprii, quàm alterius operationis meritum, vel meritum præteritum nudè applicare; quia ut ibidem adjungit S. Thomas: *habere aliquod donum per ſe, eſt nobilius, quàm habere illud per aliud, ut dicitur in 8. Phyſic.* cum igitur omnis nobilitas, & perfectio attribuenda ſit, non ſolùm Chriſto Domino, ut ibidem intulit Div. Thomas, ſed etiam ejus ſigillatim operationibus ob eamdem proportionis rationem, legitima conſecutione deducitur, ſacrificium altaris, ex ipſo elicitum à ſummo Sacerdote Chriſto Domino, neceſſariò futurum actu per ſe meritorium, ſi hoc aliunde componi valeat cum ejus ſtatu glorioſo, ut reipſa componi quamoptimè, oſtendunt, quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Quoniam & diſpenſare poteſt Deus in lege univerſali cum Unigenito ſuo; & debetur ejus dignitati hæc diſpenſatio, uti & majeſtati ſacrificii, quod inſtituit pro lege perfectiſſima gratiæ. Et quia ex ſuppoſitione, quòd conſtituerit ipſum Sacerdotem æternum per ſe immediatè ſacrificantem jugiter, diſpenſatione alia opus minimè eſt, cum includatur in ipſa ratione ſacrificandi, aut conficiendi ex altari ejuſmodi ſacrificium. Et demum quia eſt verum caput actuale corporis myſtici, quod adhuc in palæſtra militari concertat, ubi divinarum virium copia maxima eget, cum colluctatio ſit illi *adversùs Principes, & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cæleſtibus*: (ad Epheſ. 6.) viſus eſt è Cœlis militare Stephano, & interdum aliis; & ex altaribus non militabit nobis?

Num. 74. Liceat itaque nobis audacter proferre, credibile prudenter nequaquam eſſe, ſacrificium verè divinum, ſummè perfectum, quin & ſimpliciter infinitum, unicum Eccleſiæ ab ſponſo ſuo relictum, à Sacerdote infinitæ dignitatis immediate phyſice conficiendum, quod miris laudibus, & vel ipſo eloquentiæ ſtupore, extollunt Patres, & demiratur orbis, quod proni reverentur Angeli, quo Deus placatur, & fulmen divinæ indignationis in pharetram revertitur, & quo fructus inexplicabiles utilitatis, & dulcedinis mundo proveniunt; ita nihilominus ſe habere in ratione meriti, aut in ordine ad ipſum, ut, quà peragitur à ſummo Sacerdote noſtro, ſit eo titulo inferioris ordinis ad omnia antiqua ſacrificia, quæ ipſum adumbrarunt; ut ſit incapax ſub ea ratione, comparandi jus proprium meriti, cui ex juſtitia debeatur vel exiguum præmium, ſed applicandi tantùm meritum alterius ritus. Et ſaltem evidentiſſimum eſt, futurum digniùs, æſtimabiliùſque in linea morali, ſi ultra qualitates illius, quibus decoratur ab Adverſariis, illuſtraretur pretioſſima qualitate meriti ſtricti, & actualis, vi cujus inſuper ſit magis unum cum ſacrificio Cœnæ, & Crucis.

Importunè autem dices, ſequi potiùs inde, Chriſtum Dominum non eſſe per ſe phyſicè, immediatè offerentem. Quandoquidem hic diſserimus ex ea ſuppoſitione. Et ulterius illa ſuppoſitio, multis ſuo loco firmata, conciliari valet [ut probamus] cum meriti prærogativa; cur ergo utramque denegas vero, & immortali Sacerdotio, & ſacrificio infinitè perfecto? Quòd verò Miniſter couficiens una cum ſummo Sacerdote mereatur, per ſe loquendo, in ejus celebratione, nullatenus infirmat robur hujus diſcurſus: Tum quia arguit ſolùm ex eo, quod principalis Sacerdos; ut celebrans, foret meriti incapax; cum ſit abſurdum, ſacrificia vetera, quà principalis Sacerdotis actionem importabant, fuiſse per ſe meritoria; & nullum meritum involvere poſſe ſacrificium novæ legis, quà à Chriſto Domino peractum: & cum actio illa ſacrificativa elicita à magno noſtro Sacerdote ſit potiſſimum conſtitutivum ſacrificii. Tum quia Sacerdos indignè miniſtrans ſummo Sacerdoti, meritum nullum elicit, ſed demeritum potiùs; proindeque remanet ſæpe ſacrificium privatum ſimpliciter omni merito; quod eſt inconveniens. Ad modum enim quo ſacrificium hoc poſitivè inquinari non poteſt, ut ex fide noſcimus, ita nec merito ſimpliciter privari, quod eſt genus quodam inquinamenti negativi. Tum præterea, quia meritum ſubalterni miniſtrantis limitatiſſimum eſt; ſacrificium autem infinitæ dignitatis, & pretii; couſequenterque meritum illud exigui valoris, non reſpondet amplitudini ſacrificii, nec Sanctimoniæ illius. His, & ſimilibus rationibus moti complures Scholaſtici cum P. Vaſquez 3. p. diſp. 225. acerrimè contendunt, Chriſtum Dominum meritoriè undique, & infinitè, celebraturum in altari, ſi per ſe immediatè, & phyſicè peragat ſacrificium.

Id autem efficaciùs premit, ubi præfatum meritum eſt idem numero, quod extitit in Inſtitutione hujus ſacrificii, & in ſacrificio Crucis per eamdem actionem reproductum, juxta aſſertum noſtrum; cum eo ipſo nullum denuo jus, uullumque novum præmium expetat, ſed idem nemero, quod prius, & eodem jure, ut ſic nulla fiat injuria infinitudini meriti Chriſti Domini, quà Viatoris, ut conſumati in Cruce, & ſimul juge ſacrificium, quod modo offer-

tur

tur ab ipſo Chriſto Domino contineat phyſicè, & in ſe meritum formaliter, ſimpliciterque infinitum. Et quin inde colligatur, meritorios pariter futuros reliquos actus, quos ex altari, ultra, aut præter ſacrificationem formalem eliciat; quoniam illi continerent eo ipſo nova merita, ſaltem extenſivè majora, cum non eſſent reproducti (quia non eſset titulus unitatis, qui adeſt in ſacrificio), ſed primò producti nunc, derogarentque idcirco merito anteacto. Unde appoſitè D. Thomas ſupra, dum Chriſti Domini operationibus convenire docet rationem meriti, ſubjungit: *niſi ſit tale quid; cujus carentia magis dignitati Chriſti, & perfectioni præjudicet, quàm per meritum accreſcat*; ut contingeret novo actu meritorio ſpecie, aut numero diverſo, qui argueret neceſsariò defectum aliquem in merito jam conſumato. Solùm ergo id convenientiſſimè reperiri valet in actibus concurrentibus ad ſacrificationem conſtituendam; quia cum ex neceſſitate unitatis ſingularis ſacrificii Sacerdotis æterni, & ſummi, debeant reproduci reproducitur ſolùm idem numero meritum, & idem numero jus, conciliaturque meritum ſacrificii cum repugnantia alicujus novi, aut ulterioris meriti.

Quamobrem ex multitudine illa actuum, & affectuum internorum Chriſti Domini in nocte Cœnæ, & in ligno Crucis, illi tantùm reproducendi ſunt, qui immolarunt Chriſtum Dominum, ut cultum Dei perficiant in altari, ejuſque ſupremum Dominium proteſtentur, ſubindeque illorum meritum duntaxat reproducendum eſt, illud tamen utpote mortem inducens, eſt omnium meritorum conſumatio (licet redemptorium pro nunc non ſit). Huc reſpexiſſe videtur Regius vates Pſalm. 75. *reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*: reliquiæ enim rei alicujus ſunt veluti fragmenta aliqua, aut ſuperſtites illius partes, & interdum præcipuæ, ut caput, aut cor. Ex eis igitur cogitationibus, & affectibus, qui fuerunt eliciti in Cruce, ſacrificatio remanet jugiter ſuperſtes, ut nobilius fragmentum charitatis, aut reliquia amoris. Neque dici valet meritorius propriè actus ille ſacrificans eo præciſè, quòd applicet meritum Crucis; quoniam nudè applicare meritum alterius ritus, & temporis, non importat intrinſecè formaliter meritum ratione ſui, ſed extrinſecè ratione alterius; eſtque in ea acceptione purus conductus præcedentis meriti, cujus fluenta ad inſtar canalis, per quem decurrit meritum, ducit, quin habeat in ſe undam vivam, ſed ipſam aliò trahit, ex monte, ſcilicet, in quo fuit crucifixus.

Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam,
Elicit, illa cadens &c.

cum debeat continere in ſe fontem.

§. II.

Num. 75. FUlciri poteſt iterum, & 4. ex indubitata perſiſtentia morali ejuſdem formaliter meriti eliciti in ſacrificio Cœnæ noviſſimæ, & in ſacrificatione cruenta: ex qua legitimè colligitur, quòd ſi ille numero actus phyſicè reproducatur, meritum illius, quod moraliter ſolùm exiſtebat, phyſicè cum illo reproducto exiſtat; cum ſtatus viæ illi non obſtet, ut oſtenſum fuit, etiamſi aliis actibus obſtet. Probatur 5. ſicut meritum poſtulat ſibi ſtatum viæ, ita ſacrificium boc altaris conficiendum per realem Victimæ immolationem petit ex conceptu ſuo ſtatum viatorium; ſed nihilomiuus Chriſtus Dominus eſt principalis Sacerdos, & ſacrificans uunc, reſpectu ſacrificii altaris: ergo & poterit ſimiliter refundere meritum in præfatum ſacrificium, dicique actu promerens per ejus celebrationem, uti dicitur verè actu ſacrificans. Majorem approbat conſenſus Theologorum, (ex quo arguimus) nolentium ultra mundi durationem, & viæ metas extendere ſacrificium juge, nec aliud Victimæ deſtructivum, aut ipſum aliquatenus realiter immutans. Minorem adſtruit eorumdem Theologorum ſolemnior opinio, & ſaltem illa præſupponitur ad præſentem controverſiam. Conſequentia legitima eſt à paritate, ſeu potiùs unitate rationis.

Elucidatur: D. Petrus, (vel alius Sacerdos) tametſi anima, & Corpore ſimul beatus adeſſet, nequaquam poſſet in altari verè ſacrificare, quia eſt extra viæ ſtatum, & ſacrificium altaris eſt peculiare Eccleſiæ militantis, ſtatuſque viatoris, ut modò ſuppono ex communi ſententia cum Egidio Conink. Sayro, Cardin. de Lugo, Bernal, adverſùs Mayronem, Sotum, Dicaſtillo, & alios; & nihilominus Chriſtus Dominus, quà ſummus Sacerdos, eſt de facto, apud eos Scholaſticos, principalis Sacerdos in eo ſacrificio, & potiſſimus ſacrificans, ſive per modum cauſæ moralis immediatæ, ſive etiam immediatè phyſicè (ut modò ſupponimus); quia ſcilicet eſt caput Corporis myſtici, & ſupremus Sacerdos, ut ſeipſum offerat Patri in ſacrificium pro illo, adhuc in ſtadio currente. Ergo & poteſt mereri eidem Corpori myſtico per eam ſacrificationem, licet ſit extra viæ ſtatum, & licet beati reliqui minimè valeant promereri de condigno aliis; itaut non tantum eliciat activè actum meritorium, ſed per illum, quà ſacrificans eſt formaliter, denominetur formaliter merens nobis: uti non ſolùm activè elicit ſacrificationem, ſed per illam etiam redditur formaliter ſacrificans, ut ſummus Sacerdos.

Sexto: comprobari poteſt ex infinitudine ſimpliciter meriti ſacrificii incruenti, quà in Cœna inſtituti, & quà in Cruce ritu ſanguineo peracti, quod juxta Theologos meruit omne præmium poſſibile, tum ſibi, tum aliis; ſibi quoad efficaciam, aliis quoad ſufficientiam; ex qua radice intulimus ſupra, promeruiſse reproductionem perennem illiuſmet actus ſacrificantis, cum

Sa-

Sacerdotium æternum poſtulet eſsentialiter æternum ſacrificium; & cum aliunde eſſe nequeat niſi unicum ſacrificium, neceſſariò poſcere debet reproductionem ejuſdem numero ſacrificationis. Inde autem infero pariter, neceſſariò meruiſſe illius numero meriti reproductionem, etiam dum eliceretur à Chriſto Domino extra viæ ſtatum exiſtente; maximè eum non promeruerit tantùm præmium poſſibile juxta legem ordinariam, ſed etiam ſupra illam, alioqui non futurum meritum ſimpliciter ſummum. Meritum igitur hoc, eſt ſimul præmium ſui ipſius, ut in Cruce eliciti, & meritum alterius præmii nobis. Septima congruentia accipi poteſt ex officio Sacerdotis ſummi, & æterni, quod competit Chriſto Domino titulo unionis: ubi enim dignitas hæc debetur illi, ut perpetua, conſentaneum magnoperè videtur, ut conferatur eidem cum omnibus requiſitis, aut qualitatibus, quibus illa præſtantiùs, nobiliùſque exerceatur; ſubindeque cum facultate merendi; dummodo ita exerceatur meritoriè, ut non præjudicet merito conſumato in ara Crucis; conſtat autem ex dictis, & ex terminis ipſis, neutiquam præjudicare, dum idem numero meritum eſt, quod reproducitur; neque dum jugiter renaſcitur, aliquid aliud jure renaſcendi petit, niſi id ipſum, quod prima ſua nativitate comparavit, uti nec jus novum acquirit, ſed titulus ipſe formalis, qui elanguerat phyſicè, unà cum actu reviviſcit, & colorem antiquum ſimul cum viribus reſumit.

Num. 76. Octava conjectura, quin & ratiocinatio, impetrationem adducit in exemplum, & paritatem: porro commune Theologorum placitum vult, Chriſtum Dominum nunc in ſtatu pleno beatitudinis impetrare nobis plurima bona: atque adeo, Chriſtum Dominum per exercitium ſummi Sacerdotis in altari impetrare Eccleſiæ, & iis, pro quibus ſpecialiter offertur ſacrificium, dona quammaxima. Si autem ſemel nullum eſt inconveniens, aut novitatis abſurdum, quod impetret, dum nunc ex altari ſacrificat; mirum valde, aut extraneum eſſe non debet, quod mereatur etiam. Præſertim ubi ſupponitur reproductio ejuſdem ſacrificationis, quæ fuit in Cruce, & cum illo ita reproducatur meritum in noſtris principiis, ut nihil de novo comparet juris, nec præmii, cum apud eam communem opinionem impetret de novo, dum ſacrificat, quia per novum actum primò tunc elicitum peragit ſacrificium.

Rurſus ex illa dignitate impetrandi ſatis legitima illatione inferunt plures alii Scholaſtici cum P. Vaſquez to. 1. in 3. p. diſp. 82. cap. 3. & tom. 3. diſp. 230. cap. 3. dignitatem merendi: ad id enim quod impetrat, dignitatem habet, ac proinde conceditur illi intuitu illius dignitatis, quod reipſa eſt idem, ac conferri eidem (ſeu nobis ratione illius) per modum præmii; reciprocanturque idcirco dignitas impetrandi, & dignitas condignè merendi: præſertim ubi dignitas impetrandi ex ſe, & in actu primo eſſe debet infinita. Et quamquam diſcrimen valde probabile aſſignatum fuerit à nobis inter meritum, & impetrationem in ordine ad infinitudinem, uti & plura ab aliis; ſemper attamen negotium faceſſit paritas hæc pro re ſubjecta; adeoque ſi oblatio, quà Chriſtus Dominus ut principalis Sacerdos ſeipſum immolat in altari, ſit impetratoria, meritoria pariter erit neceſſario. Rursùs probatiſſima pariter eſt ſolutio eorum, qui contendunt, eodem ferè modo ſentiendum de impetratione, ac de merito (etiamſi non reciprocentur); conſequenterque ſicut meritum fuit ſimpliciter infinitum, itaut abſque injuria illius nullum aliud novum adjungi valeat à Chriſto Domino, ſed nuda illius applicatio: conſimiliter opinio illa cenſet, impetrationem fuiſſe ſimpliciter infinitam in actu primo; nullamque aliam adjungi poſſe, ſed eſſe meras applicationes illius actus, qui modò dicuntur impetrare: quia licet applicatio ſit in particulari; hanc ipſam tamen impetravit actus ille impetratorius in Cruce conſummatus, itaut conditionatè illam obtinuerit in particulari ſub tali conditione, qua purificata tranſit impetratio illa univerſalis in abſolutam reſpectu hujus effectus ſingularis, ut circa meritum in conſimili (reſpectu actuum à ſacrificatione diverſorum) animadvertimus ſupra. *Juxta* quam Doctrinam, ſicuti reproducitur idem numero meritum unà cum ſacrificatione, ita reproducitur eadem numero impetratio, quin denuo aliquid impetret, nec adhuc novo jure illud ipſum, quod prius impetraverat. Quo circa uti reliqui actus meritorii non ſunt modò, ſed applicationes meriti, ſic actus reliqui nihil impetrant, ſed purè applicant (juxta laudatos Scholaſticos) univerſalem eam impetrationem. Quoniam licet rogare, & promereri, ſive ex juſtitia exigere, ſint ex ſe diverſæ rationis; ubi tamen, inquiunt ejuſmodi Theologi, qui impetrat ita rogat, ut ob ſummam dignitatem rogantis, infallibiliter obtineat, & obtinere, debeat, ęgrè ſecernitur meritum ab impetratione, niſi quod hoc ſit meritum fuſis præcibus, & lacrymis quæſitum; illud verò quaſi duris laboribus comparatum, ideſt, hoc eſt meritum ſupplex: *exauditus eſt pro ſua reverentia* Hæbr. 5. adoratione ſua cadens; illud robore ſuo ſtans.

Num. 77. Comprobatur octavò: quoniam actus ille immolans reproductus honeſtiſſimus eſt, & dignificatus à Perſonalitate Verbi, eſtque actio propria Perſonæ divinæ, cultum ſupremum Dei, & Religionis apicem ſummum includens. Eſt inſuper proportionatus ad omnem effectum inducendum, qui per ſacrificium Miſſæ confertur ex opero operato, cujus largitio infallibilis, obice non poſito, arguit evidentèr promiſ-

ſionem

ſionem divinam, aut pactum, ut celeberrima ſententia dictat adversùs Durandum, Cordovam, Vaſquez, & eorumdem ſequaces. Item eſt ſeipſo formalitèr in eadem ſolemni opinione impetratorius, impetratione quidèm connexa indefectibilitèr cum rebus, quas poſcit, illique propterea debetur: quid igitur deeſſe poteſt, aut obeſſe ejuſmodi operationi Chriſti Domini, quominùs ſit meritoria condignè de præſenti? Cum ſtatus Viatoris, qui unicè deficere creditur, neutiquam deſideretur; vel quia reſpectu corporis myſtici, ſecundùm quod caput eſt illius, tum ratione loci, io quo exercetur, tum quia via ipſa fuit natale ſolùm illius, gaudet ſufficientèr titulo, & jure viatoris. Vel quia oon ſit oeceſsarius ad merendum pro aliis, qui militent in via, præſertim dum illorum caput myſticum eſt, quod meretur. Vel quia diſpenſatio in ea lege univerſali debetur majeſtati ſacrificii, dignitati infinitæ ſacrificantis, & perfectioni actus, qui reproducitur, cum fuerit primò elicitus nondùm finito præſtituto tempore à lege, ſive ordinatione divina, adeòque infinitè meritorius; oe alioqui cadat actu, & practicè à dignitate meriti.

Addi poteſt alia congruentia ėx fructu, quem animæ Purgatorii percipiunt ex hoc ſacrificio præcipuè, quaotumvis illæ ſint extra ſtatum viæ, eo quod nondùm ſint in Patria, aut termino. Ergò cum Eccleſia militans, non modò non ſit in termino, verùm & ſit poſitivè in ſtatu viæ, licèt Chriſtus Dominus ſacrificans ſit extra viæ ſtatum, & ſummo beatitudinis gaudio perfuſus, poterit pro nobis militantibus, pro quibus offert ſeipſum in altari, condignè mereri; à paſsiva enim illa potentia arguimus hanc etiam, & quamvis opera itidèm alia noſtra ſatisfactoria animabus illis proſint; ex hoc etiam deſumitur, conjectura, aut congruentia ſuadens veroſimilitudinem rei præſentis. Fatemur enim adeſſe diſcrimen inter potentiam activam expeditam ad merendum, demerendumque, aut ſatisfaciendum; & potentiam paſsivam ad excipiendam ſatisfactionem ab alio applicatam: nullo pacto namque competit animabus prædictis activa illa facultas, quia ut illa careant, ſat eſt, quod viæ ſtatum exceſserint; cum ad ſecundum ſufficiat, quòd nondùm terminum attigerint; verùm indè ſolùm arguimus veluti à pari, & proportione quadam: quia ſicuti faciliùs admittitur facultas illa paſsiva, quàm prima illa activa, ita faciliùs conceditur facultas activa in beatis merendi pro aliis (hoc vel illo modo), quàm pro ſe; cum illam agnoſcant plures Scholaſtici, non verò hanc. Ergo admitti valet in Chriſto Domino nunc actu per ſe in altari ſacrificanti poteſtas merendi corpori ſuo myſtico viatori, etiamſi pro ſeipſo mereri nequeat; maximè dum meritum hoc novum non eſt, ſed idem numero, quod fuit in via; cum ſatisfactio meriti, & in ſuffragium patientis animæ applicatum, novum ſit, & non jam noviter recuſum tantum. Et rurſus etiam cum illud reproducatur à ſummo Sacerdote ex altari, adeoque ex loco viæ; tametſi oon à viatore. Quæ circumſtantia tanti momenti viſa eſt cuidam recentiori Scotiſtæ (aliiſque priùs), ut Theſibus, typis mandatis, protulerit, propugnandumque ſuſceperit, Chriſtum Dominum meruiſſe de condigno poſt reſurrectionem cunctis illis diebus quadraginta per omnes ſuas liberas operationes, donec è terris ad Patrem mirabili Aſcenſione diſceſſerit: eo quod operaretur adhuc eo tempore in loco pugnæ, & in propria arena, cum nondum obtinuiſſet Empyrei locum, & corporis glorioſi ſedem micantiſſimam, ſupremamque. Uti & oonnulli Scholaſtici cum Soto opinati fuere, animam Chriſti Domini in Triduo per actus tunc elicitos ſatisfeciſſe; etiamſi non meruerit de condigno; & tamen extra viam erat jam tunc, extra circum, & extra ferarum, ſive humanarum paſſiouum, amphiteatrum.

Num. 78. Illuſtrari minimè poſſe aſſertum noſtrum plurium Theologorum votis, aguoſcimus, cum illud procedat ex hypotheſi, quam non diſcutiunt Scholaſtici. Abſolutè tamen à pari, vel æquivalenter, vel etiam arguitivè, reperitur interdum approbatum etiam à primi ordinis Theologis. Porrò Doctor Subtilis quod lib. 20. illico in principio præmittit, ſacrificium juge non ſolùm proficere virtute meriti perſonalis Sacerdotis, & ex opere operantis: *ſed etiam*, inquit, *virtute meriti generalis Eccleſiæ, in cujus perſona per miniſtrum communem, offertur ſacrificium* (& hoc vocat meritum ſacrificii proprium, ſive operis operati) *alioqui miſſa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur perſonaliter, ſed demeretur, nulli valeret in Eccleſia, quod reputatur inconveniens, & rationabiliter, juxta illud Joann. 6. panis, quem ergo dabo, caro mea eſt pro mundi vita: quandocumque enim Chriſtus ut ſummus Sacerdos offert, panis, quem dat, ideſt caro ejus, eſt mundi vita*. Ubi per to. *nulli valeret in Eccleſia* idem intelligere videtur, ac nulli totius Eccleſiæ futurum meritorium, vel idem ac nullum habiturum meriti alicujus effectum, cum de merito diſputat ibi. Vel docet nihil valiturum ſacrificium, ſi meritorium minimè foret, quia forſan exiſtimavit, eſſe non poſſe impetratorium, ſi meritorium non ſit. Idem repetit ibidem num. 13. §. *de primo videtur*. Et num. 20. *de tertio autem*, ait. *Bonum quod debetur virtuti ſacrificii, correſpondet ſecundum plenam juſtitiam alicui merito in Eccleſia*. Et ibidem num. 24. diſcutit, an illud meritum, ratione voluntatis Eccleſiæ, ſit meritum ſacrificii reſpondens univerſim tam Eccleſiæ triumphanti, quàm militanti; vel militanti ſolùm? & inclinat tandem in primum extremum, in Eccleſiam, ut complectitur utramque: quod probat ab abſurdis, ex oppoſita ſententia

dedu-

deductis; quin ſolvat objecta abſurda. Nunc ſic: apud Subtilem Doctorem abſonum eſt, dicere, ſacrificium altaris non eſſe meritorium ea parte, qua reſpondet illi, (aut reſpondere poteſt, quantùm eſt ex ſe) effectus ex opere operato, ne ſequeretur, Miniſtro indignè celebrante, ſacrificium ex nullo capite; ideſt nec relatè ad fructum ex opere operato inducendum, nec ex opere operantis eſſe meritorium ex ſe, quod credit inconveniens.

Rurſus meritum illud, quod adeſſe docet ſemper in ſacrificio, nou eſt præciſè meritum Crucis, aut in Cruce conſummatum & merè propter illud, quippe quod per ſacrificium purè applicatur, juxta oppoſitam ſententiam; Doctor autem Subtilis loquitur manifeſtè de merito phyſicè præſenti, & elicito in ſacrificii celebratione: ſiquidem illud provenire putat ab Eccleſia triumphante ſimul & militante; meritum autem Chriſti in Cruce conſummatum nullo pacto elicitum fuit à corpore myſtico Chriſti Domini; nec ullus hominum triumphabat in Cœlo, dum ipſe in Cruce paſſus eſt, cum nondum pateret janua Cœli. Aliuude Eccleſia Sancta conjunctim accepta neque eſt perſona aliqua, præciſivè à ſuo capite accepta, ſed cætus perſonarum, quarum nulla forſitan hìc & nunc offert hoc numero ſacrificium, vel ſi offert aliqua, ut miniſter ipſe, indignè illud peragere poteſt, conſequenter demeritoriè: nec Eccleſia, prout collectivè uſurpata, præciſivè à capite, mereri valet, merito aliquo omnibus membris communi. Ergo conſequenter ad doctrinam hanc Scoti à fortiori dicendum videtur, Chriſtum Dominum, quà ſummum Sacerdotem, & totius Eccleſiæ militantis, & triumphantis caput, conficere per ſe immediatè, & meritoriè, merito phyſicè præſenti; ne ſacrificium carere poſſit omni merito actuali, ſine quo, apud ipſum, privaretur omni fructu ex opere operato. Quapropter ſi de reproductione ejuſdem numero meriti ageret, nobis apertè præluxiſſet; ſi de actione ſacrificante nunc primò producta, clariſſimè ex illa arguitur, & quaſi à fortiori, facilliùs longè exiſtere poſſe meritum ipſum reproductum. Meritum ergo ipſum Crucis, aut in Cruce conſummatum, eſt phyſicè exiſtens in hoc numero ſacrificio, applicatque ſeipſum, quà in eadem Cruce ultimò perfectum, mereturque de præſenti applicationem illam, & effectum ex illa provenientem. Et dum Eccleſia militans percipit fructum, triumphans percipit honorem, reſonatque in Dei laudem: Chriſtus autem Dominus & concurrit ut caput Eccleſiæ triumphantis, quoniam beatitudinis ſtatu gaudet, cum ſacrificat; & quà caput ſpeciatim Eccleſiæ militantis, quia conficit ſacrificium, ut ſummus illius Sacerdos ex altari, & loco agonis. Proindeque non ſolùm per modum cibi merita fidelium nutrit, ſed inſuper ob infinitudinem, & ſingularitatem ſacrificii merita propria involvit, nova ſimul, & antiqua, quia eadem numero, & vetera, ſunt, & neonata.

Num. 79. Ad eumdem modum loquitur Gabriel lect. 26. & 27. item lect. 57. quem imitatur Covarruvias in cap. *Alma Mater*, duplicem meriti rationem agnoſcentes in ſacrificio altaris, meritum ſcilicet ex opere operantis, quod defectibile eſt; cum interdùm Sacerdos indignè accedens, judicium ſibi conſecrat, & manducat. Et meritum indefectibile competens ſacrificio, quatenus ab Eccleſia per illum Miniſtrum conficitur. Quinimmo & tertiam meriti virtutem adjungunt inſeparabilem, & ex opere operato eidem convenientem ex Chriſti Domini Inſtitutione. Quorum ſententiam expendit P. Vaſquez diſp. 229. cap. 1. illique partim adhæſiſſe videntur Sotus, Cano, Corduba, & Juniores aliqui. Ex hac autem doctrina deſumitur argumentum pro ſententia noſtra idem, aut plane ſimile ei, quod nuper ex doctrina Scoti formatum eſt. Preterea Catherinus tum in opuſc. de ſacrificio Miſſæ, tum in Epiſt. ad Hæbr. cap. 10. abſolutè pronuntiavit, ſacrificium altaris eſſe infinitè meritorium, ſatisfactoriumque, quemadmodum ſacrificium Crucis: ſubindeque nullatenus illi inniti ad ſuos effectus producendos. Et quamquam de hac independentia incruenti à cruento incuſetur meritò à Theologis de conceptu tamen meriti, & ſatisfactionis minimè carpitur; niſi forte quatenus ex illo tamquam novo merito, merito Crucis adjuncto, inſeratur ſecundum. Hoc autem nequaquam ex noſtra opinatione colligi poteſt, juxta quam utrumque meritum eſt idem numero ſimpliciter, & illud in hoc numero ſacrificio, nonniſi ſecundum quod fuit in Cruce conſummatum; inducit hos effectus, & fructus.

Fávet quoque nou parùm opiuio Cardinalis Cajetani 3. par. qu. 50. art. 6. ubi affirmat, animam Chriſti Domini in inſtanti immediatè ad mortem ſubſecuto meruiſſe: movet namque dubium; *an mors Chriſti in facto eſſe fuerit meritoria ex parte animæ*: & aſſertivè reſpondet: *& mors quidem*, ait, *ut terminat fieri, cadit ſub merito uno, & eodem, quo cadit ſuum fieri .... & ſic mors Chriſti* (in facto eſſe) *fuit meritoria*. Ubi diſertis verbis admittit in anima Chriſti Domini meritum actuale de præſenti poſt ſtatum ſeparationis illius à corpore, proindèque extra viæ ſtatum; eo quod idem actus meritorius permanſit in anima in ſequenti inſtanti. Id ipſum autem eſt, quod opinio noſtra cogitat, & dictat circa actum ſacrificationis in fieri mortis elicitum; niſi quod apud Cajetanum in inſtanti ſolùm immediato perſeveravit; apud noſtram verò jugiter tranſit, & reviviſcit idem numero actus meritorius; quia reproducitur, ut idem numero ſacrificium iteretur; & aſſiduo fluxu conficiatur: ſemel autem ac extra viæ ſtatum

pro-

promereri valeat, idem prorſus eſt de tempore remoto, ac de inſtanti immediato; dummodo reproducatur idem meritum, ſicut ibi durat.

Referri etiam valet jure meritò in favorem hujus aſſertionis Ruardus Taper, apud Doct. Eximium diſp. 79. ſect. 1. dicens: *ad omnia valet ſacrificium altaris, ad quæ valuit Victime Crucis*; hoc autem falleret prorſus ſi ſacrificium altaris non eſſet infinitè meritorium, ſatisfactoriumque in ſeipſo, ſicut fuit ſacrificium Crucis, ut manifeſtum videtur; quandoquidem in eo eventu, vel juxta eam doctrinam, non valeret ad ſatisfaciendum per ſe, aut ratione ſui, ſed præcisè quatenus virtutem alterius ſacrificii afferret in ſubſidium, & applicaret. Et ex alia parte ejuſmodi valorem meritorium, ſatisfactoriumque ſortiri nequit abſque injuria Crucis, niſi fuerit idem numero meritum, & ſacrificium cum ſacrificio, & merito Crucis. Senſum hunc hauſiſſe videtur Ruardus ex Divo Thoma cap. 6. in Joaun. ubi ſacrificium Euchariſticum efficit, aut efficere videtur ejuſdem valoris eum ſacrificio Crucis, adjungitque: *In immolatione hujus Sacramenti eſt univerſalis effectus &c.* adeoque eſt cauſa univerſalis in eo ſenſu; ut autem applicat determinatè in actu ſecundo cauſa particularis tantùm eſt; ſi verò conſideretur in actu primo, ut potens univerſim applicare meritum paſſionis omnibus quantùm eſt ex ſe, minùs propriè diceretur cauſa univerſalis effectuum omnium in actu primo; quoniam applicatio eſt pura conditio ad effectus productionem; conſequenterque ille, qui applicat, non eſt vera cauſa effectus in actu ſecundo, nec conſideratus in actu primo eſt verè potens cauſare effectum, ſed ſolùm potens applicare cauſam adæquatè ab ipſo diſtinctam. Et licet Sacramentum etiam Euchariſtiæ dicat ibidem cauſam univerſalem *effectuum Dominicæ paſſionis*; cæterum id aſſerit ea tantùm ratione, *qua continetur in ipſo cauſa univerſalis omnium Sacramentorum, ſcilicet Chriſtus.* At verò in immolatione ſacrificii propria, cum ſit pura actio, ſive actus internus, non continetur Chriſtus Dominus; quoniam illa terminatur ad ſacrificandum ipſum in Sacramento contentum: ac proinde ſi cauſa univerſalis eſt immolatio Euchariſtica, titulo ſacrificii talis eſt formaliter; ejuſmodi autem eſſe non poteſt, ſi meritorium non ſit. Non propterea tamen ſacrificium altaris deſinit eſſe applicatio ſacrificii Crucis; cum, juxta Tridentinum, illius meritum applicet in particulari in actu ſecundo, ſed ita eſt applicatio, ut ſimul ſit meritum applicatum; niſi quod ultra preſentem rationem actus meritorii poſtulet illius conſummationem in Cruce factam, ratione cujus, uti & ratione ſymbolorum, quibus conſtituitur ſenſibile, diſtinguatur ſecundum quid applicatio à merito, ut applicato. Unde quamquam meritum ſacrificationis phyſicè reproductæ in altari, non ſit de præſenti practicè cruentum, quia ſacrificium incruentum conſtituit; eſt attamen cruentatum, quia ſanguinis veſtigia altè impreſſa olim præſefert.

Num. 80. Omittendi non ſunt Recentiores illi, quos enumerat pro hac ſententia P. Vaſquez ea diſput. 225. cap. 3. dicens; *Recentiores nonnulli non dubitarunt concedere, Chriſtum toto tempore, quo ſub ſpeciebus manet, continuò ſeipſum offerre Patri, & hac oblatione Patrem placare, & apud ipſum mereri, eo quod ex intentione colendi Deum velit ſub ſpeciebus permanere; tamen non toto tempore continuò ſacrificare, eo quod non faciat toto illo tempore aliquid ſacrum circa rem oblatam, ſed ſolùm conſervet jam factum. Quemadmodum, inquiunt, Chriſtus ſolùm ſe immolavit tempore paſſionis uſque ad mortem, per quam ſeparata eſt anima à corpore, in cujus ſeparatione ratio ſacrificii poſita eſt. At verò toto tempore ſepulturæ non ſacrificavit ſe, quia tunc nihil ſacrum fecit, ſed ſolùm id quod factum erat, conſervavit; nihilominus toto illo tempore voluntariè ex intentione colendi Deum, ei mortem ſuam, & ſepulturam obtulit, atque hac oblatione Deum nobis placavit &c.* Et diſp. 230. cap. 1. ait: *Quidam cenſent, ex Chriſto proximè offerente valorem meriti infiniti huic ſacrificio provenire.... Neque ex hoc aliis precedentibus meritis Chriſti quidquam derogari, ſicut nec paſſione ejus aliis præcedentibus meritis quidquam derogatum eſt, cum eodem res ſub diverſa merita cadere poſſit. Quòd ſi Chriſtus in Cœlis adhuc mereretur per orationes, & hoc ſacrificium ipſe proximè offert cum Sacerdote concurrens, nulla videtur ratio, ob quam negetur, oblationem illius eſſe infiniti valoris in genere meriti, non minùs quàm eleemoſina, quàm ipſe Chriſtus per famulum, aut per miniſtrum alicui pauperi mitteret.* Quæ verba exſcripſi, etiamſi P. Vaſquez eorum opinionem refellat; ut ex illis appareat, ſententiam noſtram, quà meritum actuale in jugi ſacrificio invehit, non eſſe planè Scholaſticorum ſuffragiis deſtitutam; & ſanè ſi illi inducunt meritum in ſacrificio altaris diſtinctum, aut diverſum adæquatè à merito Crucis, quin ei propterea quidquam derogari exiſtiment; multò facilior, & ab omni ſcopulo longior credenda eſt opinio, quę idem numero meritum utrobique agnoſcit, & novum omnino, adhuc dum verſatur novo jure circa idemmet præmium, repudiat tamquam inutile ad omnia, niſi ad gignendam ſuſpicionem alicuius defectus, aut debilitatis in ſacrificio Crucis, miniſtrandumque arma Novatoribus ad juge ſacrificium eo novo titulo removendum, & furori immolandum.

Hùc ſpectare videntur verba illa Pauli ad Hæbr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim Hoſtiis promeretur Deus.* In quo textu verbum *promeretur*, & ſumi valet paſſivè ex verbo activo *promereo*, ut ſcilicet Deus ipſe promereatur

à nobis per largitionem eleemoſinæ in Dei honorem factam, quæ paſſim vocatur Hoſtia, & ſacrificium latè, ut docent cum Divo Thoma ibi Interpretes adversùs Calvinum, & Bezam, qui paſſivam illam ſignificationem redolere barbariem dicunt. Et ſumi etiam poteſt activè per verbum deponens promereor, ut notat Cornelius à Lapide ex Eraſmo, & ex utroque Celada in Eſther cap. 9. §. 228. pluresque alii. Huiuſmodi autem activam ſignificationem ita exponunt, ut ſit idem, ac dicere, quòd nos operibus Miſericordiæ velut Hoſtiis quibuſdam gratiosè oblatis promereamur Deum, ejuſque ſuaviſſimo conſpectu frui: vel promeremus per verbum activum. Verumtamen ſi de activa ſignificatione per verbum deponens accipiatur, aut explicetur, ſit violentia apertiſſima verbis Pauli, cum in eis ponatur Deus in nominandi caſu, quem immutare eſt invetere ſenſum connaturalem eorumdem, & curſum Cœlorum ſyderumque alia via ducere, aut flectere.

Num.81. Non enim benè occurritur huic abſurdo per hoc quod Deus mereri nequeat, quaſi propterea invertendus ſit neceſſariò ordo orationis; quoniam licet Deus, quà talis formaliter, ſive per divinitatem ſuam promereri nequeat; Deus tamen homo, ſive per humanitatem, aut quà homo, capax meriti eſt ſecundum ſe, & quidem ſimpliciter infinitè. De illo igitur, quà nunc offerente ſeipſum in altari, immolanteque Hoſtiam ſummè gratam Deo, ut nobis promereatur omnia ea bona, quæ virtute jugis ſacrificii conferuntur, aptiſſimè uſurpari poſſunt præſata verba; quatenus ſummus Sacerdos noſter, Homo Deus, illam ſacrificando, mereatur nobis. Et quamvis Hoſtia, de qua ibi agitur, ſignificare ad literam videatur eleemoſinam ipſam, quæ ad inſtar ſacrificii offertur, & placet ſummopere Deo, ut liquet ex Epiſt. ad Philip. 4. *Quæ miſiſtis* (eleemoſinam diſtribuendam ſignat) *odorem ſuavitatis, Hoſtiam acceptam, placentem Deo*. Ideoque Chriſoſtom. Homil. 20. dixit: *Cum vides pauperem, Corpus Chriſti, aram Chriſti te videre puta, & reverere, ac eleemoſinæ ſacrificium offer*. Non abſimiliter loquitur in Pſalm. 95. & idem Apoſt. 2. Corint. cap. 9. ejuſmodi eleemoſynarum collectam, & diſtributionem, appellat (juxta textum Græcum) *Diaconiam Liturgiæ*. Cæterum ſicut miſericors illa beneficentia, communioque, aut communicatio bonorum, dicitur ſacrificium Miſſæ per Metaphoram, comparationemque, aut myſticam appropriationem; ſic & ſacrificium ipſum Euchariſticum, illiuſque participatio, & victimæ diſtributio per beneficentiam illam explicari poteſt opportunè, & declaratur interdum, cui propterea ritè accomodatur illud Pſalm. 111.: *diſperſit, & dedit pauperibus*. Et opportuniùs hic, ubi Apoſtolus beneficentiam diſpergentem cum communione conjungit, *beneficentiæ, & communionis &c.* Hac igitur Hoſtia, ſive hoc ſacrificio promeretur Chriſtus Dominus homo Deus egregia dona hominibus illuc accurrentibus. Quòd autem expoſitio hæc ſit juxta mentem Pauli, colligi poteſt ex ejuſdem verbis verſ. immediatè præcedenti prolatis: *per ipſum ergo* (Chriſtum Dominum) *offeramus Hoſtiam laudis ſemper Deo*, ideſt Miſſæ ſacrificium, ut exponunt frequenter Interpretes, & delibat ibidem a Lapide (ut videas, Chriſtum Dominum eſſe immediatè offerentem juge ſacrificium, itaut homines, ſeu miniſtri per ipſum, non ipſe per miniſtros, offerat, & immolet): item verſ. 10. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt*. Quoniam tamen præfata interpretatio per vim, & per nimiam ſubtilitatem tracta apparere poteſt multis, non reflectentibus arcano quodam, & metaphorico, aut figurato ſermone loqui ſæpiſſime Apoſtolum de Euchariſtico ſacrificio, ſicut & primævos Patres (ob motiva alibi indicata), utimur ea, non ut ſuadeat, ſed ut abundet; maximè cum Calvini, & Bezæ impia redargutio, illâ admiſsà, obmuteſcat, & barbaries objecta erubeat.

Num. 82. Claudam fontes argumentorum, rivoſque conjecturarum Theſauro Eccleſiæ, quem ex Clementina 6. in Extravag. *Unigenitus* de Pænit. & remiſ. & Leone X. in Extravag. de qua Cajetanus 3. par. qu. 48. art. 5. *tradunt* Scholaſtici, inter quos Doctor Eximius 3. par. diſp. 51. ſect. 2. num. 14. Aſſerunt enim in Theſauro Eccleſiæ non ſolùm repoſita eſſe merita Chriſti Domini, quà ſatisfactoria ſunt, ſeu quę ab ejuſdem Eccleſiæ capite applicari valent ad ſatisfaciendum pro debitis illorum, quibus applicantur; ſed inſuper reponi, & aſſervari ſecundum quod habent impetrandi virtutem, & promerendi nobis de congruo bona quamplura. Si autem merita, quæ nonniſi moraliter exiſtunt, quatenus moraliter perſeverant, & ſunt menti Divinę pręſentia, mereri poſſunt nobis aliquo modo, apud vulgatam Theologorum opinionem; quantò rationabiliùs, congruentiùſque admittendum erit meritum de condigno in actu phyſicè, & liberè elicito ab ipſo Chriſto Domino ut Eccleſiæ capite ex Euchariſtia, qui eſt idem numero, qui fuit productus infinita vi meritoria in Cœna noviſſima, & in duriſſimo ligno deinceps? Occaſione autem hac loquendi de Theſauro, notanda eſt doctrina obſervatione digna, quæ ſequitur ex aſſertione noſtra cira Eccleſiæ militantis Theſaurum: redundat enim ex ea in prædictum ærarium, non jam nova divitiarum copia, cum ſit ille infinitùs, inexauribiliſque Theſaurus, ſed nova earumdem divitiarum dignitas, nova claritas, nova exiſtentia. Quandoquidem omni alia via merita Chriſti Domini, ſecundum quod extant repoſita in Theſauro illo, ipſamque reddunt ſimpliciter infinitum,

non-

nonniſi moraliter exiſtunt, & in ſinu Matris Eccleſiæ militantis latent, unà cum ſublimibus Deiparæ meritis, omniumque Sanctorum, ſive quà ſatisfactoria duntaxat, vel ad ſummum impetratoria, ſive etiam quà meritorla aliquatenus nobis. Quoniam licet phyſicè adſit præſens Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus Euchariſticis; ejus tamen operationes meritoriæ, potiſſimaque, & conſummans omnes in Cruce elicita, nequaquam exiſtunt realiter phyſicè in Euchariſtia, quia nulla ipſarum reproducitur, juxta reliquas omnes Theologorum ſententias. Juxta noſtrum verò cogitatum exiſtit phyſicè realiter in Eccleſia Dei, modò in hoc altari, modò iu illo, modò in pluribus ſimul, per juge ſacrificium, meritum Chriſti Domini in Cruce conſummatum, ſeparatum in eo phyſico exiſtenti modo, & in ærario illo reali, à merito ſanctiſſimæ Matris, Sanctorumque; cum illa morali tantùm exiſtentia gaudeant, quam in gremio Eccleſiæ concipimus; & ſanè meritum ſimpliciter ſummum, intenſivèque infinitum, quin & omnium extenſivè quoque acceptorum conſummatio. Hæc phyſica exiſtentia eſt proculdubio peculiaris hujus Theſauri excellentia, Eccleſiæ militantis gloria, & aſſertionis noſtræ ſingularis prærogativa. O' utinam cor noſtrum adeſſet indeſinenter, ubi eſt Theſaurus hic, qui verè noſter eſt, cum fuerit militantibus in hac arena relictus: *Theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit*, (ioquit Clemens 6. in ea Extravag. (*non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum Cæli Clarigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in terris Vicarios, commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum*. Unde Succeſſores Petri habent clavem David, qua aperiunt, non tantùm ſcrinium illud meritorum purè moraliter in Eccleſia perſeverans, ſed phyſicum etiam ſecretum arcana Divina, & meriti infiuiti pretioſitates continens.

§. III.

Num. 83. VERùm impetu jam impatientis iugenii objicies nobis plura; quorum primum eſt, colligi ex noſtra aſſertione idem inconveniens, quod naſceretur ex merito noviter comparato, aut elicito per actus meritorios primò nunc productos à Chriſto Domino in Euchariſtia, aut in Cęlo, non ſine contumelia facta merito Crucis, & reliquis pręcedentibus ejuſdem Servatoris noſtri. Sequela demonſtratur: quoniam repetitlo, aut reproductio phyſica ejuſdem actus meritorii adjungit formaliter novum meritum eidem actui, ut primò tantùm producto; cum ſit omnibus compertum, liberam durationem, diuturnioremque, novam meriti acceſſionem, aut augmentum ſibi acquirere, ut tradit certa Theologia. Maximè cum aſſertio noſtra contendat, ſacrificationem, quà elicitam à capite Eccleſiæ militantis, fieri aliquatenus ab ipſo in ſtatu viæ. Neque juvaret nobis, reſpondere, nihil novi promereri poſſe per eam novam reproductionem meriti, eo quod ipſum in prima ſui productione obtinuerit jus ad omne præmium poſſibile. Quandoquidem ſemper novo titulo, & jure poſtularet quà reproductum illudmet præmium: quo exemplo pateret janua merito omnium actuum; quos primò produceret modo Chriſtus Dominus ſive in altari, ſive in Empyreo. Aut igitur ſecundum hoc devorare tenetur ſententia noſtra, aut primum averſari, & ſeipſam deſerere. Et hinc ſumitur differentia inter meritum, & ſacrificationem; quandoquidem hæc utpotè actio purè phyſica, dum reproducitur, aut iteratur, eadem ſemper numero à fortiori reproducitur. Cęterum meritum includit circumſtantias etiam extrinſecas actui, quarum una eſt nova duratio, aut reproductio, dum iteratò producitur, (uti & includit aliquid morale); proindeque novum meritum eo ipſo accreſcit ſimpliciter diſtinctum à primo, tametſi actus phyſicus ſit utrobique idem numero.

Si rurſus differentiam excogitemus depromptam ex identitate hujus actus ſecum ipſo ut in Cruce, & in Cœna exiſtenti meritoriè; cum reliqui actus modò primò eliciti diſtinguantur realiter ab eo: quaſi prior ille, dum primò flueret à Sacerdotio æterno tamquam potiſſima Sacerdotis operatio, per ordinem ad quam ſpecificatur, ſui reproductionem jugem, ſive durationem perpetuam, quantumvis interruptam, poſtulaſſet: ac proinde non ſolùm continuiſſe tunc novum illud futuræ reproductionis ſuæ meritum, ſed & novum etiam jus inde provenire potens; quod non militat pro actibus noviter euſis. Inane etiam auxilium poſcimus, ſiquidem meritum Crucis utpotè comprehendens, & exhauriens omnem ulteriorem poſſibilem rationem, aut formalitatem meriti, potuit ſimiliter aliis actibus in poſterum ſucceſſivè futuris promereri reflexè ſplendorem meriti, quod idcirco nihil adderet novi meriti, nec juris noviter acquiſiti ab ipſis. Si per defectum ſtatus viæ non debiti novis actibus, debiti tamen, aut ſaltem congruentiùs conceſſi, actui reproducto ſacrificationis, evadere conemur; obviat confeſtim quaſi identitas rationis, exigens pariter, ut concedatur novis actibus; vel denegetur ſacrificationi. Siquidem eatenus huic præ illis tribueretur ea prærogativa, quatenus ex illa nihil dedecoris redundaret in merita præcedentia; & aliunde hoc ipſum eveniſſet reliquis actibus, ſi præſupponatur, Chriſtum Dominum meruiſſe in Cruce reflexè meritum directum illorum, ut patet ex nuper dictis. Præterea diſcrimen illud de materiali revera ſe habet ad declinandam rupem illam inſenſam: quoniam ſi reliqui actus ſortiri poſſent rationem meriti, quin adjungerent quidquam præcedentibus, æquè non derogaret meritis ante actis, ac ſi foret idem

numero meritum reproductum. E regione itidem, ſi meritum reproductum neceſſariò comparare debeat titulo reproductionis jus novum, aut quidpiam novi præmii, æquè injurioſum eſt meritis præcedentibus, ac ſi foret meritum à cunctis præcedentibus realiter diſtinctum, & nunc primò productum. Et ex alia parte, ad hoc ut minimè accreſcat, aliquid novi meriti, aut juris, nihil conſerre videtur, quod ſit reproductio meriti antiqui; cum Fide Sanctum habeamus, per ſacrificium quodlibet in ſingulari conſerri, obice non exiſtente, effectum ex opere operato novum; & tamen juxta aſſertionem noſtram ſacrificatio eſt eadem numero, quæ olim fuit, noviter reproducta. Numquid, licet gloria corporis debeatur Chriſto Domino titulo gloriæ animæ, & unionis etiam, non fuit ibidem debita eidem novo jure ratione meriti? cur ergo reproductio actus meritorii, cum ſit iterata ratio meriti voluntariè reproducta, eſſe non poterit novum jus ad idem numero præmium? multiplicare jura nolumus, & multiplicamus juris rationes, & tempora? Deinde licet meritum fuerit ſimpliciter infinitum, itaut nihil ulterioris præmii per novum meritum comparare poſſit Chriſtus Dominus, jura tamen ſunt finita; cum potuiſſet ſanguinem fundere in ætate ſenili, in quo eventu omnes illius actiones ab anno trigeſimo tertio ætatis uſque ad ſexageſimum v. g. fuiſſent pariter meritoriæ, ac præcedentes, novaque jura ad idem præmium; quin derogarent merita ſenis meritis juvenis, cum omnes illæ operationes eſſent ~~Dei viriles~~.

Num. 84 Permittamus modò, eamdem utrobique, & eadem vi militare rationem declinandi abſurdum, objectum ſæpe; quod ſcilicet nec per meritum aliorum actuum, nec per reproductionem ejuſdem numero meriti irrogaretur injuria merito Crucis, nec præcedentibus, illo ultimo rubefactis, & conſummatiſſimè perfectis; verumtamen cum meritum de præſenti phyſicè exiſtens, minimè ſuppponatur neceſſarium, nec per ſe utile, ſed potiùs per ſe otioſum, ubi præſupponuntur merita ſimpliciter infinita, & quibus omne præmium poſſibile debetur; ſolum adſtrui poteſt, ubi ratio congruentiæ illud expoſcens repellat eam otioſitatem. Ea autem ratio invenitur in ſacrificatione, non verò in reliquis actibus. Primò, quia illa eſſe debet eadem numero, quæ extitit in Cruce, ob argumenta numeroſè in hac diſputatione producta; præſertim ob unitatem ſacrificii; cum autem illa habuerit ſemel, & iterum, jus in re, poſſeſſionemque meriti, & aliunde promeruiſſe credatur ſui reproductionem, ut actio propria, & præcipua Sacerdotii æterni, congruentiſſima ratione vendicat ſibi omni momento, quo reproducatur, integram meriti antiqui dignitatem: atque adeo diſpenſationem legis coarctantis meritum ad ſtatum viæ; ne perdat ornatum, quem ſemel induit. Quoniam licet dicamus ſacrificationem exerceri aliquatenus in ſtatu viæ, corporis ſcilicet; non eſt attamen ſimpliciter ſtatus viæ capitis; ſed congruentia, ratione cujus diſpenſet in lege reſpectu illius actus, aut eum acceptet ad præmium, tamquam meritum actuale, non tamen novum; quia licet jure non præextiterint extenſivè infinita; ideoque ſi diutiùs vita illa divina protracta fuiſſet, nova merita, juraque extenſivè multiplicarentur; eo quod tunc non arguerent defectum ullum in meritis præcedentibus, nec fuiſſent omnia morte conſummata; poſt mortem attamen, & conſummationem, novum meritum, novumque jus argueret inſufficientiæ præexiſtentia, derogaretque propterea ipſis: pro reproductione verò aliorum meritorum nulla urgeat, nec adſit convenientiæ ratio, ut fatentur omnes.

Secundò: ſacrificium per actionem reproductam conſtitutum, eſt per ſe ſupremus cultus religionis Deo exhibitus, & actus proprius ſtatus viatoris, quà modo in altari oblatum; cum per ſenſibilem nobis peregrinantibus immolationem exerceri debeat in loco agonis. Actio igitur illa, per quam conſtituitur, quantumvis procedat à ſummo Sacerdote plenè beato, fluit tamen ab ipſo, ut capite Eccleſiæ militantis, & ut ſacrificante pro corpore myſtico in via, lucta fervente, & in campo ipſo ſanguinis, & ſudoris; & ex conſequenti capace meriti. Nulla autem ejuſmodi congruentia militat pro reliquis ~~actibus~~; quin & ſi alii etiam ~~ipſorum~~ primò producantur à Chriſto Domino ex Euchariſtia, pertineantque aliquatenus ad completè obeundum munus ſummi Sacerdotis; ſunt tamen extra ſacrificii eſſentiam, nec ad unitatem numericam ſacrificii eſt utilis eorumdem numero reproductio; cum ab eis non deſumat unitatem, nec diſtinctionem; nec ad majeſtatem ſacrificii pertinet meritum illorum, ſicuti pertinet meritum actionis ipſum intrinſecè conſtituentis: eo quod eſſe debeat ſacrificium ſummè perfectum, nobiliuſque cunctis excogitabilibus; pro quo idcirco diſpenſari debet in defectu pleni ſtatus viæ: quamquam pro aliis actibus nec proficua, nec rationi conſentanea apparet conſimilis diſpenſatio; maximè cum neceſſariò importarent novum meritum, quia non extitiſſent, ut antiquum repeterent. Unde actus nunc primò producti, ſi meritorii forent, neceſſariò adjungerent novum meritum extenſivum, immo & ſimpliciter infinitum, itaut unus ſe ſolo, ſi præcedentia non extitiſſent omne illorum præmium obtinere poſſet, non ſic autem ſacrificatio reproducta. Quoniam dum idem numero actus meritorius, qui fuit in Cœna, & in Cruce, reproducitur (quia ſui reproductionem jugem promeruit in eodem ligno), meritum, quod modo reproducitur, eſt idem numero, non tantùm objectivè, verùm & ſubjectivè cum merito Crucis; & ex conſequenti nihil novi meriti, aut

juris

juris denuo acquirit per reproductionem præſentem, ut conſtabit ex dicendis; alioquin jam non foret idem in ratione meriti. Cæterum comparativè ad actus diverſos, de præſentique primò productos, ſive producendos, meritum Crucis ſolùm eſt idem cum ipſis objectivè; quatenus promeruerit reflexè eorum meritum directum; neutiquam verò ſubjectivè; cum eſſet meritum numero, aut ſpecie diverſum, terminans ad inſtar præmii meritum illud in Cruce comparatum. Proinde neceſſariò foret meritum novum; hoc autem repugnare prorſus, colligitur abunde ex dictis: quoniam vel argueret præcedentium meritorum inopiam, vel ſui redundantiam.

Num. 85. Reſpondeo itaque ex ſupradictis, reproductionem ejuſdem numero actus, tametſi importet durationes illius diſtinctas, & voluntariè productas, nequaquam importare novam aliquam rationem meriti, nec novum aliquem juris titulum ad eadem præmia; dicere tamen rationem formalem ejuſdem numero meriti, & juris ad præmium, quod præceſſit in Cruce, ut hic & nunc phyſicè præſentem, & poſtulantem actu præmium eodem plane modo, ac illud exigebat in Cruce; non includit novum meritum, ſive ut novum præmium ſibi vendicans, ſive ut novum tantùm jus ad idem præmium fundans, quoniam omnis ejuſmodi novitas reſultaret in dedecus præcedentium meritorum, ſubindeque, nec per actum primò productum, nec per reproductionem liberam actus quondam meritorii, poteſt quidquam meriti, aut juris ad præmium accreſcere merito præcedenti, ut latè fuit hactenus oſtenſum, eſtque juxta omnium Theologorum propè placitum. Proptereaque nullo pacto ad novam rationem meriti concipi valet prudenter diſpenſatio in lege ordinaria neceſſitatis ſtatus viatoris, nec acceptatio, ordinatio, aut promiſſio; ſed pura acceptatio in ordine ad idem numero meritum, & jus ad præmium; ſive ordinatio in ordine tantum ad eum finem, & non ad ulteriorem aliquem titulum. Includit igitur idem numero phyſicèque meritum & jus ad præmia, ut actu de præſenti illa poſtulans: quia non ſolùm verificatur, quòd fuerit olim meritum condignum, ſed & quòd ſit de præſenti promerens de condigno illud ipſum præmium, quod tunc, & eodem omnino jure: non aliter ac ſi meritum foret prædicatum actui adæquatè intrinſecum; quemadmodum eſt ſupernaturalitas; cum revera ſit partim extrinſecum, utpote ab ſtatu viæ (qui extrinſecus eſt actui), & ab aliqua ordinadinatione, aut acceptatione Dei pendens: eo quod in ordine ad perſeverantiam, aut reproductionem illius, qua idem numero meritum, abſque aliqua accretione juris, aut meriti diſpenſatur in lege, & providentia ordinaria. Novæ igitur illæ durationes, quæ intercedunt in jugi ejuſdem actus reproductione, deſervirent utique ad novum meritum, ſi foret capax augmenti meritum anteactum, acceptareturque in ordine ad novum jus; cum tamen incapax incrementi ſit, ex ſuppoſitione conſummationis per mortem ob inculcata motiva, deſerviunt ad meriti ejuſdem perſeverantiam, quam conſtituunt; ea quidem proprietate ſermonis, ut propoſitio affirmans, actum illum fuiſſe quidem meritorium, verumtamen de præſenti phyſicè meritorium non eſſe (ad modum quo propoſitio, quæ tranſiret de vera in falſam, ſit falſa prorſus); cum eodem jure, & rigore ſit meritum de præſenti, ac fuit de præterito, quamvis abſque aliqua additione. Sicut enim perſiſtit apud omnes hic & nunc moraliter Chriſti Domini meritum; ita apud noſtram ſententiam perſeverat phyſicè, aut phyſicè reproducitur, dum actio illa ſacrificativa iteratò producitur. Aliquis enim actus divinus ordinans actum meritorium ad præmium ſupernaturale, ſive conſiſtat in ipſo decreto conferendi gratiam, ut vult Cajetanus, ſive in alio ſuperaddito, ut opinatur communis ſenteutia cum D. Eximio lib. 12. de gratia cap. 17. & reſpectu meriti eliciendi poſt emenſum viatoris ſtatum, acceptationem, vel actum diſpenſantem, neceſſarium eſſe manifeſtum eſt; & ille eſt qui inducit, & quaſi conſtituit extrinſece præſentem actum in ratione meriti, limitans illud ad jura antiqua, ut reproducta.

Neque aliquid in contrarium probat effectus perenniter de novo collatus per quodlibet ſacrificium altaris; quandoquidem licèt illum mereatur hic & nunc, promeruit attamen ipſum in Cruce, & quidem in actu etiam ſecundo, quamvis non abſolutè, ſed ſub conditione diſpoſitionis per ſe requiſitæ, & reproductionis ejus ſacrificationis; qua poſita idem numero meritum per ſolam conditionis purificationem tranſit in abſolutum, eſtque idcirco idem numero ſemper. Similitèr inefficax eſt exemplum gloriæ corporis Chriſti Domini, quæ licèt aliundè debeatur per meritum, nihilominùs obtineri novo titulo potuit, convenientiſſimumque fuit. Quoniam habere eamdem gloriam, aut qualitatem aliquam ſibi debitam titulis ſpecie diverſis, etiamſi quilibet eorum ſit infinitus in ſua linea, aut ordine, ideò non repugnat, ſed conſonum potiùs rationi eſt, quia nullius infinitudo derogat alterius infinitudini, utpotè diverſæ rationis, & ordinis. Verùm additio meriti foret in eadem linea formali meriti; & cum hoc, quà conſummatum ultimò in Cruce, fuerit undiquè infinitum, fieret illi injuria, ſi novum aliud meritum exiſteret, etiamſi vi illius novo ſolùm titulo, novaque juris exigentia deberetur idem numero præmium. Hęc nimiùm vulgata ſunt, ab omnibus admiſſa, tyronibus etiam nota; nec aſſertio præſens appetenda eſt ab adverſaria, quia expugnat nova merita; ſed quia ſuſcitat phyſicè antiqua, & profert de theſauro

ſauro Eeeleſiæ vetera renata. Quamobrem, licet meritum creſcere poſſet extenſivè, ideſt multiplicari numero actus meritorii ejuſdem præmil, ſi novum eſſet meritum conſummatum morte; poſtquam tamen completum jam eſt, multiplicari non poſset, quin argueret defectum præcedentis; inutilitèrque diſpenſaretur in lege communi.

Dices: non poteſt diſpenſatio, aut actus divinus Illud ordinare ad meritum; quin eo Ipſo illud ordinet ad meritum novum, acceptetque. Verùm nulla eſt in hoc implicatio: quemadmodum meritum præcedens Chriſti Domini durat nunc moraliter, obtinetque præmium, dum applicatur, & nihilominus novum merltum non eſt; niſi quod in re noſtra extitit phyſicè, dùm in exemplo ſolùm perſiſtit moraliter. Deinde cum merltum conſtituatur intrinſecè ex illamet ordinatione, ſi illa, utpote præſcindere potens, tendat eo modo, nequit conſtituere novum meritum ſimpliciter. Neque propterea erit diſtinctum à præcedenti; quoniam Idemmet actus exigit eſſentialiter utrumque illum ſtatum, uti de ſacrificatione cruenta, & incruenta dictum eſt. Immo licet ex ſuppoſitione, quòd ſit meritum, deberet eſſe novum, nihil probaret circa alios actus; ſiquidem eatenus eſſet, quia fuiſſet.

Num. 86. Objicies 2. Concilium Tridentin. ſeſs. 22. cap. 1. diſertè affirmans, juge ſacrificium eſſe repræſentationem ſacrificii cruenti; *ut dilectæ ſponſæ ſuæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud, ſemel in Cruce peragendum, repræſentaretur*. Inſuper eadem Sancta Synodus docet ibidem c. 2. per ſacrificium incruentum applicari nobis virtutem, & pretium cruenti: *& rurſus oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrimè percipitur*. Suppònit ergo, ſacrificium juge nihil in ſe habere formaliter meriti ſacrificii incruenti, nec pretii, quod ſolvatur prn peccatis hominum; ſed eſſe puram meriti illius phyſicè præteriti applicationem; nudamque pariter repræſentationem, & memoriam ſacrificii cruenti, & meriti Redemptorii: & ex conſequenti nullatenus eſſe illud numero meritum, nec illud numero ſacriſicium, nec eſſe poſſe, cum nec repræſentet, nec applicet ſeipſum. Confirmatur: vel meritum, quod adſtruimus in ſacrificio altaris, eſt formaliter ipſum pretium ſolutum in Cruce ad extinguenda noſtra debita; vel ſecus? Sl primum aſſeras, ineptè Tridentiuum diceret, per ſacrificium altaris applicari meritum Crucis; quoniam fruſtra mutuari ſupponitur è Cruce, quod habet formaliter in ſe, & quod à ſe, & ex ſeipſo confert. Quinimmo & eſſet falſa locutio, quia denotat, ſacriſicium juge non continere in ſe illud pretium, ſed è Cruce illud deſumere, & ad altare afferre. Si ſecundum: à fortiori deducitur, ſacriſicium incruentum nihil meriti proprii Crucis, aut in Cruce conſumati, in ſe formaliter continere; cum meritum ſacriſicii cruenti ſit per ſe formaliter ſolutivum pretii, redemptoriumque. Aut igitur ſacrificium altaris meritorium formaliter non erit; aut novum aliud meritum, ſive meriti genus continebit, quod ipſi averſamur.

Urgetur: ſi ſacrificium juge contineret in ſe formaliter meritum Crucis, ſeu pretium, illud ſeipſo formaliter, & per ſe primò ſolveret, extingueretque debita illa in actu ſecundo, pro quorum ſatisfactione offertur. Illud autem juxta Tridentinum purè applicat pretium incruenti; & aliunde, qui applicat pretium alterius, ut extinguat debitum aliquod, non eſt potiſſimè ſolvens, aut redimens, ſed ille cujus erat pretium ſolutum, ajente D. Thoma 3. p. q. 48. corpore: *ſi enim aliquis ſolvat pro redemptione alicujus rei pretium, quod non eſt ſuum ſed alterius, ipſe non dicitur redimere principaliter, ſed magis ille, cujus eſt pretium. Pretium autem Redemptionis noſtræ eſt Sanguis Chriſtl, vel vita ejus corporalis, quæ eſt in Sanguine, quam ipſe Chriſtus exolvit*. Ergo quia ſacrificium altaris non continet in ſe formaliter meritum Crucis: ſicut namque effuſionem Sanguinis non efficit realiter, ſed nudè illam repræſentat, ita nec pretium redemptionis, ex divina Inſtitutione affixum Sanguini pretioſiſſimo ut realiter effuſo, actuque cadente è Corpore vulnerato; itaut nonniſi enatans actu exire poſſet humani generis redemptio. Tandem reproductio hujus actus hic & nunc non habetur ex merito ejus hic & nunc, cum debuiſſet præcedere phyſicè meritum reproductionis. Ergo id obtinet ex merito Crucis: ſubindeque non eſt meritum hic & nunc actu, ſed fuit, dum actus ille eliceretur in Cruce, dum fuit actus militantis; non cum eſt actus jam emeriti, & quieſcentis.

Nu. 87. Leviſſimo impulſu corruunt omnia hæc, ſi in memoriam revocentur, quæ in ſuperioribus dicta fuerunt. Porro licet utrumque ſacrificium ſit idem numero ſimpliciter, ſecundum quid tamen diſtinguuntur ex rituum diverſitate. Præterea, nt objectio rectè ſupponit, Deus alligavit pretium redemptionis mundi cruento ritui. Inde autem ſequitur, ſacriſicium incruentum, ſive in Cœna primò peractum, ſive jugiter nunc in altari confectum, tametſi ratione ſui formaliter meritorium ſit; redemptorium tamen ratione ſui, ſive pretium redemptionis ſolvens minimè eſſe poſſe; quia hic erat effectus ex divino beneplacito Cruci alligatus: uti & conſumatio omnis meriti Chriſti Domini addicta erat eidem ligno. Eſt itaque ſacriſicium incruentum ratione ſui meritorium; quoniam hæc denominatio ſeparabilis eſt ab illa redimentis, ut liquet in ſacrificatione ipſa incruenta primò elicita, & inſtituta à Chriſto Domino in nocte Crucem præcedente; redemptorium tamen ratione ſui neutiquam fuit,

nec

nec primum illud , nec ea , quæ modò peraguntur . Unde ſolùm extrinſecè à ritu cruento ſubire poteſt eam denominationem. Et cum aliunde ſacrificium cruentum , licet idem numero ſimpliciter cum incruento , diſtinguatur ſecundum quid realiter ab illo pœnes ritum illum Sanguine rubentem ; propterea & dici valet incruentum repræſentatio cruenti pœnes ritum præfatum, & illius pretium applicare; quia ſufficit diſtinctio pœnes illum ritum, cui erat affixa redemptio . Habet igitur in ſe , & à ſe veluti intrinſecè actus ille ſacrificationis incruentæ rationem meriti ; rationem tamen meriti redimentis, aut ſolventis conſumatè , & completè pretium redemptionis , habet tantùm denominativè à ſacrificio ut cruento : quapropter dum illud dicimus meritum conſumatum, & redemptorium ; ita accipiendum eſt , ut rationem meriti babeat in ſe formaliter ; rationem verò conſumati , & redimentis denominativè à Cruce . Hinc fit , juremerito docere Tridentinum , ſacrificium incruentum applicare pretium cruenti, quia vim illam, efficaciamque , & conſumationem , à Cruce ſolùm habuerit , tametſi à ſe , & in ſe rationem meriti ſimpliciter . Fit itidem , cauſam priucipalem effectus , qua ille poſtulat pretium redemptionis ſolvendum in actu ſecundo , & in actu primo ſolutum , eſſe ſacrificium cruentum, cujus pretium applicat incruentum , adeoque ſartam tectamque remanere D. Tbomæ doctrinam allegatam ; cum hoc tamen optimè componitur , quòd ſacrificatio ipſa incruenta ſit ex ſe de præſenti meritoria , quantumvis conſumationem ſuam , & vim ſolutivam pretii ultimatam , completiſſimamque habeat à ſeipſa prout ſub ritu ſanguineo ſemel immolante ; quemadmodum ab eo ſolùm habet , quòd fuerit cruenta , quòd Victima fuerit ſimpliciter mortua , & per brevem vitæ jacturam inveniret redemptionem æternam: *introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*. Ad Hæbr. 9. quaſi adeo foret ſitibunda juſtitia Dei , ut nonniſi vivo ſanguine è veua ipſa multipliciter rupta expleretur.

Ex his autem cadit ultima reflexio pariter ; ſiquidem ipſe actus , qui producitur hic & nunc , eſt ipſum meritum ſuæ reproductionis pro hoc inſtanti ; quantumvis non denominetur hic & nunc obtinens ſui reproductionem , ſi ad illam obtinendam debeat præcedere phyſicè in alio inſtanti . Sic meritum obtinens præmium in inſtanti *A* , ſi duret in *B* , eſt meritum ejuſdem præmii in inſtanti etiam *B*. licet ut ipſum obtinere potuiſſet in *A*, non ſufficeret nudè exiſtentia in *B*. quoniam hæc eſt pura denominatio extrinſeca , deſumpta partim à duratione , quæ neutiquam arguit defectum ſubjectivum meriti in *B*. ſed (ex præcedenti antiqua alia ejuſdem meriti exiſtentia) anticipationem præmii ; quod plerumque in humanis tardiùs appellit .

Num. 88. Oppones 3. ſi ſacrificium juge foret meritorium ratione ſui , ejus meritum neceſſariò eſſet diverſum à merito Crucis , uti & à reliquis Chriſti Domini meritis in ſtatu viatoris ; hoc eſt planè diſſonum , & derogans magnitudini , & exuberantiæ meriti præcedentis, utpote undique infiniti . Ergo &c. Minor extra controverſiam eſt , & à nobis firmiſſimè propugnata . Major oſtenditur : quoniam ſacrificium cruentum , quantumvis promeruerit , non ſolùm omne pretium poſſibile , exolveritque omne pretium , ſed & omnem pretii ipſius applicationem , organaque , & inſtrumenta , per quæ in actu ſecundo , & quoad efficaciam decurrit , & derivatur in membra Corporis myſtici ; cæterum cum omnia hæc promeruerit ſolùm quoad ſufficientiam , & in actu primo , ſi ſacrificium incruentum illud applicans efficaciter in actu ſecundo ſit meritorium , à fortiori erit meritorium quoad efficaciam in particulari & determinatè ; meritum autem præmii alicujus quoad ſufficientiam, & meritum ejuſdem quoad efficaciam , ſunt merita diverſæ rationis , etiamſi utrumque verſetur circa eumdem numero effectum, aut præmium . Quemadmodum cauſa , ſeu virtus in actu primo productiva cujuſdam effectus diſtinguitur ab applicatione illius, licet ipſam ad eumdem effectum applicet . Reſpondeo juxta ſæpius dicta, meritum ſacrificii incruenti eſſe formaliter idem ſecuudum ſe cum merito Crucis ſpecificativè accepto ; quia eſt idem numero actus meritorius ; reduplicativè tamen uſurpatum cruentum differt , quatenus ſacrificationi illi ut ſub ritu cruoris peractæ affecta erat ex Dei ordinatione mundi ſalus , & omnium meritorium Chriſti Domini conſummatio , quod neutiquam convenit illi , quà ſub ritu incruento conficiendæ . Hæc tamen ratio extrinſeca prorſus eſt actui ipſi meritorio , ejuſque intrinſecæ dignitati ; cum illa ſit utrobique ſimpliciter infinita , potueritque alligari redemptio illi actui pariter ut incruento ritu elicito .

Quamvis autem meritum Crucis , etiam ſub ea reduplicatione acceptum , ſit meritum omnis præmii poſſibilis (& conſequentèr etiam applicationis ſui in poſterùm determinatè , & in particulari efficiendæ) quoad ſufficientiam duntaxàt in actu primo ; ita nihilominùs eſt in actu primo , ſive quoad ſufficientiam abſolutè , ut ſit quoque quoad efficaciam , aut in actu ſecundo conditionatè. ; ſi nimirùm hoc vel illud à nobis fiat ; ſi à Miniſtro ſacrificium pro illo , aut illis offeratur ; quòd Miniſter proferat verba conſecrationis ; quòd recepturus effectum , ritè diſpoſitus fuerit &c. Subindèque purificata conditione idem numero meritum conditionatum tranſit in abſolutum , ab eoque numero merito cauſatur effectus hic & nunc quoad efficaciam , quod in actu primo , vel

quoad

quoad ſufficientiam illum promeruerat; atque adeò non inducitur actu, & quoad efficaciam ab hac ſacrificatione incruenta tantùm, ſed ab illa ut in Cruce ſub ritu doloris conſummata, applicataque hic & nunc: ſic per Baptiſmum, & alia Sacramenta ex ſe applicativa meritorum Chriſti Domini, quamquam in ſe non meritoria formaliter, confertur gratia ex opere operato, donaque alia cauſantur, obice non poſito; quorum cauſalitate ſit, ut meritum Chriſti Domini, quod erat ſolùm quoad ſufficientiam priùs, & ſolùm efficax ſub ea conditione, relatè ad illum fructum, expleta, purificata illa, reddatur efficax in actu ſecundo. Non eſt igitur diverſæ rationis meritum quoad ſufficientiam, & quoad efficaciam, ut hic & nunc applicatum; idemque numero, quod determinatè parit hunc determinatum effectum, & quod omne præmium quoad ſufficientiam promeruerat. Meritum autem Crucis, & meritum ſacrificii altaris diſtinguuntur ſolùm extrinſecè ex divina illa affixione, extrinſeca ſacrificationi eidemque actui, ſeu qui utrobique eſt idem numero, idemque numero meritum intrinſecè, & ex parte dignitatis, & operationis acceptum; quia eadem numero formaliter ſacrificatio, quæ fuit in ligno Crucis producta, reproducitur in altari ſemper; & ex conſequenti idem numero meritum ſpecificativè, intrinſecèque, applicans ſe ipſum, ut ſanguine fuſo conſummatum, olim, & hac via ſolvens actu meritorio pretium, exhauriendum numquam in particulari, etiamſi opes ſuas eo modo Chriſtus Dominus profundere, & veluti prodigere conſulto vellet (*infinitus enim Theſaurus eſt hominibus*. Sapient. 7.) in Cruce prodigus vitæ, ſanguiniſque, in altari prodigus Theſauri ſui, & pretii pro aliis ſolvendi.

Num. 89. Oppones quartò defectum libertatis in Chriſto Domino ad omittendam ſacrificationis reproductionem in altari, præſuppoſita conſecratione Miniſtri; cum adſit promiſſio divina, de exiſtentia ſacrificii, ſemel ac ſiat conſecratio ſub utraque ſpecie à legitimo Miniſtro. Ex libertatis autem defectu colligitur abſentia meriti indefectibiliter. Poterit igitur reproduci actus, qui fuit meritorius; neutiquam tamen exiſtere meritum de præſenti. Reſp. Chriſtum Dominum, ſummumque Sacerdotem, non obſtante ea promiſſione, eſſe planè liberum ad reproducendam ſacrificationem incruentam, ſacrificandumque; quemamodum liberrimus fuit in acceptatione mortis, tametſi illa fuerit ſtrictè præcepta, & ille impeccabilis; ſive libertas perſiſtere credatur ſufficienter illæſa per poteſtatem purè antecedentem cum neceſſitate conſequenti, quæ propterea nullo pacto intelligatur pro priori; uti nec ſcientia infallibilis de exiſtentia ſacrificationis; ſive per diverſas alias ſemitas, quas in cognata difficultate arripiunt Scholaſtici: & quorum meminimus Diſput. 14. Enigm. Theolog. ſect. ultima; ſive tandem acquieſcere velis doctrinæ, quam ibidem tradidimus, juxta quam tenetur quidem Chriſtus Dominus vi promiſſionis ad peragendum ſacrificium, illico ac per conſecrationem ſiat realiter præſens ſub utraque ſpecie, attenta poteſtate ordinaria; ſimul attamen attenta poteſtate inſtrumentaria miraculorum factiva, liberrimus eſt ad efficiendum divinitus, ut illicò ac primò exiſtat ſub ſpeciebus panis, illæ evaneſcant (aut conſimili alio modo), priùſquam ſiat conſecratio Calicis; ita ut loco ſacrificationis ex pacto inito neceſſariò eliciendæ, ſi exiſterent ſimul conſecratæ ſpecies panis, & vini, auferat potiùs neceſſitatem, quin & poſſibilitatem ſacrificationis pro eo eventu; cum removeret tunc coexiſtentiam ſimultaneam, mutuamque Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub ſpeciebus illis diverſis, ſine qua exiſtere nequit ſacrificium. Qua via, ex poteſtate ordinaria ſtandi fideliter promiſſis, & ex inſtrumentaria impediendi eventum, & conditiones, ſub quibus tantùm ſpoponderat, coaleſcit plena libertas ad ſacrificandum; tametſi certum ſit, nunquam reducendam fore ad praxim potentiam illam inſtrumentariam, niſi forſan rariſſimè, dum expediret, ſuammet poteſtatem liberam oſtentare.

Si verò ex hac ipſa ſolutione aſſurgas, & opponas, eam libertatem eſſe novam aliam diverſam ab ea, qua in Cruce ſacrificavit ſeipſum, proindeque reſultaturum ex ipſa novum meritum, etiamſi actus meritorius ſit intrinſecè idem utrobique. Nodum jam pœnitus ſolutum in prima objectione reproducis: ibi enim conſtitit, liberam hanc meriti durationem novam nihil meriti ſuperaddere, ſive ſit libera eadem numero cum libertate, qua prius (quæ fuit etiam eodem modo conſtituta), ſive alia; ſiquidem ad rationem meriti requiritur ſanè vera aliqua libertas; de materiali tamen ſe habet, quod ſit hæc vel illa. Non ſuperaddere, in quam novam meriti rationem; quia hoc ipſum meritum novæ durationis liberæ fuit etiam in Cruce, quantumvis nondum adeſſet nova illa duratio, ſed extitura foret, quia promeruit Chriſto Domino reproductiones illas in perpetuum, & actus ipſe meritorius earumdem, eſt qui reproducitur; illudque ipſum, quod objectio appellat novum meritum, fuit ſubjectivè meritum antiquum, & in Cruce comparatum. Quia cum fuerit infinitum ſimpliciter in Cruce, & ſit idem numero, non permittit accrectionem aliquam, etiamſi perſeverantiam actualem meriti præcedentis invehat, & meritum præteritum efficiat quoque præſens phyſicè. Ad hæc, nec libertas ipſa erit materialiter utrobique diſtincta, quia eadem cognitio utrobique producitur, & reproducitur, repreſentans utramque ſacrificationem, ut copioſè dictum eſt in tota hac diſputatione,

tione , ſive actus ille ſacrificans ſit intrinſecè liber , ſive non . Quamplura alia poſſent nobis opponi , ſed quæ vel jam diluta fuere in præcedeutibus , vel quæ ex illis nullo negotio dilui poſſunt ; licet revera ita meritum adſtruimus in ſacrificio altaris, prout actione ſummi Sacerdotis confecto , ut diſplicere tantùm valeat , quibus non placuerit ejuſdem numero ſacrificationis reproductio ; quamquam , ut opinamur , non benè ſolum , ſed præclarè merita de Theologia , & de ara ipſa .

DISPUTATIO SEPTIMA.

Occaſione cujuſdam ſatis arduæ difficultatis, ex doctrina præcedentis Diſputationis ſponte ſua emergentis, diſquiritur, num ſummus noſter Sacerdos poſt ſæculi conſummationem, & in æternum ſtrictim uſurpatum, celebraturus ſit verum aliquod ſacrificium, cum ſit inextinguibile, perennaturumque unà cum ipſo ejus Sacerdotium?

RESTAT ſuperanda acclivis admodum difficultas, quæ potiſſimas immediatè præteritas aſſertiones adoritur aſſultu validiſſimo, & inopinato, neſcio an ſecurior de triumpho, an glorioſior de ſacrificio. Quoniam tamen illa attingit Chriſti Domini Sacerdotium, ut per totam æternitatem duraturum, & ex ea orthodoxa doctrina quærit à nobis æternum pariter ſacrificium, quod negotium faceſſit quammaximum; operæ pretium duximus, non unitim cum præcedenti Diſputatione, ſed ſejunctim agitare dubium præfixum, ne Diſputatio illa excreſceret in immenſum, ſenſimque cum ipſa æternitate, de qua diſſerit, iret in perpetuum: & ne tanta rerum diverſitate caligaret Diſputatio nimium, coaleſceretque ex illa varietate unum confuſionis totum. Non idcirco tamen præſens diſſertatio prolixa erit, ſed potiùs brevior præcedentibus; quoniam ad illius deciſionem plura præſupponenda ſunt ex dictis, & pleraque argumenta in comprobationem afferti producendi haurienda ſunt ex eiſdem fontibus, per æternitatis ſpatia leniter decurrentibus. Audietur in ea vox ſuaviſſima ſummi Sacerdotis canentis jugiter, & immolantis offerentiſque verum, & proprium laudis ſacrificium: *Sacrificium laudis honorificabit me:* Pſalm. 49.; & quidem per itinera ævitema decantatum. Non erit ſanè uti in Cruce purpureum, nec ut in altaribus noſtris incruentè confectum; & nihilominus nequaquam erit ab utroque ſimpliciter diſtinctum, quia Magni Sacerdotis fœtus potiſſimus eſſe debet unicus, ſin aliter minimè foret dignus infinitudinis Sacerdotii partus. Verùm ineptum eſt brevi orationi attexere præfationem longam, & humili caſæ porticum amplam.

SE-

SECTIO PRIMA.

Propoſita inſinuata nuper difficultate, ſpeciem quamdam victricis præſeferente, ſtatuitur verum, ſtrictumque in Eccleſia triumphanti laudis ſacrificium à Christo Domino *celebrandum: idemque numero cum Eccleſiæ militantis ſacrificio, quamquam veſtibus aliis glorioſè indutum.*

§. I.

Nu. 1. DIFFICULTAS, quæ præcedentis Diſputationis doctrinam aperto marte aggreditur, & dare manus cogit; quin propterea vincatur, eſt hujuſmodi. Chriſti Domini Sacerdotium eſt in æternum ſtrictè acceptum duraturum: tum quia ita ſimpliciter profertur Pſ. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ubi licet non rarò *to, in æternum* accipiatur paſſim pro ſola mundi duratione ab Interpretibus; ſtrictiùs tamen, & meliùs ab aliis uſurpatur pro æternitate propria, finem numquam viſura. Immò vel ab eis, qui juxta primam acceptionem intelligunt verba relata, negatur duntaxat æternitas ſacrificii jugis, quod modo peragitur, & uſque in mundi extremum exitium permanebit ſolum; minime verò æternitas in toto rigore ſermonis, & æternitatis, Sacerdotio Chriſti Domini, quam nemo inficiari valet impunè. Tum quia Sacerdotium ſupremum eſt dignitas debita Chriſto Domino ratione nexus hypoſtatici humanitatis ſacroſanctæ ad Verbum Divinum, nexus autem ille non minùs æternus eſt, ac ipſe Chriſtus Dominus, non minùs igitur æternum erit ejus Sacerdotium. Tum quia Synodus Tridentina id ſufficienter expreſſit ſeſs. 22. cap. 1. cum dixit: *quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat ... Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech conſtitutum ſe in æternum declarans &c.* Tum quia id colligitur luculenta illatione ex Apoſtolo ad Hæbr. à cap. 5. ubi toties hanc æternam durationem Sacerdotii Chriſti Domini exprimit, numquam habituram finem, uti nec Scriptura refert, Melchiſedechium, ejus typum, vidiſſe finem dierum: toties illam objicit Sacerdotio Levitico, ut novum Sacerdotium ſupra vetus extollat multis titulis, ut omnem planè viam exponendi æternitatem Sacerdotii, quæ terminum permittat, aut exigat, in æternum occludat. Quin & æternitatem Sacerdotii dicit prorſus eamdem cum æternitate durationis ipſius Chriſti Domini: *Hic autem*, inquit cap. 7., *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium*. Idemque prædictum fuerat Eccleſ. 45. *Ut ſit illi, & ſemini ejus Sacerdotii dignitas in æternum*. Ex hac inconcuſſa veritate pullulat ſecunda, mihi non minùs certa; tametſi non ita dilucidè notata: exiturum videlicet in æternum verum aliquod, & proprium ſacrificium à ſummo Sacerdote perenniter conficiendum. Quandoquidem exiſtere in perpetuum ſtrictum Sacerdotium ſublimiſſimumque, & nullum poſt conflagrationem orbis per ſpatia interminabilia æternitatis offerre actu ſacrificium proprium Deo, non minùs repugnat Philoſophiæ docenti, otioſam penitus eſſe potentiam numquam reducendam ad actum, quam Theologiæ, quæ didicit ab Auguſt. Epiſt. 49.: *Sacerdotium, & ſacrificium* eſſe inter ſeſe planè connexa, ex quo ſequitur evidenter, unum ſine altero exiſtere non poſſe. Neque enim poteſt uſurpari connexio per ſolam habitudinem in actu primo ad ſacrificium purè in actu primo acceptum, perventurum numquam ad actum ſecundum. Quoniam ex hac ipſa connexione eſſentiali in actu primo, per quam conſtituitur, & explicatur natura, & eſſentia Sacerdotii, deducitur Sacerdotium ipſum in actu primo, aut poſtulare actum ſecundum ſacrificandi, cum omnis potentia proximè expedita ad operandum exigat actum ſecundum operationis, ut complementum; aut non habere dignitatem Sacerdotii expeditam, immediatamque, ſed remotam, & impedimento ligatam; quod abſurdè concederetur: ſiquidem tunc non eſſet jam verè Sacerdos in æternum, ſed fuiſſet, quia non haberet officium, quod ſignificat nomen *Sacerdotis*: uti reliqui Sacerdotes inferiores, quamquam caractere Sacerdotali præditi, verè, & phyſicè Sacerdotii dignitatem æternam neutiquam habebunt, cum ſubire munus illud nequeant ulterius; ſed moraliter ſolùm ex præhabita dignitate in ſe, & phyſicè, ex ejus effectu, quo potiuntur. Quod contradicit vero Chriſti Domini Sacerdotio æternum duraturo, & nuper oſtenſo.

Præterea eadem repugnantia eruitur ex verbis Pauli ad Hæbr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat &c.* ubi actum ſecundum offerendi, & immolandi, dicit finem potiſſimum, & rationem formalem Sacerdotii. Ideoque S. Thom. 3. par. quæſt. 22. art. 1. corpore ait: *Dicendum, quòd proprium officium Sacerdotis eſt eſſe mediatorem inter Deum, & Populum, in quantùm ſcilicet Divina Populo tradit, unde dicitur Sacerdos, quaſi ſacra dans*. Rem igitur ſacram facere, ſive ſacrificare eſt munus per ſe primum Sacerdotii, per ordinem ad quod definitur, & quo repugnante exiſtere nequit; nec deceret Chriſtum Dominum habere titulum perpetuum ſine re, officium proprium cum incapacitate reducendi illud ad praxim, & uſum; eſt enim otium hoc ex illo genere, quod natura ipſa refugit, & Deus numquam facit;

Num. 2. Quamobrem, quòd Chriſtus

Dominus ſemel tantùm obtulerit ſacrificium cruentum, tametſi Sacerdotium ſit perpetuum; probat ſolùm, Sacerdotium non eſſe æternum relatè ad munus ſacrificandi ſub illo ritu, quamvis ſit æternus illius ſacrificii effectus, & licet moraliter perſeveret in eo ſenſu ſacrificium illud, & Sacerdotium, ſed ultra ſacrificationem Sanguine madefactam, adeſſe immolationem incruentam, vel ſubſiſtere eamdem numero ſub diverſo ritu, tum in altari, tum deinceps in Empyreo modo infra elucidando. Similiter, quòd ante inſtitutionem ſacrificii Euchariſtici in Cœna noviſſima, Sanguiniſque deinceps effuſionem in Cruce, nullum peregerit ſacrificium, etiamſi ab inſtanti Incarnationis fuerit ſummus Sacerdos, nihil in oppoſitum evincit; tum quia connexio illa talis indolis non eſt, ut exigat pro omni inſtanti actum ſecundum ſacrificandi, præſertim cum ſacrificatio ſit actio libera ſummi Sacerdotis; poſtulat tamen eſſentialiter exercitium aliquod ſui muneris poſſibile, & extiturum tempore opportuno. Si autem per integram æternitatem, nunquam ad actum ſecundum foret reducenda, vel non eſſet dignitas expedita, & immediata, ſed remota, & veluti effœta præteritis ſacrificiis. Vel foret ſimpliciter inutilis, otiareturque in æternum ad dexteram Dei ſedens ea dignitas muta, & immota.

Tum quia præcedenti tempore officium Sacerdotis in Chriſto Domino impeditum fuit obice quodam auferibile per ipſum; proindeque erat Sacerdos quidem, nondum tamen proximè expeditus. Impedimentum autem erat duratio legis antiquæ, uſuſque Sacerdotii Levitici, quod abrogandum erat per exercitium novi Sacerdotii tempore deſtinato ad novæ legis Inſtitutionem, promulgationemque. Unde quouſque adventaret tempus prædictæ abrogationis, non erat opportunum tempus exercendi novum Sacerdotium. Obex autem impediens uſum Sacerdotii ſummi eſſe non debet perpetuum; alioqui jam deſineret eſſe verum Sacerdotium illud, ſed auferibile ſimpliciter, & ſimpliciter auferendum. Tum quia licet non obtulerit ſacrificium novæ legis toto illo tempore, potuiſſet attamen illud offerre, ſi voluiſſet: ut in Circumciſione exempli gratia potuit tanquam ſummus Sacerdos vulnus impreſſum, cruentamque illam carnis ſuæ Immolationem offerre (quin & illam verè Deo obtuliſſe, certum eſt; tametſi non ut Sacerdos ſummus, cum foret actio illa veteris Sacerdotii); juxta illos præſertim Theologos, qui quamlibet realem Victimæ immutationem ſufficere credunt ad ſtrictum ſacrificium. Non ſacrificavit attamen, quia non erat operatio propria novi Sacerdotii, ſed antiquæ legis Sacramentum abrogandum: quia nondum venerat hora ejus, hora ſcilicet immolandi vitam Corporis, & hora ſalutis noſtræ; nec congruebat divinis ordinationibus illam prævenire; nec diù ante mortem illam in altari repræſentare per altiſſimum Euchariſtiæ myſterium, in ſe arduum, & creditu difficillimum, donec per ſtupenda miracula tempore ſuæ divinæ prædicationis facta, redderentur credibilia arcana profundiora. Si namque dum ſermonem haberet ad Populum de Auguſto Euchariſtiæ myſterio, ſeditione turbarum facta, & veluti tumultuante, Synagoga, plurium Diſcipulorum fides obſcurata eſt, ſcandalum paſſa; quid contingeret ſi ad praxim tunc foret reducta Euchariſtia? Si promiſſam ut futuram horruerunt, quo pacto illam præſentem adorarent?

Num. 3. Concedamus attamen, ad argumentum vividiùs firmandum, & liberiùs, ſufficere connexionem, ſive habitudinem Sacerdotis ad ſacrificium in actu primo; eo enim ipſo præſupponitur ſacrificii æterni poſſibilitas, quantumvis numquam de facto extiturum eſſet. Non enim, ut ſupra obſervatum fuit, dici poteſt verè exiſtens in tota æternitate dignitas propriè talis Sacerdotis per ordinem duntaxat ad ſacrificia tunc præterita; quandoquidem id argueret inevitabiliter defectum veri, & ſtricti Sacerdotii, ut ſempiterni: oſtenderet profecto, illum fuiſſe verum Sacerdotem; neutiquam eſſe pro æternitatis duratione Sacerdotium ſtrictè, & immediatè, expeditèque. Quoniam potentia, quæ unico actu completur (vel actibus determinati alicujus temporis *ſatiatur*) ſtaut alium producere non valeat, eo tranſacto, remanet planè infecunda; remotè ſolùm potentia, & impotentia ſimpliciter, umbraque emerita illius facultatis, vel potiùs nominis. Ex permiſſione itaque illius babitudinis ad ſacrificium ut in actu primo ſolùm acceptum, reſurgit in hunc modum argumentum; vel illud ſacrificium poſſibile (impoſſibile enim argueret impoſſibilem eſſentiam Sacerdotii) eſt cruentum, & hoc omnino repugnat; cum illud juxta doctrinam fidei ex Apoſtolo iterabile non ſit, nec aliud cruentum eſt poſſibile abſque injuria ſemel peracti.

Nec in ſtatu beatitudinis admitti debet cruor Hoſtiæ divinæ per Empyreum effuſus, nec gemitus, aut dolor victimæ morientis, *quia prima abierunt*. Vel incruentum? & hoc minimè duraturum ſub eodem ritu poſt ſæculi conſummationem, uti nec Euchariſtiæ Sacramentum, conſtans, & ferè concors Theologorum eorumdem doctrina eſt; ita ut contraria cenſeatur ab eis exotica, colore ſolùm cujuſdam pietatis imbuta, perperamque hauſta ex libertate quadam, aut licentia poetica Sancti Odonis in hymno de Euchariſtia: *Hac genus, hoc unum placet, hoc durabit in ævum*; quaſi per ævum intelligi non poſſet, inquiunt, quamoptimè duratio Mundi in carmine, cum in Apoſtolo per æternitatem Sacerdotii ut offerentis ſacrificium altaris intellexerint id ipſum & Patres frequenter, & Scholaſtici. Certè nec ver-

verba illa Pauli 1. Corint. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* ſinunt aliter opinari. Neque illa Chriſti Domini Math. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſaeculi*. Uti nec verba Tridentini ſeſs. 13. cap. 2. quapropter S. Thom. 3. par. qu. 61. art. 4. ad primum inſinuata hujus doctrinæ ratione ex S. Dionyſio de Eccleſ. Hierarc. cap. 5. inquit: *& ideo tunc* (in ſtatu compléto beatitudinis) *nulla erunt Sacramenta*; ex quo neceſſariò infertur, non extiturum umquam Sacrificium Euchariſticum; cum illud minimè peragi valeat, quin conficiatur media conſecratione Sacramentum. Conſule pientiſſimum Euſebium Nieremberg. de Origine Sacræ Scripturæ lib. 8. cap. 34. & Gabrielem de Henao de Empyreo Cœlo exercit. 24. & quamquam viri pietate, & doctrina præſtantes perennaturam Euchariſtiam credant, & ſuadeant, de quo legendus Joannes Bernique Magiſter Complutenſis in vita Virginis Catharinæ à Jeſu, & noviter Joſephus à Sancto Benedicto; plerumque tamen id ſolùm futurum credunt, ut perſiſtat phyſicè ſtupendum adeo, & mirandum arcanum ad perpetuam laudem, & admirationem beatorum; non autem ut uſus Euchariſtiæ vigeat ibi, aut quod denuò conſecretur, ut denuo in ſacrificium offeratur; cum aliunde illud in conſecratione ſitum formaliter putent. Et quamquam juxta principia noſtra conſiſtat in actione Chriſti Domini ſubſecuta; præſupponere tamen debet conſecrationem novam. Et præterea nequit exiſtere in Eccleſia ex integro triumphante ſuſpenſio illa omnis vitæ actualis ſenſibilis. Neceſſariò igitur erit aliud ſacrificium diverſum à cruento incruentoque; & ſic corruit ab imis fundamentis aſſertio diſputatione præcedenti ſtabilita, & ex Apoſtoli argumento deducta; quòd ſcilicet Sacerdotium Chriſti Domini utpotè infinitæ dignitatis deſumptæ per ordinem ad ſacrificationem, contentum eſſe debeat unico ſacrificio, ſummoque; itaut repugnet illi omnis multiplicitas, etiam numerica ſacrificiorum, quia unum alteri injuriam faceret, quin & contumeliam, dum ſimul in diverſis locis fierent; & cum ex ſuo formali conceptu Deum placare intendunt, rixa implacabili mutuò dimicarent eiſdem gladiis, quibus victimam ſacrificarent.

Num. 4. Reſumendo igitur vim diſcurſus præſentis arguo ſic: Sacerdotium Chriſti Domini ut verum, & ſtrictum Sacerdotium eſt, duraturum eſt proculdubio in æternum, æternitate in toto rigore ſermonis accepta, terminumque ſui numquam viſura: ſed nequit exiſtere verum, & proprium Sacerdotium ſine aliquo ſtricto, & vero ſacrificio. Ergo neceſſariò confici debet jugiter per totam æternitatem, ſtrictim uſurpatam, aliquod verum, & proprium ſacrificium à Summo Sacerdote Chriſto Domino celebrandum. At ejuſmodi ſacrificium eſſe nequit Sacrificium Crucis, nec rurſus ſacrificium altaris, quod modò peragitur: ergo à fortiori eſt aliud prorſus ſacrificium, & quidem non tantùm numero, ſed ſpecie diverſum; cum carere debeat utraque illa formalitate eſſentiali, quam imbibunt cruentum, & incruentum, alteramque ſubinduat, per quam conſtituatur poſitivè in ratione ab illis diverſa. Inde autem evidenter ſubinfertur iterum, ſacrificium proprium hujus Sacerdotii ſummi neutiquam eſſe unicum, ſed ad diverſa numero, & ſpecie, ſacrificia vires ſuas ſacrificativas extendere pro diverſitate temporum, & Eccleſiæ ſtatuum. Et aliunde ubi hoc ſemel verificetur fruſtra inſudatum fuerit à nobis in perſuadenda unitate ſimpliciter numerica ſacrificii incruenti, & cruenti, irritaque fuere tam argumenta, quàm vota, nequidquam reproductionem realem ejuſdem numero immolationis, non ſine ſtudio quæſitam, & comparatam induxerimus.

Urgetur: Sacrificium propriè acceptum reſpicit per ſe primò Deum, ejuſque honorem, & ſupremam poteſtatem, aut jus alti Dominii, quod immolatione ipſa proteſtatur: ſubindèque eſt actus ſupremus religionis Dei cultum foventis; & ſecúndariò tantùm reſpicit utilitatem noſtram, ut ex D. Thoma, & Theologorum conſtanti doctrina vidimus ea Diſputatione. Ergò aut Deus extiturus eſt per immenſa æternitatis ſpatia abſque ſupremo religionis cultu ſibi cunctis nominibus debito, quod perabſurdè admitteretur; aut conficiendum erit jugitèr per interminabilem futuram vitam verum, & proprium aliquod ſacrificium in Dei obſequium, honorem, & cultum. Ex alia parte ejuſmodi ſacrificium oriri nequit ab alio Sacerdotio, nec ab alio Sacerdote ſummo, loco Chriſti Domini; alioqui ejus Sacerdotium ſucceſſorem tandèm agnoſceret, ut Leviticum, terminumque officii ſui practicè videret, quod repugnat doctrinæ Apoſtoli ibidem latè expenſæ. Neque ſacrificium illud eſſe valet idem numero cum ſacrificio Crucis, & altaris, cum neutrum perennari valeat. Erit igitur diverſum ab utroque ſacrificium, ac proindè omnia aſſerta Diſputationis præteritæ unà cadunt. Quòd autem nec ſacrificium Crucis, nec altaris iterari valeant in ſtatu beatitudinis, oſtenſum nuper fuit; & quidèm de ſacrificio cruento fide ſanctum credimus numquam iterandum; Sacrificium verò ſub ſpeciebus panis, & vini ſimul cum Mundo finiendum, conſummandumque, liquet ſufficientèr ex dictis. In loco enim beatitudinis aderit ſanè fertiliſſima bonorum omnium ſeges; nulla tamen frugum: nec latere debet jugitèr Chriſtus Dominus in gloria ſub aliena ſpecie, ubi illius pulchritudo patere debet cunctis revelata facie.

Num. 5. Succubuere huic difficultati Scho-

Scholaſtici plerumque, ſive qui ejuſmodi ſacrificium æterno paritèr ſilentio invulvunt, quatenùs unicum ſacrificium altaris, quod nunc conficitur, expiraturum omninò ſentiunt cum moriente Univerſo; deque alio extituro poſt conſummationem Mundi nec ullum verbum faciunt; ſubindèque carentiæ omnis veri ſacrificii pro tota æternitate acquieſcere videntur: ſive qui ſacrificium laudis ſempiternum agnoſcunt, & approbant, ut convenientiſſimum: illud attamen dicunt latè ſolùm, & impropriè ſacrificium. Juxtà quam doctrinam reſpondent objectioni factæ: quòd, licèt dignitas illa Sacerdotii, quantùm eſt ex parte ipſius, ſit capax in actu primo conficiendi verum rigoroſumque ſacrificium; ratione tamen ſtatus, extrinſecèque, impeditur ejus uſus. Quemadmodùm dignitas infinitè merendi reperitur per ſe in humanitate Chriſti Domini titulo unionis hypoſtaticæ; & nihilominùs ratione ſtatus beatitudinis, terminique extra viam exiſtentis, impeditur ratio formalis meriti in actu ſecundo, quæ alioqui infallibilitèr derivaretur in ejus operationes.

Verùm reſponſio hæc inſufficientèr occurrit argumento propoſito, & doctrinam continet falſam, à dignitateque ſummi Sacerdotii alienam. Non ſolvit difficultatem objectam, quoniam illa probat extiturum à fortiori proprium in toto rigore ſacrificium in ſæculo venturo; eo quod perſeveraturum ſit ſummum Chriſti Domini Sacerdotium in illo ſempiterna duratione, ut proximè potens fungi munere ſuo, planèque expeditum. Tum quia deficeret in æternum ſupremus Dei cultus, quem potiſſimè reſpicit ſacrificium, & qui ſolùm obtineri valet per actualem ſacrificationem; ni mutare velimus unà cum ſtatu beatitudinis eſſentiam ſacrificii, & ſublimioris cultus. Tum quia latum eſt diſcrimen inter dignitatem ad meritum de condigno, & dignitatem ſummi Sacerdotii: namque meritum ex divina ordinatione alligatur ſtatui viatoris, vel proprio illius, qui meretur, vel proprio ſaltem Corporis myſtici, itaut terminum illum excedere nequeat. Atque adeo meritum de condigno in patria, poſtquam Eccleſia Sancta militare deſierit, tranſeatque adæquatè in triumphalem, integrumque Corpus myſticum Chriſti Domini ſit beatum, impoſſibile prorſus fiet ab extrinſeco. Semel autem ac illud impoſſibile ſit, potentia ad ipſum nullo pacto eſt proxima, & expedita; ſed remota, purè radicalis, & jam ex integro effœta, quia potentia, & actus mutuam habitudinem important. Propptereaque nec Scriptura Sacra, nec Patres ſupponunt, vel aſſerunt futuram æternam potentiam Chriſti Domini ad merendum. Cæterum dignitatem Sacerdotii ſupremam duraturam in æternum ſimpliciter affirmat ſæpe Scriptura Sacra, & ex illa Patres omnes, conſequenterque convenit Chriſto in Patria, etiam poſt mundi ruinam, verum Sacerdotium, proindeque proximè expeditum: ex quo rurſus ſequitur neceſſitas veri alicujus ſacrificii.

Quin obſtet quod dicatur æternus ſecundum ordinem Melchiſedech, cujus ſacrificium eſſe nequeat æternum rigoroſè. Quandoquidem ideo verè dicitur Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedech, licet ſacrificium pro æternitate ipſa peragi non debeat in pane, & vino, ſub eoque ritu; quia ſemper erit idem numero ſacrificium ſimpliciter, ut fert opinio noſtra, proindeque ſemper idem numero Sacerdotium. Tum præterea quia ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſive Euchariſticum, eſt apud omnes ſacrificium gratiarum actionis, & laudis; & aliunde ſub hac ratione celebrandum erit æternè. Inſuper meritum per ſe primò reſpicit utilitatem illius, aut illorum, quibus Chriſtus Dominus merebatur; atque adeo ubi ceſſat ea utilitas, quia abeſt neceſſitas, & quia jam in Patria nova ſubſtantialia præmia obtinere nequeunt Beati, ſiſtere debent curſum merita. Verùm ſacrificium, quod per ſe primò reſpicitur à Sacerdotio, ordinatur ex primario ſuo conceptu in Dei honorem, & cultum; qui potiùs debet creſcere, & perfici in ſtatu beatitudinis, cum ille ſit perfectiſſimus: augentur uſque ad ſummum Dei beneficia, & ſilere debet gratiarum actio? Dignus eſt infinitè Deus ſummo honore, & laude exhibendis perenniter à Creaturis, quas condidit, & ad ſtatum ſummæ fœlicitatis evexit; & exiſtere debet æternùm ipſe privatus ſupremo honoris cultu, quem acciperet ex vero ſacrificio?

Num. 6. Non enim rectè diceretur, cultum illum ſupremum neutiquam eſſe poſſibilem pro ſtatu completo beatitudinis, futuras attamen ſpecies alias cultus Divini, laudiſque; hoc ſiquidem repeteret apertè principium; cum inſinuati diſcurſus convincant neceſſariò eſſe poſſibilem ſupremum cultum in Patria, eum extiturum ſit Sacerdotium; & cum credibile prudenter non appareat, Deum ita conſtituiſſe beatitudinis perpetuæ ſtatum glorioſum, ut in illo repugnet ſublimior cultus illi præſtandus à Beatis. Deinde id non eſſe impoſſibile, tametſi ab eo ſtatu arcenda ſit mors, omniſque ſimplicitèr accepta, privatio vitæ; & quamvis realis aliqua victimæ immutatio exigatur ad ſtrictè acceptum ſacrificium, conſtabit ex dicendis in præſenti Diſputatione. Quoniam non ideo præceps ire debet à gloria verum ſacrificium unà cum morte, præcipitanda in ſempiternum, eum adeſſe valeat ſacrificium, quod mactare realiter noſcat, quin interficiat; uti ſæpe diximus, dummodo circa vitam ipſam aliquatenus verſetur. Ulterius meritum Chriſti Domini in ſtatu paſſibili fuit ſimpliciter infinitum, & in Cruce pleniſſimè conſummatum, & propterea nequit augeri, aut creſcere, omneque novum meritum cederet in dedecus antiqui. Sa-

ſacriſi-

erificium autem, licet ex ſe infiniti pretii, ut tamen applicat de facto in actu ſecundo fructum, ſemper confert effectum limitatum in particulari, & determinatè; iteratur modò idcirco juxta neceſſitatem, aut utilitatem jugiter. Et conſequenter iterari etiam poſſet ex alio capite in perpetuum, cum ſimpliciter iterabile ſit.

Præterquamquod, ut notatum, fuit potiſſimus finis offerendi ſacrificium eſt cultus Dei, qui debetur illi ſemper, & ſempiterna duratione, quantumvis illi exhibeatur per actum infiniti valoris, ſemper enim eſt ſuperioris ordinis divina excellentia, debeturque illi propterea frequens repetitio ſacrificii in honorem ipſius, & cultum, fumantis. Quapropter utramque objectam propoſitionem concedimus, utramque amamus; amplectimur enim libentiſſimè ſtrictam æternitatem ſummi Sacerdotii Chriſti Domini, per quam vigeat, floreatque proximè expedita dignitas illa, ut per ipſam Deus coli poſſit in ſuperiori gradu: & ex conſequenti admittimus veram aliquam rationem ſacrificii in æternum celebrandi per Sacerdotem ſummum. Ut ſic ex ipſa objectæ difficultatis radice eliciamus aſſertionem aliam, reſpondentem præcedentibus, non ſine concentu harmonico rerum, & ſententiarum. Ut verò clariùs, & ſolidiùs ad aſſertionem noſtram proponendam, & comprobandam, deſcendamus, præmittenda eſt veritas ex ſacra pagina in mentem SS. Patrum, & Theologorum derivata, ſalienſque per ſæcula: ſacrificium videlicet Euchariſticum eſſe ſimul formaliter ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. *Gratiis ſacrificare* jubet Græcorum vetus adagium: in altaribus autem noſtris gratiæ ipſæ ſacrificant, vel potiùs ſunt ipſum ſacrificium.

Num. 7. Ita docent Interpretes fermè ad unum omnes in Pſalm. 115. *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Unde in ſenſu anagogico Euchariſtiam denotare apud plures, tradit Chryſoſt. Homil. in præfatum Pſalm.: *qui, quod dictum eſt, ſumunt anagogicè, dicunt eſſe communionem Sacramentorum*. Subdit tamen; *nos autem Hiſtoriam ſequentes dicimus, eum hic dicere libamina, & ſacrificia, & Hymnos gratiarum actionis. Erant enim antiquitus diverſa ſacrificia: erat enim ſacrificium laudis*. Cum ergo ejuſmodi ſacrificia præfiguraſſent Euchariſtiam, altariſque ſacrificium, non minùs apertè hac via deducitur ex eo loco, illud eſſe ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. Uti etiam colligitur ex Pſal. 49. *immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*. Et ibidem: *ſacrificium laudis honorabit me*. Quæ verba expendens Sanct. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. inquit; *hujus ſacrificii caro, & Sanguis ante adventum Domini per Victimas ſimilitudinum promittebatur: in paſſione Chriſti per ipſam veritatem*. Et lib. 2. contra Adverſ. leg. & Proph. eadem verba exponens, ait: *quod eſt ſacrificium laudis, niſi gratiarum actio? Aut unde Deo majores gratiæ, quàm per Chriſtum Dominum noſtrum? Quod faciunt fideles Eccleſiæ ſacrificio*. Idem eliciunt omnes ex nomine Euchariſtiæ, ut diſp. 1. & alibi ſæpè vidimus. Illa autem Hæbraicè dicitur *Hodate*, quod ſonat idem ac laudare: *& Barach.*; ideſt benedicere, ut tradit Auguſtinus Calmet in ſuo Dictionario Sacræ Scripturæ, Idem ſupponit Tridentinum ſeſs. 22. Can. 3. cum definit, ſacrificium Miſſæ aliquid aliud importare, ultra laudem, & gratiarum actionem: *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantùm eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti &c.* Et eadem ſeſs. cap. 1. dixerat; *Hæc denique illa eſt* (menſa ſacrificii) *quæ per varias ſacrificiorum naturæ, & legis tempore ſimilitudines figurabatur, utpote quæ bona omnia per illa ſignificata, velut illorum omnium conſumatio, & perfectio complectitur*.

Inter alia autem ſacrificia principem locum obtinebat holocauſtum, quod totum in Dei laudem, & honorem cedebat: uti & ſacrificium pacificum, honorarium, alias gratiarum actionis. Idem docuit Apoſtolus ad Hæbr. 13. dicens; *per ipſum ergo offeramus Hoſtiam laudis ſemper Deo, ideſt fructum laborum confitentium nomini ejus*. Ubi per ſacrificium laudis intelligi juge ſacrificium, notant frequentiſſimè Expoſitores: eſt enim ſacrificium hoc laudis, de quo loquitur Apoſtolus, quod à ſolo Pontifice ſupremo, ut principali Sacerdote actu immediatè ſacrificante, offerri poteſt Deo, qui ſolus ipſe in laudem, & honorem Dei ſeipſum immolat in ara incruenta altarium: & propterea hortatur nos Apoſtolus (præſertim miniſtros, ſubalternoſque Sacerdotes), ut per ipſum offeramus Hoſtiam Divinam, ipſummet ſcilicet ſummum Sacerdotem, quà ſimul victima laudis eſt. Adeundus Cornelius à Lapide in eum locum, uti & Sebaſtianus Barradas tom. 4. lib. 3. cap. 15. Idem adumbrabat ſacrificium illud Levit. 7. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerant panes abſque fermento .... Panes quoque fermentatos cum Hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis*. Hæc autem præfiguraſſe ſacrificium Euchariſticum, nullus Interpretum non prædicat, dum Leviticum exponit, & claritate aliqua illuſtrat. Et ob eam rationem Chriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituens gratias egit Deo præcedenter, ſignificans, ſacrificium illud eſſe potiſſimè gratiarum actionis: Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. ad Corint 11. quia non ſolùm ſacrificium Euchariſticum, & Sacramentum, eſt in ſe formaliter gratiarum actio directè, ſed, & movet ad reflexam gratiarum actionem. Sicuti & ad laudes Divinas ſubſequenter, ut liquet ex eodem cap. 26. Matth. ubi poſt Euchariſtiæ inſtitutionem, ſacrificiumque adjungitur: *& hymno dicto: exie-*

runt

runt in montem Oliveti. Id qnod ponderans D. Maximus, relatus à Divo Thoma in Catena aurea, inquit: *& hoc exemplo Salvatoris, qui pane Chriſti ſaturatus, & Calice inebriatus fuerit, poteſt laudare Deum*. Quin peracta ſacrificatione laudare debemus, quia ſacrificatione laudavimus argutiſſimo, & ſublimiori laudis hymno, quem Chriſtus Dominus veluti in olorem verſus canit, dum immolatur.

Num. 8. Neque prætermittendum, Sanctum Chryſoſt. 1. Corint. Hom. 24. non ſolùm affirmare, ſacrificium Euchariſticum eſſe gratiarum actionis, & laudis, ſed inſuper adjungere, ultra laudationem Dei in hoc ſacrificio incluſam, & ultra ſacrificium cruentum, pro quo Deum laudat, importare etiam ſeipſum ut beneficium, pro quo hymnum laudis, & gratiarum actionis canit Deo, ut notat Doct. Eximius diſp. 76. ſect. 2. quia ita eſt beneficium, ut ſit itidem gratiarum actio: tanta eſt enim Dei benignitas, ut non ſolùm conferat egregium beneficium, ſed talis conditionis, ut per ipſummet gratiam referamus Datori, tum pro beneficio illo, tum pro reliquis. Cæterum in ea Homil. Chryſoſt. hæc tantùm verba, quæ eo reſpicere poſſent lego: *Calicem autem benedictionis appellavit* (Apoſtolus) *quoniam cum præ manibus eum habemus, cum admiratione, & horrore quodam inenarrabilis doni laudamus benedicentes, quod ſanguinem effudit, ne in errore permaneremus: nec tantùm effudit, ſed nos omnes ejus participes effecit*. Eumdem ſenſum habent, ut Expoſitores obſervant paſſim, verba illa Malachiæ 1. *Ab ortu enim Solis uſque ad Occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus*. Hoc autem ſacrificium, de quo Vates loquitur, eſſe Euchariſticum, ſciunt omnes, itaut non ſine deſpectu audiatur diſcurſus cujuſdam Viri, alioqui ſapientis, qui alitèr philoſophatur. Quòd verò rurſùs intelligantur laus, ſive honor exhibitus magnitudini divinæ perfectionis, & nominis, per ſacrificium illud, docuerunt propè omnes, qui propterea illud honorarium eſſe, colligunt ex eodem textu; comprobaturque ex increpatione facta ab ipſo Deo in eodem loco per Prophetam Sacerdotibus ſui temporis: *Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergò Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Ideſt ubi adeſt ſacrificium impollutum, nitore cultus ſplendens, & odorem ſuavitatis ſpirans? Minaturque rurſùs: *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim Solis &c.* Quid enim eſt odor è ſacrificio exhalatus, quàm honor delibutus, & ſermo laudis accenſus? Hùc etiam collimare verba illa Amos cap. 4. *Sacrificate de fermento laudem*, credit S. Hieronym. explicans locum præſatum. Unde S. Thom. 2. ſecundæ qu. 85. art. 3. dixit: *Sic ergò ſacrificium eſt quidam ſpecialis actus laudem habens ex hoc, quod in divinam reverentiam fit, propter quod ad determinatam virtutem pertinet, ſcilicèt ad religionem*. Non minùs igitur eſſentialitèr eſt cultus honorem, gloriam, & laudem Dei reſpiciens, ac eſt actus religionis; quod eſt prædicatum illi intrinſecum. Videndi paritèr S. Juſtinus Martyr apolog. 2. pro Chriſtianis, Cyprianus in lib. de lapſis. S. Irinæus lib. 6. cap. 4. & lib. 4. c. 57. Conſulatur etiam Turrianus tract. 2. de Euchar. cap. 3. & 19. plura Sacræ Scripturæ loca adducens in eumdem ferè ſcopum. Et ſanè nullus excelſior honor Dei excogitari poteſt, quàm in proteſtationem ipſius alti Dominii, juriſque in vitam, & mortem omnium creaturarum viventium, in ejuſdemque cultum, & laudem, ſacrificare, & offerre victimam infiniti pretii in altari; maximè cum illa offeratur ab ipſo Chriſto Domino ut ſupremo Sacerdote, ut ex omni parte ſacrificium ſit pleniſſimum, infinitèque in laudes effuſum, ſitque Panegyris miranda infinitarum laudum divinitati animosè dicta.

§. II.

Num. 9. QUA doctrina præmiſſa, aſſertio noſtra (& ſimul reſponſio objectæ difficultati) ſit: extiturum quidèm poſt ſæculi conſummationem, Eccleſia ut militante, ejuſque ut talis proprio ſacrificio, deſinentibus, verum æternumque in toto rigore ſacrificium à ſummo Sacerdote noſtro in propria ſpecie exiſtente celebrandum, ut convincit argumentum nuperum. Attamen nullo pacto futurum ſpecie diverſum, nec adhuc numero ſimplicitèr diſtinctum à ſacrificio jugi, quod modò offertur in altari (adeòque nec à cruento), ſed idem numero ſimplicitèr, & ſecundùm quid ſolum diſtinctum, ad modum quo de ſacrificio cruento, & incruento philoſophati ſumus Diſputatione præcedenti. Ex quo rurſùs ſequitur, illud eſſe conficiendum per reproductionem ejuſdemmet actus interni Chriſti Domini, aut ſacrificationis, qua nunc immolat ſeipſum, & offert in ara incruenta, & qua mactavit ſeipſum in Cruce, quæque eſt potiſſimùm ſacrificii conſtitutivum. Cum verò illa in ſtatu completo beatitudinis ſacrificare nequeat ſub ritu cruento, ut ſupponitur, quia ſemel tantùm ſub illo ſacrificium peragere debuit: nec inſuper incruentè ſub ſpeciebus panis, & vini, ut ſupra oſtenſum fuit; ideò putamus, ipſam ſacrificaturam jugitèr ſub ritu laudis (& gratiarum actionis) pro illo ſtatu immutabili, perpetuòque. Hunc autem ritum per ſe formalitèr reſpicit actus ille intentionalis, in quo ſitam diximus actionem ſacrificativam, æquè ac reſpicit duplicem alium præcedentem: quia nec excedit limites, aut vires operationis intellectivæ Chriſti Domini, utpote ampliſſimæ, perfectiſſimæque, & ab ſpecie univerſaliori deſcendens: nec ex ullo capite habitudo eſſen-

tia-

tialis ejuſdem actus ad triplicem eum ritum.

Verùm ubi adeſt victima pro ſtatu gloriæ immolanda? Profectò, cum nec in Patria vitæ, & felicitatis, habere poſſit locum mors ipſa, nec carentia ſimpliciter vitæ actualis, cum ſit regio propria vitæ abundantiùs poſſidendæ: cumque ex alia parte ſtrictum ſacrificium exiſtere nequeat abſque immutatione aliqua reali, & quidem vitam ipſam concernente, ut diſp. 5. latè vidimus; propterea ſic temperanda eſt ſententia noſtra, ut utrumque verificet. Dicimus itaque, actionem illam ſacrificativam imperaturam pro eo ſtatu ſuſpenſionem omnis vitæ actualis corporis phyſici Chriſti Domini, vel à corpore quoquo modo pendentis, quæ præexiſtat actu (nequaquam tamen viſionis beatæ, aliorumque actuum independentium). Cæterum ea lege, ut loco ipſorum imperet in eodem inſtanti productionem aliarum operationum corporearum, quæ omnes in divinam laudem dirigantur, itaut anima, cor, & caro exulteut in Deum vivum, ejuſque laudes ſuaviſſimè perſonent, & grates referant immortales in memoriam tum Sacrificii Crucis, tum altaris, quorum ſacrificatio aderit, nota omnibus Beatis, & repræſentans utrumque illud præteritum (jam tunc) ſacrificium. Unum tamen actum exiſtentem, quantumvis à corpore aliquatenus remotè pendentem, nempe ipſum imperium (quæ, utpotè actio ſacrificativa, debet eſſe Chriſti Domini, ut Sacerdos, & homo eſt) minimè ſacrificat, uti fit in Cruce, & in altari, in quibus ideo ſacrificium non completur, niſi in ſequenti inſtanti. Diſcriminis ratio deſumitur ex eo quod ille actus in hoc ſacrificio debet poſitivè inducere actus externos laudis, eoque titulo perſiſtere pro omni inſtanti ſacrificii. Sufficit tamen, quòd reſidua omnis vita actualis corporis, quæ duratura per ſe foret in illo inſtanti, ſacrificetur, ut exiſtat vera realis immutatio, ſacrificiumque. Deinde actus ille eſt præcipua laudatio; quæ idcirco perſiſtere debet, cum ſit laudis ſacrificium.

Quòd autem illa immolatio vitæ actualis corporis, quæ in inſtanti antecedenti præſupponatur actu exiſtens in proteſtationem divinæ excellentiæ facta, ſit ſufficientiſſima ad ſervandum illibatum, conceptum ſtricti ſacrificii, (præſertim pro ſtatu Eccleſiæ triumphantis); tametſi loco eorumdem actuum produci debeant ex imperio ejuſdem actus ſacrificantis novæ aliæ operationes, laudes divinas præcinentes, facile oſtendi poteſt, & breviter. Tum quia illa jam eſt realis immutatio victimæ ad vitam pertinentis, quæ communi voto Scholaſticorum ſufficit ad verum ſacrificium. Et quamquam vitales operationes, quæ ſunt victima in abſtracto ſint accidentia; victima tamen in concreto accepta, nempe Corpus Chriſti Domini ut privatum ea vita, quæ eſt victima, quæ offertur, ſubjectum ſubſtantiale includit. Tum quia, ſi confingatur hypotheſis, in qua Chriſtus Dominus immolaret, dum erat in ſtatu paſſibili, ovem aliquam verbi cauſa, & illico, in eodemque inſtanti, in quo animam illius, & cum ipſa vitam ſubſtantialem auferebat, aliam animam diſtinctam produceret; immolatio ovis pœnes vitam gladio extinctam, foret proculdubio vera, & propria ſacrificatio, ſanguine tincta, & oblatione vitæ ſubſtantialis Hoſtiæ conſummata (cum primum ſuppoſitum periret abſolutè), offerreturque in proteſtationem ſupremi Dominii Dei Corpus oviculæ anima illa determinatè privatum, etiamſi aliam numero diſtinctam aliunde reciperet: maximè cum primam ſacrificatam numquam iteratò reſumpturum eſſet; ſicuti Corpus Chriſti Domini anima deſtitutum in Cruce, ipſammet recuperaturum eſſet in reſurrectione. Et ratio eſt: quoniam ad proteſtandum ea immolatione jus divinum, in vitam, & necem, idem prorſus eſt, quod auferatur anima à victima immolata, itaut ſimul nova alia introducatur; vel itaut maneat omni ſimpliciter deſtituta: cum jam auferat gladius vitam aliquam realem ab ea animâ ablatâ, mortuaque, procedentem, cujus altum dominium erat apud Deum. Quinimmo expreſſiùs utrumque jus in vitam, & mortem in exemplo præſato repræſentatur ſimultanea ſcæna vitæ, & mortis.

Accedit, quòd licet corpus ovis non diceretur ſimpliciter omni vita privatum, ſed tantum comparativè ad animam extinctam (quod ſatis eſſet ad rem noſtram) anima tamen prima ſimpliciter mortua foret; uti & ſimpliciter peribunt operationes vitales corporeæ, quæ ſacrificabuntur in ſacrificio laudis, quod extiturum dicimus. Semper igitur intercedit vera immolatio victimæ, quæ arguat ſupremam poteſtatem Dei in vitam, & mortem. Sic etiam, qui in fabula tres ſimul animas intra corpus habuit, mori verè poſſet, ſacrificarique pœnes unam, tametſi reliquæ perſiſterent, ideo ter moriendum fuit illi, ut Poeta finxit 8. Æneid.; perinde autem ſe habet loco pereuntis animæ in pecude ſacrificata aliam excipere, ac ex duabus ſimul exiſtentibus, unam perire, & aliam remanere; quamobrem, dum obiter diſp. 5. arguebam non ſufficere ad ſtrictum ſacrificium ablationem vitæ, cujus loco alia ſuccedat ex vi ſacrificationis; uſi fuimus tantùm ea redargutione ex vulgata aliorum doctrina, & veluti ad hominem. Tum etiam pro ſtatu præſenti militante, & juxta præſentem in illo, & pro illo providentiam, attenta qua ſacrificata eſt ſimpliciter vita actualis; cum illa de facto privetur in Euchariſtia, apud Adverſarios plerumque. Tum denique, quia hoc eſt proprium, peculiareque expreſſi Sacrificii laudis, in quo victima debet mori, & canere.

Num. 10. Vitales autem operationes laudem, & gloriam Dei ſpirantes, quæ ex imperio ſacrificationis ſuccederent ſacrificatis, conſtituerent ſacrificium in ratione ex-

terna ſenſibilis: quoniam licet in ſtatu beatitudinis videri poſſet intuitivè ab omnibus actio illa Chriſti Domini immolans, modo declarato, vitam præexiſtentem actualem corporis, ſive per ſcientiam beatam, ſive per infuſam, ſitque propterea viſibilis in ordine intellectivo; ratione cujus viſibilitatis (quæ in ſtatu præſenti reperiri nequit per ſe) non appareat neceſſaria exiſtentia ſignorum ſenſibilium, ut ducant adſtantes in cognitionem ſacrificii, aut ſacrificationis latentis; exiguntur nihilominus ea ſymbola ad conſtituendum plenè ſacrificium in ratione ſtricta, & propria ſacrificii, juxta conceptum eſſentialem illi à Theologis, Patribus, & cunctis Gentibus, affixum; ſine quo viderent quidem ſacrificium, at non verum in toto rigore ſacrificii conceptum; cum illo autem & intuentur ipſum ſcientia inſinuata, & ſimul cognitione alia, non jam obſcura, ſed clariſſima etiam ex eiſdem ſignis hauſta, quæ & ex natura ſua, & ex Inſtitutione divina, Beatis nota, eam internam ſacrificationem, ſacrificiumque reale ex ipſa conſtitutum, & ex victima immolata, deſignet.

Quòd autem actiones illæ, ut ordinatæ in laudem, & honorem Dei ab imperio illo veram rationem aliquam laudis ſubire poſſint, & quæ aſſumi valeant proportionatè ad laudis proprium ſacrificium internum ſignificandum, colligitur ex D. Thoma 2. ſecundæ qu. 85. art. 3. à ſimili: *contingit autem*, inquit, *& ea, quæ ſecundum alias virtutes fiunt in divinam reverentiam ordinari .... & ſecundum hoc etiam actus aliorum virtutum ſacrificia dici poſſunt*. Actus namque vitales Chriſti Domini ſacrificium laudis ſignificantes, & ſimul cum ſignificato in laudes etiam divinas ſeſe aliquatenus effundentes, ſunt omnes externi tali modo eliciti, ut ex ſe denotent internam ſacrificationem, illamque imitentur: quemadmodum actus externi ſæpè internum actum orationis manifeſtant (ejus tamen naturæ eſſe debet externa illa ſignificatio, ut deceat Chriſtum Dominum ſedentem ad dexteram Patris); illæ verò conſtituunt duntaxat ſacrificium per modum ſigni ſenſibilis, & tamquam proprius ritus illius ſacrificii, pœnes quem diſtinguitur realiter numero ſecundum quid à cruento, & à ſacrificio altaris. Non producuntur autem phyſicè partialiter operationes prædictæ ab actu imperii, phyſicè concurrente cum earumdem potentiis propriis (quamquam phyſicè inducat privationem illius vitæ, quam immolat), ſed moraliter duntaxat: quoniam ad hoc ut ſacrificium ſit ſimpliciter idem numero ſub triplici illo ritu, uti & ad hoc, quod ſummus Sacerdos verè, & propriè ſacrificet in aliis ſacrificiis, neceſſe non eſt, quòd ipſe producat phyſicè ea ſymbola (quamquam illa conſtituat per ſuam voluntatem inſtitutricem in ratione ſigni), nec ritum ipſum: & multo minus, quod illa producat per eamdem ſacrificationem; vel quòd dum per aliam actionem illa invehit, debeat eadem numero actio reproduci ſemper. Siquidem utrumque in ſacrificio altaris fit à Sacerdote ſubalterno conſecrante Hoſtiam, & Calicem, divina omnipotentia principaliter operante. In ſacrificio verò laudis, æternùm iterando, nequit concurrere pari modo Miniſter; quia cum ſigna illa, rituſque ſint operationes vitales ipſius corporis phyſici Chriſti Domini non debent ab alio produci, nec poſſent, niſi à facultatibus propriis illius: geritque propterea munus Sacerdotis ſtrictius, & adæquatius in eo ſacrificio, quàm in Cruce, & in altari; cum omnia tunc ſolus obiturus ſit ipſe, nec tantùm ſacrificaturus eſt victimam, ſed & itidem ſacrificationem ſenſibilem per actus externos, ſacrificium laudis internum, & potiſſimum, detegentes, & unà cum illo proportionato ſibi modo laudantes, & benedicentes. E quorum harmonia extemplo reſultabit proculdubio in reliquis Beatis, præſertim in eis, qui vel ſacrificio miniſtrarunt, vel ipſum conjunctim obtulerunt, vel Euchariſtiæ ſacræ participes effecti ſunt, concentus ſuaviſſimus, aut melos, & ex infinitis propè modulationibus clamor immenſus, efficiens divina quædam celeuſmata, tametſi nautæ in portu jam quieſcant.

Ubi notandum, quòd licet permittatur, Euchariſtiam perennaturam in Cœlis: non ideo tamen Chriſtus Dominus, ut ibi ſacramentaliter exiſtens ſacrificium Euchariſticum peraget in Eccleſia triumphante. Tum quia Eccleſiæ triumphantis eſt caput, & ſummus Sacerdos, ut glorioſè circumſcriptive exiſtens. Tum quia in Patria non adeſt locus privationi ſimpliciter vitæ actualis ſenſibilis abſque alterius ſubrogatione (ut ſit modò in Euchariſtia, juxta principia noſtra), nec aderit conſecratio, ut ſupra advertimus. Aderitque ſolùm ad perpetuam laudem, gratitudinem, & ſtuporem Beatorum aurea novi teſtamenti arca, oculis clauſa, mentibus aperta, & theſaurorum abſque propria jactura æternùm prodiga.

Num. 11. Quòd verò non propterea differat hoc ſacrificium à cruento, & incruento pluſquam numero ſecundum quid, ut de utroque præcedenti conſtitit; patet ex ibidem circa utrumque dictis: eadem namque eſt omnino ratio de hoc tertio laudis ſacrificio, cum ritus illius exigatur ab eadem ſacrificatione, quæ fuit in Cœna, & in Cruce: maximè quia ſub utroque illo ritu eſt etiam per ſe ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. Symbola externa verò laudis poſtulat eodem pariter modo illamet ſacrificatio, ac expoſcebat prout in Cœna ritum cruentum, & ſigna reſpondentia illi; quoniam ſub triplici ritu petit eſſentialiter ſacrificare diviſim; ita tamen ut dum ſub uno exercitè immolat, alios, eorumque ſymbola reſpiciat ſignatè, ſub quibus vel peregerit ſacrificium, vel pera-

ctura

ctura illud ſit. Qua via ſalvatur eadem ratio formalis ſacrificii in omnibus, & eadem unitas numerica ſimpliciter cum ſola diverſitate, aut diſtinctione numerica ſecundum quid. Quòd namque in ſacrificio cruento ſymbola fiant ab ipſis carnificibus, elevata tamen per divinam voluntatem ad ſignificandum internum, & voluntarium Chriſti Domini ſacrificium, quod aliter non appareret ſenſibiliter; in altari verò ſubjectum ſignificationis, rituſque perficiantur à Sacerdote miniſtrante, & in beatitudine ab ipſo ſummo glorioſo Sacerdote; nullam novam diverſitatis, aut diſtinctionis rationem inter ſacrificia ipſa inducit; cum eadem actio ſacrificativa, utpotè includens actum Intellectus Chriſti Domini, differentiam illam repræſentet, poſtuletque, eo ipſo quòd poſcat ſui reproductionem perenniter: & eo ipſo præterea, quòd ſub uno ritu ſemel tantùm ſacrificare petat, ſub alio jugiter, uſque ad conſummationem tamen mundi duntaxat, & tertio per totam æternitatem. Qui modus repræſentandi, & exigendi neutiquam excedit vires actus intellectus, & voluntatis Chriſti Domini, ut præcedenti diſputatione vidimus, & infra rurſus patebit luculentiùs.

His adjungendum, non improbabiliter aſſeri poſſe, ſymbola externa ſignificantia in ligno Crucis internum ſacrificium Magni Sacerdotis, dira patientis, proveniſſe ab eodem Sacerdote ſummo, ſitaque fuiſſe tum in verbis Divinis, quæ è Cathedra Crucis protulit, tum in lacrymis, tum in rebus mirabilibus, quæ ex eodem ligno operatus fuit. Juxta quam ſententiam extraneum eſſe non poterit, quòd in Patria, dum conficiat ſacrificium laudis, eliciat ipſe externas operationes ſignificativas, ritumque illius efficiat, quin idcirco differat illud ſacrificium à præteritis, ſicuti non fuit diverſum, aut diſtinctum ſacrificium Crucis à ſacrificio altaris pluſquam numero, licet interveniret eadem ratio diverſitatis in cauſa effectiva ſignorum: cum de materiali ſe habeat ad conceptum ſacrificii, quòd ſymbola ſint hæc vel illa numero, proveniantque ab hac, vel illa radice. Idque perſpicuum redditur amplius per hoc, quòd nec in ſtatu beatitudinis Sacerdotium ſubalternum perſiſtat proximè potens miniſtrare; alioqui Sacerdotium cujuslibet miniſtri foret quoque æternum, ſicut Chriſti Domini Sacerdotium, haberetque uſum connaturaliter expeditum, quod inſiciantur Scholaſtici plerumque; conſulantur Sayrus, Cardin. de Lugo, Coninck. & Bernal. (Renitentibus Mayronio, Soto, & Dicaſtillo). Tum præterea, quia Sacerdotium ſubalternum alligatum eſt determinatè ad miniſtrandum in altari, dum ſacrificatur ſub ſpeciebus panis, & vini. Et tandem ob rationem ſupra attactam, quòd ſigna illa eſſe debeant actus Chriſti Domini ex natura illius ſacrificii laudis conficiendi ab ipſo in propria ſpecie (uti in eadem celebravit cruentum); ut totus ipſe Chriſtus Dominus cunctis viribus, & facultatibus ſanctiſſimę Humanitatis glorificet Deum, hortatuque ſuo, aut exemplo membra ſui Corporis myſtici reſonent unà cum capite, verifieeturque illud Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*: ubi per enarrationem illam non deſignatur tantùm, aut intenditur, quòd annuntient gloriam Dei Cœlicolæ, eamque laudibus prædicent, & extollant; ſed quòd narrent etiam res geſtas à ſummo Sacerdote, ſacrificium Crucis videlicet, & altaris, quæ exprimuntur adamuſſim per eamdem numero ſacrificationem reproductam: eritque propterea ſacrificium præſens, & Hiſtoria præteriti, narrans facinora Chriſti Domini anteacta, illaque repetens in vaſtiſſimo, jucundiſſimoque illo Theatro, plaudente, & reſonante Empyreo.

Num. 12. Complectitur aſſertio hęc duas partes, quarum prima, & difficilior affirmat, extiturum jugiter in Eccleſia triumphante per interminabilem æternitatis durationem verum in toto rigore ſacrificium peragendum à Chriſto Domino, quod eſſe dicimus ſacrificium laudis: quemadmodum ejuſdem Chriſti Domini Sacerdotium eſſe credimus æternum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, luculentiùs tamen, & copioſiùs ex Divo Paulo. Secunda verò aſſerit, illud ſacrificium aliud eſſe nequaquam poſſe, quàm à nobis hactenus explicatum; nec aliter confici, quàm modo nuperrime conſtituto, aut declarato. Hæc ſecunda pars ſemel ac prima ſolidè probetur, aut præſupponatur, clariſſimè infertur ex aſſertis, & comprobatis tota Diſputatione ſexta hic ſupponendis. Porrò ubi ſacrificium eſſe prorſus nequeat diverſum, nec numero ſimpliciter diſtinctum, ſed idem omnino abſolutè, quantumvis ſecundum quid ab invicem diſtinguantur, à fortiori debet adeſſe in illo eadem numero actio ſacrificativa, cum hæc conſtituat pro recto ſacrificium, eademque victima, terminique ſacrificationis. Et aliunde manifeſtum eſt, actionem illam ſive ſacrificationem eſſe non poſſe eamdem numero in hoc ſacrificio, quin reproducatur illamet, quæ in noviſſima Cœna fuit primò producta, in ligno cruore reſperſa, & deinceps in altaribus indeſinente fluxu iterata, & reproducta. Ergo ex ſuppoſitione quòd celebrandum ſit verum ſacrificium à Chriſto Domino per æternitatis ſpatia in Eccleſia triumphante, & ex ſuppoſitione conſimiliter, quòd ſacrificium proprium Sacerdotii ſummi Chriſti Domini eſſe neutiquam valeat niſi unicum numero ſimpliciter, ut liquet ex dictis, & copiosè probatis in diſp. ſexta, neceſſariò fatendum eſt, aliter conſtitui non poſſe ſacrificium Eccleſiæ triumphantis proprium, niſi juxta opinationem noſtram.

Præterea, quòd victima ſit eadem planè, conſtat ex eo, quod in eo ſacrificio laudis

ſit eadem vita actualis corporea, quæ fuit ſacrificata in altari, & in Cruce quoque (tametſi ibi una cum vita ſubſtantiali). Quòd autem in futuro ſacrificio, loco vitæ actualis deperditæ ex Imperio Chriſti Domini, & ablatæ in proteſtationem ſupremi dominii, ſuccedat nova alia actualis imperata ab eodem actu, nullatenus arguit, aut includit victimæ diverſitatem formalem, quia vita, quæ ſubintrat non conſtituit victimam in ratione immolatæ, nec ejus ſacrificationem; ſed utramque in ratione ſenſibilis, (& laudis ſub ea ratione), ut animadverſum fuit ſupra.

Solùm ergo eſt Hoſtia verè ſacrificata vita actualis, quà removetur, & hæc eſt prorſus eadem formaliter victima, quę in altari per ſacrificationem Euchariſticam immolatur. Deinde non diverſificat formaliter victimam, quòd in altari omnem vitam actualem corpoream repellat, ligando potentiam inſtrumentariam; in ſacrificio autem laudis ſolam præexiſtentem, ſive naturalis ſit, ſive ſupernaturalis etiam; quandoquidem corpus ipſum ut vita deſtitutum, quod eſt ſubjectum oblationis, & paſſivæ immolationis, eſt idem numero. Inſuper, quòd in Cruce fuerit ſacrificata vita ſubſtantialis ſimul cum actuali; & in altari hæc ſecunda tantùm, ideo non facit diverſitatem formalem victimæ, nec inter terminos *à quo*, & *ad quem* utriuſquę ſacrificii, quia actio ſacrificativa eadem utrobique utrumque illum mactationis modum Corporis Chriſti Domini poſtulat ſucceſſivè pro diverſitate circumſtantiarum; atque adeo dum exercitè immolat ſub hoc ritu hanc tantùm vitam actualem corporis, ſignatè immolat, ſive immolaſſe poſtulat ſub aliis circumſtantiis vitam etiam ſubſtantialem. Eodem ergo jure philoſophandum circa victimam ſacrificii Eccleſiæ triumphantis.

Demum, quòd in altari ſummus Sacerdos ſacrificet ſeipſum ſub aliena ſpecie, & ſacrificium laudis extiturum celebraturus ſit in ſpecie propria, ſolùm arguit ritum diverſum, non verò diverſitatem ſacrificii: quemadmodum nec illam arguit ſimilis differentia, quæ reperta eſt inter ſacrificium Crucis, & Altaris. Idem enim ſummus Sacerdos eſt utrobique, eadem ſacrificatio, eademque victima, quà formaliter exacta, per hanc ſacrificationem; etiamſi veſtis, ornatus, & pompa ſint velut accidentia valde diverſa. Sic & Chriſtus Dominus idem eſt ſemper, ſive in Cruce nudus, ſive gloria præcinctus, & Sole coronatus.

Num. 13. Probatur ſecundo: quoniam ubi ſacrificatio oritur à Sacerdotio ut ſummo, & æterno, neceſſariò illa petit eſſentialiter ſingularitatem, itaut aliam ejuſdem Sacerdotii poſſibilem nullo modo permittat; & itaut neceſſariò exigat ſui reproductionem pro omni ſtatu, & duratione; eum poſtulet eſſentialiter, & præſupponat veram dignitatem Sacerdotii in æternum duraturam; conſequenterque veram ſacrificationem ab illo procedentem, ut ſatis comprobant producta in præcedenti diſputatione: eo autem ipſo legitimè deducitur, ſacrificium laudis ſtrictè tale pro ſtatu beatitudinis extiturum (ſi extiturum præſupponatur, aut probetur) eſſe, ut à nobis excogitatur.

Probatur tertiò: ex nullo capite repugnat, ſed potiùs ita verum eſt de facto, actum intellectus Chriſti Domini, præſertim, ob univerſaliores ſpecies, attingere plura objecta mutuò connexa, aut inter ſe ordinem quemdam habentia; ac ſubinde poterit diverſos ritus ſacrificandi, ſymbolaque diverſa, ordinata viciſſim reſpicere. Id quod docet receptiſſima Theologia: ut & quòd ſuammet perpetuam durationem, & repræſentare, & expetere poſſet viſio beata. Similiter certum eſt, viſionem beatam, & eſſe ſimul ſpeculativam, quà verſatur erga Deum, & practicam, quà reſpicit objecta ſecundaria, ut colligitur ex Divo Thoma 1. par. quæſt. 1. artic. 4. de Theologia diſſerente, & probant Cajetanus 1. 2. qu. 3. art. 5. Sotus in 4. diſt. 49. Doctor Eximius lib. 2. de Attribut. negati cap. 18. & cap. 25. quos imitantur plerumque Juniores. Deinde compertum eſt etiam, illam, quà practicam, & judicantem de actionibus extra Deum, tum per modum prudentię, tum per modum artis, poſſe juxta rerum, temporum, & circumſtantiarum varietatem, cauſare modò hanc actionem, ſive operationem, modò illam; quamquam variare nequeat *objecta ipſa*, quæ formaliter *attingit*, itaut ſpeculativè cognoſcat modò unum, & ſucceſſivè aliud (tametſi Doctor Seraphicus in 3. diſt. 14. artic. 2. quæſt. 3. ſic opinatus fuerit de viſione beata animę Chriſti Domini). Mirum igitur, aut alienum à communi Theologia eſſe non debet, quòd actus internus Chriſti Domini, ſive cumulus actuum per intellectionem nobiliſſimam directus, ita reſpicere valeat objectum ſuum ſub diverſis temporibus, & circumſtantiis practicè exequendum, ut ſub his cauſet, aut inducat practicè hunc effectum, & ſub illis effectum alium, vel eumdem cum aliqua diverſitate.

Hinc fit, nullum eſſe abſurdum, nulloque pacto officere unitati numericæ venturi ſacrificii cum præcedentibus, quòd actio ſacrificativa in ſæculis æternis, non ſolùm imperatura ſit privationem vitæ actualis præexiſtentis, quam phyſicè realiter cauſat; ſed inſuper exiſtentiam poſitivam actuum vitalium Corporis, quam nullatenus imperavit in Cruce, nec imperat in altari. Sicut illa exigere valet in ſacrificio cruento remotionem vitæ ſubſtantialis, & actualis, cum in altari ſolam actualem immolet, quin inde arguatur diverſitas ſacrificationum; eo quod poſſit quamoptimè actus ille exigere, & inducere ſub eis circumſtantiis effectum prædictum, & non ſub aliis, ut dictum eſt. Semper attamen poenes illum

etiam

etiam reſpectum conſtituit ſacrificium altaris (uti & Crucis olim); non quidem ut exercendum tunc pro tunc, ſed tunc pro tempore, & ritu alio, opportuno, ideſt pro æternitate: quia cum ſemper exerceatur, ut ſacrificatio æterni Sacerdotis, poſtulat ſemper iteratò produci, & ſacrificare in perpetuum ſub circumſtantiis, & Symbolis propriis illius ſtatus, in quo ſit ſacrificium quemadmodum Sol peragit curſum luminoſum, & annum ſub varietate ſignorum.

Num. 14. Perſuadetur 4. quoniam ubi Sacerdotium, quia ſimpliciter infinitæ dignitatis, vagari nequit per multiplicitatem, nec pluralitatem, adhuc numericam, ſacrificiorum, ſed unico, ſummoque, exhauriente omnium ſacrificiorum perfectionem, completur, ſatiaturque, ad differentiam Sacerdotii legalis, ut teſtatur Apoſtolus ad Hæbreos ſupra latè ponderatus. Rurſus ubi non ſolùm Sacerdotium, quia nobiliſſimum, unico ſacrificio contentum eſt; & ubi ſacrificium ob ſuam infinitudinem nullum aliud permittit poſſibile illius Sacerdotii proprium; verùm & ubi ſupponitur duraturum in perpetuum prædictum Sacerdotium, exiturumque idcirco per æterna ſæcula ſacrificium aliquod verum illius Sacerdotii; ſatis legitima, connaturalique conſecutione infertur, ſacrificium illud concipiendum eſſe eo modo, quo aſſertio noſtra cogitat.

Quintò promoveri poteſt verbis Iſaiæ 25. ubi introducit Beatos poſt conflagrationem fatalem Orbis, quem intelligit nomine Civitatis; *ut non ſit Civitas, & in ſempiternum non ædificetur*, exprimentes jubilos, & canentes laudes Dei, ut exponit ibi Sanctus Hieronym. & cum ipſo Patres alii, & Interpretes. Affirmatque exiturum ibi convivium, ſacrificiumque ſimile Euchariſtico, (cum eiſdem ferè notis deſcribatur) à Chriſto Domino conficiendum: *& faciet Dominus exercituum omnibus Populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ... Et præcipitabit mortem in ſempiternum*. Hoc autem convivium eſſe Euchariſticum in altaribus nunc factum, credunt plures Expoſitores cum Sancto Cypriano, Euſebio lib. 1. demonſtr. S. Cyrillo, Procopio, & aliis Patribus, ut notavimus diſput. præcedenti; communior verò ſententia intelligendum credit de convivio cœleſti ad inſtar Euchariſtici, cum ad literam diſputet ibi Iſaias de Beatorum homium deliciis, ut à Lapide teſtatur, de quibus etiam ſub eadem metaphora egit Chriſtus Dominus Math. 26. dum ſacrificium Euchariſticum inſtitueret, & celebraret; *non bibam amodò de genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum in regno Patris mei*. Ad eumdemque modum loquitur Lucæ 22. & Apocal. 19. dicitur. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt*. Utraque tamen ſententia conciliatur optimè per hoc, quòd & ſacrificium Euchariſtiæ, ut nunc peragitur, attigerit Propheta, & ſimul illud ipſum ut ſub ritu laudis, plauſuſque externi in beatitudine celebrandum explicuerit; itaut in beatitudine ſit etiam gratiarum actio, & laus pro ipſo ut in altaribus ad fidelium ſalutem jugiter oblato. Quem conciliandi modum ſub metaphora convivii admittunt re ipſa utriuſque ſententiæ Patroni. Verùm quænam eſſe debet operatio (aut operationum complexum) Chriſti Domini ſacrificium illud quaſi Euchariſticum in Eccleſia triumphos canente conficientis? Profecto apertiſſimè illam oſtendiſſe Prophetam veluti digito, apparet verbis illis: *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen*. Per illos ſcilicet antiquos actus intellectus, & voluntatis, quibus ſeipſum ſacrificavit in convivio Euchariſtico, ut illud perageret proximè in altari, & remotè poſtmodum in beatitudine peracturum, docet Iſaias, ſacrificium laudis, conviviumque ſimile Euchariſtico; per illos, inquam, numero fideliter reproductos, quin deſit cogitatio, aut operatio aliqua ex eis, quæ ſacrificationem jugem in altari eſſentialiter conſtituunt modò; è quorum imperio externæ operationes Corporis phyſici Chriſti Domini mirum in modum laudent Deum, quas æmulatur Corpus myſticum Beatorum, non ſolùm gloriam Dei, ejuſque præconia concinens, ſed laudans ipſummet ſacrificium ob mirabilia, quæ operatus eſt ſemel in Cruce, & ſæpiſſimè in altari, quæ repræſentat, tum ob laudem, quam actu confert Deo; itaut Beatorum muſicum alleluia, & Hymnus, tunc ſit etiam laus laudis, & gratitudo canora de gratiarum actione.

Num. 15. Prima autem pars aſſertionis de vero ſacrificio celebrando à Chriſto Domino frequenti immolatione propriè accepta in ſtatu immortalitatis plenæ, & beatitudinis, probatur primò ex verbis Pauli ad Hæbr. 8.. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera Sedis magnitudinis in Cœlis, Sanctorum Miniſter, & Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non Homo*. Ubi manifeſtè aſſerit, Chriſtum Dominum è Cœlo, & è Sede magnitudinis exercere Pontificatum, aut Sacerdotium, ſignificatum per Miniſtrum Sanctuarii: & quidem Sanctorum, per quos ſatis aptè intelliguntur Beati: non ſacrificare autem immediatè è Cœlis Hoſtiam in Eccleſia militante, quandiu hoc duraverit, liquet ſatis ex copioſè dictis diſput. 4.. Ergo Apoſtolus hic loquitur de ſacrificio in Eccleſia triumphante peragendo. Deinde ibidem cap. 10. poſtquam dixerat, Chriſtum Dominum functum eſſe munere Sacerdotis in terra, adjungit, Deum conſtituiſſe illum *Sacerdotem magnum ſupra Domum Dei*, ideſt Cœlum, ut cum Theophilacto exponunt Interpretes quamplures, cum de illo ſit ibi ſermo.

Ne-

Nequit autem Apoſtolus id animadvertere (cum jam dixiſſet, Sacerdotium Chriſti Domini eſſe æternum), niſi ut innuat, habiturum in domo æterna Empyrei æternum Sacerdotis magni exercitium. Item verbis Prophetæ Regii Pſal. 4. non ſemel productis, nova tamen reflexione, & luce inculcandis hic: *ſacrificium laudis honorificabit me: illic iter; quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Ubi S. Auguſtinus inquirens, *quod eſt ſalutare Dei?* Reſpondet confeſtim *Chriſtus Jeſus*; Cæterum Chriſtus Jeſus in ſacrificio Euchariſtico (de quo loquitur ibi David, ut teſtantur Patres, & Expoſitores) non oſtenditur, aut manifeſtatur nobis, ſed potius abſconditur à conſpectu noſtro; itaut non per oſtenſionem, ſed per ſidem, & ænigmata obſcura nobis innoteſcat: eſtque propterea via ad manifeſtam ſui viſionem in Patria, non tamen terminus ipſe prout in altari, cum in via non manifeſtetur terminus, ſed promittatur ſolùm. Neque ſufficit quòd protinus adjungit: *& quomodo in ſacrificio laudis nobis oſtenditur Chriſtus? Quia Chriſtus cum gratia venit ad nos.* Siquidem Chriſtus Dominus in Euchariſtia, quæ eſt bona gratia, & cum gratia, quam per illam nobis confert, non venit ad nos manifeſtus, ſed nimium occultus; non oſtenditur nobis, ſed purè credendus advenit. Veram tamen reſponſionem præmiſerat in eodem Pſalmo Auguſtinus ad illa verba: *Deus manifeſtè veniet*, ubi loquens de Perſona Chriſti Domini, inquit: *quid ergo fratres? Ille Deus Deorum, & tunc occultus, & modò occultus, numquid ſemper occultus? non planè, audi ſequentia, Deus manifeſtè veniet. Qui venit occultus, veniet manifeſtus. Venit occultus judicandus, veniet manifeſtus judicaturus.* Dum hominibus converſaretur paſſibilis, latebat divinitas, ſolùmque miraculorum fulgoribus ſcintillabat aliquantulum Deitas: in altari venit etiam ad nos realiter præſens, & pretium donaque quamplurima afferens non tamen oſtenditur, non manifeſtatur nobis, venit occultus; non tamen ſemper occultus, quia poſt mortem univerſi erit nobis manifeſtus.

Juxta hanc igitur Auguſtini præcedentem doctrinam ſentiendum omnino, in ſacrificio altaris, quod laudis etiam dicitur, credi tantùm à nobis Chriſtum Joſum ibidem latitantem, neutiquam verò oſtendi, aut manifeſtari: adeſſe quidem viam ad manifeſtationem, non verò oſtenſionem ipſam Chriſti Jeſu. Agnoſcendum verò eſſe neceſſariò, agnitumque fuiſſe ab Auguſtino, & à Regio Propheta, juxta ipſum, verum aliud ſacrificium laudis in Patria, poſtquam mundus corruerit, in quo manifeſtus aderit Chriſtus Jeſus; & manifeſtè exequetur munia Sacerdotis. Sicut enim idem Chriſtus Dominus eſt via, & terminus, ita & idem numero ſacrificium eſt in via, & in Patria, & idem quod modò in via conficitur, eſt via ad ſeipſum ut celebrandum inter potiſſimos Eccleſiæ glorioſæ triumphos. In Eccleſia militante ſacrificium laudis, paritèr in triumphante verum laudis ſacrificium. Utrumque verò unum, & idem, ritus tamen diverſus, ſignaque, aut externæ ſpecies. Quemadmodùm comparando veterem legem cum lege gratiæ ait S. Irinæus lib. 4. contra Hæreſ. cap. 34. *Oblationes enim & illic, oblationes & hic: ſacrificia in Populo, ſacrificia & in Eccleſia, ſed ſpecies immutata eſt, quippè cum jam non à ſervis, ſed à liberis offeratur.* Imitati igitur Irinæum dicimus, oblationes in altari, oblationes & in futura gloria; ſacrificium verum in Eccleſia militante, ſacrificium quoque verum in triumphante. Sacerdos ſummus hic ſacrificans; & illic ſacrificaturus ſummus Sacerdos; cæterum hic occultus, ibi manifeſtus: hic myſteria abditiſſima ſacrificii proſunt nobis, quia creduntur; illic delectabunt nos arcana illius, quia patebunt, ut appoſitè declarat Cellenſis lib. 3. epiſt. 2. per hæc verba: *Animam conſortem naturæ, & gloriæ Cæleſtium Spirituum homo Chriſtus nutriet, non ſicut nunc in umbra Sacramenti obumbrati veritate; ſed in declaratione veritatis, & in detectione reſerati per clavem David myſterii de menſa Corporis, & de vina pretioſi Sanguinis.* Non enim pandetur ſolùm domus omnipotentis, ſed & omnipotentia, majeſtaſque Deitatis.

Num. 16. Promovetur ſecundò, & urgentèr ex doctrina Apoſtoli Hæbr. 7. Ubi Sacerdotium Chriſti Domini ſublimans longè, latèque ſupra Leviticum, inter alias cauſas, hanc adducit: *& alii quidèm plures facti ſunt Sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Ubi manifeſtè diſputat de vero, & ſtricto Sacerdotio, cum ejuſmodi fuerit, juxtà Scripturam Sacram Aaronicum, ſupra quod Chriſti Domini Sacerdotium extollit. Et ubi manifeſtiſſimè paritèr uſurpat æternitatem in toto rigore durationis ſine fine, cum dixerit, habere ſempiternum Sacerdotium; eo quod Sacerdos ipſe maneat in æternum: & aliundè æternitas Sacerdotis ſtrictiſſima eſt juxtà fidem: minùs dignè, quin & impropriè poſitivè, adduxiſſet æternitatem rigoroſam durationis Sacerdotis, ut probaret æternitatem latè acceptam duntaxat Sacerdotii, pro duratione Mundi caduca: quoniam licet permittamus id ſufficere ad inferendum, Chriſti Sacerdotium non admittere ſucceſſorem, ut Aaronicum admittebat, & poſtulabat; ſemper nihilominus impropriè diceretur, æternitatem Sacerdotii ſequi ad æternitatem durationis ipſius Sacerdotis, & in eum ſenſum duceret, ſubindeque illam æmulari in perpetuitate, quod eſſet planè falſum. Præterea verum non eſt, quod ſufficeret ad præfatam illationem duratio Sacerdotii uſque ad finem ſæculi, quoniam ſi pereunte Mundo; incipienteque ſtatu perenni Eccleſiæ triumphantis, finiret Sacer-

dotium,

dotium, eodem ſere jure diceretur extinctum fuiſſe, confeſtim ac Chriſtus Dominus glorioſus in Cœlum aſcendit (ſi ex Empyreo nec modò ſacrificat, nec umquam ſacrificaturus eſſet); eo quod locus ille, ſtatuſque non ſit ſedes propria illius dignitatis.

Ulterius dignitatem Sacerdotis magni Chriſti Domini permanſuram unà cum ipſa, & unione hypoſtatica ſine fine, concors eſt, & indubitata Theologia; ſolùmque de illius actu, ſive exercitio, uti & effectu diſputat S. Thom. 3. par. qu. 22. art. 5. cujus textum elucidans ibi D. Eximius; inquit: *ſenſus autem quæſtionis eſſe videtur, an actus, vel effectus, hujus Sacerdotii ſit æternus, dignitas enim, quæ in Chriſto eſſe intelligitur, non eſt dubium, quin æterna ſit, ſicut ipſe Chriſtus Deus, & homo in æternum manebit.* Quam veritatem continet proculdubio illud Pauli ad Hæbreos 7.: *Si ſecundum ordinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis, factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis.* Ideſt vitæ æternæ, in qua adſtruit virtutem ſummi Sacerdotis in Chriſto Domino. Semel autem ac Sacerdotii vera, & propria dignitas permanſura ſit in æternum, æternitate in rigore ſermonis uſurpata, difficillimum valdè apparet denegare eidem verum, propriumque aliquod ſacrificandi exercitium, vel actum, ne per infinita ſæcula floreat expedita, & vera facultas, officiumque ſublimiſſimum, incapax ſe exercendi in actu ſecundo, habendique verum aliquem uſum, ut ſatis evincunt, quæ ſupradicta fuerunt. Et ſanè, quia habitus ſidei in Beatis nullum elicere poteſt fidei actum in Patria, ne per totam æternitatem otietur in ea, illum nequaquam permanere in beatitudine docet nota Theologia.

Quapropter laudatus Eximius Doctor tom. 1. in 3. par. diſput. 46. ſect. 4. diſſerens de eadem æternitate Sacerdotii Chriſti Domini, & ex conſequenti de æternitate alicujus ſacrificii, poſtquam docuerat, ſacrificium juge appellari æternum, ſeu diei in perpetuum duraturum, quatenus in Eccleſia militante uſque ad prœliandi finem, aut metam, offerendum ſit, ſubdit: *Vel certè, quia etiam in Eccleſia triumphante per æternam commemorationem, & gratiarum actionem officium Sacerdotis exercebit.* Ut autem officium Sacerdotis verè, & propriè exerceat, debet exiſtere, & offerre neceſſariò verum aliquod ſacrificium, cum per ordinem ad illud per ſe primò dimetiatur; & ſine quo otiaretur æternè officium illud, etiamſi munia alia exerceret. Ad eumdem modum loquitur inſignis Leonardus Leſſius in quæſt. 22. Div. Thom. dub. 102. art. 5. num. 10. ubi deſignans cauſas, ob quas Sacerdotium Chriſti Domini dicatur æternum, quarto loco adducit ſequentem: *Quia etiam poſtea* (poſt mundi finem) *in omnem æternitatem perſeverabit munus hujus Sacerdotii in gratiarum actione, & laude; & etiam in quadam repetitione oblationis præteritæ per affectum, & approbationem.* At nequit perſeverare per ſacrificium laudis, & gratiarum actionis diverſum, vel diſtinctum numero ſimpliciter à ſacrificio præſenti altaris, cum unicum eſſe debeat ſacrificium hujus magni Sacerdotis, juxta Apoſtolum, ut diſp. præcedenti vidimus fusè. Ergo per iterationem ejuſdem numero. Obiterque obſervandum ex duplici laudato teſtimonio, aſſertionem noſtram deſtitutam minimè eſſe Theologorum ſuffragio, & patrocinio, cum duo producti tanti nominis ſint in orbe literario, ut ad eorum ſuffragia, veluti ſigno dato, concurrat ſemper ſtrenuiſſima Scholaſticorum manus. Sicut enim ſacrificium cruentum debuit repræſentari crebrò in Eccleſia per ſacrificium altaris; ita tamen ut repræſentatio illius ſit etiam in ſe vera ſacrificatio; ita & ſacrificium Crucis, & Altaris debent in Eccleſia triumphanti repræſentari; verùm ità ut utriuſque repræſentatio ſit pariter verum ſacrificium, eaque ratione vigeat utriuſque fama, & floreat utriuſque memoria, ut imago utriuſque ſit viva, & veluti exemplar ipſum reproductum cum gloria.

Num. 17. Tertiò promovetur ex neceſſitate ſupra indicata honorandi Deum in omni ſtatu per ſupremum cultum religionis, cujuſmodi eſſe ſacrificium ſtrictè acceptum docent omnes, & ideo nulla religio, ſive vera ſive falſa extitit umquam abſque ſpecie aliqua ſacrificii. Ex quo inferunt Theologi, illud eſſe juxta dictamen, & legem naturæ, quod oſtendit S. Thomas nuper allegata qu. 85. art. 1., & rurſus art. 4. ait, *Illi verò, qui non erant ſub lege* (ſcripta) *tenebantur ad aliqua exteriùs facienda in honorem divinum, ſecundum condecentiam ad eos, inter quos habitabant, non tamen determinatè ad hæc, vel ad illa.* Natura autem, ejuſque lumen non deſtruitur per ſtatum beatitudinis, ſed perficitur, terminumque ſuæ felicitatis aſſequitur. Ergo non eſt cur arceatur omne ſtrictum ſacrificium à regione beatorum hominum. Quæ namque facundia adeo victrix exiſtere poteſt, quæ perſuadeat Gentibus, ibi coli, honorarique ab hominibus inferiori cultu Deum, ubi copioſiùs infinitè ſe eiſdem hominibus communicat, ſeque ipſum intimè largitur? Et ubi ardentiùs ab illis, vehementiorique impetu amatur? Petrus Cluniacenſis in Epiſt. contra Petrobuſianos ſcite dixit: *Qui ab Eccleſia ſacrificium tollunt, hoc tentant, Dæmone ſuggerente, ut gens illa, quæ pluribus eſt à Deo cumulata beneficiis, minus grata ſit, minoremque cultum illi exhibeat:* cur ergo ab Eccleſia triumphante ſacrificium removes, cum & gratitudo eſſe debeat major ob magnitudinem beneficiorum, juxta quam menſuranda eſt magnitudo debiti gratitudinis, & honor Deo exhibendus ex natura ſtatus longè perfectioris, eſſe debeat pariter altior, ſuaveolentiorque? Num per interminabiles æterni-

Digitized by Google

ternitatis dimenſiones extitnrus eſt Deus privatus honore ſupremo per ſacrificium verum illi à Beatis, ſive filiorum cœtu jucundiſſimo, exhibendo; quin clamare valeat, ſicut olim per Malachiam: *Si ergò Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? .... ad vos ò Sacerdotes &c.* Comprobatur, ſimulque munitur iterùm eadem pars aſſertionis ex doctrina S. Thomæ, paritateque, quam ille 3. p. qu. 54. art. 4. colligit ex S. Auguſt., & ex Beda: ſcrutatur enim motiva, ob quæ Chriſtus Dominus decreverit ſervare in perpetuum cicatrices glorioſas vulnerum, aut ſigna profunda, cum eiſque reſurgere, & ait: *Non ex impotentia curandi, cicatrices ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Tertio ut Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit ſemper oſtendat.* Qui autem veſtigia adeò expreſſa vulnerum in corpore, pulchritudine, & elegantia ineffabili prædito conſervavit in memoriam triumphi; cur non reproducet ſæpè in Eccleſia triumphante immolationem ipſam realiter (adeoque idem numero ſimpliciter ſacrificium) aut actum, quo ſeipſum ſacrificavit, & in Cruce, & jugiter in altari, non ſolùm in memoriam triumphi Crucis, ſed in ſummam laudem, & gloriam Patris, ſive in ſacrificium laudis, & gratiarum actionis? ſi conſervare decrevit notas victimæ immolatæ, cur non ejuſdem victimæ immolationem, dum illa reproducibilis eſt, & dum ultra recordationem ſacrificii præteriti conficere poteſt glorioſum, & ſtrictum ſacrificium in honorem Patris de præſenti?

Neque ex actibus illis externis per ſacrificationem internam imperatis ſequitur aliquid dedecoris ſeſſioni Chriſti Domini ad dexteram Dei Patris; cum longè major gloria, & honeſtas inde proveniat Humanitati Chriſti Domini, Patrem ſublimi illo cultu honoranti. Ad modum quo D. Thom. ubi ſupra art. 3. in conſimili dixit: *illa apertura vulnerum, quamvis ſit eum quadam ſolutione continuationis, totum tamen hoc recompenſatur per majorem decorem gloriæ, ut Corpus non ſit minus integrum, ſed magis perfectum.* Conſimiliter juxta plures Arca teſtamenti æternatura eſt in Cœlo, ut colligunt ex Apocal. 11. *& apertum eſt templum Dei in Cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus.* Cur non & Euchariſtia (per arcam figurata) in ratione ſacrificii (ſi ſub ratione Sacramenti permanere non debeat) ſub alio tamen ritu? Cur in eo templo nullum ſacrificium offeret ſummus Sacerdos? Maximè cum dicat *teſtamenti ejus*, quod eſt novum teſtamentum, de quo dicitur: *hic Calix novi teſtamenti &c.*

Roboratur 6. Trophæum Crucis, vexillumque redemptionis noſtræ, æternabit in ſatis probata Theologorum ſententia, canente Sybilla de pretioſo eo ligno. *Sed Cœli tecta tenebis*, itaut arbor illa nobilis radices in Cœlo figat immortales. Quanto congruentiùs autem perennatura dicenda eſt (quamquam interrupta exiſtentia, juxta naturam ſacrificationis, ex ſe in fieri, & non in facto eſſe conſiſtentis) ipſa ſacrificatio activa vitæ Chriſti Domini in Cruce facta? Neque inde ſequitur, permanſurum quoque ſine fine Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque uſum. Siquidem hoc fuit primariò inſtitutum ad reficiendos fideles in hac vita; in beata verò, ubi erit ſatietas plena, refectione illa opus non eſt. Cæterum ſacrificium reſpicit potiſſimè Dei honorem, cultumque; hic autem finis perſiſtit, premitque altiùs in ſtatu ſummæ proſperitatis; ne ubi exundant fluenta beneficiorum, & voluptatum, exareant partim fontes gratitudinis, & laudis; & ſanè ſi à Regione beata non repellas omnem ingrati animi ſpeciem, ægrè poſſes concipere Patriam illam undique felicem.

Num. 18. Probatur demum ex verbis Chriſti Domini Joan. 4. cum enim Samaritana illi dixiſſet: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Reſpondit ei Salvator Mundi. *Venit hora, quando nec in monte hoc, nec Hieroſolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare.* Ubi per verbum *adorare* intelligendum eſſe idem formaliter ac *ſacrificare*, certiſſimum eſt, cum controverſia inter Judæos, & Samaritanos neutiquam foret de adoratione quà diverſa ab ſtricta ratione ſacrificii, quandoquidem ubique, ſive ex omni loco fieri poſſe à quolibet interno actu, externiſque adorationis internæ ſiguis, indubitatum erat; ſed de loco verè, & propriè ſacrificandi, an Hieroſolymis tantùm, ut Judæi affirmabant; an in monte Garizin, ut Sciſmatici Samaritani ſentiebant, templo ibidem extructo? Unde & Geneſ. 22. (ſicut & Actor. 8.) ſumitur verbum adorandi pro actione offerendi Deo verum ſacrificium: *poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Conſulendus à Lapide Joan. 4. Doct. Eximius tom. 3. in 3. p. diſp. 74. ſect. 1. ex eo autem Joannis loco intulere audaciſſimè Wiclephus, Lutherus, Kemnitius, & Calvinus cum grege, nullum eſſe verum ſacrificium in Eccleſia Dei, niſi purè internum, ſpiritualeque, & inviſibile. Theologi verò, & Interpretes ex adverſo contendunt, appellari à Chriſto Domino ſacrificium altaris ſacrificium in Spiritu, & veritate, ut contrapoſitum carnalibus ſacrificiis antiquæ legis, adeoque nequaquam excludere verum legis gratiæ ſacrificium, ſenſibile factum per Symbola externa viſibilia, ſenſibuſque perceptibilia.

Hæc doctrina omnino vera, & ortodoxa eſt, quà docet, colligi ex prædicto teſtimonio verum, propriumque aliquod ſacrificium conficiendum per Sacerdotium

Chri-

Chriſti Domini, & cum præfatum ſacrificium ſit unicum, etiam numero, apud ſententiam noſtram, neceſſariò, vel præſuppoſitivè, vel implicitè attingitur in eo loco ſacrificium altaris. Credimus attamen, ſacrificium eo teſtimonio præcipuè intentum, & declaratum eſſe ſacrificium laudis, celebrandum in Eccleſia triumphante per jugem repetitionem ejuſdem actus ſpiritualis ſacrificantis, ſive adorantis. Moveor 1. quia Chriſtus Dominus io eo colloquio ſermonem inſtituerat de vita æterna, cum dixiſſet: *qui autem biberit ex aqua, quam ega dabo ei, non ſitiet in æternum*. Unde S. Auguſt. tract. 15. in Joann. inquit: *delectata eſt* (Samaritana) *& putabat, hoc ſecundum carnem promiſſum ſibi à Domino. Quad quidem fiet in reſurrectiane martuorum. Jam hoc volebat illa.* Deinde ſitim, quæ ſequitur voluptates mundi, deſcribens, adjungit: *Si autem acceperit à me aquam, non ſitiet in æternum. Satiabimur, inquit, in banis domus ſuæ. De qua erga aqua daturus eſt, niſi de illa, de qua dictum eſt, apud te eſt fons vitæ? Nam quomodo ſitient, qui inebriabuntur ab ubertate domus tuæ?* Apud Auguſtinum ergo ſermo Chriſti Domini cum Samaritana circa ſtatum beatitudinis, & deliciarum vitæ ęternæ verſabatur illis verbis. Pro eodem igitur æteroitatis templo, & ſtatu, prædicit ſacrificium in ſpiritu, & veritate peragendum; & ex conſequenti continuandum ſub illo ritu (laudis ſcilicet), quod modò conficitur ſub ſpeciebus panis, & vini.

Moveor ſecundò: quoniam rudis, & carnalis illa muliercula capax minimè erat tunc percipiendi arcanum maximum, & profundiſſimum Euchariſtiæ (quod celabatur poſtmodum Catecbumenis), erat tamen diſpoſita ad percipiendam rationem ſacrificii, cum de illo ut frequenter celebrato in ſuo Gazariano locuta fuiſſet. Unde ſufficienter ioſtructa erat ad percipiendum, futurum in vita æterna, quam reſciebat, daturum eſſe Meſiam credentibus, ſacrificium aliquod ab eodem inſtitutum, diverſum à cæde animalium, & in ſpiritu, & veritate celebrandum. Quod in altari abſque balatu, & ſanguine ovium fieret ſacrificium, capere vix poſſet: & multo minùs quod conficeretur in illis verum ſacrificium, adeoque ſenſibile, & quòd nihilominus foret ſolùm in ſpiritu, & veritate, ſive ſpirituale ſimul, & verum. Quòd autem videntes Deum in Patria ſacrificia laudis illi offerrent, nullo negotio conciperet vel ignara myſteriorum Dei fœmina, cum venturum Meſiam, qui redimeret mundum, & aperiret Cœlum, ſciret, & crederet, ubi vel inſcitia ipſa noverat, perennaturas fore divinas laudes, & harmonicum illud carmen, de quo Pſal. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*, & illud Pſal. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus*.

Moveor tertiò: quoniam Hieroſolymis celebrandum fore ſacrificium Euchariſticum, veriſſimum erat, uti reipſa à S. Jacobo Apoſtolo, & ſucceſſoribus, reliquiſque Sacerdotibus peractum fuit ſæpiſſime; & aliunde Chriſtus Dominus Samaritanæ dixit: *Venit hara, & nunc eſt, quando nec in monte hoc, nec in Hieroſolymis adorabitis Patrem*. Ergo non loquebatur de ſacrificio altaris, quà ſub eo ritu conficiendo, aut ſub ea ratione, vel ſaltem non erat ille potiſſimus ſcopus doctrinæ. Quapropter quòd adjunxerit: *Venit hora, & nunc eſt*; probat ſolùm extitiſſe jam tunc ſummum Sacerdotem, celebraturum illud ſacrificium (& per ipſum Beati); adeſſeque victimam, uti & Meſiam omnia illa promiſſa impleturum. Sicuti licet ſupponeretur loquens de ſacrificio Euchariſtico; illud tamen nondum erat præſens; ſed extiturum poſtmodum, & inſtituendum fore; aderat tamen inſtitutor præſens, & Sacerdos. Sub metaphora igitur aquæ vivæ illi valde nota deſcripſit Samaritanæ Cbriſtus Dominus fluenta voluptatum ſtatus beatitudinis. Et ſub nomine adorationis ſacrificium laudis in ſpiritu, & veritate ibidem celebrandum; cum rationem ſacrificii veri ſufficienter ipſa Photina (proprium nomen illius mulieris); foret edocta. Sacrificium equidem peragendum à ſummo Sacerdote ſedente ad dexteram Patris, dum prædiceretur ab illo, ſedente *ſic ſupra fontem*.

SECTIO SECUNDA.

Diluit quamplures objectiones, & convellit aliarum radices.

§. I.

Num. 19. PRIMA oppoſitio ultra vires proprias objectionis, induit naturam redargutionis. Namque Apoſtolus ad Hæbreos 10. dum infirmitatem veteris Sacerdotii colligit ex pluralitate ſacrificiorum ejuſdem; ut oppoſitam perfectionem arguat in Sacerdotio Chriſti Domini ex ſingularitate ſacrificii, ait: *hic autem unam pro peccatis afferens Hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei*: quaſi diceret, ſacrificio Crucis oblato ſemel, quieſcere à ſacrificatione Chriſtum Dominum æternùm, ſedentem ad dexteram Patris: vix enim elariùs pronuntiari potuit quies illa æterna ſummi Sacerdotis, ceſſatioque à re ſacra officienda. Elucidatur ampliùs per efficacem retorſionem. Quoniam diſp. 4. ex eodem Apoſtoli teſtimonio probamus, Chriſtum Dominum non ex Empyreo, ubi ſedet ad dexteram Patris, ſed ex altari ſubire per ſe immediatè munia Sacerdotis. At ſacrificium laudis, quod conficeretur in Eccleſia triumphante, foret idem oumero abſolutè cum ſacrificio altaris, juxta principia à nobis jacta: ergo aut nec ſub ritu laudis illud peragere valet è ſede illa majeſtatis; aut pariter ipſum conficiet ex eo-

dem ſolio auguſto in altaribus ſub accidentibus Euchariſticis.

Urgetur aliter, novaque redargutione: nam eadem diſp. 4. diximus, conciliari poſſe ſententias invicem pugnantes circa orationem formalem Chriſti Domini in ſtatu præſenti, per hoc, quod ille quà ſummus Sacerdos ex altari formaliter oret Patrem, ſecus autem è Cœlo, & prout ſedens ad dexteram Patris. Reſpondeo, Pontificem noſtrum è Cœleſti ſolio, & loco glorię nequaquam conficere ſacrificium celebrandum in altaribus Eccleſiæ militantis; quoniam tam materia remota, quàm victima eſſe debet propinqua Sacerdoti, & aliunde Chriſtus Dominus ſolum eſt victima immolanda nunc, prout altari Sacramentaliter præſens ſub ſpeciebus: ergo ſolùm eſſe poteſt Sacerdos ex altari reſpectu ſacrificii Euchariſtici. Quo circa ex Eccleſia triumphante, ubi ſedet ad dexteram Patris exequi cum proportione nequit officium Sacerdotis in ſacrificio peragendo in Eccleſia militante; cum illo munere fungi valeat commodiùs, & connaturaliùs ex eadem Eccleſia militante, cujus altaribus adeſt verè præſens. Et hoc indicant objecta nobis verba Pauli, ad eumque finem obtinendum ea adduximus. Apertiſſimè namque ſignificare videntur, Chriſtum Dominum per ſacrificium Crucis ita conſummaſſe redemptionem, & ita omnia ad perfectum conduxiſſe in Eccleſia militante, tamquam ſummum Sacerdotem, ut cum Cœlum aſcenderit nihil ulterius ex loco illo, in quo ſedet ad dexteram Patris efficiendum ipſi, quà ſummo Sacerdoti in Eccleſia militante, ſuperſit, adeoque juremeritò quieſcere dicatur in ſublimiſſimo eo glorioſo ſolio. Cum licet ipſe peracturus ſit juge ſacrificium in terris, ubi adeſſe debet ad vocem Sacerdotis (ita ut jam non ſiſtat in Cœlo Sol, uti ad vocem Joſue, ſed veluti deſcendat, quamquam ſimul maneat); hoc ipſum tamen diſpoſitum reliquerat, & inſtitutum. Planè nihil ergo reſtabat illi efficiendum, ut ſummo Sacerdoti, in Eccleſia denuo fundata in loco pugnæ ex ſede majeſtatis, & gloriæ, alioqui non ex integro in terris muneri Redemptoris feciſſet ſatis, antequam Patriam repeteret, nubeque veluti alba quadriga vectus triumphum ageret, capitoliumque longè altiùs conſcenderet.

Num. 20. Cæterum finito jam, & planè emenſo militari campo, & tempore, poſtquam Eccleſia militans in triumphalem undique tranſeat, ut in æternum miſericordias Domini concinat; quamoptimè poteſt Chriſtus Dominus ſacrificium laudis peragere, quin verbis Apoſtoli ullo pacto contradicat. Siquidem victima ſacrificanda in eo ſacrificio eſt vita ipſa actualis Chriſti Domini prout exiſtentis ibidem in propria ſpecie, non verò alibi; ſubindeque non diſtat victima, nec materia circa quam à Sacerdote ſummo, quà aſſidenti Patrio in Throno excelſo. Unde actio illa efficienda non eſt ex Eccleſia triumphante in militante longo intervallo diſſita; nec exercitium illud arguit defectum conſummationis eorum, quæ pro dilecta Sponſa in terra hoſtili relicta efficienda eſſent; ſed æternas laudes, immortalemque gratitudinem pro conſummatione illa facta, & ex omni capite ſumma, perſolvit; ſacrificando, non jam in utilitatem, aut expiationem Beatorum, quia ſatiati in apparitione gloriæ ulterioribus bonis non egent, nec jacturam præſentium bonorum pati poſſunt; ſed in Dei honorem & cultum. Quòd igitur ſummus Sacerdos, quà ſedens in Eccleſia triumphante ad dexteram Patris nequeat exequi munia potiſſima Sacerdotis in Eccleſia militante, ſeu dum illa pugnet, juxta doctrinam Apoſtoli, cum poſſet eadem exercere ex eadem Eccleſia militante, in cujus aris mactandus eſt; neutiquam probat, nec abſolutè, nec juxta ſententiam Pauli, non poſſe, aut non debere magnum ipſum Sacerdotem ex Eccleſia triumphali, & in ipſa, quantumvis ſedens ad Patris dexteram, celebrare verum laudis ſacrificium. Ac proinde retorſio in noſtram aſſertionem ex eo capite deſumpta inermis redditur.

Neque urget ſecunda redargutio, quia Theologi removentes à Chriſto Domino orationem formalem, eam tantum ſpeciem orationis dedecere putant Chriſtum Dominum ſedentem ad dexteram Patris, quam fuſis precibus ~~eliciat~~, ſupplicique, & veluti ~~cadente~~ modo, petat, clamet, impetretque, licet non ſibi, ſed membris ſuę Eccleſię militantis; non tamen omnem; cum manifeſtum videatur, Humanitatem Chriſti Domini per cuncta in futurum ſæcula grates perquammaximas relaturam, laudeſque divinas inenarrabili affectu cantuque perſoluturam (ideoque non omnem ibi actum orationis rejecimus). Et aliunde ſacrificium celebrandum in ea triumphali Eccleſia à nobis adſtructum, tametſi verum, & ſtrictum ſacrificium futurum ſit, attamen nec impetratorium, nec meritorium eſſe valet, nec aliquid exacturum à Deo pro ſe, aut ſuo cœtu triumphanti; cum non fiat in loco vię ad meritum, & conflictum deſtinato. Sed unicè continebit gratiarum actionem, & Divinum cultum exaltabit, ſupremumque, Dominium Dei proteſtabitur. Aliud verò orationis genus expetens, & impetrans, quo ferri poteſt nunc in Deum ex altari, ultra ſacrificationem ipſam, nullatenus eſt neceſſarium pro illo ſtatu, & ſacrificio. Accedit, nos in ea ſententiarum varietate probabiliter concilianda, in neutram propendiſſe, ſed tantùm notaſſe, poſſe ea via in fædus amicum venire diſcordes alioqui opiniones, itaut ſecundum illam utraque ſit vera, tametſi in ſpeciem ſint contradictoriè oppoſitæ: eum non ſemel arbiter in componenda duorum lite, rationem unius apud alium viciſſim attollat, ut utramque

victri-

victricem reddat, dum utramque conciliat; etiamſi, qua ratione unaquæque, aut alterutra claudicet, perſpicuè videat.

Num. 21. Oppones ſecundò. Repugnat verum, & rigoroſè acceptum ſacrificium abſque ſignis viſibilibus, quibus reddatur ſenſibile cunctis cernentibus; ſed pro ſtatu perfecto beatitudinis exiſtere nequeunt ea ſymbola ut conſtitutiva per ſe, & eſſentialiter ſacrificii. Ergo pro eo ſtatu repugnat verum, & proprium ſacrificium. Major innititur doctrinæ omnium Patrum, Theologorumque, quin, & Conciliorum definitionibus; & aliunde nemini licet definitiones rerum, ſive conceptus proprios variare pro ſtatuum diverſitate; alioqui poſſes homines conſtituere veros per diverſa prædicata metaphyſica; quod non foret tantum diſſonum, ſed nugatorium quoque. Minor ſuadetur: quoniam ſigna illa externa eatenus requiruntur, quatenus ſunt per ſe neceſſaria, ut homines per ipſa ducantur in cognitionem ſacrificationis occultæ, oblationis internæ, myſteriique latentis, ajente Tridentino ſeſs. 22. cap. 1. *Ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium*. Ubi ea tantùm ratione viſibilitatem, aut ſignum ſenſibile poſtulat, quòd natura hominum id exigat ad occultum ſacrificium percipiendum, illud alioqui pro ſtatu præſenti non agnitura, per ſe loquendo. In ſtatu autem completo beatitudinis, intuitivè videre poſſunt homines glorioſi ſacrificationis actum elicitum à Chriſto Domino in Verbo, aut per notitiam infuſam, quemadmodum vident clarè Deum ipſum, quin & plures actus divinæ voluntatis, ſcientiæque. Otioſa igitur ſunt ad eum finem ſymbola externa, ſenſibiliaque, ac ſubinde neceſſaria eſſe nequeunt ad conſtituendum; ex quo rurſus ſequitur, nequaquam illud conſtituere, cum omne conſtitutivum eſſentiale, ſit eo ipſo omnimoda neceſſitate requiſitum. Ita S. Dionyſ. de Eccl. Hierar. cap. 5. & ex ipſo D. Thom. 3. par. qu. 61. art. 4. ad primum dicens: *Status novæ legis medius eſt inter ſtatum veteris legis, cujus figuræ implentur in novo teſtamento, & inter ſtatum gloriæ, in qua omnis nudè, & perfectè manifeſtabitur veritas: & ideo tunc nulla erunt Sacramenta. Nunc autem quandiù per ſpeculum, & in ænigmate cognoſcimus (ut dicitur 1. Corint. 13.) oportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna in ſpiritualia devenire, quod pertinet ad rationem Sacramentorum*. Quod expreſſit etiam Theodoretus exponens verba illa Pauli ad Corint. 11. *quotieſcumque manducabitis panem hunc &c.* inquit enim: *poſt cujus adventum, non ampliùs fore opus ſymbolis, ſeu ſignis corporis, cum ipſum corpus apparebit, & propterea dixit, donec ipſe veniat*. Hoc verò, quod de corpore dicitur veriſſimè, non minùs verè aſſeritur de ſacrificatione, priùs inviſibili, & abſcondita ab intuitu noſtro, proindeque indigente, comparativè ad nos, ſymbolis ſenſibilibus, & ænigmaticis; in Patria verò palam ſe exhibente oculis noſtri intellectus. Audiamus iterum Theodoretum ipſum in caput 13. Epiſt. 1. ad Corint. ad illa verba, *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Ubi diſputat ſic: *Præſentiam umbræ ſunt futurarum. In ſanctiſſimo enim Baptiſmo videmus figuram reſurrectionis; tunc autem ipſam videbimus reſurrectionem. Hìc videmus ſymbola Dominica, illic autem ipſum Dominum videbimus. Id enim ſignificat facie ad faciem*. Conſimiliter Anſelmus in 1. Corint. c. 11. exponens illa verba: *Mortem Domini annunciabitis &c. in ipſa perfectione*, ait, *ſalutis æternæ, cum tradetur regnum Deo, & Patri... nullis myſteriis corporalibus egebimus*. Quid enim juvare, aut prodeſſe valent ænigmata, ubi adeſt res ipſa in aperto poſita? ut quid ſymbola, aut tegumenta, ubi patet veritas ipſa nuda? *Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis tempus eget* (ſive potiùs æternitas).

Num. 22. Confirmatur: quoniam idem objectum, camdemque veritatem attingi ſimul per cognitionem intuitivam, radio ſolis clariorem, & per aliam cognitionem ſubobſcuram, & ænigmaticam: vel eſſe nequit, ſaltem abſque miraculo: vel tametſi coexiſtere valeat utraque cognitio naturaliter, redditur attamen planè ſuperflua ſecunda, per primam, & inſuper obſcura illa imperfectionem aliquam præſeferret malignæ lucis à gloriæ ſtatu alienam. Immo vel non eſſet actus fidei arcendus à beatitudine; vel actus ille certus alioqui non foret; ſubindeque indignus eo glorioſo ſtatu: maximè cum in ſtatu paſſibili feramur in illud ſacrificium actu fide divina certo. Hæc fuiſſe videtur mens Venerabilis Bedæ, dum apud Algerum lib. 1. de Corp. & Sang. Domini cap. 8. inquit: *Quomodo egebimus Sacramento, quod utique oculus corporaliter videt?* Ex quo lumen accipit (& ſimul per reflexionem confert illud dictis, dicendiſque) illuſtre Cypriani teſtimonium in ſerm. de Cœna Domini, hiſce verbis expreſſum: *Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris, eumdem ſine Sacramento manifeſtius edemus in Cœlis, non miniſterio corporali ſæpe repetitis actionibus ad eodem revertentes, ſed conſummato Sacerdotio noſtro, erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis, implens, & reficiens nos ſufficientia, qua proferet ſe palam abſque ullis integumentis, omnibus conſpicabilis ſummi præſentia Sacerdotis*. Quibus verbis non ſolùm firmat doctrinam objectionis; verùm & adjungere videtur conſummationem, finemque Sacerdotii, & ex conſequenti ſacrificii unà cum conſummatione mundi. Eodem reſpexit clariſſimè S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierar. cap. 3. dum in hunc modum exclamat, & exorat in Euchariſtia latentem. *O diviniſſimum, & Sanctum Sacramentum obducta tibi ſymbolicè operimenta ænigmatum revelans, dilucidè nobis demonſtrare, ac ſpirituales noſtros oculos ſingulari, apertoque lumine imple*. Ubi ſignificat, idem prorſus eſſe aperto lumine conſpicere objectum aliquod, Chriſtum Dominum v. g. la-

tentem ſub ſpeciebus (ſive etiam ſub eiſdem ſacriſicantem), ac diſparere à vidente confeſtim ænigmata, operimentaque propria Sacramenti, & ſacrificii, quatenus illi neceſſaria minimè jam ſint. Quæ omnia robur, & lumen accipiunt ab Apoſtolo 1. Corint. 13. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*. Ideſt cum venerit ſtatus fortunatiſſimus videndi Deum, ceſſabunt præſentia hæc in obſcuro poſita, ſides, Sacramenta, ænigmata, & ſpecula, per quæ videmus, ut explicant Interpretes, ex ejuſdem Apoſtoli nota doctrina. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*; ne alioqui concurrant in eodem intellectu circa idem objectum nox, & dies, reſultetque ex utraque tertia alia lux parùm benigna deſtruens unà tenebras noctis, & lucem diei.

Num. 23. Reſpondeo, ſymbola aliter poſtulari à ſacrificio, ac à Sacramentis. Ab his enim exiguntur ut conſtitutiva in recto, ad manuducendum intellectum in rem ſignificatam, ſive ut ſignum gratiæ; quod falleret in Patria, ubi nulla ſanctificans denuo conferenda eſt. A ſacrificio vero neutiquam expetuntur ad gratiæ effectum deſignandum, cum illum ex opere operato non inducat. Ad manuducendum vero intellectum in ſacrificationem occultam, de obliquo ſolum, aut minus principaliter illud conſtituunt: & quidem ita, ut in actu primo, tantum, & quantum eſt ex ſe ducant; quidquid ſit de actu ſecundo, eo quod ſit in ea acceptione effectus extrinſecus. Subindeque non repugnat beatitudini; dummodo ſacrificium aliunde exiſtere in illa debeat. Deinde requiruntur modò ſymbola, ut homines adunentur ſenſibilitèr in unum cætum; finis autem hic eſt etiam extrinſecus Sacrificio, & Sacramentis; alienus attamen non eſt à completo fælicitatis ſtatu, in quo, licet adſint ſublimiores cauſæ unitatis, poſſunt Cives corporei novo hoc titulo ex abundantia coire in unum; ſi neceſſe ſit ex alio capite adeſſe ibi Sacriſicium; cujuſmodi neceſſitas non reperitur in Sacramentis. Rurſus proteſtatio juris divini in vitam & mortem, exiſtentiam, & deſtructionem rerum omnium, quæ eſt formalitèr ipſa ſacrificatio, debet peculiari jure ſieri ſenſibilis (dum ſeipſa talis non ſit), ut integer homo pœnès interna, externaque proteſtetur, cum ſacriſicat, ſubjectionem tam viſibilium, quam inviſibilium Creatori debitam. Idcircò ſacrificatio viſibilis eſt ſignum interni Sacrificii, ut loquitur S. Auguſt. Neceſſitas tamen hujus proteſtationis, quæ ſacrificii propria eſt, & nullatenùs Sacramenti, perſiſtit in Cœlo, ut probant argumenta noſtra. Semper tamen ea ſenſibilitas eſt conſtitutivum ſecundarium Sacrificii, cujus rectum eſt actio ſacriſicativa, ut Diſp. 6. oſtendemus. Ulterius, Sacramenta ordinantur primariò, & abſolutè in utilitatem fidelium, in ſubſidiumque indigentiæ illorum. Proptereaque uſum habere nequeunt in Beatitudinis ſtatu, quippe qui expers omnino eſt indigentiæ omnis, & incapax jam recipiendi ulteriorem ſubſtantialem gratiam. Verùm ſacrificium, cum inſtituatur principaliter in Dei honorem, & cultum, cujus dignitas, & ratio perſiſtit in tota æternitate, permanet eo ipſo debitum ſacrificii verè talis, & ex conſequenti neceſſitas omnimoda Symbolorum, non quidem ex defectu cognitionis, aut lucis in Beatis ad intuendum actum internum Chriſti Domini, ſed ad conſtituendum ſtrictum, & proprium omnibus modis ſacrificium: quoniam præciſivè ab eis ſignis viderent actum internum Chriſti Domini, non tamen veram actualem ſacrificationem, quia non adeſſet verum actuale ſacrificium, ſed pura repræſentatio, aut memoria interna ſacrificii præteriti.

Neque indè infertur, adfuturas ſimul cognitiones, obſcuram, & intuitivam ejuſdem objecti, ænigmaticamque, & evidentem: quoniam cognitio illa, quæ ex externis ſignis duceretur in objectum, nullo pacto futura erit ænigmatica, aut obſcura; ſed eſſe poterit ſcientifica, evidènter à poſteriori deducens ex eis Symbolis materialiter viſis exiſtentiam ſacrificationis. Per hoc nimirum, quod per ſcientiam infuſam, aut Theologicam noverit clariſſimè beatus, præfata Symbola, dum extiterint, ſignificare realem immolationem, complereque ſacrificium laudis. Duplex autem notitia evidens, à priori, & à poſteriori habita circa eamdem veritatem neutiquam pugnant ad invicem, ut planum eſt. Vel ſecunda illa erit tantum abſtractiva, quia non intueatur immediatè actionem ſacriſicandi; clariſſima tamen, & certiſſima. Præterea opus non eſt duplici cognitione, ſiquidem eadem cognitio intuitiva, quæ directè immediateque fertur in actum illum internum, evidenter eo ipſo noverit, illum imperare ſuſpenſionem vitæ actualis corporeæ præexiſtentis; & ſimul exſtentiam operationum vitalium Corporis in laudem Dei, quas oculis corporeis intuentur Beati, conſequenterque agnoſcent omnes evidenter exiſtentiam ſacrificii abſque ullo ænigmate, aut obſcuritate ex parte cognoſcentis; quamquam adſint ejuſmodi Symbola, aut ſigna ex parte ſacriſicii, utpotè conſtitutiva eſſentialiter illius in ratione ſtrictè talis. Res viſa (adæquatè ſumpta) Symbolica eſt, viſio tamen illius apertiſſima, quemadmodum cognitio falſitatis veriſſima eſt interdum, & intellectus ſæpiſſimè contuetur ſumma cum claritate confuſum aliquid; & informe.

Num. 24. Hæc procedunt ex permiſſione facta, quod ſcilicet Beati intuitivè velut per ſe ſacriſicationem illam viſuri ſint; contuerique debeant; doctrina tamen hæc voluntarie adſtruitur ut firma, cum videntes Deum clarè, uti non idcirco videre debent omnia divinæ voluntatis decreta, omnemque divinæ ſcientiæ formalitatem, ita non eſt

cur

cur illis debeatur intuitio omnium actuum internorum voluntatis humanę, intellectuſque Chriſti D; aliter omnia noſcerent, quę ſciret ille. Immo nec ſecreta cordis ſibi reſervare poſſet aliqua, ſed cunctis paterent ipſo jure; cum reliqui Beati homines, Angelique dominio quaſi deſpotico in ſecreta propria gaudeant, itaut ſoli Deo, humanitatique Chriſti Domini, & illis quibus voluerit ipſa revelare, pateant. Solùm ergo habere per ſe debent notitiam per ſigna ea viſibilia comparatam, & ex eis deductam. Non ideo tamen illa erit vel incerta, vel obſcura; quoniam, ut nuper dicebam, innoteſcere poteſt Beatis per ſcientiam Theologicam, infuſamve notitiam, præfata ſigna ex Divina inſtitutione ſignificare exiſtentiam actus interni immolantis vitam actualem Chriſti Domini, novamque loco illius ſuo imperio inducentem, dum adſint: unde, illis exiſtentibus, cum ſciat Beatus, formam ſignificandi eſſe infallibiliter connexam cum ſignificato, illico evidenter per medium illud noſcet exiſtentiam ſacrificationis perſpicua illatione.

Hinc cadit unà cum argumento confirmatio, productaque in oppoſitum teſtimonia cadunt à fine per objectionem intento: nihil enim aliud ſuadent, quàm ad attingendum Corpus Chriſti Domini, aut reliqua objecta ex eis, quæ ex natura beatitudinis manifeſtari debent apertiſſimè, & reſeratis undique cortinis, minimè neceſſaria eſſe Symbola aliqua, aut ænigmata: quia ad eum tantùm finem aſſequendum inutilia forent, cum alio modo perfectiori videantur objecta illa in ſeipſis. Et in hoc ſenſu dixit S. Thom. 3. p. q. 63. art. 5. in beatitudine nihil agendum in figura, *ſed in nuda veritate*. Ad alios verò fines utilitatis noſtrę neceſſaria minimè ſunt; quia Sacramentorum uſus deſit, eo quod deſierit eorum neceſſitas. Cæterum quia neceſſitas ſumma honorandi Deum neutiquam deſinit, ſed ſubſiſtit, urgetque majori conatu in beatitudine: tum etiam quia actus ille internus ſacrificatinnis nullo jure debet per ſe patere omnibus Beatis eo præciſè titulo, quod Deum videant, nec in Verbo debetur illis ejus intuitio, ſicut non debetur viſio aliorum plurium actuum voluntatis humanæ Chriſti Domini; propterea eadem neceſſitate, qua exiſtere debet ſacrificium laudis, & eiſdem titulis, adeſſe oportet ſigna illa in Eccleſia triumphante, ſemper ac reproducatur actio ſacrificativa. Dummodo autem id per ſe non conveniat Beatis omnibus, ſemper remanet ſacrificium, quantum eſt ex ſe viſibile formaliter per ſigna externa; per accidenſque ſe habebit reſpectu illius, quòd aliqui in Verbo, vel aliter intuitivè videant internam ſacrificationem.

Inſuper ſacrificatio prædicta, utpotè exercitium Sacerdotii ęterni, infinitèque perfecti, poſcit jugem ſui reproductionem per ſęcula ęterna; & aliundè illa, tametſi non affigatur determinatè uni tantum ritui externo, affigitur tamen alicui, cruento videlicèt ſemel, Euchariſtico pro tempore durationis Eccleſię Militantis, & laudis externę pro tota æternitate. Neceſſitas ergò eadem, quę reproductionem præfatæ actionis invehit, inducit paritèr ex conſequenti exiſtentiam ſignorum. Et ut ex altiori radice neceſſitatem hanc hauriamus, neceſſe eſt quòd Chriſtus Dominus per ętatem ęviternam ſit ſummus Sacerdos verè, & propriè: hæc neceſſitas parit neceſſitatem veri alicujus ſacrificii in perpetuum duraturi; quantumvis interruptis ſacrificationibus, prout exigit natura ſacrificii, non in facto eſſe, ſed in fieri ſita. Sacrificii autem neceſſitas infert neceſſitatem ſimplicitèr extrinſecæ ſenſibilitatis per ſymbola, cum hæc ſit ejus formalis eſſentia. Hæc autem neceſſitatum, aut potiùs neceſſitudinum catena, dura fataliſque profectò non eſt, ſed ſuaviſſima, & optanda, cogit ſanè, verùm ad eumdem modum ac beatitudo, aut viſio Dei cogit hominem, ut ſit æternùm fælix, & Deum laudans; fortunata neceſſitas!

Num. 25. Objicies tertiò: ſententiam noſtram præbere anſam errori ſeminato per Tranſilvaniam, Poloniam, & Hollandiam à Monſtro illo, & Novatore, Fauſto Soccino, aſſerente, Chriſtum Dominum nullo pacto fuiſſe Sacerdotem Magnum ante reſurrectionem ſuam; ſed dignitatem hanc accepiſſe ad inſtar præmii per merita propria comparati in ipſa corporis cum anima reunione glorioſa, ut officium illud exerceat pro ſtatu beatitudinis, renuntiatumque propterea fuiſſe ſummum Sacerdotem in limine ipſo ęternę beatitudinis corporis, ęternitatiſque. Verùm error ille neutiquam ſitus fuit in eo quòd Sacerdotium Chriſti Domini ęternum diceret, & pro ſpatio interminabili ęternitatis exequendum, ſed unicè in eo, quod denegaverit eidem pręfatam dignitatem, & officium, pro ſtatu paſſibili ad praxim revocandum; cum eo ipſo ſacrificium Crucis de medio tolleretur, & inſtitutio Sacrificii incruenti in Cœna per veram ſacrificationem ſub ſpeciebus panis, & vini facta: & cum indè arguatur evidentèr, non fuiſſe illi debitam excellentiam pręfatam titulo unionis hypoſtaticæ à primo inſtanti Incarnationis, adeòque purum hominem fuiſſe donec reſurgeret. Quæ omnia multis nominibus blaſphema ſunt, & compendium hæreſum Arrii, Neſtorii, & Pelagii continentia, ut oſtendit à Lapide in Comment. ad cap. 8. Epiſt. ad Hæbr. ibidemque diruit illius fundamentum, deſumptum ex verbis illis Pauli in eo cap. *Si ergò eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos, cum eſſent, qui offerrent ſecundùm legem munera*; cum non aliud denotent ea verba, quàm Sacerdotium Chriſti Domini non eſſe Leviticum, & ad terrena bona impetranda, ſed altioris ordinis, & undiquè Cœleſte.

Ex illo tamen errore potiùs eruitur argumentum in favorem aſſerti noſtri, cum

ille

ille ſuppoſuerit, tamquam incontroverſum, in Ecclesia triumphante Sacerdotium Chriſti Domini proximè expeditum, & florens per totam æternitatem: & cum nullus Interpres, aut Theologus eum ex illo capite redarguat; & ſanè dum Apoſtolus ad Hæbreos 4. dixit: *Habemus Pontificem magnum, qui penetravit Cælos*, abſurdiſſimum foret, dicere, illum penetraſſe Cœlos, ut abdicaret à ſe Pontificatum practicè, vel ut deſineret eſſe Pontifex, ut re ipſa contingeret, ſaltem poſt diem Judicii, ſi verè, & propriè ſacrificare non poſſet in Eccleſia triumphante per æternam ejus durationem. Ubi ergò eſset æternitas Sacerdotii ſecundum ordinem Melchiſedech? ubi veritas clamans ubique: *Elegit eum Dominus ad ſacrificandum ei Hoſtiam laudis*, & quidèm in æternum? Qua veritate, dum conficitur ſacrificium altaris in conſecratione Calicis diceretur, Calix *novi*, *& æterni Teſtamenti*, cum per Teſtamentum multi intelligunt ſacrificium, ut per ſe primò ſignificatum, vel per ſe primò in novo teſtamento incluſum? Exercuit igitur Chriſtus Dominus munus Sacerdotis in ſtatu paſsibili, tum in Cœna ſacrificium incruentum inſtituens, tum cruentum in Cruce, genus humanum redimens; perſeverat tamen nunc ex altari in Eccleſia militante celebrans, & permanebit in æternum conficiens ſacrificium laudis per reproductionem ejuſdem met ſacrificationis, quam elicuit in Cœnaculo, & in ligno; ut indicare videtur Apoſtolus ad Hæbr. 9. ubi per ſanguinem proprium introiſse docet Pontificem noſtrum in Cœlum, ut aſſideat Patri tamquam *Pontifex futurorum bonorum .... introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa*: quoniam licèt ſacrificatio reproducenda in Eccleſia triumphante jugiter, non ſit actu, & exercitè redemptio, quippe quæ ſemel hoc muous exequuta eſt in Cruce, eſt attamen ipſa realis actio, quæ fuit redemptio, quæque iteratò producitur ad æternam laudem, & gloriam Dei. Propterèaque fortaſsè dicitur *inventa* in æternitate; non tantùm quia in effectu durat, ſed in ſtrictiori ſignificatione, quatenùs illa definit peracta ſacrificatione, definitque conſeſtim, ac iteratur, cum ſit fieri ſacrificii; & idcirco per novam reproductionem quaſi iteratò invenitur, quæ phyſicè perierat. Quia tamen reflexio hæc delicata nimis apparet, textaque ſubtili potius, quam ſolida ingenioſitate, ipſam negligenter delibaſſe ſufficiat; etenim: *Nobis non licet eſſe tam diſertis*.

§. II.

Num. 26. Oppones quartò: Sacerdotium Chriſti Domini dicitur æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; ſacrificium autem proprium Sacerdotii ſecundum illum ordinem eſt duntaxàt Euchariſticum, ut notum eſt. Ergò æternitas Sacerdotii Chriſti Domini aut probat perennaturum ſacrificium ſub ſpeciebus panis, & vini; aut nihil omninò. At primum illud neutiquam probat, nec poſſet abſque abſurdo, cum juxta Apoſtolum 1. Corint. 11. ejuſmodi ſacrificium offerendum ſit tantùm, *donèc ipſe veniat*, ſubindèque numquam, poſtquam venerit ad judicandum Orbem. Ergò nullum rigoroſum ſacrificium peracturus eſt Chriſtus Dominus in Eccleſia triumphante; cum nullum aliud, vel cum nec ipſummet numero quod exiſtit, ſi conficiatur ſub alio ritu eſſe valeat ſecundùm ordinem, ſive ritum Melchiſedech. Objectio hæc eò tendere videtur, ut æternitatem pœnitùs auferat à Sacerdotio Chriſti Domini: cum enim verus Sacerdos eſſe nequeat in æternis, ſi nullum verum ſacrificium celebrare poſſit, ut ſupra ex ſana Theologia oſtendimus: cumque ex alia parte contendat, quòd ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech eſſe debeat ſolùm formaliter ſub ſpeciebus panis, & vini; ſub qua ratione nequaquam peragi valet in Eccleſia triumphante, quoniam arva Cœleſtia meſſes non ferunt, nec tempora Regni Cœlorum numerantur per ariſtas, ut illud de quo Virgil. Eclog. 1.

Poſt aliquot mea regna videns, mirabor ariſtas. Cumque tandèm Sacerdotium Chriſti Domini ſit determinatè, & unicè ſecundùm ritum Melchiſedech; naturali conſecutione deducitur, Sacerdotium, Pontificiumque Chriſti Domini re ipſa, & practicè, permanſurum duntaxàt uſque ad Mundi finem, cum illoque expiraturum, & ejuſdem ruina involvendum, niſi aërea ſolùm tituli umbra, aut nomine tenùs, quod abſurdiſſimè dictum putamus.

Dicimus itaque, ſacrificium per æternitatem, celebrandum ſub ritu laudis, eſſe ſecundum ordinem, & ritum Melchiſedech; non tantùm quia erit idem numero abſolutè cum ſacrificio Euchariſtico, ut & hoc eſſe diximus idem numero ſimpliciter cum ſacrificio Crucis; verùm, & primò, quia ſacrificium Euchariſticum pœnes ſuum conceptum formalem eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ut ſectione prima, ex Scriptura, & Patrum teſtimoniis perſpicuum fecimus: proindeque ritus externus laudis, & gratias referendi, alienus eſſe nequit à ſacrificio ſecundum ordinem Melchiſedech, poſtquam deſinat ex natura rerum cum mundo ritus ſub ſpeciebus panis, & vini.

Secundo: quoniam Melchiſedech, dum ſacrificium obtulit in pane, & vino Geneſ. 14. ſimul Deum effuſis laudibus glorificavit: *At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit Cælum, & Terram. Et benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt &c.* Benedictio autem, quamquam reſpectu Abrahami talis fuerit, & tamquam ſuperior illo benedixerit ei, juxta illud Pauli ad Hebr. 7. *Si-*

ne

ne ulla autem contradictione, quod minus eſt, à meliore benedicitur, reſpectu tamen Dei benedictio illa ſignificat omnino laudem, ut animadvertunt Expoſitores, eſtque veritas ortodoxa, de qua dubitare non licet, ut ex Paulo conſtat. In ſacrificio igitur peracto à Melchiſedech non ſolùm interceſſit oblatio panis, & vini, ſed inſuper ſucceſſivè externa Dei laudatio ab eodem Sacerdote altiſſimè præfigurante Chriſtum Dominum, ut ibidem dicitur: *aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum*. Complectitur ergo ordo Sacerdotii Melchiſedech utrumque ritum formaliter, & expreſsè, quamquam non ſimul conjungendum; quia in ſacrificio altaris, Chriſtus ipſe Dominus latet omnino, adeoque ſigna externa laudis edere non debet, nec expedit, quia periret fides arcani illius, ſed ſucceſſivè, ut dictum eſt. Sub uno ritu in altari, & ſub alio in gloria. Id etiam ſignificaſſe videtur Apoſtolus 1. Corint. 10. illis verbis: *panis benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Id eſt panis laudis Dei, & gratiarum actionis, ut frequenter exponunt Interpretes, ut ſciamus Euchariſtiam eſſe gratiarum actionem, & Dei laudem. Dum verò adjungit, *cui benedicimus*, vel per Enallagen Perſonæ intelligendum eſt, è quo benedicimur, vel quæ Sacerdos ante conſecrationem benedicit, imitatus Chriſtum Dominum, ut iidem Expoſitores declarant. Ipſa ergo ſacrificatio ſub ritu Euchariſtico expoſcit ſui reproductionem in Eccleſia triumphante ſub ritu laudis. Unde Pſal. 21. inducitur Chriſtus Dominus alloquens Patrem, & dicens: *apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium Deum. Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum*. Quaſi utrumque ſacrificium, aut ſacrificii ritum confundens. Et ſanè in ſacrificio Patriæ laus exprimitur in ſeipſa, in Euchariſtia, includitur ſub ſpecie alia: in illa laudatio & tenetur, & per externas actiones quæritur; in Euchariſtia tenetur (ut utar verbis S. Ambroſii in libro de Virginibus) & ſignificatur. In utroque brevis ſacrificii mora, ſed laudatio prolixa.

Num. 17. Objicies quintò, D. Thomam 3. par. qu. 22. art. 5. docentem, Sacerdotium Chriſti Domini duraturum in æternum, æternitate rigorosè uſurpata; at non in oblatione ſacrificii, ſive in actu offerendi, ſed in effectu, qui eſt *ipſa ſacrificii conſummatio, quæ quidem conſiſtit in hoc, quod illi, pro quibus ſacrificium offertur, finem ſacrificii conſequatur. Finis autem ſacrificii, quod Chriſtus obtulit, non fuerunt bona temporalia, ſed æterna, quæ per ejus mortem adipiſcimur (unde dicitur Hæbr. 9. quod Chriſtus eſt aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum) ratione cujus Sacerdotium Chriſti dicitur eſſe æternum*. At abſque oblatione, & immolatione nullum dari poteſt verum ſacrificium, ut ex conceptu formali ſacrificii notum eſt cunctis. Ergo D. Thomas nullum agnovit verum ſacrificium in Eccleſia triumphante peragendum à Chriſto Domino per propriam actionem offerendi, & immolandi.

Reſpondeo, doctrinam S. Thomæ potius miniſtrare arma ad oppoſitum evincendum; quandoquidem ipſe in eo articulo aſſeverat, Chriſti Domini Sacerdotium magnum eſſe ſimpliciter æternum, duraturumque ſine fine; Sacerdotium autem Chriſti Domini erat, & eſt proprium & ſtrictum Sacerdotium, ut Catholicè fatemur omnes: atque adeo ſi illud, juxta D. Thomam permanere debet per infinitatem ſæculorum, ſtrictum, & proprium Sacerdotium eſt, quod apud ipſum, perſeverare debet in perpetuum; ſin aliter Sacerdotium illius, quà in ſtatu paſſibili eidem conveniens ſub vera ratione Sacerdotii, & quà ipſi debitum titulo unionis, non foret perennaturum, ſinemque habiturum eſſet, & caducum tandem foret, cum manifeſtum appareat, effectum ſubſecutum ad ſacrificium præteritum, & quidem perquam diutiſſimè, ſacrificium minimè eſſe, niſi metaphoricè. Unde Sacerdotium, ut æternum, talis erit naturæ, qualis eſt ſacrificium, improprium nempe, aut metaphoricum. Sic ex adverſo, quia in triduo mortis non extitit formaliter ſummum Sacerdotium, impoſſibile diximus pro eo triduò ſacrificium illius Sacerdotii. Illa tamen interruptio non fuit defectus æternitatis Sacerdotii, ſed morula cum radicali exigentia recuperandi confeſtim eam dignitatem, quæ reſurrectionem Sacerdotis intra breviſſimum terminum poſtulabat: eratque neceſſària pauſa illa, ut peractum ſacrificium cruentum aliquatenus compleret, cythara fracta. Id autem contradiceret Inſtitutioni, & ſententiæ D. Thomæ in præfato articulo. Sed nequit permanere in ratione ſtricti Sacerdotii per inexhauribilia æternitatis ſpatia, niſi in illis proprium aliquod ſacrificium offerre, victimamque aliquam immolare valeat: quia, cum apud omnes Theologos Sacerdotium importet eſſentialiter primariò ordinem ad ſacrificium, pro eo ſtatu, in quo hoc ſit impoſſibile in ſenſu ſtricto, impoſſibile eſt ſtrictum Sacerdotium, ſed tantùm remotè, & laxè: eo modo, quo potentia ad moriendum neutiquam convenit ſtrictè pro ſtatu completo beatitudinis Chriſto Domino; quoniam actus moriendi impoſſibilis eſt pro ſtatu præſenti beatitudinis corporis, eſtque potiùs ſimpliciter immortalis, quantumvis antecedenter, & remotè ſit capax moriendi. Dum igitur S. Thomas negat actum ſacrificii Sacerdotio Chriſti Domini in Eccleſia triumphante perpetuo duraturo, diſputat ſolùm de actu ſacrificandi cruentè, & de ſacrificatione ut exercitè Euchariſtiæ, ſub ſpeciebus videlicet panis, & vini: hæc enim ſacrificia ſub ea ratione formali perſiſtunt duntaxat in effectu, adeoque & Sacerdotium comparativè ad ſacrificia, oblatio-

tioneſque. Nequaquam verò negat omne verum ſacrificium, ſive ipſummet ſub ritu diverſo explicitè, laudis ſcilicet, offerendum.

Quin ſufficiat, quòd ſecundum hoc minimè aſſeruiſſet, cum primum abſolutè negaſſet, ut exinde inferatur, omne ſimpliciter negaſſe. Siquidem urgentiſſima ratio adeſt ſentiendi, nullatenus removiſſe omne ſacrificium abſolutè, ſed unicè ſub ritu ſanguineo, & ſub Euchariſtico: ea nempe, quam nuper attigimus: quòd verum Sacerdotium per æviternam durationem firmiter adſtruxerit, & ab objectionibus vindicaverit; quod verificari nullo pacto valet abſque exercitio aliquo poſſibili verè, & ſtrictè ſacrificandi interdum. Et inſuper, quoniam ipſe Doct. Angelicus ibidem ad ſecundum ſe de ſacrificio tantùm ſub ritu cruento (adeoque, & ſub Euchariſtico repræſentativo, & applicativo illius) fuiſſe locutum, expreſſit, dicens: ***Quod licet paſſio, & mors Chriſti de cætero non ſint iteranda, tamen virtus illius hoſtiæ ſemèl oblatæ permanet in æternum.*** De ſacrificio ergo ſub duplici illo ritu, ſub quo ſummus Sacerdos illud confecit, diſſerit, cum affirmat, permanſurum tantùm in effectu, aut virtute; ex verbis enim, quæ produxit, ut verum ſacerdotium in æternum ſtabiliret, optimè colligitur extremum, quod tacuit; vel ſaltem, quod non ideo illud excluſerit, quia nullo modo ipſum expreſſerit.

Num. 18. Accedit tertia conjectura, quòd ſcilicet ſolùm docuerit, non permanſurum in actu offerendi ſacrificium, ſed in virtute, & effectu; ſacrificia autem, quorum virtus, & effectus perſeverabunt, ſunt unicè ſacrificium Crucis, & Altaris: ergo ſolum ſacrificium ſub eis ritibus celebrandum excludit ab actuali exercitio Sacerdotii Chriſti Domini, proindeque ſacrificium ſub ritu expreſſo laudis, quod permanere nequit in virtute per æternitatem, quia ſub eo ritu purè accepto numquam fuit celebratum in Eccleſia militante, ut per ipſum obtinerentur effectus perpetuò duraturi; & quia per illud, quà in Patria celebrandum, nulla de novo gratia, aut effectus permanſurus obtinebitur: nullo jure, aut ratione excluditur.

Si reponas, Sanctum Doctorem excludere clariſſimè omne aliud ſacrificium actualiter offerendum in ſtatu beatitudinis, qua parte affirmat, ſalvari verum Chriſti Domini Sacerdotium eo ſolùm, quòd ſacrificia præterita ſubſiſtant in effectu, & virtute; inde autem ſequitur apertè, nullam actualem oblationem alterius ſacrificii eſſe neceſſariam ad permanentiam dignitatis ſummi Sacerdotis in ſuo vigore; alioqui non jam per durationem effectus anteacti ſacrificii, ſed per novam ſacrificationem debuiſſet illæſam ſervare dignitatem Sacerdotis in ſempiternum. Quinimmo etiamſi adeſſet nova oblatio, immolatioque, ſemper verum foret, Div. Thomam per ſolam ſacrificii celebrati conſummationem, perſeverantiamque illius in virtute, & in aſſecutione finis, ſartam, tectamque feciſſe permanentiam veri Sacerdotii in perpetuum. Aſſurgam iterum, & eadem via oppoſita repetam diſcurſus nuper inſinuatos. Quoniam ſacrificium Crucis; & Altaris permanere nequeunt in virtute per totam æternitatem, in effectuque, itaut ratione illius effectus; vel aſſecutionis finis, Sacerdotium Chriſti Domini ſubſiſtat, floreatque in propria ratione Sacerdotii, aut Pontificatus; niſi in effectu illo, aut effectibus, per merita, & applicationem ſacrificii Crucis, & Altaris aſſecutis, includatur etiam reproductio ejuſdem numero ſacrificationis, quæ extitit in Cruce, & in altaribus; conſequenterque exiſtentia ſacrificii laudis in æternum duraturi.

Meritum enim ſacrificii Crucis undique infinitum, & inſtitutionis ſacrificii Euchariſtici ut in Cruce conſummatum, cum fuerit jus ſimpliciter infinitum ad omne præmium poſſibile, promeruit quoque (uti diſput. præcedenti fuſiſſimè oſtendimus) reproductionem illam per ſæcula interminata ſacrificationis ſub ritu laudis, ſub quo tantùm in Regione illa vitæ abundantioris inveniri poteſt ſtrictum ſacrificium. Proindeque ſicuti meritum unius actionis, aut duratio meriti eſſe poteſt ſimul præmium alterius meriti, vel ejuſdem ſub aliis circumſtantiis eliciti, ut eadem *diſp.* præſertim ſectione ultima animadvertimus, ſic ſacrificium laudis, quà æternùm duraturum, eſſe potuit, & debuit effectus, & præmium ejuſdem ſacrificii ſub alio ritu confecti: & cum ſacrificatio ſub præcedentibus ritibus fuerit exercitium Sacerdotii æterni, & prout æterni, exigebat à fortiori, merebaturque ſui reproductionem per ſæcula æterna. Quamquam igitur Div. Thomas affirmaverit, Sacerdotium Chriſti permanſurum in ſempiternum per hoc ſolùm, quòd ſacrificium anteactum duraret in effectu, & non per actualem oblationem ſacrificii ſub ritibus præfatis: nequaquam propterea excluſit, ſed potiùs incluſit oblationem, & immolationem actualem ſub alio ritu contentam in effectu, virtute, aut finis æterni aſſecutione per præcedentes ſacrificationes obtenti: cum illa ſit etiam effectus, in quo durat ſacrificium Crucis, utpotè per illud meritoriè comparatus. Atque adeo perſiſtit in nativo robore argumentum ſupra ex natura veri Sacerdotii depromptum. Neque interpretatio hæc violentiam facit ſenſui Div. Thomæ, cum ſit juxta naturam propriam Sacerdotii, quod ipſe ſtrenuè tuetur ibi, ut conveniens Chriſto Domino perenniter in ſæculo futuro: non enim inferri poteſt ſimpliciter vis alicui doctrinæ per expoſitionem illam, quæ ſecundum veram, & propriam aliquam rationem ejus naturalis omnino eſt.

Num. 19.

Num. 29. Ultima reſponſio, & mihi valde efficax, ſit, Div. Thomam perſpicuè ſatis alibi ſacrificium illud laudis à ſummo Sacerdote celebrandum in Eccleſia triumphante docuiſſe poſitivè, quantumvis in objecto loco illius oon meminerit. Nam Sanctus Doctor ſæpiſſime exprimit futuram poſt reſurrectionem in Patria vocalem Dei laudem in ore Beatorum, ut declarat 2. 2. quæſt. 13. art. 4. & in 2. diſt. 2. quæſt. 2. art. 2. ad 5.: uti & in 4. diſt. 44. Quapropter in 1. Corint. cap. 13. lect. 3. affert in confirmatlonem hujus veritatis illud Pſal. 49. *Exultationes Dei in gutture eorum*, ut exponit etiam Gloſſa ibidem, juxta eumdem Div. Thomam. Verùm quo pacto, quo harmonico concentu immenſus propè infinitarum vocum laudantium clamor reſooare poteſt, quin confuſionem, & diſſonantiam pariat, & tumultus Cœleſtis ſpeciem præſeſerat, ſi ducem aliquam, & magiſtram vocem, ſignumve oou imitentur concordi ſtrepitu, & uniſono cantu? Profecto non aliter, apud Doctorem Angelicum, niſi quatenus ductum ſequantur ſummi Sacerdotis ſacrificantis in æternitate Hoſtiam laudis, itaut per ipſum laudeot Deum, & cum ipſo ſimul. Ad hunc modum philoſophatur, perſonatque ipſe Opuſc. 63. cap. 5. iuitio; ubi probat, Beatos cantaturos Divinas laudes in æternum: *Ibi enim*, inquit, *anima laudat Deum ex omnibus viribus ſuis. Ad hoc enim creata eſt, ut dicit Dominus per Iſajam 43. Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit. Ad hoc monet Eccleſiaſt. 43. laudate Deum, quantùm poteſtis, adhuc ſupervalebit, adhuc dignior eſt omni laude. Ad hoc monet Jeann. in Apoc. 5. laudem dicito Deo noſtro omnes Sancti ejus.*

Nunc autem audiamus ſuaviſſimum modum, quo multitudo illa in uoum Divinum melos confluat, & intra eamdem Chelym uniatur: *Iſta laus erit*, progreditur Sanctus Thomas, *per Deum Unigenitum filium Dei, per quem etiam majeſtatem Dei omnes Angeli laudant, ut cantatur in præfatione .... hæc laus tantò amabilior Sanctæ Trinitati, tantò utilior communitati, quam facit anima per Dei filium, quàm ſi faceret per ſeipſam, quantò creator dignior eſt creatura .... ò quanta jucunditas ubi omnibus Sanctis una erit lingua jubilationis indefeſſa, ut dicit Bernardus, ubi omnes Sancti, & Angeli concorditer Deum laudant, & tamen diſſimiliter.* Verùm ſi omnes Sancti in beatitudine mente, corde, & lingua Deum perpetuò laudabunt, ut oſtendit hic Divus Thomas, cur animadvertit S. Doctor, ejuſmodi laudem efficiendam eſſe à cœtu glorioſo Beatorum per unigenitum filium Dei, & ideo eſſe gratiorem, quàm ſi fieret immediatè per ipſos? Quo jure laudaot Deum per ſolum Chriſtum Dominum, ſi unà ſeipſis laudes indefeſſas canunt? Certè hęc in ſpeciem contradictio nullo jure commodiùs, & veriùs conciliatur, quàm per diverſas ſpecies cultus, & laudis; ut nimirum ſit aliqua ſpecies, quæ ſolùm Chriſto Domino competat, ſitque ſuprema, & ſtrictior, cujuſmodi eſt ſacrificium laudis ab eodem quà ſummo Sacerdote ſolum peragendum, ut contendit aſſertio noſtra; quod æmulentur deinceps Beati omnes inferiori alio gradu laudis, & honoris.

Propterea idem S. Thomas ibidem cap. ſequenti, id ipſum, quod de laude præmiſerat, canit de gratiarum actione (quam importat etiam ex ſe formaliter ſacrificium laudis): *Hæc gratiarum actio*, inquit, *erit per Deum Dei filium, ſicut Apoſtolus dicit: gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum, per ipſum ſolum gratias referre præſumo &c.* & nihilominus ibidem fusè deſcribit gratitudiois actus, & gratiarum actiones per ipſos Beatos immediatè Deo æternè referendas. Ut denotet, ſacrificium Euchariſticum, quod eſt propriè ſpecialiter ſacrificium gratiarum actionis, peragendum fore à Chriſto Domino tamquam ſupremo Sacerdote in eo fœlici, completiſſimoque beatitudinis ſtatu; quamquam ſub ritu externo laudis, diverſo ab Euchariſtico: ad cujus exemplar Cœleſtes omnes in gratiarum actiones laudeſque ſeſe effundant, itaut Empyreum omne reſonet ubique. Canticùm autem erit illud novum, de quo ſæpè Regius vates, & Joan. in Apoc., æmulati quidem omnes carmen, & tonum divini Sacerdotis, verùm à longe, quia ſi cum illo conferantur, crederes, *Argutos inter ſtrepere anſer olores*; tametſi abſolutè cygnea voce modulentur.

Num. 30. Sexto oppones: colligi ex aſſerto præſenti, poſſe pariter reperiri verum Sacramentum in Eccleſia triumphante, cum extitura ſit apud nos arcana ſacrificatio facta ſenſibilis per ſigna externa; cur igitur non pariter arcanum permanens Euchariſtiæ viſibile redditum eodem pacto? Multiplici ratione diſcriminis. Prima (inſinuata jam): quoniam Sacramentum potiſſimè ordinatur ad utilitatem noſtram, quæ locum non habet in Eccleſia triumphante (gloria namque accidentalis non ex opero operato, ſed aliunde provenire debet per alioſque conductus, ut Theologia communis ſtatuit); ſacrificium verò in honorem Dei præcipuè inſtitutum eſt, qui principem locum ſibi vendicat iu Patria. Secunda: Sacramenta ſunt per ſe primò gratiæ ſanctificantis per illa conferendæ ſigna; hoc autem praxim habere nequit in beatitudine, ubi nullus jam creſcere valet in gratia, & gloria ſubſtantiali; cum ſacrificium laudis, etiamſi effectus ſecundarios ſacrificii altaris ſortiri nequeat reſpicientis nos, noſtraque, ſemper attamen ſupereſt illi potiſſimus finis illibatus honorandi Deum. Tertia: Sacramentum eſt pharmacum ex natura ſua, quod redundaret prorſus, ubi nullus adeſſe valet morbus; ſacrificium verò odor aromaticus in Dei cultum lentè aſcendens, cujus fumus luce ſplendidiſſima clarior eſt.

Quarta: Sacramentum Euchariſtiæ præfigurat Beatorum fruitionem, ut ex D. Thoma ſuo luco vidimus; accedente autem veritate, umbra diſparet. Quintò: Panis, & vinum non ſunt cibus Beatorum, nec vaſtiſſimi Cœlorum Campi proſcinduntur aratro, nec ſponte ſua emittunt ſpicas, ſed glorias (quarum ſunt fœraciſſimi), ut ſæpè diximus. Unde Sacerdotes miniſtros in beatitudine non gaudere poteſtate conſecrandi, licet divinitus adeſſet panis, & vinum, probat Cardin. de Lugo diſputat. 8. de Sacramentis ex Apoſtolo; quo exemplo rurſus firmatur, exiſtere non poſſe dignitatem Sacerdotalem in vero aliquo ſenſu per totam æternitatem; ſi numquam reducenda ſit ad praxim.

Si objicias ſeptimò, vel potiùs roges, quanto tempore duraturum actu ſacrificium illud laudis, cum operationes ex imperio actus ſacrificationis elicitæ (utpote poſitivæ) perſiſtere valeant diù, nec laudes illæ Beatorum ad inſtar fulguris, & veluti in ictu oculi, tranſire debent, ut vix Deum ſalutatum efficiant, proindeque ferè illaudatum. Ex alia autem parte ſacrificium, quia formaliter conſiſtit in fieri ipſo, inſtantaneum eſſe debet; & ſanè ſacrificatio, ſeu remotio vitæ actualis præcedentis, in qua ſit, eſt formalis ſacrificatio, in inſtanti proculdubio ſit; alioqui ſacrificium pariter in facto eſſe ſalvari poſſet. Objectioni titulo interrogationis propoſitæ occurram facilè, nullum in primis abſurdum fore, quòd ſacrificatio laudis duraret ſolùm per inſtans illud, in quo & removeat actualem vitam corpoream præexiſtentem, & novam, laudes divinas reſpirantem, inducat; itaut illa confeſtim deſinat: ſiquidem ſacrificium, non duratione temporis menſurandum eſt, ſed pretioſitate oblationis, dignitate offerentis, & rei oblatæ infinitudine, quam importat Corpus Chriſti Domini ut privatum ea vita actuali: namque ſacrificium Crucis (& altaris) reipſa in ultimo inſtanti, in quo actio ſacrificativa induxit ſuſpenſionem miraculi, confectum eſt; quamquam completum fuerit privatione vitæ ſecuta, quod in re noſtra neceſſarium non eſt; quia in eodem inſtanti, in quo concipitur actio immolans, poteſt intelligi privatio præcedentis vitæ actualis, & productio aliarum operationum externarum in laudem Dei; imperium verò ipſum, quo utpote pendente à Corpore in radice, privari debuiſſet unà cum reliquis, perſiſtit hic pro eo inſtanti, in quo ſacrificium complctur, quatenus in illo debet imperare exiſtentiam actionum externarum (in quo differt à ſacrificio Euchariſtico, ut à nobis expoſito). Si autem velis, imperium, quod elicitur in inſtanti *A*, ſacrificare ſolùm vitam pro inſtanti *B* ſequenti, ut de ſacrificio Crucis, & altaris dictum fuit; non contendam, dummodo ſeipſum pro inſtanti ſequenti non ſacrificet cum reliquis actibus, alioqui exituris; in quo pariter diſſidet à ſacrificio altaris, ubi vita Corporis rigoroſiùs immolatur, & ubi imperium non debet cauſare effectum poſitivum in inſtanti ſequenti, ſicuti illum cauſat in ſacrificio laudis. Sic & alatum fulmen eadem perennitate qua volat, & deſinit, ſtragem inducit. Accendit tamen eo concitatiſſimo ſacrificationis motu corda Beatorum ad Deum peculiari aliqua ratione (à communi laude diverſa) ad divinas laudes canendas, & odorem incenſi emittendum, quo alta Empyrei culmina vaporant, *& divinam vertice odorem ſpirant*.

Num. 31. Secundo: quamvis de ratione ſacrificii ut ſic, & veluti in genere ſit inſtantaneitas illa *ocyor & ventis, & fulminis ocyor alis*; ratio tamen peculiaris alicujus ſacrificii inſtantia aliqua poſtulat in quibus operationes aliæ, illius ſpeciei ſacrificii propriæ, exerceantur: ut liquet ex ſacrificio Holocauſti v. g. in quo ultra immolationem Hoſtiæ neceſſaria erat combuſtio ſucceſſivis durationibus efficienda, & ſic de aliis ſpeciebus ſacrificii. Et quantumvis ſecunda illa operatio fieret per actiones diverſas, aut diſtinctas, hoc tamen de materiali ſe habet ad rationem illius ſacrificii: quoniam ſi actio ſacrificativa foret actus internus, ut in præſenti, poſſet proculdubio ob ſuam amplitudinem omnes illos effectus ſeipſo inducere; ſemper attamen verificatur, ſacrificium ſecundum conceptum veri ſacrificii, ut ſic, ſitum eſſe in fieri; quoniam vita, quam aufert, aut immutatio realis, quam efficit, ſemper contingit in inſtanti (licet actio ipſa non tranſeat) eo quod in inſtanti privat vita actuali, quam immolat, ut diximus.

Præterea de ratione peculiari hujus ſacrificii, quatenus laudis, eſt poſitiva operationum laudantium productio, quæ utpotè termini poſitivi, & durationis capacis, poteſt quamoptimè perſeverare ſub ea ratione; dummodo quà privat vita alia, in inſtanti operetur, fiatque paſſiva immolatio. Neque terminus poſitivè productus, ultra privativum, conſtituens ſacrificium aliquod, noviter inventum à nobis eſt, cum notiſſimum ſit, Scholaſticos conſtituentes ſacrificationem Euchariſticam in conſecratione, non ſolùm poſtulare eſſentialiter ad ſacrificium conſtituendum deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini, ſed inſuper, & quidem principaliter, productionem Corporis, & Sanguinis Domini; ut cum Doct. Eximio, & Leſſio docet modò Recentum numerus quammaximus. Et quamvis uterque terminus, à quo deſtructus, & ad quem creatus intra idem inſtans concurrat, ſive per eamdem, ſive per diverſam actionem; eadem tamen actione, qua productus primò fuit terminus ad quem, conſervari poteſt deinceps; niſi quod conſervatio illa jam non pertinet per ſe ad ſacrificium ipſum Euchariſticum, ſed ad Euchariſtiam ipſam, ut Sa-

Sacramentum ; cum in ſacrificio laudis ad ſacrificii, quà laudis eſt, complementum ſpectet. Eo quod ſufficiat ad conceptum ſtrictum ſacrificii, quòd victima paſſivè immolata ſit in inſtanti, ſub qua ratione ſacrificium conſiſtit in fieri, ſive actio ſacrificativa perſiſtere valeat diutiùs ſub alia ratione, ſive non. Immo, & in ratione paſſivæ immolationis nullo pacto perficitur in altari unica mactatione, & unico inſtanti in ea ſententia ; cum priùs fiat conſecratio ſub una ſpecie, & deinde ſub alia, & utraque exigatur omnino ; & quidem in noſtra ſententia, utraque fit per eamdem numero actionem. Quin, & deſinente actione ſacrificativa, poſtulari ad ſacrificium Crucis inſtans ſubſecutum, ut in eo intelligatur poſitiva privatio vitæ ſubſtantialis introducta, ſine qua ſacrificium neutiquam foret, tuentur iidem Scholaſtici cum Doctore Eximio, ut vidimus diſput. 5.

Quibus verò, aut quot momentis duret in Chriſto Domino ea laudum modulatio, niſi divinando, affirmari nequit : ſi namque noſtrum non eſt, *noſſe tempora vel momenta* eventuum humanorum, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate Actor. 1. quo jure noſtrum eſſe poterit, noſſe momenta rerum divinarum, quæ filius inſumet in ea mirabili ſacrificatione æternùm conficienda ? Uti nec pariter noſtrum eſt, deſignare tempora, in quibus præfatum ſacrificium peragatur (cum jugis eſſe non debeat ea reproductio, aut immolatio, ne libertas Chriſti Domini ad alios actus pro nutu eliciendos impediatur perenniter). In illa tamen menſura, quæ reſpondet tum inſtitutioni tremendi hujus ſacrificii, tum feſtis diebus in quibus Eccleſia militans debuit ſolemniùs celebrare, adeſſeque ſacrificio ; conſentaneum videtur, quòd in Eccleſia triumphante conficiatur. Non ſanè quandiù militans præſtiterit, cum adſit tunc, floreat, & ferveat ſacrificium juge Euchariſticumque ; ſed illo unà cum orbe extincto ; ità tamen (quod ſæpe animadvertere juvat) ut pereunte mundo renaſcatur in Cœlo ſub alio ritu.

Num. 32. Quamplura alia opponi poſſunt, quæ radicitùs fuere convulſa in ſuperioribus, præſertim in præcedenti diſputatione : ex quibus conſtat ſatis, nullam eſſe repugnantiam in reproductione ejuſdem numero ſacrificationis. Nullam in eo quod eadem immolatio, dum fit per actum internum, complectatur ritus diverſos ſucceſſivè. Nullam in eo quod adſtruatur vera ſacrificatio, tametſi vitam aliquam actualem auferat, ut aliam invehat ; cum ad illam ſufficiat apud probatiſſimam Theologiam realis immutatio hoſtiæ ; maximè dum illa circa vitam hoſtiæ verſatur in proteſtationem divinæ, & ſupremæ poteſtatis, ut ibidem conſtitit. Id quod potiſſimè locum habere debet in ſtatu beatitudinis, ubi aliud genus privationis vitæ poſſibile nequaquam eſt. Uti nec tanta eſſe debet in eo ſtatu (quanquam debeat eſſe realis ſimpliciter mutatio), quanta in ſtatione militari ejuſdem Eccleſiæ, in qua ejus caput, & Sacerdos ſummus ex altari, militat aliquatenus ſub ea conſideratione. Eſtque rurſus Hoſtia eo titulo capax majoris ſacrificationis, totius ſcilicet vitæ actualis corporeæ ; (ſoretque ſenſibilis ejus privatio, ſi abſcondita non eſſet) ; proindeque in ea non foret ſacrificatio undique perfecta, cum non ſacrificaretur victima, quantùm ſacrificabilis eſt. In patria verò nec caput, nec membra militant, ſed triumphant : eſtque propterea ſtatus minoris immolationis capax ; itaut privatio non ſit per ſe ſenſibilis, licet in propria ſpecie fiat, quia ſubrogatur alia vita ; ſed per ſymbola. Nullam ex titulo aliquo indecentiæ, aut dedecoris acceptam, in eo quod ſedens ad dexteram Patris incumbat adorationi, aut ſacrificationi ; cum nulla reperiatur in eo, ſed potiùs ſummum decus, uti diximus ſupra. Et ad hunc modum præocupata invenies in præcedentibus, quæ excogitari poſſunt ad expugnandam ſacrificationem hanc. Et ſanè cum dixerit Doct. Eximius tom. 1. in 3. par. diſp. 45. ſect. 2. quòd Chriſtus Dominus nunc in Cœlo ; *Et voce Deum laudat, & cultum Religionis illi præbet*. Idemque protulerint Eſtius, Valentia, Henriquez, Puteanus, & innumeri alii, mirandum non eſt, ſi eadem voce laudis ab interno actu ſacrificationis imperata, externoque illo, & ſupremo religionis cultu, ipſum honoret in Eccleſia triumphante. Hic eſt ille vitulus labiorum, de quo Oſeas propheta, ſacrificium laudis præfigurans: de Eccleſia triumphante loquitur Iſaias cap. 51. dum ait : *gaudium, & lætitia invenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis*. Pro parta namque victoria, & morte præcipitata, incipiet ſummus Sacerdos Chriſtus Dominus canere *Te Deum laudamus*, quem chorus cœleſtis divina ſuavitate æmulatur, & per vias ejus alleluja cantabitur (Tobiæ 13.) Olympuſque argutè repercuſſus reddit fideliter ubique ſonum.

DISPUTATIO OCTAVA.

An fælicisſima aliqua realis permanens unio inter Christum Dominum, *& ritè ipſum ad altare ſuſcipientem, ſit potisſimus effectus Arcani Euchariſtici? quanam ſit illa, & quæ extrema formalitèr nectat?*

PRofunda nimis differenda modo ſuſcipimus: ſublimia hactenus diſcuſſimus, & extra vulgus literatorum ſepoſita; nunc tamen penitiora adhuc veſtigamus, & inter doctiſſimas apprimè eruditorum opiniones, à majoribuſque receptas ſententias, nondum vel raptim expreſsè libata; quantumvis eorumdem mentibus non planè ignota. Rutilat enim ſepiſſimè, & aperrè, per Sanctorum Patrum, & Theologiæ Principum ſcripta veritas proferenda, aſſertioque elucidanda, ſeſe inſinuante è viſceribus nubium Sole. Fatemur itaque, mirabilem unionem Diſputatione hac altè figendam proſilire nunc primò in apertum è penetralibus ipſius arcani, in cujus fundo latebat, quemadmodum latuere jampridem alia ejuſdem ſecreti Cœleſtis, quæ ſigillatim deinceps eruta, non ſine ingenti hujus Divini myſterii gloria, in lucem, & publicam mundi utilitatem prodiere, receptaque fuere ab Eccleſia Sancta. Per quinque ſiquidem prima ejuſdem Eccleſiæ ſæcula, de Sacramento Euchariſtico nonniſi cautè admodum, & quaſi per metaphoram loqui audebant fideles, ob calumnias, frequenteſque Ethnicorum criminationes: percrebuerat enim inſanus rumor, ſpargens, Chriſtianos, vel humanam carnem devorare, (ut non ſemel animadvertimus) vel infantem occidere, & convenire antelucano tempore ad Epulas Thieſtæas, turpiſſimaque comercia. Propterea illos nationem latebroſam, aut lucifugam appellabant, ut ex Origene lib. 1. adversùs Celſum Epicureum, ex Tertulliano in Apologia, ex Juſtino M. in Dialogo cum Tryphone, ex Minutio Fœlice, & aliis Patribus referunt Theologi, & tradit Cardin. de Bona lib. 1. rerum Liturg. cap. 4. legatur etiam Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ cap. 5. uti & Prudentius in Hymno Laurent. ubi inducit Judicem Paganum objicientem Chriſtianis inhumanum hoc flagitium: argenteis ſciphis ferunt, fumare Sanguinem Humanum. Et qui mitiùs, honeſtiùſque de Chriſtianis cogitabant, ajebant, ipſos in ſpeluncis, locisque abditiſſimis dubia luce concurrere, ut Deum ſuum Chriſtum viderent, ſicut conſtat ex Epiſt. Maximi Grammatici ad Auguſtinum (quæ inter illius Epiſtolas, juxta editionem Pariſienſem eſt 43.) ibi *Quis ſit iſte Deus, quem vobis Chriſtiani quaſi pro-*

prium

prium vendicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis? Cœtus autem illi antelucani ad ſacra myſteria celebranda fiebant ob metum graſſantium ubique in Chriſtianum nomen perſecutionum. Idcirco perſonata voce *fermentati* locutos de Euchariſtia Sacra ea tempeſtate fideles, apparet ex decreto ſummi Pont. Melchiadis; ubi de oblationibus conſecratis agens, ſubdit: *quod declaratur fermentatum*. Ex decreto Siricii, uti ex Innocent. I. in Epiſtola ad Decentium Eugubinum. Conſulantur Scheleſtratius de Diſciplina arcani cap. 7. art. 5. & Anton. Pagi in ſua Critica Hiſtorico Chronologica in Annal. Baron. tom. 1. pag. 368. Alii verò Patres minùs obſcurè, ſemper attamen cautè, *Cœnam Dominicam* vocabant Sacram Syntaxim, aut communionem, vel *Cœnam myſticam*, aut etiam Evangelicam, ut ex Baſilio, Nazianzeno, Auguſt. & Niceta notat Doctor Eximius diſp. 40.: tametſi nunc, quoniam Hæretici abuſi fuerint ea loquendi forma, cautiùs illa utendum, juxta monita Concilii Colonienſis. Sic ſtupendum Euchariſtiæ miraculum bis ævo illo veluti larvatum exiſtere debuit: & quà ſemper accidentibus velatus exiſtit in illo Chriſtus Dominus, & rurſus tunc metaphorica locutione, ſub noviſque eloquentiæ Symbolis perſonatum tractari debuit Sacramentum ipſum, numquamque prodire in vulgus, ejus nomen adhuc, niſi clanculum.

Sanctiſſimi Patres igitur, qui primis illis ſæculis floruere, neutiquam potuerunt prodere, & in publicam lucem deducere myſteria omnia in abyſſo Euchariſtiæ latitantia, cum illorum vulgatio foret valde noxia: & cum vel Apoſtolus ad Hæbreos ſcribens proteſtetur, ſe præterire ſilentio grandia Sacrificii Euchariſtiæ, Sacramentique, arcana, ne rerum magnitudine obrueret in fide tyrones, & arceret à fide ipſa infideles. Quamobrem laudati Patres adumbrare duntaxat potuerunt producendum à nobis eximium, altiſſimumque Euchariſtiæ effectum; minimè verò exprimere, aut vulgare, ne myſterii elucidatio pareret ſcandalum. Quemadmodum de Prophetis ſcripſit Origenes lib. 6. contra Celſum: *Prophetæ altiora ſapiebant per ſilentium, quàm quæ mandarunt literis*. Et lib. 7. adjungit: *quidquid autem arcanum erat, & diſpiciendum amplius, ut vulgari captu ſublimius, id figuris obſcurioribus revelaverunt, ænigmatibus, allegoriis, paræmiis, ac parabolis, ut non ab ignavis enuncientur, & ſegnibus, ſed à virtutis, & veritatis ſtudioſis perſcrutatoribus*. Et Clemens Alex. lib. 5. ſtrom. inquit: *Apoſtolus Paulus propheticam, & veri antiquam conſervat occultationem*. Idemque de Chriſto Domino docet ibidem. Non mirum igitur, quòd eadem via incederent interdum Eccleſiæ Patres. Conſequenterque ſplendidiſſima ea orbis lumina, non tam hæc, & alia mirabilia (præter omnibus nota) arcani hujus docuiſſe videntur, quam figuraſſe. Plura deinde proceſſu temporis à poſterioris ævi Doctoribus è recondito ſcrinio ejuſdem ſecreti maximi, è Theſauris Scripturæ Sacræ, & ex ænigmaticis Patrum locutionibus illata, & per fertiliſſimos Theologiæ Sacræ campos in dies effuſa, ab illiuſque facilè Principe Divo Thoma ad numeros Scholaſticos (fas ſit nobis ita loqui) compoſita, myſterium, & mundum illuſtrarunt. Quandoquidem non pauca, nec exigui momenti Euchariſtiæ ſecreta, quæ paulo ante ſub judice fuerant, & in incertum fluerent, ut ex Magiſtro ſentent. & ſapientiſſimo Innocent. III. liquet, ſcriptis Divi Thomæ, aliorumque Primatum, claruerunt illico: & ſanè ea perſpicuitate, ut inter dogmata nunc recen-

ſean-

ſeantur; cum non jampridem ferè ignota, deinceps dubiæ fidei, vel planè ſuſpecta dicerentur. Dubius fuit Innoc. III. lib. 4. Myſteriorum Miſſæ, quomodo Chriſtus Dominus per conſecrationem veniret in Euchariſtiam; & quò corruptis ſpeciebus recederet: *Ego neſcio quomodo Chriſtus accedat, ſed & quomodo recedat, ignoro*. Gloſa in cap. *Tribus gradibus* de conſecr. diſt. dixit, Chriſtum Dominum diſtractis ſpeciebus avolare in Cœlum per motum localem. Immo & Canoniſtas, ſapienteſque alios ſui ævi ita fuiſſe opinatos refert Leſſius de Euch. quæſt. 76. art. 6. dub. 4. Suarez diſp. 54. ſect. 1. Gabatius, Præpoſitus, & alii. Nunc autem quis hæc imaginatur? Ubi de his ambigitur? Verùm quid? Eſt, ne, præterea exhauſta jam, abiſſus illa arcanorum, ut nihil ulterius ſuperſit detegendum? Abſit; etenim poſt Mag. Sent. poſt Magnum Albertum, & inſignem Alexandrum de Ales, ſcripſerat altiſſimè de Euchariſtia Angelicus Doctor, laudatus egregiè ab ipſo Euchariſtiæ ſacræ inventore. Scripſerat mira de eodem myſterio Seraphicus Doctor, ſubtiliſſima Scotus; eorumdemque Diſcipuli Mundum impleverant ſuæ doctrinæ fama, & Euchariſtiæ gloria. Et nihilominùs æternus Pater alloquens eximiam Virginem Caterinam Senenſem (ut liquet ex Diaologo, refertque Garetius de verit. Corp. & Sangu. centuria 14. & ex ipſo à Lapide in cap. 9. Zachar.) dixit, ſe paraſſe menſam *maximi, & parùm agniti Sacramenti Corporis ipſius* (Filii ſui) *ut in cibum ſumentes transformentur in me &c. Parùm agnitum* dicitur adhùc Sacramentum, poſtquam clariſſima illa Theologiæ lumina ejus ſecreta omnibus fecere perſpicua, perviaque, & Concionatores è ſugeſtu inſtruxere Populos juxtà ipſorum de arcanis Euchariſticis doctrinam? Ita ſanè, deliteſcunt adhùc profundiora alia: adumbranſque ſententiam noſtram adjungit. *Vos manducantes ipſum, qui mecum unum eſt, ſub panis, & vini ſpecie, in ſubſtantiam ſpiritualem, & in meipſum* (media illa) *convertimini*.

Prætereà emicuit novis fulgoribus arcanum Euchariſticum, ſemper ac ejus gloriam obſcurare, & caligine multa involvere conati fuere, Novatores ex Orco producti, movente ſimul vehementiùs, & illuminante ingenia Spiritu Sancto ad horridum tenebrarum conſpectum. Ut enim docuit magnus Parens Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei cap. 8. *Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversùm eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur. Ab Adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio*. En ſalutem, & gloriam ex inimicis decerptam. Eum ſenſum habere videntur verba Pauli 1. Corint. 11. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*; per defenſionem ſcilicèt ſtrenuam oppugnatæ ab Adverſariis veritatis, quæ agitatione ipſa, & emicat luculentiùs, & novis luminibus ſcintillat acriùs (& diſputabat Paulus de Cœna Euchariſtica). Quo tempore autem graſſatæ unquam fuere hæreſes adversùs Euchariſtiam ſacram vehementiùs, pertinaciùſque, quàm miſera hac tempeſtate? Ex quo luculentèr ſatis apparet, myſterium illud verè ineffabile inexhauribilem adeò rerum mirabilium, & abditarum abyſſum continere, ut inexhauſta earumdem copia juxtà temporum, & circumſtantiarum varietates, menſuraſque Divinæ Sapientiæ, è ſinu ſuo promere valeat nova, ſive nondùm ſufficientèr expreſſa orgia; quòd alibi, tum ex Tridentino ſeſſ. 22. tum ex Doctore Angelico opuſc. 59. obſervatum reliquimus. Undè San-

ctus

ctus Laurentius Juſtinianus libro de Caſto Connubio Verbi, & Animæ cap. 24. dixit: *Da mihi Domine eruditum ſenſum, linguam magniloquam ad tui Sacramenti promenda magnalia. Non enim quanta ſunt, humanus valet explicare ſenſus, neque Angelicus intellectus. Solus ille novit, ipſeque ſolus voluit facere tanta, & talia*. Credamus igitur Euchariſtiæ proprium illud Eccl. 43. verſ. 36. *Multa abſcondita ſunt majora his* (quæ de Euchariſtia per Fidem Sanctam nobis conſtant) *parva enim videmus operum ejus*. Neque ſolùm interminabilia ſunt magnalia, quæ in gremio hujus ſecreti aſſervantur, verùm nec exhauriri facilè poſſunt, quæ de illo à Patribus ænigmaticè inſinuantur, & in Scripturis Sacris ſuboſcurè continentur. Undè non immeritò eidem accommodari poſſunt, quæ de geſtis universìm Chriſti Domini protulit perſpicaciſſimus Evangeliſta Joan. cap. ultimo: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros*. Cæterùm ſi ſcribenda ſunt de facto, aut eſſent, in Mundo præfata volumina, quà vera ratione aſſeverari poteſt, quòd Mundus illa non caperet? Profectò ſi inſtitueretur ſermo de ſpatio materiali locorum, ægrè ſalvaretur veritas propoſitionis, niſi per hyperbolem, & quidem præſeferentem ſpeciem aliquam implicationis in objecto. Verùm ſi fuerit ſermo de capacitate intellectus legentium ad myſteria in eis voluminibus incluſa percipiendi, ut opinatur Sanctus Thomas ad eum locum, deſumiturque ex Auguſt. tract. 124. in Joann. Ruperto, & aliis Patribus, nullo negotio eluceſcit veritas aſſerta à Joanne; quia vel libri jam ſcripti circa ſolum Euchariſtiæ ſecretum (cujus inſtitutio fuit egregium facinus, unumque ex potiſſimis Chriſti Domini) tot arcana profunda adumbrant, ut ea capere nequeat mundus: & quamquam plura in dies eruat ex ipſis, ſemper tamen ſuperſunt nova alia, & alia ſine fine eruenda. Sin aliter non ſolùm mundus non caperet libros propoſitione illa deſcriptos, verùm & propoſitionem ipſam vix caperet.

Dummodo itaque intra Fidei Sanctæ gremium, ex ejuſque principiis effodiantur opes novi ſplendoris, ut ipſius fidei veritas diteſcat, & affulgeat, non eſt cur ſolito zeli prætextu rodatur à livore aſſertio, quæ gloriam Euchariſtiæ auget, extollit, & amplificat intra limites, & per ſemitas Catholicæ doctrinæ incedens, & nec latum unguem à ſana Theologia abhorrens, Novatorumque offuſas tenebras fugans. Quinimmo Sanctus Paſchaſius lib. de Corp. & Sang. Domini cap. 2. expugnatores hujus ſtudii reos putat Euchariſtiæ Sacræ: *Ac per hoc*, inquit, *virtus tanti Sacramenti inveſtiganda eſt, & diſciplina Chriſti fides erudienda; ne forte ob hoc cenſeamur indigni, ſi non ſatis diſcernimus illud, nec intelligimus myſticum Chriſti Corpus, & Sanguis quanta polleat dignitate, quantaque præemineat virtute*. Porro ubi compertum eſſe reſcitur, quamplurima alia ſecreta ſublimiſſima intra Sacramentum hoc latitare, uti celabantur plura, Veteribus parum nota, quæ in medium deinceps fuerunt producta; ſi aliunde nunc producenda, digna myſterio appareant, dignaque Chriſto Domino, quæque ad amorem provocent, devotionem excitent, fidem acuant, & promoveant, nihilque alienum à Doctrina Theologica importent; immo potiùs ex illius vena ſcaturire, non obſcura, nec voluntaria, ſed ſolida argumenta perſuadeant; cur illa deſpicienda? Cur detrectanda? Cur non viribus cunctis, comite pietate, & ratione, promovenda? ut enim appoſitè luſit Horatius.

Quid

Quòd ſi tam Græcis novitas invisa fuiſſet.
Quam nobis, quid nunc eſſet vetus? Aut quid haberet.
Quod legeret, tereretque viritim publicus uſus.

Quid enim in hoc arcano, ejuſque effectu altiùs: quid nobis jucundiùs, utiliùs, aut glorioſiùs: quid in locutione Scripturarum, & Patrum frequentiùs, quàm Spiritum Chriſti Domini habitare in cordibus noſtris velut pignus æternæ hæreditatis? Hunc inducimus aſſumentem phyſicè ritè communicantes eximiè diſpoſitos, & juſtos; itaut poſtquam, deſtructis ſpeciebus, deſinit in ſuſpicientibus dignè Corpus (vel etiam Sanguis) nequaquam deſinat eſſe ibi anima Chriſti Domini, ut Verbo copulata, ſed in cor amatum introducta tamquam in gynecæum amoris, ex illo moveat, imperet, dirigatque, quantùm ex ſe eſt, noſtra cuncta. Longè intimiùs, quàm navem è puppi Gubernator regit, ne ſcopulis alidat, ut ſic poſſimus cum Regio Vate lętabundi cantare: *Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri.* (Pſalm. 84.) Joannes Kerman lib. 1. de funeribus Romanorum ſcribit, morem viguiſſe inter Romanos uſitatiſſimum deoſculandi moribundos (præſertim Sanguinis neceſſitudine, aut amore conjunctos) in ore: *quia animam exeuntem hoc modo accipere, & in ſe transferre voluerunt*. Dum ergo ore ſumimus Chriſtum Dominum, & veluti exoſculamur: *oſculetur me oſculo oris ſui* (quod de communione intellexit S. Ambroſius) trajicimuſque in ſinum ipſum in altari ſacrificatum: dumque pereuntibus ſpeciebus, deſinere debet exiſtentia Corporis Sacri intra pectus, retineamus Spiritum intra Corpus myſticum illius; non ut ipſum in nos transferamus, ſed ut ipſe nos reformet. Ad hunc tamen effectum divinum ſuſcipiendum nequaquam ſufficit diſpoſitio vulgaris, tametſi ad participandum gratiæ augmentum ſufficiat ſanctitas communis. Sed requiritur validus conatus amoris, & inſolitus fervor charitatis, graduſque virtutum ſublimis, quem diſcernit (& præſtitit) ipſe Chriſtus Dominus. Et tunc imperat ſibi, decernitque per actum proprium ſuæ Humanitatis (per quam cauſat reliquos Euchariſtię effectus) aſſumptionem hanc mirabilem, quamquam ab ejus anima tantùm efficiendam, deſinentibus ſpeciebus. Alioqui vel ea aſſumptio non foret actu voluntaria; vel ſaltèm non proveniret ab ipſo quà ſacramentalitèr velato. Ut ſic Vita Euchariſtica ad hunc etiam fructum decerpendum utilis ſit admodùm; quam invenies ſalientem universìm per Diſputationes præſentis tractatus: omnes ſiquidèm ex illo ſuaviſſimo vitæ fonte hauriunt ſuos verè cœleſtes effectus; & efficere contendunt, quin Paulo contradicant, quòd Regnum Dei ſit eſca, & potus.

SE-

SECTIO PRIMA.

Recenſentur , & profligantur communes Theologorum opiniones circa nexum præfatum , potiſſimumque Sacramenti Euchariſtiæ fructum , (per ordinem ad quem , illud ritè eſſe valeat metaphyſicè definitum .)

§. I.

Nu. 1. INSIGNE hoc Religionis noſtrę , & fidei myſterium abditiſſimum , divini amoris ineluctabile argumentum , Eccleſiæ Sanctæ delicium , & æternæ fęlicitatis ſuaviſſimum pignus , ſingularem aliquam , ſtrictioremque præ aliis Sacramentis unionis ſpeciem fidelium ritè communicantium cum Chriſto Domino , tamquam cum Eccleſiæ capite , præſeferre , tum mutuam eorumdem , exploratiſſimum eſt , & à nemine in dubium juſtè vertendum : *O' ſignum unitatis ! O' vinculum charitatis* , exclamat Auguſtinus tract. 26. in Joan. & ex ipſo Synodus Tridentina ſeſs. 13. cap. 8. *In hoc unitatis ſigno , in hoc vinculo charitatis , in hoc concordię Symbolo &c.* Et Concilium Florentinum in decreto Eugenii definit , *quòd hujus Sacramenti effectus , quem in anima operatur dignè ſumentis , eſt adunatio hominis ad Deum* . Et ibidem paulo ante dixerat , diſputans de mixtione aquæ cum vino : *tum etiam , quod convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum , qui eſt unio Populi Chriſtiani ad Chriſtum . Aqua enim Populum ſignificat ſecundum illud : aquę multę Populi multi &c.* Et Concilium Lateran. ſub Innoc. III. in cap. *Firmiter* de ſumm. Trinit. Euchariſtiam appellat ; *myſterium unitatis* . Idcirco dicitur à Patribus , & Sapientibus ubique *communis unio* : ſumiturque ex Apoſt. 1. Cor. cap. 10. *Panis , quem frangimus , nonne participatio corporis Dominici eſt ? Quoniam unus panis , unum corpus multi ſumus , qui de uno pane participamus* . Eandemque energiam habent verba illa Chriſti Domini Joan. 6. *qui manducat meam carnem , & bibit meum ſanguinem , in me manet , & ego in illo* . Ut Expoſitores ex doctrina Patrum , & nativa verborum ſignificatione explicant . Uti & id ipſum innuit comparatio hujuſce unionis cum inenarrabili ea , qua Chriſtus Dominus ibidem utitur : *Sicut miſit me vivens Pater , & ego vivo propter Patrem : & qui manducat me , & ipſe vivet propter me* . Et S. Thom. 3. par. q. 74. art. 6. inquit : *Tertiò : quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti , qui eſt unio Populi Chriſtiani ad Chriſtum ; quia ut Julius Papa dicit : videmus in aqua populum intelligi , in vino verò oſtendi Sanguinem Chriſti . Ergo cum in Calice vino aqua miſcetur , Chriſto populus adunatur* . Quin & modus ipſe , quo ſe nobis per Euchariſtiæ ſuſceptionem communicat , hoc ipſum evincit , cum ſit inſtar cibi materialis , qui per nutritionem intimè tandem ſe conjungit cum anima aliti . Et Doct. Seraphicus in quartum diſt. 12. par. 2. art. 1. q. 3. in comentario ait : *Dicendum , quòd cum hoc Sacramentum ſit unionis , effectus ejus primus aut eſt unire , aut magis unire , ſed non de novo unire , ut ſupra oſtenſum eſt , ſed jam multo magis unire* . Congruentias autem flagrantiſſimæ charitatis , & rationis , quibus excitatus fuit Chriſtus Dominus , & veluti compulſus ad nexum illum ineffabili hoc medio procurandum , afferunt paſſim tam Expoſitores , quàm Scholaſtici , quibus facem decoris , juxta ac lucis , prætulit S. Cyril. Alex. in Epiſtola ad Cœloſyrium , dum ait : *Decebat eum noſtris quodammodò uniri corporibus per ſacram ejus carnem , & pretioſum ſanguinem* . Quem locum referens Sanctus Pius V. in Cathechiſmo , paulò aliter legendum ſupponit , dum inquit : *Chriſtum uniri nobis miro quodam modo* : Et ſane adeo mirus eſt , ut Eccleſia Sancta , quæ illum per totidem jam ſæcula , quot ipſa fæliciter numerat , laudat ; numquam oculos mentis fide illuſtratos , & nimium admiratione apertos ab incunabulis , claudere hactenus potuit : itaut exuerit quidem novitatem , non tamen grandem admirationem .

Num. 2. Ex hac autem doctrina colligitur , minùs rectè nonnullos diſſeruiſſe de effectu primario Sacramenti Euchariſtę ſub alio titulo , præſcindente planè ab unione inſinuata ; cum per illam ipſe Inſtitutor ejus effectum explicuerit ; per eamdemque Concilia paſſim , Patres frequentiſſimè ; & Theologi plerumque ipſum declaraverint . Et ſanè iidem Theologi , dum urgentur Evangelii , Conciliorum , & Patrum teſtimoniis adumbratis , nexum illum exprimentibus , confeſtim reponunt , ſe adſtruere ejuſmodi vinculum , aut conjunctionem , quantumvis purè affectivam , ultra augumentum gratiæ ſanctificantis ; quatenus per gratias actuales movetur dignè communicans ad conjunctionem actualem amoris cum hoſpite Divino , quem in ſinu fovet : & quidem ſpeciali modo , ac in reliquis Sacramentis . Illi verò qui veram aliquam unionem ſtatuunt , opportunè ſub præfixo (aut conſimili titulo) diſputant ; noſque opportuniùs , cum nexum realem ſpecialiſſimum tueamur ; quo ſoluto , vel ablato , ægerrimè diſſideret effectus primarius , & nobilior Euchariſtiæ à potiſſimo aliorum , præſertim Confirmationis . Et ſanè quis umquam prudenter , dum amoris (cujuſmodi eſt proculdubio Euchariſtiæ ſecretum) potentiſſimum , digniorem-que effectum exponit , extra vinculi , aut unionis terminos vagatur ? Aut nominibus diſertè non ſignificantibus eam conjunctio-

nem, illum exprimere, qui nec ſcitè adumbrare, in limine pollicetur?

Prima itaque opinio, ſupponens ex doctrina fidei, Sacramentum Euchariſtiæ conferre augumentum gratiæ, & Charitatis (uti & alia vivorum Sacramenta) pariterque auxilia univerſim ad omnia, quibus Charitas efferveſcat ardentius, malaque cuncta præcaveantur ſtudioſiùs; putat, non aliam unionem effici ab Euchariſtia, præter inſinuatam affectivam, & myſticam, ſimul cum phyſica conjunctione Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, & per illas, cum fundo ſtomachi, in quem deſcendit, dum ſumitur; quæ materialis prorſus eſt, communiſque dignis, & indignis. Hæc ſententia adeo percrebuerat olim inter Theologos, ut dum primò lucem nacta fuit expreſſior opinio realem aliquam, & ſubſtantialem unionem ex profeſſo ſtatuens, illamque ut Patribus familiarem admodum commendans, à doctiſſimo Cardinali Mendoza elucubrata; protinus illam, ut improbabilem, abſurdam, temerariam excepere illius ævi Theologi, ut referunt Doct. Eximius diſput. 64. ſect. 3. Vaſquez diſput. 204. cap. 1., & alii. Deinceps vero perplures egregios defenſores ſortita eſt, & quidem ea copia, ut facta ſit modò communior, etiamſi in modo ipſam elucidandi varient inter ſeſe ſuffragatores. Opere pretium autem minimè eſt viritim recenſere relatæ ſententiæ Patronos, cum P. Vaſquez ibidem pronuntiet: *quocirca mirum non eſt, ſi ex antiquis Scholaſticis nullus de alia unione, niſi per affectum, uſque ad hoc ſaculum diſputaverit*. Ex eademque tunc recepta opinione loquitur Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Euchariſt. cap. 9. cum ait: *Chriſtus non unitur nobis corporaliter, ſed ſpiritualiter per fidem, & amorem: & Corpus Chriſti Domini editur, ut anima, non ut Corpus, alatur*. Sic interdum antiquæ quorumdam Scholaſticorum opiniones adeo altè inſident animis, ut nulla vi, aut ratione ab eiſdem removeri valeant: & cum ædificia vetuſtate corruant, aut nimium ſeneſcant; illæ tamen vetuſtate ipſa firmentur, noviſque viribus, & veluti juventutis robore augeantur.

Num. 3. Ex Recentioribus autem adhærent huic ſententiæ quotquot per ſolum gratiæ habitualis incrementum, unà cum ubertate auxiliorum, ſive gratiarum actualium ad omnes generatim operationes, potiſſimum Euchariſtiæ effectum explicant; cum eo ipſo nihil afferant, quod unionem pluſquam affectivam, aut ſpiritualem, invehat. Et quamvis hunc, & alios effectus cauſet per modum cibi nutrientis, ſubindeque unionem intimam ſignificantis modo ſingulari, quo provenire nequeat ab aliis Sacramentis; nihil attamen conjunctionis non merè affectivæ, & myſticæ, ſeu ſpiritualis per gratiam, impertiri valet, ſi in ſolo gratiæ augumento, & auxiliorum cumulo ſiſtat, ut probant ex Doct. Angelico (ſicuti credunt) 3. part. qu. 79. Leſſius, Cajetanus, Tannerus, Conink. Prado, Platelius, Salmanticenſes, cum gloſſa in cap. *In Chriſto Pater* 82. de conſecrat. diſt. 2. Firmant aſſertum ex S. Cypriano ſerm. de Cœna Domini ajente: *Noſtra. & ipſius conjunctio nec miſcet Perſonas, neque unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates*. Et paulo ſuperiùs dixerat: *Non quod uſque ad conſubſtantialitatem Chriſti; ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam ejus hæc voluntas perveniſſet*. Ex Damaſc. lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. ibi: *nam ſi omnino hoc affert hoc Sacramentum, ut & Chriſto, & alii aliis uniamur, non eſt dubium, quin omnibus, qui nobiſcum illud percipiunt, copulemur, ex voluntate quippe conjunctio hæc exiſtit; non autem citra animi noſtri ſententiam*. Similia aſſerunt ex S. Cyrillo Hieroſol. Catech. 4. Myſtag. & ex D. Thoma in prima Corint. cap. 10. lect. 4. exponente verba illa Apoſtoli: *unus panis, & unum Corpus multi ſumus*, ait enim: *quaſi dicat, per hoc patet, quòd unum ſumus cum Chriſto, quoniam unus panis, unione fidei, ſpei, & Charitatis*. Producunt etiam Concilium Florentinum ubi ſupra dicens: *quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quòd per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem*: ſic etiam loquitur Tridentinum ea ſeſs. 13. cap. 2. dum prædicat hoc Sacramentum, *Symbolum unius illius Corporis* (myſtici) *cujus ipſe eſt caput, cuique nos tanquam membra arctiſſima, fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictas eſſe voluit*. Adjungunt rationem à priori; quoniam fide certum creditur, augumentum gratiæ eſſe effectum Euchariſtiæ; inde autem apertiſſime colligi putant, nullam aliam unionem eſſe poſſe illius effectum primarium; cum nulla eſſe valeat nobilior gratia habituali, ut ſimul poſtulante actuales. Et aliunde probabile non eſt, Sacramentum hoc reſpicere per ſe primò effectum minùs nobilem, utilemque, minùs digniori, & utiliori poſthabito; etiamſi permitteretur, alium nexum inducere quaſi fruticem ex radice illa Divina pullulantem, aut florem eidem inhærentem: eſſet enim inordinatio aliena in Inſtitutore Divino: *quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt* Rom. 13. & à Sapientiæ, Charitatiſque genio.

Num. 4. Nihilominus opinio hæc, quà excludit omnem aliam unionem præter affectivam, aut ſpiritualem diſplicet jure merito hujus ætatis Theologis plerumque, & Interpretibus, quippe quæ parùm dignè de præſentia, & gloria Euchariſtiæ ſentire videtur. Ex illa namque, ſequitur nullum peculiarem nexum ritè Euchariſtiam ſuſcipien-

pientis cum Chriſto Domino profluere ex ejuſdem digna ſuſceptione, qui non proveniat pariter ex ſuſceptione cujuſvis alterius Eccleſiæ Sacramenti vivorum; cum per illa ſimiliter conferatur augmentum gratiæ ſanctificantis, Charitatis, & aliarum virtutum mutuo connexarum, & gratiæ quoque actuales comitentur illas, ſive in majore, ſive in minori copia; definiente Trident. ſeſſ. 13. cap. 13., id eſſe *commune Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis*. Atque adeo quantum eſt ex parte unionis membrorum cum capite, nullo pacto differre poſſet effectus primò intentus ab hoc Sacramento ab effectibus aliorum; quod revera adverſatur verbis Chriſti Domini Joan. 6. verbis Apoſtoli ad Corinthios perenni Sanctorum Patrum, & Aſceticorum locutioni, qua vinculum peculiare, arctiſſimumque inter caput, & membra, inter fidelem, & Chriſtum Dominum, tanquam proprium Euchariſtiæ agnoſcunt, docent, & prædicant, ut ex infra dicendis patebit luculentius; nullamque ſpecialem adunationem Populi, per aquam ſignificati, ad Chriſtum Dominum ejuſque Sanguinem (ac proinde animam) per vinum indicatam; quod repugnat prorſus Conciliis, & Patribus ſupra curſim productis.

Neque evadit difficultatem modus ſingularis Euchariſtiæ inducendi nexum prædictum, nutriendo ſcilicet animam ad inſtar alimenti corporalis, cum ſit verè cibus animarum. Quoniam vel nutritio illa infert novum aliquem unionis modum, quem minimè parturire valeant reliqua Sacramenta; & ſic jam modus ille eſſe nequit purè affectivus, aut nudè per gratiam, ſive ſpiritualis, cum hunc pariant etiam reliqua; haberemuſque idcirco intentum, cadente eo ipſo opinione, quam expugnamus. Vel non arguit novum modum unionis, ſed novum modum illam communem omnibus unionem aſſequendi; & ſic à fortiori ſequitur abſurdum illatum in argumento, videlicet, quantum eſt ex capite unionis inter fideles ſuſcipientes, & Chriſtum Dominum nihil momenti hauriri potius ex Euchariſtia, quam ex aliis. Sicut idemmet gratiæ habitualis augmentum provenire poteſt ex ferventi exercitio diverſarum etiam virtutum; quin ideo gratia illa, ſive unio per eam efficienda, ſit diverſæ rationis, quantumvis ex diverſo fonte, & diverſo modo (utpote ex opere operantis) promanans. Pariter non ſatisfacit Rhodes de Euchar. diſp. 1. qu. 3. ſect. 2. §. 1. dicens, per Euchariſtiam conferri, augmentum gratiæ eo potiſſimum fine ut uniat magis Deo, ex eaque intentione; adeoque conferri quà perfectum eſt, cum uniri Deo ſit propria gratiæ perfectio. Per reliqua vero Sacramenta vivorum conferri primario in ordine ad aliquid aliud agendum. Cæterum hac doctrina nihil intrinſecum ponitur ex parte effectus, potius ut inducti per hoc, quam per alia Sacramenta; cum intentio conferentis gratiam ſit effectui extrinſeca. Præterea cum perfectio uniendi ſit præcipuus gratiæ effectus; neſcio quo jure agens perfectiſſimum, cujuſmodi eſt Deus, dum per alia Sacramenta vivorum largitur gratiæ augmentum, poterit non intendere per ſe primo nobiliorem ejus effectum, Idemque de Ipſo Sacramento ut inſtrumento elevato dicendum.

Primum hoc fundamentum urget efficacius, comparando Sacramentum Confirmationis cum Euchariſtico: ſiquidem firmum inter Adverſarios plerumque eſt, primarium Confirmationis effectum eſſe augmentum gratiæ, & robur fidei, vitæque ſpiritualis, docente Florentino in decreto Eugenii Quarti §. *quando Eccleſiaſtici: per Baptiſmum ſpiritualitèr renaſcimur: per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem, & roborati nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia*. Et S. Thom. 3. p. q. 73. art. 1. corpore: *ſicut ad vitam ſpiritualem oportet eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio, & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum, ita oportet eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum*. Eamdemque doctrinam ſtatuerat tota quæſt. 72. quam deſumpſit à Melchiade Papa in Epiſtola ad Hiſpaniarum Epiſcopos, Si autem idem augmentum gratię, Charitatis, & aliarum virtutum, quantumvis habendum per modum nutritionis, ſit finis primarius Euchariſtiæ, ſive effectus potiſſimus illius; cum vita ſpiritualis animæ in ſtatu viæ nunquam perveniat ad eum terminum, aut gratiæ metam, ultra quam progredi nequeat; quo jure effectus unionis utriuſque Sacramenti diverſus erit? Si per utrumque canalem derivatur in nos eadem planè unda, quid ad eorumdem diverſitatem conducere valet modus peculiaris illam hauriendi? Quod pronus ore admoto, vel ſcypho?

Num. 5. Nemo eſt, qui ambigat de phyſica utriuſque diverſitate: nullus adeo inſipiens, reperitur, qui neſciat, latum eſſe diſcrimen, multiplexque inter conſtitutiva phyſica ipſorum. Primo enim in Confirmatione, & aliis etiam Sacramentis, præter formam, & materiam ſenſibilem, quibus veluti inſtrumentis utitur Deus ad cauſandam gratiam, nihil aliud intrinſecum reperitur, aut continetur; at in Euchariſtia ultra formam, & materiam ſenſibilem, adeſt realitèr præſens fons ipſe gratiarum Chriſtus Dominus. Secundò ex parte materiæ, & formæ diverſum eſt Sacramentum Euchariſtiæ à reliquis, quia ſunt toto Cœlo diverſæ à materia, & forma Confirmationis, Baptiſmi &c.. Tertio differunt, quia Euchariſticum eſt permanens, eo quod ejus materia proxima, ſpecies ſcilicet panis, & vini, diu perſiſtat; in reliquis verò eſt aliqua actio tranſiens. Quarto conſequenter, omnia alia in uſu conſiſtunt duntaxat; Euchariſtia autem ante uſum perficitur, confe-

ctumque perſeverat Sacramentum. Quinto in aliis materia ſimul cum forma ordinantur ad inſinuatum finem in ſuſcipiente cauſandum. Forma vero Sacramenti Euchariſtici nihil in ſuſcipiente operatur, ſed in materia, quam tranſmutat. Sexto: reliqua ſunt nudè Sacramenta; hoc autem eſt Sacramentum ſimul & ſacrificium, dum actu ſub utraque ſpecie peragitur. Septimo: Confirmatio iterari nequit; cum Euchariſtia frequenter (utinam frequentiùs, & amantiùs). Tandem Confirmatio imprimit Characterem, ſecus Euchariſtia. Et cum omnia hæc diſcrimina ſint certiſſima, & id genus alia; nihilominus perſiſtit immota difficultas, quin ex ulla parte emolliatur, ſed acritèr illis potius, vehementerque irritetur. Ut quid enim duo Sacramenta tot nominibus phyſicè diverſa, ſi ad eumdem prorſus finem, ſive effectum potiſſimum deſtinantur, & conſequenter eamdem eſſentiam metaphyſicam ſortiuntur?

Reſpondet Cardinal. de Lugo diſp. 1. de Euchariſtia, Caſpenſis, uti Juniores alii (& reipſa Doctor Eximius in explicatione artic. 1. quæſt. 73.) inſtaurantes ſolutionem argumento noſtro jam dilutam; Euchariſtiam inſtitutam eſſe ad augendam vitam animæ per modum cibi, aut nutrimenti; Confirmationem vero per modum unctionis ad viriliter pugnandum, ſicuti olim mos erat Athletis oleo corpus ad luctam præparare.

Exercens Patrias oleo labente Palæſtras.

ſive ad inſtar fomenti roborantis. Et ſanè reſponſio hæc lucem mutuari potuit clariſſimam ex verbis Divi Thomæ 3. part. quæſt. 79. art. 1. ad 1. ubi docens, per Euchariſtiam augeri gratiam ſanctificantem, ſubdit: *Aliter tamen, quam per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum Chriſti. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita ad hoc, quod homo in ſeipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum.* Contra tamen: quoniam ſi utriuſque effectus præcipuus ſit omnino idem; quod Confirmatio illum aſſequatur ungendo, Euchariſtia vero cibando, inſufficiens omnino eſt ad diverſitatem metaphyſicam, ab effectu potiſſimo, & per ordinem ad illum, deſumendam. Erit equidem ſufficiens, ut media, quibus finem obtinent, ſint diverſa, ſeu modi, aut viæ illum obtinendi; nequaquam vero, ut fines ſint ſpecie diverſi. Et aliunde viarum diverſitas, aut modorum, actioniſque, non eſt quæ ſpecificat Sacramenta, ſed effectus, quos intendunt; cum autem effectus primarius ſit utrobique idem, augmentum ſcilicèt gratiæ, utrumque à fortiori recidet in unum metaphyſicè, varietate quadam phyſica inſtrumentorum inducentium eumdem ſemper effectum.

Si ſubjicias, ex ea diverſitate phyſica, colligi ritè diverſitatem utriuſque effectus, quemadmodum ſunt conductus; jam finem, ſive effectum alium principalem in facto eſſe diverſum ab augmento gratiæ aſſignas Euchariſtiæ, cum nequeas illud confirmationi denegare; hic autem eſt effectus, quem inveſtigamus; ut autem diſcernere valeamus, ſit ne ille, quem diligentèr quærimus, oſtende nobis diverſitatem, quam colligis. Neque teſtimonium Divi Thomæ; aliud probat, quam diverſitatem merè extrinſecam; quod nimirum idem planè effectus deſtinetur ab ejus largitore ad fines extrinſecos diverſos; hæc autem intentio eſt etiam extrinſeca ipſi effectui, uti & fines illi, aut functiones, ad quas confertur gratiæ augmentum in utroque ſunt itidem extrinſeci, remotique, à quibus minimè ſpeciem ſuam depromunt Sacramenta. Niſi cum Paludano in 4. diſt. a. quæſt. 3. & Capreolo in 1. diſt. 14. art. 3. velis adſtruere novam gratiæ ſanctificantis qualitatem ſpecie diverſam, ſubindeque diverſam quoque pro diverſitate Sacramentorum, quam pro Euchariſtico dicunt nutritivam. Cæterum hoc tamquam abſurdiſſimum repellitur à Theologis: & ideo vel ipſe Paludanus, ut obſervat Doctor Eximius Diſput. 62. ſect. 3. non poſitivè tueri auſus fuit novam illam ſententiam, ſed indicare ſolum timide, ita ut non tam auctor illius, quam cautus indagator appareat, aperuit viam, qua fere nullus Iret, nec adhuc ipſemet aperiens.

Num. 6. Reſpondet ſecundo idem Card. de Lugo ibidem à numero 7. Euchariſtiam conferre gratiæ augmentum per ſe formaliter, & primario, cum nutriat animam, itaut auxilia actualia tribuat ad hunc ipſum finem augendi amplius & amplius gratiam, & charitatem per operationes ſanctas. Confirmationem vero afferre illud augmentum ſecundario, & quaſi materialiter, quatenus deſervit ſimul, cum peculiaribus auxiliis, ſibi debitis, ad ſingularem operationem pugnandi viriliter ad fidem, vel in vitæ diſcrimine profitendam. Et quidem tam cum hoſte viſibili interdum minitante mortem, quam cum inviſibili ſæpiſſimè. In hanc evaſionem irruunt Moderni, æquè ac Confirmationis effectus in fidei ſanctæ hoſtes, ſtrenuè contendentes ex Florentino, augmentum virile gratiæ eſſe proprium confirmationis, prout talis, ut conſtabit ex proximè dicendis.

Occurres tertiò: Incrementum gratiæ ſanctificantis profluere ex ratione communi Confirmationi, & Euchariſtiæ, ſub qua principalitèr ab utraque reſpicitur, conſequenterque poſſe ordinatiſſimè penes prædicatum ſpecificum, ſeu differentiale reſpicere per ſe primò alium finem minùs nobilem incremento gratiæ. Contra tamen, quoniam hic arguimus ad hominem ex oppoſita ſententia, inter Adverſarios paſſim admiſſa: apud quam effectus primarius Confirmationis, prout diſtinguitur ſpecie ab aliis Sacramentis, eſt regeneratum perducere.

cere ad ætatem virilem, augendo, roborando, aut confortando infantem, ſeu juvenilem animum, ut ex Concilio Florentino, Tridentinoque fide ſanctum eſt. Et propterea Div. Thom. 3. par. qu. 72. art. 1. accommodans Sacramento Confirmationis illud Pauli 1. Corinth. 13. *Cum autem eſſem vir, evacuavi, quæ erant parvuli*, adjungit, *ſic igitur & vitam ſpiritualem homo accipit per Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio. In confirmatione autem homo accipit quaſi quamdam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ. Unde Melchiades Papa dicit: Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam*. Hoc igitur augmentum eſſe proprium Confirmationis, qua Sacramentum diverſum eſt à Baptiſmo, & aliis, & non ſub ratione generica Sacramenti præciſè, tuentur ipſi ex verbis Melchiadis, ex Divo Thoma, eſtque eorum conſenſu firmum: gratia enim eſt animę vita, ac proinde illius duntaxat incrementum eſſe poteſt ſtatus perfectus, ætaſque virilis ejuſdem; reliqua autem, cujuſmodi ſunt auxilia actualia, tantum conferre poſſunt vires, quibus præfatum robur conſervari valeat. Idque inſuper docuerat Sanctus Thomas qu. 62. ideoque laudata quæſt. 72. artic. 1. ad. 2. dixit: *Confirmatio eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ*, diſputatque de gratia gratum faciente, ut liquet ex art. 7. ergo ſecundum quod Sacramentum Confirmationis eſt in ſpecie, & penes prædicatum, quo differt à reliquis, tendit per ſe in gratiæ ſanctificantis incrementum, illudque formaliter reſpicit; licet ſimul exigat auxilia ad dimicandum ſtrenuè in gloriam, & defenſionem fidei; ſecundariò tamen, eo quod hæc ſint inferioris dignitatis, ordinis, & pretii. Proindeque, ſi Euchariſtia primario formaliter deſtinetur ad augendam gratiam habitualem, ut iidem Theologi contendunt, finis præcipuus utriuſque Sacramenti erit formaliter idem, tametſi penes ſecundarium differre valeant; cum è primario effectu, ſive fine, bibant Sacramenta ſpeciem ſuam, & naturam metaphyſicè conſideratam, coaleſcetque ex utroque idem ſpecie Sacramentum; quod juxta diverſitatem materiæ, & formæ phyſicæ diverſos ſpecie effectus ſecundo loco intentos efficit, ſemper attamen eumdem potiſſimum.

Quibus adde, Euchariſtiam, qua continet realiter Chriſtum Dominum (atque adeo quà ſpecie phyſica ab aliis diverſum) conferre uberiorem gratiæ plenitudinem, quam alia Sacramenta, ſi cætera ſint paria, juxta plauſibilem hac tempeſtate opinionem, quam innuere videtur Div. Thomas 3. part. quæſt. 65. artic. 3. uti exponit in Commentario Doctor Eximius, illamque abſolute promovent Sotus, Leſſius, Vaſquez, Nugnus, Granados, Prado, Martinon. Bernal. Rhodes, Salmanticenſes &c. Ergo quà Sacramentum ſpecie diverſum, & non præciſè ſecundum rationem genericam, cauſat majus gratiæ augmentum, & ex conſequenti effectus princeps ab illo intentus (ſi præſtantiorem alium non inducat) eſt ejuſdem rationis formalis cum potiſſimo Confirmationis. Nequidquam igitur, & fallaciter recenſentur tamquam duo ſpecie, & ratione metaphyſica diverſa: quemadmodum aberraret à vero, qui contenderet Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis, & vini importare duo ſpecificè diverſa Sacramenta, etiamſi materia utriuſque diverſa phyſice exiſtat, uti & forma; eo quod in eumdem ſcopum metaphyſicè collimet utrumque, eumdem feriat & in eodem ſiſtat. Unde qui alium effectum diverſum à gratia habituali aſſignat Euchariſtiæ, quà differt à Confirmatione; militat nobis contra ſententiam, quam expugnamus hic. Et cum aliunde ejus prædicatum differentiale, utpote involvens Corpus Chriſti Domini ſit præſtantius longe prædicato generico ſignante gratiæ augmentum; cogendus erit ad deſignandum effectum nobiliorem gratia ſanctificante prædicato differentiali Sacramenti Euchariſtiæ. Subindeque ad conſentiendum nobis.

Num. 7. Si excogites diverſitatem ſpecificam per conjunctum ex incremento gratiæ ſanctificantis, & gratiarum actualium, itaut illud per ſe primo reſpiciatur à Sacramento, quaſi nobilius augmento gratiæ ſeorſim accepto; ſemper nihilominus recidendum tibi eſt in abſurda inſinuata; cum ſemper ſit verum, in integro illo fine, aut effectu, longè dignius eſſe incrementum gratiæ ſanctificantis gratiis actualibus, ac ſubinde illud eſſe primo per ſe intentum comparativè ad alium; qui propterea reipſa erit effectus ſecundarius, ſi tribuenda ſint ſingula ſingulis; & quidem attento prædicato differentiali utriuſque, ſaltem ſecundum quod in utroque eſt majoritas augmenti; quàm in aliis.. Quandoquidem inferioris ordinis finem, & effectum reſpicere æque primo ut præſtantiorem, vel ignorationis ſpeciem præſeferret, vel non regulatæ ſapientiæ. ~~Verum equidem eſt~~, reſultare poſſe conjunctum nobilius quolibet ſeorſim ex duplici conſtitutivo, quorum unum ſit perfectius alio: attamen gratia illa major ſecundum ſe non connectitur cum partiali effectu minùs principali; adeoque, licet extrinſecè in intentione Inſtitutoris poſſet utrumque conjunctim reſpici; Sacramentum verò ſecundum ſe utrumque inducens, per prius neceſſariò reſpicit nobiliorem, & alterum ſecundario: eo quod nulla ſit connexio per ſe inter illos; alioqui gratia illum effectum intrinſece poſtulans eſſet diverſæ ſpeciei ab alia; quod inficiantur laudati Scholaſtici plerumque. Demum licet duo hæc Sacramenta conveniant in virtute inductiva augmenti gratiæ; differunt nihilominus, juxta Theologos nuper laudatos in producendo augmento illo inæqualiter, e-

tiam

tiam reſpectu ſubjectorum, quæ ſupponantur æqualiter diſpoſita. Quæ doctrina eſſe videtur Tridentini ſeſs. 7. can. 3. definientis: ***Siquis dixerit hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione unum ſit alio dignius, anathema ſit***. Quibus ſi conjungas ea, quæ docet ſeſs. 13. cap. 2. diſſerens de Sacramento Euchariſtiæ: ***in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit***; colliges valde probabiliter, ſuperioritatem illam dignitatis, quam ſanxerat ſeſs. 7. complecti, non tantùm præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia, verùm, & inſuper præſtantiorem virtutem, & ex illa uberiorem gratiæ ſanctificantis effectum. At majoritatem illam conferre nequit per prædicatum genericum, ſeu per id, in quo convenit cum reliquis; cum in hoc ipſo à reliquis differat: ergo imputanda eſt prædicato illius differentiali (ſicut contingit in confirmatione, juxta ſententiam hanc) & ex conſequenti ubertas illa major gratiæ ſanctificantis erit finis potiſſimè intentus, comparativè ad gratias actuales, ſive auxilia, inſtar pluviæ lentè cadentis tempore opportuno, qua lætantur ſegetes virtutum, & ſata rerum divinarum.

Num. 8. Occurres quintò, per ſententiam eorum, qui putarunt, gratiam ſacramentalem importare intrinſecè modificationem quamdam diverſam à gratia communi: atque adeo, gratiam hujus Sacramenti imbibere modificationem peculiarem, & diverſam à modificatione gratiæ, quæ donatur per aliud; vi cujus modificationis gratia ex unoquoque manans contrahitur ad exigenda, & radicanda hæc determinata auxilia ad hos vel illos fines. Qua via licet Sacramenta vivorum per ſe ferantur principaliter in augmentum gratiæ: & quamvis gratia in ſe, & abſolutè, quæ ex omnibus fluit, ſit ejuſdem ſpeciei; effectus tamen primarius redditur diverſus in omnibus, juxta prædicata differentialia. Ita Cabrera, Nugnus, Serra, Prado; Thomas Hurtado, Ruiz, Joan. à S. Thoma, Salmanticenſes, & Recentes alii, quorum opinionem Theologorum commune placitum repellit tamquam planè falſam, & diſſonam, cum Cajetano, Soto, Ledeſma, Doctore Eximio, Leſſio, Valentia, Vaſquez, Cardin. de Lugo, Averſa, Bernal, Dicaſtillo, Rhodes, Leandro &c. Apud quos videre juvat abſurda, quæ ex illa renaſcuntur.

Et ſanè illam à mente D. Thomæ alienam oſtendunt ſatis ejus verba qu. 62. art. 2. corpore, ubi ait: ***gratia ſacramentalis addit ſupra gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem***. Quæ difficulter, & non abſque coactione, intelligi poſſunt de modificatione intrinſeca; nec illam expetere, aut permittere, ex ullo capite, aut ſyllaba D. Thomæ apparet, cum ſolum auxilium gratiæ tranſiens deſideret, non exigentiam illius gratiæ intrinſecam.

Verumtamen adhuc ea modalitate intrinſeca admiſſa, nullo pacto infringuntur vires argumenti: quoniam modificatio gratiæ per Confirmationem collatæ determinat, apud ipſos, ad auxilia præbentia robur, in ordine ad certandum ſtrenuè in defenſionem orthodoxæ fidei. Et aliunde Euchariſtia Sacra eadem auxilia poſtulat, & cauſat, ad eumdem finem. Tum quia cum per modum nutritionis roboret, omnes effectus, quos cibus materialis exhibet corpori, præſtat illa animæ; cibus autem corporeus vires confert ad omnes univerſim operationes vitales exercendas, nulla excluſa. Ergo à fortiori panis Euchariſticus vires ſuppeditat ad conflictum illum in palæſtra fidei (uti & ad victoriam tentationum in ultimo agone, quemadmodum extrema unctio). Neceſſariò igitur includit eamdem ſpecie modificationem gratia Euchariſtica, ac gratia per Confirmationem producta. Ea ſolum differentia, quòd gratia Euchariſtica includeret inſuper modificationes alias, non ſic autem gratia Confirmationis, cum virtus illius ſit alligata determinato effectui. Cæterum ubi ſemel per Sacramentum Euchariſtiæ obtinetur idem formaliter finis (& quidem ſæpiſſimè iteratus) ac per Confirmationem ſemel, otiosè multiplicas in ſpecie Sacramenta, dum naturam ſpecificam effectuum non multiplicas; ſicuti redundans foret inſtitutio alterius Sacramenti Confirmationis ad eumdem prorſus effectum, quem præſtat modo. Profecto juremerito diceretur tibi illud Iſajæ 9. ***Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam***.

Num. 9. Quod verò Euchariſtia eo fine glorioſo viriliter pugnandi in ſtadio fidei daretur martyribus, dum jamjam urgeret certamen, conſtat ex Patribus, & Hiſtoria Eccleſiaſtica, præſertim ex Cypriano, exclamante Rhetorico zelo adversùs eos, qui armis Euchariſtiæ immuniti, cum poſſent, deſcenderent in ejuſmodi difficilem arenam unde Epiſt. 54. inquit: ***Non eſſe idoneum ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: quia mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit, & accendit***. Et Epiſt. 59. ***conſiderantes idcirco ſe quotidie Calicem Sanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere***. Et in utraque Epiſtola adjungit: ***ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis, & Corporis Chriſti muniamus***. Habet ergo gratia per Euchariſtiam collata jus ad eadem auxilia, quæ debentur gratiæ Confirmationis, & ad eumdem omnino finem. Ergo eadem modificatio gratiæ media Confirmatione præſtitæ reperitur in gratia Euchariſtica.

Id ut plenius eluceſcat, finge ex Euchariſtia provenientem gratiam cum ſola ea modificatione; ſanè in præfato eventu inſtitutio Confirmationis foret æque ſuperflua, ac eſſet nunc novum aliud Confirmationis Sacramentum: eſſent enim ejuſdem

ſpe-

ſpeciei; Et ex alia parte, quòd gratia Eucharistica modificationes alias includat, non reddit illam debiliorem ad expetenda, aut radicanda anxilia ea, ad quę per ejuſmodi modificationem determinatur. Adjuugenda inſuper reflexio alia, aut redargutio notatu digna. Porro vel modificatio præfata identificatur cum gratia, idque ab ea exigitur; & ſio ineluctabiliter ſequitur, gratiam per Sacramenta productam eſſe ſpecie diverſam à gratia communi, & illas inter ſeſe; cum unaquæque importet prædicatum eſſentiale diverſæ ſpeciei à prædicato alterius; quod abſurdiſſimè eoncedi, profitentur, qui præſenti reſponſioni ſuffragantur. Quin ſubſidium momenti alicujus petatur ex eo, quod ſit modus: quandoquidem ſemel atque gratia illum intrinſecè poſtulet, non minùs eſſentialiter, & ſpecie ſimpliciter differt à gratia ipſum non poſtulante, ſed alium diverſæ ratiouis, ac ſi prædicatum abſolutum diverſum expoſceret; cum exigentia illius, quantumvis terminata ad rem modalem, ſit prædicatum abſolutum gratiæ: adeoque nequeat non arguere infallibiliter alium gratiæ eonceptum differentialem. Vel eſt modus realiter diſtinctus, & ab illa non per ſe exactus: & ſic nequit Sacramentum non reſpicere primariò gratiam comparativè ad eum modum, redeuntque nupera argumenta. Si verò modum adſtruas diſtinctum realiter à gratia, ab illa tamen expetitum; invehis eo ipſo in prædicta gratia exigentiam realem intrinſecam, ut ajebam, qua non gaudet communis gratia, nec alia ſacramentalis, cum hæc ſit diverſa, utpotè terminata ad diverſum ſpecie modum. Deinde perperam aſſignas gratiæ illi exigentiam terminatam ad modum, eum breviùs terminari valeat ad ipſa auxilia immediatè; per circuitum enim, & è remoto conquireret gratias actuales, cum eas immediatè, & veluti ad manus habere poſſet.

Si dicas, gratiam unà cum modo diſtincto, & nullatenus exacto, eſſe complexum primario conjunctim intentum, ſub qua acceptione eſt præſtantius gratia ſeorſim conſiderata; repellendus eris facilè ex ſupradictis: certè ea ratione nullus umquam ſoret finis ſecundarius; ſiquidem ille cum primario unitus ſemper eſt dignior ſine potiſſimo ſigillatim uſurpato; quoniam tamen collatis inter ſe finibus nobilior èſt ille, qui præſuppouitur primus; ordinatè intendens, illum per ſe primò reſpicere debet, & ab illo ſpeciem ſuam petere, itaut ex eo aut nobilitetur, aut vileſcat actio: è fonte primario potat, reliquos deguſtat.

Num. 10. Dices: omnia vivorum Sacramenta conveniunt in virtute per ſe inducente augmentum gratiæ. ergò inerementum hoc gratiæ ſanctifieantis eſſe minimè poteſt effectus reſpondens prædicato differentiali Saeramenti Confirmationis, nec Euchariſtiæ. Ob eamque cauſam plures alii Scholaſtici effectus alios primarios diverſos ab augmento gratiæ ſanctificantis deſignant prædicatis differentialibus utriuſque, quamquam ſint iuferiores incremento gratiæ: magnopereque inſudant in differentia ſpecifica unius ab alio; quantumvis inter ſe in ejus deſignatione parùm conſentiaut. Sic Arriaga diſp. 28. de Euchar. pro ſe adducens Doct. Eximium diſp. 63. ſect. 1. §. *Sed dices*. Tannerus, Eſparza, & alii. Quin & P. Vaſquez diſp. 167. eap. 1. quem imitatur Arauxo, & pauci alii, augmentum gratiæ non putat effectum formalem primarium Euchariſtiæ, ſecundum quod differt à Confirmatione, & reliquis Sacramentis vivorum.

Hæc reſponſio veram doctrinam continet; importunam tamen argumento noſtro diluendo, eum illud procedat ex ſuppoſitione oppoſitæ ſententiæ; ex qua profligata elicere poſſimus unionem aliam à pure affectiva diverſam. Continet ſane doctrinam inconcuſſam, utpote ſatis expreſſam in Tridentino ſeſs. 13. eap. 3. dicente; commune eſſe Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, eſſe *inviſibilis gratiæ formam viſibilem*. Idemque prorſus eſt de augmento gratiæ reſpectu Sacrameutorum, quæ ſunt propria vivorum. Evidens autem eſt, non convenire ratione differentiæ Euchariſtiæ effectus, qui competit illi ratione generis. Aliunde certum eſt pariter, ex fidei principiis, peculiarem aliquem effectum permanentem, aut unionem convenire cibo Euchariſtico, qua tali, adeoque ut diverſo à reliquis Sacramentis. Ergo unionem aliam diverſam à pure affectiva per gratiam. (Auxilia enim, quæ invehit ſive in minore, ſive in majore eopia, à reliquis pariter inducuntur, ut excitent, & inflamment.)

Inde autem aſſurgimus ſolidiſſimè: effectus reſpondens differentiæ Euchariſticæ, neceſſario eſt longè præſtantior gratia habituali, ejuſque incremento; cum includat eſſentialiter Chriſtum Dominum præſentem per modum cibi, & potius nutrientis, ut habetur. Cap. 6. Joannis. Chriſtus autem Dominus ſuperat infinita diſtantia perfectionem gratiæ, & gloriæ ſimul, ut planum eſt, & quidem etiam pænes Humanitatem, in recto uſurpatam, ut docuit S. Tho. in 3. diſt. 22. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 1. ad tertium, eujus verba dabimus ſect. 5. & quamvis Corpus tantum, & ſanguis ponantur vi verborum; connotant attamen Perſonalitatem divinam, eum veniant, ut ſunt corpus, & Sanguis Chriſti Domini. Prædieato autem differentiali excedenti infinite genericum, & ejus effectum, quem ſignat, à fortiori debetur, aut convenit præſtantior alius, quem ſignificet, & eauſet. Et quidem præſtantiſſimus in ſummo gradu, cum ſignatum eſſe debeat nobilius ſigno. Hic autem eſſe nequit alius, quam à nobis mox producendus, ſimul & adorandus.

Tandem, ut notatum jam fuit, argumentum noſtrum procedit ex ſuppoſitione

vul-

vulgaris ſententiæ utrique Sacramento deſignantis incrementum uberius gratiæ, tamquam ſpecialem utriuſque effectum. Neque robur illud permanens, per quod deſumunt plures diſcrimen Confirmationis ab Euchariſtia, aliud ſignificat, quàm allegoriam quamdam, aut metaphoram, nihil de re includentem, quod non conveniat Euchariſtiæ; cum robuſta illa ſtatura, & ætas concipi aliter non poſſint, quàm per augumentum, & veluti proceritatem gratiæ, virtutumque; hæc autem meta ſanctitatis neutiquam reperitur in via, in qua creſcere poteſt gratia recepta per Confirmationem ſine fine ſincathegorematicè, æquè ac illa, quæ per Euchariſtiam infunditur; cum voluntas Dei ſit, *ut Sanctus ſanctificetur adhuc* Apocal. 22. nulluſque propterea ſit præfixus homini terminus, ultra quem non liceat ire, ſi vivere, & libero arbitrio uti liceat: nec de rebus divinis verificari valet, quod de humanis luſit quondam ille.

lætis hunc numina rebus
Creſcendi poſuere modum.....

Num. 11. Expugnatur ſecundò principalis reſponſio, aut opinio: quoniam Chriſtus Dominus apertè docuit Joann. 6. effectum proprium ſumptionis Euchariſtiæ eſſe mutuam illam immanentiam: *in me manet, & ego in illo*; ſi autem immanentia, aut inhabitatio hæc nihil aliud involvat, niſi inhabitationem, aut nexum per gratiam, & Charitatem, affectivamque conjunctionem, promiſiſſet manducationi dignæ ſui Corporis effectum communem, obtinendum per ſexcentas vias alias; quod eſt manifeſtè falſum, & alienum à ſenſu verborum, à ſublimitate myſterii, & à promiſſionis modo.

Tertiò rejicitur ex nuper dictis in ſimili: cum enim præſentia realis Chriſti Domini ſit proprium inſigne, & gloria ſingularis Euchariſtiæ, per quam conſtituitur, & eſt finis, & conſummatio omnium Sacramentorum, impoſſibile prorſus apparet, quòd huic ſpecialiſſimo, & ſublimi adeo conſtitutivo non reſpondeat niſi unio vulgaris, quantumvis nobiliſſima, inferioris tamen longè ordinis, quæ eſt effectus omnium Sacramentorum: fruſtraque propterea ad eum finem aſſequendum adeſſet realiter præſens intra miraculorum turbinem: cum illum obtineat paſſim per omnium virtutum exercitia, & per alia Sacramenta.

Quartò probatur omnibus illis, quibus poſitivè firmanda eſt aſſertio noſtra, per venturas ſectiones tota præſente diſputatione auctoritate, diſcurſu, & exemplo ſolide munienda. Siquidem cuncta illa eo tendunt, ut intimiorem alium, realemque nexum inducant, purèque affectivum, & ſpiritualem inſufficientem planè arguunt. Neque Patrum teſtimonia in ſubſidium à rejecta hac opinione producta quidquam evincunt in ſenſu negativo, aut excluſivo accepta; qua parte videlicet ad ulteriorem nexum ſimpliciter præter affectivum per charitatem, & gratiam removendum adducuntur; quantumvis efficacia ſint ad ſpiritualem illum, & affectivum radicandum, & rurſus ad conjunctionem ſubſtantialem hypoſtaticam profligandam. Cyprianus igitur (qui ſolus re ipſa ſenſum negativum exprimit) & quotquot inter Patres ad eum modum locuti fuerunt interdum, unicè contendunt, per Euchariſtiæ ſumptionem dignam nullam induci ſubſtantialem unionem ſumentis cum Chriſto Domino, nec per modum hypoſtaſis, nec per modum formæ informantis; neutiquam verò excludunt reliquas omnes uniones phyſicas; alioqui inficiarentur pariter realem conjunctionem Chriſti Domini ſub ſpeciebus cum pectore, ore, aut ſtomacho illum ſumentis, adeoque præſentiam realem Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis. Quod autem laudatus Cyprianus non omnem repellat unionem phyſicam, liquet ſatis ex verbis præcedentibus ea, quæ objiciuntur, inquit enim: *Fidei noſtræ infirmitas edocetur viſibilibus Sacramentis, in eſu vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm ſpirituali tranſitione, Chriſto nos uniri*. Ubi per tranſitionem ſpiritualem communicantis in Chriſtum Dominum non potuit intelligere ſolam affectivam, aut habitualem, quoniam hæc eſt communis effectibus omnium Sacramentorum, nihilque peculiare deſignaret Euchariſtiæ eſui in ratione unionis, neque creſcere illam adjunniſſet uſque *ad ſocietatem germaniſſimam*. His adjicienda teſtimonia Chryſoſtomi, Hilarii, Cyrilli, & aliorum producenda in ſequentibus, expreſsè aſſeverantia, intercedere in ea conjunctione nexum alium realem permanentem ultra habitualem per gratiam, & affectivam per Charitatem. Unde ſi Patrum locutionibus agendum ſit, cauſa noſtra victrix proculdubio evadet, & multorum calculis ſuperior, itaut adverſa, etſi manus illico non tenderet, daturam tamen ſperares, ſi rubor cadendi à propria opinione non reſiſteret.

§. II.

Num. 12. SECUNDA opinio in odium exitiale Sacramentariorum, qui dum præſentiam realem Chriſti Domini averſantur, omnem ex conſequenti realem conjunctionem illius cum communicantibus horrent (ut notavit Doct. Eximius diſp. 64. ſect. 3.) exiſtimat, potiſſimum, & omni jure primum Euchariſtiæ effectum, eſſe unionem, non tantùm affectivam, ſed inſuper realem alteram, ſubſtantialemque carnis puriſſimæ Chriſti Domini cum carne fidelium, qui dignè illum recipiunt. Quoniam tamen ejuſmodi unio phyſica quomodocumque explicetur, diuturna concipi ægrè poteſt, ſiquidem ſpeciebus deſtructis, confeſtim deſinit ibi Corpus Chriſti Domini, idcirco adjungunt aliam moralem, ſive myſti-

ſticam ex prima illa reali ſubortam , vel potiùs addunt perſeverantiam moralem ejuſdem , illa phyſica deſinente . Ut id facilius , & luculentiùs exprimant , comparant nexum illum phyſicum probè communicantis cum carne Chriſti Domini conjunctioni , quæ inter conjuges exiſtit . Ita ſanè , ut præcedant ſponſalia per fidem in Baptiſmo ſuſceptam : Matrimonium ineatur , fiatque ratum per charitatem mutuam ; conſumatum verò per Euchariſtiam , ut philoſophatur P. Vaſquez diſp. 204. cap. 4. . Sicut autem ex Matrimonio , præſertim jam conſumato , reſultat moralis unio inter conjuges pluſquam affectiva , vi cujus dicuntur una caro , etiam dum non utuntur Matrimonio ; *& erunt duo in carne una* , ajebat ſponſus ipſe Chriſtus Dominus Marci 10. & Matth. 19. uti & habetur Geneſ. 2. & ad Epheſ. 5. & vi cujus inſuper novo jure , aut titulo æſtimare debet , & diligere conjux carnem conjugis , ut ſuam : *viri* , inquit Apoſtolus ibi : *debent diligere uxores ſuas , ut corpora ſua . Qui ſuam uxorem diligit , ſeipſum diligit . Nemo unquam carnem ſuam odio habuit , ſed nutrit , & fovet eam , ſicut Chriſtus Eccleſiam .* Prædicta autem unio affert ſecum à fortiori peculiarem quamdam obligationem conjugibus , ſibi mutuò ſubveniendi in omnibus , ut certum eſt . Ita , ejuſmodi eſſe unionem Chriſti Domini cum ſuſcipientibus ipſum (adeoque cum Eccleſia) perſpicuè docet ibidem Apoſtolus , ubi poſtquam adduxerat ex 2. Geneſ. *Propter hoc relinquet homo Patrem , & Matrem ſuam , & adhærebit uxori ſuæ ; & erunt duo in carne una* , immediatè ſubdit : *Sacramentum hoc magnum eſt , ego dico in Chriſto , & in Eccleſia .*

Ex quibus apparet quàm promiſcuè loquantur teſtimonia Sacra de materiali conjugio , & de matrimonio ſpirituali Chriſti Domini cum Sponſa dilecta , per dignam ſui Corporis ſumptionem realem . Quod explicant fusè Patres ex præjactis verbis , maximè Auguſtinus lib. 2. contra Adverſ. leg. & Proph. cap. 9. & S. Ephrem lib. de extremo Judicio . S. Hilarius , Irinęus , Chryſoſtomus , S. Cyril. Jam verò per nexum illum phyſicum declaratum nullo pacto intelligunt ſpeciem aliquam hypoſtatici nexus , ut planum eſt , cum ſit unio Corporis Chriſti immediatè cum corpore communicantis , & non Verbi immediatè formaliter ; & cum unio hypoſtatica nonniſi unicam in individuo naturam humanam copulaverit Verbo Divino . Neque rurſus unionem informativam , cum caro Chriſti Domini nequeat eſſe forma Corporis noſtri , ut extra dubium eſt . Uti nec unionem continuativam , cum oculis pateat , carnem Chriſti Domini non continuari cum noſtra , nec cum illa integrare unum Corpus . Neque tandem eſſe poteſt talis conditionis , ut unum aliquod per ſe compoſitum ſubſtantiale , aut ſuppoſitum conſtituat , & nihilominus unionem veram phyſicam , ſubſtantialem , corporalemque , ad inſtar cibi nutrientis ſubſtantiam aliti , & conjugis cum conjuge , invehunt . Quam tametſi intellectu difficilem ſatis , attamen ex Scripturis , & Sanctis Patribus nuper laudatis ad verbum ferè erutam apertè jactant ; quin neceſſe ſit , altiùs effodere eorum doctrinam , ut appareat pretioſa hæc unio , non tam in imo , quàm in ſummo , vix latens .

Nu. 13. Primam hujus opinionis partem, ~~ex qua legitimè deſcendit ſecunda , ſubindeque utramque per modum unius~~ , accerrimè tutati fuere doctiſſimi viri ; ſpeciatim verò efferbuit controverſia hæc in Hiſpania , duce Cardinale Mendoza Burgenſi Antiſtite , priùs in concione habita ad Populum , & deinde in libro , unionem illam ex integro ſpirante , & ſuadente , eo quod doctrinâ illius è ſuggeſtu prolatâ in duram quorumdam ſapientium notam offendiſſe reſciret . Eidem opinioni adhæſere firmiter Card. Alanus lib. 1. de Sacram. Euchar. Card. Turrecremata in cap. 82. de conſecrat. diſt. 2. Roffenſis lib. 4. contra Œcolampadium , Turrianus lib. 1. de Euchar. Claudius Saintes , Ruardus , Taper , Theologi Concilii Moguntini de Sacra Euchar. cap. de effectu , Clictovæus lib. 2. contra Œcolampadium , Salmeron tom. 4. tract. 26. Cornelius Janſenius Concord. Evangel. cap. 59. & alii , quos latè refert , & quoad unionem moralem , aut ſecundam partem , ſequuntur P. Vaſquez diſp. 204. Henriquez , Doctor Eximius , Cornelius à Lapide , Granados , Bernal , Cardinalis de Lugo , Rhodes , Henao , Martinonus raptim , & Juniores ſæpiſſimè , quamquam unionem moralem aliunde natam concipiant . Quibus omnibus præluxit Albertus Magnus , ut docet Turrecremata ſupra . Horum veſtigia premit Antonius à Spiritu Sancto in ſuo directorio myſtico trac. 9. diſp. 5. per totam , inducens realem unionem inter Chriſtum Dominum ex integro , & aliquos eximiæ virtutis communicantes : quam explicat per contactum phyſicum vitali ſenſu , & guſtu eorumdem percipiente Chriſti Domini præſentiam . Quam dicit pariter illapſum Chriſti Domini in intellectum , & voluntatem digniſſimè illum recipientis . Verumtamen unio hæc quomodocumque exponatur , tranſit illico , proindeque nequit eſſe illa ſpecialis hujus Sacramenti : *in me manet , & ego in illo .*

Deinde ſi unio illa ex parte recipientis ſita ſit in vitali perceptione præſentiæ Salvatoris ; hæc erit purè affectiva per intellectum , & voluntatem , ad modum unionis animæ cum Deo ut intimè ſibi præſenti pro hoc ſtatu . Si præſupponatur ad actus vitales , inexplicata remanet præfata unio ſubſtantialis , ſubjacetque mox dicendis adverſùs ſimilem unionem univerſim , ut ab aliis Doctoribus nuper laudatis intentam . Cæterum quamplures ex laudatis ita ſubſcribunt prædictæ opinioni , ut cum Doct. Eximio diſp. 64. ſect. 3. & Card. de Lugo diſp. 12. ſect.

5. unionem illam realem ſubſtantialem planè reſpuant, admittentes duntaxat phyſicam conjunctionem ex propinquitate præſentiarum deſumptam, & contactum utriuſque corporis, mediis ſpeciebus: vel unionem latam continentis, & contenti, quam comparant conjunctioni matrimonii, exindeque reſultantem unionem moralem inſtar illius, quæ inter conjuges, conſumato Matrimonio, ſuboriri concipitur; & ex hac renaſcitur (vel potiùs eadem ſe extendit ad fideles inter ſeſe connectendos) unio fidelium ad invicem, tamquam membrorum illius Corporis, quod copulatur Chriſto Domino ut capiti, ſicuti docuit Apoſt. 1. Corinth. 10. & ex eo Trident. ſeſs. 13. S. Auguſt. tract. 26. in Joann. Damaſcenus lib. de fide cap. 14. S. Cyril. lib. 11. in Joannem. Conveniunt attamen omnes in eo, quod nexus ille moralis neutiquam reſultet, niſi ſimul cum reali conjunctione concurrat unio ſpiritualis, & affectiva, juxta doctrinam orthodoxam; alioqui indignè communicans copularetur Chriſto Domino moraliter, abſente etiam ipſo per corruptionem ſpecierum; quod aſſeruiſſe nefas eſſet, cum per ſacrilegam communionem novo, & horrendo titulo à Chriſto Domino moraliter ſeparetur æquè, ac affectivè.

Unde accuratè obſervandum, quòd licet ſit certiſſimum illud Pauli 1. Corint. 6. *An neſcitis quod qui adhæret meretrici, unum Corpus efficitur cum ea?* Nihilominus, qui ſuſcipit Corpus Chriſti Domini indignè, nequaquam efficitur unum Corpus cum ipſo: quia ut appoſitè notat P. Vaſquez ſupra, in acceſſu ad meretricem reperitur mutua utrimque affectio, amorque reciprocus per ſe; non ſic autem in ſumptione ſacrilega Euchariſtiæ, quam horret, etiam dum tolerat, & ſilet, Chriſtus Dominus, & quam etiam averſatur, qui prava ea diſpoſitione ipſum trahit in hoſpitium hoſtile. Uti & conſpirant in eo, quod deperdita, poſt Euchariſtiæ ſumptionem ritè factam, gratia per culpam læthalem, diſſolvatur eo ipſo vinculum illud inter Chriſtum Dominum, & fidelem; quantumvis aliter contingat in vinculo carnalis conjugii, cum ſimilitudinaria comparatio non debeat penes omnia generatim tenere. Siquidem ad perſiſtentiam vinculi Matrimonii, adeoque unionis moralis, ſufficit prima contrahentium mutua voluntas, conſummato deinceps Matrimonio, quia eo ipſo contractus naturalis perfectus irrevocabilis ſit. Præter quam quod violata per adulterium fide thori, etiamſi remaneat vinculum, laxatur nihilominus in ordine ad effectus, tum quo ad thori ſeparationem: tum quo ad alia officia, alioqui debita; nexus autem moralis duorum, vel inducens, vel permittens perpetuam ſeparationem ſubire poteſt vinculi legem (ſæpiſſimè duram) ægrè tamen involvere ſtrictæ unionis veram naturam, aut notam, poteſtque dici obligatio, potiùs quàm unio.

Num. 14. Hic opinandi modus, quà importat realem ſubſtantialem unionem inter carnem Chriſti Domini, & carnem dignè accedentis ad menſam cœleſtem, & eſt improbabilis, & importunus. Eſt improbabilis, quia ut ait Eximius Suarez tom. 3. in 3. p. diſp. 64. ſect. 3. *Hæc ſententia multis Theologis viſa eſt improbabilis, & aliena, à dignitate, & majeſtate hujus Sacramenti.* Et infra oppoſitam exiſtimat omnino certam. Et ibidem loquens de præfata corporali unione, ut ab ejus Authoribus frequenter expoſita, per diffuſionem videlicet illius in alias etiam corporis partes, adjungit; *hæc cogitatio, non ſolum improbabilis, & abſurda eſt, ſed etiam plusquam temeraria.* Profectò impoſſibile in Philoſophia eſt, admittere unionem ſubſtantialem phyſicam inter duo extrema, quin reſultet unum per ſe compoſitum, aut ſuppoſitum, vel in natura, vel unum per ſe integraliter, vel ſaltem unum per continuationem, ut ſit ex aqua immixta aquæ, aut ex cera liquefacta cum alia pariter liquefacta (tametſi ea comparatione utatur S. Cyrillus, infra referendus, in alio ſenſu). Neque unum per converſionem; nec tandem unum per nexum cauſæ interdum cum effectu; cum nihil in carne noſtra producat caro Chriſti Domini, dum hoſpitatur apud illam, ſed in anima tantùm. Immo nec adhùc eſſe poſſet vera immediata, & formalis unio accidentaria, cum non agnoſcatur in ſimili à Philoſophia. Quæ omnia ſolidiſſimè oſtendit Doct. Eximius, conſulendus ſupra, uti & Salmanticenſes tract. 23. diſp. 10. dub. 1. §. 3.

Eſt importunus, quoniam, licet permittatur, nulla ratione eſſe valet potiſſimus Euchariſtiæ effectus unio illa: quandoquidem non perſiſtit phyſicè, niſi brevi illo tempore, quo perſeverant intra ſtomachum incorruptæ ſpecies; gratia autem phyſicè perſeverat, ex ſe quidem in æternum. Unio illa neutiquam ſanctificat, ſecus verò gratia habitualis. Quare, & ſi cum Amalario ſomniare velint illud: *Domini eſt, Corpus ſuum per artus, & venas diffundere in vitam æternam.* Vel illud ejuſdem: *non eſt mihi diſputandum, utrum inviſibiliter adſumatur in Cœlum* (Corpus Chriſti Domini) *an reſervetur in corpore noſtro uſque in diem ſepulturæ.* Semper attamen eſſet conjunctio purè materialis cum corpore noſtro; & rurſus numquam ex ſe perpetua, cum ſaltem morte finiretur (quod non contingeret, ſi foret unio animæ Chriſti Domini cum noſtra præcipuè, licet ſimul cum corde). Rurſus unum corpus animatum nequit aſſumere propriè aliud ad ſe repræſentandum per ejus operationes, ut notum ex Theologia communi eſt; adeoque illa conjunctio nequit per ſe immediatè intendere unionem perfectiſſimam transformationis. Semper igitur eſſet æſtimabilior unione illa gratia, ac ſubinde nequit non eſſe primo loco intenta, comparata cum prædicta unione.

Jam vero, ſi realis ſubſtantialis nnio, corporea, eſt improbabilis, & impoſſibilis; ejus moralis perſeverantia improbabilis, & plane impoſſibilis prorſus eſt, quidquid ſit de unione morali ex aliis titulis proveniens. Inſuper hac via ſalvari nequit immanentia Chriſti Domini in nobis, promiſſa Joan. 6. quin eadem vi hæretici illi, qul ſolam præſentiam realem corporis, & ſanguinis agnoverunt in Cœna noviſſima, inſurgerent dicentes, adeſſe modo tantum in altari præſentiam moralem Chriſtl Domini, quia perſeverat moraliter iu Hoſtia, & Calice, ſemel ac conſecrentur, præſentia illa quæ fuit realis in Cœna. Vel ſaltem dicerent, in altari non eſſe præſentiam phyſicam permanentem. Tertio: actum eſſet de argumento Patrum adverſus Arrianos, inferente ex phyſica unione permanente Chriſti D., cum digne accedente ad Euchariſtiam conſubſtantialitatem Filii, & Patris; quia nec unio cito abiens aut volans in ſenſu reali arguere poteſt conſubſtantialitatem, ut planum eſt; ne moralis perſeverantia arguit alind quidquam, quam id ipſum, quod Arriani ex eodem fonte eruebant. Quarto, quia ſemper eſſet gratia ſanctificans dignior effectus nexu pure morali. Quinto quia ad hoc ut reſultet unio moralis, opus non eſt unione phyſica ſubſtantiali aliquandiù exiſtente, quia ſufficit conjunctio realis Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus cum dignè ſuſcipiente illud, & intra pectus fovente, ut opinantur reliqui; quantumvis non ſit ille verus modus unlonis apud ipſos, & multò minùs ſubſtantialis. Si reponas iterum, nexum moraliter perſeverantem fore perfectiorem, quo perfectior eſſet phyſicus, cum illemet ſit, qui perſeverat. Impertinenter etiam ad rem præſentem inſiſtis: ſiquidem unio illa, quæ à te adſtruitur, quomodocumque nobilitetur, & exponatur, non eſt, juxta ipſa tua principia, dignior (proportione ſervata) aut verior ea, quæ reſultat inter conjuges ex conſumato Matrimonio; & aliunde hanc ipſam invebunt cæteri Theologi. Perperam igitur inſudatur in nexu morali, hoc, vel illo nomine, aut conceptu, inſigniendo; cum utrobique non aliter concipiatur, quam per comparationem ad mutuam conjugum unionem, de qua non ambigitur, nec diſſeritur; omneſque in eumdem gradum moralis vinculi conſpirant. Quamobrem, ut animadvertit Doct. Eximius, non de re, ſed de puro nomine diſceptatur, ſemel ac certum ſit, Patronos hujuſce opinionls nullam aliam affectare unionem, præter illam, quæ in eſu cœleſtis panis (uti & alterius cibi) in fundum ſtomachi deſcendentis conſiſtit; in hac autem conſentiunt omues, fide ſancta jubente, & illuminante. Unde quòd illa dicenda ſit hujus, vel illius indolis, vel nullatenus ſtricta unio, ſed conjunctio realis ex ſumma propinquitate utriuſque carnis coaleſcens, quæſtio eſt purè philoſophica, & intra illam de nuda voce, reipſa, & eo titulo inepta.

Importuna quoque non ſolùm ob conſimiles reflexiones, ſed ulterius, quia, quamquam non vocalis, ſed de re undique foret quæſtio, & licet victrix ſupponatur in ea ipſorum opinio, aut unio; nihil amplius per illam obtinetur, quam quod ultrò fatetur, opinaturque ſententia, nexum ſubſtantialem repellens: cum omnia ea quæ per unionem ſubſtantialem moraliter perſeverantem iutendit opinio adverſa, colligat hæc ex unione morali inducta abſque eo quod præcedere phyſicè debeat unio ſubſtantialis, ſed mera conjunctio phyſica; quoniam utrobique ſequitur eadem obligatio ex prædicta unione ſuborta, vel iu eadem ſita. Neque poteris, niſi deſerendo turpiter comparationem à teipſo inſtitutam, augere jus illud conjugii, aut minuere; quin eadem ratione, vel laxiùs, vel arctiùs ſtringas nodum amoris, per comparationem ad ipſum à communi etiam opinione declaratum. Quo jure namque reſultabit diſpar unio, ubi vincula nectuntur eodem modo, eadem manu, & eodem amoris ductu?

Num. 15. Quoniam verò nonnulli ex Adverſariis ſuboſcurè locuti, interdum indicare videantur, aut producere unionem aliam diſtinctam ab ea phyſica, quam ſitam eſſe credunt reliqui ipſorum in conjunctione reali carnis Chriſti Domini cum noſtra, illam ritè ſuſcipiente; opere pretium erit eam obiter confutare ex eodem Doct. Eximio, uti & ex Vaſquez (quamvis hic potiùs ſupponat, unionem hanc mox removendam, eſſe abſurdum illatum ab expugnatoribus præſentis opinionis, ut eam infamarent, quàm doctrinam quorumdam ex defenſoribus). Eximius verò Doctor ex aliorum notitia, & veluti ex fama, eam opinionem affigit Cardinali Mendoza, cujus librum videre non potuit. Etenim vel ulterior illa unio corporalis, quam dicis ſubſtantialem, & diſtinctam à conjunctione phyſica communicantis cum Corpore Chriſti Domiui, intercedit ſolùm, ubi ſunt ſpecies conſecratæ coutinentes realiter Chriſtum Dominum, vel per omnes partes corporis ſuſcipientis ipſum ſeſe diffundit, ut opinatum fuiſſe prædictum Cardinalem, fertur? Primum affert ſecum difficultatem implicatiſſimam; quoniam ſi in principio motus, vel in tranſitu produci debeat ea unio ſubſtantialis, ut de effectu Euchariſtiæ opinantur probabiliter Doct. Eximius, Vaſq. & plures alii; vel durat ſolùm eo exiguo tempore, quo incedit illac Hoſtia Sacra; & hæc durationis brevitas inſtantanea argueret parùm æſtimabilem prædictam unlonem, alienamque à dignitate potiſſimi Euchariſtiæ effectus; & rurſus cum illa debeat perſeverare moraliter apud ejuſmodi Theologos, adeſſet ſimul toto tempore, quo deinceps durant ſpecies incorruptæ, unio purè moralis carnis Chriſti Domini cum carne illum recipientis, & exiſtentia realis ipſius carnis Chriſti Domini,

ſub ſpeciebus intra corpus communicantis; quod repugnat menti & verbis eorumdem, miniſtraretque arma Hæreticis contra præſentiam realem ipſam Chriſti Domini ſub ſpeciebus. Si perſeverat trauſeunte Hoſtia, aderit in eo loco, ubi permanet, realiter uuitus Chriſtus Dominus gutturi, ſuſcipientis, exempli cauſa, & non ſub ſpeciebus, cum illæ deſcenderiut, conſequenter, vel circumſcriptivè, vel quaſi Sacramentaliter extra ſpecies; utrumque autem diſſonum eſt apertè. Vel replicarentur ſpecies, itaut & abirent; & remanerent ſimul; quod miraculum voluntariè fingitur. Præterea, quòd nequeat producere ſuum effectum primarium Euchariſtia, niſi replicando etiam divinitus ſpecies conſecratas, alienum eſt ab omni prudenti credulitate, & veriſimilitudine; maximè cum adeo vicinus ſit terminus, in quo poſſet ipſum elicere; quautumvis inducas amantem divinum impatientem moræ.

Num. 16. Verùm ponamus, Euchariſtiam cauſare effectum illum in termino ipſo motus, profecto (& oppugnat etiam eumdem effectum, in quacumque parte productum) unio ſubſtantialis producta, illico ac ſpecies metam illam pertingant, eſſe non poteſt primarius effectus Euchariſtiæ. Siquidem effectus ille exponendus eſt juxta Concilia Florentinum, Tridentinumque, & juxta verba Chriſti Domini per ordinem ad effectum materialem cibi nutrientis Corpus; & aliunde cibus materialis neutiquam unitur ſubſtantialiter alito, donec per deſtructionem formæ propriæ, ſubjectique converſionem, tranſeat iu ſubſtantiam aliti, formam illius recipientis. Ergo ſi unio illa ſit effectus principalis Euchariſtiæ nutrientis animam, nonniſi poſt deſtructionem ſpecierum inducere valet eam uuionem; tunc autem jam non adeſt ibi Sacramentaliter Caro Chriſti Domini, quæ uniatur realiter cum carne illius, à quo fuit ſanctè ſuſceptus. Neque diſcurſus hic evincit id ipſum de productione gratiæ habitualis, aliorumque effectuum accidentalium ſecundi ordinis; quoniam hos, aut ſimiles producit cibus etiam, priuſquam tranſeat in ſubſtantiam aliti, confortat enim, delectatque.

Si dixeris anticipationem illam eſſe miraculum, ſeu potiùs illius effectum, ac proinde ſervare ipſam non debere leges naturæ, aut moras innectere; non ſatisfacies, quoniam, juxta principia fidei, ſervanda eſt proportio in eo potiſſimùm, quod effectus prçcipuè ab Euchariſtia intentus, & cauſatus, exhibeatur per modum cibi ſpiritualiter nutrientis (etiamſi in reliquis non omnino debeat reſpondere ſimilitudo); & aliunde miraculum, licet efficeret unionem ſubſtantialem, neutiquam faceret, quod illa per nutritionem comparata foret, ſive ad inſtar nutritionis materialis per ordinem, ad quam eam fides exponit. Quemadmodum, ſi perſiſtente cibo corporali in propria ſpecie, & forma, dum videlicet primò attingit ſtomachum, divinitus fieret converſio illius in formam viventis; præfata unio nunquam foret per nutritionem acquiſita, adeoque nec proprius mauducationis effectus; quoniam ad illud miraculum patrandum, & effectum producendum, idem eſt, quòd eſca ſit in ſtomacho, vel in diſco. Verum equidem eſt, diſcurſum factum probare eadem vi contra omues effectus primarios frequentiſſimè ab Scholaſticis productos; cæterum eo etiam nomine arridet nobis, cum omnem alium excludat aſſertio uoſtra, prçter illum ab eadem ſtabiliendum, qui ſubſequitur deſtructionem realem ſpecierum. Aliter 2. quoniam unio ſtomachi cum Carne Chriſti Domini exerceri nequit, niſi mediis accidentibus Euchariſticis, cum fieri debeat cum ipſa quà Sacramentaliter exiſtente, apud eam opinionem; unio autem ejuſmodi eſt planè remota, mediata, & nulla ratione ſubſtantialis; eſtque re ipſa, & ſublatis nominibus, ipſa conjunctio realis intima ex propinquitate utriuſque reſultans, aut conſtituta, & uibil aliud. Tertiò: quia ſi infirmus, Viatico ſuſcepto, finiret vitam, priuſquam deſcendiſſet Hoſtia ſacra in fundum, non perciperet fructum potiſſimum Euchariſtiæ abituruſque ex hoc mundo, tametſi Viatico ritè munitus, non dimitteret animam effectu Viatici munitam, ſed nudam, imparatam, & ſolam.

Num. 17. Qui præferat ſecundum extremum ſuperioris dilemmatis, inveniet ipſum abſurdis irretitum: quoniam vel ſimul cum Carne Chriſti Domiui & cum ea unione, partes omnes Corporis communicantis pervadente, diffuuduntur pariter ſpecies conſecratæ, vel remanent iutra ſtomachum duntaxat? Si aſſereres illud primum doctriuam temerariam proferres, aberrantemque à ſenſu totius Eccleſiæ, ut docuit ea ſect. 3. Doct. Eximius: & quia neceſſe foret multiplicare miracula replicationis ſpecierum propè in infinitum, abſque profectu ullo; eum quidquid parturire poſſet utilitatis prædicta unio ſubſtantialis æque proveniret à Chriſto Domino exiſtente ſub ſpeciebus unicè in ſtomacho. Rurſus Hoſtia ſacra, ut inſtar cibi nutriat, deferri debet vitali motu à cibato in ſinum, & officinam deſtinatam, ex qua nutrire valeat ipſum; alioqui non foret vera comeſtio, ſed emortua cibi introductio; per totum autem Corpus non poteſt homo Hoſtiam propria virtute diffundere, & penetrare vitali motu; nec adhuc, licet divinitus id faciat, membra reliqua, aut loca præter ſtomachum, apta ſunt ad nutritiouem primò efficiendam; adeoque non cauſaret effectum proprium ex illis ad inſtar cibi nutrientis. Unde Sacerdos conſumens ſe haberet potiùs inſtar ſpongiæ imbutæ circumquaque ſanguine hauſto. Quamvis enim facta ſemel digeſtione diſtribuatur per omnes partes alimentum, diffundaturque ſenſim per omnia membra, quæ alit; cibus tamen ad hunc ipſum finem aſſe-

aſſequendum ſiſtere debet in determinato loco, & ſinu, nec per alias partes excurrit, donec cibus qui erat, formaliter eſſe deſinat. Qui extremum aliud præeligeret turpiùs adhuc aberraret: tum quia nulla realis unio cum Corpore Chriſti Domini Sacramentaliter exiſtente eſſe valet, ubi Chriſtus Dominus ipſe non adeſt realiter ſub ſpeciebus; tum quia ubi exiſtit ea unio, exiſtit neceſſariò præſens utrumque illius extremum. Deindè, ſi exiſtit Chriſtus Dominus in brachio, verbi cauſa, quin exiſtat, prout eſt ibi, ſacramentaliter ſub ſpeciebus: vel adeſt ibi præſens circumſcriptivè; vel ſacramentaliter, etiamſi non velatus accidentibus. Et aliunde utrumque abſonum eſſe, vel ruſticus judicaret.

Hinc colliges, verba S. Hilarii, Chryſoſt., Cyril. Alexandr., & aliorum Patrum, quæ Carnis puriſſimæ Chriſti Domini cum noſtra mixtionem per Euchariſtiam exprimunt, nihil prorſus aliud ſignificare in ea acceptione materiali, quàm conjunctionem realem cibi cum manducante, incluſionemque intimam illius intra ſinum manducantis. Cæterum in ſenſu alio, aut acceptione, nexum proculdubio altioris ordinis, animæ ſcilicet Chriſti Domini cum anima, & carne noſtra denotant, intendunt; & interdum demoſtrant; de quo fuſiſſimè diſſerendum nobis in ſequentibus, ubi luculenta ſatis Patrum auctoritate fulciti, etiamſi videamur ſentire, & opinari noviter; nequaquam tamen audenter.

Num. 18. Diſcutienda modò ſupereſt, & expugnanda ſimul, unio illa moralis reſultans ex pura conjunctione materiali, quæ ſubſtantialis nullo pacto ſit, ab Scholaſticis ſupra recenſitis inventa, aut excogitata per analogiam ad nexum reſultantem inter Conjuges ex contracti matrimonii conſummatione. Sanè: illa, nec adhuc per metaphoram appellari valet unio conjugalis perſeverans, niſi cadendo à proprietate omnimoda (aut de voce contendis): cum unio reſultans ex conjugio ſit vinculum perpetuum; quæ verò reſultare fingitur ex perceptione Sacramenti, avolat ſæpiſſimè (unà cum gratia) per culpam gravem per eaſdem regiones imaginarias, per quas veniſſe cogitatur, & dum perſiſtit, eſt purè affectiva, aut amoris (quæ etiam inter nondum conjugatos reperitur). Hæc autem reipſa recurrit planè cum unione, & doctrina primæ opinionis, quin ab illa diſcrepet, niſi vocibus. Secundo: jura alia, quibus viciſſim ſibi obſtringuntur mutuò conjuges, & viciſſim ligantur, mutuumque jus in corpora etiam, nullo pacto inveniuntur in hoc ſpirituali conjugio, cum nec teneantur, qui Euchariſtiam ſuſcipiunt, iterum eam ſumere (quamquam plus quàm conſultiſſimum ſit) donec ſemel in anno præceptum urgeat; & longè minùs ad cohabitandum ſimul obligantur. Neque ad præſtanda mutua obſequia eo ſpeciatim titulo obligentur: uti nec ad rem familiarem mutuis officiis procurandam: nec ad alendum conjugem inopem. Cum hæc omnia, & id genus, alia premant conjuges in conjugio carnali: neutiquam verò, adhuc per translationem proportionatam, in hoc ſpirituali Matrimonio locum habere poſſunt aliquem; maximè ex parte communicantis; nam hic ad nihil determinatè efficiendum in particulari tenetur lege aliqua, eo præcisè nomine, quòd Euchariſtiam ſuſceperit, niſi ad gratiarum actionem poſt ſumptionem; hanc verò ex doctrina Patrum, ex nobilitate Hoſpitis, & jure gratitudinis. Soluſque Sponſus ſeipſum voluntaria promiſſione ligare voluit ad opportuna auxilia (uti ut in aliis Sacramentis) ultra augmentum gratiæ ſanctificantis, conferenda avidè ipſum recipienti. Cum igitur ex ea conſummatione ſpiritualis conjugii nulla per ſe obligatio reſultet in communicante, niſi titulo communi gratitudinis (qui creſcit juxta incrementum beneficii); in Chriſto Domino autem ſolùm ex pacto voluntariè in ipſa inſtitutione inito, quantumvis dignitati Sacramenti valde conſentaneo, naſcitur obligatio largiendi gratias actuales opportunè diſtribuendas; quid commune habet nexus hic moralis, quem invehis, cum mutuo conjugum unionis vinculo in ſenſu aliquo proprio? Maximè cum obligationem conferendi auxilium, & gratias, quarum meminimus, noſcant in Chriſto Domino in Euchariſtia devotè ſuſcepto Theologi omnes, etiam illi, qui ſententiam hanc nobiſcum rejiciunt, & præfatam unionem reſpuunt. Cum ergo nihil adducat opinio hæc de re, quod omnes non profiteantur, ſatis efficaciter colligitur inde, de ſolo nomine controverti, dum illud ipſum dicendum fore veram ſingularem unionem moralem, contendunt, qui huic opinioni adſtipulantur.

Non propterea tamen dicimus, non eſſe pulchram locutionem metaphoricam, & valde opportunam illam, quæ appellat Sponſum Chriſtum Dominum in Euchariſtia; cum ad hunc ſufficiat realis illa conjunctio amoris, & unio affectiva. Sed contendimus ſolùm, ex hoc ſpirituali conjugio neutiquam reſultare eam unionem moralem, quæ reſultat ex carnali, cum illa ſit potiùs onus, quàm vinculum ex mutuo amoris comercio natum. Si in ſubſidium accerſas laudatos ſupra Eccleſiæ Patres ſect. 3. latè referendos, quaſi amplius aliquid, & ſanè magni momenti innuentes in linea ipſa unionis; dummodo illud non deſignes; relabitur neceſſariò opinio tua in primam illam communem, cui nihil ſuperaddit, niſi Metaphoram laxiſſimam unionis moralis, & minùs propriam, qua ipſum explicet, aut quæſtionem vocaliter obſtrepentem, in ſubſtantia tamen cum primo loco expugnata concordantem. Quoniam verò abſolutè putamus, Patres allegatos, uti & producendos, magnum aliquid in eadem ratione, abditiſſimamque aliam unionem intendiſſe, & inſinuaſ-

ſinuaſſe ; idcirco nexum realem longè diverſum, mirabilioremque longè, productura eſt aſſertio noſtra, eorumdem teſtimoniis firmanda, quia illa eſt, quam adumbrarunt, admirationibuſque proſecuti fuerunt. Beneficio cujus, non jam vinculo ſolùm conjugii, ſed altiori intimoque magis, comparandus eſt nexus ſuſcipientis Euchariſtiam cum anima Chriſti Domini, & hæc eſt unio, præſentis Diſputationis teſſera, animarumque fœlicitas ſumma. Quamobrem, licet ultra unionem affectivam nulla alia moralis unio reſultet, quæ comparari jure poſſit cum unione, aut vinculo reſultante ex Matrimonio; ſuboritur attamen alia unio phyſica, quæ conferatur cum nexu conjugali ſub alia ratione, quatenus nimirum per matrimonium conſummatum exiſtunt duo in carne una. Quod ſpirituali, altiori, veriorique modo reperitur in hac unione, per quam anima Chriſti Domini, & anima ſanctè communicantis concurrunt, & permanent intra idem Corpus. Quæ idcirco eatenus duntaxat à rigore comparationis propriæ deficere valet, quatenus exorbitat, & per exceſſum ſummum ſuperat aliam.

Num. 19. Refellitur ſecundò, ea unio moralis, omnibus illis, quibus nuper conſimilis alia; & quidem ſtrictior in ea linea, neque enim ſalvat immanentiam veram, nec argumentum Patrum adverſus Arrium; Repellitur deinde, ſi conferatur cum gratia ſanctificante, cujus incrementum cauſat per ſe Euchariſtia legitimè ſuſcepta; eſt enim proculdubio minoris pretii, & inferioris ordinis præfata unio gratia habituali, eum nihil ſuperaddat gratiæ augmento, niſi quod carnem dilectæ ſponſæ, cui fuit conjuncta phyſicè caro Chriſti Domini, reputari debeat ab ipſo ſponſo tanquam propria, & è converſo pariter ex parte ſponſæ. Et aliunde debitum hoc nullam ulteriorem parit obligationem, niſi ex parte ſponſi nuper, curſimque explicatam, conferendi promiſſa in Inſtitutione auxilia actualia. Hæc autem inferiora ſunt apertiſſimè augmento gratiæ ſanctificantis; conſequenterque à fortiori ſequitur, prædictam unionem eſſe nequaquam poſſe primarium Euchariſtiæ effectum, ſed duntaxat ſecundarium, uti adversùs primam opinionem oſtenſum fuit.

Tertiò: unio illa moralis nequit propriè diei effectus Euchariſtiæ; nequidquam ergo per illam exponitur princeps Euchariſtiæ effectus. Patet antecedens: quoniam non differitur de effectu Euchariſtiæ, ut ſic, & præciſivè ab illius ſumptione, ſub qua ratione Impertitur ſolùm effectum in virtute, aut potentia remota; ſed de ipſa, ut per manducationem ſuſcepta, ſumptio autem, ſive manducatio illius imbibit formaliter conjunctionem realem Chriſti Domini cum ſumente, & aliunde hæc ipſa conjunctio phyſica, aut unio, eſt quæ perſeverat moraliter, poſt quam deſinit pyhſicè. Unio autem incluſa formaliter in ſumptione Euchariſtiæ neutiquam eſt effectus activè productus per ſumptionem ipſam, ſive per Chriſtum Dominum, ut realiter manducatum; ſed conſtitutivum formale manducationis ipſius. Quæ omnia promoventur Quartò, & illuſtrantur exemplo alterius conſimilis nexus moralis, aut myſtici, Chriſti Domini videlicet, quà Capitis Eccleſiæ militantis cum membris Eccleſiæ, præſertim quæ actu viva ſunt. Hanc enim eſſe aliquod verum genus unionis myſticæ, aut moralis inter Chriſtum Dominum, & fideles, indubitatum eſt, cum nequeat eſſe caput actu, quin corpori aliquatenus copuletur. Id quod colligitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. *Ipſum decet Caput ſupra omnem Eccleſiam; quæ eſt Corpus ipſius, & plenitudo ejus*. Et ad Coloſſenſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Item ad Epheſ. 4. & alibi ſæpiſſimè. Unde quamvis locutio hæc ſit metaphorica, per ſimilitudinem cum capite purè phyſico Corporis naturalis; illa tamen includit maximam fidei, ut Catholicè fatentur Theologi ex D. Thoma 3. par. qu. 8. & explicat ibi art. 1. Doctor Eximius in Commentario. Modò autem explorare juvat, quid efficiat Caput, Chriſtus Dominus, in Corpus ſuum Myſticum, membraque ſigillatim ipſius, aut quo pacto cum illo connectatur ſufficienter ad hoc, ut appellari, & eſſe jure merito valeat caput verum Corpori Eccleſiæ copulatum, ad inſtar Capitis naturalis cum ſuo Corpore merè phyſico? Doctor Angelicus ea qu. 8. art. 1. id ipſum rogans, & præclariſſimè exponens, ultra primatum ordinis, & perfectionis, qui reperiri debet in capite naturali reſpectu corporis phyſici; quique invenitur ſublimiùs in Chriſto Domino reſpectu ſui corporis myſtici, adeſſe neceſſariò docet in capite naturali (per ordinem ad quod declarandum eſt myſticum) virtutem: *Quia virtus*, inquit, *& motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus eſt à capite, propter vim ſenſitivam, & motivam ibi dominantem*. Deinde accomodans infra influxum, & conditionem, Capiti Corporis myſtici, ſubdit: *Tertiò: virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ. Secundum illud Joan. 1. de plenitudine ejus omnes accepimus. Et ſic patet, quòd Chriſtus convenienter dicatur Eccleſiæ Caput*. Quod perſpicuè expreſſerat Apoſtolus ad Coloſs. 2. dicens: *Non tenes Caput, ex quo Corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conjunctum, creſcit in augmentum Dei*. Declarans influxum hujus Capitis in membra myſtica per ſimilitudinem cum capite nudè phyſico, è quo Spiritus derivantur in totum corpus per juncturas, nervoſque. Influxum autem illum exerceri per gratias actuales, & conjunctionem fieri præcipuè ſpiritualiter per gratiam ſanctificantem, & actu affectivè per actus Charitatis, ad quos excitant gratiæ illæ, à capite divino mirum in modum fluentes, docent in eum locum, & in cap. 4. ad

Epheſ.

Epheſ. Interpretes omnes eum S. Hieronymo, S. Auguſt., Chryſoſt., Theophil., & frequenter Patribus aliis, Ex illo enim capite prodit quidquid ſplendoris, quidquid virtutis fulget in vaſtiſſimo Mundi Orthodoxi Corpore; ideo forſan Caput, ex ſententia Platonis, ſphærieum eſt inſtar orbis, ut natura ipſa præluceret gratiæ, præſiguraretque univerſale eaput myſticum totius eircumquaque mundi ſphæræ.

Num. 20. En tibi myſtieum, ſeu moralem nexum Chriſti Domini eum ſidelibus, nihil aliud adducentem ſecum, niſi idipſitm, quod prima, & evulgata opinio concedit unioni Chriſti Domini media Euchariſtia eum dignè ipſum manducantibus. Vel ergo unio ab hac tua ſecunda (vel tertia) opinione inducta, & eum unione conjugali collata, importat ulterius aliquid, & intimius, ſive altius unione hac Capitis propria, vel ſecus? Si hoc ſecundum, eoincidis ex integro eum prima rejecta opinione, quin ab illa, vel latum unguem, ut ajunt, diſcrepes. Si primum, oſtende nobis, vel indigita ſaltem, quodnam illud vineulum ſit [hactenus à tua ſententia inexplieatum] ut eirea illud diſeutiendum, ſolicitudo, & oratio noſtra verſentur. Præterea Apoſtolus ipſe ad Epheſ. 4. confert Chriſtum Dominum, quà eaput Eecleſiæ Sponſæ, eum viro, quà Mulieris capite: in qua collatione utrumque eaput uſurpatur myſticè, moraliter, & politicè: *Vir*, ait, *eaput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ. ipſe Solvator Corporis ejus*. Ergo dum unio myſtica per Euchariſtiæ ſumptionem introducta deſeribitur per analogiam ad unionem moralem mutuam inter eonjuges poſt uſum Matrimonii; cum aliunde hæc eonſeratur eum nexu myſtieo Chriſti Domini, ut Capitis Eccleſiæ eum ipſa, quæ ſolum denotant influxum per gratiam habitualem, & auxilia, quæ conſitetur, & promovet egregiè prima ſententia; ineluctabili conſecutione deducitur, nexum moralem per opinionem, adversùs quam nunc agimus, intentum, & tantopere ab ipſa decantatum, in nullo differre à producto, & illuſtrato per primam illam, niſi voeibus tantùm per eireuitum vagum, & prolixum, aquam ex eadem vena, eiſdem conductibus, & ad eadem arva trahentibus.

Urgetur: quoniam unio alia moralis immediata inter earnem Chriſti Domini, & noſtram difficillimè concipitur, ſi de re aliquid in viſceribus continere debeat; non enim reſultat in eorpore nuſtro jus aliquod, aut poteſtas in earnem Chriſti Domini, aut ſanguinem, ſive in eorpus integrum ipſius, quemadmodum reſultat in eonjuge jus in corpus conjugis. Quoniam jus, quod ex benignitate ſumma habemus ad puriſſimum ejus eorpus in altari ſumendum, neutiquam provenit ex prima illius ſumptione; eum ante ipſam poſt regenerationem, ætatemque requiſitam, non ſolùm competat nobis in ipſa inſtitutione radicatum: verùm & eogit nos ſtatis temporibus. Solumque per ſumptionem Euchariſtiæ acquirimus jus ad gratias ſpirituales vi illius digno conferendas. Quare S. Auguſt. tract. 26. in Joan. poſt medium, unionem veram myſticam carnis noſtræ eum carne puriſſima Chriſti Domini per Euchariſtiam comparata, non aliter exponit, quàm per nexum myſticum membrorum eum ſuo myſtieo capite; quod fieri media gratia ſanctificante, ejuſque augmento ſpiritualiter, & affectivè per Charitatis actum, docet, expendens verba illa Pauli. *Unus panis, unum Corpus*. Ait enim: *qui vult vivere habet ubi vivat, habet unde vivat, aſcendat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhoreat à compage membrorum .... Hæreat eorpori vivat Deo de Deo*. Et tract. 27. non obſcuriùs loquitur, dicens: *hoc Dominum comendaſſe in manducatione carnis ſuæ, & apotatione ſanguinis ſui, ut in illo maneamus, & ipſe in nobis. Manemus autem in illo, eum ſumus membra ejus, ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quid facit niſi Charitas?* Deſinitumque apparet in Tridentino, dum ſeſs. 13. eapit. 2. *Euchariſtiam*, dieir, *eſſe Symbolum unius illius Corporis, eujus ipſe eaput exiſtit, euique nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & Charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit*. Dum igitur inter caput myſticum, & membra non introducas nexum alium phyſieum, præter ſpiritualem, & affectivum inſinuatos, nequidquam laboras in nexu morali diverſo adſtruendo inter Carnem ſanctiſſimam Chriſti Domini, & carnem ſumentis illam, Non quia unio membrorum cum eapite Chriſto Domino, & quidem viva, non exiſtat etiam præciſivè ab Euchariſtia; ſed quia hanc ipſam intimiorem reddit, dum aeriùs conjungit; quin &, juxta noſtram ſententiam, adeo nodum ſtringit, ut ex duobus unum realiter aliquatenus faciat, cum utriuſque animam intra idem Corpus realiter eogat, quod ſolùm efficere potuit, qui omnipotenter amat.

Num. 21. Urgetur alia via: quoniam apud Seholaſtieos pro hac opinione laudatos, eodem vinculo, quo media Euchariſtiæ ſumptione copulantur Chriſto Domino ſideles legitimè ad pabulum amoris accedentes, uniuntur ad invicem: quem effectum apud omnes intendit quoque per ſe Euchariſtia, eiuſque Inſtitutor, qui Joann. 17. dixit: *claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſumus*. Quem loeum de Euchariſtia exponit S. Cyril. lib. 11. in Joann. eap. 17. conſtatque rurſus ex ſignificatione propria Euchariſtiæ; quæ communionem denotat, ut S. Damaſcenus, & communiter Patres, Theologique docent. Idemque expreſſit Apoſtolus 1. Corinth. 10. eum dixit: *Calix benedictionis, eui benedicimus, non ne participatio Corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, unum Corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*.

Cir-

Circa quæ verba conſulendus S. Thomas ibidem. Verùm quo nexu per Euchariſtiam, & virtute illius, unimur ad invicem, juxta Theologos huic opinioni ſubſcribentes? Certè non alio, quam nexu mutuo Charitatis, ut probat Granados controv. 6. tract. 9. diſp. 1. ſect. 10. & ad unum omnes Adverſarii. Id quod elegantiſſimè explicuit Cyprianus, (vel quiſquis eſt Author) in ſerm. de Cœna Dom., uti & Damaſceous, S. Tho., & alii, quos refert in præallegato loco Granados. *Per Euchariſtiæ ſuſceptionem*, inquit Author ſerm. de Cœna Dom. *Capiti noſtro connectimur, & unimur ſinguli, alter alterius membra, miniſterium dilectionis pro invicem exhibentes*. At unio, qua invicem connectimur, quatenus eſt effectus Euchariſtiæ, neceſſariò eſt ejuſdem rationis cum illa, qua copulamur Chriſto Domino in virtute ejuſdem Euchariſtiæ, ſeu neceſſariò eſt idem formaliter nexus, cum ille ipſe, qui formaliter conjungit Chriſtum Dominum, ut caput, nobiſcum, vinciat mediatè formaliter nos ad invicem, ut membra ejuſdem Corporis. Immo licet actus Charitatis, quo diligo proximum, tendat directè, & immediatè in ipſum, ratio tamen formalis hujus dilectionis eſt Chriſtus Dominus ipſe, aut divina bonitas. Ergo unio moralis fidelium cum Carne puriſſima Chriſti Domini ex Euchariſtia naſcens, eſt unio tantùm myſtica Corporis cum capite, itaut, quia eſt omnibus unus panis, ſimus omnes unum Corpus.

Quam illationem innuit S. Damaſcenus 4. de ſide cap. 14. cum ait: *carnem ipſius, & divinitatem percipimus, atque adeo* (quaſi ſubinſerens) *nos inter nos communicamus; atque copulamur*. Hæc dicta ſunt de unione mutua inter fideles, ſuborta ex conjunctione carnis noſtræ per Euchariſtiam cum carne illibata Salvatoris, de qua tantum diſſerunt ſub ea expreſſione producta teſtimonia: ex illa namque nonniſi ſpiritualis nexus, per gratiam, unioque affectiva per Charitatem, & myſtica per utrumque modum cum capite, infertur. Cæterum aliter planè ſentiendum de unione, aut conjunctione immediata, realique carnis noſtræ cum anima ipſius Chriſti Domini ex digna ſumptione ejuſdem relicta; de qua mox latiſſimè diſſerendum nobis. Quam mirabilem unionem credimus Euchariſtiæ gloriam immortalem, effectum præſtantiorem, quantumvis hactenus non ſatis apertè ſeſe prodentem. Cum enim Chriſtus Dominus in hujus ſecreti ineffabilis inventione oſtendere voluiſſet vehementiam infinitam, & artem ſummam ſui amoris erga ſponſam dilectam ſuam, nexum excogitavit, qui in nullius mentem, nec virtutem venire poſſet (ſi ex Scripturis Sacris non emicaret); metas omnes vaſtiſſimæ imaginationis prætergreſſus; debuit ex conſequenti, & decuit ipſum, adeo ſublimem parturire effectum, ut humanæ expectationis excedat modum.

SECTIO SECUNDA:

Præſtantiſſimus omnium, peculiariſque Euchariſtiæ Sacræ effectus, hactenus reconditus, ſive nondum ſatis expreſſus (per ordinem, ad quem exponendus eſt ejus conceptus peculiaris metaphyſicus), eſt unio, aut conjunctio realis animæ Chriſti Domini, (adeoque & Verbi divini) deſtructis jam ſpeciebus, ut motoris aſſumentis, cum dignè communicante, tanquam cum mobili aſſumpto, ut in dies vividiùs repræſentet Deificum motorem. Id quod eruitur ex ſacris literis,

§. I.

Num. 22. PROSILUIT modò in apertum campum jampridem in mente noſtra, velut ignobili loco, nata ſententia, & intra eumdem adulta; quantùm vero illa conſona ſit menti, & doctrinæ illuminatæ Doctorum Eccleſiæ, aliorumque Patrum: quanto fulgore ipſa è Sacræ Scripturæ, præſertim novi teſtamenti, ſinu reſplendens, ſeſe oſtendat, ex nunc affatim producendis apparebit. Quamquam enim ſub his terminis, vel inaudita, vel prorſus ignota videatur; verumtamen, hyperbolica locutione procul amota, omnique ſpecie, ſive arrogantiæ, ſive etiam levitatis ſecluſa, proferre licet, eam hactenus latuiſſe in aperto. Quoniam tamen *Ego vir videns paupertatem meam*, cumque aliunde res tanti momenti ſit, & tam profundæ ſublimitatis, nullatenus in ea ferre ſententiam audeo, ſed peritioribus Theologis ferendam relinquo; non judicem in hac inſigni cauſa, ſed Advocatum ago, quo munere, ut plenè ſungar, illudque fæliciter exequar, communem noſtrum apud Patrem Advocatum (Joann. 1. cap. 2.) per quam demiſsè pronus invoco. Ut diſtinctius autem, & clarius ad eam firmiter ſtabiliendam deſcendamus, ſupponimus ex vulgata Theologia, non ſufficere ad ſtrictam aſſumptionem unionem motoris cum corpore aſſumpto, ſed requiri neceſſariò unionem cum illo, ut repræſentativo (vel repræſentaturo) ipſius motoris; defectu cujus Cœlum motum ab Angelo nequaquam eſt aſſumptum ab illo, quia non utitur ipſo ad manifeſtandas proprietates naturæ ſuæ, vel ſuppoſiti moventis indolem, [aut alterius Perſonam]. Uti nec Propheta raptus ab Angelo, & in Babiloniam perductus in *impetu ſpiritus* ſui, Daniel 14.. Unde S. Thomas 1. par. qu. 51. art. 2. ad ſecundum inquit: *Quòd corpus aſſumptum unitur Angelo, non quidem ut formę, neque ſolùm ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum. Sicut enim à Sacra Scriptura pro-*

prie-

Google

prietates rerum intelligibilium deſcribuntur; ita corpora ſenſibilia divina virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc eſt Angelum aſſumere corpus.

Suppono ſecundo, animam ſeparatam aſſumere poſſe corpus, & ſæpiſſimè illud aſſumpſiſſe Beatorum animas fidelibus apparentes, & earum opem enixè implorantibus: uti & animas in Purgatorio detentas. Nam quamvis ſub lite ſit, num id propria virtute, naturaliterque, fieri valeat ab anima ſeparata, vel divina ſolum: cum primum illud efficaciſſimè probet Doct. Subtilis in 4. diſt. 49. quæſt. 14. & Scotiſtæ paſſim Capreolus in 4. diſtinct. 50. Abulenſis, Mæratius, Conimbricenſes, Martinus Delrius, lib. 2. diſqu. Magic. quæſt. 26. ſect. 2. Rhodes, Quiros, & alii; præſertim ſi corpora ab Angelis, vel à Deo formentur. Secundum autem docere videntur S. Thomas 1. part. q. 110. Doct. Eximius tom. 2. in 3. par. diſput. 32. ſect. 2. Bubalus, Mezguer &c; nullus attamen dubitat, animas ſeparatas corpora aſſumere, ~~ſive fiat propria, & naturali, ſive divina tantum virtute~~, idque frequenter contigiſſe (quin & compertum eſt, Beatorum animas, ex ſuppoſitione ſtatus glorioſi, poſſe virtute propria corpora aſſumere). Quare S. Thomas 3. par. q. 45. art. 3. ad ſecundum; diſputans de corpore, in quo apparuit Moyſes in Monte Thabor, inquit: *Quod non eſt ſic intelligendum, quaſi anima Moyſis ſuum corpus reſumpſerit; ſed quod anima ejus apparuit per aliquod corpus aſſumptum, ſicut Angeli apparent.* Et tamen eo tempore nondum erat Glorioſa Moyſis anima, quantumvis alioqui ſanctiſſima, & raritati privilegiorum aſſueta. Quam ſententiam amplectuntur frequentiſſimè Scholaſtici maximè Thomiſtæ, & Interpretes, Lyra, Abulenſis, Salmeron, Barradas; etiamſi plures ex S. Hieronymo, ut Doct. Eximius, Sotus, & Tyræus, in corpore proprio reaſſumpto Moyſen apparuiſſe, credant; non quia non poſſet, ſaltem divinitus, corpus aëreum, ſive ex materia elementaria condenſatum aſſumere; ſed quia per apparitionem in antiquo proprio corpore ſtrictius verificari putant Evangeliſtæ verba, abſolutè aſſeverantia, Moyſen adſtitiſſe ibi. Cum autem ea doctrina circa animas ſeparatas, modoque glorioſas, citra controverſiam poſita ſit; longè certius eſt, eam virtutem competere animæ Chriſti Domini, vel dum in Triduo extitit poſitivè ſeparata à corpore; vel dum negativè ſeparata concipiatur à proprio corpore; non quia intra illud non exiſtat, aut quia poſſit iterum mori; ſed quatenus ultra connaturalem modum exiſtendi in corpore proprio phyſico, quod informat, ſortiatur divinitus alium exiſtendi modum in corpore myſtico ſuo, quantumvis nunquam illud informando, aut ſubſtantialiter ſub alia ratione, vel ſuppoſiti, vel cujuſvis alterius ſibi intrinſecè copulando; ſed ipſum verè, & propriè aſſumendo, ſive ſumendo ad ſe per unionem motoris cum mobili, ad hoc ut per illud repræſentetur: & quidem ea perfecta ſimilitudine intenta, ut quantum eſt ex parte, & operatione motoris, corpus mobile perveniret ad unionem uſque transformationis, vi cujus adeo ad vivum exprimeretur motor ipſe aſſumens, & movens, ut fortunatiſſimus ille aſſumptus poſſet gloriari cum Apoſtolo ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Chriſtus.* (Niſi quod mobile, utpote liberum ſuæmet fœlicitati reſiſtit nimis frequenter) ita enim aſſiduitate movendi corpus docile inflectit illud, ſibique ſubjicit, & diſpoticè dominatur ipſi, ut intimius, arctiuſque in dies illum dirigens, & illi ſe conjungens, cœleſti quadam metamorphoſi motorem crederes ipſum motum, ſi fides non dictaret eſſe realiter diſtinctum.

Num. 23. Angelum, & ex conſequenti animam fœlicem, qua à corpore ſeparatam, vel alicubi extra illud exiſtentem, non modo poſſe aſſumere per ſe corpus aëreum, aut ex elementaria materia formatum, verum & corpus humanum vivens actu, omnino tenendum eſt; licet de facto id frequenter non contingat, neque expediat: quoniam ægrè poteſt motor repræſentari per mobile ſeipſum libere ab intrinſeco movens, ſiquidem eo ipſo ejus operationes, adhuc illæ, quæ provenire poſſent à motore aſſumente, ab interno potius, & naturali principio elicitæ crederentur, (uti & quia poteſt liberè ductum motoris non ſequi, ni ab illo cogatur) *Non enim aſſumuntur*, inquit S. Thomas qu. 51. art. 2. ad 1. *niſi ut per proprietates hominis, & operationes, ſpirituales proprietates Angelorum, & eorum ſpiritualia opera deſignentur. Quod non ita congruè fieret, ſi veros homines aſſumerent; quia proprietates eorum ducerent in ipſos homines, non in Angelos.* Ubi manifeſte præſupponere videtur, id fieri poſſe ſimpliciter, licet non ita congruè fiat, ut animadvertit Doctiſſimus Guilielmus Eſtius in 2. diſt. 8. §. 7. Idque comprobatur exemplo Energumenorum, quorum corpora aſſumunt pravi Angeli; quantumvis enim proprietates, & operationes proprias per corpora illa repræſentare non intendant, eaque ratione ingreſſus ille cadat à conceptu proprio aſſumptionis; cujus eſt prædicatum eſſentiale ea repræſentatio intenta, ſitque propterea potius intimè aſſiſtens, poſſidens, & penetrans; poteſt nihilominus per aliquas aſſumpti operationes, proprietates, & operationes aſſumentis interdum explicare. Poſſet autem idem efficacius, & ſtrictius aſſequi bonus Angelus, ſi corpus vivum aſſumeret: cum omnino compertum videatur, ipſum juvandum fore ſpecialiter à Deo (ut Miniſter cujus operaretur), ſi quidquam ejus virtuti deeſſet, quoad aliquam circumſtantiam, ad eam repræſentationem extorquendam.

Ita colligitur ex D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 10. ex S. Cyril. & aliis Patribus, traduntque Theologi complures, Eſtius ubi ſupra, Molina 1. par. qu. 51. inſignis Theologiæ myſticæ Doctor P. Michael Godinez lib. 6. de Theologia myſtica cap. 15. ubi unionem transformativam exponit per eſſentiam divinam, intimè realiter aſſiſtentem *intimiori, & ſecretiori eſſe ſubſtantiali animæ, tanquam vita ſupernaturalis aſſiſtens in vita informante. Quemadmodum*, proſequitur, *ſi Angelus tanquam forma aſſiſtens, & non informans penetroret ſe, ut ſpiritus ſuperior viribus, cum corpore humano vivo, aut mortuo.* Jacobus Platelius tom. 1. cap. 6. §. 1. n. 320. & ſaltem id fieri poſſe divina virtute, exploratiſſimum eſt omnibus. *Poteſt Angelus*, inquit Platelius, *aſſumere corpus vivum, illud nempe ſubintrando, in eoque exercendo operationes, quę tribui non poſſent ſuppoſito, ad cujus ſpeciem pertinet illud corpus, illudque ita movendo, ac regendo, ut Angelus cenſeatur eo uti tanquam ſuo.* Præterea verbum divinum per unionem hypoſtaticam aſſumpſit corpus animatum, ut ſe ſuaque divina per illius operationes Theandricas ad vivum repręſentaret. Id autem quod reſpectu Angeli, attenta ſolum virtute propria, difficultatem efficere poſset; nullam prorſus vim ſortiri poteſt reſpectu animæ Chriſti Domini. Ratio diſcriminis eſt, quoniam Angelus non eſt cauſa ſimpliciter univerſalis reſpectu corporis aſsumpti, aliorumque, ſed particularis; tametſi interdum, veluti inſtrumenta Dei, operentur, ejuſque Miniſtri, vel quatenus cauſas univerſales modificant, aut movent, ſicuti volvunt Cœlum. Proindeque operationes elicitæ ab Angelo in corpore vivo aſſumpto confunderentur aliquatenus cum operationibus propriis corporis aſsumpti. Cæterum Chriſtus Dominus eſt caput Eccleſiæ cujus illa univerſim eſt corpus myſticum. Eſtque univerſale principium, ut docet Sanctus Thomas 3. p. q. 7. artic. 9. corpore: *Conferebatur ei* (Chriſto Domino) *gratia tanquam cuidam univerſali principio in genere habentium gratiam.* Cauſa autem univerſalis in aliquo genere cohęret optimè cum particulari, itaut univerſalis ultra id quod in illa, aut cum illa agit, poſſit facilius ea uti, cum ſit illi ſubjecta, ad operationes aliquas per illam efficiendas, quæ cauſæ univerſalis naturam oſtendant (ſi fuerit illa vivens); adeſt enim idoneitas in cauſa particulari, ut ab illa aſſumatur, ſicuti ab ea movetur. Maxime cum ſingularis hæc repræſentatio obtineri debeat per operationes heroicas, libere à mobili ipſo elicitas, ad quas excitet, & moveat aſſumens: per quas eo ipſo & mobile ſeipſum deſignat, & una motorem divinum manifeſtat. Hoc enim modo transformat Deus creaturam rationalem in ſeipſum. Præterea Verbum aſſumere debet in re noſtra una cum anima Chriſti Domini, ut inſtrumento conjuncto. Perſona autem divina aſſequitur, & obtinere ſæpiſſime novit repræſentationem vivam Chriſti Domini per operationes liberas juſti eximias, ſublimeſque; & hæc eſt peculiaris gloria aſſumptionis mox ſtabiliendæ.

Sic dum apparuit ſæpiſſime Deus in veteri teſtamento, non ſeipſo immediate corpus aſſumpſit (ut potuit), ſed per Angelos Deum ipſum in corpore aſsumpto repræſentantes, ut Theologorum probatiſſima ſententia docet ex Auguſtino lib. 3. de Trinit. cap. 11. *Illa omnia, quæ Patribus viſa ſunt*, ait Auguſtinus: *cum Deus illis ſecundum ſuam diſpenſationem temporibus congruam præſentaretur, per creaturam facta eſſe, manifeſtum eſt: & ſi nos lateat quomodo ea Miniſtris Angelis faciebat.* Et nihilominus Angelus tunc, non tantum repræſentabat Deum, ſed interdum etiam ſeipſum, ut obſervat Eſtius loco citato §. 8. Namque Geneſ. 22. dum præcipit Dominus Abrahamo filii immolationem, modo loquitur Angelus in Perſona Dei; ſeu qua ipſius Perſonam in ſcena gerit: modo loquitur in Perſona propria, & de ipſo Deo tunc tanquam de tertia Perſona. Id etiam apparet ex Geneſ. 16. Judicum 2. & ex aliis locis. Sicut ergo idem Corpus aſſumptum per operationes in eo factas poteſt repræſentare Perſonam Angeli; & Dei, cur vivens aſsumptum non poterit repræſentare, & Perſonam propriam, & Angeli aſsumentis? Præterquamquod, licet aſſumptio non foret adeo rigoroſa; quia repræſentatio non eſset adeo expreſsa, ſemper attamen vere, & intimè corpus illud ſubintraret, & illud ad quamplurimas operationes moveret, illoque tamquam proprio uteretur. Ulterius: ſerpentem in Paradiſo aſſumptum a Diabolo, fuiſse verum animal, docet communis opinio cum S. Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei diſp. 11. & Chryſoſt. ita Pereira, Bellarm. Doctor Eximius lib. 4. de Angelis c. 34. à Lapide &c. Et tamen per locutionem ab ejus natura alienam quam optime potuit repræſentare aſſumentem duntaxat (quamvis id ſit facilius quia illius ratiocinatio ſolum motorem deſignari poterat) Ergo & ſanctiſſima anima Chriſti Domini hypoſtaticè unita Verbo, & Caput totius Eccleſiæ, in quam influit, ut cauſa, veluti univerſalis, & commune caput, poterit aſsumere corpora viventia; quin operationes liberæ aſsumpti impediant repręſentationem; cum per illas potius obtineatur. Pręſertim cum eędem operationes vitales aſſumpti evadere poſsent tantę ſublimitatis, ut unionem transformativam aſsumpti cum Chriſto Domino redoleant, ipſumque magis ſapiant, quam vitaliter ipſas elicientem. Quemadmodum operatio aliqua miraculoſa per hominem eximiæ ſanctitatis facta Deum Authorem potiſſimum prędicat, & ſimul inſtrumentum animatum nobilitat.

Num. 24. Sanè quod caput utatur Corpore vivo, cujus eſt Caput Myſticum, ut proprio, cum reſideat in Capite virtus univerſalis, quam diffundat per omnia membra,

ſtra, non modò non repngnat, verùm conſentaneum valdè juri, & ratioui eſt. Neque ſolùm per operationes Corporis aſſumpti exprimit, aut ſignificat anima Chriſti Domini, ſe adeſſe realiter intra illud corpus, ſed inſuper repræſentat vitam, quam ipſa geſſit, dum informaret proprium Corpus phyſicum in vita mortali, ad quam adamuſſim æmulandum excitat, movet corpus aſſumptum, & cooperatur illi ad eam normam operanti, ut mobile in motorem transformetur per expreſſiſſimam ſimilitudinem, ſi regi patiatur, motori conſentiat, & fræno dulciter trahenti docilis fuerit. Id ſignificaſſe videtur Apoſtolus 2. Corinth. cap. 4. dum ait: *ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*, & infra; *ut & vita Jeſu Chriſti manifeſtetur in carne noſtra mortali*. Perceptione nanque frequenti, & ferventiſſima divinæ Euchariſtiæ, transformati apparuere in Chriſtum Dominum, ejuſque vitam, & operationes viri ſanctiſſimi, transformatione inſenſibiliter, & elegantiſſimè facta (non contingitque frequentiùs ob duritiam aliquam mobilis aſſumpti): *Cum ſaturati fuerint vide quid agant*, inquit S. Cyprianus perſonatus ſerm. de Cœna Domini, *intellige, quæ loquantur, quam ſancti odores ſint, quidquid illa eructat plenitudo: Verbum bonum, mores compoſitos, offectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interier ſinceritas ubique diffundit*. Per quæ verba re ipſa deſcribitur vita divina Chriſti Domini in carne mortali, quæ manifeſtatur in carne, & vita juſti epulantis frequenter apud menſam cæleſtem, aſſumpti, & moti ab ejuſdem Chriſti Domini ſpiritu manente realiter intra ipſum, deſinentibus ſpeciebus, & ex conſequenti deſinente ſub illis Corpore Chriſti Domini. *Quid eſt manducare ejus carnem*, clamat S. Bernardus ſerm. 3. ſuper Pſalm. *Qui habitat &c. Et ſanguinem ejus bibere, niſi communicare paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari, quam geſſit in carne?* In quo ſenſu potuit dicere Paulus ibidem cap. 13. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, &c.* Per illum igitur tanquam per hominem intimè aſſumptum loquebatur Chriſtus Dominus, eliciebatque opera adeo Chriſto Domino ipſo digna, ejuſdemque anteactis vitæ mortalis operationibus ſimilia, ut vivo illo Pauli corpore anima Capitis Myſtici Chriſti Domini uteretur tanquam proprio, poſſideretque illud ſibi ſubjicieudo ita, ut vel intra ipſum vivere exiſtimari poſſet, qui neſciret aliunde Perſonam aſſumentem vivere phyſicè non poſſe per operatioues, quas in corpore aſſumpto elicit.

Id docuit elegantiſſimè Chryſoſtom. in Epiſt. ad Galat. cap. 2. ubi expendens illud Pauli: *Vivo autem, jam non ego*: inquit: *Non dixit vivo Chriſto, ſed quod longè majus erat, dixit vivit in me Chriſtus. Quemadmodum enim peccatum, ſi vicerit, ipſum eſt, quod vivit in homine, animum ad quæ vult pertrahens: ita ſi illo mortuo, quæ Chriſto ſunt placita fiant, nec humana deinceps eſt ejuſmodi vita, videlicet ipſo Chriſto vivente in nobis, hoc eſt agente, & operante.* Vix autem luculentiùs exponi potuit aſſumptio accedentis dignè ad altare facta ab ſpiritu Chriſti Domini: ad animam namque pertinet movere, agere in corpore aſſumpto, tamquam motore in ordine ſupernaturali, divinoque, ut tandem ſtrictiùs ferventiſſimo ſacræ Euchariſtiæ uſu, temporum, amoris, & virtutum reliquarum progreſſu, ſibi veluti ex integro ſubjiciente, arctiùs copulante, & poſſedente perſonam aſſumptam, perducere valeat ipſam ad perfectionem unionis transformativæ, cujus ſit capax vita mortalis, & realis diſtinctio Perſonarum. *Nos vero omnes*, ait Apoſtol. 2. Corinth. 3. *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes (ſeu tanquam in ſpeculo intuentes*, ut in Græco legitur) *in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam Domini Spiritu*. Transformatione quidem aſſimilante ad vivum, & connectente extrema; non tamen confundente, ut per turpiſsimam ignorationem, & rationali indignam, effutierunt perditi quidam homines per doctriuam transformantem ipſos, non jam in rem aliquam divinam, ſed in belluam.

Num. 25. Suppono rurſus, unionem aliquam realem (quocumque modo illa explicetur, ſive adſtruatur) inter Perſonam aſſumentem, & mobile aſſumptum, eſſe planè neceſſariam ad aſſumptionem hanc, ut liquet ex Divo Thoma allegata qu. 51., & ex Theologorum placito. Cujus autem indolis illa ſit, controvertitur inter ipſos: etiamſi in eo conſpirent omnes, quòd abſurda ſit unio ſubſtantialis hypoſtaticæ ſimilis omnino, quam inter Angelum, & corpus aſſumptum (idemque eſſet à fortiori de quavis alia pari aſſumptione) invexit Origenes, & docuit Tertullianus, ut refert S. Hieronymus in præfat. ad Malachiam, & in cap. 1. Aggæi verſ. 13. Uti & diſſonam eſſe pariter oſtendunt unionem ſubſtantialem tanquam animæ cum corpore, aut formæ ad materiam, ut opinatum fuiſſe Aureolum in 2. Sentent. diſt. 8. & diſt. 11. credunt aliqui; adversùs quam ſententiam conſulendus Divus Thomas prælaudata quæſt. 51., & in 2. diſt. 1., Capreolus ibidem, Doctor Eximius de Angelis lib. 4. cap. 36. Non eodem tamen conſenſu philoſophantur circa ſententiam Cajetani in Epiſt. ad Epheſ. capit. 2. Ubi admittit, aut indicat unionem ſubſtantialem inter motorem aſſumentem, & corpus aſſumptum, quæ nec ſit formæ cum materia, nec ſuppoſiti cum natura, aut compoſito, ſed actus moventis cum ipſa potentia mobili, ſub qua ratione conſtituant unum per ſe; tametſi aliunde jam corpus mobile aſſumptum præſupponatur unum per ſe compoſitum èx forma ſubſtantiali dante per ſe eſſe ſimpliciter; non tamen eſſe locomotivum, cujuſmodi vi-

tæ gradum putat accipere cœlum ab Intelligentia, ut ſic exiſtat vivens aliquod nudè locomotivum, ſicuti exiſtunt purè vegetativa, & merè intellectiva.

Pro hac ſententia (quam ille judicat Divi Thomæ) non improbabiliter adduci poteſt ipſe Doct. Angelicus 1. p. q. 70. art. 3. ubi non ſolùm affirmat, motorem Angelum uniri Corpori moto ſecundum contactum virtutis; ſed inſuper in reſponſione ad quintum adjungit: *& hoc etiam modo poteſt dici, quòd ejus motus eſt principium intrinſecum: ut ſic etiam motus Cœli poſſit dici naturalis ex parte principii activi, ſicut motus voluntarius dicitur eſſe naturalis animali, inquantum eſt animal*, ut dicitur 8. *Phyſicor.* Et in Corpore: dum reſpuit unionem motoris per modum formæ, adſtruit ſimul unionem aliquam veram motoris cum mobili, vi cujus poſſit in aliquo ſenſu, quantumvis æquivoco, comparativè ad unionem animæ per modum formæ, dici animatum mobile. Qua via concordat ſententiam Platonicorum, & Ariſtotelis, tum etiam quorumdam Patrum cum ſententia communi. Eamdem ſententiam, dum non juxta Ariſtotelis mentem, ſed juxta ſuam, loquitur, docuiſſe videtur 2. contra Gent. cap. 70. & utramque in eum ſenſum trahit Cajetanus p. 1. q. 71. Qui verò opinionem hanc removendam prorſus credunt, invehunt nexum accidentarium inter motorem aſſumentem, & Corpus aſſumptum, ab utroque realiter diſtinctum, ad modum illius, quem inducunt inter Corpus Chriſti Domini, & ſpecies conſecratas. Ita plures Thomiſtæ, quibus ſuffragantur Vaſquez, Alarcon, & omnes illi, qui arbitrantur, Perſonam aſſumentem moveri non poſſe per accidens ad motum mobilis proprium (ut movetur malus Angelus ad motum voluntarium ipſius Energumeni) quin intercedat vera aliqua realis phyſica unio accidentalis. Receptiſſima tamen opinio nec adhuc accidentariam unionem realiter diſtinctam permittit, ſed explicat unionem virtutis per intimam præſentiam aſſumentis ad aſſumptum, penetrationemque cum potentia, & voluntate ipſum movendi, continendique, ne diſſolvatur, & dirigendi interdum actu, & ſemper habitu toto tempore, quo duret ejus aſſumptio (& ſaltem reſpectu Dei, aut Perſonæ divinæ immediatè per ſe aſſumentis eam conjunctionem ſufficere, fatentur plerumque iidem, qui pro motore aſſumente creato intimiorem aliam unionem deſiderant). Ita cum Doct. Subtili, Durando, & Gabriele, Eximius Doct. Averſa, Martinon, Rhodes, Platelius, Quiros, & Juniores alii. Aſſertio autem noſtra declinat ejuſmodi controverſiam, ſolamque aſſumptionem adſtruit verè talem, ſive ipſam velis unione aliqua diſtincta intrinſecè conſtitutam, ſive non, quod diſputandum ultrò reliquimus Scholaſticis: cum nihil noſtra interſit, quòd hoc potiùs quàm illo modo ſtatuatur; dummodo eadem proprietate, qua Angeli aſſumunt frequenter Corpora ad ſeipſos repræſentandos, aſſumantur Corpora animata fidelium dignè communicantium à Verbo divino unà cum Anima ſanctiſſima Chriſti Domini, illiſque intimè aſſiſtat: ut ſicuti Euchariſtia dicitur Sapient. 16. *Angelorum eſca*, & à Tridentin. ſeſs. 13. cap. 8. *Eumdem panem Angelorum, quem modò ſub ſacris velaminibus edunt, abſque ullo velamine manducetur* (in gloria ſcilicet) ita comparetur aſſumptio Corporum ab eiſdem Angelis ſæpè facta cum aſſumptione mirabili, per quam anima magni Conſilii Angeli, nempè Chriſti Domini, veluti induat deſtructis ſpeciebus, Corpora aſſumpta, quæ pane Angelorum permanenter ſint refecta. Neque enim peregrinà cenſeri debet anima in Corpore, quod eſt proprium ipſius myſticè, ſubindeque proprium domicilium. Quemadmodum ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam Angelicam, Michaelis v. gr. & hic deinceps aſſumeret Corpus aliquod ad ſe repræſentandum, Verbum divinum foret intimè immediate novo modo præſens illi Corpori aſſumpto; ſive Angelus illud aſſumat per realem unionem, quia hanc poſtulet aſſumptio; ſive tantùm per intimam præſentiam, penetrationemque intimam.

Num. 26. Quibus poſitis: aſſertio noſtra ſit: in accipiente digno ſingulariter modo, eximiaque diſpoſitione, Euchariſtiam, corruptis in ſtomacho vi caloris naturalis ſpeciebus, deſinenteque eo ipſo Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, quia deficit modus ſacramentalis exiſtendi ſub præfatis ſpeciebus, neutiquam deſinere unà cum Corpore, & Sanguine Animam beatiſſimam Chriſti Domini, ſed illico aſſumere, modo aſſumptionis proprio hactenus declarato (longe major eſt enim amplitudo animæ Chriſti Domini, aut proportio in ordine ad exiſtendum in pluribus locis, quàm Corporis ejuſdem Servatoris, ajente Anaſtaſio Synaita lib. 2. in Exameron ex Magno Gregorio: *ejus quod dictum eſt teſtis eſt Gregorius in rebus divinis præclarus, dicens: Domini animam eſſe intermediam inter divinitatem & carnis craſſitudinem* eſtque res per ſe nota) proindeque Verbum divinum aſſumere principaliùs media anima, ut inſtrumento conjuncto, juſtum illum, augmento gratiæ per ſuſceptam Euchariſtiam præcedenter ornatum, ne domum inhabitet illa imparatam, vel horridam; quamquam ad hunc effectum præſtandum ex opere operato prærequiratur nihilominus longè major, & ferventior diſpoſitio, quàm ad effectum gratiæ ſolùm excipiendum. Immo prærequiritur Sanctitas, ſeu virtus eximia ſubjecti, ultra fervorem actualem intenſum in ejus ſuſceptione. Quorum alterutro deficiente, nullatenus aſſequitur communicans nobilem illum effectum, tametſi ex parte Euchariſtiæ ſit ſcopus, quem primò intendit, dummodò

modò

modo non impediatur ex defectu diſpoſitionis ſubjecti, de quo ſectione ultima. Neque mirum, cum juxta majorem diſpoſitionem in adultis conferatur gratia major ex opere operato per Sacramenta, ut docet S. Thom. 3. p. quæſt. *69.* art. 8. eſtque communis opinio Theologorum, etiam pro Sacramento Euchariſtiæ, ut tradit Eximius Doctor tom. 3. in 3. p. diſp. *63.* ſect. 3. *ſ. circa hanc.* Non jam ſemper ex integro ſe per omne Corpus diffundens (cum hoc non ſit ſimpliciter neceſſarium ad aſſumptionem; licet eo ſit plenior, & major, quo magis poſſideat ipſum mobile) ſed in Corde, & ex Corde, ubi animam, ejuſque potentias, ſimul cum Cordis materia, ſive Cor ut animatum (licet poſſit latiùs ſe diffundere) ſumit ad ſe, protegens, regens, movens, & ſibi ſubjiciens, ut ſeipſum per aſſumpti operationes ſanctas, vitam, actioneſque ejuſdem Chriſti Domini in carne paſſibili elicitas, æmuletur, & exprimat; eaſdemque operationes dignificet altiori modo, ultra dignitatem gratiæ ſanctificantis; & ſupra illam. Qua doctrina, & membra Corporis myſtici uniuntur realiter in tertio, adeoque inter ſeſe mediatè, & realiter cum Capite. Et hic eſt primarius effectus Euchariſtiæ, ſecundum quod differt ab aliis Sacramentis, quem confert ex opere operato ultra augmentum gratiæ, quod largitur ex opere operato etiam, prout convenit cum aliis vivorum Sacramentis. Per ordinemque ad hunc peculiarem effectum deſumendus eſt conceptus metaphyſicus differentialis ipſius. Non quia de potentia abſoluta Dei non poſſit effectus hic provenire aliunde; cæterum hoc erit veluti per accidens in præſenti rerum ordine, & providentia, juxta quam per ſe unicè deſcendit ex illo fonte. Dixi, Verbum divinum aſſumere principaliùs, & quidem præciſivè à reliquis Perſonis. Ratio eſt: quoniam licet unio animæ aſſumptiva illius juſti (quæcumque illa ſit) mediata ſolùm eſſe poſſit reſpectu Perſonalitatis verbi immediatione unionis, eſt attamen immediata immediatione ſuppoſiti, cum ſit operatio animæ (& quidem voluntaria, etiam quà paſſio eſt) ſubſiſtentis per ipſam, quæ propterea attribuitur immediatè ſuppoſito. Quod minimè convenit reliquis Perſonis, immo nec Deitati formaliter. Eodemque titulo voluntas Chriſti Domini ut inſtituentis hoc Sacramentum (quia omnia dederat ei Pater in manus) manendi univerſim apud eximiè diſpoſitos, accedenteſque ad Euchariſtiam, quamquam fuerit elicita per voluntatem humanam, attribuitur propriè ſuppoſito divino. Uti & volitio particularis (priuſquam corrumpantur ſpecies elicita) permanendi in hoc determinato individuo egregiè præparato, illudque aſſumendi. Secundò; quia Perſona Verbi conjungitur ratione ſui intimè immediatè (præ aliis) juſto per alium conjunctionis modum, eo ipſo quod anima Chriſti Domini illi uniatur. Cum enim Verbum ſit hypoſtaticè unitum animæ, manifeſtum eſt, illam non poſſe copulari phyſicè alicui ſubjecto (aut adeſſe alicubi) quin Verbum ſpeciali modo fiat ei intimè immediatè præſens novo titulo. Id quod exponit in ſimili Doct. Eximius de Deo uno, & Trino lib. 12. cap. 5. num. 12. per hanc hypotheſim: *licet fingeremus Verbum non eſſe per immenſitatem præſens illi Humanitati, eo ipſo quod illi hypoſtaticè uniretur, ex vi unionis, & ad illam terminandam, oporteret intimè fieri præſens.* Conſequenterque neceſſariò pariter, ex ſuppoſitione, quòd anima alicui ſubjecto copuletur, adeſt ibi immediatè intimè præſens, novo titulo Verbum; qui novus præſentiæ modus explicatur per hypotheſim factam, impoſſibilemque. Uti & pariter Verbum adeſſet ibi præſens abſque aliis Perſonis, ſi per impoſſibile reliquæ non fierent intimè præſentes, quia non gauderent attributo immenſitatis, nec eſſet unum cum Patre, & Spiritu Sancto. Neque titulus hic novi modi exiſtendi eſt mediatus ſolùm ratione novi doni creati collati juſto, gratiæ exempli cauſa; ſiquidem ex illo ſequitur neceſſariò novus ille modus præſentiæ immediatus; itaut oppoſitum ſit erroneum, ut ex S. Ambroſio, Auguſtino, Leone Magno, ex D. Tho. 3. p. q. 43. ar. 3. & Theologis, colligit laudatus Eximius Doct. ubi nuper n. 8. tenereturque propterea eo novo titulo peculiari modo protegere, movere hominem illum, dirigereque (quod revera ſit perfectiùs aſſumendo ipſum ad exprimendas operationes Chriſti Domini.)

Jam verò intimam præſentiam divinæ Perſonæ in Corpore aliquo ſufficere ad illud immediatè aſumendam, ad ſeipſam repræſentandam, etiamſi motor creatus alia egeat unione ad aſumendum, certiſſimum eſt, ut docet magnus Suarez lib. 6. de Angelis cap. 20. nu. 17. Adeſt ergo in Verbo Divino titulus planè ſpecialis, ratione cujus illi, & non Patri, aut Spiritui Sancto conveniat, & attribuatur aſſumptio immediata illa. Deinde aſſumit juſtum ad repræſentandum motorem completè ſumptum; quoniam licet intendat exprimere, & imitari animam, & operationes Sanctas Humanitatis Chriſti Domini in ſtatu paſſibili elicitas; cum tamen motor aſſumens conſtituatur ex Verbo ut principali, & ex anima, ut inſtrumento; & cum aliunde fuerint elicitæ ab ipſa anima, quæ facta eſt propria Verbi per unionem hypoſtaticam, & à Verbo ut ſuppoſito dignificatæ, verè, & propriè dicitur aſſumere juſtum prædictum ad ſe repræſentandum. Et propterea in veteri teſtamento faciliùs aſſumi poterat corpus ad repræſentandam Perſonam Filii, ut incarnandam, quàm ad reliquas Perſonas, & ad ipſum Verbum nudè ſumptum, & ſecundum ſe, ut in loco allegato de Angelis obſervat Eximius Doctor num. 8.. Hinc fit, quòd licet operationes animæ Chriſti Domini moventis

tis

tis Corpus aſſumptum fiant à tota Trinitate; attribuuntur attamen quaſi formalitèr ſpecialiſſimo jure inſinuato Verbo Divino, ut ſuppoſito, ſeu Perſonæ Chriſti Domini. Fit ſecundò: majore longè proprietate convenire Verbo hanc aſſumptionem, & ad illam mitti, quàm dicatur mitti Spiritus Sanctus per gratiam ad juſtum omnem, ſiquidem hæc eſt tantùm appropriatio (ultra originem); Verbo autem convenit.

Aſſumit igitur Verbum Divinum in toto rigore, & immediatè juſtum unà cum anima Chriſti Domini, illique aſſiſtit, illum poſſidet peculiari modo, & ſecundæ tantum Perſonæ proprio, ad illumque mittitur. (Et hac via intelligitur quamoptime extenſio Incarnationis per Euchariſtiam, de quo infra). Quin & modo, qui nullo pacto convenire valet peculiariter Verbo præciſivè ab anima Chriſti Domini, ut infra latiùs patebit. Quocirca tametſi reliquæ Perſonæ ratione hujus novi modi præſentiæ Verbi (diſtinctę ab ſpeciali modo exiſtendi per gratiam) præſentes quoque dicantur novo titulo; quia adeſt novum donum creatum dignum, ratione cujus adſint, ſicuti ratione gratię fiunt peculiari modo præſentes, quamvis ſpecialiis Spiritus Sanctus. Cæterum adſunt in ſenſu formali remotè eo novo titulo, ideſt non ratione immediata unionis cum anima unita juſto, quippe quæ ſolùm Verbo immediatè competit, ſed ratione immenſitatis, & concomitanter ratione unitatis neceſſario. Cum verbum fiat immediate formaliter præſens ſpecialiſſimè per unionem hypoſtaticam cum anima, & unionem animæ cum juſto; quæ ſpecialitas præſentiæ exponitur, ſive declaratur per hypotheſim impoſſibilem inſinuatam: vi cujus peculiari aliquo titulo eſt præſens illi juſto, qui non competit aliis; tametſi etiam ob novum donum creatum ſingulari modo ibi præſentibus. Cui accedit repræſentatio Verbi ut incarnati modo dicto, & non aliarum Perſonarum. Conſequitur ergo ſponte ſua infallibiliter hæc aſſumptio ex illa animæ, proindeque illam præcipuè ſtatuere conamur in præſenti diſput., ad quam difficultas pondere toto ſuo devolvitur, quoniam utramque eo ipſo inducimus.

Aſſumit itaque anima Chriſti Domini diſpoſitè admodum communicantem, & quidem aſſumptione ex parte aſſumentis perpetua, ſive nexu inamiſſibili, ni homo aſſumptus per ingratitudinem, & grandem ſtultitiam ob culpam læthalem, ſimul cum jactura gratiæ, æterno fletu digna, amittat conjunctionem illam phyſicam inæſtimabilis dignitatis cum anima Chriſti Domini (quæ tunc deſinit eſſe ibi) ut ſic bis moriantur poſt ſuſceptam aptè Euchariſtiam peccantes. Licet enim peccata venialia frequentia, tepiditaſque impediant prorſus præfatam aſſumptionem, ut primò efficiendam; ſemel attamen ac præſupponatur, neutiquam amittitur, niſi per culpam gravem: tum quia plura ſæpe requiruntur ad primum eſſe rerum, quàm ad earumdem conſervationem: tum quia ſemper remanet ſanctitas eximia habitualis per ſe requiſita: tum quia redolet aliquatenus favor hic ordinem hypoſtaticum, in quo Verbum non dimittit, quod ſemel aſſumpſit. Per tepidam verò communionem præcedenter aſſumpti neutiquam radicabitur magis unio illa aſſumptiva; quia requiruntur ad hunc effectum actu præſtandum ſanctitas prçclara in actu primo, & fervor igneus in actu ſecundo, ut dictum eſt. Quapropter de Religioſis exigua aut nulla devotione ſuſcipientibus Sacram Euchariſtiam revelatum fuiſſe S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, legimus apud Puecin. in ejus vita cap. 13. *Quia Jeſus tranſit per illos, & non manet*. Maneret igitur, ſi peculiari ornatu parati accederent. Movet autem nos aſſumptione ſua, tum per gratias actuales, quibus actu excitat ad actus amoris, virtutumque ſupernaturalium exercitium, per pias affectiones, cogitationeſque indeliberatas: tum etiam immediatè concurrendo ad plures earum operationum virtute inſtrumentaria, qua pollet, ut ferventiores exiſtant; perduceretque hominem, ſi per ipſum non ſtetiſſet, uſque ad perfectam unionem transformativam, cujus eſt capax ſtatus viatoris, ut dictum eſt. Sic anima rationalis non ſolùm unitur corpori, ut forma, ſed inſuper & ſimul ut motor mobili, uti docuit Ariſtotel. 3. de anima, & libro de motu animal. exponitque eruditus ſatis Robertus Holſtech in lib. Sapient. cap. 34. poteſt ergo ſecundo hoc modo aſſumptionis proprio in ordine ſupernaturali copulari anima Chriſti Domini tamquam motor cordi juſti, cibi Angelorum refecti & tamquam forma aſſiſtens. Quam unionem expreſſit Cardinalis Cuſanus lib. 7. exercitation. ex ſermone *Miſſus eſt Gabriel Angelus*, ait enim: *eſt deſponſatio viri, & Chriſti, ſicut anima, & intelligentiæ motricis*.

Ut autem hæc eluceſcant ampliùs, notanda eſt doctrina cunctis pervia: ſcilicet, duplicem eſſe effectum cibi nutrientis, diverſis temporibus, & circumſtantiis productum. Primus eſt, dum atritus dentibus trajicitur in ſtomachum: tunc enim delectat, & reficit, vigoremque novum infundit, cum ſit inchoata nutritio, de qua Ariſtoteles lib. 2. de partibus animal. Secundus eſt, dum per potentiam nutritivam, per nativum calorem, varioſque fluxus, per tranſmutationes diverſas, diſtinctaſque humani corporis officinas, convertitur tandem in ſubſtantiam aliti, vigilante facultate nutritiva, & quidem operoſiùs, nobis dormientibus, ut docet idem Philoſophus de ſomno, & vigilia. Et hìc eſt potiſſimus effectus, ultimuſque ſinis manducationis: quo per intus ſumptionem omnia viventis membra aluntur, reparanturque damna, non modò ab agentibus extrinſecis illata, inferendaque alioqui, verùm & à nativo ipſo calore, depaſturo humidum ra-

radicale, ſi non adeſſet novum alimentum, in quod ageret. Tunc enim fit converſio illa, per ſe primò intenta, dum ſubſtantia cibi tranſit in ſubſtantiam aliti per unionem intimam cum forma, ſive anima cibati. Cum autem fide ſanctum habeamus ex Florentino, uti & ex Synodo Tridentina, Cibum Euchariſticum præſtare dignè ſumentibus omnes eos effectus, quos cibus materialis exhibet corpori, ac proinde delectare, reficere, nutrire, aut ſuſtentare; neceſſariò cœleſtis illa eſca ultra effectum reficiendi, & delectandi, ſuſtentat, nutritque ſpiritualiter, ſervato temporis, proportioniſque, & rerum, ordine connaturali: ita ut primi illi effectus præcedant, quia cauſantur ab ipſo Chriſto Domino ſacramentaliter exiſtente adhuc, uti & augmentum gratiæ proprium hujus Sacramenti ſecundum rationem communem Sacramenti vivorum; ſive producatur in principio motus, ſive in progreſſu, ſive dum primò terminum motus attingit. Secundus verò effectus nutriendi per conſimilem modum converſionis, nexuſque copulantis animam Chriſti Domini cum juſto illo, exerceatur deinceps, dum ſubverſis nativo calore ſpeciebus, deſinit jam adeſſe ibi Corpus Chriſti Domini: tunc enim anima magni Conſilii Angeli, ut inſtrumentum Verbi, aſſumit cor, & animam illius hominis per unionem motoris cum mobili explicatam: aſſumitque phyſicè corpus myſticum ſolum Verbum cum anima, quantumvis ſit Caput Eccleſiæ Chriſtus Dominus pœnes totam humanitatem, ut Verbo copulatam. Niſi forte (quod rarò contingere credendum eſt, attenta diſpoſitione eximiæ Sanctitatis, quæ requiritur ad ſuſcipiendum ſublimem hunc effectum), nondum corruptis ſpeciebus, caſum gravem faciat miſer; tunc enim effectum illum nequaquam perciperet: quemadmodum nec acciperet effectum gratiæ, ſi antequam adſit tempus, in quo Euchariſtia rite ſuſcepta cauſat gratiam, apud Theologos, initio, verbi gratia, motus inſinuati, labatur infœlix homo in ruinam, eodemque prope tempore, quo vitam introducit, mortem incurrat. In eo ſiquidem eventu poſſibili turpiùs ejiceret divinum hoſpitem, quam non admiſiſſet.

Num. 27. Quantumvis enim unio hæc per analogiam veram ad unionem cibi corporalis deſcriptam, non ſit per ſe primò ſubſtantiæ cibi cum manducante, ſed potiùs è converſo, quia panis ille, utpotè vivens convertit in ſubſtantiam ſui ipſum manducantem, ut ex doctrina communi, certum eſt; nihilominus comparatio, aut analogia, opportuniſſima ſemper eſt, quoniam ipſe homo manducans unitur pœnes cor, & animam propriam immediatè cibo, quamvis non uniatur, ut forma, ſed magis ut potentia, quam actuat ſub ratione motricis formæ cibi: invertiturque ordo, eo quod cibus ille, cum vivus ſit, & potentior, convertit potiùs in ſe cibatum, cum illum copulet ſtrictiùs cum ſuo corpore myſtico Chriſtus Dominus, ut eidem uniat per conjunctionem realem motoris aſſumentis animam ſuam; eſtque homo cibus illius, juxta Patrum ſententiam, quam mirificè exponunt S. Auguſt. & Doctor Maximus, & S. Greg. Niſſenus Orat. Cathechet. Magna cap. 37. dixit: *Corpus, quod fuit à Deo morte affectum, dum fuerit intra nos, totum ad ſe tranſmutat, & transfert*. Simul attamen fit veluti converſio ex parte cibi, quatenus corruptis ſpeciebus tranſit anima Chriſti Domini à corpore phyſico ejuſdem, prout in eo ſtomacho ſub ſpeciebus exiſtente, ad corpus myſticum, non jam phyſicè informandum, ſed phyſicè intimè aſſumendum. Et aliunde utramque quaſi converſionem importat eſſentialiter Euchariſtia, cum importet realiter Chriſtum Dominum phyſicè manducatum, & myſticè manducantem, per realem unionem explicatam corporis myſtici cum anima, ſive forma cibi viventis, ideſt ſua. Neque enim collatio nutritionis ſpiritualis cum corporali debet in omnibus, & per omnia tenere, ſed proportione quadam commoda, tametſi juxta illius ſemper ſimilitudinariam comparationem; & quidem illa adeo propria eſt, ut à Patribus, Conciliiſque, & Eccleſia Sancta per nutriendi operationem Euchariſtiæ effectus explicetur.

Quòd verò unio hæc cum anima Chriſti Domini ſit æſtimabilior effectus, quàm gratia habitualis, magiſque dignificans operationes, utpotè ad ordinem quodammodo hypoſtaticum elevans mobile aſſumptum. Et quidem longe magis, cum ſuppoſitum operans, in ordine hypoſtatico ſit aliquatenus conſtitutum, in diſputationis progreſſu oſtendam, eſtque per ſe notum: Hic eſt enim effectus, qui reſpondet Euchariſtiæ ſecundum quod differt ſpecie à Confirmatione, & reliquis; cum augmentum gratiæ reſpondeat ejus prædicato generico. Poteritque rurſus anima Chriſti Domini dum primò aſſumit, deſtructis ſpeciebus, præfatum hominem, novum gratiæ augmentum eo titulo, & veluti jure hoſpitii, conferre, quod mediatè ſolùm proveniat ex Sacramento; de quo infra. Dum verò ſecunda alia communio, & ſic de reliquis, invenit jam animam Chriſti Domini aſſiſtentem in homine illo, quia Theſaurum ſtudioſè cuſtodivit; reſultat ex nova ea ſuſceptione intimior unio, & plenior ſub eadem ſemper ratione aſſumentis, quæ ipſa repetitione arctiùs, & arctiùs ſtringitur: pervenireque aſſuevit interdum ad intimam illam ab Aſceticis tantopere deſideratam. Si verò unionem per peccatum mortale amittat, illam neutiquam recuperare valet, niſi per ulteriorem dignam Euchariſtiæ ſumptionem, etiamſi prius per contritionem, aut Sacramentum pœnitentiæ gratiam deperditam recuperaret, quia aſſiſtentia illa

rea-

realis animæ Chriſti Domini obtineri non poteſt, niſi per realem Euchariſtiæ ſumptionem. Reliqua dabit ſenſim curſus ipſe diſputationis, qui prolixus quidem erit, quia longam Provinciam excurrendam ſuſcepi; ſi prolixitas dicenda ſit, quæ potiùs eſt materiæ, de qua diſſeritur, neceſſitas. *Vides,* inquit Plinius Secundus lib. 5. Epiſt. 6. *quot verſibus Homerus, quot Virgilius arma, hic Ænea, Achillis ille deſcribat; brevis tamen uterque eſt, quia facit, quod inſtituit.*

§. II.

Num. 28. **F**UNDATUR jam primò aſſertio noſtra verbis Chriſti Domini Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sanè mutuam hanc immanentiam verificari minimè poſſe per realem præſentiam Corporis, & Sanguinis, totiuſque Chriſti Domini ſub ſpeciebus intra pectus ſumentis, manifeſtum mihi videtur: tum quia permanentia illa multum brevis eſt, vi cujus non tam permanere, quàm tranſire dicendus erit, computaturque ejuſmodi hoſpitium à divina ſapientia inter res valde fluxas: *tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Sapient. 5. quid ſi tantùm unius horæ? Quid unius duntaxat quadrantis? Tum quia manſio illa ſupponitur per ſe incluſa in manducatione; cum immanentia promiſſa, & affirmata, ſit manducationis effectus: *Qui manducat meam carnem ... in me manet*: manducatio autem importat neceſſariò trajectionem illius carnis ab ore in ſtomachum. Dum ergo manducanti pollicetur Servator Noſter ſui permanentiam intra illum, aliquid aliud ab ea phyſica corporis exiſtentia intra pectus aſſeruit, & promiſit; aliter nihil foret ea promiſſione ineptius. Quamobrem S. Auguſt. tract. 74. in Joann. fine, & tract. 75. ſimilia verba explicans, ait: *erit in eis, ut maneat, non manebit, ut ſit, prius eſt enim alicubi eſſe, quam manere.* Rurſus præfata immanentia eſſe nequit ſolum per gratiam; cum in hac inducenda conveniat Euchariſtia cum cæteris Sacramentis, ut definit Trident. ſeſſ. 13. quam laudavimus ſect. præcedente. Et aliunde immanentia, quam Salvator promittit Joan. 6. eſt effectus ſingularis Euchariſtiæ, ſecundum quod differt ſpecie ab aliis, etiam vivorum, ut compertiſſimum eſt, quoniam pollicetur illam manducanti ſuam carnem, & bibenti ſanguinem ſuum; in quibus realiter contentis ſita eſt differentia Euchariſtiæ. Ejuſmodi autem differentia, elevans genus, ſuperat immenſo intervallo perfectionem gratiæ ſanctificantis, ut planè inconcuſſum eſt, & ibidem raptim vidimus; uti & à fortiori ſuperat infinitè prædicatum genericum. Excellentior igitur effectus gratia habituali ſignificatur, & inducitur per differentiam illam. At non Deitas ſubſtantialiter immediatè unita, aut Verbi perſonalitas, abſque interventu alterius doni creati; ut mox revincam. Non integer Chriſtus D., cum Corpus & Sanguis deſinant, ſpeciebus deſinentibus, apud omnes. Legitima ergo inductione colligitur, manere perſeveranter ejus animam intra corpus myſticum. Ideo Rupertus, exponens relata verba, inquit in Perſona Chriſti Domini. *Quis autem Ego, niſi Deus, niſi Dei Sapientia? Ergo in quo maneo ego, divinitatem in ſe transfuſam habens, Deus factus eſt.* Sed quomodo fieri poteſt hòc media Chriſti Domini immanentia per Euchariſtiæ ſumptionem, cum citò deſinat eſſe intra nos Corpus Dominicum? Non aliter ſanè, niſi quatenus maneat realiter pœnes animam, cui unita eſt hypoſtaticè ſapientia Divina Verbi, Deitaſque.

Si autem manſionem illam dixeris perpetuam (quantum eſt ex parte hoſpitis) per charitatem, ſive purè affectivam, juxta illud Joan. Epiſt. 1. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; morem geris Novatoribus, qui non aliter verba Joan. 6. intelligenda credunt, quàm vel per fidem, ut Zuinglius lib. 1. de vera, & falſa religione cap. de Euchariſtia. Œcolampadius, Kemnitius, Petrus Martyr, & alii, quorum turpiſſimum errorem confutat P. Vaſquez diſp. 179. cap. 4. Vel per charitatem etiam, ut ejuſdem gregis alii paſſim ea uſurpant. Quamquam enim id non tantùm de perſeverantia, verùm & ſimpliciter de ejus exiſtentia in Euchariſtia per hæreſim intolerabilem intelligant; nihilominus, qui, licet præſentiam tueantur ſtrenuè, in ſenſu tamen purè ſpirituali, aut affectivo accipiunt immanentiam à Chriſto Domino expreſsè aſſertam, & quidem eadem perſpicuitate, qua affirmat, carnem ſuam eſſe verum cibum, viam ſatis amplam aperiunt Ætherodoxis incredibili conatu, ſtudio, & odio ſuadentibus, verba Chriſti Domini promittentia realem præſentiam corporis, & ſanguinis ſui, intelligenda eſſe figuratè, aut per tropum, de præſentia per fidem, aut per gratiam, affectivamque. Cum enim eiſdem verbis, quibus utitur ad veritatem carnis ſuæ (immò, & eodem tempore, eademque oratione) adſtruendam, utatur pariter ad mutuam immanentiam affirmandam; ſi aliunde impunè, quin & plauſibiliter explicatur hæc per manſionem nudè ſpiritualem, vel affectivam, aut ſimilitudinariam; quo jure, qua conſequentia, quo rationis vigore aggrediemur fatales præſentiæ realis hoſtes verbis illis Chriſti Domini armati, fretique?

Urgetur à contrario ſenſu; qui aſſerunt, verba illa Chriſti D., quæ pollicentur futuram præſentiam ſui corporis, & ſanguinis ſub accidentibus, non ſignificare realem utriuſque præſentiam ſub eis ſpeciebus, repugnant apertè veritati affirmationis Chriſti D. Sed eiſ-

eiſdem verbis promiſit immanentiam, ſive manſionem, & quidem verbis manifeſtè ſignificantibus permanentiam intra hominem dignè corpus illud manducantem, & ſanguinem bibentem. Ergo qui eam permanentiam mutuam, non credit realeam in proprio aliquo ſenſu, ſed nudè affectivam, aut merè ſpiritualem, contradicit verbis Chriſti Domini, & fidei principiis; aut non contradicit, qui negat præſentiam realem. Dum urgeat ſtrenuè ſequelam hanc ſacramentarius, qua via facili, & tuta ſe expediet hujus ſententiæ Patronus? Ponamus attamen, illum liberrimè expeditum; quo ſaltem valido ratiocinio ex eo Chriſti Domini teſtimonio deſumpto convinceret hac redargutione munitum?

Num. 29. Cum igitur permanentia illa (quantum eſt ex parte Chriſti Domini, & ſimpliciter etiam ſæpiſſimè, perpetua) eſſe nequeat realis reſpectu corporis, & ſanguinis, cum illa deficiant, corruptis ſpeciebus (quæ citò deſinunt) neceſſariò permanet anima glorioſa Chriſti Domini modo intento. Maximè cum loquatur Chriſtus Dominus de carne, & ſanguine ſuo dum adſtruit præſentiam realem eorum ſub ſpeciebus, de ſeipſo verò dum affirmat mutuam immanentiam: *in me manet, & ego in illo*: quòd ſatis propriè verificatur ſi perſeveret perſona Verbi ſubſiſtens in anima Chriſti Domini; conjuncta intimè immediatè, tam ratione Perſonalitatis, quàm animæ, juſto illi; cum *to Ego* ſupponat pro perſona, quæ verè, & propriè ſalvetur in Perſonalitate Verbi Divini hypoſtaticè copulati animæ Chriſti Domini, & cum Verbum per ſe primò eam aſſumptionem intendat, ut extendat Incarnationem: ſive anima Chriſti Domini Verbo copulata, & ut ſubſiſtens per illud intra hominem, aut corpus myſticum; eſtque idcirco vera in toto rigore propoſitio illa. Immò ut in ſimili loquitur D. Thomas 3. par. quæſt. 52. art. 3. *In Triduo Mortis Chriſti dicendum eſt, quòd totus Chriſtus fuit in ſepulchro, quia tota Perſona fuit ibi per corpus ſibi unitum: & ſimiliter fuit in Inferno, quia tota Perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi unitæ*; quantumvis non fuerit ibi, nec permaneat in ferventer communicante totus totaliter Chriſtus, ſeu totus ſecundum totam humanitatem, ut explicat ibidem S. Thomas in reſponſ. ad 1. & ad 3. ſumitque hunc loquendi modum ex S. Auguſt. lib. 3. de Symbolo cap. 7. videatur Durandus in 3. diſt. 22. quæſt. 2. præſertim cum adſit ibi corporis etiam ſubſiſtentia, nempe Verbi divini Perſonalitas; dum in aliis ſubſiſtentia materiæ diſtinguitur (juxta plures) à ſubſiſtentia formæ, animæ v. g.; & nihilominus verè dicimus D. Petrum, exempli cauſa, alicui apparuiſſe. Id ipſum accepimus ex ore veritatis, dicente Chriſto Domino Math. 12. *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti ... ſic erit filius hominis in corde terræ*; quod de anima Verbo unita, licet à corpore ſeparata, intelligunt potiſſimè Patres; cum fuerit in Limbo, quod eſt terræ centrum, & veluti cor. Et nihilominus affirmat filium hominis, ideſt ipſum Chriſtum Dominum ibi extiturum. Quamvis denominatio hominis ſtrictè uſurpata poſtulet animam, & corpus ſimul cum ſubſiſtentia; & ideo non dicitur ſimpliciter homo, anima ſola unita Verbo; quia denominatio præfata ſignificat naturam; denominatio verò filii hominis afficit perſonam; *homo eſt nomen naturæ: ſed filius eſt nomen hypoſtaſis; & ideo magis in Triduo Mortis Chriſti poteſt dici filius hominis, quàm homo*, inquit S. Thom. quodlib. 2. qu. 1. art. 1. ad primum. Quamvis anima, ut copulata divinitati, dici nequeat Sacerdos propriè; eo quod munus illud exercendum eſt per hominem, ſeu per naturam humanam, quæ in anima ſeparata non reperitur completè, & ſenſibiliter. Sæpè namque quod ſub una denominatione verum eſt, ſub alia fallit. Unde Auguſtinus tract. 27. in Joan. ait: *ſignum, quia manducavit, & bibit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitet, & inhabitetur, ſi hæret, ut non deſeratur*. Hoc autem fieri neutiquam poſſe immediatè formaliter per ſolam conjunctionem carnis Chriſti Domini cum manducante, utpotè velociter deſinentis, exploratum apparet, ex dictiſque deſcendit.

Firmat hunc diſcurſum appertiſſimè Sanctus Cyril. Alex. lib. 10. in Joan. cap. 13. dicens: *non habitudine ſolùm, quæ per Charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verùm & participatione naturali. Nam quemadmodum ſiquis liquefactam ceram* (quo exemplo uſus etiam fuerat cap. 4.) *alii ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, ut unum quid ex utraque factum videatur, ſic communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti eſt ipſe in nobis, & nos in ipſo*. Ubi exemplum ceræ neutiquam adducit, quia putaret ex utraque carne fieri unum per ſe corpus, aut mixtum; ſed quatenus credidit, media illa conjunctione carnis Chriſti Domini cum noſtra per communionem, conjungi ſpiritum Chriſti Domini cum corpore, & anima noſtra, ad modum quo reſultat in ſenſu aliquo unum ex intelligentia movente, & mobili: ex aſſumente, & aſſumpto. Poteſtque diffundi anima Chriſti Domini, ut motoris aſſumentis, & intenſiùs, & extenſiùs, quo intimior, teneriorque fuerit, ob mobilis diſpoſitionem, unio: in quo ſenſu non ſine proportione aliqua accommodari valet exemplum liquefactionis utriuſque ceræ. Ad eum modum etiam loquitur S. Auguſt. tract. 26. in Joan. *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & Chriſtum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus; procul dubio non manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum*. Manducatio igitur materialis in homine ritè diſpoſito ſit poſtmodum ſpi-

ritualis per immanentiam, atque adeo per conjunctionem dictam utriuſque ſpiritus in corde dignè communicantis.

S. Hilar. lib. 8. de Trinit. adeo clarè tradit hunc immanentiæ mutuæ modum, ut nihil expreſſiùs optari valeat, ſicut apparebit infra. Interim tamen producam ſolùm verba illa ipſius. *Quomodo voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectum Sacramentum ſit unitatis?* At non diſputat de unitate, aut unione Corporis Chriſti Domini cum carne ſuſcipientis ipſum, cum hæc breviter deficiat, quia accidentia marceſcunt, & Hilarius loquitur ibi de unitate inſeparabili (ſi obicem non ponat homo) ut comparatio ibidem aſſumpta, & verba ipſa exprimunt. Ergo de unione Spiritus Chriſti Domini, ſive animæ realiter aſſumentis cum fidele aſſumpto; cum diſſerat de Chriſto Domino, prout intra dignè communicantem manente. Non abſimiliter loquitur S. Chryſoſt. Homil. 46. in Joan. & Homil. 60. ad Populum Antiochenum, & Homil. 66. ubi expreſsè pronuntiat: *non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa*, nos copulari Chriſto Domino per devotam Euchariſtiæ ſumptionem. Et cum ejuſmodi immanentia realis nequeat intelligi perſiſtens per conjunctionem materialem phyſicam communicantis cum corpore Chriſti Domini celeriter deſinentem, quamvis fiat media illa, ut adjecit idem Chryſoſtomus ibidem: *propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit.* Quaſi conjunctio illa phyſica ſit cauſa ulterioris nexus perſiſtentis neceſſariò. *Manducare namque*, ait Rupertus in cap. 6. Joan. §. Nam & virtute, *& bibere, cauſa efficiens eſt, effectus autem, ut in me maneat, & ego in ea.* A ſufficiente partium enumeratione fieri debet per unionem intentam animæ Chriſti Domini nobiſcum: ex qua ſequitur unio realis in tertio membrorum inter ſeſe, quin & unio mediata durans cum Carne Chriſti Domini, cui unitur immediatè in Cœlo, & in altari ipſa anima Chriſti Domini. Eodem reſpexit proculdubio Theophilactus expendens eadem verba Chriſti Domini Joan. 6. *Hoe loco*, ait, *deſumos Sacramentum communionis, nam qui edit, & bibit carnem, & ſanguinem Domini, in ipſo manet Domino, & Dominus in ipſo. Contemperatio enim fit nova, & ſupra rationem, itaut ſit Deus in nobis, & nos in Deo.* Quòd autem non loquatur de nexu materiali, & brevi utrinſque in pectore communicantis, manifeſtum rurſus fit ex eo, quòd ſuppoſita reali ſumptione Corporis, & Sanguinis Domini, conjunctio realis materialis nobiſcum in ore, & in ſtomacho tanquam continentis cum contento, nihil præterfugiens captum noſtrum importat; immo potiùs foret rara, & ſtupenda illius conjunctionis privatio, antequam ſpecies deficerent; & aliunde Theophil. vinculum novum ſupra naturalem rationem conſtitutum reſultare ex ea conjunctione, diſertis verbis docuit; quod difficulter admodum verificari poteſt per vinculum aliud, quàm per noſtrum verè admiratione ingenti dignum, ex ſe æternum, & in tot ſimul fidelibus replicatum; cum ſub ratione conjunctionis phyſicæ in ordine ſupernaturali moventis cum mobili efficiat animam Chriſti Domini quodammodo animam mundi Euchariſtici.

Num. 30. Expreſſit hoc ipſum, veluti in terminis S. Irinæus lib. 4. adversùs hereſes cap. 34. cum dixit. *Nos in Euchariſtia ei offerre ea, quæ ſunt ejus, confitentes congruenter communicationem, & unitatem carnis, & Spiritus.* Spiritus ſcilicet Chriſti Domini cum carne, & ſpiritu noſtro. Quæ omnia non parùm roboris, & lucis hauriunt ex ulterioribus Chriſti Domini verbis ibidem verſ. 64. *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ locutus ſum vobis. ſpiritus, & vita ſunt.* Sed numquid Verbum caro factum, atque adeo caro Verbi (de qua neceſſariò ſit ibi ſermo; alioqui non opportunè incredulis occurreret myſterium durè accipientibus) nihil prodeſt? Prodeſt equidem, & ſanè tantùm, ut ſine illa periret humanum genus, juxta Divinæ providentiæ decretum, nullumque rurſus exiſteret Euchariſtiæ arcanum. Cæterum inſtruere voluit Eccleſiam circa Euchariſtiæ Sacræ effectum, & circa modum, quo cibus ille nutrit, & nobiſcum Chriſtus Dominus medio illo permanet: ut ſcilicet nemo putaret, eam permanentiam, & nutriendi rationem eſſe carnalem, ſeu fieri immediatè per carnem ſuam converſam materialiter in ſubſtantiam aliti, ut contingit in naturali alimento; ſed fieri quidem media carnis ſuæ digna ſumptione, tanquam prævio, & prorſus neceſſario requiſito ad nutritionem ſpiritus noſtri per immanentiam animæ, ſeu ſpiritus Chriſti Domini nobiſcum, qui per realem ſui conjunctionem aſſumit tanquam motor in linea ſupernaturali probè communicantem, ut illum poſſideat, regat, dirigat, moveat, & per illum tanquam per proprium corpus ſeipſum manifeſtet, & exprimat. *Caro non prodeſt quidquam* inquit S. Auguſt. tract. 27. in Joann. *Sed accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Chriſtus, quomodo caro nihil prodeſt? Sed per carnem Spiritus aliquid pro ſalute noſtra egit. Caro vas fuit. quod habebat attende, non quod erat.* Et Sanctus Athanaſius in tractatu de verbis Evangelii, exponens relata Chriſti Domini verba, inquit; *Et hìc quidem utrumque de ſe prædicavit, carnem, & ſpiritum, ac carnem à ſpiritu diſtinxit, ut non tantùm quod videbatur, ſed hoc quoque, quod in illo erat inviſibile* (anima ut unita verbo) *credentes, diſcerent, quòd ea quoque, quæ loquebatur, non eſſent carnalia, ſed ſpiritualia … ut ſpirituali-*

ter

ter hac (alimonia) *in uno quoque digeratur, fiatque omnibus conſervatorium ad reſurrectionem vitæ æternæ*. Hæc enim explicatio priorum verborum Domini, quæ ſcandalum generarant, per ſecunda nuper relata, neutiquam ita uſurpanda, quaſi dixerit: ſe non daturum carnem ſuam materialiter, realiterque ad manducandum, ſed nudè ſpiritualiter, aut per fidem; cum ſit hæc aperta hæreſis Sacramentariorum. Sed itaut non carnem emortuam, & emortuo modo diſcerptam, ſed vivam, & rationali forma, ſpiritu videlicet, animatam. Adeoque nutritionem ex cibo illo ſubſecutam, immanentiamque illius intra corpus cibati, nequaquam eſſe carnaliter intelligendam, quaſi caro ipſa manducata debuiſſet manere intra corpus aliti, illiuſque animam recipere ad inſtar alimenti purè materialis ad nutriendum corpus deſtinati. Quoniam ad illum quidem modum, verùm longè altiori, & ſpirituali, id futurum: quatenus nimirum forma ipſius cibi rationalis, & vivæ carnis, nempe anima, ſive ſpiritus, quem diſtinxit ibi à carne, juxta S. Athanaſium, maneat intra alitum eo modo, quo corpus animatum manducantis poteſt habere intra ſe ſpiritum alium ſuperiorem aſſumentem illud, eidemque aſſiſtentem inſtar motoris, qui moveret celeriùs per iter ſalutis, & perfectionis mobile aſſumptum, quàm intelligentia Cœlum, ni reſiſteret interdum obſtinata quadam ſuavitate arbitrium.

Num. 31. Obiterque notanda, & ſimul cavenda, quamplurium Scholaſticorum æquivocatio in Patrum teſtimoniis uſurpandis; cum enim ſæpiſſimè pronutient laudati Patres, carnem noſtram tranſire in carnem, ſive Corpus Chriſti per Euchariſtiæ legitimam ſumptionem, arbitrati ſunt, vel utramque carnem copulari nexu reali ſubſtantiali, ut ſect. 1. vidimus; vel nexum illum purè moralem dixere; vel merè affectivum, aut ſpiritualem inducunt illi, quibus nec realis, nec moralis alia ab ſpirituali, & affectiva, placuit. Et per ejuſmodi uniones tranſitionem affectivam, aut moralem nuſtræ carnis in carnem Chriſti metaphorica acceptione intellexere. Cum revera ſolidiùs, connaturaliùſque accipiantur, ut vidimus, de unione reali animæ Chriſti Domini cum corpore, & anima noſtra, vi cujus ſumens aptè Euchariſtiam tranſit in corpus myſticum ejuſdem Servatoris in ſenſu planè ſtricto; vel incorporatur cum ipſo, & ejus capite intimiùs, arctiùſque: maximè cum eo ipſo copuletur mediatè in tertio, ſcilicet in anima Salvatoris. Hæc acceptio non tantùm verior eſt, & accomodatior, verùm & longè utilior, expeditiorque ad hæreticorum redargutiones ſubvertendas: cum ex relatis ultimo loco verbis Chriſti Domini uſurpatis in ſenſu morali affectivo, aut ſpirituali à pluribus Theologis, ſubinferant gloriabundi, intelligenda pariter, & quaſi à fortiori, figuratè, aut ſpiritualiter ſolùm, prima ejuſdem Servatoris verba circa præſentiam realem ſui Corporis, & Sanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini, ut dictum eſt. Dum igitur Leo Primus (ut exemplum aliquod earum locutionum afferamus) Epiſt. 22. dixit: *In illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ hoc impertitur, hoc ſumitur, ut accipientes virtutem Cæleſtis cibi in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt tranſeamus*. Nullatenus ſignificat, carnem noſtram copulari moraliter permanenter cum carne Chriſti Domini, ſed carnem noſtram phyſicè aſſumptam ab anima ipſius, poſtquam deſierint ſpecies, tranſire ſtrictiùs in Corpus myſticum ejuſdem Chriſti Domini proprium; proindeque non tranſit caro noſtra in carnem illa Divinitate imbutam per unionem realem permanentem, & immediatam cum illa, ſed mediatè ſolùm per unionem in tertio, anima videlicet Salvatoris, per quam incorporatur magis, ſive unitur ſtrictiùs corpori myſtico, quæ dicitur quoque caro Chriſti Domini, cujus ipſe non tantùm eſt caput, verùm & ſpiritus aſſumens, & motor. Quamvis namque non aſſumatur communicans, niſi præſupponatur juſtus, & gratus Deo (quin & gratiſſimus) ac ſubinde membrum vivum corporis myſtici; longè tamen aliter fit corpus myſticum, aut illius membrum per Euchariſtiam, ac per gratiam ſanctificantem per alios tramites fluentem, ut infra planum fiet; cum Corpus humanum, per comparationem ad quod deſumitur myſticum, contineat partes aliquas, neutiquam informatas anima rationali, ut informantur aliæ, ſicuti circa ſanguinem, & alios humores opinatur communis Philoſophia; ac ſubinde minùs ſtrictè incorporatas, minuſque, aut laxius conjunctæ eidem. Quæ propterea ſi gradatim tranſirent ad obtinendum intimum cum anima rationali comercium in linea phyſica, per unionem immediatam cum ea, jeremerito gaudere poſſent de nova ſublimiorique ratione, & modo participandi conceptum membri vivi, ſive animati, & conſequenter ſtrictiùs uniti compartibus. Tranſit enim ad altiorem gradum in linea ipſa ſupernaturali, quantùm ferè diſtat inanimatum phyſicè in ea lineâ phyſice intra ipſam animato; diſtantia ſumma, & nihilominus nec ardua, nec longa via.

Dices: permanentia à Chriſto Domino promiſſa ſufficienter verificatur per Deitatem novo modo exiſtentem in juſto perfecta diſpoſitione ſuſcipiente Euchariſtiam, aſſumentemque ipſum, & gubernantem, cum dicatur illa Spiritus Chriſti Domini, ut multis exponit Leſſius de perfect. divin. lib. 12. cap. 11.. Qua via ſalvantur omnia, quæ aſſertio noſtra deſiderat, abſque novo, inauditoque nexu animæ Servatoris noſtri cum juſto verè Euchariſtico. Contra tamen: quoniam novus modus ille exiſtendi Deitatis, Divinarumque Perſonarum in ſanctè

Bbbb 2 com-

communicante, vel eſt ſolùm per gratiam (quam auget Euchariſtiæ ſumptio), vel per aliquid aliud receptum in anima juſti vi ſumptionis? Cum ſit planè certum apud Theologos, novum eum modum inveniri nunquam poſſe abſque immutatione reali ex parte creaturæ, ut docuit S. Thom. 1. p. qu. 43. art. 3. & ibi Cajetanus, traditque Doct. Eximius ex Theologorum conſenſu lib. 12. de Trinit. cap. 5. num. 3.. Si ſecundum: obtinuit aſſertio noſtra, cum donum illud diverſum à dono gratiæ, & ejuſdem comitatu, quodque permaneat; & vi cujus peculiari modo ſit præſens Verbum aſſumens, Deitas, & exinde reliquę Perſonæ divinæ, eſſe nequeat niſi anima Chriſti Domini unita digniſſimè communicanti, eo quod illa tantùm ſit forma æquivalenter ſanctificans (de quo infra) prout exigitur à D. Thoma, & Theologis ad novam eam præſentiam realem novo jure ſpecialiſſimo Verbi divini. Probaturque rurſus à legitima extremorum numeratione inſinuata, & ex dicendis integra hac diſputatione. Primum verò quod intendere videtur objectio ex P. Leſſio, fallit prorſus. Primò: quoniam novus ille modus habetur ipſo jure infallibiliter, & veluti ex opere operato per gratiam gratum facentem comparatam quacumque via, ſive per Sacramenta alia, ſive per operationes ſanctas, itaut ſit error dicere, adveniente gratia, non exiſtere novo modo Deum, & Spiritum Sanctum in juſto illo, velut in templo proprio, ut colligitur ex D. Thoma laudato art. 3. in primo argumento, traditque ex Patribus Doct. Eximius ubi ſupra; ecquis autem verè ſibi perſuadeat verba illa Chriſti Domini Joan. 6. *In me manet, & ego in illo*, promiſſoria, & grande aliquid, ſingulare, novum, ex propria ſignificatione includentia, in illis præſertim circumſtantiis, nihil aliud continere, quàm vulgarem effectum, & veteris etiam teſtamenti juſtis plane communem? Et ſanè, ultra gratiæ infuſionem, effectum alium ſignificare verba illa, luce clarius eſſe docuit Concilium Senonenſe decreto 10. dum inquit; *quis autem vivificum eſſe neget Euchariſtiæ Sacramentum, quod tam apertis teſtimoniis ſcripturæ comprobatur? ... Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. Et rurſum; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Quibus luce clarius conſtat, hoc Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum non ſolùm gratiam conferre: ſed & alia pleraque adverſus Hæreticos roborari, quæ de ipſo catholica tradit Eccleſia.* Evidens igitur viſum eſt Concilio, immanentiam illam promiſſam aliquid aliud ſignificare præter gratiam, & ex conſequenti præter vitam ęternam, & gratiam perſeverantem per ſe ſubſecutam. Dices: ex immanentia illa non arguit Concilium ulteriorem effectum, ſed præſentiam realem Chriſti Domini, quam fides dictat. Contra: ſi ex præfata immanentia arguitur præſentia realis, arguitur, neceſſariò præſentia realiter permanens in ſumente, ut ex terminis notum eſt; aut nulla arguitur (cum ad hoc ut ſalvaretur illud *in me manet &c.* opus non eſſet, quòd præcedenter ad ſumptionem exiſteret Chriſtus Dominus ſub accidentibus præſens permanenter). At non permanet in ſumente penes Corpus; ſiquidem deſinentibus ſpeciebus deſinit; Deitas verò per ſolam gratiam ſpeciali modo perſiſtit. Ergo &c.

Secundò: deitas eſt communis tribus Perſonis, unde, illa aſſumente juſtum, neceſſariò tres Perſonæ eadem ratione aſſumerent, & manerent: ſolùmque ſub aliqua conſideratione ſpectare poſſet ad Verbum ſingulari aliquo titulo, ſi hominem omnes Perſonæ aſſumerent ad Verbi tantùm propria, aut appropriata repræſentanda (cum re ipſa ſolas operationes Humanitatis exprimere intendant). ulterius eamet repræſentatio cum ſolo novo modo exiſtendi per gratiam æquè provenire poteſt ex aliis Sacramentis, & actibus meritoriis, ac per Euchariſtiam, ſubindeque nequit eſſe ejus peculiaris effectus. Et aliunde perſpicuum videtur, promiſſionem Chriſti. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*, ſpeciale aliquid deſignare conveniens peculiari modo formaliter Perſonæ Chriſti Domini. Dum autem media anima, & ſimul cum illa fit aſſumptio, ſpeciali jure competit Verbo præ aliis Perſonis illa; quia cum anima, quæ immediatè copulatur juſto ſit immediatè copulata Verbo, & non reliquis Perſonis, à fortiori eo ipſo Verbum aſſiſtit, aut adeſt juſto, ut ſupra dixi, modo aliquo peculiari: totum tamen ſuppoſitum illud dicitur verè, & proprie aſſumens, quia actiones ſunt ſuppoſitorum; & cum anima Chriſti, quæ immediatè aſſumit, ſubſiſtat per Verbi Perſonalitatem, illi neceſſariò, & ſpeciali jure præ aliis divinis Perſonis attribuitur aſſumptio. Maximè cum Verbum etiam immediatè aſſumat, licet nonniſi media anima, ut inſtrumento; quatenus eo ipſo mittitur, & fit ibi novo modo præſens. Recole ſupradicta. Tertiò: notiſſimum eſt, per dona gratiæ, & Charitatis mitti Spiritum Sanctum, cui attribuuntur dona per volumatem: *in ipſo dona gratiæ, gratum facientis Spiritus Sanctus habetur, & inhabitat hominem*, inquit S. Thomas ibidem: & aliunde per immanentiam attributam principaliter Spiritui Sancto, ægerrimè, & non abſque ſpecie confuſionis diceret Filius: *in me manet, & ego in illo*; eſſet contra Perſonarum diſtinctionem, ait S. Thomas Opuſc. 1. cap. 13. *Ut nomen unius Perſonæ alteri attribuatur*. Idemque eſt de munere, aut re propriè attributa uni. Unde benignè accipit, & exponit ibi Sanctum Cyrillum nomine Chriſti Domini intelligentem interdum Spiritum Sanctum.

Si

Si excogitaret aliquis unionem quaſi ſubſtantialem, & immediatam naturæ divinæ cum anima ſanctiſſimè accedentis ad Euchariſtiam, quæ ſit effectus ex opere operato illius; tametſi interdum ex dignatione divina, nunquam tamen ex opere operato, inveniatur extra illam; aberraret nimium: quoniam unio illa, à paucis tantum Aſceticis admiſſa in gradu ſublimiſſimo perfectionis, inviſa ſummopere eſt reliquis Theologis. Quocirca Doctor Eximius lib. 1. de Deo uno cap. 5. num. 8. oppoſitam doctrinam appellat *valde conſentaneam doctrinæ fidei*, additque, *evidenti demonſtratione oſtendi poſſe*; id quod exequitur ibi uſque ad finem capitis. Ideoque ea quorumdam Aſcetarum doctrina utimur infra ſolùm, ut exemplo ab aliis producto, neutiquam verò à nobis probato. Aſſertio autem noſtra, licet ſit præter Theologorum mentem expreſſam; nullo pacto eſt contra ipſorum, vel unius adhuc, ſententiam. Qua ratione igitur unionem, nullo contradictore à nobis aſſertam, & omnium conſenſu poſſibilem, repellis; ut nexum communi Theologorum placito repugnantem inducas?

Aberraret 2. quoniam Deitas, ut eo modo copulata ſubſtantialiter non magis denominaret manentem in juſto Chriſtum Dominum, quàm Patrem, & Spiritum Sanctum; cum promiſſio facta Joan. 6. apertiſſimè denotet, manſurum Chriſtum Dominum peculiari modo, & veluti privativo, neutiquam verò cumulativo; proindeque permanſuram Perſonam filii ratione Humanitatis, ſive conſtitutivi illius immediatè aſſumentis, adeoque ſeipſo etiam immediatè. Aberraret 3. quandoquidem ſatis frequenter deſeritur opinio docens, eſſentiam divinam uniri per modum ſpeciei mentibus Beatorum; etiamſi non in eſſe phyſico, ſed in eſſe purè intelligibili nexum illum adſtruat in Patria. Quarto: omnia robuſtiſſima argumenta, quibus Scholaſtici propè omnes cum D. Thoma 1. p. qu. 43. art. 3. probant, impoſſibile eſſe, quòd Deitas novo modo exiſtat, aut fiat præſens creaturę rationali, nec perſona aliqua divina, abſque dono gratiæ, aut lumine gloriæ immutante realiter creaturam (niſi per unionem hypoſtaticam); quæ librantur à Capreolo in 1. diſtinct. 14. & à Doct. Eximio lib. 12. de Trinit. cap. 4. num. 15. & cap. 5. à num. 3.. Vim ſuam exercent ex integro adverſùs unionem præfatam, etiamſi non fiat, niſi præſuppoſita gratia, & in gradu intenſo. Quinto: prædicta unio foret accidentaria, & Deo parùm digna. Sextò: illa unio aſſumptiva fieret ad repræſentandum Chriſti Domini operationes in Corpore paſſibili; finis autem hic connaturaliùs intenditur media anima Chriſti Domini aſſumentis Corpus ſuum myſticum; cum juxta communem Theologiam ad effectum primarium Euchariſtiæ concurrat per ſe phyſicè ut inſtrumentum Humanitas Salvatoris. Septimo: quoniam revera divinitas ita ſubſtantialiter intrinſecè unita ſubjecto capaci ſanctificationis, nempe juſto, redderet ipſum formaliter Sanctum ſanctitate increata, cum ſit formalis ſanctitas Deitas: ad modum, quo illum effectum exhibet animæ Chriſti Domini. Siquidem ad præſtandum effectum formalem ſubjecto capaci opus non eſt unione hypoſtatica, dummodo adſit ſtricta unio realis immediata, & intrinſeca formæ cum ſubjecto. Et quamquam aſſumat animam cum Corpore, utrique tamen uniretur intrinſecè. Inconveniens autem hoc declinatur pœnitus, dum Perſona divina interventu doni creati, animæ ſcilicet Chriſti Domini, aſſumit per intimam penetrativam ſolùm præſentiam, ſive novum exiſtendi modum, in illa creatura rationali, ut manifeſtum eſt; quique ſufficit in motore divino ad aſſumendum; tametſi pro motore creato ſive anima, vera aliqua unio ultra intimam præſentiam requiratur.

Pariter deviaret à ſemita, qui Verbum divinum ſe ſolo, & abſque anima Chriſti Domini, & præciſivè à reliquis Perſonis crederet immediatè aſſumens, & permanens; cum ea ratione jam conveniret Chriſto Domino, cujus ſubſiſtentia, aut Perſonalitas eſt Verbum, vero aliquo modo ſpeciali dicere: *In me manet, & ego in illo*; quemadmodum aliæ ſimiles prędicationes per communicationem Idiomatum verè dicuntur de Chriſto Domino ratione ſuppoſiti, etiamſi tantùm Divinæ Perſonæ competat effectus, aut res prædicata, ut ex Doctore Maximo contra Vigilantium, & Ambroſio lib. 7. in Lucam, ex Auguſt. ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, ex Chryſoſtomo Homil. 17. in Epiſt. ad Hæbr., ex Divo Thoma, tum 3. p. qu. 16. art. 8.; tum in 3. diſt. 22. docent omnes Theologi. Per immanentiam igitur ſpecialem ſolius Verbi Divini ſingulari novo modo in juſto illo perſiſtentis, illumque ſumentis ad ſe, ſalvatur in toto rigore veritas promiſſionis Chriſti Domini, quin opus ſit recurſu ad difficillimam, & noviter inventam unionis animæ ejuſdem cum juſto. Sed contra: permanentia illa ſpecialis Verbi Divini in juſto, ſanctè recipiente Euchariſtiam, importat eſſentialiter donum aliquod creatum, interventu cujus Verbum Divinum mittatur ad ipſum, eidemque fiat novo modo intimè præſens, ut illum aſſumat ad repreſentandum per ſuas operationes Chriſtum Dominum in vita paſſibili. Alioqui perperam reprobaretur paſſim à Theologis illapſus immediatus Spiritus Sancti in animas juſtorum abſque interventu qualitatis creatæ gratiæ nimirum ſanctificantis. Hæc doctrina etiam ſi dogmatica propriè non dicatur, eſt attamen dogmati vicina, ut ex Doctore Angelico ſupra, ex Doct. Seraphico, & Theologis fermè cunctis exploratum eſt. Neque ſolùm requiritur doni illius infuſio tranſeunter, &

veluti

Digitized by Google

veluti ad primum adventum Perſonæ Divinæ, verùm omnino permanenter: *Non ſolùm promittit Chriſtus adventum ad animam diligentem ipſum*, inquit, Eximius Doctor lib. 6. de divina gratia cap. 1. nu. 4. (tom. 3.) *ſed etiam permanſionem in illa: Ergo eodem modo, quo advenit, permanet: Ergo tale donum permanens eſt, etiam tranſacta operatione. Nam ſicut non poteſt ad nos denuo venire ſine interventu alicujus doni creati, quia non venit per mutationem ſuam, ita nec poteſt in nobis peculiari modo permanere ſine creato dono permanente*. Vel igitur donum illud eſt tantùm gratia ſanctificans per Euchariſtiam infuſa, vel donum aliud ab eo diverſum, & ſolius Verbi aliqua ratione proprium (cum non ſit unio hypoſtatica, ut eſt fide ſanctum)? Si primum: non potiùs Verbum, quàm reliquæ Perſonæ manent peculiari eo modo in juſto; quinimmo Spiritus Sanctus præ Verbo manere dicitur ſpecialiter per gratiam in juſto, quia illi per ſe attribuitur ſanctificatio.

Quapropter licet aſſumeretur per gratiam juſtus ad repræſentandas Chriſti Domini operationes, Spiritui Sancto tribuenda potiſſimè foret ea aſſumptio. Ad eum modum, quo Angelus ſæpè in veteri teſtamento aſſumpſit Corpus ad repræſentandum Verbum incarnandum. Quamvis enim dum Trinitas aſſumeret Corpus ad repræſentandum duntaxat Verbum, ſive ejus propria, aut appropriata, Verbum ſpeciatim in ſenſu aliquo dicebatur aſſumere; quia ipſum unicè exprimebatur, tametſi tota Trinitas pariter aſſumeret, & efficeret, ut docet S. Thom. 1. par. qu. 43. art. 7. ad 3. Cæterum in juſto per gratiam aſſumptio neceſſariò tribueretur per ſe primò Spiritui Sancto; licet operationum Humanitatis Chriſti Domini repræſentationem ſolùm intenderet. Proindeque Verbum minùs propriè diceretur peculiare aſſumens; vel erit quæſtio de nomine, & nihil de re includens. Verùm dicatur de Verbo etiam ſpecialiter; profecto cum illa aſumptio, aut novus præſentiæ modus habeatur ſolùm per gratiam, à fortiori obtinebitur eodem pacto per alia Sacramenta, actuſque meritorios. Nullus ergo peculiaris effectus, aut immanentia hac via tribuitur Euchariſtiæ; quod contradicit reſponſioni huic, & re ipſa verbis Chriſti Domini Joan. 6. Et ſanè, ſi præfata aſumptio fit ſolùm per gratiam, neceſſariò ſequitur per ſe ad illius infuſionem, quacumque via obtentam; proindeque ad illam quà ex opere operato infuſam æquè per alia Sacramenta, ac per Euchariſtiam. Si ſecundum; aſſigna mihi donum à gratia ſanctificante diverſum, tantæ dignitatis, ut ratione illius mittatur Verbum Divinum, & ſingularitatis tantæ, ut Verbo ſolùm ſpecialiſſimo jure conveniat, & non reliquis Perſonis eodem modo? Et quamquam doctè inſudes, numquam invenies, niſi animam Chriſti Domini Verbi hypoſtaticè copulatam, quæ ſemel unita intrinſecè juſto probè communicanti, ut inſtrumentum Verbi, illud peculiari modo affert ſecum ad juſtum præfatum intimè aſumendum, ad intimamque, & ſingularem præſentiam intra ipſum. Quia ſola Humanitas Chriſti Domini eſt propria ſingulariter Verbi per unionem, omniaque illius conſtitutiva. Et aliunde nec Corpus, nec Sanguis perſiſtunt, deſinentibus ſpeciebus, ut ſupponimus. Solùm igitur reſtat anima ſubintrans Corpus juſti illius, ſubindeque per illam, & cum ipſa Verbum ſpeciali jure adeſt permanet, & aſſumit; cum illa ſit forma æquivalenter ſanctificans, & formaliter altiori modo, juſtum nobilitans.

Et hinc ſumo ſecundam hujus reſponſionis expugnationem. Quoniam illa ſtatuere ſatagit propriam aſſumptionem illius juſti per Verbum Divinum, præciſivè ab aliis Perſonis; & aliunde hæc non aliter obtineri valet, quàm per aſſertum noſtrum: quatenus videlicet infundatur juſto donum creatum, quod ſit peculiare Verbi Divini, cujuſmodi eſt proculdubio anima Chriſti Domini Verbo hypoſtaticè unita, & non Patri, aut Spiritui Sancto. Proindeque dum illa unitur intrinſecè juſto, præfata Unio tam activè, quam paſſivè accepta, utpotè voluntaria, attribuitur immediatè immediatione ſuppoſiti Verbo. Et inſuper Verbum eo ipſo ratione ſui fit peculiari modo novo præſens illi ſubjecto, itaut ſi per impoſſibile non eſſet immenſus, & poſſet à reliquis Perſonis ſeperari, adeſſet nihilominus ibi intimè præſens; ut ſupra oſtendimus. Quantumvis igitur concedamus, ſalvari per communicationem Idiomatum propoſitionem illam: *Et ego in illa*, tametſi Verbum aſſumeret abſque interventu animæ; ſalvari tamen minimè poteſt ea ſolius Verbi aſſumptio realis. Ut enim inquit ſapientiſſimus Lorinus in Pſalm. 118. verſ. 73. *Aſſumptio non hypoſtatica cunctis Perſonis neceſſariò communis eſt: quomvis attribui poſſit nunc illi, nunc iſti Perſonæ. Legatur de apparitionibus viſibilibus filii Dei Tyræus noſter* (lib. 1. cap. 23. 24. & 25.) Noſtra autem aſſumptio involvit eſſentialiter hypoſtaticam, cum media anima Chriſti Domini, ut hypoſtaticè aſſumpta, aſſumat: eſtque propterea unica illa unio, quæ peculiari modo attribui poteſt, & debet Verbo Divino. Sicuti etiam ſi tota Trinitas aſſumeret eodem pacto, ſalvari poſset veritas promiſſionis, *& ego in illo*, cummulativè; ſiquidem maneret revera unà cum aliis Perſonis. Cæterùm ex alio capite non ſalvaretur promiſſionis ſenſus, qui manifeſtè in eis circumſtantiis includit immanentiam Chriſto Domino peculiari ratione convenientem. Præterquamquod donum gratiæ, vi cujus tota Trinitas manet ſpeciali modo, comparatur æquè ex opere operato per alia Sacramenta, ut ſupra arguebam.

Tertiò: quia licet permitteremus, Ver-

bum

bum poſse adeſse peculiari modo præſens juſto præciſivè ab aliis per unionem ſubſtantialem immediatam ad inſtar hypoſtaiici nexus; coogruentius, & connaturaliùs foret, ut aſsumeret media anima, & unà cum illa, utpotè organo elevato ſibi conjuncto, & medio quo efficit omnes effectus proprios Euchariſtiæ, ut ſolemne eſt inter Theologos. Præterea unio illa realis immediata ſive ſubſtantialis dicatur, ſive accidentaria, repellitur Scholaſticorum unanimi conſenſione tanquam repugnans, ut vidimus ſupra in re pari. Quartò: quia compertum videtur, Chriſtum Dominum in ea promiſſione pollicitum fuiſse manſionem in devotè ardenter manducante, non ſolùm penes Divinitatem, aut Verbum, verùm & penes Humanitatem, tametſi non adæquatè uſurpatam; cum totus ille ſermo fuerit de exiſtentia reali ſui Corporis, & Sanguinis ſub ſpeciebus Panis, & Vini, ſive de ſe ipſo, quà homine per modum cibi & potus. Unde ſi verba ad ſolam Perſonalitatem reſtringas, oceaſionem præbes Sacramentariis accipiendi eodem pacto verba ſignificantia realem Corporis exiſtentiam, itaut realem præſentiam Verbi Divini, (quæ ſubſiſtentia Corporis Chriſti Domini realis eſt) peculiari modo exiſtentem in Corpore ſigurato, ſive pane, denotent ſolùm; quo ſalvetur proprietas locutionis ſufficienter. Maximè cum apud graves Theologos, Bellarminum, Claudium Saincles, & Bernal. imitatos Innocentium III. Verbum (licet non divinitas) ponatur vi verborum per *to Meum*. Quamvis igitur ratione ſuppoſiti verificentur ſæpè locutiones totum Chriſtum Dominum ſignificantes; dum tamen ex adjunctis, aut præcedentibus, ſive ratione circumſtantiarum ſubeſse poteſt dubium, aut ambiguitas, nonniſi cum determinatione proferri valent, ut in re noſtra, in me manet, & ego in illo, penes divinitatem, aut Perſonam Divinam. *Sicut etiam in rebus humanis*, ait S. Thomas 3. par. quæſt. 16. art. 8.: *ea quæ in dubitationem venire poſſunt, an conveniant toti vel parti, ſi inſunt alicui parti, non attribuimus toti ſimpliciter, ideſt ſine determinatione. Non enim dicimus, quòd Æthiops eſt albus, ſed quòd eſt albus ſecundum dentes*. Et ibidem ad ſecundum. *Ea quæ dubitationem habent circa alterutrum non ſunt dicenda abſque determinatione*. Subindeque Chriſtus Dominus in eis circumſtantiis, ſi duntaxat penes Verbum Divinum manſionem promiſiſſet, debuiſset determinationem adjungere: ob eamdem cauſam adjungit eodem loco S. Thomas, admittendam minimè eſse hanc propoſitionem, Chriſtus eſt Creatura, *niſi cum determinatione, ſcilicet ſecundum humanam naturam*. Id quod pariter docuerunt Magiſter in 3. diſt. 11. Doctor Seraphicus, Doct. Subtilis, Durandus, Paludanus, Ferrarienſis, Cano, Doct. Eximius, & paſſim Theologia. Quamplura alia poſsem adducere; ſufficiant attamen hæc, quoniam ubi ratio clarè exundat, præſtat potiùs eius licentiam coercere, quàm habenas plenè diſcurſibus laxare.

Dices: permaneat integer Chriſtus Dominus penes totam Humanitatem unà cum Verbo, & verificetur ſtrictius immanentia promiſſa. Contra tamen: quoniam permanere cum dignè communicante ſemper, unà cum ſpeciebus per inſigne miraculum non corruptis, itaut hic ſit primarius, & proprius Euchariſtiæ effectus, nulla probabili ratione defendi poteſt; cum ſit notum ſapientibus eam perennem ſpecierum durationem per totius vitæ ſpatium, de nullo hactenus legi, ſi Deiparam excipias; quantumvis permanſiſſe incorruptas ad tempus aliquod, de quibuſdam Virginibus eximia puritate florentibus legatur. Solùm invenio aliquid ejuſmodi in vita mirabili ſervæ Dei Marinæ de Eſcobar, cuſtodiam ſcilicet Euchariſtiæ toto vitæ ſuæ tempore duraturam in corde habuiſſe (quam fuiſſe tantùm Chriſti Domini animam ſuſpicamur); cum Theologi omnes, præunte Divo Thoma, diſputantes multa circa deſitionem ſpecierum vi caloris naturalis, eam deſitionem, non tantum ſupponant per ſe ſubſecutam, ſed prorſus affirment. Cum ideo in primitiva Eccleſia, vel præceptum fuiſſet, vel conſuleretur ſaltem, ne ſuſcipientes Euchariſtiam accederent ad cibos communes, donec ſpecies deſiviſſe prorſus crederetur, uti colligitur ex S. Clemente in Epiſt. 2., refertur que in cap. *Tribus gradibus* 23. de conſecrat. diſt. 2. ex S. Chryſoſt. Homil. 27. in Epiſt 1. ad Corint. ex Paſchaſio de Corpore & Sanguine Domini cap. 2. Cum Chriſti Domini Corpus Sacramentaliter exiſtens, etſi animatum, non poſſit aſſumere Corpus juſti, eo quod aſſumptio ſit propria puri ſpiritus: nec comitari animam juſti morientis. Cum ille revera non eſſet effectus Sacramenti Euchariſtiæ, ſed ipſum potius Sacramentum permanens; & quamvis ea permanentia poſſet concipi ut diſtincta ab ipſo Sacramento ſecundum ſe ſumpto, & ſub ea ratione ut effectus illius; cæterum in ea acceptione effectus primarius Euchariſtiæ nihil afferret peculiaris utilitatis: efficeret quidem juſtum illum pixidem, aut cuſtodiam vivam; nullum tamen peculiare donum illi exhiberet, per quod differret effectus Euchariſtiæ ab aliis: dum ſententia noſtra inducit immanentiam animæ Chriſti Domini (quæ ſolùm conſtituitur per concomitantiam in Sacramento) quam dicimus ſanctitatem æquivalenter, motorem aſſumentem ut inſtrumentum Verbi Divini, & reliqua omnia mirabilia, quæ in hac, & ſequenti diſputatione proponuntur, promoventur, & luce, quantumvis nubila, illuſtrantur.

Si verò permanere dicas integrum Chriſtum Dominum deſtructis ſpeciebus: vel circumſcriptivè exiſtit in tot locis adeo diverſis; & grande hoc miraculum ægrè fidem

dem invenire poterit, cum apud plures nec poſſibilitatem inveniat. Si quaſi definitivè, aut Sacramentaliter ad eum modum, quo latebat ſub ſpeciebus; invehis miraculum repugnans in præſenti providentia, juxta quam apud Theologos, poſſibilis non eſt præſentia Sacramentalis, niſi per converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, ſive in corpus Chriſti Domini. Ita Doct. Seraphic. in 4. diſt. 10. art 1. quæſt. 3. Div. Thomas 3. par. quæſt. 75. art. 3. ibi: *quia non eſt dare aliquem modum, quo Corpus Chriſti verum eſſe incipiat in hoc Sacramento, niſi per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum*. Si autem deſinentibus ſpeciebus inciperet eſſe ſine illis modo prorſus eodem cum Sacramentali, otioſa foret converſio, aut ſaltem nulla foret illius neceſſitas ad præſentiam Sacramentalem; idem repetit 3. qu. 76. art. 1. & cum ipſo Theologi indiſcriminatim. Demum uterque dicendi modus cenſura notatus reperitur apud Theophilum Raynaud. in Etheroclitis ſpiritualibus ſect. 3. de quo nos ſect. 6. quatenus repellit ajentes, integram Chriſti Domini Humanitatem exiſtere permanenter in quibuſdam animabus in terra degentibus; quod æquè complectitur Humanitatem circumſcriptivè, ac ſacramentaliter exiſtentem. Neque hujus reſponſionis mentionem data opera feciſſem, niſi ut omnem excogitabilem effugii viam, tametſi præruptam, obſtruerem, ſi fuſus, immenſus humani ingenii campus circumcludi poteſt.

Ex quibus brevem hanc argumenti facti ſynopſim efformo. Chriſtus Dominus in vero aliquo ſenſu manet realiter permanenter, & peculiariter in eo, qui digno planè modo Euchariſtiam ſuſcipit. Sed id verificari minimè poteſt per hoc, quod permaneat ſola Deitas, aut tota Trinitas, nec ſolùm Verbum: nec rurſus per hoc quod remaneat totus integer Chriſtus Dominus deſtructis ſpeciebus (uti nec Corpus duntaxat). Neque tandem per ſolam gratiam & Charitatem. Ergo a fortiori per hoc quod permaneat anima Chriſti ut inſtrumentum Verbi, & una cum ipſo, per modum formæ aſſiſtentis, motoriſque aſumentis: ſi aliunde anima exiſtere divinitus valeat informans Corpus proprium phyſicum in Cœlo, & in Euchariſtia, & ſimul extra illud in Corpore myſtico. At poteſt omnino, & indubitanter. Ergo &c. Major conſtat ex verbis Chriſti Domini Joan. 6. Minor liquet ex ſupradictis. Conſequentia legitima deſcendit. Subſumpta verò extra dubium eſse debet, ut patebit infra, cum objecta diluam, docuitque Eximius Doct. tom. 1. in 2. p. diſp. 14. ſect. 1. uti & de omni forma ſect. 3. & ſanè S. Auguſtinus in libro de *cura pro mortuis &c.* cap. 16. ſupponit tanquam exploratum poſse divina virtute adeſse *uno tempore tam diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis &c.* quantumvis circà factum (in quod inclinare videtur) nihil definiat, ſed ab alio diſcere vellet, ut loquitur ibi, & in cap. ſequenti ſupponit, præfatas animas apparere poſse, *in qua figura voluerint*, adeoque in Corpore aſumpto; ſi autem per divinam virtutem exiſtere poteſt anima Beati in diverſis ſimul locis, & in quibuſdam tanquam forma aſſiſtens in Corpore aſumpto, & in aliis ſoluta prorſus à Corpore; poterit ſimiliter, exiſtere alicubi ut informans Corpus, & ſimul extra illud ut forma aſſiſtens in Corpore myſtico ex mente Auguſtini. Maximè cum juxta ipſum Auguſt. tract. 119. in Joan. Perſona Chriſti Domini habeat diſpoticum dominium ponendi, & ſumendi pro nutu animam ſuam; uti quilibet veſtem ſuam donat, induit, aut exuit pro libito.

§. III.

Num. 32. PRODUCAM ſecundo loco, unàque firmatur præcedens ratiocinium, verba Chriſti Domini immediatè ſubſecuta ad nuper ponderata, mutuamque illam immanentiam exemplo miro exponentia: *ſicut miſit me vivens Pater* (progreditur ibidem Servator noſter) *& ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Singularis hæc comparatio modò accipitur à Patribus de vita divina, quam in æterna generatione accipit à Patre per identitatem: modò de ipſa vita divina, divinitateque per unionem hypoſtaticam Humanitati copulata: ut ſicut ipſe manet in Patre & Pater in ipſo, ſic maneat ille in nobis per ſumptionem Euchariſtiæ, & nos in eo: & utroque modo comparationem hanc inſtituunt Patres, maximè S. Auguſt. S. Hilarius, & Divus Thomas in eum locum: ſecundum utramque itaque arguam. Porro ſi intelligatur inſtituta in ſecundo ſenſu; vel illa deficit ex toto, vel ſuadet aſſumptum noſtrum. Patet quoniam prædicta comparatio formatur à Chriſto Domino immediatè poſt illa verba: *in me manet, & ego in illo*, atque adeo nequeunt accipi ſolùm de tranſitoria ea conjunctione Corporis Chriſti Domini in ore, aut pectore cum Corpore noſtro, cum illa neutiquam permaneat phyſicè, adeoque nec extrema in ſe mutuo per illam maneant, aut immaneant phyſicè. Aliam ergo diverſam unionem deducit ex illa comparatione; & ſanè realem, & phyſicam. Namque ſi moralem ſolùm, vel affectivam, aut nudè ſpiritualem illam dixeris; eodem ductu Arriani dicent affectivam ſolùm Unitatem Filii cum Patre, uti Sacramentarii (ut paulo ſuperiùs arguebam) & hoc ipſo exemplo, exponent præſentiam Chriſti Domini ſub ſpeciebus per ſenſum myſticum, figuratum, aut per fidem, & affectum. Quandoquidem eadem expreſſione affirmat Chriſtus Dominus immanentiam mutuam, ac realem præſentiam, & ex hac præſuppoſita adſtruit illam.

Rur-

Rurſus immanentiam firmat exemplo mirabili, importante realem perpetuam unitatem, ſive unionem Divinitatis cum Humanitate, in qua manet, uti & Humanitatis in ipſa. Ut ergo ſcopulus hic vitetur, realis aliqua unio permanens inter ſuſcipientem Euchariſtiam, & Chriſtum Dñm in ea contentum neceſſariò admittenda eſt, vi cujus verificetur realiter ea immanentia, aut reciproca manſio. Aliunde nec Corporis, nec Sanguinis eſſe poteſt, cum non permaneant diu: nec Deitatis, niſi quatenus per gratiam exiſtit modo ſpeciali injuſto: ergo eſt unio Spiritus Chriſti Domini cum fidele hactenus explicata; quæ licet non ſit, nec eſſe valeat ejuſdem perfectionis cum unione, cui comparatur, ut eſt evidens, & notat ibi Sanctus Thomas, cum illa unio ſit hypoſtatica, ſecus verò hæc; eſt attamen realis, & ad ordinem hypoſtaticum quodammodo pertinens, adeoque ſufficiens, ut comparatio ſit omnino propria, veraque: quia ſicut vita ſubſtantialis Divina copulatur phyſicè Humanitati, ſic anima Chriſti Domini quæ eſt vita ſubſtantialis, unitur phyſicè, quamquam unione inferioris ordinis, homini dignè accipienti Euchariſtiam, & per illam Divinitas. Maximè cum maneat ibi pariter Divina Perſona Verbi peculiari modo exiſtens, & aſſumens immediatè, unà cum anima juſtum. Et ſanè aliter comparatio realis intimæ illius unionis, & impropria valdè foret, & redderet improprium ſenſum verborum ſignificantium unionem phyſicam.

In primo verò ſenſu inſtituta comparatio non ſegnius urget, nobilitaturque altiùs ab hac unione, quam intendimus. Siquidem cum ea comparatione uterentur Arriani ad improbandam conſubſtantialitatem Filii, eo quod ibi aſſeratur, ita vivere accedentem ad Euchariſtiam propter Chriſtum Dominum, ſicut Filius ipſe vivit propter Patrem; ſi recipiens Euchariſtiam ſolùm vivat per gratiam, & non immediatè, per vitam Chriſti Domini, ut Arriani ſupponebant, non ineptè ſubinſerrent inde: unitatem vitæ Filii Divini cum vita Patris eſſe affectivam. Dum, inquam comparationem hanc objiceret Arrianiſmus, occurrere Patres, præſertim Cyril., & Hilarius, veram realem unionem inducentes inter Chriſtum Dominum & ritè communicantem; ut conſtabit ex teſtimonio Hilarii lib. 8. de Trinit. infra loco opportuniori fuſiùs producendo, modò autem ſufficiant verba hæc: *Eos nunc, qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrum ne per naturæ unitatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis?* Deinde expendens unitatem realem inter Chriſtum Dominum & ritè ſuſcipientem Euchariſtiam, ſubdit: *Ita enim omnes unum ſumus, quia & in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis; quiſquis ergo naturaliter Patrem in Chriſto negabit, neget priùs, naturaliter, vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis, unum in his eſſe nos faciunt.* Ubi non ſolum affirmat hanc realem unionem Chriſti Domini nobiſcum; ſed præſupponit illam notam cunctis, & ex illa arguit adversùs Arrium, altiorem unitatem per identitatem in natura Filii cum Patre, & per realem immanentiam Patris in Filio.

Præterea unitatem hanc realem Chriſti Domini manentis in nobis per Euchariſtiæ ſumptionem dicit permanentem ibidem: *& permanentem in nobis carnaliter Filium* (ideſt in carne noſtra) *& in eo nobis corporaliter & inſeparabiliter unitis.* Neque rurſus loquitur ſolùm de unione Verbi Divini cum illa numero Humanitate ejuſdem ſpeciei cum noſtra: tum quia diſputat de unione per Euchariſtiæ ſumptionem inducta: tum quia utramque exprimit in eodem loco, ut gradus unitatis, ſive unionis, eorumque diverſitatem ordinis, & perfectionis recenſeat. *Si voluntatis tantùm unitatem intelligi vellet, cur gradum quemdam atque ordinem conſumandæ unitatis expoſuit; niſi ut cum ille in Patre per naturam Divinitatis eſſet, nos contra in eo* (ideſt natura noſtra humana) *per corporalem ejus nativitatem, & ille in nobis per Sacramentum ineſſe myſterium credatur.* Vocat enim ibi Sacramentum myſterium ineffabile Corporis, & Sanguinis Domini (uti etiam loquitur in Miſſa Eccleſia Sancta); ex illiuſque ſumptione digna ſuboritur, ut docet, unio Chriſti Domini nobiſcum permanens, ſive ſtabilis, ex parte illius; quæ tertium gradum, & infimum obtinet, comparata cum unitate naturę Patris, & Filii: & ſecundum cum unitate Verbi Divini, ſive unione ad naturam humanam in illa numero Humanitate. Comparatio autem hæc manifeſtè includit realem unionem perſiſtentem inter Chriſtum, & communicantem, & non tantùm affectivam, aut ſpiritualem, moralemve; tum quia id clarè animadvertit: tum quia alioqui probaret idipſum, quod Arriani contendebant circa unitatem affectivam ſolùm inter Patrem, aut Filium, ſeque ſuiſmet armis appeteret Hilarius; cum ille intenderit, & obtinuerit, armis Arrianorum jugulum eorumdem petere.

Num. 33. Tandem ſubjungit Hilarius: *Hæc autem idcirco à nobis dicuntur, quia voluntatis tantùm inter Patrem. & filium unitatem Heretici mentientes, unitatis noſtræ ad Deum* (Chriſtum Dominum per Euchariſtiam) *utebantur exemplo.* Supponit igitur, & aſſerit tanquam planè in fide certum, per legitimam Euchariſtiæ ſuſceptionem manere permanenter phyſicè, & intrinſecè in nobis, non ſanè ex integro Chriſtum Dominum, cum Corpus, & Sanguis deſinant, deſinentibus ſpeciebus, juxta fidem ipſam; ſed animam Perſonalitati Verbi Divini copulatam: à qua realiter aſſumatur, qui ritè ſuſcipit Euchariſtiam; aſſumatur quidem ab

anima ipſa immediatè ut inſtrumento, à Verbo autem, ut motore, & cauſa principali, ad repræſentandum tamen ipſum Chriſtum Dominum; cum aliud genus unionis reſpectu corporis vivi aſſumendi poſſibilis non ſit in præſenti providentia, nec deceret, ut dictum eſt; alioqui ut ſubintulimus ſæpe, argumentum Hilarii foret prorſus inerme, ſuaderetque oppoſitum. Immò dum præſupponit, Arrianos quoſdam puram voluntatis unionem perſeverantem agnoſcere inter ſumentem Chriſtum Dominum in Euchariſtia, & ipſum, illos acriter expugnat, unitatemque realem fundat, ut ex illa aſcendat ad unitatem in natura Patris, & Filii gradatim demonſtrandam; viciſſimque deſcendit ex illa ad hanc. Filius itaque æternus habet eamdem adæquatè naturam viventem Patris per identitatem. Humanitas Chriſti Domini habet ſibi copulatam immediatè per unionem realem hypoſtaticam Perſonalitatem Filii, vitamque ſubſtantialem Divinitatis. Dignè verò ſuſcipiens in Euchariſtia Chriſtum Dominum, confeſtim ac ſpecies corruant, habet ejus animam, ut ſubſiſtentem per Divinam Verbi Perſonalitatem, realiter unitam, & intra ſe manentem, non per identitatem realem, ut Filius naturam Divinam accepit per æternam generationem: non per unionem realem hypoſtaticam, per quam Humanitas Sacroſancta aſſumpta fuit à Verbo Divino. Non per nexum realem informativum, medio quo anima ipſa Chriſti Domini actuat Corpus ſuum phyſicum; ſed per aliam ſpeciem realis, & phyſicæ conjunctionis permanentis illius animæ, ut aſſumentis Corpus ſanctè communicantis, ut mobile ad ſe repræſentandum, tamquam forma aſſiſtens illius corporis, quod eſt verum Corpus myſticum ipſius Salvatoris; cujus non ſolùm eſſe debet caput, verùm & in ſenſu aliquo reali anima. Et hæc eſt realis immanentia mutua, quam promiſit Chriſtus Dominus verbis primo loco productis, & quam firmat exemplo ſublimioris unitatis Divinæ.

Unde Sanctus Thomas eam comparationem à Chriſto Domino factam exponens in Joann. 6. & doctrinæ S. Hilarii inhærens, diſcuſſa juxta illius ſententiam comparatione laudata penes utramque partem, collataque vita illa Divina, & natura, uti & ejus unitate cum vita, quæ permanet realiter in ſumente dignè Euchariſtiam, inquit: *Per hoc ergo ſecundum Hilarium excluditur error Arrii: nam ſi nos propter Chriſtum vivimus, quid aliquid de natura ſua habemus, ut ipſe dicit: qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ergo & Chriſtus vivit propter Patrem, quia habet in ſe naturam Patris, non autem partem, quia ſimplex eſt, & indiviſibilis: ergo habet totam naturam Patris. Propter Patrem ergo vivit filius, dum nativitas non alienam ei intulit, diverſamque naturam.* Verùm quid eſt illud *aliquid* de natura Chriſti quod obtinemus, quodque per ſuſceptionem dignam Euchariſtiæ manet intra nos? Non enim diſſerit de Chriſto ipſo Domino dum adhuc perſiſtunt ſpecies incorruptæ pectore ſuſcipientis; tum quia pro eo tempore, non aliquid naturæ Chriſti Domini, ſed totus quantus quantus eſt, exiſtit ſub eis accidentibus conſecratis. Tum quia loquitur de immanentia, quæ eſt effectus ſumptionis, quæque ex conceptu ſuo permanens eſt, ut ſupra notum fecimus; cum illam apud Hilarium conferat Chriſtus Dominus cum unitate vitæ illius cum vita Patris. Deinde non remanet aliquid purè affectivum, aut morale, aut merè ſitum in gratia relicta ex digna ſumptione, quæ eſt participatio Divinæ naturæ; quoniam inde colligerent Arriani, vitam, ſive naturam Patris, & Filii ſolùm importare unitatem affectivam, aut naturam in Filio participatam ex natura Patris. Et quia tunc falleret abſolutè comparatio; vel eadem laxitate acciperent Hæretici verba Domini circa præſentiam Corporis, & Sanguinis ſui in Euchariſtia. Inſuper non eſt Deitas ſola, nec ſola Perſonalitas Divina, ob rationes ſupra fusè productas. ergo à fortiori remanet anima Chriſti Domini cum nihil aliud ipſius perſiſtere valeat; aliter ſalvari ægrè poterit Chriſti Domini veritas, & realis immanentia, Hilarii doctrina profunda ſimul, & concitata, & Divi Thomæ inſinuata Theologia, qui licet non explicuerit, quodnam ſit illud, quod realiter manet, attamen penitus non ſilet; non determinat, ſed indicat, & à ſufficienti partium enumeratione ſubinferendum aliis reliquit.

Num. 34. Importunè ſiquidem diceres, manere intra ipſum Divinitatem, ſive Spiritum Sanctum ſpeciali quodam jure, & modo, poſtquam deſiit, eſſe Humanitas. Quoniam id foveret argumentum Arrii. Deindè, ut nuper arguebam in ſimili, modus ille peculiaris exiſtentiæ Spiritus Sancti intra ipſum juſtum aliud non importat, apud Theologos in re pari, quàm intenſiorem gratiam, ſanctitatemque, & unà cum illa jus ad uberiora auxilia, quibus crebriùs, & vividiùs excitetur ad ardentiores Charitatis actus, ſive unionem affectivam ſtrictiorem, (& in eo ſenſu intimiorem Divinitatis modum exiſtendi in juſto illo): hoc autem æquè obtinetur per ubertatem gratiæ, per arduas operationes in Dei obſequium elicitas, & per aliorum Sacramentorum conductus, ut vidimus. Non eſt ergo ſingularis effectus Euchariſtiæ, qui ipſum à nobiliſſima aliarum operationum turba diſtinguat: adeoque non eſt ille, qui conſtituit realem immanentiam attributam Euchariſtiæ à Chriſto Domino juxta mentem Hilarii, & Divi Thomæ. Accedit quòd peculiaris exiſtentia Divinitatis, per Verbum divinum, ſive modus diverſus ab inſinuato communi, obtinetur certo, & connaturali modo per

ſit

aſſertionem noſtram: quia cum anima illa ſit copulata hypoſtaticè Verbo; eo ipſo quod illa conjungatur ut motor aſſumens mobili aſſumpto, habet immediatè & præcipuè ſibi copulatum novo jure Verbum Divinum, & ex conſequenti ſibi conjunctam peculiari etiam illo titulo Divinitatem, exindeque Spiritum Sanctum mediatè (ſeu ratione Verbi) qui eſt etiam Spiritus filii.

Reſpondebis iterum, & audacius ex doctrina cujuſdam Recentioris, S. Hilarium fuiſſe locutum per hyperbolem in eo loco, uti Gloſſa in cap. *In Chriſto Pater* de conſecr. diſt. 2. referens verba Hilarii, dixit: *Verba S. Hilarii*, ait, *prudenter, & diligenter intelligenda ſunt: quia licet planum ſit, quòd intendit dicere, tamen obſcuris, & ſcrupuloſis utitur verbis inclytus Doctor, &, ut dicit S. Hieron. Gallicano Cothurno extollitur: longis ſemper periodis involvitur, & à locutione ſimplicium Fratrum procul eſt.* Cæterum hyperbolica locutio, etiamſi exceſſum importet, ſupponit tamen in re, quam extollit, qualitatem ipſam, quam exagerat; quemadmodum ſi ad æqualitatem uſque conferas unitatem naturæ divinæ copulatæ realiter Humanitati Chriſti D. cum unitate ejuſdem divinæ naturæ in Patre, & Filio, verum unitatis genus utrobique ſupponis; exorbitas tamen per exceſſum, quandoquidem hæc unitas eſt per identitatem realem, illa verò per nexum realem ab utroque extremo diſtinctum. Præſupponit igitur S. Hilarius veram aliquam, & realem unionis ſpeciem permanentem inter recipientem Euchariſtiam, & Chriſtum D., in qua fundatur hyperbole (ſi adſit ea hyperbolica phraſis; dum ipſe proteſtatur ibi, ſe non loqui *humano, aut ſæculi ſenſu*). Si autem illa, quæ ſupponitur, eſſet tantum figurata, aut affectiva, tunc eſſet potius falſa propoſitio, quam hyperbolica: corrueretque eo ipſo, & falleret prorſus collatio arguens ex ea umbratili unitate realem ſimpliciter in alio extremo comparationis unitatem. Deinde ea comparatio Hilarii non eſt, ſed ipſius Chriſti D., ut liquet ex verbis ſupra adductis; vis ne locutionem Servatoris noſtri dicere Cothurnatam, & non jam puram ſimplicis veritatis prolationem? Floribus Rhetorum orationem veſtitam, & non jam veritatem nudam? In cauſa Euchariſtiæ, & ad Sacramenti conſpectum, ſermonem Chriſti D. promittentis inſtitutionem Euchariſtiæ, audes appellare figuratum?

Num. 35. Ulterius: dum in quæſtione aliqua verſamur, & aliquis clariſſimè, & apertiſſimè adhæret uni extremo, tametſi deinceps in illo perſuadendo ſuboſcurè procedat, vel ænigmaticè, vel elata, & magnifica elocutione detonet, omniaque vehementer perturbet, ut animos concitet; nunquam propterea verè affirmaretur, illum, vel aberraſſe ab illa ſententia, vel illam prorſus non tenuiſſe. Id autem feciſſe luculenter admodum, & diſertiſſimè S. Hilarium in aſſerenda unione aliqua reali permanente inter Chriſtum D., & ſuſcipientem ipſum, evidentiſſimum eſt, cum acerrimè, & ſæpiſſimè affirmet; adſtruatque eam unionem perſiſtentem, illamque probari à Chriſto D. per comparationem ad unitatem naturæ, vitæque, Patris, & Filii, perſpicuitate ſumma doceat. Quid igitur refert, quod in hac doctrina comprobanda, aliiſque, eloquentiæ majeſtatem, & veluti pompam interdum oſtendat, & divitias orationis effundat? Profecto ea dicendi copia, & elegantia claruit, & ea claritate arcanum Euchariſtiæ expoſuit, ut Venerab. Durandus Abbas Noarnenſis ſcripſerit, Hilarium prævidiſſe primam Berengarii hæreſim; & ideo Berengarius horrebat Hilarii teſtimonia hæc, eumdemque arguebat erroris in alia materia, ut refert Lupus Synodor. Gen. par. *6*, pag. 181.

Et ſanè argumenta nimium perſpicua viſa fuerunt Arrianis; alioqui verum non foret, quod de ipſo teſtatur idem Doctor Maximus, Hilarium, de prælio Hæreticorum victricem in Galliam reverſum, Galliarum Eccleſiam complexam fuiſſe, & miratam. Addit inſuper S. Hieron. de Hilario: *Beatus Antiſtes, & inter procellas Mundi magnus ſuſtentator Eccleſiæ?* quod ſanè potiſſimè fecit, Trinitatis myſterium profundum egregiè ab Arrianorum inſultibus vindicando; & illud ejuſdem ad Lętam: *Hilarii libros inoffenſo decurrat pede.* Et in cap. 65. Iſaiæ: *Vir ſanctus, & eloquentiſſimus Martyr Cyprianus, & noſtri temporis confeſſor Hilarius, non ne tibi videntur excelſæ quædam in ſæculo arbores, ædificaſſe Eccleſiam Dei?* Et S. Auguſt. lib. 1. contra Julianum Pelagianum: *Eccleſiæ Catholicæ adverſus hæreticos acerrimum defenſorem venerandum quis ignorat Hilarium Epiſcopum?* Et infra: *Hunc virum tanta in Epiſcopis Catholicis laude præclarum, tanta notitia, famaque conſpicuum &c.* Conſulatur etiam lib. 6. de Trinitate, uti & Caſſian. lib. 7. de Incarnat. cap. 24. & alii Patres, qui Hilarium prædicant, non ſolum, *vita, & eloquentia inſignem*, verum & *Magiſtrum Eccleſiarum*. Suntne hæc facinora obſcuritatis, an potius lucis? Vel ergo dicendum eſt, Hilarium turpiter erraſſe in aſſerenda ea unione reali immanentiæ, ex eaque eruendo unitatem realem, quamquam ſuperioris longè ordinis naturæ inter Patrem, & Filium; quod de Hilario, præſertim diſputante de Trinitatis arcano ineffabili, nec piè, nec verè proferretur; aut ſentiendum nobiſcum; cum ullus alius excogitari valeat nexus realis permanens poſt ruinam ſpecierum, quam animæ Chriſti D. cum ſuo corpore myſtico; quia delicias reputat eſſe cum illo, uti motor in mobili, & Gubernator in Navi, quam regit, ut in portum ſalutis appellat, & flammulis victricibus ornet.

Num. 36. Urgetur hoc ipſum paulò aliter ex verbis etiam Chriſti D. Joan. 14. eamdem immanentiam, eamdemque immanentiæ comparationem inſtituentis. *Quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis:* & cap. 17. orat Patrem: *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & ipſi in nobis unum ſint . . . Et ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Quæ omnia protulit Chriſtus D. in profundo illo ſermone poſt Cœnam, & inſtitutionem Euchari-

ſtiæ. Diligentiſſima autem hæc, & crebra repetitio unitatis fidelium cum ipſo, collatæ cum unitate in natura Patris, & Filii, vel etiam cum mutua circuminſeſſione, manifeſtè arguit, aut deprimendam eſse unitatem illam rerum divinarum, immanentiamque mutuam ex ea unitate reſultantem, ad gradum affectivum, ſive moralem, quod hæreticum, & blaſphemum eſt; aut elevandam unionem, ſive conjunctionem dignè ſumentis Chriſtum D. cum ipſo ad verum, realem, permanentemque nexum aliquem, prout ſententia noſtra meditatur; aut ſentiendum, comparationem eſse fallacem, impropriam, & re ipſa Chriſto D. indignam, cum aliunde fuerit ab ipſo aſſiduè inſtituta. At ejuſmodi immanentia includere nequit corpus, & ſanguinem, aliquodve prædicatum, aut conſtitutivum corporeum, ſiquidem materialia, nullo excepto, diſparent, confeſtim ac accidentia conſecrata traſmutantur, & pereunt. Ergo importat animam ipſiuſmet Chriſti D., unitam Perſonalitati Verbi divini; adeoque animam eam ut aſsumentem realiter corpus illud, ad finem movendi, ſenſimque ipſum transformandi in Chriſtum D.; itàut illum exprimat velut alter Chriſtus, cum non adſit modus alius permanens realis conjunctionis, qui deceat animam præfatam, nec qui liceat per philoſophiam. Unde ſatis appoſitè accommodares ad rem noſtram illud 1. Joan. cap. 4. *In hoc cognoſcimus: quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.*

S. Hilarii doctrinam laudat, miratur, & ſequitur. Sanctus Paſchaſius exponens illa verba Matth. 26. *Cœnantibus illis, &c.* dicens: *admiremur, & laudemus, atque intelligamus in his, quod Beatus Hilarius intellexit, quo artificio, ut ita loquar, nos Chriſtus in ſe collegit, vel quo myſterio unum in ſe nos eſſe naturaliter voluit, non per concordiam ſolummodo voluntatis &c.* Ad eumdem modum loquitur Sanctus Cyrillus Alexandrin. lib. 14. in Joann. cap. 13. *Unde conſiderandum eſt, non habitudine ſolum, quæ per Charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam & participatione naturali.* Et loquitur apertè de inhabitatione permanente intra ſumentem Euchariſtiam, ut conſtabit in ſequentibus, ubi perſpicua ejuſdem teſtimonia fusè producenda, & elucidanda ſunt.

Dices, Hilarium ibi præcedenter arguere etiam unitatem Filii cum Patre in natura divina ex unitate Fidelium in natura ejuſdem Fidei, & Baptiſmi; utraque autem eſt unitas purè ſpecifica, nullam realem conjunctionem unius cum alio includens. Contra tamen: quoniam Hilarius in eo loco occurrit argumento Arrianorum, deſumpto ex verbis illis Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* At qui, opponebant Arriani, Fideles ſunt unum duntaxat per concordiam voluntatum ergo &c. Quam objectionem ut eluderet S. Hilarius, retorquet in Arrianos telum (*ex his ipſis*, inquit, *quibus utuntur refellendi ſunt*) in hunc modum. Fideles non ſunt unum tantum per conſenſum voluntatis, ſed inſuper per naturam Fidei. Ergo ex objecto loco potius convincitur, Patrem, & Filium habere aliam unitatem realem præter unitatem voluntatis. Quapropter, licet non inferret inde Hilarius unitatem ſimpliciter in eadem numero natura inter Patrem & Filium, quia unitas fidelium in habitu Fidei eſt tantum ſpecifica; probat attamen ulteriorem aliam unitatem præter affectivam; ut aliquid ſaltem contra producentes eliceret ex eorumdem argumento. Jam vero Chriſtus Dominus idem numero eſt in omni altari; ſubindeque unio Fidelium ritè communicantium cum Chriſto Domino, ſive ejus anima permanenter, rectè arguit, dum comparatur, unitatem Patris, & Filii in divina natura.

Secundo: quia ut notat Card. Bellar. lib. 2. de Sacr. Euchar. cap. 12., diverſum eſt, apud Hilarium, aliqua eſſe unum naturaliter, ut ſunt Fideles per naturam Fidei; ac unum eſſe naturaliter in alio, ut eſt Pater in Filio, & Chriſtus Dominus in ſumente digno modo Euchariſtiam, ſicut Salvator ipſe teſtatur. Primum verificatur per quamlibet unitatem veram, dummodo ſit genus aliquod proprium unitatis, & ab ea unitate argui ſolum poteſt formaliter unitas aliqua vera inter Patrem, & Filium, ultra unitatem voluntatis. Ceterum unum eſſe realiter naturaliter in alio, includit ex conceptu formali ſuo realem phyſicam conjunctionem utriuſque. Conſequenterque ex immanentia reali Chriſti Domini pœnes animam, ut copulatam Verbo Divino, efficaciſſimè elicitur per aſcenſum unitas realis in natura divina Patris, & Filii. Uti & ex hac deſcendendo evincitur illa.

Tertio: quoniam ſemel ac inſeratur ex unitate ſpecifica in natura Fidei unitas alia naturalis in divinis Perſonis ultra affectivam; cum ex alia parte, fatentibus etiam Arrianis, natura Deitatis ſit eſſentialiter unica numero; neceſſario ratione materiæ unitas illata eſt per identitatem in eadem numero natura. Quarto: re ipſa potius ex hac doctrina Hilarii colligitur opinio noſtra; quandoquidem juxta illam Fideles Euchariſtici ſortiuntur eamdem Chriſti Domini animam, ut ſibi intimè copulatam, conſequenterque ſunt una illa anima, & ratione illius ſunt idem in eo tertio dulciſſimo. Ex quo idcircò firma illatione deducitur unitas in natura Divina Patris, & Filii. Unde de unitate illa Fidelium diſſerens ibidem ſubjungit. *Itaque, qui per rem eamdem unum ſunt, natura etiam unum ſunt, non tantum voluntate.* Verum quænam eſt res illa, in qua ſunt unum? In honore eis dato à Chriſto, reſpondet Hilarius, ex verbis ipſius: *Honorem, quem dediſti mihi, dedi eis.* Per honorem intelligit Euchariſtiam, ſeu Chriſtum Dominum manentem in Fidelibus, ipſum dignè ſuſcipientibus, ut notavit etiam ſupra Card. Bellarminus, & explicat eleganter mox ipſe Hilarius.

De-

Demùm objectio hæc eò directè collimat, nt argumentum Hilarii adversùs Arrianos inerme efficiat; quod procul eſse debet à ſanæ doctrinæ Theologo. Exindèque reſultat gloria quammaxima ratiocinio uoſtro, quaſi non alitèr exarmari valeat, quam reddendo inermem Magni Hilarii diſcurſum contra Arrium.

Ut verò manifeſtum uberiùs fiat, quanta firmitate S. Hilarius eam realem immanentiam Chriſti D. intra ſuſcipientem ipſum tradiderit, quamque torvè aſpiciat oppoſitum dicentes, audiendus iterum in eo loco, dum exponit verba illa: *In me manet, & ego in illo: hæc accepta, atque hauſto* (Corpus, & Sanguis), inquit, *id efficiunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe qui Chriſtum Jeſum verum eſſa Deum negant*. Et ſanè hæc, & ſimilia pronuntiat, cum diſſertis verbis diſputet de unione permanente, & inſeparabili (ex parte Chriſti D.): quocirca non ſolùm Arrianæ impietatis incuſat negantes eam veritatem realem perſiſtentem; verùm ex ea ſtabilita verbis Salvatoris, *in me manet, & ego in eo*, aſſurgit ad firmandam unitatem naturæ inter Patrem, & Filium: tanti ponderis: tantæque energiæ viſa fuit Hilario unio à nobis aſſerta, & ab ipſo facundiſſimo eloquio illuſtrata. Eamdem immanentiam agnovit, multiſque nobilitavit inſignis Joan. Gerſon. tractatu 9. ſuper *Magnificat*, partitione 4. in titulo: *duodecimum bonum unit*. In tertia parte operum Editionis Pariſienſis anno 1606. Primò namque ait *quid dici poteſt unitiùs, quàm qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ega in eo. De ineſſe, & manſione ſuperadmirabili eſt iſta ſententio. Neque minùs admiranda ſimul & amplexanda, quæ ſequitur: ſicut miſit me Deus Pater, & ega vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Deinde expendens fusè modos eſſendi in alio, inter reliquos numerat hunc: *dicit quandam unionem ſeu convenientiam duorum in aliquo quaſi tertio, ſive illud tertium ſit ſubſtantia, ſive res aliqua relativa, ſive accidens abſolutum, &c.* Progreditur rurſus declarans unionem propriam hujus manſionis, tùm per formas, & inhabitationes diverſas, tùm per gratiam gratificantem; adjungitque tandem ulteriorem alium nexum, & inhabitationem, quam dicit eſſe *pauciſſimorum*; de qua loquitur ſic: *fœlix iſte, & gratuitus Deiformis illapſus, & influxus Spiritus Jeſu Chriſti, plus ſupereminentis in Spiritu, & mente ſuper animam, quàm diſtat Cœlum & Terra ..... ſentiunt hanc gratiam actualem experimentalem, non, quidem omnes, qui dignè manducant Corpus Chriſti, ſed* (per errorem typographi habetur) *& in quibus manet Chriſtus, & ipſi in Chriſta, ſicut modo dicebamus*. Per Spiritum autem Chriſti permanenter inhabitantem non potuit intelligere Spiritum Sanctum, qui eſt etiam Spiritus Chriſti Domini, ſed ejus animam unà cum Verbo, ut revincitur maniſeſtè ex eo quod utrumque diſtinguat ibidem paulò ſuperiùs, & inhabitare doceat, inquiens: *ſentiunt hanc gratiam inhabitationis Chriſti, & Spiritus Sancti, qui cum Apoſtolo mente excedunt Deo: præterea ſentiant operationem Verbi Dei* &c. Secundò, quia aſſerit, nou omnes dignè recipientes Euchariſtiam, & proinde in ſtatu gratiæ accedentes, & augumentum gratiæ per illam comparantes, obtinere hanc unionem, manſionemque. Et aliunde per gratiam inhabitat ſpecialitèr Spiritus Sanctus juſtum. Ex quo fit, quòd nec ſolam gratiam intelligat, quamvis ſub nomine gratiæ unionem hanc comprehendat; ſicut comprehendit etiam gloriam.

Num. 37. Promovere quoque aſſumptum videntur ulteriora illa Chriſti D. verba Jo. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quænam autem eſt, vel eſſe poteſt, ſpecies hæc vitæ, quæ haberi nequit, niſi per dignam ſumptionem phyſicam Euchariſtiæ? Ut neceſſitatem hanc Euchariſtiæ ad eam vitam poſſidendam, exponant, vel mitigent Theologi, ne ſit planè eadem cum neceſſitate Baptiſmatis, de qua ipſe Chriſtus D. Jo. 3. *Niſi quis renotus fuerit ex aquo, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Et cùm illa de qua Lucæ 13. *Niſi pœnitentiom egeritis, omnes ſimul peribitis*; mirum eſt, quas ſemitas, quamquam diverſas, arripuerint, jugiterque arripiant Scholaſtici, nihil intentatum relinquentes; nulla tamen via difficultatem implexam ſatis enodantes. Conveniunt modò omnes in aſſerendo, Euchariſtiam in re ſuſceptam non eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem conſequendam ſimplicitèr, decernente Synodo Tridentina ſeſſ. 22. Can. 4. *Signis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit*.

Conveniunt paritèr plerique, neque adhuc in voto eſſe neceſſariam, quatenus eſt Sacramentum particulare effectivum gratiæ: cum enim, quà Sacramentum vivorum eſt, ex natura ſua præſupponat vitam ſpiritualem, juſque ad æternam ſalutem, nequit per ſe requiri ad eam ſalutem ſimplicitèr. Quam doctrinam expreſsè docuit Sanctus Thomas tertia part. quæſt. 65. Non pauci nihilominus cum Cajetano, & Soto putarunt, illud eſſe neceſſarium neceſſitate medii, vel in re, vel in voto, ſive Eccleſiæ reſpectu parvulorum, ſive proprio, ſi adultus ſit; eo quod ſit finis, & conſumatio reliquorum Sacramentorum, ut ex Sancto Dionyſio de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3. docet Sanctus Thomas. Quam ſententiam probant ex eodem Doctore Angelico tertia part. quæſt. 73. artic. 3. ajente. *Unde ante perceptionem hujus Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex vota percipiendi hoc Sacramentum*. Et qu. 80. art. 11. *Spiritualis autem manducatio includit votum percipiendi hoc Sacramentum, ut ſupra dictum eſt in eodem loco. Et ideò ſine voto percipiendi hoc Sacramentum non poteſt homini eſſe ſalus*.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterum multa ſunt, & graviſſima, quæ reſiſtunt huic opinioni, vel potius loquendi modo: & primo loco reſiſtit ipſe Divus Thomas, ſub cujus umbra creditur nata. Porrò Sanctus Doctor 3. parte quæſt. 65. art. 4. corpore, ubi comprehendit Euchariſtiam inter Sacramenta, quæ ſolum ſunt neceſſaria tamquam id, ſine quo non habetur finis ita convenienter. Si autem D. Thomas exiſtimaſſet eam ſaltem neceſſariam ſimplicitèr in voto, aut per modum finis aliorum Sacramentorum; illam neceſſariò ſub ea ratione recenſuiſſet in primo modo, neceſſitatis ſimplicitèr, quem ibi exponit, ut compertum eſt. Et licet ibidem in reſponſione ad ſecundum occurrat verbis Chriſti D. ex doctrina S. Auguſtini, quòd ibi ſit ſermo de manducatione ſpirituali; quam ipſe D. Thomas q. 80. art. 11. includere votum Euchariſtiæ docet; verùm eo ipſo, quod illam neutiquam enumeraverit in producto loco inter neceſſaria ſimplicitèr; legitimè infertur, nequaquam exiſtimaſſe, manducationem ſpiritualem, eſſe propriè & ſtrictè votum Euchariſtiæ, ſive Euchariſtiam in voto, ſed metaphoricam, inſufficientemque, ut ratione illius numeretur inter Sacramenta ſimplicitèr neceſſaria ſub aliqua vera conſideratione.

Propterea Tridentinum ſeſſ. 21. c. 4. dixit: *parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem.* Si autem Concilium exiſtimaſſet, regenerationem illam includere eſſentialitèr in voto Euchariſtiæ ſumptionem, eam rationem non obligandi parvulos regeneratos ad ſuſceptionem Euchariſtiæ in re attigiſſet, quia ſcilicet illam ſuſcepere jam in voto. Quod eluceſcit ampliùs ex ſequentibus ejuſdem Concilii verbis, dum quarumdam olim Regionum uſum attingit, & excuſat dicens: *eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe credendum eſt*. Ergo nec in voto ex mente Concilii neceſſaria ſimpliciter eſt illis Euchariſtia; alioqui eſſe poſſet juſta aliqua dubitandi ratio, num deberet illis in re miniſtrari, ubi adeſſet copia; quoniam ut Sanctus Thomas loquitur tertia part. quæſt. 80. artic. 11. corpore *Fruſtra eſſet votum, niſi adimpleretur, quando opportunitas adeſſet*. Conſingitur itaque re ipſa ab eis Scholaſticis votum Euchariſtiæ eo ſolùm fine, ut difficultatem ex verbis Chriſti Domini petitam evadant; qua non exiſtente, numquam dicerent neceſſarium ſimplicitèr in voto id, quod non eſt in re neceſſarium, dum adeſt, aut adeſſe facile poteſt. Cur igitur non datur parvulis baptizatis Euchariſtia, ſi in voto eſt ſimplicitèr neceſsaria, & aliunde eſt in re ipſa facilis, & prompta ejuſdem ſuſceptio phyſica. Præſertim, cum juxta plures Theologos, præter ſtatum gratiæ, nulla actualis devotio neceſsaria percipiendum effectum, ex opere operato manantem ex ſuſceptione Euchariſtiç? Idcircò Caramuel aſſeruit, *ſententiam hanc non eſſe probabilem*. P. Leſſius oppoſitam, & communem affirmat eſſe *certam*. P. Bernal pronuntiat abſolutè, contrariam eſse *communem Catholicorum ſenſum*. Plateliuſque audacter protulit, illam eſse *temerariam*, etiamſi cenſura hæc aliâ reflexâ notetur à Juniore quodam. Ita luditur cenſuris interdum, cum debuiſsent tanti ponderis eſse, tantumque horrorem incutere, ut tutiùs crederetur ludere cum Aſpidibus.

Num. 38. Addendum, reliqua Sacramenta (conſequenterque eorum effectus) neutiquam poſtulare Euchariſtiam niſi ut per illam perficiantur, & conſumentur, ut certum eſt ex Patribus, & Theologis, etiam illis, qui huic reſponſioni ſubſcribunt. Et aliunde alia Sacramenta, Baptiſmus v. g. ſolùm eſse poteſt votum Euchariſtiæ, quatenus ad illam refertur, illamve poſtulat, ut manifeſtum eſt; ergo ſi illam tantùm reſpicit, ut conſumantem, & perficientem ipſum; à fortiori eſt tantùm votum Euchariſtiæ ut perficientis: ergo neceſſitas Euchariſtiæ in voto, eſt neceſſitas duntaxat Euchariſtiæ ad perfectius eſſe baptizati. Sed ejuſmodi neceſſitas non eſt medium ſimpliciter neceſſarium, cum ſit tantùm ad perfectius eſſe. Ergo &c.

Urgetur: res aliqua in voto, ſeu votum rei ſupplet id, quod ipſa efficeret, ſi immediatè realiter adeſſet. Sed Euchariſtia in re exiſtens ſolùm complet, auget, perficitque effectus aliorum Sacramentorum. Ergo votum Euchariſtiæ ſolùm dici poteſt neceſſarium ad uberiùs, tutiuſque ſalutem æternam obtinendam; quæ neceſſitas, omnium votis, recurrit cum utilitate, vel eſt tantùm neceſſitas ſecundum quid. Eiſdem ferè argumentis cadit affinis alia reſponſio ſalvans neceſſitatem ſimpliciter Euchariſtiæ per rationem finis, quem eſsentialiter reſpiciunt Sacramenta. Quandoquidem finem prædictum intendunt unicè ad conſumatam perfectionem ſui, ſive effectuum, quos cauſant in ſuſcipientibus; neceſſitas autem terminata ad hunc finem, vel neceſsitas hujus finis; nullatenus eſt neceſsitas ſimpliciter, ut dictum eſt, ſed ad melius eſse tantùm: vel erit neceſſitas ſimpliciter ad melius eſse vitæ ſpiritualis, & æternæ ſalutis; non autem neceſſitas ſimpliciter ad vitam, & ſalutem æternam ſecundum ſe. Atque adeo obtineri poteſt ſimpliciter per effectum alterius Sacramenti vita æterna, præciſive ab Euchariſtia; quantumvis plenius cum illa obtineretur. Non eſt ergo medium abſolutè neceſſarium ut finis aliorum; & licet exigentia illius ſit ipſi eſſentialis: eſt attamen unicè exigentia perfectæ conſumationis. Erit igitur neceſſaria aliis Sacramentis exigentia præfata, adeoque Euchariſtia in exigentia illa; verum erit neceſſaria ſimpliciter exigentia rei non ſimpliciter neceſſariæ ad finem vitæ æternæ. Unde appellare neceſſitatem ſimpliciter in exigentia, aut voto, illam, quæ terminatur ad rem non ſimpliciter neceſſariam, ſed purè conducentem, importat implicationem in terminis. Ut notat Petrus Arcudius lib. 3. de Sacram. cap. 47.

Se-

Secundò: plures Theologi exiſtimant, reſpectum illum ad Euchariſtiam non eſse intrinſecum reliquis Sacramentis; ſed extrinſecè ſolùm ordinari ad illum ex divina diſpoſitione: cum unumquodque illorum perfectiſſimum ſit in ſua linea, quin intra eam complemento, aut perfectione aliena indigeat; extra illam autem non divagatur, volontarièque reſpectus ille fingitur; & ſanè illo ſecluſo, vel non intellecto, eumdem formaliter effectum induceret proculdubio; quià non cauſat gratiam, quia reſpicit Euchariſtiam, ſed quia habet ex meritis Chriſti Domini vim illam inducendi, & ſignificandi. Quare per accidens ſe habet reſpectu gratiæ productæ, quòd reſpiciat Euchariſtiam, vel ſecus. Immo revocari nequit in dubium, potuiſse Chriſtum Dominum inſtituere Sacramenta reliqua, Euchariſtiâ non inſtitutâ; tametſi in eo eventu Paradyſus Eccleſiæ caruiſſet ſonte aquarum viventium, quibus undique irrigatur, & vireſcit.

Falluntur pariter, qui dicunt, Euchariſtiam eſse cauſam veluti univerſalem, è qua manant effectus aliorum Sacramentorum; ſiquidem cogitationem hanc improbabilem eſse dixit modeſtiſſimus Franciſcus Suarez diſp. 40. ſect. 2.. Si velis Chriſtum Dominum in Euchariſtia contentum in effectus illos influere, admittam illico; cæterum hoc eſt recurſum facere ad Chriſtum Dominum contentum in Sacramento Euchariſtiæ, non ad Sacramentum ipſum, cum præfatum influxum exhibere poſset è Cœlo. Præterea hæc doctrina continet neceſſitatem ſimpliciter Euchariſtiæ in re; cum votum Euchariſtiæ non ſit virtus phyſica cauſandi gratiam in reliquis Sacramentis. Decipiuntur ſimiliter, qui putant Euchariſtiam eſse neceſsariam ſimpliciter, quà peculiare Sacramentum nutriendi eſt, cum vita generata per Baptiſmum, auctaque per Confirmationem, indigeat ſimpliciter cibo, quo nutriatur, peritura alioqui, per analogiam ad vitam corporalem. Hæc enim reſponſio ſimpliciter quoque neceſsariam efficit Euchariſtiam in re præcisè, cum fames, & ſitis nequaquam pellantur per votum, aut deſiderium cibi, & potus, ſed per ipſum realiter potum, & cibum; alioqui uterque appetitus ſatiaretur ſeipſo formaliter, cum ſit cibus in deſiderio. Tertiò: quia inde ſequitur, perire ſpiritualiter parvulos regeneratos per lavacrum, ſi moriantur antequam cibo hoc, aut lacte rationali alantur, quod eſt Hæreticum. Quartò ſibi contradicunt ii Theologi, quia omnem incorporationem per gratiam ex aliis Sacramentis ſcaturientem dicunt manducationem ſpiritualem; & modò reſpondent, Euchariſtiam eſse ſimpliciter neceſsariam titulo nutriendi vitam ſpiritualem. Suppletur itaque cibatio in vita ſpiritus per alios effectus ęquè augentes vitam, & foventes alio artificio, ſeu aliter ac illam nutrit cibus: quia eſt amplior vitâ corporeâ, & excellior: itaut exclamari liceat cum Chryſoſt. Homil. 61. ad populum Antioch. *Hei mihi quot ad ſalutem nobis viæ.* Totidem enim ſunt ad vitam ſpiritus roborandam, cum ſit fide ſanctum illud Chriſti Domini Matth. 4. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei.* Si igitur peculiare illud neceſsarium revoces ad Chriſtum Dominum contentum, deſeris opinionem tuam; quoniam Chriſtus Dominus ſecundum ſe non importat ſacramentalem exiſtentiam, ac proinde ejus neceſſitas non efficit Euchariſtiam ſimpliciter requiſitam: extra Chriſtum Dominum nulla eſt via ad vitam: extra Euchariſtiam ſunt plures ſemitę rectę, quamvis illa ſit via lactea.

Num. 39. Prudentes alii emerſiſſe credunt, cum dicunt, verba Chriſti Domini neutiquam ſignificare neceſſitatem omnimodam, ſive medii; ſed difficultatem quammaximam; eo quod difficillimum adultis ſit perſeverare in gratia ſuſcepta per Baptiſmum, ni eſca Angelorum confortentur. Et aliunde ſummè difficile, juxta phraſim non infrequentem ſcripturarum, appellatur impoſſibile, moraliter ſcilicet, & hujus oppoſitum neceſſarium: uti illud Chriſti Domini Matth. 19.: *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cælorum.... Apud homines hoc impoſſibile eſt &c.* Non minus autem impoſſibile eſt, adultum diù perſeverare in gratia, ſeu non deficere in via ſpirituali, ſi accedere renuat ad menſam Cœleſtem hanc. Ita expreſsè Sanctus Cyprianus orationem Dominicam expendens. Doct. Angelicus in 4. diſt. 12. quæſt. 3. Doctor Eximius, Leſſius, & Aſcetici omnes. Cæterum hac via jam verba Chriſti Domini accipiuntur in ſenſu aliquo lato, etiamſi non improprio: non de neceſſitate ſtrictè, phyſicè, aut metaphyſicè, ſed de morali, & de hac etiam laxè uſurpata; cum non ſolùm in Parvulis recens generatis in Chriſto Domino, & extemplo vita (vix incepta) functi, prorſus fallat, verùm in pluribus quoque adultis. Semel autem ac in verbis, quibus Chriſtus Dominus Euchariſtiam inſtituendam promiſit, ne~~ceſſitas illius ad ſalutem aſſequendam, quam ipſe inſtitutor adſtruit verbis clariſſimis;~~ accipi ritè valeat in ſenſu morali, & quidem latiſſimo; non ſine fundamento ſolido inſurrexiſſet turba Sacramentariorum, ajentium pariter, verba inſtitutionis: *hoc eſt enim Corpus meum*, neutiquam ſignificare præſentiam phyſicam realemque Chriſti Domini, ſed moralem duntaxat.

Secundò: cum verba à nobis producta concepta ſint eiſdem terminis, ac ſententia illa: *niſi quis renatus fuerit &c.* voluntariè fingitur hæc inducens neceſſitatem medii; ſecus illa: aut è converſo. Quamobrem S. Auguſt. lib. 1. de Peccat. merit. cap. 20. utramque ſententiam eodem rigore, & modo

do intelligendam accerrimè tuetur; & contrarium objicientem redarguit: *Sed qui hoc dicit, non attendit, quia niſi omnis iſta ſententia teneat, ut ſine Corpore, & Sanguine filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major id curat. Poteſt enim, ſi non voluntatem, ſed verbo loquentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur.* Ubi apertè ſermonem inſtituit de Corpore phyſico Chriſti Domini ſub ſpeciebus, quod ætas adulta ſuſcipere curat; etiamſi alibi uſurpet interdum Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini pro Corpore myſtico uti habetur in cap. *nulli* de conſecrat. diſt. 4. & refert Divus Thomas 3. par. quæſt. 83. art. 3. eo quod illud ſit res Sacramenti Euchariſtiæ. Neque ſententia divites excludens à regno Cœlorum ſimilis eſt, cum verba, quibus illa fertur, dilucidè exprimant, aut indicent ſolam arduitatem, difficultatemque ingentem, adjungente ſtatim Salvatore ipſo: *apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*. Et ſanè præfata verba Chriſti Domini tanti ponderis viſa fuere Ruperto, ut in caput 6. Joann. §. *nam & virtuti hujus*, dixerit, neceſſarium fuiſſe Patribus in ſinu Abrahæ exiſtentibus veluti manducare Agnum (animam ſcilicet ejus) ut ſalvi fierent: *Agnum in aro Crucis torridum illa Sacratiſſima Veſpera, ſimul omnes in inferno poſiti, velociter comederunt, impletâ prophetiâ, quæ dicit: O mors ero mors tua, morſus tuus ero inferne. Etenim non activè dictum eſt, mordebo te, vel ero mordens te, ſed paſſivè morſus tuus, inquit, ero inferne. Quem, inquam, Agnum in Inferno mortui comederant, nos eundem &c.* Id quod latiùs explicat infra, & mira ſubtilitate illuſtrat.

Cum Theologi plures vidiſſent hos, & ſimiles ſcopulos, ſecuritati bujus reſponſionis oppoſitos, & minitantes, dixere, Sacramentum Euchariſtiæ, ut in re ſuſceptum, eſſe per ſe neceſſarium neceſſitate medii adultis ad perſeverandum diù in gratia ad finalemque perſeverantiam; quamquam interdum per accidens, & raró admodum, poſſet ad tempus aliquod ſufficere in voto. Quam ſolutionem hauſiſſe gloriantur ex Divo Thoma in 4. diſt. 12. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ubi docet hoc Sacramentum eſſe neceſſarium: *non ſimpliciter, ut ſine quo non eſſet ſolus, ſed ex ſuppoſitione finis, ſi ſcilicet homo in vita ſpirituali firmus perſiſtere velit*. Cui reſponſioni adſtipulantur Roffenſis, Claudius Sainctes, Granad. Sponzæus, Averſa, Rivera in Joann. 6. Turrianus, Henriquez, Becanus, Salmanticenſes &c. Proteguntque ſuam doctrinam verbis Tridentini ſupra allegatis, quæ ſolos parvulos excipit à neceſſitate ſuſcipiendi Euchariſtiam, eo quod in illa ætate gratiam receptam in Baptiſmo amittere non poſſint. Ergo à contrario ſenſu adultis neceſſitate medii erit neceſſaria Euchariſtia, quia ſine illius ſumptione perſiſtere diù nequeunt in ſtatu fœliciſſimo gratiæ.

Verùm hæc neceſſitatis medii explicatio, aut reſtrictio, deficit in multis, ut convincunt D. Eximius diſp. 40. ſect. 2. Vaſq. diſp. 169. Henao diſp. 3. ſect. 1. & paſſim Doctores. Tum quia voluntariè ad quærendam fugam reſtringitur ad adultos neceſſitas contenta in verbis Chriſti Domini ſine reſtrictione; cum S. Auguſt. expreſsè eam reſtrictionem conſectetur ut fallacem, & à ſenſu verborum Chriſti Domini alienam. Tum quia certum planè eſt, quamplurimos, vel quia liberum ipſius non fuit accedere ad Euchariſtiam: vel quia licet Euchariſtiam acceperint; naufragium tamen deinceps fecere, rurſuſque gratiam recuperantes per Sacramentum pœnitentiæ, violento aliquo inſultu vita exceſſerunt, quin Euchariſtiæ ſumptione muniri poſſent, nihilominus portum ſalutis attigere. In eo autem eventu perſeverantia illa tribui nequit præcedenti ſumptioni Euchariſtiæ, quia apud graves Theologos gratia Sacramentalis minimè recuperatur per pœnitentiam; ac ſubinde non aderat augmentum illud gratiæ per Euchariſtiam jampridem comparatum, cui deberentur auxilia, quæ influxum præſtiterint in eam perſeverantiam.

Ulterius: quia licet reſtituatur ea quoque gratia, non ideo debentur illi auxilia eadem, quæ fuiſſent debita, ſi fidem hoſpiti ſuſcepto ſervaſſet. Inſuper quia perſeverantia finalis, adhuc ex ſuppoſitione ferventiſſimæ ſumptionis Corporis Chriſti Domini eſt gratia planè indebita, conſequenter poſtulat auxilia aliunde provenientia, ex Divina ſcilicet largitate; & beneficentia. Denique, quia excepere Sacramentum extremæ unctionis plurimi ex illis, auxiliiſque eo titulo debitis, & collatis, imputari ex parte deberet illorum perſeverantia. Tum quia alioqui eodem jure Sacramentum Confirmationis dici poſſet neceſſarium neceſſitate medii ad fidem conſtanter profitendam urgente viſibili tyranno, & vexante; vel hoſte inviſibili tyrannidem ſuam vehementiſſimis adversùs fidem ſuggeſtionibus exercente. Uti nec perpetuò amentes gratiam in Baptiſmo ſuſceptam conſervare poſſent abſque ſumptione Euchariſtiæ; niſi velis eos excipere ſimul cum parvulis, ut ſic numeroſitate exceptionum, pares fermè exiſtant, qui abſque medio illo in portum appellant, ac qui cum illo; eſt ne hoc verum genus neceſſitatis medii ſimpliciter? Neque tandem vi aut caſu detenti alicubi, ubi nullus adeſt, qui Euchariſtiam conficiat, & miniſtret, perſeverantiæ donum aſſequi poſſent, perirentque miſerè neceſſariò: quod abſurdè proferretur, ne alioqui Eremitæ priſci (plures ſaltem) qui montium horridos ſinus, & ſpeluncas habitarunt, Divina hac eſca ſæpe privati, quaotumvis orationis altiſſimæ pabulo refecti continuo, nequaquam perſeveranter ſtetiſſent in Chriſto Domino, montiumque cacumina occupaſſent, ut altiùs inde præcipites abjiſſent.

Nu.40.

Num. 40. Quæ viguit olim, quæque floret etiam modò communior opinio neceſſitatem ſolùm præcepti ſignificari, & contineri, in verbis Chriſti Domini arbitratur, nullatenus verò medii. Diverſitas inter utramque neceſſitatem, quatenus præſenti difficultati accommodanda, quantumvis trita nimis, & primo aſpectu ſatis nota, faciliſque; (in qua declaranda multus eſt Pater Vaſquez ſupra) introſpecta tamen obſcura valde, & tenebris pariter, ac tricis ad imum uſque imbuta reperitur; quoniam tamen illa à noſtro inſtituto aliena prorſus eſt, & quia neceſſitatem præcepti, quomodocumque explicatam, inſufficientem putamus ad ſubjectum nodum diſſolvendum, prætermittimus omnino illius diſcuſſionem: inſufficientia autem illa detegitur primò, quoniam neceſſitas præcepti vulgaris admodum eſt, communiſque omni divino, naturali, & Eccleſiaſtico præcepto; difficulter autem creditur, expreſſionem illam Chriſti Domini, adeo diſtinctam, nudum præceptum involvere: quia ſi loquatur de præcepto imponendo in poſterum ab Eccleſia de communione, nullam aliam neceſſitatem includeret, niſi communem circa obſervantiam præceptorum ad vitam obtinendam; hæc autem neceſſitas ſupponitur aliunde inculcata à Chriſto Domino Math. 19. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: adeoque non eſt neceſſitas ſpeciali jure conveniens Euchariſtiæ, ut evidenter eſt illa neceſſitas, quam ibi exponit Chriſtus Dominus, confitenturque omnes. Si verò loquatur de præcepto divino, quod illiſmet verbis actu injungeret, ut aſſerit S. Juſtin. Martyr. in Apolog. 2. pro Chriſtianis, D. Thomas 3. par. qu. 80. art. 11. à Lapide in Joan. 6. Doctor Eximius diſp. 69. ſect. 1. & frequentiſſimè Interpretes alii, Theologique; non propterea evaditur difficultas: ſiquidem verba illa non inducunt neceſſitatem, quia præcipiunt; ſed præcipiunt, quia præſupponunt illam ex parte rei neceſſariam; quemadmodum multa prohibentur, quia mala. Quòd verò illam neceſſitatem ex parte rei deſignent (conſequenter neceſſitatem medii, in qua res jubetur, quia in ſe eſt medium intrinſecè neceſſarium) conſtat ex hactenus ponderatis. Conſtat ex eo quod verba omnes univerſim complectantur, ut S. Auguſtinus in loco ſupra producto docet, oppoſitumque abſurdum credit; *niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine corpore, & ſanguine filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra ætas major id curat*. Et aliunde Parvuli non ſunt capaces præcepti, nec perpetuò amentes; & quamvis Parentes illius ſint capaces; illis attamen non imponitur. Ergo neceſſitas illa minimè eſſe valet tantùm præcepti.

Conſtat rurſus ex eo, quod aliter poſſet impunè quiſque explicare per meram neceſſitatem præcepti, ut à neceſſitate medii diſtinctam, verba planè ſimilia Chriſti Domini circa baptiſmum, & pœnitentiam eorum qui lapſi fuerint, cum eiſdem ferè terminis concepta ſint illa Euchariſtiæ, ac hæc baptiſmi (quidquid futili reflexione contendant nonnulli Scholaſticorum) eadem energia, eadem phraſi; & ſic intellecta fuere, non tantùm ab Auguſtino, ſed à plurimis etiam aliis Patribus.

Enodationem præſentis difficultatis, quam nulla ex dictis Theologorum opinionibus conſequi potuit, obtinet nullo negotio aſſertio noſtra, quæ comprobatur ſimul, & robuſtè fulcitur hoc Chriſti Domini teſtimonio. Neceſſitas igitur, de qua Salvator ibi loquitur, nullo pacto eſt neceſſitas medii ad ſalutem ſimpliciter comparandam, conſequenterque nec ad vitam ſimpliciter ſpiritualem; cum utraque haberi poſſit abſque interventu Euchariſtiæ. Sed eſt obtinendi vitam ſubſtantialem ſibi intrinſecè conjunctam, non per unionem informativam, nec hypoſtaticam, ſed per aſumptionem communicantis dignè factam ab anima Chriſti Domini, quæ eſt in ſe vita ſubſtantialis copulata vitæ divinæ, poſtquam finierint in ſtomacho ſpecies, juxta principium aſſertionis noſtræ. Neceſsitas autem ſumptionis realis Euchariſtiæ ad id obtinendum, eſt neceſsitas ſimpliciter medii, quin ſufficiat votum, aut deſiderium; quoniam ad hunc finem requiritur omnino præſentia realis corporis Chriſti Domini intra Perſonam aſſumendam (media ſuſceptione Euchariſtiæ), ut abeuntibus per deſtructionem ſpeciebus conſecratis, poſsit permanere, immanereque anima ſanctiſſima Deificataque Chriſti Domini. Ac proinde, tam parvulos, quàm adultos, ſine exceptione omnes compræhendit, quia nemo animam Chriſti Domini, ſibi unitam tamquam motorem aſſumentem habebit umquam in præſenti providentia abſque reali, dignaque manducatione Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis (quantumvis ſine illa vita ſubſtantiali ſibi unita aſſequantur æternam ſalutem Parvuli regenerati). Siquidem hæc eſt ſpecialiſſima, per rara, & tanto arcano digna unio, propriuſque & peregrinus Euchariſtiæ effectus: hic eſt intimus ille nodus; quem ſola Euchariſtia ſtringit, & ſola ingratitudo diſſolvit.

Num. 41. Hanc interpretationem eſſe ad mentem Chriſti Domini ibi loquentis ſuadent primò nuper dicta adverſùs interpretationes alias; vixque propterea ſupereſt connaturalis alius ſenſus, cujus beneficio præcaveantur abſurdiſſimæ illationes; quæ ex parùm congrua illius Chriſti Domini ſententiæ uſurpatione naſcuntur. Secundò: quoniam immediatè ferè ac Salvator protulit ea verba, pronuntiavit illa: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. In quibus effectum immanentiæ promittit ſumentibus Euchariſtiam, ſive inhabitationem realem mutuam. Subjungitque: *Sicut miſit me vivens Pater,*

& ego vivo propter Patrem, ita & qui manducat me, & ipſe vivet propter me : Movet enim ad operationes vitales ſupernaturales, ſublimeſque, per quas repræſentetur motor cœleſtis realiter aſſiſtens, & phyſicè concurrens. Ejuſmodi autem immanentiam eſſe non poſſe per gratiam duntaxat, oſtendunt ſatis, quæ ſect. 1. adduximus, cum ille ſit effectus communis omni Sacramento. Eſt ergo immanentia phyſica Spiritus Chriſti Domini, ſive animæ ipſius permanentis realiter intra corpus myſticum, extemplo ac definit eſſe ibi corpus phyſicum proprium, quia ſpecies defecrunt.

Tertiò: quoniam ideo dum Chriſtus Dominus diſſeruit ſimilibus verbis de neceſſitate baptiſmi Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* adjungit comminationem hanc: *non poteſt intrare in Regnum Dei*; in comminatione autem facta, cum neceſſitatem Euchariſtiæ declarat: *niſi manducaveritis carnem &c.* aliter loquitur, nempe: *non habebitis vitam in vobis*; licet ſimul promittat eſurientibus hanc cœleſtem eſcam, & avidè illam manducantibus vitam æternam, & Reſurrectionem; unde non comminatur jacturam æternæ ſalutis non ſuſcipientibus Euchariſtiam, ſicuti non regeneratis per lavacrum: quia perveniri poteſt ſimpliciter ad vitam æternam abſque ſuſceptione Euchariſtiæ; ſed minatur duntaxat amiſſionem vitæ intrinſecè habitæ: *non habebitis vitam in vobis*. At non loquitur de amiſſione gratiæ habitualis. Siquidem hæc non minùs habetur in gradu aliquo per alia Sacramenta, & operationes ſanctas, quàm per Euchariſtiam; & ibi de effectu aliquo loquitur, ad quem aſſequendum neceſſaria ſit prorſus ſuſceptio Euchariſtiæ. Ergo de unione permanente, ſeu de immanentia animæ Chriſti Domini perſeveranter intra communicantem, quæ eſt vita ſubſtantialis in ſe, & inſuper qua motor aſſumens excitat intrinſecè jugiter ad actus vitales amoris, virtutumque omnium, ex quibus conſtituitur vita ſupernaturalis hominis.

Accedit quod omnis vita, in ordine naturali, eſt eſſentialiter intrinſeca viventi, ſi accipiatur in actu primo includit formam ſubſtantialem vitæ intrinſecè unitam; ſi in actu ſecundo, operationes intrinſecè immanentes; ut quid igitur additio illa *in vobis*, quæ undequaque conſiderata apparet otioſa? Sanè non alia ratione, ut credimus, niſi ut deſignet animam Chriſti Domini intimè aſſiſtentem, quæ eſt vita ſubſtantialis; illa tamen reſpectu eorum, qui Euchariſtiam non ſuſcepere, pervenerunt tamen ad ſalutis portum, extrinſeca eſt, quia videbunt in gloria ipſum Chriſtum Dominum objectivè; at non poſſidebunt illius animam intrinſecè ſibi copulatam; conſequenterque non habebunt in ſemetipſis hanc vitam. Propterea S. Auguſtinus diverſimodè loquitur de utraque neceſſitate; quantumvis utramque ſimpliciter veram, & ſtrictam reputet; terminos tamen neceſſitatis credit diverſos; conformando ſuam locutionem mira perſpicacia verbis Chriſti Domini, ait enim lib. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 24. *Optimè Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & Sacramentum Corpori Chriſti nihil aliud, quàm vitam vocant.* Idque ex Apoſtolorum traditione manaſſe docet, additque. *Nam quid aliud tenent. qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis: & quod Petrus ait, ſic & vos ſimili forma baptiſma ſalvos facit? Quid aliud etiam, qui Sacramentum Menſæ Dominicæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt, ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro ſæculi vita: & ſi non manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis?* Eadem cautela, & nominis diverſitate loquitur eodem libro 11. cap. 20. conſimili libr. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 22. pari etiam libr. 1. contra Julian. cap. 4. idque non ſolùm ut inhæreret verbis Chriſti Domini, ſed & ut æmularetur Innocent. I. qui tantùm docuit, Parvulos non ſuſcipientes Euchariſtiam non habituros vitam in ſemetipſis, ut liquet ex Epiſt. ad Patres Concilii Melivetani, quæ eſt tertia inter Epiſtolas S. Auguſt. Pari omnino vocum diverſitate locutus eſt S. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. ad eumdem prorſus modum S. Cyril. lib. 10. in Joann. cap. 13. Nyſſenus, & Patres alii. Fatemur quidem, ipſos non ſemel confundere alibi vitam illam cum æterna ſalute, gloriaque, quæ eſt vita æterna, dum loca illa non conferunt mutuò ex profeſſò; quoniam ſecundum ſe acceptæ illæ voces idem plerumque ſonant; cæterum nupera loca produximus, aut indicavimus, ut appareat evidenter, eos præſertim Auguſtinum, & Chryſoſtomum, in verbis, & ex verbis Chriſti Domini in utroque textu diverſitatem notatu dignam obſervaſſe, tametſi ſenſum in eis contentum non planè explicuerint, ſed adumbraverint: vel noluiſſe apertiùs loqui, quantumvis eam differentiam expreſsè conceperint; quia nondum maturuerat opportunitas novum hoc, & non minùs abſtruſum myſterium, intra arcanum ipſum profundiſſimum novo alio velo reconditum, in apertum eruendi, aut proferendi, cum non eſſet per ſe neceſſarium ad fidem Euchariſtiæ; & cum rationi, aut prudentiæ conſentaneum minimè foret, tardam fidem præſtantibus vulgato jam arcano, novas innectere credulitati moras, aut cauſas.

Num. 42. Unde etiam laudati Patres per vitam æternam, dum illam uſurpant aliquatenus diſtinctam ab æterna ſalute, intelligere quamoptimè potuerunt ſpiritum Chriſti Domini, ut ſubſiſtentem per hypoſthaſim Verbi divini, copulatum, conjunctumque nobis per dignam ſui corporis, & ſanguinis ſumptionem: cum ipſemet Servator ſit vita

æter-

æterna noſtra : cum ſe dicat panem vivum conferentem vitam æternam : & cum manente ipſo intra pectus devotè illum manducantis, juremerito affirmari valeat ex Joann. juſtum illum habere *vitam æternam in ſe manentem*. Adeoque non ſolùm cum diſtingunt inter vitam, & æternam ſalutem, verùm ubi addunt *æternam* habere poteſt locum in eorum mente, & doctrina interpretatio, aut aſſertio noſtra. Idque ſatis apparet ex verbis Chryſoſt. ubi ſupra, ajentis : *Si non poteſt quis in Regnum Cœlorum ingredi, niſi per aquam, & Spiritum Sanctum regeneratus fuerit : & qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem ejus non bibit, æterna vita privatur &c.* Hæc autem differentia exponendi utriuſque Sacramenti effectum, quo privatur, qui illa non ſuſceperit, ſumpta ſine dubio ex ipſis verbis Chriſti Domini, & à Patribus tanto ſtudio ſervata, ubi ex profeſſo legitur ab ipſis hæc collatio inſtituta; nequit prudenter uſurpari, ut caſu dicta, aut varietatis, & elegantiæ cauſa. Hac diſtinctione conciliantur, non ſine honore, & abſque violentiæ ſpecie teſtimonia Patrum, maximè Auguſtini, interdum clariſſimè affirmantis, Parvulos privandos vita, ſi perceptione Sacræ Euchariſtiæ priventur, ut ex locis nuper allegatis manifeſtè colligitur. Interdum verò eadem claritate docet, Parvulos regeneratos per baptiſmum incorporari, ſive uniri corpori myſtico, cujus Chriſtus Dominus eſt caput, adeoque eſſe membra viva; itaut licet participes minimè fiant realiter Corporis Domini ſacrameotaliter exiſtentis, aſſequantur proculdubio vitam æternam. Sic luculentiſſimè epiſtol. 23. ad Bonifacium. Sic lib. 1. de Peccat. merit. & remiſ. cap. 19. conſtatque etiam ex relatis in cap. *nulli* citato. Vult igitur per primam illam ſententiam excludere Parvulos à vita ſubſtantiali unicè habenda intrinſecè per ſumptiooem realem Euchariſtiæ (quam vitam appellat interdum etiam vitam æternam, & ſanè propriè) ab anima ſcilicet Chriſti Domini, aſſumpta à Verbo Divino, ut aſſumente, & realiter movente, modo ſæpiſſimè dicto, quæ eſt vita ſubſtantialis, & ab illa fluit ut à motore in hominem aſſumptum vita ſupernaturalis actualis. Per ſecundam verò tradit veritatem fidei dictantis, Parvulos per baptiſmum regeneratos, tametſi Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini realiter non ſuſcipiant, obtinere ſalutem æternam, quia ſunt membra viva corporis myſtici. Ad eam itaque vitam in ſe permanenter habendam neceſſarium eſt neceſſitate medii, Euchariſtiam realiter deguſtare.

Quoniam verò ex conſuetudine quarumdam Eccleſiarum olim Euchariſtiam miniſtrantium parvulis poſt Baptiſmum, exortus fuit error plurimorum, ajentium ſumptionem realem Euchariſtiæ eſſe omnino neceſſariam ad ſalutem ſimpliciter obtinendam, expedientiſſimum omnino fuit prohibere eam Euchariſtiæ diſtributionem. Maximè cum Sacramentum hoc, præ aliis, utpotè continens realiter Chriſtum Dominum, per ſe poſtulat longè majorem reverentiam, & diſpoſitionem in ſuſcipiente, & quidem liberam actualemque, cujus ſunt incapaces parvuli, & perpetuâ inſaniâ furentes, uti colligitur ex Apoſt. 1. Corint. cap. 11.: *probet autem ſeipſum homo &c.* Et docuit Synodus Tridentina ſeſſion. 13. cap. 7. inquiens : *Si non decet ad ſacras functiones quempiam accedere niſi ſanctè : certè quò magis ſanctitas, & divinitas hujus Sacramenti vero Chriſtiano comperta eſt, eo diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia ad id percipiendum accedat.* Idcirco plures Theologi eo progreſſi fuerunt, ut ſimpliciter exigerent actualem devotionem, ultra ſtatum gratiæ ad effectum Euchariſtiæ percipiendum, ita Doct. Seraphicus in 4. diſt. 12, art. 2. qu. 1. Alenſis, Sanctus Antoninus, Duraudus, Paludanus, Cajetanus 3. par. quæſt. 79. art. 1. Sylveſter, Petrus de Soto, Contempſon. & alii, quibus non parùm favent locutiones Patrum; eſtque doctrina D. Thomæ in 4. diſt. 12. qu. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. & 3. par. quæſt. 80. art. 9. ubi vel præſentem, vel præteritam ſaltem, non retractatam, exigere videtur. Quamvis valde probabilis ſit oppoſita ſententia, quam amplectuntur cum Victoria, Soto, & Doctore Eximio Juniores frequentiſſimè. Verùm ecquis adeo excors erit, ut dum accedit ad amoris rogum, ſi ex integro non igneſcat, actu tamen non calefiat?

SECTIO TERTIA.

Alia Sacræ Paginæ teſtimonia caligine quadam Divina aſſertum noſtrum adumbrantia.

§. I.

Num. 43. FIRMATUR inſuper opinio noſtra adhuc ex novo teſtamento, è quo ſcintillat crebriùs, & clarius Euchariſtia. Namque Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. ubi hortatur viros, ut diligant uxores ſuas, *ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam* : & uxorem, ut ſubdita ſit viro tamquam capiti : *ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*. Ubi conjugibus ſuadet, ut mutuò ſe diligant, tamquam propria corpora, eo quod caro utriuſque ſit una cum duplici anima, juxta illud Geneſ. 2. *Erunt duo in carne una* : ſubjungit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. Præfatam verò conjunctionem, de qua ibi Apoſtolus, fieri per fervidam Euchariſtiæ ſumptionem, ſatis communis Patrum, & Interpretum ſententia eſt: *Audiamus, & intelligamus*, ait S. Auguſt. lib. 2. contra Adverſar. leg. & Prophet. cap. 9. *duos in carne una, Chriſtum, & Eccleſiam; ſicut mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum carnem nobis manducan-*

ducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde, & ore ſuſcipimus. Sic etiam Sanctus Iræneus lib. 2. cap. 5. Chryſoſt. Homil. 24. in 1. Corinth. S. Cyril. lib. 10. in Joann. cap. 13. S. Gregorius Nyſſenus exponens illa verba Joann. 19. *exivit ſanguis & aqua*. Theophilactus, S. Ephræm in libro de extremo judicio; ubi alludens ad eamdem conjugum unitatem, inquit: *eſt anima noſtra ſponſa ſancta facta, nuptiarum autem copulæ Divina ſunt Sacramenta, per quæ ſancta anima conjungitur ſponſo*. S. Thom. 1. p. quæſt. 92. uti & omnes illi Patres, qui ex latere Chriſti Domini fluxiſſe dicunt Sacramenta, præſertim Baptiſmum, & Euchariſtiam, ad inſtar Evæ, de latere Adami dormientis, extracta ejuſdem coſta, ædificatæ. Sunt igitur Chriſtus Dominus, & dignè ipſum in altari ſuſcipiens duo in carne una in vero aliquo ſenſu; atque adeo duo ſpiritus, aut duæ animæ in una carne, ſive in uno corpore, ut manifeſtum eſt: quoniam ubi ſupponitur corpus unum, nihil ſupereſt in quo ſint duo diſtincta, niſi animæ intra idem corpus exiſtentes.

Conjunctio autem utriuſque animæ intra idem Corpus, per Euchariſtiæ eſum inducta, nequit congruenter exponi per materialem conjunctionem Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini cum manducante, per analogiam ad materialem conjugum unionem, moralemque ex illa nexum reſultantem: tum quia ſic immerito extolleretur ab Apoſtolo Sacramentum, aut myſterium hoc tamquam magnum in Chriſto Domino, & Eccleſia; cum prædicta conjunctio materialis, ex ſuppoſitione Euchariſtiæ inſtitutæ, (ex qua loquitur Paulus ibi) ſit planè naturaliter conſecuta ad realem manducationem. Quid enim magni continet exiſtentia realis Chriſti Domini intra pectus ſumentis, ſemel ac ipſe ſit realiter preſens ſub ſpeciebus panis, quantumvis ea præſentia ſit mirabilis aliunde, ſublimis, & ineffabilis? Deinde quid ſummè altum, quod ex ſuppoſitione dignè manducationis concipiatur moraliter permanens jus aliquod, aut conjunctio ipſa; cum id ipſum contingat naturali quadam ſequela in connubio, ex conjugum materiali commercio?

Præterquamquod adversùs eam unionem moralem militant omnia illa, quæ præcedenti ſectione adduximus. Tum quia continentia illa materialis Corporalis Domini intra ſtomachum brevis admodum eſt, conſequenter non tanti momenti (præſuppoſita jam exiſtentia illius ſub ſpeciebus) ut tantopere commendetur, ut magnum Sacramentum à Doctore Gentium. Eſt equidem Euchariſtia magnum, & maximum myſterium; myſterium tamen magnum neutiquam eſt, quòd ex eâ ſuppoſitione conjungatur realiter pectori, dum manducatur: ſicuti neque magnitudo Sacramenti hujus ſita eſt præcipuè in eo, quod ſumatur, ſemel ac exiſtat ſub ſpeciebus panis, & vini.

Neque rurſus eſſe valet tantùm unio ſpiritualis per gratiam, vel affectiva per charitatem actualem, aut myſtica; cum hęc ſit per ſe conveniens reliquis Sacramentis, tamquam proprius eorum effectus, ſanctiſque operationibus, quarum ſunt fœcundiſſimæ virtutes, quaſque parturirent indeſinenter, ſi liberum arbitrium concurreret, aut ſi oſcitanter non adeſſet, ſed ingenti fructu, & labore exiguo Paradiſum excoleret.

Num. 44. Myſterium igitur latens in ea conjunctione, quam ſublimat Apoſtolus, aliquid ulterius, altius, & intimius, Euchariſtiæ peculiare, innuit, aut deſignat: id autem à ſufficienti partium enumeratione, & à rationis congruentia, uti à vulgata acceptione unionis duorum in carne una, aliud eſſe non poteſt, quàm unio realis animæ Chriſti Domini cum corde & anima illius, qui panem Cœli manducavit peramanter, media qua utriuſque anima exiſtit phyſicè intra eamdem carnem, una informans, & alia aſſiſtens. Fit namque caro communicantis una, & eadem caro utriuſque animæ, quia & eſt Corpus phyſicum unius, & myſticum proprium alterius, quamvis phyſicè ut motor illi conjungatur ſolùm. Quinimmò & utriuſque caro ſit una in tertio, in anima ſcilicet Chriſti Domini; & ex conſequenti, etiam ſub ea conſideratione erunt duo ſpiritus in carne una. Licet enim ſola anima ut ſubſiſtens in Perſonalitate Verbi Divini uniatur corpori myſtico, ſufficienti proprietate dicitur homo in eo conjugio Chriſtus Dominus, eo quod concipiatur exiſtens intra proprium corpus myſticum. Tum etiam quia integer Chriſtus Dominus denominatur à propria anima (& Perſonalitate Divina) phyſicè corpori myſtico copulata, modo dicto. Tum quia eſt anima capitis Eccleſiæ, caput autem eſt vir. Quapropter cum Euchariſtiæ effectus ſupponat per ſe gratiam in ſuſcipiente, exindeque præſupponat ipſum membrum corporis myſtici vivum, & unitum capiti, effectus, quem illa exhibet, ſuperaddit huic præexiſtenti veluti animationem, unionem ſcilicet realem illius corporis myſticè cum anima cibi, ſeu Chriſti Domini ut motoris aſſumentis.

Neque refert quidquam, conjugium materiale, cui comparat effectum Euchariſtiæ Paulus, importare minimè poſſe eam phyſicam animarum conjunctionem utriuſque animæ conjugum intra carnem unam; quandoquidem non eſt conjugium materiale exemplar ſpiritualis cum Chriſto Domino; ſed è regione potiùs, ut ex verbis S. Apoſtoli colligit Sanctus Thomas lection. 10. *Quædam verò*, inquit, *de Chriſto, & aliis exponi poſſunt, ſed de Chriſto principaliter; de aliis verò in figura Chriſti, ſicut prædictum exemplum. Et ideo dicit, verumtamen & vos ſinguli unuſquiſque uxorem ſuam diligat: quaſi dicat, de Chriſto dicitur principaliter*: Et propterea mouet viros, ut diligant uxores, ſicut

cut Chriſtus Eccleſiam. Quantùm igitur exemplar hoc dilectionis vincit magnitudine, & intenſione amoris conjungalem affectum, tantùm proculdubio ſuperare debet effectus, finiſque præcipuus hujus dilectionis effectum, & unionem è conjugio carnali reſultantem. Rurſus in conjugio merè naturali nullus alius effectus unionis poſſibilis eſt intra illum ordinem: in conjugio verò Chriſti Domini cum ſuſcipientibus Euchariſtiam poſſibilis eſt intra eumdem ordinem ſupernaturalem, ut claret ex dictis ſect. 2, §. 2. Quo prætextu igitur deneganda eſt maximo amoris arcano (ut ſæpius dicam) maximus unionis effectus? Adjiciam obiter hic illud Pauli Roman. 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet, Dominus enim aſſumpſit eum*: Ubi per *manducantem* accipi quamoptimè ſumentem Euchariſtiam, planum eſt; & aliunde quòd hunc aſſumpſerit Dominus, aſſeverat Apoſtolus. Verbum autem aſſumendi appoſitum poſt dignam ſumptionem Euchariſtiæ opportuniorem aliam ſignificationem ſuſcipere nequit, quàm noſtram; immo ægrè opportunam, aut propriam aliam. Neque rurſus caſu, aut inconſultò poſitum, ubi ad Divinæ Sapientiæ limam, vel jota, aut virgula ab æternitate venere.

Num. 45. Indicaſſe quoque videntur aſſertionem noſtram verba illa Chriſti Domini Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Etenim illa uſurpans de Euchariſtia S. Gregorius Magnus Hom. 14. in Evangelia, inquit: *fecit, quod monuit; oſtendit quod juſſit. Bonus Paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in Sacramenta noſtro Corpus ſuum, & Sanguinem verteret, & oves, quos redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret*. Ubi, ſi per animam velles intelligere vitam actualem, firmares eo ipſo ſententiam noſtram, perſuadentem, Chriſtum Dominum in Euchariſtia ſacrificare ſuam actualem vitam ſenſitivam. Si verò animam accipias etiam pro vita ſubſtantiali, & in actu primo cum eodem Magno Gregorio ibidem paulò inferius ajente: *cum incomparabiliter ſit longè melior anima, qua vivimus, quàm terrena ſubſtantia, quam exterius poſſidemus; qui non dat pro ovibus ſubſtantiam ſuam, quando pro eis daturus eſt animam ſuam?* Rogabo illicò, quo pacto verificari poſſit, Chriſtum Dominum in Euchariſtia ponere pro ovibus animam ſuam? Quòd paſcat illas carne ſua, & quidem animata, actuque viva, nullo negotio percipitur; quòd verò dum illas paſcat Corpore, det illis animam ſuam, vix aliter commodè intelligi poteſt in ſenſu reali, quàm per aſſertionem à nobis intentam, media qua permanet anima Chriſti Domini realiter intra ovem, (quam pavit Corpore ſuo vivo) ipſam regens, & movens, ab ipſa lupum arcens, donec ipſa voluntariè aberrans, & gratiæ ſplendorem exuat, & ſpiritum extinguat.

Neque omittendum duximus teſtimonium illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem*. Ubi Spiritum vivificantem accipi non poſſe, purè extrinſecè, ideſt meritoriè duntaxat, aut moraliter, vel merè activè, planum videtur: tum quia inſtituit comparationem inter veterem, & novum Adamum, ut accipientes à Deo animam, & Spiritum; ille autem recepit aſpiratione divina animam phyſicè intrinſecè copulatam Corpori, ut viveret ipſe per eam: ergo & hic Spiritum, qui vivificaret intrinſecè phyſicè ſuum Corpus myſticum (ultra vitam, quam formaliter conferret proprio Corpori phyſico, tanquam actus ipſius); cum conferatur anima primi Adami, ut vivificantis proprium Corpus phyſicum, cum Spiritu ſecundi vivificantis ſuum Corpus myſticum. Sin aliter comparatio fieret inter modos prorſus diverſos; inſtituendaque foret proprius inter veterem ut inducentem mortem, & novum, ut vivificantem poſteros, quam inter viventem illum, & vivificantem hunc, quomodo conferuntur ibidem præcedenter: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificantur*. Tum quia Apoſtolus alludit eis verbis ad illud Geneſ. 2. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Sicut itaque repræſentatur ibi Deus inſpirans in faciem, ſive infundens veluti per os ſpiritum in primum hominem, ita per ſumptionem Euchariſtiæ infundit, vel inſpirat Deus in Corpus myſticum novi Adami ſpiritum ejuſdem vivificantem illud intrinſecè, & phyſicè permanenter. Eo ſolum diſcrimine, quòd Spiritus infuſus actuabat per modum formæ Corpus phyſicum veteris Adami; Spiritus verò inſpiratus in Corpus myſticum novi Adami ſolùm unitur inſtar motoris aſſumentis, & Spiritus aſſiſtentis, proindeque non vivit formaliter per operationes Corporis myſtici, ad quas ſolùm excitat, & in quas activè influit; conveniunt attamen in eo, quòd utrobique Spiritus infuſus copulatur realiter intrinſecè Corpori, quòd ſatis eſt ad strictam comparationem. Propterea cum de ſumptione Euchariſtiæ diſſerit Chriſtus Dominus, utitur eiſdem ferè verbis, quibus Hiſtoria de formatione primi hominis narratur Geneſ. 2. *Spiritus eſt, qui vivificat*.

Quin eludi valeat per gratiam ſanctificantem, virtutes, dona, auxilia, ut in ſimili ſæpè oſtenſum fuit: & quia ſic, parùm opportunè Spiritus Chriſti Domini vivificantis cum anima vivente Adami, potiùs per Euchariſtiam inſpiratus diceretur, quàm per alia Sacramenta. Inſuper, ſi de vivificatione per omnia alia etiam Sacramenta, & virtutum operationes, verba illa uſurpes, ut vitam gratiæ ſolùm intelligas; comparationem eo ipſo transferres à ſenſu reali proprio ad allegoricum, aut metaphoricum. Deinde, cum per gratiam, &

Cha-

Charitatem infundatur ſpecialiter nobis, & aſſiſtat Spiritus Sanctus, vires inde accipe-ret vetus error affirmans, Deum inſpiraſſe in primum Adamum, non quidem animam rationalem, ſed Spiritum Sanctum, adversùs quem egit S. Auguſt. lib. 13. de Civit. cap. 24. & D. Thom. in eum locum Apoſtoli lect. 7. *Intendit hic Apoſtolus*, ait, *de vita qua anima deſervit circa Corpus, non de Spiritu Sancto, ſicut quidam fingunt*. Ut inde colligas, nec per Spiritum viviſicantem novi Adami intelligi poſſe Spiritum Sanctum, quamvis dicatur etiam Spiritus Chriſti Domini; alioqui inde reſumeret vires hæreſis illa Philaſtrii circa Spiritum animantem primum Adamum, quæ ex Corpore humano ut ſubjecto, & Spiritu Sancto, ut forma, conficiebat monſtrum quoddam divinum, aut nobile figmentum, intrinſecè vivens, & ab intrinſeco ſemovens, non tamen animatum.

Num. 46. Negligenda pariter non eſt mira illa ſententia, aut expreſſio Apoſtoli ad Hæbreos cap. 2. *Nuſquam enim Angelos aprehendit, ſed ſemen Abrahę aprehendit*. Ubi per aprehenſionem illam humanæ naturæ, præ Angelica, aſſumptionem intelligunt Patres, & Theologi, verbumque, *aprehendit* idem prorſus ſignificare, ac aſſumit docent Interpretes, explicatque S. Bernardus tractatu de gradibus Humanitatis, & D. Angelicus in eum Pauli locum; quin & Gręcè legitur *aſſumit*. Obſervandum tamen accuratè, verbum illud *aſſumit* in Græca lectione conſultò exponi de præſenti, & non de præterito, licet Verbum Divinum aſſumpſiſſet jam tunc naturam humanam; ſed qua veritate dici valet modò, Verbum aſſumere naturam humanam, & non Angelicam? Et rurſus quamvis aſſumeret, qua Philoſophia diceretur, aſſumere hominem, & non Angelum, cum uterque ſub ea ratione conſideratum ſit formaliter Perſona? Profectò non alia, præter eam, quam excogitat ſententia noſtra, aſſumptionem realem videlicet hominis, vel ſeminis Abrahę præ Angelo, facta à Verbo Divino medio Spiritu, ſive anima Chriſti Domini, per ſumptionem dignam Euchariſtiæ (in quo ſenſu Apoſtolus ad Philippenſ. 3. dicit, ſe comprehenſum à Chriſto Jeſu). Id quod colligitur primò ex ſignificatione de præſenti illius verbi *aſſumo*, quæ involvit quidem aſſumptionem Humanitatis Chriſti Domini à Verbo Divino jam factam, aliamque de præſenti affirmat. Cum enim prima illa nullo pacto, in nulloque ſenſu proprio fiat actu de præſenti; alioqui ſuſpicari potuiſſent Hæbrei, quos alloquebatur Apoſtolus Chriſtum Dominum Cruci affixum, Meſſiam, verumque Deum minimè fuiſſe, ſed tunc venire cum Paulus ſcriberet; neceſſariò illa quæ fit de præſenti, eſt alia diverſa. *Falſum autem in præſenti eſt*, inquit à Lapide ibi, *quod Chriſtus* (ſeu Verbum) *aſſumit humanam naturam*. Aſſumpſit ſanè verum ſicut quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, ita numquam iterat, nec actum, quantumvis divinum, agat.

Colligitur 2. ex adverbio *nuſquam*, quod nempe nullibi Angelos aſſumat, ſed Abrahæ ſemen. Quia licet ad verificandam propoſitionem affirmantem, *aſſumpſiſſe* ſemen Abrahæ ſufficeret, quòd illud alicubi tantùm aſſumeret; cæterum cum *to nuſquam* ſit adverbium loci, neſcio, qua proprietate poneretur ita, ut illi reſponderet reſpectu ſeminis Abrahæ adverbium *alicubi*: ſiquidem hoc ipſum adverbium *alicubi* minùs aptum apparet, ſi non planè ineptum, ad aſſeverandum, Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam humanam præ Angelica, ſi de Humanitate hypoſtaticè aſſumpta diſſeruiſſet Apoſtolus; cum opportuniùs, univerſaliùs, & digniùs proferretur de Angelica *numquam*, de humana *aliquando*, aut *ſemel*. Porro nota eſt opinio illorum, qui cenſent, rem abſolvi poſſe divinitus ab omni loco, conſequenterque potuit, juxta eam opinionem fieri aſſumptio naturæ Angelicæ, quæ fieret in loco aliquo, ſive licet *nuſquam* fieret: ſecus autem per adverbium *numquam*, quod omnem aſſumptionem ſimpliciter removet. Inſuper, quia cum aſſumptio fiat de præſenti, ſi aliundè exponatur per ordinem ad locum, manifeſtum apparet, eam uſurpandam per ordinem ad Euchariſtiam, quæ ubique gentium conſervatur, & ſumitur, adeoque ubique per illam Chriſtum Dominum aſſumere ſemen Abrahæ, ſicut Verbum ſemel illud aſſumpſit in unica tantum individua Humanitate (quamquam diverſo aſſumptionis modo): quocirca adverbio *nuſquam* applicato Angelis, reſpondet *ubique*, aut *nuſquam non* reſpectu hominum.

Colligitur 3. quoniam ibi loquitur, non de Verbo ſeparatim, ſed expreſſe de Chriſto Domino, qui paſſione ſua mundum liberavit, qui *debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & Pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta Populi*. Sub qua ratione involvit jam eſſentialiter Humanitatem propriam aſſumptam; dum ergo iterum ſemen Abrahæ aprehendiſſe affirmatur, aſſumptionem diverſam apertè ſignificat; nulla autem alia excogitabilis, niſi ab aſſerto noſtro producta. Et propterea verba Apoſtoli præſupponunt eſſentialiter primam ſtrictiorem, & adſtruit ſecundam, quæ primam illam glorioſè æmulatur, & nonnumquam per unionem valde intimam transformat aſſumptum in Chriſtum Dominum aſſumentem, & quodammodo à longè cum illa confunditur; numquam tamen perfectè aſſequitur.

Num. 47. Colligitur quartò, & ſolide ex eo, quod Apoſtolus dixerit; nuſquam Chriſtum Dominum aſſumere Angelos; ſi namque locutus fuiſſet de aſſumptione ſtrictiſſima per nexum hypoſtaticum, numquam dixiſſet Angelum, aut Angelos, ſed naturam Angelicam; ſicut nec in eo ſenſu aſſumpſit

pſit hominem, ſed naturam humanam. Aliter autem res ſe habet, ſi uſurpentur verba illa de aſſumptione per Euchariſtiam; tunc enim homo, ſeu Perſona ipſa Humana aſſumitur, cum aſſumptio hęc, quantumvis mirabilis, non conſtituat unum per ſe (quin etſi juxta doctrinam Cajetani unum per ſe componat, limitatè ſolùm id obtinet, in ratione ſcilicet puri motoris, & moti) proindeque neutiquam obſtat conceptus Perſonæ, aut ſuppoſiti, huic aſſumptioni; immo conceptus ille ſuppoſiti præintelligi debet ad aſſumptionem prædictam, eo quod illa non aſſumat mobile illud vivens ad unum per ſe compoſitum, aut ſubſiſtens efficiendum, & ex conſequenti, debet aliunde præſupponi tale.

Quintò: ex plurali numero, in quo negat Apoſtolus, Chriſtum Dominum aſſumpſiſſe Angelos, & non determinatè unum, aut unius in individuo naturam, ſuperioris ordinis v. grat. cum ſint diverſæ ſpeciei. Huic autem extremo negativo in plurali numero reſpondere debet, ut cohærenter fiat collatio, pluralitas etiam in extremo affirmativo oppoſito.

Sextò: ex verbis paulo antè præcedentibus, verſ. ſcilicet 14. *Quia ergo pueri communicaverunt Carni, & Sanguini, & ipſe ſimiliter porticipavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium*. In quibus perſpicuum videtur, haberi ſermonem de participatione Corporis, & Sanguinis Domini per Euchariſtiæ ſumptionem; non de participatione humanæ naturæ nobiſcum, ut aſſumptæ per Incarnationem; cum multus ſit Apoſtolus in eo capite in promovenda lege Evangelica, ejuſque obſervantia; in removendo ſcandalo crucis, convincens, (præſertim circa finem capitis) decuiſſe, Chriſtum Dominum pati, morique pro ſalute Mundi; quæ omnia ſupponunt clariſſimè Incarnationem. Participatio autem Carnis, & Sanguinis Domini, Incarnatione præſuppoſita, aliter non fit, quàm per Euchariſtiam (quamquam alii in utroque ſenſu illa verba accipiant). Unde S. Thomas ibi lect. 4. ait: *Poteſt etiam per Carnem, & Sanguinem intelligi Caro, & Sanguis Chriſti ſecundum illud Joann. 6. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, quibus pueri, ſcilicet Apoſtoli communicarunt in Cœna Math. 26. & Chriſtus ſimiliter participavit, eiſdem ſcilicet Carne, & ſanguine, quia ipſe ſimiliter ſumpſit, ut Chryſoſtomus expreſſè dicit ſuper Math. 26. ipſe, inquit, Chriſtus bibit Sanguinem ſuum*.

Si ejuſmodi reflexionibus permotus, feceris recurſum ad extenſionem Incarnationis, à Patribus aſſertam, quatenus dum Euchariſtia conficitur, & verba conſecrationis proferuntur, incipit eſſe de novo Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus per actionem reproductivam ad inſtar fortunatiſſimi illius momenti, in quo per generationem primò exiſtere incœpit in ſinu Virgineo. Diſcurſum verum ex parte aſſeres; at non benè applicatum, ut apparebit ſectione ſequenti. Eſt ſiquidem Euchariſtia ſacra extenſio Incarnationis, cæterum non cum primò ponitur ſub ſpeciebus, ſed cum, illis abeuntibus, copulatur anima Chriſti Domini Corpori myſtico: quoniam prima illa ſub his numero accidentibus realis præſentia, in nullo ſenſu, qui non ſit latiſſimus, improprius, & per metaphoram procul circumductam tractus uſurpari valet; dum juxta aſſertionem noſtram, non ſine eximia quadam proprietate dicatur, quin emendicare debeat à locutione nimiùm figurata apparentes colores, nec ab umbratica quadam ſimilitudine fucatas luces. Eamdem aſſumptionem factam à Chriſto Domino ad ſe repræſentandum per hominem aſſumptum, ipſumque ſibi ſubjiciendum, ut ejus operationes regat, indicat Apoſtolus ad Philip. cap. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum Corpori claritatis ſuæ, ſecundum operotionem, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia*. Subjicit enim ſibi mobile aſſumptum, illoque utitur, ut corpore proprio, ſi flecti docilitate vera ſinat, ſi Spiritus regentis, & veluti equitantis, habenas audiat.

Num. 48. Trahitur connaturali jure per hunc ſenſum illud Pauli ad Galat. 2. *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus*, quod adeo conſentaneum videtur modo noſtro opinandi, ut omnis alius ſenſus minùs proprius appareat, aut planè violentus. Quare S. Thomas expendens eum locum lect. 6. inquit; *illa propriè dicuntur vivere, quæ moventur à principio intrinſeco. Anima autem Pauli conſtituta erat inter Deum, & Corpus; & Corpus vivificabatur, & movebatur ab anima Pauli, ſed anima ejus à Chriſto. Quantum ergo ad vitam carnis vivebat Paulus, & hoc eſt quod dicit, quod autem vivo in carne, ideſt vita carnis; ſed quantum ad relationem ad Deum, Chriſtus vivebat in Paulo* &c. Functiones igitur naturales erant quidem à Paulo; ſupernaturales autem à Chriſto Domino, nun jam vivente per illas formaliter (cum ſolus Paulus viveret formaliter illis) ſed movente, aut excitante activè tamquam motore intrinſeco ad ipſas intimeque præſente, & ad ſe per eas repræſentandum; cum juxta Div. Thomam debeat eſſe principium aliquatenus intrinſecum: & quia dum motio ſit ad exprimendum motorem, per ſe importat eam præſentiam intimam. ✝.

Ulterius: quoniam licet formaliter non vivat per operationes ipſas ſupernaturales, vitaleſque Corporis myſtici, ad quas movet; vivit attamen formaliter per ipſam motionem, quam vitali modo exercet intra illud corpus; quod aliunde eſt proprium ipſius ſub ratione Corporis myſtici (in quo differt ab operatione exercita ab Angelo in corpore aſſumpto). Quin & cum phyſicè

ſicè influat in prædictos Corporis myſtici actus; & aliunde influat libere, & rationali modo, & vitali, in ſenſu aliquo vivit per illas, ad eum modum, quo vivere dicimur per operationes externas liberè à nobis elicitas (quamquam in materia ſubjecta operatio illa ſit, in acceptione vera, intrinſeca motori, quia exercetur (movente ipſo) à corpore, cui intimè realiter adeſt; maximè cum ſit proprium Corpus myſticum illud). Unde Cardin. Cuſanus libro 9. excitationum folio 160. inquit: *aliquando videtur dicere Paulus, quòd Jeſus ſit in nobis abſconditus, qui ait, non vivo ego, ſed vivit in me Chriſtus*. Et intrà: *In quo eſt Jeſus in hoc Mundo inviſibiliter abſconditus, in illo manifeſtabitur in die illa, quando revelabuntur abſcondita, & cognoſcemus ipſum, qui in nobis fuit abſconditus, quomodo ipſe in nobis, & nos in ipſo, quaſi ſicut vita in corpore, ſic ipſe in nobis*. Quòd verò id fiat per animam Chriſti Dom. (quam hic dicit vitam Corporis myſtici), & media ſumptione digna Euchariſtiæ dixerat in eodem tractatu libro 7. ad illa verba *conſumatum eſt*, ait ſiquidem: *Omnes dignè Corpus Chriſti ſumentes, unus homo efficiuntur, quia omnes mutantur in Chriſtum. Multorum hominum multæ animæ, & corda, per fidem & dilectionem adhæreant Deo* (alioqui indignè accederent ad Euchariſtiam) *fiunt una anima, & unum corpus; qui igitur lædit proximum, in Chriſti animam peccat; à qua te ſeparas indigna communione &c.* Et in eodem ſenſu Algerus de Corp. & Sangu. Domini cap. 3. dixit: *Chriſtus ſumus*, ſive efficimur per ardentiſſimam Euchariſtię ſumptionem. Paulus igitur erat mobile aſſumptum à Verbo, media anima Chriſti Domini ad repræſentandas in illo eas operationes, quas ipſa elicuit in proprio corpore phyſico, per quas illa vixit actu in carne propria; & vivebat inſuper in acceptione explicata per operationes illius myſtici Corporis, aut membri, titulis nuper delibatis: erant enim operationes longè magis ab anima Chriſti Domini activè provenientes, quàm ab anima Pauli (qui poteſt eſſe novus alius titulus affirmandi, non ipſum Paulum, ſed Chriſtum potiùs vivere in ipſo) Id autem, ſi ſemel fiat, aut concedatur; alia via congruenti, quàm per ſumptionem Euchariſtiæ contingere minimè poſſe, exploratum videtur, nemoque iret inficias, cum Sacramentum unitivum ſit, ex peculiari ſuo conceptu. Idem ſignificat S. Chryſoſt. præfata verba elucidans ut vidimus citat. ſ. 1. Idque expreſſe docuit S. Thom. in 4. diſt. 12. qu. 2. art. 1. ad 1. quæſt. corp. dicens: *Unde proprius effectus hujus Sacramenti* (Euchariſtiæ) *eſt converſio hominis in Chriſtum, ut dicat cum Apoſtolo. Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Et Actor. 20. ipſe Paulus dixit: *Et ecce alligatus ego ſpiritu vado in Jeruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans, niſi quod Spiritus Sanctus per omnes Civitates mihi proteſtatur, quòd vincula, & tribulationes Hieroſolimys me manent &c.* Verùm cui ſpiritui alligatum ſe dicit? Non Spiritui Sancto, eum de illo ut prædicente vincula alia ſibi, loquatur Apoſtolus tamquam de alio ſpiritu. Non abſque veroſimilitudine ergo ligatum, & aſſumptum ſe pronuntiare voluit ab ſpiritu Chriſti Domini, quem toties hauſerat in ſacrificio incruento; qui opportunè intelligitur per ſpiritum illum Oſeę 4. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis*: ad modum quo Angelus aſſumens Corpus, in ſpecie juvenis pennati apparet. Hic eſt ſpiritus unitatis, de quo Apoſt. 4. ad Epheſ. *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus*.

Non abſimile quid innuere videntur illa ejuſdem Apoſtoli verba ad Philip. 3. (ſupra libata) *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam, ſicut comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu*, ſive *aprehenſus* ut frequenter explicant Interpretes. Uti & illa Roman. 8. *ſiquis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Si autem Chriſtus in vobis eſt... Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter habitantem Spiritum Sanctum ejus in vobis* & 2. Corint. cap. 1. *Qui & ſignabit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*. Quæ omnia tametſi uſurpari valeant de Spiritu Sancto (qui eſt etiam Spiritus Chriſti Domini) quatenus per charitatem habitat in nobis; verumtamen ægrè interdum in eum ſenſum trahi poſſunt: & ſaltem aptiùs intelliguntur de anima ipſa Chriſti Domini, dum affirmat inhabitationem, aut immanentiam Spiritus Chriſti Domini in nobis; ſiquidem immanentia realis ſuimet eſt illa, quam pollicetur ſanctè communicantibus. Neque expeditam ſatis ſignificationem aliam recipere poſſunt verba, quibus Paulus, ſe comprehenſum, aut aprehenſum à Chriſto Jeſu, qui nuſquam Angelos aprehendit, vel aſſumpſit, ſed Abrahæ ſemen, ut ſupra explicuimus. Præterea dum verbis illis Roman. 8. loquitur de eo, qui ſpiritum Chriſti non habet, neceſſario diſputabat de anima ipſa Chriſti Domini, & non de Spiritu Sancto per charitatem inhabitante; cum illico quaſi contradictoriam affirmativam ſubinferat, dicens: *ſi autem Chriſtus in vobis eſt &c.* Si verò ſpiritum Chriſti Domini dicas ſpiritum Evangelii, hoc unum ſaltem fateri debes, ejuſmodi acceptionem latam eſſe, ſi conferatur cum noſtra; cur igitur uſurpas in ſenſu minùs proprio Scripturæ Sacræ verba, dum intelligi poſſunt in ſenſu proprio, & literali, qui retinendus eſt, dum commodè fieri poſſit? poſſibilis eſt enim proculdubio, ſaltem divinitus, ſenſus à nobis intentus; violenter ſanè aufers ſenſum literalem à verbis productis ex Apoſtolo, & Spiritum, ſive animam Chriſti Domini realiter à corpore myſtico.

Nu. 49.

Num. 49. Item ad Galat. 1. eumdem ſenſum innuere videtur, dum ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Per baptiſmum enim renaſcitur Chriſto Domino fætus ſpiritualis (uti & renaſcitur per pœnitentiam, ſi gratiam per lavacrum acceptam amittat), ut corpus myſticum gratia inſtructum, nondum tamen perfectè, & plenè formatum, donec per Euchariſtiam ſpiritum, ſive animam Chriſti Domini ſibi unitam habeat, & retineat. Quo namque ardentiùs, ſanctiùs, & ſæpius illam ſuſcipiat, eo elegantiùs, pulchriùs, & perfectiùs formabitur Chriſtus Dominus in illo uſque ad transformationis nexum ineffabilem. Ut de neonatis Urſæ catulis narrat Plinius, quaſi tunc animam illis infundat, dum ore, & lingua fovet, non cum ipſos primò peperit.

Huic pariter accomodari poſſunt verba illa Actor. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una*: ea ſiquidem multitudo conveniebat ſæpiſſimè ad fractionem panis, ut acciperent avidè Chriſti Domini carnem, vi cujus ejuſdem anima remanebat, immanebatque in omnium cordibus, quæ propterea erant unum cor realiter mediatè, ſivè in tertio omnibus copulato, & omnes aſſumente ad ſeipſum affabrè exprimendum. Et ſanè ita illa uſurpat S. Auguſt. ſermon. ad Infantes, quæ S. Fulgentius adjunxit libro de Baptiſmate Æthiop. ibi: *ſicut enim ut ſit ſpecies viſibilis panis multa grana in unum conſperguntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura Sancta; erat illis anima una, & cor unum in Deum. Sic & de vino &c.* Idcirco forſan appellatur in Sacra Scriptura panis Angelorum cibus iſte, & à Divo Thoma: *panis Angelicus*, quia Angelis convenit propriè aſſumere corpora: unde eſt panis aſſumens corpora, quæ cibat. Eademque ratione in Miſſa poſt conſecrationem orat Sacerdos Patrem, ut jubeat dona illa perferri *per manus Sancti Angeli*, ut qui illa ſumpſerint benedictionibus cœleſtibus repleantur. Ubi per Angelum intelligunt frequenter, liturgiam exponentes, magni conſilii Angelum Chriſtum Dominum, cum D. Thoma, cujus verba alibi produximus. Itaut quà ſummus Sacerdos conſecret, offerat, & immolet; quà Angelus, participantes de ſacrificio aſſumat.

Quoniam tamen nupera hæc teſtimonia eludi facilè poſſint multiplici ſemita: uti & alia, quæ deſumi valent, his ſimilia, ex Epiſt. 1. Joan. cap. 1. & cap. 5. & ex prima Petri, cap. 3. idcirco illa, & eis cognata producimus ſolùm in ornatum aliquem aſſertionis noſtræ (ex præcedentibus deductæ efficaciùs, & ex ſubſequentibus), & aliqualem in eamdem influxum. Compertum tamen mihi videtur, dum apud Joannem, & Apoſtolum Gentium, diſſeritur de unione inter corpus myſticum, & Chriſtum Dominum, de immanentia, transformatione neque, quamſæpiſſimè loqui utrumque, vel intelligere vinculum reale permanens inter manducantem debitè panem, cœleſtem, & Chriſti Domini ſpiritum, ſive animam: itaut licet ſenſus materialis alium ſonum reddere videatur, reipſa tamen eadem ſæpe oberret chorda ſuaviſſima.

Adjiciam modò novam aliquam lucem, illam ex oppoſito extremo deducens, & è tenebris exprimens, è verbis nimirum Joan. 13. horridum proditoris hoſpitem deſignantibus: *& poſt bucellam introivit in eum Satanas*: priùs enim ſuggeſtionibus tantùm ſuaſerat illi execrabile ſcelus. *Cum Diabolus jam miſiſſet in cor, &c.* Nondum tamen phyſicè ſubintrarat; verùm accepta bucella, illicò ingreſſus, poſſedit ſubſtantialiter realiter infamem illam arcem, & illum ex integro occupavit ad inſtar arrepticii, ut ex Patribus, præſertim Auguſtino tract. 62. in Joan. Cyrillo lib. 9. in Joann. cap. 16. Ambroſ. lib. 2. de Cain, & Abel cap. 4. ex Origene, Theophilacto, tradunt Rupertus, D. Thomas, Abulenſis, & Interpretes. Conſulendus Barradas tom. 4. lib. 1. cap. 9. idque prædixiſſe Chriſtum Dominum colligitur ex illis verbis Joan. 6. (dum Euchariſtiam ſacram polliceretur mundo) *& ex vobis unus Diabolus eſt*. Per bucellam autem panis, aut offellam intellexiſſe nonnullos Euchariſtiam, liquet ex Interpretibus: *non abſurdè diceretur*, (inquit Origenes apud Barradas) *offulam ejuſdem generis fuiſſe cum ea, quam Dominus dedit cæteris Apoſtolis, dum dicit accipite, & comedite &c.* Et quamvis ea ſententia, frequentiùs deſeratur, verum attamen eſt, apud Auguſtinum, Chryſoſt. Cyrillum, & alios Patres, accepiſſe panem illum intinctum immediatè poſtquam Euchariſtiam ſuſcepiſſet cum reliquis: omninoque verum eſt inſuper, per eam bucellam panis, quamoptimè, quamque propriè figurari panem Euchariſticum, ejuſque ſumptionem, quam indignè exercens (imitatus proditorem) ſæpiſſimè unà cum Chriſto Domino, quem materiali eſu recipit, hoſpitem alium infenſiſſimum, Diabolum ſcilicet realiter excipit, & patitur. *Ita & Dominus*, inquit S. Chryſoſt. in 1. ad Timot. cap. 1. Hom. 5. *Judam tradidit Satanæ, continuò enim poſt bucellam introivit in illum Satanas. Plurima ejuſmodi nunc quoque contingunt. Quia enim Sacerdotes ignorant eos, qui peccatis obnoxii, indignè myſteria veneranda percipiunt; Deus hoc ſæpius facit, eoſque Satanæ tradit. Quoties denique morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitateſque contingunt, & alia quælibet ejuſmodi, hujus rei gratia fiunt. Id Paulus quoque ſignanter expreſſit, inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Cum enim Chriſtum Dominum indignè tractent, ab ejuſque ſpiritu poſſideri recuſent; dignè ab ſpiritu infælici tractantur, & poſſidentur, & qui ſtultè reſpuit Dominum ſuaviſſimum, ſuſtinet horrendum Tyrannum.

Num. 50. Veritas hæc quamplurimis exemplis fulciri poſſet, quæ paſſim narrantur, & horrorem incutiunt, ſufficiat tamen producere verba B. Oſannæ Andreaſiæ Mantuanæ, ut habentur in actis Sanctorum menſe Junii cap. 18. fine, dum plura per divinam revelationem ſibi manifeſtata confidenter retuliſſet: quod propter enormitatem hujus peccati Dæmon continuò ingrediatur in hominem, qui tale myſterium (Euchariſtiam) ſuſcipit extra gratiæ ſtatum: *ſed cum peccato, juxta quod anima facit mutationem obſcuritatis, & turpitudinis in manibus Dæmonis, ſicut ſi creatura mutaretur in vultu, cujus rei exemplum mihi fuit monſtratum in Juda*. Et in eumdem ſenſum trahi poteſt illud Apoſtoli 1. Corint. 10. *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum*: conjungunt enim duo illa, quæ ipſe Apoſtolus incompoſſibilia dicit ibidem. *Non poteſt Calicem Domini bibere, & Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes fieri, & menſæ Dæmoniorum.* Id ipſum confirmare videtur Div. Thom. opuſc. 58. cap. 13. cum ita loquitur: *Duo ſunt corpora myſtica in hoc mundo, ſcilicet Corpus Chriſti, & Corpus myſticum Diaboli, ſive Antichriſti*. Et poſtquam utrumque expoſuit, adjungit: *nec dicendi ſunt, manducare Corpus Chriſti, ſcilicet ſpiritualiter, licet manducent ſacramentaliter, ſed non manducando ſpiritualiter Corpus Chriſti, & malè vivendo, tollunt Chriſti membra, & faciunt ea membra Diaboli, & ſic diminuunt, quantum in ſe eſt, Corpus Chriſti. Quod enim Diabolo in animabus creſcit, Chriſto decreſcit. Et ſic Corpus Chriſti myſticum diminuitur*. Dilucidatur hæc reflexio oportuno admodum teſtimonio Origenis exponentis illud Pſalm. 73. *Dediſti eum* (Diabolum) *eſcam Populis Æthiopum*, ait ſiquidem: *Quemadmodum enim fidelium cibus eſt Dominus*, ita *impiorum cibus eſt draco, cum ſcriptum ſit, dediſti eum eſcam &c.* conſulatur Pineda in c. 40. Job verſ. 25. fine. Si autem indignitas ſuſcipientis Euchariſtiam ſacrilego eſu eam habet efficaciam, ut oſtium patentiſſimum aperiat Diabolo ad realem ingreſſum permanenter in corda improbè communicantium, idque ſæpè contingat, itaut veluti attrahant infauſtum illum ſpiritum phyſico hauſtu; cur dignitas, reverentia, & amor ſuſcipientis ad altare Chriſtum Dominum efficere non poterunt, ut anima ſanctiſſima illius (& Verbum per illam) aſſumat permanenter cor dignè epulantis, itaut poſt bucellam ſacram, deſtructis jam ſpeciebus, & deſinente ibi Corpore Chriſti Domini, remaneat ſpiritus illius in corde aſſumpto? Ubi enim primum illud, tametſi horrendum dictu, fatendum eſt nobis, non ut credibile ſolùm, verùm ut ſæpiſſimè factum, & omnibus notum, qua ſpecie religionis, aut pietatis incredibile fieri debet doctis hominibus ſecundum? Eſt ne Chriſtus Dominus in Euchariſtia imbecillior ad connectendum ſecum dignos, quàm ad ligandos cum Dœmone indignos? Aut eſt pronior illius vindicta in hoſce, quàm ejus amor in illos? Sanè cum Diabolus Simia æmulatrix rerum divinarum ſemper exiſtat; ex eo quod arripiat immanendo per intimam realem ſui præſentiam ſæpiſſimè corda malè ſuſcipientium cum proditore bucellam (niſi dum prohibeatur), optima ratione ſubinfertur, noſſe ipſum, quòd ſpiritus Chriſti Domini realiter, & permanenter aſſumat sanctè accedentes ad menſam cœleſtem, gaudetque, licet triſtiſſimè, de triumpho, cum ſacrum hoſpitem pellit ab illa Domo, & quæ futura erat orationis, & Spiritus Chriſti Domini aula, ſit Latronis ſpelunca.

§. II.

Num. 51. SELIGAM nonnulla ex veteri teſtamento, præſertim emphaticam illam ſententiam nomine Chriſti prolatam Pſalmo 140. *ſingulariter ſum ego, donec tranſeam*, ubi S. Auguſt. *hæc vox in Perſona Capitis*, & in Præfatione dixerat: *Et putabit parum intelligens*, ~~*me timere*~~, *Chriſti eſſe Perſonam in hoc Pſalmo*. Cæterum quo pacto ſingulariter exiſtit, priuſquam tranſierit, non ſic verò poſtmodum? Fuit, ne, quidem poſtquam tranſivit factus univerſalis, vel communis, aut in pluribus realiter multiplicatus? Sciunt omnes, tranſitum ſignificaſſe illum, de quo in nocte Cœnæ Joan. 13. dum Euchariſtiam inſtituit: *ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem*: Ideo Paſcha tranſitum ſonat hæbraica locutione, ut ibidem docet S. Auguſt., uti & Patres alii, D. Thomas, & Expoſitores, (& notum eſt cunctis); poſt illum itaque tranſitum, aſſeverat Chriſtus Dominus ſe multiplicandum, dum affirmat, ſe exiturum ſingulariter tantùm, quouſque tranſeat, proindeque non deinceps. *Donec ego tranſeam*, inquit Auguſt. *ſingularis ſum; cum tranſiero multiplicabor .... poſt Paſcha jam non ero ſingularis*. Sed cur, & quomodo multiplicandus erat poſt tranſitum, & Cœnam? S. Parens Auguſtinus multiplicationem illam factam credit per imitationem, poſtquam mortuus eſt in Cruce: ad modum quo Joan. 12. dixerat ipſe: *niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Verùm hæc expoſitio neutiquam impedit, immò fovet ſtrictiorem aliam multiplicationem per Euchariſtiam, cum vel ipſa parabola grani frumenti panem hunc vivum indigitet; cum per Euchariſtiam exprimatur ad vivum paſſio, & mors ejuſdem Servatoris: & cum per ipſam, qui priùs ſingulari tantùm loco præſens aderat, in penè infinitis poſt tranſitum, & aſcenſionem ſuam realiter adſit. Attamen hoc genus multiplicitatis potiùs importat replicationem localem, quàm veram multiplicationem; nec per illam deſinit eſſe ſingulariter in ſeipſo, quan-

tumvis

tumvis exiſtat pluraliter in ordine ad locum, ideſt in pluribus locis.

Tum inſuper, quia idem Parens Auguſtinus, non legit *ſingulariter, ſed ſingularis ſum ego, donec tranſeam*: quæ ſingularitas proculdubio deſignat perſonam ipſam, vel aliquid illius proprium; atque adeò univerſalitas oppoſita non ſolam pluralitatem locorum. Idcirco putamus, ſtrictiùs opportuniùſque uſurpari verba illa juxta opinionem noſtram, apud quam anima Chriſti Domini quæ ante inſtitutionem Euchariſtiæ in ſingulari corpore habitabat, ſingulareque individuum movebat; poſt arcanum Euchariſtiæ inſtitutum, & jugiter in Eccleſia peractum, ita exiſtit in uno corpore phyſico ſingulari, cum quo ſingulariter conſtituat per modum formæ unum ſingulare individuum, & ſuppoſitum, ut ſimul quà per Verbum divinum ſubſiſtens exiſtat realiter permanenter inſtar formæ aſſiſtentis in omni ſuppoſito humano, quod eſcam Cæleſtem probè, eximiè, ſanctèque receperit, quandiu ſtatum gratiæ, amicitiæque retinuerit; quantumvis neutiquam cum illo corpore unum per ſe conſtituat. Quandoquidem hac via ſit quodam modo univerſalis, ſubinduit amplitudinem illam (licet non per identitatem, ſed per unionem) quam de natura, vel idea Platonica creditum fuit; ſortiturque ultra multiplicitatem locorum, & in eo ſenſu multiplicationem præſentiarum, multiplicationem corporum, etiam ſi myſtica ſint, quibus intimè aſſiſtat, & præſens reddatur, ut illa regat, & per eorumdem operationes ſeipſam exprimat. Ecce genus quoddam univerſalis à parte rei in anima Chriſti ſitum, quæ prædicatur realiter de pluribus per realem unionem cum ipſis, itaut non ſolùm exercitum veluti conſtituat, & intrinſece moveat, verùm & mundum hominum ſola impleat. Eam univerſalitatem agnovit, & ex doctrina Apoſtoli eruit aliquatenus inſignis interpres Cornelius à Lapide dum exponit caput 4. Epiſt. ad Epheſ. verſ. 24. dicens. *Sic enim Plato cenſuit, ideam hominis communicari huic, & illi, & cuivis alteri homini in particulari, eique communicari ſuum eſſe hominis, ut per eam quiſque homo particularis fiat homo: ſic per hunc novum hominem* (Chriſtum Dominum) *quaſi abſtractum, & univerſalem quiſque particularis Chriſtianus fit novus homo, ut loquitur Apoſtolus, non quòd verè ſit aliquis homo univerſalis inſtar ideæ Platonicæ; ſed ut ſignificetur novitas hæc novi hominis eſſe communis, ſinguliſque Chriſtianis communicari, ut per eam renoventur.*

Hunc puto ~~geminum~~ ſenſum, in quo dicitur de Sapientia divina, ſive filio, Sapientiæ 7. *Eſt enim illa Spiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis .... & qui capiat omnes Spiritus .... & cum ſit una omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert.* Ubi non eſt ſermo de Spiritu Sancto, ſed de Filio, qui eſt ſapientia Patris, ideoque adjungit ibidem: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*, quod de filio prædicatur. Jam verò Spiritus iſte unicus ſimul, & multiplex, uſurpatur de filio penès divinitatem à plurimis, ab eiſdemque ſimul, & ab aliis ſimpliciter de Sapientia Incarnata, aut de utraque ſimul. Unde Doctor Seraphicus in expoſitione libri Sapientiæ ad illa verba, inquit: *Spiritus in ipſo, ſcilicet ſecundum naturam humanam habitando.* Hæc eſt eadem Sapientia, quæ ædificavit ſibi domum miſcuit vinum, & poſuit menſam. Et propterea Euchariſtia dicitur: *panis vitæ, & intellectus*. Hic ergo ſpiritus (anima Chriſti Domini unà cum Sapientia Increata) eſt in ſe unicus, & indiviſus, ſimul autem multiplex, quatenus exiſtit intimè copulatus, non ſolùm corpori naturali per informationem, ſed quamplurimis membris Corporis myſtici per intimam conjunctionem realem formæ aſſiſtentis. Ideoque opportuniſſimè dixit, quod ſe transferat per omnes nationes, & gentes, compluribuſque animabus ſe ſe infundat. Notatuque digniſſima ſunt illa verba de ſpiritu hoc Chriſti Domini, *qui capiat omnes ſpiritus*; quaſi illos tenens, apprehendens, & ad ſe ſumens. Diffuſionem hanc mirabilem animæ Chriſti Domini deſcribit egregie Leſſius de Perfect. divin. lib. 12. cap. 11. num. 74. dum ait: *Cogita, Spiritùm Chriſti eſſe veluti immenſam quamdam animam, quæ anguſtiis iſtius humanitatis non coercetur; ſed in omnem partem & in infinitum quaſi exundat.* Niſi quod ille per Spiritum Chriſti Domini intelligit ibi Divinitatem ejus ubique exiſtentem; nos autem extra illam inducimus animam ipſam Deificam per Euchariſticos eximiè tales replicatam.

Num. 52. Conducere ad eum finem non parùm videntur verba illa Pſalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*, uſurpata quamſæpiſſimè à Patribus, & Expoſitoribus de Sacra Euchariſtia; circa quæ conſulendus pius admodum P. Antonius Maria Bonucci. Tomo 1. Ephemerid. Euchariſtic. die 18. Januarii. Cum verò ejuſmodi pretioſiſſima hæreditas relicta fuerit teſtamento in Cœna condito: *Hic calix novi teſtamenti.* Cumque rurſus in præfato teſtamento, non partem hæreditatis, ſed in integram, ſed in aſſem, unumquemque fidelium hæredem inſtituerit; cur partem duntaxat hæreditatis noſtræ appellat Chriſtum Dominum in Euchariſtia, cum ipſe ſit hæreditas ipſa? *Non enim juxta terrenum morem hæreditas iſta dividitur* (inquit S. Avitus ſermone de Natali Calicis) *nec corruptibili diſtributione in plures diſperſa tenuatur.* Neque unciam, aut illius exiguam partem ſubtrahit in novo ſuo, ſuique teſtamento. *Cæſar in noviſſimo ſuo teſtamento*, ut refert Svetonius in ejus vita, *inſtituit hæredes Sororum*

Nepotes C. Octavium ex Dodrante, L. Pinarium ex quadrante, reliquos in ima cera. Non ſic autem Chriſtus Dominus Imperator ſummus; generatim omnes quidem, verùm & ſimul ſigillatim quemlibet hominum in particulari (ſi adire velit debito jure, & modo hæreditatem) inſtituit in eo teſtamento univerſalem hæredem, quin aliquem portione quantumvis minima privaverit. Qua igitur proprietate appellatur pars ſolùm hęreditatis noſtræ Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus Sacramentalibus à nobis ſuſceptus? Scio Lorinum, & alios Interpretes partem ibi accipere per metaphoricam alluſionem ad convivium, in quo cibus viritim diſtribuitur, eamque ſignificationem habet illud Chriſti Domini in Cęna Lucæ 22. *accipite, & dividite inter vos*. Verumtamen id genus diviſionis neutiquam inducit partes, aut portiones hęreditatis, ſi proprietas ſermonis tenenda ſit; cum tota ex integro hęreditas unicuique adjudicetur, etiam poſt partitionem accidentium panis, aut vini, tantùmque ſit ſub fragmento, quantùm ſub toto materiali: *Nec quando manducamus*, ait S. Auguſt. ſerm. de Verbis Domini, *partes de illo facimus*.

Scio pariter, complures alios uſurpare portionem hæreditatis, aut partem in altari in eodem ſenſu, in quo Paulus 1. Coloſſenſ. 12. beatitudinem dicit: *partem ſortis ſanctorum*, quamvis totus Deus ſe conſpiciendum intuitivè, fruendumque, exhibeat cuilibet Beatorum. In quem ſenſum propendet S. Auguſtin. in Euarrat. illius Pſalmi: *portio Sanctorum Dominus æternus eſt*. Obſtat attamen contrapoſitio ſequentium verborum in eadem acceptione, in qua vocat Dominum portionem hæreditatis noſtræ, promittentium integram hæreditatem in futurum: *Tu es, qui reſtitues hęreditatem meam mibi*. Addendum etiam, beatitudinem ipſam formalem eſſe non poſſe adæquatam, integramque in unoquoque, cum ſint longè diſſiti in claritate: omnes quidem viſiones finitæ ſunt, una tamen intenſior alia.

Scio tandem, plurimos portionem hæreditatis explicare per uſum antiquum, juxta quem partes hæreditatis deſignatæ in calicem mittebantur, ut inde ſorte extraherentur, favetque illud Lucæ 15. *Pater da mibi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit*. Et Divus Thomas in expoſitione prædicti Pſalmi non videtur alienus ab eo ſenſu. Verùm licet ejuſmodi ſenſus planus ſit, ſi ab Euchariſtia præſcindatur, ab hæreditateque in ejuſdem teſtamento relicta; ubi tamen Euchariſtiæ accommodatur hæreditas illa, ægrè ſuſtineri poteſt metaphorica ea partitio, aut portio, ſorte ex hæreditate ipſa obveniens; cum fatendum ſit omnibus, integrum Chriſtum Dominum tam penes humanitatem, quàm ſecundum Divinitatem dari cuilibet fidelium, de altari participantium, quamquam non omnia illa conſtituantur ibi ex vi verborum.

Ideo conjectari nobis liceat, hæreditatis partem dici à Regio Propheta, non quæ ſumitur, aut manducatur, cum ſit integer Chriſtus Dominus, ſed quæ permanet in manducante, ſpiritum videlicet, ſive animam illius, ultra Verbum divinum ſpeciali modo ibidem exiſtens; quæ tranſmutatis accidentibus, remanet in corde, ipſum aſſumens movenſque juxta modum ſæpè explicatum: in qua acceptione eſt pars ſolùm in toto rigore hæreditatis, cum totus ipſe Salvator, tam ſecundum completam humanitatem, quàm peues divinitatem copulatam, ſit hæreditas noſtra adæquata, & æterna, relatè ad beatitudinem integram animæ, & corporis, ſenſuumque. Quamobrem etiam ſi, tum inſinuatas ſupra interpretationes, tum alias, permittere valeant verba relata; nulla tamen eſt connaturalior, ſtrictiorque noſtra; juxta quam portio hæreditatis poſſidetur actu, reſiduum verò, cujus illa eſt pignus, ratione illius debetur eam retinenti; & quidem ita, ut reliquum hæreditatis, ejuſque poſſeſſio in gloria ſupponatur debita omni jure, vi cujus, dum illa exhibetur, non tam dicatur collata, quàm reſtituta: *Tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mibi*: nec ſub ea ratione pronuntietur, nos Cœlum rapere, ſed veluti per rei vindicationem aſſumere.

Num. 33. Congruentiſſimè ulteriùs probari poteſt ex verbis Deuteron. 4. quæ adducit, & applicat S. Thom. Opuſc. 57. paucis immutatis, Euchariſtiæ Sacramento ineffabili. *Neque enim eſt, aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*. Profectò ſi per Euchariſtiæ dignam ſumptionem non perſiſteret anima Chriſti Domini intra ſumentem; licet non extitiſſet uuquam natio grandior, aut æquè grandis, cui propinquior eſſet Deus aliquis (etiam confictus) ac ſit nobis verus Deus, & Homo Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis, & vini ſumptus; foret attamen excogitabilis, potenſque natio illa exiſtere, ea nimirum, quæ poſt ſumptionem Euchariſtiæ, ſpecierumque in ſtomacho deſtructionem, potiretur conjunctione intrinſeca animæ Chriſti Domini, ut divinitati copulatæ, in corde per aſſumptionem realem illius permanentis, ut motoris in mobili. Siquidem per illam propinquitas eſſet proculdubio tam intenſivè, quam extenſivè major, intimior, diuturniorque; cum præſupponat conjunctionem materialem præcedentem, & inſuper adſtruat ſubſecutam, ex ſe perpetuam, & magis intrinſecam, altiorisque ordinis; cum aſſumat, vel ſumat ad ſe communicantem, ut ipſum regat, tanquam forma aſſiſtens, moveatque aſſiduè, & perſeveranter. Et ſaltem Eccleſia conciperetur à nobis pro eo eventu per ſe nobilior, & præſtantior, Sponſo ſuo Incarnato conjunctior, & idcirco

eo grandior, & pulchrior; quod obſcuraret aliquantulum gloriam præſentis Eccleſiæ, elegantiſſimæ Sponſæ, pugnatque cum unanimi conſenſione Patrum, attollentium uſque ad ſummitatem, aut excellentiam ſummam, Eccleſiam Sanctam, prout modò exiſtit, & legis Evangelicæ modò florentis perfectionem, omnium poſſibilium maximam.

Producam etiam verba Chriſti Domini per Regium vatem ſonantia Pſalm. 141.: *periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.* Quæ intelligenda prorſus de Euchariſtia planum videtur, cum Syrius vertat, *periit domus refugii*. Hæbraica lectio: *periit refugium à me*. Et aliunde Euchariſtia Sacra appellatur domus refugii, ſive refugium ab Interpretibus paſſim, & ſæpiſſimè à Patribus. Unde Anguſt. in Pſalm. 30. Concione 1. ad illa verba: *refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me* (quæ ſeipſis perſuadent hane veritatem ſufficienrer) ait: *enutries me, ut validus ſim ad manducandum eſcam, qua paſcis Angelos. Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cæleſtem cibum promiſit.* Adeſt ſiquidem Chriſtus Dominus in Euchariſtia veluti circumcluſus, quin poſſit inde ſe movere, niſi ad nutum Sacerdotis, donec ſpecies deſinant. Cæterum cum Euchariſtia contineat Corpus & Sanguinem Domini, conqueri debuiſſet, quòd licet ſit ibi expectans immobiliter fideles, vel accedentes frequentiùs, vel ſanctiùs, nequaquam ſic accedant ad ejus Corpus Sanctiſſimum (ſunt enim pauci) recipiendum; ſed quia non requirant ejus animam; cur? Quia licet Corpus ſumatur, ſinis tamen dignæ ſumptionis eſt anima permanenter retinenda prout contendit aſſertio noſtra. Ecce dolendi radicem profundam, nimis, & amantiſſimam. Quamobrem dum exadverſo clamat Chriſtus Dominus Pſalm. 69. *confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam.* S. Pater Auguſtinns in illius Pſalmi Enarrat. Inſtituens comparatiouem inter utriuſque Pſalmi voces contrarias, & inter quærentes animam Chriſti Domini ex pugnantibus inter ſe motivis, aut fontibus, & ad fines ſibi contradicentes, inquit: *quoniam duobus modis quæritur anima hominis juſti, ſinguli in ſingulis expreſſi ſunt: illic dolet, quia non eſt, qui quærat animam ejus ad imitandom paſſionem ejus. Hic autem confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam. Quærunt animam ejus,* (Perſecutores); *non ut duas habeant. Non enim ſic quærebant animam ejus quomodo quærit latro tunicam viatoris: qui ad hoc occidit, ut ſpoliet, & habeat. Qui autem perſequitur, ut occidat, excludit animam, non ſe veſtit.* Ergo à contrario ſenſu, qui quærit ejus animam ob finem ex diametro oppoſitum, illam quærit, ut habeat duas, ut illam veſtire poſſit tanquam formam aſſiſtentem. Neque obeſt, quòd illam requirat, ad imitandam ejus paſſionem; quandoquidem ad hunc effectum perfectè aſſequendum, ſummopere condueit anima Servatoris aſſumens quærentem ad ſe repræſentandum per miram transformationem.

Non importunè, ſed opportuniſſimè, adduci valet etiam in confirmationem aſſertionis, illud Lev. 26. *Ponam Tabernaculum meum in medio veſtri, & non vos abominabitur anima mea.* Per Tabernaculum autem figuratam fuiſſe Humanitatem Chriſti Domiui & Euchariſtiam, velut urnam nobiliorem manna, pervium eſt cunctis; in medio autem pectoris noſtri, ſive in corde, ſe permanſurum promittit, quin ejuſdem Humanitatis anima dedignetur adeſſe ibi permanenter cum debitè accedente ad Euchariſtiam. Rurſus ibidem paulò ante promiſerat: *comedetis panem veſtrum in ſaturitate &c.* ubi Rupertus lib. 2. in Levit. cap. 45.: *panis noſter vivus panis, qui de Cœlo deſcendit*. Anima autem Dei propria, quænam alia ſimpliciter, aut ſaltem veriùs ſtrictiùſque dici poteſt, quàm anima divinitati hypoſtaticè copulata, ubi loquitur apertè de Euchariſtia in ea promiſſione ex tunc facta? Et ſanè adeo perſuaſum cunctis erat per animam Dei in eo loco intelligi animam Chriſti Domini ut Apollinariſtæ ex illo inferrent (quamvis per errorem turpiſſimum) Corpus Salvatoris informari Verbo ipſo inſtar animæ, nullamque animam aliam ſortitum fuiſſe; ut univerſaliſſimos illos effectus exiſtendi in omnibus, in medioque cunctorum fidelium, pleniùs exequi poſſit. *Hinc acceperunt*, ait S. Auguſtin. lib. 3. quæſt. ſuper Leviticum quæſt. 93. exponens ea verba, *Apollinariſtæ occaſionem, qui dicunt, animam non habuiſſe mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum; ſed tantùm Verbum & carnem fuiſſe, cum diceret triſtis eſt anima mea;* undè ipſe S. Doctor, ut remotior fiat ab eorum dementia, exponat ibi animam per divinam voluntatem. Quocirca exponens memorata verba S. Cyrillus lib. 16. inquit: *numquid putamus, quòd Deus habeat animam ſicut homo? Abſurdum eſt; hoc ſentire de Deo. Ego autem audio* (forſan audeo) *& dico, quia anima Dei eſt Chriſtus Jeſus, & ſapientia Dei, & anima Dei.*

Non abs re pariter, qui probans ſeipſum, ſuſcipit Chriſtum Dominum ſacramentaliter, comparatur Eliſeo obſecranti, & obtinenti ab Elia id, quod aſſertur 4. Reg. cap. 2. *ut fiat in me duplex Spiritus tuus*. Cum enim Elias fuerit Typus Chriſti Domini, ut fusè oſtendit S. Auguſtinus Serm. de tempore, ubi omnes illius præcipuas operationes, glorioſioreſque, Chriſto Domino allegoricè, & figurative accommodat: uti etiam S. Chryſoſt., & Patres propè omnes; & cum farina, quam multiplicavit; panis à Corvis ei miniſtratus; & cibus ille, in cujus fortitudine viam arreptam firmiter peregit, Euchariſtiam apertè præfiguraverint, ut ex placito communi, certum eſt. *Panis Eliæ eſt Corpus Chriſti*, ait S. Proſper lib. 2. de Prædeſt. cap. 28. ſicut

ille

ille curru igneo exceptus, aſſumptuſque, Spiritum duplicem, & dediſſe potuit, & dedit Eliſęo; ita Chriſtus Dominus à ſeipſo elevatus, & veluti raptus in Cœlum, duplicem Spiritum ſuum mittit in nos, Spiritum Sanctum videlicet, qui à filio procedit, & Spiritum ſuæ Humanitatis proprium, quem largitur dignè ſumentibus Euchariſtiam. Maximè cum modo aliquo ſpeciali conjungatur Spiritus Sanctus illi, cui copulatur Spiritus Chriſti Domini; eo quod realiter mediatè uniatur eidem ratione divinitatis Perſona Spiritus Sancti. Quare Chryſoſtomus Homil. 2. ad Populum, fine, cum fœlicitatem Eliſæi accipientis pallium Eliæ aſcendentis expoſuiſſet, ſubdit: *quid igitur ſi vobis demonſtrabo aliud quidem multò majus illo nos omnes accepiſſe? Nam Elias quidem veſtem omnem demiſit Diſcipulo; Filius verò hominis aſcendens ſuam ipſius carnem nobis reliquit*: Legantur Drago Oſtienſis ſermone de Sacramento Dominicæ Paſſionis: Hincmarus in Encomio S. Remigii ad calcem, Bonucci in tertio trimeſtri Ephemer. Euchar. die 20. Julii. Si verò intelligas Spiritum duplicem, ita, ut accipias Spiritum Eliæ ſimul cum Spiritu ejuſdem Eliſæi ab eodem nutrito, & inſtructo (ſub quacumque ratione uſurpes Spiritum utriuſque) cum verſ. 15. dicatur: *& requievit Spiritus Eliæ ſuper Eliſæum*. non minùs propriè reperitur Spiritus duplex, ſive conſideres phyſicè Spiritum aſſumentem unà cum mobili aſſumpto, ſive Spiritum, & vitam gratiæ, quæ præcedere debet in ſuſcipiente Spiritum Chriſti Domini. Ideo S. Chryſoſt. in Homil. de Elia dixit; *erat duplex Elias, Elias ſurſum, & Elias deorſum.* Fortunatus ille, qui nexum utriuſque Spiritus ſollicitè fovet, & retinet, quique matrimonium phyſicè, intimèque copulans animam cum anima, contrahens, adeo inviolatam ſervat conjugi divino fidem, ut nunquam illum repudiet, ſed ſtrictioribus continuò nexibus vinciat, quin deſerat illum etiam dum proprium Corpus morte deſerat, & ultimum Spiritum, ut ajunt, emittat.

Adjungendum ex Petro Galatino lib. 10. de arcan. Cath. ver. cap. 6. quòd Rabbi Judas, qui multo tempore præceſſit Chriſtum Dominum, exponens panem propoſitionis, aut facierum (Exodi 25.) de Sacramento Euchariſtiæ futuro ſubdit; *cujus rei fidem ſedes facit Eliæ*. Putabant enim doctiſſimi Hæbreorum Eliam adſtare ſemper inviſibiliter omni Sacramento circumciſionis: & ideo in omni circumciſione Infantis aderant duæ ſedes, una pro Sacerdote circumciſuro, altera viſibiliter vacua pro Elia inviſibiliter ſedente. *Ne Judæi recentiores* (inquit Galatinus) *quorum perfidiam ipſe prævidebat, ideo corpus Meſſię in hoc ſacrificio non eſſe dicerent, quia ibi, nec videatur, nec palpetur: cum Eliam in illa ſede inviſibilem, atque impalpabilem eſſe, nec non eumdem pluribus in locis eadem hora exiſtere poſſe credant, & fateantur*. Inſuperque refert cap. 2. Rabbi Simeoni filio Johai oranti in ſpelunca duplici apparuiſſe Eliam Pontificalibus indutum, proludentemque ſacrificio inſtituendo à venturo Meſſia in pane, & vino: ſicuti igne ſuo proluſit amori Chriſti Domini.

Num. 54. Eadem forſan cauſa, aut ratione, cum Eccleſia Sancta dicatur à Patribus ſortis ea mulier Proverb. 34. *quæ facta eſt navis inſtitoris de longè portans panem ſuum*, quæ domeſticis ſuis, ideſt fidelibus, cibaria diſtribuit: adjungit ibi Spiritus Sanctus: *omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus*. Namque gratia ſanctificans eſt nuptialis veſtis juſtorum propria: huic per ſumptionem devotam panis Euchariſtici accedit anima Chriſti Domini, quæ induere nos teſtatur Apoſtol. Roman. 13. *induimini Dominum Jeſum*. Et ad Galat. 3. *Chriſtum induiſtis*. Hinc fit, hominem, qui ſanctè communicavit, ſi deinceps in culpam gravem incidat, non ſolùm veluti nigra terræ interpoſitione amittere gratiæ habitualis ſplendorem, quo amictus erat, ſed & jacturam ſimul facere ſpiritus, aut animæ Chriſti Domini realiter, quæ confeſtim deſinit eſſe ibi. Idque inſinuaſſe videtur Sanctus Judas in Epiſt. Canon. *Hi ſunt in epulis convivantes ſine timore, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ eradicatæ*. Difficulter enim percipitur bina illa mors ante mortem æternam, quæ eſt mors ſecunda, quęque non includitur in ea duplicitate, cum protinus addat: *quibus procella tenebrarum reſervata eſt*, & quæ propterea reſpectu eorumdem erit tertia mors, niſi quatenus ultra vitam ſupernaturalem gratiæ, cujus jacturam facit per culpam læthalem, amittat vitam divinitus realiter aſſiſtentem, animam nempe Chriſti Domini aſſumentem illum, vel quę eum aſſumeret, ſi Chriſtum Dominum improbè non ſuſcepiſſet: *convivantes ſine timore* ſunt enim ejuſmodi vitæ ſeparabiles, at non mutuò; ſiquidem recens generatus per Baptiſmum, antequam Euchariſtiam ſuſcipiat, ſola vita gratiæ prçditus eſt, eamque ſolùm deperdit, ſi gravi lapſu cadat; non ſic autem unio cum anima Chriſti Domini, quæ ſolùm haberi poteſt poſt dignam valdè ſuſceptionem Euchariſtiæ; adeoque nonniſi unà cum vita gratiæ intenſæ; ideo fortè dixit ipſe Chriſtus Dominus *ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*; unde cum hæc exiſtere nequeat abſque illa, qui poſt ſuſceptam ritè Euchariſtiam corruit, utraque vita ſpoliatur. Væ illi, qui vel unico ictu, bis homicida, utramque vitam extinguit, & utrumque lumen. Idcirco cautiſſimè ambulandum, habemus enim utrumque Theſaurum in vaſis fictilibus.

Huc ſpectare poteſt illud Pauli ad Theſſalon. 5. *Spiritum nolite extinguere*; non enim extinguere valet homo ſpiritum ſplen-

didiſ-

didiſſimum Chriſti Domini in ſe (uti nec proprium) niſi quatenus efficit, ut ille deſinat eſſe immanenter phyſicè apud ipſum. Eodem ſpiritu hortatur ibidem Apoſtolus Theſſalonicenſes his verbis: *ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* In quibus præſupponit non modò animam ab ſpiritu diſtinctam, verùm & diviſibilem ſpiritum, cum hortetur ad illum integrum ſervandum, & cum diminutionem pati poſſe ſupponat. Id autem de vita gratiæ ſanctificantis ægrè uſurpari valet, cum loquatur in ſenſu phyſico, & ſubſtantiali de anima, & corpore; atque adeo in eodem pariter ſenſu de ſpiritu noſtro, qui non modò inſtruitur phyſicè gratia, verùm & integratur ſupernaturaliter anima, aut ſpiritu Chriſti Domini, & in eo ſenſu habet ſpiritum diviſibilem, quia gemino gaudet, motore, & moto, quorum unus ab altero ſeparabilis eſt; quod nobis ſenſibilius, duriuſque eſſe deberet, quàm ſpiritum proprium à corpore ſegregare; & ſic numquam ſepararentur, ſemel ac conjungantur. Spiritus Chriſti eſt ille, quem Propheta Regius ſpondet aperientibus ora ad ſumptionem Euchariſtiæ: *os meum aperui, & attraxi ſpiritum* Pſalm. 118. additque: *quia mandata tua deſiderabam*; mandatum autem novum Euchariſtia eſt, & unione ſingulari per Euchariſtiam acquiſita completur, ut tradit à Lapide in Joann. 13.. Ille identidem de quo Jerem. Thren. capit. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*. Hunc ſpiritum attrahimus, dum ad Euchariſtiam diſpoſitè accedimus, & hunc emittimus, dum liberè contra Dei mandata reſpiramus, & infamem ſervitutem per libertatem quærimus. Non incongruè accommodari poſſunt ad rem præſentem verba Ezech. cap. 3. *comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios, Iſrael. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo*. Ejuſmodi autem volumen manducatum adumbraſſe Euchariſtiam, docent ferme omnes Interpretes. Cæterum vix typum illum Euchariſtiæ comederat Propheta, cum ſubjungit: *Et aſſumpſit me ſpiritus ... ſpiritus quoque levavit me, & aſſumpſit me*. Et quidem ut efficeret id, ad quod agendum roboratus fuerat cibo illo literato, ſive docto, & Sapientiæ Divinæ muſæo.

Num. 55. Hæc eſt illa occulta animæ, ſponſæque venuſtas de qua Cant. Cantic. 4. ubi recenſitis ſponſæ perfectionibus diverſis, miram elegantiam præſeferentibus, adjungit: *abſque eo quod intrinſecus latet*. Quod inſinuarat prius Pſalm. 44. David *omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*; tametſi eam depingat examuſſim extrinſecè veſtitu deaurato amictam, & varietate mira circumdatam. Hoc eſt illud emolumentum ſocietatis, de quo Eccleſiaſt. 4.) cum enim dixiſſet: *cui laboro, & fraudo animam bonis*, adjungit quaſi ſubinferens: *melius eſt ergo, duos eſſe ſimul, quam unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi unus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli! quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Etſi dormierint duo, fovebuntur mutuò; unus quomodo calefiet?* Per duos autem myſticè ſignificare Chriſtum Dominum, & juſtum, docent Interpretes cum Sancto Ambroſio de inſtit. Virgin. cap. 11. dicente: *Ubi ſunt duo optimi, ſuper unum, niſi ubi Chriſtus eſt, & is, quem Chriſtus tuetur? Quoniam ſi ceciderit, qui cum Domino eſt Jeſu, erigit eum Jeſus* (quia ubi lapſus gravis non eſt, permanet adhuc phyſicè intrinſecè cum illo ipſius ſpiritus) & aliunde nulla alia via, aut modo promittitur nobis adeo abſolutè, inculcatè, & perſpicuè immanentia Chriſti Domini in nobis, quàm per Euchariſtiam ſanctè receptam. Et Doctor Maximus ultima verba producti teſtimonii referens, inquit: *niſi nobiſcum Chriſtus dormierit, & in morte quieverit, calorem æternæ vitæ accipere non valemus.* Quare merito de anima non copulata phyſicè per aſſumptionem intentam cum ſpiritu Chriſti Domini (cum potuiſſet copulari) canere poſſumus lugubre illud *væ ſoli*!

Neque prætereunda hic mutua illa, & celebris affixio animæ Jonathæ cum anima Davidis 1. Reg. 18. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam*. Hanc autem animorum unitatem glutino amoris conſtitutam, immolatione victimæ firmiter ſtabilitam, nexum animarum cum Chriſto Domino per Euchariſtiæ ſumptionem comparatum præfigurabat, ut cum Abulenſi docent plures Expoſitores. Ut typicus ille Chriſtus Dominus David peracto ſacrificio, deſignaret ineffabilem animarum conjunctionem intimè realiter futuram, inter animam ſcilicet participantem ex ſacrificio Euchariſtico, & animam Chriſti Domini, itaut ex utraque reſultet phyſicè (quamvis non per compoſitionem ſtrictam) una anima completa in ordine ad ſupernaturaliter operandum, & vitam Divinam æmulandam. Ad modum quo Horatius dimidium animæ ſuæ dixit Virgilium lib. 1. Od. ode 3. *Et ſerves animæ dimidium meæ*. Et lib. 2. ode 17. de Mæcenatis vitæ ſolicitus, ait: *Ah! Te meæ ſi partem animæ rapit, maturior vis, quid moror altera. Nec carus æque, nec ſuperſtes integer?* Et Auguſtinus lib. 4. Confeſ. cap. 6. ait, *benè quidam dixit de amico ſuo dimidium animæ meæ*. Ideoque mori tunc metuebat, ne ex integro amicus ille moreretur. *Non vivit quiſquis fido privatur amico. Dimidium ſiquidem perdidit ille ſui*. In eumdem ſeoſum loquitur S. Gregor. Nazianz. orat. 20. in funere Baſilii. Ubi autem id fieri poteſt, non affectivè ſolùm, ſed phyſicè quoque (ut de poſſibili in re noſtra certum eſt) aut amor ſummus non erit, aut realis animarum copulatio (de quo iterum poſtea). Sanctus Thomas, vel Author opuſculi 63. de Beatit. cap. 4. docet per glutem illud ſignificari unionem animæ fidelis cum

Deo

Digitized by Google

Deo in Patria, factam per Chriſtum Dominum. *Hęc unio*, inquit, *prefigurata eſt in libro Regum, ubi animę Jonathę conglutinata eſt animę David... Hęc unio fidelis animę ad Deum fit per Dei Filium, quia ideo naturam aſſumpſit humanam, ut per ipſam eamdem transferret ad unionem Divinam*. Non quidem per ipſam meritoriè ſolùm, aut per ejus meram impetrationem; cum hoc modo etiam reliquę uniones, de quibus ibi diſſerit, habeantur per Chriſtum Dominum; & aliunde primam illam ſingulariter per illum, ſeu medio illo factam aſſeveret. Non per integram humanitatem ut planum cunctis eſt: ergo per animam, quæ non impedit, ſed inducit potiùs ſpecialem unionem animę cum Verbo, ut dictum eſt. Si autem ita ſe habent in Patria, cæpere proculdubio in via, & per Euchariſtiam. Duntaxatque adjungam in præſenti ſimilem amoris unitatem, aut illius deſcriptionem Geneſis 54. eademque loquendi forma expreſſam inter Sichem, & Dinam: *conglutinata eſt anima ejus cum ea*. Si autem hæc efficere poteſt amor Euchariſticus figuratus, aut in amore illo veluti in figura rudi penicillo expreſſus, quid efficit, aut quid intactum relinquet ipſe amor figuratus? Si vel amoris, & ignis hujus, umbra ſic ardet, & copulat; corpus ipſum dilectionis, & incendii, quid incombuſtum, & non intimè ligatum relinquet? Per hanc ſemitam multiplicantur mirabiles, & abditiſſimi ingreſſus ſapientiæ, de quibus Eccleſiaſtici 1. *Radix ſapientiæ cui revelata eſt? & aſtutias illias quis intellexit*. Ingreſſa namque eſt Humanitatem, dum illam ſibi hypoſtaticè copulavit. Ingreſſa deinceps per eamdem, & unà cum ipſa Euchariſtiam, & per illam dignè eam ſuſcipientes modo aſtutiſſimo à ſapientia ipſa excogitato. Ingreſſa tandem per animam Chriſti Domini, & ſimul cum illa, membra corporis myſtici, ut in eis permaneat: quoniam ingreditur, non ut egrediatur, ſed ut inhabitet domum illam, quam ſibi ædificavit, clauditque intus oſtium, claves tamen habet liberum arbitrium. Propterea Eccleſiaſtici 15. poſtquam dixiſſet, *cibabit illum pane vitæ, & intellectus*, adjungit, *& in medio Eccleſiæ aperiet os ejus, & adimplebit illam ſpiritu ſapientiæ, & intellectus*: proprius namque effectus cibi hujus eſt inducere in cibatum animam cibi, qui eſt ſpiritus etiam Verbi ut Incarnati. Naturamque ſubtiliſſimam hujuſce ſpiritus ſignificare potuit tenuitas ſumma, levitaſque mannæ, de qua Numer. 21. *anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*: eum ob nimiam etiam ſubtilitatem aer ſæpe ſpiritus dicatur in ſcripturis.

Num. 56. Eamdem phyſicam adhæſionem animæ ad animam mutuo amore ſuccenſam, & media Euchariſtia comparatam indicant illa verba ſponſi Cant. Caut. 8.: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*: quæ ſponſi verba ſuaviſſima, & amorem tenerrimum ſpirantia, Euchariſticam unionem redolere commune valde, obviumque Interpretum judicium eſt. Conſule laudatum Antonium Mariam Bonucci ubi ſupra, & ad diem 7. Auguſti. Idque comprobat, quod ſibi contigiſſe narrat S. Geltrudes libr. 2. revelat. cap. 7. dicens: *dum in feſto Purificationis recepiſſem Sanctam Synaxim mente intenta in Deum, & in meipſam, percepi, & ſenſi animam meam inſtar ceræ liquefactam, talemque effectam ex ſigillatione pectoris Chriſti: ex eo enim accepi Theſaurum gratiarum, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*. Eſtque doctrina Sancti Cyrilli ſupra expenſa. Quòd verò ejuſmodi ſigillatio importet realem animæ Chriſti Domini conjunctionem cum anima, & corde dignè epulantis ad menſam Euchariſticam; uti per ſigillum in brachio intelliguntur operationes inde provenientes, quibus repræſentatur ea realis inhabitatio ſpiritus Chriſti Domini intra nos, comprobatur efficaciter conſimili ſigillatione, quam Chriſtus Dominus ipſe explicuit Joan. 6. dum Euchariſtiæ naturam, & effectus deſcriberet: *Operamini, non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus* (*vel ſigillavit*) ut Græca lectio habet. Hæc autem ſigillatio ſi de Filio Dei ab æterno facta accipiatur cum S. Cyril. & aliis Patribus, deſignat realem communicationem deitatis per identitatem. Si de Humanitate Chriſti Domini uſurpetur cum pluribus aliis, ſignificat ejuſdem Divinitatis impreſſionem per nexum hypoſtaticum. Dum igitur eadem locutione ſponſus ſigillare dicitur ſeipſo media Euchariſtia cor ſponſæ dilectæ, illam peramanter ſuſcipientis, debet à fortiori indicare realem Chriſti Domini ſive animæ ipſius, Verbique Divini, conjuctionem, non ſanè hypoſtaticam, ſed longè inferioris ordinis, aſſumptivam videlicet; alioqui degeneraret nimis acceptio ſigilli ſubſtantialis, aut ſignaculi vivi à ſenſu, in quo Pater ſigillavit filium. Quapropter ipſe Chriſtus Dominus ſub ſpecie pueri apparens eidem Geltrudi, comparationem utriuſque ſigillationis apertè expreſſit, quæ minùs rectè inſtitueretur, ſi unum extremum eſſet planè metaphoricum, impropriumque, dum aliud ſtrictiſſimum eſt, dixit enim: *ſicut ego ſum figura ſubſtantiæ Patris in deitate, ſic tu eris figura ſubſtantię meæ in Humanitate, quam recipies in anima, quaſi deificata tibi miſſa à mea divinitate, eo modo, quo aer recipit claritatem ſolis, ut hoc radio penetrata intimà uſque ad medullas, apta, habiliſque fias ad familiarem unionem mecum ineundam*: (Quamvis nonnihil in his verbis deſideretur) ex ejuſmodi autem ſignaculo cordi impreſſo reſultat ulterior alia, ad quam hæc ordinatur, quæ imprimitur brachio, ad denotandam vim activam operandi in ordine ſupernatu-

naturali ad exprimendum motorem, cordi, veluti clavo, aſſidentem, ut ſic verifieetur illud Pauli 2. Corint. 4. *ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Et hæc eſt occulta, & fœliciſſima cauſa, ob quam Chriſtus Dominus aſſeveratione non minùs propria, quàm vera, dum Getrudis Sanctitate eximia floreret in terris, dixit, qui me quærit, aut In Sacramento, aut In corde Sponſæ meæ Getrudis deliteſcentem inveniet. Hæc eſſe potuit cauſa, ob quam Num. 28. dicitur Euchariſtia: *panis facierum*, quia ſanctè, & ardenter communicantes aſſumit anima Chriſti Domini, latetque Intra corpora, & facies diverſas, Et ideo manna (notiſſima Euchariſtiæ figura) Sapient. 16. deſcribitur: *Subſtantia Dei ... in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebat.*

Num. 57. Proferam ulterius in lucem ejuſdem ſententiæ verba Oſeæ cap. 11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis; & neſcierunt, quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis Charitatis: & ero eis quaſi exaltans jugum in maxillis eorum, & declinavi ad eum, ut veſceretur.* Quibus ſignificari Euchariſtiam adumbratam per manna (de quo ibi eſt ſermo) oſtendit ex Rufino, Theophilacto, & Ruperto Cornelius à Lapide, & alii Expoſitores, firmatque diſſertè S. Thomas opuſc. 58. cap. 5. Id pariter expreſſit Doctor Maximus præfatum locum expendens: *Declinavi ad eos, ut eum eis veſcerer, aſſumpta forma Humanitatis: ſive dedi eis eſum corporis mei, ipſe & cibus, & conviva.* Per Euchariſtiam ergo ita Chriſtus Dominus ſumit ad ſe, ideſt aſſumit diſpoſitè, & reverenter illam ſumentes, ut ad inſtar nutricis moveat, geſtet, dirigatque infantem in vita ſupernaturali, ex ſe lubricam, & mille caſibus expoſitam, animam noſtram; tametſi hactenus ignota fuerit aſſumptio hæc: *neſcierunt.* Propterea illud portandi, & movendi genus vocatur aſſumptio frequenter à ſacra Pagina Deuteron. 31. *Aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis.* Dum enim nos ipſum accipimus, & In ſinu devotè portamus, viciſſim ille manens in nobis, portat nos, regit, & fovet in ſinu ſuo, juxta illud Numer. 11. *Porta eos in ſinu tuo, ſicut nutrix infantulum.* Neque enim aliter per Euchariſtiam Sacram moveri, geſtarique valemus à Servatore noſtro, potiuſquam per alia media, Sacramenta, & auxilia. Idque fit permanenter per vinculum, quo alligatur nobis Spiritus Chriſti Domini media ſumptione Corporis Sanctiſſimi illius: ſicut eſu pomi Adam colligavit ſibi, & poſteris mortem. Donec gravi aliquo flagitio miſerè corruat, & à nutritio fugiat.

In eamdem ſententiam accipi valent verba illa Cantici Moyſi Deuteron. 32. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis.* Maximè cum Populum aſſumptum deſcribat comedentem *fructus agrorum, medullam tritici, & ſanguinem uvæ meraciſſimum.* Colligitur etiam aſſertum noſtrum ex illa ſerpentis ſugeſtione Geneſ. 3. *eritis ſicut Dii:* frequenter enim Patres affirmant, primos Parentes ea ſuaſione concitatos voluiſſe capere In ſenſu aliquo ſibi divinitatem, ut intrinſecè permaneuter poſſidendam, modo alio peculiari diverſo ab illo, quo exiſtit per gratiam, & amicitiam in juſto; cum experirentur hunc, & ulteriorem magiſque intimum ambirent; ſivè per unionem hypoſtaticam cum Sapientia divina, in confuſo, & rudi modo acceptam, ſive aliter ignoranter uſurpatam divinitatis rapiuam. Sic S. Auguſt. in Pſal. 68. *Quæ non rapui; tunc exolvebam*, ait ſiquidem: *omnino non rapuit*, (Chriſtus Dominus) *Sed quis rapuit? Adam. Quis rapuit primo? ille qui ſeduxit Adam.* Et in hunc ſentiendi modum trahit illud Pauli ad Philip. 2. *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Sic S. Chryſoſtomus, Ambroſ. Gregor. Bernat. &c. Unde Rupertus lib. 1. de S. Spiritus operibus inquit: *creditum eſt enim, quòd illi pomo ineſſet, quod non videbatur, ſcilicet vis Deos efficiendi &c.*

Cum igitur apud omnes per eſum carnis ſuæ contulerit nobis Chriſtus Dominus, non tantùm quod amiſit genus humanum per eſum pomi vetiti, verùm quidquid Parentes noſtri appetiere; legitimè infertur, per dignam ſuſceptionem hujus Sacramenti, obtineri à nobis divinum Verbum intrinſecè ſpeciali modo, & permanente, quo minimè poſſidetur per gratiam. Proindeque media unione cum anima Chriſti Domini copulatæ Verbo divino, quæ eſt Sapientia Dei, aſſumi nos intrinſecè ab ipſo; ille, inquit ibidem Rupertus, *quod non habebat mendaciter promiſit, eritis, inquiens, ſicut Dii; iſte quod habebat, quod ſemper naturaliter habet, fideliter dedit, ut ſimus Dii, dum manet ipſe in nobis.* Hinc clareſcet locus ille Joann. Epiſt. 1. cap. 4. *Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Solvere autem illum contingere nequit, quin ſupponatur alligatus; cæterum cui? Plerique ajunt, Id apprimè dici, eo quod Chriſtus Dominus, ſit conjunctum divinum ex Deitate, & Humanitate per nexum hypoſtaticum unitis conſurgens, quod conjunctum ſolvit, qui vel ejus divinitatem negat, vel veram illius naturam humanam. Plures attamen cum Auguſtino in expoſitione hujus loci corpus myſticum intelligunt, vel univerſim totam Eccleſiam, vel ſigillatim unumquodque membrum. Unde qui Chriſtum Dominum per Euchariſtiæ fervidam ſumptionem accipit, ſi deinceps offendat graviter in rupem, ſolvit Jeſum; cujus animam ſibi in ſinu copulatam habebat, ut motricem, proprio corpori myſtico conſiſtentem. Quemadmodum enim ſeparare animam à templo corporis phyſici ejuſdem

Ffff Sal-

Salvatoris, explicatur aptiſſimè per eamdem locutionem: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Joann. 2. ſic, qui ſeparat animam Chriſti Domini à ſuo proprio corpore myſtico, *ſolvit Jeſum*, & ligat ſeipſum Diabolo. O ſtulte, quæ vincula rumpis, & quæ nova, infauſtiſſimaque nectis?

SECTIO QUARTA.

Eamdem ſententiam eſſe planè juxta Sanctorum Patrum mentem, & productis eorumdem verbis oſtendit, & reflexionibus non contemnendis ſuadet.

§. I.

Nu. 58. NOn tradunt Patres illam in terminis, verum eſt; attamen doctrinam plerique afferunt, ægrè alium ſenſum tolerantem, ſitque propterea opinio noſtra juxta ipſorum mentem, tametſi omnino non ſit juxta ipſorum vocem. Quin & diſſertis verbis inducunt nexum realem permanentem; hic autem alius eſſe nequit, niſi à nobis deſignatus. A' quo tamen rectiùs, & fæliciùs ordiar, quàm à Magno Parente Auguſtino, & quidem arguam ex notis illius verbis tract. 26. in Joan. ubi fideles hortatur ad eſum dignum panis vivi in hunc modum: *Fiant Corpus Chriſti, ſi velint vivere de Spiritu Chriſti. De Spiritu Chriſti non vivit, niſi Corpus Chriſti. Intelligite fratres mei, quid dixerim. Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes, ſpiritum dico, quæ anima vocatur, qua conſtas, quod homo es; conſtas enim ex animo, & corpore. Habes enim ſpiritum inviſibilem, & corpus viſibile. Dic mihi, quid ex quo vivat? ſpiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? Reſpondet omnis, qui vivit; qui autem hoc non poteſt reſpondere, neſcio, ſi vivit. Quid reſpondet omnis, qui vivit? Corpus utique meum vivit de ſpiritu meo. Vis ergo, & tu vivere de Spiritu Chriſti? In corpore eſto Chriſti. Numquid enim corpus meum vivit de ſpiritu tuo? Meum vivit de ſpiritu meo, & tuum de ſpiritu tuo. Non poteſt vivere Corpus Chriſti, niſi de Spiritu Chriſti. Inde eſt, quod exponens nobis Apoſtolus hunc panem: unus panis, inquit, unum corpus multi ſumus. O' Sacramentum pietatis! O' vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat*: Eadem fermè repetit tract. 27. *Ergo ſpiritus*, ait, *eſt qui vivificat: ſpiritus enim facit viva membra, nec viva membra ſpiritus facit, niſi quæ in corpore, quod vegetat ipſe ſpiritus, invenerit. Nam ſpiritus, qui eſt in te, ò homo, quo conſtas, ut homo ſis, numquid vivificat membrum, quod ſeparatum invenerit à carne tua? ſpiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificet, niſi membra, quæ ſunt in carne tua.... ſi enim ſeparatur à Corpore Chriſti, non eſt membrum ejus; ſi non eſt membrum ejus, non vegetatur ſpiritu ejus. Quiſquis autem, inquit Apoſtolus, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Spiritus ergo eſt: qui vivificat; caro autem non prodeſt quidquam.*

Ut verò Auguſtini mens in præfatis teſtimoniis latens, & ſeſe prodere tentans, deſideratam ab opinione noſtra aſſumptionem clariſſimè continere, appareat, duo nobis probanda ſuperſunt: primum eſt, Auguſtinum per ſpiritum Chriſti D. intellexiſſe, non jam Spiritum Sanctum per ſe primo, ſed animam præcipuè Chriſti D.; ſecundum, & ex primo deſcendens, eſt, per vivificationem corporis myſtici, membrique ritè ſuſcipientis panem vivum ex glorioſa illa anima provenientem, nequaquam ſignificare ſolam gratiam, aut charitatem; ſed realem præſentiam intimam ipſius animæ ſubſtantialis Chriſti Domini immediatè intra cor, animam, & potentias juſti, exiſtentis phyſicè, non jam ut vivificantis per modum formæ actuantis, aut formaliter, ſed unicè activè per modum motoris aſſumentis, unà cum Verbo divino intime immediate eo ipſo præſenti illi juſto, aſſumentique principaliter eundem. E' quo mobile excipiat vim intrinſecam, aut vigorem, ad functiones vitales, quodammodo exprimentes motorem, donec transformatione miranda, Chriſtum Dominum redoleat mobile, Chriſtum Dominum ſapiat, & vivam quamdam effigiem ejus præſeferat. Primum convincitur facile, & luculentiſſime ex verbis illis adductis, quibus diſſerte affirmat, ſe per ſpiritum intelligere in utroque extremo comparationis animam: *Spiritum dico, quæ anima vocatur*, loquendo univerſim de acceptione, in qua ibi de ſpiritu diſſerebat, uti ex ulterioribus illis: *Spiritum tuum dico animam tuam*; Spiritus Sanctus autem non eſt anima Chriſti Domini, ut ſanctum fide eſt.

Rurſus, quoniam alioqui Populus ille, quem S. Parens erudiebat, induceretur in errorem, quia putaret, Spiritum Sanctum informare inſtar actus ſubſtantialis corpus phyſicum Chriſti D., cum aperta, & repetita explicatione æque dixerit, Spiritum Chriſti D., eſſe ſpiritum corporis myſtici ejus (ſupponens eumdem eſſe ſpiritum Corporis naturalis ipſius), ac ſpiritum hominis cujuſvis eſſe ſpiritum corporis illius, & aliunde animadvertit, ſe per ſpiritum intelligere animam. Quem errorem nullo negotio præcavere potuiſſet, debuiſſetque omnino, dicens, ſpiritum quidem proprium humani corporis eſſe animam; ſpiritum verò corporis myſtici Chriſti Domini eſſe Spiritum Sanctum, cujus proprium opus eſt vivificatio, eique propterea attribuitur juſtificatio impii, per quam cadaver ſpirituale animatur, anima in corpore velut in ſepulchro jacens erigitur, etiamſi nondum extumuletur.

Num. 59. Tertiò: quia licet per ſpiritum Chriſti Domini ſæpiſſime intelligatur in Divinis Scripturis Perſona Spiritus Sancti, quippe qui & vere eſt, & appellatur Spiritus Filii, ſicut & Spiritus Patris, cum

ab

ab utroque procedat: uti & ſæpè nomine ſpiritus Filii veniat ejus doctrina Evangelica, fides, Sacramenta, gratia, charitas, religio, aut lex, juxta diverſitatem materię, de qua Scriptura diſputat (ut monent Interpretes ubique) verborum, quibus loquitur, & finis, quem intendit; nemini tamen dubium eſt, frequentiſſimè identidem per Spiritum Chriſti Domini intelligendam eſſe ejuſdem animam rationalem, ut Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; non enim commendabat Patris manibus Spiritum Sanctum; & Joann. 19. *inclinato capite tradidit ſpiritum*. Si autem emiſiſſet duntaxat Spiritum Sanctum, vel ſpiritum legis, doctrinæ, aut charitatis, murtuus phyſicè nequaquam eſſet in Cruce, cum retinuiſſet animam rationalem.

Quartò: quoniam Apocal. 2. & 3. dum dicitur: *qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis*. Ibi autem per ſpiritum nullo pacto intelligi puto Perſonam Spiritus Sancti loquentem, ſed Chriſti Domini Humanitatiſque proprium ſpiritum, cum loquatur ille, qui dicit ibidem: *qui vicerit dabo ei ſedere in Throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in Throno ejus*. Eſt ergo ipſa anima Chriſti Domini. Obiterque notandum, quòd eodem cap. 3. ſpiritus hic Chriſti Domini dicat, ſi aperiatur mihi pulſanti janua: *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum*. Quibus verbis alludit proculdubio ad Euchariſtiam, per cujus ſumptionem ſpiritus, aut anima Chriſti Domini intrat ad dignè ſumentes. Quintò: quoniam aliter ſequeretur, charitatem non eſſe formam aliquam, aut qualitatem creatam inhærentem, ſed ipſum ſubſtantialiter Spiritum Sanctum, qui fuit error Magiſtri Sentent. 1. diſt. 17. uſurpantis ad literam illud Pauli Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Siquidem vivificationem, quam S. Auguſtinus hic invebit ab ſpiritu Chriſti Domini factam, immediatè ab ipſo oriri, & non mediante ulla qualitate, manifeſtè apparet ex verbis ipſis, apparebitque uberiùs ex infra dicendis. Differit enim ibi de ſingulari vivificationis modo, cauſato ab ſpiritu Chriſti Domini in corpore myſtico ejuſdem per Euchariſtiam; neutiquam verò de modo vivificandi communi per gratiam ſanctificantem, aut gratias actuales inhærentes.

Sextò: quia in illis verbis Chriſti Domini Joann. 6. *Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam*, nequeat ſumi ſpiritus pro Spiritu Sancto, ſed pro anima vegetante corpus phyſicum, & ſacroſanctum Chriſti Domini; pariter ergo in re ſubjecta: cum ex eis verbis, & illorum occaſione doctrinam in teſtimonio producto contentam ſcripſerit Sanctus Auguſtinus. Antecedens probatur, quoniam ſi fieret ſermo de Spiritu Sancto, Calviniſtæ, qui verbis prædictis exturbare contendunt (tametſi conatu irrito, & undique fallaci) præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia; non ſine ſpecioſa arguendi ratione inſurgerent, objicientes: quòd ſi ſemel per ſpiritum non debeat intelligi anima Chriſti Domini, ſed Spiritus Sanctus; cum aliunde caro nihil proſit, juxta effatum illud Servatoris, legitima ſequela colligatur inde Chriſtum Dominum nequaquam promiſiſſe Joann. 6. ſe daturum realiter ſeipſum, adeoque nec carnem, & ſanguinem ſuum vi verborum, & animam per concomitantiam; ſed pollicitum fuiſſe duntaxat Spiritum Sanctum, ſive illius dona, fidem, gratiam, charitatemque, per ſpecies panis & vini ſignificata. Hæc autem redargutio enervatur, aut convellitur radicitus, ſi per ſpiritum in eis verbis accipiamus animam Salvatoris informantem ejus corpus phyſicum, ſine qua caro eſſet mortua, & propterea nihil proficiens ad permanentem intimam unionem, quam Euchariſtia reſpicit, ut effectum primarium ſingularem, (ſolumque in Cruce profuit ad mundi ſalutem, ut emortua etiam). Caro tamen animata in Euchariſtia ſummè utilis eſt, uti & ejus eſus planè neceſſarius ad hoc ut media ejus ſumptione inducatur unio ſtabilis animæ ipſius carnis Chriſti Domini cum corpore myſtico ipſum diligenter manducantis. Ubi autem per ſpiritum intelligenda eſt anima Chriſti Domini realiter immediatè vegetans corpus ipſius Chriſti, & informans; cum aliunde illa non exiſtat ſub ſpeciebus ſeparata à corpore, evidenti illatione deducitur, toto Cœlo aberrare eos, qui ex præfato loco realem Corporis Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia removere fatagunt.

Hanc noſtram verborum Chriſti Domini expoſitionem eſſe juxta mentem Auguſtini, eſſeque genuinam, liquet ex ipſo, tract. 27. in Joann. ajente: *caro non prodeſt quidquam, ſed quomodo ipſi intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis*. Per illud autem: *accedat ſpiritus ad carnem*, non potuit S. Auguſtinus intelligere Spiritum Sanctum, cum manifeſtè loquatur ibi de vivificatione naturali, ſine qua corpus eſſet cadaver, & caro mortua. Tametſi namque caro Chriſti emortua in Triduo remanſiſſet unita Verbo, & Divinitati, quæ eſt vera vita; non tamen ab illo intrinſecè vegetata, nec phyſicè per illud vivens: vita enim, quæ non informat carnem, neutiquam pellit ab ipſa mortem, concurruntque mors vera, & vita ſumma, quin mutuò confligant in eadem palæſtra.

Num. 60. Illuſtratur explicatio hæc aureis verbis S. Petri Chryſologi ſerm. 19. ubi exponens Evangelicam illam ſententiam Chriſti Domini Matth. 8. *ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, inquit.

Quomodo mortui ſepeliunt mortuos ſuos? Fratres, ipſe dixit, ego ſum vita, quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus: ſine anima corpus non vivit, non vivet anima ſine Chriſto &c. Non intelligit autem Spiritum Sanctum per Chriſtum Dominum; quem dicit animam noſtræ animæ, vitamque noſtram, ad modum quo anima rationalis uniuſcujuſque noſtrum eſt vita corporis noſtri (quantumvis diverſimodè): nec jure potuit illum intelligere, alioqui confunderentur Perſonæ in Divinis: uti docuit in ſimili Div. Thomas opuſc. 1. cap. 13. referens verba S. Cyrilli in libro Theſauri, aſſerentis, Apoſtolum interdum nomine Chriſti Domini ſubintellexiſſe Spiritum Sanctum, præſertim illis verbis Roman. 8. *Si autem Chriſtus in vobis eſt*: ubi Cyrillus ajebat: *Apoſtolus appellatione Chriſti Spiritum Sanctum Chriſtum vocavit... Spiritus Sanctus in nomine Chriſti operando, & eumdem Chriſtum in ſe repræſentando, nomen Chriſti accipere, & Chriſtus ab Apoſtolo operari dicitur*. Hæc, inquam, referens Angelicus Doctor, ſubdit: *ſed dicendum, quod dictus Pater appellatione Chriſti dicit Spiritum Chriſtum vocari, vel nomine Chriſti accipi, & Chriſtum appellari, non quaſi Chriſtus de Spiritu Sancto prædicetur, vel è converſo, hoc enim eſſet Sebellianæ impietatis: ſed intelligitur in nomine Chriſti Spiritus Sanctus, quia, ubicumque eſt Chriſtus, eſt ſpiritus Chriſti, ſicut ubicumque eſt Pater eſt Filius.* Nomine igitur Chriſti Domini vivificantis animam noſtram, cujus eſt vita, per modum animæ, accipi nequit Spiritus; niſi tantùm per concomitantiam, quatenus conjunctæ ſunt ad invicem Divinæ Perſonæ media Divinitate, ratione Verbi per identitatem in illo tertio, & ratione Humanitatis per nexum ex parte illius cum eodem tertio. Chryſologus ergo loquitur de Chriſto Domino ibi; & quidem penes animam tantùm, cum loquatur apertè de unione quaſi habituali, & vita ex ſe permanenti; & aliunde conjunctio materialis noſtra cum carne Chriſti Domini tranſit illico: & cum illum dicat animam, & vitam noſtræ animæ, quod propriè ſpectat ſolùm ad animam ipſius Chriſti Domini, ſatiſque apertè alludit in præfato loco ad Euchariſtiam per illa verba *Fratres, ipſe dixit, ego ſum vita*: quæ licet alibi etiam protulerit, ſingulari tamen expreſſione id aſſeruit, & inculcavit Joan. 6.

Accedit, quòd interdum in Scriptura Sacra Filius ipſe Dei appellatur anima Dei: ut vidimus ſupra ex Sancto Cyrillo, & Iſajç 42. *Electus meus in quo ſibi complacuit anima mea*. Ubi Galatinus (ex Rabi Jonatha) lib. 3. de arcanis Cathol. verit. cap. 28. ait: *Quare dicere audeo, animam Dei non eſſe niſi Filium Dei, qui & Verbum Dei, & ſapientia Dei, & virtus Dei ab æterno*; id quod ratione animæ aſſumptæ opportunè concipitur. Accedit etiam, quòd anima rationalis ſæpiſſimè, & propriè vocatur ſpiritus: 1. Corint. 2. *Quis enim hominum ſcit quę ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* & Lucæ 1. *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, & Auguſt. in tract. ſuper Magnificat, ait: *unus eſt idem ſpiritus, & ad ipſum ſe ſpiritus, & ad corpus dicitur anima*. Et tandem definitur in Lateran. cap. *firmiter*, dum aſſeritur, Deum condidiſſe naturam Humanam; *ex ſpiritu & corpore conſtantem*. Per Euchariſtiam itaque Chriſtus Dominus fit anima animæ noſtræ, eſtque vita ſupernaturalis illius; non quidem anima ſua animam noſtram informando, ſed illam aſſumendo (non jam nude ſumptam, cum unus ſpiritus non aſſumat, per ſe loquendo, alium, ſed unà cum corpore, ſive corpus animatum) per unionem realem intimam motoris cum mobili. Quam vitam amittere nequit, niſi jacturam faciendo gratiæ ſanctificantis per mortale peccatum, ſine qua perſiſtere nequit anima Chriſti Domini in nobis. Non enim potuit Chryſologus dicere Chriſtum Dominum animam noſtræ animæ, mediante ſolùm gratia habituali: tum quia in ea acceptione intelligeretur potiùs nomine Chriſti Domini Spiritus Sanctus, cujus eſt propriè vivificare per gratiam, charitatem, & reliqua dona; unde ſi Spiritus Sanctus ibi ſolùm concomitanter, & non per ſe primò venire debet, anima Chriſti Domini eſt quæ per ſe primò venit, afferens ſimul Spiritum Sanctum, & incrementum gratiæ, & illum cum gratia ſimpliciter præſupponens, ut neceſſariam diſpoſitionem.

Tum quia Chryſologus aſſeverat, animam Chriſti vivificare noſtram, ad modum quo anima hominis vivificat ejus Corpus (ſervata proportione dicta), hoc autem nullo pacto intelligi valet de gratia accepta per ſuſceptionem Euchariſtiæ, potiuſquàm de gratia aliunde recepta, ſi de gratia ſanctificante ſermo foret. Tum denique, quia per animam Chriſti Domini intelligere gratiam, involvit metaphoram valde impropriam, laxamque, & à Chryſologi ingenio perſpicuo alienam. Ab Spiritu ergo Chriſti Domini, ſive ab ejus anima hauſta unà cum Corpore, & Sanguine in altari, & perſeverante deinceps, Corpore unà cum accidentibus deſinente, vaſtiſſimum Corpus myſticum fidelium probè Euchariſtiam ſuſcipientium agitatur, moveturque: eaque via error ille vetus Philoſophorum circa igneum vigorem, mundique animam, ſpecie quadam veritatis adauctus affulget: *Spiritus intus alit, totoſque infuſa per artus mens agitat molem, & magno ſe Corpore miſcet*.

Num. 61. Secundum verò extremum eiſdem plerumque reflexionibus evincitur, ac præcedens. Adjiciam tamen illius propriam: porro S. Auguſtinus adhortatur membra Corpori myſtico jam copulata ad hoc, ut ſumant in Euchariſtia Chriſtum Dominum, ſi velint Spiritu, ſive anima ejuſdem vegetari: *nec viva membra Spiritus facit, niſi quæ in Corpore, quod vegetat ipſe Spiri-*

tus,

tus, invenerit, & rurſus, explicatiùſque, addit; *numquid vivificat* (Spiritus) *membrum quod ſeparatum invenerit à carne tua?* Adjungitque præterea de membris Corporis Chriſti accedentibus ad menſam cæleſtem: *non abhorreat à compage membrorum, non ſit putridum membrum, quod reſecari mereatur, non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur, ſed pulchrum, aptum, ſit ſanum*. Præſupponit ergo S. Auguſtinus Corpus illud jam per gratiam pulchrum, Corpori myſtico conjunctum, & in eo ſenſu per gratiam vivum, ad hoc ut per Euchariſtiam poſſit vegetari per Spiritum, aut animam Chriſti Domini: dum ergo per animam Chriſti media Euchariſtia vegetandum fore affirmat, & vivificandum, diverſam aliam vivificationis ſpeciem adſtruit, ab anima Chriſti Domini provenientem realiter immediatè. Nam in quem finem optat unionem membri cum Corpore myſtico, ejuſdemque pulchritudinem, & ſanitatem, dum ſumit Euchariſtiam? *Ut vivificetur*, inquit; ſi autem ea vivificatio futura eſſet per gratiam, ut intimiùs tantùm, ampliùſque vivificaretur, æquè ac per alia Sacramenta; non ideo non eſſet ſimpliciter vegetatum membrum Spiritu Chriſti Domini, ſi per Spiritum intellexiſſet gratiam ſanctificantem; tametſi Euchariſtiam non ſuſciperet; cum Auguſtinus doceat apertè, quòd accedere debeat ad illius ſumptionem, ſi velit vegetari, & vivere de ſpiritu Chriſti Domini, dum monet eum, qui velit vivere de Spiritu illius, *ut accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur*; non ſanè ut incorporetur abſolutè, cum hoc ſupponat per ſe neceſſarium ad accedendum ita, ut vegetetur Spiritu Chriſti Domini, ſed ut incorporetur intimiùs alio modo, quod fit nova vivificatione per Spiritum illum acceptā, & diſpoſitivè per augmentum gratiæ collatum, præcedenter ad eam unionem, dignè communicanti. Idque rurſus confirmat ibidem adjiciens: *norunt fideles quid ſit Corpus Chriſti, ſi Corpus Chriſti non negligant eſſe. Fiant Corpus Chriſti, ſi velint vivere de Spiritu Chriſti*; ideſt fiant Corpus Chriſti myſticum, ſi per Corpus Chriſti Domini phyſicè, & probè ſuſceptum velint vivere de Spiritu Chriſti: ſubindeque aliam vitam præſupponit, ſive unionem cum Corpore myſtico; aliamque diverſam comparari docet, cum per Euchariſtiam vegetatur Spiritu Chriſti Domini. Quemadmodum ex hypotheſi, quòd forma naturalis viventis eſſet triplex realiter diſtincta in homine, ut vetus quorumdam opinio credidit, anima ſenſitiva præſupponeret vegetativam, & rationalis utramque. Unde qui nunquam Euchariſtiam receperunt, quia non licuit, gratiam tamen ſanctificantem obtinent, ſunt quidem membra Corporis myſtici; at nequaquam realiter vegetata Spiritu Chriſti Domini: ſicuti Sanguis eſt pars vera Corporis, & alii humores, quin anima vegetentur (ut placet frequenter Philoſophis); niſi quod membra illa ſunt aliunde viva per gratiam ſanctificantem diverſa alia vitæ ratione: quemadmodum eveniret, ſi forma particularis Sanguinis diverſa ſpecie ab anima rationali foret vitalis in gradu vegetativo, exempli cauſa, vel loco motiva, itaut illius rubeſcentis fluvii curſus eſſet ab intrinſeco elicitus, circuiretque irrequietus; non quia aliundè agitatus, ſed quia ab innata illi virtute perpetuò motus.

Id quod egregiè illuſtratur teſtimonio luculentiſſimo doctiſſimi viri Alberti de Padua (Vetuſtiſſimi Scriptoris) in Homil. quadrageſim. in Cœna Domini, Serm. 4. feria 5. major. Hebdom. (in ordine 246.) ubi Corpus myſticum minùs perfectum, tametſi gratia habituali ornatum, diſtinguit à Corpore myſtico perfectorum, per animam Chriſti Domini poſſeſſam ab his medio hauſtu Calicis: *congruit etiam* (ait) *inter Miniſtros Eccleſiæ, & Populum, eſſe differentiam; & ideo Populo ſufficit eſſe de Corpore Chriſti: ſed Miniſtros oportet eſſe quaſi animam Corporis dirigendo Populum ſubditum, ideo illi Corpus tantùm, iſti etiam Sanguinem, in quo eſt anima, ſumunt*. Per Populum intelligit ſtatum per ſe minùs perfectum, per Miniſtros Eccleſiæ ſtatum ex ſe perfectionis (quidquid per accidens in pluribus contingat, ex eorumdem arbitrio). Utrumque autem Corpus ſupponit vivificatum per Euchariſtiæ dignam ſumptionem: minùs perfectum per ſolùm gratiæ augmentum; perfectius verò, ultra augmentum illud, per animam ipſam Salvatoris noſtri permanenter, aſſumentem illud, ut dirigat, regatque immediatè, mediante verò ipſo dirigat aliud, ſeu membra ſubjecta perfectioribus. Neque enim ſolam expreſſiorem animæ ſignificationem ſuſcipere Miniſtros docet; aliter differentia eſſet riſu digna, quippe quæ revocaretur ad bibendam clariorem animæ Chriſti Domini ſignificationem; rei autem nihil. Teſtimonium ſanè pro noſtra ſententia undique eximium, & multis luminibus clarum.

Num. 62. Nec obeſt quòd S. Auguſtinus tract. 27. verſans eamdem quæſtionem, poſtquam meminiſſet verborum Apoſtoli Roman. 8. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*, ſubinferat, *Spiritus ergo eſt; qui vivificat &c.* Ex quo colligi videtur, ipſum in teſtimonio à nobis ponderato per Spiritum intellexiſſe, vel Spiritum Sanctum, vel Charitatem, gratiam, & ejus dona; oppoſitum namque oſtendunt nuper dicta. Quamvis enim verba illa accipi valeant & debeant de vivificatione facta ab Spiritu Sancto per Charitatem; cæterum non illa vivificatione tantùm, nec adhuc principaliter; quia ultra illam (quæ potiùs præſupponitur) includit vivificationem factam ab ipſo Spiritu Sancto per Spiritum, ſive animam Chriſti Domini vegetantem Corpus myſticum. In ſenſu accommadatitio applicari poſſunt illi

vivi-

vivificationi; in circumſtantiis tamen illis dicta, ulteriorem etiam deſignat. Venit equidem per verba illa, quæ S. Auguſtinus exponit, Spiritus Sanctus quoque, cum ſit Perſona divina, cui tribuitur ſpeciatim omnis vivificatio in genere; quamvis ſpecialis hæc vivificatio ſit propria Verbi aſſumentis principaliter, cum anima ſit inſtrumentum illi hypoſtaticè conjunctum, & per illud ſubſiſtens. Præterea media illa aſſumptione confertur denuo augmentum gratiæ; cum illo autem mittitur per ſe Spiritus Sanctus, ut notum eſt. Conſequenterque Spiritus, ſive anima Chriſti Domini eſt illa, de qua immediatè, tanquam de inſtrumento elevato aſſeritur vivificatio.

Præterea: ut anima Chriſti Domini aſſumat ritè manducantem eſcam cœleſtem, debet præſupponi Spiritus Sanctus per gratiam, & Charitatem in illo exiſtens ſingulariter, uti & concomitanter cum eadem anima, cui mediatè copulatur, exiſtit iterum in mobili aſſumpto diverſo alio, & longè magis particulari modo. Quamquam ergo S. Auguſtinus Spiritum Saučtum unà cum Spiritu, quo animatur Corpus phyſicum Chriſti Domini intellexerit, nihil obeſt explicationi adductæ. Quæ omnia roborantur, & eluceſcunt ampliùs comparatione ab eodem magno Parente ibidem producta ad demonſtrandum, carnem Spiritui, ſeu animæ copulatam prodeſſe multum: *Apoſtoli*, ait, *miſſi ſunt, numquid caro ipſorum nihil nobis profuit? Si caro Apoſtolorum nobis profuit, caro Domini poterat nihil prodeſſe? Unde ad nos ſonus Verbi, niſi per vocem carnis? Unde ſtylus? Unde conſcriptio? Iſta omnia opera carnis ſunt, ſed agente Spiritu tanquam organum ſuum*. Quibus verbis apertiſſimè agit de Spiritu cujuslibet Apoſtoli ſecundum quod ſignificat animam Corpus illius informantem; ſiquidem eorumdem prædicatio, ſcriptio, motuſque indefeſſus, ſunt operationes vitales, quæ immediatè exercebantur ab anima, cujus organum erat Corpus, ſicuti ipſa anima erat organum Spiritus Sancti; cum Evangelii propagatio importaret neceſſariò concurſum ſupernaturalem Spiritus Sancti. Cum igitur S. Auguſtinus utatur ea comparatione, ut illa oſtendat, carnem Chriſti Domini in Euchariſtia nobis conceſſam proficere quamplurimum, ſi accipiatur ut informata, motaque ab Spiritu ejuſdem Chriſti Domini, à fortiori per Spiritum intelligit in prædictis Chriſti Domini verbis animam Chriſti Domini, adeoque per illam realiter vegetari, & moveri Corpus myſticum docet, dum à Spiritu Chriſti Domini vivificari media ſumptione Euchariſtiæ docet. Etiamſi unà complectatur etiam Spiritum Sanctum, ut tum præcedenter, tum comitanter ſimul cum anima venientem ad Corpus myſticum mediatè. Quemadmodum in comparatione facta non modò denotat Spiritum Sanctum agitantem Apoſtolos ad heroicas eas operationes, mundumque Evangelii legibus ſubjugandum; ſed per ſe immediatè ſignificat proprium illorum Spiritum à ſupremo illo agitatum, ut Corpus agitaret, ut eorum ſonus orbem impleret, & vel ſurdas rupes auritas faceret.

Adjiciam breviter alium Auguſtini locum, dignum ſanè reflexione ſeria, in enarrat. ſiquidem Pſal. 37. exponens illa verba, *vim faciebant, qui quærebant animam meam*, inquit, *jam manifeſtum eſt, qui quærebant animam ipſius, qui non habebant animam ejus, quia non erant in corpore ejus*. Ergo qui eſt in Corpore ejus, ſive membrum vivum ipſius, habet animam Chriſti Domini in ſe. Non quia omnes, qui ſunt in ejus myſtico Corpore, vegetentur illius anima; ſed quia ipſam habere nequit in ſe formaliter, niſi fuerit in Corpore ejuſdem. Et quamquàm ibidem adjungat, juſtos quęrere animam Salvatoris ad imitationem, impios verò, ut illam è Corpore, & è mundo ejicerent; ipſa tamen ejus imitatio expreſſiùs, vividiùs, & longè efficaciùs obtinetur, ſi ab anima Chriſti Domini phyſicè aſſumatur juſtus ad repręſentandas operationes illas, quas in Corpore ſuo phyſico paſſibilique geſſit. Quantò vehemeutiùs enim ad currendum in odorem illius excitabitur, qui divino motore intus concitante impelliiur?

Num. 63. Protuli incautè in ipſo limine ſectionis, aſſertionem noſtram non tradi à Patribus in terminis; illam ſiquidem reperio noſtris terminis expreſſam apud Egregium magni Baſilii fratrem S. Gregorium Nyſſenum in orat. 1. de Reiurrectione, ubi poſtquam dixit, Chriſtum Dominum in Cœna antevertiſſe impetum Judæorum, ſe ipſum immolando in Euchariſtia, ſubjungit (juxta verſionem, quam refert, & ſequitur Chriſtianus Lupus mox recenſendus) *quarè dum corpus edendum, & Sanguinem bibendum Diſcipulis exhibuit, jam arcana, & non obſpectabili ratione Corpus erat immolatum, ut ipſius Myſterium peragentis poteſtati collibuerat. Et anima in illis erat, in quibus eadem illa poteſtas eam depoſuit, ſimulque cum divina virtute, quæ cum illa erat conjuncta, in ea regione cordis verſata eſt*. Ecce tibi diſſertis verbis aſſertum à Nyſſeno, animam Chriſti Domini copulatam divinitati, & una cum illa poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis Domini peractam ab Apoſtolis, manſiſſe in eorumdem cordibus. Hæc adeo perſpicua ſunt, & in terminis aſſertionis noſtræ, ut eluceſcere ampliùs, nec debeant, nec poſſint. Quidquid ſit, quod putaverit, Chriſtum Dominum in Cœna utpotè paſſibilem, re ipſa immolaſſe vitam ſuam tunc [ſicut imputat illi Lupus tomo ſexto diſſert. *de quibuſdam Patrum teſtimoniis ſpectantibus ad Berengarii hæreſim* cap. 6.] ſive non, cum ſemper inſeratur, Nyſſenum crediſſe, animam Chriſti Domini in corde dignè communicantis manere,

re, eſſeque fructum potiſſimum per Euchariſtiam intentum. Neque vult dicere, animam in eis fuiſſe ante communionem, ſed gradum facit ab immolatione prius facta ad animam tribuendam per Communionem. Quamquam igitur ex falſa ſuppoſitione vitę ſubſtantialis præcedenter immolatæ exiſtentiam illam animæ Chriſti Domini in cordibus Diſcipulorum aſſeruiſſet ſubſecutam ad ſumptionem [vel ſi mavis, antecedentem, aut comitantem]; hoc ipſum probat veritatem illius exiſtentiæ in egregiè diſpoſitis pro venturo tempore, in quo Servator noſter jam non moritur, tametſi in ſacrificio Altaris immoletur.

Tranſeo ad inſignem Doctorem Hilarium, licet in ſuperioribus diviſim jam productum; uberiùs attamen conjunctim in multis producendum: quoniam apertiſſimè, vel færmè indubitantèr nobis militare credimus. Sic enim diſputat in mirabili tractatu de Trinitate lib. 8. comparans mutuo unionem, & immanentiam Divinarum Perſonarum inter ſeſe cum nexu illo, qui copulat Chriſtum Dominum, & fideles aptè ſuſcipientes Angelorum eſcam. *Eos nunc, qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interroga, utrum ne per naturæ unitatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum Caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quamodo non naturalitèr manere in nobis exiſtimandus eſt, qui naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuę ad naturam ęternitatis ſub Sacramento nobis communicandę carnis admiſcuit? Quiſquis ergò naturalitèr Patrem in Chriſto negabit, neget priùs, naturalitèr vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe, quia in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis, unum in his eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnem Corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille, qui ex materia natus fuit, Chriſtus eſt, noſque verè ſub myſteria carnem Corporis ſui ſumimus, & per hac unum erimus, quia Pater in eo eſt & ille in nobis; quomodò voluntatis unitas aſſeritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectè Sacramentum ſit unitatis .... Cumque in ea naturalitèr ſecundùm Nativitatem ineſt, noſque in eo naturalitèr ineſſemus, ipſo in nobis naturalitèr permanente. Quod autem in nobis naturalitèr hęc unitas ſit, ipſe teſtatus eſt, qui edit carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Vides Hilarium gradatìm aſcendentem ab unione permanente ſuſcipientis aptè ſacram ſynaxim cum Chriſto Domino ſuſcepto per varias unionis realis, & immanentiæ ſpecies, ad firmandam adversùs Arrianos, tum immanentiam, & quaſi unionem divinarum Perſonarum ad invicem, tum unitatem identitatis in natura inter Patrem, & Filium, ex qua reſultat ea immanentia; ſive ad demonſtrandum unitatem prædictam inter Patrem, & Filium nequaquam eſſe purè voluntatis, mutuique affectus; ſed realem ſimplicitèr; hæc autem illatio foret riſu digna, & contra producentem certo vulnere retorquenda, ſi unio permanens fidelis communicantis cum Chriſto Domino eſſet tantùm affectiva, aut amoris, vel ſpiritualis per gratiam, ſive moralis, ſive cujuſcumque alterius rationis, quæ realis intima, & permanens, quantum eſt ex ſe, non ſit; & quidem in ſubſtantia aliqua propria Chriſti Domini. Undè Salvator ipſe verbis illis Joann. 6. *ſicut miſit me vivens Pater &c.* deſcendit ab unitate divina ad firmandam realem unitatem, aut unionem, & immanentiam ſui cum ritè ipſum ſacramentalitèr ſuſcipiente adversùs Capharnaitas. Hilarius autem eiſdem gradibus aſcendit ab hac reali per Euchariſtiam conjunctione ad unitatem illam, & immanentiam Divinam evincendam adversùs Arrianos. Quam reflexionem fecit idem Hilarius ibidem, cum ait: *Si voluntatis tantùm unitatem dicit, cur gradum quemdam, atque ordinem conſummondę unitatis expoſuit; niſi ut cum ille in Patre per naturam Divinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rursùs in nobis per Sacramentorum ineſſe myſterium, crederetur? Ac ſic perfecta per mediatorem unitas doceretur, cum, nobis in ſe manentibus, ipſe maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficiſceremur.* Ubi & deſcendit argumento ſuo unà cum verbis Chriſti Domini, & ſimul aſcendit alia via, ultra præcedentem, ad profectum noſtrum ſcilicet, dum hortatur nos ad proficiendum in unitate per Euchariſtiam ſuſceptam, tum frequentiùs ad aram accedendo reverentèr, ut creſcat unio illa ex opere operato conceſſa: tum ut ardentiùs, humiliùſque accedamus, ut illa fiat intimior, perfectiorque ex opere operantis.

Hac enim via æmulamur, quantum fieri valet unitatem, & immanentiam illam Divinarum Perſonarum, quæ nobis proponitur tamquam exemplar ab Hilario ex Chriſti Domini teſtimonio laudato, ſicuti obſervat P. Vaſquez diſp. 204. c. 2. præfatum Hilarii locum verſans, conſtatque ex gradibus unitatis, quos recenſet, ex verbo *proficiſceremur*, & ex per ſe nota verborum ſignificatione. In quibus diverſa unitatis genera continentur, unitas videlicèt per identitatem Perſonarum Divinarum in eſſentia: unitas earumdem inter ſe, mutuave immanentia: unitas Verbi, & plenitudinis Divinitatis cum Humanitate Chriſti Domini: & unio hujus (adeòque Verbi etiam ſpeciali jure præſentiæ intima) cum ſuſcipiente ipſum digna præparatione. Hæ autem unitates omnes neceſſariò ſunt reales, quantumvis diverſæ admodum perfectionis, & ordinis; alioqui in gradu aliquo ſcalæ falleret veſtigium argumenti, aſcendentis, deſcendentiſque; & ex conſequenti corruerent argumentum, & arguens. Neque collatio aliarum unitatum realium cum noſtra hac peregrina eſt, aut ſolius Hilarii; ſimilem namque tradit S. Auguſtinus lib. 4. de

Tri-

Trinit. cap. 14. *ut idem ipſe unus mediator per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in ſe faceret pro quibus offerebat: unus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat*. En gradus alios unitatis non minus regios.

Num. 64. Vides inſuper Hilarium adſtruere unionem realem permanentem: *ipſa in nobis naturaliter permanente*: & rurſus ibidem, *& in eo nobis inſeparabiliter unitis*. Tum quia Arriani, dum ex unione illa per voluntatem ſolùm facta arguebant contra unitatem realem in Divinis, neutiquam inficiabantur conjunctionem realem Chriſti Domini cum communicante toto illo tempore, quo perſiſterent ſpecies incorruptæ; cum nunquam præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia negaverint, ex qua evidenter ſequitur materialis conjunctio illius in ore, & pectore communicantis; ſed unionem permanentem ex ſe, ex digna ea ſuſceptione natam, dicebant purè affectivam, ſeu voluntatis tantùm: illam igitur expugnat Hilarius, quà excluſivam realis unitatis. Ex illa autem unione reali permanente cum ſubſtantia propria Chriſti Domini ſemel ſtabilita adverſus Arrianos ſtrenuè aſſurgebat S. Hilarius ad revincendam conſubſtantialitatem Filii cum Patre. Uti & è converſo, permiſſa ſemel affectiva tantum unione Euchariſtica, efficaciſſimè ex illis Chriſti Domini verbis irruebant Adverſarii in conſubſtantialitatem. (quod eſt validiſſimum argumentum pro aſſerto noſtro, ab abſurdo confectum). Unio igitur, quam Hilarius probat ſimpliciter realem inter recipientem Euchariſtiam Sacram, & Chriſtum Dominum, eſt realiter perſiſtens, quantum eſt ex ſe, ut ſæpe monuimus, ad modum quo permanens eſt unitas inter Patrem, & Filium, & reliquæ unitates in argumento productæ. At nequit eſſe unio permanens immediata carnis Chriſti Domini cum ſumente Euchariſtiam, cum hæc citò diſpareat, ſpeciebus corruptis, ut notum eſt. Ergo eſt unio animæ Chriſti Domini (& ſuppoſiti Divini conſequenter) cum ipſo, cum non ſit excogitabilis alia, ut nemo, ex ea ſuppoſitione inficias ibit jure. Vides itidem, unionem illam realem permanentem non eſſe Spiritus Sancti cum communicante, juxta mentem Hilarii; alioqui, cum hæc fiat per gratiam, & charitatem, caſſa redderetur argumentatio, & reipſa nugatoria, ut patet ex nuper inſinuatis. Tum quia loquitur expreſsè de unione cum ipſomet Chriſto Domino cujus nomine venire nequit ſimpliciter Spiritus Sanctus. Neque de re hac fuſiùs diſcutiendum, quia omnino extra controverſiam eſt in illa mens Hilarii.

Negligenda rurſus non eſt comparatio alia, quam inſtituit in nupero teſtimonio, & per quam mirè eluceſcit Hilarii conceptus: *nos contra in eo*, inquit, *per corporalem nativitatem, & ille in nobis per Sacramentum*. Ubi non loquitur de unione cujuſvis noſtrorum cum Perſona Verbi aſſumente illam numero Humanitatem Chriſti Domini; etiamſi per illam, quia eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtra, aliquatenus cum illo uniri dicamur; ſed de unione naturæ humanæ in illa numero Humanitate, in qua ſalvatur ſpecies humanæ naturæ. Unde ſolùm in ſenſu improprio, & latiſſimo manere dicit in nobis per naturam aſſumptam, quatenus illa ſingularis, ejuſdem ſpeciei cum noſtra aſſumpta fuit; aliter perperam intuliſſet ex illa unione unitatem realem in Deitate, immanentiamque mutuam divinarum Perſonarum. Eſtque evidentiſſimum, neutiquam locutum Hilarium in ea acceptione. Confert igitur unionem hypoſtaticam, media qua Verbum aſſumpſit realiter Humanitatem Chriſti Domini, per quam illa (ejuſdem planè rationis cum noſtra) manſit in Perſona Divina, cum nexu reali, aut conjunctione, media Euchariſtiæ ſumptione comparata, per quam ille manet in nobis, uti & nos in illo. Cum autem illa ſit realis ſimpliciter, & nullatenus merè affectiva, aut nudè moralis, ſpiritualiſve purè; à fortiori hæc realis intima eſſe debet juxta doctrinam Hilarii.

Cujus veſtigia premit diligenter Guizmundus Archiepiſc. Anverſanus de Corp. & Sangu. Chriſti verit. lib. 3. docens unionem illam ſubſtantialem: *Id autem per hoc probat* (Hilarius) *quia naturaliter, ideſt ſubſtantialiter ipſe filius eſt in nobis. Non enim & iſtud, naturaliter, alio modo intelligi poteſt ... Quomodo enim noſtra cum Chriſto unitas, ſi ſubſtantialis non eſſet, Patris, & Chriſti unitatem ſubſtantialem probaret? Cum ſi hinc magis Arriani argumentum è contra conficerent*. Non ſanè quia Guizmundus eam unionem crederet formaliter in ſe ſubſtantialem: ſed quia verſatur inter extrema ſubſtantialia. Non idcirco tamen præfatæ unitates eſſe debent ejuſdem formaliter ordinis, cum una ſit per identitatem, alia per immanentiam Perſonarum ad invicem ex prima illa neceſſariò reſultans: alia per nexum hypoſtaticum Ordinis Divini: ultima verò, & inferior per conjunctionem realem motoris aſſumentis cum mobili; omnes attamen eſſe debent reales; alioqui (ut iterum ſubinferam) argumentum ab una ad reliquas falleret, etiamſi diverſæ perfectionis, & ordinis ſint. Id quod præoccupat idem Hilarius appoſitè dicens: *Omnis comparatio ad intelligentiæ formam præſumitur, ut id, de quo agitur, ſecundum propoſitum exemplum aſſequamur*.

Demum: quod lumen hoc clariſſimum Galliarum, & totius Eccleſiæ, per eam unitatem in Euchariſtia acceptam intellexerit aſſumptionem hactenùs expoſitam, & à nobis tantopere deſideratam, perſpicuè oſtendunt verba illa, quæ pronuntiat, poſtquam dixiſſet: *Quod autem naturalis hæc unitas ſit, ipſe teſtatus eſt, qui edit Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego in illo*; ſubjungit namque. *Non enim quis*

in

Digitized by Google

in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit; ejus tantùm in ſe aſſumptum habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Nihil aptiùs, nec luculentiùs pro ſententia noſtra. Ubi autem adeo præclarè imoteſcit mens Hilarii, quid refert, quod cothumata interdum oratione, & nube quadam ſubobſcura, lucis tamem gravida, ſonare videatur? Splendens ſiquidem illa obſcuritas, in periodo aliqua quæſita, potiùs arguit illum oraculum Galliæ, quàm parùm micantis & apertæ parùm explicationis. Ejus eximiam claritatem cecinit egregiè Venantius Fortunatus ſic:

Sol radio, hic Verbo genitalia lumina fundit
Montibus ille diem, mentibus iſte fidem.

Num. 65. Inſonet modo S. Chryſoſtomus Homil. 55. ad Populum. *Manduca me, bibe me, te ſurſum habeo, & deorſum connector: non ſatis eſt tibi, quòd tui primitias ſurſum habeo, hoc non tuum ſatiat deſiderium; & deorſum rurſum deſcendo, nec ſimpliciter tibi commiſceor, ſed connector, manducor, & paulatim attenuor, ut magna fiat commixtio, temperies, & unio: nam quæ uniuntur, in propriis permanent terminis; ego verò tecum connector, nolo deinceps quidquam intervalli, unum utrumque eſſe volo.* Si ejuſmodi teſtimonii verum ſenſum, & Chryſoſtomi ſcopum accuratè, & maturè conſideres, invenies reipſa quod ſentit opinio noſtra; quoniam tamen id ratione perſpicua demonſtrari nequit, nec membratim oſtendi, etiam ſi practicè hoc ipſum percipiatur, nolumus inhærere diutiùs in ejus expoſitione. Eſt enim compertiſſimum Chryſoſtomum non diſputare ibi de ſola unione per charitatem, & gratiam ſanctificantem: cum id genus unionis habeatur pariter per alia Sacramenta, & operationes ſupernaturales; & aliunde vinculum, connexio, intima unio, & pluſquam unio communis, commixtio videlicet, quam Chryſoſtomus attribuit ſumptioni Euchariſtiæ, extollitur adeo ab ipſo, eaque facundia ſublimatur, ut evidenter inferatur unio diverſæ rationis ab ipſa inducta. Vulgaris autem recurſus ad exagerationem, & orationis Græcæ exundantiam, efficere valet, ne propterea ponderata unio ſit, vel informativa, vel hypoſtatica; quamquam ſonus verborum, non plus aliquid ſolum, ſed magnum aliquid, ultra communia alia vincula charitatis innuere videatur; neutiquam verò efficere, ne ſignificent realem aliquam, & intimam conjunctionem, & ſanè permanentem ex ſe, cum id intendat, & cum verbo permanendi utatur; maximè eum poſt attenuationem illius, præſuppoſita jam manducatione, adſtruat Chryſoſtomus eam unionem; quod denotare videtur deſitionem Corporis, deſtructis ſpeciebus. Sin aliter foret potiùs, ut de Hilario diximus, exagerata falſitas, quàm veritatis exageratio, qua pulchreſcit ſæpè eloquentia.

Non obſcuriùs eamdem aſſumptionem expreſſit idem Chryſoſtomus in cap. 3. Epiſt. ad Galat. ad illa verba: *omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*, ait ſiquidem, *vides animam inſatiabilem: cum enim dixiſſet: omnes facti ſumus filii per fidem, non hactenus conſiſtit, ſed quærit etiam aliquid amplius invenire, quod evidentiùs approbare queat propriorem erga Chriſtum ſocietatem. Cum dixiſſet, Chriſtum induiſtis, nec hoc contentus eſt, ſed explanans illud, ultra talem conjunctionem progreditur, & ait: omnes unum eſtis in Chriſto, hoc eſt eamdem formam* (ſive vitam, & animam, exponit in eum Pauli locum Cornelius à Lapide), *eamdem figuram habetis omnes, videlicet Chriſti. Quid his verbis magis eſſe poteſt ſtupendum: aut reverendum? Qui priùs erat Ethnicus, aut Judæus, aut ſervus, nunc obambulabat formam geſtans, non Angeli, neque Archangeli, ſed univerſorum Domini, atque in ſeſe Chriſtum repræſentat.* Quod autem hæc ſtupenda unio ad repræſentandum fiat per Euchariſtiam in eis, qui jam per lavacrum regenerationis Chriſtum Dominum induerunt, exploratiſſimum eſt: cum unio illa, de qua loquitur ex Apoſtolo ſuo Chryſoſtomus; ſit adeo peregrina, & ſupra vulgus unionum aliarum ſepoſita; & cum votis omnium conſtet, nullibi vires ſuas unitivas explicare validiùs, & rariùs Chriſti Domini amorem, quàm per Euchariſtiam. Inde autem ſit identidem, præfatum nexum nequaquam eſſe nudè per Charitatem apud Chryſoſtomum, aut gratiam, cum illam ſublimet ſupra nexus omnes aliunde venientes; alioqui non ſtupore digna foret hæc præ aliis. Et cum Homil. 88. in Math. uti & 45. in Joann. Euchariſtiam unionem appellet *ſubſtantialem, & naturalem*: & tandem, quia eſt unio, per quam homo repræſentat in ſe formam, figuram, & animam Chriſti Domini, quæ eſt proprius, & ſingularis character unionis aſſumptivæ. Quòd verò loquatur de unione reali permanenti, quæque finem non videat unà cum ruina ſpecierum, patet abunde ex nuper dictis in præcedentis teſtimonii explicatione: conſtat ex verbis nuperis, ex nativo eorum ſenſu: conſtat ex effectu includente repræſentationem eximiam Chriſti Domini formæ, figuræ, & animæ illius, ex prædicta unione perſiſtente, & transformante, provenientem, per quam aſſumit nos ad ſe anima Chriſti in æternum; niſi vi, aut ſtudio nodum illum fœliciſſimum diſſolvamus; rapimurque ad ſublimia, ſi naturali pondere, & ſimul voluntario, neque deprimi, nec curvari ſinamus; ſed potiùs cum ſponſa Cant. Cant. 3. dicamus: *tenui eum, nec dimittam.*

Num. 66. Perſpicuè autem iteratò videbis, Chryſoſtomum uſurpare ibi, & alibi frequentiſſimè conjunctionem illam ſtupendam, & perſiſtentem in ſenſu reali ſimpliciter, immediatè; non verò in purè affectivo, myſtico, aut morali, conſimilibuſque, ſi legas ejuſdem Homiliam 46. in Joann. ubi inter alia, profert verba hæc: *ut autem non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa*

in

in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt; cum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per Corpus ſuum ſe nobis immiſcuit, & in unum nobiſcum redegit; ut Corpus cum capite uniretur; hoc enim ardenter amantium eſt. Per converſionem autem in carnem ejus denotat ſolùm, diſpoſitè communicantem fieri intimius membrum Corporis myſtici Chriſti Domini, vi cujus ejuſdem Spiritu tanquam motore intrinſeco realiter activè vegetetur, ſeu moveatur; alioqui non ſummè ardenter amaret, eum ſummam unionem non expeteret, nec induceret, dum nullo negotio poſſet. Similia habet Homil. 61. ad Populum Antiochenum: *ut itaque*, ait, *non tantùm per Charitatem hoc fiamus, verùm & ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet: propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & Corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam Corpus capiti coaptatum*. Quin eludantur prædicta teſtimonia per hoc, quòd Chryſoſtomus ibi intendat firmare præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia. Quoniam licet illam utrobique exprimat, & tueatur acerrimè, & ex conſequenti conjunctionem materialem carnis illius cum noſtra; ſimul attamen ex ea conjunctione materiali, realique præſentia Carnis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, colligit unitatem aliam permanentem, tanquam effectum principem illius, quam verificari poſſe per ſolam Charitatem, ſive affectum, omnino negat. Idemque à fortiori eſt de quovis alio nexu, qui realis non ſit: cum eo fine ſe nobis realiter immiſcere doceat: *ut unum quid efficiamur*. clariùs adhuc expreſſit hunc ſenſum eadem Homil. 61. eis verbis: *ea re nos alimur, quam Angeli tremunt, neque abſque pavore propter emicantem inde fulgorem reſpicere poſſunt, nos cum illo in unam maſſam reducimur, unus Spiritus. & una caro*. Et quidem ubi anima eſt eadem, aut Spiritus in Corpore naturali & phyſico Chriſti Domini, ac in myſtico (quamquam diverſo modo) utriuſque caro eſt eadem in tertio, in Spiritu videlicet, aut anima. Et aliunde quod unio illa perſeverans, aut maſſa rerum conjunctarum intimè, nequaquam fiat per merum Charitatis affectum, aut per gratiam, ut ipſe frequenter animadvertit, vix ſanum alium ſenſum permittit, quàm noſtrum, realem ſcilicet nexum animæ Chriſti Domini cum illum dignè manducante.

Neque ſilentio prorſus involvendus in ſignis alius Chryſoſtomi locus lib. 6. de Sacerdotio, ubi deſcribens ſublimi orationis copia Sacerdotem tremendo ſacrificio incumbentem, & fidelem de ſacrificio participantem, itaut & terrorem ſimul incutiat, & in adorationem rapiat, inquit: *qua denique re non puriorem, ſanctioremque eſſe conveniat animam, quæ tantum illam, tamque dignum Spiritum reciperet?* Quæ verba apertiſſimè denotant, & deſignant per Spiritum illum, quem recipit ſuſcipiens Euchariſtiam, eximiam Chriſti Domini animam; non verò Spiritum Sanctum, quem ſupponit ibidem præcedenter invocatum: cum diſſerat de Chriſto Domino à Sacerdote in altari immolato, hinc inde moto, ſibique, & aliis diſtributo. Et cum ſequeretur alioqui Perſonarum in divinis confuſio, ſi dum loquitur de Chriſto Domino deliteſcente in altaris Sacramento, & fidelibus miniſtrato, intelligeret Spiritum Sanctum communicantibus datum, quod fit per gratiam, Charitatem, & alia dona, quin ad hoc exigatur realis Chriſti Domini præſentia. Ideo paulò inferius narrat ex alterius revelatione, quòd illi, qui Sacramentum hoc perceperint: *Spiritum efflaturi, ab Angelis illorum Corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud ſacrum hinc recta in Cælum abducuntur*. Ubi per Spiritum emiſſum animam manifeſtè intelligit, atque adeo animam pariter Chriſti Domini per Spiritum receptum; quam recipere eum, qui dignè recipit Euchariſtiam, ægrè aliter uſurpari valet, quàm juxta principia noſtra. Excipit enim realiter animam Chriſti, non ſolùm, quia illam ſimul cum Corpore, illudque informantem recipit, verùm quia Corpore deſinente ob ſpecierum deſitionem, permanet ipſa, quà verbo unita aſſumens, & regens juſtum illum; eſtque præfata immanentia effectus per inſtitutionem Euchariſtiæ potiſſimè intentus, dignuſque, ut ad eum obtinendum ſeipſum reliquiſſet Chriſtus Dominus uſque ad mundi interitum ſub accidentibus panis, & vini, ſeque uſque ad viſcera noſtra introduceret, & trementia reverenter corda veluti manu ſuaviſſima attrectaret, ut duritiam prius emolliret, habitationemque animæ ornatu digno pararet.

§. II.

Num. 67. EAMDEM unitatem, aſſumptionemque communicantis ad exprimendum aſtumentem, ejuſque anteactam vitam, docuit Nyſſenus plurimis in locis, ultra expreſſum ſupra allegatum; præſertim in cap. 8. Eccleſia &c. *præterea ſe nobis comedendum proponit, qui ſemper eſt, ut cum ipſum in nobis acciperemus, illud fiamus, quod ipſe eſt .... Eum qui Sanctiſſima Chriſti carne veſcitur, ipſum olere Chriſtum, & morum ejus, totiuſque ſanctitatis odorem ſpargere*. Quæ verba odorem etiam ſententiæ noſtræ ſpirant, cum ſatis innuat, & agnoſcat Nyſſenus vim aliquam unitivam inter Chriſtum Dominum, & ſanctè illum manducantem, media qua intrinſecè moveatur à Chriſto Domino permanenter ad ita operandum, ut ipſum examuſſim repræſentet. Id autem minimè effici tantùm per ſolam charitatem, & gratiam, juxta Nyſſenum, quamquam

id

id non explicet diſtinctè, ſufficienter colligitur ex eo, quod ipſe oratione catechetica 37. unionem ſubſecutam ad dignam ſumptionem non purè affectivam dicat. Ex eo quod alioqui æquè per alia Sacramenta uniretur cum Chriſto Domino illa debitè ſuſcipiens. Ex eo, quod præſupponere videatur, Chriſtum Dominum permanere realiter in nobis poſt manducationem modo aliquo, *ut illud fiamur; quod ipſe eſt*: hoc autem nullo alio veriori, & opportuniori ſenſu fieri valet, quàm per unionem intimam animæ Chriſti Domini, (& intimam præſentiam Verbi divini ſingulariter) aſſumeutis oos ad vitam ſuam, & animæ operationes repræſentandas per noſtras; nec aliter fieri poſſumus realiter quod ipſe eſt, quàm poſſidendo realiter, quod ipſe realiter habet intrinſecè, & per quod ejus Humanitas præcipuè conſtituitur.

Planiora ſunt quæ profert in re noſtra S. Cyril. lib. 10. in Joan. cap. 13. ubi exemplum ceræ liquefactæ, cui alia infunditur, adducit, ad explicaudam unionem inter Chriſtum Dominum, & manducantem ipſum, ad quam neutiquam ſufficere charitatem, & gratiam, docet: *Non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe*. præmiſeratque paulò ante: *an fortaſſis putas, ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe, quæ cum in nobis fiat, non ne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti Chriſtum in nobis habitare? cur enim membra fidelium membra ſunt Chriſti?* Eaque inhabitatio, immanentia, aut unio eſt, quam docet minimè fieri poſſe per charitatem duntaxat, ſed immediatè per unionem cum Chriſto Domino ſuſcepto. Et quidem ſubortam ex conjunctione materiali illius nobiſcum intra pectus, aut os, cum media *communicatione carnis Chriſti, afferat Chriſtum in nobis habitare*. Conſequenterque præfata inhabitatio non includitur formaliter in ea conjunctione, ſed eſt effectus illius. Neque vult Cyrill., non eſſe ſimpliciter membrum Chriſti Domini regeneratum hominem, qui nondum accedere potuit ad ſacram menſam, ſed unicè non eſſe membrum vegetatum Spiritu Chriſti Domini, aſſumptumque realiter ab illo, quæ eſt ſtrictior acceptio, & ſignificatio corporis myſtici, præſupponens aliam per gratiam. Ad modum quo in corpore phyſico ſunt partes, & quidem ſubſtantiales abſolutè, quæ non vivificantur immediatè, ut ſæpè notatum fuit; niſi quòd in re noſtra membra regenerata vivificantur alia ſpecie vitæ, gratiæ ſcilicet; in exemplo verò producto partes, quæ non animantur immediatè, nullo gradu vitæ pollent, juxta vulgarem philoſophiam.

Io eodem loco refricat ſimilitudinem ceræ, quam adhibuerat lib. 4. in Joann. cap. 17. dicens: *Sicut enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera commiſceat, neceſſe eſt: ſic qui carnem, & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur*. Ubi planiſſimè agnoſcit conjunctionem realem permanentem inter Chriſtum Dominum, & ſumentem Euchariſtiam, in qua ſita formaliter ſit immanentia mutua, quam Chriſtus Dominus pollicetur debitè communicantibus. Et hic eſt mirus ille modus, quo Chriſtus Dominus, uuitur perſeveranter nobiſcum per Sacramentum ſui corporis, & ſanguinis, juxta Cyrill. in Epiſtola ad Cæloſyrium, cujus mentionem fecimus ſupra, recolendus hic.

Diſplicent verò magnoperè, qui per analogiam quamdam, aut ſimilitudinariam locutionem Cyrillum, & alios Patres, laudata exempla produxiſſe, realem unionem involventia, putant. Tum quia ſic illa adducunt, ut ſimul ex eis ſubinferant, neceſſarium eſſe alium nexum ultra affectivum, ſpiritualem, aut myſticum. Tum inſuper, quia ſi liceat impunè affirmare præfatas locutiones eſſe nudas metaphoras, & figurativas; proindeque immanentiam mutuam à Chriſto Domino promiſſam pariter uſurpandam eſſe in conſimili acceptione, non reali, & phyſica, ſed ſpirituali, aut affectiva, myſticave. Inevitabili etiam, aut ægrè evitabili ſequela inferrent Novatores, ſub eadem ratione, & linea accipienda fore verba Chriſti Domini præſentiam realem ſui corporis, & ſanguinis ſub accidentibus Euchariſticis ſignificantia; neque enim ſplendidiora ſunt illis, vel illa obſcuriora his. Neque inſuper ratione materiæ ſignificant plus illa ſimilitudinem, & non proprietatem, quàm hæc; uti interdum eo titulo inſtitutas invenimus quamplures ſimilitudines in Scriptura Sacra; quinimmo adhùc io eo eventu propriam habent ſignificationem in alia acceptione, ut notant Expoſitores, unde S. Auguſt. tractatu 8. in Joan. ait: *cum dicit ego ſum vitis, ab illa ſe utique diſcernit, cui dicitur &c. Nam quo pacto eſt vitis vera, quæ expectata eſt, ut faceret uvam, fecit autem ſpinas*. Quaſi diceret prima illa vitis ſimilitudo fuit planè falſa; Chriſtus Dominus autem eſt vera ſimilitudo vitis, non vera vitis realiter phyſicè, etiamſi generoſum vioum produxerit in nuptiali convivio, & ſub accidentibus vini lateat, ut inebriet nos in Calice præclaro.

Num. 68. S. Cyprianus, vel Author ſermonis de Cœna Domini: *Sicut in Perſona Chriſti Humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento viſibili, & ineffabili divina ſe infundit eſſentia, ut eſſet religioni circa Sacramenta devotio, & ad veritatem, & ad virtutem, cujus corpus, & ſanguis Sacramenta ſunt, ſecurior pateret acceſſus uſque ad participationem ſpiritus*. Si ultima verba ritè premas, invenies Cyprianum in eadem fuiſſe exiſtimatione, in qua opinio noſtra perſiſtit, per Euchariſtiæ ſumptionem ſcilicet participare nos realiter permanenter ſpiritum, ideſt animam Chriſti Domini per

 rea-

realem nexum motoris aſſumentis. Clariùs adhuc in eodem tractatu loquitur, dum recenſens fructus ex fervente Eucbariſtiæ ſumptione prodeuntes, docet, ſequi ex illa: *Vt Cbriſtum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore babitatori ſuo dicta, & facta jubilatione conſona laudis reſonent, & gratiarum actiones decantent*: prçſupponit enim Cbriſtum Dominum inhabitantem illum juſtum permanenter, ſive omni tempore, poſt amantiſſimam eam ſumptionem. Conſimiliter locutus eſt Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. *Per illud porrò purgati, Corpori Domini, ipſiuſque ſpiritui unimur, ac Corpus Cbriſti efficimur*. Magnus Gregor. Homil. 13. in Evang. exponens locum Exodi, quo Deus præcipit utrumque poſtem tingi ſanguine Agni, inquit: *Sanguis Cbriſti ſuper utrumque poſtem, quando non ſolùm ore corporis, ſed etiam ore cordis bauritur*. Si autem affectivè ſolùm, aut per gratiam, & fidem ore cordis hauriri ſanguinem juxta Gregorium dixeris, quo jure deteſtaris Sacramentarium ajentem, per ſidem identidem, & charitatem recipi Cbriſtum Dominum ore corporis?

Adjunge Theophilactum exponentem illud Pauli 1. Corint. 10. *Calix benedictionis &c.* ſic enim ait: *non dixit participatio, ſed communicatio, ut aliquid excellentius indicet, puta ſummam unionem*. Certè ſi tritas alias uniones, non reales, ſolùm intelligeret: nec eſſet, cur non ſufficeret participatio: nec eſſet cur diceretur à Theophilacto *ſumma unio*. Œcumenius, apud Cornel. à Lapide in Epiſt. 1. Joan. cap. 4. non obſcuriùs loquitur, dum ait. *Debemus enim, ut B. Paulus inquit, mortificationem Jeſu circumferre, ut & vita Jeſu in corpore noſtro manifeſtetur. Qui igitur operantem babet Jeſum, & mundo mortuus eſt, neque ampliùs mundo, ſed Cbriſto vivit, Cbriſtumque, non in Cbriſti tantùm carne, ſed in ſua quoque circumfert, ex Deo eſt*. In ejuſmodi autem teſtimonio declarando, nimium immorari nolumus, cum ſeipſo, ſimpliciterque conceptum, inſinuet ſatis aſſumptum noſtrum. Neque enim totus Cbriſtus Dominus circumferri poteſt permanenter in carne, aut corde noſtro, ut exploratum eſt, deſinente corpore intra nos unà cum ſpeciebus, ſed Perſona verbi, & anima eidem copulata hypoſtaticè. Propterea non dicit, nos circumferre Chriſtum (perſeveranter) in carne propria ipſius Cbriſti Domini; cum illa tandiù ſolùm duret intra pectus, quandiù permanent accidentia; ſed in carne propria recipientis Eucbariſtiam. Ergo per Cbriſtum Dominum ibi intelligere non potuit integrum illum, ut perſeverantem in nobis, cum dixerit, Sanctos Viros circumferre Chriſtum Dominum *non in Cbriſti tantùm carne*; integer autem Chriſtus nequit propriè dici exiſtere in carne Chriſti, cum coaleſcat ex anima, & carne, unitis divinitati; ſed animam neceſſariò intellexit, & ejus divinam perſonalitatem, quæ exiſtit in Carne Chriſti Domini, eamque vivificat: proindeque anima ipſa, (ideſt Verbum ſimul cum anima) eſt, quæ per Eucbariſtiam permanet in recipiente, ad ſe, ſuamque vitam repræſentandam per actus illius, quæque circumfertur, aut geſtatur ab ipſo, apud Œcumenium. Et ideò habet intra ſe *Jeſum operantem*.

Hic forſan eſt ſenſus, difficilis ad modum alioqui, verborum Pſal. 118. *anima mea in manibus meis ſemper*; quæ Magnus Parens Auguſt. in enarratione illius Pſalmi ardua explicatu ſupponit, cum ſenſum ignorare ſe fateatur; unde nullus audebit ea exponere, niſi tentando potiùs, quàm aſſerendo. Neque enim pro vita, quam ſemel tantùm ponere debuit Chriſtus Dominus (in cujus Perſona loquitur Propheta) accipi poſſunt; dum hic repræſentatur animam ſemper portans in manibus ſuis. Neque rurſus pro ea voluntate parata ſemper ad vitam ſemel ponendam; quandoquidem fundendus erat ſanguis tempore determinato, & non alio, ut ſæpè animadvertitur in Evangelio. Anima ergo eſt, quam in Euchariſtia geſtat veluti in manibus, ut eam relinquat, deſtructis ſpeciebus, apud eos, qui dignè carnem ejus ſumpſerint. Quòd autem de Euchariſtia uſurpentur aptè præfata verba, colligitur ex eodem Auguſt. alibi, in Pſal. 33. concione prima, & ſecunda, ubi de Chriſto Domino ſimilia verba in Perſona David prolata *ferebat in manibus ſuis*, de ipſo Chriſto Domino ferente ſeipſum ſub ſpeciebus Euchariſticis in nocte Cœnæ, intelligit, ut ſuo loco vidimus. Animam ergo ſuam portabat in manibus, dum ſe in Cœna ſpeciebus velatum porrigebat Diſcipulis, & dum in altaribus ſeipſum diſtribuit nunc: & quamquam corpus animatum largiatur, dicitur attamen dare, aut ferre animam præcipuè; quoniam corpus, & ſanguis confeſtim deſinere debent unà cum ſpeciebus, anima verò eſt illa, quæ permanenter immanere debet, ejuſque immanentia eſt ſcopus potiſſimus intentus ab Euchariſtia: præbet corpus, ut relinquat animam, corpus, & ſanguis vehiculum ſunt, & tranſire debent, veluti hoſpites, anima ut incola manet in regione propria.

Num. *69*. Mitto Sanctum Iræuæum, Cyrillum Hieroſol., & Patres alios; quoniam plurima eorumdem teſtimonia dedimus ſupra; nec omnia ſunt adeo perſpicua. Succedat modò Doctor Euchariſticus juxta ac Angelicus Opuſc. 58. cap. 5. dicens: *Magnum eſt dare ſe in ſocium peregrinationis: majus in pretium redemptionis; attamen tale donum adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo, cui datur. Sed cum datur in cibum, datur non ad ſeparationem aliquam, ſed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis cibus, & ſumens Joann. 6. qui manducat meam carnem, in me manet &c. Et ſic apparet in tali dono ſumma largitas Divinæ bonitatis*. Juxta mentem ergo illuminatam Doctoris Angeli-

gelici adſtruenda eſt primò omnimoda, ſummaque unio inter debitè communicantem, & Chriſtum Dominum ; eſt tamen evidens, non futuram omnimodam, nec ſummam, ſi foret tantùm per conjunctionem materialem exiguo tempore durantem, & deinceps per gratiam, charitatis affectum, aut moralem duntaxat nexum; cum ſit longè major, intimior, & immediatior unio noſtra. Aliunde hanc eſſe poſſibilem, compertum eſt ex dictis ſectione prima, fatenturque Adverſarii cum vulgata Theologia, tametſi nonniſi Divinitus contingere credatur. Ergo hanc unionem continet intentio Doctoris Angelici illis verbis generatim explicata.

Quam doctrinam hauſit proculdubio Sanctus Doctor ex Dionyſio, qui conjunctionem natam ex eſu Euchariſtiæ appellat *ſummam unionem*. Secundò: præſatam unionem eſſe docet ejuſdem prorſus rationis cum ea, quæ reſultat ex cibo manducato, & manducante ; hæc autem eſt unio realis permanens materiæ cibi cum anima ſumentis illum ; niſi quod in materia præſenti cibus ipſe vivens eſt, qui convertit ſumentem in ſubſtantiam aliti, ſubindeque cibus eſt, qui animam ſuam unit, realiter cum ſumente tamquam cum corpore myſtico. Cum ex alia parte ſumens converſus in ſubſtantiam cibi ſit, & permaneat animatus, & ſubſiſtens ; anima Chriſti Domini (uti nec Verbum Divinum) copulari nequit cum ipſo, ut ejus forma, nec hypoſtaticè, ſed ut motor intrinſecus illum aſſumens ad operandum in ordine ſupernaturali, in quo aſſumentem exprimat.

Eam ſummam unionem tanti fecit Div. Tho. ipſe, ut illam dixerit potiſſimam rationem, aut cauſam finalem inſtituendi Euchariſtiam. Ita apertiſſimè docuit in 4. diſt. 10. art. 1. ubi ſententiam noſtram tenuiſſe reipſa, exploratum mihi videtur, cum legitimo tramite ex ejus doctrina eliciatur. Ait namque: *Ratio autem quare oportet, quòd in hoc Sacramento ipſe Chriſtus contineatur, in principio hujus tractatus* (diſt. 8.) *dicta eſt; quia ſcilicet, non ita perfectè nobis Chriſtus conjungeretur, ſi ſola Sacramenta illa haberemus, in quibus conjungitur nobis Chriſtus per virtutem ſuam in Sacramentis illis participatam. Et ideo oportet eſſe aliquod Sacramentum in quo Chriſtus, non participativè, ſed per ſuam eſſentiam contineatur, ut ſit perfecta conjunctio capitis ad membra*. Argumentum ſanè robuſtum in favorem unionis noſtræ, quodque plus habet virium, quam verborum. Id ferme ipſum præmiſerat in argumento. *Sed contra*, dum ait, *Deuteron. 32. dicitur, Dei perfecta ſunt opera; ſed non perfectè conjungeremur Deo per Sacramenta, quæ nobis tradidit, niſi ſub aliquo eorum ipſe verè contineretur: ergo in hoc Sacramento verum Corpus Chriſti continetur, quia non eſt aliud aſſignare Sacramentum in quo &c.* Habes in relatis verbis rationem quaſi à priori, ob quam convenientiſſimum fuerit (& ſub ea ratione neceſſarium). quòd Chriſtus Dominus exiſteret realiter præſens in Euchariſtia, eamque inſtitueret ; quatenus nimirum oportebat, Chriſtum Dominum ipſum conjungi nobis modo perfectiſſimo, qui manifeſtè importare debet realem phyſicam conjunctionem extremorum, cum per ſe notum ſit, hanc unionem eſſe perfectiorem ſola morali, affectiva, aut per gratiam, & id genus aliis. Jam verò eadem formaliter ratio, qua convincit Sanctus Doctor præſentiam realem Chriſti Domini ſub ſpeciebus, & ex illa conjunctionem phyſicam immediatam illius cum recipiente Euchariſtiam, evincit pariter eadem efficacia, & energia, conjunctionem illam, & eſſe permanentem, & eſſe formaliter ipſam, quam producit opinio noſtra. Siquidem non minùs evidens eſt, unionem à nobis adſtructam nobiliorem eſſe materiali ea conjunctione ſe ſola, illico tranſeunte, & in ſola gratia, habitu denique charitatis, aut affectivè perſeverante, quàm ſit perſpicuum, præſentiam realem Corporis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, & conjunctionem realem ejuſdem nobiſcum ex condigna ſumptione illius ſubſecutam, eſſe præſtantiorem præſentia, & conjunctione per ſolam virtutem, affectum, & gratiam. Aut igitur diſcurſus Divi Thomæ nihil obtinet circa realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia, per maxima miracula obtinendam, aut concludit ſimiliter circa unionem ab aſſertione noſtra intentam: nefas autem eſſet dicere primum, cum labefactaret eo ipſo validum ipſum ratiocinium, quod nullis hactenus nixibus potuerunt movere Sacramentarii, quantumvis nullum lapidem non moviſſent, omnemque operam in illo diruendo navarent.

Num. 70. Invenio inſignem alium Divi Thomæ locum ad rem noſtram Opuſc. 63. cap. 2. §. cui titulus *tertium principale dilectionis propter Deum*, ubi ſic loquitur (vel ejuſdem ævi gravis ſcriptor) *cum ergo Corpus, & Sanguinem Filii ſui Deus Pater ſub Sacramento dedit, tunc corporalem ſubſtantiam in ſummo contulit: quando verò animam ejuſdem Filii dedit, tunc ſpiritualem ſubſtantiam in ſumma tradidit, cujus anima omnibus Angelis, & Sanctis animabus perfectior gratia in omni ſanctitate fuit. Inſuper in eo totam Divinam naturam obtulit, omne bonum in ſe naturaliter, & æternaliter continentem. Nec hoc ſemel tantùm, aut bis in tota hominis vita fecit, immo quocumque tempore, quocumque loco, à quocumque Sacerdote fideli bono, vel malo, ſalutare illud ſacrificium in forma Eccleſiæ oblatum fuerit, toties Deus Pater cum Spiritu Sancto ſingulis animabus ſe totum ad fruendum exhibet*. Verùm qua ratione ſeparatim, & diſſertè affirmat Doctor Angelicus, Patrem in Euchariſtia non ſolùm dediſſe nobis Corpus, & Sanguinem ; ſed inſuper animam ipſam Chriſti Domini præſtantiſſimis orna-

tam

Digitized by Google

tam dotibus, cum per concomitantiam unà cum corpore, quod jam dixerat nobis collatum, ſupponatur illa hominibus data? Deinde, quando dedit nobis Corpus & Sanguinem abſque anima? Profectò numquam, cur igitur poſtquam Corpus animatum, Sanguinemque ſuum, nobis dediſſe refert Sanctus Doctor, tanquam inſigne munus, per quod elevatur ad ſummum ſubſtantia corporalis noſtra (atque adeo Humana & completa), novum aliud ſublimiuſque donum contuliſſe ſubſtantiæ ſpirituali, noſtræ, dum animam ſuam nobis largiri dignatur? Licet enim illa, tribuendo ſingula ſingulis, dicatur conducens per ſe magis ad perficiendam ſubſtantiam ſpiritualem hominis, attamen jam incluſerat illam in corpore prius recenſito, cum illud non reficiat ſubſtantiam corporalem hominis per Euchariſtiam, niſi ut animatum: unde per primum extremum numeratum debuiſſet dicere, ſubſtantiam hominis tam corpoream, quàm ſpiritualem attolli ſummoperè per dignam ſumptionem Corporis, & Sanguinis Chriſti D. Cur ergo recenſet ſecundum illud donum animæ Filii nobis collatæ, tamquam diverſum, & ex primo veluti ſubſecutum?

Certè non alia de cauſa id expreſſiſſe diſtinctim putamus, niſi quia ſententiam noſtram indicare voluit, juxta quam largitio, & veluti donatio animæ Chriſti Domini per Euchariſtiam facta, eſt novum aliud beneficium diverſum, effectuſque præcipuus ſumptionis, quatenus remanet copulata cum ſumente, ab eadem inſtrumentaliter, & à Verbo principaliùs intimè aſſumpto, & eidem aſſiſtens. Ex quo rurſus ſequitur conjunctio mediata realis cum reliquis Perſonis Divinis modo ſæpe dicto. Quinimmò cum naturam Divinam, & Perſonas ad fruendum Illis nobis exhibere unà cum anima dixerit S. Thom. legitimè arguitur exinde, unionem cum anima Chriſti Domini, quam ſtatuit, eſſe permanentem, diſtinctamque propterea à conjunctione materiali prima; quam unà cum Corpore, & Sanguine habuit in ore, & ſtomacho manducantis illum. Profectò dum ſubſtantiæ corporali noſtræ confertur Corpus Chriſti Domini, Sanguiſque, etiam ejus anima ſimul confertur eidem ſubſtantiæ corporali; & ex utriuſque dono ita ei collato reſultat, effectus gratiæ in anima illius ſubſtantiæ recipientis, cum neceſſariò debeat intelligi animata etiam prout uſurpatur in illa acceptione diſtributiva, aut extremo; alioqui perperam ſupponeretur ſuſcipiens, aut ſumens Corpus & Sanguinem Domini. Neque refert animam neutiquam poni vi verborum; ſiquidem poteſt per ſe primò intendi in ordine ad effectum primarium, etiamſi ſolùm per comitantiam fiat præſens Euchariſtiæ, de quo multa in ſequentibus.

Referam tandem teſtimonium aliud ejuſdem Divi Thomæ 3. par. quæſt. 73. art. 4. ubi ex S. Damaſceno docet, Euchariſtiam Græcè appellari Metalepſim, ideſt aſſumptionem: *Dicitur in Græco Metalepſis, ideſt aſſumptio, quia ut Damaſcenus dicit* (lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 4.) *per hoc Filii Deitatem aſſumimus*. Namque ut notat Pater Granados tract. 1. de Euchar. diſp. 1. & eſt communis Theologorum acceptio, idem ſonat ibi *aſſumimus*, ac conjungimur illi: quatenus per Euchariſtiam, tamquam per extenſionem Incarnationis, Corpus myſticum illam recipientis conjungitur intimè perſeveranter Verbo Divino, ab eoque aſſumitur: ac proinde illa aſſumptio potiùs ſumenda paſſivè eſt ex parte noſtra, quàm activè. Ad modum quo per Incarnationem Verbum aſſumpſit naturam Humanam, & non è converſo. Conſulatur Author Salmanticenſium diſp. 1. prooemiali capite 4. §. 3. num. 87. eſt autem planè certum, conjunctionem illam non fieri realiter immediatè per Verbum nudè ſumptum, ut ſupra oſtendimus; fit ergo media Humanitate Chriſti Domini, cui immediatè hypoſtaticè copulatur Verbum Divinum, & cum illa (ideſt cum nobiliore ejus parte) aſſumens immediatè corpus myſticum. *Per myſticam benedictionem*, inquit S. Cyril. Alex. lib. 4. in Joann. cap. 13. & 14. & lib. 11. cap. 27. *Corporaliter nobis Filius unitur ut homo, ſpiritualiter ut Deus*; & vocat ritè communicantes *concorporeos, & conſanguineos* Chriſti Domini ex Apoſtolo 3. ad Epheſ. ſicut, & Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 4. appellat eos *Chriſtiferos*. Aliunde præfata unio exerceri nequit per Corpus, aut Sanguinem ipſius, quippe quæ paululùm conſiſtunt intra aſſumentem. Unio autem hæc, utpote aſſumptio, aut metalepſis, permanentiam ſignificat ex conceptu ſuo; & quidem non per gratiam duntaxat, & Charitatem; alioqui foret communis reliquis operationibus ſanctis, & Sacramentis. Fit ergo per animam ſanctiſſimam Chriſti Domini ut inſtrumentum Verbi aſſumentem cor, & animam manducantis illum, ut nunquam eum dimittat, ſi ab eo prius non dimittatur, in ſummam perniciem, & per ſummam ruſticitatem dimittentis: immò & per ſummam vim, cum pellat Domo proprium illius Dominum. Sic & inclitus Martir Ignatius *Theophorus* appellatur *vel Chriſtiferus*, ab Scriptoribus Eccleſiaſticis, ipſeque in ſuis Epiſtolis de cognomento hoc gloriatur, quod ſonat latine idem, ac *Chriſtum circumferens in anima*, ut ex communi acceptione notat Bollandus in ejus vita tom. 1. Februarii pag. 14. & uti reſpondit ipſe Trajano ſciſcitanti, eſſet ne Theophorus? manifeſtum eſt autem ipſum non habuiſſe ſecum in anima, aut pectore Chriſtum Dominum pœnes Corpus permanenter; & aliunde laudatum nomen eam permanentiam apertè donotat, Animam igitur Perſonalitati divinæ unitam (adeoque Perſonam Chriſti Domini) gerebat perenniter cordi, & animæ propriæ co-

pula-

pulatam. Et quamquam vox græca *Θεοφόρος* Deiferum ſignificet, ipſe tamen Ignatius reſpondit Trajano roganti *ὁ τὸν Χριστὸν ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρων* ideſt *qui Chriſtum circumfert in anima*, ut animadvertit ibidem Bollandus; non Deum tantum fero, ſed hominem Deum.

Num. 71. Utar nunc teſtimonio luculento Hugonis de S. Victore lib. 7. de Sacram. part. 9. cap. 13. quod, non recte uſurpatum à quibuſdam Scholaſticis, ſenſum prorſus alienum à ſana doctrina facit; cum ab eo ſenſu alieniſſimus fuerit Hugo; tametſi illum tenuerint olim aliqui cum Gloſſa in cap. *tribus gradibus de conſecr.* Putarunt enim, Chriſtum Dominum deſinere ſub ſpeciebus confeſtim ac illæ ſtomachum attingerent, terminarique manducationem, etiamſi nondùm corruptæ fuerint ſpecies. Ita Magiſter ſentent. in 4. Innocent. III. & alii, quorum opinionem expugnat S. Thomas 3. p. q. 8. art. 3. Docet itaque Hugo: *Chriſtum Dominum eſſe nobiſcum corporaliter, dum eſt in manibus, dum tangitur, dum ſuſcipitur; poſtquam autem ſenſus corporalis in percipiendo deficit, deinceps corporalis præſentia quærenda non eſt, ſed ſpiritualis retinenda. Chriſtus de ore ad cor tranſit; melius eſt tibi, ut eat in mentem, quam in ventrem.* Hauſitque hunc loquendi modum ex Sancto Ambroſio lib. 5. de Sacramentis cap. 4. & ex ſermone 28. de verbis Domini apud Auguſtinum, qui vel Ambroſii creditur, vel ex ejus doctrina in laudato loco tranſcriptus. *Non eſt*, inquit, *iſte panis, qui vadit in Corpus, ſed ille panis vitæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.*

Nuſquam tamen docuit Hugo, deſinere realem præſentiam Chriſti Domini ſub ſpeciebus in ſtomacho, quandiu illæ perſiſtant incorruptæ, uti nervosè, & præclare oſtendit Vaſquez diſp. 195. c. 5. dicens: *Cum aperte dicat* Hugo, *tandiu manere Chriſtum ſub ſpeciebus, quandiu ſenſum aliquem afficiant, & in ſtomacho etiam ſenſum afficiant, ut de ſpeciebus vini patet, & de ſpeciebus panis etiamſi in magna quantitate ſumantur, dubitandum non eſt, hunc Doctorem ſenſiſſe, Chriſtum non ſolùm in ore ſumi cum ſpeciebus, ſed etiam in ſtomachum trajici. Cum autem ait Chriſtum de ore ad cor tranſire, non denotat, non trajici etiam in ſtomachum, ſed oſtendit effectum proprium hujus cibi, nempe Corporis Chriſti, qui non tranſit in ſubſtantiam ſumentis corpoream, ſed ſpiritum ejus reficit.* Exploratiſſimum autem eſt, nec gratiam, nec charitatem recipi in corde, ac proinde minimè loqui potuiſſe Hugonem de tranſitu illo Chriſti Domini ab ſtomacho in cor (dum ſpecies defierint) per ſolam charitatem, aut gratiæ augmentum, vel affectum amoris nudè, ſed de reali præſentia ſpirituali, ſive ſpiritus, ideſt animæ Chriſti Domini (quam monet retinendam, cautèque ſervandam, ne per lapſum gravem amittatur:) quoniam affectiva præſentia æquè haberi poteſt per alia Sacramenta: uti & ſpiritualis per gratiam tantùm, ut ſæpe diximus. Moralis verò in nullius prudentis æſtimatione concipi valet: quandoquidem moralis unio nihil aliud eſt, quàm ipſamet conjunctio realis, quæ extitit, ut moraliter perſeverans (etenim quæ numquam fuit, concipi prudenter nequit permanens); & aliunde conjunctio materialis, quæ præceſſit realiter, fuit tantùm in ore, & in ſtomacho, ubi non intelligitur perſeverans; in corde verò & anima, ubi adſtruitur unio ab Hugone, non præextiterat realiter Corpus Chriſti Domini. Denique, & efficaciùs adhuc: de illo ipſo, de quo Hugo affirmat, non profuturum nobis, ſi in ventrem iret, aſſertivè pronuntiat, ire in mentem, ſive in corda ſumentium, idque nobis longè melius eſſe, ut patet ex ejus verbis: *Chriſtus de ore ad cor tranſit, melius eſt tibi &c.* ergo cum illud primum affirmet de Chriſto Domino ut realiter phyſicè præſente, pariter & ſecundum. At loqui neutiquam poteſt quoad ſecundum nexum de permanentia reali in corde totius Humanitatis, cum deſtructis ſpeciebus: *jam corporalis præſentia quærenda non eſt*. ut ipſe exprimit. Ergo de præſentia reali animæ glorioſiſſimæ illius, ut aſſumentis, & inhabitantis phyſicè cor illius hominis (ut animatum) qui ipſum Chriſtum Dominum vivo Charitatis igne, quem in medullis alebat, ſuſcepit, & inflammato corde voravit, potiùs quàm comedit.

Num. 72. Neque fuit ſolius Hugonis modus hic opinandi, prout à nobis acceptus, ſed & Ambroſii, ut diximus, & rurſus Urbani IV. & Clementis V. in Concilio Vienneoſi, Clement. de Reliq. & venerat. Sanctorum cap. unico ibi *Hic eſt cibus, qui planè reficit, verè nutrit, ſummèque impinguat non corpus ſed animam, non ventrem, ſed mentem.* Ubi ſi ad purè affectivam nutritionem, aut per gratiam nudè uſurpatam, recurras; tribuis eo ipſo effectum communem cauſæ ſingulari, ut ſingularis eſt: & cum modus inducendi eam unionem ſit particularis, & ſolius Euchariſtiæ proprius, nutriendi ſcilicet per modum cibi, conſentaneum planè videtur, ut effectus illo nutriendi modo peculiari intentus, ſit identidem ſingularis, uti revera eſt unio cibi cum ſumente, tranſituſque ejuſdem in ſubſtantiam aliti, in quo permanet, & cui inhæret intimè. In quo fortè ſenſu Sacerdos in Miſſa, poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei, ab Eccleſia ſancta edoctùs, ait: *Corpus tuum Domine, quod ſumpſi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat viſceribus meis &c.* Cum minimè petat, ut adhæreat corpus ipſum, & Sanguis, quia tranſire debent, ſeu deſinere unà cum ſpeciebus; ſed poſtulat adhæſionem Verbi ſpecialem, & animæ Chriſti Domini per Sanguinem deſignatam; & quidem potius quàm puram gratiam ſanctificantem: Tum quia hoc viſceribus, ideſt cordi, non adhæret, ſed animæ tantùm. Tum quia alioqui pari

jure

jure expeteret Eccleſia in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, ut adhæreret materia eorumdem, Chryſma, aut aqua &c. viſceribus illa ſuſcipientis. Gratiam ergo ſpecialem, & propriam Euchariſtiæ petit ibi Sacerdos, permanentiam ſcilicet ſpiritus Chriſti in recipiente, cujus adhæſio per unionem aſſumptivam eſt nova gratia, & quæ novo jure modoque gratiam habitualem receptam per Sacramentum cuſtodit, & auget. Id pariter innuere videntur verba illa, quæ reperiuntur in poſtcommunione pro remiſſione peccatorum, inter orationes dicendas in Miſſa pro libito Sacerdotis: *præſta ut facta, quæ a te ſumpſimus, incorrupta in nobis, te donante ſerventur*. Non enim petit, miraculoſam incorruptionem ſpecierum, ut eſt certum: non gratiam, tum ex dictis, tum quia illam non manducavit, aut ſumpſit, licet poſtea acceperit. Ergo permanentiam, quæ tametſi in ſe immortalis ſit: ejus tamen unio cum anima juſti, ejuſque corde, per peccatum deſtruitur.

Producam modò teſtimonium docti admodum, & pii Odonis (ſive Odoardi) Cameracenſis Epiſcopi de Sacri Canonis expoſitione diſtinct. 3. circa finem, ubi exponens illa verba *jube hæc perferri &c.* docet, petitionem hanc includere ſummam rerum Euchariſtiæ, quia per illam expoſcimus, aſſumi nos à Verbo Incarnato: *hic* ait, *opus ſupplicationis, hic incumbit conſumatio totius noſtri laboris: ut hæc Hoſtia perferatur in ſublime Altare tuum in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuę. Quid eſt hoc? Quid eſt perferri hoſtiam in ſublime altare, niſi ovem humeris Paſtoris imponi? Et quid ovis humeris impoſita, niſi homo aſſumptus à Verbo? Et quid eſt ſublimius Verbo Dei? Quotidie aſſumit ſibi fideles Verbum Dei, participatione hujus ſacrificii. Verbum Caro Dei ſublime Altare eſt, ad quod oramus Hoſtiam perferri in conſpectu Dei, & per eam nos introduci. Conſpectus Dei eſt Verbum Patris, in quo conſpicit omne ſit quod fecit*. Compertiſſimum eſt autem Odonem ubi non accipere Verbum aſſumens nudè ſumptum, ſed ut Incarnatum, ſive unà cum humanitate, quam dicit oblationem in ſacrificio Altaris, ſubjungens, *per eam nos in Deum aſſumi*, ſive in Verbum, aut potiùs à Verbo media humanitate. At non ex integro, cum corpus deſinat, ut aſſumptio maneat: & cum Corpus aſſumere nequeat, eo quod aſſumptio ſit propria ſubſtantiæ ſpiritualis. Ergo media anima, ſive Spiritu Chriſti Domini: Tum quia animam aſſumptam comparat ovi aſſumptę à Paſtore, quod eſt munus Chriſti Domini penes humanitatem. Tum quia Verbum nequit præ reliquis perſonis aſſumere, adeſſeque ſingulari novo modo in anima aſſumpta abſque alio dono creato permanente in mobile aſſumpto; quod ſolùm de anima, ſive Spiritu Chriſti Domini verificari poteſt, ut oſtendimus ſupra.

Suſpicor, hunc eſſe *Spiritum gratiæ*, de quo Apoſtolus ad Hæbr. 10. in ſuſcipientes indignè Chriſtum animadvertens (ut Ambroſius, Theophilactus, Patres alii, & Interpretes docent) dixit: *Quanto magis putatis, deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Compertum namque videtur, eam contumeliam minimè fieri ſpiritui gratiæ, ſi uſurpetur pro gratia ipſa ſanctificante ſecundum ſe, ejuſque ſplendidiſſimo comitatu: quandoquidem in eo ſenſu fieret pariter in ſuſceptione culpabili aliorum Sacramentorum; cum Paulus manifeſtè loquatur de contumelia ſpeciali jure ſpiritui gratiæ facta in ſuſceptione ſacrilega Euchariſtiæ. Rurſus contumelia propriè non ſit, niſi realiter præſenti, ut docuit S. Thomas 2. 2. qu. 73. art. 1. ad ſecundum; & ex ipſo omnes: gratia autem non adeſt, dum ſacrilego ore ſuſcipitur Chriſtus Dominus, quoniam ſanctificatio illa per ſanguinem, de qua mentionem facit Apoſtolus refertur ad redemptionem & remiſſionem in actu primo conſummatam in Cruce per Sanguinis effuſionem; alinqui præſupponeret ſanctificationem obtentam per hauſtum ſacrilegum calicis.

Nequit præterea commodè intelligi Spiritus Sanctus, gratiarum fons, ubique præſens; quoniam illo eodem pacto, & modo, præſente, fiunt omnia peccata, ſacrilegiaque cuncta, in aliorum Sacramentorum indigna receptione; hic autem Paulus peculiarem quamdam rationem contumeliæ opponit malè ſuſcipientibus Euchariſtiam. Neque etiam concipi valet ea contumelia per ordinem ad præſentiam realem ipſius Chriſti Domini, quatenus concurreret alioqui phyſicè, ut inſtrumentum conjunctum Verbo ad gratiam producendam, ſi ſubjectum foret diſpoſitum; vel ad Spiritum Sanctum, quà peculiari jure præſentem ratione unionis mediata cum Corpore, & anima Chriſti Domini præſentibus: quoniam primus titulus præſentiæ realis Salvatoris ut cauſantis gratiam, à fortiori eſt major in Spiritu Sancto, qui eſt gratiæ cauſa principalis. Cum Humanitas Chriſti Domini ſit ejus inſtrumentum; & nihilominus præſente realiter Spiritu Sancto, ſuſceptio indebito modo facta aliorum Sacramentorum ſingularem eam contumeliam non facit Spiritui Sancto, ſed communem, dum Apoſtolus agit de peculiari aliqua Euchariſtiæ ſingulariter facta.

Secundus verò eſt quoque inſufficiens titulus: quoniam etiam Spiritus Sanctus ſpeciali jure habitat in juſto, & nihilominus dum urgente præcepto labitur, contumeliam ſingularem, ea ratione ſpecialis præſentiæ realis præſuppoſitæ, minimè facit. Inſinuare igitur videtur Paulus ſententiam noſtram de permanentia reali animæ, ſive ſpiritus Chriſti Domini, cui propterea utpote realiter phy-

ſicè

ſicè præſentl unà cum corpore, eoque ſine intrante pectus ſumentis, ut intra illud maneat, ipſumque unà cum Verbo aſſumat, & regat, dum polluta conſcientia illum ſuſcipit, contumeliam irrogat ipſi, horrendo ſupplicio dignam; cum hoſpitem præſentem, quem retinere debebat, omnique officio, & amore proſequi, eumdemque efficere accolam proprii cordis, & animæ, quam novis gratiæ, & virtutum acceſſionibus illuſtraret; turpi, & agreſti audacia repellit, & corpus myſticum privat anima; & cum ſit proprium hoſpitium ejus, privat injuſtè hoſpitem illo, quem perfidè invitat, & conducit palam intra Hoſpitium, ut ipſum clam ejiciat: *Hoſpitem habes Deum*, inquit S. Auguſtinus, vel Author tractatus de Viſit. infirm. inter opera Auguſt. tom. 9. *Hoſpitium acceptum fac hoſpiti tanta, & tunc ſecurus dices hoſpiti tua, ut in eundo deducat te, deducens, perducat te, perducendo hoſpitetur*. Sed heu? *Non hoſpes ab Hoſpite tutus*.

Num. 73. Præſtat annectere hic mira verba Chriſti Domini dicta admirandę ſemper Matildi, ut referuntur à Gregorio Maſtrilli diſcurſu 46. dixit enim illi Chriſtus Dominus (quin & repetere ſolitus erat) dum ad Euchariſtiam ſumendam accederet: *congratulare mecum, quia poteſtatem habeo manendi in ſingulis hominibus in ore, in manibus, in viſceribus uniuſcujuſque*. Et eadem amantiſſima Virgo (ut conſtat lib. 1. Revel. ipſius capit. 4.), cum jam ſuſceptura eſſet Corpus Chriſti Domini *audivit eum ſibi dicentem, tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te*. Hæc autem manſio intelligi nequit de ipſo Chriſto Domino adæquatè accepto penes corpus etiam, præſervatis ſpeciebus à corruptione, ut planum eſt; quoniam licet poſſit divinitus id efficere, & interdum per tempus aliquod manſiſſe legatur in pectore recipientis, verumtamen hoc non exigeret aliud gratulationis genus, quam in communi, de eo quod per potentiam abſolutam poſſit efficere miracula quæcumque; cum ibi congratulationem peculiarem poſtulet de manſione ſingulari, quam per Euchariſtiam, ſeu media illa, efficere valet; eamque materiam ſingularem gratulandi ipſi ſupponit. Loquitur ergo de manſione permanente Verbi, & animæ ſuæ intra pectus, & cor illum debita diſpoſitione manducantis, quæ aſſumit ut motor, poteſtque, juxta mobilis diſpoſitionem ſeſe diffundere per corpus, aut potentias, & facultates, tum animæ, tum corporis; ut eas moveat, regatque ex pluribus locis; quantumvis in corde, & anima per ſe primò fixam habeat ſedem. Quandoquidem cor hominis eſt nobiliſſima ea officina, in qua formantur ſpiritus, miniſterio quorum eſt principium omnium operationum animalis: ac proinde motor ſedem ibi propriam ad gubernandam Navem ſibi vendicat, veluti ad clavum ſedens.

Idcirco S. Catharina Genuenſis appellabat Euchariſtiam *cibum cordis*, ut refertur in ejus vita, traditque P. Bonuccius in Anatome cordis Chriſti Domini lib. 2. cap. 24. num. 2. uti & eſt cibus animæ verus. Quocirca ex Euchariſtia clamat, aut clamans meritò concipitur illis verbis Proverb. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Cor ſitum eſt in medio hominis, ut Galenus obſervat: & aliunde Ezech. 36. ait Dominus: *Spiritum meum ponam in medio veſtri*: & rurſus immediatè: *Spiritum novum ponam in medio veſtri*. *In medio igitur* hominis extiturum promiſerat Deus novum Spiritum ſuum, per quem intelligi ſatis aptè valet anima novi hominis, Chriſti Domini, de quo Iſaiæ 12. dictum eſt: *cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in univerſa terra, exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael*. Quæ verba communiter uſurpantur de Chriſto Domino in Euchariſtia. Producam pariter id, quod ſibi contigiſſe refert, Seraphica Mater Thereſia cap. 27. vitæ ſuæ: ſcribit enim, ſe vidiſſe intellectuali viſione continuò apud ſe Chriſtum Dominum veluti adhærentem dextro ejus lateri. Idemque repetit in Caſtello Manſione 6. c. 8. adjungens, interdum duraſſe viſionem hanc indeſinenter *ultra annum*: jam verò illam fuiſſe Chriſti Domini per divinam ſuam Perſonalitatem, ut in anima ſubſiſtentem (præciſivè à Corpore) Seraphicæ huic Virgini intrinſecè intimè copulatam, & aſſumentem ipſam, colligitur multiplici conjectura, aut ratione congruentiæ. Primò, quoniam aſſeverat in primo loco, ſe non vidiſſe Chriſtum Dominum ſub aliqua determinata *ſpecie aut forma*; proindeque non affirmat, ſe vidiſſe ejus corpus, aut quod ibi adeſſet: Secundò, quia licet, illum deſcribat tamquam aſſiſtentem dextro lateri, animadvertit attamen in ſecundo loco allegato, hoc minimè eſſe intelligendum materialiter ad eum modum, quo videmus, aut experimur, *aliquam Perſonam exiſtere ad noſtrum latus; quoniam hoc fit alia via delicatiori, quam neſcimus exprimere*. Erat igitur Chriſtus Dominus intra ipſam; quoniam tamen munus, quod ibi exercebat, aſſiſtendi, regendique mobile aſſumptum ad ſe repræſentandum, declaratur mirum in modum per exiſtentiam ad dextrum latus, ut liquet ex Pſalm. 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear*. (Videndus in re ſimili S. Thom. in 3. diſt. 22. q. 3. art. 3. quęſtiun. 2.) Ideo præfato modo illi repræſentabatur; tametſi aſtitiſſet realiter ipſe *Chriſtus Filius Virginis*, ut ipſa proteſtatur laudato cap. 27. Tertiò, quia aſſiſtentia illa per integram Humanitatem importaret permanentem bilocationem circumſcriptivam, cum non deſierit eſſe in Cœlis tunc. Si verò corpus ex aëre formatum aſſumpſit ejus anima Chriſti Domini, cur non & myſticum? maximè ubi erat verè, & realiter ipſe Chriſtus Dominus,

apparens. Quòd verò non ſemper deinceps ipſum videret, probat ſolum, defeciſſe viſionem; non tamen objectum viſum. 4. quia cap. 36. vitæ, ait, ſe vidiſſe animam ſuam ut ſpeculum: *& in centro illius repræſentatus eſt mihi Chriſtus Dominus eo modo, quo conſuevi illum videre*. Additque memoriam hujus viſionis multum profuiſſe ſibi: *ſingulariter verò ſubitò poſt communionem*.

Eamdem ſententiam firmat à ſe pari, quin & ſublimiori, Venerab. P. Godinez in ſua Theologia Myſtica lib. 6. cap. 15. quæ dedimus ſect. 2. fuit enim vir egregius tam in Theologia Scholaſtica, quàm in Myſtica; & quod caput eſt, praxim habuit utriuſque in altiſſima contemplatione, ut apparet ſatis ex Magiſterio expeditiſſimo illius tractatus. *Inter formas*, inquit, *aliæ ſunt informantes, componentes, & dantes eſſe compoſito, ſicut anima rationalis ... aliæ ſunt formæ aſſiſtentes, quæ per aſſiſtentiam uniuntur, non autem conſtituunt compoſitum, nec tribuunt eſſe illi, ſed dant operationem ... Et in hoc ſenſu dicimus, poſſibilem eſſe transformationem myſticam animæ in Deum, eſſentia divina intimè aſſiſtente intimiori, & ſecretiori eſſe ſubſtantiali animæ, ut vita ſupernaturalis aſſiſtens in vita naturali informante &c.* protinuſque refert operationes mirabiles inde provenientes (quamvis illas à ſolo Deo factas, & in anima paſſivè tantùm concurrente ſuſceptas, dicat). Adjungitque ſe unicum tantùm inſignis ſanctitatis virum reperiſſe, qui ſublimis hujus contemplationis gradus, & unionis intimæ pro ſtatu præſenti metam attigiſſet. Ex illa autem non ſolùm probatur poſſibilitas noſtrę, verùm & ejus exiſtentia; ubi fatendum omnibus eſt peculiarem aliquem nexum, inhabitationem, aut immanentiam, admittendam eſſe inter dignè manducantem cibum amoris, & cibum ipſum; & aliunde nulla, quæ communis non ſit reliquis Sacramentorum effectibus, reperitur, aut excogitari valet, niſi à nobis producta: quæ namque alia unio permanens opportunior, & connaturalior Chriſti Domini reſpectu proprii corporis, quantumvis myſtici, quàm animæ, cujus eſt corpus, cum ipſo? Ubi namque immanentia illa realis agnoſcenda eſt poſſibilis, cur deneganda de facto ſummæ unitatis Sacramento? Si aliquando, cur non modò? Audiamus illuminatum Thaulerum ſerm. 3. in feſto Vener. Sacr. *Cibus hic vitalis cum homine miro quodam modo unitur, adeoque eumdem totum in ſe trahit, & in ſe transformat, ut nulla poſſit unio conjunctior, nec transformatio verior, perfectiorque cogitari, cum longè veriùs anima hic uniatur Deo, quàm guttula una aquæ ingenti dolio infuſa mutetur in vinum, aut anima denique copulatur corpori*. Hæc nimis alta ſunt; opportuna tamen. Omnia hactenus tradita, tradendaque in ſequentibus illuſtrat ex Patribus noviter doctus admodum Michael Vivien in ſuo Tertulliano prædicante tom. 1. concione 5. de Euchariſtia §. *Dei Filius*, ibi, poſtquam docuit, Dei Filium habere duo corpora, naturale, & myſticum, illique uniri hypoſtaticè; huic verò, *non hypoſtaticè, ſed fide, & gratia*. Gradum facit ad unionem ejuſdem cum eodem corpore myſtico per Euchariſtiam, & ait; *In Euchariſtia autem unimur Chriſto tamquam corpus capiti coaptatum* (ità Chryſoſtom. homil. 61. ad Populum); *non unitate Perſonæ, ut in Incarnatione, ſed quadam unionis ſpecie, majori ea, qua myſtico Eccleſiæ corpori conjungitur Chriſtus. Non hoc tantùm, ſed reipſa nos ſuum corpus efficit*. (Verba Chryſoſtom. ubi ſupra) *Hanc unionem Cyril. Hieroſol. appellat concorporationem: Cyrillus Alexandrinus incorporationem: D. Hilarius mixtionem, Tertullianus concarnationem. Paſchaſius inviſcerationem ... unio Sacramenti hypoſtaticam æmulatur unionem .... invenit enim amor divinus* (inquit Guher. in 2. Corint.) *alterum amorem ſibi maximè ſimilem, per quem ſingulis uniretur hominibus, ut unio illa hypoſtatica extenderetur ad omnes pariter, & ad ſingulos*. Deinde proſequitur Author, *Dei Filius non debuit ſibi perſonaliter unire ſingulas Humanitates, in Incarnatione aſſumpſit Humanitatem, cui nos unimur in Sacramento. Unione adeo perfecta, ut imitetur indiſſolubilitatem, & Humanitatis Chriſti cum Verbo divino, & Filii cum æterno Patre in Trinitate*: Hæc autem unio, major quam illa, quæ fit per gratiam, ſimilis hypoſtaticæ, quam æmulatur, permanens, indiſſolubiliſque (quantum eſt ex ſe) manifeſtum apparet non eſſe unionem cum carne Chriſti Domini, quippe quæ breviſſimè deficit. Neque cum ſola Deitate, aut Verbo ſecundum ſe tantùm, ut ex dictis ſect. 2. convincitur. Proindeque per animam, ut inſtrumentum Verbi aſſumentis. In quam illationem collimant ex ſe omnia hæc, uti & alia ibidem ab eodem Sapientiſſimo Viro expenſa; quantumvis illam non expreſſerit: (omnino videndus).

Num. 73. Subticendum minimè eſt, corpus myſticum eſſe rem Sacramenti Euchariſtiæ per ipſum apertè ſignificatam, ut ex Patribus, præſertim Auguſtino, docent Theologi omnes cum Magiſtro Sent. & D. Angelico 3. par. qu. 83. art. 4. ad 9. atque ex D. Seraphico in 4. diſt. 8. par. 2. art. 2. qu. 1. docetque Trident. ſeſs. 13. cap. 2. *O' ſignum unitatis*! exclamat Auguſtinus tract. 26. in Joan. non eſt tamen Euchariſtia ſignum corporis myſtici, ſecundum ſe uſurpati, cum Sacramentum efficiat, cauſetque in nobis, quod ſignificat, ut in nobis exiſtens, ut exprimit in laudato loco D. Seraphicus, eo quod ſit per ſe ſignum practicum; & aliunde corpus myſticum ſecundum ſe acceptum, reperiri valet præciſivè ab Euchariſtia; cum illa non conferat per ſe primam gratiam, per quam membra corporis myſtici viva fiunt, & connectuntur cum capite; ſed illud ut copulandum ſtrictiùs cum Chriſto Domino; ſubinde eſſe unionem magis intimam cum illo, & membrorum ad invicem; quoniam

hanc

hanc efficit Euchariſtia, adeoque banc ſignificat, ſive hujus ſignum practicum eſt. *Res hujus Sacramenti non dicitur corpus myſticum ratione partium, ſed ratione unionis*, inquit Doctor Seraphieus nupero loco. Et quidem ratione unionis, quæ ſubſequitur ad illius ſumptionem, non ratioue præcedentis: *Prima præcedit, & non eſt res; ſecunda ſequitur, & eſt effectus, & res hujus Sacramenti*, ut ipſe concludit. Unde Julius Papa in cap. *Cum omne* de conſecrat. diſt. 2. ait. *Quia videmus in aqua Populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem. Erge cum in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto Populus adunatur, & credentium plebs, in quem credit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio, ſic miſcetur in Calice Domini, ut mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, Sanguis Chriſti eſſe incipit ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, Plebs incipit eſſe ſine Chriſto*. Ad eumdem modum loquitur S. Cyprianus, & cum illo Patres frequentiſſimè. Cæterum quænam eſt unio hęc ſubſecuta ad Euchariſtiæ ſumptionem, per ipſam effecta, & per eamdem ſignificata, fidelium cum Cbriſto Domino? unio tantùm per gratiam, charitatem, & dona? Sanè hæc, & Spiritus Sanctus, quà per gratiam habitat in juſto, eſt etiam effectus aliorum Sacramentorum, ſignificantium pariter, vel gratiam ſimpliciter, vel etiam incrementum gratiæ, & charitatis, ſi vivorum ſint: ac proinde duntaxat convenire poſſunt Euchariſtiæ ſecundum prædicatum genericum; cum unio eorporis myſtici cum Chriſto Domino, de qua loquuntur hic laudati Patres, ſit Euchariſtiæ ſingularis effectus, eique competens penes prædicatum differentiale, penes quod eſt ſignum practicum illius, & ſub ea quoque ratione prçfatus nexus eſt res Sacramenti Euchariſtiæ, ut tale eſt. Rurſus hæc unio debet per ſe prçcedere, tametſi augeatur per dignam ſumptionem.

Inſuper nemini eſt dubium, immanentiam à Chriſto Domino promiſſam ſumentibus diſpoſitè Euchariſtiam, eſſe peculiarem hujus Sacramenti effectum; & ex alia parte compertum eſt, illam immanentiam ſignificari per unionem corporis myſtici cum Chriſto Domino, cujus eſt ſignum practicum Euchariſtia: Ita teſtatur S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. ſub fiuem: *Sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Corpus, & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur: aliud in unum ex multis acinis confluit*: verùm quo pacto per Euchariſtiam vaſtum hoc corpus, aut membra penè infinita redinguntur in unum, ſive copulantur, tum cum Chriſto Domino; tum inter ſe? *Denique*, proſequitur Auguſtinus, *jam exponit, quomodo id fiat, quod loquitur*, ſed rogamus nunc, quomodo? *Qui manducat meam carnem; & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*. Reſpondet S. Parens; immanentia ergo in corpore myſtico, & mutuò illius in ipſo, eſt res ſignificata ſingulariter per Euchariſtiam, quà ſpecie diverſam à reliquis Sacramentis; atque adeo quam cauſat formaliter per ſuum prædicatum differentiale. Aliunde immanentia illa, utpotè realiter permanens, involvere nequit integrum Chriſtum Dominum, eo quod deſinat eſſe ibi celeriter corpus, ad ſpecierum celerem deſitionem: eſt ergo permanentia realis ſpecialiſſima Verbi divini, & Spiritus Chriſti vivificantis activè immediatè per phyſicam, intimamque aſſiſtentiam corpus myſticum, *quia ſpiritus eſt, qui vivificat*. Hunc nexum (ultra reſurrectionem) deſignant proculdubio illa verba Canonis, factumque miſcendi Corporis Cbriſti Domini particulam cum ſanguine: *hæc commixtio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis &c.* cum ſpecies panis ſignificent & Corpus phyſicum, quod continent, & myſticum, quod neutiquam ibi continetur. Sanguis verò Chriſti Domini per ſe primò ſignificat animam, juxta phraſem perpetuam Scripturæ Sacræ. Significant igitur præfata verba unionem corporis myſtici cum anima Chriſti Domini, ex ipſoque ejus laterę, & corde exivit unio hæc divina, ejuſque ſignificatum, dum exivit ſanguis, & aqua, per quam Populi deſignantur.

Profecto nihil conſentaneum magis rerum naturis, quàm quod anima ſit; quæ realiter uniatur proprio corpori, ſi aliunde ſit diſpoſitum; corpus autem ritè communicantis eſt myſticum membrum, proprium, ſive proprium Corpus myſticum Chriſti Domini, cujus anima eſt capax, divina virtute ſibi conceſſa, aſſumendi omnia illa, exiſtendique ſimul in quamplurimis locis, & corporibus replicata. Cum enim verum plane ſit, Verbum divinum aſumpſiſse corpus proprium Chriſti Domini mediante anima, ut docent Theologi cum D. Thoma 3. par. qu. 6. art. 1. referente S. Parentem Auguſt. in Epiſtola ad Voluſianum; quid connaturalius, quamquod interventu ipſius animæ aſumeret corpus etiam myſticum ipſius? In quo ſenſu uſurpari valet illud Pauli cap. 2. ad Epheſ. *Ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem*; quod miro modo verificatur, per hoc quod eadem anima novi hominis ſit etiam in corpore myſtico inſtar formæ aſſiſtentis. Etiamſi ſenſus verborum per ſe primò unitatem utriuſque Populi deſignet; cum hac via ſtrictiùs obtineatur. Ejus igitur immanentia intra corpus myſticum eſt res Sacramenti Euchariſtiæ ſingularis, & propria, vi cujus licet non conſtituat phyſicè hominem illum, quem aſſumit, quia ſolum corpus ſuum phyſicum informat, & cum illo conſtituit hominem Deum; cum corpore myſtico tamen conſtituit intrinſecè hominem in ratione operantis ſupernatu-

Hhhh 2 rali-

raliter altiori modo, repræſentantiſque motorem intimè realiter illi aſſiſtentem. Et hanc unionem etiam ſignificare intendit Eccleſia in Sacrificio Miſſæ (ultra præcipuam aliam reviviſcentię corporis ejuſdem Chriſti Domini ad vitam actualem) dum particulam hoſtiæ conſecratæ mittit in Calicem, cujus ſanguis ſignificat animam Salvatoris, ut ſæpe dictum eſt, corpus autem naturale deſignat etiam myſticum. In quo ſenſu verè accommodantur illi verba Pſal. 86. *homo, & homo natus eſt in ea*, cum homo ille bis homo, ſit, teſte Auguſt. ibi, Chriſtus ipſe Dominus: verùm ut quid dicimus bis, penè infinities in acceptione ſecunda homo eſt, ad modum quo aberrarunt veteres Philoſophorum non pauci, rati, eumdem numero intellectum eſſe realiter in omnibus hominibus; utinam eſſet moraliter eadem in omnibus, aut concors voluntas. In eodem ſenſu Apoſt. ad Coloſ. 3. in unoquoque eximiè juſto agnoſcit duplicem hominem, & veterem, & novum; ita tamen ut operationes veteris exuat, (non ſubſtantiam) & novum induat; *homo* tamen & *homo*, tum natus, tum per lac rationabile acquiſitus.

SECTIO QUINTA.

Munitur ſententia noſtra fundamentis è ratione, ſuppoſita fide, petitis, congruentiiſque promovetur, & exemplis illuſtratur.

§. I.

Num. 74. EX reflexione intellectus lumine fidei irradiati ratiocinia plurima non exigui caloris ad inſtar ſcintillarum proſiliunt. Sit primum. Magnitudo amoris erga homines Chriſti Domini in Euchariſtia, ejuſque inſtitutione, tantæ intenſionis eſt, ut ad ſummum perveniret, terminumque ultimum pertingeret, quin creſcere poſſit, juxta ordinem hypoſtaticum, ordinatamque potentiam. At ſummus amor eſt ſummè unitivus, & aliunde non foret ejuſmodi, ſi non induceret realem permanentem unionem animæ Chriſti Domini cum ſuſcipiente debita præparatione Euchariſtiam. Ergo inducitur de facto unio hæc per dignum Euchariſtiæ eſum. Conſequentia legitimo, & nitidiſſimo curſu deſcendit: major non minùs perſpicua redditur ex conſenſu Scripturarum, Sanctorum Patrum, & Interpretum, loquendo de ſummitate amoris poſſibilis ad eum modum, quo dicitur ſumma beatitudo Humanitatis Chriſti Domini, tametſi infinita ſimpliciter non ſit (& amor ejuſdem animæ erga Deum) quin ſit poſſibilis, juxta præſentem providentiam alia intenſior. Namque ex verbis Joann. 6. *Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit*: uti & eis ibidem: *in me manet, & ego in eo*. Subinferunt Patres infinitudinem illam, aut magnitudinem ſupremam amoris, ut vulgus etiam novit, & inculcatum ſæpe audit, Chryſoſtomo præſertim clamante vehementiam illius amoris, pondusque immenſum fulgoribus deſcribente. Liquet ex Tertulliano libro adversùs Judæos cap. 14. ajente, liberalitatem, amoremque Chriſti Domini in hoc Sacramento *ſublimatum fuiſſe uſque ad conſummationem, & omnis conſummationis vidiſſe finem*. Rurſus *hic eſt amor amorum*, inquit Bernardus, *& Sacramentum Sacramentorum*. Unde Clemens Rom. inſtitut. 37. dixit: Euchariſtiam eſſe beneficentiam tantæ molis, *qua magnitudine ſua omne beneficium operuit*. Trident. ſeſs. 13. cap. 2. *Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias ſui amoris velut effudit*. Div. Thom. Opuſc. 58. cap. 5. *Magnum eſt dare ſe in ſocium, majus in pretium redemptionis, ſummum autem cum datur in cibum*. Et Albertus Patavinus ſerm. 249. ait: *Magna gratia fuit, noſtram carnem aſſumere: majus ipſam carnem pro nobis morti tradere; maximum eamdem carnem nobis manducandam reddere*.

Quamvis enim majorem charitatem nemo habeat, quàm qui ponit animam ſuam pro amicis ſuis; inſtitutio tamen hujus Sacramenti includebat voluntatem ipſam moriendi, cujus tunc erat ardens deſiderium (in ratione meriti conſummandum in Cruce) uti nunc flagrans memoria, & ſimul adjunxit exceſſum illum amoris. Si perſequi velim, non jam omnia, ſed potiſſima quęque Sanctorum Patrum, amorem hunc ad ſummum, extollentia, numquam finem tranſcribendi facerem. Adducam ſolùm verba Concilii Viennenſis, aut Clementis V. in eo, ut habetur in Clement. de Reliquiis, & Venerat. Sanct. *præcipuum, & inſigne memoriale ſui amoris eximii. quo dilexit nos*, & rurſus: *O Divini amoris immenſitas, Divinæ pietatis ſuperabundantia, Divinæ affluentia largitatis*, deinde: *cum tam copioſa fuerit erga nos beneficentia, volens adhuc ipſe in nobis ſuam exuberantem charitatem præcipua liberalitate monſtrare, ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens omnem plenitudinem largitatis omnem modum dilectionis excedens, attribuit ſe in cibum*. En amorem neſcientem modum. *Quis enim modus adſit amori?*

Minor autem continet duplicem partem, prima eſt, amorem eſſe per ſe eſſentialiter vim unitivam amantis cum amato, adeoque juxta menſuram amoris futuram magis, vel minùs ſtrictam conjunctionem, & ex conſequenti ubi amor creſcit ad ſummum, unio, quam invehit, à fortiori eſt ſumma illa, quæ poſſibilis ſit. Secunda eſt, vim amoris Chriſti Domini in Euchariſtia inſtituenda, nequaquam extituram ſummè unitivam, niſi conjunctionem realem permanentem animæ Chriſti Domini nobiſcum per Euchariſtiam efficeret. Prima pars complectitur doctrinam Philoſophis,

phis, Theologis, & cunctis prope hominibus indubitatam, quam ex Sancto Dionyſio de Divinis nominibus cap. 4. tradit Div. Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 1. *dicit Dionyſius de Divin. nomin. quòd amor quilibet eſt virtus unitiva*; ita etiam S. Auguſt. lib. 8. de Trinit. uti & ſæpiſſime Ariſtoteles, & quidem non tantùm affectivè formaliter exercetur per ipſummet actum amoris, ſed effectivè etiam, quateuus intendit, & infert unionem realem, quam poteſt; & quo ardentior fuerit, eo intimiorem conjunctionem efficit, ſi illa deceat, & poſſibilis extiterit: eſt enim virtus magnetica in amore, vi cujus vel duriſſimi objecti amati materiam ad ſe realiter trahit, ut illi inhæreat phyſicè: *Quid ferri duritia pugnocius?* inquit Plinius, *ſed cedit, & patitur amores: trahitur namque magneta lopide, dominatrixque illa rerum omnium materia, ut prius venit, aſſiſtit, teneturque, & complexu hæret.* Accioitque ille, cum dixit.

Et Lapides ſuus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

Num. 75. Propterea idem Sauctus Thomas Opuſc. 58. cap. 5. aſſeruit, Euchariſtiam dari nobis *ad ſummam unionem*. Diſtinctiùs attamen rem hanc verſat allegata qu. 28. art. 1. corpore, dum ait: *Duplex eſt unio amantis od amatum, una quidem ſecundum rem: puta cum amatum præſentialiter adeſt amanti. Alia verò ſecundum affectum, quæ quidem unio conſideranda eſt ex aprehenſione præcedenti*. Et poſtquam utramque per ſe intendi docuit, tam ab amore concupiſcentiæ, quàm ab amore amicitiæ, ſubdit: *Primam ergo unionem amor facit effectivè, quia movet ad deſiderandum, & quærendum præſentiam amati, quaſi ſibi convenientis, & ad ſe pertinentis. Secundam autem unionem facit formaliter, quia ipſe omor eſt talis unia, vel nexus: Unde Auguſt. dicit in 8. de Trinit., quòd amor eſt quaſi junctura quædam duo oliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur. Quòd autem dicit, copulans, refertur ad unionem affectus, ſine qua non eſt amor: quòd vero dicit, copulare intendens, pertinet ad unionem realem.* Deinde in reſponſione ad 2. poſtquam docet triplicem unionem concurrere ad amorem, primam ut cauſam illius, ſecundum quod eſt unio ſubſtantialis, aut ſimilitudinis: aliam formalem, quæ eſt eſſentialiter ipſe amor, ſive amicitiæ, ſive concupiſcentiæ, ſubjungit de tertia. *Quædam verò unio eſt effectus amoris; & hæc eſt unio realis, quam amans quærit de re amata, & hæc quidem unio eſt ſecundum convenientiam amoris. Ut enim Philoſophus dixit 2. Politicor. Ariſtophanes dixit, quòd amantes deſiderent, ex ambobus fieri unum; ſed quia ex hoc acciderent, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, & decet.*

Ex qua radice unitiva idem Doctor Angelicus in 4. diſtinct. 16. (ſupra laudatus) oſtendit congruentiam ſummam, & quaſi neceſſitatem quamdam præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia, ut per illam realiter acceptam conjungatur realiter cum hominibus, alioqui non futuram perfectiſſimam unionem inter Chriſtum Dominum amantem, & creaturam rationalem amatam, quantùm fieri poteſt in via. Ex quo rurſus argueretur defectus ſummi amoris in Divino illo amante; cum prius arguere liceat defectum caloris in igne (quem venit mittere, & accendere). *Dei perfecta ſunt opera*, arguit Sanctus Thomas, *ſed non perfectè conjungeremur Deo per Sacramenta, quæ nobis tradidit, niſi ſub aliquo eorum ipſe verè contineretur &c.* Hoc autem inevitabiliter infert conjunctionem permanentem animæ Chriſti Domini cum recipieute panem Cœli, deſtructis ſpeciebus, alioqui non futuram perfectam unionem, quantum capax eſt ſtatus viæ. Ex inſinuatis locis tamquam planè extra dubium colligit P. Vaſquez diſp. 204. cap. 4. ejuſmodi vim eſſe prædicatum intrinſecum amoris, ſeu ex natura ſua illi conveniens, ratione cujus neceſſariò propendet, tenditque, & enititur in realem unionem, quantum fieri poſſit: *amor*, inquit, *ſuapte natura contendit ad unionem realem amantium inter ſe, eo modo, quo fieri poſſit*. Et Cardin. Cajetanus in 1. 2. quæſt. 28. art. 1. ad 3. exponens differentiam, quam ibi conſtituit S. Thomas inter cognitionem, & amorem, *cognitum unitur intelligenti ſecundum ſimilitudinem; ſed amor facit, quòd ipſa res, quæ amatur, amanti aliquo modo uniatur, ut dictum eſt: unde amor eſt magis unitivus, quàm cognitio*, inquit, *ſi conſiderentur omnes unitates, quæ concurrunt ad amorem; ſic amor magis unit, quàm intellectio: quoniam conſatiens eſt unionis realis; ſed ſi comparentur amor, & intellectio ſecundum illam ſolam unionem, quam facit formaliter, ſic intellectio magis unit, quàm amor ... Unde cognitio videtur magis unitiva formaliter, amor autem effectivè. Sed quia unia communiter non eſt niſi realiter, dicitur, quòd amor eſt vis unitiva, & quòd eſt magis unitivus, quàm cognitio.*

Ex quibus evidenter deducitur, unionem realem amantium eſſe finem potiſſimum amoris, ut practicè obtinendum, ſi vires habeat ad ejuſdem aſſecutionem; vel ut purè intentum ſaltem, ſi vires non ſuppetant ad exequendum nexum realem: quas omnes alioqui libenter exerit, quio & prodigit, ut objecto amato potiatur, quantùm valet, & quantùm decet. Inde autem fit, immenſitatem amoris Chriſti Domini in morte ſubeunda reſpexiſſe tanquam proprium effectum, ultra ruinam peccati (quod eſt impedimentum unionis animæ cum Deo) formare Corpus Eccleſiæ mundiſſimum, quod uniretur intimè capiti ſuo, alereturque ejus carne, & Sanguine, tanquam eſca Cœlitum, ut ingenioſitate illa

Cha-

Charitatis permanere poſſet realiter in nobis per Verbum intimè ſpecialiſſimè nobis conjunctum, per Chriſti Domini animam, veluti per formam aſſiſtentem; cum æquum videatur, proprium, & verum Corpus Chriſti Domini, cujuſmodi eſt myſticum, participare in ſenſu aliquo reali animâ illius, cujus eſt Corpus; alioqui, etiam dum vivat per gratiam præciſivè ab Euchariſtia, erit quidem Corpus vivum in ordine ſupernaturali; in eodem tamen ordine prorſus inanime.

Num. 76. Non abſimilem illationem præcedenti ex Doct. Angelico, & aliis deductæ, colligo ex Doct. Seraphico in 4. diſt. 10. art. 1, qu. 1. part. 1. ubi præſentiam realem Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſtatuit; cum enim ſibi objeciſſet 6. *Deus Chriſtus æquè benè operatur, ubi non eſt ſecundum præſentiam Corporis, ſicut ubi eſt. Ut patet in filio Reguli: unde reprebenditur Regulus, quia corporalem præſentiam quærebat: ergo nulla eſset ibi utilitas.* Reſpondet; *præſentia Corporis non auget Dei virtutem, ſed congruum eſt, quòd Dominus ex ſua præſentia corporea aliquod munus ſpecialius tribuat: & licet non valeat illi, qui credit, eum non poſſe operari, niſi ubi eſt corporaliter, multum valet, ſicut valuit Zachæo præſentia Corporis Chriſti.* Sicut igitur ratione corporalis præſentiæ Chriſti Domini debentur religiosè illum ſuſcipienti uberiora auxilia, diſpenſanda temporibus opportunis, & propterea *multum valet* ea præſentia realis, tametſi tranſitoria, & ſeipſa labilis unà cum accidentibus: præſtatque multùm ratione illius Euchariſtia cæteris Sacramentis. Ita à fortiori, ſi deſtructis ſpeciebus perſiſtat realiter intra pectus communicantis anima Chriſti Domini ut inſtrumentum Verbi, tamquam forma aſſiſtens, & motor aſſumens, debebuntur juſto illi ob novum realis præſentiæ titulum, ob aſſiſtentiam animæ deificati Chriſti Domini moventis, ſubſidia uberiora, quàm debeantur titulo ſolius conjunctionis materialis, quæ deſinit. Cum exploratum ſit, conjunctionem materialem tranſeuntem, ſimul cum immanentia, & conjunctione reali animæ Chriſti Domini permanenter, & intimè aſſiſtente præſtare ſoli materiali conjunctioni celerrimè deſinenti. Ergo ſi ratione illius materialis, & fluxæ præſentiæ; conjunctioniſque, congruentiſſimum putat Doct. Seraphicus, quòd uberior auxiliorum copia diſpenſetur, & ob id ipſum exiſtimat convenientiſſimam eam præſentiam realem, ejuſdemque inſtitutionem; neceſſariò eodem titulo congruum erit, ut ratione præſentiæ ex ſe permanentis perpetuò animæ Chriſti Domini aſſiſtentis intra cor, debeantur præſtantiora auxilia, & gratiæ, quàm ratione ſolius materialis unionis citò abeuntis. Corpori nanque aſſumpto à Verbo Divino, & ab anima Chriſti Domini non erunt debita plura dona, quàm Corpori illa deſtituto?

Ex quo rurſus arguitur pariter congruentia exiſtentiæ realis nexus animæ Chriſti Domini cum Corpore myſtico eodem ſilo, quo arguitur congruentia Inſtitutionis Euchariſtiæ ob effectum illum præſtantiorem. Jam verò ſecunda pars majoris præcedentis in aperto poſita, & pervia cunctis eſt, ex dictiſque patet: cum enim manifeſtum ſit, præſtantiorem unitatem, ſive conjunctionem eſſe illam, quæ ultra materialem, & fluxam importat altiorem aliam realem, & permaneotem, animæ videlicet Servatoris noſtri cum maoducante ipſum condignè; æquè manifeſtum foret, amorem Chriſti Domini non induxiſſe ſummam unionem, quam poſſet, ſi ſolam materialem efficeret, ubi illa præſupponitur divinitus poſſibilis.

Dices: concipi poſſe ex ſe poſſibilem nexum illum, & nihilominus non decere, aut non expedire ejus exiſtentiam; in quo eventu neutiquam ex ſumma vi amoris elicitur conſimilis unio, tametſi ſecundum ſe ſimpliciter poſſibillis: cum juxta Philoſophum 2. Polit. ſupra relato, ſolùm ea unio, *quæ decet, & convenit*, tribuenda ſit perfecto amori. Quid enim? Num fas erit, quod divinus amor vileſcat, aut deturpetur eo fine, ut ejus virtus unitiva oſtendatur? Redargutio tamen hæc, aut reſponſio, eſt planè voluntaria, utpote omni, vel leviſſimo, fundamento deſtituta. Eſtque inſuper prorſus falſa: nullus ſiquidem non videt, intimam realem perpetuam conjunctionem animæ Chriſti Domini cum Corpore ſuo myſtico illud ad ſe ſumentis ad inſtar motoris, & gubernantis, intimèque adſtantis per modum formæ aſſiſtentis, eſſe nobiliſſimam, ſummè proficuam, atque adeo ſummè convenientem nobis, & ex conſequenti ſummopere decentem ſummam majeſtatem amoris, & amantis. Cum apud graves Theologos non dedeceat eſſentiam divinam uniri per modum formæ mentibus Beatorum. Cum vel pro ſtatu viæ intimior alia unio Dei cum anima juſti reperiatur interdum, juxta nonnullos, uti ex illuminatiſſimo P. Godinez vidimus ſupra. Neque defuere qui unionem alicujus ſpeciei illapſus inter Deum, & animam eximia ſanctitate præditam admiſerint. Quo jure autem dedecere poteſt animam Chriſti Domini conjunctio realis, quæ magnopere decère Deum creditur à multis? Et aliunde præfata unio aſſumptiva eſt in ſe puriſſima, utpote Verbi, & animæ Chriſti Domini cum corde, & anima noſtra, ut illam moveat, regatque per vitam ſupernaturalem, ut per ejus operationes vitam ipſam Chriſti Domini repræſentet, & exprimat. Quid hac unione puriùs? Quid ſanctiùs, aut ſublimiùs? Conjunctio realis Corporis Chriſti Domini cum noſtro puriſſima eſt, decentiſſimaque, & conjunctio animæ ejuſdem cum noſtra mundiſſima non erit undique? *Decebat* Chriſtum Dominum nobiſcum uniri media Euchariſtia,

mi-

Digitized by Google

miro quodam modo, ajebat Cyrillus Alexand. ſect. 1. §. 1. laudatus.

Num. 77. Quapropter Ariſtoteles ibi, & ex eo D. Thomas, loquitur vel de unione, per quam uterque amantium, vel alteruter deſtrueretur, ut ibidem explicat Ariſtoteles (quæ unio re ipſa confunditur cum impoſſibili, cum uno deſinente, aut utroque, repugnet jam amborum unio) vel loquitur de turpi alia conjunctione, quam dedignatur juremerito honeſtas amoris. Præterea ubi fatendum omnibus eſt, magnopere decere Chriſtum Dominum ſeipſum realiter conjungere hominibus per modum cibi, & potus, neceſſaria conſecutione fatendum erit identidem, & convenire, & decere quammaximè, quòd cibus ille nutriat animam, cujus eſt cibus. Siquidem cibus nutrit dum ſe convertit in ſubſtantiam aliti permanenter, formam viventis, quem cibavit, in ſe recipiens per intimam unionem. Niſi quod in re noſtra cibus ipſe, ut ſæpè diximus, & ſæpius adhuc dicendum eſt, utpote vivus, vivaciorque manducat potiùs ſumentem ipſum, dumque inſerit illum ſtrictiùs ſuo Corpori myſtico, copulat eumdem cum anima potiſſimè manducantis, ſcilicet Chriſti Domini.

Præterea ipſe communicans, per hoc quod immanentem in ſe habeat animam Chriſti Domini convertit aliquatenus cibum in ſuimet ſubſtantiam; non quia copulet ſibi materiam cibi per unionem cum propria anima, ſed quatenus unit formam ipſius cibi viventis, animam nimirum Salvatoris, animæ ſuæ. Et quamquam id conveniat pariter cibo naturali tranſmutato; cæterum ille nec eſt jam tunc per ſe ſuppoſitum, nec capax activę manducationis. Secus verò juſtus ſuſcipiens Euchariſtiam.

Si rurſus dixeris, nexus illos animæ Chriſti Domini cum animabus fidelium eſſe miraculoſos, utpote replicantes infinities eamdem animam, & quidem ſimul Corpori phyſico unitam, & ab eodem ſeparatam. Fatebimur libenter eam miraculorum multiplicitatem; Cæterum eamdem cum doctrina fidei agnoſcere debent omnes in modo exiſtendi ſacrameotali Chriſti Domini, & in exiſtentiarum replicatione; & nihilominus illa induxit amor; cur igitur non etiam hæc, præcipuum Euchariſtiæ effectum conſtituentia?

Neque refert, quòd inde ſequatur, animam Chriſti eſſe unitam proprio corpori phyſico in Cœlo, & ſeparatam negativè in terris, ut latè expendam ſect. ult., & docuit ſupra Nyſſenus expreſsè. Nequidquam pariter dices, amorem Chriſti Domini eſſe intrinſecè limitatum; licet præſupponatur ſummus inter actus, quos elicere valeat ejus humanitas Sacroſancta. Quoniam etiam effectus ille unionis eſt in ſe finitus; & quamvis Verbum, quod eo ipſo copulatur mediatè nobis (ratione animæ Chriſti Domini) ſit infinitum; unio tamen illa mediata, & minùs propria, limitata itidem eſt. Accedit quòd licet actus amoris inſtituens Euchariſtiam finitæ intenſionis fuerit in ratione amoris; in ratione tamen meriti, fuit ſimpliciter infinitus, (uti & eſt infinitè æſtimabilis) promeruitque omne præmium poſſibile, etiamſi tantùm divina virtute poſſibile ſit: ex ea autem ſuppoſitione potuit quamoptimè amor Chriſti Domini effectum illum inducere: invehit quidem illum indefectibiliter, ubi adſit debita diſpoſitio, & veluti redamatio ex parte ſuſcipientis, ut ſit effectus non tantùm amoris, ſed amicitiæ, qua ex parte ſubjecti poſtulat redamationem, non ut faciat, ſed ne impediat. Amicitia ſiquidem complectitur amorem mutuum, verum ſanè, non ſimulatum, aut malè ſidum, cujus extitere færaciſſima plerumque ſæcula omnia. Energiam hujus amoris, & argumenti explicat in ſimili P. Leſſius de Perfect. divina lib. 12. cap. 11. *Amor enim Dei*, inquit, *eſt omnipotens, ac proindè efficax ejus, quod vult. Sicut ſi Rex, qui vult aliquem adoptare, eſſet omnipotens, poneret in illo animam ſuam, eumque hoc modo filium ſuum conſtitueret. Quo caſu illa adoptio eſſet multo perfectior, quàm ſit modò: adoptatus enim eſſet ſimilis filio naturali, & ejuſdem naturæ quodammodo particeps, cujus ipſe adoptans.* Facinus hoc, quod omnipotens amor feciſſet in hypotheſi apud Leſſium, efficit de facto, juxta ſententiam noſtram, amor Euchariſticus omnipotentiſſimus juxta ac ſummus: & ſanè, cum reperiantur ea, quæ hypotheſis ſuppouit; deducenda omnino de facto eadem conſecutio.

Ex hac autem doctrina deſumi poteſt ſenſus opportunus illius peregrinæ comparationis Cant. Cant. 8. *fortis eſt ut mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio*, in qua illico aſſurgit difficultas, aut, improprietas conferendi amorem ex ſe unitivum extremorum cum morte ex ſe neceſſariò illa ſeparante. Cui difficultati naturali modo occurritur per ſententiam noſtram: comparatur enim amor Euchariſticus morti, quatenus ſeparat aliquatenus animam Chriſti Domini à corpore phyſico prout in Euchariſtia exiſtente; eo quod illud deſinat corruptis ſpeciebus, anima tamen ſubſiſtat in corpore myſtico, ut cum ipſo intimè copuletur: & penes primam partem ſeparationis jure merito confertur cum ſeparatione per mortem cauſata (ſervata proportione) Idcirco prius quàm ſententiam illam proterret dixerat: *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt &c.* Si namque ſigillari Sponſum in corde Sponſæ eſt ipſi intimè conjungi, quo pacto comparat eam unionem morti dividenti? Quia ut animam Sponſi uniat amor corpori myſtico, & cordi Sponſæ, debet illam, modo explicato, ſeparare à proprio corpore phyſico, prout latente ſub ſpeciebus; dum hæ deſinunt; illa tamen ſeparatio fit, ut ex illa ſequatur hæc realis conjunctio, & ideo forſan adjunxit comparationem aliam, *dura*

ſicut

ſicut infernus æmulatio &c. quaſi inter corpus phyſicum, & myſticum inventus amor, adhæreret huic, illud in ſenſu aliquo, non abſque utriuſque veluti contentione, deſerens, & in utroque vincens, cum phyſicum ibi deſinat, ut myſticum animam obtineat.

Num. 78. Robur addit facto ratiocinio ſecundum, & affine valde, quod in hunc modum expendo. Donum Euchariſtiæ talis magnitudinis eſt, ut nullum majus beneficium largiri poſſit hominibus pro ſtatu viæ infinitudo divinæ bonitatis, nec adhuc excogitari poſſibile, juxta præſentem ordinis ſupernaturalis providentiam, quin nec ſimpliciter in ea linea omnibus communi; quidquid ſit, quòd in ſpecie, aut linea diverſa majus aliquod cogitetur. At nullo pacto foret ejuſmodi, ſi Euchariſtia ultra conjunctionem materialem, & tranſitoriam, non introduceret unionem perſiſtentem à nobis aſſertam. Ergo illam invehit, adeòque noſtram, ut intulimus ſæpè. Ut major oſtendatur recolenda breviter eſt reflexio ſupra facta, quòd nimirum voluntas inſtituendi Euchariſtiam includat eſſentialiter moriendi volitionem, meritumque Crucis, in qua conſummata fuere merita cuncta. Ulterius Euchariſtia non ſolùm repræſentat ſacrificium Crucis, ſed & eſt ejus applicatio, tum quà ſacrificium, tum quà Sacramentum. Nunc autem oſtenditur major ex Zachar. 9. *Quid bonum ejus, aut quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quæ verba ferè ad literam intelligenda de Euchariſtia Sacra monent Interpretes, & docuere Patres; *nonniſi electorum eſt cibus*, ait S. Paſchaſ. de Corp. & Sang. Chriſti Domini cap. 21. *Ex quo bonum ſalutis Eccleſiæ, & pulchritudo Corporis præſtatur*. Quocirca legitimè arguitur exinde, quòd ille, qui tantum bonum nobis ſumma magnificentia contulit, nihil umquam pro nobis efficere ſit recuſaturus, ut ſubinſert S. Chryſoſtomus Homil. 22. ad Populum. *Qui enim Sanguinem ſuum pro nobis fudit, rurſus ipſum Sanguinem, nobis communicavit, nihil pro ſalute noſtra recuſabit*. Quaſi diceret, cum illud ſit beneficium omnium maximum, qui largitus eſt ipſum, quomodo minoris momenti alia denegabit? Idem ſignificant verba illa Geneſ. 27. *Frumento, & vino ſtabilivi eum, tibi poſt hæc, filii mi, ultra quid faciam?* Quem locum exponens S. Paſchaſ. ubi nuper, inquit: *hoc eſt apertè dicere, firmavi eum pane Corporis Chriſti, & vino Sanguinis; tibi autem ultra quid faciam? Putas ne, ſi fueris indigens tanta gratia; ullis quod polleas bonis, ultra quam nihil amplius in hac vita præſtatur?* Relege Clementinam unicam de Reliq. & vener. Sanct. ubi appellatur *mirabile, ſtupendum, rariſſimum, ac ſuper omnia pretioſum* beneficium; *ò ſingularis, & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum datore? Quam larga & prodiga largitas?* Finem numquam videret Tractatus iſte, ſi cuncta, quæ circa ſuaviſſimam hanc materiam pronuntiantur à Patribus, recenſenda forent. Immò ſi præcipua delibanda eſſent, retardaretur nimium curſus Diſputationis, aggere quidem erudito, ſed otioſo.

Pariter redundare putamus prolixam minoris probationem: eſt ſiquidem res perſpicua, & extra arenam poſita, longè majus beneficium futurum nobis, utiliuſque multò donum, ſi ultra conjunctionem realem, tranſeuntem citò, Corporis Chriſti Domini cum recipiente, invehat per ſe unionem realem, duraturam ſemper ex ſe, ejuſdem ſervatoris cum anima, & corde juſti, ipſum Chriſtum Dominum ſumentis; quàm ſi ſolam primam materialem conjunctionem intenderet, & efficeret. Non eſſet igitur ſummum beneficium, quod in ea linea, & ſpecie fieri poſſet, ſi hanc ſecundam unionem non reſpiceret, & induceret; nonne hanc ipſam utilitatem noſtram præſtantiorem, & exceſſum majorem effectus bonitatis divinæ, non prævidebat Chriſtus Dominus, dum Euchariſtiam inſtituit? *uſque adeo deſipiendum eſt*, inquit S. Auguſt. lib. 1. contra Adverſ. legis, & Proph. *ut videat homo, melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum non putet vidiſſe, & credat, facere noluiſſe, aut voluiſſe quidem, ſed minimè potuiſſe? Avertat hoc Deus à cordibus piorum.* Vis picturam penicillo Dei expreſſam corrigere, vel in ea lineam aliquam ulteriorem deſideres, cum in pictura Apellis peritus in arte non auderes; maximè dum in pergula ipſe latitaret?

Nu. 79. Neque ideo contendimus, Deum teneri ſemper ad efficiendum id, quod optimum ſit, vel quod nobis convenientius: eſt enim hoc planè abſurdum, ut demonſtrat Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. cap. 11. Valdenſis adversùs Wiclephum lib. 1. doctrinal. fidei antiquæ, & ex utroque Doctor Eximius tomo 1. de Incarn. Diſput. 4. ſect. 2. cæterique Scholaſtici, ſi de optimitate ſimpliciter ſermo ſit; quantumvis omnimoda ſemper neceſſitate perfectiori modo, ſeu perfectiſſimè quoad modum operetur. Uti & neceſſariò pariter efficiat quidquid rationabilius ipſi apparet, tametſi liberrimus nihilominus ſit, ut ſuaſimus Diſp. 14. ænigmat. Theolog. ſect. 2. Neque inſuper opinamur, Deum eo ipſo, quòd effectum alicujus lineæ genericæ producere decernat, obligari ad optimum illius lineæ, ſive ad individua ſublimioris ſpeciei ſub ea incluſæ producenda ſolùm; alioqui cum præordinaſſet Angelorum creationem, debuiſſet omnes altioris ordinis tantùm creare, ſi poſſibiles credantur præſtantiores alii ſpiritus, & ſpecies eorumdem, de facto exiſtentibus. Dicimus itaque ſolùm, quòd ubi aliunde nobis conſtat, effectum productum in aliqua linea, vel ordine, ſive beneficium, eſſe præſtantiſſimum, ſummumque omnium, qui intra præfatam lineam exiſtere poſſunt, ut contingit in re ſubjecta, conſtatque ex numero præcedenti; tunc nul-

lam

Digitized by Google

lam veram perſectionem excogitabilem eſſe, quæ illi non attribuatur. Aliter caderet ab ea ſumma altitudine, in qua præſupponitur, minúſque efficeret, pollicereturque Deus, quàm cogitare poſſet intellectus humanus. Et cum bonum ſit diffuſivum ſui, ubi bonum conceſſum ſupponitur ſummum in ea linea, avara negatione non efficeret Deus ejus ſummam communicationem. In qua duntaxat acceptione putamus, locutum fuiſſe S. Auguſt. dum lib. 3. de libero arbitrio dixit: *quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc ſcias feciſſe Deum, tamquam bonorum omnium conditorem.*

Hinc autem legitimè deducitur, perperam illaturum ex doctrina noſtra, qui argueret, ſequi ex illa, per Euchariſtiam dignè ſumptam copulari homines hypoſtaticè Verbo Divino. Tum quia unio per Euchariſtiam cauſata, debet eſſe ſumma proportionatè, & comparativè ad extrema, quæ connectit: & aliunde communicans præſupponitur conſtitutus in ratione Perſonæ, & ex conſequenti incapax ulterioris Perſonalitatis. Tum quia derogaretur ſingulari, & eximiæ dignitati Chriſti Domini ea unionis hypoſtaticæ multiplicatione, ut docuit S. Thomas 3. par. qu. 4. art. 5. ſummus autem honor eſt, quantum per Euchariſtiam haberi poteſt, quod Verbum per Chriſti Domini animam, tamquam per organum ſibi conjunctum, proindeque ſeipſo immediatè etiam ut ſuppoſito illius, & quà eo ipſo intimè ſingulari modo, præ aliis Perſonis Divinis, fit præſens juſto, aſſumat ut motor myſticum illud mobile. Tum quia Euchariſtia eſt verè cibus, cibi autem proprius effectus, & immediatus, non eſt ea unio, ſed eum forma aliti. Pariter foret inepta reflexio illius, qui opponeret, inferri ex argumento facto, Euchariſtiam dignè ſuſceptam debuiſſe illico cauſare in nobis unionem, viſionemque beatam. Siquidem beatitudo non componitur per ſe cum ſtatu viæ, cujus eſt propria Euchariſtia; pro vita autem futura illam ſuo tempore inducit: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Rurſus unio Beatorum cum eſſentia Divina non eſt per ſe terminus immediatus nutritionis, inſtar cujus cauſat Euchariſtia ſuum effectum; quamvis ſit finis ultimus nutriendi, aut nutrimenti hujus effectus. Ad eumdemque modum ſuccidendæ ſunt conſimiles captiones, quæ Sophiſtarum arma propria ſunt ad fallendum comparata, non ad verè pugnandum; cum in hoc præliandi genere ſola in hoſte requiratur virtus, numquam dolus.

Num. 80. Ab extenſione Incarnationis per Euchariſtiam facta, & firmo conſenſu Patrum, Theologorumque admiſſa, deſumam tertium ratiocinium, efficax admodum, ſolidumque. Euchariſtia eſt in aliqua propria acceptione, quantumvis non planè rigoroſa, extenſio myſterii Incarnationis; ſed ejuſmodi non eſſet, ſi vera non foret aſſertio noſtra. Illa igitur tenenda eſt, & juxta ipſam ſentiendum. Major adeo frequenter apud Patres, Expoſitores, & Scholaſticos legitur, ut nihil aliud frequentiùs in eis inveniatur. Ita loquitur S. Ambroſius lib. de iis, qui myſteriis initiantur, & lib. de Sacrament. (quem locum adducit S. Thomas 3. q. 75. art. 4.) ſic Auguſtin. relatus in cap. *utrum ſub figura* 72. de conſecr. diſt. 2. & ex illo S. Paſchaſ. Rabanus, & Alger. Sic Doctor maximus ad illa verba Pſalm. 84. *terra noſtra dedit fructum ſuum*, ubi ait: *nolite deſperare, quod ſemel natum eſt ex Maria, quotidie in nobis naſcitur: & nos poſſumus parere Chriſtum ſi volumus, & terra noſtra dabit fructum ſuum, de quo fiat cæleſtis panis, de quo dicitur: ego ſum panis, qui de Cælo deſcendi*: ubi per *to, quotidie in nobis naſcitur,* intelligi debet idem ac *in nobis concipitur*, alioqui non adjunxiſſet, *poſſumus parere Chriſtum* t cum repugnet Matrem parere jam natum; ſed conceptum prius, in lucem deinceps emittit. Quemadmodum Math. 1. dicitur: *Joſeph filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: Nondum autem natus erat Chriſtus Dominus, & propterea ſubjungit illico: *pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*. Idem igitur ſonat ibi *natum*, ac incarnatum, aut conceptum.

Sic Magnus Gregorius in ſententia illa, quæ tribuitur etiam Auguſtino, quæque conſtat potiùs traditione, quàm eorum ſcriptis: *o veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in Utero Virginis filius Dei incarnatur*. Sic Chryſoſtom. Homil. 45. in Joan. *Quo certè* (myſterio Euchariſtiæ) *non ſolùm Incarnationem ſuam extendit, ſed etiam ſuam mortem, ſic dixerim*. Ubi extenſionem Incarnationis per Euchariſtiam ſupponit exploratam. Sic Juſtinus Martyr Apologia ſecunda ad Antoninum Imperatorem. Et quia naſci per Euchariſtiam in nobis præſupponit Incarnationem aliquam in nobis factam, confundunt interdum Patres utramque, ut nuper vidimus in Hieronymo; conſtatque ex Gregorio Magno Homil. 8. in Evang. *qui benè in Bethelem naſcitur: Bethelem quippe domus panis interpretatur: ipſe namque eſt qui ait: ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi. Locus ergo, in quo Dominus naſcitur, panis antea vocatus eſt, quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes æterno ſanctitate reficeret*. Et quia in Utero Deiparæ carnem ſumpſit, ex illoque natus eſt panis hic cœleſtis, dicitur de illo Cant. Cant. 7. *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis*. Ideo S. Paſchaſ. de Corp. & Sang. Dom. cap. 11. appellat *natalem Calicis* potum Euchariſticum, uti & pariter Radbertus Abbas conſecrationem dicit Calicis natalem, ſicuti refert Bonucc. Ephemer. Euchar. die 15. Februarii. Utramque locutionem conjunxit Salmeron tom. 9. tract. 26. pag. 246. dum

ait : *cum ſemel tantùm ſit Incarnatus, non ſemel, ſed infinities conſecratio, quæ velut quædam incarnatio eſt, repetitur. Hæc eſt Bethlehem, ideſt domus panis, ſeu Eccleſia, in qua panis, qui de Cœlo deſcendit, in Hoſtiam tanquam in Virginem, in qua nihil fuit fermenti, per Spiritum Sanctum in lucem editur, & ex viſceribus panis, tanquam ex viſceribus Mariæ gignitur*. Communis attamen Patrum ſententia Euchariſtiam dicit extenſionem Incarnationis, quaſi per illam ſæpiſſimè novam carnem aſſumeret Verbum. Propterea S. Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3. ad tertium, comparat Incarnationem, & tranſubſtantiationem inter ſeſe, & utramque ſub diverſis conſiderationibus ſuperatam ſimul, & victricem facit. Pariterque Doctor Seraphicus in 4. diſt. 10. part. 2. art. 1. q. 2. in concluſione, inſtituta eadem collatione præmiſſaque aliqua hujus comparationis acceptione, ſub alia docet, ſe habere myſteria hæc *ſicut excedentia, & exceſſa* mutuò. Et ſanè juxta noſtra principia in myſterio Incarnationis Verbum aſſumpſit hypoſtaticè unicam Humanitatem in gremio puriſſimo Deiparæ; per Euchariſtiam verò aſſumit, non ſanè hypoſtaticè, ſed realiter formaliter ſimul cum anima Chriſti Domini omnem hominem condignè accedentem ad menſam Euchariſticam ad exprimendum in homine aſſumpto ipſum Chriſtum Dominum, & veluti ad alium Chriſtum efficiendnm in ordine ſupernaturali; ad eumque idcirco elevandum aſſumptioue illa phyſica ad ordinem quodammodo hypoſtaticum. Illa fuit aſſumptio ſtrictior, & longè altior, verùm ſingularis; hæc eo mirabilior, quò ſuamet communicatione vulgarior fit: utraque tamen facinus brachii omnipotentis. Utraque mirabile argumentum potentiæ amoris. Ex quo fit, neceſſariò Verbum Divinum mitti denuò à Patre, qui primò miſit illud ad carnem ſumendam: *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere* (ad Galat. 4.) ſicut enim juxta Divum Thom. 1. p. q. 43. art. 6. Spiritus Sanctus mittitur denuo ad juſtum, dum ille novum gratiæ augumentum ſuſcipit, vel extenſionem peculiarem gratiæ, ac novos eximioſque effectus, ſive actus, ut ex eodem D. Thoma colligit D. Exim. de Trin. lib. 12. cap. 5. ita à fortiori, & à re omuino pari, in extenſione hac Incarnationis, filius, qui primò fuit miſſus ad naturam humanam ſibi copulandam per Incarnationem, mittitur denuo peculiari jure ad ſumendum ad ſe mediante anima Chriſti, & ſimul cum illa Corpus myſticum illud, quod iohabitare novo modo incipit, & ex ſe numquam deſerit.

Num. 81. Probatio minoris, tametſi demonſtrativa eſſe nequeat, cum modus uſurpandi eam extenſionem eſſe poſſit multiplex, varius, & per metaphoricas locutiones diverſimodè expreſſus; ſi tamen proprietatem aliquam in eo loquendi, & explicandi Euchariſtiam modo, Patribus, & Theologis familiariſſimo agnoſcas (uti debes), recta conſecutione videbis ſubillatam inde aſſertionem noſtram. Quòd verò extenſio præfata Incarnationis proprium aliquem ſenſum ſortiri debeat (non enim requiritur omnimoda æqualitas, ſicut nec præfata in omnibus ſimilitudo ad proprietatem loquendi, aut comparandi, ſicut notavimus ex D. Thoma 2. ſecundæ qu. 105. art. 2.) extra aleam controverſiæ repoſitum eſt; aliter conſpiraſſent uno velut ore Eccleſiæ Patres, & cuncti Sapientes in dicendi, & opinandi modum planè improprium, & quaſi diſparatum. Jam verò per extenſionem minùs aptè intelligunt plures cum Salmerone conſecrationem ipſam, per quam ponitur confeſtim ſub ſpeciebus Corpus Chriſti. Quandoquidem licet conſecratio importet novam actionem quaſi creativam, & reproductivam Chriſti Domini, nonniſi per acceptionem ſummè laxam, & ab omni proprietate alienam appellari valet extenſio Incarnationis. Ratio eſt, quoniam illa potiùs eſt repetitio actionum, ſive productionum rei, quàm extenſio rei ipſius. Incarnatio ſiquidem, cujus Euchariſtia eſt extenſio, non deſumitur ſolùm pro actione ipſa purè activè uſurpata, ſed involvit neceſſariò paſſivam, terminumque actionis, ac ſubinde myſterium per actionem miraculoſam factum; myſterium autem ipſum nullo pacto extenditur, aut dilatationem ullam recipit per hoc, quod res in illo contenta pluribus actionibus, etiam adæquatis producatur: ſed per hoc quod myſterium ipſum ex parte rei terminantis actiones aliquid de novo acquirat, myſterium ipſum redolens, & ad inſtar illius comparatum, vi cujus Incarnatio facta in ſingulari Humanitate extendatur quodammodo ad alias in aliquo ſenſu proprio: & tunc actio productiva illius termini denuo advenientis, quique æmulatur primam, dicetur activa extenſio Incarnationis; quia ex parte termini reperitur formaliter extenſio; & propterea dum ex parte rei termioantis actionem, nulla formalis extenſio reperitur, nec pluralitas actionum, quæ ad rem terminatur, appellari valet jure extenſio activa.

Si dixeris Verbum quaſi iteratò incarnari per actionem illam reproductivam; inſufficientem evaſionem quæris: Siquidem admiſſa etiam ea locutione, iterata incarnatio in nullo proprio ſeuſu eſt extenſio formalis incarnationis, ut nuper dicebam: quemadmodum iterara nativitas, ſive iterum naſci, eſt quidem renaſci; non eſt attamen vera aliqua nativitatis extenſio. Deinde conſecratio nulla vera ratione ſimilitudinis efficit Verbum incarnare, ſed efficit, ut Verbum jamdiù caro factum ſecundum quod conſtituit Perſonam Chriſti Domini, ſive prout incarnatum, aut Humanitas jampridem à Verbo aſſumpta, exiſtat replicata in altari. Unde veriùs, propriùſque dicitur

per

per conſecrationem renâſci, aut naſci iteratò Chriſtum Dominum in altari, quàm Verbum iterum carnem in altari ſumere. Et ideo nonnulli Patres, quos ſupra produximus, qui nativitati potiuſquam incarnationi comparant Euchariſtiam, loquuntur plerumque de conſecratione, ponente Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus; non de ipſa Euchariſtia, quà ſuſcepta à nobis. Id claret ex Sancto Fulgentio, qui dum quæſtionibus à Monimo propoſitis reſpondit, inquit lib. 3. cap. 4. *Idem Deus homo, qui ſemel natus eſt ex Virgine, quotidie nobis in altari naſcitur*. In altari veluti denuo naſcitur, denuo in lucem prodit, licet velatus; in pectore ſumentis quaſi iteratò carnem aſſumit. Vel ſi aliquis in eum ſenſum accipiendus ſit, loquitur de externis vitæ ſupernaturalis operationibus, per quas Chriſtum Dominum imitamur, & repræſentamus, quæ nativitas præſupponit ejus Incarnationem in nobis per Euchariſtiam; vel dum ipſum parere in aliis ſtudemus, in quo ſenſu Chriſtus Dominus ipſe dixit, futuram, qui id fecerit, Matrem ſuam. Si Incarnationem extendere putes, quatenus novum ubi, novum quaſi locum adquirat per conſecrationem; erit hæc pura extenſio in ordine ad locum, & quidem ad locum inextenſum, quæ neutiquam facit extenſionem Incarnationis, adhuc per metaphoram dignam. Quemadmodum ſi Chriſtus Dominus, dum eſſet in ſtatu paſſibili fingeretur exiſtens ſimul circumſcriptivè in pluribus locis, diſſitiſque regionibus, non ideo conciperetur extendens Incarnationem ſuam, ſed locum tentorii, & Divini illius Tabernaculi. Sic dum operatio conſpicua, & heroica vulgatur, perque hominum ora volitat, non extenditur virtus Herois, ſed fama virtutis: ut autem virtus extendatur, nova facinoris alicujus acceſſione opus eſt, ut docuit Virgilianum illud.

Virtutem extendere factis.

Num. 82. Qui præfatam extenſionem explicare velit non præciſè per numeroſitatem actionum, aut præſentiarum etiam; ſed per realem ſimul conjunctionem, quam habet nobiſcum, dum ipſum in convivio Cœleſti manducamus; in quo ſenſu comparare videntur Patres laudati eum Incarnatione Euchariſtiam, ideſt ejus ſumptionem. Et propterea S. Juſtinus in loco relato ſupra ait: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus, carnem, & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit; ſic etiam per preces Verbi Dei ab ipſo Euchariſtizatum cibum, ex quo ſanguis, & carnis noſtræ per immutationem aluntur, illius Incarnati Jeſu carnem, & ſanguinem eſſe edocti ſumus*. Si, inquam, extenſionem ita explicare velis, viam veritatis reipſa inveniſti, ſi in ipſa non illicò ſiſtas; ſed per eam incedens, illius terminum pertingas; ſi nimirum per eam conjunctionem materialem tranſitoriam devenias ad realem permanentem, quæ ſolùm fieri valet per ſanctiſſimam Chriſti Domini animam, ejuſque immanentiam. Si verò in ſola conjunctione materiali (voco illam materialem, non quia Sacramentalis non ſit, ſed comparativè ad unionem ultimò formaliter intentam, & perſeverantem) gradum ſiſtas, Patrum locutionem, & mentem, ſalvam minimè reddis; quia in nullo proprio, & digno ſenſu extenſionem Incarnationis adſtruis. Namque unio, quam Chriſtus Dominus pollicetur ſanctè communicantibus, quæque ideo, aut cujus participatio, eſſe debet ratio formalis aſſertæ extenſionis, eſt immanentia mutua, ac proinde conjunctio manens, aut permanens: *in me manet, & ego in illo*.

Præterea Incarnatio importat aſſumptionem permanentem naturæ humanæ à Verbo Divino, quam numquam dimiſit ſemel aſſumptam: unde ejus extenſio eſſe debet permanens, quantum ex parte aſſumentis eſt, ſi proprietatem aliquam contineat extenſio. Tertiò ea conjunctio purè materialis reperitur etiam in eo, qui manducat, & bibit indignè; quin illo extendatur Incarnationis myſterium; quoniam in carne deturpata flagitiis intelligi nequit propria aliqua Incarnationis ſpecies: ſicuti nec illam potuit aſſumere Verbum; vel ſaltem non potuit illam aſſumere, quin eam ſanctificaret aſſumptione ipſa, ut tradunt Scholaſtici cum Divo Thoma 3. par. q. 15. Quartò in Incarnatione invenitur vera aſſumptio Humanitatis facta à Verbo; in illa verò conjunctione utriuſque carnis, citò abitura, nullum veſtigium aſſumptionis reperitur. Tandem, licet per eam conjunctionem ſalvaretur proprietate quadam ſimilitudinaria, & metaphorica extenſio illa; extra dubium tamen eſt longè magis propriam, veram, & ſtrictam futuram extenſionem prædictam, ſi exponeretur juxta noſtram ſententiam: eam igitur intendiſſe Patres, credendum eſt, cum credibile non ſit, eos minori cum proprietate unitim locutos, ubi materia capax eſt ſenſus dignioris, & proprietatem majorem ſpirantis. Si conjunctioni materiali adjungas augumentum gratiæ, per illam cauſatum, & per quam conſtituitur filiatio adoptiva; inerme ſubſidium quæris ad ſuſtinendam reſponſionem: quoniam gratia illa, utpotè ejuſdem ſpeciei cum alia, è reliquis Sacramentis proveniente, nihil magis conducere valet ad extenſionem Incarnationis, ut emanans per Euchariſtiam ex illa conjunctione, quàm ut fluens ex aliis Sacramentis, aut operationibus ſanctis; & cum etiam hæc conſtituat, vel augeat filiationem adoptivam. Cum aliunde extenſio Incarnationis attribuatur peculiari titulo Euchariſtiæ à Patribus. Si autem conjunctio materialis nihil per ſe confert ad verificandam extenſionem illius profundi myſterii: nec gratia ex illa profluens, cum ipſa nullo modo per ſe poſtulet cauſari ab illo principio potiuſquam ab alio; manife-

ſtum videtur , utrumque etiam ſimul ſumptum non poſſe veram extenſionem conſtituere : cauſa enim per ſe nullo pacto conſtituens aliquam denominationem ; licet ſumatur reduplicativè ut producens aliquem effectum; qui per ſe ad eam denominationem minimè conducat ; conſtituere nequit adhuc ſub illa reduplicatione denominationem præfatam .

Si addas , conjunctionem materialem , ut moraliter permanentem , unà cum gratia efficere propriam locutionem extenſionis ; incaſſum laboras . Et primò falsò ſupponis perſeverantem in prudentum judicio, ſive moraliter conjunctionem illam , cum ſit evidens , ipſam durare non poſſe , deſtructis accidentibus ; & aliunde certum eſt, accidentia Euchariſtica intra ſtomachum , in conſpectu caloris nativi perſiſtere non poſſe . Nullum ergo prudens judicium concipere valet ea ut moraliter permanentia , eum deſit fundamentum , adſitque potiùs ad oppoſitum . Et licet Divina virtute conſiſtere valeant ; cùm tamen actu de facto experiamur eorum deſtructionem , corruit fundamentum ad dictam permanentiam prudenter concipiendam , aut æſtimandam . Demum etiamſi illa permittatur , quid conferret , dum ipſa realiter exiſtens nihil conducat ad eum finem , nec conduceret , quantumvis æterna intra pectus foret , ut ex ſupradictis conſtat . Haberet igitur durationem miraculoſam unio illa realis , ſi perſiſteret phyſice; deficerent tamen reliqua omnia prædicata conſtitutiva extenſionis arcani illius: non claudicaret ex illa parte proprietas , claudicaret tamen ex aliis . Imaginatio itaque illa permanentiæ non ſolùm eſſet abſque fundamento concepta , & veluti ad radices montis Aurei conficta ; ſed inſuper vana , & ad obtinendum finem irrita .

Num. 83. Recurrendum itaque ad unionem , & conjunctionem intimam permanentem ſingularem Verbi divini , & animæ Chriſti Domini cum recipiente condignè ipſum , vi cujus intimè realiter aſſumitur fidelis ritè accedens ad altare à Verbo , & anima Salvatoris Noſtri tamquam motrice virtute , & forma aſſiſtente ad exprimendam ſeipſam , ſive vitam , quam geſſit in Corpore Chriſti Domini , phyſico . Qua via reperitur proportione quadam ſatis reali , & vera , proprietateque ſufficienti (quamquam in diverſo , & inferiori ordine) extenſio Incarnationis ; cum Verbum , quod in myſterio illo aſſumpſit immediatè unicam ſingularem humanitatem ; per ſumptionem dignam Euchariſtiæ aſſumit phyſicè immediatè ſimul cum anima Chriſti Domini , omnes unitim fideles Euchariſticos , penès corpus , corda ſcilicet , & animam , ejuſque potentias , ad repræſentandum ipſum Chriſtum Dominum pro hoc ſtatu , quà vitam paſſibilem egit ; quà glorioſum verò , dum illa perſiſtat in patria poſt reſurrectionem . Ut enim inquit Sapientiſſimus Leſſius lib. 12. de perfectionibus divinis cap. 11. *Chriſtus eſt omnium juſtorum hypoſtaſis , cui omnes innixi , qui omnia ſubſtentat &c.* latèque exponit ibidem modum verificandi eam doctrinam . Juxta quam filiatio adoptiva in ſanctè admodum ſuſcipientibus Euchariſtiam nobilitatur ſummopere , comparatque novam ſublimiorem unitatem , vi cujus æmulatur quodammodo filiationem naturalem ; cum involvat ſibi unitam animam Chriſti Domini , ut Verbo divino copulatam . Cum igitur Incarnatio importet eſſentialiter aſſumptionem Humanitatis Chriſti Domini à Verbo media unione hypoſtatica ; & aliunde inveniatur realis etiam aſſumptio communicantis facta à Verbo divino , & anima Chriſti Domini . Et cum rurſus in Incarnatione unita fuerit anima Chriſti Domini corpori phyſico , & utrumque aſſumpſerit verbum , & quidem quaſi per prius formaliter animam , & ratione illius ; eumque ex alia parte anima illa ſanctiſſima uniatur corpori myſtico per Euchariſtiam , juxta aſſertionem noſtram . Cumque tandem Verbum divinum aſſumat etiam immediatè ut motor principalis corpus illud myſticum , tum quà ſuppoſitum , tum eo quod exiſtat novo modo ratione ſui in illo (quæ conjunctio ſufficit in Perſona divina ad aſſumptionem , quidquid ſit , quod motor creatus aliam majorem unionem exigat , vel ſecus) per hoc , quod anima Chriſti Domini , cui hypoſtaticè copulatur , intimè juſtum aſſumat . Ideoque Verbum denuo mittitur , ſive extenditur ejus miſſio ad Incarnandum facta , ut nuper animadverſum eſt . Optimo jure , propriaque ratione , tametſi proportionata ſolum , aſſeritur à Patribus , per Euchariſtiam ritè acceptam extendi Incarnationem .

Hanc doctrinam indicat ingenioſiſſimus Doctor Gabriel Biel ſermone 1. in Cœna Domini , ajens . *Magnum per omnia charitatis indicium , cum ſumma illa majeſtas humanam noſtram infirmitatem in Perſonalem ſibi unionem aſſumpſit . Verùm non meam , non tuam , ſed puriſſimam quamdam ab omni peccati labe immunem ſibi ſumptam de Virgine copulavit . Majus aliquid eſſe videtur , cum in hoc ſalutari cibo , & mihi , & tibi licet immundo , licet peccatori dignatur eum gratiarum plenitudine intimari , & noſtrum quemlibet in ſe transformare* . Ubi comparat egregiè aſſumptionem ; quam per Euchariſtiam facit illius , qui devotè communicavit , ad ipſum in ſe tandem transformandum , cum aſſumptione Humanitatis in Utero Virgineo , ſive cum Incarnatione ; quamvis hæc fuerit ſingularis unius Humanitatis , illa verò omnium hominum , panem cœleſtem ſanctè admodum manducantium . Uti & à contrario ſenſu Incarnatio in gremio Deiparæ facta comparatur Euchariſtiæ per illa verba Sponſi nuper laudata : *Venter tuus ſicut acervus tritici &c.* quaſi in Euchariſtia reperiatur Incarnatio , & in Incarnatione Euchariſtia itaut promiſcuè una de altera dicatur .

Eumdem ſenſum inſinuaſſe putamus Sanct. Cy-

Cyril. Hieroſolym. Catech. 4. Myſtag. *Sic Chriſtiferi erimus, ideſt Chriſtum ferentes, dum ejus corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus.* Non enim deferre ſecum domum realiter poteſt Salvatorem intra pectus, niſi quatenus ejus animam intimè conjunctam deferat, cum ſpecies, adeoque Corpus Chriſti Domini, deſinant intra breviſſimum ſpatium temporis; & ſanè pro caduca illa duratione gloriatio noſtra, vitaque Chriſtifera eſſet fugaciſſima, pauciſſimiſque reſpirationibus menſuranda. Si verò de gratia, & donis ex conjunctione illa relictis, & Spiritu Sancto media gratia diffuſo in cordibus noſtris, loqueretur; pari jure appellaret Chriſtiferos aliis Sacramentis munitos: cum verum ſit in ea acceptione illud Pauli ad Galat. 3. *Quicumque enim in Chriſto Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; & nihilominus S. Chryſoſtom. ea verba exponens (ut ſupra retulimus) aliam longè intimiorem hac permanentem conjunctionem per Euchariſtiam obtinere fideles, dixit. Qua via mirabili, ſecreta, tametſi non apertè trita, ſed ignota potiùs (recta tamen) myſterium ſublime Incarnationis extenditur realiter modo aliquo ad fideles præparatè recipientes Euchariſtiam, & media ipſa Verbum intimius præſens, & animam Chriſti Domini permanenter intrinſecè aſſiſtentem; itaut eadem anima inſtar motoris aſſumentis ſit una in eis, ut reſultet machina, moſtroſa quidem, myſtici corporis ab una eademque forma, ſive anima realiter mota; & nihilominus elegantiſſima, ut temperetur vetus illa injuſta, & inſipiens quærimonia eorum, qui rogant, cur Verbum divinum non aſſumpſerit Humanitatem omnium individuorum, ſive naturam humanam in omnibus individuis? de quo S. Thom. 3. par. qu. 4. art. 5. ex Damaſceno; velles quòd aſſumeret Ideam, aut naturam Platonis in abſtracto? Quoniam ſi aſſumeret omnium naturam in individuo, nullus in Eccleſia Sancta foret redemptus, ſed quilibet eſſet Redemptor. Hæc eſt doctrina Anaſtaſii Sinaitæ libr. 3. de Eccleſ. Dogm. concipientis Chriſtum Dominum, ſive potiùs ejus animam, tamquam animam univerſalem omnium fidelium; qui per gratiam ſint ejus viva membra; ſine quo minus propriè dicerentur corpus myſticum ipſius; tametſi caput ſit; cum ipſa denominatio capitis abſque eo quod anima ejuſdem diffunderetur per corpus myſticum aliquatenus, nullo pacto eſſet phyſicè, & propriè illi conveniens. *Se vitam inſeruit* (Chriſtus Dominus) *mortificato* (corpori myſtico, ſeu generi humano), *ut eum vivificaret, (cui erat conſertus) per ipſum totum permeans, perinde ac anima magno infuſa corpori, ipſum animata virtute informans, eique impertiens vitam, ac ſenſum. Nec alia ratione humanum genus aſſeritur corpus eſſe Chriſti, & membra de membro, velut omnia pervadente, & communi tranſitu penetrante.* Id autem nullo oportuniori medio fieri, quàm per Sacræ Euchariſtiæ ſuſceptionem; immo vix aliter concipi jure poſſe à nobis, planum videtur; per illam enim mira quadam & ſingulariſſima diffuſſione ſui, fit univerſalis.

§. II.

Num. 84. HAURIO quartum argumentum ex fine inſtitutionis hujus Sacramenti ſub accidentibus panis, & vini: *ſumi autem voluit hoc Sacramentum*; ait Trident. ſeſs. 13. cap. 2. *tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo aluntur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Quod deſumitur ex verbis Chriſti Domini Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Unde Theologi omnes conveniunt in eo, quod effectus proprius Euchariſtiæ exponendus ſit per nutritionem, ejuſque effectum, ſive his, ſive illis verbis explicetur: *Conſideratur effectus hujus Sacramenti*, inquit D. Thom. 3. par. qu. 79. art. 1. *ex modo, quo traditur, per modum cibi, & potus.* Inde autem inferunt, Euchariſtiam tribuere vitæ ſpirituali effectus, quos exhibet eibus materialis vitæ corporis, ut ſanxit Florentinum in decreto Eugenii: *omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem.* Et S. Thom. in relato loco progreditur dicens: *Et ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit, quod ſcilicet ſuſtentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam ſpiritualem.* Videatur etiam qu. 73. art. 1. & ex illis Catechiſmus Romanus par. 2. cap. 4. num. 47. Hæc cum exploratiſſima ſint; non minùs compertum eſt, ita Euchariſtiam eſſe cibum hominis, ut non ipſe homo principaliter cibum tranſmutet in ſe, licet illo reficiatur, delectetur, & robur accipiat; ſed potiùs ipſe tranſmutetur, aut convertatur in ſubſtantiam cibi, Chriſti Domini ſcilicet. In hoc ſenſu uſurpant plerumque Sapientes illud S. Aug. lib. 7. Confeſs. *tamquam audirem vocem tuam de excelſo: cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Quapropter S. Thomas divino illo opuſc. 58. cap. 20. veſtigia ſecutus Auguſtini dixit: *Circa hunc modum conſideranda eſt ratio remanducationis dignè manducantium, de qua remanducatione dicitur, quod tales manducunt, & manducantur. Et hujus ratio eſt, quia dum corpus Domini dignè à fidelibus manducatur, non ipſe, ut alius cibus, in manducantem convertitur; ſed è converſo illud verè manducantis illud ſpiritualiter mutatur .... Quòd verè manducando Corpus Chriſti, non illud in nobis, ſed nos in illo convertamur, triplici ſimilitudine probatur*: Et 3. par. qu. 73. art. 3. ad ſecundum. *Hæc eſt differentia inter alimentum corporale, & ſpirituale, quòd alimentum cor-*

porale

porale convertitur in ſubſtantiam ejus, qui nutritur ....ſed alimentum ſpirituale convertit comedentem in ſeipſum, ſecundum illud, quod Auguſt. dicit &c. Item in 4. diſt. 12. quæſt. 2. artic. 1. ad primam quæſt. differens de Euchariſtia inquit: *Cibus ſpiritualis non convertitur in manducantem, ſed eum ad ſe convertit, unde proprius effectus hujus Sacramenti, eſt converſio hominis in Chriſtum &c.* Et Doctor Seraphicus in 4. diſtinct. 4. artic. 1. quæſt. 2. attingit rationem hujus differentiæ luculenter: *Sed in hoc eſt diſſimilitudo, quia in corporali manducans convertit in ſe cibum, quia dignior, & nobilior eſt cibo. In ſpirituali è contrariò, quia cibus eſt nobis dignior, & perfectior, & completior: ideo potiùs in ipſum mutamur, & incorporamur, quàm è converſo.* Alitur ergo benè accedens ad Euchariſtiam, nutriturque; at non quia cibum in ſe convertit, ſed potiùs quia in cibum tranſmutatur. Eadem eſſe videtur ſententia Doct. Maximi epiſt. 150. ad Hedibiam qu. 2. Eadem Magni Leonis ſerm. 15. de Paſſione: *non aliud agit participatio Sanguinis Chriſti, quàm ut in id quod ſumimus, tranſeamus.* Eadem Nyſſeni in capite 8. Eccleſ. *Propterea ſe nobis comedendum propoſuit, qui ſemper eſt, ut eum ipſum in nobis acceperimus, illud fiamus, quod ipſe eſt.* Neque aliam ſignificationem. habet illud Paſchaſ. lib. de corp. & ſang. Domini *Nemo igitur dignè accipit, niſi qui tranſit.* Neque rurſus incongruè, huc reſpexiſſe Chriſtum Dominum Apocal. 3. exiſtimaretur, cum dixit: *Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo:* denotans Chriſtus Dominus ſe eſſe potiùs manducantem in Euchariſtia; dum tamen fervor charitatis in manducato homine tepeſcit, provocat ipſum Chriſtum Dominum ad illum cum nauſea regerendum: ſicut enim nu. 21. de manna, figura dulciſſima Euchariſtiæ, ingratus Populus ajebat: *anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo;* ſic vice verſa anima Chriſti Domini nauſeat ſuper cibo, & cibato tepidiſſimo, ut nauſea illa ſit hujus regeſtus figura.

Num. 85. Nunc autem arguo in hunc modum: animal nutriri cibo corporeo, illumque convertere in ſubſtantiam, fit tum activè ab anima illius, quæ utitur nativo calore, facultateque ad munus illud deſtinata à natura, tum deinde formaliter per ipſam animam copulantem immediatè realiter ſibi ut formæ informanti materiam ex cibo alterato reſiduam, quæ incorporatur viventi. Ergo ubi cibus ipſe, nempe Chriſtus Dominus eſt qui manducantem condignè mutat, ſeu convertit in ſubſtantiam ſuam, ideſt ſui Corporis myſtici, neceſſariò debet anima Chriſti Domini unire ſecum ritè communicantem, & quidem permanenter, ut in cibo tranſmutato contingit, itaut anima Chriſti Domini, ſeu Chriſtus Dominus per animam, corpus illud animatum, ſive cibum, adeoque animam, & corpus in ordine ad vitam ſupernaturalem vegetet, foveatque ut motor, & forma aſſiſtens; cum eſſe nequeat informans, eo quod mobile aſſumptum ſit animatum, ſubſiſtenſque. Hinc fit, neutiquam ſufficere poſſe ſolam manducationem, tametſi dignam, conjunctionemque materialem; ſiquidem per illam duntaxat verificari non poſſet remanducatio, eo quod prima illa ſit prævia tantum operatio, planè neceſſaria ad ulteriorem, ultimatumque actum converſionis cibi in manducantem permanenter, in qua ſita eſt remanducatio, quam fieri ab anima Chriſti Domini conſtat ex ſuperioribus. Hanc doctrinam illuſtrat illuminatus Doctor Mayronus in 4. diſt. 8. qu. unica art. 17. dum probans ex S. Auguſtino, manducantem præcipuum in hoc Sacramento eſſe Chriſtum Dominum inquit, *oppoſitus modus eſt in iſto cibo, & corporali... unde dicit* (Auguſtinus) *Domine, dum comedam, tu non converteris in me, ſed ego convertar in te; & anima rationalis eſt cibi corporalis terminus, ſi ponatur una ſola forma in homine;* Ergo juxta inſignem hunc Theologum anima rationalis Chriſti Domini eſt terminus hujus cibi veri cæleſtis, cum ille ſit re ipſa comedens, proindeque convertens in ſe Corpus myſticum, ſive communicans illi ſuam animam ut formam aſſiſtentem, eo quod illa ſit terminus cibatione intentus. Hæc illatio vim habet efficaciſſimam, & philoſophicam.

Minùs ſufficienter autem reſponderes, eam nutritionem, ejuſque terminum eſſe metaphoricum, qui propterea non poſtulat realem, intimam conjunctionem animæ Chriſti Domini cum cibo, ſeu fideli: quemadmodum nec unio Corporis myſtici cum capite petit aliam unionem, quam per gratiam. Parùm apta quidem, immò & parùm ſana reſponſio: quoniam non obſcuriùs aſſeruit Chriſtus Dominus Joan. 6. ſe manſurum intra probè manducantem, quàm aſſeruerit ſuam præſentiam realem ſub ſpeciebus panis, & vini; conſequenterque aut hæc erit per tropum intelligenda, quod hæreticum eſt, aut nec illa. Ad unionem verò Corporis myſtici cum capite, generatim loquendo, ſufficit quidem gratia, quoniam nullibi Chriſtus Dominus affirmat eum eſſe realem nexum extremorum, ſed myſticum, & ſpiritualem per gratiam. In re autem ſubjecta promittitur realis immanentia ſumentis Euchariſtiam in Chriſto Domino, & mutuò Chriſti Domini in ipſo. Unde unio, quam parit digna ſumptio Euchariſtiæ addit ſupra unionem corporis cum capite novum alium, & strictiorem nexum per nutritionem acquiſitum; quoniam adjungit ex conceptu formali nutriendi unionem cibi cum anima potiſſimè cibati, aut manducantis, qui eſt Chriſtus Dominus: cum de reliquo aliæ corporis phyſici partes, tametſi verè corpus conſtituant, & cum capite immediatè uniantur,

tur, ſintque ad vitam neceſſariæ; animæ tamen immediatè non copulentur. Pariterque fidelis potiſſimè converſus in ſubſtantiam aliti principalis, convertit aliquatenus in ſe cibum vitæ, ſeu panem Cœleſtem; non ſanè quia ejus materiam copulet ſibi, ſed formam illius, cum eidem uniatur, anima Chriſti Domini, ſuppoſitumque divinum, per mutuum illum nexum (niſi animam dicas materiale in ratione Sacramenti ut talis, quia ponitur ibi ſolùm per concomitantiam: & corpus formale, quia ponitur per ſe vi verborum.)

Secundò: ſpecies aliqua nutritionis in ſenſu proprio acceptæ, aut vera in ſenſu ſtricto converſio cibi in ſubſtantiam principalis, & veluti primi aliti, aut comedentis, ſequitur per ſe ad veram realem manducationem, & ideo S. Thom. laudata nuper diſt. 12. qu. 1. art. 1. dixit: *proprius effectus cujuslibet Sacramenti debet aſſumi ex ſimilitudine od materiom illius Sacromenti: ſicut expurgatio veteris vitæ eſt effectus Baptiſmi per ablationem aquæ ſignificata. Et ideo cum materialis in hoc Sacramento ſit cibus, oportet quòd effectus proprius hujus Sacramenti accipiatur ſecundum ſimilitudinem ad effectum cibi.* Et inde infert, quòd convertat hominem in Chriſtum, cum cibus hic ſit qui comedit, ergo ſi converſio hæc per ſe ſubſecuta in ſubſtantiam comedentis metaphorica ſolùm appellari liceat impunè; eadem licentia inde à poſteriori validiſſimè deducta, affirmaret Sacramentarius, manducationem Euchariſticam neutiquam includere Chriſtum Dominum realiter præſentem, ſed manducationem illius allegoricam, aut umbraticam: pariterque carnem Chriſti Domini non eſſe verè cibum, ſed allegoricè; quod eſt hæreticum. Quo genere arguendi ſæpè utimur, quia putamus illud efficaciſſimum, & tranſcendens propè omnes tractatus præſentis difficultates occurrentes. Ut tamen appareat explicatiùs, nexum comparatum per nutritionem Euchariſticam, nequaquam eſſe purè vulgarem illum, & communem in linea ſupernaturali, puta per gratiam, aut charitatem, aut undè myſticum, ſive moralem. juvat recolere, quæ ex illuminato Joanne Thaulero ſupra produximus, quibus addit eodem ſermone 3. in feſto Vener. Sacram. pag. 326. *Enim vero, cum nulla ſit tam perſpicax, & ſubtilis creatura; quæ admirabiles cibi corporei meatus, & vias, aut naturæ humanæ dignitatem, aut quo pacto anima in capite, manibus, pedibuſque vitam operetur ad plenum capere ſufficiat, quo ratione fieri poſſet, ut aliquis abditiſſimam hanc abyſſum penetret, ſciatque, quid præclariſſimus hic cibus in ſpiritu puro, ac illuminato operetur, tametſi miſer exterior homo interim piger, ſomnolentus, & ad omnia indiſpoſitus ſit: quandoquidem iſtud in ipſo fundo in Deo abſcondito agatur, ſitque abyſſus quædam inperſcrutabilis, ut inde garrire, diſputare, diſſerere non omnibus fas ſit?* Quis enim ex emphatica hac doctrina profundam, & ineffabilem unitatem cibi Euchariſtici cum alito per modum illius, quam tandem obtinet cibus per converſionem cum ſubſtantia aliti, formaque viventis, extraneam, aut peregrinam jure dicat unionem dignè communicantis cum anima Chriſti Domini? ſtupenda aliqua unio, raraque in eis verbis continetur, quæ per alios conductus minimè derivatur.

Num. 86. Diſcurſus factus vires accipit quammaximas ex ſequenti alio, quo denuo inſtauratur, & urgetur (eſtque quintum fundamentum). Corpus Chriſti Domini neutiquam exiſtit ſacramentaliter ſub ſpeciebus, niſi per converſionem, immò nec exiſtere poteſt, ut teſtatur Divus Thomas 3. part. q. 75. art. 3. Corpore: *quia non eſt dare aliquem modum, quo Corpus Chriſti verum eſſe incipiat in hoc Sacramento, niſi per converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum.* Unde q. 76. artic. 1. docet, ideo Corpus eſſe in Sacramento ex vi verborum, quia ex vi illorum tantùm ponitur ſub ſpeciebus *id, quod directè convertitur in ſubſtantiam panis, & vini præexiſtentem*; defectu cujus nec animam, nec divinitatem poni ex vi verborum aſſerit ibidem ad 1. *quia converſio panis, & vini non terminatur ad divinitatem, vel animam Chriſti, conſequens eſt, quòd divinitas, vel anima Chriſti non ſit in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia.* Et quamvis graviſſimi Scholaſtici cum Doct. Subtili in 4. diſtinct. 10. doceant, poſſibilem fuiſſe divinitus exiſtentiam replicatam Corporis Chriſti Domini in Sacramento abſque converſione illa, uti eſt ſine dubio; attamen de facto nunquam abſque ea poni Catholici profitentur omnes, & ubi illa intercedit, neceſſariò reperiri terminum ad quem, directè, & per ſe intentum converſione. Ultra converſionem autem, ſive tranſubſtantiationem, vi cujus ponitur directè Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis, & Sanguis ſub accidentibus vini, invenitur alia incluſa in effectu proprio hujus Sacramenti, converſio ſcilicet alimenti in ſubſtantiam aliti, adeoque manducantis in cibum vivacem, nempe Chriſtum Dominum, ut ex nuper dictis patet; conſtititque ex Florentino, Synodo Tridentina, Patribus, & Divo Thoma, Theologiſque; non quia membrum myſticum (quod in materia ſubjecta eſt alimentum) tranſeat à forma propria ad formam aliti, cum licet hanc comparet, illam non amittat, ſed vel à carentia ſimpliciter unionis cum anima Chriſti Domini, ſi numquam præcedenter acceſſerat plenè condignè ad Euchariſtiam: aut nexum ſemel acquiſitum, per lapſum gravem amiſerat: vel à carentia ſaltem intimioris nexus ad intimiorem.

Hanc autem eſſe realem in ſenſu aliquo vero converſionem, nutritionis propriam (quin & anima Chriſti Domini tranſit aliquatenus à Corpore phyſico proprio ad proprium myſticum, adeoque Corpus phy-

phyſicum, deſinens eſſe ibi, convertitur aliquatenus in Corpus myſticum. In quo ſenſu dicere potuit Sponſa Cant. Cant. 7. *ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*) colligitur, non ſolum ex verbis Chriſti Domini Joan. 6. non tantùm ex utriuſque laudati Concilii teſtimoniis expreſſiſſimis, non duntaxat ex conſenſu Theologorum; verùm & quia alioqui verba illa: *caro mea vere eſt cibus* per tropum itidem intelligi poſſent, ut nuper arguebam. Ut enim S. Thomas 3. p. q. 5. ait, oſtendens adversùs Arrium, & Apollinarem ex Scriptura Sacra, Chriſtum Dominum aſſumpſiſſe realiter animam: *alioqui ſi & hæc ad metaphoram referantur, cum ſimilia legantur in veteri teſtamento de Deo, peribit fides Evangelicæ narrationis*. Sicut igitur ad primam, & notam ex fide ſancta converſionem, tranſubſtantiationemque, exigitur præſentia realis Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ut terminus à quo ipſius, & extra eam converſionem minimè reperitur, nec reperiri poteſt ea præſentia ſacramentalis: ita ad ſecundam converſionem per illam præcedentem inductam, ejuſque ſumptione digna neceſſariò cauſatam, à fortiori adeſſe debet præſentia realis permanens animæ Chriſti Domini copulantis ſibi alimentum; ideſt communicantem, ut unio illa ſit terminus ad quem ſecundæ hujus converſionis, & nequaquam reperiri valeat extra ipſam; quoniam ſecluſa converſione præfata nullatenus remaneret præſens phyſicè anima Chriſti Domini, deſinentibus ſpeciebus.

Urgetur: vel cibus Euchariſticus verè, & propriè convertitur per nutritionem in ſubſtantiam aliti, tum principaliter manducantis, qui eſt Chriſtus Dominus, tum etiam minùs principalis, nempe fidelis; vel ſecus? Si hoc ſecundum: ergo caro Chriſti Domini non eſt verè cibus: quandoquidem verè cibus realiter eſſe nequit, qui verè realiter non alit, ſeu nutrit; & aliunde nutrire importat formalem realem immediatam converſionem cibi in ſubſtantiam aliti, ſicut homo importat eſſentialiter animal rationale. Si primum: ergo verè nutrit: ſubindeque verè convertitur in ſubſtantiam aliti per ſe immediatè, quatenus ejus animæ, ſeu viventis formæ copulatur. Et quidem ex parte utriuſque aliti, itaut nec ex parte communicantis, qua ipſe cibatur, ſufficiat unio per gratiam, ſed requiratur eſſentialiter unio immediata cum anima Chriſti Domini, qui eſt verus cibus, quemque ſub conſideratione ſupradicta convertit in ſubſtantiam propriam (ut ſic præcaveatur objectio, quæ inde peti poſſet). Hoc argumentum vires habet ægrè ſuperabiles: ſi namque te convertas ad figuratam converſionem, cave ne figuratum cibum efficias Chriſti Domini carnem, exindeque non veram, & realem carnem: incedis namque per viam adeo lubricam, & arctam, ut perquam difficile ſit, quòd lineam fide vetitam non attingas, & veſtigia aliqua erroris incautè non premas.

Num. 87. Moveor ſextò: cum anima Chriſti Domini non ponatur ſub ſpeciebus vi verborum, adæquata ratio formalis exiſtendi in Euchariſtia eſt connexio intrinſeca, aut naturalis unio cum corpore, vi cujus trahitur per concomitantiam quocumque, vel feratur, vel incipiat exiſtere corpus, ut communi Theologorum placito compertum eſt, cum Divo Thoma 3. part. quæſt. 76. art. 1. traditque S. Synodus Tridentina ſeſs. 13. cap. 3. ibi: *animaque ſub utraque ſpecie, vi naturalis illius connexionis, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur*. Hæc autem ratio deficit planè ubi corpus non accipit eſſe ibi, ſed potiùs eſſe deſinit, cum deficiat eo ipſo connexio, prout ibi exiſtens. Cujus igitur vi debet anima deſinere eſſe ibi? Certè ex nulla intrinſeca, & naturali connexione, aut vinculo unionis: carentia enim corporis ſicut non trahit ſecum per ſe carentiam animæ ſimpliciter; ita nec relatè ad determinatum locum: quoniam ad hoc ut unio trahat ſecum animam ad deſitionem in eo determinato loco, deſinente ibi corpore (quia deſinunt ſpecies) deberet illa exiſtere, alioqui nulla tractio realis animæ facta per ipſam concipi valet; & aliunde anima exiſtere poteſt, quantum ex ſe, ſeparata à corpore, illoque ſimpliciter deſtructo (ſi hoc contingeret): unio autem, abeunte corpore ab eo loco, hoc eſt non exiſtente, permanere nequit in loco prædicto, ubi aderat replicata; cum nequeat exiſtere in loco aliquo, niſi utroque ibidem præſenti: uti nequit ſimpliciter perſeverare, deficientibus abſolutè extremis, vel alterutro. Quare illatio deſitionis animæ Chriſti Domini in eo loco nullo pacto ſequitur ex verbis Tridentini, cum deficiat in ordine ad illum locum connexio realis naturalis.

Neque rurſus deſinere debet per hoc, quod ceſſet actio adductiva, vel reproductiva corporis ibi, & ſanguinis. Quoniam in plurium Theologorum ſententia, puta Eximii Doctoris diſp. 51. ſect. *6. §. ex his autem*. Conink. Martinon. Henao &c. actio, qua ponitur anima comitanter, uti &, per quam adeſt ibi, quidquid concomitanter adducitur, & adducibile eſt ex ſe, eſt diſtincta realiter ab ea, per quam ponitur corpus, uti & ſanguis, ex vi verborum, quamquam ex omnibus reſultet una adæquata realiter compoſita. Non eſt autem cur ſuſpendi debeat actio adducens animam per ſuſpenſionem, aut defectum actionis productivæ corporis: eſt enim adæquata reſpectu animæ; & aliunde hæc connaturaliter perſiſtere valet ſine corpore; quantumvis corpus nequeat vivum perſiſtere ſine anima, immo nec diù permanere in ratione corporis. Licet igitur vi naturalis connexionis nequeat corpus conſtitui ſub ſpeciebus, quin

tra-

Digitized by Google

trahat ad eumdem locum animam; immo quam juam illa neutiquam veniret, ſi corpus ex prima intentione non conſtitueretur ibi, cum ſe ſola non conſtituat cibum; ſemel attamen ac exiſtat occaſione exiſtentiæ corporis, nulla ratione debet illa abeſſe, per hoc, quòd corpus ab eo loco diſpareat: & quidem etiamſi per eamdem actionem poneretur, quia poſſet conſervari actione alia, ut fit ſæpe, deficiente cauſa productiva, ubi ex parte termini nulla datur neceſſitas deſitioois orta ex alterius extremi defectu, ſicuti conſervatur actio conſervativa animæ, dum exuit corpus. Quocirca ſolùm conſervaretur miraculosè prædicta actio: quatenus continuaret replicationem animæ; hæc autem miraculi continuatio eodem modo reperitur, dum eſt ibi unà cum corpore, ac dum deficiente illo perſeverat ipſa: & aliunde ejus perſiſtentia non minùs utilis, quin & neceſſaria eſt, deſinente corpore ibi, ad conſtituendum effectum potiſſimum Euchariſtiæ, quàm dum intra corpus exiſtit ibidem.

Præterquamquod amplitudo major animæ Chriſti Domini comparativè ad corpus, & ex ſuppoſitione nexus, & ordinis hypoſtatici, poſtulat longè majorem præſentiarum numerum; de quo plura infra. Non alio igitur titulo, aut jure deſinere poſſet, niſi ex Divino beneplacito; hoe autem voluntariè, & falsò dicitur, cum ſuperſit finis nobiliſſimus, quem ſcilicet intendimus, per quem ſine dubio redditur glorioſior, utilior, & altior. Accedit, quòd Verbum per condignam Euchariſtiæ ſumptionem intendit extendere Incarnationibus, ut ex Patribus notum eſt, adeoque aſſumere ferventiſſimè communicantem. Ad eam autem aſſumptionem, verè talem, opus eſt, quòd interveniat anima, permaneatque, corpore phyſico deſinente ibi, per quam, & ſimul cum qua corpus myſticum ſumat ad ſe: cum igitur ex defectu exiſtentiæ corporis ibi nullus titulus de novo ſuccedat, poſtulans deſitionem præſentiæ animæ Chriſti Domini ab eo loco; & aliunde ejus immanentia & ſit poſſibilis, & exigatur à Verbo, & ſummopere illuſtret arguitivè ipſam Euchariſtiam, dum ejus effectum præcipuum efficit ſublimiorem; quo motivo divina voluntas decreviſſet ejus abſentiam à pectore juſti unà cum corpore phyſico, ne maneat intra myſticum, à quo ardenter ſæpè amatur, quod ipſa ardentiſſimè ſemper amat, & cum ipſo habitare delicias reputat?

Num. 88. Confeſtim repones, deſitionem corporis non trahere ſecum animam ad deferendam in eo loco præſentiam; cæterum permanentia animæ ibidem traheret ipſo jure iterato corpus, & ſanguinem deſioentia, eo quod in Cœlo ſint realiter unita; proindeque ſicuti titulo illus connexionis, veniente corpore ex vi conſecrationis, debet anima quoque venire comitanter; ſic neceſſariò in hypoteſi, quòd aoima perſiſteret, deficiente corpore (quia conſervari nequit ſacramentaliter exiſtens, deſtructis ſpeciebus) iterum rediret per concomitantiam adductum ab anima; etſi non poſſet ibi ſacramentaliter exiſtere, ſed circumſcriptivè. Reſurgit ergo alia via connexio naturalis, in qua ſundat Tridentinum neceſſitatem comitantiæ; tametſi illa non reperiretur in ordine ad deſitionem. At hæc nova concomitantia corporis, ejuſque exiſtentia circumſcriptiva io pectore noſtro aliena eſt à fide, ut notum eſt. Ergo &c. Cæterum ex eo quod exiſtentia corporis ſub ſpeciebus neceſſariò adducat ex vi naturalis connexionis animam non rectè arguitur, animam in hoc loco exiſtentem adducturam pari neceſſitate ad locum, ubi ipſa adeſt, corpus, & ſanguinem. Diſcrimen ſitum eſt in limitatione corporis, & in amplitudine exiſtendi animæ: illud ſiquidem exiſtere nequit naturaliter, dum ultimò diſpoſitum eſt, abſque anima: immò nec abſolutè exiſtere poteſt abſque aliqua forma ſubſtantiali; aoima rationalis verò, & ſeparata à corpore, & ab omni materia, perſeverat naturaliter, permaneretque in æternum, ſi corpora numquam è tumulis ſurgerent. Sic Humanitas Cbriſti Domini, ut docet eadem Tridentina Synodus, ſub ſpeciebus conſtituta neceſſariò affert ſecum divinitatem concomitanter, ratione connexionis, ſeu nexus bypoſtatici; non propterea tamen è converſo ubicumque adeſt Verbum, divinitaſque, adeſt Humanitas; quia licet nexus ille mutuò vinciat, non tamen mutuò trahit. Quoniam tamen de re hac fuſior nobis redire debet ſermo in ſolutione argumentorum, idcirco hæreodum nobis diutiùs bic in ea non eſt.

Adjungam nihilominus, animam non deſinentem, deſinente corpore, non poſſe illud à ſe avocare, ut denuò producendum, vel adducendum, nec impedire, ne deſinat eſſe ibi: quoniam nequit trahere (aut retinere) illud ad præſentiam ſacramentalem, quia ſpecies ſunt corruptæ: non ad aliam circumſcriptivam, quæ juxta plures repugnat, nec intra pectus exiſtere poſſet, nec deceret. Et quia licet poſſibilis ſit, eſſet tamen miraculum majus ſine neceſſitate, quod potiùs impediret effectum præcipuum aſſumptionis, quam iotendimus. Et aliunde movere illud è Cœlo, itaut illud deſerat quotidie, fieri nequit, cum juxta Paulum debeat aſſidere ibi, donec in ſecundo adventu reviſat mundum Judex ſupremus, iterato, ſubitòque ſedem illam repetiturus triumphali comitatu demum. Quamvis enim concedamus, replieari non poſſe primò, & per ſe animam, quin ſecum afferat, aut deſerat corpus, eodem pacto, ac è converſo; dum tamen ſupponitur replicata per actionem conſervativam adæquatam: dumque aliunde ex nullius connexionis, aut exigentiæ connaturalis vi debet ipſa deſinere unà cum corpore, ab eo loco deficiente; nullo jure venire debet ad ipſam iteratò corpus, aut ejus deſitio impediri.

Ex dictis autem nullo modo argui poteſt, ſanguinem, & alios humores per concomitantiam ſolùm delatos ad Hoſtiam unà cum corpore, non defecturos ſimul cum ipſo: uti neceſſariò pariter deficere debet corpus ſub ſpeciebus vini, ſanguine deſinente ibi. Quandoquidem ſanguis eſſet fuſus, ſi extra corpus exiſteret, aut extra locum ſibi debitum; quod eſt contra ejus exigentiam, & contra decorum ſtatus glorioſi: ſimiliter corpus ſine ſanguine foret cadaver, ineptumque ad retinendam animam, quod repugnat etiam ſtatui immortali, & impaſſibili ejuſdem, tenderetque in corruptionem; præterquamquod eſſe nequit, juxta ſolemniorem ſententiam, mortuum in uno loco, & in alio vivum. Adeſt igitur in utroque exigentia, cui Deus attendat, ut eum impediri non expediat (nec fieri debeat) corporis deſitio, accidentibus naturaliter pereuntibus, deſinat quoque ſanguis, quoniam exiſteret violentus: & è contrario pariter. Non ſic autem anima, quæ ita exigit corpus, ut ſine illo ſit eſſentialiter beata: ſine illo exiſtere in æternum valeat, & juxta nonnullos, nec ipſa ſecundum ſe uſurpata exigat reunionem.

Accedit quòd amplitudo, quæ competit animæ in ordine ad exiſtendum, nullatenus convenit ſanguini, aut corpori, quorum terrea moles, etiam dum purificata, limitibus anguſtioribus circumſcribitur: quia licet ſurgat corpus ſpirituale, ut inquit Apoſtolus, eſt attamen corpus diſtans magnoperè à natura, & amplitudine ſpiritus. Neque abſurdum eſt, animam in hoc loco eſſe abſque proprio phyſico corpore, & alibi intra corpus proprium phyſicum. Ut enim Eximius Doctor tom. 1. de Incarn. diſp. 14. ſect. 2. §. *Secundo ergo*, docet: *ſi eadem forma in diverſis locis conſtituatur, poſſe in uno actu informare materiam, in alio vero per ſe eſſe, vel hypoſtaticè aſſumi*. Licet repugnet corpus eſſe hic cadaver, & alibi animatum, ob diſcrimen planiſſimum infra producendum: quemadmodum non repugnat, Verbum eſſe hic abſque unione cum Humanitate Chriſti Domini, & in altari in Cœloque eſſe illi copulatum hypoſtaticè; tametſi repugnet, Humanitatem eſſe illi hypoſtatice unitam in uno loco, & in alio deunitam. Quoniam plura contradicunt extremo limitato, quæ optimè conciliantur in extremo infinito, vel in ſublimiori natura conſtituto: in ampliori Theatro plura concordant, quæ in anguſto pugnant.

Num. 89. Arguo ſeptimo: ratiocinio decerpto ex verbis illis divinæ Sapientiæ Proverb. 8. *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, quem locum de Euchariſtia, quin & præcipuè, uſurpant frequenter Interpretes. Et ſanè in quocumque ſenſu accipiantur, etiam purè generico, qua pacto eſſe poteſt verum, Chriſtum Dominum expetere vehementer eſſe nobiſcum, ſi, cum poſſet modo aſſerto à nobis habitare realiter immediatè, & permanenter, cum eis, qui eximia puritate mentis, & corporis, ipſum in Euchariſtia avidiſſimè recipiunt, abiret ſubito, at accidentia pereunt, & corpus eſſe deſinit phyſicè ibi? Quòd autem corpus deſinat, corruptis ſpeciebus, eſt planè neceſſarium, quia exiſtit ibi cum habitudine ad illas ex vi verborum, & ſacramentaliter, non autem alio modo; ejuſmodi autem præſentia deſinit, cum ſpecies evaneſcunt. Cæterum anima, quæ ſuaptè natura ſortitur præſentiam definitivam ſacramentali conſimilem; quæque conſtituitur ibi præſens per actionem diſtinctam, & independentem, ut inſinuatum nuper fuit, capacemque ſubinde permanendi, ceſſante altera; ſi aliunde tantopere exoptat eſſe intimè nobiſcum: eumque rurſus ejus præſentia, phyſica durans ex ſe perpetuò, fructus quammaximos, & quam ſuaviſſimos, emittat perenniter; quo jure deliciarum Thalamo voluntariè deſerto abire, & quaſi avolare credenda eſt?

Quamobrem Venerab. Beda expendens eum locum, apud Cornelium à Lapide ibidem, dixit: *Chriſtus ſummè deſiderat in animis noſtris quieſcere, in iiſque quaſi in templo, & ſacrario ſuo habitare*. Quod vividiùs adhuc, & ardentiùs explicuit idem Chriſtus Dominus Sponſæ Getrudi, ut habetur in ejus vita lib. 3. cap. 26. dum ita eam allocutus eſt: *Ita deſidero, ut uniaris mecum indiſſolubili unione, ſicut homo deſiderat retinere halitum, & ſpiritum ſuum, ſine quo nequit vivere*. Hæc eſt illa radicatio Sapientiæ Divinæ, de qua Eccleſ. 24. *In Jacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices*: in electis enim, ad menſam, quam poſuit Sapientia Dei, accedentibus cum veſte nuptiali altè radices agit, quoniam intimè illis copulatur anima Chriſti Domini cui Verbum, & Sapientia hypoſtaticè unita ſunt. Ubi autem hæc conjunctio permanens exerceri facile poteſt phyſicè immediatè, cur affectivam ſolùm adſtruis? De pane ſiquidem Euchariſtico ſcriptum erat Geneſ. 49. *Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*; de Euchariſtia enim allegoricè uſurpant eum locum Procopius, Rupertus, Eucharius, & aliis; ex quibus à Lapide, inquit: *Aſer eſt Chriſtus, nos lætificans, impinguans, & beatificans deliciis Euchariſtiæ*; deliciæ autem ex cibo perceptæ, ſunt intrinſecè in ſenſu reali, & aliunde, quà beatitudinem redolentes, ſunt ex ſe perſeverantes. Sic autem exiſtere voluit ſub ſpeciebus cibi, & potus delicium generis humani Chriſtus Dominus, ut ſimul teſtetur, ſe capere ſummam voluptatem in nexu intimo reali, ſuimet cum ipſum debitè recipiente. Cur igitur diſſoluturus eſt ſuavem illum nexum, & quaſi rupturus fila ejus omnia, cum nullo negotio valeat, & ſanè præſtantiùs, ea retinere? Certè verba illa Cant. Cant. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Intimam dilecti aſ-

ſiſtet-

ſiſtentiam denotat , & quidem ejus naturæ ut realem conjunctionem includat , Et inſuper permanenter , aut immobiliter , ut Philo vertit , & refert à Lapide. Unde Sanctus Ambroſius de Iſaja cap. 8. legit , *in pectore ejus recumbens* , uti & Origenes Homil. 1. in latinum verſa à Sancto Hieronymo, ad modum quo recubuit dilectus Diſcipulus ſupra pectus Domini. Jam verò cum deliciæ Euchariſtiæ deſignentur ibi , ut plures explicant , ſi conjunctionem ſolam materialem , & tranſeuntem Indicaret , potiùs dilectus repræſentaretur intra pectus ſponſæ , quàm viceverſa : adeoque realem aſſiſtentiam animæ Chriſti Domini ſignificat , qua fulcitur ſponſa , aſſumiturque , ut intrinſecè regatur in vita Divina , moveaturque ad dilectum exprimeudum . Quoniam tamen ſenſus accommodatitios valida ratione ſtabilire difficillimum eſt , delibaſſe tantùm ſufficiat producta loca ; ne apud ſcopulos nimiùm hæſiſſe videar.

Num. 90. Moveor octavò abſurdo , alia via , quàm per noſtram ſententiam , ægrè vitando . Porro Sacramenta Confirmationis, & Euchariſtiæ eſſe prorſus diverſæ rationis aut ſpeciei , non ſolùm phyſicè penes materiam , formamque diverſas , verùm , & metaphyſicè per ordinem ad fines , effectuſque primarios diverſos , conſtantiſſimum in doctrina fidei eſt ; alioqui forent nuum , & idem ſpecie Sacramentum , quod aberrat planè à vero . Conſtat pariter plerumque inter Theologos , effectum primarium Confirmationis eſſe augmentum gratiæ , & charitatis , virileque robur . Ex quo à fortiori ſequitur , aut Euchariſtiam ultra unionem purè ſpiritualem per gratiam , & affectivam per charitatem , reſpicere unionem aliam diverſam , tamquam effectum potiſſimum , ut contendit opinio noſtra ; aut eſſe omniuo ejuſdem rationis , & ſpeciei , contra quod Eccleſia nos docet , de quo plura dedimus ſect. 1. . Unde Trident. ſeſs. 13. cap. 1. dixit : *commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis , ſymbolum eſſe rei ſacræ , & inviſibilis gratiæ formam viſibilem &c.* Unio igitur per gratiam , aut gratiæ augmentum , eſſe nequit propria differentia Euchariſtiæ à Confirmatione , & aliis ; cum ſit id , In quo convenit cum eis. Quin diverſitas hæc ſalvetur per diverſum modum obtinendi prædictum effectum ; aut per diverſas gratiæ modificatones ; cum diverſitas ex parte modi, ſi nullam Inferat ex parte ipſius finis primarii diverſitatem ſpecificam , ſufficiens ſit ad diverſitatem metaphyſicam Sacramentorum, cum non reſpiciant per ſe primò modum obtinendi finem , quod ſit nimirum per nutritionem , vel alia via , ſed finem ipſum intimum . Qui ſubjiciat augmentum gratiæ convenire utrique Sacramento penes prædicatum genericum duntaxat Sacramenti vivorum ; ac proinde effectum reſpondentem prædicatis differentialibus utriuſque , in quibus deſignandis , pugnant acriter ſecum Scholaſtici , eſſe diverſum ; fatetur eo ipſo , unionem nudè affectivam , myſticam , aut ſpiritualem per gratiam neutiquam eſſe effectum proprium Euchariſtiæ , ſecundum quod differt ſpecie à Confirmatione , & aliis vivorum . Aliunde exploratum cunctis eſt , Euchariſtiæ effectum peculiarem importare eſſentialitèr permanentem unionem aliquam , ſive immanentiam veram inter Chriſtum Dominum , & debitè ſuſcipientem ipſum , omneſque maximæ notæ Interpretes hac vel illa via deſignare immanentiam aliquam realem , per unionem propriam Euchariſtiæ , & neutiquam communem reliquis Sacramentis. Rurſus , cum prædicatum differentiale Euchariſtiæ ſit excellentiùs gratia habituali , neceſſario ejus effectus excellentior illa . Ergo unio propria Euchariſtiæ eſt illa , quæ à nobis deſideratur , cum non ſit alia excogitabilis (ſiquidem moralis reipſa ad præfatas revocatur, ſi quidpiam de re ſignificet) . Per illam enim inducitur unio realis , aut conjunctio ſpecie diverſa ab unionibus inſinuatis ab omnique proprio aliorum Sacramentorum effectu ,

Hanc differentiam inſinuavit Div. Thom. dum per modum nutritionis exponit differentiam Euchariſtiæ à Confirmatione ; non enim vult tantùm conſtituere diſcrimen in modo obtinendi effectum ; alioqui effectus ipſe potiſſimus ſemper foret idem , ut nuper ſubinferebam , ſed in effectu ipſo , eo quod unio animæ , aut formæ viventis cum cibo , ejuſque converſio in ſubſtantiam aliti, ſequantur per ſe ex nutritione , ſive ex modo illo Euchariſtiæ proprio , ut vidimus ſupra ex Divo Thoma in 4. diſt. 12. quæſt. 2. artic. 1, ad primam quæſtion. corpore , adjungente ; *cibus autem materialis primò in cibatum convertitur , & ex tali converſione deperdita reſtaurat , & quantitatem auget ; ſed ſpiritualis cibus non convertitur in manducantem , ſed eum ad ſe convertit : unde proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum , ut dicat cum Apoſtolo : vivo ego, jam non ego , vivit verò in me Chriſtus* . Et 3. part. quęſt. 79. artic. 1. ad 1. effectum Euchariſtiæ diſcriminat ab effectu Confirmationis per *conjunctionem ad Deum*. Incrementum gratiæ igitur competit ſumptioni Euchariſtię penes prędicatum , quo convenit cum Confirmatione , & aliis vivorum Sacramentis , unio verò permanens ſumentis cum anima Chriſti Domini eſt proprius effectus illius penes prędicatum differentiale , ratione cujus eſt cibus nutriens , & quà vivus manducans etiam , & convertens cibatum in ſubſtantiam aliti . Et quamquam anima Chriſti Domini nec ſit forma ſanctificans per ſe formaliter animam , cęterum illam ſanctificat ęquivalentèr nec divinitate eidem copulata ſanctificatur anima no-ſtra , eo quod non uniatur phyſicè ratione ſui ; ſed unicè ſit illi intimè pręſens novo ſpeciali ipſius modo , quòd ſufficit in Perſona Divina ad aſſumendum Corpus , li-

Digitized by Google

cet non ad ſanctificandum ? Deinde ſicut præſentia materialis Chriſti Domini in Euchariſtia confert plurimùm ad uberiorem gratiam ſanctificantem conferendam : ita præſentia realis animæ intimè perſiſtentis, ultra auxilia debita titulo præſentiæ materialis abeuntis velociter, uberiora aliqua vendicat aſſumpto, conducitque illum, ſi regi patiatur, uſque ad mirabilem unionem transformativam, per quam exprimit in ſe Chriſtum Dominum, ejuſque vitam Divinam. Et tamquam rector gubernaculo admotus, ſi navis illi obediat, ipſam ab ſcopulis, & ſyrtibus liberat, prædones fugat, ad portum ſalutis conducit ſecuriùs, & glorioſius.

Num. 91. Moveor 9. ex Etymologia nominis Euchariſtiæ, ſignificantis apud omnes illius proprium, & potiſſimum effectum. Appellatur enim *communio* latinè, ſeu *communis unio*, quod Græce eſt ſynaxis, vel in actu primo ſi loquamur de Sacramento ipſo, ſive in actu ſecundo ſi pro ſumptione, & effectu ipſius accipiatur. Verum quo ſpeciali jure competit Euchariſtiæ ejuſmodi nomenclatura. *Quia communicamus per ipſam*, reſpondet S. Damaſcenus lib. 4. de fide ortodoxa cap. 14. *Chriſto, & quia participamus ejus carne, & Deitate, & quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſum*. Sumiturque ex S. Dionyſio cap. 3. de Eccleſ. Hier. ex S. Hieronymo, Auguſtino, Beda, aliiſque Patribus, quorum locutionem, & mentem ſequitur D. Thomas 3. par. qu. 73. art. 4. Continetur in Trident. ſeſſione 13. cap. 8. *in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ Symbolo jam tandem aliquando conveniant*. Eſtque re ipſa Apoſtoli doctrina 1. Corint. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio Sanguinis Chriſti eſt ? Quoniam unus panis : unum Corpus multi ſumus omnes, qui de eodem pane participamus*. Sed quænam eſt hæc unio communis ſimul, & ſpecialis, tum hominum cum Chriſto Domino, tum nobiſcum ad invicem ? Unio ſolum Corporis myſtici, aut membri illius cum capite, quæ fit per gratiam & Charitatem ? Non ſanè, ſiquidem notum eſt fidelibus, Sacramentum hoc, utpotè vivorum, præſupponere per ſe membra viva actu, per fidem ſcilicet charitate formatam ; illam ergo unionem reſpicere nequit ut effectum proprium ſubſecutum. Eamdem vero, ut ſtrictius copulantem per augmentum gratiæ intendere quidem valet, & efficere ; cæterum hanc reſpiciunt formaliter etiam alia vivorum Sacramenta, & peculiari quodam jure Confirmatio ; ac proinde nequit eſſe proprius finis Euchariſtiæ, quà eſt diverſæ ſpeciei Sacramentum. Quamvis enim, juxta opinionem quoque noſtram, qui ſumit frequenter Euchariſtiam, retinetque pretioſum nexum cum anima Chriſti Domini, ſolam ſtrictiorem ejuſdem vinculi unionem efficiat Euchariſtia in illo ; attamen nexum illum per ſe non præſupponit iterata ea ſumptio, ſicuti per ſe poſtulat præexiſtentiam gratiæ ſanctificantis, ad ipſam augendam, effectuſque ſuos exhibendos. Et ulterius uterque ille nexus, videlicet, ſimpliciter talis, & intimior, eſt determinatè, & privativè ſolius Euchariſtiæ.

Neque obeſt, quòd Divus Thomas in loco nuper allegato ad ſecundum dixerit : *quòd id, quod eſt commune omnibus Sacramentis, attribuitur antonomaſticè ei* (Euchariſtiæ) *propter ejus excellentiam*, & differebat objectio, cui ſatisfacit de collatione gratiæ derivatæ ex ſumptione Euchariſtiæ. Quandoquidem hoc concludit ſolùm, effectum communem omnibus attribui per antonomaſiam digniori, nempe Euchariſtiæ ; neutiquam verò, quòd per illum differat ſpecificè ab aliis, cum ipſa vocis, aut figuræ ſignificatio propria ſupponat, prædicatum, aut qualitatem illam convenire pluribus ; digniùs tamen, nobiliùs, & veluti primo loco, uni. Conjunctio materialis Chriſti Domini cum manducante, quæ tametſi vitam habeat concitatiſſimam, eſt nihilominus gloria ſingularis Euchariſtiæ, ratione præſentiæ, & majeſtatis Chriſti Domini ? Neque adhuc illa : quoniam unio, quam deſignat nomen *Euchariſtiæ* eſt permanens, ut fatentur Adverſarii propè cuncti, qui propterea per nexus alios perſiſtentes effectum Euchariſtiæ primarium paſſim explicant. Deinde effectus Euchariſtiæ debet exponi per effectum proprium nutritionis, aut per ordinem ad illam ; conjunctio autem materialis cibi in ſtomacho ; aut ore, eſt via ſolùm ad effectum nutriendi, non ultimus effectus, aut terminus. Unde per eam conjunctionem realem differt quidem purè phyſicè Euchariſtia à Confirmatione, & reliquis Sacramentis, quia includit realem præſentiam Chriſti Domini ſub ſpeciebus (de qua purè phyſica diverſitate non diſceptatur) nequaquam verò metaphyſicè per reſpectum ad finem potiſſimum. Rurſus effectus per ſe primò intentus ab Euchariſtia exprimitur à Chriſto Domino per illa verba : *in me manet, & ego in illo* ; manifeſtum eſt autem, prædictam immanentiam ſalvari minimè poſſe per realem conjunctionem utriuſque in ore, & pectore, cum illa potius habeat naturam tranſitus, & Hoſpitii prætereuntis hominis, quàm immanentiæ, aut inhabitationis, explicatæ ab eodem ſupremo Magiſtro, & ex illo à Patribus per ineffabilem inhabitationem Perſonarum Divinarum ad invicem : mira animoſitas amoris Chriſti Domini erga dilectam ſuam Sponſam ! Quin, ſi fas ſit ita loqui, glorioſa audacia !

Num. 92. Moralis forſan conjunctio inſtar illius, quæ reſultare concipitur ex conſummato Connubio ? verùm hanc inſufficientem eſſe probant ea, quæ ſect. 1. adduximus. Deinde reipſa præfacta unio nihil ponit ex parte effectus potiſſimi Euchariſtiæ, quod non reperiatur in effectu primario confirmationis. Tametſi enim ex eo, quod effectus

Eu-

Euchariſtiæ proveniat ex præſentia reali corporis Chriſti Domini intra pectus juſti, accipere valeat fundamentum intellectus noſter ad cogitandum, aut fingendum eum nexum moralem; quod fundamentum accipere nequit ex effectu Confirmationis; verumtamen uterque effectus, ut inductus per utrumque Sacramentum, eſt pœnitus ejuſdem rationis formalis: cum ergo per ordinem ad illum phyſicè exiſtentem, aut exiturum, deſumatur conceptus metaphyſicus Sacramenti, & non per ordinem ad æſtimationem prudentis, utrumque erit ejuſdem ſpeciei metaphyſicè in ſeipſis, quantumvis in conſideratione morali, concipi valeant aliquatenus diverſa. Non enim reſpicit Euchariſtia effectum ſuum; ut dicentem intrinſecam habitudinem ad præſentiam realem Chriſti Domini, ex qua provenire debeat. Tum quia augmentum gratiæ manantis per Euchariſtiam eſt prorſus ejuſdem conceptus formalis, ac augmentum fluens per Confirmationem; cum omnis gratia ſanctificans ſit ejuſdem ſpeciei, juxta firmam Theologiam, ac ſubinde non poſtulat eſſentialiter hoc, deſcendere ex reali præſentia Chriſti Domini, cum potuiſſet idem numero provenire ex Confirmatione. Tum quia cauſam reſpicere effectum, ut reſpicientem eamdem cauſam, Philoſophorum redargutionibus, & inſidiis patet, & in multorum ſententia repugnat; & aliunde ſi feratur in ipſum ut ſpecie diverſum ab aliis, & ea tantùm ratione differat ab eis debet illum reſpicere, ut reſpicientem ipſam.

Permittamus attamen eam moralem unionem ſufficientem ad diſcrimen ſpecificum, profectò inconcuſſum nihilominus eſt nobiliorem longè futurum nexum ulteriorem realem permanentem à nobis deſideratum, & proportionatum magis ſublimiori prædicato differentiali; qua ratione igitur uberiorem hanc gloriam denegas effectui Euchariſtiæ, ubi ſemel noſti illam poſſibilem? cur per ambages, & veluti anfractus moralitatis exquiris differentiam metaphyſicam Euchariſtiæ à Confirmatione: cum illam ex phyſico effectu luce clariorem videas in aſſertione noſtra ſplendentem? In hunc ſenſum trahi poteſt connaturaliter Doct. Seraphic. in 4. diſtin. 8. art. 2. qu. 1. ad 5. & 6. ubi ait: *Dicendum quòd unio in corpore myſtico poteſt eſſe dupliciter, vel ob unitate virtutum contingentium; vel à gratia ſacramentali ſecundum quam ſumentes* (Euchariſtiam) *magis Chriſto incorporantur: & ſic per conſequens magis Chriſto uniuntur. Prima præcedit, & non eſt res; ſecunda ſequitur, & eſt effectus, & res hujus Sacramenti.* Cæterum ſi illa, quæ ſubſequitur, ſit tantùm per ſolam fidem charitate informatam, aut gratiam ſanctificantem; ſicuti illa, quæ præcedit, & ex alio fonte manavit, effectus proprius, & potiſſimus, Euchariſtiæ eſſe nequit ſingulariter; ſed communis, ſic nec ſubſecuta: & conſequenter non poteſt illam ſecernere à reliquis Sacramentis, aut gratiæ fontibus. Agnovitque propterea Doct. Seraphicus unionem aliam diverſam à vulgatis conjunctionibus, quæ ſit res ſpecialis Euchariſtiæ, & quæ recurrit cum noſtra à ſufficienti partium enumeratione. Hoc ipſum indicaſſe putamus Cyprianum, vel alium, (doctiſſimam proculdubio) in ſerm. de Cœna Dom., cum unionem, quam parit Euchariſtia, appellat *Unitatem progreſſam uſque ad ſocietatem germaniſſimam*. Supponit etenim unionem illius membri viventis cum corpore myſtico, & ejus capite, docetque Euchariſtiam progredi ad ulteriorem aliam conjunctionem, ſive unitatis genus, intimiùs, rariuſque, aſſociantem nobis germaniſſimè, & perſeveranter Chriſtum Dominum. Quæ unitas, & præſefert notam caracteriſticam noſtræ unionis, & eſſe nequit tantùm per affectum, aut gratiam; cum illam ſupponat per rivos alios quamplurimos decurrentem etiam, à quibus Cyprianus diſcernere vult Euchariſtiæ effectum potiſſimum, copulantem animam Chriſti Domini nobiſcum, ut noſtra ſociam intimè habeat æternum duraturam magnam illam animam, qua ſuſtineatur, ne cadat, qua illuminetur, caleſiat, foveaturque, ut percipiat ſocietatis ſuæ emolumentum.

§. III.

Num. 93. NON inferiorem ſedem vendicat ſibi ſequens ratiocinium, etiamſi decimo loco poſitum. Fundaturque in jure ad reſurrectionem, & gloriam corporis, quin & beatitudinem animæ, promiſſam ſumentibus Euchariſtiam debita animi puritate Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*: & item: *Qui manducat hunc panem, vivit in æternum*: inſuper: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Unde S. Thomas expendens prima illa verba in Joann. lect. 7. profert teſtimonium S. Auguſtini ajentis: *Verbum reſuſcitat animas; ſed Verbum caro factum reſuſcitat corpora*. Concilium Nicænum Euchariſtiam vocat ſymbolum Reſurrectionis: S. Irenæus lib. 4. adverſùs hæreſes cap. 34. inquit: *corpora noſtra participantia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia*. Similia repetit lib. 5. cap. 2. Optatus Milevitanus cap. 6. pariter Euchariſtiam dicit *ſpem reſurrectionis*. Severianus Gabolenenſis, ut refert Turrianus, lib. 1, cap. 19. ait: *Quod comedimus, & impaſſibile, & immortale eſt, & incorruptione plenum, implens nos benedictione, & immortalitate, & incorruptione, tamquam ſemen quoddam vivificum futuræ in nobis divinæ gratiæ, & virtutis reſurrectionis*. S. Ignatius Mart. Epiſt. 14. ad Epheſ. *Pharmacum immortalitatis* eſſe Euchariſtiam affirmat, S. Chryſoſt. homil. 45. in Joan. *Ego autem mea carne alo, quos genui, me eit exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futura ſpem tribuo. Qui in hac vita ita ſe nobis præbet, multo magis in futu-*

futuro. Videatur etiam lib. 6. de Sacerdotio. Expreſſiùs adhuc S. Cyril. Alexan. lib. 4. in Joan. cap. 2. ubi à congruentiæ ratione probat hanc doctrinam, deinde ſimilitudine opportuna eam oculis ſubjiciens, inquit: *Quemadmodum enim ſcintillam multis paleis inſerimus, ut ſemen ignis ſervemus: ſic etiam Dominus Noſter Jeſus Chriſtus per carnem ſuam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam ſemen immortalitatis inſerit, quæ totam, quæ in nobis eſt corruptionem abolet*. Conſulendus etiam lib. 4. cap. 15. & 16. & lib. 10. cap. 13. Nyſſenus orat. Catechet. cap. 3. docet: *corpus noſtrum non poſſe conſequi immortalitatem, niſi huic corpori immortali Chriſti fuerit conjunctum*. S. Athanaſ. lib. de humana natura ſuſcepta pronuntiat: *nos habere primitias gloriæ, quia in communione corporis Domini admiſſi ſumus*. Et Trident. ſeſs. 13. cap. 2. docuit, *Euchariſtiam eſſe pignus futuræ noſtræ in nobis gloriæ, & perpetuæ fælicitatis*. His planè ſimilia habent Tertullianus lib. de Reſurrectione, Auguſt., Hilarius, & reliqui Patres frequenter. Verùm cum Reſurrectio glorioſa debeatur corpori ratione beatitudinis animæ, beatitudo autem debeatur animæ ratione gratiæ perſeverantis, quæ eſt ſemen gloriæ, juſque ad ipſam, ut fide ſanctum eſt: eademque beatitudinis ſluenta ex anima derivantur neceſſariò in corpus: & aliunde gratia hæc, quæ eſt gloriæ ſemen, reſurrectioniſque, conferatur æque per alia Sacramenta, & opera meritoria; quod nam eſſe poteſt, & in quo fundatum, jus illud novum, & Euchariſtiæ ſingulare, ad reſurrectionem, & gloriam corporis? Et quidem intrinſecum, & permanens cum explicetur à Patribus, per ſemen, pignus, radicem ſpei, & veluti embrionem immortalitatis?

Nonnulli Scholaſticorum moti hiſce teſtimoniis, & verbis Chriſti Domini opinati fuerunt, per Euchariſtiam probe ſumptam cauſari in corpore recipientis qualitates aliquas ſupernaturales participantes tantiſper, & inchoatè dotes corporis glorioſi, quibus retentis debeatur reſurrectio, beatitudoque corporis, quin & ipſa beatitudo eſſentialis animæ. Quorum opinioni ſavere videtur, Henriquez lib. 8. cap. 35. eamque tuetur, Contenſonus, paucis ſubſcribentibus. Illam tamen ut prorſus improbabilem rejiciunt Theologi reliqui, in unum ferè agmen colligati, cum Doct. Eximio diſp. 64. ſect. 1, quare otioſum foret inſiſtere in ea profligandа; maxime cum non deſint Theologi, qui temerariam illam dixerint: planè tamen voluntariam eſſe teſtantur omnes, utpote innixam tantum deſiderio evadendi difficultatem. Deinde qualitas quæ ſanctificans non ſit (ſaltem æquivalenter), adeoque nec conſtituens Filium Dei adoptivum, quo pacto conferre valet ſeipſa jus ad hæreditatem filiorum propriam?

Plures alii introducunt gratiam ipſam Euchariſticam, ſicuti & aliorum Sacramentorum includentem modificationem ſibi intrinſecam diverſam ab aliis, ratione cujus poteſt gratia per Euchariſtiæ ſumptionem excepta fundare novum titulum, aut jus ad gloriam. Adversùs hanc doctrinam nonnulla dedimus ſect. 1., & ſanè ipſa aut nihil de re affert, aut gratiam ſanctificantem ſpecie diverſam invehit; quod diſplicet admodum Theologis. Quoniam modus ille, aut modificatio nequit eſſe intrinſeca gratiæ illi, quin ipſa eam per ſe poſtulet; gratia autem, quæ exigit modum ſpecie diverſum ab alia, jam differt eo ipſo ab illa, non ſolùm modaliter, aut penes modificationem, ſed abſolutè, & eſſentialiter; cum exigentia reſpiciens modum diverſum, ſit eo ipſo diverſa ab ea, quæ reſpicit terminum modalem diverſum; exigentia autem innata prædicatum modale non eſt, quamquam modum reſpiciat. Præterea modificatio cujuſvis rei, cum ipſa identificata (ſi namque ſit modus realiter diſtinctus, inducis ſeipſa æquivalenter qualitates returatas in prima reſponſione, quam fingis modum gratiæ Euchariſtiæ) participat aliquatenus ejus naturam, quam temperat: ergo cum omnis gratia ſanctificans fundet per ſe formaliter jus ad gloriam, & reſurrectionem, ipſum quodammodo participaret quælibet modificatio: conſequenterque eo titulo ægrè poſſet fundare ſingulare jus ad gloriam, aliis neutiquam conveniens, modificatio gratiæ Euchariſticæ. Ulterius ea modificatio non adſtruitur ad eum finem à ſuis Authoribus, ſed in ordine ad auxilia determinatè ad aliquem effectum, vel univerſim ad omnes, expetenda, cui idcirco debeantur urgente periculo, aut neceſſitate. Demum cum gratia ſanctificans ſit formaliter jus ad gloriam, illius modificatio eſt eſſentialiter modificatio juris ad beatitudinem; modificatio autem juris ad rem aliquam, tametſi illud aliquatenus participet, non eſt novum jus ad eamdem; ſed potiùs ita illud participat, ut juri ipſi modum imponat.

Num. *94*. Ut hoſce ſcopulos evadant Leſſius, Joannes à Sancto Thoma, Prado, Platelius, Gonet. Gavatius, & Recentes alii, docent, nihil phyſicum relinqui à Chriſti Domini præſentia in corpore, aut anima devotè communicantis, in quo radicetur novum illud jus, vel titulus ad reſurrectionem, & beatitudinem; ſed tantum extrinſecè ex Divina promiſſione, vel ex decentia, teneri Chriſtum Dominum ad ſuſcitandum corpus, cui per debitam Euchariſtiæ ſumptionem fuit realiter conjunctus. Conſequenterque dignam eam ſumptionem tantùm moraliter influxuram in illum effectum, quatenus movet Deum ad eum efficiendum: vel quatenus decere videtur Deum ſuſcitare corpus, cui intimè realiter conjunctum fuit Corpus Chriſti Domini. Verùm hæc ægrè concordare poſſunt cum ſupra laudatis Patrum teſtimoniis, inducentibus in ſuſcipiente debito modo Euchariſtiam aliquid intrinſecum per modum virtutis ſemi-

nalis

nalis reſurrectionis, aut pignoris, aut radicis immortalitatis, relictum ex ipſa conjunctione reali cum Corpore ſanctiſſimo Servatoris noſtri: & quidem ultra gratiam ſanctificantem, & ejus regium comitatum, cùm hic ſit effectus communis reliquis Sacramentis; jus autem quod ratione Euchariſtiæ ritè ſuſceptæ comparatur, eſt illius ſingulare privativè.

Secundò: ſi effectus ſpecialis Euchariſtiæ Sacræ, prout differt ab aliis Sacramentis, eſſet purè extrinſecus, in promiſſione Divina ſitus, quin reale aliquid intrinſecum ponat, aut relinquat; efficaciter inde inſurgent Sacramentarii, nec præſentiam Chriſti Domini in Euchariſtia eſſe debere realem intrinſecè, ſed unicè per fidem, extrinſecèque, & terminativè, cum ad effectum planè extrinſecum, vel ad jus ex quadam decentia reſultans, ſive quod reſultare concipiatur; quatenus ex illo veluti contactu moveatur Deus ad promittendum, ſufficere videatur præſentia extrinſeca, ſeu per fidem habita, figurataque: & quamvis major aliqua congruentiæ ratio inveniatur, ut reſultet ex contactu ipſo phyſico accidentium, in quorum ſinu lateat phyſicè Corpus Chriſti Domini, quàm ex ſola præſentia per fidem, vel figurata; attamen primum ſufficere poſſe ad eam promiſſionem Divinam, ad plenum exemplis convincere poſſunt; cum ſæpiſſimè in Scriptura Sacra promiſerit Deus eximia bona facientibus hoc vel illud; quin ideo debuerit adeſſe realiter præſens operationibus illis Chriſtus Dominus: *Vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius in ſede, Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes &c.* Matth. 19.: Denique, licet eâ doctrinâ ſalvari poſſet præfatum jus; nemo tamen in dubium vertere jure poteſt, illud non verificari condigniùs, ſecuriùs, & veriùs per unionem realem perſiſtentem animæ Chriſti Domini cum noſtra, relictam, & inductam per ſumptionem Euchariſtiç. Ubi accuratè obſervandum, nos hic præſcindere ab eo, quod novo huic juri reſpondeat novum aliquod in ipſa reſurrectione, & beatitudine, præmium; vel ſolùm ſit jus ad novo titulo obtinendum idem prorſus bonum, ut cum Doctore Eximio ſentit communis hac tempeſtate ſententia: de quo fuſe ſequenti diſputatione.

Non alia igitur via tuta, ſolida, & expedita verificari poſſunt Chriſti Domini verba, & Patrum expreſſa teſtimonia, quàm per conjunctionem realem permanentem animæ Chriſti Domini quà Verbo unitæ, cum manducante ritè panem Cœleſtem: quoniam ſicut ex conſortio phyſico animæ noſtræ cum corpore debetur reſurrectio glorioſa, & fulgentiſſima corpori, ratione animæ beatæ, cujus fuit, & eſt corpus; ita neceſſariò debetur corpori myſtico, cujus anima beatiſſima Chriſti Domini fuit in terra forma aſſiſtens realiter intrinſecè, ut motor aſſumens præfatum corpus animatum ad vitam Chriſti Domini repræſentandam. Qua ſemita, tametſi non trita, verificatur miro, & aperto modo, quod ex ſumptione digna Euchariſtiæ relinquatur inſumente, reale pignus, Divinum jus phyſicum, ſemenque reſurrectionis corporis, & ejuſdem gloriæ uti & eſſentialis noſtræ beatitudinis, cui omnia hæc debeantur. Unde jus hoc radicatur in ipſo debitore unito creditori; immò ipſum formaliter jus exigens, eſt debitor ſolvens.

Num. 95. Siſtit jam argumentorum curſus, nimiùm fluens, ratiocinio ex conceptu ſigni deſumpto. Exploratum eſt, Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia eſſe rem ſignatam per ſpecies, & ſimul Sacramentum, ſive ſignum ſacrum effectus per dignam Euchariſtiæ ſumptionem comparandi. Certum eſt ſecundò: rem nobiliorem aſſumi aptè non poſſe in ſignum effectus, aut rei ignobilioris, aut minus nobilis: uti nec figuram eſſe poſſe digniorem figurato. Ita colligitur evidenter ex Doctrina Apoſtoli ad Hæbr. 9. & 10.. Ubi ſigna, & figuras appellat umbras corporis, & veritatis. Ita Doct. Seraphic. in 4. diſt. 8. art. 2. qu. 1. dum ſatisfacit 4. argumeuto. Ita Sanctus Thomas 3. par. quæſt. 48. art. 3. ad 1. ibi: *oportet quòd veritos figuram excedot*. Ita rationis lumen dictat. Ita univerſa Theologia, & Philoſophia paſſim. Conſulatur Eruditiſſimus Cardin. Ptolomæus in ſua Philoſophia mentis, & ſenſuum. Diſert. 21. Logico-phyſic. Concluſ. 2. unde Filius Divinus ita eſt imago, & figura ſubſtantiæ Patris, ut ſit idem ſubſtantialiter, ſive in ſubſtantia cum Patre, ſolùmque diſtincta penes relationem. Cum autem ab Artifice fiat imago aliqua perfecta imaginis, illa ſecunda eſt per ſe primò imago exemplaris, ad imitationem primæ ſculpta ſolum. Et ideo cauſa principalis non propriè poteſt dici ſignum effectus, licet occulti inquit D. Thom. 3. p. q. 62. art. 1. ad 1. quia ſcilicet eſt nobilior ſuo effectu. Certum eſt tertiò, Corpus Chriſti Domini præſens realiter ſub ſpeciebus eſſe longè nobilius effectu gratiæ ſanctificantis, ejuſque ſpecioſo comitatu, ajente D. Thoma in 3. ſent. diſt. 22. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. *natura Corporis Chriſti tranſcendit omnes ſpiritus, in quantum eſt Divinitati unita, quæ eſt major, & dignior unio, quàm ea, quæ eſt per fruitionem* (ac ſubinde per gratiam ſimul): *& ideo altior locus debetur Corpori Chriſti, quàm etiam ipſis ſpiritibus creatis*, gratia, & gloria præditis.

Jam ſic. Ergo Chriſtus Dominus nequit ex Euchariſtia eſſe ſignum effectuum ſolius gratiæ ſanctificantis, auxiliorumque, ſignificans, ſive, ut alii loquuntur, deſignans unicè corpus myſticum, quà per gratiæ augumentum intimiùs incorporandum. Alioqui aſſumeretur in ſignum rei inferioris ordinis, derogareturque ejus unitati. At eſt verum ſignum effectus Euchariſtici, ut

ex

ex fidei principiis docemur : ergo effectus ille ſignatus eſt ſublimior augumento gratiæ , & in ſenſu aliquo vero nobilior ſigno ipſo . Non eſt autem excogitabilis alius, niſi anima ipſius Chriſti Domini (ultra prędictum gratiæ augumentum) quà inſtrumentum Verbi, & ſimul cum illo ut principali motore aſſumente, aſſumens corpus myſticum eximia diſpoſitione ſuſcipiens Euchariſtiam Sacram ; ut intimè eidem unita, penetrataque cum eodem inſtar formæ aſſiſtentis , exprimat in ipſo per ejuſdemmet operationes Sanctas , Divinas ejuſdem animæ in proprio phyſico corpore elicitas, dum paſſibile fuit . Hic autem effectus ſignatus , eſt proculdubio præſtantior ſigno ; non ſolùm qua parte anima Chriſti Domini ſuperat ejuſdem corpus , verùm & quia licet tam ex parte ſignati quàm ſigni includatur ſuppoſitum Divinum ; modus attamen incluſionis eſt diverſus, vincenſque in ſignato modum , quo involvitur iu ſigno . Quandoquidem ex parte ſignati invenitur Verbum in recto, & principaliter aſſumens ; ex parte verò ſigni nonniſi de obliquo intelligitur , cum corpus ſignificet , quà ponitur ſub ſpeciebus ex vi verborum ; ex qua nequaquam conſtituitur Verbum in Euchariſtia ; ſed connotatur . (Ad eumque modum etiam inducit aſſertio noſtra fruitionem ; ſeu beatitudinem Euchariſticorum , de qua diſp. *9.* , quam deſignat pariter Corpus Chriſti Domiui ſpeciebus velatum): licet namque nec Deitas , nec Perſona aliqua ſecundum ſe accepta eſſe poſſit ſignum ſtrictè , eo quod infinita ſuperet nobilitate omnia creata (& in Divinis ſit una Perſona alteri æqualis) attamen conjuncta cum reliqua creata , humauitate v. g. , cui copulatur , poteſt de obliquo illud conſtituere , & nobilitare ; itaut ratio ſigni ſit principaliter penes corpus; nobilitas tamen illius ex Perſonalitate Divina potiſſimè deſcendat.

Dices ex Seraph. Doctore ſupra ; Corpus Chriſti Domini non eſſe ſignum ratione ſui formaliter , ſed ratione ſpecierum , à quibus redditur ſenſibile ; illæ autem ſunt proculdubio ignobiliores corpore myſtico per augumentum gratiæ noviter copulato. Contra : quia ſignum non conſtituitur ex ſola ſenſibilitate , ſed ex illa, & ex ſignatione, quæ ſunt ſeparabiles ; itaut ex utraque reſultet ſignum . Et aliunde evidens apparet , promiſſionem Chriſti Domini manendi apud venientem nuptiali veſte ad ſuſcipiendum ejus corpus , ipſum inſtituiſſe ad ſignificandam præfatam manſionem, ut factum ſenſibile per ſpecies, & verba. Sic etiam juxta D.Th.3. p. q. *60.* ar. 4. intelligibilia participant rationem ſigni, quamvis minùs principaliter ; multò ergo magis corpus ſenſibile in ſe , tametſi per accidens occultum . Et iu ſcripto in 4. diſt. 8. qu. unica art. 1. ad ſecundum ait: *omne Sacramentum eſt viſibile ſecundum aliquam ſui partem , ſcilicet ſecundum id, quod eſt Sacramentum tantùm; ſed non ſecundam omnem , ſcilicet ſecundum id, quod eſt Sacramentum , & res , ſicut eſt Corpus Chriſti in Sarcamento Euchariſtiæ* . Secundò : quoniam etſi adæquata forma ſignificandi ſit pænes ſenſibilitatem ; ſubjectum autem ſignificationis eſt corpus ; & aliunde ſubjectum aſſumendum, ceu ſignum rei alicujus , eſſe miuimè debet præſtantius illa quà ſignata . Alioqui falleret communis Philoſophia , Theologiaque , maximè ſi in ejuſmodi concretis ſubjectum ſit rectum (quamquam ſufficeret , quod eſſet obliquum , ut nobilitetur concretum) .

Dices ſecundò : Corpus Chriſti Domini eſt ſignum duntaxat , ſecundum quod ponitur vi verborum ; ex vi autem illa minimè ponitur Verbum . Et aliunde corpùs præciſivè à ſuppoſito Divino nobilius eſſe nequit corpore myſtico ut per gratiam intimius incorporato . Nec etiamſi veniret ad Euchariſtiam ex vi Sacramenti , poſſet conſtituere ſignum, cum hoc repuguet Deo, Perſonæque Divinæ . Reſpondeo argumentum corruere , ſi vera eſſet opinio Cardin. Bellarm. Claudii Sainctes . Theoph. Raynan , in candelabro ſancto ſeptiluſtri , & Bernal , conſtituens Perſonalitatem Divinam ex vi verborum, etiamſi directe magis, & primariò ſignificent corpus, illudque præſens conſtituant. Verùm ea opinione procul amota, reſpondeo Verbum Divinum , juxta placitum ſatis communis Theologiæ, non poni quidem vi verborum ; connotari tamen neceſſariò ; eum certum eſſe debeat , poni ſub ſpecichus vi Sacramenti Corpus Chriſti D. ut Chriſti D. non verò Corpus præciſive ab eo , quòd ſit Chriſti D. , vel alterius puri hominis ; alioqui ſalvaretur id , quod poſtulat Sacramentum auguſtiſſimum , licet corpus puri hominis adeſſet ; quod repugnat Concilio Epheſino , ut vidimus diſp. 1. & ſecunda : ſufficit autem ea Verbi divini connotatio ad elevandam dignitatem Corporis Chriſti Domini ſupra purum effectum gratiæ ſanctificantis . Quòd autem Perſona Divina ſecundum ſe (nec pro recto alicubi) conſtituere nequeat ſignum rei, neutiquam impedit , quominus unà cum homine quem conſtituit, ut ſubſiſtens in ipſo, non poſſit de obliquo ſignificare, aut conſtituere ſignum, ut nuper dictum fuit . Et quidem ſignum , quod ſapientiùs petiiſſent ii, qui Math. 12. dixere: *Volumus à te ſignum videre* .

Num. *96*. Nunc exemplis agamus, & ſimilitudinibus : audivimus jam eam , quam doctiſſimus Pater Godinez attulit ſupra , unionem transformativam divinitatis, tamquam formæ aſſiſtentis cum anima juſti . Sic latè libro *6.* cap. 15. , & fuſius tractat Antonius à Spiritu Sancto in direct. Myſt. tract. 4. diſp. 1. ex Seraphica Matre , ex S. Joanne à Cruce , & ex antiquis Doctoribus (quidquid ſit de ſoliditate hujus doctrinæ) : cum igitur Humanitas Chriſti Domini ſit inſtrumentum Verbo Divino intimè conjunctum, cumque rurſus illud per Euchari-

ſtiam

ſtiam eo tendat, ut cum dignè ſumentibus uniatur, quantum poſſibile ſit, & deceat; quid congruentiùs, quàm quod Verbum ipſum media anima Chriſti Domini, & ſimul cum illa (caro enim permanere nequit, corruptis accidentibus) aſſumat perſeveranter communicantem, eo fine, ut uſque ad perfectam unionem transformativam deveniat exprimendo in ſe vitam Chriſti Domini, ejuſque animæ operationes: ad modum quo eſſentia divina inſtar formæ aſſiſtentis in anima informante Corpus, illi intimè realiter copulatur? Hoc inſinuaſſe videtur Cyprian. in Serm. de Cæn. Dom. dum ait: *ſicut in Perſona Chriſti Humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita Sacramento viſibili divina ſe infundit eſſentia*. Non enim ponderat tamquam ineffabilem modum, quo ſe infundit eſſentia divina in Euchariſtia ipſa, cum ex ſuppoſitione unionis hypoſtaticæ, & ex ſuppoſitione realis præſentiæ Chriſti Domini ſub accidentibus, ſequatur omnimoda neceſſitate infuſio illa divinitatis in omni ſtatu, & ſub omni modo, quo exiſtat Humanitas illa ſanctiſſima, ſive latens, ſive viſibiliter, & palam ſe manifeſtans; quia ſicut numquam ſimpliciter amiſit, quod aſſumpſerat, ita in nullo loco, aut nullibi amittit, quod ſemel alicubi aſſumpſit; ſed modum, quo ſe infundit, ut maneat, & non per gratiam tantùm, cum hic permanendi modus ſit communis. Loquitur ergo de mirabili infuſione ſpeciali permanente in juſto illo, mediante Verbo Divino, cujus eſt natura, & media anima Chriſti Domini, cui divinitas eſt immediatè unita realiter, ſicuti ab opinione noſtra aſſeritur: ipſaque infuſione deitatis; ejuſque unionis exemplo declaratur infuſio animæ Chriſti Domini per modum formæ aſſiſtentis.

Num. 96. Secundum Exemplum accipi poteſt ex ſententia quæ attribuitur Herveo, ſapientiſſimo proculdubio Theologo, in opuſc. de pluralitate formarum, vel potiùs de unitate formarum, apud Doct. Eximium to. 3. in 3. p. diſp. 51. ſect. 4. revera tamen nec in opuſculo allegato ad argumentum 143. (non ſunt niſi centum duntaxat) ubi de re hac diſputat circa finem ad 11. variato numero pag. 100. nec quodlib. 7. q. 7. illam invenio. Fuit tamen quorumdam veterum opinio. Dum igitur diſputat, num anima Chriſti D. ponatur in Euchariſtia ex vi verborum pœnes gradum genericum, tribuentem eſſe corporeum, dum ſententiam hanc reprobat: dumque ex alia parte, affirmare, animam, quà rationalis eſt, & informans realiter Corpus, conſtitui ſub ſpeciebus vi verborum, reformidat; opinatur (juxta Doct. Eximium) poni quidem animam, quà rationalem ex vi verborum, cæterum, non ut informantem, aut vivificantem per modum formæ Corpus Chriſti D., prout ſacramentaliter ibi exiſtens, ſed quà ibidem intimè conjunctam Corpori: Ideſt poni vi verborum non per unionem informativam, ſed quà ibi intimè realiter præſentem. Hæc autem opinio, quantumvis in ſe planè fallat, ut evincit Doct. Eximius diſp. 51. ſect. 4. ſitque exotica, & ſimul impertinens ad difficultatem, ſub qua nata eſt, evadendam; attamen ad rem noſtram declarandam opportuniſſima eſt: præſertim quia plerumque rejicitur eo ſolùm titulo, quòd idem Corpus naturale Chriſti Domini ponat in Cœlo vivum, & in Euchariſtia re ipſa mortuum, ubi juxta fidem eſt vivum ſubſtantialiter; ultra errorem ponendi animam quà rationalem ex vi verborum. Quia ſi ſemel apud inſignem hunc Theologum nulla creditur repugnantia, in eo, quod anima Chriſti Domini in uno loco ſit informans, & in alio aſſiſtens eidem corpori naturali, tantùmque aberret, juxta Theologos ex aliis capitibus inſinuatis; nullo jure repugnare poteſt, quòd eadem anima informet Corpus naturale, & Corpori myſtico ſimul ſit intimè præſens ut forma aſſiſtens, aut virtus motiva aſſumens, cum in reali diſtinctione corporum, & in eo quod nullibi exiſtat corpus naturale Servatoris nunc, niſi informatum anima rationali, ceſſent abſurda opiuioni Hervæi objecta: & tanti viri doctrina ab imperfectionibus, umbris, nævisque, purgata, ſententiam noſtram nova quadam auctoritate illuſtrat: & quidem ex eadem via, per quam ſolus aberrat, quia ſæpè fax, quæ alios illuminat, ferentem obcæcat.

Num. 97. Tertium exemplum accipi valet ex unione hypoſtatica, quæ non affert ſecum Humanitatem ad omnem locum, ubi adeſt Verbum, nec ipſa unio adducitur, eo quod adæquata minimè ſit; & aliunde adæquatam non eſſe ſimpliciter unionem animæ Salvatoris cum Corpore naturali, relatè ad ordinem exiſtendi ſupernaturalem, oſtendam ſect. ſequenti. Quartum ex unione eſſentiæ divinæ per modum formæ cum mente Beatorum in eſſe intelligibili, quamvis non in eſſe reali, de qua S. Thom. 3. contra Gentes cap. 51. & 1. p. q. 12. artic. 2. ad tertium. Quintum exemplum, reſecatis ab illo erroribus aliunde provenientibus, petitur ex doctrina plurium veterum Philoſophorum, autumantium, intellectum agentem eſſe eumdem numero realiter in omnibus (quin & intellectum etiam poſſibilem, ut Averroiſtæ, adverſùs quos & ſtrenuiſſimè D. Tho. opuſc. 16. de unitate intellectus) eſſe intelligentiam motricem, Cœlorum, vel ultimam juxta Avicenam, vel penultimam juxta Averroem, ut refert Cardin. Cajetanus 1. p. q. 79. art. 4. ibi: *diverſæ ſunt opiniones de illo intellectu ſeparato, aliqui tenent, eſſe ultimam intelligentiam, ut Avicenna, alii penultimam, ut Averroes*; quamquam apud Scaligerum exercit. 30. num. 18. ultimam etiam dixerit Averroes, videatur ipſe Averroes in paraphraſi metaphiſices. Immò eamdem ſententiam attribuunt Platoni, quin &

Ariſtoteli; tametſi Theodoret. l. 5. de cur Græc. affect. ſentiat, Ariſtotelem docuiſſe, intellectum agentem eſſe *partem divinam*. Conſulatur Fortunius Licetus, lib. 2. de intellectu agente cap. 13. Adjungebant autem, præfatum intellectum unum in omnibus, adeſſe tantùm animæ per modum formæ aſſiſtentis, ut nauta aſſiſtit navi, non autem informantis, quia nullo pacto inhærebat, utpotè intelligentia ex ſe ſeparata, per ſe ſubſiſtens, & pluribus re communis, ut oſtendit Junior quidam in ſuis Diſcuſſ. Hiſtoric. Theologic. & Philoſophic. par. 2. num. 358. Et ſanè quamquam Div. Thom. opuſc. 16. eam unitatem intellectus expugnet ut prorſus falſam; circà unitatem tamen intellectus agentis innuit, eam abſolutè nullam importare contradictionem, eſſeque proinde divinitus ſaltem poſſibilem (neutiquam actu, exiſtentem), dum enim unitatem intellectus poſſibilis repugnantem omnino oſtendit, adjungit: *forte enim de agente* (intellectu) *hoc dicere, aliquam rationem haberet, & multi Philoſophi hoc poſuerunt. Nihil enim videtur inconveniens ſequi, ſi ab uno agente multa perficiantur ... ſed quidquid ſit de intellectu agente &c.* Rurſus iidem Philoſophi docuerunt, intelligentias conſtare abſolutè materia, ſive cæleſti, ſive ſpirituali, & forma realiter diſtinctis, ut refert Div. Thom. 1. par. qu. 50. art. 2. & in diſputatis qu. unica de ſpiritualibus creaturis art. 10. uti & qu. unica de anima. Conſtat ex Ariſtotele 2. Metaphyſ. text. 12. & 8. phyſic. text. 15. ex Avicena 2. Metaphyſ., & commentatore 12. Metaphyſ. text. 20. Immo loquendo determinatè de materia ſpirituali, id ipſum ſenſere ex Auguſtino, Damaſceno, Boætio, & aliis Patribus Theologi magni nominis. Ut Alexand. de Aleſ. Doctor Seraphic. Richard. Aureolus, de quorum mente conſulendus Eximius Doctor lib. 13. Metaphyſ. cap. 14.. Forma ergo illa, ſeu intelligentia, aut anima [cum corpus informaret] & informabat, apud eos Philoſophos; corpus proprium, juxta pleroſque, materiale, & corporeum, quamquam cæleſte; & ſimul per modum formæ aſſiſtentis, & motricis, aderat animabus hominum intimè, ut eas, earumque intellectum paſſivum per modum intellectus agentis illuminaret, vel inſtar luminis in aere, ut Ariſtoteles dixit, vel inſtar Solis, ut Plato docuit, & narrat D. Thom. allegata qu. 79. non enim aſſumere, aut aſſiſtere intimè immediatè poterat, in mente eorumdem Philoſophorum præfata intelligentia completè ſumpta, quoniam materia, præſertim corporea, neceſſariò impediret illuminationem à ſpiritu earum inductam in animas, quibus aſſiſtebant; etiamſi completè accepta poſſet movere cælum, quoniam illum motum poſſet efficere quamoptimè per corpus, & medio illo; cum ſit motus ad rem purè materialem terminatus. Præterquamquod intelligentia non aſſumit ad ſe repræſentandum orbem, quem movet: inſuper quia exiſtimari nequit abſque turpi errore in Philoſophia, intelligentiam unà cum materia propria, aut corpore, exiſtere naturali virtute poſſe circumſcriptivè in infinitis propè locis; quod de ſpiritu definitivè ſolùm exiſtente faciliùs concipi potuit, dum ſupponitur principium univerſale, & intrinſecum; licet hoc etiam naturalitèr repugnet.

Scio, nonnullos ex relatis Philoſopis ſolam exiſtentiam virtutis, aut influxus per medium aliquod, illius intellectus, admiſiſſe; reliqui tamen illum realiter univerſalem efficiebant, ut Plato intellectum, aut animam ſeparatam, cunctis inſtar motoris unitam. Quamvis igitur aliis titulis abundet nimiùm abſurdis, & erroribus vetus hæc opinio; quoad rem præſentem verò, ſolum in ea infinita replicatione exiſtendi ſimul, pugnare poteſt cum virtute naturali; defectus autem iſte in anima Chriſti Domini hypoſtaticè copulata Verbo per divinam virtutem facillimè ſuppletur: & aliunde tituli reliqui, quibus unitas illa numerica intellectus agentis in omnibus, adinſtar naturæ Platonicæ, creditur, & eſt planè repugnans, nullo jure conveniunt aſſumptioni, quam tuemur, ab anima Chriſti Domini factæ, ut à principio veluti univerſali in ordine ad vitam ſupernaturalem noſtram: itaut illa, quantumvis non ſit intellectus agens noſtri intellectus, ſit tamen agens in intellectum noſtrum, & voluntatem, ipſum movendo, illuminandoque; ad modum, quo Deus poteſt dici intellectus agens omnium hominum, ultra proprium naturalem, & intrinſecum, ut docet S. Thom. laudata qu. 79. art. 4. quia omnium intellectum illuminat, in quem ſenſum trahit illa verba Pſal. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Neque ſolùm agit in intellectum noſtrum poſſibilem anima aſſiſtens Chriſti Domini, ſed in ipſum intellectum agentem; quia non tantùm ſcintillare facit repentè, veluti ad ictum ſilicis phantaſmata noſtra, ut lumen accipiat intellectus agens; verùm interdum quaſi furtivè inſcia phantaſia lumen accendit, aut infundit: & tunc intellectus agens vel otiatur, vel cum poſſibili confunditur.

SECTIO SEXTA.

Diluuntur objecta ex longè diſſitis fontibus, & veluti undequaque petita.

§. I.

Num. 98. OPPONES primò loco id, quod primo loco occurrit in diſputationibus, bilocationem rerum divinarum ab omnipotentia factam concernentibus, veluti primum telum cunctis obvium: impoſſibile eſt, etiam per abſolutam Dei potentiam, animam

Digitized by Google

mam Chriſti Domini eſſe unitam corpori ſuo naturali in Cœlo, tum etiam ſub accidentibus Euchariſticis innumeris locis; & ſimul eſſe alicubi ſeparatam realiter ab eodem corpore. Ergo fallit prorſus aſſertum noſtrum. Antecedens oſtenditur; quoniam animam rationalem eſſe unitam realiter, & ſimul realiter deunitam eidem corpori ſunt prædicata prorſus abſoluta, adeoque a loco pœnitus independentia, ut compertum eſt, cum per eamdem numero unionem, per quam anima Chriſti Domini informat corpus proprium in Cœlo, informet illud pariter in Euchariſtia, & ubicumque fuerit præſens. Aliunde ſunt ex ſe prædicata contradictoriè ad inivicem pugnantia, ut eſt per ſe notum: convenirent igitur duo contraria eidem animæ rationali abſolutè, independenter à diverſitate locorum, aut à tertio aliquo, ſubindeque forent ejuſdem de eodem, & ſecundum idem; quæ nec divinitus conjungi valeot. Antecedens probatur, quia non minùs ſunt abſoluta à loco ea prædicata, & ſibi mutuò obſiſtentia, quàm idem corpus eſſe vivum in uno loco, & in alio, in quo fuerit bilocatum, vita, ſivè anima deſtitutum, poſitivèque mortuum, ut planum eſt ex ipſa terminorum aprehenſione; niſi quod ſecunda hæc denominatio afficit Corpus ſeparatum ab anima in uno loco, & in altero eidem animæ conjunctum: illa verò animam eidem corpori hic unitam, & ibi ab eodem ſeparatam. Sed reſpectu corporis ſunt verè contradictoria abſoluta, & omninò incompoſſibilia, ea quæ produximus; ergo & reſpectu animæ conſimilia adducta.

Minor continet doctrinam S. Thomæ 3. par. qu. 81. art. 4. (quem Thomiſtæ imitantur) priuſque illam docuerat qu. 76. art. 1. immò & in 4. diſt. 11. qu. 3. art. 4. ad 3. quæſtion. dixerat. *Deus benè poteſt facere, quòd anima Chriſti à corpore ſeparata, jacente in ſepulchro, eſſet in loco ubi erat corpus ſub Sacramento, quia hoc importat reſpectum ad extra: ſed non quòd eſſet ei unita ſub Sacramento ſicut forma, quia hoc pertinet ad interiorem diſpoſitionem: unde inevitabiliter ſequeretur, duo contradictoria eſſe ſimul*. Id ipſum multis argumentis comprobat Doctor Subtilis (& ex illo Scotiſtæ) in 4. diſt. 10. qu. 4. adjungens in §. *hic poſſet planè*, quòd ubi proprietates, quæ de ſubjecto bilocato dicuntur, ſunt abſolutè, ſive loco priores, non oporteat exprimere, aut probare, quòd illæ ſint ejuſdem de eodem ſecundum idem: *quia Corpus ſi hic non habet abſolutè, & ibi habet, hoc eſt ſimul, & idem, & ſimul, & ſecundum idem*. Simile argumentum urget Pater Vaſquez acerrimè diſp. 189. Verùm ſicuti ſtrenua hæc Theologorum acies contradictoriarum argumento inſtructa militat jamdiù pro negativa ſententia; ita exploratum eſt, numeroſiorem eſſe illam, quæ pari ſtudio exarmare contendit præſatum ratiocinium. Quoniam etſi proprietates rerum independentes à loco conveniant rebus ipſis ſecundum ſe, atque adeo dum ad invicem pugnant intra ſubjectum, neceſſariò mutuò ſe excludunt, ubicumque ſit illud, & propterea fieri nequit, ut concurrant ſimul intra idem ſubjectum in eodem loco; nihilominus diverſitas ipſa locorum ſimultanea plurimùm juvare poteſt, non ſanè ut ea prædicata pendeant à loco, cum ſint ipſo priora, & omnino abſoluta; ſed ne ſibi practicè contradicant in eodem ſubjecto, quatenus efficere poteſt, ne utraque concurrant in eodem loco intra idem ſubiectum, tametſi una in eodem ſubjecto coexiſtant. Ut enim ait Doct. Eximius diſput. 48. ſect. 5. occurrens inſinuato Doctoris Subtilis argumento: *Neque contra hoc obſtat replica Scoti, ſcilicet, quòd hæc prædicata abſtrahant à loco: duobus enim modis hoc poteſt intelligi: primò, quòd hæ proprietates per ſe non pendeant à loco, & hoc eſt verum. Secundò, quòd non requirant præſentiam localem proportionatam præſentiæ ſubjecti, ut illi inhæreant; & hoc eſt falſum, quia ante omnia oportet, quòd ſint ſimul in loco, & in diſtantia: ex hoc autem provenit, ut non ſit contradictio, rem eſſe hic albam, & non Romæ, quia licet ſubjectum ſit utrobique præſens, poteſt albedo non habere utrobique præſentiam, ſed unam tantùm*. Unde præſentia localis; quamquam poſterior utraque forma abſoluta, & per accidens ſe habens ad utriuſque exiſtentiam; per ſe tamen impedire valet utriuſque rixam actualem: prior loco, & independens ab illo eſt eorum realis præſentia; non ſic autem eorumdem actualis pugna, quæ exarmatur per diverſitatem ipſam locorum diſtantium, in quibus adeſt ſubjectum, cum dimicare nequeant, niſi uterque ſit in eadem arena.

Num. 99. Nondum tamen quieſcunt hujus ſecundæ opinionis Authores, ſed illam eruere tentant ex eadem vena Doct. Subtilis, è qua haurit oppoſitam prima ſententia. Namque Doct. Subtilis in quartum diſt. 10. q. 4. ubi pro ea prima allegatur, quamque ibi ingenioſiſſimis reflexionibus nobilitat; nihilominus quaſi problematicè ſecundam propugnat, & acutiſſimè promovet: Etenim §. *ex iſta ſolutione*, ait: *& etiam poſſet dici, quòd non eſt neceſſe, poſita exiſtentia Corporis Chriſti hic, & ibi, quòd illa quæ inſunt Corpori ſub una exiſtentia, inſint ſibi ſub alia, loquendo etiam de formis abſolutis: nec tamen ſequitur contradictio, ſcilicet, quòd ſit quantum, & non ſit quantum: immo eſt quantum hic, ſed non quantitate, quæ ſit hic, ſed quantitate quæ eſt in Cœlo*. Ubi de poſſibili differens, manifeſtè tradit, & illuſtrat ſecundam opinionem, quam ibidem probabiliter expugnarat, ut jampridem obſervarat Gabriel lect. 48. in Canon. Miſſæ. Cæterum caſtigat Gabrielem Gabriel alius, Vaſquez ſcilicet diſp. 189. cap. 4. dicens: *Verùm Gabriel non videtur totam eam quæſtionem legiſſe, nam prædicta verba non ſunt ex ſententia Scoti; ſed illis ſolùm oſtendit id, quod* ali-

aliquis poſſet reſpondere ad argumentum, ad quod ipſe planè reſponderat in verſiculo citato... Nam poſtquam adduxerat verbis citatis id, quod aliquis reſpondere poterat, & id ratione confirmavit, impugnat apertè prędictum reſponſum in verſiculo: contra, ubicumque &c. Mihi autem utrumque Gabrielem ſuſpicienti, & noſtrum eo titulo ſpeciatim amanti, apparet nihilominus, oculatiorem in ea Scoti quæſtione, & doctrina diſcutienda extitiſſe primum ſecundo Gabriele, tametſi oculatiſſimo, & in enucleanda mente Patrum, & Theologiæ Principum, mirabili. Ratio eſt, quoniam ibi Subtilis Doct. multus erat in perſuadendo, proprietatem aliquam abſolutam poſſe quidem non eſſe, ubi exiſtat primò ſubjectum, aut Corpus; quia cum ſit ex ſe ab illo ſeparabilis, non eſt cur ſubjectum non poſſit produci, ſaltem divinitus, aut exiſtere ſine illa. Ex ſuppoſitione tamen quòd ejuſmodi Corpus jam alibi exiſtat cum ea propietate, aut forma, videlicet cum qualitate aliqua cum qua modo Chriſtus Dominus exiſtit in Cœlo, non poſſe conſtitui in Euchariſtia abſque ea qualitate, quin ſequatur inevitabiliter contradictio circa idem ſubjectum; quin illa declinari valeat per ubicationes diverſas, aut præſentias formales. Hinc autem brevi quadam veluti illatione, ad totius quæſtiones clariorem intelligentiam deducta, ſecundam, oppoſitamque ſolutionem excogitat, cum incipit: *& etiam poſſet dici &c.* Profertque verba ſupra laudata; ex quo aperte convinci videtur, hanc eſſe, juxta mentem ipſius, probabilem ſolutionem. Quam rurſus firmat inſigniter robuſto ſatis argumento, & quidem eidem planè inſolubili (vel quod diſſolvere noluit). Ut ex ejuſdem confeſſione mox patebit. Propoſito ſemel, & elucidato eo diſcurſu; iterum aſſurgit ex adverſo; non jam ut argumento ſatisfaciat, ſed ut ſecundam hanc opinionem ratiocinio inſolubili firmatam, probabilibus aliis in oppoſitum reflexionibus difficilem reddat. Quibus raptim productis: dum diruendum erat fundamentum, quo ipſe ſtatuerat ſecundam ſententiam, inquit: *Ad rationem illam in contrarium de conjunctione præſentiarum inter ſe, & eidem tertio, compoſito ex partibus abſolutis, reſponſionem quære.* Et his verbis finem imponit quæſtioni & ſilentium humanis ingeniis, ne reſpondere præſumat argumento ingeniorum maximo inſolubili.

Ex illis autem evidenter ſubinfertur, ſecundam hanc opinionem fuiſſe Scoto valde probabilem, ſi non probabiliorem prima, problematicèque utramque propoſuiſſe. Unde ejus doctiſſimus ſcholiator Hugo Cavellus in ſcholio immediatè præcedente §. illum: *ex iſta ſolutione*, & ea, quæ adducit in favorem, & in oppoſitum, ſecundæ opinionis, ait: *Ponit alium dicendi modum, quod forma etiam abſoluta poteſt eſſe præſens Corpori in uno ubi, & non in altero, pro quo ſubtiles adducit rationes; contra quas tria objicit, & tandem nihil reſolvit, ſed dubius manet: in quo favere videtur illi opinioni, quæ dicit, hominem poſſe mori in uno ubi, & vivere in altero. Sed ſtandum eſt iis, quæ dixerat quæſtione 2. &c.* Firmiùs adhuc (quà non problematicè, ſed abſolutè) ſecundam opinionem docuit eadem diſt. & quæſtione §. *ex hac ſecunda concluſione*, ubi aſſerit: *quòd ante Incarnationem potuit ita verè Euchariſtia fuiſſe, ſicut & nunc, & hoc tam quantum ad ſignificationem, quam quantum ad rem ſignatam, & contentam;* idque efficaciſſimè promovet. In eo autem eventu, priuſquam fieret conceptio in ſinu florido Deiparæ, neceſſariò portio illa materiæ, quam miniſtravit generatio ex puriſſimis ſanguinibus, eſſet eadem numero, quæ præexiſtebat jam in Euchariſtia informata anima rationali ejuſdem Servatoris (cum ſit materia primigenia, quæ ſemper perſeverat), & actuata forma tantùm Sanguinis in gremio Virgineo: ac ſubinde unita animæ in uno loco, & deunita eidem in alio; ſicuti & formæ Sanguinis in uno, neutiquam verò in altero. Immo ſi Sanguinem velis dicere animatum, erit anima Deiparæ actuata ea materia in ſinu Matris; dum in Euchariſtia informaretur anima Chriſti Domini (ſi namque præcedenter ad Incarnationem adeſſet in clauſtro materno replicata anima Chriſti Domini, præſupponeretur aliquatenus Incarnatio ante ipſum Incarnationis myſterium, eſſetque ibi ſine proprio Corpore organizato). Doctrinam hanc in Doct. Subtili obſervavit etiam Gabriel lect. 47. & ex ipſo Doct. Eximius diſp. 48. lect. 6. Obſervatio quidem magno in pretio habenda, utpote qua Doctorem Subtilem adjungit huic opinioni. Quamobrem idem Gabriel lect. 46. q. 1. art. 2. credit, Scotum, ubi ſimilium formarum incompoſſibilitatem docet, apertè locutum fuiſſe de potentia ordinaria ſolùm; neutiquam verò comparativè ad abſolutam; ne alioqui contradicere ſibi videatur præclarus hic Doctor; quod creditu difficilius eſt, quamquod ſibi mutuo contradicant formæ abſolutę in ſubjecto bilocato. Quoniam tamen ibi ſupponit prædicata illa plenè contradictoria, intra idem ſubjectum, neceſſariò diſputabat in ordine etiam ad poteſtatem abſolutam; unde probabilius exiſtimo, ipſum problematicè utramque ſententiam tenuiſſe, ut fuſiori Campo accepto latiùs excurreret ingenium, ſecumque ipſo certaret, cum parem ævo illo non inveniret

Num. 100. Præſcindimus tamen ab hac doctrina, quia nolumus aſſertionem noſtram ullo pacto cum mente D. Thomæ pugnantem, ſed potiùs eidem, juxta leges ab ipſo præſcriptas omnino conſentientem. A' lege autem generali removente concurſum duplicis formæ oppoſitæ, ſive privativè, ſive poſitivè in corpore bilocato, excipit Sanctus Doctor, non ſolùm accidentia,

quæ

Digitized by Google

quæ pendent à loco; verùm & ea pariter, quæ conveniunt ſubjecto per comparationem ad corpora extrinſeca (quamquam hæc etiam revocentur tandem ad dependentiam à loco) ſic enim loquitur qu. 81. art. 4. corpore: *Quidquid pertinet ad Chriſtum, ſecundum quod in ſe eſt, poteſt attribui ei in propria ſpecie, & in Sacramento exiſtente, ſicut vivere, mori, dolere, animatum eſſe, & cætera hujuſmodi; quæcumque verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt ei attribui in propria ſpecie exiſtenti; non autem prout eſt in Sacramento: ſicut irrideri, conſpui, crucifigi, & cætera hujuſmodi*. Et in reſponſione ad primum *paſſio convenit corpori paſſo per comparationem ad agens extrinſecum: & ideo Chriſtus ſub hoc Sacramento pati non poteſt; poteſt tamen mori*. Sic etiam plures alii ex his, qui contrariæ opinioni ſuffragantur, maximè ex Thomiſtis, aſſerunt viſionem illam corpoream, quam Chriſtus Dominus habet in Cœlo objecti alicujus propinqui, Deiparæ exempli cauſa, minimè deferri per concomitantiam ad Euchariſtiam, eo quod pendeat ab approximatione objecti (quamquam alii præſertim Scotiſtæ, approximationem tantùm in uno loco ſufficientem credant, ut in utroque exiſtat) quin ideo ſit contradictio, quòd ſcilicet videat in uno loco hoc numero objectum, & in altero ſit ea viſione privatum.

Modò autem ſi doctrinam hanc accomodare velis aſſertioni noſtræ, invenies; parem utrobique rationem declinandi contradictoria practicè per ſimilem locorum diverſitatem. Siquidem anima Chriſti Domini informat ſolùm corpus materiale proprium, cui unitur tamquam actus, ejuſque propterea unio eſt informatio reſpectu illius corporis tantum; corpus myſticum verò non reſpicit anima ut forma informans, ſed ut forma purè aſſiſtens, & motor aſſumens: convenit ergo illi uniri per modum formæ corpori in uno loco, & eſſe deunitam, aut ſeparatam ab eodem in alio, in quo eſt conjuncta per modum formæ aſſiſtentis per ordinem ad corpora extrinſeca (extrinſeca inquam quatenus ſunt realiter diſtincta ab anima, tametſi eidem copulata): atque adeo exarmatur contradictio eodem pacto, ac in exemplis inſinuatis à D. Thoma, & juxta ipſius mentem. Et ſanè eamdem formam in diverſis locis conſtitutam divinitus, poſſe in uno informare materiam aliquam, & in alio vel nullam, vel aliam docuit tamquam planè tenendum Doct. Exim. tomo 1. de Incarn. diſp. 14. ſect. 3. cujus verba ſupra dedimus. Et eadem diſput. ſect. 1. §. *Sed nihilominus*, dixerat: *ſicut non videtur contradictionem involvere, quòd eadem anima, quæ in uno loco eſt unita corpori, in alio ponatur ſine corpore, & ſine modo unionis*. Deinde nulla eſt contradictio in eo, quod perſiſtente in corpore myſtico anima, dum ſpecies corrumpuntur, deſinitque corpus, non afferat ſecum iterato corpus per concomitantiam (ſicuti corpus dum ponitur vi verborum adducit ſecum animam) vel non impediat, quòd deſinat eſſe ibi, ſiquidem eatenus id repugnaret, quatenus involveret contradictionem decantatam; & aliunde hanc non importare practicè, oſtendunt nuper dicta, juxta quæ ſeparatio à corpore in hoc loco, & unio cum ipſo in altero loco dicuntur de eadem anima per comparationem ad aliquid extrinſecum. Eſſet equidem contradictio, juxta hanc ſententiam, quòd, exiſtente corpore in utroque loco, in uno foret anima illi unita, & in alio ſeparata ab eodem: ſicut eſt contradictio, quòd corpus in uno ſit vivum, ſive animatum, & in alio anima deſtitutum, quia verſatur utraque denominatio circa eadem numero formaliter extrema. Præterquamquod tunc jam falſificaretur in aliquo ſenſu veritas illa fidei, juxta Apoſtolum: *Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur, mors illa ultra non dominatur*. Sic juxta D. Thom. Chriſtus Dominus non eſt in Euchariſtia tamquam in loco; quin propterea ſequatur contradictio ſuborta ex eo, quod in Cœlo ſit propriè tamquam in loco; non ſic autem in Euchariſtia; quæ prædicata, etiamſi deſumantur per ordinem ad locum extrinſecum, non minùs pugnant, quàm noſtra, quæ conveniunt animæ per ordinem ad corpora extrinſeca.

Rurſus, quamvis præſentia actualis in hoc loco ſit loco poſterior; neceſſitas tamen exiſtendi in aliquo loco reali convenit abſolutè omni corpori, eſtque pro priori ad locum, & abſolutè: ergo eſſe in loco propriè, & non eſſe propriè in loco, erunt prædicata contradictoria, ſicut nobis objecta. *Illa accidentia Corporis Chriſti*, ait S. Thomas, *ſunt in hoc Sacramento, quæ ſunt ei intrinſeca; eſſe autem in loco eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens, & ideo non oportet quòd Chriſtus ſit in hoc Sacramento tamquam in loco*. Dices: unio animæ cum corpore naturali eſt illi intrinſeca: ergo erit ea unio informativa, ubicumque fuerit anima. Diſtinguo antecedens, eſt animæ intrinſeca quaſi in potentia, aut in actu primo concedo, in actu ſecundo, ſubdiſtinguo; ſi concipiatur ut actu conſtituens compoſitum, ſive in concreto concedo, eſt intrinſeca illi ſecundum ſe, nego. Animæ ſeparatæ enim poteſt eſſe intrinſecus ordo ad unionem cum corpore; unio tamen actualis ipſa extrinſeca illi ſecundum ſe eſt, cum eo vinculo ſoluto vivat, perennareque poſſet, etſi reſurrectio futura non eſſet: eſt enim nexus ex ſe murtalis, aut caducus, cum anima immortalis ſit; vis proprietates fluxas efficere rerum immortalium proprias, intimas, & quaſi in earumdem viſceribus clauſas?

Num. 101. Altiùs adhuc comprobatur remotio hæc contradictionis ex eo, quod vi verborum non ponitur in Euchariſtia anima Chriſti Domini, niſi ad ſummum

ſe-

ſecundum gradum genericum conſtitutivum corporis, qui poſſet provenire à forma corporeitatis diverſa, ut de facto contingere opinantur Scotiſtæ, & aliunde, dum verba conſecrationis fuere prolata à Chriſto Domino in Cœna, præſupponebant per ſe circumſcriptivè exiſtentem propè eumdem Chriſtum Dominum viventem, & divina illa verba pronuntiantem, proindeque ſupponebant Corpus Chriſti Domini animatum, ſive informatum anima rationali. Immò & propterea Tridentinum ſeſſion. 13. cap. 3. docet poni de facto animam Chriſti Domini ſub ſpeciebus per concomitantiam, quia ſupponitur extra Euchariſtiam, in Cœlo videlicet, unita corpori, & ex vi naturalis illius nexus, aut connexionis venire debet in comitatu, veniente corpore. Et S. Thom. qu. 73. art. 5. affirmat, Sacramentum Euchariſtiæ continere Chriſtum paſſum: *& ideo*, inquit, *non potuit inſtitui ante Incarnationem* (juxta præſentem providentiam). Ergo verba illa Chriſti Domini, & ſupponebant per ſe præexiſtens corpus ejuſdem animatum in uno loco; & poſtulabant exiſtentiam corporis præciſivè ab anima in alio, nempe ſub accidentibus Euchariſticis, & quantum eſt ex vi, & ſignificatione propria, adducebant corpus, & nullo modo animam rationalem ipſius Chriſti Domini. Et quamquam in plurium ſententia exiſtentia ſacramentalis non præſupponat aliam; verba tamen conſecrationis, quæ proferuntur nomine Chriſti Domini loquentis, ipſum ſupponunt præexiſtentem, apud eoſdem plerumque. Rurſus re ipſa ſupponitur nobis aliunde ex fide notum, illum exiſtere in Empyreo. Deinde ſufficit ad vim argumenti ea ſuppoſitio in conſecratione facta in Cœna noviſſima. Tandem ſufficit, quòd præſcindant, ad abſurdum inferendum, quoniam eo ipſo præſcinderent ab eo, quod exiſtat chimericè, vel modo poſſibili.

Inde autem ſubinſertur legitimè, & maniſeſtè, poſſe corpus exiſtere in uno loco informatum anima rationali; & in altero eadem numero anima (adeoque omni) deſtitutum; alioqui verba conſecrationis, quantum eſt ex vi propria ipſorum, & ex vi Sacramenti (uti loquitur ſæpè D. Thom.) intenderent realem exiſtentiam chymeræ, cum exiſtere duo contradictoria ſimul, ut practicè ſe excludentia, chymera inſignis, & notiſſima ſit. Non enim dirigi per ſe potuerunt ad efficiendum, ut corpus animatum, quod ſupponebat præexiſtens, deſereretur ab anima, ſi illa non eſſet adfutura per concomitantiam; ſiquidem inde argueretur, verba conſecrationis ex conceptu ſuo interficere Chriſtum Dominum, ut in propria ſpecie exiſtentem, cum nequeant Corpus ſacroſanctum illius conſtituere in Euchariſtia, attenta præcisè eorumdem vi per ſe inductiva, niſi præciſivè ab anima, illud negativè ab anima dividendo; & aliunde nequit ita ſeparari in Euchariſtia, & adeſſe alibi poſitivè animatum, abſque chymera. Infertur igitur per ſe ex vi verborum chymera, tamquam ſequela eſſentialiter ſuborta ex effectu primario, quem per ſe exigunt; & cauſant. (quamquam re ipſa impediatur per concomitantiam) quod ab omni veroſimilitudine diſtaret non parùm, foret nimis exoticum, & abſurdiſſimum.

Neque declinatur difficultas per neceſſitatem concomitantiæ, ſive per hoc, quod ex efficacia verborum, ut plures loquuntur, adducatur anima, tametſi non verborum vi, & ſignificatione. Quandoquidem argumentum noſtrum ſumit tantum vim, ex ſignificatione verborum, quæ ferri nequit per ſe in Hircocervum, etiam dum uſurpatur ſecundum ſe, & præciſivè ab ulteriori alia efficacia, aut eorum energia practica. Quam non dabis Hoſtibus præſentiæ realis Chriſti Domini anſam, ſi dixeris, conſecrationem per ſe ferri neceſſariò in exiſtentiam chymericam; uti fieret, ſi intenderet abſolutè realem Corporis Chriſti Domini præſentiam, vel poſitivè, ut ſignificatam ex vi verborum, ſi præſupponatur alibi circumſcriptivè exiſtens corpus, & vivum; vel præſcindentem ab eo, quod poſſibilis ſit, vel impoſſibilis, ideſt ab eo quod ſit hircocervus, vel corpus, ſi præſcindat ab eo quod alibi exiſtat vivum, vel non?

Num. 102. Quoniam tamen plures Adverſariorum, ut notavimus ſupra ægrè acquieſcunt exemplis, & doctrinæ, ex qua ſolutionem factam hauſimus: cumque aliunde exoptemus, aſſertionem noſtram firmam reddere, & ab opinionum incertitudine liberam; reſponſionem aliam à nemine jure repellendam meditamur. Quam ut liberiùs, & expeditius expendam, ſuppono ex fide divina, non ubicumque ſit Verbum realiter præſens, adeſſe realiter præſentem Humanitatem Servatoris noſtri, hypoſtatico nexu eidem copulatam in Cœlo, & in Euchariſtia, & ubicumque eadem Humanitas realiter exiſtat, cum credamus fide ſancta Verbum divinum ubique præſens; Humanitatem verò Chriſti Domini nequaquam eſſe ubique, fateamur eadem fide edocti. Ex qua ſuppoſitione ſequitur alia æquè certa, nullam ſcilicet eſſe contradictionem in eo, quòd Verbum divinum ſit hypoſtaticè unitum humanitati in Cœlo, & in altari, & ubicumque illa ſit, & quòd ſimul non ſit illi unitum extra loca illa; alioqui foret Humanitas neceſſariò ubique, ne ſequeretur ea contradictio; quod eſt hæreticum. Dum verò à Theologis rogamus cur hæc contradictio non ſint, vel quo pacto eorum contradictio practicè exarmetur? Reſpondent ex D. Thoma, tunc prædicatum cum altero hic realiter unitum, dum replicatur alibi, nequit non afferre aliud extremum ad locum, in quo bilocatum eſt, quin ſequatur contradictio; cum unio utriuſque hic fuerit adæquata adæquatione mutua. Dum verò extre-

trema inter ſe collata, & conjuncta, non fuerint ejuſmodi, proptereaque oec unio eorumdem ad invicem ſit adæquata; nullatenus venire debet per concomitantiam unum extremum ad locum omnem, ubi replicatum fuerit, aut exiſtat alterum, quia nulla inde arguitur contradictio. Et aliunde Verbum divinum excedit infinitè Hnmanitatem, eum poſſet terminare, aut aſſumere quamplures alias Humanitates ſimul; ac proinde Humanitas Cbriſti Domini adæquare nequit, aut complere vim illam. Ex quo neceſſaria conſecutione elicitur, unionem Verbi divini cum Humanitate non eſſe adæquatam. E regione verò quoniam Humanitas eſt extremum adæquatè uuitum ex parte ſui cum extremo illo infinitè ampliori, unio illa hypoſtatica quantum eſt ex parte Humanitatis, adequata omnino eſt; & ex conſequenti nequit alicubi exiſtere Humanitas quin ſit unita eidem divino Verbo. Quo reſpexit D. Thomas in 3. diſt. 22. qu. 1. art. 2. ad 3. cum dixit: *Petrus non habet niſi unam humanam naturam: & idea ubicumque ipſe eſt, oportet, quòd ſit illa natura. Sed Chriſtus habet plures naturas, & idea non oportet, quòd ubicumque eſt, quòd ibi habeat utramque naturam.* Idem prorſus videmus in corpore humano, cui integrè accepto unitur anima rationalis, ut extremum ipſi adæquatum; ejus tamen partibus ſigillatim non copulatur ea utrimque extremorum adæquatione, eum ultra caput v. g. uniatur reliquis membris. Ex hoc autem fit, quòd tametſi caput nequeat moveri, aut flecti in latus aliquod, quin ſecum deferat animam, quia ex parte capitis nexus eſt adæquatus. Anima tamen non ubicumque exiſtat ſimul, defert ſecum caput, quod non demittit ad pedes, licet in ipſis illa exiſtat.

Suppono tertiò, quod iam alibi obſervavimus ex doctrina Divi Tohmę & Doct. Seraphici. Humanitati Chriſti Domini ratione nexus hypoſtatici deberi aliquatenus, congruentiæ debito, quin & ex merito, multiplicem illam replicationem Sacramentalem, quam habet in altari, ultra circumſcriptivam unicam, quam habet in Cœlo. Non ſanè quia titulo hujus congruentiæ, aut juris, deſinat eſſe ſupernaturalis replieatio præfata, cum etiam debeatur lumini gloriæ viſio, & gratiæ finali lumen gloriæ ipſum, quin ideo deſinat eſſe utrumque ſupernaturale, ut ex aliis eodem jure debitis illi conſtat; & quamquam eo jure congruentiæ, tituloque pluſquam ſpecioſo, & colorato, non adeo præſeferat inſolitum, indebitumque ſplendorem miraculi; eſt attamen miraculoſa replicario illa, quamvis eo modo aliquatenus debita. Cui accedunt tot alia miracula, tametſi, & merito Cbriſti Domini & nexui hypoſtatico debita, in Euchariſtia, ut quaſi diſtillare viſa fuerit omnipotentia, mirabilia omnia antiqua, recentia, quę omnia invenies in pane Euchariſtico coagulata, & in ſanguine delibuta.

Num. 107. Debitum hoc quamquam diſp. 2. & alibi ſæpe ſtatutum, firmandum iterato eſt in præſenti; quoniam id poſtulat ipſa præſens materia. Colligitur enim ex Doct. Angelico Opuſc. 58. cap. 13. ubi expendens mirabilia, quæ in hoc ter auguſto Sacramento reperiuntur ait: *ſecundum ſignum mirabile eſt, quòd unum, & idem corpus eſt in pluribus locis, in pluribus hoſtiis, & in pluribus portionibus.* Procedit inde, probans exiſtentiam hujus miraculi tribus argumentis, quorum ſecundum eſt hujuſmodi: *Secundò probatur hoc per manifeſtam rationem, quæ eſt, quòd filius hominis participat potentiam Filii Dei propter Perſonæ unitatem. Ambroſius; ſicut in unam Perſonam, ita in unam potentiam conveniunt Dei, & hominis filius. Unde ſicut Dei Filius eſt eſſentialiter in omnibus rebus, ita dedit filio hominis, ut corpus ejus Sacramentaliter eſſe poſſit in pluribus locis.* Verumtamen hac argumentatione, licet concludat poteſtatem in actu primo ad illud miraculum efficiendum in filio hominis; quo pacto evincitur ex illa factum, ſeu actus ſecundus, cum ad alia miracula patranda ſolùm inferatur ex illo arguendi genere facultas expedita? Non alia ſanè ratione, niſi, quia ita oſtendit poteſtatem in actu primo illi conceſſam, ut ſimul evincat debitum ipſius actus ſecundi. In præcedentibus enim latè demonſtrat Sanctus Doctor, convenientiam, & neceſſitatem inſtitutionis hujus Sacramenti, quà Sacramentum, & ſacrificium eſt, ut mundo utiliſſimi, & Chriſto Domioo glorioſi. (Quod de quamplurimis aliis miraculis in actu ſecundo non verificatur, maximè ut perenniter efficiendis). Inde autem infertur quamoptimè, ut ſemel ac oſtendatur debita poteſtas in actu primo debeatur, exiſtatque ipſe actus ſecundus. Deinde notat ex Innoc. III. concurrere debuiſſe tres ſubſtantias, Divinitatem, animam, & Corpus Chriſti Domini in unitatem Perſonæ, quemadmodum concurrunt in Divinis tres Perſonæ in unitatem naturæ. Advertit inſuper idem Sanctus Doctor, quòd ſicuti Chriſtus Dominus ſecundum naturam Divinam exiſtit tribus modis in rebus, nempe in omnibus per eſſentiam, in juſtis per gratiam, & in Humanitate aſſumpta per nexum hypoſtaticum; ita pariter conveniens eſt, ut idem Chriſtus Dominus penes humanam naturam exiſteret tribus modis, videlicet *in Cœlo localiter, in Verbo Perſonaliter, in altari Sacramentaliter.* Concluditque: *unde ſicut ſecundum Divinitatem eſſentialiter eſt in omnibus rebus, ita ſecundum humanitatem Sacramentaliter eſt in pluribus locis.* Quam doctrinam confirmat egregiè 3. par. quæſt. 75. tum præcipuè in 4. diſt. 8. qu. 1. art. 4. ubi neceſſariam planè dicit inſtitutionem hujus Sacramenti ex Sancto Auguſtino, & Euſebio Emiſſeno, debitamque perfectioni legis gratiæ, & conjunctioni perfectæ capitis cum membris,

Tan-

Tandem ob eam rationem quaſi à priori, ob quam ipſe S. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 9. dixit debitam eſſe Chriſto Domino plenitudinem gratiæ (uti & aliarum perfectionum) ex propinquitate animæ Chriſti ad cauſam gratiæ. *Dictum eſt enim, quòd quanto aliquod receptivum propinquius eſt cauſæ influenti, tantò abundantiùs recipit. Et ideo animo Chriſti, quæ propinquius conjungitur Deo &c.* Hoc autem probat pariter de participatione immenſitatis in ordine ad multiplicem præſentiam in pluribus locis ſimul. Ex quibus evidenter deducitur, deberi Humanitati Chriſti Domini juxta Theologiam Divi Thomæ eam amplitudinem exiſtendi ſimul in quamplurimis locis Sacramentaliter.

Conſimiliter Doct. Seraphic. In 4. diſt. 10. par. 1. art. 1. quæſt. 1. diſſerens de corpore myſtico Chriſti Domini per orbem diſperſo, cui neceſſarium eſſe putat unum aliquod connectens, inquit: *Sed illud unum debuit eſſe, ubi erant membro: & ita cum in multis locis ſint membro, debuit tale eſſe, quod congrueret eſſe in multis locis. Sed hoc non eſt niſi Deus, vel Divinitati unitum: ſed Deus eſt interius, Divinitati unitum eſt Corpus Chriſti: ergo Corpus Chriſti debuit dari in Sacramento exteriori &c.* & ibidem quæſt. 3. addit: *unde notandum ad intelligentiam objectorum, quòd Corpus Chriſti eſt individuum ſecundum ſe, & individuum, in quod plura convertuntur. Quia individuum ſecundum ſe eſt in Cœlo tantùm in proprio, & definitivo loco. Quia verò in ipſum plura convertuntur, non habet terminum ſubſtantiæ limitatum ad unum locum, ſed extendit ſe ad locum converſionis. Et quia converſionis loca non poſſunt eſſe omnia, nec unum ſolùm, immo plura, quantum ad hoc, nec immenſe eſt, ſicut Deus: nec omnino definitivè, ſicut aliquod individuum, ſed medio modo: ſicut Deus, in modo eſſendi per gratiam, non in omnibus, ſed in pluribus.* Et in compendio Theologiæ lib. 6. cap. 14. expreſſius adhuc id docet, ut vidimus diſp. 2. ponit enim ibi medium hoc inter Divinitatem, & reliquas creaturas, Corpori Chriſti Domini conveniens, debitumque; *cum verò ſit unitum Deitati, debet ex hoc excellere alia corpora, ut ſimul & ſemel poſſit eſſe in pluribus locis, ſub iſto videlicet Sacramento.* Quæ ſatis dilucidè oſtendunt debitum hoc congruentiæ, aut jus proprium Humanitatis Chriſti Domini ad eam exiſtendi ſimul in pluribus locis gloriam, mediam quodammodo inter perfectionem ſummam immenſitatis, & limitationem affigentem reliqua individua, & veluti cogentem ad unum determinatè locum. Neque enim foret ſpeciale aliquod privilegium, ſi habuiſſet tantùm potentiam obedientialem nudè ſumptam ad ſimiles replicationes, quæ competit cuilibet creaturæ, præſertim Angelo, & animæ rationali, ut elevabili ad eam multiplicem præſentiam diffinitivam. Proindeque ultra illam communem, neceſſariò convenit illi jus aliquod particulare, vi cujus illi ſpeciatim debeatur poteſtas illa expedita, & actus ſecundus illius. Neque ſufficit, quod illi competat, aut debeatur unicè, tamquam inſtrumento conjuncto virtus patrandi pro libito miraculum replicationis, ſicuti omnia alia ad finem Incarnationis ſpectantia; quoniam reſpectu aliorum plerumque convenit Humanitati Chriſti Domini jus ad ipſam poteſtatem in actu primo ſolùm; actus verò ſecundus relinquitur arbitrio ipſius, utpotè non per ſe, & veluti neceſſariò illi conveniens miraculum in actu ſecundo ſemper, nec ad perfectionem Chriſti Domini ſemper ſpectat; verùm reſpectu multiplicationum præſentiarum non tantùm habet jus ad poteſtatem ipſam, ſed debetur etiam illi actus ſecundus, quia eſt prærogativa factum ipſum, arguitque perfectionem illam exiſtendi, mediam inter immenſitatem, & creaturas, ut nuper vidimus ex Divo Bonaventura, & ſupra tetigimus.

Hanc veritatem præſuppoſuerunt (quamvis in illatione deinceps erraverint) Scholaſtici illi, qui cum Gloſſa in cap. *tribus gradibus*. De conſecratione diſt. 2. ajente: *certum eſt, quod ſpecies, quam cito dentibus teruntur, tam cito in Cœlum recipitur Corpus Chriſti*; dixere Chriſtum Dominum deſtructis accidentibus abire per motum localem in Cœlum, ibique tot ubicationes ſortiri repetitas, quot in Euchariſtia ab ejus prima inſtitutione uſque ad mundi finem obtinuit, obtinebitque, quos refert, & expungit Præpoſitus quæſt. 76. artic. 6. dub. 3. illorumque mentionem, quamquam non adeo diſtinctam ut Præpoſitus, fecere Leſſius quæſt. 76. artic. 6. dub. 4.: Doctor Eximius Diſputat. 54. ſect. prima Gavatius Diſputat. quinta quæſt. nona numer. 476.: fuitque veterum Canoniſtarum opinio. Præterea Chriſtus Dominus meruit inſtitutionem Euchariſtiæ, ſuique replicationem in infinitis propè modò locis Sacramentaliter, ut Theologi unanimiter docent; meritum autem Chriſti Domini relatè ad præmia ipſum concernentia ſemper fuit omnino efficax, & inducens jus connexum cum actu ſecundo. Ulterius, cum replicatio exerceatur in vulgari opinione per actionem quaſi creativam, aut reproductivam Chriſti Domini, qui (apud Scholaſticos plerumque) nec adhuc tamquam inſtrumentum producere valet ſeipſum, fitque propterea à Deo elevante verba (juxta eorumdem doctrinam) nequit debitum, aut jus Chriſti Domini terminari ad poteſtatem activam, niſi quatenus illam veluti cogat ad actu efficiendum, ſolvendumque debitum. Jus illud particulare hoc, vel illo modo expoſitum agnoſcunt Theologi ex utroque illo Theologiæ facile Principe in Humanitate Chriſti Domini. Proindeque non eſt cur in illo fuſiùs exponendo inſudemus, cum diverſitas illud explicandi ſit ferè de nomine, vel ſaltem

tem

tem de jure non ſit, etiam dum circa ius verſatur.

Num. 103. Ex hac ſuppoſitione, ſecluſis vocibus, communi, elicio quartam aliam, ad quam devolvitur integra præſentis reſponſionis noſtræ vis, energia, & ratio; animæ rationali ſcilicet Chriſti Domini competere plus aliquid in ordine ad replicatum exiſtendi modum, multiplicemque, quam quod convenit corpori ejuſdem, vel eidem animæ quà præciſè corpori copulatæ. Quoniam licet præfatum jus, aut debitum derivetur in utrumque ex unione ad Verbum Divinum; pro majori tamen perfectione, aut præſtantia conſtitutivi, aut partis Humanitatis, neceſſariò convenit uni extremo, præ alio minùs nobiliori, major extenſio, ſive amplitudo: circa quam doctrinam univerſim uſurpatam conſulendus Sanctus Thomas in qq. diſputatis q. unica de ſpiritualibus creaturis art. 2. & in 3. diſt. 18. art. 3. corp., ubi dixit: *Chriſto debemus attribuere ſecundum animam omnem perfectionem ſpiritualem, qua ſibi poteſt attribui &c.* quemadmodum caput in corpore ipſo eſt ſedes animæ in ordine ad nobiliores functiones vitæ è throno illo prominente exercendas, præſtatque idcirco pedibus. Jam verò quantum ſuperet anima rationalis corpus nobilitate, & omnigena perfectione, novit omnis, qui illa præditus eſt. Et quidem non tantùm in reliquis perfectionibus illud vincit, verùm & determinatè in modo exiſtendi independenter etiam à corpore, & vitaliter extra illud operandi, cum corpus remanere diù nequeat abſque anima, nec vivere ſine illa: quin & diſcedente anima è corpore, jam non eſt caro illa, aut os, niſi æquivoce, ut docuit Ariſtot. 2. de anima, & 7. Metaphyſ. & ex illo Div. Thomas 3. p. quæſt. 5. art. 3. poteſt igitur anima rationalis exiſtere, vigere, vivere, & beatitudine ſumma frui ſine corpore. Immo & intra corpus nobiliores operationes intellectus emittit independenter à corpore. Quibus adde, Corpus Chriſti Domini unitum fuiſſe Verbo Divino ratione animæ, quæ primò, & per ſe aſſumpta fuit; non ſanè tempore, ſed ordine dignitatis, & in ſenſu aliquo cauſalitatis etiam, aut rationis à priori congruentiæ, ut docuit S. Thom. 3. par. qu. 6. art. 1. *Si attendamus*, inquit, *gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum, & carnem, & ſecundum hoc poteſt dici, quòd Filius Dei univit ſibi carnem mediante anima: ſed in ordine cauſalitatis &c.*

Preterea quamvis ſit miraculoſa bilocatio animæ rationalis in locis adæquatis, aut diſſitis, cum tamen præſentia definitiva ſit propria illius, ubicumque exiſtat, erit quidem miraculoſa, quà replicata, non quià definitiva, cum reſpectu Corporis Sacramentaliter exiſtentis & ſit miraculoſa, quà replicata, & quà veluti definitiva, eum illud ex ſe poſtulet, ubicumque ſit, circumſcriptivam, aut extenſam in ordine ad locum. Amplior igitur eſt ſphæra exiſtendi animæ rationalis, quàm corporis, ac proinde ſicut Corpori Chriſti Domini animato titulo unionis hypoſtaticæ debetur in ordine ſupernaturali miraculoſo multiplex præſentia Sacramentalis, ultra naturalem circumſcriptivam; ita à fortiori competere debet animæ rationali in eodem ordine, & eodem titulo, ratione tamen majoris dignitatis, & perfectionis jus ad ulteriores exiſtendi modos replicatos ſupra illos, quos poſtulat, & obtinet ſimul cum corpore, & intra illud: ut poſſit uti pennis ſuis ad volitandum, quin mole, adhuc glorificati corporis, impediatur. Cum autem modum alium exiſtendi ſeparatim, præciſivèque à proprio corpore exigere nequeat, niſi in ordine ad alia corpora, eorumque utilitatem, uti & ad finem utilitatis noſtræ replicantur corpus, & anima, & quidem ſolùm per converſionem in Euchariſtia: cumque rurſus corpora illa ſint etiam propria ipſius animæ, eo quod ſint Corpus myſticum proprium Chriſti Domini, quæ reſpicere nequit ut informanda, cum ſint corpora viva, & anima rationali jam nobilitata: & quia alioqui deberet aſſumere Verbum Divinum hypoſtaticè corpora illa ratione animæ, ſicuti ratione illius aſſumpſit corpus naturale Chriſti Domini; quod, ut loquitur Div. Thom. 3. par. q. 4. art. 5. *derogaret dignitati filii Dei Incarnati, prout eſt primogenitus in multis fratribus ſecundum humanam naturam.* Cumque aſſumptio illa Corporis myſtici à nobis intenta, eatenus contingat, quatenus Euchariſtia ſit inſtituta per modum cibi nutrientis, ac ſubinde convertentis cibum in ſubſtantiam aliti; quæ converſio ſit per realem unionem cibi cum anima cibati. Propterea major illa amplitudo exiſtendi replicatè, debita animæ Chriſti Domini, exerceri quamoptime poteſt, & debet, titulis per diſputationem hanc productis, & comprobatis, per aſſumptionem Corporis myſtici avidè manducantis Angelorum eſcam, prout meditatur opinio noſtra. Per illamque corpus fidelium ritè accedentium ad altare non ſolùm ſit, juxta doctrinam Apoſtoli ad Epheſ. 4. *unum corpus*, ſed &, *unus Spiritus*; id quod uſurpari commodè nequit de Spiritu Sancto duntaxat: tum quia licet plenitudo Divinitatis habitet corporaliter in Chriſto Domino, & in eo ſenſu copuletur etiam Spiritus Sanctus mediatè corpori, & animæ Chriſti Domini; ad hoc tamen, ut ea ratione habitare dicatur in nobis Spiritus Sanctus, oportet, quòd anima illa ſanctiſſima permanenter nobiſcum uniatur, cum corpus illius citò deſinat eſſe apud communicantem.

Tum quia, cum diſſeritur de Spiritu Corporis, ut ibi denotare videntur Apoſtoli verba, potiùs intelligi debet, & propriùs, anima, ſeu forma Corporis Chriſti Domini per Spiritum illius, quàm Spiritus Sanctus. Tum quia per reliqua etiam Sacramenta, & ope-

rationes ſupernaturales confertur Spiritus Sanctus per gratiam & charitatem. Non ergò de illo uſurpanda ſunt verba illa; ſed de anima Chriſti Domini ſumente ad ſe corpora, aut membra Corporis myſtici, vi cujus fit ſtrictiùs, rariùs, mirabilius unus Spiritus, & ratione illius unum corpus permanenter, quatenus omnia membra nectuntur ad invicem mediatè in eadem anima aſſumente, ultra unitatem ejuſdem Corporis naturalis Servatoris, quod ab omnibus ſumitur in altaribus, idem numero à cunctis; quantumvis eo brevi, & concitato motu conjungatur accipientibus, ut tranſeunti ſimilior ſit, quàm habitanti, valeque dicturus potiùs veniat, aut veniſſe appareat, quàm ut exiſtat. Quibus annectendum, Verbum Divinum neceſſariò aſſumere eximiè juſtum illum, ut verificentur pleniùs verba Chriſti Domini *in me manet &c.* ubi ſignificatur perſona & aliunde nec ſe ſolo præ reliquis perſonis id efficere valet, abſque dono aliquo creato proprio ipſius, & non aliarum (ut vidimus ſupra). Neque rursùs poſſit aſſumere corpus myſticum medio corpore phyſico; quia ſolus ſpiritus aſſumere valet corpus; à fortiori ergo media anima, & ſimul cum ea, ut ſibi copulata hypoſtaticè, illud aſſumit. Ac ſubinde illius exiſtentia præciſivè à corpore exigitur omnino, ſitque à Verbo Divino, ſive retinetur ab ipſo bilocata.

Num. 104. Illatio hæc juris latiùs patentis in ordine ad exiſtendum animæ ratione unionis ad Verbum, ob ſublimiorem ipſius naturam, & diſpoſitionem, colligitur non tantùm ex adumbratis radicibus, ſed ex ordine aliquo, quem neceſſariò concipere debemus, vel ſaltem convenientiſſimè cogitamus, in anima Chriſti Domini ad Corpus myſticum, eo quod in vero aliquo ſenſu ſit Chriſti Domini proprium, non modò quà caput illius, verùm quia eadem anima, quæ reſidet in capite, diffuſa credatur jure merito per omne vaſtum corpus; tribuens attamen diverſos effectus, juxta partium naturam, & diſpoſitionem. Ne alioqui myſticum corpus intelligatur anima privatum in linea propria, quantumvis vivat per gratiæ qualitatem nobiliſſimam, quæ dicitur vita illius; cum ultra illam gaudere poſſit nobiliori alia, motore ſcilicet Divino; qui navem altè regit, & inter tumentes fluctus dirigat, dum gratia cooperante datura remigat.

Ex ea autem conſecutione colligitur planiſſimè, & incontroversè, alia à nobis hic potiſſimè intenta; quòd nimirum nulla ſequatur contradictio ex eo, quod anima Chriſti Domini ſit unita corpori beatiſſimo Chriſti Domini in Cœlo, & in altari; & deunita negativè eidem in corpore myſtico, dum in illo manet, deperditis accidentibus, & deſinente præſentia Sacramentalis Corporis. Ratio deſumitur ex dictis: quoniam licet in ordine naturali, uti & in ordine informationis, unio animæ Chriſti Domini cum corpore naturali ipſius ſit adæquata, verſeturque inter extrema poſitivè ſe adæquantia; in ordine tamen ſupernaturali, & relatè ad conjunctionem aliam realem formæ aſſiſtentis, aut motoris aſſumentis, virtus derivata ex unione ad Verbum in animam, juraque ipſius ſuperant multis nominibus jura corporis, in titulo multipliciter exiſtendi modis diverſis in ordine ad corpora alia. Atque adeo extrema unionis in ea vera acceptione, realique, neutiquam ſunt ad invicem adæquata, ſed potiùs inæqualia, inadæquataque, inadæquatione ſe habente, ex parte animæ per exceſſum, eo quod ſit unibilis realiter inſtar motoris corporibus aliis innumerabilibus, debeturque illi ea replicatiſſima unio, ut elevatæ ad ordinem hypoſtaticum (& propterea Nyſſenus ſupra affirmat, animam Chriſti D. fuiſſe unitam cordibus Diſcipulorum, deſtructis ſpeciebus, & deſinente corpore ibi, & ſimul realiter unitam corpori phyſico Salvatoris circumſcriptivè exiſtenti) & ex parte corporis per minorem illius amplitudinem, ſive ut exceſſi. Compertum eſt autem, nullam ſequi contradictionem inter extrema alicubi unita inter ſe, licet in alio loco unum exiſtat abſque alio, ubi unio eorum minimè adæquata ſit, ſed verè inadæquata, ut exemplo unionis hypoſtaticæ fide ſanctum habemus; & exemplo animæ rationalis reſpectu capitis v. g. planè ootum eſt, & ea ratione inadæquationis ab ea contradictione vindicatum. Cum igitur corpus naturale Chriſti Domini quà animatum, & Verbo Divino unitum, ſit caput Corporis myſtici, tametſi anima, quæ per unionem informativam reſidet in capite, aſſumat corpus myſticum, nullam inducit contradictionem, non deferendo ſecum caput ipſum naturale (vel potius non retinendo ibi ipſum) ad eum locum, ubi Corpus myſticum aſſumit phyſicè; uti ſequeretur, ſi non deferret ſecum unionem hypoſtaticam ad Verbum, quia eſt illo inferior anima rationalis, exceditque infinitè ab ejus immenſitate, & illimitatione. Hanc judico viam, tutam, juxta, ac tritam, ad diluendam hanc, & affines alias hujus generis cavillationes, quarum cuſpis arguta hebetatur planè hac doctrina.

Num. 105. Inſurges tamen replicando ſimul, & objiciendo ſecundo: ſicuti neceſſaria eſt converſio ſubſtantialis ad hoc, ut Corpus Chriſti Domini poſſit conſtitui realiter præſens ſub ſpeciebus, vel ſaltem de facto aliter non conſtituitur, ſic à pari, & veluti à fortiori neceſſaria eſt converſio alia, ut anima Chriſti Domini tranſeat ad unionem ſui cum corpore myſtico ut mobili aſſumendo, uti nos ipſi fatemur, exinde potiùs, ex converſione nimirum cibi in ſubſtantiam aliti, ſubinferendo neceſſitatem prædictæ unionis animæ cum Corpore myſtico. Et aliunde hoc eſt introducere novam in Euchariſtia converſionem, aut in effectu ejus, quam nec fides dictat, nec

nec Theologia declarat, unicam duntaxat converſionem, aut tranſubſtantiationem agnoſcens. Neque apparet actio, vi cujus illa fieri valeat; immo nec re ipſa apparet quomodo ſecunda hæc converſio fiat, aut in quo ſita realiter eſſe poſſit. Reſpondeo, converſionem aliquam realem cibi Eucharistici per modum nutritionis ſequi vera aliqua ratione ex digna ſumptione Euchariſtiæ, agnoſcunt omnes, qui confitentur, juxta ſententiam Chriſti Domini, carnem ipſius eſſe verum cibum, cum nequeat eſſe talis, quin verè cibet, nec poſſit verè cibare, quin verè nutriat, uti nec verè nutrire, quin nutritionis terminus ſit vera aliqua converſio cibi in ſubſtantiam aliti, quamquam diverſam à materiali, & corporea nutritione, ſive illa dicenda ſit formalis converſio, ſive materialis tantùm, vel ſolùm æquivalenter. In ipſa ergo Euchariſtia reperitur tantùm converſio illa tranſubſtantiativa; hoc tamen nulla ratione impedit, quominus alia inveniatur in Euchariſtiæ effectu, quæ potius eſt juxta mentem omnium, etiamſi difficulter ipſa alia via quàm noſtra explicari valeat opportunè, & de re aliquid importans, ſequiturque ex doctrina fidei. Sicut enim ratio veluti à priori præſentiæ ſacramentalis Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis, eſt converſio ſubſtantialis, ut ſcitè notat, & firmat Doct. Seraphic. ita cum effectus nutriendi proprius cibi Euchariſtici involvat eſſentialiter aliam converſionem, quamoptimè ex illa ſubinfertur præſentia realis animæ Chriſti Domini per unionem realem ſui cum homine cibato (& cibante ſimul) *ſi erga*, inquit Doctor Seraphicus in 4. diſt. 10. par. 1. art. 1. quæſt. 3. *quæratur ratio, quare Corpus Chriſti eſt in pluribus locis, credo, quod hæc ſit ratio, quia plura convertuntur in ipſum totum, & in pluribus locis. Si quæratur quare plura? Dicendum, quia Dominus inſtituit: Etſi quæratur ratio inſtitutionis, dicendum, quia cibus ſpiritualis, & communis, ideo natum eſt cibare plures, & ideo plura convertuntur in ipſum. Amplitudinem autem cibandi ſpiritualiter habet ex unione cum Divinitate; actum verò ex exiſtentia ſub Sacramenta: & ideo inſtitutum eſt, ut plura in ipſum illud corpus convertantur, & ſub hoc Sacramento.*

Neque de veritate, realique exiſtentia ſecundæ hujus converſionis incluſæ in effectu Euchariſtiæ, dubitari poteſt impunè, ſive hac, ſive illa ratione explicetur: juxta noſtram verò opinionem clareſcit illa, ſi uſurpetur ex parte animæ Chriſti Domini, quæ eſt forma ſubſtantialis cibi Euchariſtici, quatenus illa tranſit à corpore naturali prout præſenti in Euchariſtia, cum illud deſinat, ſpeciebus deſinentibus, ad corpus myſticum, & à forma informante ibi ad novum modum formæ aſſiſtentis, quamvis unio ſubſtantialis non ſit. Reſpectu verò ſumentis Euchariſtiam, ſeu corporis myſtici, quod manducatur à cibo ipſo vivente, invenitur tranſitus à privatione animę Chriſti Domini tamquam furmæ aſſiſtentis ad ipſam realiter obtinendam per unionem intimam declaratam ſæpe. Et quantumvis ſępiſſime præſuppouatur eadem anima pręexiſtens ex anteactis, dignissimiſque ſumptionibus; hoc tamen per accidens ſe habet, quia id per ſe non ſupponit: & rurſus tranſit tum à privatione nexus intimioris ad arctiorem ipſum nexum, & conſequenter novum alium, cum forma ſubſtantiali cibi viventis, principaliſque cibati: vel etiam ad majorem ejuſdem nexus extenſionem, proindeque ad unionem ſimpliciter alterius partis, aut potentiæ. Si autem metaphoricam aliam inducas, & impropriam converſionem, expouis Hæreticorum metaphoricis inſidiis fidem Euchariſticam, ne recidas in ſententiam noſtram. Reponamque tibi id quod Div. Thom. 3. par. quæſt. 5. art. 3. opponit Apollinari, & Arrio, ajentibus, Verbum aſſumpſiſſe tantùm Corpus Humanum, non animam, cujus vices gerit Verbum ipſum, & Patrum clariſſima teſtimonia, Scripturęque Marth. 26. & Joan. 10. eludentibus per recurſum ad tropos, & figuratam locutionem: *alioqui*, inquit Sanctus Thomas: *ſi hæc ad metaphoram referantur, eum ſimilia legantur in veteri teſtamento de Dea, peribit fides Evangelicæ narrationis.* (Ut alibi jam obſervavimus). Quod urget vividiùs in materia Euchariſtica, quam Novatores per figuras exponunt, ut vel in hoc erraticam, & metaphoricam ſuam fidem oſtendant.

Otiosè tamen à nobis quæritur, quænam ſit actio factiva hujus converſionis, quoniam anima Chriſti Domini non adeſt ibi per actionem noviter elicitam, ſed per eamdem, per quam venerat in comitatu corporis (loquimur juxta principia, & valdè probatam ſententiam Scholaſticorum) quantumvis ſupernaturalem; utpotè diverſam ab ea, per quam conſtituitur præſens corpus ſub accidentibus. Aſſumptio autem corporis myſtici, per realem conjunctionem animæ Chriſti Domini cum ipſo, fit ab eadem anima ſanctiſſima ut inſtrumento Verbi Divini producente intimam illam unionem ſui cum mobili aſſumpto. Admodum quo terminus ultimus nutritionis, converſioque cibi in ſubſtautiam viventis, ſit ab ejuſdem anima producente unionem ſui cum materia cibi, & pellente formam oppoſitam. Quo pacto verò fiat aſſumptio corporis in genere, & cujus indolis ſit unio motoris aſſumentis eum mobili, attigimus ſect. 2. & infra adjungemus alia: eſtque materia ad tractatum de Angelis ſpectans; & ſive hoc, ſive illo potiùs modo contingat, nuſtra nihil prorſus refert, uti & ad eumdem tractatum remittimus diverſas alias aſſumptionis dubitationes; ne aſſumamus, & nos communes, ſubindeque alienas à noſtra, difficultates.

§. II.

Num. 106. **O**Bjicies tertio: ſubinferri ex noſtra aſſertione, corpus myſticum, jam non propriè myſticum Chriſti Domini corpus, ſed reale naturale ipſius, cum importet realem præſentiam animæ rationalis ejuſdem tamquam motoris, & formæ aſſiſtentis, quod eſt etiam munus proprium animæ rationalis reſpectu corporis, quod informat, ut Philoſophia docet. Maximè cum corpus illud aſſumat ad repræſentandum expreſsè, quæ repræſentatio pervenire poteſt ad gradum mirabilem ſimilitudinis, & transformationis, itaut niſi per mobile ſteterit, alium quaſi Chriſtum efficiet. Reſpondeo, objectionem ſupponere, conceptum myſtici in arcano aliquo myſterio, aut corpore, excludere omnem realem præſentiam rei, aut Perſonæ, per ordinem ad quam dicitur myſticum corpus, quod abſurdiſſimè præſupponitur. Aliter, auguſtum altaris myſterium, quod in Epiſtola Synodica Concilii Alexandrini, receptaque in Epheſino, appellatur myſtica benedictio: *atque ita ad myſticas accedimus benedictiones, ac ſanctificamur participes facti ſanctæ carnis, pretioſique ſanguinis Salvatoris noſtri omnium Jeſu Chriſti*: ſumiturque ex modo loquendi Apoſtoli, panem benedictionis, & benedictionis etiam Calicem Euchariſtiam Sanctam dicentis. Aliter, inquam, non conſtitueret realiter Chriſtum Dominum ſub accidentibus. Conceptus igitur myſtici occulti, aut ſecreti, componitur optimo jure cum præſentia reali animę Chriſti Domini intra illud corpus, quod myſticum dicitur. Tum quia per ſe denotat ſolùm myſterium aliquod ſecretum, finem ſpiritualem reſpiciens, & ſpiritualem ſenſum habens; tametſi realitatem ſimul participet. Tum præterea, quia anima Chriſti Domini non eſt copulata naturaliter illi corpori, ſed divinitus, eſtque motor in ordine tantùm ſupernaturali; nec informat illud, ſed aſſumit, movet, & eidem aſſiſtit. Illud autem dicitur corpus naturale alicujus animæ in ſenſu literali, quod ab illa informatur, & cum quo ipſa conſtituit unum per ſe. Tum quia corpus dicitur myſticum propriè comparativè ad caput, nimirum ad corpus naturale, ut animatum, Chriſti Domini, cui penes nullam ſui partem unitur phyſicè permanenter immediatè corpus myſticum; ſed mediatè, & in tertio, juxta noſtra principia, ſcilicet in ipſa anima utrumque, quamquam diverſimodè, realiter conjuncta; ut apud communem ſententiam unitur affectivè per charitatem, & gratiam; cui unioni, quæ penes prædicatum genericum convenit Euchariſtiæ, ſicuti & aliis Sacramentis, adjungit illa penes differentiale nexum realem cum anima Chriſti Domini. Itaut corpus myſticum, ut ſic uſurpatum, ſit quidem vivum, verumtamen non prædictum anima rationali, ut ita loquar, tamquam forma aſſiſtente, & activè vivificante, ſed alia vitæ ſpecie diverſa: quemadmodum ſi ſanguis, & alii humores, non informentur anima rationali, ſed forma alia purè vegetativa. Quà tamen per Euchariſtiam nutritum includit animam rationalem Chriſti Domini per modum formæ aſſiſtentis, & motoris ſublimis, elevantis ipſum ad gradum vitæ perfectioris, (& quidem perfectiùs etiam unitur quibuſdam partibus, quàm aliis, tametſi ea forma animatis: quemadmodum in corpore phyſico inter partes animatas ſunt aliqualius nobiliores, ſublimiuſque operantur) quamvis ex omnibus illis membris, ſive minùs ſtrictè, ſive arctiùs copulatis, reſultet vaſtiſſimum corpus myſticum, cujus caput eſt Chriſtus Dominus. Ea proculdubio ratione, dum per aquam vino mixtam in Calice ſignificantur Populi, ut concordi voto docent Patres, & per vinum ſanguis, per quem, quia ſedes animæ eſt, apud Philoſophos, anima exprimitur, denotatur mixtione illa unio Populi Chriſtiani, ſive corporis myſtici cum anima Chriſti Domini per Euchariſtiæ dignam ſumptionem; media qua novam animam accipit corpus illud, novam vitam, & veluti eſſe novum, ordine quidem hypoſtatico inferius, ſed reliquis altius, & illi vicinius.

Num. 107. Objicies quartò: ſequi ex noſtra opinione, animam Chriſti Domini vagari poſſe extra corpus naturale, etiamſi nullum corpus myſticum aſſumat. Ratio hujus ſequelæ eſt: quoniam juxta principia à nobis jacta, anima Chriſti Domini deſinere neutiquam debet, deſinentibus ſpeciebus, & cum eis corpore: ergo licet qui accipit Euchariſtiam, ſit indignus, quia immundus acceſſit ad epulum Divinum; non eſt attamen cur anima perſiſtere nequeat, ſi voluerit alio divertere ſeparata. Aſſumptum probatur: quia vel permanentia animæ in corde juſti communicantis deficiente corporis præſentia ab eo loco, eſt miraculoſa, quia divinitus ſolùm conſervari poteſt actio, per quam fuit adducta concomitanter, vel naturalis, eo quod actio naturalis conſervetur? Si primùm, corruere videtur potiſſimum ſententiæ noſtræ fundamentum, inde arguens animam perſeverare poſſe in corde ſeparatam ibi; quia non eſt cur, aut unde deſinere debeat, corpore deſinente, licet ſit cur, & unde per concomitantiam neceſſariò veniat, corpore vi verborum veniente. Si ſecundum, nulla adeſt ratio, aut cauſa, ob quam deſinere debeat anima Chriſti Domini ab illo ſtatu ſeparationis (unà cum naturali in proprio naturali corpore) ex eo quod corpus deſinat, & non adſit dignitas in corpore myſtico, vel ex eo, quod non adſit corpus myſticum diſpoſitum actu, & proximè aſſumptibile; ſin minùs penderet magis à corpore myſtico, ſine quo exiſtere non poſſet ſeparata

à na-

Digitized by Google

à naturali ; quàm à naturali ipſo, ſine quo exiſtere poteſt negativè ſeparata.

Reſpondeo: actionem conſervativam animæ eſſe quidem ſupernaturalem, & miraculoſam, juxta eorum ſententiam, qui opinantur, nonniſi per actionem miraculoſam venire, tametſi venire debeat neceſſariò concomitanter. Cum tamen per eamdem, utpote independentem ex ſe ab actione adductiva corporis, licet pendeat in intentione Dei, conſervetur juxta aſſertionem noſtram ; ejus conſervatio novum miraculum minimè eſt, ſed continuatio ejuſdem præcedentis, quemadmodum continuaretur, ſi perſtitiſſent diù incorruptæ ſpecies. Hæc tamen continuatio debetur animæ titulo unionis, debito ſupra ſatis explicato : uti debetur replicatio corporis per Euchariſtiam. Proptereaque idem foret dicendum, etiamſi nova actione, novoque miraculo ad eam conſervationem opus eſſet. Si verò ex ſuppoſitione miraculi adducentis corpus, naturalem dicas in ſe actionem adductivam animæ, quæ ſolùm præſuppoſitivè dicatur miraculoſa, tunc abſque novo miraculo conſervari dicenda eſt, quia nullo exigentiæ, aut naturæ debito neceſſarius concipitur illius defectus ibi, per hoc quod corpus deſit, abeuntibus in deſitionem ſpeciebus. Non propterea tamen debet conſervari, ubi non adeſt membrum corporis myſtici capax illam recipiendi ut formam aſſiſtentem. Ratio eſt, quia in eo eventu non adeſt, finis, quem Deus, & ipſamet anima intendunt per conſervationem illius extra corpus naturale ibi, aut alibi negativè, nempe aſſumptio illa corporis myſtici ad arctiſſimam unionem cum ipſa, & ad ſe repræſentandum exactiſſimè per ejus operationes. Deficit corpus aliquod proprium, cui intimè uniatur, cujuſmodi eſt myſticum ; ſine quo vagari extra corpus naturale, vel potiùs ſine illo, importaret inutilem excurſionem. Deficit converſio cibi in ſubſtantiam manducantis, quia non adeſt nutritio, ubi non adfuit ſpiritualis manducatio, tametſi adfuerit Sacramentalis. Sicut enim Corpus Chriſti Domini non conſtituitur in Euchariſtia niſi per converſionem ſubſtantię panis, & vini, in ipſum Corpus, & Sanguinem, ita non permanet anima Chriſti Domini alicubi, corpore non exiſtente ibi, niſi ubi adeſt converſio alimenti in ſubſtantiam aliti ; & in eventu ipſam Euchariſtiam concernente, de quo plura occaſione apparitionum Euchariſticarum infra. Hæc autem intelligenda ſunt de exiſtentia animæ titulo converſionis, & myſterii Euchariſtiæ, quæ ex inſtitutione poſtulat converſionem, perenniterque. Quoniam aliis titulis, & per miraculum raro patratum contingere poſſe, conſtabit ex infra dicendis. Si autem poteſt replicari alio modo quàm per converſionem Corpus Chriſti Domini animatum, à fortiori, meliùſque replicari poterit anima, aut conſervari præciſivè à corpore ; in Euchariſtia tamen, ſaltem de facto, non aliter quàm per converſionem ſit præſens corpus.

Perperam autem objicitur dependentia major à corpore myſtico, quàm à naturali, ſiquidem ab hoc pendet ſimpliciter ad eſſe completum, & ſine illo alicubi exiſtente, numquam exiſtit, nec exiſtère jam poteſt poſt reſurrectionem ; dum ſine corpore myſtico exiſtere valet, cum per illud non compleatur in ſtatu naturali, ſed illi tantùm copuletur, ut ipſum perficiat. In ordine tamen ad hunc effectum determinatum aſſumptionis nullum eſt inconveniens, quòd pendeat potiùs ab ejus diſpoſitione & dignitate, quàm à corpore naturali ; quemadmodum in ordine ad actum ſcientiæ infuſæ eliciendum pendet potiùs ab ſpecie infuſa anima ipſa, quàm à corpore proprio, a quo independens omnino eſt ea operatio. Quid mirum enim quòd non pendeat à corpore naturali aſſumptio, aut operatio, quæ fit independenter ab ipſo naturali corpore? Et quid demirandum rurſus, quod poſſit alicubi aſſumere corpus aliud, & exiſtere abſque corpore naturali ibidem præſente, quæ poteſt intra ipſum corpus naturale operari independenter ab illo, ob amplitudinem majorem, longè, latèque fuſam ejuſdem animæ? Præſertim cum anima Chriſti Domini vehementer adeo amet corpus myſticum ſuum, ut naturale proprium morti per atrocia vulnera obtulerit, ut myſticum à morte vindicaret. Quibus accedit, rem ſignificatam per Euchariſtiam eſſe etiam corpus ipſum myſticum, quod idcirco nobilitare intendit media ſumptione Euchariſtiæ altiori modo poſſibili, præſentia ſcilicet animę ut formæ aſſiſtentis intimè, eidem copulatæ ; cum non deceat, illud aſſumi hypoſtaticè à Verbo divino, ne obſcuretur gloria ſingularis Humanitatis Chriſti Domini.

Num. 108. Quinta oppoſitio deſumi poteſt ex otioſitate, aut exiguo fructu hujuſce nexus intimi, realiſque animæ Chriſti Domini cum corpore myſtico. In primis enim illa non eſt forma ſanctificans juſtum, in quo manet : & ideo ſe ſola eſſe nequit effectus Euchariſtiæ, debetque ſupponere ſecundum rationem genericam Sacramenti vivorum augumentum gratiæ, qui erit effectus præſtantior, utpote ſanctificans. Rurſus anima Chriſti Domini nequit ſe ſola elicere in mobili aſſumpto vivo operationes, quemadmodum in corpore ex aere condenſato noviter constructo Angelus operatur, ut ſe, ſuaſque proprietates repræſentet ; alioqui corpus myſticum nec viveret per eas operationes, ab alio agente intimè unito infuſas, nec ſanctificaretur per ipſas, nec recenſeri poſſent inter meritorias, quia non liberè emiſſas, ſed purè receptas: proindeque ægrè per illas ad unionem tranformativam, perfectamque imaginem Salvatoris, devenire poſſet ; ſi verò in illas liberè activèque in-

influat Corpus aſſumptum, vix intelligi poteſt quo pacto per ipſas ſe repræſentet Chriſtus Dominus, nec ejus anima Deificata; cum ſint operationes vitales propriæ ipſius corporis myſtici eas elicientis, utpotè viventis, & propria anima rationali informati; quæ proinde Perſonam aſſumptam per ſe primò notam facit, & exprimit; & quidem etiam dum ſint operationes ſupernaturales, à gratia tamquam à principio intrinſeco elevante, & influente principaliter elicitæ. Et hæc eſt præcipua ratio, aut difficultas, cui innituntur, qui Angelum aſſumere poſſe, in ſtricta aſſumptionis acceptione, corpus vivum inficiantur, vel ægrè raròque admittunt. Ulterius nequit per ſe intendi aſſumptio illa ad movendum juſtum per gratias actuales, auxilia, & pias affectiones, cogitationeſque: quoniam hæc omnia debentur ex digna acceptione Corporis Chriſti Domini ſuo tempore, juxta opportunitatem exhibenda. Ubi autem exiſtit aliunde debitum omnino abſolutum ex promiſſione divina, fruſtra excogitatur nova conjunctio animæ Chriſti Domini ad novo titulo eadem exigenda. Accedit, gratias illas deberi præcipuè ob dignam Corporis Chriſti Domini ſumptionem, aut ſecundum id, quod ponitur vi verborum in Sacramento Euchariſtiæ; conſequenterque non ob ejus animam, cum etiam defuncto corpore in triduo eumdem effectum præſtaret Euchariſtia, ſi adeſſe tunc. His difficultatibus adjungenda nova arduitas inventa à Theologis in eo, quod anima ſeparata poſſet aſſumere corpus, quod ſaltem viribus naturæ fieri non poſſe tuentur plurimi; divinitus autem fieri poteſt quidem; ſuperfluè tamen patraretur adeo frequens miraculum ad obtinendum id ipſum, quod per ſumptionem cum præparatione factam Euchariſtiæ Sacræ obtinetur, ſecluſa immanentia reali animæ. Quo namque prudenti fundamento poſt ingentia miracula, & veluti abyſſum rerum mirabilium, quæ in exiſtentia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis concurrunt, attenta fide ſancta, & ſtupefacta natura, introducuntur nova alia, inſigniſſima etiam, ad effectum Euchariſtiæ proprium exponendum? Hæc ideo ponderantur à nobis, ut reſponſionibus eluceſcant hactenus dicta: ut quem hoſtem putares, experiaris amicum.

Num. 109. Occurrendum itaque, concedendo, animam Chriſti Domini tametſi Verbo copulatam, divinitati ex integro delibutam, & immenſis gratiarum opibus ditatam, neutiquam eſſe formalem ſanctitatem, nec formaliter ſanctificare corpus, quod aſſumit, quamvis ſit forma infinitè ſanctificata. Fatemur inſuper, vi ſumptionis dignæ deberi juſto auxilia, gratiaſque actuales tempore opportuno demittendas; adjungimus tamen, illas futuras longè uberiores, ſi ultra conjunctionem tranſeuntem Corporis Chriſti Domini cum accedente ſanctè ad menſam permaneat anima ejuſdem Servatoris, poſtquam abſint accidentia, & deſinat ibi corpus, intimè copulata, cum ratione illius aliud aliquid neceſſariò debeatur, præter illud, quod ratione corporis potiſſimè debetur, ut objectio ſupponit. Adjungimus inſuper, merita illorum, qui Chriſti D. animam ſibi intimè unitam habuerint, obtinere majorem dignitatem ex promiſſione divina Euchariſticis facta, elevante, & dignificante illa ad majus præmium, etiam eſſentiale, quàm alia ejuſdem intenſionis, elicita abſque præexiſtentia illius unionis. Eo quod Perſona illa ad ordinem quaſi hypoſtaticum aſſumpta dignificet altiùs operationes ſupernaturales, quas emitit, quàm gratia ſanctificans, etiam intentiſſima, qua ſupponatur inſtructa: ſiquidem per aſſumptionem præfatam, & intimam unionem conſtituitur, in ordine ſuperiori ad quæcumque alia ſuppoſita ſola gratia habituali ornata. Ad modum quo juxta communem Theologiam, contra P. Vaſquez, merita noſtra contrahunt ſpecialem dignitatem ex conjunctione cum Chriſto Domino, ut capite, & ex relatione ad ejus merita. Sic Cajet. 3. tom. opuſc. tract. 9. Sotus, Ruardus, Vega, & alii, quos ſequitur Eximius Doctor lib. 12. de divina gratia cap. 19. Hæc patebunt clariùs, ſi obſervetur, ſimili prorſus argumento inſurrexiſſe ſacramentarios, dicentes: fruſtra introduci illuſtria illa, crebraque miracula in præſentia reali Corporis, & Sanguinis Salvatoris adſtruenda in Euchariſtia, cum omnem effectum, tum gratiæ ſanctificantis, tum gratiarum actualium, quem præſentia illa realis parturire poſſet, obtineri valeat, præciſivè ab ea præſentia phyſica, & à conglobatis portentis, per ſolam præſentiam figuratam, ſumendoque per fidem Chriſtum Dominum ipſum, à quo derivari poſſunt è Cœlo, æquè ac ex altari fluenta illa exundantia. Quorum argumento, aut potiùs latratui, quid reſpondet Theologia Catholica? Profectò non aliud uno ore Scholaſtici, quàm id, quod alibi protulimus ex Doct. Seraphico in 4. diſt. 10. par. 1. qu. 1. ad ultimum argumentum: *Congruum*, ait, *quòd Dominus ex ſua præſentia corporali aliquod munus ſpecialius tribuat: & licet non valeat illi, qui credit, eum non poſſe operari, niſi ubi eſt corpaliter; credenti tamen multùm valet, ſicut multùm valuit Zachæo præſentia Corporis Chriſti.*

Ratio hæc congruentiæ militat eâdem energiâ à fortiori pro immanentia ex ſe perpetua animæ Chriſti Domini intra Corpus myſticum: ſiquidem ad illius exigentiam neceſſariò conferuntur copioſiores multò gratiæ, tum abſolutè, tum invadente arcem dolis, & conatibus, hoſte, aliaque ſublimiora, & ſingulariſſima: cujuſmodi ſunt, protectio habitualis Corporis aſſumpti, cujus eſt nutrix anima, ſub ejuſque tutela exiſtit, & ideo ſpeciali jure tenetur ad eam protegendam Verbum divinum: concurſus phy-

phyſicus in ejus ſanctas operationes, virtute cujus influxus ferventiores evadunt; diſponuntque celeriùs intenſione ſua ad unionem perfectam transformativam, dicente Ruardo Tapp. artic. 11. *Noſtra verò opera plus gratiç apud Deum habere, quod Chriſtus ea in nobis operari dignatur*. Et longe magis dum operatur nobiſcum, ut intimè nobis copulatus penes animam, ut motor aſſumens, & forma aſſiſtens. Neque enim è Cœlo influit phyſicè in noſtras ſupernaturales operationes immanentes, licet influat in effectus proprios Sacramentorum. Neque rurſus è Cœlo concurrere debet ea intenſione, qua concurrit, dum intimè ſit unita homini ejus anima, cum titulo motoris aſſumentis ad repræſentandum debeat Corpus illud regere diligentiùs; & movere efficaciùs. Intendit per ſe primò, & cauſat, quantum ex ſe eſt, repræſentare ſeipſam, & veluti alium Chriſtum efficere, quod proprium eſt principii aſſumentis Corpus. Reddit Verbum Divinum (& ratione illius divinitatem) immediatè realiter unitum phyſicè eidem Corpori myſtico; quin & Verbum eſt quod immediate ut cauſa principalis aſſumit illud Corpus interventu animæ ut iſtrumenti conjuncti; quamquam enim motiones illæ fiant media anima à tota Trinitate, eo quod ſint operationes ad extra; cum tamen Verbum ſit ſuppoſitum illius animæ, utpote eidem tantùm hypoſtaticè copulatæ, illi ſpecialiſſimo jure attribuuntur. Ac proinde elevat quodammodo ad ordinem hypoſtaticum mobile aſſumptum, itaut infra Humanitatem aſſumptam hypoſtaticè, & infra Matris dignitatem in genere ſuo infinitam, ut loquitur D. Th. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4., quia Deipara ſua operatione *Matris fines divinitatis propinquiùs attigit* ut docuit ipſe D. Th. 2. 2. q. 103. art. 4. nulla ſit major, nec adhuc æqualis.

Ex quo fit, quod etiamſi forma ſanctificans formaliter non ſit anima Chriſti D., ſit attamen æquivalenter major in ſenſu aliquo vero gratia ſanctificante, quatenus eſt ſuperioris ordinis: uti de maternitate docere videtur S. Th. eo art. 4. ad ſecundum, & ibidem Cajetanus, ſicut & D. Eximius tomo 2. de Incarn. diſp. 1. ſect. 2. id ex Patribus eruens ſolidiſſimè. Et ſanè ideo adoratur ſublimioris adorationis ſpecie, quàm Sancti, gratia ſanctificante copioſè præditi, juxta eumdem Sanctum Thomam: ut inde colligatur, dignitatem Matris ſuperare gratiæ dignitatem moraliter. Inſuper anima Chriſti Domini, eſt forma æquivalentèr ſanctificans; cum ex unione permanente cum ipſa conferatur in Patria major aliqua gloria eſſentialis ex opere operato, mox declaranda; qui eſt proprius effectus formæ ſanctificantis. In quo ſenſu oramus ſæpè: *Anima Chriſti ſanctifica me*. Idcirco aſſumptio illa debet eſſentialiter præſupponere gratiam ſanctificantem in homine aſſumpto. Et forſan ultra gratiæ incrementum vi ſumptionis Euchariſtiæ collatum, dum adhuc perſeverant ſpecies in ſtomacho; infunditur novum aliud augumentum in ipſomet actu aſſumptionis: dum anima Chriſti Domini Corpus illud, ut domum propriam occupat, poſſidet, ut Dominus, non jam ut hoſpes. Illud autem, licet conveniat cum effectu aliorum Sacramentorum, uti convenit ultimus omnium effectus, beatitudo ſcilicet; non eſt attamen immediatus effectus Euchariſtiæ, ſed mediatus, cum proveniat immediate ab anima Chriſti Domini aſſiſtente, qui eſt immediatus effectus. Immo nobis ſufficeret, quod effectus hic ſpecialis Euchariſtiæ penes differentiam metaphyſicam illius, eſſet dignior reliquis differentiis aliorum Sacramentorum; tametſi foret habituali gratia omnibus communi inferior; ſi hoc componi poſſet cum excellentiori prædicato differentiali & ſublimi Euchariſtiæ, ſuperante longe gratiam. Abſolute tamen eſt nobilior infinite. Eſtque impoſſibile, ſi conſideretur id, quod decet animam Chriſti, quod hominem in ſtatu peccati eo modo aſſumat, nec ſi aſſumeret, effectus inſinuatos conferret. His adjunge altiorem aliquem gradum gloriæ eſſentialis animæ, & corporis illi conferendum cæteris omnino paribus, qui hoſpitem illum cœleſtem habuerit intra ſe, dum finem vitæ imponat, ex opere operato concedendum, ut nuper tetigimus; quia per ipſum actum viſionis, quo Chriſtus Dominus Deum videt, Deum ille videbit, ipſaque viſio, ut afferens intenſiorem illum gradum, debetur unioni permanenti cum anima Servatoris noſtri, de quo, plura diſput. ſequente. Quæ omnia, & id genus alia enarratu difficilia, quia prope infinita, quia varia, & juxta inopinatos eventus plane diverſa, ultra habitualia, aſſiduaque, (quem effectum efficiunt præſtantiorem), lucrum quammaximum afferunt Corpori myſtico in re familiari ordinis ſupernaturalis, (interdumque etiam in rebus naturalibus) quibus vel avidiſſimus opum divinarum ſatiare poteſt famem ſacram, & ſitim divitiarum cœleſtium extinguere; impletur enim, ſi velit ſinum ſuum ampliare; in quo ſenſu uſurpares merito illud Pſ. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Num. 110. Quod attinet ad vires connaturales animæ à Corpore proprio ſeparatæ, (intra illud enim capax non eſt aliud aſſumendi, cum hæc ſit virtus ſolius ſubſtantiæ ſpiritualis) in ordine ad aſſumendum Corpus, lis eſt, eritque ſub Judice, affirmante Doct. Subtili, Aureolo, Abulenſi, Ægydio Quodlib. 4. q. 7. Delrio, Conimbricenſibus, Mæratio, Quiros, & compluribus aliis, poſſe animam; ſi fuerit à Corpore ſejuncta, Corpus aſſumere naturali ſua facultate. Poſſe tamen divina ſaltem virtute omnino indubitatum eſt, ut ſupra vidimus, ſicut anima Moyſis Corpus aſſumpſit Math. 17. ubi legendus Abulenſis, & Magnus Gregorius lib. 4. Dial. D. Th. 3. p. q. 45. art. 3. ad ſecundum & 1. p. q. 110. uti & 117. Animæ

verò

verò Chriſti Domini neceſſario competit jus hoc, inter alia privilegia eidem conceſſa, vel potius debita ex unione ad Verbum, ut notavimus ſæpè; & quidem ea ſingularitate, ut quamquam ſit intra proprium Corpus in Cœlo, & Euchariſtia, illo exiſtendi, & actuandi modo perſeverante, poſſet alibi exiſtere ſine corpore naturali, ibidemque myſticum aſſumere. Maximè cum illud aſſumat ut inſtrumentum Verbi Divini, potiſſimè aſſumentis media ipſa, & una cum eadem immediatè. Id quod adeo firmum eſſe debet, ut Eximius Doct. in ſæpe allegata diſp. 14. ſect. 3. tom. 1. in 3. par. dixerit, & quidem de quavis forma ſubſtantiali *omnes fieri poſſe concludunt*. Circa aſſumptionem verò Corporis vivi, non eſt cur negotium faceſſat nobis vulgaris difficultas: fatentur ſiquidem omnes, Angelum adeſſe poſſe intrinſecè Corpori vivo inſtar motoris, aut formæ aſſiſtentis; dubium attamen eſt poſſit ne eſſe motor repræſentatus per operationes viventis aſſumpti, prout requiritur ad ſtrictum conceptum aſſumendi? Qui arbitrantur, poſſe Angelum ſuas proprietates exprimere per illius viventis operationes aliquas (licet non per omnes) ad quas ipſe moveat, vel per alias etiam in ipſo elicitas ab Angelo, quę non ſunt propriæ præfati viventis, ſed potius planè adſcititias, quæque propterea manuducunt videntes in cognitionem motoris, affirmativæ ſententiæ adhærent, ſuntque plurimi. Qui verò id fieri poſſe non facilè credunt, ſubſcribunt negativæ. Jam verò in re noſtra utrique ſententiæ mutuò oppoſitæ certa eſſe debet poſſibilitas aſſumptionis veræ corporis myſtici ab anima Servatoris noſtri. Motivum certitudinis perſpicuum; eſt conceptus cauſæ univerſalis illi conveniens præ Angelo, ut diximus ſect. 2. Rurſus membrum Corporis myſtici, quo perfectius, & efficacius eliciat operationes ſupernaturales liberas, & meritorias, Chriſti Domini vitam redolentes, eo vividius exprimit in ſe Chriſtum Dominum, ejuſque Spiritum, fitque illico vividior illius imago: cum ab illo debeant aliquatenus provenire: atque adeo ipſum ut motorem intrinſecum influentem repræſentare valet. Immo hæc eſt ſingularis gloria (ut alibi diximus) hujus aſſumptionis, quod aſequatur aſumens ex mobili libero ſuam expreſsam repręſentationem. Quemadmodum exploratum eſt, Deum per liberas operationes Sanctorum illos in ſe transformare.

Non ſic autem ſe habent comparativè ad Angelum, à quo non ſunt aptæ natæ provenire liberę operationes hominis. Unde cum Euchariſtia pœnes proprium conceptum tendat in unionem ſummam; vi cujus redduntur homines Chriſtiferi; per ipſaſmet ſanctas operationes, quas homo liberè, & alte emittit, & quibus ſanctificatur ampliùs, exprimit Chriſtum Dominum, & quidem ultra motiones alias indeliberatas piarum affectionum, à Divino motore excitatas, ſolicitantes vehementer voluntatem ad Chriſti Domini imitationem, & ad hoc ut ipſe homo perficiat in ſe, & veluti formet Chriſtum Dominum, ut loquitur Apoſtolus: *donec formetur in vobis Chriſtus*. Et in hoc reſplendet alia differentia inter animam Chriſti Domini aſſumentem hominem, & Angelum Corpus vivum pariter aſſumentem ad ſe repræſentandum: namque Angelus non habet externas operationes proprias, quibus aſſimilari valeat operatio humana, ſed ſolas proprietates intelligibiles; & ideo non eſt unde facilè poſſit motorem intrinſecum repræſentare. Cæterum Chriſtus Dominus virtutum ſublimiſſimarum opera externa exercuit, ut poſſit quilibet juſtus in earum æmulatione inſudare, conſequenterque illum in ſe exprimere. Et cum aliunde Chriſtus Dominus ſit inſtrumentum conjunctum pœnes Humanitatem, exemplarque, & principium influere potens in operationes ſupernaturales, per ſe primò illi attribui poſſunt, tamquam motori intrinſece unito pœnes animam, ad ſe per illas repræſentandum. Quid enim aliud erat Paulus Mundo crucifixus, non vivens ipſe: ſed in ipſo Chriſtus Dominus quàm vera Jeſu effigies, ipſum repræſentans intra Paulum operantem, & aſſiduo motu, artiſque cultura perfectum Chriſtum ex Paulo ipſo efficientem, & vultus Divinos in illo, elegantiùs, quàm in marmore formantem? Ubi curſim notandum, nihil habere commune ſententiam noſtram cum illa propoſitione, meritò rejecta, quam refert P. Theophilus Raynaud. in Etheroclitis ſpiritualibus ſect. 3. puncto 1. *Quod Chriſti Domini Humanitas realiter, & permanenter inexiſtat quibuſdam animabus, in terra degentibus, in quibus omnes earum actiones operatur*. Quandoquidem hæc propoſitio loquitur. de Humanitate completa, quæ nullibi exiſtit permanenter, niſi in Cœlo, & Sacramentaliter in Euchariſtia. Deinde affirmat, illum adæquatè in eis animabus operari omnes illarum actus, itaut paſſive ſe habere illas, denotet, abſque activa liberaque cooperatione in ſuos actus; quod abſonum eſt. Peccat enim per exceſſum doctrina hæc, ſicut per defectum communis ſententia. Inter utramque verò incedit, veluti per Eclipiticam, aſſertio noſtra.

Num. 111. Verùm replicabis illicò non magis apparet nobis motor hic intrinſecus per operationes ſanctas, Chriſtum Dominum repræſentantes, elicitaſque à ſumente ferventiſſimo amoris æſtu Euchariſtiam; quàm per alias ſublimiſſimas perfectiones, quas eliceret homo jugo captivitatis apud barbaras gentes oppreſſus, cui numquam licuiſſet accedere ad menſam Angelorum; qui nihilominus non haberet intimè ſibi unitam Chriſti Domini animam moventem ipſum. Non igitur eſſe valet ſufficiens repræſentatio, quam cogitat aſſertio noſtra, ad hoc ut ex illa arguatur motor intus latens;

tens;

tens, & aſſumens, ſive anima Chriſti Domini unita membro illi Corporis myſtici. Vel idem ſentiendum de operationibus eximiæ ſanctitatis aliunde quàm ex Euchariſtiæ ſumptione provenientibus; quod foret abſurdum, efficeretque mendacem repræſentationem; vel quòd non eſſet effectus ſingularis Euchariſtiæ nexus ille. Aſſumptio nanque corporis, quæ per operationes aſſumentem repræſentantes non ducat adſtantes in ejus cognitionem, ut intrinſecè copulati corpori aſſumpto, inaudita eſt, & voluntariè conficta. Reſpondeo, diverſos ſæpiſſimè eſſe aſſumptionis fines à divina providentia intentos; juxta quorum diverſitatem variatur etiam cognitio motoris aſſumentis in eis, qui vident corpus aſumptum; ſemper attamen illud aſumit motor ad ſe repræſentandum per ejus operationes, cum hoc ſit prædicatum eſſentiale aſſumptionis; ſive id contingat aliquando, quin in actu ſecundo agnoſcatur ab eis, quibus apparet, licet ex ſe præbeat ſufficiens argumentum ſuæ præſentiæ, ſitque apta nata generare prudentem aliquam notitiam motoris; ſive in actu ſecundo ſe manifeſtandi aliis, ut plerumque accidit. Nonnumquam ſiquidem, ita apparet, ut inſtruat, dirigat, alliciat, aut terreat, adeoque ita, ut illico per actiones in corpore aſſumpto ingerat in actu ſecundo notitiam ſui expreſſam, quia ita expedit ad obtinendum finem, ob quem apparet, quarum apparitionum exemplis abundat Scriptura Sacra, & Hiſtoria. Non ſemel ita, ut diu ignoretur motor aſſumens; in fine tamen ſeipſum apertè manifeſtet: quemadmodum Raphael glorioſiſſimus nec a Tobia juniore, in cujus comitatu ibat, dignoſceretur, etiamſi ſplendeſceret ſingulariter: *& invenit juvenem ſplendentem*, & quamquam diceretur magni Ananiæ filius, miraque alia feciſset tum in via, tum reductus in patriam; niſi peractis omnibus aperuiſſet illis ſecretum. Similiterque Abrahamus, uti & Lot, hoſpites Angelos diù credidere viros. Item & ſæpiſſimè ita apparuerunt, ut quamvis repræſentatio motoris per actiones mobilis eſset ex ſe ſufficiens in actu primo ad ingerendam cognitionem in vidente perſonæ aſumentis, (eſt enim repræſentatio illius in actu ſecundo, quam dicimus actum primum reſpectu cognitionis aliorum), non tamen claram, evidentemque ſemper; ſed practicam, & ſufficientem: quia in illis circumſtantiis non expediebat: uti in aliis noſcitur ab uno, aut paucis; reliquis, qui adſtant, & intueantur, neſcientibus. Ita rurſus interdum ſe conſpiciendos exhibuerunt, ut quamquam noſſe potuiſſent ii, quibus apparuerint, adeſſe motorem aliquem cœleſtem intra corpus illud; nunquam tamen exploraverint, fuerit ne Deus an Angelus, num anima ſancta in corpore proprio, vel in noviter formato. Siquidem dubium fuit ſemper, reſtatque etiam nunc circa nonnullas apparitiones in veteri teſtamento relatas, num fuerit Perſona aliqua divina immediatè, num Angelus. Pariterque dum anima defuncti alicujus adeſt in corpore aſſumpto, ſive id fiat virtute divina ſolùm, ſive naturali (in beatis tamen animabus virtus hæc aſſumptiva connaturalis eſt earumdem ſtatui permanenter) ut ſupponunt Theologi paſſim, in dubium plerunque vertitur, num apparuerit in corpore proprio, num in corpore ex addenſato aere; formato, uti circa corpus Moyſis, dum adſtitit Chriſto Domino transfigurato, controvertitur: & inſuper num aſſumptio facta fuerit per animam defuncti illius immediatè, an per Angelum ejus cuſtodem. Et tandem extiterunt aliæ apparitiones, de quibus numquam ſatis conſtitit iis, quorum oculis fuerunt objectæ, an fuerit verus homo ille, qui opem præſtitit, an Angelus, ut ex vitis illuſtrium virorum conſtat, & juxta ultimam hanc claſſem apparitionum corruit argumentum penitus, ita ut auxilium labenti impertierit; & manum auxiliatricem celaverit.

Num. 113. Jam verò licet aſſumptio ab anima Chriſti Domini facta Corporis myſtici explicari nequeat frequenter juxta primum illum apparitionum ordinem, confeſtim pandentem perſonam, aut ſubſtantiam, quæ movet corpus illud. (Nec expedit ſæpe, quemadmodum prudenter deliteſcit ſanctis viris etiam ſtatus ipſe gratiæ) poteſt attamen quamoptimè recenſeri intra ordinem ſecundarum: quandoquidem licet in via clarè non poſſimus venire in apertam cognitionem animæ Chriſti Domini moventis intrinſecè, & intimè copulatæ (cum ſine revelatione particulari nec ſtatum gratiæ in aliquo, nec in nobiſmet reſcire valeamus) ſed tantùm per conjecturas prudentes; emenſo tamen viæ ſtatu, in terminoque, & deinceps poſt reſurrectionem, cum ſit æterna unio præſata, expreſsè apparebit motor, & in via, & tunc repræſentatus. Quemadmodum peracto itinere Tobiæ 9. *Vocavit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat*, & tunc innotuit illis majeſtas Archangeli, & Raphaelis ſublimitas: *Ego enim ſum Raphael Angelus unus ex ſeptem*. In ſtatu igitur beatitudinis repræſentatio erit cunctis nota, & undique aperta, & hanc intendit ultimatè aſſumptio præſens in via, quæ eſt illius pignus; interim autem ſubobſcura in ordine ad oculos, & incertas cogitationes noſtras. Ad eumdem modum exponi etiam poteſt aſſumptio hæc, juxta quartam claſſem apparitionum, quarum motor eſt dubius in ſpecie, quantumvis non in genere. Videmus namque interdum hominem eximiæ virtutis Spiritu Dei incaleſcentem, agitatum, & altè commotum, & licet compertum nobis appareat, latere ibi numen aliquod divinum, aut vim ſupra humanas vires poſitam, ſive ſit Spiritus Sanctus, quia in illo ſpeciatim ut in templo ſingulariter proprio habitet, & ab illo agi-

 tetur,

tetur, ſive perſona alia Divina, ſive gratia quædam excellens, & gratiarum exuberans copia: num ſublimi aliqua intelligentia arreptus, & motus in actiones eas inſolitas, prodigioſaſque erumpat. Cur autem in numero motorum, aut manuum, qui organum illud pulſant, cientque ſono prope Divino, recenſeri non poterit anima Chriſti Domini ut inſtrumentum Verbi per Euchariſtiæ ſumptionem hauſta?

Porro ſi dubitationes ejuſmodi, vel quoad modum, vel quoad ſubſtantiam Perſonæ aſſumentis contingunt in aſſumptionibus, quæ ex natura ſua fiunt, vel factæ fuerunt in corporibus ad comparendum formatis, adeoque primò, & per ſe, ut appareant aliis; ex quo ſequitur, quod apparerent, ut innoteſcerent actu, vel ſaltem, ut innoteſcere poſſent; cur novum inauditumque apparere debet, quod aſſumptio facta in corpore vivo, & ab intrinſeco ſe movente, per quod difficiliùs, & obſcuriùs exprimi valet motor, aut forma aſſiſtens, tametſi re ipſa illum repræſentet, ſitque in actu primo potens adducendum in ejus notitiam; cum non aſſumat illud, ut appareat alicui, nec ut illicò adamuſſim repræſentetur, ſed paulatim, ſenſimque; non generet in actu ſecundo in aliis, nec in ipſo mobili aſſumpto motoris, apertam cognitionem? Præterea etiamſi non ingerat omnibus indicium de motore hoc intrinſeco determinato; in valde illuminatis hominibus, peritioribuſque, illud inducere, probant ea, quæ ex Patribus, aliiſque doctiſſimis viris produximus pro aſſertione noſtra, cui illos præluxiſſe, eamque luminibus interdum apertis, interdum ſuboſcuris, monſtrare, oſtendunt ſatis teſtimonia, per hanc diſputationem ſparſa, veluti ſtellarum agmina alta nocte fulgentia. Sic de Venerabili Catharina Riccia legitur in ejus vita lib. 1. cap. 13. quòd aliquando vultus ejus ita immutaretur, ut non appareret in ea facies propria ipſius, ſed facies Chriſti Domini non ſine ſtupore Monialis intuentis mirabilem illam transformationem (ex fervida proculdubio Euchariſtiæ ſumptione clam provenientem) maximè cum audierit tunc ipſam (in ecſtaſim raptam) dicentem ſibi: putas ne *me eſſe Catherinam, an Jeſum?* Cui attonita reſpondit, Jeſum potiùs video, & credo. Id ipſum de Diva Catherina Senenſi narrat ex Raymundo de Capua ejus Confeſſario, S. Antonius 3. par. Chron. tit. 23. cap. 14. §. 2. cum enim de revelationibus eidem factis, & ab ipſa fideliter delatis dubitaſſet: *intuens in eam vidit faciem ejus transformatam in faciem viri barbati, qui eum fixis oculis aſpiciens, nimis terruit eum: quæ facies oblonga erat ætatis mediæ, coloris triticei, majeſtatem quamdam ferens in aſpectu, ut Dominum ſe oſtendens: & cum territus exclamaret, ò Deus! quis me reſpicit? reſpondit: ille qui eſt: diſparuitque facies illa, & ſolum ipſius Virginis* (faciem) *vidit*. Vide *panem facierum*, ejuſque effectum. Præterea quòd motor hic ex Euchariſtiæ debita ſumptione manſerit in corpore myſtico, neceſſe abſolutè non eſt, quòd innoteſcat, illis adhuc, quibus ejus aſſiſtentia innotuerit, dummodo reipſa media illa obtineatur ejus manſio (quamvis interdum hoc ipſum ſiat perſpicuum) ſicut non oportet ſcire, quonam jure, aut motivo Angelus apparens hic & nunc, corpus aſſumpſerit, dummodo illum intus moventem noverim. Deinde cum effectus proprius unionis cunctis notus, ſit unio ſpecialis Chriſti Domini cum manducante panem illum vitæ: & cum rurſus Chriſtus Dominus ipſe promiſerit palam, manſurum ſe in illo, qui manducaverit dignè ejus carnem, biberitque ſanguinem ejus; ſatis legitima, quin & ſatis clara illatione colligi poteſt, motorem intrinſecum, animam ſcilicet Chriſti Domini ex digno eſu carnis ejus relictam, ibi manſionem feciſſe, & domum illam occupaſſe; nam cui prudenter attribuenda eſt manſio, niſi medio illi, cui facta eſt promiſſio? tandem, cum hactenus fuerit ignotus, vel notus parùm motor hic occultus, etiamſi exprimeret aptè ſeipſum, ægrè poterat ducere in ſui notitiam neſcientem penitus ejuſmodi aſſumptionis exiſtentiam, aut forte ejuſdem poſſibilitatem, nomen aut memoriam. Si tamen via hæc, aut aſſertio noſtra ex diſpenſatione divina ſubſiſtat, faciliùs, qui ſanctitate florentes homines propè, & attentè conſideret, motorem latentem agnoſcet, clamans: *antecedebat me ita ſapientia, & ego ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt*. Sapient. 7.

SECTIO SEPTIMA.

Reliqua objecta diluta. Ubi nonnulla circa apparitiones, præſertim Euchariſticas, obſervata.

§. I.

Num. 114. PLURA ſexto loco in unum congeſta oppones: videlicet, quòd frequenter ritè accedens ad altare, refectuſque vitæ pabulo quotidie, ita tamen ut per viam perfectionis generosè incedens, jacturam gratiæ numquam faciat, dum ſumit Euchariſtiam, affert ad aram animam Chriſti Domini ſecum intimè unitam ex præcedentibus jampridem ſumptionibus. Quid igitur ſibi comparat denuò per novam illam Euchariſtiæ ſumptionem? Non animam Chriſti Domini, quam fruſtra iteratò acciperet ſibi aſſiſtentem, cum illam præhabeat; & aliunde ſi ſemel effectum illum non cauſat, cum ex alia parte proprium effectum ſortiri debeat ea ſumptio, utpotè digna, neceſſariò arguitur, alium ab aſſumptione intenta per noſtram opinionem, eſſe potiſſimum Euchariſtiæ effectum. Si verò novam tantùm

tùm

tùm unionem ejuſdem animæ jam præexiſtentis in communicante invehit; tunc aſſertio noſtra, eo quod intimiùs, & intimius ſine fine copulari valeat, ægrè admodum concipitur illa major unio; cum novum gratiæ incrementum nullo negotio percipiatur à ruſticis etiam. Nam vel fieret per novam unionem, quæ cum præcedentibus efficiat intenſiorem nexum; & ſimilis intenſio ex concurſu plurium unionum ignota eſt in Philoſophia, cum neutra ſupponat aliam, neque ullum ordinem inter ſeſe habeant, & cum qualitates abſolutæ minimè ſint, ſed entitates modales. Si per novam ſumptionem inducatur unicus nexus intimior, reliquis deſinentibus; ſumma etiam eum difficultate concipitur intenſio, aut remiſſio unionis, ubi aſſumptio conſiſtit duntaxat in intima præſentia locali. Si fiat ſolùm extenſivè major, novas corporis partes, & præcipuè animæ Potentias, occupando; cum partes illæ ſint finitæ, deveniri poteſt ad eventum, in quo nihil copulandum ſuperſit, effectumque ideo potiſſimum exhibere non poſſet Euchariſtia condignè illam ſumenti, & abſque ullo obice interpoſito incautè.

Item, & ſecundò, dum juſtus humani aliquid paſſus, labitur, non tantùm amitteret gratiam ſanctificantem, ſed unionem illam cum anima Chriſti Domini, quæ tunc deſinet eſſe ibi. Vel ergo recuperata gratia per actum contritionis, aut Sacramentum pœnitentiæ, recuperat etiam animam Chriſti Domini, & ſic unio illius aſſumentis juſtum non eſſet peculiaris, ſeu privativus effectus Euchariſtiæ immediatè. Deinde tunc neceſſarium eſſet novum miraculum ſimpliciter, conſtituens animam per novam actionem intra corpus myſticum, eodem pacto, ac dum primò conſtituitur ſub ſpeciebus Corpus Chriſti Domini vi verborum; quod voluntariè adſtruitur. Præterquamquod à fortiori debuiſſent tunc venire Corpus Domini, & Sanguis per concomitantiam. Si verò non reſtauretur jactura unionis pretioſiſſimæ cum anima Servatoris; negatur eo ipſo reviviſcentia meritorum, gratiæque, præſertim ſacramentalis ex opere operato collatæ: tum exemplo animæ; tum quia ſi rediret gratia comparata per Euchariſtiam, legitimè argueretur reſtauratio unionis cum anima ſacroſancta; cum illa numero gratia, ſeu illius augumentum, fuerit ultima diſpoſitio ad primum ejus adventum: & cum illa extiterit primò fructus, aut partus genuinus Euchariſtiæ, impeditus ſolùm tractu temporum, & occaſionum per lapſum, & reſtitutus ſolùm per pœnitentiam. Ergo & nexus ille, tamquam Euchariſtiæ fructus ſimpliciter reaſſumendus eſſet per pœnitentiam. Parque argumentum formari poteſt tertiò, dum obice, aut fictione, Euchariſtia non obtineret ſuum effectum; quem deinceps obtinet, juxta plures Theologos, obice ſemoto.

Item quartò, vel moriente juſto, perſeveranteque finaliter, anima Chriſti Domini comitatur animam illius ſeparatam à corpore, vel ſecus? Primum eſt abſurdiſſimum: adiret ſiquidem anima Redemptoris unà cum anima juſti Purgatorium, eſſet ibi copulata inter flammas animæ, quæ torquetur, quod dedecet omninò majeſtatem animæ Redemptoris. Secundum verò ſubvertit principia noſtra: jam enim nullum remaneret pignus, & veluti ſemen reſurrectionis acquiſitum per Euchariſtiam, ut argumentati ſumus ſect. 4. ulteriuſque, dimitteretque animam Chriſti Domini ſine culpa, quod ſemel aſſumpſerat: aut potiùs Verbum per illam, abſque culpa actuali animæ aſſumptæ. Accedit quod jam effectus primarius Euchariſtiæ non prætergrederetur limites ſtatus viæ; quod & Theologiæ ſanæ contradicit, & noſtræ ſententiæ. Si velimus ſubjicere, deſerturam animam Chriſti Domini animam juſti donec purificetur, quam repetat in Cœlum abeuntem; confeſtim reſurget tacta ſupra difficultas, quod reaſſumptio illa fieri debeat per novam miraculoſam actionem: & rurſus quod allatura ſit neceſſariò per concomitantiam corpus, & reliqua, quibus copulatur in Cœlo, & in altari, ob eamdem connexionem; quæ movit Tridentinum ad concomitantiam definiendam. Maximè cum ea ſint nexu immortali conjuncta, propterea que ad unius adventum trahitur reſiduum; quemadmodum, qui animam adducit, defert cum illa inevitabiliter intellectum, tametſi ſupponatur realiter ab anima diſtinctus, illique tantùm copulatus, & veluti ſydus illi affixum.

Num. 115. Debilia ſunt hæc, caduntque vel ictu ſolùm lucis, & explicationis. Primum corruit per ſtrictiorem unionem animæ Chriſti Domini antecedenter habitantis juſtum illum: ſicut enim omnium confeſſione creſcit incorporatio illius intra corpus myſticum, & intimior conjunctio eum capite, poteſtque ſine ſine creſcere, cum latiſſimus pateat huic conjunctioni campus (quem quia finibus quibuſdam arctare voluit Cajetanus in Euchariſtiæ ſumptione, deſeritur ab omnibus). Ita juxta noſtram ſententiam, conjunctio animæ aſſumentis eſſe poteſt arctior, & arctior, quoniam ejus ſphęra eſt ſyncategorematicè infinita, & quamvis extenſivè limitata ſupponatur, poteſt nihilominus in ea etiam proficere, dum non cor tantùm, ſed & mentem, voluntatem, ſpiritum, potentiaſque, & ſenſus aſſumat, ut etiam totus homo evadat per expreſſam ſimilitudinem, perfectiſſimamque, quaſi alter Chriſtus. Immò ad perfectam aſſumptionem totum mobile, ſive corpus, quod ab Angelo efformatur, aſſumitur. Modus autem exponendi eam majoritatem intenſionis, ſeu magis, & minùs illius unionis, tametſi non appareat adeo perſpicuus, ſicut in incorporatione facta per gratiam, ut juxta menſuram hujus creſcat intenſio illius; &

licet per formalem intimam præſentiam animæ Chriſti Domini, cum corpore myſtico conſtituatur, quæ intendi nequit, facillimus tamen intellectu eſt. Quandoquidem aſsumptio non ſit nudè per unionem motoris ſolùm cum mobili; ſed per nexum motoris ut repræſentati, aut repræſentandi; ad hoc autem ut repræſentet vividiùs aſsumentem, prærequiritur in aſsumpto major diſpoſitio, altior ſanctitas, ferventiorque charitatis ardore actualis, vi cujus redditur capax luculentioris ſimilitudinis per influxum phyſicum uberiorem animæ Chriſti Domini in illas: & ex extremis eo modo copulatis reſultat majoritas illius conjunctionis. Uti frequenter denominationes conſtituuntur in gradu intenſiori ex majoris capacitate ſubjecti, ſive diſpoſitione. Inſuper reſultat jus aliquod eſsentiale radicatum, quin & formaliter ſitum in nexu illo cum ſubjecto, ut ſic diſpoſito, ad majus præmium, per infuſionem viſionis à motore in Patria, intenſius communicandæ (de qua ſequenti diſputarione). Quamvis enim quælibet unio animæ Chriſti Domini aſsumentis, quantum eſt ex ſe, & ex parte motoris, ſufficiens ſit ad excitandam, & inferendam perfectiſſimam repræſentationem; minùs proximè tamen ad illam ſummitatem provocat unio remiſſior, ob defectum diſpoſitionis ſubjecti: videt enim tunc motor divinus, mobile aſsumptum non eſse proximè aptum ad ejuſmodi delicatam expreſſionem efformandam, nec ad ſublimiſſimas lineas ducendas.

Nequidquam tamen reſponderes, nos menſurare nexum motoris aſſumentis per majorem, vel minorem repræſentationem; & ſimul, per circuitum nugatorium, arguere perfectionem repræſentationis ex illius nexus intenſione, aut remiſſione. Quandoquidem repræſentatio eſt finis primarius, unio verò, ſive aſſumptio, veluti cauſa effectiva; ex perfectione autem cauſæ efficientis arguitur legitimè perfectio finis; uti & ex hujus nobilitate illius cauſæ perfectio; eſt enim perfectior virtus effectiva, quò ſublimiorem effectum reſpicit, & per ordinem ad illum rectiſſimè menſuratur dignitas, & efficacia virtutis. Sicuti & perfectio effectus, qui intenditur, arguitur etiam ex perfectione cauſæ illum efficientis. Præterquamquod intenſionem unionis deſumimus ex majori ſubjecti mobilis diſpoſitione in ordine ad magis, vel minùs expreſſam ſimilitudinem motoris efficiendam.

Secundo juxta doctrinam Thomiſtis familiarem circa intenſionem qualitatum, facilè per majorem, vel minorem radicationem ejuſdemmet unionis in ſubjecto exponitur modus intenſioris nexus animæ aſſumentis cum corpore aſſumpto, ſi unio fuerit diſtincta à præſentia ipſa locali. Tertio: cum animæ fundum, & intellectus, quantumvis realiter indiviſibile, ſit nihilominus pœnè ſine fundo, per reſpectum ad altioris, & altioris ordinis operationes, non immerito intenſiorem unionis modum concipere valemus, per ejuſdem nexus profunditatem, ſive cum profundiori animę aſſumptę formalitate. Quarto: juxta alios eadem unio cum voluntate aſſumentis ad vividiorem, vel minùs vividam repræſentarionem ſui exponendam juxta finem ea aſſumptione à Divina Providentia intentum, aut juxta ſubjecti aſſumpti diſpoſitionem, efficit unionem aſſumptivam magis, aut minùs intimam. Deinde hæc, & ſimilia objecta potiùs diriguntur adversùs conſtitutionem unionis aſsumptivæ per intimam præſentiam localem, motoris creati, quam adverſus opinionem noſtram: proptereaque quamplures Scholaſtici aliter de unione illa philoſophantur, quorum diſcurſus prætermittimus, ut à meſſe noſtra alienos.

Quoad Verbum enim nullo negotio intimior aſsumpto declaratur, cum illud aſsumere valeat, eo ſolùm quòd fiat novo ſpeciali modo præſens illi juſto, itaut eo ſolùm titulo adeſset ibi, etiamſi præcedenter non adſtitiſſet ſpecialiter. Ad modum quo per augumentum gratiæ exiſtit novo jure Spiritus Sanctus in juſto. Deſumit enim aſſertio noſtra aſsumptionem ex communi Theologorum doctrina, ſive hac, ſive illa via declaratam; quoad ſubſtantiam tamen, uti & quoad remiſſiorem, vel intenſiorem modum unionis, omnino vera. Sic Angelus in corpore à ſe, vel à Deo formato poteſt remiſſiùs, obſcuriùs, vel expreſſiùs, ſimiliùſque, ſeipſum repræſentare, juxta modum operationum, quas eliciat, ut ex ipſis apparitionibus, interdum clariſſimis, interdum verò ſubobſcurè repræſentantibus, & motoris notitiam præſeferentibus, aut generantibus, conſtat. Id autem quo pacto evenire poteſt, cum utrobique exiſtat eadem intima præſentia? Si autem via alia planiore, loculentioreque majoritatem illam unionis motoris creati declarare velis, cauſam noſtram agis, lucemque ab illa mutuabitur perlibenter aſsertio noſtra, contra quam inconſequenter eo titulo diſputas, cum ipſe pro nobis tibi reſpondeas.

Num. 116. Ad ſecundam, ſeu potiùs ſeptimam objectionem dicimus, fieri potuiſse, quòd anima Chriſti Domini per culpam læthalem hominis aſsumpti deſierit eſſe apud illum, & quòd reſtituta per pœnitentiam gratia, redeat ipſa una cum reliquis donis: quin obſtaret difficultas tacta in objectione. Quoniam licet perierit actio conſervativa animæ Chriſti Domini intra corpus illud myſticum; cum tamen debeatur animæ Salvatoris noſtri amplior exiſtendi modus, ut probatum eſt, quàm corpori, cujus amplitudinis titulo unio animæ cum illius corpore naturali non eſt adæquata in ordine ſupernaturali, uti etiam oſtendimus; & rurſus cum jam ſupponatur jus quæſitum ad eam unionem in homine illo, ſicut ſupponitur ad alia dona ſupernaturalia, quibus fuit culpa ſua ſpoliatus, eo quod re-

ma-

maneant in acceptione Divina; propterea non incongruè omnino diceretur, novam actionem adductivam animæ Chriſti Domini, tametſi miraculoſam, eſſe quodammodo debitam. Non ideo tamen unio præfata aſſumptiva per conductum alium flueret ſimpliciter, quàm per Euchariſtiam; etiamſi illius reſtitutio obtineatur per pœnitentiam: quandoquidem eatenus redit, quatenus præſupponitur per ſumptionem Euchariſtiæ comparata, & nondum ſimpliciter extincta, quia manet aliquatenus in debito, ſub hypotheſi obicis ſublati. Opinamur tamen, conſequentiùs ad noſtra principia (tametſi hoc minimè ſit neceſſarium aſſertioni noſtræ), neutiquam recuperari reunionem animæ Chriſti Domini cum homine illo, quantumvis fletu pœnitentiæ inundato; & quamquam opes reliquæ ſupernaturales, Cœleſtiaque animarum ſupellectilia reſtituantur. Quia ratio à priori reviviſcentiæ meritorum, juxta Divum Thomam, & Theologos paſſim, ſumitur ex eo, quod merita mortificata per peccatum, fiunt ex ſe viva adhuc, ideſt habeant de ſe efficaciam: *ſecundum quod remanent in acceptatione Divina*, inquit S. Thom. 3. par. quæſt. 89. art. 5. corpore, ſuntque veluti apud Deum depoſita; ſolùm enim deſinunt eſſe actu efficacia in homine illo, quatenus adeſt in ipſo nigrum illud peccati impedimentum: *Hoc autem impedimentum*, proſequitur Sanctus Thomas, *tollitur per pœnitentiam in quantum per eam remittuntur peccata. Unde reſtat, quod opera prius mortificata; per pœnitentiam recuperent efficaciam perducendi eum, qui fecit ea in vitam æternam, quod eſt ea reviviſcere.*

Aliter autem res ſe habet in unione ea animæ Chriſti Domini cum noſtra, per Euchariſtiam comparata, & deinceps miſerè deperdita, ſiquidem illa nec ratione ſui formaliter eſt meritum (quamvis ſit per ſe illius cauſa) quòd remanere poſſit in Divina acceptatione, nec gratia formaliter ſanctificans per merita acquiſita. Quapropter dum anima Chriſti Domini deſerit corpus illud myſticum, comparatur ipſum cadaveri, anima deſtituto, & ſecundum ſe emortuo; & non præciſè ſubjecto per accidens impedito, aut merito mortificato. Ita ibidem Sanctus Thomas ad ſecundum *opera in charitate facta non mortificantur ſecundum ſe, (ut dictum eſt) ſed ſolùm per impedimentum ſuperveniens ex parte operantis. Animalia autem moriuntur ſecundum ſe, in quantum privantur principio vitæ: & ideo non eſt ſimile.* Unde licet poſita unione acceptetur à Deo ad gloriam aliquam, eo titulo ſpeciali conferendam (de quo diſp. ſequenti) non acceptatur attamen eodem modo ac meritum, & ejus effectus, nempe gratia; quoniam ita acceptantur, ut per peccatum manere nequeant in acceptatione Dei, uti permanent merita, eo quod merita ſolùm mortificentur; unio verò moriatur. Peteret ſtaque principium, qui diceret, præſatum nexum remanere in debito; quandoquidem amiſſio illa unionis, cum ſit amiſſio animæ Chriſti Domini aſſimilatur morti ex ſe; meriti jactura mortificationi: illa ſeparationi animæ è corpore in homine; hęc Lethargo profundiſſimo. In cadavere autem nullum jus, aut debitum vitæ, ſive animę remanet; quia jura quoque moriuntur, ſecus autem contingit in corpore, & jure mortificatis ſolùm. Sicut igitur deſtructis ſpeciebus Corpus Chriſti Domini ita deſinit eſſe ibi, ut abſque nova conſecratione, & converſione nullo pacto adſit in altari, nec in pectore, quin maneat in debito: ita anima Chriſti Domini, ſoluto per peccatum nexu, quo conjungebatur membro illi corporis myſtici, abſque nova digna ſumptione numquam redire poteſt, quia nullum perſiſtit debitum illius, nec in Divina aceeptatione permanet. Secundò, unio illa eſt ultimus terminus nutritionis Euchariſticæ, qui ſolùm poteſt obtineri per cibi ſumptionem, adeoque per converſionem cibi in ſubſtantiam aliti. Tertiò, auxilia, aut gratiæ actuales, quæ debentur ſumenti devotè Euchariſtiam, non ſolùm pro eo tempore, quo ſumitur, ſed tempore opportuno conferendæ, ſi homo ille peccatum grave interim committat, nullo pacto debentur illi, etiamſi recuperet ſtatum gratiæ per pœnitentiam, ut Theologi frequenter animadvertunt. Quia ſcilicet non manent in debito, nec permanere valent, cum jus ad illas conſiſtat in promiſſione Dei, quæ propter ingratitudinem ſubjecti deſinit, & revocatur. Pariter ergo unio illa, quæ omnino diſſoluitur per diſceſſum animæ Chriſti Domini, redire nequit eo quod perſeverare non valeat in debito, deſinente ſimpliciter illa, quaſi per mortem illius membri myſtici gemina vita functi, quarum prima gratię recuperari poteſt fletibus, & gemitibus pœnitentiæ; quia remanet in debito; ſecunda verò numquam; niſi iterato recurſu (& eo tantùm novo titulo) ad fluenta Euchariſtica: quia debitum extinctum fuit unà cum vita, & deſeruit indignum corpus unà cum anima.

Num. 117. Ex nupera doctrina, & diſtinctione Angelici Doctoris reſultat in Theologia nodus non facilè ſolubilis circa reviviſcentiam gratiæ Sacramentalis deperditæ per culpam; reſtauraretur, ne, etiam illa per pœnitentiam? Cum enim gratia Sacramentalis conferatur ex opere operato, non ſitque idcirco meritum operantis, quod remanet in Divina acceptatione, juxta Div. Thomam, ut & reliqua ex opere operantis comparata. Propterea complures ejus recuperationem planè inficiantur; aliis ex diametro pro illius recuperatione accerrimè pugnantibus. Neque ſiſtit in illa tantùm prædicta controverſia: quoniam ad merita etiam partim extenditur, & ſanè luculentiſſimis Divi Thomæ teſtimoniis fulcita.

Por-

Porro uti verum eſt, Divum Thomam ea quæſt. 89. art. 5. corpore. Tum in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.. Tum inſuper quodl. 5. quæſt. 12. art. 1. diſerte affirmaſſe, merita reviviſcere per pœnitentiam abſolutè omnia, eo quod illa maneant in ſe viva, licet per accidens effectum ſortiri nequeant in peccatore; quia adeſt impedimentum, quo ablato, illico recuperant priſtinum robur, & efficaciam. Quæ ratio, aut nihil probaret, aut probat de omnibus. Ita pariter inconcuſſum eſt, Divum Thomam eadem qu. 89. art. 5. ad 3. tum eadem quæſt. art. 2. tum etiam in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. ad 4. expreſsè docuiſſe, merita anteactæ vitæ non recuperari, niſi juxta menſuram præſentis diſpoſitionis: proindeque ſæpe reſurgere pœnitentem in minori charitate, & gratia; quin de præteritis operationibus in charitate factis habiturus ſit niſi præmium, aut gloriam accidentalem. Quocirca duo colliguntur ex locis indigitatis Sancti Thomæ, quantum putamus, evidenter: unum eſt in genere, merita mortificata reviviſcere per ſe, & ſemper, per pœnitentiam. Alterum eſt, aliqua ſaltem, aut plura præexiſtentia jura ad gloriam (quæ conſueverunt etiam venire nomine meriti) non reviviſcere interdum. Hæc autem diſcordia locorum Div. Thomæ peperit alias inter Scholaſticos numquam extinctas; quæ non incongruè convenire poſſunt in unam ſententiam, ſi unionem illam animæ Chriſti Domini cum ſuſcipiente Euchariſtiam (quæ includit jus ad novam aliquam gloriam) velint nobiſcum admittere, ut non reaſſumendam unquam per pœnitentiam; ſecus verò reliqua omnia, niſi conjungat cum pœnitentia Euchariſtiæ ſumptionem, quæ poſſit comparare unionem, ſive ſtrictam magis, ſive remiſſam, juxta diſpoſitionem recipientis. Et quamquam ex verbis Divi Thomæ non colligatur ſenſus hic abſolutè, & immediatè; cæterum menti illius proculdubio quadrare videtur. Immo nec prorſus alienum eſſe ab ejuſdem verbis, conſtabit ex ſequenti diſput.

Ad tertium (ſive octavum) dicito cum communi ſententia, fictione recedente, dum jam receſſit Chriſtus Dom., nullum effectum ſortiri Euchariſtiæ ſumptionem, & quamvis alios obtineret, noſtrum tamen numquam habuiſſet ob nuper libatas reflexiones. Secus autem contingit, ſi fictio abſcedat præſente adhuc ſub ſpeciebus Chriſto Domino. Nonum (ſeu quartum) vendicat ſibi locum digniorem ventura diſputatione, quæ tractatum hunc gloria immortali hujus unionis claudit ſimul, & coronat.

Num. 118. Argues 10. refricando ſeptimam objectionem; vel pœnitens ille, dum removet infamem illum obicem, excluſo veneno doloris motu, & ſimul recipit dignè Euchariſtiam, recuperat per eam ſumptionem nexum cum anima Chriſti Domini præcedenter obtentum penes omnem intenſionem, aut intimitatem, quam habuiſſet, ſi non peccaſſet (eo quod ſupponatur ſæpiſſimè ante lapſum recepiſſe Euchariſtiam ſacram); vel non? Primum doctrinæ, juxta quam fecimus ſatis ſeptimæ illi objectioni contradicit: ſiquidem jam redirent illæ uniones deperditæ, vi quarum eſset intenſior, intimiorque unio, longè pluſquam quæ reſponderet huic ſumptioni. Conſequenterque illæ remanent in debito æquè ac merita, mortueque ſimpliciter non fuerunt, ſed purè mortificata. Poſsunt igitur reviviſcere per pœnitentiam eodem modo ac per Euchariſtiam. Quod enim effectus ille conjunctionis realis habendus ſit unicè per nutritionem, minimè enervat argumentum: quoniam licet effectus reſpondens huic ſumptioni poſt lapſum, ſit terminus nutritionis; reſtitutio tamen aliorum nexuum præcedentium, terminus hujus nutritionis non eſt, etiamſi fuerit terminus aliarum, quæ jamdiu præceſsere: adeoque habentur per reſtitutionem hic & nunc, minimè ut nutritionis hujus proprius terminus. Secundum fallit omnino: quoniam ubi ſupponuntur reſtituta merita quoad efficaciam, & gratia ſanctificans in eadem intenſione, ſupponitur eo ipſo ſubjectum dignius, diſpoſitumque nobilius, quam foret, ſi dona illa neutiquam recuperaſset. Ubi autem ea major dignitas ſubjecti exiſtit, fervorque vividior Charitatis actualis, neceſsariò unio animæ Chriſti Domini cum ſumente ad repræſentandum abſconditum illum motorem, eſt intenſior, aut intimior (ut etiam ſupra dictum fuit): cum eo ipſo aſſumat illud ad perfectiorem ſui repræſentationem, quia inſtrumentum eſt aptius; alioqui ſi rediret ad vitam mortalem ſanctiſſimus Præcurſor, & Euchariſtiam acciperet, non plus intimæ unionis cum anima Chriſti Domini compararet, quàm adultus recens baptizatus, & deinde ad ſacram menſam admiſsus.

Hæc objectio nihil re ipſa probat; nec obtinere poteſt, per ſecundum hoc extremum circa reſtitutionem præcedentium unionum, quarum jacturam fecit homo per culpam, cum arguat ſolùm ex titulo ſanctioris, digniorisque ſubjecti, aut ardentiùs præparati; quod inveniri poteſt abſque præcedenti ulla Euchariſtiæ ſumptione, ut contingeret in hypotheſi illa redivivi Baptiſtæ. Efficit itaque hæc elegantior diſpoſitio, aut dignitas major, intenſiorem unionem, quam ſumptione illa acquirit, non autem reſtitutionem aliarum, quam inficiamur; adeoque primum etiam præſentis objectionis extremum. Dicimus itaque, uniones illas præcedentes, juſque ad præmium eo titulo reſpondens nequaquam redire, quia non fuit mortificatum prædictum jus, ſed ſimpliciter extinctum, & unio prorſus diſſoluta. Amplectimur ergo ſecundum extremum objectionis, primo penitus excluſo; fatemurque, majorem dignitatem Perſonæ aſ-

ſum-

Digitized by Google

ſumptæ, præſertim unà cum ardentiori affectu, conducere non parum ad uberiorem effectum Sacramenti, etiam ex opere operato conferendum, tum gratiæ habitualis, tum gratiarum, ſive auxiliorum (adeoque intimioris nexus cum anima Chriſti Domini) ut ſolemnis opinio docet cum D. Thoma 3. p. q. 69. art. 8. Aleuſi, Richardo, Soto, Doct. Eximio, Vaſquez, Rhodes, Martinono &c. videturque expreſſum in Tridentino ſeſs. 6. cap. 7. agens enim de baptiſmo ait: baptizatum recipere gratiam, aut juſtitiam, *ſecundum ſuam menſuram, quam Spiritus Sanctus participatur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*. Unde non ſolùm pendet à dignitate Perſonæ, quæ præcipue attenditur in opere operantis), verùm & in actuali intenſa, aut remiſſa præparatione; quamquam ſi ſupponatur eadem actualis diſpoſitio in duobus hominibus, digniori ſubjecto conferatur intenſior gratia, quia diſpoſitio actualis quantumvis ſecundum ſe non ſuperet aliam parem, ut dignificata per nobilius ſubjectum, fit major in ratione diſpoſitionis. In ordine tamen ad nexum intimiorem, conducit neceſſariò magis præcedens diſpoſitio, qua parte unionem jam præexiſtentem intimam includat, quàm ſi gratiam ſanctificantem in gradu intenſo, præſupponat (tametſi hæc multùm deſerviat, ut diximus), quia eſt diſpoſitio prævia ejuſdem ordinis, & ſpeciei, & ex conſequenti uniformatur præ aliis effectui ſubſecuto intimioris nexus.

Ex quo fit contingere poſſe, ut homo altiori ſanctitate præditus, quia Euchariſtiam recipere non potuit, niſi modo, vinci poſſe in majoritate illius phyſici nexus, ab alio juſto, minoris tamen ſanctitatis, ſive gratiæ ſanctificantis. Tametſi titulo dignioris ſubjecti ſit arctior primus ille nexus, unione alterius, eo præciſè titulo conſiderato. Conſequenterque hunc moveri vehementiùs ad repræſentandum motorem, cui intimiùs copulata eſt anima Chriſti Domini; quia repræſentatio illa, & ſimilitudo, eſt proprius finis præfati nexus. Omnia tamen hæc, non arithmeticè, ſed proportionè geometrica uſurpanda ſunt, juxta varias combinationes, quæ formari poſſunt, aut concipi; Conſulatur Eximius Doctor tomo 3. in 3. part. diſput. 7. ſect. 5. §. ultimo: plerumque tamen in ejuſmodi calculationibus irretitis plus invenitur captionis, quàm veræ difficultatis; & propterea in his prudentia conſulenda, non logica.

Num. 119. Ex eadem doctrina erui poteſt facilis modus conciliandi mutuò celebrem illam inter Scholaſticos controverſiam, exquirentem, num Euchariſtia poſtulet in recipiente ad conferendum illi ſuum formalem effectum, diſpoſitionem aliquam actualem ultra ſtatum gratiæ? In qua controverſia apertiſſimè affirmant D. Thom. in 4. diſt. 12. qu. 2. artic. 1. quæſtiunc. 4. Alexander de Aleſ. Doct. Seraphic. in 4. diſt. 12. & cum ipſis Durandus, Cajetanus, S. Antoninus, Petrus Soto, Paludanus, Sylveſter, Contenſonus &c. adjungunt tamen non exigi carentiam peccati venialis actualis in ea ſumptione ad effectum ſuſcipiendum, quam veteres nonnulli cum Marſilio petunt omnino ad hoc ut Euchariſtiæ ſumptio ſortiatur ſuum effectum. Immo & aliqui utrumque illud expetunt neceſſariò. Communis attamen opinio, quæ modò viget, neutram ex illis diſpoſitionibus, præter ſtatum gratiæ deſiderat; additque, Div. Thomam revocaſſe opinionem illam 3. p. qu. 79. art. 8. Eam tamen revocationem non invenio in præſato loco, ubi tantùm docet, non impedire effectum gratiæ peccatum veniale actuale, licet impediat actualem delectationem; & aliunde poteſt adeo negligenter orare, ut venialiter peccet, tametſi devotionem aliquam actualem habeat, quam ſolum dixerat in eo loco ſententiarum neceſſariam. Convenientius itaque diceretur, devotionem actualem eſſe prorſus neceſſariam, longèque majorem Sanctitatem ad ſuſcipiendum effectum unionis à noſtra opinione inductam, cum ille ſit nexus amoris intimus, ex natura, & proportione rerum expetens fervorem maximum actualem in ſuſcipiente ipſum amoris fontem, ut effectum illum ſuſcipiat; non tamen eſse neceſsarium ad augumentum gratiæ ſanctificantis recipiendum ex opere operato, licet hic etiam effectus ſit magis intenſus, ſi fuerit ſuſcipiens actualiter diſpoſitus.

Et ſanè quòd poſſit effectum aliquem hujus Sacramenti recipere, & tamen non omnem, expreſsè docuit in eodem artic. 8. Sanctus Doctor: ubi revocaſſe ſententiam creditur, cum aſſerat, eum, qui cum *actu venialis peccati ad hoc Sacramentum accedit, habitualiter quidem manducat ſpiritualiter, ſed non actualiter. Et ideo habitualem effectum hujus Sacramenti percipit, non autem actualem*; Id eſt ſpiritualem dulcedinem, qua reficitur animus, quæque eſt apud omnes effectus ſingularis Euchariſtiæ. Potuit igitur quamoptime (expedientiſſimumque, & valde conſentaneum apparet honeſtati hujus realis conjunctionis permanentis intimè) ita illa inſtitui, ut ad præſtantiſſimum hunc effectum devotio actualis, & peccati venialis actualis carentia deſideretur; etiamſi ad gratiam ſanctificantem recipiendam per ſe non requiratur. Ad modum quo juxta communis ſententiæ Authores plus gratiæ ſanctificantis tribuitur ex opere operato devotè in actu ſecundo accedenti, quam omni actuali affectu deſtituto; illa autem major intenſio augmenti gratiæ ex opere operato eſt effectus proprius Euchariſtiæ; & tamen ad illum ſuſcipiendum non ſufficit accedere cum ſtatu gratiæ; immo juxtà majorem diſpoſitionem tribui majus gratiæ augumentum ex opere operato docet ex communi Theologia cum Divo Thoma, Suarez

Diſp.

Diſp. 63. ſect. 3. & inſignis Joan. Gerſon. in loco ſupra jam producto diſputans de unione, quæ eſt effectus ſpecialiſſimus Euchariſtiæ, inquit: *ſentiunt hanc gratiam actualem, & experimentalem, non quidem omnes, qui dignè communicant &c.*

Quin etiam licet aliqua devotio exigeretur actu ad effectum gratiæ ſanctificantis ſuſcipiendum; congruentiſſimè nihilominus adjicimus, ſemper ulterius aliquid fervoris (quin & multo plus) per ſe requiri ad unionis realis effectum participandum; qui propterea non ab omnibus ſtatu gratiæ accedentibus obtinetur. Inde autem colliges, perperam à nobis poſtulari determinationem gradus ſanctitatis, & fervoris requiſiti ad eximium hunc effectum ſuſcipiendum; cum ignoretur adhuc diſpoſitio exacta ad augumentum gratiæ obtinendum, etiam ubi ſupponatur ſtatus gratiæ; quandoquidem plus aliquid expoſcunt quamplures Scholaſtici. Unde deſtinatio hæc individua, fixaque, reſervatur Chriſto Domino ipſi; ſufficiat nobis ſcire prærequiri ſanctitatem minimè vulgarem, & fervorem charitatis intenſum. Neque mirum, aut novum apparere debet, quòd plerumque Euchariſtia præſtet effectum genericum, nequaquam verò ſpecificum. Tum quia etiam dulcedo actualis ſuaviſſimaque, eſt effectus peculiaris Enchariſtiæ ſecundarius, ut certum eſt, & nihilominus plerique illam minimè experiuntur. Tum quia Sacramentum pœnitentiæ intendit per ſe primò gratiam, ut remiſſivam peccati, qui eſt ejus effectus ſpecificus; & nihilominus ſæpè viri ſanctiſſimi accedunt ad illud Sacramentum, quin habeant peccatum actuale ex deliberatione commiſſum; & dum jam pro peccatis anteactæ vitæ (quæ exponunt) ſatisfecerint, quoad culpam, & pœnam pariter. Cooſtatque vel ex eo, quod plures avolant nulla mora in Cœlum, curſu vitæ fæliciter emenſo. Et quamquam hoc ſit per accidens, quia Sacramentum ex ſe, & per ſe intendit utrumque effectum cauſare genericum, & differentialem, licet ſolum genericum re ipſa præſtet. Pariter & nos dicimus, Euchariſtiam utrumque per ſe inducere, & expetere; niſi per accidens inveniret indiſpoſitum ſubjectum (tametſi eventus iſte, accidentarius reſpectu intentiouis Euchariſtiæ, ſit alioqui frequens); ſic manna per ſe potens erat ad exquiſitiſſimos ſapores conferendos; ex voluntate tamen rudioris palati ſæpiſſime viliſſimos cibos redolebat, aut ſapores. Euchariſtia eſt panis vulgariter diſpoſitis, convivium autem perfectis, & in via Spiritus veluti primoribus. *Convivium pinguium*. Iſai. 25. uti Geneſ. 4. *pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.*

Pro doctrina hac elucidanda, & Theologorum rixa componenda, opportunum ad modum videtur teſtimonium relatum ab inſigni Virgine Maria de Agreda to. 4. §. 132. ubi ex ore Deiparę ſe accepiſſe teſtatur. *Dum filius meus ſanctiſſimus ſub ſpeciebus Sacramentalibus intrat in eos, qui cum veneratione, & fervore ipſum recipiunt, quia fuerunt præparati cum viribus ſuis omnibus ad illum ſuſcipiendum cum puritate cordis, & ſine tepiditate, in hiſce animabus, tametſi corrumpantur ſpecies Sacramentales, permanet nihilominus ſua Divina Majeſtas in eis per unum alterum modum ſpecialem gratiæ, cum quo aſſiſtit illi, eeſque gubernat, in compenſationem boni Hoſpitii, quod ei elargiti ſunt.* Ubi manifeſtè ſatis indigitat, & manſionem, quam propugnamus animæ Chriſti Domioi inſtar formæ aſſiſtentis, & ſimul ferventiorem diſpoſitionem ad eum effectum percipiendum. Per modum enim ſpecialem gratiæ nullatenus intelligere potuit qualitatem aliquam nobiliſſimam habitu, vel actu inhærentem, ſed favorem quemdam ſingularem in ea immanentia ſitum, & à gratia diverſum, cum illicò ſubjungat: *paucæ ſunt animæ illæ, quæ obtinent hunc favorem; quia ſunt multæ &c.* Tum etiam quia alioqui non diceretur permanens intra animam novo modo ſpeciali, potius quam dum reciperet perfectiſſima diſpoſitione incrementum gratię intenſiſſimum per aliud Sacramentum; ſed appellatur gratia quemadmodum gratia unionis dicitur unio hypoſtatica. Præterea, ratione illius ſpecialis favoris, permanet in juſto illo majeſtas ipſa Chriſti D., maoeret autem Spiritus Sanctus per ſe primo, ſi foret ſolum gratiæ augmentum.

Accedit quod nomen *gratia* Hiſpanicè, in cujus idiomate conſcripta fuit Hiſtoria illa, (tum etiam latinè) non tantùm ſignificat gratiam ſanctificantem, verùm & in ſenſu proprio deſignat etiam univerſim favorem aliquem, cujuſcumque generis, ſive ſpeciei ſit; præſertim cum dixerit, illam ſpecialem, aut modum illius, quo ſignificari cum proprietate nequit ſola majoritas gratiæ; & cum ex novo illo modo exiſtendi intra ipſum ſequi doceat, Chriſtum Dominum gubernare animam illam, eique aſſiſtere peculiariter; quæ dici jure poteſt ſingularis gratia, ad inſtar gratiæ unionis. Potuit autem dici modus ſpecialis favoris, potius quam peculiaris favor, quoniam anima Chriſti Domini unà cum Corpore Sacroſancto conjungitur realiter nobiſcum per ſuſceptionem puram Euchariſtię; quòd verò permaneat ſeparata; ſeu diſcedente Corpore ipſo, eſt ſiugularis exiſtendi modus ejuſdem favoris, importat enim donum ſubſtantiale gratuitum, quantumvis nexu tantùm accidentario copulatum, uti & Verbum phyſicè, peculiari jure eidem juſto conjunctum, quo ordine (ut ſupra monui) nihil ſublimius infra hypoſtaticum; imitatur quidem illum, & ſequitur, quatenus anima Chriſti Domini quà Verbo Divino copulata hypoſtaticè, conjungitur juſto illi; at nunquam aſſequitur, nec poteſt aſſequi, cum in poſteriori rota, quamquam ejuſdem currus, moveatur, ut Perſius Satir. 5. notaverat acutè.

Nam quamvis prope te, quamvis temone ſub uno

Ver-

Google

Vertentem ſe ſe, fruſtra ſectabere canthum,
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo.

Num. 120. Undecimò oppones: motor aſſumens debet operari in corpore aſſumpto, ut liquet ex conceptu formali aſſumptionis, liquet ex Theologis, & exemplis Angelorum aſſumentium corpora, per quæ loquuntur, moventur, & per actiones intra ipſa elicitas repræſentantur; & aliunde anima Chriſti Domini nequit liberè operari intra Corpus myſticum, ſed efficere tantùm, ut illud operetur. Reſpondeo, quòd licet in corpore ex aere addenſato confícto Angelus operetur, quia alioqui illud utpotè ex ſe non vivens, nec vivendi capax, nihil ageret, nec exprimere poſſet motorem; ubi tamen corpus aſſumptum eſt vivens ratione ſui, & liberum, aſſumens, debet quidem ipſum movere ad operandum in ordine ſupernaturali, & unà etiam cum illo operari interdum, ſive influere in ejus operationes, motoris repræſentativas; non tamen in eo ſimpliciter operari, itaut mobile ſolùm patiatur, quoniam potiùs inde colligitur peculiaris excellentia hujus aſſumptionis ſupra alias extra hypoſtaticam. Præterea verum non eſt, quòd non aliter operetur in corpore aſſumpto, niſi quatenus efficit, ut illud operetur; quandoquidem ſe ſolo etiam operatur intra ipſum, ſpecies producendo, quibus excitetur, & dum cogitationes congruas, & indeliberatas, piaſque affectiones immittit, ad quarum productionem licet cooperetur ſolùm influendo unà cum intellectu, & voluntate; ille ſolus tamen cogit, & determinat ad ipſas, neceſſitatem inducendo. Uti & ipſe ſolus movet, regit, & excitat, aliaque facit in nobis ſine nobis.

Objicies 12. inferri ex aſſerto noſtro, Corpus Chriſti Domini, cum per deſtructionem ſpecierum deſinit eſſe in pectore ſumentis, converti in Corpus myſticum, ita ut anima Chriſti Domini tranſeat realiter, & quidem tranſitu propriè, & realiter uſurpato, à corpore naturali, quod realiter informabat ſub eis ſpeciebus, ſive ab unione cum illo, prout erat ſub illis, ad Corpus myſticum aſſumendum per unionem motoris, & formæ aſſiſtentis, cum illo ut mobili aſſumpto. Siquidem ſumma cum proprietate corpus naturale, quà exiſtens ſub accidentibus, ſeu ejus conjunctio cum anima, quà deſinens ibi, eſſet terminus, à quo, & Corpus myſticum terminus ad quem animæ tranſeuntis ab uno ad alium (quæ idcirco ſub ea ratione, ad eamque denominationem, foret ſubjectum commune) itaut ſtrictior nullo modo ſit converſio ſubſtantialis, ubi ſubſtantia panis, & vini eſt terminus à quo, corpus verò, & Sanguis Chriſti D. terminus ad quem; niſi quod hęc ſit ſubſtantialis; illa verò ſecus, quamquam inter ſubſtantias verſetur, quia unio animæ Salvatoris cum Corpore myſtico, qui eſt terminus ad quem, accidentaria eſt. Quam abſonum verò ſit hoc, conſtat vel ex eo, quod nullus hactenus hujuſce converſionis memoriam fecerit; ſed ſolius tranſubſtantiationis ſubſtantiæ panis, & vini, ut termini à quo, in Corpus, & Sanguinem ut terminum ad quem; cum in noſtra Corpus, & Sanguis eſſe deberent terminus à quo. Poteſtque ejus abſurditas comprobari ex doctrina Divi Thomæ 3. part. quæſt. 75. art. 4. & in 4. diſt. 12. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 4.

Hæc objectio ſupra jam enervata fuit. Et ſanè quo jure, aut qua conſequentia objiciendus erit nobis defectus expreſſæ notitiæ hujuſce ſecundæ converſionis inter Doctores, & Theologos, cum apud omnes illos converſio propria nutritionis numeretur inter effectus Eucbariſtiæ primarios, & aliunde prædicta converſio, deſumpta per analogiam ad materialem, neceſſariò importet unionem animæ viventis cum materia cibi? Non invenitur itaque plerumque ſub eiſdem terminis, quibus traditur à nobis explicatio formalis illius converſionis, quia non reperitur expreſſa formaliter unio realis animæ Chriſti Domini permanens cum ſumente Eucbariſtiam, niſi interdum ad ſummum; apud eos verò Patres, qui illam indubitanter ſignificant, licet apertè non doceant, eadem illatione, qua colligitur nexus ille mirabilis, infertur pariter converſio hæc, ſive dicenda ſit omni jure ſtricta converſio, ſive non, de quo mox diſſeram: quantumvis noſtra nihil interſit, quòd ſit verùm potius unum extremum, quàm aliud (dummodo adſit vera unio cum cibo nutritionis propria, hoc, vel illo modo habita) deſumendaque eſt proprietas, vel improprietas ex alia radice: quemadmodum multa ſunt propria converſionis naturalis, ut notat S. Thomas ea q. 75. art. 4. quæ nullo pacto conveniunt tranſubſtantiationi, quæ tamen vera converſio eſt. Volitant enim myſteria hæc ſupra pennas Philoſophiæ, & ſupra leges reptantis naturæ; cui nimium alligatus fuit Durandus in ſubjecta materia, negans poſſibilitatem converſionis totius in totum; adversùs quem acuminis vires acuit egregiè Cardinalis Cajetanus ea q. 75. art. 4. concluditque; *factus ſum inſipiens; ſed Durandus me coegit.*

Num. 121. Reſpondendum itaque, non futuram abſurdam admiſſionem illius converſionis, ut ſtricte, illis, qui cum Paludano, Capreolo, Cajetano, & aliis, apud Doct. Eximium diſp. 54. ſect. 2. quibus acceſſit probabiliter P. Arriaga (ſi inter viros doctos ſolum diſceptatio fiat, ne ſcandalum in plebe generet diſſertatio ſimilis palam facta) aſerunt, deſitionem Corporis Chriſti Domini unà cum accidentibus Euchariſticis pereuntibus, eſse veram converſionem ipſius Corporis Sanctiſſimi tanquam termini à quo in ſubſtantiam ſuccedentem, veluti in terminum ad quem. Quin & Cardinalis de Lugo, licet hanc expugnet diſp. 7. Converſionem tamen compoſiti

poſiti ex Corpore Chriſti Domini, & ſpeciebus coaleſcente in compoſitum ex ſubſtantia ſuccedente, & ex ſpeciebus tranſmutatis, planè admittit ſect. 10. Faciliùs ergo agnoſcerent veram converſionem Corporis prout deſinentis hic in Corpus myſticum, cum illa ſit totius in totum abſque ullo ordine, aut reſpectu unius ad aliud; hæc verò ſit Corporis tantùm, cujus forma, nempe anima, tranſit ab illo ad Corpus myſticum, quod per ſe reſpicit aliquatenus, ut proprium etiam Corpus, ad ipſumque nobilitandum latere voluit ſub ſpeciebus illis; maximè cum quodlibet converti valeat in quodlibet, ſi Deum excipias, ut ex Doct. Angelico, & Subtili probant Scholaſtici. Deinde Chriſtus Dominus eſt verè cibus: ergo verè nutrit; ſed vera nutritio importat veram converſionem. Ergo &c.

Item verè intendit Inſtitutor illum tranſitum, licet termini non dicant illum ordinem inter ſe. Ergo eſt converſio formalis, ſicut converſio panis in Corpus Chriſti Domini. Nihilominus non eſse ſtrictam converſionem, probabile, aliiſque titulis, videtur; tum ex eo quod ad ſtrictum conceptum converſionis requiratur deſitio ſimpliciter termini à quo; cum in re præſenti ſolùm deſinat Corpus exiſtere ſub ſpeciebus illis numero, non autem ſub aliis, nec in Cœlo. Tum quia licet aſsumptio Corporis myſtici nequeat fieri abſque deſitione naturali ſub ſpeciebus; deſitio tamen non connectitur per ſe cum aſsumptione, ſed omnino per accidens illi contingit: præſertim cum ſæpe ob pravam diſpoſitionem ſumentis Euchariſtiam locum minimè habeat præfata aſsumptio. Tum quia nulla ibi actio intercedit converſionem ſtrictam inducens; ſiquidem deſitio ſit per ſuſpenſionem actionis conſervantis Corpus ſub ſpeciebus; conſervatio autem animæ ſeparatæ ſit per eamdem actionem, per quam venerat comitanter. Quin etſi nova actio conſervativa illius neceſſaria foret; illa tamen non eſt Corporis myſtici aſſumptiva, quoniam anima ipſa Chriſti Domini eſt, quæ ut Verbi Divini inſtrumentum ſumit ad ſe Corpus myſticum, quæque ſui præſentiam intimam, ſive unionem cum Corpore myſtico efficit, cum ipſa ſit, quæ immediatè aſſumit. Unde ipſa debet concurrere activè immediatè ad aſsumptionem (in quocumque illa conſiſtere dicatur) licet fiat principaliter à Verbo media anima ut organo proprio. Conſequenter nequit aſsumptio exerceri adæquatè per actionem conſervativam animæ Chriſti Domini ſeparatim; cum ad illam, juxta vulgata principia, non concurrat phyſicè ipſa anima conſervata. Non eſt igitur tranſitus formalis, ac ſubinde converſio formaliter, ſed ad ſummum purè materialis: potiuſque dicenda foret in acceptione aliqua tranſmigratio animæ ab uno Corpore, prout ibi ſolùm deſinente, ad aliud diverſo modo inhabitandum; vel corporum commutatio; quamquam reipſa nec tranſit, nec commutat, nec migrat ſimpliciter à Corpore naturali in myſticum, ſed utrumque ſimul poſſidet (quamvis ſecundum quid, ab illo ſcilicet prout ibi exiſtente tranſire videatur): unde & dici, & eſse poteſt converſio æquivalenter, non formaliter, quippe quæ petit tranſitum ſimpliciter. Neque illa apparebit omnibus ſimpliciter neceſsaria, etiamſi requiratur ad eam nutritionem vera converſio, quandoquidem ſupereſt alia, ſita in tranſitu ipſius recipientis Euchariſtiam, qui tranſit à corpore inanimato in ordine ſupernaturali, vel privato anima Chriſti Domini ad conjunctionem realem, cum ipſa ut forma aſſiſtente: præſertim cum unio illa ſit terminus per ſe intentus à nutritione, ſive comparetur per formalem converſionem, ſive per æquivalentem formali duntaxat: ſive per illam, ſive per aliam ipſius communicantis, ſive per utramque. Utramque autem converſionem innuere videntur verba illa Chriſti Domini Apoc. 3. *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*; cum alioqui ſufficienter exprimeretur mutua conjunctio, per hoc quod, ipſe cœnaturum ſe dixiſset cum juſto ferventer communicante. Idcirco præmiſit ibi, ſe ſtare ad Oſtium, & pulſare; quoniam ſive dum eſt in ore, quod eſt oſtium pectoris, ſive in pectore, quod eſt oſtium Cordis, pulſat, ut ardentiùs oret, & vehementer deſideret, ut ſic poſset veluti intrare anima in cor illius, ibidemque permanere. Tum præterea, quoniam in converſione naturali tranſit ſubjectum ab una forma ad aliam; hic autem forma ipſa ab uno ad aliud ſubjectum. Quoniam tamen multa etiam diverſa à converſione ſubſtantiali concurrunt in tranſubſtantiatione Euchariſtica, quæ nihilominus vera realis converſio dicitur, tametſi non naturalis, ſed ſupernaturalis, & ſubſtantialis, ut loquitur D. Thomas laudata q. 75. art. 4. ideo circa converſionem, quam inducit opinio noſtra, dummodo rem teneat, & veram unionem realem animæ Chriſti Domini, liberum cuique erit, hoc, vel potius illo modo loquendi uti, quin propterea abutatur Philoſophia, nec violet ſanæ Theologiæ jura, aut principia.

§. II.

Num. 122. Opponis decimotertiò, vel potiùs rogas, num Sacerdos utramque ſpeciem religioſè ſuſcipiens, obtineat ſub utraque duplicatum hunc unionis effectum? Verùm hujus obviæ interrogationis obvia cunctis erit ſolutio, cum ſit vulgare admodum dubium illud (è quo pendet hoc) inveſtigans, recipiat, ne, fructum uberiorem gratiæ Sacerdos communicans ſub utraque, quàm Laicus ſub una tantum? Qui negant frequenter ſatis, viam nobis aperiunt val-

valde tritam ad negativam reſponſionem, eiſdem planè motivis. Uti & qui affirmant, præbent pariter nobis reſponſum; per ejuſmodi enim quæſtiones vulgatas tranſire oportet noſtram in morem illius, qui peregrinatur. Si roges inſuper, an nova aſſumptio illius qui jugiter accedit ad eſcam divinam hanc, conſervando præcedentes uniones cum anima Chriſti, fiat ſemper ab ipſa ut præexiſtente in corde illius; vel potiùs per illam, ut denuò conſervatam per novam aliam actionem, deſtructis ſpeciebus, prout ſub his numero exiſtebat intra corpus naturale? Reſpondebimus confeſtim, in ſenſu reali quæſtionem eſſe de voce, cum anima ſit eadem; niſi quatenus intercedere poſſit, aut debeat, nova aliqua actio adductiva, aut reproductiva animæ Chriſti Domini in ordine ad novum alium locum intra corpus myſticum occupandum, cui nova alia unione ibidem conjungatur. Si namque effectus ille novi nexus intimioriſque, effici valeat connaturaliùs ab anima Chriſti Domini, quà conſervata per actionem ipſam præcedentem, per quam aderat pridem illi corpori; fruſtra fieret per novam actionem adductivam animæ, ſeu conſervantem illam denuò ſeparatam à corpore prout deſinente ſub his numero ſpeciebus. Quoniam novus ille effectus arctioris nexus ſemper eſſet effectus hujus novæ ſumptionis, obtineretturque per nutritionem ex hac ſumptione ſubortam, cum cibus tranſiret in eamdem numero ſubſtantiam aliti per unionem novam cum anima ipſius. Semperque illa anima reipſa tranſit à corpore naturali prout ibi ad corpus myſticum, adeſtque realis converſio materialis, & formalis, ſaltem æquivalenter: ſi verò neceſſaria fuerit nova actio, eo quod anima, quà præexiſtens ibi, nequeat locum illum occupare, aut potentiam, quin ibi reproducatur, ut unionem ſui producat, illamque partem aſſumat; tunc connaturalius apparet, & conſentaneum magis effectui hujus Sacramenti, ut concipiatur hic numero cibus, ſeu anima, prout erat intra corpus naturale ſub his ſpeciebus nutriens, & tranſitum faciens ab uno corpore prout hic exiſtente, in corpus myſticum.

Decimoquartò, objicies nobis imperfectionem animæ Chriſti Domini in exiſtendo alicubi diviſim à corpore naturali proprio, cum ſit ſtatus ex ſe incompletus. Verumtamen anima illa divinitate imbuta non conſtituitur à nobis in ſtatu ſeparationis ſimpliciter à corpore naturali, qui cenſetur incompletus; ſed unita corpori in Cœlo, & infinities pene in altaribus, & ultra illum ſtatum completiſſimum, obtinere dicimus ſimul alium in quamplurimis membris corporis myſtici, qui potiùs importat abundantiam, & quaſi exceſſum perfectionis exiſtendi, quàm incompletionem. Quapropter licet anima ſimpliciter à corpore ſuo naturali ſeparata, concipiatur incompletè exiſtens, exigenſque complementum naturale; dum tamen illud poſſidet alibi, multiplicique præſentia; ſi ex fœcunditate, & veluti redundantia perfectionis alicubi exiſtat etiam ſimulque & ſemel, ſeparata, non poſtulat corpus proprium ut ibidem præſens, nec illud ibi informare, ſed alibi tantùm, quia ratione ſuæ majoris amplitudinis exigit potiùs, poſſe exiſtere etiam ſine corpore, dummodo ſimul in aliis locis unà cum corpore, & intra ſanctiſſimum illud tabernaculum habitet. Sic modus exiſtendi ſacramentalis ſive inextenſus ſub accidentium velo careret perfectione exiſtendi debita connaturaliter corpori, circumſcriptivaque; ſimul attamen cum hac in Cœlo, exiſtere modo inextenſo ex capacitate divinitùs ampliata uberiùs exiſtendi, imperfectus non eſt. Maximè cum nec corpus exigat exiſtere circumſcriptivè, niſi ſemel (tametſi præſupponatur divina virtute poſſibilis multiplex præſentia circumſcriptiva ſimultanea illius) nec corpus Chriſti Domini petit replicari, niſi ubi alia ſubſtantia convertatur in ipſum: uti nec poſcit eſſe in omni loco, ubi fuerit anima replicata, quia cedit nobiliori animæ naturæ, ampliorique ejus capacitati; ineptè ſiquidem diſputaret corpus cum ſpiritu de agilitate, & volatu, ut & Centipes cum Aquila.

Num. 123. Verùm aſſurges exinde decimoquintò: Corpus Chriſti Domini juxta doctrinam D. Thomæ 3. par. qu. 75. art. 3. & Seraphici Doctoris, nequit replicari, niſi per converſionem alterius corporis in ipſum. Ergo nec anima ejuſdem Chriſti Domini, exiſtere valet replicata in corpore myſtico, quin aliquid in illam convertatur. Præſertim cum Doct. Angelicus qu. 15. art. 4. dixerit, formam ſubſtantiæ panis converti in formam Corporis Chriſti Domini, & materiam in materiam. Et aliunde deſtructis ſpeciebus, & diſcedente Corpore Chriſti Domini, nihil adeſt, quod realiter convertatur in animam tantùm, ut illa perſiſtere valeat ibi. Verùm in primis D. Thomas, & S. Bonaventura locuti fuere tantùm juxta præſentem providentiam, cum ſit evidens potuiſſe Deum abſoluta ſua potentia conſtituere Corpus Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticis unà cum ſubſtantia panis, in quo nulla foret converſio, ut animadvertit Doct. Eximius diſp. 50. ſect. 8. & tamen adeſſet replicatum corpus. Et ſanè per actionem reproductivam replicari poſſe corpus aliquod abſque converſione, replicarique interdum de facto, opinantur omnes illi, qui bilocationem circumſcriptivam tuentur, ſubinferentes inde, Chriſtum Dominum Divo Paulo realiter apparuiſſe in via, quin Cœlum deſeruiſſet. Ubi autem utraque præſentia circumſcriptiva non ſit, bilocationem poſſibilem abſque converſione admittunt Scholaſtici, vixque negari valet tutò divinæ omnipotentiæ.

Deinde licet corpus nequeat adeſſe niſi per converſionem, non ideo anima adeſſe

non poterit abſque illa, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, quæ difficiliùs in aliam convertitur; (tametſi poſſit) & revera anima Chriſti Domini non ponitur per converſionem factam ſubſtantię panis in ipſam immediatè, cum ſubſtantia panis convertatur in Corpus Chriſti Domini, & anima ſolùm veniat ibi per concomitantiam. Unde S. Thomas non loquitur ibi de anima rationali formaliter, ſed de forma corporis genericè accepta, ut expreſsè affirmat ea qu. 75. art. 3. ad 2. ubi ait: *Convertitur forma panis in formam Corporis Chriſti, ſecundum quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundum quod dat eſſe animatum tali anima*. Supponit ergo converſionem directè in corpus, & formam ut ſic (quæ convenit etiam formæ corporeitatis, & cadavericæ) non tamen illam formaliter ratione ſui, ut anima rationalis eſt, terminare. Inſuper, poſtulat quidem converſionem; at non qua ipſa convertatur in aliam, nec in ipſam alia, ſed qua corpus naturale prout ibi exiſtens convertatur aliquatenus in myſticum, ipſaque ſubinde tranſeat ab uno in aliud. Hac aſſertione conciliari poſſet, non abſque veriſimilitudine, opinio illorum qui cum Alexandro de Ales credunt, perſtitiſſe intra pectus, aut cor Deiparæ ſpecies ſacramentales, quas in Cœna ſuſceperat, incoruptas uſque ad tempus, in quo poſt reſurrectionem, aſcenſionemque celebravit Princeps Apoſtolorum. Si dixeris, non ſpecies, & ex conſequenti, nec corpus, & ſanguinem, ſed animam tantùm dulciſſimi Filii perſeveraſſe phyſicè, perpetuoque in ejus corde, ſole ipſo puriori. Id autem de Apoſtolis territis, in paſſioneque diſperſis aſſeverari difficiliùs eſt; niſi per aliquod tempus duntaxat (in quo verificatur doctrina Nyſſeni expreſsa, in ſuperioribus adducta) vel quia graviter poſtea in fuga peccarunt omnes, ut exiſtimant frequenter Patres; vel quia forſam erit, qui opinetur, non eo fervoris conatu, & ſtudio ſuſcepiſſe corpus, & ſanguinem Domini, ut obtinuerint ſublimem eam, & intimam unionem (quamvis ex Doctrina Nyſseni oppoſitum manifeſtè colligatur, meritoque aſseritur) ſed incrementa gratiæ duntaxat, & auxilia: præſertim cum verum ſit illud Joan. 7. *Nondum enim erat ſpiritus datus* (eis) *quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Vel quia licet animam Redemptoris jamjam paſsuri recepiſſent, oportebat tamen, illum ita mori, ut anima non tantùm deſereret proprium corpus naturale, verùm etiam myſticum, ut crudeliùs, & copioſiùs emitteret ſpiritum, & ideo dicitur *avulſus* ab eis in horto, quaſi violenter animam ſuam auferret à diſcipulis, quibus erat intimè copulata (tametſi poſt reſurrectionem, & aſcenſum ita conſcratur ille effectus, ut nonniſi per gravem lapſum amitti valeat). Cæterum puriſſimam Matrem ardenter adeo amaſse, ut cum animam à proprio corpore convelli ſineret, & à myſtico Diſcipulorum, maternum pectus deſerere noluerit. Si tamen etiam ab illa (ſaltem per Triduum) ſeparari voluit, ut eo novo ſæviori titulo pateretur moriens; tunc nullo negotio intelliges verba illa, quæ tantùm negotii faceſsunt Lucæ 2. *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Cum eſset etiam conglutinata utraque anima (& ſimul dicit *tuam*, *& ipſius*, quia erat conjunctum aliquod ex anima Matris, & Filii) gladius, ſeu mors Filii, diviſit animam ab anima; quæ per modum unius intimè conjunctæ erant: invenitque viam, & modum transfigendi animam, ſubtilis nimiùm, & veluti logicus mucro.

Num. 124. Teſtimonia Patrum, quæ in oppoſitum adduci poſſent, expoſita fuere ſect. 1. ſupereſt tamen explananda difficultas ex doctrina D. Thomæ 1. par. quæſt. 43. art. 3. ubi ait: *Nullus alius effectus poteſt eſſe ratio, quòd divina Perſona ſit novo modo in rationali creatura, niſi gratia gratum faciens. Unde ſecundum ſolam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter Perſona Divina*. At ſi anima Chriſti Domini uniretur per modum formæ aſſiſtentis corpori myſtico ſanctè accedentis ad Euchariſtiam, neceſſariò exiſteret novo modo in illo Verbum Divinum, ut principale aſſumens, & exinde Deitas, quin & reliquæ Perſonæ mediatè in ſenſu formali, ut ipſi tuemur. Unio igitur illa animæ Chriſti Domini repugnat Divo Thomæ, & Theologis cum illo. Reſpondeo, argumentum nimis probare, videlicet, nec per unionem hypoſtaticam exiſtere novo modo Perſonam divinam in humanitate aſſumpta, ſi unio illa per ſe formaliter ſanctitas non ſit; & multò minùs adeſſe novo peculiari modo reliquas Perſonas, ſi Perſonalitas Verbi (ad quam per ſe primò formaliter terminatur unio) ſecundum ſe formalis ſanctitas non ſit, ut multi opinantur. Sicut igitur verba objecta non excludunt, ſed comprehendunt potiùs nexum hypoſtaticum, quia eſt vera gratia (& quidem ordinis longè ſublimioris) ut monent Theologi; ita nequaquam removent, ſed complectuotur magis unionem aſſumptivam animæ Servatoris ut inſtrumenti Verbi cum ritè communicante, & per illam ſpecialem modum exiſtendi reliquarum Perſonarum in Juſto. Præſertim cum ſit forma æquivalenter ſanctificans anima Chriſti Domini eo modo copulata. Præterea per viſionem beatam extitit Deus peculiari novo modo in Beato, ut compertum eſt, obſervatque ad rem præſentem Eximius Doctor de Trinit. lib. 12. cap. 5. tametſi illa formaliter gratia ſanctificans non ſit, licet eam præſupponat. Et aliunde unio animæ Chriſti Domini minimè aſſumit fidelem, niſi Juſtum, & eximiè gratum. Utraque igitur comprehenditur nomine gratiæ. Et quidem eo magis, quo juxta principia noſtra debetur major aliqua beatitudo ex opere operato illi unioni. Immo Cajetanus in eo articulo docet, abſolutè, non eſſe neceſſariam gratiam, ut exiſtat Spiritus Sanctus

novo

Digitized by Google

novo modo, ſive ut mittatur aliquatenus; quoniam per donum fidei informis mitti illum, exiſtimat. Uti & per dona Spiritus Sancti hunc mitti, opinantur alii, verùm ſecundum quid tantùm. Unde laborat non parùm ibi Cajetanus in excluſione illa tuenda modo aliquo. Revera tamen per fidem ſolam, & alia dona nonniſi inchoatè, & minùs propriè mittuntur Filius, & Spiritus Sanctus.

Sed inſurges jam ultimo loco, & ardentiùs, armis, neſcio an livoris, an novitatis. Aſſertio noſtra à nullo hactenus, ſive Theologo, ſive juris Pontificii Doctore tradita reperitur, à nemine Sanctorum Patrum ſufficienter adumbrata, quia ejus veſtigia nulla apparent in Sacra Scriptura, aliter ex Patrum locupletiſſima vena, quaſi ex auri fodina, proculdubio inveniretur ab aliquo ex Scholaſticis eruta. Nullus Concili locus aſſertur, nec afferri valet, à quo tacta fuerit, aut aliquo modo in ipſo contineatur. Ex alia verò parte materia, circa quam verſatur, tanti ponderis eſt, ut majoris eſse vix poſsit; invehit enim arcanum novum, ipſo Euchariſtico non inferius, ſed partim difficilius, animam ſcilicet Servatoris noſtri, ut Verbi inſtrumentum jam immortaliter viventis ſeparatam negativè à proprio naturali Corpore, & per infinita pœne Corporis myſtici membra diſperſam, eiſdemque realiter intimè copulatam. Quæ opinandi licentia placebit magnopere Novatoribus, etiam dum aſſertio ipſa diſpliceat.

Ut temperare valeam hujus argumenti ſupercilium, recolenda eſt obſervatio illa non ſemel facta, neceſſariòque repetenda, quòd nimirum certiſſimum ſit, quamplura alia ſecreta, aut myſteria latere adhuc in profunditate Euchariſtica, prorſus adhuc inedita, nobiſque planè ignota. Ita colligitur ex Divo Thoma Opuſc. 59. cap. 1. cujus verba dedimus in re pari. Hoc ſignificat S. Dionyſ. in lib. de Eccleſ. Hierar. cap. 3. (alibi jam productus) dum alloquitur Euchariſtiam Sacram: *O Diviniſſimum, & Sanctum Sacramentum, obducta tibi ſymbolicè operimenta ænigmatum revelans, dilucidè nobis demonſtrore; ac ſpirituales noſtros oculos ſingulari, apertoque lumine imple.* Manifeſtè namque ſupponit, latere in Euchariſtia quamplura alia ſecreta, aut arcana, quorum revelationem, ſive notitiam exorat; conſequenterque non illa, quæ fides apertè docet, cum illa ſupponantur jam clarè revelata, & infallibiliter pro ſtatu præſenti cognita. Non ipſa tantùm, ut intuitivè viſa in ſtatu beatitudinis, quia loquitur de auguſtiſſimo Myſterio ut præſenti, ſive de Chriſto Domino ut delitescente intra ipſum, ac proinde de ſtatu viæ præſenti, cum non ſit perennaturum Sacramentum Euchariſtiæ in gloria, juxta communem ſenſum Theologorum. Et quamvis pro ſtatu illo fœlicitatis viſuri ſint in Verbo Divino Beati clariſſimè arcana præterita, quæ recondita fuerant in altitudine hujus myſterii; attamen non eſt hæc revelatio illa, quam immediatè petit Dionyſius, quia in ea acceptione eſſet omnibus myſteriis communis, & Dionyſius loquitur in particulari de apertione hujus tantum ſigilli (tametſi illam etiam expoſcat ut effectum ultimo nobis conferendum ſpeciali modo, præ effectu glorioſo aliorum Sacramentorum).

Rurſus, quia revelationem præſatam expoſcit à Chriſto Domino ut Sacramentaliter exiſtente, ut notavimus, & claret ex verbis ipſis. Nunc autem audiamus Innocent. III. Pont. Max.: aureis verbis claudentem præclaros ſuos de Myſterii Miſſæ libros. *Nemo cum expoſitionem iſtam audierit, hoc officium ſufficienter æſtimet expoſitum, ne forte eum opus humanum extollit, Divinum extenuet Sacramentum. In hoc enim officio tot, & tanta ſunt involuta myſteria, ut nemo niſi per unctionem edoctus ea ſufficiat declarare. Quis enim novit ordinem Cæli, & ponit rationem ejus in terra? Nam & perſcrutator majeſtatis opprimitur à gloria. Ego quidem non prævolens lippientibus oculis ſolem in terra conſpicere, tanti myſterii majeſtatem quaſi per ſpeculum in ænigmate viſus ſum intueri, nec penetrans ad interiora Cænaculi, ſed pro foribus aſſidens in veſtibulo, feci diligenter ut potui, non ut volui.* Magna quidem, & undequaque mirabilia noſcimus de arcano hoc, multa ſanè, & ingentiſſima. Superſunt attamen nondum mundo nota myſteria, quæ pandantur (ut ſæpius dicere cogimur) quocirca non incongruè figurato accomodares illud figuræ Exodi 16. *Manhu? Quid eſt hoc? Iſte eſt panis; quem dedit vobis Dominus ad veſcendum.* Ubi inſignis Interpres Lippomanus de manna differens, inquit: *cibum ergo à Domino datum, quoniam aliter non poterant, manna appellabant. Verumtamen ratio impoſiti nominis ab ignorantia accepta eſt.* Quoniam adhuc poſtquam manibus tractaretur diù, poſtquam in ore omnis populi dulceſceret, & in ſtomacho nutriret, ſemper iterata illius ignoratione rogabant à ſe invicem, *Manhu?* Quid eſt hoc? Licet enim interroganti Pagano quid eſt hoc? Valeamus quamplura, ſtupenda, & omnibus numeris prodigioſa, quæ per fidem novimus, reſpondere; adhuc nihilominus reſtant plurima ignorata pœnitus, & portentoſa, in quibus inſcitiam noſtram experti, rogare poſſimus à peritiſſimis viris, *Monhu?*

Num. 129. Idque expreſſit altè Sanctus Leo Magnus, cujus nota verba refert, & ſenſus amplificat Sanctus Thomas de Villanova concione ſecunda de Euchariſtia ſub eodem Themate; *Manhu? Vera illa Sancti Leonis Papæ ſententia* (inquit egregius ille Præſul) *eſt, fratres, qua dicitur, neminem ad cognitionem veritatis magis appropinquare, quàm qui intelligit, in rebus Divinis, etiamſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe, quod quærat. Nam qui ſe ad id, quo tendit,*

per-

perveniſſe præſumit , non quæſita reperit , ſed inquiſitione deficit . Et poſtquam multa diſſertè congerit , & raptim delibat in comprobationem hujus ſententiæ adjungit: *Quæ omnia, etſi in omnibus aliis myſteriis vera ſint; in hoc tamen Domini Corporis admirabili Sacramento longè apertiùs , evidentiùſque monſtratur . Quid enim de tam ineffabili myſterio omnis lingua , etiam Angelica , perſonare poteſt, niſi Manhu? ideſt, quid eſt hoc?* Conſtat ergo, tum ex doctrina Patrum ; tum ex natura rerum, in hac abyſſo myſteriorum perplura generatim , perque maxima arcana contineriglorioſiſſima myſteria , utiliſſimaque mundo, quæ latent nos adhuc . Dum igitur in ſpecie detegitur, aut proponitur mirabilis aliquis effectus illius, ardentiſſimo Chriſti Domini amori erga homines conformis , arcano ipſo dignus , æquè ac eiſdem hominibus fructuoſus ; tametſi permitteretur , nullum ejus determinatè veſtigium reperiri apud Patres (quod eſt plane falſum) numquam tamen eſſe poſſet contra eorumdem doctrinam , ſed potius in ratione generica, aut in confuſo, juxta illam ; in ratione verò ſpecifica , aut individuali præter eamdem. Quid igitur ſentiendum , ubi prædictus effectus invenitur à Patribus pluſquam adumbratus, ſi non graphicè prorſus deſcriptus ? Quapropter nonniſi per calumniam confundi poteſt aſſertio noſtra eo colore cum Novatorum temeritate : illi namque eatenus toto Cœlo aberrant , quatenus fidei principiis , & doctrinis Eccleſiæ Sanctæ revelatis circa myſterium hoc obſiſtunt, illa inficiantur, horrent illa, & eadem impugnant, & myſterium ab imis ſedibus ſubvertere tentant . Quæ verò nova dicuntur, non quia veterem Eccleſiæ doctrinam rejiciant , immo potius illuſtrant ; ſed quia illorum expreſſa , & ſpecifica mentio non reperitur apud antiquos ; ſi aliunde myſterium reddant commendabilius, ſunt eo ipſo veterum Patrum dictamini conformia . Juvat audire Tertullianum de Veland. Virgin. cap. 1. *Regula quidem fidei una omnino eſt, illa immobilis, & irreformabilis. Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ , & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet , & proficiente uſque in finem gratia Dei. Quare enim eſt, ut Diabolo ſemper operante , & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia ; opus Dei, aut ceſſaverit , aut proficere deſtiterit : cum propterea Paracletum miſerit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia ſimul capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur , & ad perfectum perduceretur diſciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto? Quæ eſt Paracleti adminiſtratio, niſi hæc , quòd diſciplina dirigitur , quod ſcripturæ revelantur , quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur?* Quid pro novitate hac protegenda , & illuſtranda egregiùs, oportuniùs, & ſolidiùs?

Quibus ſi accedat , eam ſententiam eſſe juxta mentem Patrum, juxta proprietatem verborum Chriſti D. exponentis Euchariſtiam, & ejus effectus Joan. 6. Ecquis enim Patrum, aut Interpretum non agnoſcit in eis verbis unionem aliquam majorem ſpirituali , & purè myſtica per gratiam, realemque, licet non exprimat clarè ejus indolem? Si accedat inſuper, ipſam dilatare terminos gloriæ Euchariſtiæ, & amoris Chriſti D. in ejus inſtitutione , ſi accedat tandem , ipſam probari à viris in Theologia doctiſſimis & in utroque jure valde peritis (uti & in Aſcetica altè verſatis) quibuſcum omnia hæc ad literam contulimus ; non modò temeritatis omnem notam exuit novitas ; verùm & interdum cogit ad eam vulgandam. Id quod monuit S. Paſchaſ. lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 2. : *Virtus tanti Sacramenti inveſtiganda eſt, & diſciplina Chriſti fides erudienda ; ne forte ob hoc cenſeamur indigni, ſi non ſatis diſcernimus illud, nec intelligimus myſticum Chriſti Corpus , & Sanguis quanta polleat dignitate, quanta præemineat virtute.* Idque urget præſertim hic , ubi teſtimonia Sanctorum Patrum in verbis Chriſti Domini fundata, adeo apertè collimant in eum ſcopum, ut ab iis potiùs, quàm à noſtris reflexionibus eam opinionem collubenti animo ſuſcipiamus . Illi igitur dedere nobis hanc ſententiam , quibus nos adjunximus congruentias , ordinem , & vulgandi audaciam : illam ſcilicet , quamquam incomptè , exponendo , & methodo Scholaſtica veluti organizatione quadam formando : & tandem ipſam ſapientum conſilio luce publica donamus. Poſſem & ex præclaro , ſublimique alio fonte dignitatem non exiguam ſcriptioni huic addere , productis eximiæ authoritatis documentis laudem illius ſpirantibus ; verum , ut ingenuè fatear: *Non meus audet tentare pudor.*

Num. 116. Ad hæc , commendatum omnino fuit , eritque ſemper , Horatianum illud lib. 2. Epiſt. Epiſt. 1. *Quod ſi tam Græcis novitas invifa fuiſſet : quam nobis , quid nunc eſſet vetus? Aut quid haberet : quod legeret, tereretque viritim publicus uſus?* Hoc autem, ſi alicubi convincit, aut perſuadet, vires ſuas omnes potiſſime exerit in Euchariſtiæ arcano , quippe quod appellatur à Doctore Maximo : *omnium novitatum novitas* . Ubi namque impletur illud Iſajæ 45. : *verè tu es Deus abſconditus* , mirandum minimè eſt, ſed potiùs palam confitendum , complures alias magni momenti veritates eſſe cum illo abſconditas, & nondum ſatis per fidem nobis reſeratas . Proindeque dum aliqua myſterio digna producitur , nova dicenda nequaquam eſt ; ſed noviter detecta, ut docuit eleganter Nazianz. Orat. 26. ibi : *non novum fontem vobis prærupimus , quemadmodum ille , quem Moyſes ab Ægypto profugientibus in loco aqua carente demonſtravit . Verum abſconditum , & abſtruſum aperuimus ; ut olim ſervi Iſaac &c.* Fons hic vetuſtiſſimus eſt, ſcatenſque ab inſtitutione Euchariſtiæ, tametſi non planè obſervatus ab ipſis bibentibus. Exclamare igitur nobis liceat cum Tertul-

liano

liano l. 4. adverſùs Marc. c. 21.: *O Chriſtum in novis veterem*. Neque ignobilitas ingenii Authoris obſcurat hujuſce doctrinæ ſplendorem, cum ſæpiſſime deprehendatur verum illud Damaſceni in ſermone de his, qui in fide migrarunt: *Nonnunquam id, quod à perfectis relictum eſt, reperit puellus, & in id quod prætercurſum à ſapientibus, incidunt idiotæ, & id, quod occultatum à Magiſtris, comparuit Diſcipulis*. Cui conſonat Chryſoſtomus à nobis in eumdem ſinem productus in ænigmate Theolog. quibus accedit, præſtituta fuiſſe per Divinam providentiam poſteriora tempora ad rerum Divinarum ſcientiam novis ſplendoribus illuſtrandam, ut animadvertit S. Gregorius lib. 9. Dialog. cap. 6. *urgente enim mundi fine ſuprema ſcientia proficit, & largiùs cum tempore excreſcit*. Neque rurſus eſt, cur nobiſcum expoſtules, aut nos urgeas, quaſi ſemper detrectantes imitari alios, imbutoſque Horatii carmine lib. 1. Epiſt. Epiſtola 19.....

...... O' imitatores ſervum pecus.
Libera per vacuum poſui veſtigia Princeps,
Non aliena meo preſſi pede. Qui ſibi fidit,
Dux regit agmen......

Secutus enim ſui communes opiniones, & per tritas Scholaſticorum ſemitas abii, dum Theologiam ex inſtituto docuiſſem; ut vero typis, mandetur, aut non tritum aliquid vulgandum eſt, aut ſcriba recoctus eſſe debueram cum ſcripturientibus, quod horrui ſemper, quoniam plerunque plus faſtidii, quam utilitatis afferunt rei literariæ, de quibus verificatur ad literam illud Eccleſ. 12. *faciendi plures libros nullus eſt finis.* Opportunè itaque utar argumento Virgiliano lib. 3. Georgic. Nam.:

Cætera, quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,
Omnia jam vulgata; quis aut Euryſtea durum.
Aut illaudati neſcit Buſiridis Aras?
Cui non dictus Hilas puer, & latonia Delos?

Ideſt, quis neſcit has fabulas? Et ego dicam, quis ignorat eas veritates, aut quæſtiones Theologicas? Niſi enim quidquam novi intra limites ſanæ doctrinæ adducant, ſcripta, repetere eadem, quæ millies ſcriptitata reperiuntur, *hominis eſt intemperanter abutentis, & otio, & literis*, ut utar verbis Ciceron. Tuſcul. 1. hoc enim vehementer dolemus, quod ulteriore lima uti, otio deſtituti pœnitus, neutiquam poſſimus, qua ſcriptionem hanc expolire, & veluti mordere valeamus, ſubindeque partum, ſi non informem, inelegantem emittere cogimur. Cum ideo fabulati ſint veteres, Minervam è cerebro Jovis proſiluiſſe armatam, adultam, nubilemque, ut ſignificarent, ſcripta ſapientum perfecta jam, omnibuſque numeris abſoluta fuiſſe oportere, potiuſquam lucem videant. Nicodemus impoſſibile reputabat, quòd homo naſceretur, cum jam ſenex foret; in re noſtra verò poſſibile non eſt, librum benè naſci, ſi infans ſit.

§. III.

Num. 127. PER doctrinam aſſertionis hactenus ſtabilitæ venire poſſunt in æternum animatum fœdus diſſidentes valde Theologorum ſententiæ circa apparitiones Chriſti Domini in corpore viſibili, tum poſt aſſumptionem, Stephano, Paulo, & aliis factas: tum præcipuè Euchariſticas (immutatione facta ex parte objecti, & non ex parte videntis ſolùm) dum inſtar pueri, aut viri ſe conſpiciendum ſæpiſſime exhibuit, quarum plurimas refert Hiſtoria Eccleſiaſtica. Eas ſiquidem fuiſſe, & eſſe perſonales, ſive in ſpecie propria, aut proprio naturali corpore, exiſtimat florentiſſimus Theologorum cœtus, perſpicuis teſtimoniis Patrum armatus, validiſſimiſque argumentis; ſolùmque dividuntur ad invicem, quatenus multi eorumdem, in apparitionibus factis extra Euchariſtiam, Cœlum deſerviſſe Chriſtum Dominum pro brevi illo tempore opinentur; cum reliqui utrobique ſimul extitiſſe circumſcriptivè putent. Idemque à fortiori ſentiendum eſſe credit opinio, cum Deipara, vel Sanctus aliquis, corpore jam beato indutus, ſit alicui viſibiliter præſens. Immo & idem de imaginaria plerunque, ac de externa docet. Adjunguntque omnes, qui illi ſuffragantur, quòd ſi nunc Deus, aut Perſona aliqua Trinitatis ter Auguſtæ appareat in corpore aſſumpto ex aere formato, non per Angelum, ut olim juxta plures, ſed per ſeipſam immediatè corpus illud aſſumeret. Sententiam hanc juxta primum modum, ut ex Cypriano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Damaſceno, uti & ex Paſchaſio, Lanfranco, Guizmundo, Algerio, deductam apertè, tenuere Abulenſis in Exodum 19. qu. 6. Clictovæus, Alexander de Ales (ſpeciatim quoad Euchariſticas) 4. par. ſummæ q. 11. mem. 2. art. 4. ſ. 3. & q. 53. memb. 4. art. 3. Gabriel lect. 51. in Canon. Miſſæ, Major in 3. diſt. 37. quæſt. 25. & in 4. diſt. 11. quæſt. 1. Palacios in 4. diſt. 10. diſp. 3. Coninch. quæſt. 76. art. 8. fusèque, & accerrimè Breſſerus lib. 6. de conſcientia cap. 24. Caſtropalao Pal. 4. de Sacramentis tract. 21. Martinon. diſp. 32. ſect. 4. Wigerſ. quæſt. 76. eamdem ſententiam penes ſecundum tuentur plurimi ex eis, qui corpus exiſtere poſſe divinitus circumſcriptivè in pluribus ſimul locis arbitrantur, quorum ſyllabum texere otioſum foret.

Potiſſimum hujus opinionis fundamentum eſt, non modò Patrum veneranda authoritas, verùm & inſinuatum jam, ſcilicet perfectio legis gratiæ, cujus eſſe debet privilegium, ut ajunt, quòd non per Angelos, ſicuti in veteri lege, appareat Deus hominibus, ſed ſeipſo immediatè; cum non fuerit dedignatus naturam humanam copulare hypoſtaticè Verbo Divino. Id autem urgere debet efficaciùs in Chriſto Domino (& ex conſequenti in Deipara, &

Bea-

Beatis) in quo reperitur Humanitas immediatè unita Divinæ Perſonalitati. Cur enim homo Deus recuſabit apparere in propria ſpecie, dum expediat ſe in terris alicui viſibiliter præſentem facere, ut terreat, vel ſoletur, aut demulceat? Cur potiùs minifterio Angelorum uti debet, ut in ea repræſentatione perſonatus appareat, dum ſe viſibilem oſtentat? Subjungunt & aliam non exigui ponderis reflexionem: quòd nimirum dum extra Euchariſtiam conſpectui alicujus objicitur, loquitur ſæpe eidem, cui apparet, ut omnino realiter ei præſens ſeipſo: quod eſſet, vel planè falſum, vel non planè ſincerum, ſi artefactum illud ſonans, foret corpus ex aere formatum, & ab Angelo aſſumptum ad exprimendum Chriſtum Dominum. Quoniam licet fictio ad myſterium aliquod ſignificandum compoſita, mendacium non ſit, ut ex Auguſtino lib. 2. quæſt. Evangel. cap. ultimo docuit S.Th. 3. par. q.76. art.8., & ſupra notavimus, ſed figura veritatis; cæterum hoc probat tantùm, mendacem non eſſe Angelum; qui corpus aſſumat ad repræſentandum Filium Dei, cujus nomine alloquatur fidelem, cui adſtat; minimè tamen ſuadet, non eſſe fictionem, dum ita loquitur, ut ſupponat, adeſſe realiter præſentem ipſum Chriſtum Dominum. Unde ſi, v. g. exprimat illi homini amorem eximium Chriſti Domini erga ipſum, mendax non erit, nec decipiens: ſi tamen verba ſignificarent, amantem ipſum, ſive Chriſtum Dominum amare ibi, ſeu ex eo loco, & corpore, in quo apparet, verum non diceret.

Neque oppoſitum evincit exemplum Jacob, ſe fingentis Eſau, quoniam ille ſe dixit Eſau, quatenus Eſau erat primogenitus re ipſa, & aliunde primogenitura erat jam conceſſa eidem Jacob à Deo, ut liquet ex cap. 27. Geneſ. ubi Hiſtoria hæc narratur, docetque in loco memorato Sanctus Auguſt.. Angelus autem ſub nulla ratione eſt Chriſtus. Præterea Jacob abſolute mentitum in circumſtantia aliqua fuiſſe, leviterque peccaſſe, dum finxit Perſonam Fratris, tenent Patres, & Interpretes communiùs, Chryſoſtomus, Origenes, Caſſianus, Lyra, Lyppomanus, Cajetanus, Pereira, à Lapide &c. Et ideo vocatur ibidem *fraudulentus* à Patre. Potuit ergo pellibus hædinis tegere fraudem; ob id ipſum tamen non potuit proferre veritatem nudam ſed dolis partim veſtitam.

Num. 128. Sic nullo modo probaretur veritas reſurrectionis ejuſdem Chriſti Domini ex Corpore illo apparente, dum affirmaret, ſive exercitè, ſive ſignatè, ſe è mortuis reſurrexiſſe. Poſset equidem comprobari ex Angeli teſtimonio (ut re ipſa factum eſt, alato illo juvene dicente, *ſurrexit, non eſt hic*), dum aſſeveraret, Salvatorem Mundi ſurrexiſſe; nequaquam verò ex præſentia illa apparente, immo fallacia illius fictionis obnubilaret aliquatenùs veritatem, & fidem illius redderet ſuſpectam. Quamobrem S. Thom. 3. p. q. 57. art. 3. ad 6. diſſerens de apparitione viſibili Chriſti Domini facta Paulo in via, dixit: *quæ quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi verum Chriſti Corpus viſum fuiſſet Paulo*. Sola enim ſplendida quædam deceptio terrens apparuiſset, quæ potius notitiam, & fulgorem reſurrectionis obſcuraret. Ubi notandum diſcrimen apparitionis Chriſti Domini ſecundum Humanitatem, & Dei ipſius, aut Perſonæ Patris, exempli cauſa. Cum enim Deitas, & Trinitas Perſonarum Auguſtiſſima ſit ubique realiter præſens, quamoptimè, vel longè facilius cohærere poteſt cum veritate aſſumptio per Angelum facta ad Perſonam Divinam repræſentandam, ut præſentem realiter, amantemque, aut promittentem aliqua, prout ibidem, ut in veteri teſtamento contigiſſe opinantur plerique Interpretes. Non ſic autem Humanitas, quæ ubique non eſt: unde nihil de Chriſto Domino ut realiter viſibiliter præſente ſignificari, adhuc exercitè, valet, quod fallaciam aliquam non includat. Quam differentiam obſervat Doct. Eximius lib. 6. de Angelis cap. 24., eſtque obſervatu digniſſima pro re ſubjecta. Et ſanè quamquam vera foret quoad ſubſtantiam; ſemper attamen eſset fucata, ambigua, & ex parte doloſa; dolus autem etiamſi hoſtem deceat, dedecet amicum.

Neque propterea ſequitur, Euchariſticas ſaltem apparitiones futuras pariter expertes deceptionis, eo quod ſit ibidem realiter præſens Chriſtus Dominus cum veluti intra ipſam Euchariſtiam ſacram exerceri videantur. Quandoquidem etſi ex illo capite generatim uſurpato declinari videatur deceptio; ex eodem tamen determinatè introſpecto manifeſtè claret, offendere in illam (juxta plures): quoniam apparet Chriſtus D. in Corpore juvenili, aut virili circumſcriptivè exiſtente, ipſumque, ut ita præſens ita exprimit; cum ſub ſpeciebus ſacramentalibus ſit inextenſus. Et inde ſuboritur alia differentia inter haſce apparitiones, & illas, quibus Perſona divina repræſentetur ab Angelo in Corpore aſſumpto. Namque cum aliunde ſit nobis evidens, Deum, divinaſque perſonas ſecundum ſe incorporeas eſſe, non ducit præſentia illius Corporis in falſitatem, aut fallaciam. Verùm Chriſtus Dominus Corpus reale poſſidet circumſcriptivè in Cœlo exiſtens, & inextenſum in Euchariſtia, adeoque deceptioni locus pateret latiſſimus. Quin ſufficiat reſpondere, etiam fide divina conſtare nobis, quòd nullo pacto exiſtat circumſcriptivè ſub nube accidentium. Siquidem quamvis hoc ſit nobis compertum: certum attamen nobis non eſt, quòd dum apparet viſibiliter in Corpore, circumſcriptiveque exiſtente, non appareat ipſemet in proprio Corpore, & in ſpecie propria: proindeque ſi non ipſe, ſed Angelus apparuiſſet, præſentia realis

Chri-

Chriſti Domini ſub accidentium velo neutiquam impedire poſſet, quominus dolus adeſſet; tametſi præſentia ubique divinitatis efficere valeat, quòd minimè decipiat Angelus Corpus aſsumens, ad Deum ipſum repræſentandum. Veritas enim, & fictio in ejuſmodi Theatris, aut repræſentationibus non diſtant inter ſeſe lougo intervallo (& ſæpè degunt in eadem domo): itaut ſi non adeſset exigua quædam circumſtantia, falleret, quemadmodum interdum Corpus leviſſimo motu declinat fatale vulnus.

Num. 129. Oppoſita propè omnium, præter numeratos, opinio aſſerit, apparitiones illas nequaquam adducere Chriſtum Dominum in propria ſpecie, dum Euchariſticæ non ſunt, ſed fieri ab Angelo formante, & aſſumente corpus. Pariterque ſentiunt, ſervata proportione, de imaginariis, movente Angelo, & ordinante phantaſmata, ſpirituſque animales (uti ſimiliter cum auditur vox ſenſibilis ut prolata à Chriſto Domino). Ita Cajetanus, Sotus, P. Thyræus in loclupletiſſimo tractatu apparitionum, Doctor Eximius, Leſſius, Vazquez, & Juniores agminatim. Diſſident verò ab invicem circa apparitiones Euchariſticas; nanque plures, imitati Divum Thomam, arbitrantur, nec adhuc in illis, dum Puer, exempli cauſa, aut Juvenis ſpecioſiſſimus ſubjicitur oculis in Euchariſtia, immutatione ſe habente ex parte rei, adeſſe Chriſtum Dominum ibi in propria ſpecie viſibllem; non propterea tamen corpus illud apparens aſſumptum ab Angelo dicunt, ſed fieri unicè per quamdam immutationem accidentium ejuſdem Euchariſtiæ Sacræ, manentibus ſemper ejuſdem dimenſionibus, & ſuperinductis novis aliis accidentibus ſpeciem pueruli repræſentantibus, ut loquitur Sanctus Thomas in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 4. quæſtiune. 2. Atque adeo ſub corpore viſibiliter apparente adeſſe realiter Chriſtum Dominum, cæterum ſub ſpeciebus Euchariſticis, & unà ſub illis, quæ miraculosè ſuperveniunt; verùm extenſio, in qua apparet, non reperitur iu Euchariſtia.

Idcirco frequentiùs alii opinantur, corpus illud intra orbem Euchariſticum apparens, ſe movens, & alias vitæ functiones apparenter exercens, eſſe corpus ab Angelo aſſumptum ad Chriſtum Dominum exprimendum, & veritatem præſentiæ realis firmandam: ſive remaneat ſimul præſentia Sacrameotalis, quia accidentia panis non fuerint pænitus deſtructa, & adventu aliorum planè immutata; ſive non. Quapropter diſputans Magnus Suarez lib. 6. cap. 21. num. 2. de eiſdemmet, *quæ apparitiones Sacramentales vocantur*, ait: *& quando ita ſunt viſibiles, per Angelos ſine dubio fiunt, de quibus latè etiam Thyræus in proprio tractatu.* Præcipuum hujus opinionis argumentum deſumitur ex difficultate apparendi in propria ſpecie, quin Cœlum deſerat nou infrequenter, cum non infrequenter appareat; cujus deſertlo creditur ab his Theologis repugnans Scripturæ Sacræ; vel quod id fiat per bilocationem circumſcriptivam, id quod reputatur ſimpliciter impoſſibile à multis; ab aliis verò, abſque ſufficienti neceſſitate futurum ingeus adeo miraculum; & quidem etiamſi interdum evenerit, eo quod adeſſet tunc peregrina aliqua occaſio, aut cauſa impellens. Hæc tamen communis ratio communis ſententiæ, ab ejus Advocatis ut firmiſſima ponderata, mihi inter propinquas, & duriſſimas rupes verſari ſemper viſa eſt, ubi diſſeratur de apparitione Euchariſtica. Porrò infans, aut vir in hoſtia apparens, debet, juxta Divum Thomam 3. par. qu. 76. art. 8. §. *Sed contra* adorari eadem planè adoratione primi ordinis, qua prius adorabatur Chriſtus Dominus ſub ſpeciebus panis, atque adeo abſoluta, ſeu primò, & per ſe, & propter ſe ad ipſum Infantulum terminata; & non reſpectiva, ſecundaria, & ratione alterius inſtar veſtis Chriſti Domini, ut docuit ibidem Cajetanus. Quod dixerat S. Thomas in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 4. ad ſecundum quæſt. corpore, ibi: *Abſque omni dubio dicendum eſt, illud quod ibi apparet, eſſe verum Corpus Chriſti, alias non adoraretur, ſicut & prius erat, quando in ſpecie panis videbatur.* Et in §. *Sed contra* præmiſerat: *apparitione facta eadem reverentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primò exhibebatur: quod quidem non fieret, ſi verò non eſſet ibi Chriſtus, cui reverentiam latriæ exhibemus.* Si autem corpus illud infantile apparens, & à parte rei exiſtens, foret ab Angelo aſſumptum ad repræſentandum Chriſtum Dominum, tamquam ſpecies, imago, aut ſimilitudo; cultu ſolum reſpectivo latriæ eſſet adorandum, ut manifeſtum eſt: ſubindeque non eadem reverentia ei exhiberetur, quæ prius, cum illa eſſet abſoluta ſimpliciter, utpotè ad Chriſtum Dominum, ſive Perſonam divinam terminata, & propterea Apoſtol. ad Hæbreos. 1. inquit: *& cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus*: eodem ſiquidem pacto loquendum eſt, & cogitandum de adoratione, qua ipſum proſequuntur, & reverentur Angeli, dum introducit eumdem primogenitum in anguſtum orbem, aut orbiculum Hoſtiæ Sacræ (quæ ſecunda introductio per *to*, *iterum*, intelligi poteſt.)

Num 130. In hoc ancipiti, & lubrico rerum ſtatu, opinionumque, uon incoogruè, non inveroſimiliter, proindeque non audacter loqueretur, qui diceret univerſim, præfatas corporum aſſumptiones, apparitioneſque Chriſti Domini (ſi excipiantur illæ, quæ ad veritatem reſurrectionis probandam factę ſunt) fieri, non ſanè per Angelos, nec rurſus per ipſum realiter phyſicum Corpus Chriſti Domini in propria ſpecie, uti nec ſub ſpeciebus alienis; ſed per animam ipſius Chriſti Domini aſſumentem corpus ad munus illud formatum. Tum quia ſphæra

exiſtendi animæ latiùs patet, quàm ſphæra corporis, cum ſine illo vivere, & durare poſſit, & abſque alio ſubjecto; non ſic autem corpus abſque anima, aut alia forma: immò in ratione corporis organici, perſiſtere diu nequit ſine anima. Tum quia dum aſſumendum eſt divina virtute corpus ad repræſentandum Chriſtum Dominum, principalis cauſa aſſumptionis illius miraculoſæ eſt Verbum Divinum; & aliunde exploratum eſt ex Doctrina Divi Thomæ, cauſam principalem per ſe primò operari per inſtrumentum conjunctum, potius, quàm per extraneum, ſive extrinſecum; adeoque Verbo Divino attribuenda eſt principaliter ea aſſumptio activè facta à tota Trinitate beatiſſima, & inſuper Verbo etiam peculiariter in ſenſu formali unionis mediatæ. Aliunde nequit eſſe iſtrumentum illius aſſumptionis integra Humanitas, quoniam corpus animatum, aſſumere nequit aliud; & quia ſic jam illius præſentia realis in propria ſpecie viſibili adeſſet, fruſtraque aliud aſſumeret, ut fieret viſibile: & quia aſſumere corpus, proprium eſt ſolius ſubſtantiæ ſpiritualis, conſequenterque nec integra Humanitas Chriſti Domini ut Sacramentaliter exiſtens poteſt verè, & ſtrictè aſſumere Corpus myſticum. Perſpicua ergò illatione ſubinſertur, ſolam animam Chriſti Domini quà Verbo Divino hypoſtaticè copulata corpus illud aſsumere. Tum quia, licet credatur, Corpus Chriſti Domini replicari non poſſe Sacramentali modo, niſi per converſionem; anima tamen glorioſa ejuſdem, cum amplitudine majori exiſtendi gaudeat, ut oſtendimus, à fortiori eſt etiam amplior ejus capacitas ad alios replicationis modos extra Euchariſtiam; ſine converſione ſcilicet, dum præciſivè à corpore naturali aliud aſſumat (quantumvis decretum ſit, numquam aliter juſtum aſſumere, niſi per ſumptionem Euchariſtiæ, ad cujus exiſtentiam prærequiritur per ſe tranſubſtantiatio) Ita tamen ut id fiat ſolùm raró, ſicut revera ſunt peregrina ejuſmodi apparitionum miracula. Quoniam perenniter de facto fit tantùm in effectu Euchariſtiæ per converſionem ſupra explicatam.

Præſertim cum re ipſa ponatur in Euchariſtia non per converſionem formalem, directamque ipſius, ſecundum quod anima rationalis eſt, cum ſub eo ſenſu veniat ſolùm per concomitantiam; quamquam præſuppoſitivè dicat converſionem ſubſtantiæ panis in corpus proprium ipſius. Et ex alia parte non abſimilis ratio comitantiæ reperiatur in aſsumptione corporis, in quo apparet (tametſi converſio nec adſit, nec præſupponatur) ſiquidem Verbum eſt principale aſſumens in eis apparitionibus, ut nuper dicebam, cui eſt intimè copulata Humanitas Chriſti Domini, & quamquam vi hujus unionis Humanitas nequeat adeſſe realiter, ubicumque adeſt Verbum, ob inadæquationem unionis ſ. primo explicatam; ubi tamen Verbum poſt Incarnationem aſſumere vellet corpus ad repræſentandum Chriſtum Dominum ipſum, neceſſariò debet afferre ſecum ex debito unionis, inſtrumenti conjuncti, & veluti juris, Humanitatem, ut ex ſupra adductis liquet; ratione cujus debiti, aut connexionis in ordine ad illum finem, aut effectum, jure meritò dicitur venire quaſi per concomitantiam in acceptione aliqua propria; at nequit venire integra Humanitas ad aſſumendum aliud corpus, ut nuper vidimus, & quia cum deſerere non debeat Cœlum, opus foret ingenti miraculo replicationum circunſcriptivarum, ubi ultra replicationem concurrit novum miraculum in modo exiſtendi circuoſcriptivo in diverſis locis ſimul. Ergo ſola anima.

Tum quia dum apparitio Euchariſtica non eſt, ægrè exuere valet aliter deceptionis alicujus notam, poſſetque idcirco impietas, ſive politicorum hominum licentia producere illud Thren. 2. verſ. 14. *viderunt autem ſibi aſſumptiones falſas*. Tum quia licet utrumque ſit poſſibile, ardentiorem tamen affectum oſtenderet illi, cui inopinato adſtat, ſi anima ipſa Chriſti Domini ſiat realiter præſens, quàm ſi per Angelum duntaxat eidem appareat. Tum quia hac ſemita verificatur adoratio abſoluta, numquam per Corpus ab Angelo aſſumptum verificanda. Tum quia cum anima exiſtat ſolùm definitivè, latiùſque ſe diffundat ſphæra exiſtendi ejus, quàm Corporis, ut dictum eſt, nullo pacto ſequitur, quòd Cœlum deſerat, per hoc, quod anima replicetur; ſicuti non deſerit Cœlum per hoc quod ſacramentaliter replicetur infinities Corpus, ut animatum. Si namque de carne illa divinitati unita, verum eſt illud Algeri lib. 1. de Sac. cap. 15. *Corpus Chriſti non de loco ad locum tranſeundo, ſed ibi, ubi eſt, remanendo; & alibi, ubi non erat, exiſtendo tota, & integra ſubſtantialiter ſit in Cælo, & in terra*. Quid de anima ejuſdem tanto ſublimioris ordinis ſentiendum? Præſertim cum illam habere in manibus paratiſſimam dixerit alicubi nomine Chriſti Domini Regius Propheta. Et ſaltem id eſſe poſſibile compertiſsimum eſt; cur ergo factum removendum, cum per illud declinentur planè difficultates aſperrimæ utriuſque mutuò pugnantis opinionis? Quoniam jam non videtur extra Cœlum in propria ſpecie, vel Cœlum ipſum ſæpè deſerendo, vel circumſcriptivas præſentias replicando; quod refugit D. Thomæ ſententia. Neque fingit præſentem Humanitatem Sacroſanctam (ut opponit ſententia contraria) ubi nec ex integro, nec pænes potiſſimum conſtitutivum motoremque aſſumentem adeſt: nec animos expectatorum refovet amplexu aliquatenus fucato, & alloquio quaſi per legationem Angeli duntaxat miſſo; quoniam per realem animæ præſentiam ſalvantur in acceptione propria cuncta, quæ opinio adverſa

con-

congerit, ne liceat æxiſtimare, ut utar verbis Ciceronis lib. 2. de Divinit. *in delphicis oraculis aliquid non ſinceri fuiſſe*.

Num. 131. Hæc de apparitionibus, ut ſic, vel ut complectuntur non Sacramentales etiam, dicta ſint, vel per veroſimilem conjecturam, vel per ſimilitudinem accommodam. Verùm ſi de Euchariſticis determinatè apparitionibus loquamur, veroſimilius proculdubio mihi apparet, juxta principia D. Thomæ, aſsumptionem fieri ab anima Chriſti Domini ut inſtrumento conjuncto formante ſibi Corpus, dum ex parte objecti re ipſa adeſt, & videtur infantili ſpecie v. g. in qua movetur, ruit in amplexus, placidoſque, & ſuaviſſimos oculos conjicit in juſtum illum (non verò dum ſola caro, aut Sanguis conſpicitur, aut apparet). Ratio mihi valida ſatis, & ſpecioſa non minùs, eſt: quoniam Corpus illud neutiquam eſt tale per ludificationem videntis, nec in ſola ejuſdem imaginatione, ut ſupponimus, ſed verè, & realiter, verè inquam, in ea ratione generica Corporis externi, ſenſibiliſque; tametſi non verè tale in ratione ſpecifica Corporis humani, ut colligitur ex D. Thoma 1. p. q. 51. art. 2. traduntque Doct. Eximius lib. 4. de Angelis cap. 33., & ferme omnes Scholaſtici. Jam ſic: Corpus illud viſibile non eſt ipſum Chriſti Domini in propria ſpecie Corpus naturale, ut convincit S. Thomas, & ex ipſo ſtreuuè communis Theologia argumentis ſupra delibatis, aliiſque, videndis apud Scholaſticos; & præterea Corpus illud ſupponitur, & eſt verè aſſumptum ab aliquo motore intimè illi præſente. At nequit ab alio aſſumi, quàm ab anima Chriſti Domini ut inſtrumento Verbi Divini: ergo &c.

Majorem quoad primam partem probatam deiümimus ex doctrina Theologorum, ex ſupradictis. Secunda verò ejuſdem pars eſt etiam omnium, & quidem utriuſque ſententiæ oppoſitæ, cum apud cunctos, aut ſit Corpus Chriſti Domini, aut corpus aſſumptum. Etenim corpus illud, quod apparet, movetur phyſicè, elicitque operationes apparenter vitales, Chriſtum Dominum exprimentes; eſt autem manifeſtum, id numquam effici niſi à motore aliquo intimè aſſiſtente, & corpori illi unito, quo utatur tamquam proprio: cum nihil aliud ſit corpus aſſumi, ut docet Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 51. art. 2. ad 2. alibi laudatus, dum ait: *Corpus aſſumptum unitur Angelo, non quidem ut formæ, neque ſolùm ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum. Sicut enim à Sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur: ita corpora ſenſibilia Divina virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibilis proprietates, & hoc eſt Angelum aſſumere corpus.* Unde quamvis per inſigne miraculum evenire poſſet, juxta plures, ut corpus ſenſibile hic divinitus formatum moveatur, exerceaturque per ſimiles operationes apparenter vivas, & apparentes veluti ab intrinſeco natas, ſolo influxu præſtito à Chriſto Domino ex Cœlo ipſo, ſive moralis, ſive phyſicus eſſe poſſet influxus ille (quod revera abſque fictione difficulter concipi valet) & tunc nulla extitiſſet vera aſſumptio, quia deeſſet præſentia intima motoris ad mobile; verumtamen, ut advertit Eximius Doctor lib. 6. *de Angelis* cap. 21. numero etiam 21. *hoc miraculum tunc neceſſarium non eſt, nec cum fundamento affirmari poteſt, etiamſi in aliis rebus gravioribus interdum illo modo Chriſtus Dominus operetur. Tum quia Angeli etiam ſunt miniſtri Chriſti Domini ut hominis, & ideo magis decet, ut per illos ejuſmodi opera fiant. Et eadem eſt ratio de apparitione imaginaria.* Id autem, cum ſimpliciter credi nequeat, multò minùs credibile eſſe valet, dum corpus aſſumendum formatur intra ipſa accidentia Euchariſtica, intra quæ latet realiter Chriſtus Dominus ipſe.

Adde, numquam aliter ſecuros nos eſſe poſſe de aſſumptione corporum ab Angelis dum illi hoc ipſum non exprimerent ſignatè, quod minimè fecere ſæpiſſimè, ſed unicè locuti fuere nomine Perſonæ Divinæ, vel illius, quam exprimere ea aſſumptione ſatagebant, ut apparet ex ſacra pagina. Eaque de cauſa ſub lite, & ſub judice manſit poſteris, aſſumpſerit, ne, corpus illud Angelus per ſe immediatè, an interdum ſe ipſa Perſona Divina? Sub lite, inquam, ab ipſo mundi exordio conteſtata; numquam tamen dirempta. Quæ nequidquam inſtituta fuiſſet, ſi corpus illud poſſet moveri, & loqui apparenter, quin adeſſet motor intrinſecus, ſed unicè virtute Divina, & ab extrinſeco id fieret. Tandem difficulter admodum immunis fieret à deceptionibus, doliſque ejuſmodi apparitio, fingens intimè latentem motorem intra illud corpus, cum nullus adeſſet rector. Quemadmodum decepti ſine dubio fuiſſent Petrus, Jacobus, & Joannes, dum crediderunt præſentem in vertice Tabor animam Moyſis in Corpore aſſumpto (ſive proprio, ſive noviter conſtructo) ſi illa ut elevata ab omnipotentia divina è limbo, ubi aderat tunc, Corpus illud formatum moveret, per ipſum formaret voces, quibus loqueretur de exceſſu: arripuiſset enim ſibi locum deceptio in Theatro illo gloriæ, & inter fulgores Solis, irradiatus, & ementitus aliquis ſimulationis color transfiguraret ſe in candorem nivis.

Num. 132. Minor verò probatur robuſtiſſimis argumentis à prima ſententia, judicante, non fore alioqui adorandum ſupremo abſoluto cultu adorationis, ſicuti prius. Numquam ex toto denudandas fore apparitiones Euchariſticas à nota fictionis alicujus; quam ut fugeret S. Thomas conatus fuit inducere modum, quo verè diceretur

retur Chriſtum Dominum adeſse ibi, quamquam non in ſpecie propria, ſed ſub ſpeciebus Euchariſticis, ex quibus, admixtis aliis, reſultare dixit Corpus apparens. Quæ doctrina favet non parùm aſsertioni huic noſtræ: cum enim certum omnium confeſſione videatur, Corpus illud apparens eſſe verè aſsumptum ab aliquo motore intrinſeco: cumque rurſus Corpus Chriſti Domini, prout ibi ſacramentaliter latens, nullo modo aſsumere valeat illud, nec anima per Corpus; cum ſubſtantia immediatè aſsumens eſse debeat ſpiritualis, Corpus autem materiale eſt. Debeat inſuper movere Corpus aſsumptum, & per illud apparenter vitales operationes elicere; quod Corpori ſolùm ab anima propria vivificato, convenire nequit; non magis poteſt eſſe forma aſſiſtens, & motor aſsumens, quàm forma informans alterius Corporis, quod planè impoſſibile eſt.


Ulterius: accidentia, quæ ſuperadduntur, non ſunt Euchariſtica, ſive unita Chriſto D. ſacramentaliter exiſtenti. Ergo dum illa conſtituendo Corpus apparens moventur, nullo motore intimè ipſis copulato agitantur, adeoque poteſt pariter Chriſtus Dominus è Cœlo formatum Corpus movere; quod ex Doct. Eximio vidimus falſum. Immo ad operandum in accidentibus ipſis Euchariſticis, illa movendo miraculo alio foret opus. Rurſus eſſe nequit motor Verbum ſe ſolo, quoniam licet ad aſſumendum Corpus ex aere formatum Perſona divina opus non habeat forma alia, aut dono creato; prout exigitur in aſſumptione hominis juſti, ſufficiatque ibi adeſſe per communem modum præſentiæ in omnibus rebus, dum tamen ita aſſumitur Corpus, in quo apparet, neceſsariò reliquæ divinæ Perſonæ adſunt pariter ibi, moventque Corpus illud unà cum Verbo. Quapropter ſolùm dici poteſt apparitio unius Perſonæ divinæ, potiuſquam, alterius, quatenus omnes tres Perſonæ concurrunt ad propria, vel appropriata unius tantùm repræſentanda. Et aliunde in re noſtra non Verbi propria, aut appropriata directè exprimerent, aut intenderent, ſed præſentiam realem, Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus; ſolùmque latè, indirectè Verbum, & impropriè. Aſsumere autem Corpus diverſas Perſonas ad aliud à ſe repræſentandum, dedecere videtur; cum vel ad ſeipſas repræſentandas reputet decentius communior ſententia id fieri miniſterio Angelorum. Quoniam licet id efficere poſſit congruenter Verbum ſeipſo, congruentius attamen fieret ab ipſo media anima, ut inſtrumento eidem conjuncto intimè, & unà cum illo; præſertim cum aſsumat Corpus ad exprimendum veritatem exiſtentiæ Chriſti Domini in Euchariſtia 3. quia ut ſcitè docuit Eximius Suarez l. 6. de Angelis c. 2. *De Verbo ſecundum divinitatem certum videtur, numquam apparuiſſe poſt Incarnationem, niſi per Humanitatem, vel per aliquam ſpeciem* (ei, cui apparet infuſam, dum commutatio non ſe habet ex parte objecti), *quæ ipſum ſub Humanitate repræſentaret*. Ne ſcilicet illam diſseruiſse videatur. Dum autem per animam aſsumeret, jam defert ſecum ad Corpus aſsumptum nobiliorem Humanitatis partem. Et inſuper ei ut ſuppoſito præ aliis perſonis attribuitur apparitio illa. Anima ergo Chriſti Domini eſt, quæ aſsumit Corpus illud repentè formatum, per cujus aſsumptionem, & intimam præſentiam verificantur omnia, quæ deſiderat ſententia expoſcens præſentiam Chriſti Domini in propria ſpecie. Et aliunde ſi per animam aſsumentem ſalvatur veritas omnium propoſitionum, quæ circa apparitiones illas fiunt, uti & adorationis abſolutæ proprietas ſumma, perperam exigitur, quod Chriſtus Dominus deſerat Empyreum, ut circumſcriptivè adſit circa Hoſtiam. Ex quo ulterius fieret, quòd non poſset eodem momento in locis diſſitis apparere in Euchariſtia eo modo Perſonis diverſis. Vel quòd ultra miraculum replicationis, fiat ingens aliud duplicis ubicationis circumſcriptivæ; cum poſset idipſum obtinere per animam propriam aſsumentem præciſive à Corpore.

Tum ob fundamenta ſolidiſſima, quæ vulgata ſententia adducit adversùs apparitiones Euchariſticas in propria ſpecie; tametſi illa pariter deficiat in quamplurimis; & quidem ſi ſemel veras illas apparitiones credas, abſque reali præſentia Chriſti Domini vel ſecundum animam, vel ſecundum Corpus etiam; confeſtim ab apparitionibus hiſce tamquam à re nimium vicina, arguent Sacramentarii præſentiam tantùm figuratam Chriſti Domini in Euchariſtia, cum adſit in proximo exemplum adoratum, & adeo propè habitaret figura tantùm præſentiæ, aut ſignum illius: *jam proximus ardet Ucalegon*. Utriuſque igitur opinionis invicem dimicantis abſurda vitantur, per hoc quod anima tantùm Chriſti Domini ſit, quæ aſſumat corpus illud Parvuli, ibi formatum: & dum utraque partim cedit, partim victoriam obtinet, quin defectus converſionis ad eam aſſumptionem obſiſtat, ut in ſuperioribus oſtenſum fuit, dum anima per quamdam concomitantiam veniat ad corpus illud, quatenus Verbum eſt, quod principaliter illud aſſumit.

Ex quo ſuboritur congruentia alia non contemnenda pro hac aſſertione, conciliatrice diſcordiarum: ſiquidem cum Verbum Divinum ſit potiſſimum principium illius aſſumptionis, ſicuti exploratum eſt, illud numquam demiſiſſe, quod ſemel aſſumpſit, ita valde conſeutaneum apparet, ut nullum aliud corpus aſſumat, maximè ad repræſentandum ipſum Chriſtum D. (licet aſſumptio hypoſtatica minimè ſit) niſi per Humanitatem ipſam, ut inſtrumentum immediatè aſſumens, ut notavimus ſupra. Et cum aliunde integra Humanitas non ſit inſtrumentum ido-

ncum

neum ad aſſumptionem alterius corporis, ut manifeſtum nuper fecimus, idcirco anima ut inſtrumento conjuncto utitur convenientiſſimé ad eas apparitiones. Hæc dicuntur ad pugnaecm hanc litem arte aliqua non obvia compeſcendam, & ſimul ut aſſertio noſtra per provincias alias, & cauſas diffundatur; ea tamen concordia, aut doctrina non eget, ad ſui defenſionem, in ſuaque caſtra ſe recipit tutò, licet congrediantur inter ſe relatæ opiniones iterato. Ubi notandum, nihil prorſus officere opinioni noſtræ, licet admittatur pia illorum aſſertio ex privatis revelationibus orta, quòd nimirum ſpecies conſecratę (maximè poſt reſurrectionem ſumptæ) perſtiterint incorruptæ in pectore Deiparæ, uti & de quibuſdam aliis eximiæ ſanctitatis perſonis, maximè Virginibus ad tempus aliquod (toto enim vitæ tempore rariſſimè) traditur etiam; quoniam id probat tantùm, ultra animam Chriſti Domini ut ſeparatam, & aſſumentem, voluiſſe Chriſtum Dominum numquam ab eis ſeparari adhuc corporaliter. Et cum Virgines in Patria ſecuturæ ſint Agnum quocumque ierit; Agnus modò inſequitur nonnullas earumdem inſigni virtute florentes, ut paſcatur inter lilia, quæ paſcit ipſe.



DI-

DISPUTATIO NONA.

Num præfata unio animæ Deificatæ CHRISTI DOMINI *cum dignè illum ſuſcipiente in Euchariſtia duratura ſit æternùm in Patria? Quos fructus in eo fælicitatis ſtatu paritura? Et in quem gloriæ noſtræ ſcopum ſit directa.*

ANIMUS paulo adhuc majora; ab Eccleſia militante avolare cupit, & audet opinatio noſtra ad triumphantem. Nexum realem Viatoris ſanctè accedentis ad Euchariſtiam cum anima Servatoris noſtri diximus hactenus effectum potiſſimum dignæ ſumptionis illius; exquirendum modo reſtat, perſiſtat ne ejuſmodi conjunctio mirabilis in ſtatu etiam beatitudinis, tum ante in anima beata, tum poſt Corporis reſurrectionem micantiſſimam? Quoſque effectus ſortiatur in ea regione amoris, & laudis illa unio; futura alioqui magni quidem decoris, nullius tamen utilitatis. Si namque ex inſitione illa animæ Chriſti Domini in arbore animata Beati nulli fructus diviniores prodirent, nequidquam per miraculoſas replicationes pœne infinitas, insereretur. Præſertim cum aſſumptio tunc neceſſaria minime ſit ad regendam navem illam, in portu jam ſitam, & immotam, nec opportuna videatur eo titulo: quis enim prudens nauclerus ſedet in portu ſemper ad clavum fixus, ubi nulli fluctus, nulli hoſtés, nec alia ſpirat, quam fœlicitatis aura perpetua? Invehimus itaque aureum illum nexum in Empyreum, æternitatis incolam facimus. Verum ipſius tum gloriæ eſſentialis, tum accidentalis venientes occulto, & mirando tramite effectus, paucis exponimus, & multis quambreviter productis firmamus. Amor enim hic, divinus, ſeu amicitiæ vinculum, ultra aras etiam progreditur. Ab anima ſiquidem Chriſti Domini copulata anima Beati refunditur in hanc, vel potius infunditur illi eadem realiter viſio, qua motor ipſe redditur beatus; non ita ſane, ut penes totam ejus intenſionem, & profundiſſimos gloriæ vortices animam aſſumptam proluat, ſed juxta dignitatis proportionem, & menſuram duntaxat meritorum. Niſi quod titulo viſionis propriæ animæ Chriſti Domini incrementum beatitudinis veluti ex opere operato adducit. Idemque de reliquo apparatu actuum vitalium, qui perfectam beatitudinem complent ſentiendum: ex eodemque amne rapidiſſimo, & uberrimo derivantur in Corpus Beati rivi ſplendoris æterno impetu cadentes. E' fulgore namque Corporis naturalis Chriſti Domini redundat in Corpus myſticum aſſumptum copia lucis intenſioris juxta gradum viſionis, quem par-

ticipat,

ticipat, & jure ipſius debita, & quidem replicata pariter claritate, cum fit eadem numero, quæ Corpus naturale animæ aſſumentis illuſtrat, ut claritatis, quam dedit illi Pater, participes nos efficiat, uti promiſit. Non ſanè ex integro, quoniam inacceſſibilis eſt exuberantia illius, qui Corpora omnia beatorum inundat, ſed ſcintillam tantum, aut radium comparativè ad ipſum, quem non jam furtim ſubripiant Beati, ſed à Sole ipſo prodiga ſui effuſione mutuentur, tametſi ea ratione, qua violenti Cœlum rapiunt, fulgores illos ſpecie quadam rapinę per vim auferre dicantur.

Audemus ſupra vires, quin ſupra audaciam grandia quæque audentium, ut vel addendum foret viribus noſtris, vel adimendum animis. Nihilominus audentes ſpiritus reſumimus ex verbis Pauli ad Philippenſ. cap. 1. *plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent ſine timore Verbum Dei loqui*. In Domino itaque confidentes audacter diſſerimus de rebus Euchariſticis, & de vinculis, quibus nectitur cum Corpore myſtico anima ſacroſancta Chriſti Domini; non jam *ex contentione*, ut ibidem de nonnullis eorum fratrum narrat Apoſtolus; ſed animo ſyncero latentes in hoc myſterio glorias explorandi, & in apertum prodendi, in honorem, & gloriam ejuſdem. Quamquam enim auſus temeritatem præſeferentes recidendi ſint una cum pennis; non ſemper attamen audacia ſociam habet temeritatem, nec illius nota, aut character ſemper fuit; ſed interdum fortitudinis potius, ut docuit Arioſt. 3. Ethic. lect. 15. *ſimiliter enim, & audet fortis;* pronoſque ad audendum eſſe fortes, & bona ſpe ductos adjungit; licet, dum tranſvolat rationis terminos, aut metas, fortitudini etiam opponatur, ut tradit S. Thomas 2. ſecundæ q. 123. art. 3. ubi legendus Cajetanus. Propterea idem Doct. Angelicus in 3. diſt. 10. art. 3. ad. 5. pronuntiavit, audaciam quandoque optimam eſſe; etiamſi interdum excedat. Quamplurimum itaque valere in rebus humanis audaciam, ſæpiſſimè animadvertunt ſapientes paſſim, notatque ex Verulamio Doctiſſimus Cardin. Ptolæmeus in Theologia naturali diſſert. 14. Ethica ſect. 11. Ac ſubinde prudens aliquando, & digna laude audacia credenda eſt, comes plerumque magnarum rerum, præſertim dubiarum. Numquid unquam aliquid Heroicum, aliquid egregium, abſque audacibus ſtimulis factum? Quodnam immortale ~~facinus~~ abſque generoſo illo, ſive inſtinctu, ſive motu, confectum? Dummodo tamen de viribus propriis, neutiquam confidat, ſed innitatur ſolum divinis: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Sciteque idcirco advertit Comicus *audens ita eſto, ſit procul audacia*, ideſt temeritas, ſpecioſa audaciæ larva perſæpe inducta. Habet ſuos quoque audaces Dei providentia, quos juvat, maximè dum circa res divinas humiliter audent, auſus ſuos peritiorum judicio ſubmittentes, interimque animoſitate inſolita ardua omnia, quæ curſum remorari poſſunt ſtrenuè propellentes, etſi opponantur montes: *tu ne cede malis, ſed contra audentior ito*. Interim liceat nobis exorare Deum, ut olim Populus Bethuliæ. Judit. 6. *Oſtende quoniam non relinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute glorian tes, humilias*. Quo fretus.

Cœleſtis rationis opus deducere mundo.

Aggredior ..... Manilius lib. Aſtronom.

SE-

SECTIO PRIMA.

Aſſirmativa illius durationis immortalis ſententia breviter munitur. Et mirandus potiſſimuſque effectus ex ipſa copiosè derivatus, verbis CHRISTI DOMINI *& congruentiſſimis reflexionibus, firmatur.*

§. I.

Num. 1. NEXUM illum pretioſiſſimum, de quo diſſeruimus præterita diſſertatione prolixè perennaturum in Patria, decertaturumque cum ipſa æternitate, & beatitudine in exiſtentia, extra dubium erit ei, qui ſemel nobiſcum ſentiat, illum eſſe in ſtatu viæ præcipuum, immediatumque effectum Euchariſtiæ probè ſuſceptæ; dummodo mortis tempore nobilitaretur actu conjunctione illa, animamque Salvatoris foveret in ſinu, & corde. Porro quamvis prædicta unio ſit effectus potiſſimus proximus dignæ ſumptionis Euchariſtiæ; ultimò tamen illum ordinat ad finem optatiſſimum vitæ æternæ, uti & augmentum gratiæ, alioſque effectus proximos. Ultimus ergo ille finis, eſt quem per ſe reſpicit Euchariſtia, ut in illo ſummarum voluptatum loco, extra omnem curarum tumultum conſtituto fæliciter quieſcat, & objecto intimè unito intimè gaudeat. Id autem firmatur primò ex eis Evangelii locis, quibus Chriſtus Dominus promittit ritè manducantibus ejus carnem, & ejus ſanguinem bibentibus, corporum Reſurrectionem, æternam vitam in ſe habituros; immanentiam illorum in ipſo, & mutuam pariter ſui in eis; & quidem immanentiam, quæ æmulatur ineffabilem illam, & inſeparabilem inhabitationem Perſonarum Divinarum ad invicem. Nam hęc omnia eodem vigore, quo perſuadent eam conjunctionem realem perſiſtentem pro ſtatu viæ, probant, & ex ejus ſuppoſitione evincunt, illius perennitatem pro ſtatu beatitudinis, ad quem perfectiſſime aſſequendum dirigit omnia illa; ac proinde ad intimiorem, altioremque nexum cum Deo, & cum ipſo Chriſto Domino.

Secundò: quoniam finis proximus prędictæ conjunctionis eſt transformatio hominis in Chriſtum Dominum, ut ex dictis liquidò abundeque conſtat; hæc autem tantò ſtrictior, perfectiorque erit in Cœlo, quantum ſtatus beatitudinis ſuperat ſtatum viæ, certaminis, & laboris. A fortiori igitur unio illa, ut per æternitatem durans, erit effectus Euchariſtiæ finiſque ultimus in linea conjunctionis phyſicæ, quamquam ex illo profluant alii ſublimiſſimi, infra recenſendi. Tertio, quoniam germina, quæ ex illa unione æterna pullulant, ſunt planè neceſſaria ad verificandas Chriſti Domini promiſſiones, ut ſuadebunt mox dicenda, aliunde illa per ſe ſupponunt præfati nexus perennitatem, cum per ſe ex illa procedant. Reſurrectio enim, quam diſertis verbis pollicitus eſt Chriſtus Dominus ſuſcipienti aptè, & reverenter Corpus, & Sanguinem ſuum (ultra jus ad eamdem reſurrectionem reſultans ex gratia & gloria animæ beatæ, quas per alia etiam Sacramenta, & media, comparat) nequit illi conferri eo præcisè titulo, quod anima Salvatoris fuerit illi unita in via: quemadmodum nec ejuſmodi reſurrectio glorioſa ſimpliciter accepta conceditur ob ſolam inhærentiam gratiæ pro ſtatu viæ, niſi illa poſt mortem ſimul cum anima tranſiret, pereretque gloriam eſſentialem; ſic igitur præſuppoſita ſemel aſſertione noſtra, præcedente diſputatione fundata, nec anima juſti poſtulare jure poteſt reſurrectionem titulo dignæ ſumptionis Euchariſtiæ, ni poſſideat actu ſibi copulatam animam ſanctiſſimam Chriſti Domini, tempore quo reſurrectio Corporum Divina virtute ictu oculi efficienda ſit. Similiterque gloriam eſſentialem ex eo capite obventuram Beato, uti & dotes corporis glorioſi, nullo pacto obtinebit (licet ſimpliciter beatitudinem, & dotes, ex alio debito ſibi vendicet) niſi habeat ſibi conjunctum intime ſpiritum illum aſſumentem, è quo derivanda eſt in ipſum, quin moralitas ſufficiat, ut conſtabit ex progreſſu diſputationis fuſius: eſſet enim rivum ducere abſque fonte, poſſeſſionemque, aut uſum rei poſtulare, tamquam ſibi debitum abſque jure, quod actu ſit, ſed quod fuerit remote quondam, actu tamen extinctum eſt; quo nihil magis à jure alienum.

Quarto quoniam unio illa imitatur quodammodo, & ſi non ex integro, hypoſtaticam, hæc autem numquam dimittit, quod ſemel aſſumpſit, ſive in tempore, ſive in æternitate; niſi quod hypoſtatica ex utraque parte inamiſſibilis eſt; unio verò animæ Chriſti Domini cum corpore myſtico poteſt ſanè amitti in via ex parte communicantis, ſi poſtmodum deficiat in via ipſa, & hoſpitem, & gratiam ſimul ejiciat turpiter; nequaquam verò ex parte animæ aſſumentis, & Verbi divini per illam: didicit enim immutabilitatem ab eodem Verbo, cui hypoſtaticè conjuncta eſt, & ex conſortio intimo cum divinis attributis eadem perfectè æmulatur: ſicut facies Moyſis ex conſortio lucis ſplendorem didicit.

Num. 2. Probatur quintò, quia cum paſſim aſſeratur ab Scholaſticis, eumdem numero amorem ſupernaturalem, quo Deum proſequitur anima juſti corpus deſerentis, permanere poſſe in beatitudine, etiamſi amor ex viſione beata naſcens ſit tanto ſublimior, ardentior, & præſtantior: pariterque ſpecies, & habitus aliqui; nulla apparet cauſa, ob quam unio animæ juſti cum anima Chriſti Domini per Euchariſtiam ſan-

ctè

ctè acquiſita, permanenterque, uſque ad ultimum vitæ morientis halitum, perſeverare non debeat, tametſi ratione perfectioris ſtatus, & luminis gloriæ concipiatur eo ipſo intimior.

Sextò: quia cum inſigne aliquod, juxta omnium ſententiam, exiſtere debeat in beatitudine, quo nobilitentur, & diſtinguantur illi, qui ad menſam Euchariſticam debitè acceſſerunt, quod neutiquam reperiatur in aliis Beatis, qui ad eas epulas invitati non fuerunt, vel convivio adeſſe non licuit, etiamſi invitati ſupponantur, nullum aliud excellentius, opportuniuſque nexu illo excogitari poteſt, ex hypotheſi, quod præextiterit in via, ut hic præſupponendum ex præterita diſputatione, ſine qua nullus foret locus præſenti. Quibus accedit, ornatum illum futurum tanti decoris, & gaudii Beatis Euchariſticis, ut vel eo ſolùm titulo (ſi ſolus ille umquam eſſe poſſet, aut cogitari) congruentiſſimè illis beatitudo deberetur.

Septimò: quoniam S. Getrudes Mansfeldenſis refert lib. 4. inſinuationum divinæ pietatis cap. 62. ſe audiſſe miſſam in Empyreo: *& quod ineffabili unione ipſam etiam ſpiritualiter ſanctiſſimi Corporis, & Sanguinis ſui perceptione ſibi connivit Chriſtus*. Ubi manifeſtum eſt, eam viſionem fuiſſe imaginariam, nullamque realiter extitiſſe in Cœlo conſecrationem, nec ſacrificium Euchariſtiæ; ſed viſionem illam denotaſſe tantùm unionem animæ Chriſti Domini cum animabus Beatorum, qui in ſtatu viæ illum ſub ſpeciebus panis, & vini avidiſſimè receperunt, perſiſtentem in beatitudine, eamque Virginem, cui Cœlum tunc patebat, participem factam eſſe illius conjunctionis, (dum ſuſcepiſſet realiter præcedenter vehementiſſimis affectibus Euchariſtiam) ipſamque permanſuram in Cœlo. Quapropter nullius momenti foret paritas gratiarum actualium, quæ per ſuſceptionem condignam hujus Sacramenti conferuntur actu, vel indebito, dum ſcilicet urgeat bellum inviſibile (ſed crudele), quæ non propterea debent conferri in beatitudine. Quandoquidem pleræque illarum neceſſariæ tantùm ſunt, aut utiles pro tempore pugnæ, ſive periculi, ſuntque veluti arma militiæ; ac proinde ſuperflua omnino in Patria ſecuritatis: quippe quæ nec ornatum, nec utilitatem afferunt, nec inhærent permanenter animæ, ſed actu, raptim, data occaſione, & opportunitate, & adinſtar fulminis, quod inopinato terret, urit, fumat, & abit.

Num. 3. Accedit octavò, ratio veluti à priori, promiſſio ſcilicet Chriſti Domini, Joan. 6. qua apertè aſſeruit, ſe reſuſcitaturum debitè ſumentem Euchariſtiam: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Cæterum quo pacto verificatur re ipſa promiſſio hæc, cum reſurrectio corporis debeatur ratione beatitudinis animæ, conſequenter non minùs debeatur glorioſa corporum reſurrectio Patribus veteris teſtamenti, reliquiſque Beatis, qui numquam deguſtarunt panem Euchariſticum, ſed ejus tantùm figuram in manna, qui propterea mortui dicuntur à Chriſto Domino in ſenſu aliquo, in quo non morituros affirmat, qui eſcam divinam ſumpſerunt: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut, ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur*; quam frequenter, & aptè communicantibus? Profectò adimpletionem illius promiſſionis exponere per novum duntaxat jus ad eamdem reſurrectionem, aliunde etiam debitam; ut plerumque faciunt Scholaſtici, futilis cujuſdam evaſionis ſpeciem præſefert, potius quàm ſolidæ reſponſionis, ut nonnulli eorumdem obſervant; quantumvis circa veram rationem, aut viam dignè evadendi, altè ſileant. Si noverint Sacramentarii, nihil aliud tanto apparatu rationum, & inculcatis verbis pollicitum fuiſſe Servatorem noſtrum manducantibus ejus carnem, quàm novum quemdam titulum largiendi ipſis illamet, quæ præciſivè ab eo debentur illis infallibiliter aliis titulis; non ſine fiducia, & nova audacia aſſurgent in realem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub accidentium velo, ut parum utilem, ſi non ſimpliciter inutilem, cum miraculorum, & difficultatum ſumptus ſint quammaximi; fructus verò percipiendi perquam minimi. Demum in nullo vero ſenſu Patres illi, qui manna de Cœlo ſuſceptum manducaverunt, mortui fuiſſent, in quo non moriantur & illi, qui ſuſcipiunt debitè Euchariſtiam; aut in nulla vera acceptione viverent hi, in qua illi pariter non viverent.

Judicamus itaque ultra novum illud jus ad reſurrectionem glorioſam corporum cum anima ſua, exiſtere reſurrectionem aliam, corporum ſcilicet eorumdem cum anima Chriſti Domini, quà Verbo divino unita, ut aſſumente illa, intimeque eis præſente per modum formæ aſſiſtentis; quæ reſurrectio diſtincta realiter ab ea, ab eademque ſeparabilis, & in multis ſeparanda, non aliter quàm per ſumptionem condignam Euchariſtiæ obtineri poteſt, nec jus ad illam ex alio capite reſultare valet: eſtque reſurrectio altioris partim ordinis, tametſi debeat ſupponere aliam, aut includere, ne alioqui ſit reaſſumptio corporis mortui: & rurſus, quia præexiſtit unita animæ ejuſdem reſurgentis, proindeque unà cum ipſa reaſſumit corpus. Ecce realem hac via, & ſublimiſtimum reſurrectionis effectum media ſolùm reali præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini comparandum: ex quo colligantur inſuper fructus alii ſuaviſſimi, rari, & digniſſimi exceſſu, & veluti æſtro amoris, quo Chriſtus Dominus inſtituit Euchariſtiam, & reliquit in ipſa velatam ſui corporis, & ſanguinis præſentiam phyſicam. Et ecce tibi ſenſum, in quo veteris teſta-

menti juſti genus aliquod vitæ divinæ aſſiſtentis numquam aſſequentur; ſed illa in æternum privati erunt, qua gaudebunt juſti, qui eſcam figuratam per manna manducaverunt. Inſignis proculdubio Euchariſtiæ excellentia! copioſa reſtitutio vitæ deperditæ per eſum pomi vetiti! ex illa enim colligitur ſuperabundantia illa vitæ, quam Chriſtus Dominus induxit in homines: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Joan. 10. & ideo Joan. 6. hortatur nos, ut operemur *cibum, qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*. Cibus eſt ipſe Chriſtus Dominus cujus humanitatis præſtantius conſtitutivum, nempe anima, permanet æternum intra digniſſime ſumentem, & non tantum effectus alius à cibo adæquate diſtinctus.

Num. 4. Utrumque ſtatum hujus unionis adumbraſſe videtur Magnus P. Auguſtinus ſermone 112. de tempore, ubi dum comparat vitam noſtram arbori in hyeme, & in æſtate, ſubjungit, conferens duos illos ſtatus; *Si hyems noſtra Chriſti occultatio eſt; æſtas noſtra Chriſti revelatio. Mortui enim eſtis, inquit Apoſtolus, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Certè mortui, ſed mortui ſpecie, non radice. Attende autem venturum tempus æſtatis, quomodo ſequatur, & dicat: cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Eja ergo dilectiſſime Deus, hoc mihi tecum pactum, planè moriar mihi ipſi, ut tu ſolus in me vivas: totus intro me ſilebo, ut tu loquaris in me: totus quieſcam, ut tu ſolus opereris in me*. Vides, Auguſtinum utrobique docuiſſe, Chriſtum Dominum eſſe vitam noſtram, hic abſconditè, ibi apertè: & quidem ea proprietate, & ſtricta ratione, ut ille in nobis intimè operetur, & vivat in nobis. Hoc autem per gratiam ſolùm hic, & ibi per lumen gloriæ, quæ nobis meruit ſanguine ſuo, minùs propriè aſſeveratur, & quaſi per metaphuram, ut compertum videtur, quia reipſa eſt vivere ſolùm per gratiam, aut qualitatem nobiliſſimam ab illo in nobis productam. Neque de Chriſto Domino, ut Deo tantùm loquitur, cum aſſerat verba Apoſtoli dicentis, vitam noſtram eſſe abſconditam cum Chriſto Domino in Deo, ubi utrumque diſtinguit, Euchariſtiamque deſignat, ſive eius effectum per vitam noſtram cum Chriſto Domino, abſconditam in Deo. Et nihilominus unionem illam cum Chriſto Domino extituram dicit in vere florentiſſimo illo, uti & de præſenti, quantumvis in hyeme. Neque aliter commodiùs, veriùſque accipi poteſt, quàm per unionem animæ capitis noſtri in ſtatu beatitudinis cum eis, qui eum abſconditum nubecula parva accidentium apprimè diſpoſiti ſuſceperunt.

Accinit D. Thomas dum 3. p. qu. 83. art. 5. ad octavum loquens de ſignificatione Particulæ ſacræ, quæ in calice mittitur à Sacerdote celebrante, inquit: *Pars oblata in Calicem miſſo, Corpus Chriſti, quod jam reſurrexit, monſtrat; ſcilicet ipſum Chriſtum, & beatam Virginem, vel ſi aliqui alii Sancti cum Corporibus jam ſunt in gloria*. Et eadem repetit in reſponſione ad nonum; ſignificat ergo particula mixta Sanguini ſtatum beatitudinis non ſolùm Corporis naturalis ipſius Chriſti Domini, ſed etiam myſtici, aut membrorum, quæ nunc ſunt Corpore in Cœlo, & quotquot erunt poſt reſurrectionem. Deinde certum eſt ex dictis ſæpiſſimè, & ex omnium ſententia, mixtionem illam Corporis, Sanguinis deſignare unionem animæ Chriſti Domini cum ſuo Corpore reſumptam in reſurrectione, ejuſque immortalem durationem: ideoque in liturgia S. Jacobi, dum pars illa Hoſtiæ mergitur intra Calicem, profert hæc verba Sacerdos *Unio Sanctiſſimi Corporis, pretioſi Sanguinis Domini, & Dei, ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*, adjungitque poſt mixtionem; *unctum eſt, & ſanctificatum, & conſumatum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Certum, inquam, quia per Sanguinem denotatur anima, cujus ille eſt ſedes; tum etiam, quia cum Sanguis fuerit ſeparatus à Corpore in morte cruenta, reunio utriuſque importat reunionem animæ. Unde Micrologus de Eccleſiaſticis obſervat: cap. 17. de eadem Sacra Particula Sanguini admixta loquens, ait: *ad deſignandam Corporis, & animæ conjunctionem, & reſurrectionem Chriſti*. Cum igitur Corpus illud, quod ſignificatur unitum, non ſolùm pro ſtatu præſentis vitæ, ſed ſtatu etiam beatitudinis, ſit, & Corpus naturale, & Corpus myſticum, ut oſtenſum eſt, & eſt omnium votis exploratiſſimum, neceſſaria conſecutione elicitur, ſignificari per eam mixtionem nexum animæ Chriſti Domini cum Beatis, qui Corpus naturale ipſius condignè receperunt in via. Non enim innuere poteſt ſolam unionem animæ propriæ ſingillatim cum ſuo Corpore, quæ ſit iterato in reſurrectione. Tum quia per Corpus myſticum copulandum deſignatur jam Corpus animatum Spiritu proprio illius Corporis; alioqui Corpus myſticum non erit, ſed merum cadaver. Tum quia per Sanguinem Servatoris noſtri non denotantur animæ rationales ſingularium hominum, ſed anima Chriſti Domini ſolùm, cujus intrinſecam conjunctionem cum Corpore myſtico pro ſtatu etiam beatitudinis adumbrat, cum ibi perficienda ſit mira illa transformatio, quam intendit Euchariſtia, & poſſidet in ſumma perfectione gloria, in qua quilibet Beatus Euchariſticus vera Chriſti Domini effigies erit...

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Hanc ſingularem reunionem Corporis myſtici (ſtrictiori modo talis, nempè Euchariſtici) in reſurrectione, proindeque aſcenſionem ad Cœlum poſt diem judicii animæ Chriſti Domini in Corpore etiam myſtico præfato, denotaſſe videtur idem Salvator Joann,

ann. *6.* dum videns Diſeipulos ægrè ferentes promiſſam inſtitutionem hujus arcani, dixit: *hoc vos ſcandılizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Ubi mirabilem aſcenſioncm ſuam in Corpore proprio phyſico apertè quidem deſignat: at non ſolam eam, quippe quæ ſola parùm conducens apparet ad coociliandam fidem maximo huic ſecreto (uiſi aliquateuus juxta expoſitionem inſinuatam diſp. 2.) ſed aſcenſionem ſimul animæ illius in Corpore Euchariſtico. Propterea dum in act. Apoſt. cap. 1. deſcribitur ſtupenda ejus Aſcenſio, animadvertit S. Lucas, quòd comediſſet cum Diſcipulis: *convefcens... Elevatus eſt &c.* Quem locum exponens Magn. Gregor. Homil. 29. in Evang. inquit: *notote verba, ſignate myſteria: convefcens elevatus eſt. Comedit, & aſcendit.* Verùm quid couferre potuit comeſtio illa Euchariſtica, vel illam proculdubiò ſignificans, ad myſterium Aſcenſionis credendum, cum illud viſuri eſſent protinus propriis oculis? Vel quid Aſcenſio ad fidem Euchariſtiæ? Multum ſauè, ut ex illa in eis circumſtautiis facta crederetur Aſcenſio illius in Corpore etiam Euchariſtico tamquam effectus proprius eſus divini, qui aſcenſiones in corde diſponit ad viam, & exequitur ad Patriam.

Num. 5. Ex aſsertione hac pullulat alia affirmans, nexum præfatum non modò reperiri nunc inter juſtum pane vitæ refectum, & animam Chriſti Domini; nec ſolùm futurum in ſtatu beatitudinis poſt reſurrectionem Corporis; verùm & inter animam ipſam Chriſti Domini, & animam Beati, antequam per reſurrectionem iterato uniatur Corpori proprio: conſequenterque de facto in Cœlo copulatam eſſe animabus illis, quæ cæleſti pabulo nutritæ, realem conjunctionem cum anima Chriſti Domini retinebant, dum carnis propria vincula rupere. Non quia anima, aut Spiritus creatus valeat perfectè, & in toto rigore aſſumptionis aſſumere alium Spiritum nudè ſumptum per ſe directè, præciſivè à Corpore; ſed quia ſaltem ſemel ac Verbum Corpus animatum, aut ſuppoſitum aſſumat media anima Chriſti Domini ut organo ipſius, elevetque ad ordinem hypoſtaticum aliquatenus; minimè debet animam illam ſemel intra Corpus aſſumptum unà cum illo deſerere; quamquam deſerat Corpus mortuum, ut forma cadaverica introducatur, quia abeſt anima, quæ debebat in Corpore per actiones, & paſſiones repræſentare Chriſtum Dominum: & licet Corpus ſit quod aſſumatur; ratio tamen aſſumendi eſt anima ut potens elicere expreſsionem illam in Corpore, & imaginem ſculpere, & ſine qua Verbum nequit exiſtere oovo modo in Corpore. (Alia tamen ratio militat in Corpore Chriſti Domini hypoſtaticè uoito. Nec enim eſſe debet par huic aſsumptioni illa). Proindeque comitatur eam ſemper unitim anima Chriſti Domini, adhuc ſeparatam à proprio Corpore, quaſi per accidens, aut interim donec illud reſumat in reſurrectione. Quemadmodum Verbum aſſumpſit hominem, ut expediens erat ad redemptionem Mundi. In ſeparatione tamen per mortem facta, perſtitit nihilominus unitum animæ (quamvis etiam Corpori, quia unio erat hypoſtatica, & Verbum ſubſiſtentia utriuſque). Revera tamen doctrina communis in ſubjecta materia loquitur ſolùm de aſsumptione Corporis de novo formati ad aſſumptionem, non autem de Corpore vivo aſſumpto; cum de hoc compertiſſimum ſit, Verbum per prius, licet non tempore, aſſumpſiſſe animam Chriſti D., quàm Corpus. Tametſi Corpus debeat aſsumi unà, ut aſſumptio eſt viſibilis. Quamoptimè ergo perſeverare per ſe valet aſsumptio in anima ſeparata.

Hæc illatio colligitur ex prope omnibus ſundamentis, quæ jecimus ad primam aſsertionem ſtabiliendam. Et ſane inamiſſibilitas unionis ex parte animæ Chriſti æquè urget pro ſtatu animæ juſti ſeparatæ, & glorioſæ, ac pro ſtatu animæ Corpori unitæ, ſive in Patria, ſive in via, & ſic de reliquis fundamentis. Neque adduci poteſt peculiaris aliqua repugnantia exiſtentiæ illius nexus pro ſtatu ſeparationis. Quòd enim unio in ſtatu viæ fiat non ſolùm cum anima juſti, ſed inſuper cum ejus corpore, corde, aut ſede etiam meotis, adeoque non verſetur præcisè inter animam Salvatoris, & animam communicantis ſecundum ſe; ſed cum illa ut actu vivificante Corpus: nihil obeſse poteſt conjunctioni, aut unioni cum ipſa ut ſeparata; ſiquidem anima Chriſti Domini copulatur juſto illi per duplicem præſentiam, aut nexus partiales, quibus utrique affigitur, & utrumque aſſumit. Quare licet perſiſtere nequeat partialis unio cum Corpore, dum illud vita privatur, ea verò, quæ intimè conjungitur aoimæ, nullo jure deficere debet; maximè cum ad effectus poſtmodum elucidandos neceſsaria ſit. Immo etſi unio illa adæquatè deficiat, eo quod credatur una indiviſa; conſentaneum attamen eſt, & prorſus debitum, ut anima Chriſti Domiui novam ſui unionem cum anima, quæ ſeparatur exitu fortunatiſſimo à Corpore, producat: cum jam ſequatur per ſe ex effectu Euchariſtiæ ejuſmodi neceſſitas, quæ neutiquam erit propriè aſsumptiva, nec aſsumptio nova, ſed veluti continuatio præcedentis, vel ſubſtitutio hujus loco illius.

Secundò, quia potiſſimus finis Chriſti Domini in ea conjunctione eſt anima ipſa fidelis aſsumpti, quæ novo modo, nullatenus pervio, nec acceſſibili reliquis, qui panem vitæ numquam manducarunt, reddit ornatam, conſpicuam, & glorioſam, quantumvis oouiſi intra Corpus, & unà cum illo per ſe primò aſsumatur. Proindeque illam ſequi debet, adhuc in ſtatu ſeparatioois, eum illam præcipue intendat. Tertiò: quo-

Qqqq 2 uiam

niam extra dubium eſt, poſſe Angelum impellere de loco in locum animam ſeparatam, illamque aliquo modo ad operationes movere, eam ſibi intimè conjungendo, & ſubordinando, & ſaltèm imprimendo ſpeciem excitantem, uti & per illuminationem naturali virtute; divinitùs verò illam planè movere poteſt immediatè ad operandum, quamvis propriè non aſſumat. A' fortiori ergò id ipſum competit ſuperiori modo animæ Chriſti Domini, cum ſit caput hominum ſecundùm integram Humanitatem, præcipuè tamen ratione animæ, quà unitæ Verbo Divino; & aliundè caput influit per ſe in cuncta membra. Ideoque primo Joann. dicitur: *de plenitudine ejus omnes accepimus*: quod probat Sanctus Thomas tertia part. quæſt. 8. artic. 1. influitque potiſſimè in animam propriam corporis myſtici, & veluti ſecundario ſolùm in corpus, ut oſtendit ea q. 8. art. 2. Sanctus Doctor his verbis: *influit in hominem, quantum ad animam, & quantum ad corpus; ſed principaliter quantum ad animam, ſecundario quantum ad corpus*. Quo jure igitur deneganda animæ beatiſſimæ Chriſti Domini facultas hæc relatè ad animam, cui erat realiter intrinſecè copulata, dum corpus vegetaret, maximè cum non primo illam tunc ſumat ad ſe, ſed retineat præcedentem aſſumptionem illius ut informantis corpus?

Quartò: quia notum eſt ex quamplurimis revelationibus, & Sanctorum Hiſtoriis fide dignis, ſæpiſſimè Chriſtum Dominum comitatum fuiſſe animas eximiè juſtorum exeuntes à corpore, & in Empyreum avolantes. Deduciturque ex illis verbis Cant. Cantic. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Quod tam de Deipara, in cujus tranſitu glorioſiſſimo adfuit Chriſtus Dominus, comitaturus ipſam, quàm de anima ſancta uſurpant omnes; *innixaque* dicitur amato, quia hæret illi realiter, inſtar hæderę muro adhærentis, à quo ſuſtinetur, per quem ſtat, ut explicat Cornelius à Lapide: proindeque omnimoda cum proprietate concipitur in eis verbis conjunctio realis animæ, quæ in Cœlum progreditur, cum dilecto ſuo illam geſtante, & ſibi intimè ita conjungente, ut licet non reſultet ex utroque verè unum, coaleſcat attamen, & emicet novum aſtrum Geminum.

Num. 6. Comitatus autem ille intelligi commodè nequit factus à Chriſto Domino in proprio corpore, cum nec penes illud Cœlum deſerat, nec cum ipſo circumſcriptivè replicetur paſſim, ut notant, vel ipſimet, qui circumſcriptivam bilocationem credunt poſſibilem, cum hoc adjungat novum miraculum quammaximum, & minimè neceſſarium, dum abſque illo verificari poſſit. Neque per Angelum aſſumentem corpus, in quo repræſentet Chriſtum Dominum, cujus nomine comitetur fæliciter euntem animam; quoniam ejuſmodi apparitiones Chriſti Domini per Angelos ipſum exprimentes, ægrè depurari poſſe ab ſpecie dòli alicujus, aut deceptionis, oſtendimus præterita diſp. ſect. ultima. Ubi planum fecimus, opportuniùs, veriùſque eam aſſumptionem fieri per animam ipſius Chriſti Domini. Idque urget magis in præſenti cauſa, cum ex dictis in ea diſputatione, præſupponatur in hac conjunctio animæ Salvatoris cum juſto illo moriente; conſequenterque fruſtra illa ſubſtitueret Angelum, qui in corpore aſſumpto comitaretur aſcendentem in Empyreum egregiam illam animam, cum poſſet ipſa faciliùs, & ſine novo ſimpliciter miraculo eam deferre.

Non aliter ergo meliùs explicatur comitatus ille, & veritas earum viſionum, quàm per continuationem unionis animæ Chriſti Domini cum beata illa anima corpore ſpoliata, migranteque è terreno illo, & caduco tabernaculo in cœleſte ſolium; ſive dum ita apparet in viſione aliis, fiat immutatio ſolùm ex parte videntis, ſitque tantùm corpus in imaginatione videntis, & non ex parte objecti viſi; cum eo modo ſalvetur veritas, & proprietas viſionis, per hoc quod anima Chriſti Domini adſit ex parte objecti; etiamſi ejus corpus non ſit ibi præſens; cum notum ſit omnibus, ſępe ejuſmodi viſiones, aut apparitiones, præſertim breviſſimæ durationis, contingere ſolùm (etiam Euchariſticas interdum) per immutationem in vidente, divinitùs factam. Sive re ipſa aſſumat Verbum cum illa corpus, in quo appareat videntibus, intra quod unà ſecum includat animam dilectam aſſumptam: & per quod repræſentet ſeipſum, & animam Servatoris, ut deferentem in gloriam animam illam feliciſſimam; itaut aſſumat ad inſtans corpus exprimens aſſumptionem illius animę.

Confeſtim verò occurrit difficultas circa illum, qui debitè quidem ſuſcipit Viaticum, ſæpiuſque probè communicarat, retinueratque ad mortem uſque pretioſum illud vinculum, medio quo ligatur animæ Salvatoris noſtri; verumtamen ejus anima non illicò ac corpus deſerat, abitura eſt recta in Patriam, ſed detinenda potiùs in Purgatorio. Etenim in utroque invicem oppoſito extremo apparent ſcopuli nimiùm infenſi: ſi perſiſtat conjunctio, iterum anima Chriſti Domini, & ſæpiſſimè deſcenderet ad inferos, exiſteretque præſens, & copulata intimè animabus pænas ſuſtinentibus; quod abſonum eſt, & rurſus argueret animam non planè regiam in Chriſto Domino; cum ſupremus Princeps carcerem præſentia ſua illuſtrans, reos omnes jure quodam majeſtati debito, abſolvit. Si verò nexus rumpatur ſimul cum vinculo nectente animam aſſumptam cum proprio corpore, pugnam nobis inire oportet nobiſcum: tum quia ejuſmodi conjunctio nonniſi ob culpam gravem diſſolvitur, juxta principia à nobis ſtatuta. Tum quia in reſurrectione poſtmodum deficeret jus intrinſecum in

ani-

anima ad illam poſtulandam titulo Euchariſtiæ dignè ſuſceptæ, cum illud ſitum dicamus in ea conjunctione cum anima Salvatoris; deficeretque jus phyſicum ad reunionem cum eadem anima Deifica exigendam. Si tandem ante reſurrectionem, & ſtatim ac anima illa, purificata igne, Cœlum ingreditur, iteratò unionem acquirere, vel reſumere dicamus; bilocanda erit, corporaque aſſumet pariter anima Cbriſti Domini etiam præciſivè à ſumptione Euchariſtiæ, cum hanc reunionem nec præcedat, nec præcedere valeat: unde eadem prorſus licentia poterit par conjunctio realis introduci; etiamſi Euchariſtia numquam fuerit ab hominibus juſtè ſuſcepta; fietque vulgare privilegium, quod celebramus ut ſolius Euchariſtiæ proprium, & ablata ſingularitate, cadit excellentia, & deſinit eſſe effectus, in quem potiſſimè collimet gloria Euchariſtica.

Num. 7. Non urgent attamen ejuſmodi captiones: aſſerimus namque, animam illam divinitate delibutam nullatenus perſiſtere unitam cum anima juſti purificanda flammis, & punienda cruciatibus in Purgatorio: tum ob inſinuatas in objectione cauſas: tum quia fruſtrà comitaretur, ut motor aſſiſtens, & aſſumens ad ſe repræſentandum, animam prædictam in locum, ubi potius cruciatur, quia imaginem Chriſti Domini in ſe non expreſſit ſatis, ſed deviavit voluntariè ab ejus imitatione. Tum quia non deceret Chriſtum Dominum eſſe ſpectatorem realiter præſentem ſuppliciorum, quæ ipſe decernit; tametſi Deus, (perſonęque divinæ) qui ubique titulo immenſitatis adeſse debet, præſens ibidem ſit. Quamobrem amplectimur ſecundum extremum. (tametſi vir in primis doctus, & dignitate conſpicuus, nullum in primo abſurdum ſe reperire, fateatur) è quo nullum ex delibatis incommodis elicitur. Non primum: quia per culpam læthalem amittitur ſimpliciter illa unio, itaut nec in debito aliquo permaneat, immo potius ſuccedit debitum oppoſitum; cæterum in caſu objecto, non deſinit ſimpliciter conjunctio, ſed tantùm ſuſpenditur, remanetque propterea debitum immanentiæ contractum ex divina promiſſione: *in me manet, & ego in illo*; & ablato obice, impediente inhabitationem, redit hoſpes, quia illicò remanet jus expeditum, reunionem poſtulans.

Non ſecundum, quoniam reſumit ipſo jure nexum præfatum confeſtim, ac pænas luit, & Cœlum petit. Quin & ſi cogitetur eventus, in quo non ſit inſtans inter reſurrectionem, ſive antequam reuniatur anima corpori, quia in pręcedenti ultimo debet adhuc purificari; cum tamen debeatur ei ſimpliciter nexus ille, terminata ſemel dura ea parentheſi inter mortem juſti, & gloriam, debetur pariter ratione illius reunio animarum unà cum reſurrectione; per accidenſque ſe habet, quod nexus præfatus non præextiterit. Neque inde ſequitur, poſſe quoque manere ſolum debitum reſpectu animarum, quæ modò beatæ jam ſunt; quandoquidem unio illa eſt prorſus neceſſaria ad beatitudinem animæ Euchariſticæ, ut ex infra producendis manifeſtum ſiet; in caſu autem objectionis nullum eſt inſtans beatitudinis illius animę, in quo privata exiſtat conſortio illo divino. Pręterea debitum rei tandiù manet, quandiù res ipſa debita haberi nequit, eo quod adſit impedimentum; in re verò noſtra ceſsat impedimentum, ſtatim ac anima ex integro purificatur, atque adeo ſicut debet illicò beatitudinem aſsequi, ita & recuperare nexum illum. Si namque eumdem obtinere debet poſt reſurrectionem unà cum corpore, & poſſidebat antecedenter; cur non etiam dum Cœlum petit? Atque adeo verum non eſt vinculum illud rumpi, aut diſſolvi per alias cauſas, quàm per culpam gravem; ſiquidem in re ſubjecta, non rumpitur, ſed tantum ſuſpenditur, ut dictum eſt, quia manet debitum redeundi illicò, ac impedimentum auferatur; tametſi nullo pacto perſiſtat in debito, dum per mortale vulnus animę deperditur, ut diximus ſect. ultima præcedentis diſputationis.

Non tertium, quia productio illa unionis, aut iterata conjunctio, eſt effectus proprius Euchariſtiæ dignè ſuſceptæ, dum eſſet in ſtatu promerendi; proindeque non exercetur ea aſſumptio, aut reunio, præciſivè à ſumptione, ſed ut proveniens ab ea; cum ratione illius permaneat in debito, ſeu permaneat debitum illam infallibiliter recuperandi, dum mobile redditur per accidens incapax ad tempus ſolùm rem debitam poſſidendi. Quemadmodum corpus poſt reſurrectionem iterum reaſſumendum eſt ab anima Chriſti Domini, quia per mortem interrupta fuit tantùm ejus unio cum corpore, deſinente in cadaver, donec floreſcente denuò ejus elegantia, & vita, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, reſurgat, iterumque aſſumatur. Licet enim rectore tunc, motoreque egere non videatur; attamen motor non ſolùm aſſumit corpus, ut illud regat; ſed potiſſimè ut per illius operationes repræſentetur, quod eſt potiſſimum in aſſumptione; repræſentatur autem per illas relatè ad Beatos alios, eas operationes intuitivè videntes. Ulterius illud etiam regit, dum infundit eidem viſionem ipſam, qua formaliter redditur beata anima motoris, ut per illam mobile aſſumptum formaliter quoque beatificetur. Torrente voluptatis aſſumptum potat, illum operatione ſua in ſummo bono firmat, amore beatifico inflammat; & ipſum non movet, nec gubernat?

Num. 8. Occurrit pariter difficultas aſſumptionis animæ, aut ſpiritualis ſubſtantiæ, facta per aliam animam, aut Angelum, deſumpta ex eo, quod ex ea aſſumptione ſequeretur illapſus aſſumentis in aſ-

ſum-

ſumptum, qui ſequi planè videtur ex unione animæ Chriſti Domini cum anima Beati ſeparata à corpore in Empyreo, ut modò ſunt Beatorum animæ. Siquidem illabi, nihil aliud eſt, ut docet Seraphicus Doctor in 2. diſt. 8. par. 2. art. unico qu. 2. quam, *quod illud intimum ſit ei, & quod intimè operetur in illo*. At hoc conveniret animę Chriſti Domini comparativè ad animam ſeparatam Beati, cum illam aſsumeret per intimam unionem, ut per ejus operationes ſe exprimeret, illamque reddat operantem, & in ipſa per infuſionem actuum, beatitudinem formalem conſtituentium, operetur. Ergo &c. Rurſus, Angelus aſsumens corpus, illabitur ipſi, ut docuit Sanctus Thomas in 2. diſt. 8. art. 5. ad 3. dicens: *& ideo Angelus operans intra terminos quantitatis, corpori illabitur*. Tandem, ſi Deus eo modo aſsumeret immediatè ſeipſo animam aliquam, aut ſpiritum, illi proculdubio illaberetur, adeoque Verbum Divinum illabitur illi animæ in corpore aſsumptæ, dum eſt à corpore ſeparata, & Verbo per animam, & unà cum illa immediate conjuncta. Ergo & animam Chriſti Domini illabi animæ aſsumptæ, neceſse eſt.

Jam verò impoſſibilem, abſurdiſſimumque futurum illapſum prædictum, colligitur ex D. Th., ibidem adjungente: *ſubſtantia autem ſpiritualis non habet terminos quantitatis, ſed tantum eſſentiam. & ideo in ipſam non intrat, niſi ille, qui dat eſſe. ſcilicet Deus creator, qui habet intrinſecam eſſentiæ operationem* & 3. par. quæſt. 64. art. 1. corpore ait: *Primo igitur modo ſolus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti. Tam quia ſolus Deus illabitur animæ, in qua Sacramenti effectus exiſtit &c.* Quibus verbis non tantùm in genere, ſed & in ſpecie determinata Sacramentorum, docet, nihil aliud, præter Deum, illabi animæ ſuſcipientis illa: & ex conſequenti excludit unionem intimam ſumentis condignè Euchariſtiam cum anima Chriſti Domini, ejuſque illapſum. Similia habet in 4. diſt. 9. art. 2. queſtiunc. 1. ad 2. & quidem diſputans de ſuſceptione Euchariſtiæ. Ejuſdem opinionis fuit Seraph. Doctor in loco memorato, ubi productis ſupra verbis annectit ſequentia immediatè: *nihil autem tale eſt reſpectu animæ, niſi ſolus Deus: ideo ſolus Divinus Spiritus animæ poteſt illabi ... Et quia ſolus Deus ſuperior eſt mente humana ſecundum ſui ſupremum, ſolus Deus poteſt menti eſſe intimius: & ideo illabi ſpiritui rationali, eſt Divinæ ſubſtantiæ proprium*. Manifeſtum igitur videtur ex mente utriuſque Doctoris, animam Chriſti Domini ratione ſui illabi neutiquam poſſe animæ juſti, ſub hypotheſi, quod illi conjungatur intimè; etiamſi Verbum Divinum, cui ipſa hypoſtaticè conjungitur, illabi poſſit animæ noſtræ.

Parùm tamen hæc movere poſſunt ſcientem, animam Chriſti Domini eſſe inſtrumentum Verbo, Divinitatique conjunctum. Siquidem inde provenit, quòd poſſet illa conjungi, ſumereque ad ſe animam alterius; tametſi Angelus naturali virtute animam ſeparatam aſſumere nequeat eo modo, quo aſſumit corpus ex materia leviſſima compactum. Quòd ſi aliquando opportunè id efficere valet anima Servatoris, & capitis noſtri, numquam opportunius, quàm cum realiter præſens ipſe ingreditur decenter ornatam Domum illius, qui accedit debito fervore ad Euchariſtiam; quoniam ipſe pollicitus fuit, ſe habitaturum, manſurumque in ipſa; Joann. 6. prædixeratque Pſal. 131. *Hæc requies mea in ſæculum, hic habitabo; quoniam elegi eam*. Namque ex eo, quod ſolus Deus ſit mentis humanæ ſupremum principale, elicitur duntaxat, animam Chriſti Domini, quà inſtrumentum conjunctum, eſſe non poſſe ſuperiorem animæ aſſumptæ, tamquam ſupremum itidem principale; neutiquam verò, quòd ſuperior non ſit inſtrumentaliter: atque adeo, quòd non ſit illi intimè unita tamquam inſtrumentum Verbi, & aſſumens ipſam ſub eadem ratione. Ut enim adjungit ibidem Doctor Seraphicus; *in anima namque humana idem eſt intimum, & ſupremum, & hoc patet, quia ſecundum ſuum ſupremum maximè approximat Deo, ſimiliter ſecundum ſuum intimius: unde quanto magis redditur ad interiora, tanto magis aſcendit, & unitur æternis. Et quia ſolus Deus ſuperior eſt &c.* Cum igitur anima Chriſti Domini ſit ſupremum inſtrumentaliter, ex conſequenti eſt etiam intimum in actu primo ſub ea ratione, uti realiter in actu ſecundo, dum actu conjungatur animæ. Huic accedit ratio capitis, cujus titulo debet influere in membra ſub quadam ratione unionis intimæ, & ſuperioritatis, comparative ad ipſa, principalitatiſque, & quidem ſimpliciter, cum in capite veluti in arce ſuprema reſideat potentia rationalis, ſenſuſque, ſitque Aula ſcientiarum, adytum rationis ſoli Deo principaliter pervium, uti olim Diis penetralibus ſecretior in Domo locus.

Num. 9. Neque obſtat ratiocinium ex objecto Divi Thomæ loco erutum, quòd ſcilicet ſpiritus purus, cujuſmodi eſt anima ſecundum ſe, & in ſtatu ſeparationis, nullos habeat terminos quantitatis, cum illa careat prorſus: & quòd rurſus eſſe nequeat *intra terminos eſſentiæ, nec ſicut pars, nec ſicut virtus dans eſſe, quia eſſe eſt per creationem à Deo* ut adjungit ea diſt. 8. art. 5; non obſtat ſanè, quoniam eſſe poteſt, & eſt de facto intra terminos operationis illius animæ anima Chriſti Domini in ordine ſupernaturali, aut relatè ad ejus ordinis operationes, tamquam inſtrumentum conjunctum, etiamſi tamquam cauſa principalis ſolus Deus intra præfatos terminos eſſe valeat. Quam reſponſionem attigit Sanctus Thomas ipſe ibidem, dum aſſeruit, ſolum Creatorem eſſe intimum ſubſtantiæ ſpirituali, *qui habet intrinſecam operationem*: ergo ſi anima Chriſti Domini tamquam organum Divinitatis

tatis

tatis intrinſecam illius ſubſtantiæ operationem cauſare poteſt, aut in illam influere, poterit à fortiori eſſe intima prædictæ ſubſtantiæ. Verum equidem eſt, quòd Divus Thomas per operationem eſſentiæ intelligat illam, vi cujus emanare facit ab ipſa ejuſdem proprietates, cum adjungat; *aliæ autem perfectiones, ſunt ſuperadditæ ad eſſentiam. Unde Angelus illuminans non dicitur eſſe in Angelo, & in anima, ſed extrinſecus aliquid operari*. Ita ſane, cæterum his verbis ſolùm vult Div. Thomas, non eſſe neceſſariam intimam præſentiam ſubſtantiæ ſpiritualis reſpectu alterius in ordine ad operationes ſuperadditas eſſentiæ, licet illa ſit inſtrumentum Dei, cum influere valeat Divinitus inſtrumentum, vel Angelus ſuperior naturaliter, etiamſi extrinſecus ſit ſubſtantiæ, in qua, aut cum qua operatur: quemadmodum alia Sacramenta invehunt effectum intrinſecum in ſuſcipientem, tametſi illi intrinſeca phyſicè non ſint, ut docet Sanctus Thomas laudata quæſt. 64. 3. par. art. 1.; hoc autem non impedit, quominus inſtrumentum conjunctum eſſe valeat intimum phyſicè in ordine ad eas operationes ſupernaturales eliciendas; maximè dum per illas debet repræſentari, cum deceat ipſum ea major intimitas præ aliis, nobiſque ſummopere proſit; alioqui neque Angelus poſſet verè, & ſtrictè aſſumere corpus mortuum, aut vivum, cum eſſentiam illius aeris addenſati neutiquam produxerit, nec illius eſſentiæ proprietates, licet illud corpus ex ea materia formaverit inſtar artificis; quæ verò in illo, aut per illud operatur ſunt eſsentię ſuperadditæ. Sic etiam anima aſsumpta relate ad eas operationes ordinis ſupernaturalis poſtulat conprincipia intrinſeca, & in ſinu ejus recepta, ut gratiam, lumen gloriæ &c. Cur ergo deneganda eſt conſimilis intima unio (quamvis inhærere nequeat anima, quia ſubſtantia eſt) animæ Chriſti Domini, tamquam Verbi inſtrumento, conjuncto eidem hypoſtaticè, cum phyſicè, in probatiſſima D. Thomæ ſententia, concurrere debeat ad eas operationes? Ad hęc, illa eſt inſtrumentum regenerationis animarum, elevationiſque earumdem ad altiorem gradum, ordinem, & ſtatum, ſubindeque in ordine ad illum ſe habet tamquam earum primum principium inſtrumentale. Uti & juxta plures cum Doctore Eximio tom. 1. in 3. par. diſt. 31. eſse valet inſtrumentum creationis; & ſaltem (quia creationi refragatur S. Thom. 3. par. quæſt. 113.) productionis rerum, conſequenterque reſpectu earum eſse poſset intimum ſupremum inſtrumentale.

Hinc autem facilè deducitur, quid ſentiendum circa ejuſdem illapſum, ex quo tamquam ex abſurdo deſumit ſuas vires difficultas objecta. Namque ſi ad rationem illapſus verè, & ſtrictè uſurpati ſufficiat intima conjunctio ſubſtantiæ ſpiritualis cum alia, cui dominetur, & quam ſibi ſubjiciat, tametſi dominatus ille ſit tantùm principii inſtrumentalis in ordine ad operandum, anima Chriſti Domini illabitur animabus, quas ſumit ad ſe, præſertim glorioſis jam, ſive ſeparatis, ſive conjunctis, & tunc etiam corpori glorioſo illabi dicenda eſt, cum ex integro illud ſibi ſubjiciat; licet non adeo perfectè, ut contingit, dum aſſumitur ab Angelo corpus formatum, in quo appareat; quoniam in eo corpore nulla operatio exiſtere poteſt, non elicita ab ipſo Angelo; cum corpus vivum, etiam beatum (uti & anima reſpectu operationum purè ſupernaturalium) plures ſortiri poſset non ſubortas à motore, ſibique connaturales; ob cujus defectum in ſtatu viæ illapſus ſimpliciter non contingit; ſiquidem non adeſt adæquata unio intima animæ Chriſti Domini cum toto corpore, & potentiis, ſenſibuſque animæ aſsumptæ plerumque; ſicuti ob eamdem rationem aſsumptio perfecta ſimpliciter non eſt. Si verò debeat eſſe principium ſimpliciter ſupremum, ac proinde nullius alterius organum, aut ſubſtitutum, cadit à proprietate illapſus præfata aſsumptio. Lis tamen erit de puro nomine, & ideo parùm digna, quæ accuratius diſcutiatur, ubi nos vocant plura alia, tantum rei habentia, quantum profunditatis, etiam dum jam littus pœne attingimus.

§. II.

Num. 10. SIT ſecunda, & potiſſima aſſertio noſtra: ex conjunctione illa intima animæ Chriſti Domini cum anima Beati reſultat in hac, ſive infunditur huic eadem numero viſio beata, per quam anima Chriſti Domini intuetur Deum, divinaque; ita tamen ut neutiquam videat ipſum ea claritate, & intenſione, qua Chriſtus Dominus, nec æquali reliquis Beatis, quibus illa eodem jure Euchariſtico communita pariter ſit; ſed inæqualiter juxta impares diſpoſitiones, inæqualia merita, & lumen inæquale. Quamquam ſemper titulo ideotitatis viſionis illius aliquid gloriæ ulterioris concedatur ejuſmodi Beatis, quaſi ex opere operato, quam minimè largiretur eiſdem Deus, ſi per viſionem propriam ipſum intuerentur, ut reliqui Beati, qui Euchariſtici nequaquam ſint. Hæc aſſertio quatuor continet, & profert primo verborum ſonitu horrenda; paulatim verò, & medullitus diſcuſſa, juxta ſolemniaque tam Philoſophiæ, quam Theologiæ principia declarata, planè tuta, planè conſpicua, planè vera.

Primum, & potiſſimum eſt, viſionem illam eſſe eamdem numero in Chriſto capite, & in omnibus, qui ſeipſos probantes Euchariſtiam ſacram ſuſcepere, per illamque omnes reddi formaliter Beatos. Secundum, neceſſariò ſubſecutum ex primo, eſt, præfatam viſionem infundi ab extrinſeco ab ipſa ſcilicet anima Chriſti Domini intimè præ-

ſente,

ſente, animabus illis (tametſi ab intrinſeco ab eiſdem reproducatur) ſolùmque ab intrinſeco ſimpliciter primò oriri in Chriſto Domino. Tertium eſt: formam illam videndi Deum perfectiſſimam, modò remiſſum, modo intenſum, modò intenſiorem effectum formalem exhibere ſubjectis, in quibus replicatur, & manet, juxta eorumdem capacitatem in eo ordine. Quartum denique eſt, ulterius aliquid gloriæ conſerri omnibus illis, aut accreſcere ex eo, quod per eamdem numero formalem intuitionem, quæ eſt operatio propria animæ Chriſti D. ipſum beatificans, divinam eſſentiam aſpiciant.

Et ſanè primum illud, ſi conſideretur ſolùm penes replicationem quaſi in infinitum ejuſdemmet actus viſionis Dei, nihil peculiaris difficultatis continet, quod non remaneat ſuperatum in ipſa anima Salvatoris replicata per aſſumptionem in animabus Euchariſticis prope infinitis. Et quidem ex illa replicatione, naturali ſatis conſecutione colligitur viſionis etiam replicatio; tamquam effectus nobiliſſimus, ultimò ab ea intentus, ut jam oſtendo, Primò, ex verbis Servatoris Joan. 6. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, ſic qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Ubi comparat unitatem vitæ propriæ, & vitæ manducantis ipſum cum unitate communi ipſi, ut Dei Filio, & Patri. Hæc autem eſt per identitatem: ergo & illa quantum fieri poteſt, ut comparatio habeat ſtrictam proportionem. Jam verò vita Dei eſt actus viſionis, & amoris terminati ad ſeipſum: conſequenterque viſio qua vivit anima Chriſti D. in Patria debet eadem phyſicè replicari in omnibus, qui Euchariſtiam condignè ſuſceperunt. Et cum hoc divinitus poſſibile ſit, ut patebit infra, eſtque, juxta valdè probatam doctrinam, capax anima intelligendi per intellectionem ab alio infuſam: & ideò Nominales opinati fuerunt, beatitudinem noſtram ſitam eſſe in actibus anagogicis à Deo infuſis; non eſt cur factum ipſum non colligatur ex adductis verbis. Item comprobatur ex illis etiam Chriſti D. Math. 26. *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Quæ verba prolata fuiſſe à Chriſto Domino immediatè poſt inſtitutionem, diſtributionemque Euchariſtiæ conſtat ex ordine, quo refert illa Sanctus Mathæus ibi: conſtat ex Auguſtino lib. 3. de conſenſu Evangel. cap. 1. ex Origene tract. 15. in Math. ex Cypriano epiſt. 63. ad Cæcilium: ex S. Epiphanio Hæreſ. 37. ex Euthymio in caput 26. Math. ex Chryſoſtomo, & D. Thoma in locum illum, Janſenio, & aliis. Exiſtimat enim Chryſoſt. ea verba dicta fuiſſe à Chriſto Domino, ut conſolaretur Apoſtolos, eo quod præmiſiſſet, effundendum fore ſanguinem, ut immediatè antea protulerat in conſecratione Calicis. Legatur Homil. 83.. Et quamvis plures ex adverſo opinentur ex verbis Lucæ cap. 22. & Marci 14.; omnes tamen ferè conveniunt in eo, quod per vinum illud, aut genimen vitis ſignificetur ſanguis in Calice, vel conſecratus jam, vel illicò conſecrandus (uti per *Paſcha* in verbis illis Lucæ 22. *deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, deſignabatur Euchariſtia) ut docuere Chryſ. hom. 83. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. Doctor Maximus in cap. 26. Matth. Emyſſenus, quem refert Sanctus Thomas in Catena, Clemens Alexandr. libro 2. Pedagogi, cap. 2. ibi: *quod autem vinum eſſet, quod benedictum eſt, oſtendit rurſus dicens Diſcipulis: non bibam ex fructu vitis hujus.* Salmeron tom. 9. tract. 15. Catechiſm. Pii V. Maldonatus, plures recenſens, in cap. 26. Matth. Doctor Eximius tom. 3. in 3. par. diſp. 41. ſect. 4. Granados tractatu ſecundo diſp. 2. controver. 6.; Martinon. diſp. 30. ſect. 10. Salmanticenſes tract. 23. diſp. 1. Proæmiali cap. 3. §. 5. & frequentiſſime Theologi, & Interpretes alii. Et ſane Calviniſtæ, præſertim Molinæus in Clypeo fidei par. 2. à ſectione 25. ſupponentes ut notiſſimum Catholicis, hanc eſſe mentem Patrum: & totius Eccleſiæ ſenſum, eruere conantur inde, permanere ſubſtantiam vini poſt conſecrationem, adeoque non adeſſe ſanguinem, cum poſt illam, genimen vitis appelletur. Legendus Martinon. ſupra. Sic venena bibunt ex pharmaco immortalitatis. Cum igitur adeo ſolemnis ſit apud Patres, & Theologos acceptio illa; ſub qua ratione, aut quo jure aſſeruit Chriſtus Dominus, ſe bibiturum unà cum Diſcipulis Calicem illum, ſive ſanguinem in eo contentum, in Regno Dei? Erit ne futura perenniter ſumptio Euchariſtiæ in Patria, infundenduſque eſt viritim ſanguis per Beatorum ora (quod inficiatur conſtanter Theologia Sacra) rubeſcente beatitudine ipſa?

Num. 11. Porrò cum ibi per Regnum Dei intelligatur, juxta communem Patrum acceptionem, ſtatus beatitudinis; illud, inquam, de quo pari locutione Pſal. 35. dicitur: *inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ubi Sanctus Auguſtinus docuit eumdem ſenſum habere præfata verba, ac illa Pſalm. 22. *Calix meus inebrians, quam præclarus eſt*, quæ uſurpantur ab omnibus de potu inebriaturo in beatitudine, ut docent expreſſè S. Gregor. Nazianz. Orat. de Paſcha, S. Auguſt. lib. 1. quæſtion. Evangel. cap. 43. Sanctus Hilarius, Origenes, Div. Thomas, & fermè omnes Interpretes; cum, inquam, immortale Beatorum hominum convivium per ea verba Chriſti Domini deſignetur; qua veroſimilitudine Sanguis Redemptoris noſtri per illa ſignificatus, potandus erit in Regno Dei, aut potabilis in eo convivio Cœleſti cogitandus erit? Si per Catachreſim ad lauta convivia, & gaudia terrena, cœlitum eas voluptates explicandas dixeris, obtinebis equidem proprietatem metaphoricæ locutionis generatim, quia

non

non aliter Scriptura Sacra plerunque manifeſtat nobis ſpiritualia , & Cœleſtia , aut etiam Divina , quàm per comparationem ad mundi pretioſiora . Cæterum minimè aſſequeris ea expoſitione peculiare aliquid de beatitudine acquiſita per condignam Euchariſtiæ ſumptionem , quod non competat æquè beatitudini comparatæ per alia media ab eo , qui numquam Euchariſtiam accipere potuerit . Et aliunde in relatis verbis Math. 26. uti & Marc. 14. & Lucæ 22. diſertè aſſeverat Salvator noſter , Apoſtolos potaturos ſecum in Cœleſti Patria vinum illud vitis , ideſt ſanguinem ſuum .

Quapropter , licet conveniant beatitudo cum Euchariſtia , præ aliis Sacramentis , in eo quod utrobique reperiatur proprius conceptus convivii in acceptione aliqua ; attamen hoc efficeret ad ſummum , quòd metaphora convivii Cœleſtis eſſet opportunior, dum confertur gloria cum convivio Euchariſtico, non ſic autem , ſi conferretur cum aliis ; nequaquam verò , ut ſtatus fœlicitatis æternæ dicatur ſpeciali titulo potus Divinus unitim cum Chriſto Domino reſpectu illorum , qui ad menſam Euchariſtiç ritè accurrunt , potiuſquam reſpectu aliorum: ſiquidem omnibus erit idem omuino potus (quamquam juxta meritorum inæqualitatem , & diverſum ſtellarum ſplendorem) & calix inebrians indiſcriminatim omnes, ſive ad illum bibendum proſpera ſemita devenerint per eſum , & potum Euchariſticum , ſive per quaſcumque alias latè patentes fœlicitatis vias ; ſi nihil peculiare in ratione , & modo viſionis obtineatur per potum Euchariſticum , quod per media alia neutiquam habeatur . Præterea ſi eo ſolùm , quòd Euchariſtia imbibat rationem convivii , aut potus , ſignificantis Calicem præclarum in Patria inebriantem , potus beatitudinis dicatur Euchariſticus , ſive calix , è quo bibant juſti Sanguinem Chriſti Domini tamquam vivam aquam ; ſatis efficaciter eruereut inde Novatores , per verba conſecrationis , vel præcedenter dicta , vel immediatè prolata , ſignificantia præſentiam Corporis , & Sanguinis Chriſti Domini , deſignari tantùm præſentiam ſimilitudinariam, figuratamque : ſicut per genimen illud vitis , quod bibendum in gloria aſſeruit Chriſtus Dominus , ſolùm affirmatur potus beatitudinis ſiguratus iu Euchariſtia , & tamquam in illius ſigno ; nullatenus verò ipſamet beatitudo formalis realiter , identicèque ; quantumvis verba eam exprimant : *non bibam de hoc genimine vitis , donec bibam illum vobiſcum in Regno &c.* æquè ac illa : *hic eſt enim calix Sanguinis mei* , ſignificant apertè realem ſanguinis præſentiam . In eadem autem fere linea , & ſub eadem loquendi forma , unam locutionem credere figuratam , & alteram realem abſolutam , itaut hanc dicere figuratam , ſit Hæreticum; illam autem ſimilitudinariam , aut figuratam appellare , ſit verum , ſanumque ; ubi materia ex ſe capax eſt ſuſcipiendi proprium , & realem ſenſum ; eſt planè durum . Unde ſi fides dictaret , ſecundum in ſenſu compoſito primi , deberet intellectus in ejus obſequium omnino captivari ; ut tamen aſſentiatur , dum fides id non doceat, debeat ratio ipſa per vim ſummam torqueri .

Num. 12. Beatitudo igitur poſſidenda à viris Euchariſticis (liceat ſic compellare inſignitos perpetuò nota Euchariſtica , ob dignam , & ferventem illius ſumptionem in ſtatu viæ) babet neceſſariò aliquid arcani Euchariſtici proprium , ab illo proveniens inſtar potiſſimi effectus , & cum illo concurrens , vi cujus ſecernitur penes modum à beatitudine reliquorum . Id autem ſola noſtra aſſertio congruentiſſimè exponit : cum enim genimen vitis conſecratum ſit realiter ipſe Sanguis Chriſti Domini , qui eſt ſedes animæ , per illumque apud omnes ſignificatur , illamque per concomitantiam affert ſecum realiter : cumque rurſus anima illa , juxta principia à nobis ſtabilita, in ſumente dignè Euchariſtiam permaneat, tam in via , quàm in Patria eadem numero in omnibus , uti ſanguis , quem bibimus nunc eſt idem realiter in omni Calice . Cum deinde anima illa beatiſſima , etiam quà in Calice , unà cum ſanguine exiſtens deferat ſecum viſionem beatam , ex ſe & intrinſecè permanentem . Cumque tandem anima Chriſti Domini non conjungatur realiter intimè , & perſeveranter nobiſcum , ut ſit ibi otioſa , vel ad decorem tantùm , maximè cum aſſumat membra myſtica ad ſe repræſentandum per eorum operationes, & vitam : & ideo mobile aſſumptum excitat , movetque in hac vita ad boc , ut unionem transformativam avidè procuret ; quæ omnia per ſe ordinatur ad illius unionis ultimam perfectionem in Patria , fruitionemque æternæ beatitudinis in gloria , ut habitam per expreſſam ſimilitudinem Beati cum Chriſto Domino , in quem transformatur , per ejuſque vivam repræſentationem ; qui eſt ultimus peculiaris effectus Euchariſtiæ . Propterea nullo magis opportuno ; & ſtricto modo ſalvari poteſt veritas , & propietas verborum Chriſti Domini , effectuſque potiſſimi , & ultimo intenti Euchariſtiæ Sacræ , quàm per identitatem numericam ejuſdemmet viſionis beatæ (qua redditur formaliter beata anima Chriſti Domini) communicatæ per replicationem animabus Euchariſticis, itaut ſit eadem beatitudo formalis, tametſi juxta diverſos gradus intenſionis , & claritatis participata , in capite , & in membris corporis myſtici illius capitis , quibus immediatè copulatur anima ipſa capitis , per modum formæ aſſiſtentis , & gubernantis .

Qua via ipſum numero genimen vitis , aut Sanguis Chriſti Domini ut ſignificans , & includens realiter animam beatam , beatitudinemque ipſam , bibendum eſt unà

cum Chriſto Domino à Beatis Eucharisticis, & nullo pacto per eamdem viſionem, & modum ab aliis, etiam eximia ſanctitate, & beatitudine, præditis. Quin propterea ſublimis gloria S. Joan. Bapt. aut Sanctiſſimi Joſephi obſcuretur; cum ille ex ſingulari privilegio Præcurſoris, & hic Nutricis, honoremque Parentis (ut putabatur) & ſponſi Deiparæ, peculiarem alium eximium gradum, & modum beatitudinis obtinent, & quidem ſupremum, in quo ſuperare poſſunt eam Euharisticorum excellentiam. Neque, ſi per viſiones realiter diſtinctas, & uniuſcujuſque proprias fieret, reſpondere poſſet arcano Euchariſtico ſingulariter beatitudo illa, itaut cum proprietate aliqua potuiſſet aſſeverare Chriſtus Dominus in locis allegatis, potaturos ſecum Apoſtolos in gloria ex calice illo præſente in Cœna: quandoquidem præſatus loquendi modus apertiſſimè denotat identitatem realem beatitudinis in omnibus, ſicut identitatem ejuſdem animæ Chriſti Domini in cunctis; cum nihil alioqui ſortiretur beatitudo actualis Eucharisticorum, per quod myſterio Euchariſtico, ejuſque condignè ſumptioni ſpecialiter correſponderet, quodque non inveniretur pariter iu reliquis Beatis: & ratione cujus diceretur beatitudo illorum Sanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus vini.

Eumdem ſenſum efficiunt abs dubio verba ejuſdem ſupremi Magiſtri Lucæ 22. *& ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Quæ cum dicta fuerint poſt Euchariſtię ſumptionem, congruentiſſimè uſurpantur per comparationem menſæ cæleſtis in gloria cum menſa cæleſti Euchariſtica. Ulterius obſervatione digna eſt circumſtantia illa verborum Chriſti Domini, quæ retulimus ex Mathæo: *cum illum bibam vobiſcum*, quibus innuit, futuram ſocietatem particularem cum eis in menſa beatitudinis; quam habiturus non ſit cum aliis, qui participes numquam extiterint Euchariſtiæ; ſi autem Apoſtoli per viſiones numero diſtinctas ab unoquoque ſingillatim editas beandi forent, non magis biberent in gloria vinum Eucharisticum, quàm ii, qui Calicem præclarum Euchariſtiæ numquam hauſerunt: nec magis unitim cum illis, quàm cum his bibiturum ſe in beatitudine polliceretur, per *to. vobiſcum*. Dum adjungit *novum* ſignificarę videtur ultra unionem antiquam animæ ſuæ in ſtatu viæ cum laudatis Eucharisticis, novam aliam conjunctionem ſui cum ipſis habiturum per identitatem realem propriæ viſionis beatæ in omnibus illis, qui eſt inſignis ille, nobiliſſimus, mirabiliſque effectus, quem ultimo reſpicit Euchariſtia, & cum illa recurrens; tum quia in ipſa continetur realiter unà cum anima Salvatoris, à ſumentibuſque recipitur ibidem incluſa: tum in myſterio identitatis numericæ ejuſdem numero potus, quem hauſit primò Chriſtus Dominus ipſe in ejus Inſtitutione, deinceps Apoſtoli unitim æternam ſalutem propinarunt, fœlicitati litantes.

Num. 13. Conſimiliter, non vi tracta, ſed ſponte ſua venientia in eamdem acceptionem crediderim verba illa Lucæ 12. ubi loquens divinus Magiſter de ſervis, quos invenerit Dominus vigilantes, ait; *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*: in quibus licet promiſſio deſignet regionem deliciarum propriam; ſimul attamen modum convivii Euchariſtici præſefert clariſſimè. Unde S. Auguſtinus in enarratione Pſal. 137. differens in genere de cibo, quem verè nobis Chriſtus Dominus miniſtrabit in gloria, & miniſtrat, inquit: *quid nobis miniſtrabit, niſi quod hodie quoque manducamus, & bibimus? Cum ergo Dominus Angelorum nobis miniſtrarit, non deſperemus, futuros nos æquales Angelis.* Hoc ipſum igitur miniſtraturum ſe in gloria promittit, quod nunc bibimus, & manducamus in Euchariſtia. Sicut ergo id, quod in Euchariſtia ſuſcipimus, importat identitatem realem numericam ejuſdem epuli cæleſtis miniſtrati ab Ipſo, & in omnes per replicationem miraculoſam diſtributi: ſic, ut comparatio cum proportione, & proprietate uſurpetur, miniſtrare debet in menſa gloriæ diſcumbentibus eumdem numero cibum, eamdem ſcilicet formalem beatitudinem. Adjungiturque illud *tranſiens* (uti in tranſitu fuit inſtituta Euchariſtia) quaſi ab uno ad alium, juxta merita, ſigillatim idem ferculum cunctis exhibeat, quod propterea dicitur tranſire; quia cum miniſtrantis anima ſupponatur ex dictis in omnibus Eucharisticis perſeveranter conjuncta, eadem numero viſio ipſis miniſtrari debet ſigillatim. Ubi enim cibus invitatis omnibus datur, & ipſum miniſtrat Redemptor, cujus anima, & beatitudo formalis cibans adeſt intra quemlibet eorum, ſatis opportuna locutione dicitur, tranſire miniſtrando, quia ſingulis miniſtrat eumdem cibum, dum ſingulis illum præbet, & intra ipſum manu inviſibili divinitus apponit.

Id adumbraſſe videtur S. Dyoniſ. Epiſt. 9. ad Titum, ubi cum beatitudinem extollat, tamquam bonis omnibus affluentem, ſubdit: *per quam omni gaudio complentur* (Beati) *atque Jeſu eos exhilarante, & in menſa collocante, & æternam quietem largiente, & perfectè bona tribuente, & infundente.* Cum verò inæqualiter illam exhibeat, juxta inæqualitatem dignitatis comparatæ per merita, ideo notanter monuit; quòd *præcinget ſe*, ut miniſtret: quæ verba obſervans Theophilactus, ait: *Præcingitur itaque Deus, quatenus non omnium bonorum effuſionem nobis ſuppeditat, ſed illam reſtringit.* Ampliat igitur, vel reſtringit effectum formalem viſionis in unoquoque juxta capacitatem, & ambitum in materia nimium dura, rebellique, excavatum, nixuque apertum.

Hanc

Hanc etiam exiſtimo rationem, ob quam Salvator Joan. 4. dixit Samaritanæ; *aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Porro fontem vitæ eſſe Chriſtum Dominum ipſum, Scripturæ prædicant: Iſaiæ 12. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*, & cum Verbum dicatur eſſe apud Deum, de illo dictum eſt Pſal. 35. *apud te eſt fons vitæ*. Sunt quidem rivuli aquarum, qui ex fonte illo gloriæ, ſive amænioris Paradiſi deriventur in Beatos, perque tramites à Chriſto Domino apertos fluant ſuaviſſimè decurreutes. Cæterum quo pacto Samaritanæ pollicetur fontem ipſum? Certè non alia de cauſa, niſi quatenus eamdem formalem actualem viſionem beatam, qua Chriſtus Dominus beatur, quæque eſt fons vitæ æternæ communicatæ illis, qui Corporis, & Sanguinis ejus participes fuere olim in via: eamdemque animam, è qua ſcatet fons ille, eiſdem intime conjungat, & cum ea beatitudinem actualem illius propriam. En fontem, & Petram, ſive rupem, ex qua naſcitur, replicatum in Euchariſtiç alumnis, ſubindeque irrigantem univerſam faciem Empyrei, dum efficit ut ejus incolæ Euchariſtici videant Deum facie ad faciem, diſtinctis quidem oculis, eadem tamen numero viſione.

Num. 14. Ratione autem, ſive congruentiis fulcitur aſſertio, & confirmatur ſimul explicatio verborum Chriſti Domini, quam nuper protulimus: primò ex natura amoris, cujus eſt intendere unitatem, quantum fieri valeat, quæque honeſtè intercedere poſſit, ut docet Philoſopia moralis, eorumdemque bonorum effuſiſſimam participationem, ut diſput. 8. oſtendimus, adeoque identitatem ejuſdem fælicitatis, ſeu formalis beatitudinis, quæ eſt ſumma illius; cum nec poſſit, nec eſſe debuiſſet perſonarum identitas, tametſi per impoſſibile fieri potuiſſet, quia deſineret eſſe amor mutuus. Unde nequaquam ſufficit, quòd ſortiri valeat unuſquiſque eorum, qui ſacram menſam peramanter frequentarunt, aliam ſimilem, ſive ejuſdem ſpeciei viſionem; ſiquidem cum identitas numerica ſit perfectior unio capitis, & membrorum in ſumma fælicitate, quàm ſpecifica, jam claudicaret ex hac parte plenus amor, plenaque communicatio bonorum, ubi præfata identitas præſupponitur poſſibilis: rurſus nec illa afferre poteſt ubertatem illam lucis, ſeu majoris claritatis reſpectu cujuslibet, quæ debetur huic numero viſioni, quatenus operatio propria glorioſæ animæ Chriſti Domini.

Secundò, quia compertiſſimum eſt, Euchariſtiam eſſe Sacramentum unitatis, ut ex Conciliis, Patrum teſtimoniis, & ex fidei principiis, oſtendimus diſp. 8. conſequenterque notum pariter eſſe debet cunctis, potiſſimum illius effectum eſſe unionem aliquam præſtantiſſimam amantium, vinculumque eorumdem, ſive in tempore, ſive in æternitate conſideretur. Ideo clamat Apoſtolus 1. Corint. 10. *unus panis, unum Corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*. Et Roman. 12. *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto*. Ideo Apocal. 5. Vox Chriſti Domini audita fuit à Joanne, *tamquam vox aquarum multorum; quia (ut habetur Apocal. 17.) aquæ multæ populi ſunt, & gentes, & linguæ*. Denotans, corpus myſticum, ex mole membrorum ferè interminabile reſultans, eſſe adeo proprium Chriſti Domini, ut per illud loquatur, operetur que, tamquam per mobile aſſumptum. Cum enim ſit ex ſe formaliter perfectio, eo nobilius erit compoſitum hoc vaſtiſſimum, aut totum Euchariſticum propè immenſum coaleſcens ex Chriſto Domino tamquam capite, & anima aſſiſtente intimè, & ex corpore illo myſtico, quo nexus utriuſque fuerit arctior, unitate nullam preſeferente abſurditatem in Theologia, nec iu Philoſophia monſtroſam compoſitionem. Unde Anaſtaſ. Synaita in Examer. lib. 11. paulo ante medium apertè dixit *Chriſtum & Eccleſiam eſſe individuum quiddam ejuſdem naturæ, ejuſdemque carnis, concorporale, & ſingulare*. Gregor. lib. 23. moral. in cap. 32. Job. inquit: *ſciendum quoque eſt, quòd Redemptor noſter unam ſe perſonam cum ſancta Eccleſia, quam aſſumpſit, exhibuit*. Et libro 20. in cap. 29. dixerat pariter, *unam eſſe perſonam Chriſtum & Eccleſiam, plerumque jam diximus: & ſæpe vox capitis, ad vocem corporis, ſæpe vox corporis ad vocem capitis tranſit*. Verùm audiamus etiam S. Auguſtinum egregie de vaſtiſſimo hoc corpore diſſerentem in Pſal. 30. concione 1. *in membris Chriſti Chriſtus. Et ut noveritis, quia unus dicitur Chriſtus caput, & corpus ſuum* (myſticum) *ipſe dicit, cum de conjugio eo quçritur: erunt duo in carne una. Igitur jam non duo, ſed una caro, ſed forte hoc dicat de quocumque conjugio. Audi Apoſtolum Paulum; & erunt duo, inquit in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto & in Eccleſia. Fit ergo tanquam ex duobus una quçdam perſona, ex capite & ex membris ex Sponſo, & Sponſa. Nam unitatem Perſonæ hujus miram, & excellentem commendat etiam Iſaias Propheta* (cap. 61.) *nam loquens etiam in eo Chriſtus in prophetia, ait: ſicut Sponſo alligavit mihi mitram, & ſicut Sponſam ornavit me ornamento; ſe dixit Sponſum, ſe Sponſam: quare ſe Sponſum, ſe Sponſam, niſi quia duo in carne una? loquatur ergo Chriſtus, quia in Chriſto Eccleſia, & in Eccleſia loquitur Chriſtus, & corpus in capite, & caput in corpore*. Mira verba ad eam unitatem exponendam, & ſententiam noſtram pleuè illuſtrandam! Et ſanè ut aliquali proprietate perſona ſit una, debet eſſe una aliqualiter omnium perſonalitas divina aſſumens; quod eſſe nequit niſi interventu animæ. Animam autem Chriſti Domini aſſumentem per realem conjunctionem, aut intimam præſentiam devotè ſuſcipientes Euchariſtiam, infundere ipſis in patria ſuammet viſionem beatam,

tam, nec involvit repugnantiam, quia viſio infundatur ab extrinſeco, ut vulgaris Philoſophia docet, infraque patebit. Neque rurſus, qua eadem viſio replicatur infinities, ut ex præcedentibus iu ſimili planiſſimè infertur. Ergo ſumma hæc unitas in beatitudine, quam per ſe primò intendit Eucharistia, quòd nimirum eadem viſio. Dei (tota merces) quæ beatum reddit caput, efficiat pariter per realem informationem beatum ejus corpus myſticum (maximè cum debeat exigere aliquatenus, & proportione quadam, membris ſuis, quod ſibi poſtulat) omnino concedeoda eſt tamquam prorſus neceſſaria ad perfectionem unitatis poſsibilis illius ſtupendi, & in æternum demirandi conſtituti.

Et hic eſt ſeoſus, in quo Eccleſ. 15. appellatur Euchariſtia *panis vitæ, & intellectus*, quem locum modò de pane Euchariſtico, modò de viſione beata uſurpant Interpretes, quæ eſt vera intellectualis vita, pabulum, & gloria; modò de utroque: utrobique tamen *eſt unus panis* omnibus. Quin inde liceat arguere, eamdem perfectionem unitatis admittendam fore in reliquis Beatis, qui numquam Euchariſtiam ſuſceperint; cum amor Chriſti erga ipſos ſit pariter eximius; Patriarchas enim aut Præcurſorem, aut veteres Prophetas exempli cauſa, ferventiùs diligit, quàm plures Euchariſticos, quia in ſublimiori ſede gloria collocati ſint. Diſcrimen enim, non ſemel allatum in præcedentibus, eſt in promptu. Primum, quia perfectio illa non eſt promiſſa, nec debita corpori myſtico, niſi animato anima capitis tamquam forma aſſiſtente ipſi; cui reali intimè conjunctioni ex quadam condecentia ipſius animæ Chriſti Domini aſſumentis, & gubernantis illud, decrevit bonitas divina, & æquitas promiſit ſingularem illam prærogativam ſanctè communicantibus (ſicuti virginibus comitatum Chriſti Domini) quia ratio congruentiæ expoſcit aliquam ſingularem immanentiam Chriſti Domini in eis, ſeu largiri eiſdem, quam aliis non conferat, etiamſi aliunde ſanctioribus; ſiquidem privilegium hoc non pendet per ſe ex meritis præcisè. Quamobrem uon ſufficit ſolus amor Dei, niſi quatenus ille coegit quodammodo ad Euchariſtiæ inſtitutionem, quæ eſt ultimus amoris divini conatus relatè ad illius effectus in omnibus univerſim, ſuperatque omnes alios amoris exceſſus; etiamſi in particulari poſſint Euchariſtici quamplures ſuperari in gloria ab aliis non Euchariſticis. Sicut nec ora Prophetarum, tametſi aperta ab Spiritu Sancto ad prædicendam Euchariſtiam, illam realiter ſuſcipere meruerunt.

Num. 15. Secundum: quia eatenus anima permanet copulata, quatenus prius ſimul cum corpore fuit condignè ſuſcepta; corpus autem Chriſti Domini non ſit præſens hominibus realiter univerſim, niſi in Sacramento Euchariſtiæ. Ergo nec anima debuit intimè realiter conjungi, niſi accipientibus dignè Corpus, & Sanguinem pretioſum, & quaſi ad nutritionem propriam illius cibi perficiendam. Si autem anima reliquis copulanda phyſicè non erat, adhuc ſanctioribus, nec eadem numero viſio beata elicita à ſanctiſſima illa anima eiſdem phyſicè inhærere debet. Sic virgines ſpeciali modo ſequuntur Agnum; quamquam plures earum vincantur in plenitudine gloriæ, ſanctitatiſque ab aliis, D. Petro v. g. qui Agnum eo ſpeciali titulo, & modo, nequaquam ſequuntur. Quemadmodum Heliotropium, aut flos ſolis cum eo ab ortu ad occaſum circumagitur, ipſiuſque curſum imitatur, & ſequitur amanti gyro, & intuetur indeſinenti obtutu.

Tertium: quooiam ad perfectionem etiam totius corporis myſtici in immenſum protenſi pertinet habere partes aliquas non animatas; in eo ſenſu, in quo animatum dici valet ab anima aſſumente illud, & illi conjuncta inſtar formæ purè aſsiſtentis: quemadmodum ad perfectionem corporis naturalis ſpectat habere partes nonnullas, & ſane per ſe requiſitas, cujuſmodi ſunt Sanguis, & alii humores, non informatas anima, ſeu non animatas. In ea autem acceptione, in qua non præſupponuntur animatæ, ſive intimè unitæ animæ Chriſti Domini nequeunt ab illa participare operationem ſummam rationalis animæ, qualis eſt viſio beata; tametſi eiſdem partibus, ſeu membris, quà animatis forma rationali propria, & gratia ſanctificante inſtructis poſſit, & debeat anima capitis poſtulare viſionem beatam illis reſpondentem realiter diſtinctam, & uniuſcujuſque tantum propriam.

Ubi animadvertendum, viſionem à Chriſto Domino elicitam communicari in Patria iis, qui Euchariſtiam debitè ſuſcepere, non ſolùm penes gradus gratiæ ſanctificantis per Euchariſtiam comparatos, & penes conjunctionem magis, vèl minùs intimam cum anima illa beatiſſima; ſed penes omnes etiam gradus reſpondentes meritis aliunde quæſitis; ne alioqui concurreret otiosè duplex viſio Dei: & quia ſemel atque viſio illa à Chriſto Domino infuſa debeat affigi intellectui Beati, non eſt cur reſtringatur ejus effectus formalis ad remiſſiorem gradum, dum ſupponitur ſubjectum capax intenſioris. Immò valdè dubium eſſet, ſi vel divinitùs id fieri poſſit. Quomodo namque contingeret, quod flumen illud vivum per alveum aliquem anguſtiorem ipſo, & nullateuus impeditum, decurrat impetu, quin illum impleat, & quin exuberet?

Num. 16. Probatur inſuper, deducendo ex præcedentibus aſſertionibus præſentem: quoniam ubi præſupponenda eſt conjunctio realis animæ Chriſti Domini cum digoo Euchariſtiæ ſuſceptore io ſtatu viæ: & ubi faтendum eſt, cam conjunctionem exerceri aſſu-

aſſumendo ipſum ad finem ſeſe per ipſum repræſentandi expreſſiſſimè, uſque ad unionem transformativam (non quæ confundat extrema, ſed quæ illa intimè connectat, & ſimilia efficiat): cum aliunde anima Chriſti Domini illi aſſiſtens, & poſtulet eidem viſionem beatam, ſeu vitam actualem æternam, utpotè illi in Euchariſtiæ ſuſceptione promiſſam, tamquam illius effectum ſingularem in ſenſu aliquo (non communi aliis Sacramentis, mediiſque ipſam obtinendi) ſimulque lumen gloriæ, ut comprincipium intrinſecè prærequiſitum ad viſionem: & cum inſuper ad eam viſionem producendam concurrere valeat anima Chriſti Domini intimè præſens ut inſtrumentum Verbi; congruentiſſimè potius ſuammet viſionem illi communicat, & veluti accommodat, ut vitali modo ab ipſo, cui infunditur, reproducendam; potiuſquam aliam numero viſionem. Uti & radios aliquos ſuimet luminis gloriæ eidem infundit, juxta menſuram effectus formalis, quem præſtare debet ſubjecto illi viſio; potiuſquam lumen aliud novum, & realiter à toto lumine animæ capitis diſtinctum. Aliter totum illud complexum provenire poſſet æquè ex aliis fontibus, ac ex Euchariſtia, nulluſque peculiaris Euchariſtiæ effectus reſplenderet in operatione eſſentiali beatificante nos. Quid igitur intendebant promiſſiones illæ ſingulariſſimæ vitæ æternæ ſuſcipientibus Corpus, & Sanguinem Redemptoris factæ, quod non conveniret pariter cunctis mediis latè fuſis obtinendi beatitudinem? Ubi diverſitas? Ubi ſingularitas? Ubi in promiſſionibus fidelitas? Solus enim ſupereſſet nexus realis animæ Salvatoris cum Beato illo; qui revera foret inutilis, cum nullum ſpecialem pareret effectum, aut fructum, qui ſine illa decerpi non valeat, ex eadem quidem arbore, ex diverſis attamen ramis. Obiterque obſervanda differentia inter effectus aliorum Sacramentorum, & Euchariſtiæ: quod ſcilicet illa, tametſi pro ſtatu viæ ſingulare aliquid inducant, & pro ſtatu beatitudinis nonnulla ipſorum aliquid etiam particulare invehant, ut characterem, aliunde accidentarium; in ordine tamen ad futuram beatitudinem eſſentialem, aut illius modum, nihil prorſus cauſat unum, quod non valeat formaliter comparari per aliud; adeoque nihil, quod ſit peculiare unius, & non aliorum. Cæterum Euchariſtia dirigitur ſpeciali titulo, & promiſſione in beatitudinem ipſam formalem, ut conſtat ex verbis Salvatoris; ſubindeque viſio beata debet eſſe modo aliquo effectus illius, quo haberi nequeat per vias alias, quamquam regias, & ſplendoribus illuſtratas.

Confirmatur. Chriſtus Dominus eſt caput omnium hominum, & Angelorum penes humanitatem in Verbo Divino ſubſiſtentem, non ſolùm *in hoc ſæculo, ſed in futuro*, ut docet Apoſtolus ad Epheſ. cap. 1.; caput autem debet influere in membra, juxta illorum ſtatum, & proportionem, ut manifeſtum eſt, docemurque ab Apoſtolo ad Coloſſenſ. cap. 2. & ad Epheſ. 4. & oſtendit Div. Thomas 3. par. quæſt. 8. illa igitur membra, quibus intimè conjungit in beatitudine ſuammet animam, cum debeat influere eo titulo in eorum præcipuam operationem, per analogiam ad caput materiale viſibile, cum ſimilia planè munia exequatur Chriſtus Dominus, ut caput in membra ſui corporis myſtici, ut liquet ex Tridentino ſeſs. *6.* cap. *16.*; ſi aliunde ſint capacia operationis ejuſdem ſpeciei cum operatione capitis, cur non eamdem numero, quam elicit in capite, eliciet in membris, cum poſſit, ad perfectiorem unitatem, membrorum elegantiam, & harmoniam capiti reſpondentem, & ipſius corporis myſtici decorem incomparabilem; præſertim cum iſta replicatio ſapiat arcanum Euchariſticum, cujus ipſa eſt effectus privativus?

Neque inde arguas, reliquas omnes numero operationes, ſive ſpirituales, ſive etiam ſenſuum, tam internorum, quàm externorum Chriſti Domini participandas fore ob ſimiles congruentias, Beatis Euchariſticis. Siquidem illatio hæc nullo jure deducitur ex aſſertione noſtra: Tum quia promiſſiones Euchariſticæ circa vitam æternam reſpiciunt directè operationes conſtituentes beatitudinem eſſentialem, cum illa dicatur vita æterna ſimpliciter, & hæc ſit quæ promittitur per Euchariſtiam. Tum quia reliquæ ſunt operationes volubiles, & plerunque liberæ Beatis, quas proptcrea, nec expediret, nec poſſent liberè mutuari Beati ſucceſſivo fluxu ab anima capitis. Tum quia gratiæ, quas perenniter reddunt Chriſto Domino ob hoc ipſum beneficium ſingulare, ultra communia alia, includunt actus peculiares eorumdem, & non ipſius Chriſti Domini, ne ſibi ipſi, etiam quà homini, gratias agat, quammaximas pro beneficiorum copia, aut pluvia in membra affluenter emiſſa; cum prius ipſe debeat affici, & denominari per actum, quem infundit.

Num. 17. Promoveri poteſt rurſus ex doctrina non minùs acuta, quàm Subtilium Juniorum calculis egregiè probata, cum Mæratio diſp. 27. ſect. 4. Aranda lib. 5. diſput. 1. nu. 114. Nieremberg. in Pretio divin. grat. lib. 3. cap. 12. quam multis illuſtravit denuò nobilis recentior Franciſcus Xaverius, Primarius Anteceſſor in celeberrima Salmanticenſi Academia. Opinantur ſiquidem præfati Scholaſtici, collatam fuiſſe animæ Chriſti Domini omnem gratiam poſſibilem (juxta præſentem providentiam) etiam illam eadem numero, quæ exiſtit, & extitura eſt in omni creatura rationali; quæque idcirco replicatur divinitùs, quin gradus aliquis unquam de novo producatur: adeoque ita, ut peccante juſto, neutiquam pereat qualitas illa præſtantiſſima, immortalitate digna, ſicut eſt dignitas immortalitatis

litatis

litatis; ſed iterum ſe recipiat ad Chriſtum Dominum, in quo habet ſuam ſixam, & primam connaturalem ſedem, revertiturque in Oceanum, unde exierat, ut loquuntur laudati Theologi. Potius tamen dicendum eſt, quòd gratia in en triſti eventu deſinit eſſe ibi ad inſtar rei bilocatæ, deſinente præſentia replicata; cum illa ita replicari debeat, ut non deſinat eſſe ſimul in anima Chriſti Domini. Idque ſatis veroſimiliter eliciunt ex verbis illis Joan. cap. 1. *& de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*: quæ expouens S. Chryſoſt., inquit: *Ipſe enim fons eſt, & radix bonorum omnium: ipſe lux, ipſe veritas; non in ſeipſo bonorum divitias continens; ſed in universos diffundens, quibus defluxit, plenus permanet: nec ex eo quod aliis ſuppeditat, minuitur, ſed divitias ſuas elargitur ſemper uberius, cumque omnibus hæc bona impertiat, in eadem permanet perfectione*. Profecto mirandum non eſſet, divitias illas nequaquam minui, numquam exhauriri poſſe, ſi quas habet formaliter, numquam impertiret, ſed concurreret ſolùm activè cum membris ſuis ad alias de uovo comparandas, quibus membra ipſa diteſcerent. Et S. Thomas 3. par. qu. 7. art. 9. deſignans cauſas, ob quas debuit exiſtere plenitudo gratiæ in anima Chriſti Domini ait: *Secundò, ex comparatione ejus ad effectum: ſic enim recipiebat anima Chriſti gratiam, ut ex ea quodammodo transfunderet in alios*. Et ideo *quodammodo* ſolùm transfuudit, quia ſimul remanet apud ipſam animam capitis. Et eadem q. art. 1. Corp. ait: *Et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem*. gratia autem, quæ ſolùm proveniret ex Chriſto Domino, ut principio in genere aliquo effectivo, ſive meritorio, uullo pacto diceretur redundans ex illo, cum verbum illud deſignet communicationem formalem; ſed cauſata, aut activè inducta. Eaque ſententia componi facilè, putant, actum præceptum, aut actum contritionis etiam, provenire poſſe efficienter à gratia habituali, non quæ intelligatur poſitivè unita animæ pro priori ad contritionem, aut actum præceptum; ſed præciſivè ab unione, & ejus carentia in operante; unita tamen poſitivè Chriſto Domino, in ejuſque ſinu, velut in proprio centro.

Hæc opinio quamgraviſſimis appetitur argumentis, & abſurdis, abſolutè accepta, tum in ordine ad difficultatem ipſam, quam media illa emollire conatur: tum reſpectu gratiæ ſanctificantis veterum Patrum. Probabilius multò, & ſolidius reſtringi poſſet ad gratiam per debitam Euchariſtiæ ſumptionem comparatam, cum ad replicationem illius præ reliquis concurrat, conferatque quamplurimum unio permanens ex ſe animæ Servatoris noſtri cum juſto illo, ultra præſentiam realem totius Chriſti Domini durantibus ſpeciebus: ratione cujus nexus phyſicè intimè unitur cum capite; dum per reliqua Sacramenta, aut media, ſolùm moraliter, affectivè per charitatem, & habitualiter per ipſam gratiam copuletur. Debet igitur (debito congruentiæ) non ſolum gratiam uberiorem largiri, verùm & eamdem numero, ſive ſtrictiùs unam, quàm ſit illa, quæ confertur reliquis (ejuſdem ſcilicet ſpeciei tantum cum gratia capitis). Non ſanè adæquatè omne pelagus gratiarum reſidens in capite ipſo, & ex ipſo reſluens, ſed gradus reſpondentes ex opere operato ſumptioni. Semel autem ac eamdem numero gratiam ſanctificantem ſortiatur, eiſdem titulis aſſequi debet idem numero lumen gloriæ, & exinde connaturali illatione eamdem numero viſionem beatam; eo tantum diſcrimine, quòd non omnis gradus ſanctificantis gratiæ nobilitans juſtum illum, debet eſſe idem numero replicatus; ſed illi tantum, qui comparantur per Euchariſtiæ probatam ſumptionem. Non ſic autem lumen, quoniam ex ſuppoſitione, quòd juſto illi ſit intimè aſſiſtens anima Redemptoris, dum moritur, connaturalius longè apparet, infundi eidem ex integro lumen gloriæ, quod ipſi correſpondeat, quodque ſit idem numero adæquatè (adæquatione ſe habente ex parte illius) cum lumine gloriæ animæ ipſius Redemptoris, derivatumque ex mari illo vaſtiſſimo luminis, in fluvios propè infinitos ſplendoris ſciſſo, & ſimul integro, abſque vel exigui radii defectu.

Num. 18. Ratio differentiæ eſt, quoniam gratia acquiritur ſingillatim, & ſenſim per operationes ſanctas diverſas, & ſucceſſivas, & inter ſe inconnexas. Unde quæ comparatur per Euchariſtiam, nullam habet connexionem cum acquiſita aliunde, niſi quatenus generatim aliquam ut diſpoſitionem præſupponat in ſuſcipiente ipſam, alio jam titulo poſſeſſam; cum igitur gratia illa, quæ alio jure, & medio quàm per Euchariſtiam obtinetur, eſſe non debeat replicata ex fonte illo univerſali, ut ſupponimus ex communi ſententia, proindeque nec eadem numero cum ea, quæ eſt in Chriſto Domino: cumque rurſus adveniente gratia Euchariſtica, fruſtra præcedens illa deſtrueretur, ut alia ejuſdem intenſionis replicata è Chriſto Domino in ipſum flueret, cum omnis gratia ſanctificans ſit ejuſdem prorſus rationis, & ſpeciei; idcirco ſoli gradus, qui per ſumptionem debitam Euchariſtiæ percipiuntur ſunt iidem numero replicati. Lumen gloriæ verò ſolum unà infunditur, atque adeo, ſi ſemel debet aliqua ejus portio reſpondens gratiæ Euchariſticæ, eſſe eadem numericè cum lumine gloriæ capitis, ex ipſoque deſcendens; conſentaneum, & congruentiſſimum apparet, ut ex integro lumen illud infundatur, & replicetur.

Præterea, & ſecundò: gratia, Euchariſtica etiam amittitur per culpam mortalem, poteſtque rurſus homo, qui caſum illum fecit, reviviſcere per pœnitentiam, quin Euchariſtiam ſuſcipere valeat, aut per tempus liceat: in quo eventu, nullum gradum recu-

Digitized by Google

recuperaret per ſumptionem Euchariſtiæ, ſed per aliud Sacramentum : quapropter, etiamſi gratia conceſſa, (& deinde amiſſa) per antecedentem communionem, reſtituatur, & illa foret replicata ex plenitudine inexhauribili Cbriſti Domini ; numquam tamen reſtitnenda erit eadem numero, ſed alia de novo producta, (juxta principia ſtatuta, ut congruentiora) ; maximè cum non habiturus eſſet ſibi unitam animam Chriſti Domini, ſi Euchariſtiam iterato non ſuſciperet, nec idem lumcn gloriæ, eamdemque viſionem : ſubindeque inutiliter fieret ea miraculoſa replicatio. Quantumvis portio gratiæ, quæ per Euchariſtiam ex opere operato recipit communicaus ritè, debeat eſſe replicata, licet amiſſibilis ſit per peccatum, quia hæc major unitas debetur conjunctioni reali corporis, & ſanguinis cum ſumente : debetur effectui unionis iutimæ, quam per ſe primò intendit Euchariſtia : debeturque tandem animæ Chriſti Domini, partim ut jam copulatæ (ex præcedente communione) per modum formæ aſſiſtentis, ut diximus diſp. 8., partim ut copulandæ deſtructis ſpeciebus, cum effectus communis gratiæ conferatur, priuſquam ſpecies tranſmutentur). At verò lumen gloriæ infunditur in ſtatu, in qun jactura illius ſieri nequit ; ac proinde, etſi totum ex integro ſit replicatum, eo quod deſumatur ex pœne infinito, quod Pater luminum dedit animæ Chriſti Domini, non ſequitur inſinuatum incouvenieus.

Si nihilominus inſiſtat aliquis in oppoſita doctrina, reputans congruentius, ex ſuppoſitione aſſertionis noſtræ, gratiam adæquatè acceptam, tam præcedenter aliis titulis habitam, quàm collatam per Euchariſtiam, eſſe eamdem numero cum ea, quæ ſedem fixam poſſidet in anima Chriſti Domini replicatam, ne partim ſit eadem numero, & divinitus replicata, & partim diſtincta, quia eodem miraculo, quo bilocantur quatuor gradus, bilocari poſſuut ſex ; non contendam diutius : dummodo enim ſubſtantiam rerum, de quibus diſſerimus, obtineamus, earumdem rerum affectiones accidentiarias, & minutulas arbitrio aliorum committimus, faciliùs, & expeditiùs decidendas. Quamvis enim nihil ſit minimum in materia, in qua vel minimum naturale Hoſtiæ ſacræ continet integrum Chriſtum Dominum, quatenus verò parum conducens ad ſcopum, in quem aſſertio aliqua dirigatur, etiam maxima inter minima computantur.

§. III.

Num. 19. SUPERSUNT tamen delibanda ulteriora alia fundamenta, ut videlicet illud diſputatione præcedenti in ſimili ponderatum, deprompt umque ex notiſſimis verbis Pauli ad Galat. cap. 2. *vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus* ; quod vitæ genus de perfecta transformatione eorum, qui animam Chriſti Domini ſibi conjunctam realiter habent, quaſi literali, & genuina expoſitione verificatur luculentiuſque de ſtatu gloriæ, quàm de ſtatu, etiam perfectiſſimo, viæ poteſt uſurpari (tametſi Apoſtolus vel ex hoc ſtatu, deguſtaret ſæpè, pluſquam ſummis labiis, beatitudinis delicias) vivit enim Beatus, ſed per viſionem, ſeu vitam actualem ipſam, per quam vivit Chriſtus Dominus, non ſolùm prout in ſuo Corpore naturali exiſtens ; ſed & ſecundum quod ejus anima vivit intra Beatum Euchariſticum, quem aſſumpſit ; cum ibi etiam ſit beata formaliter actu, per eamdemque numero viſionem in anima Beati aſſumpti replicatam efficit beatè viventem animam aſſumptam ; quæ vivit ſtrictè, & altè per eam viſionem. Cæterum cum illa vita actualis ſit propria Chriſti Domini, canere poteſt jure merito Beatus : vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Non aliena ab eodem inſtituto, & ſenſu ſunt verba illa Chriſti Domini Apocal. 22. de gloria diſſerens : *merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua*. Novimus quidem ex fide, Chriſtum Dominum ut ſupremum judicem præſtiturum Beatis mercedem laborum, ſeu viſionem Dei, quæ eſt *tota merces*, juxta diverſitatem, & pondus meritorum. Verùm cum hæc ſit beatorum propria merces, cur illam dicit apertè, & abſolutè ſuam ? *merces mea*. Rurſus cum præfata merces, ſeu viſio ſit intrinſecè inhærens mentibus Beatorum, cur aſſeverat eam eſſe apud ſeipſum ? *Merces mea mecum eſt* ? certe non alia aptiori, & connaturali magis ratione, niſi quia eadem numero viſio formalis, qua anima Chriſti Domini ſit beata, communicatur, ut merces, illis, qui in Sanguine agni lavarunt ſtolas ſuas, & qui potarunt ipſum in Euchariſtia. Præfata autem viſio, & eſt Chriſti Domini merces formaliter, & eſt cum ipſo ſemper ; & ſimul per illam formaliter reddit unicuique Euchariſticorum in Patria præmium, juxta menſuram, & veluti taxam meritorum ; quamquam ſuper plena ſit menſura, redundetque eo titulo gloria. Ratione cujus viſionis infuſæ anima capitis præcedenter unita per modum formæ aſſiſtentis in eſu phyſico, poſſet dici in ſenſu aliquo lato forma moralis, aut quaſi informans in eſſe morali in ordine ſupernaturali. Ad modum quo in ipſo eſſe purè intelligibili dicitur eſſentia divina forma reſpectu mentis Beatorum à compluribus (quamquam ab his dicatur ſtrictè talis in eſſe intelligibili).

Optimaque ratione trahitur etiam illud Pauli ad Coloſſenſes cap. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum Ipſo in gloria*. Quo namque jure Chriſtus Dominus, cum apparuerimus cum ipſo in gloria, eſſet vita noſtra, fine-

que

que illius anima foret nobis realiter intimè copulata: nec ejus viſio, quæ eſt formaliter vita beata eſſet nobis infuſa? Sanè non alia, niſi quatenus mors ſua promeruiſſet nobis gloriam, illiuſque portas gemmatas victrici, etſi cruenta manu, aperuiſſet. Verùm id ſignificat tantum, illum fuiſſe cauſam meritoriam vitæ beatæ noſtræ, quæ cauſalitas durabit tunc in effectu duntaxat; & aliunde in eo ſenſu, utpote lato, locutio eſſet minùs propria: ad modum quo impropriè diceretur ſerenitas noſtra, aut ſecuritas ab ulteriori diluvio, Noemus modò, tametſi meruerit ſacrificio oblato promiſſionem divinam, non perdendi ulterius mundum aquis diluvii: nec ille eſt cæleſtis arcus fœderis inter Deum, & nos, licet meruerit varium illud, & pulcherrimum fœderis ſignum in pluvia rutilans; cum Chriſtus Dominus verè dicatur in gloria *vita noſtra*; & quidem eo quod fuerit vita ejus abſcondita ſub nube accidentium, & abſcondita etiam intra juſtos Euchariſticos ejuſdem anima, quæ in ſe eſt vita ſubſtantialis, nobis per unionem accidentalem in abſcondito copulata. O fortunata bino titulo vita, & quia beata, & quia Servatoris noſtri propria! Si non dicam Beatos Euchariſticos *terque, quaterque beatos*, bis attamen beatos meritò dicam.

Num. 20. Attingam iterum verba Joan. 6. in præcedenti diſputatione ponderata: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Ejuſmodi autem verba præſeferre tantùm neceſſitatem præcepti, ut frequens opinio exiſtimat, ſpeciem aliquam præſefert violentæ interpretationis; eamque parùm firmam credunt non pauci Theologi, S. Auguſtin. & aliorum Patrum teſtimoniis ſatis apertis. Et ſanè eadem ratione diceretur abſolutè neceſſaria Confirmatio ab eis, qui præceptam eſſe ſimpliciter contendunt ex S. Melchiade in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ex Concilio Aurelianenſi cap. 3. ex Urbano Papa in cap. *omnes fideles* de conſecrat. diſt. 5. & ex Doct. Seraphico, uti opinantur Doct. Subtilis, Richardus Gabriel, Paludanus, Waldenſis, Bellarminus, Turrianus, Martinon. &c. Præterea verba Chriſti D. promittentia inſtitutionem Euchariſtiæ uſurpari in acceptione adeo laxa, dum illa per ſe ſonant neceſſitatem ſimpliciter, januam aperit patentiſſimam refractariis ad accipiendas in eodem ſenſu locutiones ejuſdem Salvatoris, continentes præſentiam realem ſui Corporis, & Sanguinis, ut ſæpe notatum fuit. Eiſdem ferme incommodis ſubjecta eſt aliorum reſponſio, exponens neceſſitatem illam per ſummam difficultatem diù conſervandi vitam gratiæ abſque cibo hoc, quo nutritur vita ſpiritualis, quam dicunt moralem neceſſitatem. Quamquam enim ex illius nutritionis defectu ruat præceps vita multorum fidelium in æternam mortem; non pauci tamen morti vicini recuperant gratiam; & mortem oppetentes, vitam aſſequuntur.

Fugam verò, quam alii capiunt per neceſſitatem disjunctivam illius, vel in re, vel in voto, freti quibuſdam D. Thomæ verbis, occluſimus Diſp. 8. Certe diverſum prorſus eſt, rem aliquam eſſe neceſſariam in voto ad æternam ſalutem; ac eſſe neceſſarium votum rei ad eam ſalutem aſſequendam, ut notavit ſapienter Petrus Arcudius lib. 3. de Sacram. cap. 47. & ex eo Martinon. diſp. 28. ſect. 7. num. 74. Prima illa neceſſitas fertur in rem ipſam, ſine qua, aut ſub titulo aliquo loco ipſius, minimè obtinetur ſalus. Et aliunde difficulter admodum apparet; neonatum ſuſcepta per lavacrum regeneratione morientem illico, aſſequi beatitudinem, eo quod acceperit Euchariſtiam in Baptiſmo. Secundum autem fertur in propoſitum, aut deſiderium exequendi rem illam; & hoc genus neceſſitatis, convenit univerſim omni præcepto; ac ſubinde nullum inſigne peculiare foret Euchariſtiæ, ut in loco allegato fuſius declaratum eſt.

Quapropter neceſſarium, neceſſitate quadam reflexa, credimus ad ſalvandam eam ſimpliciter neceſſitatem, recurſum ad noſtram opinionem circa unionem animæ Chriſti Domini (quæ eſt vita ſubſtantialis) cum anima beata illius, qui ſuſcipit Euchariſtiam; ad quam vitam obtinendam neceſſaria ſimpliciter eſt ſuſceptio condigna Euchariſtiæ, ſine qua licet habere poſſit vitam gratiæ, numquam tamen ſubſtantialis hæc. Adjungendaque modò viſio beata animæ Chriſti Domini propria, quæ eſt vita actualis æterna, communicata per replicationem animabus illis Euchariſticis, & ex conſequenti lumen gloriæ replicatum, amor beatificus, fruitio, & ſiquis eſt alius actus conſtitutivus beatitudinis, quæ eſt vita formalis glorioſa; hanc autem nullo medio alio obtinere quis valet, niſi per ſumptionem debitam Euchariſtiæ; tametſi abſque illa comparare poſſit beatitudinem ſimpliciter. His accedit ubertas, & intenſio major ejuſdem gloriæ eſſentialis, eo titulo conferendæ; qua alligata prorſus eſt huic medio. Accedit eadem numero copia claritatis, aliarumque dotum gloriæ Corporis Chriſti Domini, replicata in ejuſmodi Beatis, & quidem abundantius, ut ſic exprimat vividius Chriſtum Dominum. Accedit tandem, quòd non ſolùm habet vitam intra ſe ritè communicans toto tempore, quo perſeverant incorruptæ ſpecies, nimirum Chriſtum ipſum Dominum, qui eſt vita noſtra, & quidem vitam tam ſubſtantialem, nempe animam Salvatoris, quàm accidentariam, & actualem, ſcilicet viſionem beatam, qua videt Deum caput noſtrum, & qua in Patri viſurus eſt ille (ſi jacturam non faciat unionis realis cum anima illa Deifica) ſummum bonum. Sed ha-

habet illam permanenter, cum remaneat deſtructis ſpeciebus, & diſcedeute Corpore, anima Chriſti Domini cum vita illa beata in actu ſecundo, quæ eſt etiam vita noſtra, quia per illam eamdem numero viſuri ſumus divinam eſſentiam: & in hoc ſenſu habet *vitam æternam in ſemetipſo manentem* de qua 1. Joan. 3.

Nunc autem Euchariſticus in ſtatu viæ habet intra ſe fœlicitatem ipſam, & beatitudinem, ſeu vitam actualem; illa tamen non fruitur nuuc, quia nondum eſt illi communicata intimiùs, quia nondum eſt animæ ejus infuſa, unà cum lumine gloriæ, ut erit in Patria. Propterea Joann. 6. dixit Salvator ipſe: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, nou ſolum eam habiturum docet, ſed habere de præſenti, niſi quod illa frui non licet; ipſa tamen ut habita de præſenti eſt pignus ſuimet, ut habendæ in Cœlo. Ad quam vitam habendam in nobis, neceſſaria eſt, neceſſitate medii, Euchariſtia, & ideo dixit; *niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis*, itaut nec in voto ſufficiat. Vide quot modis verificetur neceſſitas medii per noſtram ſententiam, cum per alias nulla umquam fuerit inventa. Cui ſi adjungas neceſſitatem moralem, & præcepti ſimul, relate ad gloriam ſimpliciter acceptam, juxta communes reſponſiones delibatas nuper, invenies proculdubio reſultantem ex utraque neceſſitatem verificantem ſtrictè verba Salvatoris, cum partim ſit medii, & moralis partim. Qua parte namque reſpicit, & animam Chriſti Domini unitam realiter per mudum formæ aſſiſtentis, & viſionem ejus infundendam animæ Euchariſticæ, ita eſt neceſſarium Euchariſtiæ Sacramentum, ut nullum admittat poſſibile in hac providentia ſubſtitutum, nullum Vicarium; Euchariſtiæ privilegium eſt, non conceditur alteri medio: eſſe poteſt enim illud, de quo Chriſtus Dominus, dum intraret in caſtellum, ubi aderat Magdalena, ſub ejuſque tectum, lacrymis ſtratum, dixit: *porro unum eſt neceſſarium*.

Num. 21. Secundum verò illud, quod continet aſſertio generatim ſupra producta (ut & quoad primam ejus partem probata) minimè apparere debet novum, aut paradoxicum, noſcenti, quàm probabilis ſit iu Philoſophia, Theologiaque, opinio dictans intellectum noſtrum poſſe percipere objectum intentionaliter per intellectionem ab extrinſeco infuſam; eo quod intellectionem conſtituat per qualitatem abſolutam (cum aliunde certum ſit poſſe illam replicari divinitus). Quod frequentius adhuc defenditur, ſi intellectus, cui infunditur, debeat concurrere activè, vel ad ipſam intellectionem reproducendam: vel ad producendam unionem illius ſecum, vel ad utrumque ſimul, ut ſit perfectè actus vitalis ab intrinſeco fluens; itaut, licet intellectio in abſtracto minimè importet actionem; intelligere tamen in concreto acceptum illam eſſentialiter includat. Immo dum intellectio reproducitur, ut in re noſtra, viſio illa Chriſti Domini propria; & Beatis Euchariſticis communicata, in rigore ſermonis non infunditur ab extrinſeco, quantumvis præexiſtat in intellectu ejuſdem Chriſti Domini, qui extrinſecus eſt intellectui animæ aſſumptæ: eo quod ab hoc reproducatur, ab intrinſecoque fluat activè, maneatque in illo, eodem prorſus modo, ac quilibet alius actus illius potentiæ intellectivæ. Sive viſionem illam debeat per ſe ſupponere præexiſtentem in capite (quod foret peculiare hujus viſionis; ſive non, de quo mox). Præterea etiamſi viſio credatur conſtituta per entitatem modalem, ſive actionem immanentem: extraneum nullo pacto eſt à Philoſophia, ſed probatiſſimum potius, poſſe modum eſſentialiter alligatum huic extremo bilocari divinitus alibi; quia alligatio illa poſitiva eſt; neutiquam verò privativa. Id quod faciliùs admittitur, ubi eutitas eſſe nequit purè modalis, ſed abſoluta ſimul; cujuſmodi eſſe intellectionem, fatentur illi, qui purè abſolutam averſantur: tum ob ejus dignitatem: tum ob amplitudinem, vitalitatem, & reflectendi energiam, ultra couceptum ſpiritualem. Quæ efficaciùs probant de viſione beata ſublimioris ordinis in linea intellectuali: cum eo ipſo debeat eſſe à fortiori minùs alligata, adeoque non privativè. Pudet enim nonnullos Adverſariorum dicere, beatitudinem noſtram, ultimamque fœlicitatem, ſitam formaliter in entitatula phyſicè modali pœnitus. Sic ſpiratio activa, quatumvis vera operatio ſit, adæquatèque ſit operatio Patris, non ita ei alligatur, ut ſimul non ſit propria operatio Filii, adæquatè pariter, eidemque affixa, ut principio *quod*: utroque ſpirante procedit aura illa Divina, quamquam emauet ex unoquoque integra, ſitque ſpiratio amoris; partialitatis, aut diviſionis neſcia.

Num. 22. Rurſus, notanda ſedulo eſt differentia inter operationem elicitam à potentia ut purè inſtrumentaliter concurrente ad ipſam, & illam, quæ procedit ab intellectu, aut alia potentia, ut cauſa per ſe principali: hæc enim concipi faciliùs poteſt affixa huic potentiæ determinatæ in individuo, quia ab hac ut tali per ſe fluit activè, & hanc per ſe poſtulat, tam ut fiat, quàm ut maneat, ſi fuerit operatio immanens. Cæterum illa (cujus naturæ eſt viſio beata) ſolùm provenit ab hoc intellectu, ut nudo inſtrumento, proindeque exiguum influxum præſtante, ſcilicet ſecundum illum gradum communem, quem continet, uempe ſecundum rationem geneticam intellectionis (aut ſimilem) conſequenterque viſio beata ſolùm exigit intellectum ſecundum illum gradum genericum, pœnes quem ab illo producitur; ex quo legitima illatione ſequi videtur, ſolùm expoſcere intellectum

pœnes eamdem rationem communem intellectus, ut in eo maneat, aut recipiatur. Ergo dummodo idem numero lumen gloriæ, quod reperitur in intellectu capitis, reperiatur in intellectu Euchariſticorum, idemque objectum concurrens, eadem eſſentia, & per modum ſpeciei unita (ſi huic opinioni ſubſcribas) menti eorumdem; quin & idem concurſus animæ Chriſti Domini, quæ influit pariter in eam reproductionem; nequit titulo alligationis repugnare eſſentialiter reproductioni ſuimet ab alio intellectu, inſtructo eodem nnmero lumine, factæ, replicationique: cum aliunde in omni Beatorum intellectu inveniatur ea ratio generica intellectus, unà cum reliquis principiis. Unde tametſi ex integro illa recipiatur in hoc determinato intellectu realiter; non illum quà determinatum expetit eſſentialiter, ſolumque ſub aliqua conſideratione intentionali, & quaſi reflexa concipi poteſt determinatè exigens Chriſti Domini intellectum, quà ſcilicet ipſa reflexè exprimat, ſe eſſe capitis corporis myſtici beatitudinem formalem. Verùm hoc illi poſſet convenire tantum qua ſumma viſionum creatarum eſt, abyſſumque includit claritatis & perfectionis, ſecundum quam nulli ex integro communicatur formaliter. Et quamvis illa expetat lumen gloriæ, (à quo in Chriſto Domino de facto procedit) ut principium activum, quod non adeſt adæquatè in reliquis Beatis; cum tamen non proveniat ab alio lumine diſtincto poſitivè, ſed à proportione illius, ſupplente concurſu Dei, & inſtrumentali animæ Chriſti Domini, quod deeſt luminis; nullo principio reipſa eſſentialiter affigitur poſitive in Beato, à quo participatur, quod fit contra, nec extra illius exigentiam.

Sic quia verba conſecrationis Hoſtię ſortiuntur vim conſtituendi realiter præſeus Corpus Chriſti Domiui & aliunde corpus ſecundum ſe includit formam aliquam ſubſtantialem; ponitur, in Theologorum plauſibili ſententia ex vi verborum anima ſecundum gradum genericum formæ corporis; ponenda eodem modo forma cadaverica, ſi adeſſet realiter tunc in corpore alibi, aut forma corporeitatis alia: alterutra enim contenta eſt vis illa verborum, quantumvis ex ejus efficacia (ut diſtincta ab eorumdem vi) ponatur forma rationalis, quæ de facto eſt in corpore, in Cœlo exiſtente: & tamen verborum propria vis ita eſt affixa ſignificationi, ſicut actio ſuo principio, & ſubjecto. Exemplum ſatis opportunum, & intra ipſam Euchariſtiam inventum, ut ab eadem petamus ſubſidium, ad ſtrenuè propugnandum ejus ultimum glorioſum effectum.

Num. 23. Alia etiam via elucidari poteſt hoc ipſum, ſi dixeris, viſionem Dei propriam Chriſti Domini, utpotè immenſæ profunditatis, & lucis convenire ipſi, quà unito Verbo Divino, aut capiti totius corporis myſtici, quod ſanè exploratiſſimum eſſe debet; cum autem caput illud influere debeat in membra, quæ ad differentiam membrorum corporis naturalis intellectu prædita ſunt, utpotè ſuppoſita rationalia phyſicè; poſtulare quamoptimè poſſe ſui replicationem per membra, illaque repræſentare; itaut petat primum eſſe ſui in capite, è quo primo fluit, & in quo primo, & per ſe recipiatur; & deinceps effluere in corpus myſticum illius capitis, ab eodemque realiter egredi, & in ipſo etiam manere ſimul. In qua acceptione non poſſet provenire primò à quolibet Beato, cum debeat præſupponere ſuam exiſtentiam, & veluti incunabula, & ſedem dignam in capite. Neque huic exigentiæ, & repræſentationi obeſſe poteſt alligatio poſitiva, ut dictum eſt, privativa verò non adeſt, ſi admittatur præfata exigentia: atque adeo non repetimus principium, ſed illud repeteret, qui in eum modum argueret. Sic viſio Divina, qua Deus ſeipſum intuetur, affigitur cuilibet Perſonæ Divinæ, etiam quà relativæ, cum ſit operatio uniuſcujuſque propria; non tamen uni colligatur privativè, cum poſtulet eſſentialiter affigi reliquis, quantumvis adæquatè unicuique alligata ſit poſitivè.

Demum omnem dubitationem aufert conſenſus Theologorum, etiam illorum, qui de facto intellectionem ſitam eſſe opinantur in actione, docens, poſſibilem eſſe intellectionem conſtitutam per qualitatem abſolutam, ſive ad intelligendum actu in concreto debeat actione propria illam producere phyſicè, vel reproducere ſaltem (ſive unionem tantum, ſi fuerit divinitus ab extrinſeco infuſa) quæ ſententia extra dubium poſita videtur, ut ut res ſe habet circa factum: cum expreſſio illa nobiliſſima objectorum ſeparabilis ſit ex ſublimi conceptu ſuo ab ignobili conceptu modalitatis, & actionis phyſicę, aut originis ab èo, cui præſeus efficit objectum, uti colligitur ex Divo Thoma 1. par. quæſt. 34. art. 1. ad 3. aiente: *nam intelligere importat ſolùm habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur: ſed ſolùm informatio quædam in intellectu noſtro, prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ*. Solùmque ſub ratione creatæ veluti in genere, importat realem ſui productionem. Maximè cum intellectio Divina, juxta vulgarem Theologiam, non egrediatur realiter ab intellectu ſub ulla ratione (quamquam nos aliter ſentiamus, ſub conceptu relativo ejuſdem, ut ænigmate Theologico diſp. 8. oſtendimus). Ubi autem illa ſit poſſibilis, talis adſtruenda eſt in capite corporis myſtici, quà phyſicè illi conjuncto per animam propriam membris Euchariſticis copulatam; quin ideo viſio illa ſit diverſæ ſpeciei in ratione Theologica viſionis à reliquis (ſive in acceptione phyſica, aut metaphyſica differat, ſive

non)

non) etiamſi hæ ſupponantur entitates modales . Non propterea tamen ipſum *videre* in concreto acceptum , non importabit eſſentialiter egreſſum realem per ſe in vero aliquo ſenſu , cum illum eſse de conceptu formali intellectionis , aut intelligentis in concreto evincant ſatis , quæ allegata diſp. 8. præſertim ſect. 3. & 4. attulerim . Siquidem licet viſio illa (quam ſupponimus cum ſolemni Theologia poſſibilem) ſit qualitas, debet tamen (ut per illam vivat) oriri ab intellectu cujuſvis Beati per actionem propriam illius intellectus reproductivam viſionis (quamvis ſe ſola ſit tantùm partialis reſpectu intenſiſſimæ illius viſionis , & ideo juvatur ab omnipotentia , ut dictum eſt) . Adjungimuſque neceſsarium minimè eſse , quòd per ſe primò emanet ab illo intellectu , quem reddit intelligentem , ſed quòd ab illo reproducatur , ſi præſupponatur in alio exiſtens : vel ſaltem producatur nova illius unio cum intellectu illo , ſecundum diverſitatem opinionum , juxta quam philoſophamur eo modo , ut communioribus Theologorum placitis vulgaribus fundamentis innixam aſsertionem ſtruamus , ad modum quo antiquis ruderibus ſæpè nova fabrica erigitur ,

Num. 24. Id ipſum quod de viſione libatum eſt , dictum ſit pariter de amore beatiſico , fruitione , & aliis operationibus , ex quibus integratur beatitudo formalis . Hanc formalem beatitudinem , adæquatam , dicimus omnibus Beatis Euchariſticis communicatam ab anima Chriſti Domini eiſdem intimè aſſiſtente , eandemque numero omnino , utpotè ipſam numericè , qua anima illa , aſſiſtens cunctis , Deum videt , Deum amat , & fruitur Deo . Ita tamen ut ipſamet ab omnibus intrinſecè realiter ſuboriatur per reproductionem ejus , replicationemque : & ita inſuper , ut ad illius reproductionem concurrat in quolibet Beato anima capitis activè inſtrumentaliter , per illamque divina virtus , ultra concurſum luminis , ſupplens defectum ulterioris luminis ad intenſiſſimam illius claritatem producendam , quippe quod ex integro ſolùm refulget in ipſo capite . Quoniam licet viſio prædicta non conferat in quolibet , nec in omnibus ſimul membris , totum ſuum effectum formalem ; verumtamen cum tota illa reproducenda ſit phyſicè , nequit ad ejus productionem ſufficere lumen gloriæ remiſſius , vel non æquè intenſum ac illud , quod colluſtrat intellectum humanum Chriſti Domini ut diximus ; tametſi ſufficeret , ſi menſuraodum unicè foret cum intenſione effectus formalis , quem exhibet in quolibet particulari Beato . Eget itaque idcirco influxu validiori animæ Chriſti Domini , & ipſius omnipotentiæ . Et tandem ita , ut æquè replicetur idem lumen gloriæ Chriſti Domini menſuranum effectui formalis viſionis in illo intellectu , ac replicatur eadem anima , eademque viſio ; & uti replicatur idem Chriſtus Dominus in Euchariſtia . Ex quibus innoteſcet ſatis , aſſertionem hanc noſtram neutiquam eſſe raram aliquam in Philoſophia , aut Theologia , avem. Sed quæ turbam potius aliarum planè ſimilium comitetur , quæque nec altiùs reliquis , audacibus nimiùm pennis , volitet , ſed earum ductum ſequatur .

SECTIO SECUNDA.

Firmatur eadem aſſertio quoad reliquas duas ejuſdem partes , & enodantur difficultates occurrentes ,

§. I.

Num. 25. TERTIA aſſertionis pars affirmat , viſionem illam infuſam Beatis , vel potius ab illis divinitùs reproductam , tribuere effectus formales remiſſos , intenſos , aut intenſiores , juxta diverſitatem meritorum , per quam dimetienda eſt claritas , & profunditas beatitudinis uniuſcujuſque , dicente Florentino in literis unionis ; *Beatos intueri clarè ipſum Deum Trinum , & unum , ſicuti eſt , pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius* . Docueratque Apoſtolus 2. Corint. cap. 9. *qui parcè ſeminat , parcè & metit* . Hoc autem nullam difficultatis ſpeciem præſefert , dum viſiones ſunt ad invicem diverſæ , ſeu numero diſtinctæ ; magnam verò , & ægrè ſuperabilem , dum eadem numero inhærens pluribus , debet effectus ſummè inter ſe diverſos in gradu intenſionis & claritatis exhibere : ut contingeret in objecto noſtræ aſſertionis , juxta quam eadem numero viſio , per quam Chriſtus Dominus Deum intuetur , communicatur Beatis , aſſumptis realiter ab anima ejuſdem Salvatoris . Quo pacto enim viſio , aut qualitas intenſiſſima formaliter unita ſubjecto , ſive potentiæ capaci videndi intensè , & clariſſimè , præſtare poteſt effectum videndi remiſſum duntaxat ; cum ille ſit effectus in linea cauſæ formalis , ſubindeque inimpedibilis , poſita ſemel forma in ſubjecto capaci ?

Non aliter opportunius occurri poteſt huic difficultati , quàm referendo Theologorum opiniones circa modum poſſibilem verificandi effectum formalem remiſſum , aut intenſum , provenientem ab eadem numero qualitate , aut forma , conſequenterque diverſitatem effectuum formalium ab eadem numero forma divinitùs replicata in diverſis ſubjectis capacibus : ut per tritas illas ſemitas , & communes doctrinas , evadat aſſertio noſtra immunis , à nemineque , niſi repellente probatiſſimas ſententias , eo titulo reſpuatur . Primus igitur modus menti D. Thomæ conſonus , immo ejuſdem partus , intenſionem , & remiſſionem effectus reſultantis ex eadem numero qualitate , explicat per majorem , vel minorem ipſius radicationem , ſivè participationem , aut unionem

magis, vel minus intimam eum eodem ſubjecto (aut diverſis) ſemota omni reali additione gradus ad gradum ad intenſionem efficiendam, ſive omni addito ſe habente ex parte ipſius formæ. Cum igitur viſio beata propria capitis, & membris corporis myſtici communicanda, ſupponatur eo ipſo, vel qualitas abſoluta, vel talis, ut per novum aliquem influxum in ejus unionem à quolibet particulari intellectu Beatorum præſtitum, aut per illius reproductionem, informet intrinſecè omnes; nullo negotio concipi valet major, aut minor illius radicatio, pro diverſitate intellectuum, eodem prorſus modo, ac eadem numero qualitas idem ſubjectum modò intenſius, modò remiſſius qualificat, & afficit, juxta radicationis, aut participationis modum. Hanc ſententiam tradidit S. Thomas 1. ſecundæ qu. 52. art. 2. corpore: dum ait: *Dictum eſt enim ſupra, quod augmentum, & diminutio in formis, quæ intenduntur, aut remittuntur, accidit uno modo, non ex parte ipſius formæ ſecundum ſe conſideratæ, ſed ex diverſa participatione ſubjecti: & ideo augmentum habituum, & aliarum formarum non fit per additionem formæ ad formam, ſed fit per hoc quòd ſubjectum magis, vel minus perfectè participet unam, & eamdem formam*: Et articulo 1. eamdem doctrinam latè fundaverat referens circa rem hanc quatuor Philoſophorum opiniones. Et in primum ſentent. diſt. 17. qu. 2. art. 2. diſputans de modo, quo augeatur, ſive intendatur charitas, poſtquam recenſuit ſententiam exiſtimantium: *quod augetur per additionem charitatis ad charitatem*: relato deinde ſecundo aliorum voto, ſubjungit adverſus priorem illum opinandi modum: *primam autem poſitionem non poſſum intelligere, quia in omni additione oportet intelligere duo diverſa &c.* Proceditque fusè, & nervosè eam opinionem repellens; nullumque efficacius argumentum contra illam potuit efformari, quàm quod Divus Thomas ipſe fateatur, ſe nunquam eam intelligere potuiſſe.

Num. 26. Juxta mentem itaque expreſſam D. Thomæ quantumvis viſio beata propria Chriſti Domini ſit ſumma infra increatam, vincatque omnes creatas conjunctim uſurpatas infinita propè intenſione lucis; poterit nihilominus per majorem, vel minorem ſui participationem formalem, ſive per unionem magis vel minus intimam, aut arctam, intenſiorem, vel minus intenſum, effectum formalem videndi Deum exhibere alicui ſubjecto, quin umquam integrum effectum tribuat alicui intellectui, niſi ſingulariter intellectui proprio animæ Chriſti Domini, tametſi tota realiter uniatur, & communicetur animabus, quibus infunditur, vel à quibus iterato elicitur, & conſervatur; eo quod non ſe communicet totaliter. Effectus namque formalis percipiendi clariùs, aut minus clarè, diviſibilis eſt reſpectu videntis in concreto, etiamſi realiter ipſa forma indiviſibilis planè ſit. Quemadmodum ſi concipias potentiam viſivam impeditam, incapacemque ob pravas diſpoſitiones videndi, niſi in gradu infimo, tametſi divinitus eliceretur viſio intenſiſſima, ad cujus productionem potentia illa debilis inſtrumentaliter concurreret, reciperetque ipſam, neutiquam perciperet objectum omni ea claritate, qua exprimeret illud præfata viſio infæliciter ſubjectata. Ignotum mihi non eſt, eam opinionem confutari à nobiliſſimo Philoſophorum, Theologorumque cœtu, illamque alienam credunt à mente ipſius D. Thomæ, pro ea laudati, ſi de qualitatibus fiat ſermo. Cæterum qui eam libenter amplectuntur, numquam poterunt ex eo capite irruere in aſſertum noſtrum.

Ulterius plures ex eis, qui additionem gradus ad gradum pro conſtituenda intenſione deſiderant in qualitatibus emortuis, & purè phyſicis, atque adeo intenſionem in eis per majorem formæ participationem averſantur pænitus; in actibus tamen vitalibus, qui poſſunt ferri in objectum intenſiùs, vel remiſſiùs, admittunt eam majorem, vel minorem interdum participationem ejuſdem actus, vel alterius ejuſdemmet omnino rationis: eo quod unus actus vitalis additus alteri nequeat intenſiorem viſionem efficere per ſe; quamquam per accidens, dum ſimul concurrant, efficiunt viſionem extenſivè clariorem; intenſivè autem nonniſi valde impropriè, cum unus non augeat per ſe alium. Et licet unus actus vitalis, ſpiritualiſque, quantumvis indiviſibilis, ſit intenſior alio pariter indiviſo, quia ferventiùs, aut clariùs, nobiliùſque fertur in objectum, ex qua majori perfectione intrinſeca deſumenda videtur intenſio, aut remiſſio; putant nihilominus, ab eodem numero actu vitali indiviſibili perfectiſſimo exhiberi poſſe quandoque ſubjecto præſtantiorem, vel minus præſtantem effectum, juxta majorem illius radicationem, vel minorem in eodem ſubjecto, ſive juxta modum, quo magis vel minùs participetur idemmet actus à ſubjecto; quam diverſitatem participationis diverſimodè explicant. Et ſaltem manifeſtum videtur ſubjectum capax ſolùm intenſionis, ut quatuor, nec per viſionem intenſam ut octo poſſe in concreto percipere objectum intenſivè ut octo. Ne alioqui numquam excogitari valeat major, aut minor intenſio, niſi per actus diverſos; quod reputant abſurdum, cum perſpicuum eſſe credant, hominem pluribus intentum ſimul, minùs percipere ſingula objecta, quàm percepiſſet per eumdem numero actum, viſionem v.g., objectum præſens, ſi ratione aliarum operationum non diſtraheretur attentio, ex ſe limitata, veluti in rivulos diviſa, in quorum ſingulis potius languet, aut hæret, quàm decurrat aqua. Sic Dialectici, qui præciſiones formales amant ex duobus prædicatis indiviſim repræſentatis in eadem intellectione, unum tantum percipere intellectum præſcin-

den-

dentem formaliter, ajunt. Ergo & per eamdem viſionem intenſam ut quatuor in claritate poterit idem intellectus percipere objectum claritate ſolùm penes unum, aut duos gradus, etiamſi integrum objectum attingat, videatque, quin ex parte objecti aliquid intactum relinquat, ſed unicè ex parte modi ipſum attingendi clariùs, aut minùs clarè, juxta modum, quo eamdem viſionem participat, vel quo illam iutellectui copulet, quaſi radices profundiores, vel minùs profundas forma illa percipiendi objectum agat, juxta diſpoſitionem terræ, quam occupat.

Num. 27. Non propterea, ut libatum eſt, præciſiva dicenda erit viſio minùs radicata, ſicuti præſcindit vel formaliter, vel objectivè, intellectio, quam dicunt Logici præciſivam, cum viſio totum objectum notificet intellectui, cui minus communicatur, æquè ac illi, à quo participatur intimius, atque adeo adæquatè illud percipiat uterque intellectus, adæquatione ſe habente ex parte objecti viſi (immo & ex parte ipſius viſionis; ſi objectum ex integro repræſentet) non ex parte modi percipiendi, aut claritatis. Sic plures, qui credunt poſſibilem cognitionem attingentem omnia poſſibilia, infinitamque extenſivè; conſtanter affirmant, illam uihilominus comprehenſivam minimè futuram, nec infinitam intenſivè, eo quod poſſit clariori, & clariori ſine fine modo eamdemmet amplitudinem objectivam attingere. Sic apud complures Scholaſticos, quibus ſubſcribit Bonæſpei, Humanus Chriſti Domiui intellectus poteſt divinitus intelligere per intellectionem increatam, ſibi realiter, immediatè unitam. Quin & de facto ita contingere docuit Hugo, docuit Joannes de Ripa, Henricus de Gandavo, ſuoque tempore Pariſiis defenſatum fuiſſe à nonnullis, refert D. Seraphicus in 3. diſt. 14. noſtro verò Doctiſſimus Theologus nulli ſui ævi ſtudio, & ſapientia rerum divinarum, ſecundus. Et tamen non ideo plerumque apud eos (ſi Juniorem excipias) Theologos, intellectus Chriſti Domini comprehenderet Deum per increatam intellectionem, tametſi illa ſit formalis Dei comprehenſio in ſe, cum per ipſam Deus, quantus, quantus eſt, comprehendatur à ſeipſo. Quia nimirum ab intellectu divino illa perfectiſſimè in ſummo, infinitoque gradu participatur, nempe per identitatem; à creato verò ſolùm per unionem: ac ſubinde, licet per eam divina virtute fieri valeat, ut intelligat, fieri tamen nequit, ut comprehenſivè Deum attingat. Pariter igitur & inter viſiones ipſas reales ejuſdem rationis, ſive inter modos participandi per unionem formam indiviſibilem, potentem præſtare effectum nobiliorem, conſequenterque præſtantiorem, & clariorem alia ejuſdem ſpeciei, aut rationis, intervenire poteſt major, aut minor participatio; & exinde intenſior, aut remiſſior objecti viſi perceptio. Poſſentque facilè exempla alia in hujus ſententiæ confirmationem, cumulari, ſi in ea referenda opinatorem agerem. Ex ejuſmodi tamen opinione ſequitur perſpicua illatione, viſionem illam propriam Chriſti Domini, quantumvis ſuperantem omnem creatam, incapacemque exhibendi integrum ſuum effectum formalem alteri, quàm intellectui ejuſdem Chriſti Domini, quia nullus alius eſt illius ex integro capax, poſſe ita copiam immenſi fulgoris temperare limitatione, aut debilitate intellectuum, quibus communicatur, ut modò uberiorem, & intenſum, modò remiſſum effectum videndi exhibeat, juxta menſuram participationis, & profunditatem radicis.

Erunt inſuper, qui in materia ſubjecta velint ſecundo alio modo (ſatis probato, & mihi probatiſſimo) explicare remiſſum effectum formalem percipiendi objectum, tametſi viſio intenſiſſima ſit, per actiones ex ſe inadæquatas, illius reproductivas, ſive diſtinctas realiter, ſi viſio Beata illa credatur ſita formaliter in qualitate abſoluta, ſive per eamdem reproductam à quolibet Beato Euchariſtico; itaut intellectus cum lumine determinato illi conceſſo producat eam viſionem pænes formalitates ſolùm, & gradum, ipſi ut præfacto lumine inſtructo reſpondentem; reſiduum verò illius reproducatur à divina omnipotentia. Vel (ſi malueris) ab anima Chriſti Domini inſtructa lumine gloriæ, æquè intenſo, ac eſt ipſa viſio, ut aſſiſtente intrinſecè ibi. Et cum aliunde florentiſſima ſit opinio docens, intellectum vivere non poſſe intentionaliter, niſi phyſicè vivat producendo intellectionem, quam tenui tom. 2. Ænigm. Theol. diſp. 8. ſect. 3. & 4. neceſſariò vivere ſolùm poterit intentionaliter, juxta menſuram qua phyſicè influat in viſionem prædictam, itaut vivat remiſsè per vitam intenſam.

Num. 28. Tertius modus exponendi intenſionem, & remiſſionem, ad majores, vel minores diſpoſitiones ex parte ſubjecti ad receptionem illius formæ, recurrit: per illas enim conſtituitur, eſſentialiter, inquit, capacitas ſubjecti ad nobiliorem, vel minus nobilem effectum ſuſcipiendum; etiamſi forma, non in ipſis diſpoſitionibus, adhuc partialiter, ſed in ſubjecto ipſo diſpoſito adæquatè recipiatur. Inde autem inferunt quamplures, lumen gloriæ, non ſolùm tribui ad vires activas intellectui præſtandas, cum viſio Dei ſit ſupra ejus vires naturales; ſed inſuper per modum diſpoſitionis neceſſariæ omninò ad proportionandum, elevandumque intellectum, ut in linea ſubjecti poſſit recipere viſionem, & per illam formaliter actu videre Deum. Quapropter ſi viſio fuerit intenſiſſima; lumen verò gloriæ conceſſum in gradu tantum remiſſo, tametſi ſuppleri valeat à divina omnipotentia virtus effectiva in eo eventu, ſive hypotheſi (vel ſi purè infunderetur ab extrinſeco prædicta viſio) effectus tamen for-

ma-

malis videndi, eſſet tantum remiſſus, juxta menſuram ſcilicet diſpoſitionis, ſive luminis. Hanc ſententiam colligunt ex Divo Thoma: 1. par. qu. 12. art. 5. ubi ait: *omne quod elevatur ad aliquid, quod excedit ſuam naturam, oportet, quòd ſupponatur aliqua diſpoſitione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per eſſentiam, ipſa eſſentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quòd aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ei ſuperaddatur, ad hoc, ut elevetur in tantam ſublimitatem*; & hoc eſſe lumen gloriæ, oſtendit illico: & Cajetanus ibi ait: *augmentum hoc ad duo poni inſinuatur: & ad diſponendum intellectum pro tam excelſa forma intelligibili, & ad vires præbendum eidem, ut poſſit elicere actum viſionis*. Similia habet Sanctus Doctor 3. contra Gent. cap. 53. ubi oppoſitum dicit prorſus impoſſibile.

Eumdem modum amplectuntur veteres Thomiſtæ, præſertim Ferrarienſis, & Capreolus, uti & Richardus, Aureolus, Baeconius; quamquam duo hi ſolùm conceptum diſpoſitionis agnoſcunt in lumine gloriæ; neutiquam verò influxum activum. Pluresque Recentes, quibus adhæſit Joſephus Auguſtinus: neceſſitatem omnimodam ſive eſſentialem hujuſce diſpoſitionis ad videndum Deum probant, non modò exemplis inſinuatis à Divo Thoma, & aliis, quæ ex eodem Doctore Angelico producit Eximius Doctor lib. 2. de attributis negativis cap. 15. verùm & exemplo intellectionis eſſentialiter prærequiſitæ ad amandum, quin illa ſit conſtitutiva formæ amandi, ſed conſtitutiva ſolùm capacitatis ſubjecti ad actu effectivè attingendum objectum, ad denominationemque amantis in concreto. Et quidem, ut dictum eſt, etiamſi ab extrinſeco per concurſum omnipotentiæ activè eliceretur viſio beata, abſque influxu, & exiſtentia luminis: quemadmodum, licet divinitùs infunderetur ab extrinſeco amor, nullatenus redderet formaliter amantem voluntatem, ſi nulla præfulgeret cognitio. Adjunguntque definitionem Concilii Vienenſis, relatam in Clementina de Hæreticis cap. 3. *Ad noſtram*, ubi damnatur inter alias hæc Beguardorum, & Beguinarum propoſitio: *quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum*. Ubi definit eo ipſo oppoſitum, conſequenterque docet, intellectum indigere lumine gloriæ, ut elevante ipſum, & diſponente; quod non tantùm ſignificare videtur neceſſitatem luminis ad vires activas præſtandas intellectui creato, cæcutienti ex ſeipſo ad præſentiam immenſi fulgoris divinæ eſſentiæ; ſed formaliter in genere cauſæ diſponentis, proportionantiſque elevatione inenarrabili mentis humilem, ſubobſcuram, & exiguam intellectus lucem ad intuendam inconniventibus oculis divinitatem & ideo affirmat, requiri ad concretum ipſum videndi.

Ex quo inferunt præfati Doctores, quòd nec miraculosè contingere valeat, ut aliquis actu formaliter reddatur videns intuitivè Deum abſque eo, quod ejus intellectus ſit illuſtratus lumine gloriæ, & quidem ſive tranſeunter, ſi talis fuerit viſio, ſive permanenter, cum eiſdem diſpoſitionibus opus habeat ad præſtandum ſuum effectum formalem conſervata, ac primò producenda, & è converſo. Quapropter, etiamſi permittatur viſio divinitus infuſa, & unita intimè intellectui, abſente ea diſpoſitione, ſive lumine, nullo modo perciperet objectum divinum, obrueretur que vel audaciſſima oculorum pupilla, aut acies, ni confortaretur à luminis vigore, aſſeverante Divo Thoma eo art. 5. ad ſecundum, quòd lumen gloriæ exigatur, *quaſi perfectio quædam intellectus confortans ipſum ad videndum Deum*. Idque expreſſit Ferrarienſis 3. contra Gentes cap. 54. dicens: *Quòd Deus illam entitatem, quæ eſt viſio divinæ eſſentiæ, poteſt per ſe abſque lumine gloriæ, & etiam abſque intellectu creato producere, non tamen poteſt ſic eum producere, quòd intellectus per eam videat divinam eſſentiam, niſi concurrat intellectus ipſe ad producendam viſionem ſufficienter diſpoſitus & elevatus per lumen gloriæ*. Semel autem ac deficiente ſimpliciter lumine nequeat abſolutè Deum intueri per viſionem infuſam, aut ab eodem per auxilium extrinſecum productam; neceſſariò, exiſtente ſolùm lumine remiſſo, videre nequit Deum intenſione ſuperante lumen, etiamſi viſio intenſiſſima ſit, juxta notum axioma *ſimpliciter, & magis*, quæ inter ſe paſſim conferuntur, & eorum luminibus Philoſophia ubique illuſtratur.

Num. 29. Quartò: Thomiſtæ quamplures credunt, unionem eſſentiæ divinæ per modum formæ intelligibilis eſſe per ſe ſimpliciter neceſſariam, ad videndum Deum formaliter; addunt tamen; lumen gloriæ prærequiri eſſentialiter per modum diſpoſitionis ad hoc ut eſſentia uniatur eo modo intellectui creato. Quam doctrinam tradit expreſsè S. Tho. 3. contra Gent. cap. 53. ibi: *Eſſentia divina eſt forma altior omni intellectu creato; ad hoc igitur, quod eſſentia divina fiat intelligibilis ſpecies alicujus intellectus creati (quod requiritur ad hoc, quòd divina ſubſtantia videatur) neceſſe eſt quòd intellectus creatus aliqua diſpoſitione ſublimiori* (lumine gloriæ) *ad hoc elevetur*. Et aliunde ſi ſemel unio illa neceſſaria eſt ad videndum ſimpliciter, à fortiori ad videndum Deum intenſiùs, ſeu ad novas illius formalitates contuendas, unio major cum ſpecie intelligibili, ut repræſentante illas præexigitur, conſequenterque nova intenſio luminis diſponentis, ſine qua nullo pacto clariùs videbit. Namque ut ait Eximius Doctor lib. 2. de attribut. negat. cap. 11. num. 7., diſputans de neceſſitate luminis ſimpliciter, à Concilio Vienenſi ſtatuta: *Hinc rectè infertur, ad melius videndum, eſſe elevandum per melius lumen*.

Quintò: Alii arbitrantur, lumen gloriæ non tantum eſſe principium activè influxus in viſionem, ſed inſuper eſſe quoque potentiam

tiam receptivam, ſive adæquatè, ut exiſtimant nonnulli, præſertim Thomiſtarum, quos dabunt, & imitantur Salmanticenſes; ſive inadæquatè ſolùm, aut partialiter, ut cenſuere illi, quos refert, & ſequitur P. Salas. Ex veteribus autem, vel integram, vel inadæquatam diſiunctivè receptionem viſionis attribuunt lumini Durandus, Richardus, Major, Gabriel, Marſilius, quibus ſubſcribunt juniores aliqui, & aſtipulatur noviter Mezguer. Si autem viſio recipi debeat eſſentialiter in lumine, ut præbeat ſuum formalem effectum intellectui, ſicuti deficiente lumine, tametſi viſio divinitus fieret ab intellectu, aut illi infunderetur, in eodemque materialiter ſubjectata foret, nullum præſtaret effectum intentionalem percipiendi objectum; ita pariter ſi lumen fuerit remiſsum, viſio intenſiſſima io ipſo, ſive partialiter, ſive adæquatè recepta nequit integrum ſuum effectum formalem exhibere intellectui, quia limitaretur à remiſſa ſuſcipientis capacitate. Adeoque licet integra illa vis intenſionis paſsivò, & materialiter ineſſet lumini, & intellectui, formaliter tamen ſolum pænes gradum luminis effectum exhiberet. Sic licet viſio Dei ſpiritualis iuſunderetur potentiæ viſivæ materiali, neutiquam per illam anima intueretur Deum, eo quod ſubjectum recipiens phyſicè eam viſionem, utpotè corporeum, incapax ſit prorſus effectus formalis percipiendi objectum ſpirituale per viſionem itidem ſpiritualem. Ergo licet viſio intenſa recipiatur phyſicè in intellectu illuminato claritate gloriæ in gradu remiſſo, (ſive ex integro, ſive ex parte ſubjectetur in lumine ipſo) cum tamen capacitas intellectus ad intuendam eſſentiam divinam conſtituatur eo ipſo per lumen, uti conſtituitur per illud potentia paſſiva recipiendi ipſam; à fortiori erit incapax percipiendi formaliter intensè ſummum bonum, licet illud capiat claritate remiſſa.

Erit ſextò (& eſt), qui conetur ſatisfacere præſenti difficultati per conceptum ſpeculi voluntarii, convenientem Deo in ordine ad Beatos: quaſi poſſet ſe inviſibilem ſimpliciter reddere, vel uſque ad determinatum gradum, etiamſi ſupponantur inſtructi viſione intenſiſſima; quam ſuiſſe mentem Durandi credunt Scholaſtici moderni frequenter. Revera tamen præſata locutio, ex S. P. Auguſtino decerpta potiſſimùm, denotat ſolum, divinam eſſentiam videri poſſe, ſi voluerit concurrere ad viſionem eliciendam; ſecus autem ſi decernat denegare concurſum: & ad hunc modum voluntariè concurrit ad viſionem clariorem, cum poſſet in minus claram influere. Nequaquam verò probat, efficere poſſe Deum, quòd ſemel elicita, aut infuſa viſione clariſſima, ſi aliunde intellectus præſupponatur capax illius effectus formalis; (eo quod capacitas paſſiva neutiquam conſtituatur per lumen, nec ſit diſpoſitio eſſeotialiter requiſita ſub aliqua ratione; poſſit non præſtare integrum ſiuum effectum formalem; quippe qui per divinam voluntatem impediri neutiquam poſſet, divinitus adhuc, ex ea ſuppoſitioue. Laborare etiam videntur incaſſum, qui ſupponentes, lumen gloriæ eſſe ſimul ſpeciem impreſſam virtualiter repræſentativam Dei cum P. Vaſquez, Smiſingo, Hurtado, Alarcon, & receutibus aliis, laudantibus pro eadem ſeutentia D. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & 3. Contra Gentes cap. 54. Uti & Subtilem Doct. in tertium diſt. 14. q. 2. & in quartum diſt. 49. q. 11. Ricardum, Argentinam, & antiquos alios, affirmaut, abſque ejuſmodi ſpecie, nec obtutum divinum copulatum eſſe ſufficienter in actu primo poteutiæ intellectivæ (averſantur euim plerumque unionem eſſentiæ divinæ in eſſe intelligibili cum intellectu): nec adeſſe fæcunditatem in intellectu ad eliciendam viſionem, percipiendumque clarè Deum. Ex quo rectè infertur, lumen remiſſum non copulare ſufficienter objectum in actu primo ad viſionem intenſam, nec conſtituere fœcunditatem, quæ ſit neceſſaria ad videndam eſſentiam Dei intenſiùs, quàm lumen gloriæ patiatur.

Unde ſi opinio hęc via aliqua ſubſiſtere, aut ſtare valeat, nobis pariter ſtabit. Cæterum illa parùm coaducens apparet ad diſſolvendum præſentem nodum: ſiquidem neceſſitas hujus ſpeciei, prout ab his Authoribus declarata, & intenta, devolvitur unicè ad complendum intellectum in ratione principii activi viſionis, vel applicativi objecti in actu primo. Utrumque autem divinitus suppleri valet; maximè ſi poſſit ab extrinſeco infundi qualitas intellectionis. Immo, licet ab intrinſeco provenire debeat eſſentialiter, poterit tamen virtualis repræſentatio, influxuſque activus aliunde provenire divinitus, ſemel ac non repugnet repræſentatio virtualis propria ſpeciei ad videndum Deum, in lumine ipſo ſita. Reſtat itaque intactum pœnitus cor ipſum difficultatis; quo pacto nimirum viſio intenſiſſima divinitus communicata, & unita intellectui beato neutiquam præſtet ipſi integrum effectum videndi intenſiſſimè Deum (vel nec videudi ſimpliciter, ſi omni lumine ſupponeretur deſtituta) cum ſubjectum ſit capax eſſentialiter, & forma ſit ex integro participata, & cum reſpectu ſubjecti capacis, forma præditi, ſit jam Deus ſpeculum neceſſarium.

Num. 30. Veroſimilior apparet, duabus ultimis nuper rejectis, ſeptima reſponſio, dicens, lumen gloriæ requiri oeceſſariò ad videndum Deum, ideſt non ſolùm ad eliciendam activè viſionem, ſed etiam ad percipiendum ipſum intentionaliter, eodem plane modo, ac exigitur lumen materiale ad videndum coloratum: quinimmo magis adhuc ob improportionem intellectus noſtri cum viſione ſupernaturali. Sicut enim lux eſt ratio formalis ſub qua videtur objectum, ſive adæquata, ſive unà cum ratione formali

mali

mali coloris, ut colligitur ex D. Thoma 1. ſecundæ qu. 8. & qu. 12. ſumiturque ex Philoſopho; ſic lumen ad videndum Deum. Quapropter etſi lumen gloriæ non prærequiratur ex parte objecti, ſive divinæ eſſentiæ, cum illa ſit per ſe formaliter viſibilis, quin per ſpeciem diſtinctam reddi poſſit viſibilis intuitivè: nec requiratur inſuper tamquam medium, in quo; non videnda alioqui divina eſſentia, ſicut eſt, & in ſeipſa, ſed in medio aliquo diverſo, ſubindeque non intuitivè; exigitur attamen omnino ut lumen, ſub quo intellectus, ſive oculi mentis videant eſſentiam (ultra concurſum activum in viſionem). Hanc diſtinctionem excogitavit lumen Theologiæ laudata qu. 12. art. 5. ad tertium dicens; *lumen illud non requiritur ad videndam Dei eſſentiam, quaſi ſimilitudo, in qua Deus videatur: ſed quaſi perfectio quædam intellectus confortans ipſum ad videndum Deum. Et ideo poteſt dici, quòd non eſt medium, in quo Deus videatur: ſed ſub quo videatur. Et hoc non tollit immediationem viſionis Dei*. Conſequenterque poſtulatur lumen à D. Thoma ad hoc, ut intellectus ſub illo tamquam ratione formali ſub qua feratur intentionaliter, media viſione, in Deum, atque adeo erit eſſentialiter requiſitum ad percipiendum intentionaliter objectum divinum, cum nequeat tendere potentia in ſuum objectum media operatione extra rationem formalem ſub qua propriam, quia foret vagari extra ſphæram formaliter, quod impoſſibile eſt prorſus. Et in hac acceptione uſurpant illud Pſalm. 33. *& in lumine tuo videbimus lumen*.

Quamobrem ubi lumen, ſub quo videndus eſt Deus, limitatum fuerit ad determinatum gradum claritatis; tametſi viſio aliunde ſortiatur adeo intenſiorem claritatem, numeroſioremque formalitatum videndarum repræſentationem expreſſam (ſi deſideretur ad viſionem magis claram, aut intenſam), eo quod ab alio perfectiori lumine in alio intellectu, vel à validiori divinæ omnipotentiæ influxu in hoc ipſo eliciatur, nonniſi penes modum intenſionis, & penes formalitates, quæ ſub hoc lumine deteguntur, & quaſi à lumine ipſo indigitantur, afficere valet intentionaliter & denominare videntem intellectum hunc. Quemadmodum exigua, & veluti dubia luce materiali videri nequeunt objecta ea claritate: & intenſione, qua frueretur potentia viſiva illorum præſentia, ſi lux non erraret dubia in oculis, nec adeo exigua in objectis, ſed firma, & copioſa temperatè in utriſque.

Num. 31. Per lumen nihilominus ipſum occurrendum ultimo loco ſpecioſiùs longè, aut probabilius, itaut elucidetur plane ſolutio nodi propoſiti, & ex illa aſſertio noſtra. Ad illam autem expreſſiùs declarandam, præmittendum eſt, lumen naturale rationis, non ſolùm dicere vim activam ſpecierum intelligibilium in intellectu agente (abſtractivamque illarum à phantaſmatibus) per quas intellectus poſſibilis illuminetur ad percipienda intentionaliter objecta; ſed inſuper lumen proprium intentionale ipſius intellectus poſſibilis ad ipſa formaliter percipienda. Utrumque enim, immo præſertim ſecundum hoc, denotat Regius Propheta illis verbis Pſalm. 9. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Uti nec Potentia viſiva corporea foret capax percipiendi objectum materiale, ſi ultra colorem, & lucem, ſub qua, aut ſub quibus illud attingit, non haberet in ſe inchoatam aliquam lucis rationem, tametſi informem, rudemque, quod denotant verba illa Davidica; *& lumen oculorum, & ipſum non eſt mecum*. Sive lumen illud naturale diſtinguatur ab habitu primorum principiorum, quia intellectus diſtinguatur realiter ab eo habitu, ſive identificetur realiter cum illo. Unde Sanctus Thomas quæſt. nona de verit. artic. primo dixit: *de lumine intellectus oportet nos loqui ad ſimilitudinem luminis corporalis: lumen autem corporale eſt medium, quo videmus, & ſervit noſtro viſui in duobus. Uno modo in hoc, quo per ipſum fit nobis viſibile actu, quod erat potentia viſibile. Alio modo in hoc, quod viſus ipſe confortatur ad videndum ex luminis natura. Unde & oportet eſſe lumen in compoſitione organi. Unde & lumen intellectuale poteſt dici ipſe vigor intellectus ad intelligendum, vel etiam id, quo aliquid fit nobis notum*. Ad modum quo 3. contra Gent. cap. 53. dixit: *ſicut lux non fit actus alicujus Corporis, niſi aliquid participet de diaphano*. Quæ veritas, & eſt ſatis in Philoſophia trita, & eodem lumine rationis explicato nota. Eſt enim verum lumen illud, aut lux ſpiritualis, ſicuti eſt etiam Deus: *quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*. Joann. 1. & in Symbolo Filius creditur *lumen de lumine*, & rurſus, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Joan. 1. *lucem inhabitat inaceſſibilem* 1. Timot. 6. *Candor eſt enim lucis æternæ*. Sapientiæ 7. *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. Hæbr. 1. Adeo tamen altioris, & diverſi ordinis, ut dum illam non aliter concipiamus, aut explicemus, quàm per materialem hanc lucem, metaphorica dicatur à nonnullis explicatio. Et ſaltem cauſat effectus ſimiles materiali, vel ad horum ſimilitudinem omnino declarandos, juxta principia fidei circa lumen gloriæ, lucem divinam, & illuminationem.

Præmittendum ſecundò, lumen majus reſpectu ſenſus, ſeu Potentiæ viſivæ, obruere, & veluti offuſcare lumen minus. Hæc propoſitio Solis exemplo, & ſtellarum, aut candelæ, clariſſima eſt omnibus; quam tradit S. Thomas in 3. diſt. 14. q. 1. art. 1. ad ſecundum inquiens: *diverſa luminaria per radios ſuos ſunt nata informare eaſdem res: & ſunt ejuſdem rationis in illuminando: unde effectus minoris lucis non perficitur, quia ſenſus reple-*

repletur luce majore. Rurſus 3. p. q. 5. art. 4. ad ſecundum differens de duplici lumine ſimul illuminante, ait: *lux major evacuat lucem minorem alterius Corporis illuminantis; non tamen evacuat, ſed perficit lucem Corporis illuminati: ad præſentiam enim Solis ſtellarum lux abſcuratur; ſed aeris lumen perficitur*. Ubi legendus Cajetanus; & Joannes à S. Thoma tract. de Incarnat. quæſt. 7. in diffuſa literæ explicatione. Eadem repetit S. Doctor q. 9. art. 1. ad primum, ſæpiſſimeque; & quamvis per metaphoram à luminibus orationis, idem tamen pereleganter expreſſit Tullius, dum in Bruto elatum, ſublimemque quorumdam oratorum dicendi modum Catoniaois luminibus obfuiſſe refert: *ſic Catonis luminibus obſtruxit hęc poſteriorum quaſi exagerata altius oratio*.

Præmittendum denique, lumen ſuperioris ordinis, ſeu diverſæ rationis, non obſcurare, aut nubilum ſimpliciter reddere lumen inferioris conditionis, dum ſubjectum debiliori luce ornatum illuminat; ſed potius perficere, & confortare illud; in ordine tamen ad objectum, vel objecta (& modum, ſive intenſionem) ad quæ videnda illuminatur à luce ſuperiori, ſecus verò in ordine ad alia, ad cujus viſionem neutiquam fortificet potentiam, & in ordine ad clariorem videndi modum, quod ipſum minimè io ſe contineat, proindeque nec ad illum confortare valeat facultatem viſivam. Prima pars ſuppoſitionis liquet ex doctrina nuper producta D. Thomæ in locis præallegatis: nam 3. p. qu. 9. art. 1. ad ſecundum inquit: *ſi verò accipiantur dua lumina, ita quod majus ſit in ardine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuſcatur per majus, ſed magis augetur*. Et in tertium diſt. 13. q. 1. art. 1. ad ſecundum, eam veritatem tradiderat, uti & in quartum diſt. 49. q. 2. art. 6. ad quartum, aſſignans rationes, ob quas nequeat intellectus noſter videre propriis tantum viribus eſſentiam divinam, ait: *Tertiò propter exceſſum claritatis divinæ eſſentiæ ſupra formam, qua intellectus creatus naturaliter intelligit: & ſic per conſequens deficit intellectus creatus non videndo Deum per eſſentiam, quamvis immenſitas divinæ eſſentiæ intellectum non corrumpat, ſed magis confortet*. Excellentia enim intelligibilis non obruit intellectum illuminatum, ſicut exceſſus ſenſibilis corrumpit ſenſum, ut docuit Arioſt. in 3. de anima, & ex ipſo D. Th. opuſc. 16. de unitate intellectus, quia confortatur per illud (alioqui obruendus), & propterea *in lumine ejus videbimus lumen*. Conſtatque apertiſſimè ex ipſo lumine gloriæ, quod juxta fidei noſtræ priocipia, non obſcurat, nec opprimit lumen naturale intellectus, quia elevat potius, & confortat ad videndum Deum.

Secunda verò pars evidenter colligitur ex ſecunda ſuppoſitione: uti & ex cæcitate Pauli ad videndum, dum circumfulſit illum lux è Cœlo deſcendens, niſi tantum Chriſtum Dominum, ad quem intuendum illuminabatur ſubita illa tempeſtate lucis, & quaſi turbine ſplendoris: *& cum non viderem præ claritate luminis illius* (Chriſti Domini) *ad manum deductus*. Actorum 22. ubi confortatus ſupponitur ad contuendum ſplendorem Corporis glorioſi Salvatoris (quem comites viderunt in confuſo duntaxat, & propterea Salvatorem ipſum nequaquam conſpexerunt) ſiquidem lux corporis beati, vel eſt ſupernaturalis aliquo modo, ut cum Alberto Magno, Richardo Argentina, & Soto cenſent plures Scholaſtici, quibus favet S. Thom. 1. par. qu. 66. art. 3. ad 4. & in 3. diſt. 16. q. 2. art. 1. ad 4.: vel eſt diverſi ordinis, & ſpeciei, ut cum Doct. Subtili opinantur plurimi; vel ſaltem ob nimiam claritatis excellentiam, eſt improportionata Potentiæ viſivæ pro ſtatu viæ, uti docent frequenter alii. Et nihilominus ad alia objecta non confortavit potentiam, ſed obcæcavit potius. Sic etiam (quamquam reſpectu diverſorum) idem fulgor faciem Moyſis illuſtrans, ejus viſum acuebat, & Populum obcæcabat: *non poſſent intendere Filii Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus* (2. Corint.). Non ſegniuſque elicitur ex ratione à priori, ob quam non opprimitur lux inferior à ſuperiori diverſæ rationis. Quoniam eatenus non offuſcatur lumen inferius à ſupremo, quatenus fovetur, & confortatur ab illo potentia in ordine ad objectum aliquod intuitivè videndum (vel objecta) & ex conſequenti in ordine ad modum intenſionis, & claritatis ad quem elevat, & fortificat. Ergo relatè ad objectum, aut intenſiorem illud attingendi modum, ad quem nullatenus ſenſum, vel potentiam confortat; opprimit neceſſariò. Niſi quod lumen gloriæ, utpote univerſaliùs, ſaltem virtualitèr, & connaturale ſtatui beatitudinis, conſortat intellectum ad alia etiam objecta; non ſic autem lumen aliud peregrinum, & tranſieos.

Antecedens extra dubium omne eſt, & ab inductione notum: namque ideo Theologi cum D.Th. 1.p. q.12. art.5. ad 2. definiunt lumen gloriæ: *perfectionem quamdam intellectus, confortantem illum ad videndum Deum*: idque docuit etiam 3. contra Gen. c.52. & 54. & in loco 3. par. nuper producto. Uti & ideo nuperis exemplis conſtitit, idem lumen altioris ordinis, & illuſtrare ſenſum, dum ab ipſo fovetur, aut elevatur; & opprimere circa id, ad quod videndum nequaquam ſenſum fortificat. Conſecutio autem ex dictis ſatis probatur. Profectò ſi lux ſuperior tunc ſolùm non obruat inferiorem, quando illam juvat, & elevat; dum ipſam minimè confortat, neceſſariò obtenebrat: quoniam tunc verificatur illud D.Th., quòd ſcilicet ſenſus, aut intellectus *repletur luce majori*, & quidem luce habente vires longè clariores viribus alterius lucis, ordinis infimi, ut planè debilioribus.

Præterea id conſtat ex eo, quod lumen increatum, ſive eſſentia Divina ſe babet reſpectu luminis naturalis intellectus noſtri (ut

Tttt lo-

loquitur Div. Thom. 3. contra Gent. cap. 54.) *Sicut excedens virtutem ejus, ſicut excellentia ſenſibilium ſunt extra facultatem. Unde & Philoſophus in ſecundo met. dicit, quòd intellectus noſter ſe habet ad rerum manifeſtiſſima, ſicut oculus noctuæ ad lucem Solis: indiget igitur confortari intellectus creatus aliquo Divino lumine ad hoc, quod Divinam eſſentiam videre poſſit.* Ergo ſi non confortatur lumine illo, obruetur pœnitus ejus naturale lumen, eo plane modo ac excellentia ſenſibilis corrumpit ſenſum; cum permaneret in ratione luminis longè excedentis; & aliunde intellectus non eſſet confortatus ad illud, vel ſub illu percipiendum objectum. Et quamvis loquatur ibi de lumine increato, Divina ſcilicet natura, hoc ipſum auget vim argumenti, cum concurrat duplex lumen ſuperioris ordinis, nempe increatum, & lumen gloriæ, quo opprimatur lumen naturale, ſi non juvetur. Ex quo neceſſariò deducitur, obſcurandum fore lumen intellectuale in ordine ad clariorem modum videndi, ſi ad illum non confortetur, etiamſi perficiatur ad illud ſimpliciter intuendum: itaut in ordine ad diverſa Lyncem efficiat, ſimul & Talpam.

Num. 32. Ex his autem oritur perſpicua ſolutio propoſitæ difficultatis, quam ſic breviter explico: lumen gloriæ confortat intellectum Beati, tum ad eliciendam, ſive reproducendam viſionem Dei, quam ſupponit aſſertio, propriam Chriſti Domini, tum ad percipiendum clarè, intuitivèque Divinam eſſentiam media illa viſione; cęterum in ordine ad clarius, ſive inteuſius percipiendum objectum illud per eamdem viſionem, quam ſit intenſa claritas luminis gloriæ, ut conjuncti cum lumine naturali intellectus (ſive majori illa claritas includere debeat novas Divinæ perfectionis formalitates detegendas, ſive non) obſcurat lumen naturale rationis, ſive impedit uſum illius ad percipiendum clarius, copia lucis ſuperioris ordinis: ſiquidem deficiente ratione fovendi, & confortaudi, repullulat vis opprimendi. Quapropter etiamſi viſio illa Chriſti Domini communicata Beato repræſentet clarius, & clarius in actu ſecundo Divinam eſſentiam, ſitque forma neceſſaria, cum tamen per ſe eſſentialiter requiratur capacitas in ſubjecto, in quo deuuo recipitur (& è quo denuò egreditur) ad objectum illud videndum intenſiori claritate, quæ capacitas conſtituitur intrinſecè, & eſſentialiter ex lumine proprio nativo, aut naturali; ſine quo ſimpliciter non magis intelligeret, aut videret per illum actum, quàm ſi præfata viſio collocaretur in voluntate, vel in alia potentia incapaci videndi; ſi aliunde prędictum lumen naturale, quamquam nulla parte extinctum, fuerit ex aliqua obrutum, ſive impeditum ad præſtantiorem illum effectum formalem percipiendum; nullo pacto per viſionem illam præſtantiſſimam uberius, perſpicacius, aut ſublimius videre poteſt ſummum bonum. Quandoquidem capacitas formaliter percipiendi, intentionaliterque, conſtituitur partim ex lumine naturali expedito, ſolutoque omni actuali impedimento, cujus carentiam importat eſſentialiter omnis potentia, tam activa, quàm paſſiva. Confortatur igitur ad effectum, quem continet in ſe lumen gloriæ illi communicatum; impeditur verò ab eodem lumine in ordine ad ulteriorem effectum viſionis formaliter percipiendum, etiamſi integram illam materialiter in ſe habeat.

Ex quo fit, quod licet permitteremus, poſſe intellectum videre Deum per viſionem ab extrinſeco infuſam, vel per auxilium extrinſecum elicitam, nullo præexiſtente lumine gloriæ: & quamquam rurſus permittatur, viſurum in eo eventu Deum juxta menſuram viſionis infuſæ, aut elicitę (quod inficiantur, & impugnant acriter plures Theologi); non propterea ex ſuppoſitione luminis illuſtrantis intellectum, poterit ille videre clarius per viſionem clariſſimam, quàm penes taxam luminis, & gradum intenſionis ipſius: quia nimirum adeſt tunc impedimentum poſitivè obſtans ulteriori perceptioni objecti, quo impedimento careret in ea hypotheſi, ſolaque reſtaret ſuperanda improportio naturalis, quam permittimus Divina virtute ſupplebilem. Eodemque jure impediretur per lumen remiſſum ad videndum clarius, etſi divinitus etiam cum illa viſione intenſiſſima adeſſet alia; quia dummodo lumen non augeatur, uti confortat vim intellectivam in ordine ad intuitionem commenſuratam intenſioni luminis, & ad cognitionem veſpertinam, aliaſque, quæ ex illa per ſe conſequuntur, aut conſequi poſſunt, quin & ad omnia objecta alia univerſim ſub alio lumine videnda perſpicacius; in quo differt ab alio fulgore miraculosè interdum aliquem illuſtrante in ordine ad determinatum aliquod objectum; ita confundit, & veluti obtenebrat lumen illud naturale in ordine ad intenſiorem ejuſdem objecti perceptionem claram; non quia poſitivè obtenebret; ſed quia poſitivè impedit claritatem majorem, ideſt poſitivè invehit negativam obſcuritatem, ſeu noctem, inducens carentiam majoris claritatis in percipiendo objectum: etiamſi neutiquam impediat, ut dictum eſt, ſed juvet potius, quod per cognitiones alias abſtractivas poſſet Deum attingere, quia ratio formalis ſub qua proxima illarum eſt diverſa.

Unde parum aptè opponeres ſententiam aſſerentem, intellectum profectiorem cum æquali lumine videre clarius Deum: juxta quam doctrinam, vel confortatur lumen intellectus à lumine gloriæ ad illum exceſſum, & ſic fortiſicari poterit in re noſtra ad videndum juxta integram viſionis intenſionem. Vel nullatenus fovetur, & nihilominus videt clarius; & ſic fallit diſcurſus contendens, obſcurari lumen naturale eo ipſo quod non confortetur. Non apte quidem: tum quia communior opinio illam eo titu-

lo

lo falſam credit (vel non abſimili) tum quia apud ſubtilem ejus opinionis Patronum, eatenus id contingit, quatenus ex utroque lumine coaleſcat uuum intenſius; cum enim utrumque ſit principium activum, creſcit neceſſariò vis luminis gloriæ ex acceſſu luminis intellectualis : & conſequenter eo magis, quo fuerit validius lumen intellectus. Ita tamen augetur, ut incrementum illud ſit limitatum juxta menſuram luminis intellectualis, & luminis elevantis, ut eſt per ſe notum, cum illud ſit limitatum. Unde lumen ut quatuor v. g. cum intellectu humano intenditur uſque ad quintum gradum claritatis, cum Angelieo verò uſque ad ſex. Ad illum autem gradum viſionis eliciendum, confortat, & elevat (exindeque neceſſariò ad percipiendum clarius) ad ulteriores autem claritatis gradus offuſcat; ad ulteriores, inquam, quibus videret cum lumine gloriæ intenſiori. Debet autem in ordine quoque ad exceſſum illum confortari, quia neceſſariò pœnes illum etiam elevatur; ne alioqui ſub aliqua ratione videat Deum, ſecluſa elevatione, quod repugnat Concilio Vienenſi. Quia cum lumen gloriæ ordinetur ad perficiendum intellectum; juxta nobiliorem illius indolem, & capacitatem ampliorem, perficit illud magis (in hac ſententia) eo quod efficiat vividiorem cum illo lueem, ſeu lucis intenſionem. Si autem lumen gloriæ foret intenſius, creſceret effectus, quia augeretur principale conſtitutivum; poſſetque concipi ab aliquo major influxus etiam ex parte intellectus, quia elevaretur amplius ejus potentia obedientialis, ac ſubinde non obſcuraretur in ordine ad formaliter percipiendum elarius, ſervata proportione luminis elevantis.

Dices: nequit adeſſe major claritas, quin detegantur novæ aliquæ formalitates objecti viſi, ut plurimi exiſtimant; jam ergo erit objectum formaliter diverſum; in ordine ad quod neutiquam perturbat. Contra tamen, quoniam licet confortet (proindeque non obſcuret) lumen naturale in ordine ad quæcumque alia objecta, etiam illa quæ videri poſſunt per ſolum intellectuale lumen; quia continet iu ſe vim confortativam ad ipſa, utpote inferioris ordinis: & quamquam confortet per ſe primò intellectum ad videndum Deum, ejuſque formalitates, juxta menſuram propriæ intenſionis; neutiquam tamen confortat ipſum in ordine ad alias formalitates Dei videndas, nec ad clarius videndas illas, ad quas contuendas elevat; ſiquidem vim præfatam (quia perfectiorem lumine minus intenſo) nullo pacto continet. Conſequenter reſpectu earum obcæcatur lumen naturale à lumine gloriæ, tum à lumine increato. Et hæc eſt ipſa aſſertio noſtra. Præterea, major illa intenſio, quæ fertur iu pænitiora divinitatis prædicata imbibit formaliter, aut ſaltem eſſentialiter præſupponit alias ejuſdem viſionis formalitates tendentes in alia prædicata quaſi magis in conſpectu videntium poſita (uti & importat intenſiorem modum videndi illas, ad quarum conſpectum elevat per ſe primò lumen intellectus) ac ſubinde, licet objectum ſub aliqua præciſione ſit diverſum incompletè, & inchoatè; completè ſumptum, attamen diverſum minimè eſt. Quo jure namque intenſius, aut accuratius videre, concipi valet, non importans in fundo ſuo ſimpliciter videre? aut exceſſus claritatis, non dicens, aut præſupponens eſſentialiter claritatem ſimpliciter?

Num. 33. Dices iterum, viſionem ipſam actualem eſſe lumen ſuperius fovens in actu ſecundo, vi cujus percipiat intellectus intenſiori conatu ſuperante intenſionem luminis in actu primo eſſentiam divinam. Fallit attamen reflexio hæc: quoniam intellectus per viſionem actualem non elevatur, nec redditur capax videndi, ſed actu videns juxta capacitatem & elevationem præſuppoſitam; capacitas autem præſuppoſita conſtituitur, ultra poſitiva prædicata, per carentiam omnis impedimenti obſcurantis, & impedientis lumen naturale, ne per eam viſionem clarius, vehementiuſque intueatur divina. Unde, licet ſupponatur, per illam viſurum intellectum, ſi abſque lumine ullo divinitus infunderetur; poſito tamen lumine remiſſo, offuſcatur ad videndum intenſè per viſionem intenſam illi infuſam, & ab eo partialiter reproductam (juxta menſuram elevationis) immo re ipſa exceſſus ille claritatis in viſione potius denuo obrueret lucem naturalem, quàm foveret: uti & viſio materialis in ſummo gradu intenſa opprimeret oculos lippientes, debiliſſimæque virtutis.

Nequidquam opponeres etiam loca Divi Thomæ in ſuperioribus producta, ubi lumen majus diverſæ rationis neutiquam turbare lumen inferius diverſum, ad differentiam luminum ejuſdem rationis, affirmat. Et laudato opuſc. 16. docet ex Ariſtotele, intellectum non corrumpi ab excellentia intelligibilis, ſicut ſenſus obruitur ab excellentia nimia ſenſibilis. Contra enim, quia Doctor Angelicus in prædictis locis aſſeruit quidem, lumen diverſæ rationis non corrumpere, ſed potius perficere, & confortare inferius, reſpectu objecti, ad quod videndum confortat (quin & vel ad hoc ipſum exigitur proportio aliqua ex parte luminis inferioris; ſin aliter poſſet lumen naturale intellectus abſque lumine gloriæ videre lumen increatum); quod nullo modo facit, juxta ipſum, lumen ejuſdem rationis; quippe quod per ſe evacuat minus, ſaltem ſi utrumque ſumatur activè in ratione illuminantis, ut contingit in re noſtra, cum lumen naturale rationis debeat concurrere activè. Id ipſum autem tuetur, & impenſe amat aſſertio noſtra. Adjungimus tamen, hoc intelligendum eſſe tantum relatè ad objectum, & modum attingendi illud, ad quod percipiendum lumen majus diverſi ordinis confortat lumen minus; ne-

quaquam verò permittere modum intenſiorem, & vincentem in claritate claritatem ipſam luminis illuminantis, ob nuper producta, & ex eodem Divo Thoma illata; quoniam turbat ad eum finem excellentia ſua exuberante claritatem propriam, decorem, & faciem ſplendentem luminis inferioris; quin ideo illud extinguat; ſe dum claritas materialis minor vincitur à ſuperiore, ibi adeſt profecto minor victa, non enim pellitur, aut fugatur; cæterum ita manet, ut non percipiatur à potentia viſiva, nec ſub ea quidpiam videri poſſit, quod videatur ſub alia: *perſpice*, inquit Cajetanus in ea q. 5. art. 4. ad ſecundum *quod lux major dicitur offuſcare minorem, non quoad ſubſtantiam lucis, ſed quoad effectum, quia facit, non apparere effectum minoris, cum nihil tollat à luce minore*.

Ex dictis ſequitur, nec amorem beatificum, nec fruitionem, nec reliquos actus (ſi adſint alii) integrantes beatitudinem, tametſi à Chriſto Domino communicatos Beatis, ejuſdemque proprios, exhibere poſſe præſtantiorem effectum formalem: ſed regulandos eſſe eorum effectus per menſuram viſionis, non ſecundum ſe, ſed effectus formalis, quem ex illa percipit intellectus cum determinato illo gradu luminis gloriæ. Hac via expeditius, ſolidiuſque evaditur difficultas, quàm per qualitatem aliam impreſſam divinitus, obtenebrantem poſitivè intellectum; quæ & voluntariè excogitatur, & ægrè intelligitur; cum eſſet idem ac noctem introducere intra ſinum claritatis gloriæ. Si autem illam dixeris impeditivam ſolum ulterioris claritatis, ſeu merè negativè obſcuram; cur aliam quæris, quàm ipſam luminis gloriæ qualitatem nitidiſſimam, quæ pænes diverſos viſionis effectus ejuſdem (ut diximus) & meridiem efficiat, & noctis umbram? .

§. II.

Num. 34. ULTIMA pars aſſertionis prolatæ ſectione præcedente firmanda ſupereſt modò, eſtque ſummopere conveniens; immo neceſſaria: nam alioqui quæ utilitas, quiſnam fructus ſingularis decerperetur ex communicata nobis à Chriſto Domino viſione beata propria per inſignia replicandi infinities, & infundendi viſionem illam, miracula? Si nihil amplius fælicitatis, ſi nullum incrementum beatitudinis per eam viſionem obtineretur, quàm juxta meritorum taxam, & gratiæ ſanctificantis menſuram; & hanc acciperet æquè, dum propriam, ſibique proportionatam viſionem eliceret quilibet Beatorum, ut quid ingens illud prodigiorum aggregatum in æternum duraturum? Ad titulum duntaxat honorarium? vel ad decorem ſolum in regno illo, ubi nullus ſiue re titulus, quin & ſine ſumma rerum? Adeſſet equidem major unitas, & plena honoris, ſed infæcunda gloriç. Aſſerimus itaque jure illo identitatis numericæ ejuſdem viſionis beatæ cum capite ſubortæ ex intima unione cum anima ejuſdem capitis [& illam includente] reſpondere Beatis Euchariſticis exceſſum aliquem gloriæ eſſentialis, ſeu claritatis in viſione beata ex opere operato eo titulo conceſſum, & nullatenus alia via, aut aliis conſerendum. Quemadmodum titulo realis conjunctionis animæ Chriſti Domini cum ipſis poſt condignam Euchariſtiæ ſumptionem, augmentum aliquod gratiç eiſdem tribui diximus diſput. 8. exceſſus tamen ille gloriæ, quem modo adſtruimus, non ita uſurpandus eſt, ut reſpondeat gratiæ illi ex opere operato infuſæ; ſiquidem ejuſmodi gratiç, quantumvis ex opere operato, gratiſque collatæ per Sacramenta, debetur jam ex rigore juſtitiæ gloria, aut retributio; ſed itaut ultra gloriam omni merito, & omni gradui habitualis gratiæ, debitam, conſeratur titulo inſinuato unionis cum anima Chriſti Domini ulterius aliquid uberioris eſſentialis beatitudinis ex opere operato, unà cum eadem numero viſione (& ideo dicimus animam Servatoris formam æquivalentèr ſanctificantem): tum ex ſumma dignitate illius viſionis, cum ſit actus dignificatus infinitè in Chriſto D. à divina perſonalitate: tum ex decentia toties ponderata in ſimili.

Quin ejuſmodi gloriæ exuberantia repugnat dogmati Theologorum circa diſtributionem gloriæ juxta proportionem meritorum. Eſſeque poteſt exceſſus ille major, aut minor, juxta intenſam magis vel minus participationem illius viſionis ex meritis aliunde obtinendam; præſertim ex majori diſpoſitione, ſanctiorique vita accedentis ad Euchariſtiam; ſicut ex illa diſpenſatur major gratia ex opere operato. Immò ut ut res ſe habeat circa gratiam infuſam ex opere operato: exceſſus hic gloriæ eſſentialis, cum debeatur titulo unionis cum anima Chriſti Domini comparatæ per condignam ſuſceptionem Euchariſtiæ, & titulo etiam participationis ejuſdem numero beatitudinis formalis (debitæ unioni cum anima illa) qua anima Salvatoris beatur; quo intimior fuerit ea unio per Euchariſtiam requiſita; & quo major fuerit illius viſionis participatio maximè titulo Euchariſtico, eo uberior eſſe debet præfatum gloriç incrementum: & ſaltem hoc apparet magis conſentaneum. Et rurſus nova, & eximia gloria accidentalis, ex præfata unione cum Salvatoris anima, & ex identitate viſionis reſultans, & ubertim manans; cum videat reflexe Euchariſticus, ſe eſſe Beatum per viſionem ipſam, quæ eſt operatio Theandrica, utpote nata in fundo divinitati immediate unito, & in ordine hypoſtatico.

Ut tamen clareſcat aſſertum hoc in conſpectu doctrinæ, ex qua ſolum argui poteſt illius oppoſitum; præmittimus tamquam inconcuſſum ex principiis fidei, gloriam diſtribuendam fore juxta menſuram propriam meritorum, itaut ſanctior futurus ſit eo ipſo glorioſior: eſt enim gloria corona juſtitiæ, conferenda à Judice rectiſſimo, cujus cingulum eſt juſtitia. Quæ veritas exprimi-

tur

tur paſſim in ſacra pagina. Math. 13. Marc. 10. Joan. 14. 1. Corint. 13. & ſecunda Corint. 9. &c. definitaque eſt à Florentino in literis unionis. Contingere autem poſſet, quòd homo uberiore gratia inſtructus, ſplendidiorique dignitate meritorum ornatus, Martyr v. g. qui numquam Euchariſtiam ſuſcepiſſet, nullo modo ſuperaret in gloria alium minore ſanctitate, & meritorum copia decoratum, cui ad Euchariſtiam accedere licuiſſet, & per viſionem Beatam Chriſti Domini propriam iutueretur divinam eſſentiam; ſi conferendum illi ſit incrementum eſſentialis beatitudinis eo titulo, beneficio cujus, vel æquaret, vel vinceret in gloriæ majeſtate Martyrem illum, vulneribus confectum, & meritis ditioribus locupletatum. Ubi erit igitur rigor juſtitiæ in præmiorum diſtributione? Ubi aurea illa virga, qua menſurantur exactiſſimè cunctorum geſta, operationum merita heroica, & paſſionum invicta tolerantia, nec ferro cedens, nec vitæ parcens, ſed prodiga ſanguinis, totum effundens? Ubi rectitudo venturi Judicis, de quo Math. 16. dicitur. *Tunc reddet unicuique juxta opera ſua?* Debuiſſet jam Aſtræa Cœlum quoque reliquiſſe.

Num. 35. Nihilominus aſſertio noſtra probatur primò, ex indubitata pariter doctrina Patrum, & Theologorum conſtanter affirmante, Deum largiri præmia ultra condignum; juxta illud Lucæ 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum;* quin exceſſus ille gratuitus, & ex divina liberalitate, munificentiaque proveniens, officiat juſtitiæ diſtribuenti gloriam juxta menſuram meritorum: quia decebat divinam largitatem exceſſus ille; uti è regione decet ejus benignitatem, citra condignum punire. Pariter ergo conciliari poteſt cum inæquali præmiorum diſtributione juxta inæqualitatem meritorum, exceſſus aliquis gloriæ eſſentialis collatus ex decentia, dignitate, & decoro Chriſti Domini, ſeu ex titulis nuper indicatis unionis ſcilicet animæ Chriſti Domini cum Beato, & ejuſdem realiter beatitudinis formalis, qua Chriſtus Dominus ipſe videt Deum eidem Beato infuſæ, aut per reproductionem communicatæ. Cum juſta diſtributio ſolum petat, ne fraudetur meritum præmio illi debito, & proportionato, conſequenterque, ne titulo debiti, & ſolutionis, detur majus, aut æquale præmium merito inferiori. Quòd verò ex liberalitate, aut decoro ſingulari dantis, aut alio ſpeciali titulo detur ulterius aliquid, minimè adverſatur juſtitiæ diſtributivæ, nec commutativæ. Diceret enim caput noſtrum illis qui conquærerentur, id, quod murmurantibus Pater familiàs Matth. 20. *Amice non facio tibi injuriam: non ne ex denario convenisti mecum? Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Neque refert quòd præmiare ultra meritum ſit beneficium commune omnibus Beatis; augmentum autem gloriæ eſſentialis conceſſum ob identitatem viſionis Beatæ explicatam, & animam ſummi Sacerdotis realiter unitam, conveniat ſolum Euchariſticis. Siquidem ideo primum illud beneficium complectitur univerſim cunctos Beatos, quia ratio formalis illud conferendi eſt omnibus communis, liberalitas ſcilicet divina, & idcirco ſumma. Ratio verò formalis hujus incrementi eſt præſentia realis animæ Chriſti Domini cum communicatione propriæ formalis beatitudinis, & hæc ſolum competit illis, qui Euchariſtiam dignè ſuſceperunt (quæ eſt radix hujus fælicitatis) unde iis tantum convenit præfatum augumentum. Attamen ſicuti illud univerſale non derogat rigori juſtitiæ reſpectu omnium in præmiando ſupra meritum; ità beneficium hoc Euchariſticis collatum non officit rectitudini ejuſdem juſtitiæ: & ad hanc veritatem elucidandam producimus doctrinam ejuſmodi, & exemplum. Verum quidem eſt, quod dum largitio univerſalis eſt, ſemper remanent inæqualia præmia, ubi fuerint merita inæqualia; ſive augumentum ex beneficentia divina ſit æquale in omnibus, cum æqualia addita inæqualibus inæqualitatem neutiquam tollant; ſive majus incrementum tribuatur merito majori, cum eo ipſo creſcat etiam inæqualitas; ſive æquale omnibus. Dum autem determinata ſit ad Euchariſticos, licet reſpectu eorumdem permaneat ſemper inæqualitas ſtellarum, aut Beatorum; comparando tamen ipſos cum reliquis, contingere poſſet, quòd gloria eſſet æqualis in Euchariſtico, & in alio, in quo meritum eſſet ſuperius, ut in exemplo objecto. Cæterum jam diximus, æqualitatem, aut inæqualitatem gloriæ non collatam per modum debiti ſolvendi ex juſtitia, ſed extrinſecè ex merito ſolùm Chriſti Domini, ex ejus decentia, aut dignitate, aliove titulo, nequaquam pugnare cum diſtributione juſtiſſima. Sic contingere poteſt, ut non Euchariſticus eliciat modò (vel juſtus antiquæ legis) operationes ſanctas meritorias, quibus debeantur quatuor gradus gratiæ ex opere operantis; dum Euchariſticus in Euchariſtiæ ſumptione ſe diſponens per ſimiles actiones, & affectus meritorios eorumdem graduum gratiæ ſanctificantis ex opere operantis; & nihilominus hic ultra illos accipit infallibiliter ex opere operato ulteriores gradus ejuſdem gratiæ, abſque eo quod lædatur, aut ex minima parte violetur juſtitia, irrogeturque æqualitati meritorum injuria in gratiæ collatæ inæqualitate. Quia nempe incrementum illud non datur ex meritis hominis, ſed quaſi extrinſecè ex meritis Chriſti Domini in Euchariſtiæ inſtitutione, in Cruce conſummatis, & ex promiſſione ejuſdem, quoniam decebat donum aliquod majus conferre illis, quibus realiter in ore, & pectore copulatur. Præterea,

licet ad augumentum illud Euchariſticum non præcedat meritum formale ipſius, præcedit tamen meritum æquivalenter, ut mox oſtendam, ſubindeque à rectis juſtitiæ tramitibus non deflectitur per illum beatitudinis exceſſum, nec extra ripas exundat gloria, licet appareat altior ipſis elevata.

Num. 36. Promovetur ſecundò, exemplo, aut doctrina communi inter Scotiſtas, aſſerente, ex inæqualitate intellectuum cum æqualitate omnimoda luminis gloriæ, adeoque meritorum, prodire viſionem intenſam magis, aut remiſſam: reperitur ergo major beatitudo eſſentialis abſque majoritate ulla, ſive exceſſu ex parte meriti, ſed cum plena æqualitate hujus hominis v. g. & illius Angeli, ex radice, aut cauſa, non jam univerſali, ſed peculiari quorumdam præ aliis. Et nihilominus nec violatur juſtitia, nec commune dogma Theologiæ offenditur. Eumdem exceſſum gloriæ eſſentialis in Beatis Euchariſticis, eo titulo obtinendum, vi cujus, cæteris paribus, ſuperet in beatitudine non Euchariſticum, cæteroqui æqualem in meritis, ſibi revelatum ſcribit V. Maria de Agreda tom. 3. ſ. 202. ſubjungens: *Inſuper gloria eſſentialis eorum, qui cum devotione ſuſceperunt Euchariſtiam, erit æqualis, immò in multis ſuperabit gloriam quorumdam Martyrum, qui gloriam illo modo* (ideſt per condignam Euchariſtiæ ſumptionem) *non receperunt*.

Promovetur tertiò: occurrendo ſimul fundamento oppoſito: quoniam ratio, ob quam, juxta noſtra principia confertur uberior gloria Euchariſtico ex conjunctione permanenti in æternum animæ capitis cum ipſo, & ex eadem numero capitis viſione beatifica illi communicata, quin hæc major ubertas pugnet cum doctrina communi; eſt diverſitas radicis, aut cauſæ, ex qua deſumitur inæqualitas hæc gloriæ cum æqualitate meriti, à radice, aut cauſa, ex qua Theologia inconcuſſa negat oriri poſſe inæqualitatem præmii, ubi non adſit inæqualitas meritorum. Quandoquidem vulgata doctrina diſputat ſolum comparando merita propria Beatorum inter ſe, ſive perſonalia, ſub qua ratione contingere nequiret oppoſitum, quin juſtitia flecteretur injuſtè, inclinareturque ſtatera doloſè, & voluntariè, verſus unam partem, quin à majori pondere traheretur. At verò majoritas ex præfata unione reali animæ Chriſti Domini, & reali numerica identitate viſionis Beatæ proveniens, ortum ſuum ducit ex meritis Chriſti Domini tantum, & ex promiſſione ejuſdem facta rite communicantibus, meruit enim eam ſui unionem cum dignè ſumentibus Euchariſtiam, eamque ſuæmet viſionis beatæ infuſionem, cujus titulo debetur ex decentia inſinuata, potuitque promitti ut conferendus ex opere operato ſublimior ille beatitudinis gradus. Exceſſus autem gloriæ eſſentialis non proveniens ex meritis propriis, ſed ex particulari veluti pacto, & gratioſè ex meritis, & voluntate Chriſti Domini nulla ratione violat jura propria juſtitiæ, & meritorum; alioqui ligata foret divina libertas itaut nihil ex liberalitate infinita largiri poſſet.

Quocirca repeteret principium, qui diceret, non poſſe ex promiſſione, beneficentia, aut pacto, quidpiam ulterioris gloriæ eſſentialis conferri, quia læderet æqualitatem juſtitiæ. Siquidem oppoſitum evincit ratiocinium factum, oſtendens nullo pacto vulnerari integritatem juſtitiæ, per inæqualitatem gloriæ ortam ex eis capitibus; cum fide ſanctum appareat ex parabola conducentis operarios in vineam ſuam, jura ea illibata manſiſſe per voluntariam largitionem æqualis præmii minus laborantibus; dum inſudantibus laborioſius, nihil planè debitum, illis ex pacto reſpondens, denegatum ſit. Et cum evidenter conſtet exemplo gratiæ infuſæ ex opere operato per Sacramenta, & nullatenus conceſſa aliis, qui ex opere operantis non minus ſanctis operibus eo tempore incumberent, nullum eis, nec juſtitiæ, injuriam irrogari: eo quod illa conferatur ex meritis ſolum Chriſti Domini ex ejuſdem liberali promiſſione, ex jure hoſpitii, aut hoſpitalitatis officioſè exhibita. Quin propterea debeat exceſſus ille gloriæ, conferendus in beatitudine (ultra gloriam reſpondentem gratiæ ex opere operato collatæ) arguere, pro ſtatu viæ ulteriorem gratiæ exceſſum ex opere operato infundi, juxta menſuram gloriæ in Patria ſuperaddendam, ne ſequatur proceſſus infinitus (ut infra patebit), perennisque gratiarum pluvia, cum diluvio comparanda, & ipſomet fœderis arcu in immenſum augenda.

Num. 37. Probatur 4. ubi adeſt meritum aut gratia æquivalenter, cui debeatur, aut reſpondeat majoritas illa gloriæ, etiamſi non præcedat meritum formale, non modò nulla fit injuria in illa conferenda Beato, dum negatur alteri deſtituto merito illo æquivalenti, licet æquali in merito formali, verùm & injuſte illi denegaretur. Sed adeſt meritum æquivalenter relatè ad illum exceſſum in Beato Euchariſtico, quod non reperitur in non Euchariſtico, quantumvis æquali formalium meritorum Theſauro ditato: ergo prædictus gloriæ eſſentialis exceſſus à noſtra aſſertione, titulis inſinuatis inductus, nulla ratione opponitur communi doctrinæ circa æqualitatem, & inæqualitatem præmii menſurandi fideliter per quantitatem meriti, ſed potius invehitur juxta ipſam, ad ejuſque tramites. Major controverti jure nequit: tum quia reſurrectio glorioſa Corporis debetur ſpeciali titulo ritè ſuſcipienti Euchariſtiam; quin præfatum jus peculiare fundetur in merito aliquo perſonali; neque in gratia ipſa collata ex opere operato per eam ſumptionem, quandoquidem jus ad reſurrectionem, quod in gratia habituali radicatur, eſt commune omni gratiæ ſanctificanti, omnique juſto; cum jus ad illam, ex condigna ſum-

ptio-

ptione Euchariſtiæ reſultans, ſit peculiare ipſius Euchariſtiæ: proptereaque illud conſtituimus diſp. præcedenti in reali unione cum anima Chriſti Domini.

Tum quia, juri ſtricto, & formaliter tali, debetur ex rigore juſtitiæ præmium æquè ac merito de condigno; & aliunde reſultare valet jus ſtrictum ad exceſſum illum, quod non proveniat ex merito formali, & ideo æquivalet præfatum jus formali merito, ſeu eſt meritum æquivalenter, (vel debeatur illi præmium debito æquivalenti, quamvis non debito formali). Id patet in intellectu ſublimioris naturę in prædito gratia ut quatuor, cui juxta probabilem opinionem convenit jus ad ampliorem beatitudinem, quàm intellectui infimi ordinis, ſive homini pari gratia inſtructo. Deinde provenire valet ſimile jus ex divina promiſſione, aut decreto. Sic juſtus, cui facta eſſet promiſſio finalis perſeverantiæ, deberetur hæc abſolute, & exinde abſolute etiam gloria; & tamen debitum illud non reſultaret ex condigno merito, cum nullo noſtro merito de condigno deberi poſſit ex rigore juſtitiæ. Sic recipienti Euchariſtiam ſanctè debetur gratia ex opere operato conferenda; non merito ſumptionis quidem, alioqui erit ex opere operantis, ſed ex divina promiſſione, & ex decoro præſentiæ realis Chriſti Domini. Poſſetque multis ulterioribus exemplis confirmari, ſi producta in ſuperioribus, & nuper renovata, auctaque non ſufficerent.

Minor liquet ſatis ex ſupradictis: namque conjunctio realis permanens animæ Chriſti Domini ſumentis ad ſe juſtum illum promiſſio facta ab ipſo immanentiæ hujus, & æternæ vitæ: identitas numerica ejuſdem beatitudinis formalis per infuſionem ejuſdem viſionis, qua Chriſti Domini Humanitas Deum intuetur, quæ eſt operatio infinitè dignificata per divinam perſonalitatem, prout illa elicitur ab anima Deificata Salvatoris, quæ debetur unioni intimæ ejuſdem animæ Sacroſanctæ cum anima juſti epulantis ad menſam divinam: Identitas etiam claritatis Corporis, & aliarum dotum Corporis glorioſi (firmanda ſectione ſequenti) decentia majeſtatis præſentis intimè realiter, & operationis beantis, quæ nata eſt primò intra regionem divinitatis, per quam elevata eſt ad ordinem hypoſtaticum, dignificataque in infinitum: ex quibus elicimus promiſſionem divinam ſatis prudenti judicio: & id genus alia ſepiſſimè inculcata; fundant proculdubio jus irrefragabile ad prædictam ubertatem gloriæ. Proindeque, licet jus illud non ſit formale meritum, merito tamen, aut gratia æquivalet, & ex conſequenti inæqualitas gloriæ, quam invehimus, revocatur ad inæqualitatem, etiam meritorum, computatis juribus, quæ aliunde proficiſcuntur, & merito perſonali æquiparantur; maximè cum gloria non ſolùm debeatur jure meriti, aut certaminis, adultis, ſed jure hæreditatis, aut filiationis parvulis lavacro tinctis: & exceſſus aliquis ſupra meritum jure quodam divinæ liberalitatis; ut diverſitati jurium pateat aditus, aut janua beatitudinis.

Num. 38. Ex his rectè colliges, juſtum Euchariſticum in ſtatu viæ, cæteris paribus eſſe magis æſtimabilem, objectumque Deo magis gratum, quam alius non Euchariſticus, æquali gratia ſanctificante præditus: ſiquidem ratione phyſicæ conjunctionis cum anima Chriſti Domini, adeoque cum Verbo Divino, illum aſſumente, & gubernante, & ex debito in ea conjunctione radicato, videndi Deum per viſionem propriam animæ ſanctiſſimæ Chriſti Domini, obtinendique idcirco ulteriores aliquos gradus glorię, & luminis; (qui, licet conferantur cum viſione, debentur ratione prædictæ conjunctionis unà cum viſione), redditur objectum amabilius Deo; quoniam eo ipſo æquivalet ſanctiori formaliter; quia eſt ſanctitas major, aut meritum ſuperius æquivalenter. Item quia ex divino illo quaſi contactu creſcit formaliter dignitas amoris, ſeu amabilitas, æſtimabilitaſque, etiamſi non creſcat formaliter ſanctitas. Ad modum quo augetur ſummopere dignitas ex unione hypoſtatica Humanitatis ad Perſonalitatem Verbi Divini (licet ſumatur præciſivè à Deitate) etiam apud eos, qui opinantur, neutiquam ſanctificari formaliter per divinam perſonalitatem præciſivè acceptam.

Si roges iterum, cur augumentum illud gloriæ conferendum titulis indicatis, non fit primò in ſtatu viæ in gratia ipſa ſanctificante, præſertim cum jus ad illud æquivaleat merito: ut ſic augumentum gloriæ reſpondeat gratiæ, quamquam ex opere operato, eiſdemque titulis conceſſæ, ut hoc modo omnis abſurditas, aut ſaltem difficultas declinetur? Huic interrogationi ſupra ſatisfecimus; ut tamen luculentius, & abundantius illi fiat ſatis, rogamus pariter & nos, cur gloria illa major, quam largitur divina beneficentia ultra meritum cunctis electis, non confertur pro ſtatu viæ in ſemine proprio, in gratia ſcilicet, cui illa reſpondeat, & commenſuretur? Certè non alia de cauſa, niſi quia incrementum illud ex natura ſua tribui expedit liberaliter, eo quod deceat bonitatem infinitam Dei, dum ſe palam conſpiciendum exhibet, & dum præſentiam majeſtatis, cunctaſque divitias in illo primo fœlicitatis ingreſſu manifeſtat, & communicat, liberalitatem illam exercere in perpetuum duraturam. Si autem fuiſſet anticipatus effectus hujus munificentiæ infuſione gratiæ habitualis, jam exceſſus ille daretur ex juſtitia, cum deberetur gratiæ, ſolumque eſſet liberalis antecedenter, & in cauſa. Ex quo fieret, aut procedendum fore in infinitum, cum exercitium divinæ beneficentiæ tempore illo, quo coronatur primò Beatus, deceat omnino bonitatem ſummam, ut conſenſus Patrum,

& Theo-

& Theologorum affirmat; adeoque pro illo ulteriori exceſſu debuiſſet infundi nova gratia, etſi de ulteriori & nlteriori. Aut nullo pacto decet, ſive nullo modo ex decentia, & impulſu infinitæ bonitatis, tenetur Deus ad præmiandum ultra condignum; quod repugnat Dogmati Theologiæ. Præterea cnm liberalitas illa communis omnibus exercenda ſit, opportunius, & proprius reducitur ad uſum tempore illo, & ſucceſſu, ob quem exerceri debet, quàm anticipata ſolutione. (Maximè cum illa gratia deberet infundi extra tempus ex opere operato: & hoe modo nonniſi per Sacramenta, conductuſque in Theologia ſacra notos, confertur). En cauſam à priori, propter quam exceſſus gloriæ tribuendus ex decoro ipſo Chriſti D. ratione ſummæ dignitatis unionis prædictæ, & viſionis, quam communicat beato, neutiquam debeat præoccupari in debito per infuſionem gratiæ. Et quamvis in præmio conferendo ultra meritum ſupponatur eo ipſo jus æquivalens merito: eſt attamen jus extrinſecum, ſitum in ipſa liberalitate futura, non autem in debito, aut gratia præſenti: ſubindeque non tollit rationem liberi beneficii (cum potius conſtituatur per illam) ſicut debitum fundatum in gratia ſanctificante actu infuſa. In re noſtra verò ſupponit debitum æquivalenter, & ideo non oritur ex liberalitate eodem rigore.

Secundò: quoniam ſi gratia illa infunderetur, cum aliunde ipſa poſset amitti per culpam mortalem, & deinde recuperari per pęnitentiam, etiamſi pœnitens moriatur, quin potuiſset ſuſcipere Euchariſtiam: cumque rurſus juxta principia noſtra, unio realis animæ Chriſti Domini cum pęnitente illo nullatenus reſtituatur, proindeque nec deberetur illa communicatio ejuſdem numero viſionis propriæ Chriſti D., media qua confertur pręfata gloriæ exuberantia; adeſset illa, dum adęquatus titulus eam habendi abeſſet, quod eſt abſonum. Nec ſufficit extitiſse; quoniam ille non perſeverat moraliter, ſed planè extinguitur, aut moritur, ob motiva ipſa, ob quæ conjunctio cum anima ſacroſancta illa non recuperatur, ſolumque poterit veluti condolere dicens: *fuit Illium, & ingens gloria &c.* Haberi titulum ſine re, dum titulus eſt purè coloratus, contingit ſæpè, quin juſtitia lædatur; obtineri tamen rem ipſam ut debitam ſine titulo, violaret jura omnia, & integritatem illius virtutis. (Niſi quod re ipſa tuue exiſteret gratia; quamvis titulus eam infundendi mortuus fuerit, numquam ſuſcitandus).

Num. 39. Depræhendes facilè ex hactenus latè productis, quantus ſit honor, quanta utilitas, quanta gloria potiſſimi effectus Euchariſtiæ. Porrò non ſolum vendicat ſibi in perpetuum intimam unionem avidè ſuſcipientis illam cum anima deifica Salvatoris, & conjunctionem intimam ſpecialem cum Verbo, quod eſt donum pretii inæſtimabilis, verùm, & obtinet realiter eamdem numero beatitudinem formalem, per quam illa Deum intuetur (quamvis non pœnes omnem illius claritatem, & intenſionem) eumdem amorem beatificum, fruitionemque realiter eamdem: ex quibus ſponte ſua naſcitur mirabilis, perfectaque tranſformatio Beati Euchariſtici in Chriſtum Dominum, cui adeo ſimilis evadit, ut veluti alter Chriſtus Dominus ſit, cum operationes illas ordinis verè hypoſtatici eliciat, ſive reproducat, ut per eas fœliciter vivat. Et inſuper copia quædam uberior beatitudinis eſſentialis eo titulo conceſſa, & omnibus titulis ſingularis, glorioſaque. Ex his omnibus præterea reflexe conſideratis, & ex ſublimi, clariſſima intelligentia profundiſſimi arcani hujus, quæ tunc infundetur, ut monent Patres, nequit non reſultare gaudium, gloriaque accidentalis, explicatu difficilis; niſi grande aliquid in confuſo extra, & ſupra omnes deliciarum imagines cogitemus. Accedit identitas etiam in claritate corporis, ex Corpore Chriſti Domini ſupra menſuram gratiæ, & meritis debitam, & exceſſui gloriæ eſſentialis proportionatam; qua doctrina reſplendet in ipſo effectu præcipuo auguſtiſſimæ Euchariſtiæ arcanum aliud, non abſimile ſecreto ineffabili ipſius Euchariſtiæ, in replicatione tum animæ, tum nobiliſſimarum operationum, & qualitatum ejuſdem capitis noſtri Divini: ut ſic ejus effectus ſingularis, & ſuſpiratus, obtineatur etiam in vividiorem ſimilitudinem, per tot prodigia, per totidem artis, & amoris inventa, qunt continet ardentiſſima, & miraculis undique circumſepta illius cauſa: & hoc modo elegantius, & ſimilius exprimit, & in memoriam dulciſſimam revocat jugiter, perenniterque, arcanum maximum Euchariſtiæ.

Hic enim opportuniſſimum eſt illud: *olim meminiſſe juvabit*. De voluptate, & poſſeſſione hac prædixit (ut ſupra tetigimus) Iſaias cap. 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris*: quod enim locutus fuerit de myſterio Euchariſtiæ, ejuſdemque effectibus ſatis colligitur, non ſolum ex verſiculo ſequente: *notas facite in populis adinventiones ejus*, ſed inſuper & clariſſimè, ut exponuut Interpretes, ex ſequentibus; *Exulta, & lauda habitationem: quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael*. In Cœleſti itaque Civitate Sion Euchariſtici bibent aquas ex fontibus Salvatoris: ejus namque viſio, qua Deum intuetur facie ad faciem, eſt fons beatitudinis, ex qua, & in qua potabunt ſuavitatem inenarrabilem Euchariſtici, amore beatifico, veluti ex fonte voluptatis eiſdem communicato à Salvatore, haurient dulcedinem, & torrentes Divinitatis ex actu fruitionis tamquam in fonte deliciarum, & gaudiorum bibent aquas illas ſalientes in vitam æternam, quibus vel infinitè ſitibundus expleatur: tametſi unuſquiſque bibat ſolum juxta capacitatem propriam ex fontibus illis inexhauſtis: & ideo forſan Pſalm. 141. dicitur: *portio mea in terra vi-*

ven-

ventium: quouiam licet hæreditas plena ſit, & ex aſſe, objectivè accepta, nempe eſſentia Divina, & ex integro Deus unus, & Trinus: & quamquam viſio beata, per quam Euchariſtici Deum vident, quæ eſt formalis poſſeſſio hæreditatis, ſit planè ſumma; intenſius attamen, aut remiſſius per ipſam intuentur ſummum bonum, juxta claritatem, & vigorem luminis, & oculorum: *alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim differt ab ſtella in claritate*: 1. Corint. 15. viſus tamen, qui perſpicacia minus acuta pollet, & luce minore claret, toto ſole videt.

Verùm quid ſentiendum de illis, qui Euchariſtiam ſuſcepere; ad ultimum tamen hunc unionis apicem, & beatitudinis formalis identitatem non pertingerunt, ob defectum diſpoſitionis ferventis, tametſi augumentum gratiæ per illam compararint, quoniam ad hunc effectum minus ferventi præparatione opus eſſe creditur? Sane ii ſolum effectum Euchariſtiæ penes rationem genericam Sacramenti percipiunt, non verò peculiarem; niſi accidentarium, quem proculdubio obtinebunt, & quidem ſummo pretio dignum, illiſque ſpecialitèr præ non Euchariſticis conceſſum. Proindeque computandi ſunt potius de reliquo, cum illis, qui alia Sacramenta vivorum, cbaracterem non imprimentia ſuſcepere; nequaquam verò inter viros ſtrictè Euchariſticos, haurienteſque ex fonte illo vitæ Divinę latices prętioſiores, in imo, & veluti fundo abſconditos.

SECTIO TERTIA.

Ultima Aſſertio circa claritatem Corporis myſtici, per Euchariſtiam ſublimati, replicatam ex oceano ſplendoris Corporis naturalis Christi Domini, *ſtabilitur. Qua præſent tractatut beatitudine clauditur, & claritudine glorioſa ſigillatur.*

§. I:

Num. 40. EX præfixis aſſertionibus ſuboritur ultima hæc, affirmans claritatem corporis Beati Euchariſtici, non tantum derivari effectivè ex immenſo pelago lucis capitis, ſive corporis naturalis Servatoris noſtri; verùm eſſe formaliter eamdem numero replicatam; non ſanè adæquatè, nec æqualiter per omnes diſtributam, ſed juxta menſuram, aut proportionem beatitudinis eſſentialis quocumque titulo poſſeſſæ; cum quadam tamen acceſſione ex opere operato. Circa reliquas dotes, idem foret dicendum, ſi pręſupponantur conſtitutæ per qualitates poſitivas ſupernaturales corporibus inhærentes. Quoniam verò quamplurimi conteudunt, illas ſitas eſſe duntaxat in extrinſeca aſſiſtentia Dei, ſive omnipotentiæ, paratæ ad nutum Beati in ordine ad earum dotum proprias operationes, uti de impaſſibilitate credit D. Thomas, credit Subtilis Doctor, credidere Ferrarienſis, Sotus, Leſſius, Granados, Arriaga, Henao, & Juniorum copia. Idcirco determinatè circa ſolam claritatem, omnium confeſſione intrinſecè permanentem, inſtituimus quæſtionem. Aſſertio autem raptim, luculentiſſimè tamen, oſtenditur primò ex verbis Chriſti Domini Joan. 17. *& ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut, & nos unum ſumus.* Hanc verò eſſe claritatem, & immortalitatem corporis glorioſi capitis noſtri, diffundendam in corpus myſticum poſt reſurrectionem, docuit S. Auguſt. tract. 110. in Joan. *Quam claritatem*, inquit, *niſi immortalitatem, quam natura humana in illo fuerat acceptura? Nam nec ipſe adhùc acceperat eam, ſed more ſuo propter immutabilitatem prædeſtinationis præteriti temporis verbis futura ſignificat: quod nunc clarificandus, hoc eſt ſuſcitandus à Patre, & ipſe ſit nos ad eam claritatem ſuſcitaturus.* Claritas autem, accipienda per reſurrectionem, jam ſupponebat beatitudinem eſſentialem animæ, propterea que claritatem corporis deſignare videtur per ſe primò, quamvis beatitudinem etiam eſſentialem, ſaltem præſuppoſitive deſignet.

Idem docuit S. Thomas in eum locum Joannis, idem Chryſoſtomus ad illa verba Apoſtoli ad Philip. 3. *qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corporis claritatis ſuæ.* Jam verò claritatem ipſi à Patre datam, & nobis ab illo conceſſam, eſſe eamdem numero innuunt ſatis producta Chriſti Domini verba, præſertim ſi conſideretur finis, aut ratio formalis ipſam diſtribuendi, ut ſcilicet, *ſint unum ſicut & nos unum ſumus*: quanto autem major fuerit unitas illius claritatis, tanto perfectior erit ſimilitudo, & comparatio, tanto ſtrictior, & opportunior; quæ aliter nimium langueſceret, nimiumque à proprietate locutionis deficeret. Rurſus, ſicuti Rivera, Toletus, & alii Interpretes præfata verba accipiunt de Euchariſtia, ſive de ejus effectu cum S. Hilario lib. 8. de Trinitate, & cum Cyrillo libr. 11. in Joann. 26. ſic plures alii de beatitudine illa uſurpant, colliguntque ex verbis immediate ſubſequentibus. *Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum.* Revera tamen in eumdem ſenſum conſpirant omnes, cum beatitudo illa, aut ſingularis ea unitas beatitudinis, & claritatis ſit effectus peculiaris Euchariſtiæ, qui inchoatur in ſumptione illius, ſeu in conjunctione cum anima Chriſti Domini, tanquam in debito, aut radice; aut in gratia: & conſummatè perficitur in Patria. Quam expoſitionem indicat ibi S. Thomas: *ſed attende*, ait, *quod cum ſupra dixiſſet, ut ſiant unum, hic addit, conſummati, quod ideo eſt, quia illud refertur ad unitatem gratiæ, hoc autem ad ejus complementum.* Ut ſic à claritate, tum gratiæ, tum intimæ realis præſentiæ ani-

animæ Chriſti Domini gradum faciat ad claritatem corporis in gloria. Hunc pariter ſenſum efficiunt verba Apoſtoli 2. Corint. cap. 3. *Nos verò omnes, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem*: Ut per gradus claritatis, ſive lucis aſcendant, accedantque ad ſolium præclariſſimum illius, *qui lucem habitat inacceſſibilem*. Hi ſunt ſplendores illi Sanctorum, in quibus Filius divinus dicitur genitus Pſal. 109. *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante Luciferum genui te*: quoniam ipſe ſplendor immenſus Corpus Chriſti Domini veſtiens, communicatur per replicationem, veluti diviſim, aut partim, corporibus Sanctorum: ad inſtar ſolis per ſtellas, gemmaſque minutim conciſi.

Num. 41. Adjungenda ulteriora verba ab eodem Chriſto Domino ibidem verſ. 24. prolata: *Volo, ut ubi ſum ego, illic ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi*, ubi per claritatem intellexiſſe in præfatis verbis beatitudinem completam, tam eſſentialem animæ, quàm gloriam corporis, docent propè omnes Patres, præſertim S. Auguſt., Chryſoſt., Cyril., quos laudat, & ſequitur Cornelius à Lapide ibi: & D. Thom. eadem verba expendens ibidem, inquit: *Quod poteſt intelligi de claritate ejus ſecundum humanitatem, qua illuſtratus eſt in reſurrectione. Philip. 3. reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Vel de claritate ejus ſecundum divinitatem: eſt enim ſplendor gloriæ, & figura Paternæ ſubſtantiæ. Hæbr. 1. & Sapientiæ 7. candor eſt lucis æternæ, & utramque claritatem ſancti exiſtentes in gloria videbunt*. Verùm licet decretum illud voluntatis Chriſti Domini allicuiſſet Diſcipulos ipſum amantes; efficacius tamen alliciendos fore videtur, ſi ita illos futuros teſtes claritatis ſuæ in gloria dixiſſet, ut ſimul ipſi ea claritate, & beatitudine fruerentur. Quandoquidem nec videre viſionem beatam Humanitatis Chriſti Domini ejuſque fælicitatem, efficere poſſet illos eſſentialiter Beatos, ſed videre Deum: nec claritas, aut copia ſplendoris Corporis Chriſti Domini (cujus ſol ipſe nec radius eſt) purè viſa, efficeret eorumdem corpora ſplendentia. Ita quidem; cæterum cum de eadem claritate, quam affirmat, dediſſe illi Patrem, promiſiſſet: *claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum*; cum decernit: *volo, ut videant claritatem meam*, teſtatur eo ipſo, ſe velle ut videant ipſi ſuam etiam, quoniam tam beatitudo formalis, aut claritas eſſentialis propria animæ Chriſti Domini, quàm claritas corporis ipſius, participandæ erant per replicationem phyſicam illarum ab Apoſtolis, qui nocte illa profundiſſima, qua protulit ea verba Chriſtus Dominus, Euchariſtiam ſacram acceperunt: quaſi diceret, eo ipſo, quod videant claritatem, quam dediſti mihi, vident formaliter claritatem, quam dedi ipſis, & eo ipſo quod videant viſionem eſſentialem, qua Deum video, & vident illam, & ſimul vident Deum per illam. Fas ſit producere alia verba Ven. Mariæ de Agreda in loco ſect. præcedenti relato, ubi narrat, ſe audiſſe ex Deipara: *quod illi, qui accedunt ad recipiendum Euchariſtiæ Sacramentum cum timore, & tremore reverentiali, ita ſplendeſcent in Cælo, ſicut Sol inter ſtellas, quia ex gloria mei Filii Sanctiſſimi in ſua humanitate, qui eam tractarunt, & receperunt cum omni reverentia, redundat in eos ſpecialis lux, & ſplendor gloriæ, quem non habent illi, qui non frequentarunt devotè Sacratiſſimam Euchariſtiam*. Quæ verba denotare minimè poſſunt, claritatem merè activè procedentem à Chriſti Domini ſplendore in Beatos Euchariſticos, cum ea ratione in omnia membra glorioſa, etiam non Euchariſtica influat tanquam Caput; ſubindeque à fortiori deſignare eamdem numero claritatem, quæ illuſtrat Corpus naturale Chriſti Domini replicatam; juxta beatitudinis formalis menſuram, & veluti in fragmenta Solis unitim diviſam, ſuperantemque, cæteris paribus, aliorum claritatem, licet conſpicuam, quatenus ex eodem numero viſione beata, & ex conjunctione æterna cum anima divinitati unita novum ſolem ex opere operato recipit ſtella.

Num. 42. Probatur 2. & efficaciter, ex ſuppoſitione præcedentis aſſertionis circa identitatem viſionis beatę membrorum, & capitis: à claritate enim ejuſdem numero beatitudinis formalis beati Euchariſtici cum viſione Capitis, quaſi ſponte ſua prodit identitas in claritate Corporum, eſtque velut ratio à priori hujus aſſerti. Porro cum ſit exploratum inter Theologos, gloriæ dotes deberi Corporibus Beatorum omni jure ex viſione intuitiva Dei (ſive illa influat phyſicè in ipſas, ſive non) quæ, utpote beatitudo eſſentialis, radicat neceſſariò omnes alias poſteriores glorias micantiſſimas, velut ejus proprietates ſubſtantiali facultati acceſſorias, & deliciarum ſuaviſſimas circumſtantias, ad ipſam connaturaliter ſubſecutas, eidemque planè debitas; idcirco ubi viſio intuitiva ſit eadem numero realiter viſio, quæ reddit beatam humanitatem Chriſti Domini, connaturalius omnino videtur, & conſentaneum prorſus naturis rerum, ut eamdem numero claritatem, ſive portionem illius fulgentiſſimam, qua reſplendet Corpus naturale Chriſti Domini conſerat Beato illi, potius quam aliam numero diſtinctam, cum illa numero conferatur ei ex debito, & radice viſionis propriæ.

Tertiò, ſuadetur ex aſſiſtentia intima animæ Chriſti Domini intra Beatum Euchariſticum; vi cujus, quemadmodum viſio beata debet eſſe eadem numero, quæ honorat, & reficit caput, uti probant ſectione præcedenti adducta, ſic & dotes gloriæ (quæ ſupponantur qualitates permanenter inhærentes) debent conſequenter replicari ex eiſdem numero, quibus illuſtratur, & emicat in

im-

immenſum caput ipſum divinum. Siquidem finis potiſſimus ſingularis, quin & adæquatus ultimus effectus Euchariſtiæ, ut ſpecie diverſæ ab aliis Sacramentis, eſt ſumma unio poſſibilis Beatorum cum Chriſto Domino, membrorum cum capite glorioſo, ut ex omnibus membris infinita extenſione, & varietate intimè, & realiter conjunctis capiti, multitudini illi proportionato, reſultet, non jam propriè unum unitate ſuppoſiti, aut perſonæ, ita ut coaleſcat unus homo ſolus, uti ſomniavit Queſnellus, eſtque ſeptuageſimaquinta propoſitio ab Eccleſia proſcripta, quod pugnat cum lumine Philoſophiæ, & cum naturali luce. Ac proinde non ita ut quævis ſingularis unius membri operatio attribuatur ſtrictè vaſto illi ſuppoſito, ſicut Queſnellius ipſe, & Richerius ſubinſerunt (turbidaſque alias conſecutiones inde colligentes) ſed ita ut multiplicitas illa ſuppoſitotum ſit phyſicè conjuncta in tertio, tametſi perſonaliter ſint inter ſeſe diſtincta, & propè infinita. Ex qua reali unione in tertio conſurgat in ſano, mirabili, & cœleſti ſenſu unum corpus ſtupendæ magnitudinis, fabulas omnes, & ſomnia adhuc, uti & imaginationis immenſa ſpatia excedens proceritate ſua, pulchritudine, & gloria; quoniam adeo ordinatè, & unitè compactum erit, ut nullus elegantiæ, aut conjunctionis perfectæ, aut venuſtatis defectus notetur; ſed reſpondeant omnia inter ſeſe, & conveniant, harmonia, & conſenſione aptiſſima (etiam illarum partium, quæ immediatè non copulantur animæ Chriſti Domini, ut contingit humoribus in corpore naturali, quibus etiam pulchreſcit myſticum). Quam machinam affabrè conſtructam miraretur Opifex ipſe, ſi per hypotheſim induceretur admirationis capax: namque creator ipſe completo ſex dierum opificio, & veluti reflexione univerſim facta de integra ornatiſſimaque mole ſtructa, in ejus laudes proſiluit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Geneſ. 1. quid mirandum, quod miraretur, viſa mole egregia illa; tanto excellentiore, quantum Cœleſtia corpora ſuperant terrena? *& corpora cæleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cæleſtium gloria, alia autem terreſtrium* 1. Corint. 15. ſi conciperetur inquam capax admirationis, ſicut eſt laudis? Si poſſet oculos divinos altiùs novitate efferre, uti poteſt linguam ſolvere? Monſtrum ſanè ingens; verùm ex diametro oppoſitum horrendo illi, & informi celebrato, *cui lumen ademptum*, cum ſit undequaque ſummè pulchrum, ſummè ſibi cohærens, & ſecum reciprocatum, cui lumen clariſſimum, & quidem gloriæ, additum, additum inquam lumini naturali, & quamvis unicum lumen in toto illo corpore, quà Spiritu Chriſti Domini, ut forma aſſiſtente immediatè animato, aut ſtrictim unito, unicaque viſione inſtructo, oculatiori tamen eo ipſo, & elegantiori venuſtate prædito. Quà verò includit membra alia, non immediatè Spiritui Chriſti Domini unita, multis luminibus nitet, & ardet.

Num. 43. Probatur quartò: quoniam corpus ejuſmodi Beatorum eſt proprium, ſpeciale, & verè, tametſi myſticum, Chriſti Domini ut capitis, pluſquam corpus unius conjugis ſit peculiari, & ſtricto jure proprium alterius, ut ex Apoſtoli verbis oſtendimus diſp. 8. ſubindeque anima Chriſti Domini, ut illi intimè realiter conjuncta, nequit claritatem aliam diſtinctam numero exigere ad ornatum illius, cum ipſa quæ illuſtrat corpus ſuum naturale poſſit per replicationem nobilitare corpus illud myſticum. Quin miracula replicationis obſiſtere, aut deterrere debeant, cum potius per illa conſtituatur in ratione peculiaris effectus Euchariſtiæ, ſapiat ejus naturam, excitetque apprimè ejus memoriam.

Quintò, gratiam ſanctificantem eſſe eamdem numero in Beatis Euchariſticis, ac in capite (tametſi non penes eamdem intenſionem diximus, & ex plurium ſententia oſtendimus ſupra) uti & lumen gloriæ, viſionemque beatam, futuram eandem numero oſtendimus, & modò ſupponimus; cur non igitur eadem numerica corporis claritas? His ſimilia afferri poſſent quamplura ex Sacræ ſcripturæ vena, & ex fonte rationis, fidei Euchariſtiæ principiis illuminato; poſſent equidem; ſufficiunt attamen hæc pro re ex ſuppoſitionibus factis clariſſima.

Deinde quo me rapiet jam Euchariſtiæ Sacræ gloria, à meipſo fermè jam exulem, & pauperrimi ingenii oblitum? Quo progredi tentat ulterius audacia noſtra, poſtquam ad fælicitatis verticem devenerit, & Cœli convexum auſu juxta, ac diſcurſu, attigerit? Debuiſſem hic occurſantes præfixis aſſertionibus difficultates, ſingillatim repellere; verumtamen ſi paulò accuratiùs proximè præteritam diſputationem, præſentemque, legas, invenies proculdubio illas planè dirutas; aut ſaltem radices profunde actas; fertiliſſimaſque, è quibus pullulabunt crebra reſponſionum germina. Neque licuit nobis, publicis rebus nimium ex officio deditis, quin & altè immerſis, pennas diutius extra nidum extendere, reque aliquatenus infecta, ſiſtere gradum cogimur. In quo dolendum admodum eſt mihi, quòd caſtigare nequeam ſcriptionem hanc, addereque limam in ordine ad ornatum, methodum, & culturam, ſi non ad ſubſtantiam; ad impropriaſque, inculcatas nimium, & minus aptas locutiones, & alia vitia, ipſa ſcribendi, & cogitandi fuga facilè irrepentia; ſenſim accurata reviſione, eliminanda. Durum namque eſt, vel non poſſe vulgare ejuſmodi, quas putamus, eximias Euchariſtiæ glorias, aut eas in lucem dare impolitas, incomptèque diſpoſitas, cum non liceat.

Malè tornatas incudi reddere verſus.

Sunt enim diſcurſus recentes, & infor-

mes

mes neonati ; tametſi concepti per diuturnas aſſiduæ mentis cogitationes.

§ II.

Num. 44. NON diffitebor, quamplurima, & permaxima hoc tractatu contineri, quantumvis ex vetuſta luminum Eccleſiæ doctrina per nebulam quamdam occultè, & inſenſibiliter manantia; nova tamen. Cæterum ut inquit Apoſtolus Hebr. 10. *initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, ideſt carnem ſuam,* ubi Bruno Aſtenſis ait: *initiavit nobis viam, id eſt, carnem ſuam, cujus Carnem, & Sanguinem accipimus viaticum ad Patriam. Carnem dico, & Sanguinem, ſpecie panis, & vini velatam.* Proindeque nova reſerare arcana; ſive niti in hunc finem, glorioſum proculdubio eſt, & à myſterio non alienum. Certe ſæpiſſime ſub ſpecioſo hoc, aut fucato prætextu fugiendę novitatis, vel doctrinæ, non expreſſiſſimè à Patribus productæ, latet inertia, ſi non tardioris ingenii inſælicitas. Audiatur Richardus Victorinus, dum accingitur ad exponendam Ezechielis viſionem, ſic in Prologo loquens: *quidam quaſi ob reverentiam Patrum nolunt ab illis omiſſa attrectare, ne videantur aliquid ultra majores præſumere. Sed inertię ſuę ejuſmodi velamen habentes otio torpent, & aliorum induſtriam in veritatis inveſtigatione, & inventione derident. Sed qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus ſubſanabit eos.* Et maximè, dum verſamur in myſterio, in quo infinita adſunt nondum manifeſta; non vitio, ſed generoſitati, & amori erga auguſtum hoc ſecretum vertendum. Et cum arcana, præſenti ſcripto in apertum edita, ſint omnino ſublimitate Euchariſtiæ digna, & ad majeſtatem, decorumque latentis Chriſti Domini mirum in modum conduceutia. Et ſi effuſo in laudes Cęſaris Auguſti licuit Venuſino Vati canere *Dicam inſigne, recens adhuc indictum ore alio .... Nihil parvum, aut humili modo -- Nihil mortale loquar -- Dulce periculum eſt, ſequi Deum &c.* Cur non licebit Thenlogo (quantumvis humi repenti) in honorem Auguſtiſſimæ Divinæ Euchariſtiæ glorias aliquas indictas proferre, & laudes numquam ex integro auditas tentare? Profecto veriſſimum eſt illud Divi Thomæ Opuſc. 19. cap. 2. *Quanto autem Doctores multiplicantur, tanto utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis creſcit, quia uni manifeſtatur, quod alteri nondum notum eſt. Propter quod dicitur Sapientiæ 6. Multitudo Sapientum ſanitas eſt Orbis Terrarum.* Prævideo ſatis, duriſſimum futurum multis ſermonem hunc Euchariſticum noſtrum, verùm dura quoque apparuit quamplurimis etiam Diſcipulis ejuſdem maximi myſterii Inſtitutio, & explicatio, Joan. 6. *Durus eſt ſermo iſte, & quis poterit eum audire?* Neque inſolitum igitur, neque mirandum, ſi audituri ſimus forſan cenſuras, notas, & quærelas duriſſimas; tametſi non abſque Virorum peritiſſimorum voto, conſilio, & veluti juſſu tantæ molis opus vulgaremus. Durus apparebit Tractatus hic æmulis; ſuavis, & laude dignus amicis (etiamſi nonniſi uſque ad aras dulci amicitiæ vinculo conſtrictis) pius devotis: audax libertinis: jam dubiæ, jam probatæ fidei, indifferentibus. Dummodo tamen ille, animuſque Scriptoris (Deo notus), placeat hujus reconditi myſterii Inſtitutori, intra ipſum realiter præſenti, in ipſinſque honorem cedat: dummodo Sapientum hominum judicia, quæ veneramur, ſubire, minime detrectemus: dummodo infallibli tamen Eccleſiæ Sanctæ omnia iſthæc libentiſſimè, & perquam demiſsè ſubmittam, paratus vel ad leviſſimum illius nutum, non parcere ignibus, aut chartæ vulneribus. De reliquo obtrectatorum morſus cavere juvat; latratus contemnere præſtat.

Num. 45. Ni Conſilium Sanctiſſimi, præſtantiſſimique viri Gamalielis accipere velint, de quo Actor. 5. dicitur *Gamaliel, legis Doctor honorabilis univerſæ Plebi*: hic enim cum videret Principes Sacerdotum invidia inflammatos (ſpecioſo zeli pallio) adverſus Chriſti Domini doctrinam, & neonatam Eccleſiam, obſtitit prudenter eorum conatibus, exemplis recentibus Theodi, & Judæ Galilæi (quorum inventio aruit illico, ac floruit) productis: *& nunc itaque dico vobis* (ajebat) *diſcedite ab hominibus iſtis* (Apoſtolis), *& ſinite illos; quoniam ſi eſt ex hominibus Conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur. Si vero ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne forte, & Deo repugnare inveniamini.* Quid ad hæc Sacerdotum turba cum eorumdem Principe, & Magiſtratu? *Conſenſerunt autem illi.* Sin aliter, contingere poteſt, quod diſſertè libat doctus Gamaliel, ut dum putas, me ſolum appetere tuis vulneribus, veritati repugnes; in gloriam Euchariſtiæ Sacræ, & in Chriſtum Dominum ipſum, impetum facias. Exclamareque licebit mihi, ut olim fecit Creſſi Filius, tametſi natura mutus, cum vidiſſet militem exercitus hoſtilis jam jam ſtricto, & furente gladio Creſſum Patrem interfecturum, quem inſcius Regiæ dignitatis, & Perſonæ, inſequebatur à tergo (rumpente vi nativi amoris impedimenta linguæ), clamavit enim: *O homo cave, Creſſum interficis!* Stetit ille, & pronus adoravit, quem ſitibundo Sanguinis gladio immolaſset. Mutus loquitur in exemplo, ut penna diu loquax obmuteſcat in præſenti ſcripto.

F I N I S.

INDEX

I N D E X
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,
Quæ in hoc Opere adducuntur.

EX TESTAMENTO VETERI.
GENESIS.

Cap. 1. *SPiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Diſp. 5. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 392.

Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Diſp. 9. ſect. 3. §. 1, num. 42. pag. 707.

Cap. 2. *Et ſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 45. pag. 581.

Propter hoc relinquet homo patrem ſuum.... Et erunt duo in carne una. Diſput. 8. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 545.

Cap. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus*. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 27. pag. 25. & Diſp. 4. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 258. & Diſp. 5. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 352.

Cap. 12. *Quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo*. Diſp. 6. ſect. 4. §. 1. num. 73. pag. 491.

Cap. 14. *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Domini Altiſſimi*. Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 26. pag. 526.

Cap. 17. *Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit mihi in ſignum fœderis inter me, & vos*. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 43. pag. 464.

Cap. 22. *Dominus videt. Unde uſque hodie dicitur in monte Dominus videbit*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 9. pag. 197.

Cap. 27. *Frumento, & vino ſtabilivi te*. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 22. & 23.

Frumento, & vino ſtabilivi eum, tibi poſt hæc, fili mi, quid ultra faciam? Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 78. pag. 616.

Fraudulentus. Diſp. 8. ſect. 7. §. 3. num. 127. pag. 664.

Cap. 30. *Ut oves in conſpectu earum conciperent*. Diſp. 5. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 343.

Cap. 31. *Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt, abſque Deo, qui præſens reſpicit*. Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 119. pag. 136.

Cap. 49. *Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus*. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 89. pag. 626. & ſect. 7. §. 1. num. 119. pag. 656. & Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 33. pag. 30.

Cap. 49. *Ligans ad vineam pullum ſuum*. Diſp. 2. ſect. 2. §. 2. num. 51. pag. 79.

Cap. 54. *Conglutinata eſt anima ejus cum ea*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 592.

EXODUS.

Cap. 3. *EGo ſum Deus*. Diſp. 2. ſect. 6. §. 1. num. 110. pag. 128.

Cap. 5. *Vacatis otio, & idcirco dicitis, eamus ad ſacrificandum*. Diſp. 5. ſect. 5. §. 3. num. 104. pag. 420.

Cap. 16. *In ſimilitudinem pruinæ*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 9. pag. 197.

Manhu? Quid eſt hoc? Iſte eſt panis, quem dedit nobis Dominus ad veſcendum. Diſp. 8. ſect. 7. §. 2. num. 124. pag. 661.

Cap. 18. *Venit enim Aaron, & omnes Seniores Iſrael ad comedendum panem cum ſocero Moyſi*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 10. pag. 198.

Cap. 18. *Sedit Moyſes, ut judicaret Populum*. Diſp. 4. ſect. 2. §. 2. num. 38. pag. 287.

Cap. 25. *Fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*. Diſp. 5. ſect. 5. §. 1. num. 81. pag. 399.

Pone ſuper menſam meam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 10. pag. 198.

Cap. 28. *Applica quoque ad Aaron Fratrem tuum &c. ut Sacerdotio fungatur mihi*. Diſp. 6. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 436.

LEVITICUS.

Cap. 1. *EX rupto vulneris loco*. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 340.

Cap. 7. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerant panes abſque fermento...... Panes quoque fermentatos cum Hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis*. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 511.

Cap. 16. *Cum dimiſerit paſſerem avolare in agrum liberè*. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 2. pag. 327.

Cap. 21. *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus. Si fuerit cæcus, aut claudus*.

Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 196.
Cap.22. *Omnis macula non erit in ea, ſi cæcum fuerit .... non afferetis ea Domino*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. n. 7. pag. 196.
Cap.26. *Comedetis panem veſtrum in ſaturitate*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589.
Ponam Tabernaculum meum in medio veſtri, & non vos abominabitur anima mea. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 5. pag. 589.

NUMERI.

Cap. 5. *PUgillum ſacrificii tollat de eo, quod offertur, & incendat ſuper altare*. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 226.
Cap. 7. *Homo de ſemine &c.* ſupra Levitic. 21.
Cap.21. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 592. & ſect. 5. §. 2. num. 84. pag. 623.
Cap.28. *Panis feceram*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. nu. 56. pag. 593.

DEUTERONOMIUM.

Cap. 4. *NOn eſt alia natio tam grandis &c.* Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 113. pag. 131. & Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 588.
Cap.11. *Portans eos in ſinu ſuo, tamquam nutrix infantulum*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.
Cap.15. *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Deo tuo*. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 89. pag. 111.
Cap.31. *Aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. nu. 57. pag. 593.
Cap.32. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

LIBER 1. REGUM.

Cap. 3. *LOquere Domine, quia ſervus tuus audit*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 22. pag. 209.
Cap.18. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 591.

REGUM 2.

Cap. 6. *SAltabat totis viribus apud Dominum David, & omnis Iſrael ducebat arcam*. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 216.

REGUM 3.

Cap.18. *BAal exaudi nos. item: clamate voce majori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur*. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. n. 24. pag. 211.
Cap.18. *Et Deus, qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus ... Optima propoſitio*. Ibidem.
Tempus eſſet, ut offerret Holocauſtum, accedens Elias Propheta ait: Domine Deus Abrahami, & Iſac, & Iſrael, ... Exaudi me &c. Ibidem.
Quod cum vidiſſet omnis Populus cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus. Ibidem.

REGUM 4.

Cap. 2. *UT fiat in me duplex ſpiritus tuus*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589.
Cap. 5. *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo*. Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 117. pag. 134.

PARALIPOMENON 2.

Cap. 7. *OCuli quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit*. Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 122. pag. 138.

TOBIAS.

Cap. 5. *INvenit Juvenem ſplendentem*. Diſput. 8. ſect. 6. §. 2. num. 122. pag. 649.
Cap. 9. *Vocavit Tobias Angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat*. Diſput. 8. ſect. 6. §. 2. num. 113. pag. 649.
Cap. 12. *Ego ſum Raphael Angelus unus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum. Videbar quidem vobiſcum manducare &c.* Diſput. 2. ſect. 6. §. 1. num. 110. pag. 128. & Diſput. 8. ſect. 6. §. 1. num. 113. pag. 649.

JOB.

Cap. 4. *ET cum Spiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt capilli carnis meæ*. Diſput. 2. ſect. 6. §. 2. num. 119. pag. 136.
Cap.19. *Et in carne mea videbo Deum ſalutare meum*. Diſput. 3. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 206.
Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia mea circa dentes. Diſput. 5. ſect. 5. num. 90. pag. 406.

LIBER PSALM.

Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Diſput. 2. ſect. 4. num. 74. pag. 98.

Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Diſput. 8. ſect. 5. §. 3. num. 97. pag. 634. & Diſput. 9. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 696.

Pſalm. 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*. Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 609.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 587.

Pſalm. 20. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. num. 39. pag. 460.

In medio Eccleſiæ laudabo te .... Vota mea Domine reddam .... Edent pauperes, & ſaturabuntur ... Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ: Ibidem. pag. 461.

Vitam petiit à te, & tribuiſti ei. Diſput. 2. ſect. 4. §. 2. num. 74. pag. 98. & ſect. 5. §. 3. num. 100. pag. 120.

Pſalm. 21. *Aruit tamquam teſta virtus mea*. Diſput. 5. ſect. 5. num. 90. pag. 406.

Apud te laus mea in Eccleſia magna. Vota mea reddam in conſpectu timentium Deum. Diſput. 7. ſect. 2. §. 2. num. 26. pag. 527.

Pſalm. 22. *Calix meus inebrians quam præclarus eſt*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 680.

Pſalm. 30. *Refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589.

Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 3. pag. 696. & num. 31. pag. 697.

Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.

Ferebatur in manibus ſuis. Diſput. 3. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 234.

Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 680.

Apud te eſt fons vitæ. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 683.

Pſalm. 37. *Et lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*. Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 30. pag. 696.

Vim faciebant, qui quærebant animam meam. Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 62. pag. 598.

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam ... Et factus ſum tamquam homo non audiens. Diſput. 3. ſect. 2. §. 1. nu. 28. pag. 215.

Dereliquit me virtus mea. Diſput. 5. ſect. 5. num. 90. pag. 406.

Neque ambulavi in magnis, nec in mirabilibus ſuper me. Ibidem §. 3. num. 102. pag. 417.

Pſalm. 38. *Sacrificium, & oblationem noluiſti*. Diſput. 5. in Procemio pag. 324.

Pſalm. 39. *Sacrificium, & holocauſtum noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*. Diſput. 3. ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 212.

Pſalm. 44. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 591.

Pſalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Diſputat. 7. ſect. 1. §. 2. num. 15. pag. 516.

Exultationes Dei in gutture eorum. Diſputat. 7. ſect. 2. §. 2. num. 29. pag. 529.

Illic iter, quod oſtendam illi ſalutare Dei. Diſputat. 6. ſect. 4. §. 1. num. 72. pag. 490. & Diſp. 7. in Procemio pag. 506. Et Diſputat. 2. ſect. 2. num. 48. pag. 41.

Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Sacrificium laudis honorabit me. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 511.

Pſalm. 50. *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23.

Pſalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exolvebam*. Diſput. 8, ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

Pſalm. 69. *Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589.

Pſalm. 73. *Dediſti eum eſcam Populis Æthiopum*. Ibidem. §. 1. num. 50. pag. 580.

Pſalm. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud*. Ibidem ſect. 6. §. 2. num. 109. pag. 647.

Pſalm. 83. *Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos ſuos. Altaria tua Domine virtutum &c.* Diſput. 5. ſect. 4. §. 2. num. 72. pag. 392.

Pſalm. 84. *Domini eſt aſſumptio noſtra*. Diſput. 8. in Procemio fine.

Te decet Hymnus Deus in Sion. Diſputat. 7. ſect. 2. §. 2. num. 18. pag. 521.

Pſalm. 86. *Homo, & homo natus eſt in ea*. Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 612.

Pſalm. 101. *Et cinerem tamquam panem manducabam*. Diſput. 1. in Procemio.

Pſalm. 103. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*. Diſput. 3. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 206.

Pſalm. 103. *Sol cognovit occaſum ſuum*. Diſputat. 2. ſect. 1. §. 3. num. 31. pag. 66.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. Diſput. 5. ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 389.

Pſalm. 109. *Jurobit Dominus, & non pænitebit eum, tu es Sacerdos in æternum. &c.* Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 451. & Diſput. 4. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 252. & Diſput. 7. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 507.

In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Diſput. 9. ſect. 3. §. 1. num. 4. pag. 706.

Pſalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum &c.* Diſput. 2. ſect. 1. num. 8. pag. 49. & ſect. 5. §. 3. num. 99. pag. 119.

Pſalm. 111. *Diſperſit, & dedit pauperibus*. Diſput. 6. ſect. 4. §. 2. num. 81. pag. 498.

Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 25. & Diſput. 3. ſect. 3. §. 2. num. 64. pag. 241. & Diſput. 7. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 511. & Diſput. 5. ſect. 1. §. 3. num. 21. pag. 344.

Pſalm. 115. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo Hoſtiam laudis*. Diſput. 3. ſect. 3. §. 2. num. 64. pag. 241.

Pſalm. 118. *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 591.

Anima mea in manibus meis ſemper. Ibidem ſect. 4. §. 1. num. 68. pag. 604.

Pſalm. 131. *Hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 678.

Pſalm. 137. *Multiplicaſti in anima mea virtutem*. Diſput. 5. ſect. 5. §. 1. num. 86. pag. 403.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi, Deus meus. Diſput. 7. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 520.

Pſalm. 138. *Exurrexi, & adhuc ſum tecum*. Diſput. 5. ſect. 3. §. 3. num. 55. pag. 377.

Pſalm. 140. *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 50. pag. 586. & 87.

Pſalm. 141. *Periit fuga à me, & non eſt, qui requirat animam meam*. Ibidem §. 2. num. 53. pag. 589.

Portio mea in terra viventium. Diſput. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704. & 705.

PROVERBIA.

Cap. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 124. pag. 139. & Diſput. 8. ſect. 5. §. 2. num. 89. pag. 626.

Cap. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23. & Diſput. 5. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 375.

Cap. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 22. pag. 22.

Cap. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 609.

Cap. 34. *Navis Inſtitutoris de longè portans panem ſuum*. Diſput. 3. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 204. & Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590.

Omnes Domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590.

ECCLESIASTES.

Cap. 1. *Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt ... Nihil ſub ſole novum*. Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. num. 47. pag. 468.

Cap. 4. *Cui laboro, & fraudo animam meam bonis*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 591.

Melius eſt ergo duos eſſe ſimul &c. Ibidem.

CANTICUM CANTICORUM.

Cap. 2. *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 33. pag. 67.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum; reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. n. 1. pag. 191. & ſeq. latè.

Ecce iſte venit ſaliens &c. Ibidem num. 4. pag. 193.

En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea. Ibidem num. 6. pag. 195.

Sonet vox tua in auribus meis. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 218.

Cap. 3. *Tenui eum, nec dimittam*. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 65. pag. 601.

Cap. 4. *Abſque eo, quod intrinſecus latet*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 591.

Cap. 7. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis*. Diſp. 8. ſect. 5. §. 5. nu. 80. pag. 617. & num. 83. pag. 620. & Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 204.

Cap. 7. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Diſp. 8. ſect. 5. §. 6. num. 86. pag. 624.

Cap. 8. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 76. pag. 615.

Pone me ut ſignaculum ſupra cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 592. & ſect. 5. §. 1. num. 76. pag. 615.

Cap. 8. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum?* Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 89. pag. 626. & Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 676.

LIBER SAPIENTIÆ.

Cap. 1. *Auris Cœli audit omnia, & tumultus murmurantium non abſcondetur*. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 217.

Cap. 5. *Tamquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis*. Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 560.

Cap. 7. *Candor eſt enim lucis æternę*. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 30. pag. 696.

Infinitus enim Theſaurus eſt hominibus &c. Diſp. 6. ſect. 4. §. 3. num. 88. pag. 504.

Eſt enim illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis &c. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 51. pag. 582.

Et qui capiat omnes ſpiritus... Et cum ſit una, omnia poteſt; & in ſe permanens, omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert. Ibidem.

Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Ibidem.

Antecedebat me iſta ſapientia, & ego ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt. Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. num. 113. pag. 650.

Cap. 16. *Subſtantia Dei.... in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebat*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 593.

ECCLESIASTICUS.

Cap. 1. *Radix ſapientiæ cui revelata eſt? & aſtutias illius quis intellexit?* Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 592.

Cap. 15. *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, & in medio Eccleſiæ aperiet os ejus, & adimplebit illum ſpiritu Sapientiæ, & intellectus*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 592.

Panis vitæ, & intellectus. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 684.

Cap. 23. *Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum contendens in animam ſuam dicens; quis me videt? &c.* Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 205.

Cap. 24. *In Jacob inhabita, in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices*. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 89. pag. 626.

Cap. 43 *In carne ejus ſtare fecit teſtamentum*. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 43. pag. 454.

Multa abſcondita ſunt majora his; parvi enim videmus opera ejus. Diſp. 8. in Proœmio.

Cap. 45. *Statuit illi teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis*. Diſp. 4. ſect. 1. §. 3. num. 27. pag. 275.

Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies Cœli, fungi Sacerdotio. Ibidem.

Ut ſit illi, & ſemini ejus Sacerdotii dignitas in æternum. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 507.

ISAJAS.

Cap. 3. *Dicite juſto, quoniam bene*. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23.

Cap. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 33. pag. 68.

Væ mihi, quia tacui. Diſp. 1. in Proœmio.

Cap. 12. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 682. & ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704.

Notas facite in Populis adinventiones ejus. Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704.

Cantate Domino, quoniam magnificè fecit &c. Quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 609. & Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704.

Cap. 25. *Convivium pinguium*. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 119. pag. 656.

Cogitationes antiquas fideles. Diſputat. 6. ſect. 2. §. 3. num. 47. pag. 468. & Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517.

Et faciet Dominus exercituum omnibus Populis in monte hoc convivium pinguium &c. Ibidem. & Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517.

Ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur. Ibidem.

Cap. 30. *Et dabit vobis Dominus panem arctum &c.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 26.

Cap. 41. *Electus meus, in quo ſibi complacuit anima mea*. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 566.

Cap. 43. *Multiplicaſti gentem &c. non magnificaſti lætitiam*. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 542.

Cap. 45. *Verè tu es Deus abſconditus*. Diſp. 8. ſect. 7. §. 1. num. 119. pag. 656.

Cap. 49. *Vocans ab oriente avem virum voluntatis ſuę*. Diſput. 5. ſect. 1. §. 1. num. 2. pag. 327.

Cap. 51. *Gaudium, & lętitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*. Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 32. pag. 531.

Cap. 53. *Non eſt aſpectus ei, nec decor &c.* Diſp. 5. ſect. 5. §. 1. num. 90. pag. 406.

Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum &c. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 74. pag. 98.

Quaſi ovis ad occiſionem ducitur &c. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 197.

Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Diſp. 5. ſect. 5. §. 2.

Digitized by Google

5. §. 2. num. 91. pag. 407.
Cap.59. *Opertus eſt Dominus, quaſi pallio zeli.* Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 55.
Cap.56. *Ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 26. pag. 25.
Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me... & erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Diſp. 2. ſect. 9. §. 2. num. 178. pag. 185.

JEREMIAS.

Cap. 9. *ASCendet mors per feneſtras.* Diſput. 3. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 193.
Cap.11. *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Diſput. 6. ſect. 2, §. 3, num. 40, pag. 462.
Cap.12. *Dedi dilectam meam in manibus inimicorum meorum.* Diſput. 5. ſect. 5, §. 7. num. 91. pag. 407.
Cap.16. *Et non frangent inter eos panem ad conſolandum &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 26. pag. 25.

THRENI.

Cap. 2. *VIderunt autem ſibi aſſumptiones falſas.* Diſput. 8. ſect. 7. §. 3. num. 130. pag. 666.
Cap. 3. *Ego vir videns paupertatem meam.* Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 21. pag. 552.
Cap. 4. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 591.

EZECHIEL.

Cap. 3. *COmede volumen iſtud &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23.
Et aſſumpſit me Spiritus. Ibidem.
Cap. 9. *Signa thau.* Diſput. 6. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 477.
Cap. 36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri.* Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 609.
Spiritum novum ponam in medio veſtri. Ibidem.

DANIEL.

Cap.14. *IN impetu Spiritus.* Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 552.

OSEÆ.

Cap. 2. *ECce ego lactabo eum, & loquar ad cor ejus.* Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 6. pag. 195.
Cap. 4. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis.* Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 584.
Cap.11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 127. pag. 141.
Cap.11. *Et ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in humeris meis, & neſcierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quaſi exaltans jugum in maxillis eorum, & declinavi ad eum, ut veſceretur.* Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.
Cap.13. *Conſolatio abſcondita.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 26. pag. 25.

AMOS.

Cap. 4. *SAcrificate de fermento laudem.* Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 512.

HABACUC.

Cap. 2. *VÆ qui dixit ligno: expergiſcere, ſurge lapidi jacenti &c.* Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 32. pag. 218.
Cap. 3. *Domine audivi auditionem tuam, & timui.* Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 217.
Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus. Ibidem.

ZACHARIAS.

Cap. 3. *SUper lapidem unum ſeptem oculi. &c.* Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 51. pag. 232.
Cap. 9. *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus &c.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 22. & Diſp. 6. ſect. 4. §. 1. num. 73. pag. 491. & Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 76. pag. 618.

MALACHIAS.

Cap. 1. *AB ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Diſput. 7. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 512.
Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Ibidem.
Munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ibidem.

MACHABÆORUM 1.

Cap. 3. *ET expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem Simulacrorum ſuorum.* Diſput. 1. in Procemio.

EX

EX NOVO TESTAMENTO.

SECUNDUM MATHÆUM.

Cap. 1. *Joſeph filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quad enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt*. Diſput. 8. ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 617.

Periet enim filium, & vocabit nomen ejus Jeſum. Diſput. 8. ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 617.

Cap. 4. *Dic ut lapides iſti panes fiant*. Diſput. 1. ſect. 1. §. 1. num. 2. pag. 7.

Non in ſolo pane vivit homo &c. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 38. pag. 575.

Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Ibidem pag. 576.

Cap. 5. *Nolite dare Sanctum Canibus*. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23.

Cap. 8. *Domine ſi vis, potes me mundare*. Diſput. 2. ſect. 5. §. 2. nu. 97. pag. 118.

Seqaere me, & dimitte mortuos ſepellire mortuos ſuos. Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 595. & ſeq.

Cap. 9. *Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem &c.* Diſput 2. ſect. 5. §. 2. num. 97. pag. 118.

Cap. 11. *Venite ad me amnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 121. pag. 128.

Cap. 12. *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti &c.* Diſput. 8. ſect. 2. §. 2. num. 29. pag. 561.

Volum s à te ſignum videre. Diſput. 8. ſect. 5. §. 3. num. 95. pag. 632.

Cap. 13. *Sine modo, ſic decet nos implere omnem juſtitiam*. Diſput. 2. ſect. 4. §. 3. num. 86. pag. 108.

Cap. 16. *Tunc reddet unicuiqae juxta opera ſua*. Diſput. 9. ſect. 2. §. 2. num. 34. pag. 701.

Cap. 19. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire &c.* Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 573.

Si autem vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Ibidem num. 40. pag. 577.

Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit &c. Ibidem ſect. 5. §. 1. num. 94. pag. 631.

Cap. 20. *Amice non facio tibi injuriam &c.* Diſput. 9. ſect. 2. §. 2. num. 35. pag. 701.

Cap. 22. *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem*. Diſput. 3. ſect. 1. §. 1. num. 10. pag. 198.

Cap. 26. *Donec illum bibam vobiſcum in regno Dei*. Diſput. 6. ſect. 3. §. 2. num. 65. pag. 484.

Non bibam amodò de hoc genimine vitis uſque in diem &c. Diſput. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517. & Diſput. 1. ſect. 2. §. 1. num. 39. pag. 34. & Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 10. pag. 680. & Ibidem num. 11. pag. 681.

Cap. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi*. Diſput. 7. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 509. & Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 26. pag. 24. & Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 21. pag. 138.

Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Diſput. 2. ſect. 5. §. 3. num. 97. pag. 118.

SECVNDVM MARCVM.

Cap. 5. *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace, eſta ſana à plaga tua*. Diſput. 5. ſect. 4. §. 1. num. 64. pag. 385.

Cap. 7. *Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui*. Diſput. 3. ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 215.

Cap. 14. *Jam non bibam de genimine hoc vitis donec &c.* Diſput. 6. ſect. 3. §. 2. num. 69. pag. 484.

SECVNDVM LVCAM.

Cap. 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel*. Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 26. pag. 558.

Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis &c. Diſputat. 3. ſect. 2. §. 1. num. 23. pag. 209.

Et regnabit in domo Jacob in æternum. Diſput. 3. ſect. 1. §. 1. num. 10. pag. 198.

Cap. 2. *Exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari mea*. Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 566.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur. Diſput. 1. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 8.

Proficiebat ſapientia, & ætate. Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 122. pag. 139.

Cap. 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum*. Diſput. 6. ſect. 3. §. 2. num. 35. pag. 701.

Cap. 8. *Tetigit me aliquis, quia ego cognovi, virtutem de me exiſſe*. Diſput. 2. ſect. 5. §. 1. num. 93. pag. 115.

Cap. 10. *Porro unum eſt neceſſarium*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 689.

Cap. 12. *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 682.

Cap. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 573.

Cap. 15. *Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ,*

qaæ

Digitized by Google

qua me contingit. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 588.

Cap. 22. *Quod pro vobis tradetur &c.* Diſput. 5. ſect. 3. §. 2. num. 147. pag. 370.

Accipite, & dividite inter vos. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 588.

Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno Patris mei. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 682.

Deſideria deſideravi &c. Diſp. 1. in Proœmio. Et Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 10. pag. 680.

Cap. 24. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati &c.* Diſput. 2. ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 96.

SECUNDUM JOANNEM.

Cap. 1. *Plenus gratiæ, & veritatis*. Diſput. 2. ſect. 5. §. 1. num. 92. pag. 114.

Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis. Ibidem ſect. 6. §. 3. num. 124. pag. 139.

De plenitudine ejus omnes accepimus. Diſput. 9. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 676. & §. 7. num. 17. pag. 688.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem &c. Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 30. pag. 696.

Cap. 2. *Solvite templum hoc*. Diſput. 3. ſect. 1. §. 3. num. 30. pag. 343.

Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 594.

Cap. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum*. Diſput. 2. ſect. 4. §. 2. num. 70. pag. 95.

Non miſit Deus filium ſuum in mundum ut judicet mundum. Diſput. 2. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 56.

Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Diſput. 3. ſect. 2. §. 2. nu. 30. pag. 216.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 573. & num. 4. pag. 578.

Cap. 4. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei &c.* Diſput. 2. ſect. 7. §. 1. num. 138. pag. 151.

Patres noſtri in monte hoc adoraverunt &c. Diſput. 7. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 520.

Venit hora, quando nec in monte hoc, nec Hieroſolymis adorabitis Patrem, ſed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate &c. Ibidem.

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Diſput. 7. ſect. 2. §. 2. num. 10. pag. 521.

Sedebat ſic ſupra fontem. Ibidem.

In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 30. pag. 572.

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 683.

Cap. 5. *Pro illis ſanctifico meipſum*. Diſput. 2. ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 95.

Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic filius, quos vult, vivificat. Diſput. 2. ſect. 5. §. 2. num. 97. pag. 118.

Cap. 6. *Domine, ad quem ibimus &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 25. pag. 24.

Ego ſum panis vitæ. Iteratò Diſput. 2. ſect. 1. §. 1. num. 13. pag. 51.

Murmurabant erga Judæi de illo, quia dixiſſet: ego ſum panis vivus. Ibidem.

Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi. Ibidem.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ibidem.

Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c. Ibidem.

Verba, quæ locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt. Ibidem.

Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum &c. Ibidem.

In me manet, & ego in ea. Ibidem.

Sicut miſit me vivens Pater &c. Ibidem.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam. Diſput. 9. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 689.

Niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis. Ibidem.

Cap. 6. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Diſput. 3. ſect. 3. §. 1. num. 52. pag. 233.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. Diſput. 8. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 537. & num. 11. pag. 544. & num. 13. pag. 545. & ſect. 2. §. 2. num. 28. pag. 560. & §. 3. num. 41. pag. 577.

Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 32. pag. 568. & num. 41. pag. 577. & pag. 578. & ſect. 4. §. 1. num. 63. pag. 599.

Ex vobis unus Diabolus eſt. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 85. pag. 585.

Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt. Diſput. 8. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 562.

Digitized by Google

561. & ſect. 3. §. 1. num. 45. pag. 581. & ſect. 4. §. 1. num. 59. pag. 595.

In me manet, & ego in illo. Diſp. 8. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 564. & num. 32. pag. 568.

Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 573. & num. 41. pag. 578.

Cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 688.

Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanent in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignavit Deus &c. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 592. & Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 674.

In me manet, & ego in illo. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 611. & ſect. 5. §. 1. num. 74. pag. 612. & num. 82. pag. 619. & Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 677.

Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 84. pag. 621.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Diſp. 8. ſect. 5. §. 3. num. 93. pag. 619. & Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 673. &

Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Ibidem.

Qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Diſp. 8. ſect. 5. §. 3. num. 93. pag. 629.

Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſiquis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 673.

Sicut miſit me vivens Pater &c. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 10. pag. 680.

Cap. 7. *Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Diſp. 8. ſect. 7. §. 2. num. 223. pag. 660,

Cap. 9. *Ille dixit, quia Propheta eſt*. Diſp. 2, ſect. 6. §. 3. num. 124. pag. 140.

Cap. 10. *Ego ſum Paſtor bonus: bonus Paſtor animam ſuam ponit &c.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 26.

Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 38, pag. 361. & ſect. 5. §. 1. num. 87. pag. 403. & §. 2. num. 91, pag. 407.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 674.

Cap. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram &c.* Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 51. pag. 586.

Cap. 13. *In finem dilexit*. Diſp. 1. in Procemio. Et Diſp. 3. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 249.

Cum Diabolus jam miſiſſet in cor. &c. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 585.

Et poſt bucellam introivit in eum Satanas. Ibidem.

Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem. Ibidem §. 2. num. 51. pag. 586.

Cap. 14. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 121. pag. 138.

Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Diſp. 4. ſect. 3. §. 2. n. 52. pag. 299.

Cap. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut ponat animam ſuam quis pro amicit ſuis*. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 155. pag. 377.

Cap. 16. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, qui ex meo accipiet*. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 149. pag. 160.

Cap. 17. *Sublevatis oculis in Cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 74. pag. 98. & 99.

Claritatem, quam dedit mihi Pater, dedi eis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſumus. Diſp. 8. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 551. & Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 705.

Quia ega ſum in Patre, & vos in me, & ega in vobis. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 36. pag. 572.

Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te .... & ipſi in nobis unum ſint .... & ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum. Ibidem.

Ut ſint unum ſicut, & nos unum ſumus. Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 705.

Cap. 17. *Ego in eis, & tu in me; ut ſint conſummati in unum*. Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 705.

Volo ut ubi ſum ego, illic ſint mecum; ut videant claritatem meam. Ibidem. num. 41. pag. 706.

Cap. 19. *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Diſp. 1. in Procemio.

Cap. 20. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem*. Diſp. 4. ſect. 3. §. 1. num. 53. pag. 300.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. Diſput. 5. ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 389.

Cap. ultimo. *Sunt enim & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Diſp. 8. in Prooemio.

ACTA APOSTOLORUM.

Cap. 1. *ET. convescens &c.* Diſput. 3. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 253.

Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta &c. Diſput. 7. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 331.

Cap. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 585.

Cap. 5. *Gamaliel legis Doctor honorabilis univerſæ Plebi.* Diſput. 9. ſect. 3. §. 2. num. 44. pag. 708.

Et nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos; quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere illud; ne fortè & Deo repugnare inveniamini. Ibidem.

Conſenſerunt autem illi. Ibidem.

Cap. 13. *Miniſtrantibus illis Domino.* Diſput. 4. ſect. 2. §. 1. num. 34. pag. 282.

Cap. 20. *Et ecce alligatus ego Spiritu vado in Jeruſalem.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 584.

Cap. 22. *Et cum non viderem præ claritate luminis illius.* Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 31. pag. 697.

AD ROMANOS.

Cap. 3. *EX operibus legis non juſtificari omnem Creaturam.* Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 437.

Cap. 5. *Quem propoſuit Deus propitiationem &c.* Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 439.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 59. pag. 595. & num. 62. pag. 597.

Cap. 6. *Chriſtus reſurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra &c.* Diſput. 8. ſect. 6. §. 1. num. 100. pag. 637.

Cap. 8. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Si autem Chriſtus in vobis eſt &c.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 564. & ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 566.

Quod ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra. Diſput. 5. ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 388.

Cap. 12. *Multi unum Corpus ſumus.* Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 683.

Cap. 13. *Induimini Dominum Jeſum.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 44. pag. 581.

AD CORINTH. 1.

Cap. 1. *ALia claritas Solis, alia claritas Lunæ &c.* Diſput. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 705.

Cap. 2. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt in homine, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt.* Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 596.

Cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Diſput. 3. ſect. 3. §. 2. num. 60. pag. 238.

Cap. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur in Azimis ſynceritatis &c.* Diſput. 1. ſect. 2. §. 1. num. 39. pag. 34. & Diſput. 5. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 374.

Ego quidem abſens corpore, præſens tamen Spiritu. Diſput. 2. ſect. 6. §. 2. num. 116. pag. 133.

Cap. 6. *An neſcitis, quod qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum ea?* Diſput. 8. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 546.

Cap. 10. *Conſequente eos Petra. Petra autem erat Chriſtus.* Diſput. 2. ſect. 4. §. 3. num. 85. pag. 108.

Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Diſput. 1. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 20. & Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 436.

Omnes eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt &c. Diſput. 3. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 229.

Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? Diſput. 4. ſect. 2. §. 1. num. 36. pag. 285.

Unus panis unum corpus multi ſumus. Diſput. 6. ſect. 2. §. 2. num. 37. pag. 458. & Diſput. 8. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 538.

Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Diſput. 7. ſect. 2. §. 2. num. 26. pag. 527. & Diſput. 8. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 551. & ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 604. & ſect. 5. §. 2. num. 91. pag. 618.

Cap. 10. *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum.* Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 50. pag. 586.

Non poteſtis calicem Domini bibere, & Dæmoniorum. Ibidem.

Unus panis unum corpus &c. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 683.

Cap. 11. *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam Cœnam manducare &c.* Diſput. 1. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 7.

Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat. Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 56.

Nam oportet & hæreſes eſſe. Diſput. 5. ſect. 3. §. 2. num. 47. pag. 371. &

Di-

Diſput. 8. in Procemio.
Ideo inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi. Ibidem.
Cætera autem cum venero diſponam. Ibidem.
Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Diſput. 6. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 469. & Diſputat. 7. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 509. & ſect. 2. §. 1. num. 21. pag. 523.
Probet autem ſeipſum homo. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 42. pag. 579.
Cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum &c*. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 207. & Diſp. 5. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 524.
Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. Ibidem pag. 524.
Cap. 14. *Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus &c*. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 209.
Cap. 15. *Et corpora cæleſtia, & corpora terreſtria; ſed alia cœleſtium &c*. Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 42. pag. 707.
Factus eſt primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 45. pag. 541.
Stella differt ab ſtella in claritate. Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 705.

AD CORINTH. 2.

Cap. 1. *QUi & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 584.
Cap. 3. *Nos vero omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu &c*. Diſput. 5. ſect. 4. §. 3. num. 77. pag. 395. & Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 24. pag. 555. & Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 706.
Non poſſent filii Iſrael intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultum ejus. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 31. pag. 697.
Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Diſp. 9. in Procemio pag. 671.
Cap. 4. *Ut vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*. Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 24. pag. 555.
Ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Ibidem.
Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 593.
Cap. 12. *Sed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*. Diſp. 6, ſect. 1. §. 3. num. 21, pag. 443.
Scio hominem ante annos quatuordecim (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium Cœlum. Diſput. 2. ſect. 6. §. 2. num. 120. pag. 137.

AD GALATAS.

Cap. 1. *FIlioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 585.
Cap. 2. *Vivo autem, jam non ego &c*. Diſp. 2. ſect. 5. §. 1. num. 91. pag. 113. & Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 553. & Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 19. pag. 687.
Si ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Diſput. 6. ſect. 1. §. 1. num. 12. pag. 437.
Cap. 3. *Chriſtum induiſtis &c*. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590.
Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 65. pag. 601.
Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Diſp. 8, ſect. 5. §. 5. num. 83. pag. 621.
Cap. 4. *Miſit filium ſuum factum ex muliere*. Diſput. 8. ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 618.
Egena, & vacua elementa. Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 437.

AD EPHES.

Cap. 1. *IPſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Diſput. 2. ſect. 5. num. 94. pag. 115.
Non ſolum in hoc ſæculo, ſed in futuro. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 685.
Cap. 2. *Ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem*. Diſp. 8. ſect, 4. §. 2. num. 73. pag. 611.
Cap. 4. *Renovamini Spiritu mentis veſtræ*. Diſput. 5. ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 389.
Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ipſe Salvator Corporis ejus. Diſp. 8. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 551.
Solliciti ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 548.
Unum corpus unus Spiritus. Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. num. 103. pag. 641.
Cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & Eccleſia*. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 27.
Cap. 5. *Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam*.

Diſp. 8. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 545.

Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & Eccleſia. Ibidem.

Et erunt duo in carne una. Ibid. & ſect. 3. §. 1. num. 43. pag. 70. & ſeq.

Cap. 6. *Adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi Rectores &c.* Diſp. 6. ſect. 4. §. 1. num. 73. pag. 492.

AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. *PLures è fratribus Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore Verbum Dei loqui*. Diſp. 9. in Proœmio pag. 671.

Cap. 2. *Chriſtus humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen &c.* Diſput. 2. ſect. 4. num. 74. pag. 99.

Non repinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

Cap. 3. *Qui reformavit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 47. pag. 583. & Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 705.

Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim; ſequor autem, ſi quomodo comprehendam, ſicut comprehenſus ſum à Jeſu Chriſto. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 584.

Cap. 4. *Quæ miſiſtis in odorem ſuavitatis hoſtiam acceptam, placentem Deo*. Diſput. 6. ſect. 4. §. 2. num. 81. pag. 498.

AD COLOSSENSES.

Cap. 2. *ET ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vabiſcum ſum &c.* Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 116. pag. 133.

Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Diſp. 8. ſect. 2. num. 19. pag. 550.

Cap. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cum autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 3. num. 19. pag. 687.

AD THESSALON. 1.

Cap. 5. *SPiritum nolite extinguere*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590.

AD TIMOTH. 1.

Cap. 6. *LUcem habitat inacceſſibilem*. Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 30. pag. 696.

AD HÆBREOS.

Cap. 1. *ET cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli ejus*. Diſput. 8. ſect. 7. §. 3. num. 129. pag. 665.

Tanto melior Angelis effectus. Diſput. 6. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 434.

Figura ſubſtantiæ ejus. Diſputat. 9. ſect. 2. §. 1. num. 30. pag. 696. & ſect. 3. §. 2. num. 44. pag. 708.

Cap. 2. *Vidimus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum*. Diſput. 2. ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 96.

Cap. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſè dignus eſt habitus*. Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 434.

Cap. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati &c.* Diſp. 3. ſect. 2. §. 3. num. 42. pag. 223.

Habemus Pontificem magnum, qui penetravit Cælos. Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. n. 25. pag. 526.

Cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus &c.* Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 2. pag. 25. & Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 276.

Qui in diebus carnis ſuæ preces ad eum &c. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 74. pag. 99.

Didicit ex iis quæ paſſus fuerat. Diſput. 3. ſect. 2. §. 3. num. 42. pag. 224.

Exauditus eſt pro ſua reverentia. Diſp. 6. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 299.

Sic Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus ad eum. Diſput. 6. in Proœmio pag. 425.

Filius meus es tu ego hodie genui te. Ibidem.

Appellatus Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech, de quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilli facti eſtis ad audiendum. Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. num. 35. pag. 284. & ſect. 3. §. 1. num. 56. pag. 303.

Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, &c. Diſp. 6. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 436.

Appellatus à Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech. Ibid. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 453.

Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuavitatis. Ibid. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 469.

Cap. 7. *Translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis translatio fiat*. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 77. pag. 25.

Talis nobis decebat, ut eſſet Pontifex &c. Diſp. 2. ſect. 4. §. 3. num. 86. pag. 108.

Sempiternum habet Sacerdotium. Diſp. 4. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 252.

Et

Digitized by Google

Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit. Diſp. 4. in Prooemin.

Plures facti ſunt Sacerdotes, eo, quod morte probiberentur permanere, Hic autem te: Diſp. 4. ſect. 1. §. 2. n. 10. pag. 260.

Si ergo conſumatio per Sacerdotium Leviticum erat .... quid adhuc neceſſe fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem? Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 434. & ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 453.

Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Ibidem ſect. 3. §. 1. num. 51. pag. 298. & §. 2. num. 52. pag. 299.

Cap. 7. *Quia morte prohiberentur permanere, hic autem, eo quod manet in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Diſput. 4. ſect. 4. §. 2. num. 69. pag. 314. & Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 506.

Et alii plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur: hic autem &c. Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. n. 1. pag. 422. & Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 518.

Lex enim homines conſtituit Sacerdotes, infirmitatem habentes. Ibid.

Sermo autem jurisjurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum. Ibidem.

Qui nec initium dierum, nec finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in æternum. Ibidem.

Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes &c. Ibidem.

Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex &c. Ibidem.

Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro ſuis delictis. Diſp. 6. ſect. 3. §. 1. num. 50. pag. 471.

Si ſecundum ordinem Melchiſedech exurgat alius Sacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 519. & Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. num. 65. pag. 311.

Cap. 8. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos.* Diſp. 4. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 268. & ſect. 4. num. 48. pag. 305. & Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. num. 25. pag. 525.

Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera magnitudinis in Cælis, Sanctorum miniſter, & tabernaculi, quod finxit Deus, & non homo, omnis enim Pontifex ad offerenda munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid, quod offerat. Diſput. 4. ſect. 2. §. n num. 28. pag. 276. & Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517.

Cap. 8. *Qui exemplari, umbræ deſerviunt cæleſtium.* Diſp. 4. ſect. 3. §. 2. num. 40. pag. 288. & Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. num. 12. pag. 436.

Cap. 9. *Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt.* Diſput. 7. ſect. 2. §. 3. num. 20. pag. 270.

Et ideo novi teſtamenti mediator eſt. Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. num. 42. pag. 464.

Alioqui oportebat ipſum pati ab origine mundi. Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. num. 34. pag. 283.

Neceſſe eſt exemplaria quidem cæleſtium his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis. Diſp. 4. ſect. 3. §. 2. num. 40. pag. 288.

Et omnia pæne in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguine non fit remiſſio. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. n. 1. pag. 326.

Chriſtus mortuus eſt in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento. Diſp. 6. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 439.

Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum &c. Diſput. 6. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 471.

Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori .... ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt. Ibidem.

Introivit ſemel in ſancta, æterna redemptionem inventa. Ibid. ſect. 4. §. 3. num. 87. pag. 503.

Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum &c. Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. num. 25. pag. 526.

Cap. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel.* Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 434.

Ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato. Ibidem.

Umbram habens Lex futurorum, non ipſam imaginem rerum. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 20.

Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum auferri peccata. Diſp. 6. ſect. 1. num. 12. pag. 437.

Initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, ideſt carnem ſuam. Diſputat. 4. ſect. 3. §. 2. num. 34. pag. 282.

Omnis Sacerdos preſto eſt, quotidie miniſtrans, & eiſdem ſæpe offerens hoſtias... Hic autem unam pro peccatis offerens Hoſtiam &c. Diſp. 4. ſect. 3. §. 2. num. 34. pag. 286.

Jam non eſt oblatio pro peccato. Ibidem. *Per ſingulos annos eiſdem ipſis Hoſtiis, quas offerunt inceſſanter, numquam poteſt accedentes perfectos facere .... & omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpè offerens Hoſtias &c.* Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 518. & num. 3. pag. 429. & ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 451.

Una

Una oblatione confirmavit in æternum ſanctificatos. Diſp. 6. ſect. 2 §. 2. num. 47. pag. 468.

Omnis quidem Sacerdos præſtò eſt &c. Diſput. 6. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 471.

Unam pro peccatis offerens Hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei. De cætera ſpectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Ibidem ſect. 4. §. 1. num. 72. pag. 490. & Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. num. 19. pag. 521.

Sacerdotem magnum ſupra domum Dei. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517.

Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. num. 28. pag. 214.

Cap. 11. *Fide plurimam Hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo*. Diſp. 4. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 258.

Cap. 13. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci, talibus enim Hoſtiis promeretur Deus*. Diſp. 6. ſect. 4. §. 2. num. 80. pag. 497.

Per ipſum ergo offeramus Hoſtiam laudis Deo. Ibidem & Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 511.

Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. Ibid.

JACOBI EPISTOLA.

Cap. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 46. pag. 582.

Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini. Ibidem n. 47. pag. 583.

PETRI 1.

Cap. 2. *Converſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag 26.

Sicut modo geniti infantes rationabiles lac concupiſcite. Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 126. pag. 142.

Ad quem accedentes lapidem vivum .... & ipſi tamquam lapides vivi: Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 230.

Cap. 3. *Mortificatus quidem carne, ſed vivificatus ſpiritu*. Diſp. 5. ſect. 4. §. 2. num. 68. pag. 388.

JOANNIS EPISTOLA PRIMA.

Cap. 1. *Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*. Diſput. 9. ſect. 2. §. 1. num. 3. pag. 96.

Cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed pro totius Mundi*. Diſput. 1. ſect. 1. num. 94. pag. 115. & ſeq.

Advocatum habemus apud Patrem. Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 552.

Cap. 3. *Vitam æternam in ſemetipſo manentem*. Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 689.

Cap. 4. *Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum ex Deo non eſt*. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

JUDÆ EPISTOLA.

Hi ſunt in epulis convivantes ſine timore, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 54. pag. 590.

Quibus procella tenebrarum reſervata eſt. Ibidem.

APOCALIPSIS.

Cap. 1. *Converſus elevatus eſt*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 1. num. 4. pag. 675.

Cap. 2. & 3. *Qui habet aurem audiendi audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis*. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 59. pag. 595.

Cap. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere in Throno meo, ſicut, & ego vici, & ſedi cum Patre meo*. Ibidem.

Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Ibidem & ſect. 7. §. 1. num. 121. pag. 658.

Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 84. pag. 622.

Cap. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Diſp. 2. ſect. 4. §. 3. num. 83. pag. 105.

Agnum ſtantem tamquam occiſum. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 339.

Cap. 11. *Apertum eſt templum Dei in Cælo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus*. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 520.

Cap. 12. *Qui occiſus eſt ab origine mundi*. Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 436.

Cap. 17. *Tamquam vox aquarum multarum*. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. n. 14. pag. 583.

Aquæ multæ Populi multi ſunt. Ibidem.

Cap. 19. *Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt*. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 517.

Cap. 22. *Ut ſanctus ſanctificetur adhuc*. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 11. pag. 554.

Merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua. Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 19. pag. 687.

I N D E X

Rerum, non ſanè locuples; ſed nec prorſùs inops.

A

Abraham.

Abrahamus, dum ſacrificare voluit Iſac, figurabat ſacrificium altaris, cum fuerit incruentum illud relatè ad ipſum Filium. Diſp. 3. ſect. 1. num. 9. pag. 197.

Ideò vocavit montem illum *Dominus videt*, ut ſignificaret uſum potentię viſivę Chriſti Domini in altari. Ibidem.

Accidens. Accidentia.

Remanent eadem numero accidentia ſenſibilia in tranſubſtantiatione Euchariſtica. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 41. pag. 36.

Multiplex opinandi via circa modum, quo exiſtunt abſque ſubjecto divinitùs. Ibidem.

Irriti novæ Philoſophiæ conatus, omnia phyſica accidentia improbantes, diverſimodè expoſiti, raptim amoventur. Diſput. 1. ſect. 2. §. 2. à num. 42. pag. 36. 37. & 38.

Accidentia panis, & vini, peracta conſecratione, licet naturalitèr deſignent ſubſtantias panis, & vini, neutiquam decipiunt, quia ultra illa ſortiuntur aliam ſignificationem ex placito Inſtitutoris, exiſtentiæ ſcilicèt realis Corporis, & Sanguinis. Diſput. 2. ſect. 6. §. 1. num. 109. pag. 128.

Accidentia Euchariſtica, licet unita realitèr aliquatenùs Corpori, & Sanguini in hoc altari, ideò non comitantur Corpus, & Sanguinem Salvatoris Noſtri ad alia loca, aut altaria, quia non ſufficit unio extremorum præcisè, tametſi realis, ad concomitantiam. Diſput. 2. ſect. 8. §. 2. num. 159. pag. 169.

Nullam phyſicam alligationem habere Chriſtum Dominum ad accidentia Euchariſtica, opinantur plures cum Doctore Subtili. Diſput. 3. ſect. 3. ſ. 1. num. 45. pag. 226.

Ideòque ſolùm ex pacto divino moveri Chriſtum Dominum ad motum accidentium. Ibidem.

Accidentia Euchariſtica nec adhuc ſecundario, aut partialiter conſtituere rem oblatam, licet conſtituant illam ut ſenſibilem, ſuadetur. Diſput. 5. ſect. 1. ſ. 2. num. 15. pag. 338.

Quinimo etſi conſtituant illam partialiter, ſacrificiumque, non ideo abſque reali immutatione conſtituunt. Ibidem.

Tum quia in ratione ſigni ſenſibilis immutantur aliquatenus; tum præcipuè, quia tranſeunt ab inhærentia reali in ſubſtantia panis, & vini, ad modum realem per ſe exiſtendi divinitùs. Ibid. pag. 339.

Actio.

Actio purè phyſica, & emortua numquam poteſt exiſtere ſine ſuo termino; intentionalis vero poteſt ſucceſſivè plures reſpicere. Diſput. 6. ſect. 3. §. 1. num. 55. pag. 475.

Per quam actionem ponatur Chriſtus Dominus in Euchariſtia; adductivam ne, an productivam? Diſput. 1. ſect. 2. §. 2. num. 46. pag. 39.

Non omnes indiſtinctè actiones, nec preces omnes, quæ fiunt à Sacerdote Miniſtro in altari, tribuendæ ſunt Chriſto Domino, ut principali Sacerdoti. Diſput. 4. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 273.

Suſpenſio actionis miraculosè conſervantis per aliquod tempus in Cruce vitam Chriſti Domini, cum nullo jure ſit ſuſpenſio actionis debitæ, non efficit Chriſtum ſuſpendentem homicidam ſui. Diſp. 5. ſect. 5. §. 2. num. 96. pag. 412.

Actio phyſica ſimul & intentionalis poteſt non inducere ſuum terminum in eodem inſtanti, ſed in ſequenti, ut imperium præcipiens aliquem actum pro inſtanti immediato. Secus pure phyſica. Ibid. num. 105. pag. 420.

Poteſt pariter actio intentionalis reſpicere ritus diverſos. Diſp. 6. ſect. 2. §. 1. num. 24. pag. 447. & num. 25. pag. 448.

Et quidem pœnes eamdem formalitatem, vel pœnes duas ſecundum implicitum & explicitum ſolum diverſas, vel inter ſe formaliter connexas. Diſput. 6. ſect. 3. ſ. 1. num. 52. pag. 473.

Actus.

Actus liber replicatus num ſit utrobique liber? Diſp. 2. ſect. 4. §. 1. à num. 67. & pag. 92.

Tametſi actus vitalis ſit eſſentialiter alligatus ſubjecto; illud tamen minimè afſigitur actui. Diſp. 2. ſect. 8. ſ. 1. num. 156. pag. 167.

Dominium deſpoticum, quod ſuppoſitum rationale habet in ſuas operationes volubi-

lubiles, facit, ne alicui determinatè aſfigatur. Ibidem num. 157.
Vage tamen aliquos actus poſtulat. Ibidem & num. 158. pag. 168.
Actus purè ſpirituales volubiles, ut planè independentes à corpore, qui primo eliciuntur in Euchariſtia, neutiquam deferuntur per concomitantiam in Cœlum. Ibidem §. 2. num. 159. pag. 169. & ſeq.
Actus internus Chriſti Domini eſt reproducibilis ſæpiſſimè, eodem pacto, ac reproducantur Corpus, & Sanguis ejus jugiter in altari. Diſput. 6. ſect. 2. §. 3. num. 41. pag. 462. & num. 46. pag. 467.
Falſum eſt prorſus, quod ſolus actus internus ſit verum ſacrificium in rigore ſermonis. ſect. 3. §. 1. num. 50. pag. 470.
Ille actus non repræſentat cruentum ſacrificium ut præſens, & incruentum ut futurum; ſed abſolutè repræſentat illud ut ſemel peragendum, & hoc ut jugiter. §. 2. num. 64. pag. 483.
Actus voluntatis immolans in Cruce non fuit doloroſus ratione ſui, cum deberet reproduci modo à Chriſto Domino in ſtatu glorioſo. Ibid. num. 65. pag. 484.

Altare.

Chriſtus Dominus ex altari exequitur phyſicè munus Sacerdotis, immediatè ſacrificando. Diſput. 4. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 277.
Tametſi non phyſicè, ſed purè moraliter influeret, potius tribuendum eſſet ſacrificium illi, prout in altari, quam qua exiſtenti in Empyreo. Ibid. num. 30. pag. 278.

Amicitia.

Quod amicitia in plures diſtributa ſegniorem curſum habeat; fallit prorſus in Euchariſtia. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 22. pag. 22.

Amor.

Radix, & cauſa impulſiva Inſtitutionis Euchariſtiæ fuit amor. Diſput. 1. in Proœmio.
Amor ex ſuo conceptu formali eſt vis unitiva; ac proinde ſummus amor eſt ſummè unitivus, ideſt quantum fieri poteſt, & decet. Diſput. 8. ſect. 5. §. 1. num. 74. (per errorem typographi) à pag. 612. & num. 75. & 77.
Propterea aut Chriſti Domini amor in inſtituenda Euchariſtia ſummus non fuit, aut ſummam unionem poſſibilem cum amato accedente ad illam inducit. Ibid.
Neque ſolum inuehit ſummam unionem affective, ſed effective. Ibidem.
Nequit eſſe ſumma unio, ſi realis permanens non ſit; & aliunde nequit eſſe unio realis permanens manducantis cum integro Chriſto Domino, ſiquidem ſpecies diſparent breviter, adeoque Corpus, & Sanguis. Ibidem.
Falſo diceretur, unionem illam animæ Chriſti Domini cum juſto permanenter ſumente Euchariſtiam, non convenire, aut non decere. Ibid. num. 76. & 77. pag. 614. & 615.
Amor eſt vis magnetica. Ibid. num. 74. pag. 612.
Vis unitiva convenit tam amori amicitiæ, quam concupiſcentiæ. num. 75. pag. 613.
Ex ea vi unitiva amoris infert S. Thomas neceſſitatem præſentiæ realis Chriſti Domini in Euchariſtia; quoniam alioqui non exiſteret perfecta conjunctio Chriſti Domini cum ſuo Corpore Myſtico; quod argueret defectum amoris in ipſo. Ibidem.
Amor Euchariſticus fortis eſt ut mors, quatenus deſinentibus ſpeciebus, deſinit corpus eſſe ibi; anima tamen ab eo, prout ibi, ſeparata, unitur juſto amato. Ibidem num. 77. pag. 615.
Idem numero amor beatificus, (uti & reliqui actus conſtituentes beatitudinem) per quem anima Chriſti Domini beatur, infunditur per replicationem Beatis Euchariſticis, ab eiſdemque reproducitur. Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 691. *Vide viſio beata.*
Non exhibet tamen integrum ſuum effectum formalem, ſed juxta menſuram unionis, & effectus formales viſionis. Ibid. ſectione 2. num. 33. pag. 700.

Angelus.

Cayetanus fingit per hypotheſim Angelum dormientem in Lapide, quo in eventu Angelus neceſſario moveretur; & tamen ille, utpotè dormiens, ſui motum non produceret. Diſp. 3. ſect. 4. §. 1. num. 67. pag. 224.
Verum implicare videtur in adducto hypotheſis, in qua Angelus ſit in Lapide, & non per operationem, ſi non aliter eſſe poſſet in loco, ut Cayetanus opinatur, niſi, quatenus in illo operetur; dormitio enim non eſt operatio circa Lapidem facta. Ibid. num. 45.
In eventu illo vel ipſe Angelus, tametſi dormiens, produceret connaturaliter motum, & præſentiam, vel cauſa prima ſuppleret. Ibid.
Angelus movens Cœlum, non aſſumit, quia non utitur mobili præfato ad ſe repræſentandum. Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 552.
Angelus non tantum corpus ex aëre formatum; ſed vivum aſſumere poteſt, hominemque. Ibid. num. 23. pag. 553. & ſeq.
Angelus per operationes hominis aſſumpti non

non ſine aliqua difficultate poteſt repræſentare ſeipſum, cum operationes liberæ hominis ipſum hominem potius exprimant; cauſa tamen vivens univerſalis, poteſt quamoptimè ſeipſam per illas repræſentare. Ibidem num. 23. pag. 554. & ſect. 6. §. 2. num. 110. pag. 648.

Sicut Angelus in corpore formato olim, repræſentabat interdum non ſeipſum per operationes ab eo in prædicto corpore elicitas, ſed Deum, aut Perſonam Filii. Ibidem.

Per aprehenſionem humanæ naturæ præ Angelica intellexiſſe Apoſtolum cap. 2. ad Hæbr. aſſumptionem, planum videtur. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 46. pag. 582.

Verbum aprehendit (Græcè aſſumit) non de præterito, ſed de præſenti accipitur ab Interpretibus; & aliunde aſſumptio naturæ humanæ per Incarnationem jam facta erat. De alia igitur, noſtra ſcilicet, diſputat Paulus. Ibidem.

Idem colligitur ex adverbio *nuſquam*. Ibidem.

Item ex eo quod non de natura Angelica, ſed de Angelis loquatur; ac ſubinde non de natura humana aſſumpta hypoſtaticè; ſed de hominibus, Perſoniſque humanis. Ibid. num. 47. & pag. 583.

Angelus pellere poteſt de loco in locum animam ſeparatam. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 676.

Anihilatio.

Subſtantia panis, & vini non anihilantur, ſed commutantur. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 40. pag. 35.

Anima, & Anima Chriſti Domini.

Anima, quæ nullas vitales operationes exerceret in corpore, foret plane otioſa, inutilis, torpidaque juxta S. Damaſcenum. Diſp. 2. ſect. 4. §. 3. num. 89. pag. 112.

Error eorum, qui dixerunt, Brutorum animas eſſe rationales; etiamſi ob improportionem organorum nullas functiones vitæ rationalis exerceant. Ibidem.

Dum anima occupatur circa unum extremum, quod eſt ratio alterius, occupatio circa primum non impedit occupationem circa ſecundum, juxta D. Thom. Ibid. ſect. 9. § 1. num. 173. pag. 181.

Etiamſi fieret ſacrificium in Triduo, debuiſſet, in quorumdam Theologorum ſententia, adeſſe ibi anima Salvatoris, non ut informans, ſed ut aſſiſtens, & influens. Diſput. 4. ſect. 4. §. 1. num. 58. pag. 305.

Immo alii dixere, informaturam tunc animam corpus proprium, ut peragere poſſet ſacrificium. Ibid. num. 59. pag. 306.

Si anima pro nutu ſuo poſſet exire à corpore, & iterato cum vellet, redire, *non majoris eſſet culpæ, ſi corpus desereret, quam quod habitator deſerat Domum*, inquit S. Thomas. Diſp. 5. ſect. 5. §. 2. num. 97. pag. 412.

Anima ſeparata poteſt aſſumere corpus. Diſput. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 553.

Dubium tamen eſt, poſſit ne id facere naturali virtute, an ſolum Divinitus? Ibidem.

Poſſe tamen animam beatam virtute, illi qua glorioſæ debita, compertum eſt. Ibidem.

Non ſolum poteſt aſſumere corpus ex materia elementaria formatum, verum & corpus vivum, rationalique anima informatum. Num 23. pag. 553. & ſeqq.

Cum Chriſtus Dominus ſit principium univerſale reſpectu hominum, poteſt ejuſdem anima ſacroſancta per operationes hominis aſſumpti, quantumvis liberas, ſeipſam, ſuaſque actiones in vita paſſibili exprimere. Ibidem pag. 554.

In ſuſcipiente peculiari diſpoſitione Euchariſtiam, deſinentibus ſpeciebus, permanet Anima Chriſti Domini per modum formæ aſſiſtentis, & motoris aſſumentis juſtum illum. Ibid. num. 26. pag. 556. fuſiſſimè.

Requiritur ad hunc effectum ſuſcipiendum, & ſingularis fervor devotionis, & ſanctitas, puritaſque vitæ eximia. Ibidem.

Hic eſt proprius, ſpecificuſque effectus Euchariſtiæ, quem per ſe primo intendit, ſi ex parte ſuſcipientis non deſit ornatus ille virtutum, & affectuum, quem poſtulat. Ibidem.

Non poſſidet ſemper, media illa conjunctione, totum hominem, ſed cor animatum, ſive animam in corde; ſeſe diffundens extenſive, & intimius conjungens juxta majorem ſubjecti capacitatem, & diſpoſitionem. Ibidem pag. 557.

Per ordinem ad hanc realem conjunctionem deſumendus eſt conceptus Metaphyſicus Euchariſtiæ ſacræ. Ibidem.

Anima Chriſti Domini non aſſumit præfatum juſtum præciſive à Verbo Divino; ſed una cum illo, ut inſtrumentumque illius. Ibidem.

Anima Chriſti Domini aſſumens regit aſſumpti operationes, movet ad ſanctas eliciendas, concurrens phyſice ad illas, dignificatque ſublimius eaſdem. Ibid.

Inſigni vitæ puritate, & diſpoſitione ſuſcipiens Euchariſtiam, vivit, juxta Sanctum Auguſtinum, de anima Chriſti Domini ad eum modum, quo Corpus noſtrum vivit de anima ſua. Ibid. ſect. 4. §. 1. num. 58. & ſeqq. à pag. 594.

Chriſtus Dominus dicitur à Chryſologo anima animæ noſtræ, Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 597. & ſeq,

Argumentum contendens, non poſſe animam in uno loco eſſe à corpore ſeparatam; & in alio eidem unitam. Ibid. ſect. 6. §. 1. à num. 98. pag. 634. cum ſeqq.

Amplitudo major animæ, quam corporis in ordine ad exiſtendum, facit ut animę Chriſti Domini ratione nexus hypoſtatici debeatur modus alius exiſtendi replicatus, ſine corpore, ultra multiplicem replicationem, quam habet cum corpore, & intra corpus. Ibid. num. 103. (per errorem) pag. 641. & num. 104. pag. 642.

Quantumvis ſit miraculoſa ea replicatio, qua parte novam præſentiam comparat, retentis aliis; qua tamen parte dicit pręſentiam definitivam, miraculoſa non eſt; cum illa ſit animæ ſecundum ſe connaturalis. Ibidem.

Inde autem ſequitur, unionem animę cum corpore in ea linea debiti ad multiplices præſentias, titulo nexus hypoſtatici, non eſſe adęquatam ex parte corporis. Ibidem.

Ex quo rurſus conſequitur, nullam eſſe contradictionem in eo quod illa exiſtat alicubi ſeparata à corpore, aſſumens juſtum, & ſimul alibi informans corpus ſuum phyſice. Quemadmodum ob parem inadęquationem unionis, non ubicumque eſt Verbum adeſt Humanitas eidem unita. Ibidem.

E converſo autem, ubicumque eſt corpus, adeſt à fortiori nunc anima, quia inadæquatio per defectum ſe tenet ex parte corporis; quemadmodum ubicumque eſt Humanitas Servatoris, adeſſe debet neceſſario Verbum; & quidem licet immenſum non foret; dummodo latius pateret ſphæra exiſtendi illius. Ibidem.

Anima Chriſti Domini titulo effectus Euchariſtiæ, vagari nunquam poteſt extra corpus ſuum phyſicum; quia ſolum adeſſe poteſt in corpore myſtico; quo deficiente, deeſt finis illius modi exiſtendi, deficitque converſio cibi in ſubſtantiam aliti. num. 107. pag. 645.

Anima Chriſti Domini ut aſſumens, & intrinſecè aſſiſtens mobili aſſumpto, qua inſtrumentum Verbi Divini, & unà cum illo, eſt forma æquivalenter ſanctificans. Ibid. p. 647. & Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. n. 38. pag. 700.

Si per noxam gravem aſſumptus amittat unà cum gratia aſſumptionem eam mirabilem, demittendo animam Chriſti Domini, deincepſque pœniteat verè, etiamſi Euchariſtiam non ſumat, probabiliter dici poſſet, illum non ſolum recuperare gratiam deperditam, verum & unionem cum anima Servatoris, eo quod remaneat in debito: Ibi num. 16. pag. 652. & 653.

Quin ideo illam poſſideat, niſi per Euchariſtiam; cum eo titulo fuerit acquiſita primo, & maneat in debito. Ibidem.

Probabilius tamen nobis eſt, eum nullatenus recuperaturum animam, donec fervidiſſimè ſumat Euchariſtiam; ſiquidem licet reliqua merita ſint purè mortificata, & ideo maneant in acceptatione Dei viva, favor ille remanere nequit, quia abſentia animæ à corpore myſtico æquiparatur morti. Ibidem pag. 653.

Quæ doctrina ſumitur apertè ex D. Thoma. Ibid.

Proptereaque non manet in debito. Ibid.

Fundum animæ eſt revera quaſi ſine fundo. num. 115. pag. 652.

Si Juſtus mortis tempore habeat ſibi unitam animam Servatoris, per totam æternitatem habebit illam ſibi intimè copulatam. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 672.

Idque neceſſarium omnino eſt ad effectus mirabiles, quos in Patria inducit. Ibidem: vide unio.

Anima Chriſti Domini comitatur animam Juſti Euchariſtici ſeparatam ad Empyreum, & in Empyreo. Ibi num. 5. pag. 675. & num. 6. pag. 676.

Juſtus, habens ſibi conjunctam permanenter animam Chriſti Domini, eſt magis gratus Deo, quam alius eiſdem gradibus gratiæ ſanctificantis inſtructus, non tamen poſſidens Theſaurum illum animæ Chriſti Domini. Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 27. pag. 560. & Diſp. 9. ſect. 2. num. 38. pag. 703.

Quamvis in veteribus ſacrificiis, dum immolaretur ovis, loco animæ morientis induceretur divina virtute alia diſtincta, foret nihilominus verum ſacrificium. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. nu. 29. pag. 513.

Etiamſi in eo eventu divinitùs poſſibili non foret victima ſimpliciter privata vita, aut anima, ſed comparativè ſolum ad animam morientem; quod verificaret ſufficienter proteſtationem juris Divini in vitam, & mortem. Ibid.

Idem contingeret, ſi foret Hiſtoria fabula illa Hirilis Regis, habentis tres animas, ſi una privaretur. Ibidem.

In qua acceptione propria conquęratur Chriſtus Dominus ex Euchariſtia, quod non ſit, qui requirat animam ejus? Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589. & ſect. 4. §. 1. num. 62. pag. 598.

Duobus modis ex diametro oppoſitis quęritur anima Chriſti Domini, ab amore ſcilicet & odio. Ibidem. Unde S. Auguſtin. tract. 38. in Joann. inquit: *Bonum eſt quærere animam Chriſti, ſed quomodo eam quæſierunt Diſcipuli: & malum eſt quærere animam Chriſti, ſed quomodo eam Judæi quæſierunt: illi ut haberent: iſti ut perderent.*

Ani-

Animal.

Animal nullas ſimpliciter eliciens operationes in actu ſecundo nec potens ad illas, creditut impoſſibile. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 363.

Uti & reputant impoſſibile plerunque Philoſophi adverſus Cayetanum, quod poſſit ceſſare ſimpliciter ab omni actu. Ibidem.

Animalia, quæ irrationalia dicuntur, dicere anima rationali prædita, tametſi nullum rationis ſignum edant, ridiculum eſt. Ibid. §. 2. uum. 48. pag. 371.

S. Anſelmus.

Epiſtola de Sacramento Altaris adverſus Rupertum, non eſt, nec eſſe potuit Sancti Anſelmi, ſed Guillelmi Abbatis Sancti Theodorici. Diſp. 2. ſect. 2. §. 2. à num. 42., & à pag. 77.

Antitypa.

Chriſtus Dominus per ſacrificationem in altari immolatus poteſt dici Antitypa ſui, ut deinceps reviviſcentis, uti & ſub illo ſtatu eſt Antitypa ſui, ut viſibiliter glorioſi. Diſp. 5. ſect. 4. §. 2. num. 69. pag. 389.

Apoſtoli.

Licet fuerint in Cœna conſtituti Sacerdotes; uſus tamen poteſtatis ad conficiendum ſacrificium Euchariſticum non fuit illis expeditè conceſſus tunc pro tunc, ſed pro tempore ſubſecuto ad Reſurrectionem. Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. num. 63. pag. 309.

Apparitio.

In apparitionibus Euchariſticis, vel ſit immutatio ſolum ex parte oculorum per ſpecies intentionales, vel reipſa ex parte objecti viſi. Diſp. 2. ſect. 6. §. 1. n. 101. pag. 120. & ſeq.

Si Chriſtus Dominus non eliceret ex Euchariſtia per ſe primo operationes ſenſuum præcipuorum, apparitiones Sacramentales forent deceptrices. Ibidem num. 102. pag. 121.: & Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 15. pag. 203.

Operationes ſenſibiles, quæ fiunt in objecto apparenti, ducunt in cognitionem vitæ ſenſitivæ actualis latentis ſub ſpeciebus. Ibidem.

Neque ad veritatem earum apparitionum ſalvandam ſufficit concomitantia operationum venientium ex Empyreo. Ibid. num. 103. pag. 122. & num. 104. pag. 123.

Chriſtus Dominus diverſas figuras induit dum apparet, ut diverſa munera, quæ exercet ex Euchariſtia manifeſtet. Ibid. pag. 123.

Rudes homines, quibus ſimiles apparitiones contingant, utpotè neſcientes omnino concomitantiam, planè deciperentur, credentes eam ſpeciem vitæ ſenſitivæ, ut primo elicitæ ex Euchariſtia. Ibid. num. 105. pag. 125.

Vita purè intellectualis independens à ſenſibus neutiquam ſufficit ad eam deceptionem impediendam. Ibid. num. 106. & num. 111. pag. 129.

Dum Perſona apparens non eſt capax vitæ ſenſitivæ, ut Deus, aut Angelus; operationes ſenſibiles in corpore aſſumpto non decipiunt, quia corriguntur per eam notitiam ex ſe communem: ſecus dum capax eſt ejuſmodi vitæ corporeæ. Ibidem num. 126. & ſeqq. à pag. 125.

Apparitiones Angelorum in veteri teſtamento ſignificabant venturum Chriſtum Dominum, ejuſque vitam corpoream. Ibid. num. 108. pag. 126.

Apparitiones Sacramentales purificari nequeunt à fictione, ſive corrigi minime poſſunt, per oppoſitæ ſententiæ doctrinam. Ibidem, & num. 109. pag. 127.

Etiamſi in veteri lege Pater, aut alia Perſona Divina apparuiſſet ſolum per Angelum; in lege tamen gratiæ, ob ejus perfectionem, ſi Pater apparere vellet alicui, ſeipſo immediatè corpus aſſumeret. Diſp. 8. ſect. 7. §. 3. num. 127. pag. 663.

Plures, & inſignes Theologi arbitrantur, apparitiones viſibiles Chriſti Domini, ſive Euchariſticas, ſive extra Euchariſtiam (dum immutatio ſeſe habet ex parte objecti) eſſe perſonales omnes; alioqui, ajunt, futuras deceptrices. Ibidem: & num. 128. & pag. etiam 664.

Licet inter ſe diſſideant, relinquat, ne Cœlum pro illo tempore, dum v. g. apparuit D. Paulo; vel ſit utrobique? Ibidem p. 663.

Neque argumentum deceptionis fallere credunt in Euchariſticis apparitionibus; eo quod ſit ibi realiter præſens Chriſtus Dominus. Siquidem apparet circumſcriptivè exiſtens, cum eo modo neutiquam ſit in Euchariſtia num. 128. pag. 664.

Communis tamen opinio, fieri per Angelos, omnino credit. Num. 129. pag. 665.

Quoniam ſibi perſuadere non poteſt opinio hæc, quod vel Cœlum deſerat adeo frequenter; vel circumſcriptivè replicetur. Ibidem.

Concordari poſſunt ejuſmodi pugnantes ſententiæ, & quidem probabiliter; etiam circa apparitiones non Sacramentales, ſi dixeris illas fieri per animam Chriſti Domini formantem corpus, quod aſſumat, & in quo appareat; per quam abſurda, quæ ſibi mutuo objiciunt pu-

gnantes, evitantur, Ibid. num. 130, pag. 665. & 666.
Tum quia Sphæra animæ ad exiſtendum, eſt longè major quam Corporis. Ibid.
Tum quia corpus illud formatum aſſumitur principaliter à Verbo Divino (vel eì attribuitur) ad repræſentandum Chriſtum Dominum & aliunde cauſa principalis counaturalius operatur per inſtrumentum nobilius ſibi conjunctum. Ibidem. Et num. 132. pag. 668.
Tum quia licet anima non debeat adeſſe ubicumque ſit Verbum; dum tamen Verbum aſſumere debet corpus aliquod, convenienter dicitur, adeſſe ibi animam veluti concomitanter, Ibidem pag. 666.
Qua via exuitur deceptio, ægrè aliter exuenda in eis apparitionibus. Ibid.
Et quia congruentiſſimum apparet, Verbum nullum jam aſſumere corpus, niſi media anima aſſumpta hypoſtaticè, cum per illam in corpore proprio non poſſet aliud aſſumere. Ibid. & num. 132, pag. 668. & ſeq.
Ut probaret tamen ſuam reſurrectionem, debuit in proprio corpore apparere, ut notat S, Thomas; Ibid. num. 128. pag. 664.
Loquendo vero determinatè de Euchariſticis, veroſimilius multo apparet, eas fieri per animam Chriſti Domini, aſſumentem corpus in inſtanti formatum. Num. 131. pag. 667. & ſeqq.
Fundamenta autem hujus concordiæ, & veroſimilitudinis, vide Ibid.

Aqua.

Aquam infundendam vino ad conficiendum, de neceſſitate præcepti eſt, reclamantibus nequidquam Armenis, & novis Evangelicis. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 39. pag. 34. & 35.
Mixtionem hujuſmodi factam fuiſſe etiam à Chriſto Domino, docent plures, ex ſexta Synodo. Ibidem.
Verum non eſt, aquarum torrentem è rupe in deſerto percuſſa manantem, ſecutum realiter fuiſſe Populum Dei, ita ut ſiſteret, dum figeret tentoria illè, & incederet, dum ipſe ambularet. Diſput. 3. ſect. 3. §. 1. num. 51, pag. 231. Id quod convincitur, vel ex eo quod defuerit aqua eidem Populo in Cades, Ibidem.
Torrens ille ſemel elicitus fluxit pereuniter deinceps. Ibidem.

Ara.

S. Franciſcus Solanus ludebat fidibus ante Aram Euchariſtiæ Sacræ. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2, num. 31. pag. 216.
Aram tenentes ſacrificabant Gentiles.

Arca Teſtamenti.

Si Arca illa perſiſtere debet in Cœlo, juxta verba, quæ habentur Apoc. 11. quare non etiam ſacrificium Crucis, & Altaris, tametſi ſub ritu diverſo? Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 510.

Arriani.

Argumentum Arrianorum adverſus realem conjunctionem Filii cum Patre in natura, foret validum, ſi per dignam ſumptionem Euchariſtiæ non aliam conjunctionem cum Servatore noſtro permanentem obtineremus, quam merè affectivam, aut per gratiam, moralem, myſticamve, aut ſpiritualem. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 32. 33. & 34. à pag. 568.

Aſcenſio.

Quid Euchariſtiæ cum Aſcenſione commune, vi cujus promittens Euchariſtiæ Inſtitutionem, ut murmurantibus occurrat, dixit: *Si videritis Filium hominis aſcendentem in Cælum &c.* Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 51. & 53. p. 233.
Aſcenſionis licet fiat commemoratio in ſacrificio Miſſæ, non debet tamen fieri practica repræſentatio. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 56. pag. 378.

Aſſumptio, & Aſſumere.

Ad aſſumptionem in ſenſu proprio acceptam non ſufficit unio motoris cum mobili; ſed debet fieri à motore ad ſeipſum repræſentandum in mobili, & per ipſum. Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 552. & 553.
Anima Chriſti Domini, & Verbum Divinum una cum ipſa, ut inſtrumento, aſſumit accedentem inſolito fervore charitatis ad Euchariſtiam. Ibid. num. 26. & 27. p. 556. & ſeqq. Vide *anima Chriſti Domini*.
Aſſumptione illa elevatur aſſumptus ad ordinem quaſi hypoſtaticum, dignificanturque longe magis ejus ſanctæ operationes. Ibid. & ſect. 6. §. 2. n. 109. pag. 645. & ſeq.
Aſſumptio hæc non eſt naturæ humanæ, ſed Perſonæ, & ideo non conſtituit unum per ſe ſuppoſitum cum Verbo, nec unum per ſe cum anima aſſumente. Ibidem. Et ſect. 3. §. 1. num. 47. pag. 582. & 583.
In prædicta aſſumptione intercedit converſio cibi in ſubſtantiam aliti. Ibid. ſect. 6. §. 1. num. 65. pag. 643.
Illa fit ab ipſa anima Chriſti Domini, ut inſtrumento Verbi, producenti unionem cum mobili aſſumpto. Ibid.

Fru-

Fructus ex ea aſſumptione naſcentes, ſunt mirabiles, ſublimes, & altiſsima dona, alia via non obtinenda, includentes. Ibidem num. 109. pag. 645. & ſeq.

Ex quo fit, ut dum eliciat actum Charitatis, cui ſimilem eliciat alius æquali gratia ſanctificante prę́ditus, qui numquam Euchariſtiam recepiſſet, vel ſaltem motorem illum ſibi copulatum, non habeat; meritum illius (& conſequenter præmium) ut dignificatum Verbo, & anima Chriſti Domini ſibi unitis, ſit majus longe. Ibidem.

Item debetur aſſumpto finaliter in eo aſſumpti honore perſeverante eadem numero viſio beata, qua Chriſtus Dominus videt Deum (tametſi juxta intenſionem ſolum proportionatam). Ibid.

Item, debetur ex opere operato plus glorię eſſentialis eo titulo. Qua ratione eſt forma æquivalenter ſanctificans anima Chriſti Domini una cum Verbo. Ibid. & pag. 647.

Vide ibidem fructus alios eximios: concurſum phyſicum videlicet animę Salvatoris in ejus operationes, & ſimiles. Quomodo apparere nobis valeat Motor aſſumens per operationes liberas aſſumpti, cum illę potius juſtum ipſum exprimant? Et num. 111. pag. 648.

Etiamſi motor ſemper aſſumat corpus ad ſeipſum reprę́ſentandum per operationes aſſumpti, vel in aſſumpto elicitas, quantum eſt ex ſe, & in actu primo; non ſemper tamen in actu ſecundo ducit videntes in cognitionem Motoris repræſentati expreſſam. Num. 112. pag. 649.

Interdum ducit eos, vel eum, cui fit præſens, in ſui cognitionem, claram. Ibidem.

Interdum vero, nonniſi tardè, aut in fine, uti contigit, dum admirandus ſemper Raphael comitatus eſt in corpore aſſumpto Tobiam. Ibid.

Non ſemel ita aſſumpſere corpora Deus, Angelus, aut anima ſeparata, ut omnino manſerit ignota Perſona aſſumens; juxta diverſos aſſumptionis fines. Ibidem.

Inter ſecundo loco inſinuatas aſſumptiones recenſeri poteſt illa, de qua diſſeritur, eum ſaltem in Patria notus erit cunctis motor aſſumptus: num. 113. pag. 649. & 650.

Vel inter illas, quarum motor eſt dubius in ſpecie, licet non in genere. Ibidem. Maxime, quia dum corpus aſſumptum eſt vivens rationale, difficilius eſt, per ejus operationes liberas, tametſi Motorem repræſentantes ex ſe, Motorem ipſum aperte diſtinguere. Ibidem.

Revera tamen Chriſtum Dominum adeſſe in Paulo, in quo, ut ipſe loquitur, vivebat, uti & in Inclyto Martyre Ignatio vere Chriſtifero, & in Sancta Catherina Senenſi, in venerabilique Catherina Riccia, cognovere plures illuminati viri. Ibidem.

Idque luculentius percipietur interdum in ſanctiſſimis viris, Chriſtum Dominum, & ejus vitam redolentibus; ſi noſtra hæc opinio innoteſcat, & prævaleat. Cum hactenus hoc genus Motoris notum expreſsè non foret. Ibidem.

Si corpus in terra formatum ex aëre moveret Chriſtus Dominus è Cœlo virtute divina, non foret vera illius aſſumptio. Sect. 7. §. 3. num. 131. pag. 667.

Neque illud ita movet de facto; alioqui numquam eſſe poſſemus ſecuri de Angelorum apparitionibus. Ibidem.

Una Perſona divina dicitur aſſumere corpus ex aere formatum; non quia omnes ſimul cum illa non operentur intra illud; ſed quatenus operantur ſimul ad unam repræſentandam determinatè. Ibid. num. 132. pag. 668.

Audacia.

Non ſemper habet comitem temeritatem. Diſp. 9. in Prooœmio. Plurimum valet in rebus humanis, præſertim dubiis. Ibid.

Nullum facinus (*facimus* per errorem typographi) egregium, niſi illa comite confectum. Ibidem.

Dummodo non viribus propriis, ſed divinis unicè innitatur. Ibidem.

Auditus, Aures.

Ex Euchariſtia nequit Chriſtus Dominus audire ſonum in Empyreo editum, abſque miraculo Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. nu. 29. pag. 215.

Hinnuli Cervorum acerrimi auditus ſunt. Ibid. num. 31. Chriſtus Dominus auribus corporeis percipit gemitus noſtros, & preces. Ibid. per totam eam ſectionem.

Chriſtus Dominus ex Euchariſtia corporeis auribus audire gemitus, & voces noſtras, fusè oſtenditur. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. & 2. à pag. 208.

Hoc ipſum innuit Eccleſia, dum præcipit, ut Sacerdos elata parumper voce dicat in Miſſa: *Agnus Dei, qui tollis &c. & Domine non ſum dignus*. Ibid. num. 21.

Ad hoc ut Chriſtus Dominus auribus tantum mentis perciperet Sacerdotis vota, & præces, fruſtra vocem elevaret. Ibid. num. 25. pag. 210.

Ingens clamor à Gorgonia Nazianzeni Sorore editus in conſpectu venerabilis, ſupponebat omnino Chriſti Domini aures expeditas in Euchariſtia. Ibidem à num. 24.

Pater perficit aures Chriſti Domini in Euchariſtia, quatenus divinitus efficit, ut percipiant ſonum, cujus ſunt ibi naturaliter

liter

liter incapaces, Ibid. num. 28. pag. 214.
Auditus ſecundum locum obtinet in ordine dignitatis inter ſenſus, Ibid. §. 2. num. 29. pag. 215.

S. Auguſtinus.

Ex eo quod Auguſtinus doceat, carnem Chriſti non profuturam nobis in Euchariſtia, ſi non adeſſet ibi Spiritu, ſeu anima vegetata; colligitur vita actualis corporea illius ſub accidentibus. Diſput. 2. ſect. 2. §. 1. num. 32. pag. 66.
Quam perſpicuè S. Auguſtinus doceat, ſuſcipientem egregia ſanctitate Euchariſtiam vivere de anima Chriſti Domini ad inſtar modi, quo corpus hominis vivit de ejus anima. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 58. & 59. à pag. 594.
Optabat S. Auguſtinus ſcire, num anima Sancti Martyris alicujus, dum apparet ſæpè devotis, & fortè plurimis eodem tempore; ſit ſimul in pluribus locis. Et inclinat apertè in affirmativam, & quidem in corpore aſſumpto. Diſp. 8.

Auxilia.

Per dignam ſumptionem Euchariſtiæ conferuntur ex opere operato auxilia univerſim ad omnes ſanctas operationes eliciendas. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.
Conferuntur etiam per Euchariſtiam auxilia ad pugnandum in defenſionem fidei uſque ad ſanguinis effuſionem. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 9. pag. 541.
Auxilia, quæ debentur, ut conferenda tempore opportuno, titulo Euchariſtiæ ritè ſuſceptæ, ſi gratiam per culpam gravem amittat, quamvis ipſam recuperet per contritionem, nullo pacto debita ſunt, niſi iterato Euchariſtiam diſpoſitè recipiat, & tunc conferuntur ratione illius novæ ſumptionis tantum. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 16. pag. 653.

B

Beati.

Beati poſt conflagrationem mundi, & diem judicii videbunt ex Empyreo elementa, & cuncta terrarum objecta, virtute congenita Beatitudini, aut ſaltem vi ſupernaturali. Diſp. 2. ſect. 9. §. 2. num. 175. pag. 185.
Non tamen pœnas damnatorum. Ibidem num. 178. Quas ut videant egredi debent. Ibidem.
Opacitas, aut denſitas intermedia, erit, vel nulla, quia diaphana omnia, vel exigua, itaut neutiquam impediat tranſmiſſionem ſpecierum. Ibidem num. 179.
Beati Euchariſtici inſigne aliquod præſtantiſſimum, & peculiare obtinebunt, quo differant à non Euchariſticis. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 2. pag. 673.
Beatitudo comparatur convivio; ſingulari tamen titulo Beatitudo Euchariſticorum. Ibid. §. 2. num. 11. pag. 680. cum ſeq.

Beneficium.

Euchariſtia eſt beneficium tantæ magnitudinis, prout de facto inſtituta fuit, ut majus aliud ex ſuppoſitione Incarnationis præſtare nequeat hominibus in via Chriſtus Dominus. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 78. pag. 616.
Non eſſet autem beneficium ſummum, ſi non remaneret anima Chriſti Domini realiter conjuncta, & intimè juſto egregiè diſpoſito, ſumentique Euchariſtiam. Ibidem.
Non ideo tamen contendimus, aut arguimus, teneri Deum ad meliora, majoraque. Ibid. num. 79. pag. 616. & 617.

S. Bonaventura.

Docet Chriſtum Dominum malè ſe habiturum in Euchariſtia, ſi nec de facto videret oculis corporeis, nec audiret ex illa. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 40. pag. 72.
Affirmat, deberi Humanitati Chriſti Domini ratione unionis multiplicem præſentiæ modum pœne infinities replicatum; ut obtineat medium inter immenſitatem Dei, & præſentiam aliarum rerum, determinatam ad unum locum. Diſput. 8. ſect. 6. §. 1. num. 103. pag. 640. & alibi ſæpè, præſertim ſect. 2. ejuſdem Diſp.

Bonitas.

Bonitas divina reſplendet maximè in Euchariſtia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 22. & 23.

C

Cæcus.

Minus propriè circumduceretur Chriſtus Dominus in Euchariſtia, per plateas in feſtivitate ſolemni Corporis ſui, ſi cæcus, & ſurdus ibi foret. Diſput. 3. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 216.
Ancilla uxoris Senecæ, cœca à nativitate, putabat, ſe minime cœcam eſſe. Diſputat. 1. ſect. 1. §. 1. n. 11. pag. 14.

Calvinus.

Quam ſubdolè exponat verba conſecratio-

tionis. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 14.
Docuit interdum, Corpus Domini eſſe realiter in Hoſtia, verum exangue, & inanime. Ibidem.
Sibi paſſim contradicit in ſubjecta materia. Ibid.
Docuit, Chriſtum Dominum nihil de facto ſibi ipſi meruiſſe. Diſp. 2. ſect. 4. num. 72. pag. 96. & n. 75. pag. 99.

Capharnaitæ.

Capharnaitæ, ut teſtes de auditu proprio depouunt, ſe audiſſe, & intellexiſſe, Chriſtum Dominum promittere ſuam carnem, & ſanguinem realiter in cibum, & potum. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. à num. 16. pag. 16. 17. 18. & 19.
Capharnaitæ putarunt, Salvatorem promittere ſuam carnem in partes conciſſam, emortuamque. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. n. 33. pag. 67.
Si autem Chriſtus Dominus non promiſiſſet ſuam carnem vivam in actu ſecundo, fuiſſet error excuſabilis. Ibidem.

Caput.

Chriſtus Dominus eſt caput Eccleſiæ militantis ex Euchariſtia etiam, & qua tale influit phyſice in membra. Diſp. 2. ſect. 5. §. 1. num. 94. & 95. pag. 115. & ſeq. & Diſp. 5. ſect. 2. §. 2. num. 32. pag. 217.
Chriſtus Dominus comparatur capiti in corpore humano; Spiritus Sanctus vero cordi, juxta Div. Thomam. Ibidem pag. 216.
Ut ſit caput Eccleſiæ ex Euchariſtia, neceſſario vivit in illa, vita corporea in actu ſecundo. Ibi, & num. 96. pag. 117.
Cum in capite phyſico reſideant omnes ſenſus, neceſſario in capite myſtico, qua latente ſub ſpeciebus, vigent ſenſus perfectione ſibi debita operationum in actu ſecundo. Ibidem, & Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 32. pag. 217.
Ad officium capitis militantis Eccleſiæ ex Euchariſtia perfecte obeundum, non ſufficiunt aures mentis. Ibidem & pag. 118.

Caro.

Per ſententiam noſtram de permanentia animæ Chriſti Domini in corde ſanctè communicantis verificatur, quod ſiunt realiter duæ animæ in carne una. Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 43. 44. à pag. 579.

Chryſoſtomus.

Sententiam noſtram circa realem immanentiam animæ Chriſti Domini in recipiente Euchariſtiam ardentiſſimo amore, docet. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 65. & 66. à pag. 601.

Chriſtiani.

Chriſtiani primis ſæculis appellati fuere ab Æthnicis, per inſignem calumniam, natio lucifuga, aut tenebroſa, carnivora &c. ob concurſum antelucanum ad ſacrificium, & ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. Diſp. 8. in Proœmio.

Chriſtus Dominus.

Si Chriſtus Dominus ſolam præſentiam ſui Corporis in figura, aut ſigno promiſiſſet; dum vidit Plebem aliter verba intellexiſſe, ſcandalumque paſſam fuiſſe, debuiſſet mentem ſuam clarè aperire, & errorem conceptum pellere. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 18.
Integer Chriſtus Dominus exiſtit in Euchariſtia, etiam ante ſeparationem. Diſputat. 1. ſect. 2. §. 2. num. 45. pag. 39.
Exiſtat, ne, in punctis indiviſibilibus? & per infinitas præſentias juxta continuum Ariſtotelicum? Ibidem.
Chriſtum Dominum vivere de facto in Euchariſtia per ſenſationes ibi primo elicitas, firmatur rationibus. Diſp. 2. tota ſect. 4. à pag. 87.
Chriſtus Dominus meruit de condigno ſuam vitam actualem corpoream in actu ſecundo, ut poſſidendam in Euchariſtia. Diſputat. 2. ſect. 4. §. 2. à num. 70. pag. 95.
Cum meruerit ſibi omne prœmium poſſibile; potens cadere ſub meritum; cur non eam vitam? Ibidem 72. p. 96.
Parum dignè concurreret Chriſtus Dominus ex Euchariſtia ad producendos effectus in communicante dignè, ſi emortuo modo concurreret. Diſp. 2. ſect. 5. §. 1. num. 92. pag. 114.
Exercet in Euchariſtia Servator noſter munia Patris, Regis, ſummi Sacerdotis, Sponſi, Medici, Magiſtri, Judicis, & Nutricis, & id genus alia. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 126. p. 141. & ſeqq.
Ea munia exequi non poſſet in Triduo, cum ſint propria hominis, qua talis. Ibidem pag. 142.
Chriſtus D. prout in Cœlo exiſtens non eſt terminus à quo immolationis, aut ſacrificationis. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. n. 18. pag. 341.
Chriſtus Dominus in Cruce Pſalmum vigeſimum intus cecinit. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 39. pag. 460. & ſeq.
Tunc obtulit vitam ſubſtantialem, & actualem pro tunc, & pro tempore futuro jugitèr uſque ad finem Mundi in alta-

altari vitam in actu ſecundo. Ibidem.
Nonnulli cum Gloſa in cap. *Tribus gradus* errarunt, putantes Chriſtum Dominum deſtructis ſpeciebus, ſe recipere in Cœlum per motum localem. Diſp. 8, ſect. 6. §. 1, n. 103. pag. 640.

Cibus.

Omnem effectum, quem cibus materialis cauſat in corpore, inducit Euchariſtia ſacra in anima. Diſput. 1. ſect. 1, §. 3, num. 29. pag. 27.
Sancta Catherina Genuenſis appellabat Euchariſtiam: *Cibum cordis*. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 73. pag. 609.
Ex eo, quod Euchariſtia cauſare debeat in ardentiſſime ſuſcipiente illam effectus illos omnes, quos cibus verè nutriens cauſat, arguitur efficaciſſimè unio animæ Chriſti Domini cum communicante modo dicto. Diſput. 8. ſect. 5. §. 2, num. 84. pag. 621. & ſeqq.
Cibus hic non nutrit metaphoricè, ſed verè, & propriè. Ibid. num. 85. pag. 622, & 623.

Circumciſio.

Circumciſio Chriſti Domini non fuit verum ſacrificium. Diſp. 5. ſect. 1, §. 2. num. 17. pag. 340.

Claritas.

Claritas Corporis Beati Eucharlſtiel, erlt eadem numero, replicata, qua ſplendet Corpus phyſicum Chriſti Domini. Diſput. 9. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 705.
Non quidem ex integro, ſed proportionata intenſioni viſionis, & veluti claritati Beatitudinis. Ibidem.
Probatur ab Authoritate. Ibid. & n. 41. pag. 706.
Tum à ratione à num. 42. pag. 706. cum ſeqq.

Commercium.

Noſtrum cum Chriſto Domino ſub accldentibus ereſcit magnoperè ex notitia vitæ actualis Corporis illius in Euchariſtia. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. n. 124. pag. 139. & ſeq.

Communio.

Euchariſtia dicitur Communio, ſeu communis unio; hæc antem nominis Ethymologia ægrè ſalvari poteſt per aliam unionis ſpeciem, quam per realem animæ Chriſti Domini nobiſcum, in qua ad invicem, velut in tertio copulamur. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 91. pag. 628.

Compoſitum.

In Sacramentis reperitur duplex compoſitio, una ex ſubjecto, & ſignificatione, ſive inſtitutione divina ut forma. Altera ex ſubjecto ſecundo, ſignificante ſcilicet, & forma verborum. Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. num. 36. pag. 32.

Concilium.

Concilia Generalia, quæ firmant præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. à num. 6. à pag. 9. uſque ad 14.

Concomitantia.

Lutherani negant frequentèr, & rident concomitantiam. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 13.
Ea quæ ponuntur per concomitantiam, ponuntur etiam ex efficacia verborum; at non ex eorumdem vi. Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. num. 44. pag. 38.
Tam Perſonalitas Verbi, quam unio hypoſtatica, veniunt ſolum per concomitantiam in communi ſententia. Ibidem.
Juxta valde tritam opinionem omnes operationes, quæ præcedentèr ad conſecrationem inſunt Chriſto Domino in Cœlo venire debent per concomitantiam ad Euchariſtiam. Quid de ſubſequentibus? Quid de ſpeciebus impreſſis? Diſput. 2. ſect. 1. à num. 2. & pag. 44.
Num, venire poſſint qualitates abſolutæ earum operationum, quin præſtent ſuum effectum formalem. Ibidem.
Num comitantia illa operationum importet novum miraculum, apud eos Scholaſticos? Ibidem n. 4. pag. 46. & pag. 65.
Per operationes comitanter adductas ſolum intentionaliter viveret corpus in Euchariſtia, prout in Euchariſtia. Diſputat. 2, ſect. 1. §. 3, num. 31. pag. 66.
Operationes volubiles in Empyreo elicitæ venire nequeunt per concomitantiam ad Euchariſtiam, nec quæ præcedunt conſecrationem, nec quæ ſubſequuntur. Diſp. 2. ſect. 4. §. 1. à num. 60. pag. 87. & ſect. 7. §. 3. à. num. 150. pag. 161. cum ſeqq. item ſect. 8. §. 2. num. 155. pag. 166.
Ad concomitantiam nequaquam ſufficit nnda conjunctio extremorum; ſed requiritur mutua eorumdem exigentia; uti & quod ſint partes ex ſe permanentes. Ibidem à num. 61. & à pag. 88.
Si quælibet conjunctio, aut unio abſque mutua exigentia ſufficeret ad concomitantiam, accidentia Euchariſtica neceſſario defcrrentur vi concomitantiæ ad Chri-

Chriſtum Dominum, qua in Empyreo exiſtentem, & in altaribus aliis. Ibid. num. 66. pag. 89. uti & ſect. 8. §. 2. num. 159. p. 169.
Nec refert, quod unio Chriſti Domini cum accidentibus non ſit unio actus cum Potentia; alioqui nec anima poneretur ſub ſpeciebus vini, cum non ſit forma ſanguinis. Ibidem à num. 63.
Nulla ſequitur contradictio ex illa non concomitantia operationum. Ibidem num. 65. 66. 67.
Latum eſt diſcrimen in ordine ad concomitantiam inter motum localem, & replicationem. Ibidem num. 69. p. 94.
Juxta plures Theologos connexio naturalis, ex qua ſequitur concomitantia, non dicit naturalem neceſſitatem, aut legem, ſed divinum beneplacitum, aut promiſſionem. Ibidem ſect. 8. §. 2. n. 161. pag. 171.
Quæ ſententia, licet non ſubſiſteret relatè ad qualitates phyſicas, permanentesque, omnino teneret relatè ad operationes intentionales facilè abeuntes. Ibidem.
Tametſi anima venire debeat per concomitantiam, replicato corpore; deſinere tamen ipſa non debet, corpore deſinente pœnes præſentiam Sacramentalem. Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 87. pag. 624.
Neque permanentia animæ intra corpus myſticum trahere debet ad ſe per concomitantiam corpus phyſicum, ſanguinemque. Ibid. num. 88. pag. 625.

Confirmatio.

Per ſolum augmentum gratiæ nequit differre metaphyſicè Confirmatio ab Euchariſtia. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 4. pag. 539. & ſeq.
Neque per robur fidei, & vitæ ſpiritualis. Ibid.
Differunt quidem multipliciter in linea phyſica; in metaphyſica vero nequaquam differrent, ſi augmentum gratiæ eſſet differentia propria utriuſque; licet à Confirmatione obtineatur per modum roboris ab intrinſeco, & ab Euchariſtia per modum nutritionis. Ibidem. Et n. 5. pag. 540. & ſect. 5. §. 2. n. 90. p. 627.
Neque per auxilia actualia ad diverſos fines. Ibid. num. 6. pag. 541. & num. 8. pag. 542. & num. 9. pag. 543.

Connexio.

Quod extrema in uno loco naturali connexione unita non poſſent per ſe divinitus bilocari diſuncta, ſeu quod non poſſet de potentia abſoluta Dei bilocari unum ſine alio, eſt planè falſum. Diſp. 2. ſect. 8. §. 2. num. 162. pag. 172.
Connexio naturalis, ex qua Tridentinum colligit concomitantiam partium permanentium, non debet eſſe eſſentialis; quoniam ad verificaudum ſenſum Concilii ſufficit factum; tametſi potuerit Deus efficere, divinitùs ſaltem, oppoſitum. Ibidem num. 163. pag. 172. & 173.
Unum extremum eſſe connexum cum alio, non importat neceſſario, eſſe illi eſſentiale. Ibid. num. 166. pag. 175.

Conſecratio.

Sacrificium incruentum non conſiſtit in conſecratione, ſed ſubſequitur illam. Diſputat. 4. ſect. 2. §. 2. num. 41. p. 290.
Licet Chriſtus Dominus non ſit realiter præſens altari ad conſecrandam Hoſtiam, ſed peracta conſecratione, eſt attamen præſens in Hoſtia dum ſit conſecratio Calicis. Ibidem num. 45. pag. 292.
Ad ſacrificium utraque conſecratio prærequiritur eſſentialiter. Ibidem & pag. 293.
Quo pacto, licet conſecratio utriuſque ſpeciei conſtitueret adæquatè ſacrificium, poſſet Chriſtus Dominus adeſſe præſens realiter ad plura conſtitutiva converſionis ſubſtantialis, completè acceptæ? Ibid. num. 42. pag. 294.
Quamvis conſecratio privet naturaliter uſu vitæ Corporis Chriſtum Dominum in altari, illum non ſacrificat, quia non ſupponit ipſum in altari viventem in actu ſecundo, nec potentem naturaliter ibidem vivere. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. n. 4. pag. 363.

Contradictio.

Nulla datur vera contradictio in eo, quod extremum conjunctum realiter cum alio bilocetur, altero non replicato. Diſp. 2. ſect. 8. §. 2. à num. 164. pag. 175. & ſeqq.
In quo ſenſu D. Thomas dixerit illa contradictoria circa corpus, & animam: num. 166. & 167. pag. 175. & ſeqq.
Loquitur ſolum ex ſuppoſitione decreti, & de ſola contradictione conſequente. Ibidem.

Converſio.

Corpus, & Sanguis Chriſti Domini nullatenus replicantur in præſenti providentia, niſi per converſionem. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 86. p. 613.

Inde autem elicimus unionem animę Chriſti Domini cum dignè ſuſcipiente Euchariſtiam. Ibidem, & pag. 624.
Tranſitus animæ Chriſti Domini à Corpore phyſico, deſinente unà cum ſpeciebus, ad corpus myſticum, & dici poteſt probabiliter ſtricta converſio; & oppoſitum pari, aut majori probabilitate. Ibid. ſect. 7. §. 1. num. 120. (per errorem 20.) & 121. pag. 657. & 698.
Converſio ſubſtantialis Euchariſtica volitat ſupra leges naturæ & ſupra pennas Philoſophiæ. Ibidem.
Subſtautia ſpiritualis difficilius convertitur in aliud. Ibidem §. 2. num. 123. pag. 660.
Licet Corpus Chriſti Domini non poſſit, juxta præſentem providentiam, bilocari modo Sacramentali, niſi per converſionem, anima tamen poteſt. Ibidem.
Deinde etſi poſtulet converſionem, non tamen ſui, ſed Corporis; & Sanguinis. Ibidem. Vel ſui etiam unà cum Corporis converſione; ſed unicè ſecundum rationem genericam formæ Corporis. Ibidem.

Convivium.

Metaphora convivii quamvis aptiſſimè applicetur fœlicitati omnium Beatorum; dum tamen in Evangelio accomodatur beatis Euchariſticis præ aliis, legitimè indicat, aut arguit veritatem aſſerti noſtri circa identitatem viſionis beatæ eorumdem cum viſione animæ Chriſti Domini. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 11. p. 680. & 681. & oum. 12. pag. 681. & 682. uti & num. 13.
Sicut idem numero eſt epulum, quod omnes ſumimus in Euchariſtia. Num. 13. pag. 682.

Corpus Myſticum.

Eſt res Sacramenti Euchariſtiæ, hoc, vel illo modo ſignificata. Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 74. (per errorem 73.) pag. 610. & ſeq.
Unio peculiaris Corporis myſtici cum anima Chriſti Domini eſt res propria Euchariſtiæ, quia differt ab aliis Sacramentis. Ibid. pag. 611.
Corpus myſticum eſt in ſenſu aliquo vero corpus proprium Chriſti Domini. Ibidem.
Et aliunde conſentaneum valde apparet, quod anima aſſumat, quod ſub aliqua ratione eſt proprium illius, copuleturque illi per modum formæ aſſiſtentis. Ibidem & p. 612. & num. 75. pag. 614.
Conceptus Corporis myſtici, qua myſticum eſt, importat quidem rationem occulti arcani; non tamen excludit omnino, & in omni acceptione rationem phyſici. Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. nu. 106. pag. 644.
Ad perfectionem Corporis myſtici pertinet, quod habeat partes animatas, & alias, quæ anima rationali non informentur, ut corpus phyſicum. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 15. pag. 684.

Corpus.

Qui Corpus, & Sanguinem nobis dedit in cibum, & potum, nihil in poſterum petentibus denegabit. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 23.
Corpus, & Sanguis Domini ſub accidentibus non ſunt duo ſpecie completa diverſa Sacramenta. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 37. pag. 32.
In plurium Theologorum ſententia ſunt duo individua ejuſdem ſpeciei completa; tametſi aliquatenus integretur unum ex alio, eo quod individuum admittat magis, & minus. Ibidem pag. 33.
Quid intelligendum nomine corporis, quod ponitur in Euchariſtia vi verborum? Multiplex opinio refertur. Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. à num. 44. pag. 38.
Corpus Salvatoris in Euchariſtia ſolum denominative ab ſpecicbus tangitur, frangitur &c. Diſp. 2. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 48.
Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia vivere in actu ſecundo per operationes ibi primo elicitas, oſteuditur multipliciter ex Chriſti Domini verbis Joann. 6. Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. à num. 13. & pag. 51.
Præfata teſtimonia verificari nequeunt per ſolam vitam in actu primo. Ibidem §. 3. num. 22. pag. 58.
Neque per operationes pure ſpirituales à corpore prorſus independentes. Ibid. à num. 24. pag. 60.
Neque per ſenſationes venientes concomitanter ex Empyreo, ſive præcedentes, ſive etiam ſubſecutas ad bilocationem. Ibidem à num. 30. & à pag. 64.
Si Corpus Chriſti Domini non viveret per operationes immanentes in Euchariſtia, male ſe haberet in illa, juxta Doctorem Seraphicum. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 40. pag. 72. & ſect. 4. §. 3. num. 87. pag. 109. & ſeq. & num. 88.
Per operationes merè ſpirituales non magis vivit corpus, quam ſi elicerentur ab anima ſeparata à corpore, vel quam ipſa anima per vitam divinam. Diſp. 2. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 60.
Corpori Chriſti Domini non convenit eſſe ubique, ut Deo: nec eſſe tantum in uno loco determinato, ut reliquis creaturis; ſed medium aliquod titulo unionis ad Verbum, ut nimirum exiſtat ſimul in pluribus locis. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 127. pag. 142. & ſeq. Item Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. num. 102. & 103. à pag. 638.
Inde autem infertur, debere pariter ipſi
in

Digitized by Google

in Euchariſtia eodem titulo vitam ſenſitivam in actu ſecundo. Ibid. pag. 143.
Tametſi Corpus Chriſti Domini ponatur ſolum vi verborum ſub ſpeciebus panis, debet nihilominus in Euchariſtia exiſtere animatum, & vivens in actu ſecundo, ut digno modo ſit. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 129. pag. 144.
Corpus Chriſti Domini eſt potiſſimum objectum beatitudinis viſionis corporeæ hominis glorioſi. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 199.
Foret itaque infœlix Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſi ex illa non videret corpus ſuum glorioſiſſimum. Ibidem.
Nec aliter illud videre poteſt ex Euchariſtia, quam eliciendo ex illa primo, & per ſe actum viſionis. Ibidem, & num. 12. pag. 200.
Tametſi dedeceat nunc Corpus vivum Chriſti Domini exiſtere in Euchariſtia, quin de facto unquam utatur ſenſibus; pro tempore nihilominus illo, quo eam vitam ſacrificat, decet ſummopere oppoſitum. Diſp. 5. ſect. 5. §. 3. num. 102. pag. 417.
Privatio illa, ſi foret ex ſe perpetua, compenſari non poſſet; ſecus vero pro exiguo tempore illo intra ſacrificium, à cum reviviſcente corpore, non ſine uſura compenſetur intra eamdem lineam, & vitam corpoream. Ibidem. Et pag. etiam 418.

Crux.

Si trophæum Crucis perennaturum eſt in Eccleſia triumphante, cur non & ſacrificatio ipſa elicita in Cruce & altari, ſub ritu laudis? Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 520.

Cultus Dei.

Primus Dei cultus, religioniſque in ſacrificio conſiſtens debet habere locum in Eccleſia triumphante in ſenſu vero, ſtrictoque. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 509. & 510. & §. 2. num 12. pag. 519.
Minus apte diceretur, præfatum cultum eſſe in eo ſtatu beatitudinis completo impoſſibilem, repeteret enim principium ea reſponſio. Ibid. num. 6. pag. 510. & 511.

D

David.

COnglutinatio animæ Jonathæ cum anima Davidis probat egregiè conjunctionem realem animæ Chriſti Domini cum anima, & corde ſuſcipientis aviſſimæ charitate Euchariſtiam. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 591.

Decere.

Nihil quod deceat Chriſtum Dominum, denegandum eſt ipſi. Diſp. 2. ſect. 4. §. 3. num. 86. pag. 108. & ſeqq.

Deiparæ.

Opinio exiſtimans eum Alexandro de Ales, perſtitiſſe in Triduo Euchariſtiam ſacram in Virgineo pectore Deiparæ, a numeroſiore longè manu Theologorum expugnata, facilius ſuſtineretur, ſi animam Chriſti Domini ſolam ut aſſiſtentem ipſi, aſſumentemque eamdem, perſeveraſſe dicas. Diſp. 8. ſect. 7. §. 2. n. 123. pag. 660.
Niſi putes, Chriſtum Dominum ut veluti extenſivè magis moreretur, non ſolum avulſiſſe animam à corpore phyſico, ſed & à myſtico Diſcipulorum, ubi aderat (juxta ſententiam noſtram) per modum formæ aſſiſtentis, &, quod durius erat, è pectore Matris. Ibidem.

Deliciæ.

Quo pacto verum foret, reputare Chriſtum Dominum delicias eſſe nobiſcum, ſi dum eſt intra pectus recipientis maximo amore Euchariſtiam; cumque poſſet animam ſuam illi dare per modum formæ aſſiſtentis, & gubernantis; abiret illico, ac ſpecies abeunt? Diſp. 8. ſect. 5. §. 2. num. 89. pag. 526.

Devotio.

Euchariſtia ritè ſuſcepta excitat devotionem, & ſpiritus dulcedinem cauſat. Diſputat. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.

Deus.

Deus nequit fieri ſingulari modo præſens animæ Juſti abſque dono aliquo creato, ratione cujus illi peculiariter adſit. Diſputat. 8. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 565.

Diabolus.

Diabolus poſſidere ſæpiſſime conſuevit indignè ſumentes Euchariſtiam. Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 585. & num. 50. pag. 586.

Dignitas.

Dignitati infinitæ Chriſti Domini debetur vita actualis corporea in Euchariſtia. Diſputat. 2. ſect. 4. §. 3. à num. 82. pag. 104. & ſeqq.

Per operationes vitales corporeas adductas concomitanter è Cœlo non fieret ſatis dignitati Chriſti Domini, nec pelleretur ſufficienter indignitas oppoſita. Ibidem num. 88. pag. 107.

Diſpoſitio.

Longè major, ferventiorque diſpoſitio requiritur in ſumente Euchariſtiam ad unionem realem cum anima Chriſti Domini obtinendam, quàm ad ſolum augmentum gratiæ. Diſp. 8. ſect. 2. ſ. 1. num. 26. pag. 556. & ſeq.

Diſtinctio.

Circa diſtinctionem, & unitatem numericam Sacramenti Euchariſtiæ opinionum varietas. Diſp. 1. ſect. 2. ſ. 1. n. 35. pag. 3.

Plauſibilis eſt modo opinio, quæ omnes ubique ſpecies conſecratas dicit unum numero Sacramentum ſimpliciter; ſolumque multiplex numero ſecundum quid. Ibidem.

Divinitas.

Serpens promiſit primis Parentibus per eſum pomi divinitatem ſpeciali jure, & modo, ipſis intrinſecam. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

Eſus autem Euchariſtiæ efficit verè id, quod per fallacem promiſſionem præcipitem fecit humanam naturam. Ibidem.

Non aliter autem fieri poteſt divinus hic effectus, quam per noſtram ſententiam circa aſſumptionem ritè manducantis eſcam Cœleſtem, factam intrinſecè à Verbo Divino una cum anima Chriſti Domini. Ibidem.

Dotes gloriæ.

In Beatis Euchariſticis erunt eędem numero dotes, quæ ſunt in Chriſto Domino, ſi conſiſtant in qualitatibus diſtinctis, uti de claritate certum eſt. Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 40. pag. 705.

Juxta proportionem tamen, reſpondentem beatitudini cujuslibet. Ibidem.

E

Effectus.

CHriſtum Dominum producere phyſicè ex Euchariſtia effectus omnes, quos illa invehit, tam quà Sacramentum, quam prout ſacrificium, docent communiter Scholaſtici. Diſp. 4. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 296.

Quod aliquis poſſit effectum aliquem Sacramenti recipere, & tamen non omnem, quem poſſet, ex defectu ulterioris diſpoſitionis, vel aliunde, docuit Sanctus Thomas, & cum ipſo Theologi paſſim. Diſp. 8. ſect. 7. §. 1. n. 119. pag. 655. & 656.

Effectus potiſſimus Euchariſtiæ, ſecundum quod differt ab aliis Sacramentis, eſt longè præſtantior effectibus eorumdem: exponiturque latè. Diſput. 8. à ſectione 2. & per integram Diſp. 9.

Effectus primarius ille magnam habet affinitatem cum ipſa Euchariſtia, cujus eſt effectus. Ibid.

Importat replicationem numeroſiſſimam, tum animæ Chriſti Domini conjunctæ realiter cum altiſſimè diſpoſitis, replicationem viſionis beatæ Chriſti Domini, omniumque operationum conſtituentium ejus beatitudinem. Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704.

Uti & intercedit copia miraculorum neceſſaria ad replicationem, ſimileque propterea Euchariſtiæ arcanum. Ibid.

Brevis, glorioſaque deſcriptio effectuum mirabilium, qui, juxta opiniones à nobis ſtabilitas, reſultant ex arcano Euchariſtico. Ibidem.

Elias.

Duplex Eliæ ſpiritus, quem poſtulavit Eliſæus, noſtram ſententiam circa conjunctionem animæ Chriſti Domini cum digno modo recipiente Euchariſtiam, comprobat. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 53. pag. 589.

Judæi putabant, adeſſe Eliam inviſibiliter ex privilegio ſingulari Dei omni Sacramento Circumciſionis, & ideo ultra ſedem præparatam Miniſtro viſibili, aliam inviſibili apponebant. Ibid. pag. 590.

Eratque propterea apud ipſos in pluribus locis circumſcriptivè, cum ſimul circumciderentur, in diverſis locis Pueri. Ibidem.

Epiſcopus.

Chriſtus Dominus in Euchariſtia eſt animarum Epiſcopus. Diſputat. 1. ſect. 1. ſ. 3. num. 28. pag. 27.

Eſſentia Divina.

Nonnulli Theologorum ſupponentes eſſentiam Divinam eſſe ſpeculum voluntarium, docent, etiam poſita viſione in intellectu capaci, pendere à voluntate Divina adhuc, quod videatur, vel ſecus. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 29. pag. 695. Falluntur tamen. Ibidem.

Thomiſtæ frequenter opinantur, eſſentiam Divinam copulari intellectibus Beatorum per modum formæ intelligibilis. Ibidem pag. 694.

Eu-

Digitized by Google

Euchariſtia.

Euchariſtia quaſi nata videtur, tam in ſeipſa, quam in figura, ſub conſtitutione diſcordias influente. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 8.

Sicut Euchariſtiæ Sacramentum eſt unum numero ſimpliciter in cunctis altaribus ab unitate Corporis, & Sanguinis, cum ſola diſtinctione ſecundum quid, in plauſibili ſententia; ſic ſacrificia altaris inter ſe, & ſacrificium Crucis ſunt unum numero ſimpliciter, ab unitate ſacrificationis, ejuſdem Victimæ; tametſi multiplex ſecundum quid. Diſp. 6. ſect. 2. num. 32. pag. 458.

Licet permittatur, Euchariſtiam perennaturam fore in Empyreo; non ideo tamen aderit ſacrificium ſub ſpeciebus panis, & vini, quia nulla erit illius materiæ conſecratio. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. uum. 10. pag. 514.

Multa & profundiſſima arcana in Euchariſtia recondita progreſſu temporis reſerata fuere à Doctoribus, quæ priùs vel planè latebant, vel ſub dubio aſſerebantur. Diſp. 8. in Proœmio.

Semper ac à Novatoribus impugnatur acrius altiſſimum Euchariſtiæ myſterium; effulget novis ſplendoribus. Ibidem.

Aſſertio, quæ in Euchariſtiæ ingentem gloriam manifeſtè cedit, & in utilitatem quammaximam noſtram; dummodo à principiis Theologiæ ſacræ non deviet, nec à trita Philoſophia; uon ſolum prætextu novitatis refellenda non eſt; ſedem omnino promoveri, extollique debet. Ibidem.

Euchariſtia ex formali ſuo conceptu eſt Sacramentum unitatis, ſive unionis, præ reliquis. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. n. 1. & 2. à pag. 537.

Euchariſtia olim dabatur in ſtadio fidei pugnantibus, ut muniti eo præſidio ſtrenuè ad martyrium procederent. Ibidem num. 9. pag. 542.

Cum Sacra Euchariſtia contineat præſentiam realem Chriſti Domini, credibile non eſt, illi, qua ſpecie differt à reliquis Sacramentis vivorum, non reſpondere nobiliorem effectum alium, aut unionem, præter vulgatam, & omnibus communem. Ibid. num. 11. pag. 544.

Ejus fructus mirabiles, vereque divini raptim perſtringuntur. Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 39. pag. 704.

Beati vero illi, qui ſuſceperunt Euchariſtiam ſæpius; nunquam tamen obtinuerunt, ex defectu ſufficientis diſpoſitionis, unionem cum anima Chriſti Domini, habebunt unicè gloriam accidentalem. Ibidem pag. 705.

Erit tamen illa veluti inſigne quoddam ſecernens ipſos à reliquis, qui nunquam Euchariſtiam ſuſcepere. Ibidem.

In arcano maxime Euchariſtico, ſive arcanorum abyſſo, latent infinita myſteria, nondum planè reſerata. Ibid. ſect. 3. §. 2. num. 44. p. 708.

F

Familiaritas.

Familiaritas devota cum Chriſto augetur ſummopere ex eo, quod homines noverint, videri, & audiri ab ipſo ex Euchariſtia ſenſibus externis. Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. nu. 124. pag. 140. & ſeq.

Fides.

Euchariſtiam manducari ſolum per fidem, hæreſis Sacramentariorum. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 19.

Figura.

Si Euchariſtia figura ſolum eſſet Corporis, & Sanguinis Domini, manua (& ſic de reliquis ejuſdem umbris præcedentibus) eſſet inanis tantum figura figuræ, & umbra umbræ. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 19.

Figuratum ſemper eſt nobilius figura. Ibid. pag. 20. & Diſp. 8. ſect. 5. §. 3. n. 95. pag. 632.

Fœmina.

Incapax Sacerdotii jure divino. Diſp. 4. ſect. 4. §. 3. num. 27. pag. 331.

Peregrinus eventus anteacti ſæculi circa rem hanc. Ibidem.

Fomes.

Fervens Euchariſtiæ ſumptio mitigat ſenſim fomitem peccati. Diſp. 1. ſect. 1. num. 30. pag. 28.

Forma.

Quamvis introductio formæ ſupponatur prior in genere cauſæ formalis expulſione alterius, ubi vires naturæ locum habent; ubi tamen impeditur divinitus introductio alterius formæ, ultima diſpoſitio ad pellendam antiquam, ejus expulſionem exigit, & obtinet. Diſput. 5. ſect. 5. §. 2. num. 99. pag. 410.

Forma cadaverica, juxta Scotiſtas, & plures alios, eſt ipſa forma corporeitatis, cum carentia animæ. Ibid. num. 98.

Quam plures Theologi exiſtimant, nullam formam cadavericam informaſſe in Triduo Corpus mortuum Chriſti Domini. Ibid.

Agentia naturalia intendunt per ſe primo introductionem formæ, non vero expulſiouem antiquæ, qua operantur phyſicè intendentia bonum. Ibid. num. *99*.

Chriſtus Dominus tamen, ut ſacrificans in Cruce vitam ſuam, intendebat per ſe primo expulſionem animæ à corpore, cui alligata erat Mundi ſalus; non autem introductionem formæ cadavericæ: eodem num. *99*.

Nonnulli myſticorum docent, interdum uniri intrinſece ſubſtantialiter Divinitatem per modum formæ aſſiſtentis animæ juſti. Diſp. 8. ſect. 2. §. 1. num. 23. pag. 554. & ſect. 5. §. 3. num. *56*. pag. *632*.

Vetus quædam opinio (Hervæo falsò attributa) docuit, vi verborum poni animam Chriſti Domini, non jam ut informantem, ſed per modum formæ aſſiſtentis, ſeu intimè præſentis. Ibidem num. *96*. (per errorem) pag. *633*.

G

Gloria.

Major aliqua gloria eſsentialis reſpondet Beato Euchariſtico ex opere operato, ratione identitatis in viſione beata cum Chriſto Domino; & titulo unionis realis permanentis cum ejus anima. Diſp. *9*. ſect. 2. §. 2. num. 34. pag. 700.

Eſse poteſt major vel minor exceſsus ille gloriæ, juxta intimiorem, vel minus intimum nexum cum anima Servatoris; intenſioremque vel minus intenſam participationem ejuſdem numero cum illa viſionis. Ibidem.

Neque ejuſmodi gloriæ exuberantia pugnat cum dogmate Theologico de gloriæ diſtributione juxta proportionem meritorum. Ibid.

Probatur doctrina hæc ſolidiſſimè. Ibid. num. 35. pag. 701.

Quemadmodum certum eſt, Deum ob ſuam infinitam largitatem, & veluti profuſionem, præmiare ultra condignum. Ibidem.

Exceſsus aliquis fœlicitatis eſsentialis non collatus per modum debiti; ſed vel extrinſece ex promiſſione, vel ex decentia, aut largitate, vel pure ex meritis Chriſti Domini, non derogat æqualitati juſtitiæ. Ibidem, & n. *36*. pag. 702.

Promovetur ex intenſiore viſione, ſuavioreque fœlicium cum æquali lumine, & meritis æqualibus, ob ſolum perfectiorem intellectum, apud Doct. Subtilem: num. *36*. pag. 702.

Perſuadetur rurſus ex eo, quod unio cum anima Chriſti Domini ſit meritum æquivalenter. Num. 37. pag. 702. & 703. vide *Anima Chriſti Domini*.

Augumentum illud gloriæ eſsentialis non debet ſupponere gradus gratiæ quibus reſpondeat, alioqui jam deberetur formaliter ex juſtitia. Ibidem.

Quemadmodum nec gloriæ ubertas, quæ confertur omnibus ultra condignum, non præſupponit gratiæ ſanctificantis gradus quibus debeatur. Ibidem.

Alioqui jam non daretur ex liberalitate. Ibid.

Et rurſus, quia ex oppoſito ſequeretur proceſsus in infinitum. Ibid. & pag. 704.

Juxta noſtra tamen principia ſupponit debitum æquivalenter, quamvis non formale. Ibidem.

Gloria inſuper accidentalis reſultans in Beatis Euchariſticis ex reflexa cognitione fructuum mirabilium, quos decerpſerunt ex arcano illo. Ibid. n. *39*. p. 704.

Gorgonia.

Illuſtris hæc matrona, ſoror S. Gregorii Nazianzeni, deplorata valetudine clamabat ad Chriſtum Dominum ſub accidentibus abſconditum, ad illiuſque aram. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. num. 24. pag. 210.

Preces illas, fuſas ad conſpectum venerabilis Sacramenti fuiſse, ſapientes Viri illius ævi teſtantur.

Sanguinem etiam Chriſti Domini una cum corpore ſecum Domi habebat. Ibid. num. 25. pag. 211.

Verum non eſt, quod eis temporibus nuſquam deferretur domum Sanguis una cum corpore. Ibidem.

Vel habere potuit intinctum panem, juxta quarumdam Eccleſiarum antiquam conſuetudinem. Ibid. num. *26*. pag. 212.

Falſum eſt, quod eſset adhuc Cathecumena eo tempore. Ibid. pag. 213.

Mariti regenerationem à Deo impetravit. Ibidem.

Græci, & Eccleſia Græca.

Nonnulli Græcorum erraverunt, exiſtimantes, in Euchariſtia immolari vitam ſubſtantialem Chriſti Domini, morique ipſum in altari re ipſa. Diſp. 5. ſect. 4. §. 3. num. 78. pag. 39*6*.

Eccleſia Græca invocat Spiritum Sanctum aliquo tempore poſt verborum conſecrationis prolationem, ut efficiat panem illum Corpus Chriſti Domini, & vinum Sanguinem ejus. Diſp. 5. ſect. 4. §. 1. à num. *6*0. pag. 381.

In ea invocatione conveniunt Græci Patres ad unum omnes. Ibid. à num. *6*0. & à pag. 381.

Et nihilominus iidem Patres plerumque ſupponunt, & affirmant ut plane certum, tranſubſtantiationem fieri illico prolatis verbis conſecrationis. Ibidem num. *6*3. pag. 383. & ſeq.

Hanc

Hanc diſcordiam minus ſolide conciliant, qui dixerunt, deprecationem illam eſſe potius gratulationem de re facta. Ibid. num. 64. pag. 384.

Aberrant autem, qui ſomniarunt, aliter ſe geſſiſſe Deum in re ſubjecta cum Eccleſia Græca, ac cum Latina.

Voluntarie dicitur, prædictam invocationem extitiſſe olim ante verba conſecrationis. Ibid.

Pariter fingunt, qui proferunt, verba illa deprecatoria furtim, & ſubdolè adjuncta fuiſſe liturgiæ S. Baſilii. Ibidem.

Uti & falluntur, qui illam explicare ſolum credunt gaudium, aut complacentiam in beneficio præſentiæ realis Chriſti Domini jam collato. Ibid. & pag. 385.

Inſubſiſtens pariter eſt alia communis, exponens verba depræcatoria, ut poſtulantia ſolum quod corpus, & ſanguis proficiant nobis. Ibid. num. 66. pag. 386.

Vel ut efficiat illud corpus myſticum. Ibid.

Expugnatur multipliciter ea communis ſolutio. Num. 67. pag. 387.

Minus apte etiam dicitur à Beſſarione invocatus Spiritus Sanctus, ut oſtendatur communia eſſe in creatura opera Trinitatis. Ibidem.

Proprius finis illius invocationis eſt vivificatio Chriſti Domini quoad vitam ſenſitivam in actu ſecundo. Ibid. §. 2. à n. 68. & a pag. 388. & §. 3.

Semel ac invocatio ſupponat præexiſtentiam Chriſti Domini ſub ſpeciebus, verba illa invocationis in Liturgia S. Baſilii: *permutans, aut tranſmutans ea Spiritu Sancto tuo*; non poſſunt per participium Aoriſti ſignificare ſolum tranſmutationem præteritam: quia efficerent ſenſum ineptiſſimum. Ibid. num. 76. pag. 394. & ſeq.

Gratia.

Euchariſtia confert ex opere operato augmentum gratiæ digne accedentibus. Diſput. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.

Interdum per accidens primam gratiam. Ibidem.

Non confertur gratia ſpecie diverſa juxta diverſitatem Sacramentorum. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 540.

Neque gratiam includentem, aut poſtulantem modificationem diverſam. Ibid. à num. 8. pag. 542. & 543. & ſect. 5. §. 3. num. 93. pag. 630.

Sanctiori, digniorique ſubjecto, æque ſolum præparato ad ſuſcipiendum Euchariſtiam, ac præparatur non æque Sanctus, vel eliciens actum charitatis ejuſdem intenſionis, cum illo, major nihilominus gratia confertur. Ibid. ſect. 7. §. 1. num. 118. pag. 655.

Diſcordia Scholaſticorum circa actualem aliquam devotionem requiſitam, ultra ſtatum gratiæ, ad recipiendum effectum Euchariſtiç, ſedari poteſt per opinionem noſtram circa majorem diſpoſitionem omnino requiſitam ad unionem cum anima Chriſti Domini permanentem comparandam. Ibid. num. 119. pag. 655. & ſeq.

Plus gratiæ ſanctificantis confertur ex opere operato devote ad modum communicanti, quam minus præparate accedenti, juxta communem Theologorum doctrinam. Ibid. num. 119. pag. 655.

Nomen gratiæ genericum eſt, nec ſolum ſignificat gratiam ſanctificantem, ſed proprie etiam unionem hypoſtaticam, conſequenterque & unionem cum anima Salvatoris, Verboque Divino aſſumente, à nobis inductam. Ibid. pag. 656.

Unde dum Theologi cum D. Thoma poſtulant donum gratiæ ad hoc, ut Perſona divina poſſet exiſtere novo modo in juſto aliquo ſanctiore, nomine gratiæ complectuntur unionem noſtram; uti neceſſario comprehendunt hypoſtaticam, & viſionem beatam. Ibid. num. 124. pag. 660.

Maxime cum ſit forma æquivalenter ſanctificans anima Chriſti Domini. Ibidem.

Juxta Theologos quoſdam doctiſſimos omnis gratia, conferenda juſtis, eſt in Chriſti Domini anima, tamquam in fonte, è quo per replicationem derivantur gradus omnes, qui vel ex opere operato, vel ex meritis conferuntur. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 686.

Addunt tamen, per gravem lapſum hominis juſti avolare iterum gratiam illam ad Chriſtum Dominum, ſeque recipere in ſuum fontem. Revera tamen, non avolaret, ſed deſineret eſſe ibi replicata, ad modum quo deſinit Corpus Salvatoris, deſtructis ſpeciebus, quin avolet in Cœlum. Ibidem.

Hæc opinio impetitur à reliquis, argumentis implexiſſimis, præſertim argumento ex gratia Juſtis veteris teſtamenti collata. Ibid.

Facilius longe, probabiliuſque ea replicatio adſtruitur à nobis in gratia per Euchariſtiam recepta ab eis, qui conjunctionem animæ Chriſti Domini obtinent per ardentiſſimam ejus ſumptionem. Num. 17. & 18. pag. 686. & 687.

In Euchariſtico autem illo non omnes gradus gratiæ, quos poſſidet, replicantur, ſed illi tantum, qui per Euchariſtiam, & ex vi illius comparantur, cum ſeparatim obtineantur. Non ſic autem lumen gloriæ, & viſio Euchariſticorum, quæ adæquatè ſunt idem per replicationem ob multiplicem differentiæ radicem. Ibidem.

Si tamen contendat aliquis, gratiam pariter adæquatam eſſe debere eamdem nume-

numero in Euchariſtico, ſemel ac aliqua ejus portio eſſe debeat replicata; non reſiſtam diu. Num. 18. pag. 687.

Gratiarum actio.

Quomodo Beati unitim Canticum gratiarum actionis in ſacrificio laudis concinent? Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 29. pag. 529.

Gratitudo.

Gratitudinem noſtram extorquet ſingulariter Euchariſtia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 25. & 26.

S. Gregorius Nyſſenus.

Expreſſe docuit, animam Chriſti Domini fuiſſe in Cordibus Diſcipulorum in Cœna noviſſima, dum Euchariſtiam inſtituit, & Diſcipulis ſeipſum ſub ſpeciebus panis, & vini dedit. Diſp. 8. ſect. 4. §. 1. num. 63. pag. 568. videndus etiam num. 67. pag. 602. & ſeq.

Guſtus.

Senſus hic exerceri valet in Euchariſtia à Chriſto Domino, ſi ſemel inſenſibili modo nobis fieri poſſet, ad eum modum, quo in Cœlo. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 138. pag. 151. & Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 24. pag. 219.

Quo pacto ejus uſus contingere poſsit in Euchariſtia, uti & tactus, odoratuſque. Ibidem. Et num. 35.

H

Hæreditas.

Qua ratione Dominus in Euchariſtia (juxta Interpretes accipientes in eo ſenſu verba Pſalmi 15.) dicitur pars hæreditatis noſtræ, & non integra hæreditas? Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 587., & pag. 588.

Hæreſis.

Hæreſis Fauſti Socini circa Sacerdotium Chriſti Domini potius arguit veluti communem inter Catholicos circa ſacrificium laudis in æternitate ſenſum. Diſput. 7. ſect. 2. §. 1. num. 25. pag. 525. & ſeq.

S. Hilarius.

Egregie, & multipliciter tuetur adverſus Arrianos immanentiam Chriſti Domini realem, & non tantum affectivam, aut per gratiam, vel moralem, in recipiente ipſum digno modo. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 32. & 33. pag. 569. & ſeq. & num. 36. pag. 573.

Quam acerrimus defenſor Divinitatis Filii extiterit, quamque durus Arrianorum hoſtis; tametſi cothurnata interdum oratione cauſam Dei agat. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 35. pag. 572. & ſect. 4. §. 1. num. 63. & 64. pag. 598. & ſeq.

Homo.

Chriſtus Dominus non tantum pœnes animam, verum qua homo eſt, concurrit phyſice ſub ſpeciebus in effectus, quos in ſumente cauſat. Diſp. 2. ſect. 5. §. 1. num. 93. pag. 115.

Hoſtia.

Si Hoſtia non conſecrata bilocaretur divinitùs; num per hoc, quod Romæ conſecraretur, adeſſet eo ipſo Neapoli conſecrata pariter? Diſp. 2. ſect. 4. §. 1. num. 65. pag. 91.

Hoſtia ſemel ſacrificata una cum ſanguine, nequit iterum ſacrificari; etiamſi per mixtionem recuperet Chriſtus Dominus uſum operationum ſenſibilium, quem immolarat. Diſp. 5. ſect. 5. §. 3. n. 100. pag. 415.

Hoſtia ante conſecrationem bilocata divinitùs, utrobique conſecraretur, ſacrificareturque; vel per actiones converſivas adæquatas, vel per attemperationem earumdem. Ibid. num. 101. p. 416.

Nullius hoſtiæ immolatio, cruorem effundens, aut dolorem cauſans, admittenda eſt in Empyreo. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 3. p. 508.

Hugo.

Sententia Hugonis de Sancto Victore, Magiſtri ſent. Innocentii Tertii, & veterum aliorum, quod Euchariſtia illico, ac trajicitur ex ore, eat in mentem, doctrinam noſtram circa permanentiam animæ Salvatoris in communicante ardentiſſimo affectu continet. Diſput. 8. ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 607. & ſeq.

Humanitas Chriſti Domini.

Humanitas Chriſti Domini concurrit phyſice ex Euchariſtia ad omnes effectus, aut gratias omnes, quæ ex illo derivantur in digne ſuſcipientes ipſam. Diſputat. 2. ſect. 5. §. 2. num. 91. pag. 113.

Humanitas illa ſacroſancta non influit ſolum pœnes animam in effectum gratiæ ex Euchariſtia, ſed pœnes corpus etiam. Diſput. 2. ſect. 5. §. 1. num. 93. pag. 115.

Humanitati Chriſti Domini competit virtus inſtru-

Digitized by Google

inſtrumentaria factiva miraculorum, quæ conducere poſſint ad tuendam vitam propriam, & ad fines Incarnationis. Diſp. 2. ſect. 5. §. 2. à num. 97. & à pag. 118. & ſect. 7. §. 1. num. 132. p. 146.

Ea virtus inſtrumentaria permanens, non fuit ſolum expedita, dum eſſet in ſtatu paſſibili, ſed modo etiam in Euchariſtia, & in Cœlis permanebit per totam æternitatem. Ibidem num. 98, pag. 119. & num. 133. pag. 147.

I

Jacob.

JAcobum mentitum non fuiſſe, dum ſe finxit Primogenitum tuentur cum Auguſtino Patres ſæpiſſimè, & quia Primogenitura erat illi à Deo conceſſa; & quia eventus ille referebatur ad Primogenitum Chriſtum Dominum. Diſp. 8. ſect. 7. §. 3. num. 127. p. 664.

Mentitum attamen fuiſſe in aliqua circumſtantia, ſentiunt Chryſoſtomus, & alii Patres. Ibidem.

S. Ignatius Martyr.

Inclytus Martyr Ignatius reſpondit Trajano, ſe eſſe, & dici Chriſtiferum, ideſt, ferentem Chriſtum Dominum in anima. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 70. pag. 606. & 607.

Quod non alium ſenſum proprium admittit, niſi per unionem permanentem, realemque illius cum anima Chriſti Domini. Ibidem.

Ignis.

Dignè accedens ad Euchariſtiam manducat ignem. Diſp. in Procemio.

Illapſus, & alibi.

Illapſus poſtulat eſſentialiter intimam conjunctionem ſpiritus ſupremi ſimpliciter, ſubjicientiſque ſibi omnino illum, cui illabitur. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 8. pag. 677. & 678. & num. 9. pag. 679.

Si ad illapſum exigatur dominatus ſimpliciter ſummus, & principalis Perſonæ, quæ illabitur alteri; ſolius Dei erit illabi. Ibidem.

Si vero ſufficiat dominatus principii ſupremi inſtrumentaliter; etiam anima Chriſti Domini illabitur in animam aſſumptam, quam ſibi ſubjicit. Ibid. num. 9. pag. 679.

Quæſtio tamen eſt de modo loquendi. Ibidem.

Immanentia maneo, manſio.

Immanentia, quam Chriſtus Dominus promiſit dignè manducantibus ejus carnem, & bibentibus ejus ſanguinem ſalvari minime poteſt per gratiam duntaxat, charitatem, aut affectum. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 4. à pag. 538. latè, & num. 11. pag. 544. & ſect. 2. §. 2. num. 28. pag. 560.

Salvatur unicè per hoc, quod anima Chriſti Domini permaneat deſtructis ſpeciebus per modum formæ aſſiſtentis, & aſſumentis. Ibidem ſect. 2. §. 1. à n. 26. & à pag. 556.

Id ſuadetur ex verbis Chriſti Domini efficaciter. Ibid. §. 2. num. 28. pag. 560. & ſeqq.

Immanentia hæc verificari nequit per ſolam Deitatem. Ibid. num. 31, pag. 564. & 565.

Neque Deitas concipi jure poteſt ſubſtantialiter unita Juſto illi. Ibidem pag. 565.

Neque illa ut ſic per hypotheſim unita denominaret potius filium, quam reliquas Perſonas. Ibid.

Præter unionem hypoſtaticam nulla realis ſubſtantialis immediata intercedere valet cum anima Juſti, præſertim in via. Ibid.

Manere nequit integer Chriſtus Dominus itaut manſio ejus perſiſtat ex ſe, ſitque effectus dignæ ſumptionis. Ibidem pag. 567.

Et quidem nec unà cum ſpeciebus, neque abſque illis. Ibidem, & pag. 568.

Sive fingatur definitivè exiſtens abſque ſpeciebus, ſive Sacramentaliter, Ibidem.

In quibuſdam nimium dilectis Virginibus legitur, manſiſſe intra cor illarum, aut pectus pro tempore aliquo ſpecies Sacramentales, adeoque integrum Chriſtum Dominum.

Minimè inde probatur, non fuiſſe aſſumptas ab anima Chriſti Domini juxta ſententiam noſtram (aut ſaltem non potuiſſe aſſumi ſanctitate magna florentes) ſed probat ſolum voluiſſe, ultra unionem animæ cum eiſdem, corporaliter etiam adeſſe cum puriſſimis Virginibus; quemadmodum illæ ſecturæ ſunt Agnum in Patria corporaliter. Ibid. ſect. 7. §. 3. num. 131. pag. 669.

Immolatio.

Opinio, quæ affirmat, ſufficere ad veram immolationem in ſacrificio incruento, quod quantum eſt ex vi verborum ponantur ſeparata Corpus, & Sanguis, prorſus fallit. Diſput. 5. ſect. 1. §. 1. à num. 4. p. 329. cum ſeqq. & §. 2. à n. 16, pag. 339. & ſeqq.

Conſtituere Chriſtum Sacramentaliter præſentem per modum inextenſum in ſtatu naturaliter incapaci functionum humanarum ; non eſt ipſum phyſicè immolare. Ibid. §. 3. num. 23. p. 345.

Privare corpus vita pro aliquo ſtatu, in quo nunquam illam habuit, nec potuit naturaliter ; dum alium ſtatum non præſupponit, in quo illa gaudeat, nullam vitæ corporis immolationem involvit. Ibid.

Neque eſſe poteſt immolatio, quia privet termino exacto à corpore, reddendo vitam impoſſibilem ; quoniam verba conſecrationis feruntur in corpus præciſivè à vivo, & mortuo, ſubindeque à capacitate poſitiva proximè diſpoſita ad vitam, vel ad formam cadavericam. Ibidem & num. 24. p. 346. & ſeq.

Neque rurſus invenitur Immolatio in eo quod integer homo reducatur veluti ad punctum, in quo ſi naturaliter poneretur, durare non poſſet, ut Recentior doctus admodum excogitavit. Ibidem ſect. 2. §. 1. à num. 26. pag. 348. & ſeqq. latè.

Hæc opinio quærit immolationem per hypotheſim impoſſibilem. Ibid.

In præfata hypotheſi tranſiret corpus ab ſtatu vitali præſuppoſito ad ſtatum ex natura ſua incapacem vivendi ; quod non contingit in Euchariſtia, ſi non ſupponat ſtatum connaturalem exiſtendi alibi circumſcriptivè. Ibid.

Immolatio vitæ actualis requiſita ad hoc ut Chriſtus Dominus peragat ſacrificium altaris, debet fieri ab ipſo ſub utraque ſpecie. Ibid. ſect. 3. §. 1. num. 43. pag. 366.

Eccleſiæ Patres ſacrificationem Euchariſticam appellant ſimpliciter immolationem. Ibidem §. 2. à num. 49. & à pag. 372. fuſè.

Si immolatio illa non foret propriè talis ; nec ſacrificatio propria eſſe poſſet ; cum eo modo futurum ſit ſacrificium, quo fuerit immolatio, illud pro recto conſtituens. Ibid. num. 53. pag. 375.

Immolatio, ut conſtituat verum ſacrificium, importat eſſentialiter actionem phyſicè immutantem victimam. Itaut, dum vitam ſubſtantialem auferre debet, terminetur immediatè ad vulnus, ex quo ſequatur immediatè mors. Diſp. 4. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 260.

Immolatio, ſecundum quod importat cruorem, non eſt per ſe neceſſaria ad verum ſacrificium, ut ſic acceptum ; ſed quatenus dicit realem aliquam victimæ immutationem, cum res inanimes etiam ſacrificentur. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 328.

Neque diſcrimen inter ſacrificium reſpectivum, repræſentativumque alterius, & abſolutum, quod Pater Vaſquez invehit, in ordine ad Immolationem, ſuſtineri poteſt. Ibid. num. 5. & 6.

Aperitur ea opinione latiſſimè fuſus campus Sectariis negandi impunè ſtrictum conceptum ſacrificii ſacrificio Miſſæ, omnique ſacrificio relativo. Ibidem.

Vetera ſacrificia figurabant Crucis ſacrificium, ad illudque referebantur, ut ſigna ad ſignatum ; & nihilominus immolationem realem eſſentialiter poſtulabant. Ibid. num. 7.

Immolatio incruenta non eſt Immolatio ; quia purè repræſentat cruentam ; ſed repræſentat illam, quia eſt vera realis immolatio. Ibid. num. 7. pag. 330.

Neque immolationis neceſſitatem tollit, quod res oblata, & immolata ſit in utroque ſacrificio eadem. Ibid. num. 9. pag. 332.

Immutatio.

Sententia, quæ veram immutationem realem victimæ, ſufficientem ad conſtituendum ſtrictum ſacrificium, inducit, per ſolam productionem, aut reproductionem termini ad quem, refertur. Diſp. 5. ſect. 1. §. 3. num. 19. pag. 342.

Fundatur in eo, quod ubi terminus ad quem inductus eſt nobilior termino à quo, ille eſt, qui per ſe primo offertur. Ut contingit in Corpore, & Sanguine Chriſti Domini, qui ſunt termini ad quem tranſubſtantiationis. Ibid.

In aliis vero ſacrificiis, terminus à quo, nempè privatio vitæ Hoſtiæ eſt pretioſior. Ibidem.

Falſa tamen eſt ejuſmodi opinio, quia re ipſa immutat realiter ſacrificii naturam, & non victimam. Ibidem.

Immutatio victimæ fit in proteſtationem ſupremi Dominii Dei in vitam, & mortem ; quæ per ſolam rerum productionem fieri propriè nequit: ſecus per mortem Hoſtiæ viventis. Ibidem.

Sin aliter generatio, aut productio rerum eſſe poſſet vera ſacrificatio. Uti & Nativitas Chriſti Domini, cum eſſet Sacerdos ſummus ab inſtanti incarnationis, Num. 20. pag. 343.

Quin & reſurrectio. Ibid.

Imperium.

Imperium humanæ voluntatis Chriſti Domini, eſt actio ſacrificativa in Euchariſtiæ ſacrificio, privans corpus vita ſenſitiva in actu ſecundo. Diſp. 9. ſect. 3. §. 1. num. 37. 38. 39. & ſeq. à pag. 359.

Nulla actio externa neceſſaria eſt ad hoc, ut imperium illud inducat privationem vitæ actualis. Ibid. num. 39. pag. 360.

Quamvis debeat reddi ſenſibile per functiones externas Miniſtri. Ibid. num. 38.

Neque actio conſecrativa conſtituit ſacrificationem una cum Imperio voluntatis, cum

cum illa debeat præſupponi; alioqui non adeſſet in altari ſummus Sacerdos, prius actu vivens, & deinde immolans ſuam vitam actualem. Ibid. num. 39.
Per illud Imperium privatur Chriſtus Dominus uſu libero facultatis inſtrumentariæ eliciendi divinitus actus vitales corporeos; donec per influxum Spiritus Sancti vivificetur. Num. 37. pag. 359.
Imperium illud eſt vera cauſa, inducens privationem operationum vitalium, non ſolum ejuſdem Potentiæ, cujus eſt actus, ſed & aliarum Potentiarum. Ibid. num. 41. pag. 366.
Imperium conſtituit una cum actione aliarum Potentiarum actionem adæquatam, factivam actus immanentis. Ibidem.
Suſpenſio vitæ actualis, licet reſpiciat ut terminum privationem vitæ, importat Imperium ſui, quæ eſt actio poſitiva, cujus terminus à quo poſitivus etiam eſt. Ibid. ſect. 5. §. 3. num. 104. pag. 419.
Propterea Chriſtus Dominus imperans eſt vera cauſa privationis, ſacrificatque vere, & proprie. Ibid.
Immo & terminus ad quem eſt etiam ex parte poſitivus, quoniam non reſpicit privationem in abſtracto, ſed corpus, ut vita privatum. Ibidem pag. 420.
Imperium illud inter reliquos actus, quos ſuſpendit pro inſtanti ſequenti, imperat ſui ipſius ſuſpenſionem; quin hoc ex ullo capite repugnet. Ibid. num. 405.
Imperium illud eſſe veram cauſam privationis vitæ, oſtenditur iterum. Diſp. 6. ſect. 2. §. 1. num. 23. pag. 406.
Sive conſiſtat in actu intellectus, ſive voluntatis, ſive in utroque, reproducitur in omni ſacrificio idem numero. Ibid. num. 24. pag. 447.
Ex ejus unitate, cum ſit rectum ſacrificii, & ex unitate victimæ, tam in ſacrificio Crucis, quam altaris, omniumque incruentorum inter ſe, fit, ut non ſit niſi unum numero ſimpliciter ſacrificium. Et ſolum ſecundum quid diſtinctum; eſt tamen unumquodque completum. Num. 25. pag. 448. Ibidem.

Impetratio.

Impetratio Chriſti Domini non fuit infinita ſimpliciter in actu primo, ſicut fuit meritum. Diſp. 4. ſect. 1. §. 3. n. 23. pag. 272. & ſequent.

Incarnatio.

Incarnatio, & Euchariſtia comparantur. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 22. pag. 22.
Euchariſtia dicitur à Patribus, & Theologis extenſio Incarnationis in ſenſu aliquo. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 617. & ſeqq.
Ejuſmodi autem extenſio minime ſalvatur per conſecrationem. Ibid. num. 81. pag. 618.
Nec alia via cum proprietate aliqua Verbum Incarnationem extendere poteſt, quam per aſſumptionem, media anima Chriſti Domini, & una cum illa, accipientis amantiſſime Euchariſtiam. Ibid. & à num. 83. pag. 620.
Non enim verificat doctrinam hanc Patribus familiarem reproductio Chriſti Domini divinitus in altari facta. Ibid. & pag. 619.
Neque per realem conjunctionem Chriſti Domini in ſtomacho manducantis, cum illa cito tranſeat; aſſumptio autem propria Incarnationis eſſe debet permanens. Diſp. 8. ſ. 8. pag. 619.
Non rurſus conjunctio illa materialis, ut moraliter permanens. Ibidem pag. 620.
Patres Euchariſtiam frequentius vocant extenſionem Incarnationis; interdum tamen nativitatem illam appellant. Num. 80. pag. 617.
Revera tamen dum ponitur per conſecrationem in altari, naſcitur aliquatenus, aut renaſcitur; dum vero per dignam ſumptionem Euchariſtiæ aſſumit Verbum Divinum dignè accedentem, quaſi novam carnem aſſumit, extenditque Incarnationem eo modo. Num. 81. pag. 618. & 619.
Extenſio Incarnationis ſalvari nequit per novam præſentiam realem Chriſti Domini; nec per Euchariſtiam ipſam ſecundum ſe; ſed per illam, ut ſanctè admodum ſuſceptam, & in ſuſcipiente ipſo. Ibidem.

Infans.

Utrumque infantem, Chriſtum Dominum ſcilicet, & Joannem Baptiſtam, viſitante Deipara cognatam ſuam, ex utero mutuò ſe conſpexiſſe, communis Patrum ſententia eſt. Diſp. 3. ſect. 1. num. 16. pag. 203.
Infans apparens ſæpè in Euchariſtia, & vitales ſenſuum operationes eliciens, deciperet, ſi Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſimiles non emittat per ſe primo. Ibidem num. 19.

Infinitum.

Non ſunt Infinitæ operationes, quæ eliciuntur à Chriſto Domino, licet ex quavis Hoſtiæ particula vitaliter operetur, quia eamdem numero operationem ex omnibus elicit, ſi objectum ſit proportionatum. Diſp. 2. ſect. 9. ſ. 1. nu. 169. pag. 176.
Infinita æſtimabilitas eſt prædicatum tranſcendens omnes Chriſti Domini operationes. Diſp. 4. ſect. 1. ſ. 3. num. 23. pag. 273.

Aaaaa 2 In-

Infinitudo.

Meritum in ſtatu præſenti Chriſti Domini derogaret, juxta communem ſententiam, infinitudini meriti Crucis, & ſtatus paſſibilis, Ibidem pag. 272. & 273.

Intellectio.

Gravis difficultas circa modum, quo Chriſtus Dominus ex Hoſtia emittit connaturalitèr intellectiones. Nam ſi ex una particula ſolum intelligit, in reliquis emortuo planè modo exiſtit. Si vero ex unoquoque minimo, aut puncto etiam, in infinitas ſimul intellectiones erumpet. Eamdem autem ex omnibus producere, vel ex una tantum, & recipi in cunctis, ægrè abſque miraculo pœnes modum concipitur. Diſp. 2. ſect. 1. ſ. 3, à nu. 24. pag. 60. uſque ad 64.
Intellectio eadem Chriſti Domini poteſt attingere plura objecta, præſertim inter ſe connexa ob amplitudinem, & univerſalitatem ſpecierum. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 13. pag. 516.
Et ideò poteſt idem numero actus internus illius, ſive imperium, ſacrificare ſub diverſitate rituum, & ſymbolorum, Ibidem.

Intellectus.

Non ex quovis minimo Hoſtiæ elicit Intellectus humanus Chriſti Domini (uti nec voluntas) intellectionem diſtinctam, ſed eamdem numero ex omnibus. Diſputat. 2. ſect. 9. ſ. 1. à num. 169. & à pag. 178.
Alioqui exiſteret numeroſitas infinita operationum, quæ potiùs confunderent intellectum, quam illuſtrarent. Ibidem.
Si ceſſaturum dicas intellectum in illis minimis, ubi jamjam vires langueſcant, induces Chriſtum Dominum parùm dignè exiſtentem, & viribus deſtitutum, ad actu videndum in infinitis Hoſtiæ partibus. Ibidem num. 170. & pag. 179.
Item fidelis accederet dubius in calamitatibus ſuis ad Aram, neſcius, num Chriſtus Dominus poſſet ex illa Hoſtia elicere actum commiſerationis ad ſubveniendum ipſi, quia potuiſſent exhauriri in aliis innumeris Hoſtiis ejus vires. Ibidem.
Idemque dicendum de viribus intellectus, adhuc ut elevatis. Ibidem.

Intentio.

Chriſtus Dominus poteſt ex altari emittere intentionem ſacrificandi, cum ſacrificium ſubſequatur ad conſecrationem. Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. num. 50. pag. 298.

Joannes Baptiſta.

Joannes ex utero vidit Chriſtum Dominum in utero Deiparæ ſalutantis. Diſput. 3. ſect. 2. §. 2. num. 15. pag. 203.
Percepit auribus corporeis vocem Deiparę. Ibid. num. 16. pag. 204.
Locutio Patris ad ipſum directa, rationabilis fuit, quoniam ſupponebat ipſum divina virtute capacem intelligendi. Diſput. 3. ſect. 2. ſ. 1. à num. 23. pag. 209. & ſeq.

Judas.

Cajaniſtarum hæreſis fuit, affirmare, Judam proditorem laude dignum planè eſſe, eo quod in Mundi Redemptionem, quam præſciebat futuram, Chriſtum Dominum tradiderit. Diſput. 5. ſect. 5. §. 2. num. 97. pag. 412. & 413.

Judex.

Officium Judicis exercet Chriſtus Dominus in Euchariſtia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 26.

Judicium.

Judicium actu ibidem exercitum unà cum Judice manducat, qui indignè ſuſcipit Euchariſtiam. Diſput. 2. ſect. 1. §. 2. à num. 18. pag. 56.
Judicium illud exercetur ibi à Chriſto Domino, ſecundum quod homo eſt. Ibidem num. 19.

Juſtitia.

Quo pacto in Euchariſtiæ inſtitutione refulgeat? Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 23.

L

Laus.

Sacrificium Euchariſticum eſt verè, & ſtrictè ſacrificium laudis, & gratiarum actionis. Diſput. 7. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 511.
Extiturum verum laudis ſacrificium in Eccleſia triumphante, peragendum ibi frequentèr per ſpatia interminabilia æternitatis, probatur à num. 9. pag. 512. cum ſeqq. & à num. 12. pag. 515.
Non erit attamen ſpecie diverſum, nec adhuc numero ſimplicitèr diſtinctum à Crucis, & Altaris ſacrificio; ſed duntaxàt ſecundum quid, Ibidem & num. 11. pag. 514.
Ad eum modum, quo de ſacrificio Crucis, & Altaris philoſophamur, Ibidem.
Quod

Digitized by Google

Quod ſacrificium laudis celebraturus ſit ſummus Sacerdos in ſpecie propria, & in altari ſeipſum immolet ſub ſpecie panis, & vini, non arguit diverſitatem, nec diſtinctionem ſimplicitèr ſacrificii; ſed ſecundum quid purè. N. 12. pag. 510.

Neceſſitas honorandi Deum cultu ſupremo Religionis in Patria cogit ad verum ſacrificium laudis admittendum iu ea. Ibid. num. 17. pag. 519.

Ex verbis Chriſti Domini ad Samaritanam colligitur æternum illud ſacrificium laudis. Num. 18. pag. 520.

Sacrificium laudis erit ſecundum ordinem Melchiſedech, quia eſt idem numero cum Euchariſtico, quod etiam laudis, & gratiarum actionis eſt. Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 26. pag. 526.

Qua unione, & harmonia conſpiret multitudo Beatorum in divinarum laudum carmen, juxtà D. Thomam? Diſput. 7. ſect. 2. §. 2. n. 29. pag. 529.

Quamvis ſacrificium laudis, qua parte dicit *fieri*, ſive ſacrificationem vitæ actualis, ſit inſtantaneum, qua parte verò importat terminum poſitivum laudis, & gratiarum actionis, poteſt pro tempore aliquo perſiſtere, conſentaneumque eſt. Ibid. num. 30. & 31. pag. 530. & ſeq.

Quibus verò momentis duret, noſtrum non eſt, niſi divinando, dicere. Ibidem pag. 531.

Liberalitas.

Divina liberalitas in Inſtitutione Euchar, Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23.

Libertas.

Chriſtus Dominus, dum ſacrificat qua ſummus Sacerdos in altari, eſt liber modo ſufficienti ad meritum, licet non ad incrementum novi meriti. Diſp. 6. ſect. 4. §. 3. num. 89. pag. 504.

Lithurgia.

Lithurgia S. Jacobi Apoſtoli in ſummo pretio ſemper habita. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 55. pag. 372.

Ex illa deducitur apertè, per mixtionem Corporis, & Sanguinis in fractione Hoſtiæ ſignificari reunionem animæ Chriſti Domini cum corpore in reſurrectione; idque fuiſſe Diſcipulis à Chriſto Domino præceptum. Ibidem num. 54. & 55.

Ex eadem colligitur actualis reviviſcentia Chriſti Domini in Euchariſtia ad vitam Corporis in actu ſecundo per operationes ſenſibiles, quæ erat in ſacrificatione immolata. Ibidem num. 56.

Ex deprecatione facta ab Eccleſia Orientali, in eademque Lithurgia contenta, in qua Sacerdos poſt verba Conſecrationis prolata, implorat adventum Spiritus Sancti; arguitur tum immolatio vitæ corporis in actu ſecundo in ſacrificio: tum ejuſdem reviviſcentia in mixtione, Ibid. ſect. 4. §. 1. à num. 60. & à pag. 381. per integram ſectionem.

Eamdem deprecationem, & eodem tempore, continent reliquæ Græcorum Lithurgiæ, ut S. Baſilii, S. Chryſoſtomi &c. Ibid. num. 60. pag. 381.

Preces illæ ſupponere videntur, nondum per verba Conſecrationis præcedentèr dicta, factam fuiſſe tranſubſtantiationem; quod repugnat Evangelio, & Eccleſiæ Latinæ. Ibidem.

Id quod eliciunt Schiſmatici ex Lithurgia S. Baſilii; in qua poſt conſecrationem, & paulò ante imploratum Spiritus Sancti adventum, appellantur dona illa *Antitypa Corporis, & Sanguinis Domini*. Ibidem.

In Liturgia tamen Æthyopum ipſa invocatio ſupponit expreſsè converſionem factam in Corpus, & Sanguinem per verba conſecrationis. Ibid. §. 3. num. 75. pag. 394.

Idem colligitur ex Lithurgia Moz-arabum num. 77. pag. 395.

Quamvis ea fuerit mens Patrum, & Sapientum Græcorum; dubitandum tamen non eſt, occaſione illius invocationis in omni ſua Lithurgia, quamplures in eo fuiſſe errore, ut crederent, per verba conſecrationis, nondum fieri præſentem Chriſtum Dominum. Uti modo tenaciſſimè docent Schiſmatici. Ibid. num. 78. pag. 396.

Locus.

Locorum diverſitas quantum valeat ad excludenda contradictoria, juxta plures Theologos; tametſi verſentur inter formas loco priores. Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. num. 98. pag. 635.

Eamque ſententiam problematicè tuetur Doctor Subtilis. Ibid. num. 99. pag. 636.

Ea, quæ conveniunt ſubjecto per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt, juxta Doct. Angelicum, convenire ſubjecto in uno loco, & non in alio, Ibidem num. 100. pag. 636. & 637.

Neceſſitas exiſtendi in aliquo loco, ſive alicubi, convenit ſubjecto pro priori ad locum, quantumvis hæc determinata præſentia ſit loco poſterior. Ibidem pag. 637.

Et nihilominus eſſe propriè in loco circumſcriptivè, & non eſſe propriè in loco, juxta eos nimirum, qui affirmant, Chriſtum Dominum in Euchariſtia non eſſe propriè tamquam in loco, contradictoria non ſunt. Ibidem.

Locu-

Locutio. Loquor.

Qui loquitur cnm re inanimi, ſtultitiam præſefert. Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. n. 22. pag. 209.

Item qui alloquitur planè ſurdum. Ibidem.

Locutio facta ad Infantem neonatum, incapacemque intelligendi ſenſum, irrationabilis eſt; ut loquitur S. Ambroſ. Ibidem num. 23,

Lumen, & Lumen gloriæ.

Idem numero lumen gloriæ, quod eſt in intellectu Chriſti Domini, replicatur, juxta menſuram tantum debitam in Beato Euchariſtico, uti & eadem numero viſio. Diſp. 9. ſect. 1. §. 2. num. 17. & 18. pag. 686, & 687. & §. 3, n. 24. pag. 591.

Et quidem replicatur penes integram intenſionem beatitudinis, illi ex quolibet titulo debitam; etiamſi gratia penes gradus ex Euchariſtia ſubortos ſit eadem numero; ſecus vero penes reliquos aliunde petitos. Ibidem.

Lumen gloriæ in plurium ſententia non ſolum eſt virtus activa, ſed inſuper neceſſarium per modum diſpoſitionis ad videndum. Ibid. ſect, 2, §. 1. num. 28, pag. 693. & 694.

Alii vero poſtulant lumen per modum diſpoſitionis ad hoc, ut eſſentia divina uniatur per modum formæ intelligibilis mentibus Beatorum, quam unionem creduut ſimpliciter neceſſariam ad videndum Deum. Ibidem num. 29. pag. 694.

Veteres aliqui, quos imitantur Juniores pauci, exiſtimant, lumen gloriæ eſſe non tantum vim activam, ſed potentiam pariter receptivam. pag. 644. & 695.

Plures Scholaſtici ſentiunt, lumen gloriæ eſſe ſimul ſpeciem impreſſam; illegitimè tamen inferunt inde, limitari poſſe eo titulo effectum viſionis intenſiſſimæ, ſemel infuſæ in intellectu Beati. Ibidem.

Non pauci arbitrantur, lumen eſſe requiſitum eſſentialitèr, tamquam rationem ſub qua videndi, ad modum quo lux una cum colore ad viſionem materialem. Num. 30. pag. 695. & 696.

Lumen, juxta D. Thomam, quamvis non ſit medium in quo, eſt attamen medium *ſub quo* num. 30. pag. 696.

Lumen naturale rationis non ſolum importat lumen intellectus agentis; ſed inſuper lumen proprium ipſius intellectus poſſibilis ad lineam inteutionalem videndi prorsùs neceſſarium. num. 31. pag. 696.

Lumen majus ejuſdem rationis offuſcat lumen minus, relatè ad potentiam viſivam materialem. Ibid. & pag. 697.

Lumen verò majus diverſæ rationis, ordiniſque, non obſcurat lumen minus in ſubjecto illuminato. Ibidem.

In ordine tamen ad objectum ad quod videndum confortat potentiam; ſecus verò in ordine ad alia. Ibidem, & pag. 698.

Lumen gloriæ confortat lumen naturale intellectus ad videndum Deum juxtà intenſionem, & claritatem, quam continet; in ordine verò ad clariùs, aut intenſiùs videndum; ſive ad alias formalitates attingendas, offuſcat. Diſput. 9. ſect. 2, §. 1, n, 32. pag. 698.

Unde tametſi viſio intenſiſſima ſit, nequit lumen intellectus percipere tota ejus intenſione Deum, ſi lumen gloriæ æque intenſum non fuerit, quia obſcuratur ab illo. Ibid.

Quin obſtet, quod intellectus perfectior cum æquali lumine videat perfectiùs. Ibid. & pag. 699.

Licet ſub hypotheſi quod intellectus elevatus ad videndum Deum abſque lumine gloriæ, neceſſariò, videret ipſum penes totam viſionis entitatem; quia nullum adeſſet impedimentum; dum tamen adeſt lumen gloriæ, ſolùm juxta illius menſuram excipere poteſt effectum formalem à viſione; quia adeſt impedimentum obſcurans, cujus carentia requiritur ad plenè videndum. Num. 32. pag. 698.

Lutherus.

Fatetur, ſe conatum fuiſſe, ſolam figuratam præſentiam adſtruere; deſtitiſſe tamen coactum Chriſti Domini verbis. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 14.

Interdùm figuratam illam adſtruit. Ibid.

Præſentiam agnovit in orali tantùm manducatione, ſive in uſu. Ibidem.

Sacramenta re ipſa nullatenùs cauſare gratiam, docuit. Ibidem.

Admiſit etiam præſentiam realem permanentem Corporis, & Sanguinis; una tamen cum ſubſtautia panis, & vini. Ibidem num. 13.

Donum exiſtendi ubique aſſecutam fuiſſe Humanitatem, dixit. Ibid. num. 13.

Fatuos appellat dicentes, aquam miſcendam eſſe vino in calice ex præcepto. Eodem num. 13.

Corpus Chriſti Domini adeſſe protulit in Hoſtia abſque ſanguine, anima, & Divinitate. Ibidem.

Communionem ſub utraque ſpecie Laicis etiam jure divino præceptam, dixit. Ibidem.

Fatetur ſæpè (uti & Calvinus) Eccleſiam à primis ſæculis credidiſſe ſemper, Miſſam eſſe verè, & ſtrictè ſacrificium. Diſp. 5. in Procemio pag. 224.

Digitized by Google

Lux.

Lux, ſive lucis turbo, qui corripuit in via Paulum, illuminavit ipſum ad videndum Jeſum; obcæcavit tamen ad videndum alia. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 31. pag. 697.

M

Manducatio.

INvenitur vera manducatio in ſuſcipiente Euchariſtiam; tametſi Chriſtus Dominus moveat phyſice ſeipſum in ea ſumptione. Diſp. 3. ſect. 4. §. 1. num. 66. pag. 243., & num. 67. pag. 244.

Requiritur attamen quod ſumens moveat phyſice ſpecies, quas deglutit, & moraliter eo modo Corpus Domini. Ibid.

Si Angelus foret intime præſens pomo, qui pomum manducaret, non ideo Angelum manducare diceretur; cum nulla ſupponatur alligatio phyſica, nec ex pacto, Angeli ad pomum. Ibid.

Si autem alligatio præſupponeretur; non ideo manducans pomum non manducaret Angelum, quia illum ſufficienter non moveret una cum pomo; ſed quia manducatio poſtulat cibum materialem, cujuſmodi non eſt purus Spiritus, licet talis ſit panis Angelorum. Ibid.

Aliter tamen ſentiendum de anima, quippe quæ una cum carne conſtituit compoſitum, qui eſt per ſe verus cibus, etiam dum vivus, etſi aliquantulum attritus, trajiceretur in ſtomachum. Ibid.

Manna.

Manna cadebat in ſimilitudinem pupillæ oculi, juxta Philonem. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 9. pag. 197.

Maneo, & Manſio: vide Immanentia.

Martyr, Martyrium.

Ad martyrium ſufficit acceptatio mortis in defenſionem fidei; ad ſacrificandum vero ſeipſum, ut fecit Chriſtus Dominus in Cruce, non ſufficit mera acceptatio, vel libera non impeditio, cum facile poſſit; ſed requiritur concurſus activus ſacrificantis in privationem vitæ. Diſp. 5. ſect. 5. §. 2. num. 95. pag. 411. & alibi ſæpè in eadem Diſputatione & Diſp. 6. ſect. 2. §. 1. num. 22. pag. 446.

Materia.

Sententiæ communes circa materiam proximam, & remotam Euchariſtiæ. Diſput. 1. ſect. 2. §. 1. num. 39. pag. 34.

Matrimonium.

Unio digne communicantis cum Chriſto Domino comparatur a Patribus, & Theologis mutuæ conjugum unioni morali, reſultanti ex matrimonio conſumato. Diſput. 8. ſect. 1. §. 2. num. 12. & 13. a pag. 545.

Comparatio unionis ſancte recipientis Euchariſtiam cum unione conjugum, moraliter perſiſtente, pulchram locutionem involvit, non tamen explicat ſufficienter effectum potiſſimum Euchariſtiæ. Ibid. num. 18. pag. 549. & ſeqq.

Conjugium ſpirituale animarum cum Chriſto Domino eſt exemplar matrimonii, aut conjugii carnalis; non è converſo. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 44. pag. 580. & ſeqq.

Medicus.

In Euchariſtia Chriſtus Dominus eſt Medicus & Medicina. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 26.

Memoria.

Conſentaneum videtur, ut ſummus Sacerdos, dum celebrat ex altari, exerceat recordationem paſſionis per ſpecies reſervatas in memoria ſenſitiva, & in reſurrectione denuo comparatas. Diſp. 3. ſect. 2. §. 3. num. 40. pag. 222.

Meritum, & Mereor.

Cum vita ſenſitiva actualis in Euchariſtia cadat ſub meritum, illam à fortiori meruit Chriſtus Dominus in Cruce quoad efficaciam. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 72. pag. 96.

Neque ex defectu acceptationis divinæ, nec ex defectu pacti, nec ex defectu ordinationis, impediri potuit illius vitæ meritum. Ibidem num. 73. pag. 97.

Merita Chriſti Domini non potuiſſe non acceptari à Deo, adhuc attenta potentia abſoluta, opinati fuere graves Theologi, præſertim ſi ſupponatur promiſſio. Ibidem.

Dum promiſſio non ſupponitur, poſſet, juxta alios Theologos, de potentia abſoluta non acceptare, ſecus de potentia ordinaria. Ibidem & pag. 98.

Juxta D. Thomam nobilius habetur per meritum, quam ſine merito quodcumque donum, ſi aliunde poſſit eadere ſub meritum. Diſp. 2. ſect. 4. §. 2. num. 75. pag. 99.

Meruit etiam quod aliunde ei debebatur, ut novo titulo meriti deberetur. Ibidem.

Chriſtus Dominus, juxta Doct. Seraphicum, non fecit merito ſuo de indebito debitum, ſed fecit de debito uno modo de-

debitum alio, Ibidem num. 76. pag. 100.

Meruit inſtitutionem Euchariſtiæ, & reliquorum Sacramentorum. Proindeque omne id, quod gloriam Euchariſtiæ concernit. Ibidem pag. 101.

Num potuerit promeruiſſe de potentia abſoluta beatitudinem, gratiam, & reliquos habitus ſupernaturales? Ubi quid de facto. Ibidem à num. 80. pag. 102. & ſeqq.

Meritum Chriſti Domini tametſi ſimpliciter infinitum in quavis operatione, potuit multiplicari per omnes ejus operationes uſque ad mortem. Non ſic autem valet multiplicari infinitudo ſacrificii. Diſput. 6. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 440. & ſeq. & ſect. 3. §. 1. n. 52. pag. 472.

Num actus, quo ſe Chriſtus Dominus ſe immolavit in Cœna, & in Cruce, ut modo reproductus, ſit meritorius? Diſp. 6. ſect. 4. §. 1. num. 66. pag. 485.

Cum in Cœna, & in Cruce fuerit meriti infiniti, nec apparet, quo pacto exuere poſſet rationem meriti, cum ſtatus gloriæ obſtare Chriſto Domino non videatur ad merendum pro aliis: nec quo jure abſque repugnantia meritorius eſſe valeat. Ibid. & num. 67. pag. 486. & num. 68. pag. 487.

Putamus actionem illam reproductam infinities numero, eſſe ſemper meritoriam; non tamen addere novum meritum præcedenti; ſed reproduci idem numero, quod fuit. Ibidem num. 69. pag. 469. & ſeq.

Probatur aſſertio hæc. Ibid. à num. 70. & pag. 488.

Abſurda à Theologis producta adverſus meritum Chriſti Domini expugnant ſolum novum meritum, aut meriti incrementum, quia derogaret infinitudini meriti pro ſtatu viæ, & infinitudini ſacrificii: non removent tamen veram meriti ejuſdem ut producti denuò rationem. Num. 70. pag. 489.

Nulla meriti circumſtantia deficit ſacrificationi reproductæ ad rationem meriti, pro corpore myſtico. Ibidem.

Accedit, quod Chriſtus Dominus remſacram faciat ex altari, ubi eſt caput myſticum Eccleſiæ militantis: & cum circumſtantia loci, pugnæ, & meriti. Ibid. num. 72. pag. 490. & ſeq.

Debetur hoc ſummæ dignitati ſacrificii ſummi. Num. 73. pag. 491.

Quia ſolum actus illi, qui ſacrificant reproducuntur, illorum meritum duntaxat reproducitur. Num. 74. pag. 493.

Incredibile apparet vetera ſacrificia tantò inferioris ordinis, fuiſſe meritoria per ſe. Et infinitè dignum ſacrificium altaris à ſummo Sacerdote peractum (quod ſupponitur hic) & qua ab illo confectum, meritorium non eſſe, licet nihil de novo promereatur ob infinitudinem ſimpliciter meriti præcedentis. Num. 73. & 74.

Meritum actus ſacrificantis in Cœna perſiſtit moraliter, apud omnes; ſi ergo reproducatur ille numero actus, cur non perſiſtit meritum phyſicè in ipſo? §. 2. num. 75. pag. 493.

Meritum Crucis, cum omne præmium poſſibile promeruerit, meruit à fortiori ſui reproductionem, Ibid. & pag. 494.

Firmatur paritate, aut exemplo impetrationis. Ibid. num. 76. & 77. pag. 495.

Ex fructu, quem percipiunt Animæ Purgatorii, deſumitur congruentia quædam ad meritum illud adſtruendum. Ibidem.

Referuntur pro eadem aſſertione inſignium Theologorum teſtimonia à num. 78. & pag. 495. & 496. & ſeqq.

Anima Chriſti Domini, juxta Cayetanum, meruit in ſtatu ſubſecuto immediatè ad mortem. Ibid.

Non propterea tamen juge ſacrificium deſinit eſſe applicatio meriti Crucis, ut ſolventis pretium; eſt tamen meritoria ipſa applicatio.

Quo pacto repetitio facta à Chriſto Domino in altari meriti ſacrificii incruenti in Cœna, & cruenti in Cruce, ſit meritoria, quin ſuperaddat novam rationem meriti ipſa nova ſui exiſtentia? Ibidem §. 3. à num. 84. pag. 500. cum ſeq.

Licet ex ſe nova illa productio poſſet meritum adjicere ad novo ſaltem titulo obtinenda prœmia, debita jam ex merito præcedenti; nullum attamen eſt fundamentum aſſerendi, Deum diſpenſaſſe in lege poſtulante ſtatum viæ ad novum meritum. Num. 85. pag. 501.

Adeſt tamen fundamentum quammaximum affirmandi, diſpenſaſſe Deum in prædicta lege in ordine ad veram rationem meriti, quantumvis non ſuperadditi, ſed ejuſdem numero, quod præceſſit, itaut illudmet phyſicè exiſtat iteratò. Ibidem.

Unde meretur actu fructus, quos confert; at non per meritum novum, ſed per ipſummet præcedens, ut actu etiam de præſenti phyſice exiſtens. Ibidem.

Prout eſt meritum in Cruce conſumatum pure applicatur, qua ſub ea reduplicatione importat aliquid ſecundum quid diſtinctum à ſacrificio incruento. Prout vero eſt meritum ſpecificativè, & applicatur, & reproducitur, exiſtitque actu phyſicè merens. Ibid. num. 87. pag. 502. & ſeq.

Idem actus reproductus & eſt prœmium meriti, ſuique, & eſt meritum. Ibid. pag. 503.

Meritum Crucis ita fuit quoad ſufficientiam, ut ſimul fuerit quoad efficaciam ſub conditione. Ibid. num. 88. pag. 503.

Mi-

Miniſter.

Sacerdotes ſubalterni ſunt Miniſtri in toto rigore ſummi Sacerdotis. Diſp. 4. ſect. 4. §. 2. num 66. pag. 311. & 312.

Miraculum.

Miracula ingentia evincunt realem Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus. Diſput. 1. ſect. 1. §. 2. n. 21. pag. 20. & 21.

In miraculorum officina, cujuſmodi eſt Euchariſtia, immeritò recuſarentur miracula per ſe neceſſaria ad vitam actualem corpoream Chriſti Domini. Diſp. 2. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 49. & ſect. 7. §. 1. num. 131. pag. 145. & ſeqq. & Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 130. pag. 144. & ſeq.

Euchariſtia non ſolum eſt compendium mirabilium Dei præteritorum, ſed & præſentium, futurorumque. Diſput. 2. ſect. 5. §. 2. num. 99. pag. 119.

Expugnare miracula neceſſaria ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ, ſtudium proprium Sacramentariorum eſt. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 130. & ſeq. à pag. 144.

Non poſtulantur pauciora miracula ad concomitautiam operationum vitalium, quam ad primam illarum productionem ex Euchariſtia. Ibidem num. 134. pag. 147.

Chriſtus Dominus præcepit Apoſtolis, juxta Doctorem Maximum, ne parcerent miraculis, quoties utile, aut neceſſarium ad Evangelii propagationem opus foret. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 134. pag. 148.

Chriſtus Dominus per inſigne miraculum in Cruce ſuſtentavit vitam propriam per tempus aliquod; defecturam alioqui prius. Diſp. 5. ſect. 5. §. 1. uum. 83. pag. 400.

Illud miraculum fieri potuit, vel conſervando animam informantem abſque diſpoſitionibus, vi contrariarum pulſis; vel retinendo illas, alioqui abituras. Ibid.

Secundum hoc extremum arriſit graviſſimis Theologis. Ibidem.

Primum vero eligit opinio noſtra'. Num. 86. pag. 402.

Si Chriſtus Dominus miraculosè conſervaſſet in Cruce naturalem ſuum vigorem, clamor ille non fuiſſet in ſe miraculoſus; deceptuſque fuiſſet Centurio eo titulo Chriſtum Dominum agnoſceus. Diſp. 5. ſect. 5. §. 1. num. 89. pag. 406.

Quin & adſtantes, ſi reſcirent, vigorem, aut vires naturales miraculosè conſervatas, putare poſſent, Chriſtum Dominum minime pati, tametſi vulneribus confoſſum. Id quod diminueret excellentiam, & gloriam Paſſionis. Ibid.

Profluvium ſanguinis è vulneribus largè manans, pallor, aut macies, circumſtantiæque aliæ (à Prophetis minutim prædictæ) oſtendebant apertiſſimè defectum virium; atque adeo miraculum terminatum non fuiſſe ad vires naturales ſuſtentandas. Ibid. num. 90. pag. 406.

Per ſuſpenſionem actionis miraculoſæ terminatæ immediatè ad conſervandam unionem animæ cum corpore abſque diſpoſitionibus; immò potius cum ultima diſpoſitione ad formam Cadaveris, immolaſſe ſummum Sacerdotem vitam ſuam in Cruce, luculentiſſimè probant Eccleſiæ Patres. Ibid. §. 2. à num. 91. pag. 407., & ſeqq.

Miſericordia.

Ut moveantur per ſenſum internum, & appetitum ſenſitivum viſcera miſericordiæ Chriſti Domini, dum fideles gemitus ſuos edunt ad Aram, neceſſarius eſt uſus per ſe primo ſenſuum ioternorum in Euchariſtia. Diſp. 3. ſect. 2. §. 3. uum. 42. pag. 223. & 224.

Utiliſſimum nobis eſt, ut ultra actus pure ſpirituales miſerendi, elicere valeat ex Euchariſtia actum ſenſitivum compaſſionis. Ibidem

Alioqui non juvaret potius orare coram Venerabili, quam in loco alio. Ibid.

Hac doctrina verificatur quamoptime, quod Chriſtus Dominus didicerit ex his, quæ paſſus fuit. Ibidem num. 45.

Miſſa.

Diverſitas opinionum circa realem victimæ immutationem, requiſitam ad hoc, ut ſit verum ſacrificium. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 4. pag. 328.

Miſſio. Mitti.

Dum Verbum, aut Spiritus Sanctus ſpeciali modo fiunt præſentes alicui juſto; mitti dicuntur. Diſp. 8. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 564. & ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 618.

Nunquam fit præſens ſingulari modo, nec fit miſſio Perſonæ Divinæ abſque dono aliquo creato. Ibidem.

Modus.

Modus eſſentialiter affixus extremis, poteſt divinitus, apud magni nominis Philoſophos replicari abſque utroque extremo, vel abſque alterutro. Diſp. 2. ſect. 8. §. 2. num. 162. pag. 172.

Mors. Mori.

Si mors pecudis non ſequeretur ex ſacrificatione, nullo pacto eſſet ſtrictum ſacrificium. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. num. 16. & 17. à pag. 339.

Falſum eſt, Chriſtum Dominum volunta-

rie acceleraſſe mortem in Cruce , ante quam vi vulnerum illa cadere debuiſſet. Ibid. ſect. 5. §. 1. num. 81. pag. 399.
Alioqui fuiſſet verus ſui homicida . Ibidem.
Neque mors fuiſſet naturalis, prout naturale opponitur ſupernaturali, aut miraculoſo. Ibid.
Mortem ſibi conſciſcere , ne ab inimicis illam patiatur aliquis, ignaviam potius includit , quam generoſitatem. Num. 82. pag. 399. & 400.
Opinio quorumdam eſt , nullum miraculum patraſſe Chriſtum Dominum in ordine ad accelerandam , aut differendam mortem; fuiſſe tamen voluntariam, quia non impedivit ejus curſum , cum poſſet. Num. 83. pag. 400.
Vera tamen ſententia miraculum credit neceſſarium ad hoc, ut Chriſtus Dominus ſeipſum in Cruce ſacrificaſſet vere. Ibid.
Hoc miraculum patratum creditur à magnis Theologis per conſervationem diſpoſitionum divinitus factam . Ibid. & num. 84. pag. 401.
Per illud ſolum indirecte foret Chriſtus Dominus cauſa mortis ſuæ, permiſſiveque. Num. 85. pag. 402.
Præferimus tamen multis titulis ſententiam quæ miraculum putat factum in conſervatione vitæ , ſive unionis animæ cum corpore , deficientibus plane diſpoſitionibus ad vitam requiſitis. Ibid. num. 86.
Per hanc ſententiam , & ſacrificat vitam ſuam Chriſtus Dominus directe, & immediate ; & tamen homicida non eſt . Ibid. num. 87. pag. 402.
Sacrificatque vitam intrinſece naturalem, ſiquidem unio animæ cum corpore , quæ diſſolvitur , naturalis erat ; quantumvis actio, illam immediate conſervans, foret miraculoſa. Ibidem.
Neque D. Thomas alienus eſt ab hac ſententia. Ibidem à n. 87. p. 403. cum ſeqq.
Vita Chriſti Domini in Cruce non ceſſit immediate vulneribus, aut nocumento illato ; ſed ſuſpenſioni actionis miraculoſę eam conſervantis. Ibid. n.88. p. 404.
Juxta D. Thomam , non tam dicendum eſt, Chriſtus Dominus moritur in Cruce , quam emittit Spiritum: eo, quod mori, ſit mere paſſivum; emiſſio autem activum influxum denotat. Ibidem.
Eccleſię Patres mortem deſcribunt pavidam , fugitivamque à Chriſto Domino in Cruce . Diſp. 5. ſect. 5. §. 2. num. 91. 92., & 93. à pag. 407.
Si mors ſolum indirecte, & remote fuiſſet inducta à Chriſto Domino , non ſacrificaſſet vere , & proprie in Cruce ſuam vitam , tamquam ſummus Sacerdos. Ibid. num. 93. pag. 409. & 410.

Motus Motor Moveo.

Dum ſubjectum movetur de loco in locum, moventur omnia quæ ſunt in illo; cum vero per bilocationem reproducitur alibi, non debet afferre ſecum operationes volubiles. Diſp. 2. ſect. 8. §. 1. num. 156. pag. 166.
Chriſtum Dominum ſolum moveri in Euchariſtia à Deo ad motum Hoſtiæ, opinatur Subtilis Doctor. Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 45. pag. 226.
Juxta alios vero movetur per accidens à Sacerdote ad motum Hoſtiæ; motus attamen recipi ſolum poteſt in ſpeciebus. Ibidem.
Inſtrumentum, quod elevatur ad eum motum, præſentiamque, utpote ſupernaturales , producendos , apud quamplures , ſunt ſpecies. Apud alios Sacerdos. Apud nonnullos dos agilitatis, vel qualitas aliqua impreſſa. Ibidem num. 46.
Si non concurreret ſupernaturali virtute Deus , Corpus Chriſti Domini perſiſteret immotum, quin Sacerdos poſſet movere accidentia. Ibid. num. 45. & ſect. 4. §. 1. num. 69. pag. 246.
Ipſe Chriſtus Dominus , media potentia loco motiva, movet ſeipſum ad nutum Sacerdotis, per Humanitatem ut inſtrumentum Verbi Divini. Sect. 3. num. 47. pag. 228.
Et quidem ſive intercedat unio phyſica inter Chriſtum Dominum & ſpecies , ſive pactum divinum ſolum . Ibidem pag. 227. & 228.
Attemperat tamen omnino ſuum motum ad motum accidentium , ad arbitriumque moventis illa . Ibid. pag. 228. & ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 247.
Neque propterea falſum eſt , quod Chriſtus Dominus circumgeſtetur per plateas à Sacerdote, ut habetur in cap. *Firmiter*; quoniam in ſenſu morali omninò verum eſt, etiamſi in phyſico producat ipſe motum , cum ſit moraliter neceſſitatus , ex ſuppoſitione, ad ſequendum Sacerdotis ductum. Ibid. num. 50. pag. 230.
Suadetur productio phyſica motus attemperati authoritate . A num. 47. & rurſus §. 2. à num. 55. pag. 234.
Uti & à ratione. Ibidem à num. 58. pag. 236.
Si ab aliquo inſtrumento elevato efficiendus eſt motus ille ; cur non potius ab ipſo Chriſto Domino ? Ibid.
Motus illi Hoſtiæ , qui fiunt à Sacerdote intra ſacrificium, pertinent ad ipſius ſacrificii integritatem ; proindeque, qua movetur Corpus Chriſti Domini, debent ab ipſo phyſicè elici, attemperando ſe motui accidentium. Ibid. num. 58. pag. 236., & num. 59. pag. 237. & num. 60. pag. 238.
Nullus motus elicitus à Chriſto Domino in Empyreo venit per concomitantiam ad Euchariſtiam . Ibid. num. 61. pag. 239. & num. 62.

Mo-

Motor aſſumens corpus myſticum, qua ratione illud moveat, cum intra ipſum operari debeat, aut per illud? Diſp. 8. ſect. 7. §. 1. n. 120. (per errorem 20.) p. 657.

Myſterium.

Myſteria præcipua, quorum commemoratio repræſentativa fit in ſacrificio altaris, debent aliquatenus in illo exerceri actu, ut vividius repræſentet. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 56. pag. 378.
Non tamen omnia, adeoque non illa, quorum nudâ commemoratio fit. Ibid.
In arcano, ſive abyſſo Euchariſtiæ latent adhuc infinita alia myſteria, nondum planè detecta. Diſp. 8. in Proœmio, & ſect. 7. §. 2. num. 124. pag. 661. & 662. & alibi ſæpiſſimè.
Nova arma, novaque argumenta cudere ad defendenda (illuſtrandaque) myſteria fidei adverſus Novatores; novitas commendatione digna eſt. Ibidem.
Quæ vero opponitur doctrinæ Patrum, & Teologorum, omnino cavenda. Ibid.
Diabolus novas quotidie artes excôgitat, novaſque vias aperit oppugnandi fidei noſtræ arcana, præſertim Euchariſtiæ; & non erit laude dignus, qui ex oppoſito novas inveniat ſemitas illa tuendi? Ibidem.
Patres illi, qui adverſus Arrium conſubſtantialitatem filii ſtrenuè propugnarunt, ad illam adſtruendam ex verbis Chriſti Domini Joann. 6. unionem aliquam realem permanentem inter Chriſtum Dominum, & condignè ſuſcipientem Euchariſtiam inducunt; quantumvis non exprimant clarè, quænam illa ſit. Ibid.
Unde qui aliquam determinatè adducit dignam arcano, & congruentiſſimam, quin & planè neceſſariam Patrum argumento, novam doctrinam non producit, ſed antiquam extrahit è ſinu Patrum. Ibidem.
Scriptores, qui ſolum millies conſcripta, & ubique reperta tranſcribunt, abutuntur reipſa otio, & literis. Num. 126. pag. 662. & 663.
Novum fontem non aperit, juxta Nazianzenum, qui antiquum abſconditum, abſtruſumque detegit, ut Servi Jacob: Ibidem.

N

Naſcor Nativitas Natalis.

Potum Euchariſticum appellat S. Paſchaſius *Natalem Calicis*. Diſputat. 8. ſect. 5. §. 1. num. 80. pag. 617.
Nonnulli Patres dixere per Euchariſtiam naſci iteratò, aut renaſci in altari Chriſtum Dominum. Ibidem.
Quamvis per reproductionem, ſive actionem tranſubſtantiativam producatur iterum in altari, aut renaſcatur Chriſtus Dominus, non ideo dici poteſt extenſio Nativitatis, ſicut dicitur extenſio Incarnationis in ſuſcipiente Euchariſtiam devotiſſimè. Ibid. num. 81. pag. 618.

Natura humana.

Per aſſumptionem Juſti, mira diſpoſitionè venientis ad Euchariſtiam, à Verbo Divino factam interventu animæ Chriſti Domini, ceſſant querimoniæ injuſtę quorumdam veterum, rogantium, cur Verbum non aſſumpſerit naturam humanam in omnibus ſuis individuis? Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 83. pag. 621.

Neceſſitas, Neceſſarium.

Multitudo viarum, per quas eunt Theologi ad exponendam neceſſitatem Euchariſtiæ, quam Chriſtus Dominus Joan. 6. inducit illis verbis: *Niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. à pag. 573.
Non eſt neceſſaria neceſſitate medii Euchariſtia, nec in re, nec In voto, ad obtinendam ſimpliciter vitam æternam. Ibidem.
Nequit eſſe neceſſarium in voto id, quod non eſt in re neceſſarium, dum res adeſt, nulloque negotio haberi poteſt. Ibidem pag. 574.
Qui per neceſſitatem indicatam intelligunt duntaxat difficultatem perſeverandi abſque Euchariſtia, non ſatisfaciunt. Ibid. n. 39. pag. 575. & ſeqq.
Reſtringunt alii prædictam neceſſitatem medii ad adultos; ſed minus rectè: Ibid. pag. 576.
Per ſolam neceſſitatem præcepti minime ſalvatur neceſſitas, quam includunt verba Chriſti Domini. Ibid. num. 40. pag. 577.
Verba Chriſti Domini non imponunt neceſſitatem, quia præcipiunt, ſed è converſo, præcipiunt, quia ex parte rei ſupponunt Euchariſtiam neceſſariam. Ibidem.
Neceſſitas incluſa in eo teſtimonio, eſt quidem neceſſitas medii, at non ad obtinendam vitam ſimpliciter, ſed unicè ad obtinendam intrinſecè vitam ſubſtantialem, animam ſcilicet Chriſti Domini, ſibi per modum formæ aſſiſtentis, & motoris copulatam. Ibid. & n. 41. pag. 577. & 578.
Differentia inter modum explicandi neceſsitatem Euchariſtiæ Joan. 6. & neceſſitatem regenerationis per lavacrum Joann. 3. Ibidem.
Diverſimode idcirco, & quidem juxta ſententiam, noſtram, loquitur Auguſtinus de utraque neceſsitate. Ibidem & num. 42. & pag. 579.

Neſtoriani.

Affirmabant, non adeſſe realiter ſub ſpeciebus carnem Filii Dei, ſed alterius hominis, habitatione ſolum, & dignitate Verbo conjuncti. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 35. pag. 69.

Novitas.

Umbra novitatis objecta unioni animæ Chriſti Domini cum Juſto Eucharistico, eximie tali, multipliciter fugatur. Diſputat. 8. ſect. 7. §. 2. num. 124. pag. 661. & num. 25. pag. 662. & n. 27. pag. 663.

Sub ejuſmodi ſpecioſo titulo latet interdum inertia, aut tarditas ingenii. Diſputat. 9. ſect. 3. §. 2. num. 44. pag. 708. Vide *Myſterium*.

Nutritius.

Quo pacto Chriſtus Dominus ſit verè nutritius eorum, qui ſingulariter diſpoſiti recipiunt ipſum in Euchariſtia Sacra, portans illos in brachiis ſuis? Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 57. pag. 593.

O

Oblatio, & res oblata.

Res principaliter oblata in ſacrificio, debet principaliter immolari, aut immutari, ut conſtituat ſacrificium. Diſput. 5. ſect. 1. §. 2. num. 12. pag. 335.

Res oblata, quæ non immutatur realiter, non conſtituit ſacrificium in ratione differentiali, & propria ſacrificii. Ibidem num. 13. & pag. 336.

Ubi res oblata eſt ejuſdem rationis ex integro, ſufficit, juxta plures deſtructio partis illius, ut tota dicatur ſacrificata. Ibidem.

In quo differentiam nonnulli conſtituunt inter res inanimes, & animalia. Ibid. & num. 14. & pag. 337.

Differentia inter rem purè oblatam, & ſtricte ſacrificatam, ex D. Thoma ſumptam. Diſp. 5. in Prooemio. Pag. 223. & ſect. 5. §. 2. num. 14. pag. 338.

Oculi.

Oculi Chriſti Domini ex Euchariſtia non ſolum vident corpus & objecta alia vicina, verum & reflexo gyro ſeipſos. Diſp. 2. ſect. 2. §. 1. num. 39. pag. 71. & 72.

Si oculi Chriſti Domini ex Euchariſtia de facto non haberent exercitium videndi, forent miſeri, apud Doct. Subtilem, Diſp. 2. ſect. 3. §. 1. num. 52. pag. 80. & num. 58. pag. 85.

Quam perſpicaces oculos habeant Aquilæ, Lynces, Dracones, quanta fuerit perſpicacia viſus Argonautæ illius, de quo Valerius Flaccus. Uti & Strabonis; ſect. 9. §. 1. num. 171. pag. 180.

Vividiores tamen erunt in corpore glorioſo. Ibidem & num. 172. pag. 181.

Non minus videbunt clauſis oculis, ac reductis palpebris. Ibid. num. 171.

Contemplari oculos Chriſti Domini ex Euchariſtia luſtrantis omnia per gyrum, noſtraque obtutu interdum fixo proſpicientis, magnum ſolatium generat; aut terrorem incutit. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 207.

Omnipotentia.

Arcanum Euchariſtiæ comprenditur ſub omnipotentia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 23. pag. 22.

Operatio.

Chriſtus Dominus apud Theologos frequenter poteſt naturali virtute elicere ex Euchariſtia operationes mere ſpirituales intelligendi, & amandi. Diſput. 2. ſect. 2. §. 1. num. 1. pag. 44.

Nonnulli tamen, id fieri naturaliter poſſe, inficiantur. Ibidem.

Operationes immanentes ex ſe volubiles, replicari minime debent, nec poſſunt, per concomitantiam, ſi pendeant per ſe ab objectorum præſentia. Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. à num. 30. pag. 61.

Si tamen bilocentur, opus erit miraculo. Ibidem.

Doctrina hæc non modo probat de operationibus, quæ ſubſecuntur, verum & de illis etiam, quæ præcedunt replicationem. Ibidem pag. 65. & ſect. 8. §. 1. à num. 155.

Operationes illæ, quæ præjudicarent merito fidei, ut loqui frequenter ex Euchariſtia, ſe movere pro nutu; nullo modo exercentur à Chriſto Domino ex illa. Diſp. 2. ſect. 4. §. 3. num. 90. pag. 112. & ſect. 7. §. 2. num. 137. pag. 149. & ſeqq.

Nec termini radicaliter vitales, nec operationes productivæ illorum venire debent per concomitantiam ad Sacramentum Euchariſtiæ. Ibid. num. 138. pag. 150., & ſeq.

Si Hoſtia conſecrata bilocaretur, operatio, in uno loco facta, eliceretur ne, pariter in alio? Ibid. num. 145. pag. 157.

Non ideo tamen operatio, quæ elicitur in Empyreo, debet pariter elici in Euchariſtia; nec è converſo. Ibid. num. 145. pag. 153.

Nulla eſt ratio cur operatio debeat recipi in cunctis minimis per concomitantiam;
non

Digitized by Google

non vero produci ex cunctis. Ibidem.

Ita producitur viſio ex quovis minimo, ut non ſupponat ejuſdem productionem ex alio, Ibid. num. 149. pag. 160.

Si ex unoquoque minimo eliceret diſtinctam operationem, ſequeretur profluvium infinitarum ſimul. Ibid. num. 142, pag. 154.

Vel exiſteret in aliis partibus privatus Chriſtus Dominus omni operatione; quod eſset abſurdum. Ibidem.

Operationes vitales volubiles, quæ ſubſequuntur ad conſecrationem, nullo jure adduci debent è Cœlo in altare concomitanter. Diſp. 2. ſect. 7. §. 3. num. 150. pag. 161.

Alioqui concomitantia eſset finis, contra quod nominis Etymon præſefert, quandoquidem adeſsent operationes, ut comitarentur; non autem comitarentur, quia adeſsent. Ibidem.

Quæ ſubſequuntur, poni nequeunt concomitanter per actionem eamdem, per quam conſtituitur præſens Corpus Chriſti Domini ex vi verborum. Ibidem num. 152, pag. 162. & ſeq.

Actio illa diverſa nequit eſſe converſiva; & aliunde abſque converſione ægrè concipitur adventus earum operationum ad Euchariſtiam. Ibid. pag. 164.

Prædicta actio diverſa foret omnino ſupra vires naturæ; & aliunde ſi miracula intercedere debent ad eam comitantiam; cur recuſari debet miraculum, ut Chriſtus Dominus ſimiles operationes exerceat primo ex Euchariſtia? Num. 154. pag. 164. & 165.

Unio cujuslibet operationis cum potentia Chriſti Domini non eſt adæquata ex utraque parte; propterea non debet operatio comitari Chriſtum Dominum ubicumque denuò exiſtere incipiat. Sicut nec Humanitas ob ſimilem cauſam eſt, ubicumque Verbum Divinum exiſtit. Ibid. §. 2. num. 159. pag. 169. & ſeq.

Operatio immanens in Cœlo elicita, ſi conſiſtat in actione, terminare nequit, apud Philoſophos quamplurimos actionem aliam reflexam. Ergo nec venire per replicationem ad Euchariſtiam. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 14. pag. 202.

Et ſaltem miraculo ad id opus eſt. Proindeque repelli nequit ejus prima productio ex Euchariſtia ob neceſſitatem miraculi. Ibid.

Si qualitas abſoluta ſit, traheretur per aliam actionem; & ecce tibi miraculum duplicis actionis totalis. Si per eamdem adducatur, neceſſario conſervanda erit in Euchariſtia à Potentia Chriſti Domini. Semel autem ac ex Euchariſtia agere dicendus ſit conſervando; cur non primo producendo? Ibidem.

Si conſervetur à Deo tantum, neceſſarium eſt miraculum, cum æque prodigioſum appareat, intelligere (v. g.) per intellectionem ab extrinſeco conſervatam, ac ab extrinſeco primo infuſam, quod apud omnes miraculum includit. Ibidem.

Oratio. Orare.

Per ſententiam noſtram circa ſacrificium immediatè phyſicè peractum à Chriſto Domino ex altari, poteſt componi diſſidium Scholaſticorum circa orationem, aut interpellationem formalem Chriſti Domini in ſtatu glorioſo. Diſp. 4. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 299.

Itaut ſolum interpretativè oret in Cœlo pro nobis; formaliter vero ex Euchariſtia, dum ſacrificat, cum oratio ſpectet etiam ad munus Sacerdotis, licet non privativè. Ibid. num. 53. pag. 299. & ſeqq.

Oratio, quæ dedecere poteſt Chriſtum Dominum in ſpecie propria fulgentem; nullatenus dedecet ipſum ſub ſpecie aliena. Ibid. pag. 300.

Quemadmodum multa decent Principem larva tectum, & in forma Servi; quæ aliena ſunt ab ipſo in propria majeſtate ſedente. Ibid.

Item ex diverſitate locorum, in quibus oratio, aut preces fundantur, petitur diſcrimen notandum. Ibid.

Ut ex diverſitate finis. Ibid.

Dum caput ſacrificat in loco viæ, & pugnæ, pro corpore etiam militante, facilius concipitur decens oratio formalis. Num. 54. pag. 301.

Actus vitales, quibus Chriſtus Dominus concurrit è Cœlo ad producendos effectus aliorum Sacramentorum, non debent per ſe involvere orationem formalem, ut illam includunt illi, quos elicit ex altari, dum celebrat. Ibid.

Etiamſi oratio formalis, fuſis precibus facta dedecere permittatur Chriſtum Dominum in ſede gloriæ; non propterea dedecere poteſt ipſum oratio, quæ gratiarum actionem ſpiret per totam æternitatem, ſimileſque. Diſp. 7. ſect. 2. §. 3. num. 20. pag. 522.

Ordo, Poteſtas ordinis.

Quamvis Poteſtas ordinis ſimul conceſſa validum ſemper uſum habeat, licet non ſemper licitum, quin validitas deſtrui poſſit; cæterum in ipſa ejus Inſtitutione potuit Chriſtus Dominus uſum validum ſuſpendere, aut impedire, quouſque à mortuis reſurgeret. Diſp. 4. ſect. 4. §. 3. num. 75. pag. 319.

Otium.

Quo pacto conciliari poteſt otium Chriſti Domini pro tota æternitate ad dexteram Patris, quod Interpretes colligunt ex verbis Pauli, cum eo quod ſacrificium

Digitized by Google

cium Laudis ſtrictè tale peragere debeat per ipſius æternitatis ſpatia? Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. num. 19. pag. 321, & 322,

P

Panis.

Pane Euchariſtico extinguitur ſitis. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 34. pag. 31.
Deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini per actionem tranſubſtantiativam eſſe immutationem realem, exactam ad verum ſacrificium, in ſacrificio altaris, exiſtimat communis ſeutentia. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. num. 10. pag. 333.
Fallit attamen. Ibidem.
Immutatio realis debet verſari circa Hoſtiam, aut victimam, cujuſmodi non eſt ſubſtantia panis, & vini. Ibid. num. 11. pag. 334.
Non recte opinatus eſt Junior quidam, ſentinens, Hoſtiam, à qua Deus ante conſecrationem aufferret divinitus ſubſtantiam, relictis accidentibus, conſecrandam fore à Sacerdote illius miraculi inſcio, verbaque proferente, conſtituendumque ibi Corpus Chriſti Domini. Ibid. num. 10. pag. 333. & 334.
Cum ſit una, eademque Hoſtia, juxta Tridentinum, quæ immolatur in altari, & immolata fuit in Cruce; nequit ſubſtantia panis, & vini conſtituere Hoſtiam, quæ immolatur, & offertur. Num. 11, pag. 334.
Neque adhuc inadæquatè Hoſtiam immolandam conſtituunt, Ibid. num. 12. pag. 335.
Et quidem licet ſpecies conſtituant victimam de obliquo in ratione ſenſibilis. Ibid.
Sicut impii voluere mittere lignum in panem Salvatoris noſtri; ita vice verſa ille miſit panem in lignum, dum è ligno obtulit etiam ſeipſum tunc pro tempore Eccleſiæ militantis offerendum ſub ſpeciebus panis. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3, num. 40. pag. 462.

Paraſceve.

In die Paraſceves, in qua celebratur Paſſio Chriſti Domini ut realiter geſta, non debet celebrari ſacrificium incruentum in ejus memoriam. Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. num. 60. pag. 307. & ſeqq. & num. 71. pag. 316.

Paſtor.

Quam proprie exerceat Chriſtus Dominus munus Paſtoris in Euchariſtia. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 26. & Diſput. 2. ſect. 6. §. 3. num. 126. pag. 141. & ſeqq.
Bonus Paſtor non ſolum promittit Joann. 10. ponere animam ſuam moriendo pro ſuis ovibus, ſed & dare ovibus in cibum permanentem ipſam animam. Diſput. 8. ſect. 3. §. 1. num. 45. pag. 581.

Patres.

Patres Eccleſiæ potius inſinuant, Chriſtum Dominum exequi ex altari phyſicè munia Sacerdotis, quam ex Empyreo. Diſput. 4. ſect. 3. §. 2. num. 55. pag. 302.
Cur expreſſius myſteria alia abdita in Euchariſtia non expreſſerint; tametſi adumbrarint? Ibid. num. 56. pag. 303., & Diſp. 8. in Proœmio.
Præſertim per quinque prima ſecula? Diſput. 8. in Proœmio.
Propterea cautè admodum de Euchariſtia diſſerebant, plurimaque ſilentio premere, coacti ſunt, Apoſtolum imitari, ſcribentem ad Hæbreos; cum eorum manifeſtatio extitiſſet admodum noxia. Ibidem.
Teſtimonia Patrum, affirmantia, per dignam Euchariſtiæ ſumptiooem nos tranſire in carnem Chriſti Domini, non rectè uſurpantur de tranſitione affectiva pure, ſed per conjunctionem cum anima Salvatoris, media qua & unimur cum carne phyſica ipſius in tertio, nempe anima, & intimius incorporamur in myſtico ejus corpore. Diſp. 8. ſect. 2. §. 2, num. 31. pag. 563.
Teſtimonia Patrum, quæ re ipſa continent uniooem animæ Chriſti Domini cum fervide ſumente Euchariſtiam; vel quæ illius unionis gravida omnino ſunt, referuntur late ea Diſp. 8. tota ſect. 4.

Paulus.

Qua ratione D. Paulus, cum in Epiſtola ad Hæbreos tantopere exaltet Sacerdotium Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedech ſupra Leviticum, nullam mentionem faciat ſacrificii incruenti? Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. num. 35. & 36. pag. 284. & ſeq.
Quod D. Paulus non expreſſerit illa verba, *qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* dum Euchariſtiæ myſterium declarat; neutiquam probat, illa non eſſe eſſentialia ſacrificio; cum non omnia verba tradantur à quolibet Evangeliſta. Diſp. 5. ſect, 3. §. 2. num. 47. pag. 371.
Ad efficaciam argumenti D. Pauli infringendam idem foret, quod ſacrificia Sacerdotii Chriſti Domini forent inter ſe ſolo numero diſtincta, ac ſi forent ſpecie diverſa. Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 429.
Oſtenditur ex Patribus, D. Paulum removere à Sacerdotio Chriſti Domini omnem ſacrificiorum pluralitatem, ſive ſpecificam, ſive numericam. Ibidem ſect. 2. §. 1.

2. §. 1. num. 26. pag. 449.

D. Paulus non minus apertè excludit pluralitatem ſacrificiorum applicantium pretium Redemptionis, ſatisfactionemque, quam pluralitatem ſacrificiorum redimentium. Ibid. num. 28. pag. 451. & num. 29. pag. 452.

Docere videtur cap. 13. ad Hæbreos, Deum hominem, qua ſummum Sacerdotem, mereri nobis de condigno in ſacrificio incruento magna bona. Diſp. 6. ſect. 4. §. 2. num. 80. pag. 497.

Dum Paulus 3. ad Philippenſes, dicit ſe comprehenſum à Chriſto Domino, ſe ab illo aſſumptum, ſive ab ejus anima, ut Verbi inſtrumento, indicat. Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 584.

Peccatum.

Euchariſtia remittit peccatum veniale, quoad culpam ex opere operato. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.

Perſona.

Ut verificetur propriè illud Chriſti Domini Joan. 6. *In me manet, & ego in illo*, ſatis eſt, quod maneat ſpeciali modo Perſona Verbi Divini una cum anima Chriſti Domini realiter conjuncta ſanctè communicanti. Diſp. 8. ſect. 2. §. 2. num. 29. pag. 561.

Petra.

Falſum eſt, Petram materialem, emittentem in deſerto fluenta aquarum, ſecutam fuiſse motu phyſico Populum. Diſput. 3. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 230.

Per motum illius Petræ typicè ſignificatur motus Chriſti Domini in Euchariſtia. Ibid. & num. 51. pag. 232.

Petrobuſiani.

Petrobuſiani ſemel tantum agnovere præſentiam realem Chriſti Domini in Euchariſtia, ſcilicet in nocte Cœnæ. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 6.

Chriſtum Dominum non dediſſe Apoſtolis facultatem conficiendi Euchariſtiæ Sacramentum, docuere conſequentèr. Ibidem.

Phantaſia.

Actus Phantaſiæ in Coelo elicitus, tametſi non bilocaretur in Euchariſtia, poſſet excitare Chriſtum Dominum per ſympathiam, qua ſub ſpeciebus latentem, ad actum intelligendi, juxta eximium Doctorem. Diſp. 2. ſect. 1. §. 1. num. 4. pag. 46.

Pœna.

Euchariſtiæ ſumptio remittit indirectè ſolum, & quaſi per concomitantiam, debitum pœnæ temporalis, remanens ex peccatis præteritis. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 29. pag. 27.

Potentia.

Ex quibus fontibus augeantur vires ſenſibus, & potentiis Chriſti Domini in Euchariſtia. Diſp. 2. ſect. 9. §. 1. à num. 171. & à pag. 179.

Dotes gloriæ confortabunt potentias, & ſenſus. Ibidem num. 173. pag. 181.

Quo fuerit ſublimior gloria Beati, eo vegetiores erunt Potentiæ, & ſenſus. Ibidem num. 174. pag. 182.

Quantus igitur erit vigor ſenſuum, & potentiarum Chriſti Domini? Ibidem.

Duplex eſt potentia locomotiva, juxta Doctorem Subtilem, alia organica, motum progreſſivum efficiens, altera inorganica, in anima etiam ſeparata perſiſtens, uno impetu movens corpus ex imperio voluntatis. Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 48. pag. 228.

Secundam hanc habituram dicit uſum in Patria; nullum autem modo. Ibidem.

Præſentia, & Præſens.

Prçſentia realis Chriſti Domini ſub accidentibus Euchariſticiſs firmatur conſenſione orthodoxa ſæculorum. Diſput. 1. ſect. 1. §. 1. à num. 6. & à pag. 9. uſque ad 14.

Eadem probatur rationibus. Ibidem toto §. 2. à pag. 14.

Neſtorius perſonam Filii hominis diſtinctam à Perſona Filii Dei excogitavit; primamque duntaxat dixit ſub ſpeciebus præſentem. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. num. 7. pag. 9.

Multitudo, quæ audivit, Chriſtum Dominum Joan. 6. promittentem, ſe daturum Corpus, & Sanguinem ſuum in cibum, & potum, teſtimonium ineluctabile nobis reliquit præſentiæ realis utriuſque. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 16. pag. 16.

Pendeat ne ſacramentalis à circumſcriptiva in Coelo? Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. a num. 47. a pag. 40. & Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. n. 17. pag. 204. & ſeq.

Præſentia realis Chriſti Domini in Euchariſtia non eſt purè materialis, ſed formalis, ſtrictaque. Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 112. pag. 130.

Exponitur formalis præſentia. Ibidem, & pag. 131. & num. 117. pag. 134.

Præſentia Chriſti Domini deſcribitur à Sanctis Patribus plena majeſtatis, ſolicita noſtri, reverentiam extorquens, & timorem incutiens. Ibid. num. 114. pag. 132. & num. 15. pag. 133.

Si formalitèr non eſſet præſèns, dici poſ-

ſet

ſet abſens ab Euchariſtia potiùs, quam præſens. Ibidem num. 116. pag. 133.
Si præſentia formalis removeatur ab Euchariſtia, aperitur janua Sacramentariis ad negandam præſentiam ſimpliciter. Ibidem pag. 134.
Præſentia hæc declaratur exemplo præſentię Dei in qualibet creatura. Ibid. n. 17.
Ad hoc ut ſit formalis ea præſentia, non ſufficit, quod ultra præſentiam materialem intueatur nos oculis mentis. Num. 118. pag. 135.
Si Divus Paulus fuiſset raptus in corpore, ejus corpus, utpotè neſciens prorſus arcana revęlata, potius diceretur abſens, quam præſens. Diſp. 2. ſect. 6. §. 2. num. 120. pag. 137.
Longe diverſum eſt, præſentiam Euchariſticam pendere à circumſcriptiva objectivè ſolum, ac pendere in exiſtendo. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 205.
Non defuere Theologi, qui putarent, præſentiam, quam comparat Chriſtus Dominus, dum Hoſtia ſacra movetur à Sacerdote, eſſe naturalem. Diſp. 3. ſect. 3. §. 1. num. 46. pag. 226.
Chriſtus Dominus, dum movetur Hoſtia, comparat præſentiam realem diſtinctam à præſentia accidentium. Diſp. 3. ſect. 5. §. 2. num. 71. pag. 247.
Alioqui ſolum impropriè diceretur ibi realiter præſens à præſentia ſpecierum, eo modo late, quo dicitur frangi, quia ſpecies franguntur. Ibidem, & pag. 248.
Nequit denominari præſens Sacramentaliter per præſentiam extenſam accidentium. Ibid. num. 72.
Formalis præſentia eſt aliquid rebus intrinſecum, ſive circumſcriptivè, ſive definitivè exiſtant. Ibid. num. 73. pag. 249.
Nulla res fieri valet ſtrictè præſens unicè per alterius rei præſentiam. Ibidem.
Modus præſentiæ realis Sacramentalis, juxta plures Theologos, non producitur per actionem adductivam, aut reproductivam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini. Diſp. 4. ſect. 2. §. 2. num. 47. pag. 294.
Falluntur, qui per modum præſentiæ realis Chriſti Domini ſub ſpeciebus, per quem redditur inutilis ad functiones humanas, ſalvare contendunt realem mutationem ad ſacrificium neceſſariam. Diſp. 5. ſect. 1. §. 3. num. 22. pag. 344. & ſeq.
Conſentaneum valde eſt, ut docet Seraph. Doctor, quod Chriſtus Dominus ex ſua præſentia reali conferat ſumenti digne Euchariſtiam peculiaria dona, quæ abſque illa minime conferret, licet poſset. Diſp. 8. ſect. 5. §. 1. num. 77. pag. 614.

Princeps.

Supremus Princeps, carcerem præſentia ſua illuſtrans, reos omnes ex quadam decentia liberare conſuevit. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 6. pag. 675.

Prioritas.

Prioritas attemperationis in motu Chriſti Domini ſub ſpeciebus, ad motum illarum. Diſput. 3. ſect. 3. §. 1. num. 47. pag. 228. & ſect. 4. §. 2. num. 71. pag. 247.

Privatio.

Non foret neceſſaria ad verum ſacrificium privatio vitæ ſubſtantialis pecudis; ſi poſſet ab ea auferri ſimpliciter vita omnis in actu ſecundo, quin auferretur ſubſtantialis. Diſp. 5. ſect. 3. §. 2. n. 48. pag. 371.

Propoſitio.

Veritas hujus propoſitionis: *hoc eſt corpus meum*: uti & illius *hic eſt ſanguis &c.* (& inſtans, in quo verificetur) multipliciter declaratur. Diſput. 1. ſect. 7. §. 2. num. 48. pag. 41. & num. 49.

Purgatorium.

Num anima Chriſti Domini comitetur juſtum Euchariſticum, cui morienti erat copulata, in Purgatorium? Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 6. pag. 676.
Probabile viſum fuit docto admodum viro affirmativa; nobis autem probabilior negativa. Ibidem num. 7. pag. 677.
Illico vero ac flammas Purgatorii exuat, & gloriam induat, comparat reunionem fœlicem cum anima illa, ut Verbo hypoſtaticę copulata. Ibidem.

R

Redamatio.

PEr Euchariſtiam potiſſime à nobis exacta. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 25. pag. 24.

Religio.

Nulla unquam extitit religio abſque Sacerdotibus, & ſacrificio. Diſp. 5. in Proœmio num. 325.
Naturalis ratio dictans, adeſſe numen ſupremum, dictat pariter, colendum eſſe vera aliqua religione, & ſacrificio. Ibidem pag. 324.
Quod ſacrificia ex ſe prorſus diverſa eliciantur per actus internos, & ex motivis ad eamdem virtutem religionis ſpectantibus, nequaquam efficit illa ejuſdem ſpeciei ſimpliciter in ratione ſacrificii. Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. n. 4. p. 430.
Uti

Digitized by Google

Uti nec illa efficere valet eadem numero unitas motivi religionis. Ibidem num. 5. pag. 430. & 431.

Neque ſalvatur unitas numerica per hoc, quod exigat disjunctivè quodlibet illorum ſacrificiorum has disjunctive, vel illas actiones, vel ritus, quibus conſtituatur. Ibid. num. 6. pag. 433.

Fieret enim ex ea disjunctiva conſtitutione, quod nullum ſacrificium eſſet determinate cruentum, nec incuentum. Ibid. num. 7.

Replicatus & Replicatio.

Replicatus ſere ſine numero exiſtendi modus debetur Humanitati Chriſti Domini titulo unionis, moduſque præſentialitatis medius inter divinitatem, & res alias creatas. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 127. pag. 142. & 143. Item Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. num. 102. & ſeq. & pag. 139. & 140.

Reſurrectio.

Euchariſtia inducit corporum reſurrectionem. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 30. & 31. pag. 28.

Si fuiſſet conſervatus panis conſecratus per Triduum, reſurgente Corpore Chriſti Domini è Sepulchro, etiam corpus ſub ſpeciebus panis exiſtens reſurgeret; non præciſè ex vi concomitantiæ, ſed aliis titulis. Diſp. 2. ſect. 7. §. 3. num. 151. pag. 161. & ſeq.

Vita actualis Chriſti Domini ſacrificata in altari immediate poſt conſecrationem, reviviſcit per quamdam quaſi reſurrectionem, dum frangitur Hoſtia, fitque mixtio corporis & ſanguinis. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 54. pag. 376.

Ideo à conſecratione uſque ad illam mixtionem non alloquitur Sacerdos Chriſtum Dominum, ſed Patrem, aut Deum; poſt illam vero protinus alloquitur Chriſtum Dominum, reviviſcentiam ſenſuum illius ſupponente Eccleſia Sancta tunc, aut quaſi reſurrectionem. Ibidem.

Quapropter verba illa: *hæc commixtio &c.* & reſurrectionem ſubſtantialem ſignificant ſignate, & ſimul reviviſcentiam actualem vitæ corporeæ in actu ſecundo exercite. Ibid. Item num. 56. & 57. pag. 378.

Per commixtionem illam, verbaque, ſignificari reunionem animæ Chriſti Domini cum ejus corpore phyſico, probatur ex Liturgia S. Jacobi. Ibid. num. 55. pag. 377.

Illa tamen commemoratio, & vivificatio non ſunt de eſſentia ſacrificii, licet illud integrent. Ibidem.

Præfata reviviſcentia, aut quaſi reſurrectio ad vitam actualem corporis per ejus ſenſibiles operationes, probatur. Ibid. num. 58. pag. 379. ex Patribus.

Conſentaneum videtur ut Chriſtus Dominus in Euchariſtia experiatur practice aliquo modo reſurrectionem, quam promittit, & quam ſuo tempore efficiet in ſumentibus digne Euchariſtiam. Ibid. num. 59. pag. 380.

Neque eo fine, ut quantocyus reviviſcat Chriſtus Dominus modo inſinuato, debet Sacerdos celerius peragere ſacrificium. Ibid. ſect. 5. §. 3. num. 108. pag. 423.

Euchariſtiam probe ſuſceptam conferre phyſice novum jus ad corporis ſumentis reſurrectionem, & colligitur ex Evangelio, & magnificant Eccleſiæ Patres. Diſputat. 8. ſect. 5. §. 3. num. 93. pag. 629.

Nonnulli Theologorum jus illud ſitum eſſe credunt in qualitatibus quibuſdam ſuper naturalibus, relictis ex ſumptione digna in corpore ſumentis. Ibid. nu. 630.

Alii in modificatione quadam gratiæ, per Euchariſtiam inductæ. Ibid.

Plures non jus phyſicum, intrinſecumque, ſed purè extrinſecum in promiſſione divina, & ex quadam decentia, admittunt. Ibid. num. 94.

Vera tamen radix, & vere phyſica, fundans jus illud, eſt anima Chriſti Domini copulata phyſicè permanenter (quantum eſt ex ſe) juſto ardenter, & ſitibunde accedenti ad Euchariſtiam, ut vitæ æternæ fontem. Ibid. pag. 631. & Diſputat. 9. ſect. 1. §. 1. num. 3. pag. 673.

Cum reſurrectio corporis debeatur omni jure animæ beatæ, quid de novo pollicetur Chriſtus Dominus manducantibus carnem ſuam Joan. 6. dum ait: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, quod non conveniat etiam non Euchariſticis, & veteris teſtamenti Patribus? Ibid. pag. 673. & 674.

Numquid novum tantum jus ad eamdem reſurrectionem, ut reſpondent Theologi frequenter? Sanè promiſſio novi tantum juris, ſolemni adeo apparatu digna non apparet, nec quæ ſuadeat eſum illum eo ſolum præmio. Ibidem.

Arbitramur itaque, novam aliam reſurrectionem ibi promitti, corporis ſcilicet cum anima etiam Chriſti Domini, ut forma aſſiſtente, & motore intrinſeco. Ibid., & num. 4.

Reunio hæc corporis cum anima Salvatoris, moventis, & transformantis in alium ſe Beatum Euchariſticum, probatur ibi ex Scriptura, & Patribus uſque ad pag. 675.

Ritus.

Verum abſolute non eſt, diverſitatem rituum arguere diverſitatem ſacrificii, &

Sacerdotii ſimpliciter. Diſput. 6. ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 470.
Diſtinctio numerica ſecundum quid ſolum ſufficit ad ſalvandam diverſitatem rituum in eodem numero ſimpliciter ſacrificio.
Eadem actio, ſive actus internus, utpotè intentionalis, reſpicere poteſt utrumque ritum, cruentum ſcilicèt, & incruentum, quamvis non ut ſimul, & ſemel exercendum in eodem ſacrificio. Diſp. 6. ſect. 4. §. 1. num. 24. pag. 447.
Completè tamen ſacrificat, dum ſub quolibet, rem ſacram facit. Ibid. num. 25. pag. 448.

Rupertus.

Fuit verus Author librorum de Officiis; non autem Waleramnus, Diſp. 2. ſect. 2. §. 2. à num. 42. latè & à pag. 77.
Rationem deſignans, cur in die Paraſceves non peragatur Miſſæ ſacrificium, loquit; *Non ſacrificant amici, dum trucidant inimici*, Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. n. 64. pag. 310.

S

Sacerdos.

SAcerdos eſſe non poterat cæcus, aut maculam habens, in lege veteri. Diſput. 3. ſect. 1. §. 1. n. 7. pag. 196.
Cur Sacerdos ſummus eſſe nequeat cæcus in Euchariſtia; poteſt tamen eſſe quaſi mutus? Ibid. num. 8. pag. 197.
Sacerdos, movens Hoſtiam conſecratam, non movet per ſe Chriſtum Dominum, ſed per accidens; tametſi ex ſuppoſitione motus accidentium nequeat ipſe non moveri. Diſp. 3. ſect. 4. §. 1. num. 68. pag. 245.
Quamvis D. Paulus in Epiſtola ad Hæbreos mentionem expreſſam non faciat ſacrificii incruenti; ſatis attamen illud innuit, dum tantopere exaltat in illa Sacerdotium Chriſti Domini ſecundum ordinem Melchiſedech. Cum notum foret Hæbreis, quos alloquitur, ex veteri teſtamento, Melchiſedech panem, & vinum obtuliſſe. Diſp. 4. ſect. 1. §. 1. n. 1. pag. 253.
Munia Sacerdotis nonniſi per Humanitatem exerceri poſſunt. Ibid. num. 2.
Chriſtus Dominus verè, & ſtrictè exequitur modo munus principalis Sacerdotis in omni ſacrificio incruento. Ibid.
Diſſidium Theologorum circa modum, quo illud exercet. Ibid. num. 3. pag. 254.
Alii per moralem ſolum influxum, moralemque perſeverantiam voluntatis Inſtitutoris, poteſtatemque Apoſtolis datam, & Succeſſoribus. Reliqui verò per verum influxum phyſicum immediatum in ſacrificium. Ibidem.
Secunda hæc opinio vera eſt omninò, multiſque perſuadetur. Ibid. à num. 4. & à pag. 254. fusè.
Si poſſet exercere munus Sacerdotis per ſolum concurſum moralem, poſſet paritèr rationem Victimæ ſubire per moralem, aut ſpiritualem ſolum præſentiam. Ibid. num. 6. pag. 256.
Si dedeceret Chriſtum Dominum influere phyſice, dedeceret pariter moralis influxus. Ibidem.
Longe magis congruit ſupremo Sacerdotio Chriſti Domini, & majeſtati ſacriſicii, quod illud ita inſtituerit, ut phyſice ipſum peragat immediate, ut Sacerdos principalis; quam ſi moraliter ſolùm concurrat. Ibid. num. 7. pag. 257.
Sacerdos viſibilis non eodem rigore, quo eſt Miniſter Chriſti Domini in altari, eſt Miniſter Eccleſiæ, præciſive à capite acceptæ. Ibid. §. 2. num. 16. pag. 265.
Eccleſia ſancta præciſive ab ejus capite inviſibili uſurpata, non eſt ſummus Sacerdos, immò nec proprie Sacerdos. Ibid.
Chriſtus Dominus exequitur munus Sacerdotis phyſice immediate in ſacrificio Miſſæ, non è Cœlo, ſed ex altari, qua realiter ſacramentalitèr ibi præſens. Diſput. 4. ſect. 2. per totam.
Non ſic autem concurrit phyſicè immediatè ad Sacramentum Euchariſtiæ ex altari, cum non ſit præſens phyſicè, donec fuerint prolata verba conſecrationis, confectumque Sacramentum. Ibidem §. 1. num. 28. pag. 276.
Hoſtia, ſeu Victima exiſtens in altari, non eſt ſufficientèr præſens Chriſto Domino ut Sacerdoti ſummo, qua in Empyreo exiſtenti, ut illam immolet per veram ſacriſicationem. Ibidem n. 29. pag. 277.
Quod victima ſit modo humano præſens Sacerdoti, non ſolùm deſideratur reſpectu Sacerdotis viſibilis; ſed reſpectu inviſibilis etiam, & ſummi. Ibidem.
Non ſufficit, quod Sacerdos concurrat purè affectivè. Ibid. n. 32. p. 280.
Major amplitudo Sacerdotii Chriſti Domini præ Sacerdotio Miniſtrorum, efficere nequit, quod non exigat præſentiam phyſicam Victimæ. Ibidem.
Sacerdotes ſubalterni miniſtrant ſolùm ſummo Sacerdoti in ſacrificio, ſimul autem ponunt ſenſibilitatem, conſtitutivam illius eſſentialitèr. Ibid. num. 34. pag. 282.
Patres luculentiſſimè docent, Chriſtum Dominum exequi munia Sacerdotis ex altari. Ibidem §. 2. à num. 37. pag. 285. & ſeqq.
Quin præſentia realis Sacerdotis ſummi, ut ſummus Sacerdos eſt actu, à Patribus deſiderata, verificari poſſit per repræſentationem illius in Miniſtro viſibili. Ibidem num. 38. pag. 286.
Alioqui Sectarii præſentiam realem Victimæ per meram repræſentationem ſalvarent. Ibidem & n. 39. pag. 288.

Ea-

Eadem proprietate , qua Chriſtus Dominus debet eſſe præſens phyſicè Altari ſub ſpeciebus , ut ſit victima ſacrificii , exiſtere debet , ut ſit ejuſdem ſacrificii principalis Sacerdos . Ibid. ſect. 3. num. 48. pag. 295.

Quod Chriſtus Dominus exerceat munus Sacerdotis phyſice ex altari , probatur à ratione . Ibid. per totam ſectionem tertiam à pag. 295.

Si Chriſtus Dominus obiret munus Sacerdotis ſummi ex Empyreo reſpectu ſacrificii altaris ; vel debuiſſet perenuitèr actus ſacrificantes elicere , cum ſacrificia non ſimul omnia fiant , vel uno actu plura complecti , itaut nullum ſacrificium in ſingulari actus ille pœnes ſe totum formalitèr conſtituat ; utrumque autem difficultèr admittendum erit à Theologis. Ibid. num. 50. pag. 297.

Congruentiſſimum videtur, quod ſummus Sacerdos , ut Sacerdos offerens , poſſit oculis corporeis circumſtantes luſtrare ; quod nonniſi ex Altari ipſo fit. Ibidem num. 51. pag. 298.

Chriſtus Dominus in Triduo mortis non fuit formalitèr Sacerdos . Ibid. ſect. 4. §. 1. num. 57. pag. 304.

Sed radicalitèr ſolum , aut incompletè . Ibidem.

Ut ſit Sacerdos Chriſtus Dominus ex altari , ſatis eſt , quod integer ponatur ſub ſpeciebus ; tametſi corpus tantum , & ſanguis ſint vi verborum , & reliqua concomitanter . Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. n. 58. pag. 305.

Si in Triduo celebrare potuiſſet D. Petrus (v.g.) cum reſpectu illius ſacrificii Chriſtus D. non poſset eſſe ſummus Sacerdos , quia non erat tunc formaliter complete homo ; neceſſario D. Petrus reſpectu illius ſacrificii foret Sacerdos principalis etiam , adeoque Succeſſor , & non Vicarius . Ibid. §. 2. num. 66. pag. 312. & num. 68. pag. 313. & num. 69. pag. 314.

Et quamquam permittamus, præfatum ſacrificium attribuendum fore moraliter Chriſto Domino, phyſicè tamen D. Petrus ſacrificaret ut ſucceſſor , quod eſt abſurdum , adhuc in linea purè phyſica . Num. 70. pag. 315.

Nec in ſenſu morali poſſet attribui prudenter Chriſto Domino in eo Triduo . Num. 69. pag. 314.

Sacerdos Miniſter poſt diem Judicii conſecrare non poſſe , licet adſit panis , & vinum , docent plures . Uti nec modo etiam ſi aliquis ſit iu corpore glorioſo. Oppoſitum attamen tradunt Sapientes alii . Ibid. num. 77. pag. 320.

Sacerdos in commemoratione defunctorum , peracta conſecratione , non applicat fructum ſacrificii , qui debet præcedenter applicari , ſed per impetrationem , deprecationemque poſtulat id ipſum , quemadmodum poſtulat ſacrificium , peractum jam , acceptari à Deo . Diſp. 5. ſect. 2. §. 2. num. 36. pag. 358.

Vel ex opere operantis etiam ſuffragatur animabus ; attamen pro aliquo , pro quo Deus noluiſſet acceptare præcedenter , cum habeat ille jus quæſitum , poteſt Sacerdos à Deo impetrare pro poſteriori acceptationem . Ibid.

Eſus partis victimæ à Sacerdotibus , non erat eſſentialitèr conſtitutivus ſacrificii . Ibid.

Sacerdotis manu phyſica fieri debuiſſe mactationem Hoſtiæ , notant Interpretes in cap. 1. Levitici . Diſp. 5. ſect. 5. §. 2. num. 94. pag. 410.

Tanto perfectius exequitur Chriſtus Dominus munia Sacerdotis in ſacrificio, quanto ſtrictius cauſat Hoſtiæ immolationem. Diſp. 5, ſect. 5. §. 2. num. 95. pag. 410.

Sacerdotium.

Cum Sacerdotium, & ſacrificium ſint correlativa eſſentialiter ; ubi Sacerdotium non eſt formaliter , adeſſe nequit ſacrificium . Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. num. 65. pag. 311.

Quo jure D. Paulus extollit Sacerdotium Chriſti Domini ſupra Aaronicum ab unitate Sacerdotis , ſucceſſorem non admittentis , & ab unitate ſacrificii ; ſi ſacrificium Crucis differat à ſacrificio altaris , & ſacrificia altaris ſint pœne infinita numero diſtincta ? Diſp. 6. in Proœmio à pag. 423. & ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 427.

Hæc difficultas profundiſſima eſt , ut animadvertit Eximius Suarez . Eo num. 1.

Ponderatur à num. 2. pag. 427. & 428.

Etiamſi per reflexiones metaphyſicas poſſet componi pluralitas ſacrificiorum cum ſumma perfectione illius , & cum infinitudine ſimpliciter ſacrificii Crucis , conciliari tamen non poteſt cum argumento Pauli in Epiſtola laudata ad Hæbreos. Ibid. & num. 3.

Neque ea difficultas exarmatur per unitatem numericam victimæ in ſacrificio Crucis , & omnium altaris . Ibid. & pag. 429. & num. 7. pag. 433.

Neque per diverſitatem purè numericam utriuſque ſacrificii ; cum omnem pluralitatem tam ſpecificam , quam numericam arguat Apoſtolus imperfectionis in ſacrificiis, & in eorum Sacerdotio. Ibid. & num 4. pag. 429. & 430.

Importuna eſt etiam aliorum reſponſio deducta ex eo , quod finis Apoſtoli in ea Epiſtola fuerit ſolum , extollere Sacerdotium Chriſti Domini ſupra Leviticum. Ibid. num. 8. & 9. pag. 433. & 434.

Celebris ſolutio occurrit difficultati per hoc, quod Apoſtolus ibi ſermonem inſtituerit ſolum de ſacrificio ſolvente pretium , aut lytrum , redimenſque, cujuſmodi eſt duntaxat ſacrificium Crucis ; quod ideo

Digitized by Google

eſt unicum. Ibid. §. 2. à num. 10. pag. 434. & 435.
Sicut autem in ea ratione ſuperat infinitè ſacrificium Crucis omnia vetera, inquit ea ſolutio, ſic à fortiori Sacerdotium Chriſti vetus Sacerdotium. Ibid.
Infinitudo autem hæc ſacrificii, & Sacerdotii neutiquam obſcuratur, aut impeditur per hoc; quod exiſtat aliud ſacrificium purè applicans pretium redemptionis, uti non derogat illi, quod adſint media pariter illud applicantia. Ibid. num. 11. pag. 435. & ſeq.
Expugnatur ea ſolutio à num. 11. pag. 436. uſque ad pag. 441. & §. 3. à num. 17. & num. 19. pag. 441.
D. Paulus non arguit imperfectionis Sacerdotium Leviticum, quia abolendum erat; ſed potius abolendum erat, quia erat imperfectum, utpotè pluralitatis ſacrificiorum indigum. Diſput. 6. ſect. 1. §. 3. num. 18. pag. 442.
Si ſacrificium altaris ſit diverſum à ſacrificio Crucis; ſacrificium hoc cruentum eſſe non poteſt à Sacerdotio ſecundum ordinem, aut ritum Melchiſedech. Ibid. num. 19. & 20. pag. 442. & ſeq.
Sacerdotium Chriſti Domini in ipſo Melchiſedech figurante fuit ſeparatum à Sacerdotio Levitico. Ibid. pag. 444.
Si forent diverſa ſacrificia cruentum, & incruentum, cum D. Paulus in Epiſtola ad Hæbreos nullam mentionem faciat incruenti; extolleret infinitè Sacerdotium, quod re ipſa maneret abſque ſacrificio. Num. 20. pag. 444.
Nobilitas Sacerdotii dimetienda eſt per excellentiam ſacrificii. Ibid. num. 21. pag. 444. & ſeq.
Sacerdotium Chriſti Domini nec realiter, nec virtualiter eſt multiplex. Diſp. 6. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 444. & ſect. 2. §. 1. num. 27. pag. 450.
Sacerdotium Chriſti Domini fuit unicè ſecundum ordinem Melchiſedech. Ibid. §. 2. num. 31. pag. 453.
Cum ex alia parte Sacerdotium dicat habitudinem eſſentialem ad ſacrificium, à fortiori in vero ſenſu aliquo ſacrificium Crucis fuit peractum à ſummo Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech. Ibid.
Id autem impoſſibile eſt, niſi ſacrificium cruentum & incruentum ſint unum, & idem ſacrificium ſimpliciter. Ibid. & num. 32. pag. 454.
Sacerdotium debitum Chriſto Domino titulo unionis debet eſſe æternum. Ibid.
Tametſi Sacerdotium Leviticum figuraſſet Sacerdotium Chriſti Domini, ejus tamen æternitatem minime præſigurabat; ſed id obtinuit ſolum Sacerdotium Melchiſedech. Ibid. num. 32. pag. 455. & ſeq. Alioqui Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech nunquam fuiſſet perfectum, quia nunquam potuiſſet peragere ſacrificium ſolutivum pretii. Ibid.
Si ſacrificium Crucis fuiſſet celebratum à Sacerdotio ſecundum ordinem Aaronicum non fuiſſet translatum Sacerdotium Leviticum in Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed perſiſteret in Chriſto Domino idem Leviticum. Ibid. num. 34. pag. 456.
Sacerdotium, & ſacrificium eſſentialiter connectuntur mutuò. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 507. & Diſp. 4. ſect. 4. §. 1. num. 64. pag. 311.
Sacerdotium Chriſti Domini non ſolum dicitur æternum, æternitate late accepta pro duratione Mundi; ſed ſtricte uſurpata. Ibid.
Cur Sacerdotium Chriſti Domini non habuerit uſum tempore vitæ ſuæ uſque ad finem ejus? Ibid. num. 2. pag. 508.
Si Sacerdotium per totam æternitatem ſtricte acceptum duratutum ſit, quodnam erit ejus ſacrificium, cum nec cruentum, nec Euchariſticum perennatura ſint? Ibid. num. 3. pag. 508. & 509.
Erit igitur aliud ſacrificium ab utroque, ubi ergo unitas ſacrificii? Ibid. num. 4. pag. 509.

Sacramentarii.

Sacramentarios in Atheiſmum vergere, eſſeque ad illum viam planam eorumdem hæreſim, domeſtico illis teſtimonio oſtenditur. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 8.
Sacramentarii re Ipſa, & practice negant omnipotentiæ vim convertendi ſubſtantiam panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Domini. Ibid. num. 4.
Item re ipſa Chriſtum Dominum efficiunt Illuſorem. Ibidem §. 2. num. 15. pag. 16.
Dum humanis rationibus agendum minime eſſe in myſterio Euchariſtiæ jactant, & ſimul eiſdem illud oppugnant, ſibi turpiter contradicunt. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 21. pag. 21.
Sacramenta cum ordinentur per ſe primo ad utilitatem noſtram, debent eſſe plura; & quidem ſpecie diverſa; ſacrificium vero unicum, quia per ſe primo ordinatum in Dei cultum. Diſp. 6. ſect. 2. §. 2. num 36. pag. 457.

Sacramentum.

Euchariſtiam eſſe verè, & ſtrictè Sacramentum, omnes prope Hæretici faſſi ſunt. Diſp. 1. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 6.
Ejus definitio metaphyſica. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 32. pag. 29.
Theologi magni nominis illud per modum convivii exponunt. Ibid. num. 33.
Ejuſdem eſſentia phyſica. Ibid. num. 35. pag. 31.
Juxta vulgatam ſententiam, corpus, & ſanguis, ſpecieſque conſtituunt in recto Sacramentum. Diſp. 1. ſect. 2. num. 35. pag. 31.

Vita

Vita corporea actualis neceſſaria eſt ad perfectionem Sacramenti Euchariſtiæ. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 128. pag. 143.
Diverſimode attribuuntur Chriſto Domino effectus Sacramentorum, ac jugis Sacrificium. Diſp. 4. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 267.
Quare nullus uſus Sacramentorum futurus ſit in Eccleſia triumphante, ſecus autem Sacrificii? Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 30. pag. 529. & ſeq.
Alia Sacramenta non ſunt verè, & propriè Euchariſtia in voto. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 38. pag. 574.
Neque intendunt illam ut finem ſimpliciter, ſed tantùm ut finem, quo perficiuntur, & conſumantur eorum effectus. Ibidem.
Falluntur, qui dixere, Euchariſtiam eſſe cauſam univerſalem effectuum omnium Sacramentorum; quamvis Chriſtus Dominus, in ea contentus ſpecificativè, ſit illorum cauſa. Ibidem.

Sacrificatio.

Nomine conſecrationis ſæpè intelligitur à Sanctis Patribus ſacrificatio ipſa formalis. Diſp. 4. ſect. 2. §. 2. n. 41. pag. 289. 290. & num. 46. pag. 293.
Sacrificatio eſt poſterior conſecratione. Ibidem, & num. 42. 43. 44. 45. & 46.
Sacrificatio purè ſita in ſeparatione ex vi verborum, eſt imaginaria, non verò realis. Diſp. 5. ſect. 1. §. 2. n. 17. pag. 341.
Non dividit poſitivè; ſed merè negativè, proindeque non immutat. Ibidem.
Immo potiùs ex efficacia verborum conjungit Corpus, Sanguinem, & Animam. Ibidem.
Licet non ſit poſitivè trahens; non eſt tamen poſitivè excludens, ſed præſcindens. Ibid. num. 18.
In ordine ad neceſſitatem concurſus activi in ſacrificationem, nulla eſt differentia inter ſacrificium, quod conſiſtit purè in agere, & illud quod importat eſſentialitèr pati. Ibidem ſect. 5. §. 2. n. 95. pag. 411.
Sacrificatio liberè ſit à Chriſto Domino abſolutè antecedentèr, licet conſequentèr ſit neceſſaria. Ibid. §. 3. num. 103. pag. 418.
Sacrificatio incruenta conſtituenda eſt uniformitèr, vel ad exemplar cruentæ, quantum componatur cum ritu diverſo. Ibidem num. 106. pag. 421.
Eadem numero ſacrificatio in actu interno ſita, reproducibilis eſt. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 41. pag. 462.
Multiſque titulis reproduci debet. Num. 46. pag. 467.
Id quod exemplis planum ſit. Ibidem & num. 47. pag. 467. & 468. & ſect. 3. §. 2. num. 62. pag. 484.
Eadem ſacrificatio, cum ſit actus intentionalis, poteſt reſpicere eſſentialitèr utrumque ritum, & modum. Diſp. 6. ſect. 2. §. 1. num. 24. pag. 447.
Per eamdem formalitatem poteſt utrumque reſpicere, ſecundum diverſos reſpectus. Ibidem ſect. 3. §. 1. num. 53. pag. 473. & ſeq.
Sacrificatio præfata, cum ſit actus intentionalis, poteſt repræſentare neceſſitatem ſuæ reproductionis, illamque in eo ſenſu & elicitè, & innatè appetere, tametſi miraculoſa ſit. Ibidem num. 54. pag. 474.
Licet exigentia ſacrificationis abſolutè ſumptæ non expleatur nova tantum reproductione ſui, ſub unico ritu; ſatiatur attamen in ordine ad hoc determinatum hic & nunc ſacrificium. §. 2. num. 63. pag. 482.

Sacrificium.

Euchariſtia non ſolùm habet rationem Sacramenti, ſed & ſacrificii gloriam, ad uſque finem Mundi duraturam. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 17. pag. 25.
Cum ſacrificium altaris ſit ſumme perfectum undique, & cum pro recto ſitum ſit in actione ſacrificativa, eumque rurſus actio eo ſit dignior, quo Perſona, eam phyſicè emittens, excellentior ſit, neceſſariò ſummus Sacerdos eſt phyſicè ſacrificans immediatè. Diſp. 4. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 258.
Quin ſufficiat infinitudo Victimæ, quia deeſſet infinita perfectio ſacrificationis. Ibidem.
Neque inſuper, quod in ipſa inſtitutione, prævidens omnia futura ſacrificia, in ſingulari obtulerit cuncta illa, volitione tunc phyſica, & nunc perſeverante moraliter. Ibid. num. 9. pag. 259.
Sacrificium incruentum poſtulat eſſentialiter concurſum phyſicum ſummi Sacerdotis. Ibidem §. 2. num. 10. pag. 260. & ſect. 4. §. 1. num. 58. pag. 305.
Alioqui contentum eſſet Sacerdote quolibet, tametſi foret ſucceſſor in Sacerdotio, quod abſonum eſt. Ibidem.
Non enim poſtulare valet influxum purè moralem, cum hic unicè revocetur ad volitionem inſtituentem, & perſeverantem in æſtimatione prudentum; quæ revera extrinſeca eſt ſacrificio phyſicè accepto. Ibidem.
Neque declinatur difficultas per hoc, quod expoſcat Sacerdotem viſibilem participantem Sacerdotium ſummi Sacerdotis. Ibidem.
Inquinari poſſet ſacrificium, ſi Chriſtus Dominus phyſicè non eliceret ſacrificationem. Ibidem num. 14. pag. 264.
Neque ſatis eſt, quod converſio ſubſtantialis, utpotè planè miraculoſa, temerari nequeat. Ibid. n. 15.
Chriſtus Dominus potuit inſtituere aliud Sa-

Sacrificii genus, cujus non eſſet Sacerdos. Ibid. num. 18. pag. 268.
Si moralitèr ſolùm influeret in juge ſacrificium, quia illud inſtituit, ut perenniter celebrandum, & quia poteſtatem conceſſit Sacerdotibus; etſi nollet modo non concurrere ad ſacrificandum, non poſſet impedire ſuum concurſum moralem, Ibid. pag. 269.
Neque illa nolitio eſſet, aut eſse poſset retractatio primæ volitionis inſtitutricis. Ibidem.
Sacrificium incruentum non perficitur in eodem inſtanti intrinſeco, in quo actus voluntatis humanæ Chriſti Domini imperat vitæ privationem, & non uſum facultatis inſtrumentariæ; ſed in ſequenti inſtanti. Diſput. 5. ſect. 3. §. 1. num. 38. pag. 361.
Sacrificium Euchariſticum eſt in executione poſteriùs Sacramento; quamquam in intentione ſit prius. Ibid. n. 41. pag. 363.
Diſcrimen inter ſacrificium ſitum adæquatè in *agere*, & illud, quod involvit eſſentialitèr *pati* ejuſdemmet Sacerdotis. Ibid. pag. 364. & Diſput. 6. ſect. 2. §. 1. num. 22. 23. à pag. 445.
Ad ſecundum enim ultra actionem alterius, quæ præſupponi debet, requiritur actus internus Sacerdotis verè ſacrificans. Ibid. & pag. inſuper 365. & 366.
Licet *fieri* mortis in re fuerit prius morte ipſa in facto eſſe; in repræſentatione tamen illius, cujuſmodi eſt Sacramentum, non alitèr exprimi valet, aut ſenſibilis fieri, quàm ſupponendo repræſentationem illius in facto eſse. Ibid. §. 2. num. 47. pag. 370.
Tametſi Chriſtus Dominus influeret phyſice in ſacrificium altaris, non mereretur denuo operatione illa. Diſputat. 4. ſect. 1. §. 3. num. 21. & 22. pag. 271.
Ita communis ſententia adverſus Patrem Vaſquez, negantem influxum illum phyſicum eo titulo. Ibid. pag. 270.
Denominatio ſigni ad placitum conſtituitur per volitionem moraliter perſeverantem, non ſic autem denominatio ſacrificantis. Ibid. num. 26. pag. 274.
Sunt aliquæ denominationes omnino perſonales, quæ expetunt actionem, aut paſſionem phyſicam propriam immediate. Ibid. pag. 275.
Quamvis Chriſtus Dominus è Cœlo victimam in altari exiſtentem (quia prout ibi ſolum eſt victima) offerret actu formali, & actione phyſica immolaret; poſſet quidem efficere rem ſacram, non tamen ſacrificare, Ibid. ſect. 2. §. 1. n. 33. pag. 281.
Etiamſi præfati actus ponerentur in Euchariſtia per concomitantiam; adhuc per illos non ſacrificaret. Ibid. pag. 282.
Cum Apoſtolus Gentium clariſſimè doceat, Chriſtum Dominum, ſedentem ad dexteram Patris, neutiquam adeſſe ibi, ut offerat ſæpè ſemetipſum; ſi aliunde ex altari non ſubeat munus Sacerdotis, ægrè vindicatur veritas ſacrificii altaris à cavillationibus Sectariorum, illud prorſus denegantium. Ibid. num. 34. pag. 282. & 283.
Quin difficultas decliuetur per hoc, quod loqui ſolum credas Apoſtolum de ſacrificio cruento. Ibid., & num. 35.
Sacrificium ſitum non eſt in conſecratione, ſed eſt illa poſterius. Ibid. §. 2. n. 41. pag. 290. & num. 42.
Cum Chriſtus Dominus in communi ſententia producat phyſicè ex altari omnes effectus, quos inducit Euchariſtia in ratione Sacramenti, & Sacrificii; cur non influet phyſicè in ſacrificium ex ipſo altari? Ibidem ſect. 3. §. 1. num. 49. pag. 296.
Si Chriſtus Dominus ex Empyreo eliceret actus immanentes conſtitutivos ſacrificii, reſultaret ex eis, & ex operationibus Miniſtri in altari, totum aliquod imperfectum, & membratim diviſum. Ibid. num. 51. pag. 298.
Sacrificium Euchariſticum poſſibile non fuit in Triduo, juxta præſentem providentiam. Ibid. ſect. 4. à num. 59. pag. 306.
Etiamſi permittatur, potuiſſe D. Petrum in Triduo conficere Sacramentum Euchariſtiæ; non ideo potuiſſet ſacrificium peragere, quia non adeſſet Sacerdos ſummus, principaliſque offerens. Ibid. num. 78. pag. 322.
Sacrificii definitio, contenta, aut elicita ex verbis Pauli ad Hæbr. 5. & 8. Diſp. 5. In Procemio pag. 323. & 324.
Dum clariſſimi viri inter Gentiles viſi ſunt ridere ſacrificia, ridebant potius turbam Deorum, quibus Populi litabant, vel ſuperſtitiones ſacrificantium. Diſp. 5. in Procemio pag. 325.
Quænam ſit realis victimæ immutatio in ſacrificio altaris, eſſentialiter requiſita, ut Miſſa ſit verum, ſtrictumque ſacrificium? Diſput. 5. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 326.
Sacrificium pro emundatione leproſi, ſtrictum ſacrificium neutiquam fuit. Ibid.
Immo etſi permittatur verè tale, aderat tamen vera realis immolatio victimæ in eo. Ibid. pag. 327.
Neque duplicis hirci ſacrificium, in toto rigore ſacrificii tale fuiſſe, docent plures. Ibidem.
Temeritatis arguit P. Leſſius dicentem, non requiri ad verum ſacrificium realem mactationem, aut immolationem victimæ. Ibid.
Si ſemel victima partialis poteſt conſtituere ſacrificium, ut ſacrificium eſt, quin realiter immutetur; poterit etiam victima adæquatè ſumpta ſacrificari, abſque interventu veræ immolationis. Ibidem num. 13. pag. 336.

In

In ſacrificio rerum inanimatarum ſola pars, quæ deſtruebatur, aut quæ realiter immutabatur, verè, & propriè ſacrificabatur. Ibid. num. 14. pag. 337.

Applicatio ſacrificii debet fieri ante conſecrationem. Ibid. ſect. 2. §. 2. num. 36.

Sacrificium altaris non fit à Chriſto Domino, niſi poſtquam, prolatis verbis conſecrationis Calicis eſſentialiter requiſitis ad hoc, ut exiſtat ipſe realiter ſub ſpeciebus vini, proferuntur ulteriora illa; *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 43. pag. 366.

Dum enim illa proferuntur à Sacerdote, poteſt Chriſtus Dominus elicere è Calice etiam diverſas operationes vitales, quas una cum elicitis ex Hoſtia ſacrificet. Ibid. & pag. 367.

Si autem ulteriora illa putares conſtitutiva formæ, ut cum D. Thoma cenſent plures, ulterior alia mora neceſſaria eſſet.

Sacrificium Crucis eſt exemplar ſacrificii altaris. Ibid. ſect. 5. §. 1. num. 81. pag. 398.

Cruentum illud peractum fuit per imperium voluntatis humanæ Chriſti Domini ſuſpendentis miraculum, quo conſervabat vitam, alioqui præcedenter finiendam. Ibid. pag. 399.

Quomodo Chriſtus Dominus ex utraque ſpecie ſimul offerat, & immolet, & nihilominus ſacrificium ſit idem numero? Ibid. §. 3. num. 107. pag. 421. & ſeq.

Vetera ſacrificia applicabant aliquatenus merita ſacrificii Crucis, ut prævisa, & in mente divina exiſtentia. Diſp. 6. ſect. 1. §. 2. num. 12. & 13. à pag. 437.

Inde autem fit, aut vetera illa non fuiſſe imperfecta eo quod fuiſſent plura, ut Divus Paulus arguit; aut futura pariter ſacrificia altaris imperfecta, ſi fuerint plura, ſi fueritque diverſum ſacrificium cruentum ab incruento; aut omnia hæc eſse unum numero ſimpliciter. Ibid. num. 14. pag. 438. & 439.

Sacrificium incruentum celebratum in nocte Cœnæ ſolum applicabat fructum ex meritis Paſſionis futuræ, adinſtar veterum, & nihilominus perfectiſſimum fuit undique. Ibid. §. 3. num. 17. pag. 441.

Sacrificium Crucis, & altaris, omniaque inter ſeſe altaris ſacrificia, ſunt unum numero ſimpliciter realiter ſacrificium, cum ſola diſtinctione ſecundum quid. Ibid. ſect. 2. num. 24. pag. 447.

Forma unitatis eſt eadem numero actio ſacrificativa ejuſdem numero victimæ, ſive actus internus Chriſti Domini immolantis vitam propriam, ſive ſubſtantialem ſimul, & actualem, ut in Cruce, ſive actualem ſolum ut in altari; ita tamen ut reproducatur in unoquoque ſacrificio. Ibid.

Sive actus ille, aut imperium conſiſtat in operatione intellectus, ſive in actu voluntatis, ſive in aggregato. Ibid.

Actus ille reſpicit eſſentialitèr utramque vitam, & utrumque ritum; non ut ſimul ſub utroque ſacrificet, ſed ſucceſſivè. Ibidem.

Ita tamen, ut dum ſub uno ritu exercitè ſacrificat, reſpiciat ſignatè ſacrificationem ſub alio. Cruentum quidem ut ſemel exercendum; incruentum ut jugitèr. Ibidem.

Et nihilominùs ſub quolibet ritu ſacrificium eſt completiſſimum. Ibid. num. 25. pag. 448. & ſect. 3. §. 2. num. 61. pag. 481.

Diſtinctio numerica, aut materialis ſecundum quid, non tollit unitatem in toto rigore numericam ſimplicitèr. Ibidem.

Per hanc opinionem ſalvatur efficacia argumenti Apoſtoli in Epiſtola ad Hæbreos. Num. 26. pag. 448. & ſeq.

Firmatur ratione, argumentum Apoſtoli omnem abſolutè pluralitatem, adeòque etiam numericam repuliſſe. Eadem ſect. 2. §. 2. à num. 31. pag. 453.

Omnis pluralitas ſimplicitèr ſacrificiorum foret injurioſa infinitudini ſimplicitèr ſacrificii Crucis. Ibidem.

Sacrificium Crucis fuit potiùs ſecundum ordinem Melchiſedech, quam Aaron. Num. 32. pag. 454.

Alitèr ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech nunquam foret ſummè perfectum, cum nunquam redimere poſſet Mundum. Num. 33. pag. 455.

Sacrificium, ut ſit undique perfectum, eſſe debet ſub aliqua ratione æternum, quemadmodum eſt æternum ejus Sacerdotium. Num. 35. pag. 456.

Ut ſacrificium ſit ſimplicitèr infinitum, debet ambire omnem formalitatem ſacrificii tam applicantis, quam ſolventis, nullam dicentem imperfectionem. Ibidem, & pag. 457.

Manifeſtum videtur futurum ſaltem digniùs, altiùſque ſacrificium ſolvens, ſi foret ſimul ſeipſo applicans. Ibid. n. 36. pag. 457.

Sacrificium Crucis, & Altaris pœnes id, in quo ſecundum quid differunt, in ritu ſcilicèt, non ſunt ſecundum quid ſpecie diverſa, quoniam ſacrificatio in quolibet exigit diverſitatem illam in alio. Ibid. num. 38. pag. 459.

Sacrificium non inquinatur per hoc, quod illius ſenſibilitas inquinata ſit; cum vel ſacrificium Crucis factum fuerit ſenſibile per actiones ſacrilegas interfectorum. Diſp. 5. ſect. 2. §. 2. num. 34. pag. 356. & Diſp. 6. ſect. 3. §. 2. num. 59. pag. 479.

Licet Sacrificium Altaris ſit repræſentatio Crucis; non propterea diſtinguuntur, niſi ſecundum quid numero. Diſp. 6. ſect. 3. §. 1. num. 48.

Eademque diſtinctio ſufficit ad diverſitatem utriuſque ritus cruenti, & incruenti verificandam. Ibid. num. 49. pag. 469. & 470.

Repetitio ejuſdem numero ſimpliciter ſacrificii non derogat infinitudini ſacrificii, ſicut derogaret eidem pluralitas ſimpliciter. Num. 50, & 51. pag. 471,

Non ideo tamen iterari valet ſacrificium cruentum, quoniam hoc derogaret confecto jam in Cruce, Ibid, num. 52. pag. 472. & 473.

Si reduplices ſacrificium, ut redemptorium, & pariter ſacrificium altaris, ut incruentum, efficis ea reduplicatione diverſitatem, quia ponis in recto id, quo differunt ſecundum quid tantum §. 2. num. 63. pag. 483.

Si non futurum eſſet in Eccleſia triumphante poſt reſurrectionem verum, & ſtrictum ſacrificium, deficeret pro eo ſtatu potiſſimus Dei cultus, & honor, dum illi longè majori titulo deberetur. Diſp. 7. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 510. & num. 6. eadem pag. & ſeq.

Sacrificium Euchariſticum eſt vere ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, Ibid. num. 7. pag. 511. & ſeq.

Sanctitas.

Poteſt homo ſanctior multo, cui non licuit prius ſuſcipere Euchariſtiam, dum primo accedat, licet ab anima Chriſti Domini aſſumatur, vinci in nexu cum illa ſacroſancta anima ab alio non æquè ſancto aliunde; qui tamen jamdiù fœliciſſimo illo nexu gaudet, ſtringitque illum in qualibet ſumptione intimius, & intenſius. Diſput. 8. ſect. 7. num. 118. pag. 655.

Sanctum, & Sanctum Sanctorum.

Ex eo, quod Patres appellent Euchariſtiam Sanctum Sanctorum, rectè arguitur, illos exiſtimaſſe, adeſſe ibi realiter Chriſtum Dominum, non ſolum qua victimam, ſed inſuper qua formaliter ſummum Sacerdotem. Diſp. 4. ſect. 2. §. 2. num. 4. pag. 288.

Sanguis.

Nulla vera realis unio intercedit inter animam, & ſanguinem; & nihilominus illa ponitur per concomitantiam ſub ſpeciebus vini. Diſp. 2. ſect. 8. §. 2. num. 163. pag. 173.

Sanguis interdum deſerebatur Domum una cum corpore, Diſp. 3. ſect. 2. §. 1. num. 25. pag. 211.

In quibuſdam Eccleſiis panis ſanguine intinctus ſumebatur à fidelibus. Ibid. num. 26. pag. 212.

Qui utramque ſpeciem ſumebant, manum labris ſanguine rubentibus admovebant olim, & oculos, faciemque totam humectabant. Ibid. pag. 213.

Idque feciſſe mirabilem Virginem Agnetem, credunt aliqui. Ibid.

Immo & eam conſuetudinem à Principe Apoſtolorum manaſſe, putat Lupus. Ibidem.

Per ſanguinem ſignificari, tum animam, tum vitam in Sacra Scriptura, extra dubium eſt. Diſp. 5. ſect. 3. §. 3. num. 55. pag. 377.

Sapientia.

Sapientia Divina mirum in modum promicat in Euchariſtiç Inſtitutione. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 24. pag. 23.

In quo ſenſu Spiritus ſapientiæ dicitur unicus, & multiplex, & capiens omnes Spiritus? Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 51. pag. 587.

Sapientia Divina ita temperavit vitam corpoream Salvatoris noſtri ſub ſpeciebus, ut eliceat operationes, quæ decorem ejus concernunt, noſtramque utilitatem. Secus vero illas, quæ præjudicarent merito ſidei noſtræ. Diſp. 2. ſect. 1. §. 1. num. 9. pag. 49. & ſect. 7. num. 137. pag. 149. & ſeq.

Scotus.

Licet deſideret præſentiam objecti, dum primo elicitur ſenſatio; illam non poſtulat, dum ſenſatio divinitus bilocatur. Diſp. 2. ſect. 3. §. 2. num. 52. pag. 80.

Senſatio.

Neque adhuc per miraculum elicere poſſe Chriſtum Dominum ex Euchariſtia ſenſationem aliquam primo & per ſe, abſurdiſſimè diceretur. Diſp. 2, ſect. 1. §. 1. num. 6. pag. 47.

Senſationes, præſertim externæ, pendent per ſe à præſentia objectorum, aut propinquitate. Diſp. 2, ſect. 2. num. 30. pag. 65.

Senſationes primo elicitæ in Euchariſtia neutiquam deferuntur per concomitantiam in Cœlum. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 135. pag. 148.

Et quidem ſive præfatæ ſenſationes ſint indiviſibiles, quia eliciuntur, & ſubjectantur in Potentia exiſtente modo indiviſo, ſive potius diviſibiles. Ibid. num. 136. pag. 149.

Num ſint tot numero ſenſationes circa idem objectum, quot ſunt minima Hoſtiæ, quibus ſit æque proportionatum, vel una tantum eliciatur à Chriſto Domino? Ibid. §. 2. num. 139. pag. 152. & ſeqq.

Unica tantum eſt, producitur attamen ex omnibus partibus, & in omnibus recipitur. Ibid. à num 141. & pag. 153. latè.

Ad ſenſationes externas ſequuntur per ſe internæ. Diſp. 3. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 220.

Sen-

Senſus.

Senſus Chriſti Domini in Eucbariſtia nequeunt elicere ſenſationes connaturaliter, ſtando communi Theologiæ. Diſp. 2. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 46.

Oppoſitum nihilominus ſenſere Nominales; etſi ſtandum ſit rationi, potiuſquam authoritati, plures cum ipſis. Ibid.

Poſse Chriſtum Dominum ſe exercere per ſenſus internos, ſi præexiſtant ſpecies, opinantur non pauci ex eis, qui communiori ſubſcribunt. Ibid.

Senſus noſtri, dummodo corrigantur per ſidem, poſsunt falli, quantum eſt ex ſe; non ſic autem Cbriſti Domini ſenſus. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num 13. pag. 202.

Differentia inter viſum, auditumque, & alios ſenſus externos. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 33. pag. 118.

Uſus ſenſuum externorum Chriſti Domini quanta commendatione dignus. Ibid. ſect. 2. §. 2. num. 36. pag. 220.

Excellentia ſenſibilis opprimit ſenſum; uti & excellentia intelligibilis Intellectum. Diſp. 9. ſect. 2. §. 1. num. 31. pag. 697.

Si debetur Chriſto Domino uſus ſenſuum externorum, à fortiori debetur & internorum, cum ſint nobiliores, & cum horum uſus ſit finis illius. Diſp. 3. ſect. 2. §. 3. num. 38. pag. 221. & num. 39. pag. 222.

Cbriſtus Dominus ut principalis Sacerdos ex Eucbariſtia neceſsario habere debet exercitium primo productum ibi ſenſuum internorum. Ibid. & num. 40.

Si neutiquam utatur per ſe primo ſenſibus internis Cbriſtus Dominus in Eucbariſtia, ejus præſentia erit purè materialis, & parum digna. Ibid.

Sigillum & Sigillatio.

Digna in gradu heroico ſumptio Euchariſtiæ importat ſigillationem realem animæ Chriſti Domini in anima ſic accedentis ad epulas divinas. Diſp. 8. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 592.

Signum.

Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus & eſt res ſignata, & ſignum alterius rei. Diſp. 8. ſect. 5. §. 3. num. 95. pag. 631.

Corpus Cbriſti Domini, ut connotans animam, & divinitatem, eſt longè nobilius gratia habituali; & aliunde ſignatum eſſe debet nobilius ſigno; alium ergo effectum præſtantiorem gratia ſanctificante ſignat (adeoque cauſat) Chriſtus Dominus in Eucbariſtiam reverenter ſuſcipiente. Ibid., & pag. 632.

Falſum eſt, quod Corpus Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſit ſignum tantum ratione ſpecierum, & non ſimul ratione ſui. Ibidem.

Sunt quidem ſigna ſignorum, ſub diverſa tamen ratione. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 20. & 21. cap. 19.

Signa ſenſibilia cujuslibet ſacrificii non conſtituunt aliud, ſed unaquæque ſuum, etiamſi ſacrificia omnia ſint unum numero ſimpliciter; quoniam pœnes illa diſtinguntur numero ſecundum quid. Diſput. 6. ſect. 2. §. 2. num. 38. pag. 459.

Ea ſigna non conſtituunt pro recto ſacrificium cruentum, nec incruentum. Sect. 3. §. 2. à num. 56. & à pag. 478. latiſſimè.

Notanda differentia inter ſacrificium conſiſtens adæquatè in *agere*, & illud, quod includit *pati*. Ibid. à num. 60. pag. 479.

Signa externa non ſignificant immediatè dominium Dei in vitam, & mortem, in ſacrificio conſiſtente in *pati*; ſed deſignant immediatè actum internum immolationis ſignificantem immediatè præfatum jus divinum. Ibid. pag. 480.

Forma ſignificationis ſenſibilis eſt volitio Chriſti Domini aſſumens ea Symbola in ſignum ſacrificii; & aliunde hæc reproducitur in omnibus ſacrificiis. Ibid. & pag. etiam 481.

Signum non debet eſſe nobilius re ſignata. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 20. Et Diſp. 8. ſect. 5. §. 3. num. 95. pag. 631.

Silentium.

Silentii Patrum circa plura Euchariſtiæ arcana in primis ſæculis origo, & ratio. Diſputat. 4. ſect. 3. §. 2. num. 56. pag. 303.

Cur D. Paulus, dum extollit in Epiſtola ad Hæbreos Sacerdotium Chriſti Domini ſupra Leviticum, altè ſiluerit de ſacrificio altaris? Diſp. 6. ſect. 1. §. 1. n. 8. pag. 433.

Solatium.

Quantum nobis ex Euchariſtiæ inſtitutione! Diſp. 1. ſect. 2. §. 3. num. 26. pag. 26.

Chriſtus Dominus non foret perfectè ſolatium noſtrum, qua latens ſub accidentibus, ſi ſub illis non exerceret ſenſuum operationes. Diſp. 2. ſect. 6. §. 3. num. 121. 122. & 123. à pag. 137.

Plurimum confert ad ſolatium noſtrum notitia hujus vitæ corporeæ, ſiquidem, eo quod corporei ſimus, acrius excitamur ad reverentiam, & amorem ex illa. Ibidem num. 123. pag. 139. & Diſput. 3. ſect. 1. §. 2. num. 20. pag. 207.

Species, vide *Accidentia*.

Spiritus, & *Spiritus Sanctus*.

Spiritui Sancto attribuitur ſpecialiter vivificatio. Diſp. 5. ſect. 4. §. 2. à num. 68. pag. 388. & ſeqq.

Invocatur à Græcis in ſua Liturgia, peracta jam conſecratione, ut vivificet Corpus Chriſti Domini vitali operatione corporea omnino privatum per ſacrificationem. Ibid. fuſè.

Suadetur hæc expoſitio Græcæ invocationis à num. 70. pag. 390.

Dum in Liturgia S. Baſilii Diaconus ait, Spiritum Sanctum venturum, ut *incubet*, apertiſſimè per verbum *incubandi* deſignat vivificationem inſinuatam. Ibidem num. 73. pag. 392.

Spiritus Sanctus precibus illis motus interdum viſibiliter olim deſcendebat ad ſacrificium. Ibid. §. 3. num. 8. pag. 397. & ſeq.

Quamquam per Spiritum Chriſti Domini ſæpe intelligatur in Scripturis Spiritus Sanctus, pariter attamen intelligitur ſæpe anima ejuſdem Chriſti Domini. Diſput. 8. ſect. 4. §. 1. num. 58. & 59. pag. 594.

Spiritus gratiæ, cui, juxta Apoſtolum, fit contumelia, dum polluitur ſanguis teſtamenti, eſt anima ſanctiſſima Chriſti Domini in ſumptione indigna Euchariſtiæ. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 72. pag. 608.

Sponſus.

In Euchariſtia adeſt Chriſtus Dominus, ut ſponſus in thalamo ſuo. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 28. pag. 27.

Dum Sponſus ſupponitur in Canticis reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, docemur apertè, Chriſtum Dominum ex Euchariſtia videre actu Sacerdotem, & circumſtantes. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. à num. 1. & à pag. 192. ſuſiſſimè.

Subſtantia ſpiritualis.

Subſtantia ſpiritualis, Angelus v. g. aut anima rationalis, poteſt alteri Spiritui pro intimè conjungi, ipſumque movere ad operationes repræſentativas motoris. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 8. pag. 678. & ſeq.

Præſertim ſi operetur, qua inſtrumentum Divinitatis, ut anima Chriſti Domini, qua inſtrumentum Verbi, ſitque principium univerſale, cujuſmodi eſt anima Chriſti Domini relatè ad animas aliorum. Ibid.

Sive id fiat naturali virtute in ſuperiore; ſive divina tantum. Ibid.

Immò licet in acceptione nimis ſtricta aſſumere per ſe primo alium Spiritum non poſſet; dum tamen animam aſſumit una cum corpore, poteſt unionem cum illa ſeparata retinere. Ibid. num. 5. pag. 675.

Sumptio, *Sumere*.

Non eſt conſtitutivum Sacramenti Euchariſtiæ. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. num. 36. pag. 31.

Per ſumptionem verificare conatur multorum opinio veram realem immutationem victimæ in ſacrificio altaris; quam proinde dicit ſacrificii conſtitutivam. Diſp. 5. ſect. 2. §. 2. num. 28. pag. 349.

Nonnulli ex eis, qui ſuffragantur laudatæ opinioni, ſumptionem ſub utraque ſpecie à Sacerdote factam, dicunt adæquatum ſacrificii conſtitutivum, ſe habente præſuppoſitivè, licet neceſſario, conſecratione. Ibid.

Alii utramque conſtituere; ſed pro recto ſumptionem. Alii vice verſa; vel ex æquo utramque. Alii ſumptionem integrale tantum conſtitutivum eſſe putaut. Ibidem.

Vera tamen eſt oppoſita communis ſententia. Ibid. à num. 29. pag. 350.

Pauci aliqui ſumptionem dixere conſtitutivam ſacrificii Euchariſtici, ſecundum quod eſt Holocauſtum non præcisè ut ſacrificium. Ibid. num. 28.

Si non adeſſet ſacrificium, donec ſumeretur Euchariſtia, aperiretur janua Kemnitio, & Lutheranis paſſim, affirmandi pariter, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum permanens, ſed in ſumptione ipſa conſiſtens. Ibid. num. 30. pag. 351.

Sumptio nec pœnes activum, nec pœnes paſſivum, quod importat, conſtituit ſacrificium. Num. 31. pag. 352. & num. 33. pag. 354. 355.

Chriſtus Dominus reliquit Eccleſiæ determinatum modum ſacrificandi, eidem Sponſæ notum; & aliunde nec ex Evangelio, nec ex traditione, nec ex definitione ulla conſtat, Chriſtum Dominum in nocte Cœnæ, dum peregit ſacrificium, ſumpſiſſe Corpus, & Sanguinem proprium (licet ita ſentiendum planè ſit modo). Ibidem.

Neomyſtæ, unà cum Epiſcopo celebrantes, verè conficiunt, poſtetque unuſquiſque accipere ſtipendium; & tamen non communicant ſub utraque ſpecie. Ibid. num. 32. pag. 353.

Celebrantem debere ſumere Euchariſtiam, divinum præceptum non eſt, ſed Eccleſiaſticum: & aliunde lex divina prohibet, ne ſacrificium incompletum relinquatur. Ibid. pag. 354.

Aliter ſacrificium inquinaretur per ſacrilegam Sacerdotis ſumptionem. Ibid. n. 34. pag. 356.

Ne-

Neque adhuc in ſumptione ipſa reperitur vera immutatio realis. Ibidem num. 35.
Deinde ſequeretur, particulas aſſervatas, quæ vel à nullo ſumuntur, vel à laicis poſt dies aliquos, non eſſe ſacrificatas, cum nulla earum fuiſſet immolata. Ibid. pag. 357.
Patres ſæpe uſurpant ſacrificium pro re oblata. Ibid.
Ex eo, quod ſacrificium debeat applicari ante conſecrationem; uti ex eo, quod poſt illam applicari valeat; illegitimè probatur alterutra ex oppoſitis opinionibus. Num. 36. pag. 358.

Symbola.

Qua ratione ſymbola ſenſibilia conſtituere poſſunt ſacrificium laudis in æternitate; cum Beatis ibi myſteria pateant; & aliunde ſymbola exiguntur duntaxat ad manuducendum intellectum in arcanum latens? Diſp. 7. ſect. 2. §. 1. num. 23. & 24. pag. 524. & ſeq.
Cognitio evidens à priori myſterii, & cognitio alia à poſteriori ejuſdem per ſymbola, non repugnant. Ibidem.
Verum non eſt, quod omni Beato debeatur notitia evidens omnium arcanorum; uti nec illis patent decreta libera Dei, adeoque Beatus, cui non pateat myſterium ex ſe occultum, egebit ſymbolis. Ibidem num. 24.

Sympathia.

Miri illius effectus. Diſp. 2. ſect. 7. §. 2. num. 146. pag. 158. & num. 147. pag. 159.

T

Tactus.

SI poſſit habere uſum nobis inſenſibilem in Euchariſtia tactus Chriſtus Dominus, illum ſortitur, quemadmodum in Empyreo. Diſp. 2. ſect. 7. §. 1. num. 138. pag. 151. Item Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 34. pag. 219.
Puritas uſus illius eurſim declaratur. Ibidem, & num. 35.

Templum.

Profana colloquia (& longè magis turpia) in templis, quantum Deo diſpliceant: quamque indignabundus illa audiat corporali auditu Chriſtus Dominus ex Euchariſtia. Diſp. 2. ſect. 2. §. 2. num. 31. pag. 217.

Terminus à quo, & ad quem.

Vita actualis Chriſti Domini, prout exiſtit in Cœlo, non eſt terminus à quo ſacrificationis. Diſp. 4. ſect. 2. §. 1. n. 31. pag. 280.

Teſtamentum.

Denominatio Teſtamenti, factioniſque illius, petit eſſentialiter mortalitatem teſtamentarii. Defectu cujus Chriſtus Dominus non facit modo teſtamentum, dum peragit ut ſummus Sacerdos ſacrificium; licet illud condiderit in Cœna. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 44. pag. 466.
Si factio teſtamenti diſtingueretur ab actione ſacrificante in Cœna, deberet illa quidem reproduci in Cruce; non autem deinceps. Ibid. pag. 465.
Chriſtus Dominus, juxta quamplures Patres condidit in inſtitutione Euchariſtiæ ſuum teſtamentum. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 43. pag. 463. & ſeq.
Unde forent innumerabilia teſtamenta, ſi ſacrificia altaris forent ſimpliciter numero diſtincta.
Quoniam tamen potuit ante mortem teſtamentum revocari, illud ipſum in Cœna conditum, qua non revocatum in Cruce, ſed reproductum, eſt teſtamentum ultimum, æternumque. Ibidem.
Plures Interpretes potius ſacrificio Crucis teſtamentum attribuunt, quam Cœnæ. Ibid.
Qui autem teſtamenti factionem ſtrictam attribuunt Euchariſtiæ, potius illi, ut ſacrificio, utpotè in fieri ſito, quam Sacramento, accommodant. Ibid. num. 44. pag. 445.
Diſcordia opinionum circa ſacrificium, quod ſit ſtrictè magis teſtamentum, conciliatur per noſtram ſententiam. Ibidem.

Theologi.

Magni nominis Theologi, qui amplectuntur ſententiam noſtram circa vitam actualem corpoream Chriſti Domini in Euchariſtia, recenſentur. Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 59.

Theſaurus Eccleſiæ.

In Theſauro Eccleſiæ Sanctæ non ſolum repoſita ſunt merita Chriſti Domini, ut moraliter perſeverantia, qua ſatisfactionem infinitam includentia; verum & inſuper, juxta plures Theologos, ipſa merita ſecundum quod habent vim impetrandi, & merendi de congruo. Diſp. 6. ſect. 4. §. 2. num. 82. pag. 498.

Cur igitur exiſtere phyſicè non poterunt in actione ſacrificandi reproducta? Ibidem.

Cur non poterunt ut phyſicè exiſtentia, dum actu phyſicè ſacrum facit, mereri nobis de condigno? Ibidem.

Hac doctrina tribuitur Eccleſiæ Dei ſingularis gloria fovendi in gremio ſuo phyſicè merita Chriſti Domini, cum nullum erit momentum, in quo non celebretur ſacrificium juge per totum orbem. Dum per omnes alias opiniones moraliter ſolum exiſtunt. Ibid., & pag. 499.

S. Thomas.

In quo ſenſu dixerit S. Thomas, Sacerdotium Chriſti Domini, ejuſque ſacrificium, duraturum in effectu per totam æternitatem? Diſp. 7. ſect. 2. §. 2. num. 27. pag. 527. & num. 28. pag. 528. & num. 29. pag. 529.

S. Thomas docuit ſæpè, Chriſtum Dominum videre ſeipſum ſub Sacramento exiſtentem oculis corporeis. Diſputat. 2. ſect. 2. à num. 34. pag. 68.

Præfata viſio nequit, juxta mentem Divi Thomæ ibi, intelligi terminata ad exiſtentiam circumſcriptivam ipſius Chriſti Domini in Empyreo, ut plures contendunt. Ibidem. Neque intendit ſolum Sanctus Doctor ibi, quod oculi reflexione quadam videant ſeipſos ſub ſpeciebus latentes, ſed integrum etiam corpus. Ibidem num. 39. pag. 71.

In quo ſenſu dixerit D. Thomas, contradictionem involvi in eo, quod corpus ſit animatum in uno loco, & in alio anima deſtitutum. Eadem Diſp. ſect. 8. §. 2. num. 166. & ſeqq. pag. 175. & 176. 177.

S. Thomas vel Author opuſc. 59. probabile reputare videtur in eo Opuſculo, prærequiri ad conſecrationem intentionem ſummi etiam Sacerdotis. Diſp. 4. ſect. 1. §. 2. num. 11. pag. 261. & ſeq.

Neque per intentionem ibi intelligere potuit poteſtatem negatam Sacerdoti viſibili pro illo eventu. Ibidem num. 13. pag. 263.

Per vigorem naturalem, quem Chriſtus Dominus conſervavit in Cruce, & cum illo vitam aliquandiù miraculosè, commodè intelligi poteſt virtus inſtrumentaria ejus Humanitati conveniens. Diſp. 5. ſect. 5. §. 1. num. 89. pag. 405.

Ratio producta à D. Thoma, ob quam non debent conſtituere formam conſecrationis verba illa, *quod pro vobis tradetur*; debent tamen conſtituere formam conſecrationis calicis illa, *qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* Ibid. n. 95. pag. 110. & ſeq.

S. Thomas docet, aliquid de naturâ Chriſti Domini perſiſtere neceſſariò in ſuſcipiente dignè Euchariſtiam, ut comparatio vitæ, quam inſtituit Salvator noſter Joan. 6. ſit efficax adversùs Arrianos. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 33. pag. 570.

Transformatio.

Finis potiſſimus Euchariſtiæ eſt conjunctio animæ Chriſti Domini cum ritè communicante ad unionem transformativam pariendam. Tota Diſp. 8.

Hæc unio transformativa diſtinctorum, perfectius, altiuſque & intimius erit in Patria. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 672.

Tranſubſtantiatio.

Converſio ſubſtantiæ panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Domini, optima ratione appellatur tranſubſtantiatio. Diſput. 1. ſect. 2. §. 2. num. 40. pag. 35.

Nec ſubſiſtentia panis, & vini, nec forma, nec materia prima, nec exiſtentia, nec ſubſtantia pœnes gradum genericum, permanet. Ibidem.

Tridentinum.

Juxta Concilium Tridentinum gratia, ejuſque augumentum non reſpondet Euchariſtiæ ſecundum prædicatum differentiale, ſed unicè pœnes genericum. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 543.

Triduum.

In Triduo mortis Chriſti Domini poſſibile non fuit ſacrificium incruentum in providentia præſenti. Diſp. 4. ſect. 4. per totam à num. 59., & à pag. 306.

Thus.

Adolere thus Chriſto Domino ſub ſpeciebus non ſignificat, illum odore præfato naturalitèr recreari. Diſp. 3. ſect. 2. §. 2. num. 33. pag. 219.

In ſacrificio Thymiamatis aderat vera aliqua deſtructio thuris, in ignem miſſi. Diſp. 5. ſect. 1. §. 3. num. 21. pag. 344.

V

Verba Conſecrationis.

Sunt forma Sacramenti Euchariſtiæ, juxta communiorem, veramque doctrinam. Diſp. 1. ſect. 2. §. 1. n. 36. pag. 32.

Servatorem noſtrum, non verbis, vel non eiſdem, vel non eodem tempore, quo illa protulit, ſed priùs ſecretò conſecrare, nonnulli opinati ſunt; temerariam attamen eſſe eam opinionem tempeſtate hac, docet Theologia. Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. num. 48. pag. 41.

Non

Non purè narrativè, ſed enuntiativè ſimul proferenda à Sacerdote verba. Ibidem.

Verba per ſe requiſita ad eſſentiam conſecrationis. Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. num. 50. pag. 42.

Chriſtus Dominus non profert verba conſecrationis cum Sacerdote Miniſtro. Diſput. 4. ſect. 1. §. 3. num. 35. pag. 273. & ſeq.

Cæterum verba non conſtituunt intrinſecè ſacrificium. Ibidem pag. 274.

Verba Conſecrationis ſignificant Chriſtum Dominum loquentem per os Sacerdotis. Diſp. 4. ſect. 4. §. 2. num. 66. pag. 312.

Proindéque eam ſignificationem ſortiri non poſſent in Triduo, cum in illo non eſſet homo, aut ſummus Sacerdos formalitèr completè, cui locutio attribuatur. Ibidem.

Si anima Chriſti Domini in Triduo per corpus aſſumptum, non verò informatum, proferret verba Conſecrationis, attenta ſolùm potentia ordinaria non conſecraret. Si autem poneret abſolutè corpus ſuum ſub ſpeciebus, nunquam tamen id faceret, ut Sacerdos formalitèr. Ibid. num. 76. pag. 320.

Verba ſola conſecrationis, quæ juxta communiorem ſententiam dicuntur eſſentialia, potius ſignificant Sacramentum in facto eſſe permanens, quam ſacrificium, in fieri conſtitutum; & propterea ad hujus ſenſibilem ſignificationem, ſive ad fieri ipſum ſignandum diſtinctius, exiguntur ulteriora illa verba: *qui pro vobis, & pro multis &c.* Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 43. pag. 366. & ſeq. & §. 2. num. 47. pag. 370. & ſeq.

Hac via conciliari poſſunt diſſidentes Theologorum opiniones circa neceſſitatem verborum, quæ nuper inſinuata ſunt. Cum juxta plures ex mente D. Thomæ ſint eſſentialia; ſecus vero apud alios, Ibid. §. 1. num. 45. pag. 368.

Sunt quidem eſſentialia ſacrificio, ad illud ſcilicet ſenſibile efficiendum; non autem ad conficiendum Sacramentum. Ibidem.

Nonnulli vero opinati ſunt cùm Soto, illa neceſſaria eſſe ad ſubſtantiam, & integritatem formæ conſecrationis; non vero ad eſſentiam. §. 1. n. 44. pag. 368.

Neceſſitas talium verborum ad reddendum ſenſibile ſacrificium, adeoque ad illud conſtituendum, oſtenditur à n. 46. & à pag. 369.

Unde non plenioris expreſſionis gratia, ſed ſimpliciter illud conſtituunt. Ibid.

Per illud, *qui pro vobis effundetur*. Significatur effuſio ſanguinis in Cruce, & vita in illa ſimpliciter ablata; & ſimul jactura vitæ actualis de præſenti in altari immolatæ. Ibid.

Sacerdos, qui non proferret ea verba, conficeret quidem Sacramentum; at non ſacrificium. Ibidem n. 47. pag. 370.

Verba conſecrationis, quantumvis abſolutam vim habeant, ſemper nihilominus, in his, & ſimilibus, ob reverentiam Deo Optimo Maximo debitam, includunt rationem aliquam deprecationis. Ibidem §. 3. num. 75. pag. 394.

Unde & apud Latinos Patres etiam panis, & vinum prece myſtica conſecrari dicuntur; intelligentes per eam precem verba conſecrationis. Ibidem.

Qua veritate dicautur modo in ſacrificio altaris verba illa: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, cum ſignificent effuſionem ſanguinis de futuro? Diſp. 6. ſect. 3. §. 2. num. 64. pag. 483.

Si tantum ſignificent, ſanguinem ſacrificio illo offerendum, firmant aſſertionem noſtram, inducentem ſacrificationem ſubſecutam ad præfata verba; quę propterea in ea acceptione verificantur de futuro ſemper. Ibidem, & pag. 484.

Cum ex vi verborum ponatur corpus præciſivè ab anima rationali; ſi aliunde non poſſet divinitùs exiſtere ſeparatum ſub ſpeciebus ab ipſa, dum informatur illa in Cœlo, poneretur in Euchariſtia, ut præſcindens ab eo, quod exiſteret modo impoſſibili, ſeu chimerico; vel modo poſſibili; cujuſmodi eſſet ea exiſtentia, ſi nullibi exiſteret animatum. Diſp. 8. ſect. 6. §. 1. n. 101. pag. 638.

Idque urget vehementius, ſi exiſtentia illius in Euchariſtia, præſupponat ejus præſentiam realem in Cœlo. Ibidem.

Verbum Divinum.

Aſſumit unà cum anima Chriſti Domini juſtum ferventi amore & eximia ſanctitate ſuſcipiente Euchariſtiam. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 26. pag. 557. & 558.

Verbum eſt principalis motor aſſumens, cum ſit ſuppoſitum animæ aſſumentis, cui propterea attribuitur per ſe primo quælibet operatio, aut paſſio. Ibidem pag. 557.

Inſuper eo ipſo, quod anima, ipſi Verbo hypoſtaticè copulata, conjungatur phyſicè intimè juſto, Verbum adeſt illi peculiari modo. Ibidem.

Utraque autem ratio aſſumendi eſt peculiaris Verbi, & non reliquarum Perſonarum.

Ut Verbum aliam Perſonam Divinam aſſumat, ſufficit intima ſpecialis præſentia; etiamſi ad hoc, ut Angelus, vel anima aſſumat, neceſſaria præſupponatur alia ſtricta unio. Ibidem. Et pag. 558

Aſſumit juſtum ad repræſentandum Chriſtum Dominum. Ibid.

Verbum Divinum nequit fieri præſens alicui juſto ſpecialiter, abſque dono aliquo creato. Ibid. §. 2. num. 31. pag. 565. & ſeq.

Per nullum donum creatum fieri valet ſingulari modo præſens immanenter juſto

præ aliis Perſonis Divinis, niſi per unionem animæ Chriſti Domini cum illo juſto, Ibid.

Verbum Divinum extendit in vero ſenſu aliquo Incarnationem, dum aſſumit recipientem digniſſimè Euchariſtiam. Ibid. ſect. 5. §. 1. à num. 80. pag. 617. 618. 619. & 620.

Ideo non ubicumque eſt Verbum Divinum, adeſt humanitas illi hypoſtaticè copulata; quia unio inadæquata eſt ex parte Humanitatis. Sect. 6. §. 1. num. 102. pag. 638. & 639.

Verbum Divinum fit intimius ſpeciali modo præſens juſto, per intimiorem unionem animæ Chriſti Domini cum frequenter recipiente Euchariſtiam, qui præſupponatur jam aſſumptus, & accedat peramanter diſpoſitus, Ibid. ſect. 7. §. 1. num. 115. pag. 152.

Ad modum quo Spiritus Sanctus fit intimius præſens per novum gratiæ augumentum juſto adveniens, Ibidem.

Veſtis.

Veſtis conjuncta Corpori Chriſti Domini in nocte Cœnæ, neutiquam poſita eſt ſub ſpeciebus panis, & vini unà cum Corpore & Sanguine, dum conſecravit. Diſputat. 2. ſect. 8. §. 2. n. 164. pag. 173.

Victima.

Victima immolanda, agnus v. g. aut vitulus, nec cœcus eſſe debebat, nec macula fœdatus. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. n. 7. & 8. pag. 196.

Victima debet eſſe modo humano præſens Sacerdoti, etiam ſummo, & inviſibili, ut hic ſacrificare illam poſſit, qua propriè Sacerdos, & ſtrictè ſacrificans. Diſput. 4. ſect. 2. §. 1. num. 29. pag. 277.

Inſufficiens eſt præſentia victimæ purè intentionalis, aut objectiva. Ibid. n. 31. pag. 279.

Neque ſufficit, victimam, & Sacerdotem ſummum eſſe idem numero proindeque ſibi intimè præſentes in Cœlo. Ibidem.

Quemadmodum ſine victima nequit fieri ſacrificium, ita ſine victima humano modo præſente. Ibid. num. 33. pag. 281.

Corpus Chriſti Domini non eſt victima, niſi prout altari ſacramentaliter præſens num. 31. pag. 279. & ſect. 3. §. 1. n. 48. pag. 295. & ſeq.

Victima ut immolata per veram ſacrificationem, & illam ſupponens, non terminat aliam ejuſdem rationis. Diſp. 4. ſect. 4. §. 2. num. 72. pag. 316. & num. 71. pag. 317.

Victima ut immolata incruente in Euchariſtia, poſſet cruente immolari in propria ſpecie, non tamen è converſo, Ibidem num. 318.

Victima, ſive Hoſtia vivens, mori omnino debuit ex vulnere ſacrificationis, in veteribus ſacrificiis. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 16. pag. 340.

Aliter Circumciſio Chriſti Domini fuiſſet verum ſacrificium. Ibidem.

Si mors pecudis fuiſſet impedita divinitùs, non fuiſſet verè ſacrificata, nec ſacrificium confectum ex illa. Ibid. num. 17.

Victima, quæ in Euchariſtia immolatur, participat rationem aliquam inanimatæ, quià ſub ſpeciebus panis, & vini; & rationem viventis, quia panis vivus. Diſput. 5. ſect. 3. §. 1. n. 40. pag. 363.

Ubi victima immortalis eſt, ſtrictiſſimè ſacrificatur per hoc, quod vita in actu ſecundo corporis privetur. Ibidem. Et n. 39. pag. 363.

Non eſt contra conceptum ſacrificii, abſolutè, quod Sacerdos efficiat victimam, quam immolet, cum Abraham genuerit Iſaac, quem ritè immolaraſt, ſi prohibitus in ipſo velut ictu non fuiſſet. Diſp. 5. ſect. 5. §. 3. num. 103. pag. 418.

Circa eamdem victimam poſſunt verſari ſacrificationes ſpecie diverſæ. Diſp. 6. §. 1. num. 3. pag. 428. & num. 7. pag. 433.

Victima in ſacrificio laudis, Eccleſiæ triumphantis proprio, erunt operationes vitales ſenſuum præcedenter exiſtentes, quantumvis loco illarum ſuccedant aliæ externæ, imperatæ eodem actu, per quas reddatur ſenſibilis interna ſacrificatio. Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 8. & 10. pag. 513. & pag. ſeq.

Videre.

Poſſitne, videri divinitus Corpus Chriſti Domini prout in Euchariſtia exiſtens. Diſput. 2. ſect. 1. §. 1. num. 7. & 8. pag. 48.

Chriſtus Dominus videt ex Euchariſtia oculis corporeis ſeipſum Sacramentaliter exiſtentem, apud D. Thomam. Diſput. 2. ſect. 2. §. 1. à num. 34. pag. 68. uſque ad 72.

Sive videat, ſive non, modum ipſum Sacramentalis præſentiæ. Ibid.

Beatos, & ſaltem Chriſtum Dominum viſurum ex Empyreo poſt diem Judicii corpora damnatorum, opinati fuere plures Theologi. Sect. 9. §. 2. à num. 177. pag. 184.

Oppoſitum docet communis ſententia. Ibid. num. 178. & 179. pag. 185.

Videbit tamen terras, earumque objecta, quia non aderant corpora intermedia adeo opaca, ut nunc. Ibid.

Secus vero pro hoc ſtatu. Ibid.

Viſio Viſus.

Eamdem viſionem, quam elicit Chriſtus Dominus ex una parte Hoſtiæ, aut minimo, elicit ex alio (ſi objectum ſit utrique æque approximatum), & ex om-

omnibus; non purè ob ſympathiam, ſed ob ſtrictam magis radicem identitatis. Diſp. 2. ſect. 7. §. 2. num. 146. pag. 158.
Viſio materialis ex Euchariſtia divinitus elicita, fit potius per concurſum Dei, ſupplentem defectum ſpecierum, quam per tranſmiſſionem, aut infuſionem ſpecierum. Diſp. 2. ſect. 7. §. 2. num. 143. pag. 155.
Sicut ex eo, quod omnipotentia operetur, neceſſario operatur ex omnibus Perſonis, quia eſt virtus earum; ſic ex eo, quod poteutia eliciat viſionem ex uno minimo; à fortiori etiam producet eamdem ex aliis. Ibid. num. 147. pag. 159.
Capra viſum acutiſſimum habet. Diſp. 3. ſect. 1. §. 1. num. 5. pag. 194.
Viſio materialis quam Chriſtus D. habet in Euchariſtia ſui corporis glorioſi, nec terminari valet ex Euchariſtia ad corpus prout eſt in Cœlo; nec veuire per concomitantiam è Cœlo; cum ex ipſo non videat corpus ſuum naturaliter in Euchariſtia. Ibid. num. 12. pag. 200.
Si autem recurrendum ad miraculum ſit; cur illud detrectabitur ad hoc, ut viſionem eliciat primo ex Euchariſtia? Ibidem.
Eamdem viſionem terminari ex uno loco ad objectum ut præſens; & ex alio, in quo replicetur, terminari ad ipſum ut abſens, abſurdum videtur. Ibid. num. 13. pag. 201.
Præfata viſio ex loco replicato deciperet; quia non eſſet ſuimet ſignum, prout eſt alibi; quemadmodum apparitio Euchariſtica eſt ſignum præſentiæ realis ipſius intra illam, & ideo non decipit. Ibid.
Viſio præſertim externa, terminata ad objectum præſens, importat eſſentialiter habitudinem, ſeu relationem præſentialitatis, apud Doct. Subtilem. Diſp. 2. ſect. 3. §. 1. num. 52. pag. 81.
Si præfata viſio, in Cœlo elicita, replicaretur in Euchariſtia, aut videret objectum ab Euchariſtia abſens, tanquam præſens; & ſic deciperet. Vel non videret ſimpliciter, & ſic vel eſſent contradictoria videre, & non videre reſpectu ſubjecti replicati, vel contradictoria non erunt, tametſi non comitentur ejuſmodi operationes ſubjectum bilocatum. Ibid. num. 54. pag. 82.
Objectum, exiſtens in terra, eſt extra ſphæram viſionis in Empyreo elicitæ. Ibid. num. 55.
Si Chriſtus Dominus privaretur in Euchariſtia viſione ſui corporis, ſive per concomitantiam habita, ſive ibidem primo elicita, eſſet infelix in Euchariſtia (ſaltem negativè) apud Doct. Subtilem. Diſp. 2. ſect. 3. §. 1. num. 52. pag. 80. & §. 2. num. 58. pag. 85.
Viſio, cui non foret eſſentialis relatio præſentialitatis, eſſet tantum abſtractiva, juxta Scotum, quam divinitùs poſſibilem docet. Ibid. num. 55. pag. 83.
Illa tamen non perficeret potentiam quantum illa perfectibilis eſt. Ibid.
Etiamſi per concomitantiam veniret viſio, non exhiberet ſuum formalem effectum in ſententia plurium Scotiſtarum. Ibid. §. 2. num. 56. pag. 84.

Viſio Beata.

Beati Euchariſtici videbunt Deum per eamdem numero viſionem, per quam anima Chriſti Domini illum intuetur. Diſput. 9. ſect. 1. §. 2. num. 10. cum ſeqq. à pag. 679.
Veritas hæc ſolidè ſtabilitur ex ſuppoſitione unionis animæ Chriſti Domini permanenter cum Beato Euchariſtico. Ibid. & num 11. pag. 680.
Ex ea ſuppoſitione manet jam ſuperata difficultas circa replicationem ejuſdem viſionis. Ibid.
Tum ex ſacris litteris, & Patribus, à n. 11. pag. 680. uſque ad num. 14. pag. 683. & §. 3. num. 19. & 20. pag. 187. & ſeqq.
Tum à ratione à num. 14. & à pag. 683.
Ex natura ſummi amoris, qui per ſe intendit ſummam unitatem poſſibilem, & communicationem eorumdem bonorum. Et aliunde poſſibilis, decentiſſimaque eſt identitas illa formalis beatitudinis. Ibid.
Maximè cum Euchariſtia ſit Sacramentum unitatis. Ibid.
Quin arguatur eadem unionis identitas ex amore erga reliquos Beatos non Euchariſticos. Ibid. pag. 684. & num. 15.
Ex unione intima, quæ ſupponitur cum anima Chriſti Domini ſumente ad ſe juſtum illum, in ordine ad efficiendum alium Chriſtum, ad vivum expreſſum. Num. 16. pag. 684. & pag. 685.
Ex promiſſionibus factis Joan. 6. Ibid.
Ex eo, quod ſit caput, ſpiritus proprios emittens in membra, præſertim animata. Num. 16. pag. 685.
Viſio communicata Beato Euchariſtico; & propria Chriſti Domini infunditur pœnes omnes gradus gloriæ, debitos illi, non ſolum ex ſumptione Euchariſtiæ, ſed quovis alio titulo; ne alioqui inutiliter exiſterent duæ viſiones partiales. Num. 15. pag. 684.
Non propterea tamen communicari debent Beato per identitatem reliquæ operationes, quæ beatitudinem non conſtituunt. Num. 16. pag. 685.
Quod viſio, vel intellectio, poſſit infundi ab extrinſeco, dummodo ſaltem intellectus concurrat activè, vel ad ejus reproductionem, vel ad unionem cum ipſa, trita ſatis doctrina eſt. Ibidem §. 3. n. 21. pag. 689.
Et quidem etiamſi viſio entitas modalis ſupponatur; cum ſemper ex conceptu
ſuo

ſuo habeat perfectiones aliquas rei abſolutæ; præſertim viſio beata. Ibidem.

Alligatio viſionis principio inſtrumentario, cujuſmodi eſt intellectus reſpectu viſionis Beatæ, tanta non eſt quanta ſupponitur in intellectione, cujus intellectus ſit cauſa principalis. Num. 22. pag. *689*, & *690*.

Quoniam ab Inſtrumento illo, ſive intellectu ſecundum ſe, provenit ſecundum gradum genericum intellectionis; ex quo fit, quod viſio ſolum expoſcat intellectum pœnes gradum genericum, qui ſalvatur in quolibet, atque adeo nulli determinatè alligatur eſſentialiter. Ibidem pag. *690*.

Et aliunde lumen eſt idem numero in omnibus, quibus infunditur, uti & influxus animæ Chriſti Domini (quæ concurrit ad reproductionem illius unà cum intellectu Beati) & concurſus etiam Dei. Ibidem.

Sic vis verborum conſecrationis alligatur ſignificationi eorum; quoniam tamen ſolum ſignificant formam corporis, ſecundum gradum genericum, componi poſſunt ex ſe cum forma rationali, ęquè ac cum cadaverica, aut corporeitatis. Ibidem.

Poteſt inſuper viſio illa, ob amplitudinem ſummam in linea intentionali, repræſentare, exigereque ortum ſuum ex intellectu Chriſti Domini, ut capitis Eccleſiæ; & cum aliunde caput debeat influere in membra rationalia, beataque, poſtulare ſui replicationem, & reproductionem in ipſis. Ibid. num. 23. pag. *690*.

Demum poſſibilem eſſe intellectionem, viſionemque in qualitate abſoluta formaliter ſitam, compertum eſt. Quidquid ergo de facto contingat in reliquis intellectionibus, quin & viſionibus, illa tamen Chriſti Domini ad univerſaliorem exiſtendi modum nata, abſoluta omnino erit. Ibid. & pag. *691*.

Licet reproducatur ea qualitas per actiones diverſas purè phyſicas à Beatis, quibus communicatur. Ibidem.

Eadem numero viſio intenſiſſima communicata ab Anima Chriſti Domini membris Euchariſticis, poteſt intenſiorem, vel minus intenſum effectum formalem videndi exhibere, juxta gradus gratiæ, meritorum, & luminis. Ibidem ſect. 2. §. 1. à num. 26. & pag. *691*.

Sive id fiat per majorem, vel minorem radicationem, vel unionem ejuſdem viſionis, juxta doctrinam notam D. Thomæ. Ibidem. Et num. 26. pag. *692*.

Quam radicationem admittunt plures in actibus vitalibus, etiam ex eis, qui removent ipſam à qualitatibus purè phyſicis. Ibidem.

Non ideò tamen viſio erit præciſiva. Num. 27. pag. *693*.

Sive fiat per actiones reproductivas inadæquatas, itaut quilibet Beatus reproducat ſolum viſionem pœnes formalitates, aut gradus intenſionis, quos poteſt ab illa, & per illam percipere (licet reliquæ eo ipſo à Deo reproducantur ſimul) cum videns actu importet eſſentialiter vitam phyſicam, conſequenterque ſolum poteſt vivere intentionaliter, juxta gradum vitæ phyſicæ. Ibidem.

Sive effectus ille menſurandus ſit per nobiliores, vel minus nobiles diſpoſitiones. Num. 28. pag. *693*.

Vita.

Chriſtum Dominum eſſe in Euchariſtia omni vita actuali corporea privatum, ſive illa habeatur per concomitantiam, ſive quia ibi primo eliciatur, abſurdiſſimè concederetur. Diſp. 2. ſect. 4. §. 1. à num. *60*. pag. 84.

Vitam illam corpoream in actu ſecundo perperam removet ab Euchariſtia Author libri de Officiis, tanquam vitam animalem. Diſp. 2. ſect. 2. §. 2. num. 48. pag. 78.

Quamvis infælicitas non ſit, carere vita ſimpliciter impoſſibili; poni tamen Chriſtum Dominum in ſtatu, in quo illa reddatur impoſſibilis, omnino repugnaret; ſi per miraculum ſupplenda non foret. Diſp. 3. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 205. & ſeq.

Per immolationem vitæ actualis ſenſitivæ ſalvatur vera ratio ſacrificii Euchariſtici, dummodo illa præcedenter ibidem exercita ſupponatur (ut debet). Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. à num. 37. pag. 359. & ſeqq.

Præfata autem immolatio ſita eſt in actu imperii voluntatis humanæ Chriſti Domini, non inducentis ſolum pro inſtanti ſequenti privationem omnis vitæ præexiſtentis, ſed & poſſibilitatem ulterioris, quaſi abdicans à ſe uſum poteſtatis Inſtrumentariæ, vi cujus eam vitam elicit. Ibid.

Actus ille imperii, cum ſit elicitus à ſummo Sacerdote, qua tali, debet in ſua radice pendere à corpore, ac proinde debet pariter ſuſpendi pro inſtanti ſequenti cum reliquis operationibus. Ibid.

Conſimiliter etiam omnes operationes à corpore pendentes, quę ſupponantur per concomitantiam exiſtentes, aut extituræ (ſi quæ ſint) immolantur. Ibid.

Ea vitæ actualis privatio inducitur ad eum modum, quo in Cruce ſacrificavit ſummus ipſe Sacerdos vitam ſubſtantialem ſimul & actualem.

Neceſſario ante immolationem ſupponuntur operationes aliquæ corporeæ præexiſtentes; maxime cum ipſummet imperium exiſtere debeat, eo quod ſit ſacrificatio, & aliunde pendet à corpore. Num. 38. pag. *360*.

Vita corporea actualis Chriſti Domini ſub

ac-

accidentibus Euchariſticis firmatur. Diſput. 2. ſect. 1. §. 1. à num. 13. pag. 51. cum ſeqq. fuſiſſimè.
Teſtimonia Chriſti Domini Joan. 6., inculcantia, illum eſſe *panem vitæ, panem vivum &c.* ægrè ſalvari poſſunt abſque eo quod in Euchariſtia ejus corpus vivat in actu ſecundo. Diſp. 2. ſect. 1. §. 2. à num. 14. pag. 52.
Quamquam ex vita effectiva neutiquam arguatur per ſe, & directè formalis; ratione tamen materiæ in re ſubjecta legitimè argui poteſt. Ibidem num. 15. pag. 53. cum ſeqq.
Privatio vitæ actualis inducta per imperium voluntatis Chriſti Domini verum ſacrificium conſtituit. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 39. pag. 362.
Quoniam vita actualis eſt illa, cujus privatio intenditur, dum auſertur ſubſtantialis, ut in Cruce; proindeque confertur hæc ſacrificatio cum illa cruenta. Ibidem.
Etiamſi plus vitæ ſacrificatum fuerit in Cruce, quàm in altari, ſacrificatur attamen in hoc vita ſufficiens, ut ſtrictum ſacrificium conſtituat ejus immolatio. Num. 40. pag. 363.
Si per impoſſibile anima ſenſitiva informaret corpus ita, ut nullam prorſus vitæ functionem eliceret, ejus ſacrificatio potius reduceretur ad immolationem rei inanimis. Ibid. pag. 362.
Comparatio vitæ, quam accipit ſumens digniſſimè Euchariſtiam, cum illa, quam Chriſtus Dominus accipit à Patre, probat efficaciter, manere animam Chriſti Domini apud diſpoſitione eximia communicantem. Diſp. 8. ſect. 2. §. 3. num. 32. pag. 568. & ſeqq.
Et ſane ſive comparatio inſtituatur cum vita divina, ut per æternam generationem filio communicata per identitatem, ſive de ipſa ut collata Humanitati Chriſti Domini per unionem hypoſtaticam. Ibid. pag. 569.
Qui per ſumptionem Euchariſtiæ altè diſpoſitus conjungitur cum anima Chriſti Domini permanenter; cum aliunde ſi perſeveret in ea conjunctione viſurus ſit Deum per eamdem numero viſionem, qua Chriſtus Dominus ipſum videt, quæque idcirco adeſt ibi in ipſo intellectu Salvatoris; in toto rigore ſermonis verificat illud Servatoris. Joann. 6. *Niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis*; habet enim fœlicitatem per vitam illam, intra ſe, quam aliter in via habere nequit. Diſp. 9. ſect. 1. §. 3. num. 20. pag. 688. & 689.

Vivens, Vivere.

Vivens nullas vitæ actualis operationis eliciens, nec elicere potens, exiſtere nequit. Diſp. 5. ſect. 3. §. 1. num. 40. pag. 363. & §. 2. num. 48. pag. 371.
Qua ratione verificatur, Chriſtum Dominum vivere in Paulo? Diſp. 8. ſect. 3. §. 1. num. 48. à pag. 583.

Unio.

Euchariſtia ritè ſuſcepta habet quamdam vim unitivam, magneticamque, verè mirabilem. Diſp. 1. ſect. 1. §. 3. num. 30. pag. 18.
Cujus rationis, aut indolis, ſit unio Chriſti Domini cum accidentibus? Diſp. 1. ſect. 2. §. 2. num. 46. pag. 40.
Eadem numero præcedens unio animæ Chriſti Domini cum corpore reproducta fuit in reſurrectione. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 47. pag. 467. & 468.
Euchariſtiæ effectus eſt peculiaris aliqua unio inter Chriſtum Dominum & ritè accedentem, cum, juxta Concilia, & Patres, ſit Sacramentum unionis. Diſput. 8. ſect. 1. §. 1. num. 1. & 2. pag. 537. & ſeqq.
Unio pure affectiva, aut per gratiam ſolum, & charitatem, ſive myſtica tantum, inſufficiens eſt ad verificandam mutuam immanentiam à Chriſto Domino Joan. 6. promiſſam. Ibid. à num. 4. pag. 538. & ſeq.
Unionem realem ſubſtantialem inter carnem puriſſimam Chriſti Domini & dignè illam manducantes induxere plures Theologi in Hiſpania cum Cardinale Mendoza. Diſp. 8. ſect. 1. §. 1. num. 12. pag. 544. & num. 13. pag. 545.
Plures alii ex unione illa, quam ſupponunt tranſeuntem, invehunt aliam moralem, ſive ipſam, ut moraliter perſeverantem. Ibid.
Eam exponunt per unionem conjugum, mutuaque jura reſultantia ex matrimonio conſumato. Ibid., & pag. 546.
Rejicitur præfata unio ſubſtantialis. Ibid. à num. 14. pag. 546. & ſeqq.
Neque ſolum fallit, ſed importuna eſt ad primarium effectum Euchariſtiæ ſalvandum, tametſi ſubſiſteret. Ibid.
Præfatam unionem credidere nonnulli diſtinctam à conjunctione reali Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini ſub ſpeciebus cum ſtomacho dignè ſuſcipientis Euchariſtiam. Ibid. num. 15. pag. 547.
Sive ſe diffundat per partes alias, ſive in pectore ſolum reſideat. Ibid. & num. 16. & 17. pag. 548. & 549.
Expugnatur ſimiliter unio moralis, quæ ex ſubſtantiali reſultare creditur. A num. 18. pag. 549.
Sola unio actualis operationis cum potentia non ſufficit ad comitantiam, ſed requiritur jus mutuum, & mutua partium exigentia. Diſp. 2. ſect. 8. §. 1. num. 156. pag. 166.
Unio incluſa realiter in ſumptione ipſa Euchariſtiæ non eſt ejus effectus, ſed conſti-

ſtitutivum ſumptionis, ſive manducationis. Diſp. 8. ſect. 1. §. 2. num. 19. pag. 550.

Unio aliqua inter aſſumentem motorem, & mobile aſſumptum, omnino neceſſaria eſt. Ibid. ſect. 2. §. 1. num. 25. pag. 555.

Origenes, & Tertullianus eam credidere hypoſtaticam, aberrantes nimium. Ibid.

Alii pariter deviantes ſubſtantialem, & informativam. Ibid.

Alii cum Caytetano ſubſtantialem unionem efficientem unum per ſe in ratione motoris, & mobilis tantum. Ibid.

Plures alii unionem accidentariam. Ibid. pag. 556.

Plurimi præſentiam intimam ſolam, penetrativamque. Ibid.

Unio permanens animæ Chriſti Domini, qua copulata Verbo Divino, cum juſto eximiè accedente ad Euchariſtiam, deſtructis ſpeciebus, eſt potiſſimus Euchariſtiæ effectus. Ibid. num. 56. & 57.

Per illam dignificantur altiùs operationes aſſumpti, elevaturque quodammodo ad ordinem hypoſtaticum. Ibid.

Prædicta unio ex ſe perpetua eſt, ſi per peccatum lęthale, illius jacturam, una cum gratia, miſer homo non faciat, Ibid. pag. 558.

Licet illa haberi poſſit abſolutè ſine Euchariſtiæ ſumptione; juxta providentiam tamen ordinariam haberi nequit, niſi media illa. Ibid. pag. 557.

In juſto prædicto modo accedente eſt effectus Euchariſtiæ ex opere operato. Ibid.

Perducitque interdum juſtum uſque ad unionem transformativam, ſi regi patiatur à motore. Ibid.

Unio hæc non eſt præcipuè ſubſtantiæ cibi cum cibato; ſed potius è converſo, cum cibus ſit vivens, & infinitè præſtantior cibato. Ibid. num. 27. pag. 559.

Eſt multo æſtimabilior unio hæc augumento gratiæ. Ibid. & pag. 560. & Diſp. 9. ſect. 2. §. 2. num. 38. pag. 703.

Per eam unionem connectuntur mutuò in anima Chriſti Domini membra corporis myſtici. Diſp. 8. ſect. 2. §. 2. num. 20. pag. 557.

Unio, quæ eſt proprius effectus Euchariſtiæ Sacræ, appellatur *ſumma* à S. Dionyſio, & *omnimoda* à D. Thoma. Diſp. 8. ſect. 4. §. 2. num. 69. pag. 604. & ſeq. & ſect. 5. §. 1. num. 73. pag. 612.

Ad ſummam unionem dari Euchariſtiam affirmat S. Thomas in opuſc. 58.

Juſtus unione illa decoratus, dum iterum ſuſcipit inflammatis affectibus Euchariſtiam, comparat ſtrictiorem unionem intenſivè, uti & intenſivè majorem. Sect. 7. §. 1. num. 115. pag. 651. & ſeq.

Per eamque unionem arctam magis, anima Chriſti Domini intimius in illo radicatur. Ibid. pag. 652.

Præſertim cum inde ſuboriatur repræſentatio major, & aliunde per ordinem ad illam deſumitur unio motoris aſſumentis cum mobili. Ibid.

Cum repræſentatio ſit finis primarius, & unio aſſumptiva veluti cauſa efficiens operationum exprimentium motorem; quamoptimè arguitur nobilitas cauſæ efficientis ex præſentia finis, & vice verſa. Ibid.

Si unionem illam comparatam ſancta Euchariſtię ſumptione amittat per culpam lęthalem; dum iterato, facta condigna pœnitentia, accedit ad epulum Sacrum, intimo dolore perculſus, & amore percitus, non recuperat unionem in gradu illo intimiori, quem obtineret, ſi prima unio perſeveraſſet, & æquè diſpoſitus, ac modo, deinde acceſſiſſet. Ibid. num. 118. pag. 654. & ſeq.

Per doctrinam hanc conciliari valet diſſidium circa reviviſcentiam gratiæ per Sacramenta ſuſcepta, meritorumque abſolutè. Ibid. num. 117. pag. 653. & 654.

Docente Divo Thoma ſæpè, merita reviviſcere ſimpliciter; interdum vero alibi, ſolum reviviſcere juxta diſpoſitionem reſurgentis à peccato. Ibid. pag. 654.

Quandoquidem ſalvatur reviviſcentia unionis animæ Chriſti Domini in Pœnitente digniſſimè communicante, juxta menſuram tantum præſentis diſpoſitionis; quin reviviſcat prima illa, tametſi foret jus ad novam gloriam eſſentialiter, & æquivalenter meritum. Ibid.

Unio hæc imitatur quidem hypoſtaticam; eſtque in ejus ordine; nunquam tamen aſſequitur illam; eſt enim veluti rota poſterior ejuſdem currus. Num. 119. p. 656. & ſeq.

Utrum vero Sacerdos purioris vitæ ſuſcipiat quaſi duplicatum unionis nexum, qua ſub utraque ſpecie ſumens Euchariſtiam, pendet à ſimili quæſtione circa gratiæ augumentum. Ibid. §. 2. num. 122. pag. 658.

Unionem hanc, ſi finaliter perſeveret in juſto, perennaturam cum illo in æternitate, multipliciter probatur. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. à num. 1. à pag. 672. & ſeqq.

Præſertim cum illa imitetur hypoſtaticam quæ nunquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit. Ibid.

Deinde effectus glorioſi, qui ex unione illa animæ ſanctiſsimæ proveniunt, identitas viſionis Beati (ſervata proportione meriti in participando effectu formali) plus gloriæ eſſentialis ex opere operato, ingenſque gloria accidentalis, Reſurrectio; uti & identitas claritatis, & dotum aliarum, poſtulant neceſsario phyſicam unionis illius durationem per æternitatem. Ibid. & in Procœmio ejuſdem Diſputationis.

Unio animæ Chriſti Domini non ſolum comitatur juſtum Euchariſticum toto vitæ

tem-

tempore, comitatura ipſum æternè poſt reſurrectionem etiam; ſed & animam Beati à corpore ſeparatam. Diſp. 9. ſect. 1. §. 1. num. 5. à pag. 675. & num. 6. pag. 676.

Cum anima Deificata Chriſti Domini uniatur cordi juſti, & ejus animæ per duplicem præſentiam intimam, poteſt naturaliter perſeverare nexus cum anima, deficiente nexu cum corpore. Ibid. num. 5. pag. 675.

Unitas.

Unitas numerica ſimpliciter ſacrificii Crucis; & Altaris ſumenda eſt ex unitate ſacrificationis, ſive actus interni Chriſti Domini reproducti in quolibet ſacrificio. Diſp. 6. ſect. 2. §. 3. num. 39. pag. 460.

Illemet actus, qua reſpiciens intentionaliter utramque vitam, ut ſemel immolandam ſub ritu cruento; & actualem, ut jugiter ſub incruento ſacrificandam, conſtituit unitatem ſimpliciter cum ſola diſtinctione ſecundum quid. Ibid.

Univerſale.

In quo ſenſu Chriſtus Dominus dicatur ſingularis ante tranſitum, aut *Phaſe*, ſive ſingulariter exiſtens; poſt tranſitum vero, non ſingulariter jam, ſed univerſaliter, ut exponit Auguſtinus. Diſput. 8. ſect. 3. §. 2. num. 51. pag. 586.

Votum.

Euchariſtiæ ſumptio, nec jure, nec in voto eſt neceſſaria neceſſitate medii. Diſput. 8. ſect. 2. §. 3. num. 37. pag. 573.

Eſſe non poteſt neceſſarium in voto id, quod in re neceſſarium non eſt, dum illud adeſt. Ibid.

Vox.

Elata parumper voce dicere, *Agnus Dei qui tollis peccata Mundi &c* ſignificat omnino Chriſtum Dominum habere expeditum uſum aurium iu Euchariſtia. Diſput. 3. ſect. 2. §. 1. num. 21. pag. 208.

Neque fieri poteſt duntaxat eo fine, ut moveatur ipſe Sacerdos, moveatque adſtantes, aut excitet ad fervorem. Ibid. num. 27. pag. 213.

Neque ut tam voce externa, quam mente Deum laudet Sacerdos, ut in Pſalmis, quos alternatim canit Eccleſia. Ibid. & pag. ſeq.

Vulnera Chriſti Domini.

Si vulnera in Paſſione ſuſcepta conſervare debet, veluti exuvias triumphi, cur non actionem ſacrificativam reproducere, proindeque ſacrificium ſub ritu laudis, & gratiarum actionis? Diſp. 7. ſect. 1. §. 2. num. 17. pag. 520.

Z

Zelus, & Zelotipia.

Chriſtus Dominus ſub velo accidentium, quaſi ſub pallio zeli, explorat fidem noſtram. Diſp. 1. ſect. 1. §. 2. num. 18. pag. 55.

Sacrificium Zelotipiæ fuit vere, & propriè ſacrificium. Diſp. 5. ſect. 1. §. 1. num. 1. pag. 316.

Errata.

Errata.	Corrige.
IN Præfatione totius Operis pag. 6. lin. 21. quia, nec plura legata mundo relicta, ſunt hactenùs, examuſſim	quia, nec plura legata, mundo relicta, ſunt hactenus examuſſim
In Opere Diſp. 1. in Præfatione pag. 2. lin. 43. & fine fine quaſi,	& fine fine, quaſi
Ibidem pag. 4. lin. 32. quam fuerit natio	quin fuerit natio
Pag. 5. commedere	comedere
Pag. 7. col. 1. Domini	Dominicam
Pag. 12. col. 2. hom. in cap. 11. 15.	hom. in cap. 10. primæ
Et ibidem: hom. 14.	hom. 17. & 18.
Pag. 16. col. 1. Vertuno	Vertumno
Ibidem valet	volet
Pag. 23. col. 3. prodigia	prodiga
Pag. 36. col. 2. admodum	ad modum
Pag. 37. col. 1. n	ne
Pag. 39 col. 1. cap. 3.	cap. 8.
Pag. 41. col. 1. fuiſſe	fuiſſent
Pag. 42. col. 2. in ipſa	in ipſa
Pag. 49. col. 2. aſto	æſtu
Pag. 51. col. 2. accommodare	accommodari
Pag. 52. col. 1. de peccatoris	de peccatorum
Pag. 67. col. 2. ſumendum	ſumendam
Pag. 74. col. 2. Garcſios	Garetius
Pag. 75. col. 1. Signacienſis	Igniacenſis
Ibidem col. 1 Valeramus	Waleramnus
Pag. 78. col. 2. corcertatio	concertatio
Pag. 81. col. 2. ſopplui	mutari
Pag. 86. col. 1. admodum	ad modum
Pag. 91. col. 2. latent	latens
Pag. 100. col. 1. de indebita	de debito
Pag. 110. col 1. audiat	audire
Ibidem experiatur	experiri
Pag. 128. col. 2. immemorata	in memorata
Pag. 141. col. 1. tamquam	ſicut
Pag. 151. col. 1. ſi circa	ſic circa
Pag. 154. col. 1. iſthæc	iſtæ
Pag. 156. col. 1. alata	allata
Pag. 157. col. 1 mutiplicarentur	multiplicarentur
Pag. 163. col. 1. ex oppoſitæ ſententiæ	ex oppoſita ſententia
Pag. 166. col. 2. ſubſtituer	ſubſtituere
Pag. 188 col. 1. triſtes	triſtis
Pag. 189. col. 2. oculi	oculis

Errata.	Corrige.
Pag. 190. ablatam	ablata
Pag. 193. col. 1. noſtæ	noſtræ
Pag. 196. col. 2. uſum acie	viſus acie
Pag. 210. col. 2. Gergoniæ	Gorgoniæ
Pag. 239. col. 2. movetu	movetur
Pag. 247. col. 2. de quo	de qua
Pag. 261. col. 2. tucatur	tencatur
Pag. 278. col. 2. prudentem	prudentom
Pag. 350. col. 1. Toletani 22.	Toletani 12.
Pag. 361. col. 1. ſumo cam	ſumam cam
Pag. 409. col. 2. ſeſedulius	Sedulius
Pag 414. col. 1. oblectæ	objectæ
Pag 419 col. 2. multiplicate	multiplicitate
Pag. 431. col. 1. formaiem	formalem
Pag. 440 col. 2. catholicè	Catholici
Pag. 460. col 2. Parl. 10.	Pſal. 22.
Ibidem Moneſtinus *adde*	vel potius Mopſueſtenus
Pag. 479 col. 2. diſcimen	diſcrimen
Pag 481. col. 1. num. 65.	num. 61.
Pag. 486. col. 2. ſudoreque	ſudorque
Pag. 491. col. 1. Idolatriæ	Idololatriæ
Ibidem col. 1. percepiſti	peperciſti
Pag. 492. col. 2. quodam	quoddam
Pag. 498. col. 1. iovetere	invertere
Ibidem col 1. cira	circa
Pag. 499. col. 1. clarigerum	clavigerum
Pag. 527. col. 1. panis benedictionis	calix benedictionis
Pag. 535. lin. 18. implicationis in objecto	implicationis in adjecto
Pag. 537. col. 1. e ibidem	& ibidem
Pag. 561. col. 1. tealeam	realem
Ibidem deficiant	deficiat
Ibidem Celi	ceci
Pag. 592. col. 1. ſto	Iſto
Pag 597. col. 2. Rom 8.	Rom 5.
Pag. 641. col. 1. diſcendente	diſcedente
Pag. 646. col. 1. ſi adeſſe	ſi adeſſet
Pag 650. col. 1. S Aotonius	S. Antoninus
Pag. 661. col. 2. num. 129.	num. 122.
Pag. 671. immortale facimus	immortale facimus
Pag. 693. col. 2. præfacto	præfato
Pag. 697. col. 2. Corint. *adde*	cap. 3.

Digitized by Google

Digitized by Google